133

~~[illegible]~~

f.56.H.3

[illegible] Google

AA.VI.36.

Digitized by Google


Digitized by Google

f. 56. H. 3
M

R. P. F.
IANVARII DE MATA
SOL SAPIENTIÆ
IN PSALMVM CIII.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

שמש חכמה

SOL SAPIENTIÆ

IN OPERIBVS CREATIONIS EFFVLGENS,

SIVE

Expoſitio Literalis, Moralis, Myſtica, & Allegorica

IN

PSALMVM DAVIDICVM

CENTESIMVM TERTIVM.

Secundum Hebræos centeſimumquartum.

PER R. P. F.

IANVARIVM DE MATA, ET HARO, NEAPOLITANVM.

Ordinis Seraphici Minorum, Sacræ Theologiæ Romæ profeſſorem, Prouinciæ Reformatæ Romanæ alumnum.

Opus, ex Sacræ Scripturæ, Sanctorum, Orthodoxorumq; Patrum ſententijs nouâ methodo concinnatum, ac varia eruditione reſperſum. Philoſophis, Theologis, Concionatoribuſq; perutile.

Cum multiplici Indice. Authorum. Authoritatum Sacræ Scripturæ. Conceptuum ad Concionatorum vſum. Rerum, & Verborum. Allegoriarum. Adagiorum. &c.

Pertinet ad Bibliothecam S^{ti} Fran^{ci} Transtiberim



VENETIIS, Apud Bertanos, M. DC. LXV.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI,

ac Domino D.

FERDINANDO II.

MAGNO HETRVRIÆ DVCI

Patrono, ac Domino Clementiſsimo

QVOD hauſi è cunis cum lacte, erga Celſitudinem tuam, obſequij debitum (Dum Ditioni adſcriptos tuæ meos didici enumerare Maiores) hactenus tectum in mente continui. Aduerſaria vis fortunæ, quam duco, non paſſa eſt meditari conſpectum tuum, cuius proprium eſt tenebras fugare triſtitiæ, aduerſoſque fatorum euertere influxus. Hoc libro nunc duce, qui SOL SAPIENTIÆ nominatur, ad pedes tuos prouolutus accedo, & ex vno Clementiæ tuæ dumtaxat intuitu, beneficium duplex relaturum me puto. Sol hic inter maximas hyemes non timebit procellarum incurſus, nullos ob inuidiam offendet defectus, & in exaltatione fulgebit perenni: ipſe, quantumuis inter ærumnas, vacabo miſerijs, expers ero laborum, et amæna temporum fruar tranquillitate. Expreſſurus Celſitudini tuæ humillimæ deuotionis meæ aliquod teſtimonium, clariorem hoc Sole teſtem adhibere non poteram. Decet aurarum ſpiritibus, quas hic Sol mouet exortu, apud aures tuas meorum Maiorum excitare memoriam, & ſub huius eiuſdem Solis auſpicijs in orbibus tui ſtemmatis nouum viuendi ſperare diem. Manat è vultu tuo, Sereniſsime Princeps, Virtus, quæ moleſtias è cordibus propulſat omnes, fortunam cunctis conſtituit nouam. Mentis altitudo, qua ſentis, non deſpicit humiles: morum grauitas, qua cenſes, a manſuetudine non diſtat. Video mundum obſtupeſcentem ad tuas laudes, famamque tuam communi plauſu probatam ad immortalitatis apicem properare. Manebis in pectoribus

Digitized by Google

omnium, omnium in ore ſonabis. Viue fauſtis ominibus Sereniſsime Princeps, & quò tua te vocat inclita virtus, i felix: grandia meritorum præmia conſequeris. Ire modo per laudes tuas voluptas me trahit, ſed tenuis meus ſtylus tantam haud valet ſuſtinere materiam: Cœlum humeris ſuſtinere ſolummodo pertinet ad Atlantes. Non peruenit laus ad optima, optima ſunt laude maiora. Finem hic faciam, non alijs Celſitudinem tuam detineam verbis, vnum hoc tantum oro, vt illa, qua ſoles humanitate excipias Solem hunc Sapientiæ, nec mei famulatus dedigneris admittere vota. Regalis proſapiæ tuæ non minus peculiare eſt artes alere, facultates nutrire, Sapientiæ domum ædificare, quam ſuccurrere miſeris, reſtituere lapſos, opitulari debilibus. Regnet diù Celſitudo tua Sereniſsima, & det tibi Deus annos, quos mereris, æternos: ſeruetque animum, quem tibi dedit ſemper auguſtum.

Venetijs. Idibus Ianuarij 1665.

Sereniſsimæ Celſitudinis tuæ.

Addictiſſimus & humillimus ſeruus, ac ſubditus.

Bernardus de Meliore.

Digitized by Google

AVTHORIS AD LECTOREM
OPVS, ET OPERIS RATIO.

SOL *illuminans per omnia reſpexit, & Gloria Domini plenum eſt opus eius. Eccl. cap.42. ver.16.* Lector humaniſſime,ſi qua in me vti benignitate paras,ſiſte: paucis te admonitum volo, vt ea,quæ lecturus es,tibi gratiora reddantur. Maximum a me ſuſceptum opus, imparibus quidem viribus,haud tamen pœnitendum,vides:eius rationem agnoſce. Diuinam,æternamque Sapientiam ſuauiter, valenterque diſponentem ſingula, in ſuis operibus mundo rationali illuceſcere,perſpicuum eſt:Et hanc præcipuè centeſimus tertius Pſalmus patefacit,vt qui omnium rerum creatarum perfectiones enumeret , dum per earum cognitionem ad Creantis Maieſtatis laudes nos perducere conatur.Inter hæc Dei opera enumeror,licet omnium minimum, & ego; quapropter,vt grati animi ſignum oſtendam,hunc fulgentiſſimum ineffabilis Sapientiæ Solem,(quem in ſua eſſentia haud poſſumus intueri) in ſuis effectibus radiantem oſtendere conſilium fuit; ſcilicet in relati Pſalmi explanatione, cuius expoſitionem promere, cœleſtis Sapientiæ radios indicare eſt.

Quia verò ſacrarum literarum quatuor ſenſus ſunt,ſcilicet literalis, qui res eo modo, quo geſtę ſunt, refert; tropologicus,ſiue moralis,qui ea,quæ a nobis gerenda ſunt,indicat;allegoricus,qui ea, quæ credenda ſunt, docet;& anagogicus,ſeu ſurſum eleuans,qui cæleſtia,quæ ſperanda ſunt, prodit: iuxta vulgata de hoc carmina.

Littera geſta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

In quorum Exemplum *Ieruſalem* eſt literaliter ciuitas Iudeæ Regia,tropologicè Anima quæcumque fidelis, allegoricè Eccleſia,anagogicè vero Patria cœleſtis,Beatorum requies, ſuperniqne Numinis ſedes. Nos etiam hac quadruplici expoſitione in Pſalmi præſentis commentario vſi ſumus.

Primus ſenſus *literalis* eſt,quo res omnes,quæ in eo continentur, Phyloſophicè, hyſtoricè, ac rationabiliter explicantur:in quorum diſputatione, compendioſè quidem, ſed authoritate ſacræ Scripturæ primùm, deinde Sanctorum, & antiquorum Patrum, & tandem Philoſophorum, ac modernorum Authorum omnia roborantur; quorum omnium ſententias ex proprijs Authorum originalibus tranſcriptas habes, ideoque paginam, & (vbi reperiuntur)etiam columnam,& literam marginalem citatam videbis. Opiniones nonnullas a Peripatheticis diſſonas offendes,cum nec ego in verbis Ariſtotelis iurauerim,qui multas hæreticas opiniones propoſuit. Platoni in quibuſdam magis adhæſi, cuius doctrina Chriſtianæ Religioni ſimillima eſt: ſed & in ipſo errores ſunt;nec mirum Philoſophos, ſine veri ſolis lumine a veritate aberraſſe: ſatius mihi viſum eſt ſacris literis,chriſtianis Doctoribus,& rationibus credere. Quantum ergo ad literalem expoſitionem attinet, hunc Librum *Compendium veræ Philoſophiæ* poteris appellare:nec non propter varias eruditiones,& hyſtorias, *Polianthεam paruulam*, dices.

Secundus ſenſus *Tropologicus* eſt, ſeu *moralis*, quo videlicet ad inſtruendam animam in bonis, ac chriſtianis moribus,exempla,& doctrina ex ſacra eliciuntur hyſtoria.Huic conformem expoſitionem moralem attexui,in qua ad bonos mores componendos,virtutum ſequelam, ac vitiorum fugam, habes ſupra ducenta Aſſumpta prædicabilia,in quorum quolibet multos conceptus ad concionatorum vſum,& commoditatem proponimus; omnes in ſacris literis fundatos,ac Sanctorum, Doctorumque Patrum atteſtatione ſuffultos. His de cauſis Librum hunc nuncupare *Pharetram Concionatorum*, haud ineptè poſſemus.

Tertius *Anagogicus* occurreret ſenſus,quo cæleſtis Patriæ gloria aperiretur; ſed ea, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit,neq; humanum cor intellexit*,conſultò dimiſimus;& eius loco *myſticam* de B.Maria Virgine,ac Cœlorum Regina expoſitionem damus,cum & ipſa *Ieruſalem, & Filia Sion* ab Eccleſia Catholica audiat. Habes hic de immaculata Dei Matre,ſub trigintaquinque titulis,varios conceptus,multaſque laudes;ita vt hæc expoſitio *Mariale* videatur.

Allegoricus tandem ſenſus credenda docet; nam primus Scripturarum Director Spiritus Sanctus allegorijs, & metaphoris vſus eſt,ne Margaritas porcis offerret:itemque Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſemper parabolis vſus eſt; Matth.dicente c.13. ver.34. *Et ſine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem:Aperiam in Parabolis os meum.* Ea propter rerum omnium, & verborum, quæ hic referuntur, allegoricos ſenſus ex ſanctis ſcripturis collexi, & Patrum authoritate firmatos propoſui; ita vt habeas pulchram, ac perutilem in hoc libro *Syluam allegoriarum*; ex qua quantam vtilitatem tuis ſtudijs inferre poteris, tuum eſto iudicium.

Cæterum ſtylum planum,ac facilem adhibuimus,vt omnes ſine ambage,quę dicuntur intelligant,nec in omni periodo Ciceronem conſulere opus habeant:etenim chriſtianæ eloquentiæ vires,non in dicendi ornatu, ſed in ſuadendi conatu impendendæ ſunt;vt oratio igneſcat potius,quam eluceſcat. Ex ijs quæ propono fortaſſis apud alios inuenies nonnulla,aut etiam plura;nil mirum,eoſdem enim Sanctorum Patrum, Scriptorumque eccleſiaſticorum Codices,quos ego,impigro labori minime parcens, euolui, etiam illi præ manibus habuerunt. Si quid tibi non inutile occurret,Deo omnium bonorum largitori id tribuas oro: ſine cuius auxilio mens noſtra,ignorantiæ tenebris obuoluta,caligat.Illud præſertim aduertas velim,quod licet vulgata editio optima ſit, & reliquis anteponenda, non tamen propterea aliæ verſiones ſunt aſpernandæ, præſertim litera hebraica, quam multis in locis, *veritatem hebraicam*, D.Hieronymus appellat. Primò ergo ponitur textus hebraicus, deinde verſiones latinæ;quarum prima,cui titulus:*Verſio ex hebræo*:mea interpretatio eſt,deinde aliæ ſubnectuntur.Deniq; nulla errata hìc adnotata vides, licet nonnulla irrepſerint in impreſſione, ita vt literis ineptè additis, mutatis,demptis, tranſpoſitis,quandoque nec grammaticæ regulis correſpondere videantur: ſed quia ſenſum non variant,tuæ prudentiæ corrigenda relinquimus.Hæc tibi prænotaſſe ſat erit.Scias ſapere,vt viuere ſapias & valere. Vale.

Appro-

Digitized by Google

Approbatio Adm. Reu. P. Andreæ Rouettę, Sacræ Theologiæ Magiſtri Ordinis Prædicatorum.

EX Reuerendiſs. P.Fr.Agapiti Vgonij à Brixia Inquiſitoris Generalis Venetiarum iuſſu: Ego infraſcriptus diligenter vidi librum, cui titulus, *Sol Sapientiæ in operibus creationis effulgens, ſiue expoſitio Litteralis, Moralis, Myſtica, & Allegorica in Pſalmum Dauidicum Centeſimumtertium; ſecundum Hebræos centeſimum quartum.* Auctore Adm. R. P.Fr.Ianuario de Mata, & Haro Neapolitano Ordinis Minorum; Sac. Theolog. Prof. in quo nihil reperi contra fidem, ac bonos mores, aut Sanctæ Matris Eccleſiæ ſanctiones, ſed omnia ſoauem, ſanamque doctrinam olentia, ac proinde ad Chriſti fidelium vtilitatem publicæ editioni admitti poſſe atteſtor. In quorum fidem me ſubſcripſi.

Venetijs die 24. Aprilis 1664.

Fr. And. Rouetta a Brixia Sac. Theologiæ Mag. Ordin. Prædicat.

Approbatio R. R. P. P. Sacræ Theologiæ Lectorum Prouinciæ S. Antonij Venetiarum, Ordinis Minorum Reformatorum.

EX commiſſione Reuer. P.Michaelis Angeli a Sambuca totius Ord. Minorum S.P.Franciſci Miniſtri Generalis, Opus (cuius titulus *Sol Sapientiæ in Operibus Creationis effulgens; ſiue Expoſitio Literalis, Moralis, Myſtica, & Allegorica in Pſalmum Dauidicum centeſimumtertium*) à Reu.P.Ianuario de Mata, Concionatore, & Lectore Generali Sac.Theologiæ, Prouinciæ Reformatæ Romanæ Alumno, compoſitum, maiori qua potuimus diligentia, perlegimus; in eoque nil ſanctæ Fidei dogmatibus obſonum, nil rectis moribus diſſonum, animaduertimus: quin imò, omnia in ipſo exarata parem pietatem, ac multiplicem eruditionem redolentia, introſpeximus: Vt quæ in quamplurimis voluminibus continentur ſparſim, hic miro ordine ſummatim coagulantur. Igitur digniſſimum iudicamus, vt typis mandetur, vt quam primum cum omnium vtilitate in lucem prodeat. Ita cenſuimus in Conuentu noſtro S.Bonauenturæ Venetiarum. Die 20. Iunij 1664.

Fr. Raphael a S. Eulalia Sacræ Theologiæ Lector, & Præfati Conuentus Guard.

Fr. Eugenius à Baſſano Lector Sacræ Theologiæ.

F.Bonauentura Caballus Ordinis Minorum ſtrictioris obſeruantiæ S. P. N. Franciſci, Sac. Rituum Congregationis Conſultor; & huius ciſmontanæ Familiæ Cnmmiſſarius Generalis, & ſeruus. *Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Ianuario de Mata à Neapoli, Prouinciæ noſtræ Reformatæ Romanæ Concionatori, ac Sac. Theologiæ Lectori Generali ſalutem.*

CVm iuxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones, reuiſum, & approbatum fuerit Opus quoddam, cuius titulus eſt. (Sol Sapientiæ in operibus Creationis effulgens, ſiue Expoſitio Literalis, Moralis, Myſtica, & Allegorica in Pſalmum Dauidicum centeſimum tertium;) a te compoſitum, & elaboratum. Tenore præſentium ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem impertimur, quatenus, ſeruatis ſeruandis, illud typis mandare queas. Vale noſtri in orationibus memor. Datum Romæ in Conuentu noſtro Aracælitano, Die 26. Iunij 1664.

Fr. Bonauentura Caballus Commiſs. Generalis.

De Mandato S.P. Reuerendiſſimæ
Fr. Io. Iacobus à Roma Secret. General. Reformatorum.

Digitized by Google

CATHALOGVS

Sanctorum, Orthodoxorum, Prophanorumque Authorum, quorum ſententiæ hic referuntur.

PRudens Lector aduertas velim, me omnium Authorum ſententias è ſuis originalibus hauſiſſe; & ideo etiam paginæ, ſeu columnæ, nec non & marginales liter citantur, excepta Gloſſa, Lyrano, & ijs, qui ex profeſſo in Pſalmum 103. ſcripſerunt. Quod ſi in quibuſdam locis citatis numeri deſunt impræſſionis error eſt, cui nec lynces ſufficient. Eaque de cauſa in recenſione Authorum locum, & Annum impreſsionis exemplaris, quo vſus ſum, appono. Quia verò opus Romæ cæptum, Venetijs perfectum eſt, in nonnullis variata ſunt exemplaria, præſertim in expoſitione literali, & allegórica a Verſu 21. ad finem operis, id etiam aduertendum duxi; Cæterum, & has ſententias legitimè ex iiſdem deſumptas atteſtor.

A

Ælianus. — *Lugduni* 1565
Agnellus Epiſcopus Rauennæ. apud Biblioth. Patr. Pariſiis 1644
B. Albertus Magnus Epiſcop. Ratiſpon. — *Lugduni* 1651
Alexander ab Alexandro. — *Coloniæ* 1539
Alexander de Hales. Ord. Min. — *Pariſijs* 1647
Aloyſius Nouarinus. — *Lugduni* 1631
Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulen. — *Venetijs* 1596
Aluarus Pelagius Epiſcopus Siluen. Ord. Min. — *Lugduni* 1517
D. Amadeus Epiſcop. Lauſanen. cum alijs nouem. — *Lugduni* 1652
D. Ambroſius Epiſcop. Mediolanen. — *Baſileæ* 1538
Ambroſius Calepinus. — *Venetijs* 1612
D. Anaſtaſius Sinayta. tom. 6. p. 1. Biblioth. — *Coloniæ* 1618
Annales Ordin. Minorum. — *Lugduni* 1628
Andreas Hieroſolymitanus Epiſc. Creten. ap. Biblioth. Patr. — *Pariſijs* 1644
Angelus del Pas Perpinianen. Ord. Min. — *Romæ*
D. Anſelmus Epiſc. Cantuarien. — *Coloniæ* 1573
D. Antonius Vliſſiponen. ſeu de Padua. Ord. Min. — *Lugduni* 1653
Antonius Agellius Epiſcop. Acernen. — *Romæ* 1606
D. Antoninus Epiſc. Florentinus. — *Venetijs* 1571
D. Aſterius. Cum alijs nouem. — *Lugduni* 1652
D. Athanaſius Epiſcop. Alexandrin. — *Pariſijs* 1556
Athanaſius Kirker. — *Romæ* 1658
Ariſtoteles. — *Baſileæ* 1598
Arnoldus Carnutenſ. Abbas bonæ vallis. ap. Bibl. Pat. — *Coloniæ* 1618
D. Aurelius Auguſtinus Epiſc. Hipponen. — *Pariſijs* 1566
Auguſtinus Stheuchus apud Gloſſ. Magnam Martinenghi. — *Patauij* 1549

B

D. Baſilius Magnus. — *Pariſijs* 1603
D. Beda Presbiter Anglus. — *Coloniæ* 1612
Bartholomeus Anglus Ord. Min. — *Francofurti* 1601
Benedictus Pererius Valentinus. — *Romæ* 1592
D. Bernardus Abb. Clareuallen. — *Pariſijs* 1632
D. Bernardinus Senenſis. Ord. Min. — *Pariſijs* 1650
Beroſus Caldæus. — *Venetijs* 1582
D. Bonauentura Cardinalis. Ord. Min. — *Romæ* 1596
Biblia maxima Ioannis de la Hayè. O. M. — *Lutetiæ* 1660
D. Birgitta de Suetia. — *Romæ* 1628
Breuiarium Rom. & Ord. Min. — *Romæ* 1650
D. Bruno Carthuſianus. — *Coloniæ* 1611
D. Bruno Aſten. Epiſc. Sign. — *Venetijs* 1651

C

C. Iulius Cæſar. — *Lugduni* 1590
C. Plinius ſecundus. — *Aureliæ allobrog.* 1606
D. Cæſarius Nazianzenus D. Gregorij frater. to. 11. Bibl. Pat. — *Pariſijs* 1644
Cæſar Baronius Cardinalis. — *Ticini regij* 1612
Caſſiodorus. apud Cathenam Franciſci de puteo. — *Pariſijs* 1534
D. Ciprianus Epiſcop. Martyr. — *Lugduni* 1535
D. Cirillus Alexandrinus. — *Pariſijs* 1605
D. Cirillus Hieroſolymitanus to. 4. Biblioth. Patr. — *Coloniæ* 1618
Criſtophorus Clauius. — *Venetijs* 1601
Chriſtophorus Scheiner. — *Bracciani* 1630

D

Didacus de Cea. Ord. Min. — *Romæ* 1636
Diodorus Tarſenſis. ap. Athanaſium Kirker.
D. Dioniſius Areopagita — *Lugduni* 1572
Dioniſius Carthuſianus. — *Coloniæ* 1558

E

Elias Cretenſis apud D. Greg. Nazianz. — *Antuerpiæ* 1612
D. Ephrem Syrus. — *Romæ* 1589
Euagrius to. 6. Biblioth. Patr. — *Coloniæ* 1618
Euſebius Emiſſenus, ſeu Gallican. ap. Biblioth. Patr. to. 5. par. 1. — *Coloniæ* 1618
D. Euſtathius Epiſc. Antioch. Græcolatin. — *Lugduni* 1629

F

Federicus Cæſius Princeps S. Angeli. apud Scheiner.
Flau. Ioſephus hebræus. — *Venetijs* 1481
S. P. N. Franciſcus Aſſiſias. Ord. Min. Patriarcha. — *Lugduni* 1653
Franciſcus Titelmannus. Ord. Min. — *Antuerpiæ* 1567
Franciſcus Toletus Cardinalis. — *Romæ* 1600
Franciſcus Reſta. — *Romæ* 1644
Franciſcus de Puteis. Caten. aur. in Pſal. — *Pariſijs* 1534
Freculphus Epiſcop. Lexouienſ. to. 9. Biblioth. Patr. par. p. — *Coloniæ* 1618
D. Fulgentius Ruſpenſ. Epiſc. cum alijs nouem. — *Lugduni* 1652

G

Galenus. — *Venetijs* 1586
D. Gregorius Magnus Romanus. — *Romæ* 1588
D. Gregorius Nazianzenus. — *Pariſijs* 1583
D. Gregorius Niſſenus. Græcolatin. — *Pariſijs* 1615
D. Gaudentius Epiſ. Brixien. to. 4. Biblioth. Patr. — *Coloniæ* 1618
Gloſſa vtraque, cum Lyrano &c. — *Venetijs* 1588
Gloſſa Magna Aſcanij Martinenghi. — *Patauij* 1597
Guarricus Abbas Igniacenſ. to. 4. Biblioth. Patr. — *Coloniæ* 1618

H

Herodotus Halicarnaſſeus. — *Francofurti* 1584
D. Hieronymus Stridon. presbiter. — *Pariſijs* 1579
Hieronymus Cardanus apud Reſta.
Hieronymus Abbas Lauretus. — *Barcinone* 1570
Hieronymus Oleaſter. — *Lutetiæ* 1622
D. Hilarius Pictauien. Epiſc. — *Pariſijs* 1592
Hildebertus Cenoman. Epiſc. to. 3. Bibl. Pat. — *Coloniæ* 1618

D. Hippo-

Digitized by Google

D.Hippolitus Epiſc.Portuen.& Martyr.to.3.Bibl.Pat. Coloniæ 1618
Hippolitus Marraccius. Romæ 1648
Honorius Auguſto dunenſis Presbiter. to.12.Biblioth. Pat. Coloniæ 1618
Horatius Flaccus. Coloniæ 1618
HRabanus Maurus Epiſc.Moguntin. Coloniæ 1626
Hugo de S.Charo Cardinalis. Lugduni 1645
Hugo de S.Victore. Moguntiæ 1617

I

D.Idelphonſus Epiſc.Toletan.ap.Biblioth.Patr. Pariſijs 1644
D.Ignatius Martyr. Epiſc.Antioch. to.1.Biblioth.Patr. Coloniæ 1618
Ioannes Antonius Delphinus. Ord.Min. Bononiæ 1559
Ioannes Baptiſta Porta. Romæ 1610
Ioannes Baptiſta Folengius. Romæ 1585
Ioannes Caſſianus. Romæ 1611
D.Ioannes Chriſoſtomus Epiſc. Conſtantinop. Pariſiis 1588
Ioannes de Carthagena. Ord.Min. Romæ 1611
D.Ioannes Damaſcenus. Pariſiis 1603
Ioannes Duns Scotus Ord.Min. Lugduni 1520
Ioannes Hieroſolimitanus Epiſcopus to.9. Biblioth. Pariſiis 1644
Ioannes Pierius Valerianus. Lugduni 1610
Ioannes Stephanus Menochius. Venetijs 1662
Ioannes Thomas Caſtaldus Epiſc. Romæ 1655
Iſidorus Clarus. Venetijs 1566
D.Iſidorus Hiſpalen. Epiſc. Coloniæ 1617
D.Iſidorus Peluſiota. Pariſijs 1638
Iſidorus Theſſalonicen. Epiſc. Romæ 1651
D.Ioſeph Hymnographus. Romæ 1662
Ioſeph Blancanus B. Ticini regij 1619
Ioſeph Speranza. Lugduni 1650
Iuuenalis. Amſtelodami 1650
D.Iuſtinus Martyr. Græcolatin. Lutetiæ 1615

L

Landulphus de Saxonia. Venetijs 1658
D.Laurentius Iuſtinianus. Venetijs 1606
D.Leo Papa cum alijs nouem. Lugduni 1652
Leo Imp. Conſtantinop. Romæ 1651
Lucas Vvadingus. Lugduni 1628
Lucius Anneus Seneca. Venetijs 1658
Lucius Cælius Lactantius Firmianus tom. 3. Bibl. Patr. Coloniæ 1618
Ludouicus Cælius Rhodiginus. Baſileæ 1542

M

Mattheus Doring. Ord.Minorum ap.Gloſſ.ord. Venetijs 1588
Michael Ghiſlerius (in Canticam. Lutetiæ 1611
Michael Ghiſlerius (in Hieremiam. Lugduni 1623
Michael Haiguanus, olim Incognitus. Venetijs 1608
M.Tullius Cicero. Lugduni 1562

N

Nemeſius Epiſc.Emiſſen.to.5.par.3.Biblioth.Patr. Coloniæ 1618
Nicolaus de Lyra. Ord.Min.apud Gloſſ.Ordin. Venetijs 1588
Nicephorus Calixtus. Baſileæ 1551

O

Oddo Monachus Aſten.to.15.Bibl.Patr. Coloniæ 1618
Oecumenius Græcolatin. Lutetiæ 1631
Olympiodorus Monachus Græcus. to.11. Bibl. Pat. Coloniæ 1618
Origenes Adamantinus. Pariſijs 1604
Ouidius Sulmonen. Venetijs 1591

P

D.Paſchaſius Rathertus. tom.9. Biblioth. P. P. Coloniæ 1618
D.Paterius. to.6.oper. D.Greg.Mag. Romæ 1588
D.Paulinus Epiſc. Nolan.tom.5.p.1. Bibl.Patr. Coloniæ 1618
Paulus Burgenſis ap.Gloſſ.ordin. Venetijs 1588
Paulus Oroſius Hiſpanus.tom.5.Biblioth.Patr. Coloniæ 1618
Petrus Bercorius. Venetijs 1574
D.Petrus Chriſologus. cum alijs nouem. Lugduni 1652
D.Petrus Damianus. Romæ
Petrus de Palude. Lugduni 1589
Petr. Abb Cellen. & Epiſc.Carnuten. tom.9. Bibl. Pat. Pariſijs 1644
Philo Iudæus. Baſileæ 1558
Plato. Venetijs 1585
Plotinus Philoſophus Platonicus. Baſileæ 1580
Plinius. Lugduni 1533
Plutarcus Cheroneus. Venetijs 1572
Polidorus Virgilius. Baſileæ 1590
P.Virgilius Maro. Romæ 1588

R

Remigius. Altiſiodorenſis. to. Bibliothecæ Patr. Coloniæ 1618
Richardus. a S.Victore. Venetijs 1592
Ricchardus a S.Laurentio. Duaci 1625
Robertus Bellarminus Cardinalis. Venetijs 1614
Ruffinus Aquileienſis. to.9. oper. D. Hieronymi. Pariſijs 1579
Rupertus Abbas Tuitien. Coloniæ 1577

S

Sibyllina oracula tom.1. Biblioth.Patr. Coloniæ 1618
Saluianus Epiſcop.Marſilien. to.5. p.3. Biblioth. Patr. Coloniæ 1618
Santes Pagninus. Lugduni 1536
Sixtus Senenſis. Coloniæ 1586

T

Tertullianus. Pariſijs 1604
Theatrum vitæ humanæ. Lugduni 1656
D.Theodoretus. Coloniæ 1573
Theophilatus Epiſ.Bulgar. Londini 1626
D.Thomas de Aquino. Bergomi 1588
D.Thomas a Villanoua Epiſc. Valentin. Romæ 1659
Thomas de Vio Card.Caietanus. Lugduni 1639
Thomas Maluenda. Lugduni 1650
Titus Boſtrenſ. tom.4.Biblioth.Patr. Coloniæ 1618

V

D.Vincentius Ferrerius. Venetijs 1573
Vliſſes Aldrouandus. Bononiæ 1602

INDEX

Digitized by Google

INDEX PARAGRAPHORVM
Expoſitionis Literalis.

Prolegomena.

1 AVthor huius Pſalmi Dauid.
2 Deum laudat propter opera creationis.
3 Eſt Epilogus operum ſex dierum.
4 Diuinam Sapientiam oſtendit.
5 Trinitatem Perſonarum declarat.

Verſus primus.

1 Quid ſit Benedictio, & quis eius Inuentor.
2 Quid ſit Anima benedicens.
3 Cur hic Deus vocetur Dominus.
4 De ſanctiſſimo Dei nomine יהוה:
5 Quomodo Deus magnificetur per creaturas.

Verſus ſecundus.

1 Quid ſit lux creata, quid lumen.
2 Quomodo cæli ſydera lumine veſtiantur.
3 Quid ſit Cælum; de numero, & ordine Cælorum.
4 Quid ſit illud lumen, quo Deus amicitur.

Verſus Tertius.

1 Vtrum veræ Aquæ ſupra Cælos reperiantur.
2 Quare Deus Cælum, & Terram inter aquas fundauerit.
3 De Elementorum productione, natura, & numero.
4 De Nubibus, Nebulis, Pluuia, niue, rore, Pruina &c.
5 De Aeris, Ventorumq; Proprietatibus.

Verſus Quartus.

1 De Angelorum natura, & proprietatibus.
2 De Angelorum miniſterio, caſu, & poteſtate.
3 De Igne elementari, æthereo, terreno, & ſubterraneo.
4 De Igne Purgatorij, & Inferni.

Verſus Quintus.

1 De elementi terræ natura, & proprietatibus.
2 De fundamento, ſuper quod orbis terrarum fundatus eſt.
3 De immobilitate Cæli, & Terræ, & ſyderum motu.
4 Obiectiones contra immobilitatem terrę ſoluũtur.

Verſus ſextus.

1 Quid ſit Abyſſus veſtiens terram.
2 An etiam Aqua lumine veſtiri poſſit.
3 Quomodo Terra, & Aqua ad inuicem connectantur.
4 Quomodo intelligantur aquæ ſtare ſuper montes.

Verſus ſeptimus.

1 De natura, & productione Fulminum, Fulgurum, & Tonitruorum.
2 De Cometarum generatione, apparitione, & ſignificatione.
3 De reliquis aeris impreſſionibus.

Verſus octauus.

1 De Montium productione, & neceſſitate.
2 De Montium natura, & fertilitate.
3 De Montium prognoſticis, & prodigijs.
4 De Montibus diuina virtute claris.
5 De Montibus a Chriſto D. ſuis operibus illuſtratis.
6 De loco quid ſit, & quibus eſſe in loco conueniat.

Verſus nonus.

1 Quis ſit terminus, quo Deus mare compeſcuit.
2 Mare, an altius terra? quid ſentiendum.
3 De varia Inſularum natura, & productione.

Verſus decimus.

1 De Fontium, & Fluminum origine ſecundum Philoſophos.
2 De Theologica, rationali, & legitima Fontium origine.
3 De cauſa nouorum ortuum fontium, & fluminum.
4 De cauſa dulcedinis, & ſaporum aquarum.
5 De reliquis qualitatibus, & paſſionibus aquarum.

Verſus Vndecimus.

1 De Animalium terreſtrium generatione.
2 Quomodo elementa reperiantur in Animalibus.
3 De Animalium natura, & proprietatibus.
4 De ipſorũ vtilitate in ordine ad hominẽ, & mundũ.
5 De Onagri natura, & proprietatibus.

Verſus duodecimus.

1 De Volatilium natura, & proprietatibus.
2 De Auibus, quæ circa aquas degunt.
3 De Auibus canoris.
4 De prognoſticis Auium.

Verſus tertiusdecimus.

1 De cauſa efficiente pluuiæ.
2 De cauſa finali, ſeu vtilitate pluuiæ.
3 De terris ſterilibus, & fertilibus, & de cauſa huius.
4 De pluuijs prodigioſis.

Verſus quartuſdecimus.

1 De productione, & vtilitate plãtarum, & fructuum.
2 Vtrum ſolis fructibus, & herbis nutritus ſit homo ante diluuium.
3 Homo creaturarum eſt Dominus.

Verſus quintusdecimus.

1 De Vini inuentore, vſu, & vtilitate.
2 De olei, ac frumenti inuentore, vſu, & vtilitate.
3 Vtrum Cor ſit principalior ſedes Animæ.

Verſus ſextusdecimus.

1 De Arborum vtilitate.
2 De Paradiſo terreſtri.
3 De Cedris libani.

Verſus decimusſeptimus.

1 De Auium nidificatione.
2 De Herodio, Aquila, Miluio, Vulture.
3 De mirabili Ciconiarum natura.

Verſus decimusoctauus.

1 De Ceruis, eorumque natura.
2 De capreis ſilueſtribus, ſeu Idicibus.
3 De Hericijs, leporibus, Cuniculis.

Verſus decimusnonus.

1 De Lunę eſſentia, & proprietatibus.
2 De Tempore quod ex lunæ motu oritur. *Vbi* an mundus potuerit eſſe æternus.
3 De ſolis eſſentia, & proprietatibus.
4 De luminarium effectibus in mundum.

Verſus Vigeſimus.

1 De Tenebrarum, ac Noctis neceſſitate, & vtilitate.
2 An Dies a tenebris, vel a luce exorſus ſit.

Verſus vigeſimus primus.

De natura, & proprietatibus Leonum.

Verſus vigeſimus ſecundus.

1 De ortu, & occaſu ſolis.
2 De huius ortus, & occaſus vtilitate.

Digitized by Google

Index Paragraphorum expoſitionis Literalis.

Verſus vigeſimus tertius.
1 De Principijs rerum naturalium in communi.
2 De cauſa efficiente hominis prima, & ſecunda.
3 De cauſa materiali, & compoſitione corporis.
4 De Forma corporis animati, præſertim Hominis.
5 De Fine, ad quem Homo directus eſt.
6 Ex dictis colligitur quid ſit Homo.
Verſus vigeſimus quartus.
1 Quid ſit Diuina Sapientia, & de eius geneſi.
2 Quomodo per ſapientiam Deus omnia creauit.
3 Quomodo poſt diluuium terra hominibus, & Animalibus repleta eſt.
Verſus vigeſimus quintus.
1 De Mari, quid ſit, & de eius motu.
2 De Natura, & generibus Piſcium.
3 De Piſcium generatione, & paſtu.
4 De quorumdam Piſcium proprietatibus.
Verſus vigeſimus ſextus.
1 De Nauium vtilitate, & inuentione.
2 De Draconis marini, ſeu Ceti natura &c.
Verſus vigeſimus ſeptimus.
1 De Dei Prouidentia an detur, & quid ſit.
2 De effectibus Diuinæ Prouidentiæ.
3 Obiectiones contra Prouidentiam ſoluuntur.
Verſus Vigeſimus octauus.
Diuina Prouidentia tam bonos, quam malos poſcit.
Verſus vigeſimus nonus.
De cauſis mortis viuentium.
Verſus Trigeſimus.
1 De Spiritus Sancti Diuinitate, & Proceſſione.
2 De ſpiritus ſancti effectibus, & appropriatis.
Verſus Trigeſimus primus.
1 In quo Sanctorum eſſentialis Beatitudo conſiſtat.
2 De Beatitudine corporum, & loco beatæ vitæ præparato.
Verſus Trigeſimus ſecundus.
1 A quibus cauſis hic Terræ motus excitetur.
2 De varijs effectibus Terræmotus.
3 De Terræ motibus totaliter ſupernaturalibus.
Verſus Trigeſimus tertius.
De Cantu, Cantico, ſeu Pſalmo; deque Poeſis iucundæ inuentione, vſu, & vtilitate.
Verſus Trigeſimus quartus.
Verſus Trigeſimus quintus.
Quid ſit peccator, & quomodo odio haberi poſſit.
Peroratio.
Alleluya ad finem Pſalmi pertinet, & quid ſignet.

Index Paragraphorum expoſitionis Moralis.

Verſus primus.
1 Deus ſemper laudandus, quia nunquam ceſſat benefacere.
2 Deus benedicendus ore, & corde.
3 Qui Deum laudat ſeipſum benedicit.
4 Excellentia Dei ignota mundo nos ligat.
5 Magis mouet Prædicatio exemplo firmata.
6 Deus Dominus omnium, ſed propriè Iuſtorum.
7 Magnificat Deum qui temporalia ſpernit.
8 Deus fit magnus in nobis dum in virtutibus creſcimus.
9 Homo per Verbi incarnationem decoratur.
10 Per peccatorum confeſſionem Anima decoratur.
11 Sacra Scriptura eſt ſpeculum Animæ.
Verſus ſecundus.
1 Confeſſio debet eſſe luminoſa ſine excuſatione.
2 Fides lux eſt illuminans mentem.
3 Chriſtus in incarnatione lux.
4 Sancti ſunt Dei veſtimentum.
5 In Anima Iuſti ſedet, & quieſcit Deus.
6 Per Dei miſericordiam peccatoribus extenditur Cælum, quod tantum Iuſtorum eſt.
7 Sacra Scriptura Cælum eſt.
8 Eccleſia Cælum eſt per Martyrum mortẽ extẽſum.
9 Deus per ſuas creaturas cognoſcitur.
Verſus tertius.
1 Cælum per tribulationem acquiritur.
2 Lex tegitur operibus charitatis.
3 Maxima pœna peccatoribus in iudicio erit Dei triumphantis gloria.
4 Deus a ſuis creaturis nequit comprehendi.
5 Dei Prouidentia omnia reſpicit.
6 Deus ad noſtrum auxilium velox.
7 Animæ, vt venti pennis virtutum volant.
8 Prædicatores Veritatis ſunt nubes Eccleſiam fæcundantes.
9 Vita hominis velociter pertranſit.
Verſus quartus.
1 Omnes creaturæ Deo obediunt præter hominem.
2 Vir a carnis ſordibus alienus Angelus eſt.
3 Prædicatores euangelici Angeli ſunt.
4 Angeli homines illuminando Angeli Dei fiunt.
5 Liberalitas Dei proprietas eſt.
6 Dei miniſtri debent eſſe ardentes charitate.
7 Dei miniſtri debent eſſe veloces ad Dei mandata exequenda.
Verſus quintus.
1 Firmamentum humani cordis timor eſt.
2 Fides Eccleſiæ in Chriſto fundatæ ſtabilis.
3 Anima ſanctitatem fructificans non peribit.
4 Eccleſia Sanctorum generatione fundatur.
5 Via ad cæleſtem Patriam Fides eſt.
6 Eccleſiæ tutiſſimum Firmamentum eſt Verbũ Dei.
Verſus Sextus.
1 Dei ſapientia humano intellectui inueſtigabilis.
2 Diuina Iudicia incomprehenſibilia ſunt.
3 Iuſtus veſte tribulationis tectus fouetur, & creſcit.
4 D. Thomas Abyſſus Eccleſiam tegens.
5 Sapientia ſtat ſupra mentem a mundo eleuatam.
6 Inſipientes ſupra ſuperbiæ montes eleuantur.
7 Deliciæ, & Voluptates in potentibus præualent.
Verſus ſeptimus.
1 Timor Domini expellit peccatum.
2 Comminatione pœnæ Deus nos reuocat a peccatis.
3 Aeris impreſſiones ſunt ſigna iræ Diuinæ.
4 Homo nihil boni operari poteſt ſine Deo.
Verſus octauus.
1 Contemplatione ad cæleſtia mens aſcendit.
2 Prælatorum vita alijs perfectior eſſe debet.
3 Eccleſia Sanctorum doctrinis, & virtutibus proficit.
4 Vnuſquiſque ſecundum propriam conditionem Deo ſeruire debet.
5 Deus ſuperbos quandoq; ex improuiſo humiliat.
6 Perfectionis ſtudioſi ad proximorum auxilium deſcendere debent.
Verſus nonus.
1 Contemplatiui ne plus ſapiant quam oportet.
2 Arcana Deitatis tegenda ne ſimplices opprimantur.
3 Deus nos tentari vltra vires non permittit.
4 Verba otioſa, & maledica Deus interdicit.
5 Deus pauperes eligit ad frangendam mundi gloriã.
6 Ex aqua lateris Chriſti, ſalus mundo orta eſt.
7 A terra virtutis ad maris laſciuiam non tranſeundum.

8 Libido

Digitized by Google

8 Libido omnes Animæ virtutes corrumpit.
9 Deo dicatus terrena negotia tractare non debet.

Verſus decimus.

1 Fontes diuinarum gratiarum in humiles pluunt.
2 Nullus locus eſt, quem Chriſti Doctrina non irrigauerit.
3 Homo, vt in Dei gratia creſcat illius indigentem ſe, æſtimet.
4 Diuitiarum cupiditas Doctrinam corrumpit.

Verſus Vndecimus.

1 Beſtiæ ſunt, qui de mundanis rebus delectantur.
2 Peccatores obſtinati numquam peccandi feritatem deponunt.
3 Animæ ſanctæ ſolam cæleſtem conſolationem deſiderant.
4 In Deo ſperandũ, cuius auxilium ſemper eſt paratũ.
5 Tunc peccator cæleſtia amat cum ſarcinam peccatorum deponit.
6 Inuidi bonos oderunt, & eorum profectum impediunt.

Verſus duodecimus.

1 Spirituales a terrenis remoti viuere debent.
2 Hortus eſt Anima ſancta Angelorum conſortio decorata.
3 Spirituales ſub obedientia viuere debent.
4 Superbi ſe ſolos efferunt, alios contemnunt.
5 Magis Perfecti Deum magis laudare tenentur.

Verſus tertiusdecimus.

1 Gratia ſpiritus ſancti mentes ſanctorum irrigat.
2 Animæ ſpiritualis de virtute in virtutem creſcere debet.
3 Perfecti, prius diuinam conſolationem aſſecuntur.
4 Diues terrenis inhians, cæleſtia non curat.
5 Opera bona fructificant vitam æternam.
6 Opera Dei, non noſtro, labore Anima virtutibus repletur.

Verſus quartuſdecimus.

1 Homines iumenta, quibus Deus præparat eſcam ſuæ carnis.
2 Vnicuiq; ſecundum propriam neceſſitatem ſubuenit Deus.
3 Animæ aridæ in ſpiritu Deum ſitiunt.
4 Diuites eleemoſinam pauperibus debent.
5 Eleemoſina ſemen fructificans panem æternum.

Verſus quintusdecimus.

1 Lætitia etiam ſpiritualis eſt gutta reſpectu gloriæ.
2 Paſſio Chriſti noſtræ lætitiæ cauſa.
3 Amor Dei inebriat Animam.
4 Non opera noſtra, ſed miſericordia Dei nos ſaluat.
5 Miſericordia in pauperes ieiunium acceptabile Deo facit.
6 Quidquid ad Dei ſanctorumq; honorem fit, libenter faciendum.
7 Oleum peccatoris eſt falſa laus adulatoris.
8 Chriſtus electorum Pabulum.
9 Euchariſtia roborat ad bonum faciendum, & malum vitandum.
10 Verba Dei animam nutriunt.

Verſus ſextusdecimus.

1 Qui Dei legem meditatur eius cognitione ſatiatur.
2 Potētes Dei ſeruos paſcentes in virtutibus creſcũt.
3 Subditi ſecundum Maiorum exempla viuere ſolēt.

Verſus decimusſeptimus.

1 Animæ virtutib. volantes diabolicos vitãt laqueos.
2 Sanctorum conuerſatio ſalutem parit.
3 Dei ſeruus Chriſtum immitatur, & ſequitur.
4 Maximi peccatores conuerſi fiunt Duces aliorum.
5 Deſiderans Cœlum hìc patriam habere non debet.
6 Religioſi Duces ſunt ſæcularium ad vincendum diabolum.
7 Deus vilibus creaturis nos ſubijcit, vt humiliemur.

Verſus decimusoctauus.

1 Contemplatiui S. Scripturæ intelligentiã aſſecũtur.
2 Qui Diuitias ſpernunt magni fiunt apud Deum.
3 Sancti ſunt cerui infernalem ſerpentem ſuperãtes.
4 Qui cæleſtia amat terrena quaſi non tangit.
5 Chriſtus eſt peccatorum refugium.
6 Vulnera Chriſti Animarum refugium.
7 De ſpinis tribulationum flores naſcuntur.

Verſus decimusnonus.

1 Rerum mortalium breuis duratio eas deſpicabiles facit.
2 Eccleſia Dei, vt Luna creſcit.
3 Finem ſuum agnoſcens vitia deteſtatur.
4 Semper debemus timere ne deſeramus a Deo.
5 Illis diuinus ſol occidit, qui ab eo recedunt.
6 Sol perfectam obedientiam nos docet.

Verſus Vigeſimus.

1 Peccata terribiles afferunt tenebras.
2 Permittit Deus ad peccatorum pænam cæcitatem mentis.
3 Abſente Chriſto Anima a beſtijs infernalibus deuoratur.
4 Propter Paſtorum negligentiam grex Domini deuaſtatur.
5 Crudelis Beſtia Diabolus eſt.

Verſus vigeſimus primus.

1 Diabolus Leo, & peccatores catuli Leonum.
2 Diabolus ſuperborum Rex.
3 Diabolus homines ad tentandum poſcit.
4 Diabolus tentare non poteſt, niſi quantum Deus permittit.
5 Deus permittit tentationẽ ad noſtram vtilitatem.
6 Potentes per vim bona pauperum rapiunt.
7 Potentes ſimulando ſanctitatem decipiunt.

Verſus vigeſimus ſecundus.

1 Sol Chriſtus diem facit in cordibus puris.
2 Chriſtus qui nunc oritur ſol miſericordiæ orietur in iudicio ſol iuſtitiæ.
3 Impij Dei aſpectum ferre non poſſunt.
4 Qui cecidit ſperet, & pœnitentiam agat, quia redibit ad gratiam.

Verſus vigeſimus tertius.

1 Tempus merendi, & benè operandi vita eſt præſẽs.
2 Operari bonum vſq; ad mortem neceſſe eſt.
3 Homo omni tempore exercere debet virtutem.
4 Vita præſens laboris, cui ſuccedit æterna requies.
5 Præmium futurum præſentem laborem minuit.
6 Exeundum de mundo, vt vera acquiratur virtus.
7 Opus Chriſti proprium ſaluare eſt.

Verſus vigeſimus quartus.

1 Diuina Sapientia magnam ſe oſtendit dum peccatores ſaluat.
2 Opus Dei proprium miſereri ſemper, & parcere.
3 Diuiſio omnem maculat bonitatem.

Verſus vigeſimus quintus.

1 Omnes pœnę nobis debitæ in Chriſto congregatæ ſunt.
2 Mundani ambulant vias latas, quæ ducũt ad mortẽ.
3 Doctrina gentium infructuoſa & noxia.
4 Auarus animus numquam ſatiatur diuitijs.
5 Rerum mundanarum ſtatus labilis eſt.
6 Peccator in hoc mundo nũquam quieſcere poteſt.
7 Concupiſcentia mare exagitans mẽtem, & perdẽs.
8 Iniqui non numerantur inter homines.
9 Humiles, & ſpirituales in Prælatos eligi debent.

Verſus.

Digitized by Google

Verſus vigeſimus ſextus.
1 Cupiditas tempeſtas exagitans hominis vitam.
2 Anima Iuſti nauis virtutibus onuſta.
3 Crux Chriſti nauis a naufragio mundi liberans.
4 Eccleſia nauis eſt ad regionem cæleſtem ducens.
5 Chriſtus Nauclerus Eccleſiæ eam ſaluat.
6 Charitas Nauis, quæ mundi tempeſtates ſuperat.
7 Diabolus, & eius ſequaces ſunt ludibrium ſanctorum, & Dei.
8 Peccator per pœnitentiam illudit Diabolo.
9 Diabolus auiditate nocendi proficit nobis.
10 Adulatio cauda diaboli homines decipiens.
11 Prima peccati ſuggeſtio periculoſa.
12 Detractio Draco venenatus crudeliter ſaucians.
13 Diabolus habitū Angeli lucis ad decipiēdū induit.
Verſus vigeſimus ſeptimus.
1 Errat qui ſperat ab hominibus, & non a Deo.
2 Peccator eſt Diaboli cibus.
Verſus Vigeſimus octauus.
1 Deus ante petitionem noſtram beneficia donat.
2 Deus in incarnatione manum aperuit ad noſtram ſalutem.
3 Chriſtus in cruce manum aperuit, vt nos repleret bonis.
4 Ex Dei præſentia omne bonum prouenit creaturis.
Verſus vigeſimus nonus.
1 Nulla virtus remanet in homine recedente Deo.
2 Dominus nos flagellat, vt pœniteamus.
3 Homo renouatur ad gratiam per ſui cognitionem.
Verſus Trigeſimus.
1 Gratia ſpiritus ſancti ad nouam vitam generat.
2 Gratia Spiritus Sancti remouet a malo, & in bono perficit.
3 Gratia Spiritus Sancti Dei Imaginem renouat in nobis.
Verſus Trigeſimus primus.
1 Gloria Dei æterna; mundi vana & tranſitoria.
2 Gloria bonorum operum Deo tribuenda eſt.
3 Opera noſtra bona ſunt per Dei gratiam, mala per noſtram malitiam.
4 Deus de hominum ſalute lætatur.
Verſus Trigeſimus ſecundus.
1 Ipſi ſancti in die Iudicij timebunt.
2 Tribulatio ſignum eſt diuinæ præſentiæ.
Verſus Trigeſimus tertius.
1 Deo canit qui eius præcepta obſeruat.
2 Cantus Deum delectans Pœnitentia eſt.
3 Confeſſio debet eſſe benè circumſtantionata, vt Deo canat.
4 Hic debemus pęnitere, quia poſt mortem nulla redemptio.
5 Iuſtus omnia bona ſua in Deo quærit.
Verſus Trigeſimus quartus.
1 Conuerſatio diuina dulcedo ineffabilis.
2 Qui vult guſtare Dei conſolationem debet illum delectare operibus ſuis.
Verſus Trigeſimus quintus.
1 Deficiunt Peccatores a malo dum pœnitentiam amplexantur.
2 Odio habet iniquos qui verè Deum amat.
3 Dei comminatio ſæpè clementiam ſonat.
4 Anima Deum laudet, ne otioſa pereat.

Index Paragraphorum expoſitionis Myſticæ,

De BEATA MARIA.

Verſ.1. Beata Virgo benedicta, & beata propter prolem.
Verſ.2. Beata Virgo ſpecie corporis pulcherrima fuit.
Verſ.3. Maria nubes protegens homines ab æſtu malorū.
Verſ.4. Maria eſt Cælorum Domina, & Regina Vniuerſi.
Verſ.5. Maria Mater fœcunda, & Virgo puriſſima.
Verſ.6. Beata Dei Genitrix miſericordiæ Abyſſus eſt.
Verſ.7. Beatiſſima Virgo terribilis eſt Diabolo, & Angelis eius.
Verſ.8. Maria Deipara ſanctis omnibus excelſior eſt.
Verſ.9. Maria Virgo ab originali culpa præſeruata eſt.
Verſ.10. Maria Virgo fuit vndequaque gratia plena.
Verſ.11. Maria Virgo gratiarum fons omnibus potum tribuens.
Verſ.12. Maria Virgo protectio, & requies virorum ſpiritualium eſt.
Verſ.13. Mariæ Virginis bonorum operum fructus Eccleſiam ſatiat.
Verſ.14. Maria Venter electorum frumentum, & Angelorum panem produxit.
Verſ.15. Beata Virgo Vinum eſt maximè poſt Chriſtum lætificans cor.
Verſ.16. Beata Maria Cedrus libani a peccatorum tineis libera.
Verſ.17. Beatæ Mariæ ſeruire vtile, & honorificum eſt.
Verſ.18. Maria Virgo peccatorum hominum eſt Aduocata.
Verſ.19. Maria Virgo Luna rutilans propter Dei conceptionem.
Verſ.20. Vbi Mariæ protectio non eſt, ibi tenebræ malorum.
Verſ.21. Maria Virgo Peccatorum eſt Aduocata.
Verſ.22. Virgo Maria Sol eſt vniuerſum mundum illuminans.
Verſ.23. Maria Virgo per orationem potentiſſima, vt impetret nobis gratiam.
Verſ.24. Maria Virgo Cælum Dei, & Thronus diuinæ ſapientiæ.
Verſ.25. Maria Virgo fuit gratiarum Oceanus.
Verſ.26. Maria Virgo maris eſt ſtella ſaluans, & regens in mundanis fluctibus.
Verſ.27. Maria Virgo inter Deum, & homines mediatrix eſt.
Verſ.28. Maria Virgo Dei manus eſt, per quam omnia nobis elargitur.
Verſ.29. Maria Virgo in filij ſui paſſione quam maximè cruciata eſt.
Verſ.30. Maria Virgo per inhabitantem in ſe ſpiritum ſanctum mundum renouauit.
Verſ.31. Maria Virgo opus magnum in quo quieſcit Deus.
Verſ.32. Maria Virgo Humilitatis virtute clariſſimè enituit.
Verſ.33. Maria Virgo poſt ſuam ad Cælum Aſſumptionem maxima gloria, & lætitia decorata eſt.
Verſ.34. Maria Virgo Morientium eſt Præſidium.
Verſ.35. Mariæ Virginis aſpectus inhoneſtas cogitationes expellebat.

SOLIS

Digitized by Google

✠ ✠ ✠
IESVS SIT SPES MEA.

SOLIS SAPIENTIÆ

In operibus Creationis effulgentis

AVRORA.

Siue

Expoſitionis in Pſalmum Dauidicum centeſimum tertium.

PROLEGOMENA.

EXpoſitionem centeſimitertij Pſalmi, qui inter omnes diuinas laudationes (ſic Hebræi nuncupant) præſtantiſſimus iudicatur, aggreſſus; ea præfari cogor, quæ communiter ante cuiuslibet libri explanationem præmittere neceſſe eſt: De Authore videlicet, excellentia, fine, vtilitate, cæteriſque huiuſmodi, deque occaſione ſuſcepti, haud pœnitendi, laboris. Sed illud preſertim dilucidandum videtur, cur Diuinum Sapientiæ Solem hìc peculiariter effulgentem fateamur. Ne igitur ea, quæ ad operis totius intellectum, meique inſtituti propoſitum faciunt deſiderentur, ea omnia ſequentibus titulis enucleabo.

SVMMARIVM.

1 *Author huius Pſalmi Dauid.*
2 *Deum laudat propter opera creationis.*
3 *Eſt Epilogus Operum ſex dierum.*
4 *Diuinam ſapientiam oſtendit.*
5 *Trinitatem Perſonarum declarat.*

§. I.

Author huius Pſalmi Dauid.

SOlus ne Dauid, an alijs comitatus Prophetis, huius libri Author extiterit, expoſitores in varias feruntur ſententias. Etenim non pauci, nec obſcuri nominis Patres, inter quos D. Auguſtinus, acriter contendunt ſolius Dauidis opus eſſe, ea ratione ſuffulti, quòd in ſacris literis, nouo preſertim Teſtamento, Liber Pſalmorum Dauidis nuncupetur. Verùm non magnifacienda hæc ratio eſt, cùm librum a maiori, vel præcipua parte denominari vſus euincat: Cùm igitur maiorem Pſalmorum partem Rex ille ſanctus ſit modulatus, ei nuncupari librum non incongruum videbatur. Sane cùm maximus diuinarum ſcripturarum Interpres, iſque ſanctiſſimus, ac linguæ ſanctæ peritiſſimus Hieronymus plures huius libri compoſitores enumeret, ipſum ſequi non dedignabimur, in hac re doctiſſimum Incognitum imitantes, cuius talis eſt ſententia. *Vt dicit Hieronymus in Prologo huius libri, decem fuerunt Authores Pſalmorum, ſcilicet Dauid, Moyſes, Salomon, tres filij Chore, Aſaph, Ethan, Eman, & Idithun, & multi alij, qui ignorantur, ideo multi Pſalmi ſine titulo. Iſte tamen totus liber attribuitur ipſi Dauid, quia licet non omnes Pſalmos, tamen maiorem partem ipſe fecit; & conſuetudo eſt a principaliori parte totum denominare. Incognitus in Prol. Pſal.* Huc accedit libri titulus, cum enim ſapientiales alij libri ſuis tribuantur

Digitized by Google

buantur Authoribus, vt *Cantica Canticorum Salomonis*, &c. hic tantummodo liber Pſalmorum, vel vt in hebræo ספר תהלים *Liber laudationum*, ſuppreſſo Authore, nuncupatur. His minimè obſtantibus, certiſſimum eſt Pſalmos omnes, quibus Dauidis nomen præfixum eſt, ſine controuerſia ipſius eſſe. Quid vero de præſenti Pſalmo ſentiendum, ambiguum; & certè Nicolaus de Lyra incerti Authoris exiſtimat, inquens, Author huius Pſalmi ignoratur. *Nicolaus Lyran. ap. Gloſſ.* Ego autem ipſius Dauidis eſſe vel inde mihi perſuaſuum habeo, quòd a ſuperiori 102. Pſalmo Initio, fine, & Argumento non diſſidet, quem Dauidis eſſe titulus ipſe demonſtrat; vt Bellarminus aduertit: *Videtur autem hic Pſalmus recto ordine poſitus poſt Pſalmum præcedentem: in illo enim aguntur gratiæ Deo pro beneficijs gratiæ, in iſto pro beneficijs naturæ: ibi laudatur Dei miſericordia, hic prædicatur Dei ſapientia. Rup. Bellarminus. in Pſal.* 103. Hæc cum ita ſint, iurè meritò Agellius, ad eundem Authorem vtrumque Pſalmum pertinere philoſophatur, dicens; *Quamuis apud hebræos hic Pſalmus titulo careat, tamen quia vt ſuperior eodem fine clauditur, quo initio exorditur, ad eumdem Authorem pertinere conſequens eſt, ad quem ſuperior pertinuit, nempe Dauid. Antonius Agellius. epiſc. Acernenſ. in Pſal.* 103. Cui ſententiæ fauere videtur Græcus Interpres, relatus à Genebrardo, qui titulum affinxit, Dauidem Authorem referens: *Nullus eſt titulus hebraicè, Grecè autem, Dauidis Pſalmus ſuper mundi conſtitutione. Gilber. Genebr. in Pſal.* 103. Ex his omnibus igitur concludendum eſt in omnium ſententia hunc Pſalmum Dauide Authore prodijſſe. Quæ omnia de inſtrumentali, & ſecundaria cauſa dicta velim; Principalis etenim cauſa Spiritus ſanctus fuit, qui Dauidem ad pſallendum mouit ad noſtram eruditionem.

§. II.

Deum laudat propter opera Creationis.

DAuid itaque ex creatis rebus argumẽtum ſumens in Dei laudem citharam perſonare docet: Pulcherrima ſanè diuini ſpiritus ordinatio, vt recolens homo innumera beneficia ſibi a Diuino collata Numine, mentem erigat ad benedicendum, & laudandum tantorum munerum parentem Deum. Cùm igitur alijs in Pſalmis peculiaria iſraeliticę gentis, vel tantummodo ſui ipſius beneficia recenſiſſet vates, ne vllus excuſari ſe à diuina laudatione poſſet, ea ſeductus ratione, quòd Pſalmum ad ſe pertinentem non haberet ad manus, in præſenti Cantico omnia naturalia dona cuicumque viuenti, (nedum homini ſoli) communia, memorauit; nomine igitur omnis creaturæ Propheta opera creationis canendo debitas Deo grates rependit, laudes eius, benedictioneſque promulgat: quod D. Hieronymus fatetur, inquiens: *Iſte Pſalmus ipſius creaturæ vocem continet laudantem, & benedicentem Deum*. Nam neque ſatis illi Regi ſanctiſſimo viſum eſt, ſe ſolum diuina celebrare encomia, niſi, dum dulciter diuina modulatur opera, etiam nos ad canendum quæ pſallit, imitatione, vel emulatione moneret. Etenim cùm nulla reperiatur creatura, in quam enumerata beneficia non cadant, nulli ex conſequenti, ſine ingrati animi vitio, a diuinis benedictionibus os temperare fas eſſe poterit: quare ſubdit Incognitus: *Intentio Dauid in iſto Pſalmo eſt eadem, quæ fuit in præcedenti, ſcilicet monere nos ad Dei laudem: Incog. loc. cit.* cui ſententiæ etiam Lyranus ſubſcribit his verbis: *Author huius Pſalmi ignoratur, tamen eſt quædam inuitatio ad Dei laudem ex ſuis creaturis, in quibus elucet bonitas Creatoris. Nicolaus de Lyra.* Mentis certè impotem ſe fateatur neceſſe eſt quiſquis, tam miram rerum varietatem perſpiciens, ſic aptè diſpoſitam, ſic ornatè diſtinctam, ſic ſapientiſſimè diſtributam, non in laudem tanti Artificis condigna benedictione prorumpit; his motus mirabilibus Pſaltes cecinit, ſi Acernenſium Epiſcopo Agellio credamus. *Laudat Deum ab eius potentia, ſapientia, prouidentia, quæ in rebus creatis elucet: in quibus nihil non ordinatum, non commodum inuenitur*: inquit *Agellius*: Hanc laudationem tripliciter diuidit Cardinalis Eminentiſſimus Hugo; nam tria videntur ſibi cęleſtem cantorem propoſuiſſe, primum ex cęlorum, Terrarumque ornatu Deum celebrare. Secundum, ſumere ex marium, aquarumque fontibus benedictionis Argumenta; Tertium tandem ſe numquam à diuinis laudibus ceſſaturum; audiamus Hugonem: *Tripartitus eſt Pſalmus; primò monet benedicere Deum per Cælum, & Terram, & ornatum eorum; ſecundò per Mare, & eius ornatum: Tertiò ſeſe ſemper cantaturum Domino promittit. Hugo carenſ. Cardin. in Pſal.* 103. Digna prorſus Dauide concluſio, vt qui ſemper a Domino gratijs afficimur, ſemper etiam illi canendo, & laudando grates debitas rependamus.

§. III.

Eſt epilogus operum ſex dierum.

IAm ad ipſa opera recenſenda accedamus; quæ vt vno complectar verbo, Pſalmum iſtum Epilogum operum ſex dierum appellauerim; in eo namque omnia Hexameronis mirabilia continentur. Quod vt planius fiat, ſingulorum dierum geſta memorentur. Prima igitur die mundi naſcentis exordia lux dedit; cum enim omnia Abyſſi nigredine incompoſitæ molis machinam præſeferentes confuſione obuoluerentur, Deus optimus maximus pulcherrimam rerum omnium ornamentum lucem creauit, qua omnia diſtinguntur, illuſtrantur, perficiuntur; nihil etenim valerent prætioſa quæque, ſi caligine tegerentur; & fortaſſe lux illa increati Solis, qui lucem habitat inacceſſibilem, radius fuit; hoc inſinuat Pſaltes dum verſu ſecundo Deum lumine decoratum oſtendit, *Amictus lumine ſicut veſtimento; verſ.* 2. vt omnia lucidis amicta ſplendoribus increati luminis ſe participatione fulgere recognoſcant. Illuſtrato iam luce genita mundo, voluit ſecunda die Dominus in medijs aquis ſtabilire Cœlum; ideo ſubdit, *fiat firmamentum*, vel vt Hebreus רקיע *ſit extenſio in medio aquarum*; Hanc autem extenſionem Cœlum appellari voluit; & de hac loquitur in eodem verſu Pſalmus noſter, *Extendens Cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius*. Ne autem Aquæ vltro, citroque diffuſæ terrarum orbem inhabitabilem redderent, tertiæ diei illas in vnum congregare opus fuit; hinc orta Maria, de quibus verſus vigeſimus quintus, *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus. verſ.* 25. deditque compreſſum Aquarum elementum Terræ ſpatium, vt appareret, & viuentium commodum fieret receptaculum, ita verſus quintus, *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: verſ.* 5. quæ tellus, vt alere poſſet Animantia, herba-

Digitized by Google

herbarum, arborumque producendi facultatem obtinuit, illis verbis. *Germinet terra herbam virentem, &c.* De his omnibus hic loquitur vates verſu quartodecimo, & ſequentibus, *Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, vt educas panem de terra, & vinum cor hominis confirmet, &c. verſ. 14. 15. 16.* At maiori decoratus ornatu dies quartus illuxit; ſiquidem in illo maxima luminaria Cœli, nec non fulgentia ſydera orta memorantur; a quorum motu tempus omne, Dies, menſis, Annus originem ducunt; neque horum oblitus Dauid verſu decimonono, & vigeſimo canit, *Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occaſum ſuum, poſuiſti tenebras, & facta eſt nox &c. verſ. 19. 20.* Quinta ſuccedit lux volatilium, piſciumque turmas admiratura; nam Immania Bellua, ſeu grandia cete Maria ſpatiari, Aueſq; aerem dulciſſimo modulatu replere reſpexit; quę verſu duodecimo, & vigeſimoquinto comprehenduntur, nam in illo dicitur, *Super ea volucres Cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt vocem, verſ. 12.* & in altero, *Illic reptilia quorum non eſt numerus, Animalia puſilla cum magnis, &c. verſ. 25.* Beſtiæ ſexta die comparuere, vt etiam Terra Aquam, & Aerem immitata ſua nutriret Animantia, de his verſus vndecimus, *Potabunt omnes Beſtiæ, agri, verſ. 11.* & vigeſimus primus, *Catuli Leonum rugientes vt rapiant, &c. verſ. 21.* Omnium tandem creaturarum Princeps homo hac ſexta die refulſit; cuius pabulum refertur verſu quartodecimo, *Herbam ſeruituti hominum, verſ. 14.* niſi potiùs, Monarchiam cum alijs legamus; fuiſſe pabulum Animalibus deſignatum, vt homini deſeruirent; & operationes verſu vigeſimo tertio explicantur, *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſquè ad veſperam. verſ. 23.* Quòd ſi Doctores nonnulli, quorum opinionem Abbas Rupertus refert, Aquarum ſuper cœlos poſitarum nomine, Angelos fuiſſe expreſſos, volunt. *Aquas ſuper firmamentum Cœli poſitas eſſe dicit, quas Angelorum multitudines intelligimus; iuta illud, & aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt laudent nomen Domini: Rup. Abb. lib. 1. in Geneſ. cap. 23. to. 1. pag. 9. col. 2.* Angelos, non ſolum Aquarum ſymbolo, verùm proprio nomine quartus verſus commemorat, *Qui facis Angelos tuos ſpiritus. verſ. 4.* Non errauerim igitur Hexameronis epilogiſmum præſentem Pſalmum pronunciare.

§. IV.

Diuinam Sapientiam oſtendit.

Diuinæ naturæ incomprehenſibilis eſſentia, & inueſtigabilis ſapientia, non aliundè nobis mortalibus, tetro corporis carcere mancipatis, innoteſcit, quam ex mirabilibus ſuæ omnipotentiæ operibus: intueri hunc Solem lucidiſſima circundatum Abyſſo, naturali tantum lumine cæcutientes, minime valemus; quapropter medijs perſpicillis operum manus eius, eum aliqualiter perſpicere neceſſe eſt. Hoc monens Apoſtolus fatebatur: *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: Ad Rom. c. 1. verſ. 20.* quem docuit noſter, verſu vigeſimoquarto canens; *Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua: verſ. 24.* Quaſi diceret; Solem ſapientiæ neutiquam intueri aperta luce conceditur, verùm eam oſtendit in rebus creatis magnificentiam, vt inde liceat ſapientiæ tuæ omnipotentiam rimari: Orbis vniuerſus Tuba Diuinitatis, Præco ſapientiæ effectus, ipſam nobis apertiſſimè demonſtrat. Audiamus de hoc melliſluam D. Ambroſij ſententiam: *Hic mundus,* inquit, *Diuinæ Maieſtatis Inſigne eſt, vt per ipſum Dei Sapientia manifeſtetur. Quem videns Propheta, ſimul & ad inuiſibilia oculos mentis attollens, ait: Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. D. Ambroſius in Hexamer. to. 1. pag. 4. lit. F.* O quam peroptimè ſubdit vates, *impleta eſt terra poſſeſſione tua;* quod & ethnicus naturali tantum lumine ductus fatebatur, dum canebat, *Iouis omnia plena;* omnia namque, quæ in mundo ſunt ita in prouida ſui diſpoſitione diuinam ſapientiam redolent, vt vel inuitos nos doceant omnipotentis dexteræ admirari magnificentiam: quod cognoſcens D. Hieronymus exclamabat: *Et reuera omnia opera Domini repleta ſunt ſapientia. Quando enim videmus Formicam ſcire quando hyems venit, & ſeponit ſibi eſcam: & iterum culicem tam minutum habere oculos, ventrem, & vniuerſa membra ſicut & nos habemus: videmus autem Elephantem tam magnam beſtiam habere oculos, nares, pedes ventrē ſicut & nos in ſuis locis: ſimiliter autem & apem quomodo faciat mel, & ceram. Nonne ſunt hæc admiratione digna, & ſapientia plena? D. Hieronymus in verſ. 24. Pſal. 103.* Cum igitur in pręſenti Dei Laude, ſancto ſpiritu repletus Dauid, omnia Dei mirabilia, quæ in Cœlo, terra, marique operatus eſt Dominus, comprehendat, non immeritò in eius explicatione ſapientiæ Solem effulgere iudicaui. De hoc Sole ſapiens loquebatur cùm diceret; *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius: Eccl. cap. 42. verſ. 16.* quod expendens interlinealis Gloſa, ſubdit: *Sol illuminans Chriſtus, de quo dicitur: orietur timentibus nomen meum: Sol iuſtitiæ; per omnia reſpexit, quia non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius; & gloria Domini plenum eſt opus eius; quam magnificata ſunt opera tua Domine omnia in ſapientia feciſti*: Hucuſque *Gloſ. interlinearis.* Sol igitur iſte quatuor ſapientiæ radios, plenos ſpirituali intelligentia diffundit, quæ quatuor expoſitiones ſunt, Literalis, Moralis myſtica, & Allegorica, ſingula expediamus.

SOLIS SAPIENTIÆ, RADIVS PRIMVS.

In vniuerſi machina reſplandeſcens.

Seu,

Expoſitio Literalis in Pſalmum centeſimum tertium.

Literalis expoſitio occurrit primò, in qua diuinam ſapientiam omnium effectricem, in ſingularum rerum, quæ enumerantur naturali dilucidatione, intuebimur: ideo namque Deus mundum non ab æternitatis initio, ſed in tempore creare diſpoſuit, vt opera Artificem ſuum faterentur, clamando, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos: Pſal. 99. verſ. 3.* ſic per ea, quæ facta ſunt Dei Creatoris Maieſtas innoteſceret; vnde D. Ambroſius: *Dauid cum de Cœlo, Terra, & Mari loqueretur, ait; omnia in Sapientia feciſti: dedit ergo principium mundo, ne increatum crederemus. D. Ambroſius lib. Hexam. cap. 3. to. 1. pag. 2. lit. D.* Ad hoc igitur Literalis expoſitio conducit vt rerum naturas clarius cognoſcendo, ipſum omnium Creatorem inceſſabili cantico celebremus.

Digitized by Google

SOLIS SAPIENTIÆ, RADIVS SECVNDVS.

In Orbe terreno, ſeu Microcoſmo radians.

Seu,

Expoſitio moralis in Pſalmum centeſimum tertium.

SPiritus æternus rationalem eò condidit creaturam, vt ad cœleſtem beatitudinem in æternum regnatura pertingeret; quapropter ea omnia, quæ in mundo ſunt, non tam ad corporis fulcimentum, quam ad animi moderationem produxit: noſque ita exponere docens, vt ad vltimum noſtrum finem conducere videantur; vt in hominum paſſionibus regulandis Dei Legiſlatoris, a Miſericordia non diſiuncta Iuſtitia, declaretur: quare D. Hieronymus in eam venit ſententiam, vt ipſa Dei Laus, & benedictio, quam hic docemur, ad moralem, & ſpiritalem ſenſum ſit reuocanda: *Iſte Pſalmus ipſius creaturæ vocem continet laudantem, & benedicentem Deum; ſed hoc ipſum ſpiritualiter debemus aduertere: D. Hieron. loc. cit.* Ad mores igitur hominum componendos, quod proprium eſt inſtitutum, moralem expoſitionem adducam, ſcripturarum conceptibus, ſanctorum Patrum, aliorumquem Doctorum actoritate nitentibus, florentem coronam nectendo; vt Animus ad virtutum ſequelam, vitiorumque fugam, pœna, præmioque excitatus, facilius impellatur.

SOLIS SAPIENTIÆ, RADIVS TERTIVS.

In Orbe Lunari, ſeu Deipara refulgens.

Seu,

Expoſitio myſtica de B. Maria in Pſalmum centeſimum tertium.

PEroptimè dictum eſt, fateor, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: Geneſ. cap. 2. verſ. 18.* non enim ſola Dei Sapientia in creatione niteſcit, verùm etiam ſupernæ ſapientiæ Mater, Filio haud abſimilis, in rerum efformatione rutilare videtur. Audi Eccleſiam de ipſa lęta voce pronunciare, *Mater Creatoris*, nec myſterio vacat hæc nuncupatio; ſiquidem, vt Iſidorus Theſſalonicenſis fatetur, cauſa præcipua creationis, nec non ſapientiæ, & bonitatis diuinæ manifeſtationis fuit Maria: ipſius verba promamus. *Nec verò ea tantum ratione Verbi Creatoris eſt Mater, quòd eum peperit, ſed etiam creatricis eius bonitatis eſt Mater; vtpotè argumentum, & cauſa manifeſtandæ bonorum effectricis potentiæ. Itaut (ſi licet audacter loqui) concreatrix Dei fuerit, etiam antequam orta eſſet in terris. Iſidorus Theſſalonicenſ. epiſc. orat. 3. pag. 57.* Quid ni igitur exponendo matris encomia calamum fatigemus, cùm Deiparæ declarata excellentia in ipſius creatricis ſapientiæ laudem mirabiliter cedat? Demus hoc exile Reparatrici, imò, vt ita dicam, concreatrici noſtræ, pro acceptis beneficijs munus, vt ad ipſam ſapientiæ faciem, quam nunc obnubilatam oſtendit, reuelatam ſiſtat, cuius fruitione lætemur. Solis autem nomine Mariam expreſſam Seraphicus Interpres intelligit, in allata Eccleſiaſtici ſententia; quare inquit: *Sol illuminans eſt Maria, quæ eſt pulchra vt Luna, electa vt So: & gloria Domini plenum eſt opus eius; opus enim Domini excellentiſſimum eſt Maria. D. Bonauentura in ſpec. Virg. lect. 3. to. 6. pag. 455. col. 1. lit. E.* Reliquum expoſitionis ſuo loco videndum relinquimus; hæc pro tertij Radij fulgore, ac marianæ expoſitionis fundamento ſufficiant declarata.

SOLIS SAPIENTIÆ, RADIVS QVARTVS.

In ſpeculo Sacræ ſcripturæ rutilans.

Seu,

Expoſitio allegorica in Pſalmum centeſimum tertium.

CReationis opera Euangeliſta commemorans; poſteaquam Dei ſapientiam, vnigenitum ſcilicet Patris, omnia feciſſe teſtatus eſt, *Omnia per ipſum facta ſunt; Ioan. cap. 1. verſ. 3.* ea omnia vitam habere in ipſo ſubiungit, *Quod factum eſt in ipſo vita erat: verſ. 4.* quòd quomodo verificari poſſit dubium eſt; videmus namque maiorem creaturarum partem vita carere, imò, & præſtantiorem; vtpote Cœlum, Terram, ſydera, elementa, ipſaque luminaria magna, Sol, & Luna: quonam ergo modo de his affirmare licebit quòd vitam habeant? Habent vtique vitam, non in ſe, ſed in ipſa ſapientia Dei; etenim in Artificis mente opus vitale eſt, extra verò mentem inanime; ſic in diuino Intellectu omnia viuunt, licet poſita extra Diuinitatem in eſſe, Anima careant: iuxta D. Auguſtini ſententiam: *Quia* (docet ille) *ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundum artem continet omnia antequam fabricet omnia: hinc quæ fiunt per ipſam artem non continuò vita ſunt, ſed quidquid factum eſt, in illa Vita eſt; Terram vides, terra in arte eſt; Cœlum vides, eſt in arte Cœlum; Solem, & Lunam vides, ſunt & iſta in Arte; ſed foris corpora ſunt, in Arte vita ſunt. D. Auguſtinus tract. 1. in Ioan. to. 9. pag. 6. col. 2. lit. A.* Idem prorſus de ſacra ſcriptura aſſeuerandum eſt; ea, quæ ibi deſcribuntur ad literam, hiſtoriæ, Narrationes, Hominum, Belluarumquæ deſcriptiones videntur; quæ licet extra ſacra literas talia ſint, in ipſis tamen Vita animæ ſunt: nam diuina ſcriptura, ceu increatæ ſapientiæ ſpeculum, plena eſt ſpirituali ſenſu; ad hominum eruditionem, vel ipſa inſenſibilia in ea vocem habent: Idcirco addimus Radiũ iſtum Hierogliphici, ſeu ſymbolici ſenſus, ſapientiæ Soli; vt quas continet Pſalmus creaturas, Hominem docendo, deſeruiant Creatori: ab ipſomet Primario ſcripturarum Auctore Spiritu ſancto ſymbolicam mutuati eloquutionem; eoque duce ad optatum portum peruenire minimè dubitamus.

§. V.

Trinitatem Perſonarum declarat.

MIra profectò ſapientia; Sol decorus tenebras infidelitatis expellens; formoſa lampas Noctis vmbras procul abijciens: Noctuæ ſecedant, hebræorum inueterata ſtultitia obmuteſcat; eorum doctiſſimus, ſanctiſſimuſque Præceptor, Idemque Rex, & Propheta, opera creantis Dei in hoc Pſalmo comprehendens, in vnius indiuiſa Diuinitatis eſſentia Trinitatem perſonarum agnouit. Cùm enim vbique Dei omnipotentis laudes attexat, de filio Dei ſub nomine ſapientiæ, (quia Sapientia genita eſt) in verſu vigeſimo quarto loquitur, ei omnium rerum creationẽ attribuens, *omnia in ſapientia feciſti;* & ne increati ſpiritus deſideraretur preſentia, ipſi quoq; creatricẽ virtu-

Digitized by Google

virtutem, attribuit in verſu trigeſimo, *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur* : *ver*.30. De Filio teſtem habe D. Ioan. Chryſoſt. *Sapientia, in quo omnia effecit, Chriſtus eſt* : *D. Ioan. Chryſoſt.* De ſpiritu autem audi D.Hieronymum; *Si ſpiritus creat, ergo Deus eſt*. Nec prætereamus Cardinalem Hugonem: qui in hac Prophetę ſententia, *Omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua* : omnes tres perſonas includi exiſtimat; ipſum audiamus. *Omnia in ſapientia feciſti, ideſt in Chriſto, qui eſt Dei virtus, & Dei Sapientia : & tangit hic tres perſonas : Quam magnificata: eccę Perſona Patris; In ſapientia : ecce Filius; impleta eſt terra : ecce bonitas Spiritus ſancti: Sap.* 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Hugo Charenſ. Cardin. in Pſal.* 103. Idem etiam Princeps Prophetarum Moyſes in exordio ſuorum librorum, de hac ipſa creatione loquutus, trium Perſonarum appropriata inſinuauit, cùm ſcriberet: *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona : Gen.cap.*1.*ver.*31. Nam in *effectione*, Potentia ſignatur Patris: in *Viſione*, Sapientia Filij; & in rerum *bonitate*, ipſius Spiritus ſanctitas denotatur. Doctiſſimi Abbatis Ruperti hæc ſpeculatio eſt; inquit enim. *Singula namque opera Deus primùm ipſe facit, deinde ſingula videt, & de ſingulis indicat quia bonum eſt. Videlicet: Pater in ſua perſona operatur; in Filio (vtpote qui eſt ſapientia) ſingula videt; in bona voluntate ſua, ſcilicet in Spiritu ſancto, delectatus dicit, quia bonum eſt. Rup. Abb. Tuitien. in cap.*5. *Ioan. to.*2. *pag.*180. *col.*1. En quomodo in hoc Pſalmo Increati Numinis Trinitas clariſſimè continetur. Sed tanta pro Aurorę luminæ ſatis eſſe iudicamus.

Hæc pauca, quæ præfati ſumus, ad maiorem intellectum eorum, quæ dicenda ſunt, pręmittenda videbantur; iam ad ipſum fulgentiſſimum Solem in admirabilibus ſuis operibus rutilum, in ſua gloria magnum, & in noſtra beneficientia irradiantem, clariori intelligentiæ lumine, ac feruentiori voluntatis affectu, accedamus.

Digitized by Google

בָּרְכִי נַפְשִׁי אֶת יְהֹוָה יְיָ אֱלֹהַי גָּדַלְתָּ מְּאֹד הוֹד וְהָדָר לָבָשְׁתָּ׃
עֹטֶה אוֹר כַּשַּׂלְמָה נוֹטֶה שָׁמַיִם כַּיְרִיעָה׃
הַמְקָרֶה בַמַּיִם עֲלִיּוֹתָיו הַשָּׂם עָבִים רְכוּבוֹ הַמְהַלֵּךְ עַל כַּנְפֵי רוּחַ׃
עֹשֶׂה מַלְאָכָיו רוּחוֹת מְשָׁרְתָיו אֵשׁ לֹהֵט׃
יָסַד אֶרֶץ עַל מְכוֹנֶיהָ בַּל תִּמּוֹט עוֹלָם וָעֶד׃
תְּהוֹם כַּלְּבוּשׁ כִּסִּיתוֹ עַל הָרִים יַעַמְדוּ מָיִם׃
מִן גַּעֲרָתְךָ יְנוּסוּן מִן קוֹל רַעַמְךָ יֵחָפֵזוּן׃
יַעֲלוּ הָרִים יֵרְדוּ בְקָעוֹת אֶל מְקוֹם זֶה יָסַדְתָּ לָהֶם׃
גְּבוּל שַׂמְתָּ בַּל יַעֲבֹרוּן בַּל יְשׁוּבוּן לְכַסּוֹת הָאָרֶץ׃
הַמְשַׁלֵּחַ מַעְיָנִים בַּנְּחָלִים בֵּין הָרִים יְהַלֵּכוּן׃
יַשְׁקוּ כָּל חַיְתוֹ שָׂדָי יִשְׁבְּרוּ פְרָאִים צְמָאָם׃
עֲלֵיהֶם עוֹף הַשָּׁמַיִם יִשְׁכּוֹן מִבֵּין עֳפָאיִם יִתְּנוּ קוֹל׃
מַשְׁקֶה הָרִים מֵעֲלִיּוֹתָיו מִפְּרִי מַעֲשֶׂיךָ תִּשְׂבַּע הָאָרֶץ׃
מַצְמִיחַ חָצִיר לַבְּהֵמָה וְעֵשֶׂב לַעֲבֹדַת הָאָדָם לְהוֹצִיא לֶחֶם מִן הָאָרֶץ׃
וְיַיִן יְשַׂמַּח לְבַב אֱנוֹשׁ לְהַצְהִיל פָּנִים מִשָּׁמֶן וְלֶחֶם לְבַב אֱנוֹשׁ יִסְעָד׃
יִשְׂבְּעוּ עֲצֵי יְיָ אַרְזֵי לְבָנוֹן אֲשֶׁר נָטָע׃
אֲשֶׁר שָׁם צִפֳּרִים יְקַנֵּנוּ חֲסִידָה בְּרוֹשִׁים בֵּיתָהּ׃
הָרִים הַגְּבֹהִים לַיְּעֵלִים סְלָעִים מַחְסֶה לַשְׁפַנִּים׃
עָשָׂה יָרֵחַ לְמוֹעֲדִים שֶׁמֶשׁ יָדַע מְבוֹאוֹ׃
תָּשֶׁת חֹשֶׁךְ וִיהִי לָיְלָה בּוֹ תִרְמֹשׂ כָּל חַיְתוֹ יָעַר׃
הַכְּפִירִים שֹׁאֲגִים לַטָּרֶף וּלְבַקֵּשׁ מֵאֵל אָכְלָם׃
תִּזְרַח הַשֶּׁמֶשׁ יֵאָסֵפוּן וְאֶל מְעוֹנֹתָם יִרְבָּצוּן׃
יֵצֵא אָדָם לְפָעֳלוֹ וְלַעֲבֹדָתוֹ עֲדֵי עָרֶב׃
מָה רַבּוּ מַעֲשֶׂיךָ יְיָ כֻּלָּם בְּחָכְמָה עָשִׂיתָ מָלְאָה הָאָרֶץ קִנְיָנֶךָ׃
זֶה הַיָּם גָּדוֹל וּרְחַב יָדָיִם שָׁם רֶמֶשׂ וְאֵין מִסְפָּר חַיּוֹת קְטַנּוֹת עִם גְּדֹלוֹת׃
שָׁם אֳנִיּוֹת יְהַלֵּכוּן לִוְיָתָן זֶה יָצַרְתָּ לְשַׂחֶק בּוֹ׃
כֻּלָּם אֵלֶיךָ יְשַׂבֵּרוּן לָתֵת אָכְלָם בְּעִתּוֹ׃
תִּתֵּן לָהֶם יִלְקֹטוּן תִּפְתַּח יָדְךָ יִשְׂבְּעוּן טוֹב׃
תַּסְתִּיר פָּנֶיךָ יִבָּהֵלוּן תֹּסֵף רוּחָם יִגְוָעוּן וְאֶל עֲפָרָם יְשׁוּבוּן׃
תְּשַׁלַּח רוּחֲךָ יִבָּרֵאוּן וּתְחַדֵּשׁ פְּנֵי אֲדָמָה׃
יְהִי כְבוֹד יְיָ לְעוֹלָם יִשְׂמַח יְיָ בְּמַעֲשָׂיו׃
הַמַּבִּיט לָאָרֶץ וַתִּרְעָד יִגַּע בֶּהָרִים וְיֶעֱשָׁנוּ׃
אָשִׁירָה לַייָ בְּחַיָּי אֲזַמְּרָה לֵאלֹהַי בְּעוֹדִי׃
יֶעֱרַב עָלָיו שִׂיחִי אָנֹכִי אֶשְׂמַח בַּייָ׃
יִתַּמּוּ חַטָּאִים מִן הָאָרֶץ וּרְשָׁעִים עוֹד אֵינָם בָּרְכִי נַפְשִׁי אֶת יְיָ
הַלְלוּיָהּ׃

Digitized by Google

PSALMVS CIII. Hebræis CIV.

Verſ. 1.

BEnedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer; confeſſionem & decorem induiſti.

V. 2.

Amictus lumine ſicut veſtimento, extendens Cœlum ſicut pellem.

V. 3.

Qui tegis à quis ſuperiora eius: qui ponis nubem aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pennas ventorum.

V. 4.

Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.

V. 5.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam; non inclinabitur in ſæculum ſæculi.

V. 6.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ.

V. 7.

Ab increpatione tua fugient; à voce tonitrui tui formidabunt.

V. 8.

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.

V. 9.

Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur; neque conuertentur operire terram.

V. 10.

Qui emittis fontes in conuallibus; inter medium montium pertranſibunt aquæ.

V. 11.

Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt Onagri in ſiti ſua.

V. 12.

Super ea Volucres cæli habitabunt; de medio petrarum dabunt voces.

V. 13.

Rigans montes de ſuperioribus ſuis; de fructu operum ſuorum ſatiabitur terra.

V. 14.

Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, vt educas panem de terra.

V. 15.

Et vinum lætificet cor hominis, vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.

V. 16.

Saturabuntur ligna campi, & cedri libani, quas plantauit.

V. 17.

Illic paſſeres nidificabunt, Herodij domus Dux eſt eorum: *vel*: Ciconiæ abietes domus eius.

V. 18.

Montes excelſi Ceruis: Petra refugium Herinacijs.

V. 19.

Fecit Lunam in tempore, Sol cognouit occaſum ſuum.

V. 20.

Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ.

EIVSDEM MARIANA PARAPHRASIS.

Verſ. 1.

BEnedic Anima mea Dominæ, quæ propter prolem piam benedicta, vehementer magnificata eſt, cuius decorem omnes confitentur.

V. 2.

Amicta eſt luminoſæ pulchritudinis veſtimento, vt Cælum, & Thronus Diuinitatis.

V. 3.

Quæ protegit aqua gratiarum homines, nubes effecta, vt eos ab æſtu, & ventis malorum liberet.

V. 4.

Quæ miniſtros, & Angelos habet cæleſtes ſpiritus, qui eam Reginam agnoſcunt.

V. 5.

Quæ tanquam terra Deipara in ſtabilitate gratiæ fundata eſt; vt eius maternitas virginitatem non violaret in æternum.

V. 6.

Abyſſo miſericordiæ induta eſt, ſuper montes animarum ſtabunt aquæ beneficiorum ſuorum.

V. 7.

Ab increpatione ſua fugiet Diabolus: & Angeli eius a voce tonitrui ſui formidabunt.

V. 8.

Aſcendit Mons Marianæ excellentiæ, & deſcendunt campi Sanctorum quibus eſt excelſior.

V. 9.

Terminum poſuit Deus originali culpæ, quem non eſt tranſgreſſa ad operiendam Terram Deiparam.

V. 10.

Qui emiſit omnes gratiarum fontes in Animam Mariæ, vt eſſet vndequaque gratia plena.

V. 11.

Potabunt omnes animæ iuſtæ; & per eam expectabunt veniam peccatores in contritione ſua.

V. 12.

In eius protectione iuſti requieſcunt: de medio conſolationum dabunt voces laudis.

V. 13.

Rigauit opera eius Deus de cæleſtibus gratijs: de fructu meritorum ſuorum ſatiatur Eccleſia.

V. 14.

Produxit Chriſtum in vtero tanquam herbam iumentis peccatoribus, & hominibus iuſtis, & de eo eduxit Angelorum panem.

V. 15.

Vinum eſt ſummè poſt Chriſtum cor lætificans, eius aluus crater tornatilis, vino diuinæ ſapientiæ plenus.

V. 16.

Satiata eſt ſicut cedrus libani, corruptionem neſciens peccatorum.

V. 17.

Diuina Ciconia domum habet in Abietibus, quia ſeruos ſuos honorificos facit.

V. 18.

Cælum Beatis; Maria refugium Viatoribus.

V. 19.

Luna eſt propter diuinam maternitatem, propterquam Sol diuinus cognouit occaſum ſuum.

V. 20.

Per ſuam abſentiam tenebroſa fit Anima noſtra, accedit nox culpæ, & tranſitus beſtiarum infernalium.

Digitized by Google

Index Paragraphorum expoſitionis Literalis.

Verſus vigeſimus tertius.

1 De Principijs rerum naturalium in communi.
2 De cauſa efficiente hominis prima, & ſecunda.
3 De cauſa materiali, & compoſitione corporis.
4 De Forma corporis animati, præſertim Hominis.
5 De Fine, ad quem Homo directus eſt.
6 Ex dictis colligitur quid ſit Homo.

Verſus vigeſimus quartus.

1 Quid ſit Diuina Sapientia, & de eius geneſi.
2 Quomodo per ſapientiam Deus omnia creauit.
3 Quomodo poſt diluuium terra hominibus, & Animalibus repleta eſt.

Verſus vigeſimus quintus.

1 De Mari, quid ſit, & de eius motu.
2 De Natura, & generibus Piſcium.
3 De Piſcium generatione, & paſtu.
4 De quorumdam Piſcium proprietatibus.

Verſus vigeſimus ſextus.

1 De Nauium vtilitate, & inuentione.
2 De Draconis marini, ſeu Ceti natura &c.

Verſus vigeſimus ſeptimus.

1 De Dei Prouidentia an detur, & quid ſit.
2 De effectibus Diuinæ Prouidentiæ.
3 Obiectiones contra Prouidentiam ſoluuntur.

Verſus Vigeſimus octauus.

Diuina Prouidentia tam bonos, quam malos poſcit.

Verſus vigeſimus nonus.

De cauſis mortis viuentium.

Verſus Trigeſimus.

1 De Spiritus Sancti Diuinitate, & Proceſſione.
2 De ſpiritus ſancti effectibus, & appropriatis.

Verſus Trigeſimus primus.

1 In quo Sanctorum eſſentialis Beatitudo conſiſtat.
2 De Beatitudine corporum, & loco beatæ vitæ præparato.

Verſus Trigeſimus ſecundus.

1 A quibus cauſis hic Terræ motus excitetur.
2 De varijs effectibus Terræmotus.
3 De Terræ motibus totaliter ſupernaturalibus.

Verſus Trigeſimus tertius.

De Cantu, Cantico, ſeu Pſalmo; deque Poeſis iucundæ inuentione, vſu, & vtilitate.

Verſus Trigeſimus quartus.

Verſus Trigeſimus quintus.

Quid ſit peccator, & quomodo odio haberi poſſit.

Peroratio.

Alleluya ad finem Pſalmi pertinet, & quid ſignet.

Index Paragraphorum expoſitionis Moralis.

Verſus primus.

1 Deus ſemper laudandus, quia nunquam ceſſat benefacere.
2 Deus benedicendus ore, & corde.
3 Qui Deum laudat ſeipſum benedicit.
4 Excellentia Dei ignota mundo nos ligat.
5 Magis mouet Prædicatio exemplo firmata.
6 Deus Dominus omnium, ſed propriè Iuſtorum.
7 Magnificat Deum qui temporalia ſpernit.
8 Deus fit magnus in nobis dum in virtutibus creſcimus.
9 Homo per Verbi incarnationem decoratur.
10 Per peccatorum confeſſionem Anima decoratur.
11 Sacra Scriptura eſt ſpeculum Animæ.

Verſus ſecundus.

1 Confeſſio debet eſſe luminoſa ſine excuſatione.
2 Fides lux eſt illuminans mentem.
3 Chriſtus in incarnatione lux.
4 Sancti ſunt Dei veſtimentum.
5 In Anima Iuſti ſedet, & quieſcit Deus.
6 Per Dei miſericordiam peccatoribus extenditur Cælum, quod tantum Iuſtorum eſt.
7 Sacra Scriptura Cælum eſt.
8 Eccleſia Cælum eſt per Martyrum mortẽ extẽſum.
9 Deus per ſuas creaturas cognoſcitur.

Verſus tertius.

1 Cælum per tribulationem acquiritur.
2 Lex tegitur operibus charitatis.
3 Maxima pæna peccatoribus in iudicio erit Dei triumphantis gloria.
4 Deus a ſuis creaturis nequit comprehendi.
5 Dei Prouidentia omnia reſpicit.
6 Deus ad noſtrum auxilium velox.
7 Animæ, vt venti pennis virtutum volant.
8 Prædicatores Veritatis ſunt nubes Eccleſiam fæcundantes.
9 Vita hominis velociter pertranſit.

Verſus quartus.

1 Omnes creaturæ Deo obediunt præter hominem.
2 Vir a carnis ſordibus alienus Angelus eſt.
3 Prædicatores euangelici Angeli ſunt.
4 Angeli homines illuminando Angeli Dei fiunt.
5 Liberalitas Dei proprietas eſt.
6 Dei miniſtri debent eſſe ardentes charitate.
7 Dei miniſtri debent eſſe veloces ad Dei mandata exequenda.

Verſus quintus.

1 Firmamentum humani cordis timor eſt.
2 Fides Eccleſiæ in Chriſto fundatæ ſtabilis.
3 Anima ſanctitatem fructificans non peribit.
4 Eccleſia Sanctorum generatione fundatur.
5 Via ad cæleſtem Patriam Fides eſt.
6 Eccleſiæ tutiſſimum Firmamentum eſt Verbũ Dei.

Verſus Sextus.

1 Dei ſapientia humano intellectui inueſtigabilis.
2 Diuina Iudicia incomprehenſibilia ſunt.
3 Iuſtus veſte tribulationis tectus fouetur, & creſcit.
4 D. Thomas Abyſſus Eccleſiam tegens.
5 Sapientia ſtat ſupra mentem a mundo eleuatam.
6 Inſipientes ſupra ſuperbiæ montes eleuantur.
7 Deliciæ, & Voluptates in potentibus præualent.

Verſus ſeptimus.

1 Timor Domini expellit peccatum.
2 Comminatione pœnæ Deus nos reuocat a peccatis.
3 Aeris impreſſiones ſunt ſigna iræ Diuinæ.
4 Homo nihil boni operari poteſt ſine Deo.

Verſus octauus.

1 Contemplatione ad cæleſtia mens aſcendit.
2 Prælatorum vita alijs perfectior eſſe debet.
3 Eccleſia Sanctorum doctrinis, & virtutibus proficit.
4 Vnuſquiſque ſecundum propriam conditionem Deo ſeruire debet.
5 Deus ſuperbos quandoq; ex improuiſo humiliat.
6 Perfectionis ſtudioſi ad proximorum auxilium deſcendere debent.

Verſus nonus.

1 Contemplatiui ne plus ſapiant quam oportet.
2 Arcana Deitatis tegenda ne ſimplices opprimant.
3 Deus nos tentari vltra vires non permittit.
4 Verba otioſa, & maledica Deus interdicit.
5 Deus pauperes eligit ad frangendam mundi gloriã.
6 Ex aqua lateris Chriſti, ſalus mundo orta eſt.
7 A terra virtutis ad maris laſciuiam non tranſeundum.

8 Libido

Digitized by Google

8 Libido omnes Animæ virtutes corrumpit.
9 Deo dicatus terrena negotia tractare non debet.

Verſus decimus.

1 Fontes diuinarum gratiarum in humiles pluunt.
2 Nullus locus eſt, quem Chriſti Doctrina non irrigauerit.
3 Homo, vt in Dei gratia creſcat illius indigentem ſe, æſtimet.
4 Diuitiarum cupiditas Doctrinam corrumpit.

Verſus Vndecimus.

1 Beſtiæ ſunt, qui de mundanis rebus delectantur.
2 Peccatores obſtinati numquam peccandi feritatem deponunt.
3 Animæ ſanctæ ſolam cæleſtem conſolationem deſiderant.
4 In Deo ſperandũ, cuius auxilium ſemper eſt paratũ.
5 Tunc peccator cæleſtia amat cum ſarcinam peccatorum deponit.
6 Inuidi bonos oderunt, & eorum profectum impediunt.

Verſus duodecimus.

1 Spirituales a terrenis remoti viuere debent.
2 Hortus eſt Anima ſancta Angelorum conſortio decorata.
3 Spirituales ſub obedientia viuere debent.
4 Superbi ſe ſolos efferunt, alios contemnunt.
5 Magis Perfecti Deum magis laudare tenentur.

Verſus tertiusdecimus.

1 Gratia ſpiritus ſancti mentes ſanctorum irrigat.
2 Anima ſpiritualis de virtute in virtutem creſcere debet.
3 Perfecti, prius diuinam conſolationem aſſecuntur.
4 Diues terrenis inhians, cæleſtia non curat.
5 Opera bona fructificant vitam æternam.
6 Opera Dei, non noſtro, labore Anima virtutibus repletur.

Verſus quartuſdecimus.

1 Homines iumenta, quibus Deus præparat eſcam ſuæ carnis.
2 Vnicuiq; ſecundum propriam neceſſitatem ſubuenit Deus.
3 Animæ aridæ in ſpiritu Deum ſitiunt.
4 Diuites eleemoſinam pauperibus debent.
5 Eleemoſina ſemen fructificans panem æternum.

Verſus quintusdecimus.

1 Lætitia etiam ſpiritualis eſt gutta reſpectu gloriæ.
2 Paſſio Chriſti noſtræ lætitiæ cauſa.
3 Amor Dei inebriat Animam.
4 Non opera noſtra, ſed miſericordia Dei nos ſaluat.
5 Miſericordia in pauperes ieiunium acceptabile Deo facit.
6 Quidquid ad Dei ſanctorumq; honorem fit, libenter faciendum.
7 Oleum peccatoris eſt falſa laus adulatoris.
8 Chriſtus electorum Pabulum.
9 Euchariſtia roborat ad bonum faciendum, & malum vitandum.
10 Verba Dei animam nutriunt.

Verſus ſextusdecimus.

1 Qui Dei legem meditatur eius cognitione ſatiatur.
2 Potẽtes Dei ſeruos paſcentes in virtutibus creſcũt.
3 Subditi ſecundum Maiorum exempla viuere ſolẽt.

Verſus decimusſeptimus.

1 Animæ virtutib. volantes diabolicos vitãt laqueos.
2 Sanctorum conuerſatio ſalutem parit.
3 Dei ſeruus Chriſtum immitatur, & ſequitur.
4 Maximi peccatores conuerſi fiunt Duces aliorum.
5 Deſiderans Cœlum hic patriam habere non debet.
6 Religioſi Duces ſunt ſæcularium ad vincendum diabolum.
7 Deus vilibus creaturis nos ſubijcit, vt humiliemur.

Verſus decimusoctauus.

1 Contemplatiui S. Scripturæ intelligentiã aſſecũtur.
2 Qui Diuitias ſpernunt magni fiunt apud Deum.
3 Sancti ſunt cerui infernalem ſerpentem ſuperãtes.
4 Qui cæleſtia amat terrena quaſi non tangit.
5 Chriſtus eſt peccatorum refugium.
6 Vulnera Chriſti Animarum refugium.
7 De ſpinis tribulationum flores naſcuntur.

Verſus decimusnonus.

1 Rerum mortalium breuis duratio eas deſpicabiles facit.
2 Eccleſia Dei, vt Luna creſcit.
3 Finem ſuum agnoſcens vitia deteſtatur.
4 Semper debemus timere ne deſeramus a Deo.
5 Illis diuinus ſol occidit, qui ab eo recedunt.
6 Sol perfectam obedientiam nos docet.

Verſus Vigeſimus.

1 Peccata terribiles afferunt tenebras.
2 Permittit Deus ad peccatorum pœnam cæcitatem mentis.
3 Abſente Chriſto Anima a beſtijs infernalibus deuoratur.
4 Propter Paſtorum negligentiam grex Domini deuaſtatur.
5 Crudelis Beſtia Diabolus eſt.

Verſus vigeſimus primus.

1 Diabolus Leo, & peccatores catuli Leonum.
2 Diabolus ſuperborum Rex.
3 Diabolus homines ad tentandum poſcit.
4 Diabolus tentare non poteſt, niſi quantum Deus permittit.
5 Deus permittit tentationẽ ad noſtram vtilitatem.
6 Potentes per vim bona pauperum rapiunt.
7 Potentes ſimulando ſanctitatem decipiunt.

Verſus vigeſimus ſecundus.

1 Sol Chriſtus diem facit in cordibus puris.
2 Chriſtus qui nunc oritur ſol miſericordiæ orietur in iudicio ſol iuſtitiæ.
3 Impij Dei aſpectum ferre non poſſunt.
4 Qui cecidit ſperet, & pœnitentiam agat, quia redibit ad gratiam.

Verſus vigeſimus tertius.

1 Tempus merendi, & benè operandi vita eſt præsẽs.
2 Operari bonum vſq; ad mortem neceſſe eſt.
3 Homo omni tempore exercere debet virtutem.
4 Vita præſens laboris, cui ſuccedit æterna requies.
5 Præmium futurum præſentem laborem minuit.
6 Exeundum de mundo, vt vera acquiratur virtus.
7 Opus Chriſti proprium ſaluare eſt.

Verſus vigeſimus quartus.

1 Diuina Sapientia magnam ſe oſtendit dum peccatores ſaluat.
2 Opus Dei proprium miſereri ſemper, & parcere.
3 Diuiſio omnem maculat bonitatem.

Verſus vigeſimus quintus.

1 Omnes pœnę nobis debitæ in Chriſto congregatæ ſunt.
2 Mundani ambulant vias latas, quæ ducũt ad mortẽ.
3 Doctrina gentium infructuoſa & noxia.
4 Auarus animus numquam ſatiatur diuitijs.
5 Rerum mundanarum ſtatus labilis eſt.
6 Peccator in hoc mundo nũquam quieſcere poteſt.
7 Concupiſcentia mare exagitans mẽtem, & perdẽs.
8 Iniqui non numerantur inter homines.
9 Humiles, & ſpirituales in Prælatos eligi debent.

Verſus

Digitized by Google

Verſus vigeſimus ſextus.

1 Cupiditas tempeſtas exagitans hominis vitam.
2 Anima Iuſti nauis virtutibus onuſta.
3 Crux Chriſti nauis a naufragio mundi liberans.
4 Eccleſia nauis eſt ad regionem cæleſtem ducens.
5 Chriſtus Nauclerus Eccleſiæ eam ſaluat.
6 Charitas Nauis, quæ mundi tempeſtates ſuperat.
7 Diabolus, & eius ſequaces ſunt ludibrium ſanctorum, & Dei.
8 Peccator per pœnitentiam illudit Diabolo.
9 Diabolus auiditate nocendi proficit nobis.
10 Adulatio cauda diaboli homines decipiens.
11 Prima peccati ſuggeſtio periculoſa.
12 Detractio Draco venenatus crudeliter ſaucians.
13 Diabolus habitũ Angeli lucis ad decipiẽdũ induit.

Verſus vigeſimus ſeptimus.

1 Errat qui ſperat ab hominibus, & non a Deo.
2 Peccator eſt Diaboli cibus.

Verſus Vigeſimus octauus.

1 Deus ante petitionem noſtram beneficia donat.
2 Deus in incarnatione manum aperuit ad noſtram ſalutem.
3 Chriſtus in cruce manum aperuit, vt nos repleret bonis.
4 Ex Dei præſentia omne bonum prouenit creaturis.

Verſus vigeſimus nonus.

1 Nulla virtus remanet in homine recedente Deo.
2 Dominus nos flagellat, vt pœniteamus.
3 Homo renouatur ad gratiam per ſui cognitionem.

Verſus Trigeſimus.

1 Gratia ſpiritus ſancti ad nouam vitam generat.
2 Gratia Spiritus Sancti remouet a malo, & in bono perficit.
3 Gratia Spiritus Sancti Dei Imaginem renouat in nobis.

Verſus Trigeſimus primus.

1 Gloria Dei æterna: mundi vana & tranſitoria.
2 Gloria bonorum operum Deo tribuenda eſt.
3 Opera noſtra bona ſunt per Dei gratiam, mala per noſtram malitiam.
4 Deus de hominum ſalute lætatur.

Verſus Trigeſimus ſecundus.

1 Ipſi ſancti in die Iudicij timebunt.
2 Tribulatio ſignum eſt diuinæ præſentiæ.

Verſus Trigeſimus tertius.

1 Deo canit qui eius præcepta obſeruat.
2 Cantus Deum delectans Pœnitentia eſt.
3 Confeſſio debet eſſe benè circumſtantionata, vt Deo canat.
4 Hic debemus pœnitere, quia poſt mortem nulla redemptio.
5 Iuſtus omnia bona ſua in Deo quærit.

Verſus Trigeſimus quartus.

1 Conuerſatio diuina dulcedo ineffabilis.
2 Qui vult guſtare Dei conſolationem debet illum delectare operibus ſuis.

Verſus Trigeſimus quintus.

1 Deficiunt Peccatores a malo dum pœnitentiam amplexantur.
2 Odio habet iniquos qui verè Deum amat.
3 Dei comminatio ſæpè clementiam ſonat.
4 Anima Deum laudet, ne otioſa pereat.

Index Paragraphorum expoſitionis Myſticæ,

De BEATA MARIA.

Verſ. 1. Beata Virgo benedicta, & beata propter prolem.
Verſ. 2. Beata Virgo ſpecie corporis pulcherrima fuit.
Verſ. 3. Maria nubes protegens homines ab æſtu malorũ.
Verſ. 4. Maria eſt Cœlorum Domina, & Regina Vniuerſi.
Verſ. 5. Maria Mater fœcunda, & Virgo puriſſima.
Verſ. 6. Beata Dei Genitrix miſericordiæ Abyſſus eſt.
Verſ. 7. Beatiſſima Virgo terribilis eſt Diabolo, & Angelis eius.
Verſ. 8. Maria Deipara ſanctis omnibus excelſior eſt.
Verſ. 9. Maria Virgo ab originali culpa præſeruata eſt.
Verſ. 10. Maria Virgo fuit vndequaque gratia plena.
Verſ. 11. Maria Virgo gratiarum fons omnibus potum tribuens.
Verſ. 12. Maria Virgo protectio, & requies virorum ſpiritualium eſt.
Verſ. 13. Mariæ Virginis bonorum operum fructus Eccleſiam ſatiat.
Verſ. 14. Mariæ Venter electorum frumentum, & Angelorum panem produxit.
Verſ. 15. Beata Virgo Vinum eſt maximè poſt Chriſtum lætificans cor.
Verſ. 16. Beata Maria Cedrus libani a peccatorum tineis libera.
Verſ. 17. Beatæ Mariæ ſeruire vtile, & honorificum eſt.
Verſ. 18. Maria Virgo peccatorum hominum eſt Aduocata.
Verſ. 19. Maria Virgo Luna rutilans propter Dei conceptionem.
Verſ. 20. Vbi Mariæ protectio non eſt, ibi tenebræ malorum.
Verſ. 21. Maria Virgo Peccatorum eſt Aduocata.
Verſ. 22. Virgo Maria Sol eſt vniuerſum mundum illuminans.
Verſ. 23. Maria Virgo per orationem potentiſſima, vt impetret nobis gratiam.
Verſ. 24. Maria Virgo Cœlum Dei, & Thronus diuinæ ſapientiæ.
Verſ. 25. Maria Virgo fuit gratiarum Oceanus.
Verſ. 26. Maria Virgo maris eſt ſtella ſaluans, & regens in mundanis fluctibus.
Verſ. 27. Maria Virgo inter Deum, & homines mediatrix eſt.
Verſ. 28. Maria Virgo Dei manus eſt, per quam omnia nobis elargitur.
Verſ. 29. Maria Virgo in filij ſui paſſione quam maximè cruciata eſt.
Verſ. 30. Maria Virgo per inhabitantem in ſe ſpiritum ſanctum mundum renouauit.
Verſ. 31. Maria Virgo opus magnum in quo quieſcit Deus.
Verſ. 32. Maria Virgo Humilitatis virtute clariſſimè enituit.
Verſ. 33. Maria Virgo poſt ſuam ad Cœlum Aſſumptionem maxima gloria, & lætitia decorata eſt.
Verſ. 34. Maria Virgo Morientium eſt Præſidium.
Verſ. 35. Mariæ Virginis aſpectus inhoneſtas cogitationes expellebat.

SOLIS

Digitized by Google

✠ ✠ ✠

IESVS SIT SPES MEA.

SOLIS SAPIENTIÆ

In operibus Creationis effulgentis

AVRORA.

Siue

Expoſitionis in Pſalmum Dauidicum centeſimum tertium.

PROLEGOMENA.

EXpoſitionem centeſimitertij Pſalmi, qui inter omnes diuinas laudationes (ſic Hebræi nuncupant) præſtantiſſimus iudicatur, aggreſſus; ea præfari cogor, quæ communiter ante cuiuslibet libri explanationem præmittere neceſſe eſt: De Authore videlicet, excellentia, fine, vtilitate, cæteriſque huiuſmodi, deque occaſione ſuſcepti, haud pœnitendi, laboris. Sed illud preſertim dilucidandum videtur, cur Diuinum Sapientiæ Solem hic peculiariter effulgentem fateamur. Ne igitur ea, quæ ad operis totius intellectum, meique inſtituti propoſitum faciunt deſiderentur, ea omnia ſequentibus titulis enucleabo.

SVMMARIVM.

1 *Author huius Pſalmi Dauid.*
2 *Deum laudat propter opera creationis.*
3 *Eſt Epilogus Operum ſex dierum.*
4 *Diuinam ſapientiam oſtendit.*
5 *Trinitatem Perſonarum declarat.*

§. I.

Author huius Pſalmi Dauid.

SOlus ne Dauid, an alijs comitatus Prophetis, huius libri Author extiterit, expoſitores in varias feruntur ſententias. Etenim non pauci, nec obſcuri nominis Patres, inter quos D. Auguſtinus, acriter contendunt ſolius Dauidis opus eſſe, ea ratione ſuffulti, quòd in ſacris literis, nouo preſertim Teſtamento, Liber Pſalmorum Dauidis nuncupetur. Verùm non magnifacienda hæc ratio eſt, cùm librum a maiori, vel præcipua parte denominari vſus euincat: Cùm igitur maiorem Pſalmorum partem Rex ille ſanctus ſit modulatus, ei nuncupari librum non incongruum videbatur. Sane cùm maximus diuinarum ſcripturarum Interpres, iſque ſanctiſſimus, ac linguæ ſanctæ peritiſſimus Hieronymus plures huius libri compoſitores enumeret, ipſum ſequi non dedignabimur, in hac re doctiſſimum Incognitum imitantes, cuius talis eſt ſententia. *Vt dicit Hieronymus in Prologo huius libri, decem fuerunt Authores Pſalmorum, ſcilicet Dauid, Moyſes, Salomon, tres filij Chore, Aſaph, Ethan, Eman, & Idithun, & multi alij, qui ignorantur, ideo multi Pſalmi ſine titulo. Iſte tamen totus liber attribuitur ipſi Dauid, quia licet non omnes Pſalmos, tamen maiorem partem ipſe fecit; & conſuetudo eſt a principaliori parte totum denominare. Incognitus in Prol. Pſal.* Huc accedit libri titulus, cum enim ſapientiales alij libri ſuis tri-

Digitized by Google

buantur Authoribus,vt *Cantica Canticorum Salomonis,* &c. hic tantummodo liber Pſalmorum, vel vt in hebræo ספר תהלים *Liber laudationum,* ſuppreſſo Authore, nuncupatur. His minimè obſtantibus, certiſſimum eſt Pſalmos omnes, quibus Dauidis nomen præfixum eſt, ſine controuerſia ipſius eſſe. Quid vero de præſenti Pſalmo ſentiendum, ambiguum; & certè Nicolaus de Lyra incerti Authoris exiſtimat, inquens, Author huius Pſalmi ignoratur. *Nicolaus Lyran. ap. Gloſſ.* Ego autem ipſius Dauidis eſſe vel inde mihi perſuaſuum habeo, quòd a ſuperiori 102. Pſalmo Initio, fine, & Argumento non diſſidet, quem Dauidis eſſe titulus ipſe demonſtrat; vt Bellarminus aduertit: *Videtur autem hic Pſalmus recto ordine poſitus poſt Pſalmum præcedentem: in illo enim aguntur gratiæ Deo pro beneficys gratiæ, in iſto pro beneficiys naturæ: ibi laudatur Dei miſericordia, hic prædicatur Dei ſapientia. Rup. Ballarminus. in Pſal.*103. Hæc cum ita ſint, iurè meritò Agellius, ad eundem Authorem vtrumque Pſalmum pertinere philoſophatur, dicens; *Quamuis apud hebræos hic Pſalmus titulo careat, tamen quia vt ſuperior eodem fine clauditur, quo initio exorditur, ad eumdem Authorem pertinere conſequens eſt, ad quem ſuperior pertinuit, nempe Dauid. Antonius Agellius. epiſc. Acernenſ. in Pſal.*103. Cui ſententiæ fauere videtur Græcus Interpres, relatus à Genebrardo, qui titulum affinxit, Dauidem Authorem referens: *Nullus eſt titulus hebraicè, Grecè autem, Dauidis Pſalmus ſuper mundi conſtitutione. Gilber. Genebr. in Pſal.*103. Ex his omnibus igitur concludendum eſt in omnium ſententia hunc Pſalmum Dauide Authore prodijſſe. Quæ omnia de inſtrumentali, & ſecundaria cauſa dicta velim; Principalis etenim cauſa Spiritus ſanctus fuit, qui Dauidem ad pſallendum mouit ad noſtram eruditionem.

§. II.

Deum laudat propter opera Creationis.

DAuid itaque ex creatis rebus argumētum ſumens, in Dei laudem citharam perſonare docet: Pulcherrima ſanè diuini ſpiritus ordinatio, vt recolens homo innumera beneficia ſibi a Diuino collata Numine, mentem erigat ad benedicendum, & laudandum tantorum munerum parentem Deum. Cùm igitur alijs in Pſalmis peculiaria iſraeliticę gentis, vel tantummodo ſui ipſius beneficia recenſiſſet vates, ne vllus excuſari ſe a diuina laudatione poſſet, ea ſeductus ratione, quòd Pſalmum ad ſe pertinentem non haberet ad manus, in præſenti Cantico omnia naturalia dona cuicumque viuenti, (nedum homini ſoli) communia, memorauit; nomine igitur omnis creaturæ Propheta opera creationis canendo debitas Deo grates rependit, laudes eius, benedictioneſque promulgat: quod D. Hieronymus fatetur, inquiens: *Iſte Pſalmus ipſius creaturæ vocem continet laudantem, & benedicentem Deum.* Nam neque ſatis illi Regi ſanctiſſimo viſum eſt, ſe ſolum diuina celebrare encomia, niſi, dum dulciter diuina modulatur opera, etiam nos ad canendum quæ pſallit, imitatione, vel emulatione moneret. Etenim cùm nulla reperiatur creatura, in qua enumerata beneficia non cadant, nulli ex conſequenti, ſine ingrati animi vitio, a diuinis benedictionibus os temperare fas eſſe poterit: quare ſubdit Incognitus: *Intentio Dauid in iſto Pſalmo eſt eadem, quæ fuit in præcedenti, ſcilicet monere nos ad Dei laudem: Incog. loc. cit.* cui ſententiæ etiam Lyranus ſubſcribit his verbis: *Author huius Pſalmi ignoratur, tamen eſt quædam inuitatio ad Dei laudem ex ſuis creaturis, in quibus elucet bonitas Creatoris. Nicolaus de Lyra.* Mentis certè impotem ſe fateatur neceſſe eſt quiſquis, tam miram rerum varietatem perſpiciens, ſic aptè diſpoſitam, ſic ornatè diſtintam, ſic ſapientiſſimè diſtributam, non in laudem tanti Artificis condigna benedictione prorumpit; his motus mirabilibus Pſaltes cecinit, ſi Acernenſium Epiſcopo Agellio credamus. *Laudat Deum ab eius potentia, ſapientia, prouidentia, quæ in rebus creatis elucet: in quibus nihil non ordinatum, non commodum inuenitur:* inquit *Agellius:* Hanc laudationem tripliciter diuidit Cardinalis Eminentiſſimus Hugo; nam tria videntur ſibi celeſtem cantorem propoſuiſſe, primum ex cęlorum, Terrarumque ornatu Deum celebrare. Secundum, ſumere ex marium, aquarumque fontibus benedictionis Argumenta; Tertium tandem ſe numquam à diuinis laudibus ceſſaturum; audiamus Hugonem: *Tripartitus eſt Pſalmus; primò monet benedicere Deum per Cælum, & Terram, & ornatum eorum; ſecundò per Mare, & eius ornatum: Tertiò ſeſe ſemper cantaturum Domino promittit. Hugo carenſ. Cardin. in Pſal.*103. Digna prorſus Dauide concluſio, vt qui ſemper a Domino gratijs afficimur, ſemper etiam illi canendo, & laudando grates debitas rependamus.

§. III.

Eſt epilogus operum ſex dierum.

IAm ad ipſa opera recenſenda accedamus; quæ vt vno complectar verbo, Pſalmum iſtum Epilogum operum ſex dierum appellauerim; in eo namque omnia Hexameronis mirabilia continentur. Quod vt planius fiat, ſingulorum dierum geſta memorentur. Prima igitur die mundi naſcentis exordia lux dedit; cum enim omnia Abyſſi nigredine incompoſitæ molis machinam præſeferentes confuſione obuoluerentur, Deus optimus maximus pulcherrimam rerum omnium ornamentum lucem creauit, qua omnia diſtinguntur, illuſtrantur, perficiuntur; nihil etenim valerent prætioſa quæque, ſi caligine tegerentur; & fortaſſe lux illa increati Solis, qui lucem habitat inacceſſibilem, radius fuit; hoc inſinuat Pſaltes dum verſu ſecundo Deum lumine decoratum oſtendit, *Amictus lumine ſicut veſtimento; verſ.*2. vt omnia lucidis amicta ſplendoribus increati luminis ſe participatione fulgere recognoſcant. Illuſtrato iam luce genita mundo, voluit ſecunda die Dominus in medijs aquis ſtabilire Cœlum; ideo ſubdit, *fiat firmamentum,* vel vt Hebreus רקיע *ſit extenſio in medio aquarum;* Hanc autem extenſionem Cœlum appellari voluit; & de hac loquitur in eodem verſu Pſalmus noſter, *Extendens Cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius.* Ne autem Aquæ vltro, citroque diffuſæ terrarum orbem inhabitabilem redderent, tertiæ diei illas in vnum congregare opus fuit; hinc orta Maria, de quibus verſus vigeſimus quintus, *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus. verſ.*25. deditque compreſſum Aquarum elementum Terræ ſpatium, vt appareret, & viuentium commodum fieret receptaculum, ita verſus quintus, *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: verſ.*5. quæ tellus, vt alere poſſet Animantia, herba-

Digitized by Google

herbarum, arborumque producendi facultatem obtinuit, illis verbis. *Germinet terra herbam virentem, &c.* De his omnibus hìc loquitur vates verſu quartodecimo, & ſequentibus, *Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, vt educas panem de terra, & vinum cor hominis confirmet, &c. verſ. 14. 15. 16.* At maiori decoratus ornatu dies quartus illuxit; ſiquidem in illo maxima luminaria Cœli, nec non fulgentia ſydera orta memorantur; a quorum motu tempus omne, Dies, menſis, Annus originem ducunt; neque horum oblitus Dauid verſu decimonono, & vigeſimo canit, *Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occaſum ſuum, poſuiſti tenebras, & facta eſt nox &c. verſ. 19. 20.* Quinta ſuccedit lux volatilium, piſciumque turmas admiratura; nam Immania Bellua, ſeu grandia cete Maria ſpatiari, Aueſq; aerem dulciſſimo modulatu replere reſpexit; quę verſu duodecimo, & vigeſimoquinto comprehenduntur, nam in illo dicitur, *Super ea volucres Cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt vocem, verſ. 12.* & in altero, *Illic reptilia quorum non eſt numerus, Animalia puſilla cum magnis, &c. verſ. 25.* Beſtiæ ſexta die comparuere, vt etiam Terra Aquam, & Aerem immitata ſua nutriret Animantia, de his verſus vndecimus, *Potabunt omnes Beſtiæ, agri, verſ. 11.* & vigeſimus primus, *Catuli Leonum rugientes vt rapiant, &c. verſ. 21.* Omnium tandem creaturarum Princeps homo hac ſexta die refulſit; cuius pabulum refertur verſu quartodecimo, *Herbam ſeruituti hominum, verſ. 14. niſi* potiùs, Monarchiam cum alijs legamus; fuiſſe pabulum Animalibus deſignatum, vt homini deſeruirent; & operationes verſu vigeſimo tertio explicantur, *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſquè ad veſperam. verſ. 23.* Quòd ſi Doctores nonnulli, quorum opinionem Abbas Rupertus refert, Aquarum ſuper cœlos poſitarum nomine, Angelos fuiſſe expreſſos, volunt. *Aquas ſuper firmamentum Cœli poſitas eſſe dicit, quas Angelorum multitudines intelligimus; iuta illud, & aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt laudent nomen Domini: Rup. Abb. lib. 1. in Geneſ. cap. 23. to. 1. pag. 9. col. 2.* Angelos, non ſolum Aquarum ſymbolo, verùm proprio nomine quartus verſus commemorat, *Qui facis Angelos tuos ſpiritus. verſ. 4.* Non errauerim igitur Hexameronis epilogiſmum præſentem Pſalmum pronunciare,

§. IV.

Diuinam Sapientiam oſtendit.

Diuinæ naturæ incomprehenſibilis eſſentia, & inueſtigabilis ſapientia, non aliundè nobis mortalibus, tetro corporis carcere mancipatis, innoteſcit, quam ex mirabilibus ſuæ omnipotentiæ operibus: intueri hunc Solem luciſſima circundatum Abyſſo, naturali tantum lumine cæcutientes, minime valemus; quapropter medijs perſpicillis operum manus eius, eum aliqualiter perſpicere neceſſe eſt. Hoc monens Apoſtolus fatebatur: *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: Ad Rom. c. 1. verſ. 20.* quem docuit noſter, verſu vigeſimoquarto canens; *Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua: verſ. 24.* Quaſi diceret; Solem ſapientiæ neutiquam intueri aperta luce conceditur, verùm eam oſtendit in rebus creatis magnificentiam, vt inde liceat ſapientiæ tuæ omnipotentiam rimari: Orbis vniuerſus Tuba

Ian. de Mata.

Diuinitatis, Præco ſapientiæ effectus, ipſam nobis apertiſſimè demonſtrat. Audiamus de hoc melliſluam D. Ambroſij ſententiam: *Hic mundus, inquit, Diuinæ Maieſtatis Inſigne eſt, vt per ipſum Dei Sapientia manifeſtetur. Quem videns Propheta, ſimul & ad inuiſibilia oculos mentis attollens, ait: Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. D. Ambroſius in Hexamer. to. 1. pag. 4. lit. F.* O quam peroptimè ſubdit vates, *impleta eſt terra poſſeſſione tua;* quod & ethnicus naturali tantum lumine ductus fatebatur, dum canebat, *Iouis omnia plena;* omnia namque, quæ in mundo ſunt ita in prouida ſui diſpoſitione diuinam ſapientiam redolent, vt vel inuitos nos doceant omnipotentis dexteræ admirari magnificentiam: quod cognoſcens D. Hieronymus exclamabat: *Et reuera omnia opera Domini repleta ſunt ſapientia. Quando enim videmus Formicam ſcire quando hyems venit, & ſeponit ſibi eſcam: & iterum culicem tam minutum habere oculos, ventrem, & vniuerſa membra ſicut & nos habemus: videmus autem Elephantem tam magnam beſtiam habere oculos, nares, pedes ventrē ſicut & nos in ſuis locis: ſimiliter autem & apem quomodo faciat mel, & ceram. Nonne ſunt hæc admiratione digna, & ſapientia plena? D. Hieronymus in verſ. 24. Pſal. 103.* Cum igitur in pręſenti Dei Laude, ſancto ſpiritu repletus Dauid, omnia Dei mirabilia, quæ in Cœlo, terra, marique operatus eſt Dominus, comprehendat, non immeritò in eius explicatione ſapientiæ Solem effulgere iudicaui. De hoc Sole ſapiens loquebatur cùm diceret; *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius: Eccl. cap. 42. verſ. 16.* quod expendens interlinealis Gloſa, ſubdit: *Sol illuminans Chriſtus, de quo dicitur: orietur timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ; per omnia reſpexit, quia non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius; & gloria Domini plenum eſt opus eius; quam magnificata ſunt opera tua Domine omnia in ſapientia feciſti:* Huculque *Gloſ. interlinearis.* Sol igitur iſte quatuor ſapientiæ radios, plenos ſpiritali intelligentia diffundit, quæ quatuor expoſitiones ſunt, Literalis, Moralis myſtica, & Allegorica, ſingula expediamus.

SOLIS SAPIENTIÆ, RADIVS PRIMVS.

In vniuerſi machina reſplandeſcens.

Seu,

Expoſitio Literalis in Pſalmum centeſimum tertium.

Literalis expoſitio occurrit primò, in qua diuinam ſapientiam omnium effectricem, in ſingularum rerum, quæ enumerantur naturali dilucidatione, intuebimur: ideo namque Deus mundum non ab æternitatis initio, ſed in tempore creare diſpoſuit, vt opera Artificem ſuum faterentur, clamando, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos: Pſal. 99. verſ. 3.* ſic per ea, quæ facta ſunt Dei Creatoris Maieſtas innoteſceret; vnde D. Ambroſius: *Dauid cum de Cœlo, Terra, & Mari loqueretur, ait; omnia in Sapientia feciſti: dedit ergo principium mundo, ne increatum crederemus. D. Ambroſius lib. Hexam. cap. 3. to. 1. pag. 2. lit. D.* Ad hoc igitur Literalis expoſitio conducit vt rerum naturas clarius cognoſcendo, ipſum omnium Creatorem inceſſabili cantico celebremus.

Digitized by Google

SOLIS SAPIENTIÆ, RADIVS SECVNDVS.

In Orbe terreno, ſeu Microcoſmo radians.

Seu,

Expoſitio moralis in Pſalmum centeſimum tertium.

SPiritus æternus rationalem eò condidit creaturam, vt ad cœleſtem beatitudinem in æternum regnatura pertingeret; quapropter ea omnia, quæ in mundo ſunt, non tam ad corporis fulcimentum, quam ad animi moderationem produxit: noſque ita exponere docens, vt ad vltimum noſtrum finem conducere videantur; vt in hominum paſſionibus regulandis Dei Legiſlatoris, a Miſericordia non diſiuncta Iuſtitia, declaretur: quare D. Hieronymus in eam venit ſententiam, vt ipſa Dei Laus, & benedictio, quam hic docemur, ad moralem, & ſpiritalem ſenſum ſit reuocanda: *Iſte Pſalmus ipſius creaturæ vocem continet laudantem, & benedicentem Deum; ſed hoc ipſum ſpiritualiter debemus aduertere: D. Hieron. loc. cit.* Ad mores igitur hominum componendos, quod proprium eſt inſtitutum, moralem expoſitionem adducam, ſcripturarum conceptibus, ſanctorum Patrum, aliorumquem Doctorum actoritate nitentibus, florentem coronam nectendo; vt Animus ad virtutum ſequelam, vitiorumque fugam, pœna, præmioque excitatus, facilius impellatur.

SOLIS SAPIENTIÆ, RADIVS TERTIVS.

In Orbe Lunari, ſeu Deipara refulgens.

Seu,

Expoſitio myſtica de B. Maria in Pſalmum centeſimum tertium.

PEroptimè dictum eſt, fateor, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: Geneſ. cap. 2. verſ. 18.* non enim ſola Dei Sapientia in creatione niteſcit, verùm etiam ſupernæ ſapientiæ Mater, Filio haud abſimilis, in rerum efformatione rutilare videtur. Audi Eccleſiam de ipſa lęta voce pronunciare, *Mater Creatoris*, nec myſterio vacat hæc nuncupatio; ſiquidem, vt Iſidorus Theſſalonicenſis fatetur, cauſa præcipua creationis, nec non ſapientiæ, & bonitatis diuinæ manifeſtationis fuit Maria: ipſius verba promamus. *Nec verò ea tantum ratione Verbi Creatoris eſt Mater, quòd eum peperit, ſed etiam creatricis eius bonitatis eſt Mater: vtpotè argumentum, & cauſa manifeſtandæ bonorum effectricis potentiæ. Itant (ſi licet audacter loqui) concreatrix Dei fuerit, etiam antequam orta eſſet in terris. Iſidorus Theſſalonicenſ. epiſc. orat. 3. pag. 57.* Quid ni igitur exponendo matris encomia calamum fatigemus, cùm Deiparæ declarata excellentia in ipſius creatricis ſapientiæ laudem mirabiliter cedat? Demus hoc exile Reparatrici, imò, vt ita dicam, concreatrici noſtræ, pro acceptis beneficijs munus, vt ad ipſam ſapientiæ faciem, quam nunc obnubilatam oſtendit, reuelatam ſiſtat, cuius fruitione lætemur. Solis autem nomine Mariam expreſſam Seraphicus Interpres intelligit, in allata Eccleſiaſtici ſententia; quare inquit: *Sol illuminans eſt Maria, quæ eſt pulchra vt Luna, electa vt So: & gloria Domini plenum eſt opus eius; opus enim Domini excellentiſſimum eſt Maria. D. Bonauentura in ſpec. Virg. lect. 3. to. 6. pag. 455. col. 1. lit. E.* Reliquum expoſitionis ſuo loco videndum relinquimus; hæc pro tertij Radij fulgore, ac marianæ expoſitionis fundamento ſufficiant declarata.

SOLIS SAPIENTIÆ, RADIVS QVARTVS.

In ſpeculo Sacræ ſcripturæ rutilans.

Seu,

Expoſitio allegorica in Pſalmum centeſimum tertium.

CReationis opera Euangeliſta commemorans; poſteaquam Dei ſapientiam, vnigenitum ſcilicet Patris, omnia feciſſe teſtatus eſt, *Omnia per ipſum facta ſunt; Ioan. cap. 1. verſ. 3.* ea omnia vitam habere in ipſo ſubiungit, *Quod factum eſt in ipſo vita erat: verſ. 4.* quòd quomodo verificari poſſit dubium eſt; videmus namque maiorem creaturarum partem vita carere, imò, & præſtantiorem; vtpote Cœlum, Terram, ſydera, elementa, ipſaque luminaria magna, Sol, & Luna: quonam ergo modo de his affirmare licebit quòd vitam habeant? Habent vtique vitam, non in ſe, ſed in ipſa ſapientia Dei; etenim in Artificis mente opus vitale eſt, extra verò mentem inanime; ſic in diuino Intellectu omnia viuunt, licet poſita extra Diuinitatem in eſſe, Anima careant: iuxta D. Auguſtini ſententiam: *Quia* (docet ille) *ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundum artem continet omnia antequam fabricet omnia: hinc quæ fiunt per ipſam artem non continuò vita ſunt, ſed quidquid factum eſt, in illa Vita eſt; Terram vides, terra in arte eſt; Cœlum vides, eſt in arte Cœlum; Solem, & Lunam vides, ſunt & iſta in Arte; ſed foris corpora ſunt, in Arte vita ſunt. D. Auguſtinus tract. 1. in Ioan. to. 9. pag. 6. col. 2. lit. A.* Idem prorſus de ſacra ſcriptura aſſeuerandum eſt; ea, quæ ibi deſcribuntur ad literam, hiſtoriæ, Narrationes, Hominum, Belluarumque deſcriptiones videntur; quæ licet extra ſacra literas talia ſint, in ipſis tamen Vita animæ ſunt: nam diuina ſcriptura, ceu increatæ ſapientiæ ſpeculum, plena eſt ſpirituali ſenſu; ad hominum eruditionem, vel ipſa inſenſibilia in ea vocem habent: Idcirco addimus Radiũ iſtum Hieroglyphici, ſeu ſymbolici ſenſus, ſapientiæ Soli; vt quas continet Pſalmus creaturas, Hominem docendo, deſeruiant Creatori: ab ipſomet Primario ſcripturarum Auctore Spiritu ſancto ſymbolicam mutuati eloquutionem; eoque duce ad optatum portum peruenire minimè dubitamus.

§. V.

Trinitatem Perſonarum declarat.

MIra profectò ſapientia; Sol decorus tenebras infidelitatis expellens; formoſa lampas Noctis vmbras procul abijciens: Noctuæ ſecedant, hebræorum inueterata ſtultitia obmuteſcat; eorum doctiſſimus, ſanctiſſimuſque Præceptor, Idemque Rex, & Propheta, opera creantis Dei in hoc Pſalmo comprehendens, in vnius indiuiſa Diuinitatis eſſentia Trinitatem perſonarum agnouit. Cùm enim vbique Dei omnipotentis laudes attexat, de filio Dei ſub nomine ſapientiæ, (quia Sapientia genita eſt) in verſu vigeſimo quarto loquitur, ei omnium rerum creatione attribuens, *omnia in ſapientia feciſti;* & ne increati ſpiritus deſideraretur preſentia, ipſi quoq; creatricē virtu-

Digitized by Google

virtutem, attribuit in verſu trigeſimo, *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur*: *ver.30.* De Filio teſtem habe D. Ioan. Chryſoſt. *Sapientia, in quo omnia effecit, Chriſtus eſt: D. Ioan. Chryſoſt.* De ſpiritu autem audi D. Hieronymum; *Si ſpiritus creat, ergo Deus eſt*. Nec prætereamus Cardinalem Hugonem: qui in hac Prophetę ſententia, *Omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua*: omnes tres perſonas includi exiſtimat; ipſum audiamus. *Omnia in ſapientia feciſti, ideſt in Chriſto, qui eſt Dei virtus, & Dei Sapientia: & tangit hic tres perſonas: Quam magnificata: ecce Perſona Patris; In ſapientia: ecce Filius; impleta eſt terra: ecce bonitas Spiritus ſancti: Sap. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Hugo Charenſ. Cardin. in Pſal.* 103. Idem etiam Princeps Prophetarum Moyſes in exordio ſuorum librorum, de hac ipſa creatione loquutus, trium Perſonarum appropriata inſinuauit, cùm ſcriberet: *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: Gen.cap.1.ver.31.* Nam in *effectione*, Potentia ſignatur Patris: in *Viſione*, Sapientia Filij; & in rerum *bonitate*, ipſius Spiritus ſanctitas denotatur. Doctiſſimi Abbatis Ruperti hæc ſpeculatio eſt; inquit enim. *Singula namque opera Deus primùm ipſe facit, deinde ſingula videt, & de ſingulis indicat quia bonum eſt. Videlicet: Pater in ſua perſona operatur; in Filio (vtpote qui eſt ſapientia) ſingula videt; in bona voluntate ſua, ſcilicet in Spiritu ſancto, delectatus dicit, quia bonum eſt. Rup. Abb. Tuitien. in cap. 5. Ioan. to. 2. pag. 180. col. 1.* En quomodo in hoc Pſalmo Increati Numinis Trinitas clariſſimè continetur. Sed tanta pro Auroræ luminæ ſatis eſſe iudicamus.

Hæc pauca, quæ præfati ſumus, ad maiorem intellectum eorum, quæ dicenda ſunt, pręmittenda videbantur; iam ad ipſum fulgentiſſimum Solem in admirabilibus ſuis operibus rutilum, in ſua gloria magnum, & in noſtra beneficientia irradiantem, clariori intelligentiæ lumine, ac feruentiori voluntatis affectu, accedamus.

PSALMVS CIII. Hebræis CIV.

Verſ. 1.

BEnedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer; confeſſionem & decorem induiſti.

V. 2.

Amictus lumine ſicut veſtimento, extendens Cœlum ſicut pellem.

V. 3.

Qui tegis à quis ſuperiora eius: qui ponis nubem aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pennas ventorum.

V. 4.

Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.

V. 5.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam; non inclinabitur in ſæculum ſæculi.

V. 6.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ.

V. 7.

Ab increpatione tua fugient; à voce tonitrui tui formidabunt.

V. 8.

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.

V. 9.

Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur; neque conuertentur operire terram.

V. 10.

Qui emittis fontes in conuallibus; inter medium montium pertranſibunt aquæ.

V. 11.

Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt Onagri in ſiti ſua.

V. 12.

Super ea Volucres cæli habitabunt; de medio petrarum dabunt voces.

V. 13.

Rigans montes de ſuperioribus ſuis; de fructu operum ſuorum ſatiabitur terra.

V. 14.

Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, vt educas panem de terra.

V. 15.

Et vinum lætificet cor hominis, vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.

V. 16.

Saturabuntur ligna campi, & cedri libani, quas plantauit.

V. 17.

Illic paſſeres nidificabunt, Herodij domus Dux eſt eorum: *vel*: Ciconiæ abietes domus eius.

V. 18.

Montes excelſi Ceruis: Petra refugium Herinacijs.

V. 19.

Fecit Lunam in tempore, Sol cognouit occaſum ſuum.

V. 20.

Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox; in ipſa per tranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ.

EIVSDEM MARIANA PARAPHRASIS.

Verſ. 1.

BEnedic Anima mea Dominæ, quæ propter prolem piam benedicta, vehementer magnificata eſt, cuius decorem omnes confitentur.

V. 2.

Amicta eſt luminoſæ pulchritudinis veſtimento, vt Cælum, & Thronus Diuinitatis.

V. 3.

Quæ protegit aqua gratiarum homines, nubes effecta, vt eos ab æſtu, & ventis malorum liberet.

V. 4.

Quæ miniſtros, & Angelos habet cæleſtes ſpiritus, qui eam Reginam agnoſcunt.

V. 5.

Quæ tanquam terra Deipara in ſtabilitate gratiæ fundata eſt; vt eius maternitas virginitatem non violaret in æternum.

V. 6.

Abyſſo miſericordiæ induta eſt, ſuper montes animarum ſtabunt aquæ beneficiorum ſuorum.

V. 7.

Ab increpatione ſua fugiet Diabolus: & Angeli eius à voce tonitrui ſui formidabunt.

V. 8.

Aſcendit Mons Marianæ excellentiæ, & deſcendunt campi Sanctorum quibus eſt excelſior.

V. 9.

Terminum poſuit Deus originali culpæ, quem non eſt tranſgreſſa ad operiendam Terram Deiparam.

V. 10.

Qui emiſit omnes gratiarum fontes in Animam Mariæ, vt eſſet vndequaque gratia plena.

V. 11.

Potabunt omnes animæ iuſtæ; & per eam expectabunt veniam peccatores in contritione ſua.

V. 12.

In eius protectione iuſti requieſcunt: de medio conſolationum dabunt voces laudis.

V. 13.

Rigauit opera eius Deus de cæleſtibus gratijs: de fructu meritorum ſuorum ſatiatur Eccleſia.

V. 14.

Produxit Chriſtum in vtero tanquam herbam iumentis peccatoribus, & hominibus iuſtis, & de eo eduxit Angelorum panem.

V. 15.

Vinum eſt ſummè poſt Chriſtum cor lætificans, eius aluus crater tornatilis, vino diuinæ ſapientiæ plenus.

V. 16.

Satiata eſt ſicut cedrus libani, corruptionem neſciens peccatorum.

V. 17.

Diuina Ciconia domum habet in Abietibus, quia ſeruos ſuos honorificos facit.

V. 18.

Cælum Beatis; Maria refugium Viatoribus.

V. 19.

Luna eſt propter diuinam maternitatem, propterquam Sol diuinus cognouit occaſum ſuum.

V. 20.

Per ſuam abſentiam tenebroſa fit Anima noſtra, accedit nox culpæ, & tranſitus beſtiarum infernalium.

Digitized by Google

V. 21.

Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.

V. 22.

Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.

V. 23.

Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.

V. 24.

Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua.

V. 25.

Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis.

V. 26.

Illic Naues pertranſibunt; Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.

V. 27.

Omnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore.

V. 28.

Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.

V. 29.

Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient; & in puluerem ſuum reuertentur.

V. 30.

Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

V. 31.

Sit gloria Domini in ſæculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis.

V. 32.

Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.

V. 33.

Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ſum.

V. 34.

Iucundum ſit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.

V. 35.

Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita vt non ſint; Benedic anima mea Domino.

V. 21.

Peccatores, vt catuli Leonum, rugientes per pœnitentiam, quærunt per eam a Deo veniam ſibi.

V. 22.

Orta eſt, vt Sol illuminans, & congregati ſunt, vt illuminentur in cordibus ſuis.

V. 23.

Exiuit, vt homo fortiſſimus ad orationem, & impetrare nobis gratiam opus ſuum.

V. 24.

Quam magnificata ſunt opera Redemptionis, cum diuina Sapientia vterum Virginis ſua poſſeſſione repleuit.

V. 25.

Mare tunc fuit omnibus gratijs exundans, illic dona innumerabilia Spiritus ſancti.

V. 26.

Stella maris eſt nunc naues hominum dirigens in mundanis fluctibus, vt infernali Draconi poſſint illudere.

V. 27.

Omnia expetunt ab ea, vt mediatrix ſit apud Deum.

V. 28.

Dante Deo colligent; aperiente manum ſuam Mariam omnes replebuntur bonis.

V. 29.

Auertit Deus in cruce faciem ſuam ab ea, & præ dolore pœnè ablatus eſt ſpiritus eius.

V. 30.

Propter ſpiritum ſanctum miſſum in eam, totus mundus renouatus eſt.

V. 31.

Dominus Gloriæ lætatur de Maria opere ſuo excellentiſſimo.

V. 32.

Reſpexit eam in annunciatione, & turbata eſt per humilitatem; Dæmones fumigauerunt per inuidiam.

V. 33.

Cantabo Dominæ glorioſæ in vita mea, & pſallam ei quandiu ſum.

V. 34.

Iucundum ſit ei eloquium meum, vt ab ea in hora mortis adiutus delectari poſſim in Domino.

V. 35.

Deficiebant cogitationes malæ ad eius aſpectum, ita vt amplius non eſſent: Benedic anima mea Dominæ.

SOL

Digitized by Google

✠ ✠ ✠
IESVS SIT SPES MEA

SOL SAPIENTIÆ

In operibus Creationis effulgens.

SIVE

Expoſitio Literalis, Moralis, Myſtica, & Allegorica,

In Pſalmum Dauidicum centeſimumtertium.

Verſus Primus.

בָּרְכִי נַפְשִׁי אֶת־יְהוָה יְהוָה אֱלֹהַי גָּדַלְתָּ מְּאֹד הוֹד וְהָדָר לָבָשְׁתָּ׃

Verſio ex hebręo. *Benedic Anima mea IEHOVÀ, IEHOVÀ Deus meus magnificatus es valdè, gloriam, & decorem indutus es.*

Vulgata editio. *Benedic Anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confeſsionem, & decorem induiſti.*

Symmacus. *Deus meus magnus es valdè, hymnum, & gloriam induiſti.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

AD Diuini Numinis laudes excitando ſeipſum incipit canticum Propheta, pulcherrima ſanè inceptio, vt qui Deitatis eſt celebraturus encomia, ab ipſius inuocatione exordiatur. Etenim ſi ethnici in ſuorum Poematum initio, vt mentem ad canendum, animumque excitarent, fallacia ſapientiæ Numina, Apollinem, Muſaſque inuocabant, verum Sapientiæ Numen cæleſtis Cantor propitium ſibi reddere tenebatur. Quæ hic ille tangit literaliter examinanda ſunt; De Benedictione videlicet, De Anima, de Dei Dominio, ac ſanctiſſimo eius Nomine יְהוָה nec non de eius magnificentia per creaturas patefacta.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Benedictio, & quis Inuentor.*
2 *Quid ſit Anima benedicens.*
3 *Cur hic Deus vocetur Dominus.*
4 *De Sanctiſſimo Nomine* יהוה *IEHOVÀ.*
5 *Quomodo Deus magnificetur per creaturas.*

§. I.

Quid ſit Benedictio, & quis Inuentor.

1 BEnedictio, ſi abſolutè nominis ethimologiam ſpectemus, bonum alicui deſiderare ſignificat; verùm non ſimpliciter, ſed quadam poteſtate, id, vel largitione, vel Numinis prece, tribuendo quod optatur; hinc Parentum, Superiorum, Sacerdotumque benedictiones prodiere. Hanc verò ita magni faciebant veteres, vt ex ea pendere proſperos, infeliceſque caſus exiſtimauerint: & quia mos erat paternam benedictionem primogenitis elargiri, quantæ inter Eſau, & Iacobum ortæ ſint pro paterna benedictione diſcordiæ, abundè ſacris literis edocemur. Imò videtur, (ſi fas eſt ita philoſophari) Deum ipſum Sacerdotis, & ſi mali, benedictionem in pretio habere; etenim cùm poſſet iniqui Prophetæ Balaami maledictiones in ſuum Populum deridere, cùm ipſe ſit largitor omnium bonorum, nec ab hominum voluntate dependeat; voluit nihilominus, non ſolum maledictionem eius auertere, ſed ab ipſo, vel inuitam benedictionem in Iſraelem extorquere; vt ex Numerorum 22. capite legenti patebit. Reuera tamen hoc modo authoritate propria benedicere ſolius Dei eſt, qui poteſt omnes creaturas ſuas bonis perennibus adimplere.

2 Cùm verò aliquando Sacerdotes, vel ipſum Deum benedicimus, non autumandum eſt ipſam Benedictionem Deo aliquid boni cauſare poſſe, ſed nomine Benedictionis laudatio, & gratiarum actio intelligenda eſt; & hoc intellectu loquitur Dauid, ſecundum Genebrardi expoſitionem; *Benedicere eſt laudare, & predicare.*

Gilb.

Digitized by Google

*Gilb.Genebrard. in Pſalm.*103. Hinc differentiam inter Dei,hominumque benedictionem excerpſit Doctor Seraphicus; Homo namque tunc Deo benedicere dicitur cùm ei pro acceptis beneficijs laudando, & exaltando gratias agit; At Deus gratiam viatoribus, & compræhenſoribus gloriam tribuens benedicit; ſua verba promamus: *Alio modo benedicit creatura Deum, alio modo creaturam Deus; creatura Deum in gratiarum actione: Deus creaturam dupliciter, vel infuſione gratiæ in præſenti, vel in collatione gloriæ in futuro. D. Bonauent. in Pſalm.* 103. Quamobrem, cùm homines hominibus benedicunt nonniſi à Deo benedictionum effectus expetunt, a quo vera benedictio deſcendit; & cui omnis laus, gloria, & gratiarum actio tribui deberet.

3. Verum enimuerò, neque in tota ſua genereitate iſthæc laus, ſeu benedictio diuina hic ſumitur a Propheta, ſed preſſiùs pro laude, & benedictione carminibus expreſſa, & armonico cantu propalata. Nam cùm liber Pſalmorum, qui, vt ſupra inſinuauimus, Hebraicè: ספר תהלים *Liber Laudationum* nuncupatur, non ſoluta oratione, ſed carmine ſit compoſitus, vt D. Hieronymus, & reliqui Expoſitores fatentur; ſe ad canendum Dei laudes in hoc Pſalmo Vates excitauit; Vnde benedicere in hoc loco non ſolùm laudare, & gratias agere ſignificat, verum etiam Dei laudes dulciſono carmine perſonare.

4. Quiſnam autem huius metricæ laudationis, quæ proprio nomine Hymnus dicitur, author extiterit, haud facile eſt determinare. Ego authoritate Sacræ Scripturæ Enon fuiſſe iudico, Adami ex Seth nepotem; ibi enim Gen.cap.4.de eo dicitur *Iſte capit inuocare nomen Domini. Gen. cap.4. ver.26.* neque credendum Adam ipſum, & Seth, ceteroſque filios Nomen Domini non inuocaſſe, cùm paulò ſuperiùs Abelis, & Caini ſacrificia memorentur; ſed ipſum canendo Deum laudare credibile eſt, preſertim cùm Verbum קרא non ſolùm vocare ſed etiam vociferari ſignificet: Nec multo elapſo tempore Nepos eius Lamech filius Iubal citharam, & organum adinuenit, vt ſonus cantum comitaretur.

5. Inter Ethnicos autem primi diuinarum laudum hymnis, & canticis modulatores Orpheus, & Heſiodus numerantur; Qui Diuinitatis Arcana (quantum naturali lumine cognoſcere fas erat) carminibus perſtringentes, Hymnos compoſuere. Poſt Sappho, & Sybillæ verſibus ſuas prædictiones, ſeu, vt nonnulli putant, prophetias, deſcripſerunt. Hebræorū verò mos fuit quotieſcumque a Deo gratiam aliquam, & particulare beneficium accipiebant, Hymnum ad eius laudem pro gratiarum actione componere; ſic Moyſes, & reliqui Prophetæ, nec non Zacharias Ioannis Pater accepto Baptiſta; & ipſa Dei Genetrix Virgo Maria Domina noſtra pro incarnationis myſterio, Deo gratias agendo canticum perſonauit.

§. II.

Quid ſit Anima benedicens.

1. DEi laudes verſibus proſequuturus Pſaltes, Animam ſuam ad canendum excitauit, illis verbis, *Benedic Anima mea Domino.* Sed cur ore cantaturus Animam citat? Forte quia omnis corporis operatio ab Anima pendet, omnia corporis organa viuificante; vnde aliqua de ipſa Anima ſummatim prælibabimus.

2. De Anima illud in primis certum eſt ipſam eſſe hominis formam, & per ipſam habere hominem quod ſit homo, ſicuti eſſe Ignis a ſua ſubſtantiali forma Ignis habet; Quid autem ſit ipſa Anima, qualiſuæ ſubſtantiæ non eſt ita facilè determinare. Empedocles, alijque illo antiquiores Philoſophi illam vel harmoniam eſſe, vel harmoniam continere exiſtimabant; nec fortè immeritò; etenim cum phyſicum corpus ab ipſomet Ariſtotele organum, ſeu organicum appelletur, iure merito formam, a qua tale organum habet operationem, per harmoniam intellexere. Nam ſicut organa Halitibus, ſeu ſpiritibus mediantibus melodiam reddunt, ſic corpus organicum medijs ſpiritibus animalibus ſenſationes & motus operatur. Valida igitur ratione victus Dauid, cùm ad canendum ſemetipſum prouocat, Animam citat, & tanquam primam linguæ motricem, & tanquam harmoniæ veram directricem. Hanc Animam rectè definiuiſſe Ariſtotelem Recentiores putant, qui nimium ethnico, & fidei lumine deſtituto Philoſopho credunt, dum docuit, eſſe *actum primum corporis Phyſici organici potentia vitam habentis*; nolentes intelligere non ſolum hanc deſcriptionem, non definitionem eſſe, & a poſteriori, ſcilicet dependenter ab effectu, non abſolutè, & a priori; verùm etiam nihil nobis hanc definitionem de Anima declarare, niſi eſſe formam corporis; quid verò ſit, adhuc ignoramus. Sed reliquas materiales Animas ommittamus: de Rationali autem, vt Scriptura docet (a qua vera, & Chriſtiana Philoſophia principia ſumere deberet) Spiritus immaterialis eſt; Nunc n. appellatur נשמה *Halitus Geneſ. capit. 2. verſicul 7.* nunc רוח *Spiritus, ſeu ventus* vt Pſal. 75. & נפש *Anima* in preſenti Pſalmo; Quum autem iſta duo Nomina Halitus, & Spiritus, non ſolum flatum, & ventum, ſed etiam res immateriales ſignificent; quia nobis videntur venti corpora non habere, quia inuiſibiles, licet corporales ſint, ideo mos euicit ſubſtantias materia priuatas Spiritus appellare, ſic Angeli, & ipſe Deus Spiritus nuncupantur. Quia verò eſſe immateriale, ſeu ſpirituale in huiuſmodi ſubſtantijs eſt quaſi materiale, ideſt ſubiectū, requiritur eius formale, ideſt proprium conſtitutiuum, ideo Anima multoties appellatur in ſcripturis Sanctis שכל *Intellectus,* vt in Pſalm.110. *Verſ.*10. & alibi: Quo etiam reſpicientes Philoſophi, Angelicos Spiritus ſub Intelligentiæ nomine probauere.

3. Eſt igitur Anima *Subſtantia ſpiritualis creata, rationalis, beatificabilis, per ſe pars, & principalior Actus humani corporis.* dicitur Actus, non primus, ſed principalis; quia ſupponit neceſſariò materiam informatam ab actu corporeitatis; quæ forma in materia ſaltem natura anima eſt prior. Cum igitur Deum laudare, & armonicè benedicere ſit intelligentis Animæ proprium quod independenter ab ipſo corpore exercet ſeparata, peroptimè Pſaltes, Dei Laudes cantico proſequututus, Animam ſuam ad Dei benedictionem exurgere compellit: Vt Anima ipſa, quæ alis contemplationis euecta tot Dei mirabilia in rerum creatarum diſpoſitione cognoſcit, debitas Creatori grates, benedica modulatione rependat.

§. III.

Cur hic Deus vocetur Dominus?

1 SEptuaginta Interpretes (quos alij ſequuti ſunt) de Hebraico in Latinum Idioma Sacram Scripturam transferentes, ne toties cogerentur ineffabile Dei Nomen ethnicis viris pronunciandum proponere, quod nefas eſt, illius loco nomen Domini poſuere, quod & ipſi Hebræi in legendo obſeruant: Soli enim Sacerdoti, & tantum certis temporibus, & ceremonijs illud pronunciare licebat: Inſuper de Dei Nomine inaniter non pronunciando extat maximum præceptum. Hoc præcipuè in hoc primo noſtri Pſalmi verſu ſeruauere, vbi dupliciter *Dominum* pro vero Dei nomine vſurpatum legimus. Verum enim verò cùm nihil in Sacris literis ſit, ſiue in ipſo textu ſiue in eiuſdem tranſlatis, quod myſterijs careat, cur hic Deus potius quam aliàs Dominus vocetur videndum eſt.

2. Dei exiſtentia infinitis terminata limitibus, ſola menſuratur æternitate: quapropter Deus ſemper eſt, nec cepit eſſe, nec deſinet; quod vt meliùs nobis pateat ſemper illum, & fuiſſe, & futurum eſſe dicimus (quod

ſequenti

Digitized by Google

ſequenti § meliùs explicabitur) ſemper igitur Deus fuit Deus; Attamen non ſemper Dominus, niſi tantùm potentialiter fuit; cùm enim Dominus, & ſeruus correlationem implicét, nequaquam Dominus, ſeruis qui caret, dicendus erit. Deus igitur tunc propriè dictus eſt Dominus, cum creaturas ſibi deſeruientes creauit. Vnde vt notarunt ingenioſè quidam Hebræorum Rabbini, non ponitur in Sacra Scriptura proprium Dei nomen *Iehouah*, quod vt diximus legitur *Dominus*, niſi in quarto verſu ſecundi capitis Geneſeos, vbi primò dicitur; *Iſtæ ſunt generationes Cœli, & Terræ, quando creata ſunt: in Diem quando creauit Dominus Deus Cœlum, & Terram: Gen. cap. 2. ver 4.* quia completa ſeruorum productione Deo Domini titulus debebatur. Cum autem hic Pſalmus, vt prænotauimus, ſit creationis compendium, ab ipſa Domini nuncupatione, quam ex ſeruorum habet productione, exorditur.

3. Seruorum autem cùm ſit officium Domino deſeruire; Dominumque habeamus, qui Deus ideo manifeſtatur, quia nullius eget; Seruitus noſtra in benedictione, & cantico, & gratiarum actione conſiſtit. Hac de cauſa quælibet intellectualis Anima ad canendum, & benedicendum Domino inuitatur; vt quem Dominum Vniuerſorum, & ſui ipſius præſertim confitetur, eidem gratias agendo debitam exhibeat ſeruitutem. *Benedic* igitur *Anima mea Domino*, a quo Creationis beneficium, Redemptionis prætium, & gratiarum auxilia te recepiſſe gaudes; nihil eras, nihil poteras nihil habebas, cùm tibi pientiſſimus Dominus vitam dedit, gratiam reddidit, gloriam deſtinauit. Si ad tanta beneficia, tota in eius laudes non te effundis, lapideam te non rationabilem prædicauero.

§. IV.

De Sanctiſſimo Dei Nomine IEHOVAH.

1 Licet Græcos, Latinoſque ſequutus Interpretes Dei Nomen pro *Domino*, explicauerim; nihilominus tamen de ipſo diuino Nomine, יהוה IEHOVAH virtutem, ethymologiamque explicare, non abs re noſtra alienum iudicamus: Præſertim cùm nonnulli, nec obſcuri nominis Theologi, affirmare non vereantur; Hoc Sanctiſſimum Nomen nec Chriſtianum, nec Hebrçum eſſe, nec apud Hebræos reperiri, ſed deductum a Ioue, & commentitium eſſe: cum verò ipſi multum inſudent in declarando hoc nomine *Tetragrammaton*, quod nihil eſt, & tantum Nomen quatuor literarum ſignificat, vnde *Amor* V.G. rectè tetragrammaton dici poteſt, ſic *Roma*, *Dies* &c. reijciant poſtea nomen verum Dei. Idem dicendum de altero Dei nomine: יה *Iah*: quod ipſi vocitant Iao, & tanquam falſum a Dei nuncupatione reijciunt; *Vide Brancas de Deo vno. Diſ. 3. quæſt. 4. Perer. in cap. 6. exod. D. 2. & alios ap. ipſos*; Quæ omnia ad veritatis intellectum declarare debemus.

2. Primò omnium ſcire oportet hanc vocem *Tetragrammaton*, vt Græci ſermonis nòn ignari nouerunt, ſignificare, *quatuor literarum*; & ſicut Hebræi in legendo nomen Dei pronunciabant *Adonày*, & Latini, *Dominus*, ita prorſus Græci, quia nomen diuinum quatuor conſtabat literis, pro formali materialem ſignificationem ſumentes, *Tetragrammaton* dicebant, ea ſententia, vt quidquid de hac voce dictum erat, illud de Dei nomine intelligeretur pronunciatum; non quòd hæc vox illa ſignificaret, quæ affirmabantur, ſed quia illud, quod hac voce ſignificare volebant, omnia illa importabat. Hinc patet ridiculam eſſe quæſtionem, & Sacræ Scripturæ interprete indignam Vtrum hæc nomina *Tetragrammaton*, & *IEHOVAH* idem ſignificent; cùm primum nomen ſupponat materiale Dei Nominis, ideſt literas componentes, *IEHOVA* ſit verum nomen Diuinæ eſſentiæ manifeſtatiuum: negare autem hæc nomina in Sacra Scriptura reperiri *IEHOVA'H & IAH*, eſt negare ſolem de die ſplendeſcere, cùm pagina ferè vlla ſine illis minimè reperiatur; mitto quòd nos hoc ſecundum nomen IAH, quotidie pronunciamus; cum dicimus *Alleluya*: nam in Hebræo eſt verbum imperatiuum cum ſuo nomine: nam ſic ſcribitur vbique הללויה *Allelù Iah*, ideſt *laudate Iah*, hoc eſt Deum. Quòd autem nomen Iouis apud Gentiles deductum ſit a Dei nomine, potiùs quam hoc ab illo, nil mirum, cùm Dęmones, qui Dei obſcurare mirabilia, & temerario auſu vſurpare honores, & Sacrificia cõſueuerunt, etiam nomen diuinum ſibi vſurpare voluerunt.

3. Hoc nomen ſibi ipſi tanquam ſuæ eſſentiæ manifeſtatiuum impoſuit Deus; nam cùm ab illo rogatus ſuum nomen Moyſi indicare voluit, dixit, אהיה אשר אהיה *ero qui ero: Exod. cap. 3. ver. 14.* Hinc deductum nomẽ *Iehouah* quòd ſignificat *Qui eſt*, vel vt Logici vſurpauere, *ens*: ab ipſomet Deo propalatum; legitur enim cap. 6. ex nomine Dei loquentis Moyſi, *& nomen meum IEHOVAH non indicaui eis. Exod. cap. 6. ver. 2.* Dei igitur eſſentia, quæ eſt eſſe ens a ſe, independens, indeficiens, æternum, & immutabile, benè explicatur per hoc nomẽ IEHOVAH, ideſt ENS Deus enim ſolus verè eſt; ſi enim paſſiones entis enumerantur, vnum, verum, Bonum, ſicut hæ voces de ſolo Deo propriè dicuntur, vt de vnitate patet in multis locis, nam ſolus ita eſt vnus ſimpliciter ſimplex vt omnem compoſitionem abijciat: de veritate ipſemet dixit, *Ego ſum Veritas: Ioan. cap. 14 ver. 6.* & de Bonitate, *Nemo bonus niſi vnus Deus: Marc. cap. 10. verſ. 18.* Conſequens eſt igitur, vt ſi ſolus Deus ſit verè, & propriè vnus, verus, & bonus, ipſe tantummodo ſit verum, & proprium Ens; & cum eius eſſentia ſit eſſe a ſe, & infinitum, rectè per nomen *IEHOVAH* hoc eſt *ens*, manifeſtatur.

§. V.

Quomodo Deus magnificetur per creaturas.

1 EX hucuſque Pſalmiſtæ Verbis explicatis, non minorem admirationem ingerunt verba illa, quibus Deum amplius magnificari teſtatur, dicens; *Domine Deus meus magnificatus es vehementer*: Quiſnam non obſtupeſcit? Deus ille, cuius magnitudinis non eſt finis, quem Cęli capere non poſſunt, cuius quantitas immenſitate metitur, en denuo magnificatus, & valde magnificatus oſtenditur: Ille inquam, qui gloriatur, & meritò quia debet, *Ego Deus, & non mutor*, ſic ante creationem, noſtramque benedictionem magnus erat, vt nunc; nihil illi ex creaturarum productione acceſſit; nullam ei noſtra ſeruitus, obſequium noſtrum relationem impegit: creſcere creatis rebus increata maieſtas nequaquam potuit. Vt quid igitur magnificatus vehementiſſimè prędicatur? Magnus quippe Creator noſter ſemper extitit, ſed eius magnitudo intra ſui ipſius lumen incognita tegebatur; ſolus ipſe ſeipſum nouerat, poſtquam autem abſcondita in æterno Prototypo in lucem creationis produxit, toti mundo, Angelis, & hominibus magnitudo eius illuxit; ſic conuenienter per creaturarum productionem magnificatus dicitur non quòd creuerit, ſed quòd innotuerit eius maieſtas; Dauid igitur tam miram rerum conditarum præſtantiam cernens conditoris magnitudinem nouit; & ideo exclamat, *Magnificatus es vehementer*: explicationem Gloſſæ audiamus. *Vnde magnificatus qui ſemper magnus? Per hoc ſcilicet ſciuit, quod eſt magnus. Gloſſ. ordin.*

2. Melius fortaſſe nomine magnitudinis magnificentiam intelligemus: etenim Principem tunc magnificari dicimus, cùm magna operatur; præſertim cùm in ſubleuando pauperes ſui cordis magnificentiam oſtendit: tunc enim magnus non fit, ſed ſupponitur, oſtendit tamen ſui animi magnitudinem dum vel immeritis beneficia

Digitized by Google

ficia præſtare non dedignatur. Deus optimus maximus, in eo præcipuè magnificatus oſtenditur, quòd creaturas, rationales preſertim, abſque eorum meritis, a nihilo ad eſſe produxit, illiſque ſua dona liberaliter, magnificenterque largitur; Ideo dixit Regius Vates *Magnificatus es vehementer*; hoc eſt: tot, tantaq; creaturis tuis beneficia præſtas, vt ex ipſis magnificentiam maximam tibi ineſſe deducamus. Quò reſpexit in D. Auguſtinus, dum dixit; *Audi iam, & vbi videtur magnificatus Deus nimis? ſemper magnus magnificatus eſt nimis in operibus ſuis ad nos. D. Auguſtin. in Pſalm.* 103. Oſtendunt igitur magnum, non tantùm creaturæ Deum, dum eius beneficia admirabundæ recenſent.

3. Perbellè autem diuinam magnificentiam oſtendit ſub veſtimenti ſimilitudine, dum inquit, *Magnificatus es valde gloriam, & decorem indutus*. Nam Princeps, & Eques aliquis tunc ſuam magnificentiam longè, latèque diffundere videtur, cum pompoſis, magnificis, & gemmarum pulchritudine fulgentibus induitur veſtibus. Hinc regalia paludamenta, Sacerdotalia Indumenta, martialia Inſignia ortum deduxiſſe manifeſtum eſt. Magnus ille, & toto orbi celeberrimus Alexander ſummum Iudæorum Sacerdotem Sacris veſtibus renitentem, adorare pronus non hæſitauit, dum diuinam quandam Creatoris imaginem in illarum veſtium pompa reſpiciebat. Ita prorſus Deus benedictus ſuam potentiam, & magnitudinem oſtenſurus induit gloriam & decorem, quæ ex ſuorum operum pulchritudine manifeſtantur; vt qui Deum in ſua eſſentiali gloria fulgentem intueri nequaquam poſſumus, ex hac ſaltim extrinſeca quaſi veſte, creaturarum præſtantia, ipſius magnitudinem, potentiam, & ſapientiam liceat intueri: Eminentiſſimi Bellarmini hæc expoſitio eſt: *Declarat*, (inquit ille) *quomodo Deus magnificatus ſit, adhibita inſigni ſimilitudine veſtimenti: quomodo enim ex glorioſa veſte cognoſcimus Pontificem, Regem, atque alias ſublimes poteſtates: ſic etiam ex gloria, qua Deus quaſi circundatus eſt, cognoſcimus eius potentiam, & ſapientiam. Rob. Card. Bellarminus in Pſal.* 103.

4. Sed cum Incognito vocem admirantis Prophetæ eam eſſe concludamus. Tam enim magnifica ſunt Dei opera, tam excellens, & magnus Creator omnium eſt, vt in ipſo laudationis, & benedictionis meæ initio, verba deficiant, hæſitet animus, labia comprimantur; quis ad tantam magnitudinem recolendam, vel Angelus vel homo ſufficiet? quæ non ineptæ comparationes ſe offerant? Quæ ars tam magnificata dicendi, ad tam miram magnificentiam non obmuteſcet? magnificatus es equidem in tantum, quod anima mea ad te laudandum impar eſſe videatur. Si omnes creaturæ verterentur in linguas, quid tandem tanta maieſtate dignum promerent? Fateor equidem inde magnificentiam tuam maximè cognoſcere quòd ad illius laudationem nec Vniuerſus Orbis ſufficiat: *Tu Deus* (inquit Incognitus Dauidis nomine) *tantum magnificatus es quod ad te laudandum non ſufficit Anima mea: Incog. in Pſalm.* 103. Laudemus igitur quantum poſſumus Creatoris magnificentiam, quam loquendo non exprimimus, amando comprælendamus.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

LIteralem ſenſum quantuncumque potuimus, hucuſque dilucidauimus, mox ad moralem intellectum ipſum accõmodare debemus. Circa hoc autem parum præfari debemus; etenim non noſtri accommodatitij ſenſus, verùm Sanctorum Patrum, aliorumq doctiſſimorum virorum ſententiæ perſonam facere debent: quorum variæ expoſitiones, varias nobis conceptuum prædicabilium ſeries ſubminiſtrabunt: quorum titulos ſubiectum ſummarium indicabit.

SVMMARIVM.

1 *Deus ſemper laudandus, quia numquam ceſſat benefacere.*
2 *Deus benedicendus ore, & corde.*
3 *Qui Deum laudat ſeipſum benedicit.*
4 *Excellentia Dei ignota mundo nos ligat.*
5 *Magis mouet Prædicatio exemplo firmata.*
6 *Deus Dominus omnium, ſed propriè iuſtorum.*
7 *Magnificat Deum qui temporalia aſpernatur.*
8 *Deus fit magnus in nobis dum in virtutibus creſcimus.*
9 *Homo per Verbi incarnationem decoratur.*
10 *Per peccatorum confeſſionem Anima decoratur.*
11 *Sacra Scriptura eſt Speculum Animæ.*

§. I.

Deus ſemper laudandus quia numquam ceſſat benefacere.

1 DIuino aſſlante Spiritu Sancti Dei homines loquuti, nihil temerè, vel caſu in ſuis prædictionibus tradiderunt. Hinc admirabundus animus in hoc primo Pſalmi initio ſiſtit. Cur diuinus Vates, qui in præcedenti Pſalmo diffusè Deum laudauit, & ad illi benedicendum primo, & vltimo verſu ſit adhortatus, etiã in præſenti ſimili modo loquutus eſt? quare ſermonem ſermoni attexens, Dei laudes proſequututus, poſt recenſita Gratiæ dona, abſque alia exhortatione, naturæ beneficia enumerans canticum non produxit? Sed potius vtriuſque Pſalmi initium, & concluſionem exhortationibus ad Deo benedicendum clauſit? Ea, vt mihi videtur ratio eſt, quòd ſemper Deus ſit laudandus. Neque enim ſemel tantum Animam decorauit muneribus, ex nihilo gratiæ, & naturæ in tot vitæ vtriuſque commoda hominem perduxit; Verùm continuis nos afficit beneficijs: etenim, ſi conſeruatio, vt Philoſophi docent, continuata eſt creatio, ſemper a Deo nouas accipientes gratias, nouas grates reddere tenemur; neque ab illius laudibus vnquam ceſſare oportet, qui nunquam nobis benefacere ceſſat. Hac igitur de cauſa Dauid toties ad benedictionem animam excitauit; eſto pœnes Cardinalem Hugonem huius rei iudicium: *In præcedenti Pſalmo* (inquit) *hortabatur creaturas ad benedicendum Dominum, ſed quia non ceſſat Deus benefacere nobis, non debemus ceſſare benedicentes. Hugo Carenſ. Cardin. in Pſal.* 103.

2 Neque

Digitized by Google

2 Neque ab hoc intellectu, eiuſdem Prophetæ mens in Pſalm. 105. aliena videtur cum enim Pſalmum ipſum ab exhortatione ad Deum laudandum incepiſſet, dicens, *Allelù Iàh: Pſal. 105. tit.* Laudate Deum, eandem prorſus in fine Pſalmi replicauit: Non me latet ſecundum Allelù Iàh a multis ſequenti Pſalmo attribui, verum ego Abbatis Ruperti ſententiam ſequutus eiuſdem eſſe crediderim, vt ſit ſenſus, Deum ſemper eſſe laudandum; quia non ſolum Patribus noſtris innumera contulit beneficia, ſed etiam nobis numquam benefacere deſiſtit. Idcirco ſi in principio Pſalmi laudaſtis illum propter paternos fauores. Iterum cum propter vos laudare; nũquam ceſſet a laudibus qui ſemper beneficia ſentit; Ruperti ſententia eſt: *Primum Alleluyah præcedentis eſſe Pſalmi rectius exiſtimatur, vt ſit ſenſus: Quandoquidem Patres noſtri adeo peccauerunt, & Dominus illis tanta, & tot beneficia misericorditer impendit, ergo Laudate Dominum, vt in principio Pſalmi dixi. Rup. Abb. de Trinit. & oper. eius in Pſalt. tom. 1. pagin. 537. colum. 1.*

3 Hanc Doctrinam benè nouerat Apoſtolus Paulus; qui videns omnia bona tam naturę quam gratię Dei dona eſſe, in omnibus operationibus noſtris Deum benedicẽdũ prædicabat. Hinc Corinthios erudiẽs ſuadebat; *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud facitis; omnia in gloriã Dei facite. 1. Cor. c. 10. v. 31.* O Corinthij auribus percipite doctrinam meam, operari ſine Dei ſpeciali adiutorio nequaquam poſſumus, ipſe enim nòs dormientes cuſtodit, vigilantes dirigit, manducantes ſatiat, laborãtes adiuuat, Tribulantes protegit, ęgrotantes ſaluat, gaudentes conſeruat, iacentes ſubleuat; cum igitur in rebus omnibus eius auxilia experiamur, in gloriam ſuam operantes gratitudinis ergo laudes eius minimè taceamus. Hunc ſenſum ex Pauli verbis D. Maximus elicuit: *Chriſtus autem in bonis adiutor eſt, in malis noſter eſt conſeruator. Ergo cùm diluculo ſurgimus, debemus priusquam procedamus è cubiculo, gratias agere Saluatori, qui nos quieſcentes, & dormientes in lectulis cuſtodiuit. Quis enim niſi Deus dormientem cuſtodit hominem. D. Maximus Taurin. Hom. 1. de non tim. hoſ. pag. 241. col 2.*

4 Nuſquam in diuinis literis particularem gratiam a Deo hominibus prĕſtitam ſibi charis, ſine cantico pro gratiarum actione reperiemus: ſiquidem ſancti illi viri, diuinitus accepta beneficia cognoſcentes, ſemper ſe Diuino egere auxilio, canora confeſſione fatebantur. Non pauca huius rei indicia in canticis Sanctorum veteris Inſtrumẽti Patrum habemus: Propterea Pſaltes Deo canebat; *Confitebitur tibi cum benefeceris ei: Pſal. 48. ver. 19.* Homines namque, tunc præcipuè, cum ipſius perpendunt beneficia, Dei magnalia confitentur: ne ingrati animi vitio notentur, quam reprehenſionem ne Sancti Dei incurrerent, grates pro acceptis gratijs cantico perſoluebant; ſic loquitur D. Bernardus: *Ita ergo plerique cecinerunt ſinguli pro ſingulis cauſis, ne ingrati diuinis beneficijs inuenirentur: iuxta illud: Confitebitur tibi cum benefeceris ei D. Bernard. Serm. 1. in Cant. columnn. 162. lit. D.*

5 Sed quid homines gratitudinis laudo? Irrationalia cernite; quid ſibi vult illa Auium matutina, ſerotinaque armonia? quid dulcis ille concentus perſonat? Fortaſſe quia ratione carent, Dei beneficia non ſentiunt? nequaquam; illa tam dulcis modulatio, canticum eſt, quo Aues grataæ Creatori, & Paſtori ſuo, qui in dies tuetur, & paſcit, grates agunt. Diſcat vel a brutis homo Paſtorem recognoſcere ſuum, Benefactorem fateri, gratificantem laudare; hoc ipſemet Chriſtus nobis propoſuit exemplum Math. cap. 6. *Reſpicite Volatilia Cæli non nent, neque metunt, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa: Math capit. 6. ver 26.* Diſcite a Volatilibus gratias Deo exhibere illa. n. a Deo conſeruari agnoſcendo, illi cantu, quod poſſunt retribuunt. Quid ergo, inquit Maximus Taurinenſis, *Sibi vult iſta certis temporibus diſpoſita cantilena, & iugis intentio, niſi gratiarũ quædam ſit immoderata Confeſſio? Paſtori enim ſuo Auis innoxia, quia ſermone non poteſt, ſuauitate blanditur: habent enim, & Aues Paſtorem ſuum ſicut ait Dominus: Reſpicite volatilia cæli, non nent neque metunt, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. D. Maxim Taurin. epis. loc. cit. pag. 242. col. 1* Si igitur Aues numquam a Dei laudibus ceſſant, quia quotidie eas paſcit, & nos debemus Deo canere ſemper, qui numquam benefactis eius caremus: Ita D. Maximus concludit: *Quis igitur non erubeſcat, ſenſum hominis habens, ſine Pſalmorum celebritate diem claudere; cum ipſæ Aues ad gratificandum Pſalterij ſuauitate perſaltent? Idem Ibidem.*

§. II.

Deus benedicendus ore, & corde.

1 BEnedic Anima mea Domino. In hoc ſiquidem hominum Deum laudantium cantus ab Auium modulatu ſecernitur, quòd ille ore tantum prolatus, Naturæ tantum inſtintu non Animi electione promatur; nulla illis intelligentia, electio nulla, qua in Creatorem dirigatur intentio: rationis verò particeps homo electione, non neceſſitate ad Dei benedictionem procedere debet; tunc oris accentus diuinas aures delectat, cùm non labiorum ſed cordis ſacrificium eſt: Nulla hypocritarum eſt benedictio, qui vt laudem aſſequantur humanam in diuinam benedictionem ora perſoluunt. Hoc vitium declinare cupiens Pſaltes, non linguam, ſed Animam ad laudandum prouocat; non os, ſed cor excitat: *Benedic Anima mea*: Illud profecto cupio vt Deum Anima laudet, nam fruſtra lingua fatigatur, ſi non dirigitur a Voluntate; Deum, non ore tantum, ſed corde, & Animo mihi benedicendum propono: Ita Nicolaus de Lyra: *Benedic, & dicit Anima mea; quaſi diceret, non tantum lingua, ſicut faciunt hypocritæ: Lyranus Pſ. 103.*

2 Hoc ipſum, & in verſu 34. eiuſdem Pſalmi Idem Lyranus obſeruat: nam cum Propheta nunquam ſe a diuinis laudibus temperaturum promittat; illis Verbis; *Cantabo Domino in vita mea, Pſallam Deo meo quamdiu ſum: Pſal. 103. ver. 34.* Cur ergo & cantandum, & pſallendum dicit? non ſufficiebat ſe dixiſſe *Cantabo*, quare etiam *& Pſallam* adiecit? Nè forte crederent homines ſe ſolo labiorum ſonitu contentum eſſe, ſed reuera corde etiam cantaturum ſcirent, bis canere ſe proteſtatur, vt cantantem Animam ſimul cum lingua audiremus: *Ideo dicit, cantabo & Pſallam, quia diuina laus debet procedere, & corde, & ore. Hęc Lyranus.* Quod etiam docent carmina illa, quæ vt D. Bernardi per Religioſorum ora euoluuntur.

Ante Deum ſtantes ne ſimus corde vagantes;
Nam ſi cor non orat, in vanum lingua laborat.

3 Hæc vt opinor cauſa fuit cur Legislator Omnipotens ab eſu ſui Populi, & conſequenter a ſuis Altaribus illa omnia animalia dimouerit, quæ ruminandi facultate priuantur; vt pro certo teneant homines, Deo Sacrificium laudis debentes, numquam ſe diuini cibi dulcedine delectari, niſi quod ore promunt etiam corde, quaſi ruminantes, ſpiritualem cibum reuoluant. Hoc optimè Ezechiel nouerat; & ideo oblatum à Deo ſuorum canticorum librum, dum corde ruminat, eius dulcedine abundè ſatiatur; ſic ipſemet fatetur; *Et comedi illud, & factum est in ore meo tamquam mel dulce. Ezech. cap. 3. ver. 3.* Quid ni dulceſceret Dei Verbum ei, qui aſſidua meditatione cordis affectibus euoluebat? Tunc ora dulcedine replentur, cùm cibus qui viſcera ſatiat ad os ruminando reuertitur: tunc diuina cantica mentem delectant, cum ab ipſo corde charitatis ardente

tranſmittuntur ad ora. Ita philoſophatur D. Gregorius Romanus. *Liber, qui viſcera repleuit, dulcis in ore quaſi mel factus eſt; quia ipſi de omnipotenti Deo ſciunt ſuauiter loqui, qui hunc didicerint in cordis ſui viſceribus veraciter amare. In eius quippe ore Scriptura Sacra dulcis eſt, cuius vita viſcera mandatis eius replentur: quia ei ſuauis eſt ad loquendum, cui interius impreſſa eſt ad viuendum. D. Greg Magn. Hom. 10. in Ezech. tom. 1. pag. 1292 lit. A.* Ille igitur corde, & ore Deo pſallit, qui legem Dei quam modulatur cantico operibus adimpleuit.

4 In qua comparatione ſiſtentes, illud expendamus quæſo, quòd ruminans Animal duplicatum cibum, & bis eius guſtum habet; primò enim dum comedit cibi ſaporem ſentit, eoque delectatur; & cum ruminat denuò ſuauitatem illius guſtat: ſic profectò, qui corde, & ore Deum laudat, delectatur enim dum canit, & dum corde repetit, quæ lingua retexuit: optimè hoc nouerat ſapiens, & fortè aliquando expertus loquitur; docet namque; *Qui conſeruat Verbum multiplicat orationem; Eccleſiaſt. capit. 35. verſic. prim.* vbi Lyranus: *Qui conſeruat Verbum, aliàs legem, ille Dei multiplicat orationem, nam orat mente, & ore. Nicolaus de Lyra in Eccleſ.*

5 Si aliquis excellens muſicus dulciter modularetur, ſed ea lingua cantum exprimeret, quæ quibuſdam tantummodo cognita eſſet, alijs verò nequaquam; propter vocis optimum ſonum, & peritum muſicalem concentum omnes profectò delectaret; eo tamen diſcrimine, quod illi qui linguam haud callent, delectantur quidem, ſed ſono tantum, & præſtantia vocis; ij verò, qui etiam verborum ſenſum percipiunt, non ſolum de armonico gaudent concentu, verùm etiam de ipſius hymni ſententijs, quibus appropriatam vocis modulationem animaduertentes, magis, magiſque delectantur. Nec abſimiles Dei laudes concinantes dixerim, qui labia tantummodo mouet, nec ad quæ dicit animaduertit, poteſt quidem delectari, ſed ad verum gaudium Deo inſeruientium peruenire non poteſt: Illi beati, qui ea, quæ ore promunt, corde intelligunt; quod admonet Pſalmus, *Beatus populus, qui ſcit iubilationem: Pſalm. 88. verſicul. 16.* quaſi dicat illi Beatificam hauriunt delectationem, qui dum Deum laudant, quæ dicunt intelligunt, dummodo quæ canit lingua Animus contemplatur: Audiamus D. Auguſtini de hac re ſententiam. *Beatus populus, qui intelligit iubilationem, dicit: Quid eſt opus iubilare, & non intelligere iubilationem, vt vox tantum ſola iubilet, & cor non iubilet? D. Auguſtin. enarr. in Pſalm. 99. tom. 8. pag. 455. column. 1. litt. B.* Nullius eſſe emolumenti canticum concludendum, quod ſimul cum ore Anima non cecinerit.

6 Hoc Paulus quoque Apoſtolus ſe facturum promittit, Ad Corinthios ſcribens; *Pſallam & Spiritu, pſallam, & mente: 1. Corinth. capit. 14. verſic. 15.* Nam Dei ſeruus non eſt; eius inquam Domini, qui interiora cordis intuetur arcana, qui ore pſallens, corde vagatur; oculos hominum decipere poteſt, ſed apud Deum mercedem nullam habebit; cuius ſpiritualibus auribus dulciorem, & gratiorem exhibent cantum, non labiorum ſonus, ſed Animi exultantis affectus: fruſtra os iubilat ſi cor non amat; Idcirco Apoſtolus, qui cœleſtium incolarum cantus perceperat, ſe ſpiritu, & mente æterno Spiritui laudes perſoluere decreuit: eos vtique deridens, qui ſolo verborum ſonitu delectati, fructum laborum ſuorum miſerè perdiderunt: melliflui Bernardi hic eſt ſenſus, qui apoſtolica verba ita commentatur. *Mens tua cum voce concordet, concordet cum lingua: non aliud cogites, & aliud cantes. Si aliud cantes in mente, & aliud cantes in voce perdes fructum laboris tui. Si corpus tuum ſtat in Eccleſia, & foris vagatur mens tua, perdis mercedem tuam. Sicut enim dicit Apoſtolus; Pſallam Spiritu, pſallam, et mente: cantabo ore, et corde. D. Bernard. Clareuall. de mod. ben. viuend. ſer. 52. col. 1292. litt. K.*

7 Serui illi, qui vel bello capti, vel neceſſitate coacti alterius dominio mancipantur; ſeruiunt quidem, ſed violenta neceſſitate, non ſpontanea voluntate famulantur, nec vllam laborum ſuorum mercedem expectant. Ita non pauci Chriſticolæ Dei militiæ adſcripti, tædio diuinorum affecti, ita diuinas laudes perſoluunt, vt vix ſuo debito ſatisfaciant, quaſi non Dei veneratione, ſed officij neceſſitate ducantur: Attamen ad quid deſeruiet coacta laudatio? Quam deuotio non comitatur inanis Pſalmorum eſt recitatio. Ab hoc ſummopere abhorrebat ille, qui Deo proteſtabatur; *Voluntariè ſacrificabo tibi: Pſalm. 53. verſic. 8.* Vt optimè D. Valerianus teſtatur: *Non ſine cauſa Prophet a hac ſe Domino voce commendat: ſciebat neceſſario multos, dubio corde ſeruire, &c. Voluntariè ſacrificabo tibi: hoc eſt voluntario ſacrificio. Vt Authori tuo oris munuſcula quotidie lætus exhibeas, eius ſacrificium laudis verborum ſuauitate componas; atque ad officium operis deputati denotus occurras. D. Valerianus Epiſcop. Cemelienſ. Homil. 3. pag. 730 column. prima.* Diſcant Sacerdotes, Religioſi, quorum proprium eſt munus laudibus diuinis incumbere; tunc Deo grata eſſe labiorum Sacrificia, cum oris modulantis oblatio in Ara cordis flamma charitatis incenditur.

§. III.

Qui Deum laudat ſeipſum benedicit.

1 Benedic *Anima mea Domino.* Dic quæſo, qua mercede Animam ad canendum excitas? gratis Deo ſeruiendum eſſe non ambigo, ſed tuam audio vocem, qui canere es ſolitus, *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem; Pſalm. 118. verſic. 112.* merces igitur te extimulat, retributio mouet; ſed quænam hæc eſt? Sed quale præmium illo meliùs, vel dulcius, quam ipſe cantus, laus ipſa? quippe cùm Deum laudamus nobis ipſis benedicimus: ex laudatione iſta nouum quid, quod antea non erat, inſurgit, ſed non in Deo, qui mutationis eſt incapax, conſequens eſt igitur, vt in nobis nouitas iſta reſplendeat; noua inquam gratia, nouum meritum, noua ſpiritualis profectus accretio: O pretioſa diuinæ laudis Armonia, quæ magis canentem delectat, ipſum adiuuat, ipſum ſubleuat; & dum ore hymnos perſoluit, & corde immenſam laudati Numinis celſitudinem contemplatur, corpus cantu permulcet, animam ſatiat charitate, Digna prorſus Maximo Doctore Hieronymo commentatio: *Prouocat ſemetipſum Propheta in benedicendo Deo: benedicere autem Domino hoc eſt. Qui laudat Deum ſemetipſum benedicit. Hæc D Hieronymus.*

2 Atque hæc diuerſitas eſt inter ſeruitutem homini præſtitam, & Deo patratam. Homini namque qui ſeruit ſolum poſt longum laborem incertum expectat præmium: ea ſi quidem eſt hominum petulantia, vt putent ſibi debitam ſeruitutem, eamque condigna mercede recognoſcere dedignantur. Aſt in Dei obſequio longè ſuauius laboratur, ipſa laudatio remuneratio eſt, ipſe famulatus eſt præmium, non ambigitur, non expectatur; lauda Deum tuum, vt laudando benedictionibus replearis. Pulchra merces, quæ dum meretur eſt iucunda, dum acquiritur obtinetur. Solidentur noſtra dicta Prophetico cantu, inquit enim: *Deo noſtro iucunda ſit laudatio; Pſalm. 146. verſic. 1.* Iucunda quippe, ſed canenti; proficua ſed amanti, decora ſed Animæ

mæ meditanti: Caſſiodori hæc eſt ſententia. *Omnis opera hominum humanā mercedem ſibi poſtulat debere retribui: vt quod laborioſè peragimus ſpe propoſiti muneris conſolemur. In laudationibus vero Domini actus ipſe habet præmium ſuum: quando ipſa eſt retributio, quę nunc eſt exercitatio. Caſſiodorus in Pſal.* 146. Deo igitur ſeruire proficuum, ei canere delectabile; ò deſiderabilis famulatus, proficere, & delectari.

3 Ne autem de huius præmij aſſequutione eſſemus ſolliciti, ipſemet omnipotens, ea qua ſolet in nos benignitate, certos nos facere, viſibilibus etiam fauoribus voluit. Secundi Paralipomenon, ſeu Annalium Iſraeliticarum libri geſta in memoriam reuocemus: ibi cap. 5. Dedicatio Salomonici Templi deſcribitur; narrantque ſacræ literæ, quòd cum cepiſſet Aſaph, cæterique Cantores Deum laudare, ſtatim Gloria Domini repleuit Templum: ipſius ſcripturæ verba promamus: *Ita vt cùm Dominum laudare cepiſſent, & dicere: confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius; impleretur Domus Dei nube, nec poſſent Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter caliginem. Compleuerat enim gloria Domini Domum Dei. 2. Paralip. cap.5. ver.* 13. Vt quid materialis nubes templum Domini obumbrat? Diuina profectò maieſtas materiali amictu non indiget: ſed ideo viſibili ſigno inuiſibilem ſui præſentiam Deus certificare voluit; vt virtutem illius Pſalmi Deum laudantes dignoſceremus; nam cùm Dei laudatio noſtra ſit benedictio, illico quòd perſonauit confeſſio, ſtatim gratiæ præmium adeſſe, vel ſenſibili etiam ſigno manifeſtauit; numquam enim diuina laudatio mercede Dominicæ præſentiæ caret; Deum autem in Anima inhabitantem habere, Beatitudo eſt: ita Incognitus. *Vt ait Gloſsa magna virtus iſtius Pſalmi in Paralipomenon oſtenditur; vbi legitur quòd cùm cæpiſsent filij Iſrael laudare, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus: impleuit gloria Domum Domini. Ita præſto eſt gratiæ diuinæ præſentia ſi puro corde canitur. Incognitus in Pſalter. in verſ.* 2390. *pag.* 988. *col.2. lit. D.* Quis non canat, quis Dei laudes non efferat, ſi tantum eſt cantus præmium, quantus & eſt Deus ipſe? Benedictio certè maxima ipſum Dominum benedicentem Animæ præſentem habere.

4 Creationis initium a Moyſe deſcriptum dum ſollicita animaduerſione contemplor, in ipſo ſecundi capitis Geneſeos initio admirabundus hæreo; vbi hæc leguntur. *Hæ ſunt Generationes Cæli, & Terræ; quando creata ſunt, in die, quo fecit Dominus Deus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra: Gen. cap.2. ver.* 4. Parum conſona videntur poſteriora verba prioribus; ſi iam creauerat, quomodo orta non erant? & ſi nondum producta luce fruebantur, quomodo facta referuntur? quis iſte eſt dies tam mirabilium miraculorum inſpector, vt creata omnia iam producta, antequam orirentur acceperit? O Diem dierum omnium portentum, qui rebus omnibus nondum ortis illuxit. Hic eſt ille dies non temporis pars, ſed æternitatis menſura; non ſolis creati motu productus, ſed lucis æternæ lumine deſignatus; in quo omnia entia eſſe diminutum (vt Scotus loquitur) in mente diuina habuerunt: in Deo omnia erant, & in Verbo æterno cuncta viuebant; quæ extra illud pro nihilo ducebantur. Eſto ita res ſe habeat; ſed quare, dum creata iam omnia luce fruuntur mortali, huius immortalis diei fit mentio? Vt innoteſceret Adæ filijs, (inquit Rupertus) illos huius Diei æterni participes, etiam dum hic viuunt, fieri, qui ſumpto a rerum creatione themate. Deum laudant, glorificant, illique pro creationis beneficio canentes gratias agunt: ipſum loquentem audi Rupertum: *Quem inquam, vel quid putas eſse hunc diem, niſi Æuum illud in quo omne quod factum eſt vita erat antequam fieret. Dies ille non de ordine, nec de natura cæterorum dierum eſt, ſed dierum originalis cauſa eſt; eorumque qui ex diebus cæteris creatorem agnoſcentes, glorificant, & gratias agunt: eorum, inquam, hæc dies perpetua merces eſt. Rup. Abbat. Tuit. lib. 1. in Geneſ. cap.* 20 *tom. 1. pag. 11. col.* 1. Quid facilius quam Deo canere? & tamen æternitatis beneficium impendit, ne careat benedictione Deo retributa laudatio.

5 Idcirco Dauid ſæpe ſæpius Dei ſeruos ad canendum, & laudandum Deum hortatur; vt in multis Pſalmis, ſed præcipuè in 134. videre eſt, *Laudate nomen Domini, laudate ſerui Domini*: idem prorſus in Pſalmis 99. 112. 116. 148. 150. & multis alijs quos videre in Pſalterio poſſumus, replicat: Quid autem Deo creſcit per noſtra cantica? quid illi aut Maieſtatis, aut decoris accedit? nihil ſanè; ſed ideo tot exhortationibus ad Deum laudandum excitamur, quia nobis ipſa laus proficua, nos creſcimus in gratia, augemur virtutibus, melioris conditionis apud Deum efficimur. Hæc Incognitus meditabatur, dum ſcripſit: *Hortatur nos Pſalmus, vt laudemus Dominum. Non enim laudibus noſtris ille creſcit, ſed nos. Deus nec melior fit ſi laudaueris, nec deterior ſi vituperaueris. Tu vero laudando bonum melior eris. Incognitus in Pſalt. in verſ.*2369. *pag.* 980. *col.2. lit. C.* Cantemus igitur Deo noſtro ſemper, vt perenniter gaudeamus.

§. IV.

Excellentia Dei ignota mundo nos ligat.

1 B*Enedic Anima mea Domino*. Deum qui cognoſcit ab eius veneratione non trahi impoſſibile videtur. Dei bonitas, & ſuauitas cum ſit infinita ita cordis totam capacitatem adimplet, vt nil amplius deſiderandum ſuperſit. Omnia Deus oblectamenta, omnes voluptates, omnia bona immenſo comprehenſa obiecto exhibet. Verum, ea eſt ſummi boni ratio, vt cum a ſenſibus peregrinetur, niſi contemplatione non capitur; Hinc homines mundialibus bonis, quæ ſenſus oblectant, allecti, mundo ſe deuincunt, Deum odio proſequuntur: piget ſequi quod non ſenſu percipitur; excellentem Diuinitatis ſuauitatem, quam non nouerunt, non amant. Idcirco Dauid, ad Dei amorem, cultumque animam trahere ſatagens, res omnes creatas enumerat, vt Deum, quem in ſeipſo intueri nequaquam poſſumus, ex eius operibus cognoſcentes, debito cultu proſequamur. Quis enim mente ſic captus reperiri vnquam poterit, vt pro momentaneo bono æternum relinquat? ſed qui temporalibus delectatur adhuc æterna non percepit. Hoc benè nouerat, qui docet Folengius, in hunc Verſum. *Idem penè huius Pſalmi eſt argumentum quod ſuperioris, nempè Dei Bonitatem, & Prouidentiam in rebus conditis cerni poſſe; idcirco ab omnibus ſoli debere. O ſi ſpiritus Domini ſuauitatem pernoſcerent homines, quam ex animo cordis duritiem perhorreſcerent. Inſanio interdum cùm video totum fere orbem in id conſenſiſse, vt relicto Deo cuius cognitio ex ijs, quæ facta ſunt hauriri poteſt, & comprehendi, in iſtis potius commarceſcat. Ioan. Baptiſta Folengius.*

2 In ſanctorum vita hoc memorabile ſæpe ſæpius adnotaui, quòd nullus vmquam ad ſanctitatis apicem peruenerit, qui in diuinis rebus eruditus non fuiſſet; quod ſi ſapientia labore proprio acquiſita non inerat, reuelata tamen non defuit, hinc illæ de diuinis rebus reſponſiones, a viris, aliàs idiotis, factæ, quæ doctiſſimis Theologiæ Magiſtris non modicam admirationem ſubminiſtrabant; Non enim vult Deus ſeruos ſuos indoctos, ſupplet ſapientia cæleſti, vbi humana deſideratur; quod etiam Sapiens teſtatum reliquit; *Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus Sapientiam, & ſcientiam. Eccleſiæ. capit. 2. uerſ.* 26. Ad quid autem Homini in ſimplicitate cordis Deo ſeruienti neceſſaria ſapientia? præcipuè cùm humilitas

ſanctitatis fundamentum, a ſcientia ſæpe confundatur, quæ ſuperbiæ cauſa eſſe ſolet, Apoſtolo docente, quòd *Scientia inflat*. Sed his minimè obſtantibus, periculoſior eſt ignorantia, nam ſcientia vnam tantum ſuperbiam poteſt aliquando producere; Ignorantia verò Dei, cor a diuina cognitione remouens, omnia peccata in Animam intromittit; quippe quæ amorem Cordis a Deo remouet, mundo ligat; etenim ſoli qui Deum neſciunt terrena cupiunt, a quorum illicita cupiditate peccata cuncta dimanant: Ita Carthuſianus Dioniſius ſentit: *Cor, quod futuram fælicitatem non cogitat, amore terreſtrium implicatur: Sicque vanitas mentem decipit, curioſitas ducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, iracundia torquet, triſtitia cruciat, ſuſpicio inquietat, ira perturbat. Hinc Salomon verè loquutus eſt. Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus Sapientiam. D. Dionſius Carthuſian. lib. de 4. nouiſ. art. 10. pag. 26.*

3 Ea propter in diuinarum legum latione, nil frequentius voce illa legimus, qua Dei notitia inculcatur, vt Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra egipti, de domo ſeruitutis. Non habebis Deos alienos coram me: Exod. cap. 20 ver. 2 3.* Si enim Dei notitia deficeret, & creaturæ loco Creatoris adorarentur, quomodo leges ſeruari poſſent, virtutum fundamentum ſtabiliri, & operum bonorum fructum æterna gaudia poſſideri? Ideo Legiſlator omnipotens ante omnia ſui notitiam impreſſit, in cuius fundamento reliquæ virtutes ſtabilirentur: quam prouidam Dei inſtitutionem animaduertit Rupertus inquiens: *Non habebis Deos alienos coram me; Et rectè, quoniam bonorum omnium Radix eſt vnius Dei diligentiſſima notitia, idcirco maximè circa hanc tota beneuoli plantatoris impenditur opera. Hac etenim in corde bene radicata, & fundata, quidquid inde pullulat frondet, ac floret in gratiam, & fructum affert in vitam æternam. Rup. Abb. Tuit lib. 3. in Exod. cap 4* Hac autem notitia pereunte omnis ſpiritualis ædificatio corruet; nam mundanis firmata fallacibus bonis, nullatenus diù permanere valebit.

4 Durum fortaſſe dominicum præceptum videri poſſet, quo eius aſſeclas cuncta mundanalia non ſolum ſpernere, verum etiam, & parentes, & propinquos, ipſamque animam propriam odio habere iubet, illis verbis: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & ſorores, adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. cap. 14. Verſic. 26.* Si autem Dei cognitio, eiuſque bonitatis notitia vigeret, omnia iſta deſpicerentur. Quæ gaudia mundus habet Dei comparatione non vilia? Qui Parentes Creatore, Redemptore, & Glorificatore noſtro propinquiores? Fratres, & Sorores, Angeli, & Beati ſunt meliores; Nec æternæ Beatitudini quæcumque labilis voluptas poterit comparari. Hæc ſi bene perpendantur nullus eſt qui odio ſancto ſemetipſum non proſequatur, vt illius Supernæ Ciuitatis commodis perfruatur; audi D. Laurentium Iuſtinianum hæc confirmantem: *Quis, vt ſpirituales delicias poſſideret, voluptuoſas carnis non abhorreret illecebras? Deum planè quiſquis agnoſceret amori illius vniuerſa poſtponeret, laudabiliterque odiret ſe. Quamobrem, ſicuti ex ignorantia Dei terrena delectant, ſic ex cognitione vileſcunt. Da cognoſcentem Deum, & inuenies amantem. D Laurent. Iuſtinian. ſerm. de S. Laurentio, pag. 431. lit. C. col. 1.* Non poteſt non amare Deum qui nouit: qui vero cognoſcit, & amat, omnia, præter ipſum vnum, odio habet; & aſpernatur. Non nouit profectò qui obligatus deſiderijs carnis fallaci mundo deſeruit.

5 Inter multiplices caligines, quæ infernalis Barathri confuſionem adaugent, non vltimam exiſtimo Animi cæcitatem; qua in malo obfirmati miſeri, Deum ſuum cognoſcere haud valent. Ideo præcipites in eius blaſphemias irreuerenter ruunt. Inferno autem ſimilem Animam Dei notitia priuatam regius Vates exiſtimauit, ideo canebat: *In Inferno autem quis confitebitur tibi? Pſalm. 6. verſ. 6.* Ideſt; tunc Anima ceſſabit confiteri virtutem tuam, & te derelicto, in omnium malorum voraginem ruet; & poſt mundi illecebras in ſplendore infernalis flammæ ibit, cum in Inferno, ideſt in mentis cæcitate erit tua notitia deſtituta; quo etiam D. Paulus reſpexit ad Romanos ſcribens, multos in ſenſuales præcipitaſſe illecebras, vmbratiles mundi diligentes delicias, quia Deum non cognouerunt, affirmans; inquit enim: *Sicut non probauerunt habere Deum in notitia, dedit illos in reprobum ſenſum. Ad Rom. cap. 1. ver. 28.* Hoc D. Auguſtinus docet, Inquiens: *In Inferno autem quis confitebitur tibi; Vt Infernum dixit cæcitatem Animæ, quæ peccantem, ideſt morientem excipit, & inuoluit. Sicut non probauerunt (inquit Rom. 1.) habere Deum in notitia dedit illos in reprobum ſenſum. D. Auguſtin. in Pſalm. 6.*

6 Superborum Aſylum mundum eſſe perſpicuum eſt; cum enim cęlum nequaquam ſuperbos habitatores admittat, mundus eos recipit, & fouet. Orbis Magnates reſpice ea teneri ſuperba ſui æſtimatione, vt Pagani Principes (vtpotè neſcientes Deum) tanquam Deos ſe coli voluerint, & præceperint. Quid enim ſuperbire poſſent ſi Deum noſcerent, cui nos magnitudini nullius eſſe quantitatis, & virtutis viderent? Homo puluis eſt, ſed ſeipſum niſi mortuum non conſiderat: Ille peroptimè ſeipſum nouerat, qui fatebatur ſe puluerem, & cinerem eſſe, Dei familiaritate celebris, & notitia peritiſſimus Abrahamus; ideo dicebat, *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis, & cinis. Geneſ. cap. 18. uer. 27.* Deum cognoſcebat immenſum, eiuſque ſe comparatione ferè nihilum reputabat: Mundani verò hac notitia ſpoliati magnificantes potentiam ſuam, ſuperbiunt; quia Deum ignorādo ſemetipſos minime cognouerunt. Conſentit D. Ioannes Chryſoſtomus in Pſalm. 115. *Quiſquis indicibilem Dei maieſtatem oculo cordis contemplatur, & cognoſcit Deum homine tantò ſublimiorem, quantò Cælum formica ſublimius, nihil mirum ſi ſtupeſcat intra ſe, & dicat; Ego autem humiliatus ſum nimis. Vnde, & Abraham in comparatione Dei terram ſe eſſe, & cinerem dicebat. Contra uerò quia neſcitur Dominus naſcitur ſuperbia, ſcriptura teſtante: Initium ſuperbiæ eſt neſciſſe Dominum. D. Ioann. Chryſoſt. in Pſalm. 115. tom. 1. pag 978. lit. A.* En quomodo inter Superbiæ Mundi ſequaces qui neſciunt Dominum numerantur.

7 Hoc malum, ignorantiam ſcilicet excellentiæ Dei, in ſe Sanctus Dauid aliquando fuiſſe commemorans, mortuo ſe comparauit, dicens; *Obliuioni datus ſum tanquam mortuus a corde. Pſalm. 30. verſ. 13.* Namque a Dei ignorantia ſuipſius etiam neſcientia naſcitur; ſe autem neſcire mors eſt: Si enim Intellectualis vita cognitio eſt, qui non operatur opera vitæ mortuus iam eſt credendus: omnes igitur qui totum laborem in ſtabiliendo in hoc mundo temporalia bona deſudant, tanquam mortui a corde, ſcilicet mortuum habentes cor reputantur. Sic Prophetæ ſenſum D. Bernardus interpretatur: *Quid enim aliud* (inquit) *quam non modo Dei, ſed & ſui ignorantiam habent, qui tanquam mortui a corde omnem inſumunt operam circa carnem; ſic intendentes tabernaculo ſuo, ac ſi numquam putent eſſe caſurum. D. Bernard. Clar. ſerm 10. in Pſalm. 90. col. 539 litter. H.* Quo vlterius inſanire Dei neſcientia poteſt? mortuus eſt Cœlo qui mundo viuit: Bonitas, & ſuauitas Dei hominibus abſcondita, Animas decipiendi Mundo tribuit poteſtatem.

Digitized by Google

§. V.

Magis mouet Prædicatio exemplo firmata.

1 **B***Enedic Anima mea Domino.* Benedictionem, laudemque Domini docturus Animas Deo dicatas Iuſtus Dauid, ipſe prior Pſalmum componit, ad quem canendum Animam ſuam priùs prouocat: optimè enim nouerat, tunc fructuoſiorem fore ſermonem, cùm ipſius Prædicatoris exemplo firmatur. Quis autem ad laudandum Deum promptè non ſe exhibeat, præſertim Religioſus, Deo ſpecialiter addictus, dum videt Regem magnum totius Regni inceſſantibus curis afflictus, a Dei laudibus minimè ceſſare? Bonus prædicator, qui laudem quam hortatur, potius canendo, quam prædicando ſuadet. Ita Cardinalis Hugo. *Vir iuſtus, & religioſus recolens Chriſti beneficia, ſibi, & alijs impenſa, volens alios inuitare ad Chriſti laudem, primò ſeipſum inuitat: vt non ſolum dicendo, ſed etiam faciendo inuitet; efficacior enim eſt prædicatio exempli, quam verbi. Hugo Carenſ. Card. in Pſal.* 103.

2 In eodem hoc Pſalmo dum Auium dulcis exprimitur cantus, dicitur quod de medio petrarum modulabuntur: *Super ea Volucres Cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Pſalm.* 103. *verſ.* 13. Sed cur de medio petrarum, & non ramorum? Si ſuper arbores cubant, reliquum eſt vt de medio frondium cantus audiatur, quare ergo vocem de medio petrarum danda meſſe docemur? Ea vt mihi videtur, cauſa eſt; vt quia Auium nomine viri ſpirituales, religioſi, Deo ſpecialiter addicti ſignificantur (vtpotè alis contemplationis cæleſtium, a terra, terreniſque rebus eleuati) Hi tenentur canere, ideſt ſæculares viros ad diuinum cultum perducere, a mundi amore diſtrahere, nouiſſima humani ſtatus feruidè prædicando; quia tamen deriſionem cauſabit, non fructum, Religioſus ſegniter viuens, & ferueuter prædicans, *dicitur de medio petrarum*, hoc eſt pœnitentiarum, & vitæ aſperitatum. Tunc enim adhortatio ad pęnitentiam in ore pęnitentis poſita fructum maximum conſequetur: ita docet allatus Hugo his verbis. *Super ea volucres Cæli habitabunt; Volucres, ideſt viri ſpirituales; & hoc eſt quod dicit dabunt voces, ſcilicet hortando ad humilitatem, & pænitentiam: ſed quia opus debet præcedere prædicationem, præmittit de medio petrarum, ideſt de medio duræ, & auſteræ vitæ. Hugo Carenſ. Cardinalis in Pſalter. pag.* 267. *colum.* 2. Vt ſic ſuadeant verba, quod iam exemplum promouerat.

3 Inanis profectò labor eſt multa ornatè, apteque diſponere, vt audientium animus ad virtutem amplexandam commoueatur; dummodo ſermoni non correſpondet operatio; & vita diſſuadet, quod hortatur oratio. Patientiſſimus Populi deſiderium diuinorum, ac Doctorum neceſſitatem inſinuans, ait: *Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum. Iob. cap.* 37. *verſ.* 11. Si frumentum lumen deſiderat, cur nubes potius deſiderat quam ſolem? nubes aquam dare ſolent, non lumen; Falleris, vt cum D. Gregorio loquar: Frumentum nubium deſiderat irrigationem fecundam, ſed non quamcumque, verum illam, quæ a nube luminoſa tranſmittitur, vt doctrinæ irroratio, a nube lucida hoc eſt a bene operante miniſtro diffundatur *Nubes enim lumen ſpargere*, (inquit Gregorius) *eſt Prædicatores Sanctos exempla vitæ, & agendo, & loquendo dilatare. D.Gregor. magn. lib.* 27. *cap.*19. *mor. tom.*2. *pagin.* 927. *litter.C.* Benedicta nubes, in qua cum pluuia Sapientiæ, virtutum lumen irradiat; quæ ſimul cum verborum guttis, lumen exemplorum diffundit.

4 Longè, lateque lumen ſuum illa apoſtolica nubes ſpargebat, quæ audacter ad Philippenſes ſcribens, dicebat: *Si qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ hæc cogitate. Quæ & didiciſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite. Ad Philip. cap.* 4. *verſ.* 9. Quaſi diceret Paulus. Scio ò Philippenſes, opus eſſe Apoſtolicum Concionatorem, ea omnia, quæ alios docet, ipſum prius opere implere; faciendo enim dicit, quæ ſint prædicanda, & prædicando monet, quæ ſint facienda. Idcirco, ſi me alia dicentem, & alia facientem vidiſtis vnquam, ne mihi vltra credatis indulgeo: Si tamen ea ipſa quæ loquor me opere compleuiſſe ſcitis, cur meam conuerſationem non imitamini? ſi igitur creditis quod dico, operamini quod videtis. Fusè hoc explicat Romanus Gregorius. *Ad prædicandum namque plus conſcientia ſancti amoris ædificat, quam exercitatio ſermonis. Quia amando cæleſtia intra ſemetipſum Prędicator legit quomodo perſuadeat, vt deſpici debeant terrena: qui enim vitam ſuam interius penſat, & exemplo ſuo foris alios ædificat, quaſi in corde linguæ calamum intingit, in eo quod manu verbi proximis exterius ſcribit. Inde Admirabilis Prædicator, cum multa diſcipulis exhortando dixit, quia nullam intra ſemetipſum contrarietatem pertulit, ſecurus adiunxit: Si quà virtus, ſi qua laus diſciplinæ hæc cogitate; quæ & dediciſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. D. Greg. mag. lib.* 1. *Hom.* 10. *in Ezechiel. tom.*2. *pag.* 1292. *lit. B.* Securus ergo loquitur, qui ſuadenda adimpleuit.

5 Diuinitatis eſſentiam vti in ſuo immenſæ gloriæ lumine ſplendet, quia a nobis intueri non poteſt, ne omnino eius viſibili præſentia careremus, voluit Deus nobis ſub varijs corporeis formis declarare. Hinc Spiritum Sanctum, nunc ſub columbæ ſpecie, nunc Spiritus validi, nunc ignitarum linguarum: filiumque eius vnigenitum humanitate amictum oſtendit. Hinc tamen non parua inſurgit quæſtio, cur contentus Spiritus diuinus, vel inanimi forma, vel ad ſummum columbæ, Filius non niſi humana tectus carne voluerit apparere? Sic enim legimus: *Et Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ioan. cap.* 1. *verſic.*14. Sed vtriuſq; Aduentus cauſa penſanda eſt: Venit Filius (vtpotè Sapientia æterna) ad docendum, ad prædicandum, & quia Prædicatio exemplo firmari debet, debuit Diuinus Concionator illa humano in corpore exercere, quæ homines facturos docebat: vt ſibi proponentes eius paſſionem, & mortem facilius, & alacrius Tribulationes, & labores ſuſciperent & ſuſtinerent. Sanctus verò Spiritus, non adhortandum ad pugnam, ſed ad coronandum victores (vtpotè Dei Donum) veniebat, & ideo ſufficiebat ſub amantis Bruti ſpecie amorem in hominem, Deitatis oſtendere; non paſſus erat credendus, vel in opere imitandus, ſed tanquam gratiarum Delator recipiendus, & ideo non humano corpore apparere neceſſe fuit: Sic Philoſophatur D. Paſcaſius, ita loquens. *Quia ille venit, vt exemplum viuenti Deus homo homini præberet, & coniunctus ei per carnem, cum morte rediměret. Illa verò vt Donum ipſum, quo ex gratia bene viuendo peruenitur, expreſſius ſignificaret. Quæ nimirum columba nequaquam creditur paſſa, nec Spiritus Sanctus per eam; quomodo Deus homo in carne paſſus dicitur. D. Paſcaſius Radb. lib.* 2. *in Math. pag.*932.*lit.A.*

6 Hac etiam de cauſa Ieſus Chriſtus Dominus noſter legis præcepta, imò & cæremonias ſemper ſeruauit, vt homines, ſui exemplo ad Dei obſequium mouere faciliùs poſſet. Idcirco, vt S. Lucas adnotauit, non priùs ad prædicandum, & docendum acceſſit, quam per virtutum, & abſtinentiæ exercitationem ſe præparauerit: ſic de eo legitur, *Cæpit Ieſus facere, & docere: Actor. cap.*1. *ver* 1. Ita exemplum Verbo connectens ſuos Eccleſiaſtes monebat, vt diſcerent Doctrinam roborare exemplo, vt D.Gregor. magnus loquitur; *Docere debet Prædicator quæ agit, ſicut de Dom. Lucas*

Digitized by Google

dicit, capit Ieſus facere, & docere. D. Greg. Mag. in 1. Reg. cap. 10. lib. 4 to. 1. pag 185. lit. E.

7 Sed & ipſum Filij Chorè probè callebant, qui a Patris iniquitate innocentes terra dehiſcente, eumque abſorbente, ſeruati fuere. Quod Dei beneficium cunctis populis prædicaturi, ſinguli dicebant. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Pſal. 84. verſ 9.* Etenim prius audire verba Domini vt implerent, quam vt prædicarent ſatagebant. Quid enim illis prodeſſet alta prędicare de Domino, quem ipſi non colerent? Tunc nobis ipſis prædicatio prodeſt, cùm prius opere complemus, quæ prædicanda proponimus. Hæc Pſalmi Verba Dauidi attribuens D. Fulgentius in hunc ſenſum loquitur. *Sermo enim, quem vobis in Dei gratia miniſtramus, tunc etiam nobis prodeſt, ſi quod vobis pro ſalute, verbo, ſtyloq; foris dicimus, nos intus mites, & humiles audiamus. Non enim fruſtra Dauid ſanctiſſimus ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. D. Fulgent. Ruſpen lib. 1. de Remiſſ. pecc. cap 21. pag 657. col. 1.* Rectiſſimè loquitur Fulgentius; ille enim verè dicendus eſt audire Domini verba, qui ea adimplere non ambigit: iſque qui adimplet fructuoſius prædicabit.

8 His exemplis nos etiam iam illuſtrati faciliter ipſius Dauidis ſenſum capiemus. Is igitur, propter Berſabeæ adulterium, Vriæque mortem, maculatam habens animam, mundari deſiderabat; ſicque mundari, vt reddita innocẽtia cordi, vel ipſam niuem candore ſuperaret; inquit enim: *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Pſ. 50. v. 8.* Sed quid ſuper niuem dealbari deſiderat? quid niue candidius? ſufficiebat igitur dicere, *& ſicut nix dealbabor*; cur ergo & ſuper niuem adiecit? Benè orat Rex ſanctus; qui vtiq; nouerat, ſe tanquam exemplum viuens omnibus eſſe expoſitum, ſe omnes gentes ad pœnitentiam hortaturus; ſic a Deo petebat non ſolum culpæ remiſſionem, meritorum, & concionandi virtutem, ſed etiam exemplorum ſuorum, conuerſionis, & pœnitentiæ ædificationem; vt ſi quando Populus imitaretur peccantem, etiam pœnitentem ſequi non vereretur. Per merita igitur, & gratiam vt nix tantummodo dealbari poterat, ſed per exempla ſupra ipſam niuem candidabatur. Quod benè perſpiciens Alexander Halẽſis, dixit *Nota quod hæc dealbatio eſt per exercitationem meritorum, & tunc Nix: per ædificationem exemplorum, & tunc ſuper niuem. Alexand de Haleſ. in cap. 12. Apocal. pag. 133. col. 1. lit. B.*

9 Sed ſui deſiderij optatum finem adeptum videamus Dauidem. Ipſe, cùm eum Saul acriter perſequutus fuiſſet, ita vt ſæpe in vitæ diſcrimine fuerit; non ſolum eum viuentem ſeruauit, mortuum planxit, & ſepeliuit, verùm etiam eius nepotem Miphiboſeth, voluit in propria menſa quotidie cibare; non ſufficiebat ipſi aſſignare cibos, & poſſeſſiones, & agros, cur voluit ipſum in propria menſa recumbere? ſic enim ſcribitur. *Miphiboſeth autem filius Domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam. Lib. 2. Reg. cap. 9 verſ. 10.* Volebat namque, ſine verbis Rex ſuos ſubditos ad pacem adhortari; & ſic ante eorum oculos ſuam erga inimicos beneficientiam proponebat; vt omnes videntes comedentem in menſa regia nepotem ſæuiſſimi Regis inimici, ipſi quoque ad benefaciendum hoſtibus commouerentur: ſic tacente Dauide loquebatur exemplum; ſuadebatque pacem: Ita D. Ioannes Chriſoſtomus ſentit: *Quotquot enim cum illo diſcumbebant abibant magnam Philoſophiæ doctrinam conſecuti. Cum enim viderent illius Saulis filium, qui tanta mala patrarat aduerſum Dauidem, tanto in honore haberi apud ipſum; etiam ſi feris omnibus eſſent inimiciores, pudore tamen, cum omnibus inimicis redibant in gratiam. D. Ioan. Chriſoſt. Hom. 3. de Dauid. & Saul. to 1. pag. 520 lit. C.* Tanti valoris exemplum Principis eſt, vt facto ſuadeat, quod verbo non exponit. Prædicatio igitur, quæ fructum aſſequi debet, exemplo firmetur.

§. VI.

Deus Dominus omnium, ſed præcipuè Iuſtorum.

DOmine Deus meus. Omnium Deum Propheta ita ſibi appropriat, vt eum ſuum tantummodo appellare voluerit; iniuriam autem Deo facere videtur, eius poteſtatem ad vnius hominis imperium reſtringendo: In eo preſertim cantico, vbi omnium rerum effectionem commemorat, omnium Dominum decantare debuerat; ſicut iam eidem confeſſus fuerat Micheas; *Domino vniuerſæ Terræ: Mich. cap. 4. verſ. 13.* ſi Solus Deus eius eſt, ergo nec alij homines, nec animantia, nec ſydera Deum habebunt, cum tamen omnibus imperari Dominum ipſemet fateatur. Dominus omnium Deus eſt; ſed tamen iuſtorum tantum prædicari Dominus optat: nequaquam illorum eſt Dominus, qui peccatorũ catenis deuincti Diabolo miſerabiliter ſeruiunt: non Dei ſubditi, qui eius iugum ſuaue dedignantes infernalium poteſtatum intolerabilem tyrannidem volentes patiuntur: non Creatoris filij, qui Peccati aſſeclæ. Propheta igitur, quia iam ſe liberum a tali peſte ſciebat, liberè ſe Dei, & ſuum Deum eſſe prædicat; nam licet vniuerſorum ſit Deus, Dominus ſpecialiter iuſtorum eſt: iuxta D. Hieronymi expoſitionem; *Domine Deus meus: omnibus quidem tu es Deus, & Dominus; ſed mihi propriè, quia non ſum ſeruus peccati. D. Hieronymus.*

2 Mundo per primi parentis culpam æternæ morti deſtinato, cum remedia meditaretur Omnipotens, decreuit per incarnationis myſterium hominem perditum reparare; hinc ad tantum Sacramentum pulcherrima, & immaculata delecta Virgine, ad eam vnus ex primis Cœleſtis Aulæ Principibus Nuncius deſtinatur. Hic ad Virginem ingreſſus eam ita ſalutat; *Aue gratia plena Dominus tecum. Luc cap. 1. verſ. 28.* Vide Angele Dei quæ promis; in Maria Deum eſſe quaſi magnum, & ſpeciale munus aſſeueras: Nonne vbiq; Deus? ille inquam; qui a nullo capius loco omnia continet; nihil exiſtit, quin in Deo exiſtat; omnia Deus penetrat, regit, conſeruat; in omnibus eſt, per quem omnia ſunt; cum ergo nulla reperiatur creatura in qua Deus non ſit, tu tanquam ſpecialem inexiſtentiam eius in Virgine exageras, Dominus tecum? Ita eſt dicet fortaſſe Angelus, in omnibus Deus, ſed non cum omnibus: ipſe namque vt Deus in omnibus creaturis ſuis etiam irrationabilibus eſt; ſed non eſt cum illis: quia illas capit, ſed ab ipſis non capitur: eas intelligit, nec ab ipſis intelligitur, vel amatur; in hominibus verò poteſt eſſe cum omnibus, ſi ab omnibus amaretur, quia verò pauci ſunt qui diligant, cum paucis eſt, cum ſolis bonis incedit: At quia Tu Virgo Immaculata ſuper omnes homines, & Angelos Deum amas, Deus ſpecialiſſimè tecum eſt. Hanc expoſitionem a D. Bernando mutuatam habeo, qui illam luculenter ſic affert. *Non dixit Dominus in te, ſed Dominus tecum. Deus enim, qui vbique æqualiter totus eſt per ſuam ſimplicem ſubſtantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis, quam in cæteris; & ipſarum aliter in bonis, quam in malis. Ita ſanè eſt in irrationabilibus creaturis, vt tamen non capiatur ab ipſis. A rationabilibus autem omnibus capi poteſt per cognitionem, ſed a bonis tantum capitur per amorem. In ſolis ergo bonis ita eſt, vt etiam ſit cum ipſis propter concordiam voluntatis. D. Bernardus Clar. Abb. Hom. 3. ſuper Miſſus eſt. col. 36. Lit. F.* Quidni illorum propriè dicatur Deus, & Dominus cũ quibus ſpecialiter eſt, qui eum ita cognoſcunt intelligendo, vt amando capiant?

3 Hoc & alibi vſurpabat Dauid in Pſal. 15. & 139. ſe ſpecialem ſeruum Dei, Deumque Dominum ſuum appellans, dicens; *Dixi Domino Deus meus es tu. Pſ. 15. verſ. 1.* Ratio autem ea videri poteſt, quòd titulum Domini ille fateatur qui obſequitur: quomodo enim Princeps aliquis poterit illius, & ſi ſubditi lege Regni, dici,

qui

Digitized by Google

qui Inimico Regis militans, ipſum non ſolum non cognoſcit, ſed perdere nititur? Ille ſeruus, qui Domini exequitur mandata, qui Imperanti auſcultat: Quis maior Dominus quam Deus, qui ſolus eſt Dominus; & tamen hic omnium Dominus, eorum Dominus propriè cenſetur, qui iuſti ipſi deſeruiunt Incogniti animaduerſio eſt; inquit enim: *Solum Deus omnium verus eſt Dominus; veruntamen quamuis ſit Deus, & Dominus omnium generaliter, tamen fidelium & iuſtorum ſingulariter dicitur Deus, & Dominus; quia illi ipſum verum Deum recognoſcunt, & Dominum. Incognitus in Pſalt. in verſ. 2467. pag. 1021. col. 1. Lit. E.*

4 Accedat Magni Doctoris Gentium teſtimonium. Is Timotheo ſcribens, ait, *Tu autem o homo Dei. Ad Timoth. 1. cap. 6. verſ. 11.* Quid vas electionis dixiſti, ſoluſne Timotheus homo Dei eſt? & alij homines cuius ſunt? Illius cui ſeruiunt: qui ſeruit Diabolo eius eſt, non Dei: o miſerabilem filiorum Adam conditionem: o peccati tyramnidem crudeliſſimam; cum omnes Dei homines eſſe deberemus, ipſum recognoſcendo qui nos creauit, ipſi ſeruiendo, qui nos redemit, ipſum amando, qui nos conſeruat, gratificat, & beat; ita pauci eius obſequio mancipati, eius amori intendentes reperiantur, vt magna ſit dignitas, ſingularis excellentia Apoſtolici viri, Dei hominis appellationem mereri: nam ſoli diligentes, familiariterque famulantes Dei homines dici poſſunt. Chriſoſtomum hæc adnotantem audiamus. *Magna laus, ac dignitas. Omnes quidem ſunt homines Dei, ab eo ſcilicet conditi: ſed iuſti propriè, qui non modo conditionis, verùm familiaritatis quoque iure illi coniuncti ſunt, Dei homines merentur appellari. D. Ioan. Chriſoſt. Hom. 17. in 1. ad Timoth. to. 4. col. 1393. lit. D.* Talis erat Timothes; nec nos diſſimiles ei eſſe debemus: ſeruiamus Deo, vt tamquam a Domino æternam remunerationem recipiamus.

5 Hac de re Iſraeliticus populus reliquas nationes aſpernabatur; eo quod ipſe ſpecialiter Dei eſſet. Quare Pſaltes, vt Deum ad parcendum illi populo magis moueret, eius memorat ſeruitutem, particularemque ei deuinctionem; dicendo; *Memento Congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio. Pſal. 73.* Quænam autem hæc Congregatio Dei eſt, ſola nè Iudæa gens? nequaquam. Aſaph enim diuino afflatus ſpiritu dum canebat futura etiam proſpiciebat, & ideo illam Dei Congrationem appellat, cuius Deus poſſidet corda, quæ ad eius obedientiam parata eſt; nam licet Populus ille Dei ſemper eſſe ſe iactauerit, non tamen cum peccabat amplius Dei erat; ſed iuſtorum omnium congregatio Dei eſt: ita Incognitus. *Quamuis Deus omnium generaliter ſit Dominus, illius tamen Populi ſpecialius dicitur poſſeſſor, qui ad eius obedientiam ſponte ſe ligauit. Incognitus in Pſalt. in verſ. 2467. pag. 1021. col 1. lit. E.* Vtinam, & nos omnes, qui in Religionis obedientia ſpecialiter nos deuinximus, ita viuamus, vt reuera dicere poſſimus, *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius:* Tunc enim oues Dei ſumus, cum vocem eius audiendo, eius præcepta ſeruamus.

ſ. VII.

Magnificat Deum qui temporalia aſpernatur propter eius amorem.

1 M*Agnificatus es vehementer.* Certum eſt, vt in literali expoſitione vidimus, Deum in ſe nec creſcere, nec minui poſſe; ſolummodo ergo magnificari dicitur quando a nobis eius magnificentia cognoſcitur. Quia vero mundani Principis magnitudo, vel inde clarius innoteſcit, dum in pauperibus ſubleuandis non paucam erogans ſubſtantiam ſibi ferè nihil decreſcit; idcirco hic Deus magnificatus deſcribitur precipuè a pauperibus: quaſi diceret Pſaltes. *Magnificatus es vehementer* Domine, dum magnitudo tua excellens ita eſt, quòd eam qui cognoſcunt omnia temporalia bona ob tuum amorem aſpernantur; & ita in eius prouidentia ſecurè viuunt, vt nihil ei aliquando deficere reformident. Illi igitur maximè te magnificant, ideſt magnificum eſſe declarant, qui omnibus temporalibus ſpretis, imò & ſeipſis, te vnum ſequuntur, & amant. Ita cenſet interprætandam Prophetæ mentem eminentiſs. Hugo inquiens: *Ille autem magnificat eum, qui temporales diuitias habens, plus amat Deum, quam diuitias. Vehementer autem magnificat, qui omnes diuitias, & ſeipſum contemnit, & relinquit propter eum. Hugo Caren. Cardin. in Pſal. 103.*

2 Vnigenitus Dei Filius, etſi trabea carnis indutus temporalia incommoda, & vilipendia ſuſcepit; nec ſui corporis gloriam demonſtrauit ante paſſionem ſuam; imò occultauit; aliquando tamen, antequam ſanguineum ſuæ paſſionis oceanum pertranſiret in habitu Triumphatoris Hieruſalem petere voluit, & in Templum, Aſinum ot equitans, omnibus acclamantibus turbis deferri: ſi autem glorioſum parabat ingreſſum, cur equum regia ſplendente in purpura non adhibuit? cur magniſicum, non aſcendit currum? ſane vt oſtenderet Deum a pauperibus maximè magnificari; ab his eleuatur, dum triumphat. Iacob Patriarca ſuis filijs moriturus benedicens de Iſachar dixit. *Iſachar, Aſinus fortis accubans in terminis, vidit requiem quod eſſet bona, & terram quod eſſet optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum. Geneſi capit. 49. verſic. 14.* Iſte Iſachar, iſte fortis Aſinus Pauper eſt voluntarius, qui dum videt requiem æternæ Beatitudinis eſſe ſummum ſibi bonum, & viuentium terram optimam eſſe, omnia temporalia bona relinquens, paruipendens, iugo Chriſti ſe ligat, & ipſum Chriſtum portans, eius gloriam, magnificentiãq; declarat, & in Templum perennitatis Deum ipſum defert. D Antonium Patauinum noſtram roborantem ſententiam audiamus. *Iſaſchar, qui interpretatur merces ſignificat paupertatem, quæ omnia temporalia abijcit, vt mercedem æternam recipere poſſit. Sequitur; vidit requiem quòd eſſet bona, requiem ſcilicet cæleſtis Beatitudinis, & terram æternæ ſtabilitatis, quod eſſet optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum Filium Dei. D. Anton. Patau. ſer. Dom. infr. oct. Nat. Dom. pag 13. col 1.* Ideo ergo triumphaturus Aſinam, eiuſque pullum conſcendit filius Dei, quia vt idem Antonius concludit; *Paupertas, & humilitas deferunt Chriſtum ad templum. Idem ibid.*

ſ. VIII.

Deus ſit magnus in nobis dum in virtutibus creſcimus.

1 M*Agnificatus es vehementer.* Non abſimilem nobis diſcurrendi materiam D. Ioannes Chriſtomus præbet; dum putat tunc Deum non in ſe, ſed in nobis creſcere, magnumque fieri, dum nos in quacumque virtute creſcimus. Etenim tunc Magnificatur vehementer Dominus apud Ethnicos, eius gloriam neſcientes dum nos ſanctæ conuerſationis exempla damus: Fieri enim nequit, vt huiuſmodi homines videntes Chriſtianos magnis, & illuſtribus florere virtutibus, non argumententur magnum atque præclarum coli ab eis Deum; dum eos tam ſanctam, atque laudabililem vitam docet. Propheta igitur dicit; *Domine Deus meus magnificatus es vehementer* apud infideles, videntes virtutes, & perfectas operationes ſeruorum tuorum. Audiendus ipſe Chriſoſtomus. *Quomodo autem magnus efficitur, qui ſemper magnus eſt, nec incremento opus habet, ſed ſemper perfectus eſt? quonam in quam pacto augetur? Nempe cum hi qui ipſi totos ſe addixerunt, optimam vitam præſeferunt: atque tum per verba tum per exempla ipſum celebrant, tunc demum increſcit: non quòd ipſe magnitudinem aliquam aſſumat, ſed quia hi*

qui

Digitized by Google

qui in eius ignoratione verſantur, per eos qui ipſum co-lunt magnus eſſe oſtenditur. D. Ioann. Chriſoſt. in Pſal. 103.

2 Manifeſtius hoc capiemus ſi Regiam imaginem contemplemur: nemo eſt qui neſciat, quòd ſi aliquando a populis Principis ſui Imago honoris cauſa, vel curru inſidens præclaribus ornata ſpolijs circunducatur, vel ſub Throno ſublimi reuerenti cultu adoretur, honores illos in ipſum cadere Regem, qui apud ſuos ſubditos in honore habitus magnificatur, & creſcit non in ſe, ſed in imagine ſua. Ita prorſus, cùm Anima hominis imago Altiſſimi ſit, dum ipſa Dei Imago ſummis adornata virtutibus ab hominibus honoratur, & colitur, ipſe Deus in ſua Imagine magnificatur. *Hinc* datur intelligi Immaculatæ Deiparæ ſenſus, quæ audacter dicebat; *Magnificat Anima mea Dominum: Luc.cap* 1. *ver*.47. Anima mea æterni Creatoris Imago dum Sanctitatis, quæ in vtero gero, communicando alijs Sanctitatem, ſigna demonſtrat; dum dignam Dei maternitate per humilitatis, aliorumque virtutum exercitia me publicat, ipſum Angelorum, hominumque Regem magnificat. Fauet meæ ſpeculationi doctus Origenes: *Si autem Deus nec augmentum, nec decrementum recipere poteſt, quid eſt quod Maria dicit, Magnificat Anima mea Dominum? Sed ſi conſiderem, Dominum Saluatorem, eſſe Imaginem inuiſibilis Dei, & animam meam factam ad eius imaginem, ut ſit Imago Imaginis: tunc videbo quoniam in exemplo eorum, qui ſolent Imagines pingere, quando magnificauero animam meam virtutibus, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipſe Dominus, cuius Imago eſt Anima mea, magnificatur. Origenes Homil*. 8. *in Lucam*. Acutiſſimè certè philoſophatur Origenes, dum Dei magnificationem per exornationem eius in nobis Imaginis, fieri cenſet.

3 Hoc vtiq; ſuadebat Dauid dum canebat; *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomē eius in idipſum. Pſ*.33. *ver*.3. O ſi omnes qui mecum in hoc ſæculo vita fruuntur, vnanimiter ſaperent; & ad veram Dei magnificam exaltationem per vitę Sanctitatem, ac conſcientię puritatem accederent, quam beatus homo eſſet, quam felix mundus, quam glorificatus Deus. Venite, venite omnes vna mecum gentes, abijciamus vitia, ac ſæcularia deſideria, proſequamur virtutes, amplectamur veram Dei ſapientiam, vt quantum in Anima noſtra Dei omnipotentis imagine refulget Virtus, reſplendet bonitas, tanto exaltetur nomen Dei maieſtas, Altiſſimi magnificetur. Nemo protſus reperiatur, qui ambigat, qui retrocedat, omnes accedite, & per virtutum merita *Magnificate Dominum mecum: Ideſt*, inquit Incognitus, *ipſum in cordibus veſtris facite magnum; quia quanto merita ſunt maiora*, *Deus non in ſe, ſed in nobis grandeſcit. Incogn. in Pſalter. in verſ*.506. ſic in corde, Dei imagine, magnificatus Dominus exaltatur. Sed heu grandis cæcitas mortalium, omnes vitiorum allecti illecebris potius vitæ fæditate Deum deprimunt, quam exaltent: ah ſtulti aliquando ſapite, perit mundus, & concupiſcentia eius; reuertamur præuaricantes ad cor illud pro certò ſtatuentes, Deum non ſolum in nobis, ſed pro nobis grandeſcere; & pro noſtra glorificatione exaltari.

4 Quis non miretur verba Redemptoris noſtri perpendens, qui Matth. 6. Eccleſiam ſuam orare docens, primum omnium Dei nomen ſanctificādum ponit; *Sanctificetur nomen tuum. Math. cap*.6. *verſ*.9. Deus ipſa ſanctitas eſt, ſi quid habent homines ſanctitatis illius participatio eſt. Melius igitur, dicet aliquis, dictum fuiſſet, nomen tuum ſanctiſſimum laudetur, non autem ſanctificetur: quomodo namque ipſa ſanctificari ſanctitas poſſit intelligere nequeo. Inſtruere equidem ſuos diſcipulos vult Dominus; ne præſumerent ſe vitijs irretitos aſſumere Dei Nominis inuocationem; licet enim ſanctum ſit, in ore polluti pollutum, & ſi non ſit, apparet. Solis perlucidus radius ſi per atrum vitrum inſpectatur ater, & turpis videbitur; Si per clarum, perſpicietur illuſtris: Ita prorſus tunc Dei nomen ſanctificatur in nobis, ideſt apparet ita ſanctum vti eſt, cum illud laudans virtutibus emicat; dum ſe æterni Numinis non degenerem in vitijs, ſed genuinum in operibus ſanctis fatetur. Hoc intellexit acutiſſimus Petrus Chriſologus, dum ſcripſit. *Petimus, vt nomen Dei actu noſtro ſanctificetur in nobis. Nobis enim bene agentibus benedicitur nomen Dei. Nobis male agentibus blaſphematur. D.Petrus Chriſol. ſerm.*71 *pag* 312. *col*.1.

5 Hinc peruia nobis via ad Prophętæ regnantis intelligentiam: qui Pſal.63 hæc habet: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Pſal*.63 *verſ*.7. Ergo vt magnificetur Deus Homines ſuperbire debent? hoc namq; importare videtur ly *Accedet ad cor altum*; ideſt alta ſapere de ſeipſo, quod aperta ſuperbia eſt; cùm Deus magis delectetur in humili, in corde inflato, & ſuperbo nequaquam quieſcere poteſt. Verùm homo debet ad cor altum, non alta de ſe ſentiendo; ſed magna operando: ſentiat ſe puluerem, ſed aurū charitatis claudat; ſe vilem ęſtimet, ſed pręcioſas virtutes exerceat; tūc accedit ad cor altum homo cū alta ſuſcipit, dum magna perficit; & tunc exaltabitur Deus, nō in ſe, ſed apparebit exaltatus in nobis. Ita ſentit Incognitus. *Accedit ergo ad cor altum, qui charitatem Dei erga nos conſiderat, qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et tunc exaltabitur Deus, ſcilicet in corde ipſius. Deus enim nō in ſe, ſed in corde hominis grandeſcit. Incognit. in Pſalt. in ver*.1014.*pag*.400.*col*.2.*lit.C*. O pręclara exaltatio Dei in nobis per augmentū virtutum. Qui igitur vitijs totus inhiat, in ſe Deum deprimit, & cōculcat: Videant Chriſtiani, Dei filij, Chriſti aſſeclæ, ad diuinas laudes ſe obligatos, ad virtutes exercendas incumbere debere, vt glorificetur, & magnificetur Deus.

§. IX.

Homo per Verbi Incarnationem decoratur.

1 C*Onfeſſionem, & decorem induiſti*. Licet communior ſenſus paſſiuè hanc induitionem intelligat; vt Deus ipſe in creaturarum productione induatur confeſſione, & decore: quaſi ex creaturarum ſuarum confeſſione ipſe decorem aſſequatur. Nihilominus tamen ipſam actiuè intelligere nil prohibet; vt ſenſus ſit quod Deus creaturas ſuas per Cōfeſſionem dignas decore demonſtrauerit; vel vt Hebræus habet, gloriam, & decorē, ideſt varia ornamenta induerit creaturas. Illud autem præcipuum noſtræ Humanitatis decus, & ornamentum, & gloria extitit, quod ad hypoſtaticam Dei vnionem ſit noſtra mortalitas aſſumpta. Tunc Deus mortalitate, Homo autem Diuinitatis gloria decoratus illuxit. Quod verò decus præclarius, quam fragilem Humanitatem in Dei euectam ſolio, æternitatis inter limites glorioſam intueri? Hoc equidem Gloſſa ordinaria inſinuare videtur, dum inquit. *Incarnationem Chriſti ſignificat, cùm ait, Confeſſionem, & decorem induiſti, ideſt carnem aſſumpſiſti. Gloſ.ord. in Pſal*.103.

2 D. Anſelmus pulchram exagitat quæſtionem: cur voluerit Verbum diuinum ſua humiliatione ad aſſumēdam humanitatē, ſuaq; in aſſumpto homine paſſione, mundū redimere? Poterat vtiq; virtus illa Deitatis immenſa inuenire alium redemptionis modum, ipſumq; vel puro homini, vel ad ſummum Angelo demandare. Cum .n. tota ratio meriti in diuina acceptatione cōſiſtat, quecumq; operatio ſiue Angelica, ſiue humana a Deo tanquā ſatisfactio pro Adami culpa acceptata, Redemptio fuiſſet. Hoc autem noluit Deus, inquit Anſelmus propter hominis dignitatem. Quod vt melius capiatur conſiderandum eſt ſeruos tantò eſſe nobiliores, quanto Domino ſublimiori, & abſoluto deſeruiunt; vnde illi, qui ipſi Principi ſeruiunt præſtantiores cenſentur, quā ſerui alicuius ex officialibus Principis. Si igitur Perſona ali-

Digitized by Google

qua Angelica, qui ſunt omnes adminiſtratorij Spiritus) redemiſſet hominem, indubium eſt talis perſonæ hominem ſeruum fuiſſe, iure redemptionis. Nunc autem cùm ſoli Deo creationem,& Redemptionem debet, honoratior eſt: Reſtitutus in illam, quam amiſerat, dignitatem: cùm enim ante lapſum ſolius Dei famulus eſſet, per peccatum Diaboli mancipium erat; ſed per Verbi incarnationem iterum ab hac pexima ſeruitute liber, Deo ſoli deſeruit; quæ maxima eſt Hominis dignitas. Ita concludit Anſelmus. *Quæcumque alia perſona hominem a morte æterna redimeret, eius ſeruus idem homo rectè iudicaretur. Quod ſi eſſet, nullatenus eſſet reſtauratus in illam dignitatem, quam habiturus erat ſi non peccaſſet, cùm non niſi Dei ſeruus eſſet. D. Anſelm. Cant. lib. 1. cur Deus homo. cap. 5.* Hæc Sanctus Doctor. Huc etiam accedit, modo ad illam euectum dignitatem hominem, vt non ſeruus tantummodo Dei, ſed & filius nuncupetur.

3 Suppoſito autem quòd perſonam diuinam aliquam incarnari conueniens videretur, vlterius Angelicus Doctor inquirit, cur potius Filio hæc demandata Prouincia ſit; cur vel ipſe Conditor Pater, vel Spiritus viuificator, redemptionem non ſuſcepit? nec congruentiorem rationem adducit, quam maius hominis decus, gloriã maiorẽ. Certum equidem eſt Hominis operationem propriam, vt homo eſt, & rationalis eſt, eſſe intelligentiam; intelligere namque à Brutis animalibus diuerſos, angeliſque pares nos reddit: & tunc perfectioris conditionis euadit, cum perfectiorem intelligentiam aſſequitur. Hac igitur de cauſa increata Dei ſapientia, Verbum illud æternum, de quo prædicatur. *Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelſis: Eccl. cap. 1. verſ. 5.* voluit hypoſtatiė è noſtræ humanitati coniungi, vt noſter intellectus tanta repletus ſapientia Doctus euaderet; ſicut ſcientiarum amator præceptoris ſui verba hauriendo ſapiens efficitur, ita prorſus hominis anima Dei Verbum ſuſcipiendo ſapientiſſima effecta eſt; ſicq; maximam ſui ſtatus perfectionem aſſequutus, inter perfectas Intelligentias dignior videtur. Speculatio ſanè angelico digna intellectu: ipſum audiamus docentem. *Verbum eſt conceptus æternæ ſapientiæ, a qua omnis ſapientia hominum deriuatur; & ideo per hoc homo in ſapientia perficitur, quæ eſt propria eius perfectio, prout eſt rationalis, quòd participat Verbum Dei: ſicut diſcipulus inſtruitur per hoc, quod recipit verbum Magiſtri. Vnde eccleſ. 1 dicitur: Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis: Et ideo ad conſummatam hominis perfectionem conueniens fuit, vt ipſum Verbum Dei humanæ naturæ perſonaliter vniretur.* Hucuſque Doctor ſanctus. *3. p. q. 3. ar. 8. in corp. pag 70 col. 2* Maximam ergo gloriam, perfectumq; decorem induit hominẽ Deus, dum ſapientiſſimum fecit.

4 Sed alterũ Sacræ Theologiæ luminare minime prætereamus. Cum dixiſſet Apoſtolus de Chriſto; *Factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnẽ, qui prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei in virtute: ad Rom. c. 1. v. 3.* quærit Magiſter meus, vtrũ hæc prædeſtinatio, quę Naturæ humanę gloriã, & exaltationem reſpicit, & per incarnationem Verbi per acta eſt, facta a Deo fuiſſet, ſi Adam nõ peccaſſet: & cum multæ ſanctorum authoritates videantur pro parte negatiua pugnare, ipſe ſine aliorum præiudicio, affirmatiuam tuetur. Ratio autem ea eſt Quòd gloria, & decor huius naturæ fuerit prius prædeſtinata a Deo quam præuiſum lapſum, quia prius Deus vlouit tantum bonum homini, ſicuti eſt glorificatio, quam cogitaueris de medio ad ipſam conſequendam. Concludendum eſt igitur, quòd Deus prius prædeſtinauit ipſam humanitatem ad Verbi vnionem tanquam maximum ipſius naturæ ornamentum; & deinde, quia a Paradiſo per peccatum exulabat, ſecundario ipſius aſſumptæ humanitatis paſſionem decreuit: neque enim veriſimile videtur tam maximum decorem, ad culpæ tantummodo ſolutionem deſtinari. *Sine præiudicio,* inquit Scotus, *dici poteſt, quod cum prædeſtinatio cuiuſcumque ad gloriam præcedat ex parte obiecti naturaliter præſcientiam peccati, vel damnationis cuiuſcumque: multo magis eſt verum de prædeſtinatione illius Animæ, quæ prædeſtinabatur ad ſummam gloriam. Scotus in 3. ſent. diſp 7. § ſed hic ſunt. pag. 34. col. 1.* Primaria igitur in Incarnatione intentio fuit, Hominem gloriam, & decorem induere, ipſum ad Dei filiationem prædeſtinando.

5 Hæc vero ſententia ſuis nõ caret ſtipatoribus; Hoc namq; clarè innuit Apoſtolus ad Corinthios in his verbis ſcribens: *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram. 1. Ad Corint. cap 2. verſ. 7.* En quomodo Paulus Dominicam Incarnationem in gloriam noſtram prædeſtinatam fuiſſe affirmat: Non igitur abſolutè ad culpam cancellandam, ſed ſecundariò, quia de facto aderat culpa glorificationem retardans: Deus namque, vt Sanctiſſimus Pontifex Leo decretat, ab æterno homini deificationem per Incarnationem complendam determinauit; quæ deificatio maxima gloria eſt, quam aſſequi poſſit Humanitas, & hæc etiam non peccante primo homine complenda fuiſſet. *Putant quidam (Leonis verba ſunt) caſum hominis fuiſſe cauſam Incarnationis, qui ſimpliciter falluntur: quia ab æterno eſt prædiſtinatum quod homo deificaretur. Vnde ſi Deus non incarnaretur, homo non deificaretur. D. Leo PP lib. de Fide.* Concludamus ergò, Deum Incarnationem, ad decorandum, & glorificandum hominem prædeſtinaſſe.

§. X.

Per peccatorum confeſſionem Anima decoratur.

1 CONfeſſionem, & decorem induiſti. Quod præcedenti §. vidimus actiuè iſtã induitionem ſumendam, hoc & in præſenti aſſeueramus Anima enim per peccatorum fœditatem deturpata, ſi decorari deſiderat, ad ipſam confeſſionem recurrat neceſſe eſt; in qua quidem confeſſione turpitudo eijcitur, pulcritudo gratiæ innouatur. Inquit igitur Dauid; *Confeſſionem, & decorem induiſti*: quaſi diceret. Tu Deus Animam in peccatorum cœno obuolutam induiſti prius contritione, dans gratiam confitendi peccata ſua; qua confeſſione expleta ipſam veſtimento habitualis gratiæ, & decore virtutum adornaſti: Ita mágnus commentatur Albertus: *Actiuè etiam legi poteſt. Ipſe enim eſt, qui nos induit confeſſione dans gratiam confitendi peccata, in quo ſordida culpa deponimus veſtimenta; & decore nos induit virtutum. B. Alber. Mag. in Pſal.* 103 Et recto ordine prius confeſſionem, deinde decorem poſuit, vt obſeruauit D Hieronymus, nullus enim ſplendidum gratiæ decorem, & pulcrum meritorum ornamentum, quæ per peccata perdidit, niſi confitendo recuperare valet. *In eo quod confitemur Deo peccata noſtra glorificamus eum. Videte ordinem. Prius aliquis confitetur, & ſic accipit pulchritudinem, & decorem D. Hieronymus in Pſal.* 103.

2 Zaccheus Pænitentium ſpeculum, cupiens Chriſtum videre, vt ab ipſo peccatorum ſuorum veniam impetraret, in ſycomori arborem, ſeu ficus fatuæ ramos aſcendit: Hinc illum præſtolabatur, vidit, mundatus, gratificatus eſt. Sed illud præſſius obſeruandum videtur, cur potius ficum, quam aliam delegit arborem? Quia nulla ſic ſuam declarabat intentionem; volebat namque omnibus innoteſcere, qualiter per confeſſionem anima pulchritudine, & decore induatur: idcirco illam quæſiuit Arborem, quam, & Adam ad ſuam cælandam turpitudinem delegerat: ſed diſſimili euentu, Adam enim ne confiteretur peccatum recurrit ad Arborem, & ſic nequaquam indumentum decoris obtinuit: Zaccheus verò, confeſſionis ſuæ teſtem adhibuit, & quam cupiebat, gratiæ veſtem, induit. *Myſterio non caſu,* inquit D Petrus Chriſologus, *aſcendit in Arborem ſycomorum, vt vnde Adam texerat*

Digitized by Google

rat nuditatem corporis, inde Zachaeus velaret fœditatem Auaritiæ; & de ſpecula confeſſionis indulgentiæ cerneret largitorem: D. Petrus Chriſol. ſer.54. pag.295. col.1 O Zacchæum felicem, qui non Arboris adhibuit folia, ſed confeſſionis gratiam, vt iam fœdati ſui corporis indumento ſpecioſiſſimo tegeret nuditatem.

3 Ceterum huius rei documentum ipſe Dominus noſter Matth. 17. nobis dare dignatus eſt. Qui regio nomine didrachma accipiebant, inſtabant apud Apoſtolorum Principem Petrum, vt eius Præceptor Ieſus ipſum ſolueret. Dominus autem, licet abſolutus a lege, ſoluere volens, Petro præcepit, vt hamo piſcem caperet, in cuius ore argentum pro ſolutione neceſſarium inueniretur. *Et aperto ore eius inuenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro me, & te. Matth. cap.17. verſ. 26.* Non errabimus profectò ſi D. Ambroſium ſequuti dicemus; ideo argentum illud in ore piſcis fuiſſe repertum; vt manifeſtè ſciremus, noſtram gloriam, & immortalitatem, ex ore noſtro pendere: quiquis enim pulcherrimam immortalitatis ſtolam induere cupit, confeſſionem adire debet, quæ ore profertur: ſic veluti ex puriſſimo argêto, et gratiæ fulgore, decorem maximum conſequetur. *Drachma*, inquit ille, *non otioſè inuenta eſt in ore piſcis: ex ore enim tuo iuſtificaberis; etenim pretium noſtræ immortalitatis, noſtra confeſſio eſt. D. Ambroſius lib.4. c.4. in Luc. to 3. pag.35. lit. B.* Aperiantur igitur ora hominum ad confitendum peccata, vt immortalitatis decore mirificè veſtiantur.

4 Quiſnam vnquam reperiri poterit, ex Verbi Dei Miniſtris, qui toto cordis deſiderio, ad ornatum, floridumque dicendi ſtylum non anhelet? Decus maximum hoc cenſetur: Hinc vel auro vel argento, eloquij vbertàs, ſermoniſque affluentia comparatur. Hinc D. Gregorius, ille magnus, ſacri eloquij claritatem Argentum appellare voluit, *Argentum intelligi ſacri eloquij claritas ſolet. D. Greg. Mag. lib.18. mor. cap.11 pag.710 lit. C. tom. 2* Verùm hanc dicendi claritatem pauci ſunt qui aſſequantur: etenim cum Animam peccatorum nebulis obumbratam, ad dicendum extimulant; dum os peruerſis loquutionibus pollutum ad prædicandum aperiunt, & ipſa naturalis eloquentia nigreſcit. Idcirco patientiæ Pater, hanc chriſtianorum Rhetorum inſipientiam cernens, ipſamque corrigere cupiens, aiebat; *ſi reuerſus fueris ad omnipotentem, ædificaberis: eritque Omnipotens contra hoſtes tuos, & Argentum coacervabitur tibi: Iob. cap.22 verſ.23. & 25.* O eccleſiaſte, qui Dei verba eloquenti lingua, clara voce reſonare deſideras, attende vnde argenteam dicendi claritatem expiſcare poteris: reuertere ad Dominum, confitere coram eo ſcelera tua; ſic ipſe Adiutor fortis aduerſarios tuos, vitia ſcilicet, & Diabolum, repellens, tibi argenteum eloquium multiplicabit. *Ac ſi apertè diceretur*; inquit D. Gregorius, *Dum malignos ſpiritus Dominus ſua a te virtute repulerit, diuini intus eloquij talentum lucidum excreſcit. Idem lib.16. cap 8 in Iob. to.2. pag.668. lit. E.*

5 Anima Dei ſponſa, dum virtutibus emicat pulcherrima eſt, de qua ipſe canit ſponſus; *Tota pulchra es amica mea:* ſed cum per peccatum ſenuerit, deformiſſima euadit. Huius ſæculi Fœminæ dum faciei turpitudinem emendare deſiderant, varijs coloribus vultum depingere ſolent, & ſic quaſi nouo indutæ decore fictitia pulchritudine gloriantur. Anima verò per peccatum fœdata non niſi in lacrymarum fonte mundari debet; ita per confeſſionem iam munda, gratia denuo induta, quaſi veſtimento decoris, aut potius viuido delinita colore pulcherrima apparet: De hoc loquebatur qui dicebat: *Confeſſio & Pulchritudo in cõſpectu eius: Pſ.95. v.6.* Prophetæ verba ex D. Auguſtini ſententia interpretatur Bellarminus his verbis: *Sanctus Auguſtinus per Confeſſionem intelligit confeſſionem peccatorum, per quam homo deformis incipit pulchreſcere; & ſanctificari: & placere ſponſo cœleſti, qui pulcherrimus, & ſanctiſſimus eſt. Rob. Card. Bellarminus in Pſal 95 pag. 721.* Sic igitur per peccatorum confeſſionem decorem induit Animam Deus; nam gratiæ, & virtutum meritis decorata, pulcherrima, & ſpecioſiſſima euadit.

6 Maximum inter mortales decus exiſtimatur, ſi quis Regis, aut magni Principis conuiua efficiatur: ita vt ad regiam illius menſam epulaturus aſſideat: omnes namque ſupplici veneratione regium conuiuam proſequuntur, ac honore dignum cenſent nequamquam vulgari. Aſt quantò dignius erit hominem mortalem ad ipſius Vniuerſi Monarchæ immortali aſſidere Menſæ, Dei commenſalem effectum? Dignitas diuina prorſus, immortale Decus, ineffabilis honor. Sed neque, vt apud mundi Dynaſtas, magna induſtria, multoque fauore opus eſt, vt iſtâ dignitatem aſſequatur homo: ſibi libera patet ianua; alij armati milites atria diuina non interdicunt, niſi peccata; quæ ſi per confeſſionem eijciantur, aditus patet. Imò, vt te labore liberet Deus, Ipſe tecum ad epulandum veniens, te viciſſim cum ipſo comedere facit. Diuinus Architriclinus Ioannes hanc ſententiam Apoc.3 a Domino datam commemorat; *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſiquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi oſtium, introibo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Apocalip. cap. 3. verſ.20.* Quam Dominicam ſententiam; vt meo ſenſui adaptaretur; D. Bernardinus Senenſis pulchra paraphraſi commentatur, inquiens. *Ego ſto ad oſtium, ſcilicet voluntatis peccantis; & pulſo, ſcilicet per lumen veritatis, & bonitatis: ſi quis audierit vocem meam ad pœnitentiam, & miſericordiam inuitantem, & aperuerit mihi per conſenſum, introibo ad eum per gratiã gratificantem; & cœnabo cum illo per gratiam perſeuerantem, & ille mecum, per gratiam videlicet conſumantem. D. Bernard. Senenſ. ſer. 15. fer 6. Domin.1. tom.1. pag.67. col.1.* En decus pulcherrimum, Dei menſa perenniter frui, quo honore Anima per ſuorum peccatorum confeſſionem decoratur.

§ XI.

Sacra Scriptura eſt Speculum Animæ.

1 CONfeſſionem, *& decorem induiſti.* Sed dicet Fortaſſis Anima quædam: Ego hanc pulchritudinem amo, peccatorum exactam confeſſionem facere non erubeſco; At quomodo omnes meas Fœditates videre potero, teſtante Propheta; *delicta quis intelligit?* Nonne Dei ſponſa terrenas mulieres conſideraſti? vide quid ipſæ faciant, vt faciei maculas exactè contemplentur; ſpeculum enim aſſumunt, & in eo ſui vultus defectus clarè perſpiciunt, perſpectos corrigunt: ita tibi profus faciendum eſt; nam cum peccata tua minime cognoſcis aſſume tibi ſpeculum, ſacram videlicet ſcripturam: ibi omnia videbis quæcumque deſideras. Conſidera igitur, ſi caſtitas tua ad Ioſephi, vel Suſannæ puritatem perueniat; ſi tua erga inimicos beneficientia Dauidem imitetur; ſi tui cordis manſuetudo Moyſem non dedignetur anteſignanum: ſi patientia in aduerſis Iobo aſſimiletur: ſi de obedientia tibi præferri vel Iſhac ipſe non poſſit: ſi fidem Abrahamo non inferiorem poſſideas: ſicque reliquas virtutes attentè ſpecularberis; quòd ſi vel aliquid tibi ad virtutem deficere, vel aliquid vitij tibi accedere aſpicies, confeſſione peccatorum pulchritudinem tuam tibi reſtitue, vt ſic decora ſponſo tuo Chriſto ſimillima videaris. Hoc tibi D Auguſtinus ſuadet, ipſum audi: *Queris Anima, vt te amet ſponſus? ſpecioſus ille eſt præ filijs hominum: oſculari vis fœda pulchrum? Diffuſa eſt gratia in labijs ſuis. Prius attende quæ ſis, ne audeas ire fœda in Pulchri oſcula. Poſuit tibi in ſpeculo ſcripturam ſacram, legitur ibi. Beati mundo corde: Vide in ſpeculo ſi hoc es, quod ait: ſi nondum es, geme vt ſis; renunciauit tibi ſpeculum faciem tuam. Anima decora eſſe non poteſt, niſi confeſſa fuerit fœditatem. D. Aug. in Pſal.103.*

2 Spon-

Digitized by Google

2 Sponſam ſuam ſponſus æternus collaudans; inter alia corporis membra, quæ ſibi viſa ſunt pulchra, oculos commemorat: quorum venuſtatem, vt comparatione aliqua nobis declararet, columbæ, iuxta aquarum fluenta volanti, aſſimilat; *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum*. *Cantic. cap.5.v.12.* Rusticæ quippe mulieres, quæ a Ciuitatum luxu exulantes Prata, ſiluaſque incolunt, gregibus ſuis cura paſtorali intendẽtes; ſpeculum mira Artificis induſtria elaboratum præmanibus non habentes, vt ſuas maculas corrigere valeant ſeſe in aquarum fluentis inſpiciunt, vt turpes caueant maculas, defectus vitent. Sic de ſuo Coridone cecinit Mantuanus.

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi.
Virgilius in Eglog. Coridon.

Columbæ fortaſſe ſagacitatem imitantes, quæ iuxta aquarum fluenta degens, ita operationibus ſibi neceſſariis incumbit, vt oculum ab aqua nequaquã deflectat; vt ſi inimicę aues inſidias ſibi ſtruãt, vltro cognoſcat, & fugiat. Talis Dei ſponſa eſſe debet, vt ſemper in omnibus ſuis actibus oculum fixum in Fluenta Sacræ ſcripturæ teneat; nam hoc nomine ſcripturam ſacram Eccleſia intellegit, dum de Ioanne loquens Apoſtolo, canit; *Fluenta euangelij de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potauit*: *Breu. Rom. in Feſto S. Ioan* ℞ *2.1.Noc.* ibi infernalium Auium volatus perpiciens, eorum morſus vitat, ſeque vel puram ſeruat, vel maculatam renouat: Hoc D. Bernardus aduertit. *Columba libenter iuxta fluenta aquarum reſidet, quia in illis, velut in fulgentiſſimo ſpeculo inimicæ auis ſpecies, & figura imprimitur, quam ipſa intuens, & conditionem eius agnoſcens, infeſtationem eius cauet D. Bernard. ſer. 55. de mod. ben viu. col.1298. Lit. A.* Fluenta igitur ſcripturarum ſibi ſpeculum proponat Anima, vt ſui maculas, ac Diaboli inſidias videat, & effugiat.

3 O quam malè ſtulti Iudæorum Proceres diuina mandata capiebant: qui Domini Dei Præceptum, quo legẽ ſẽper ante oculos habere inſtruebãtur, materialiter intelligentes, ſe legis obſeruatores obſequentiſsimos iactabant, dum membrana Dechalogi præcepta includentes ſemper ante oculos pendere faciebant. Non hoc Deus volebat, dum præcepit per ſeruum ſuum Moyſen, *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditare in eo diebus, ac noctibus*: *Ioſue cap. 1. verſ.8* En meditatio cordis, non oculorum intuitus exageratur; & optimè quidem; quandoquidem ſcriptura diuina ſpeculum ſit ſine macula, in quo noſtri Animi faciem intueri liceat: ibi ſi eſt pulchra per virtutum exercitationem, vel fæda per vitiorum ſequelam, videbit: ibi quantum profectus noſter excreſcit intuebimur: vt ſeruemus, quæ acquiſiuimus, mundemusquod deliquimus. In horum fidem Magni Gregorii verba adducamus. *Scriptura Sacra*, inquit, *mentis oculis, quaſi quoddam ſpeculum opponitur, vt interna noſtra facies in ipſo videatur. Ibi enim fœda, ibi pulcra noſtra cognoſcimus. Ibi ſentimus quantum proficimus: ibi a profectu quam longè diſtamus. D. Gregor. Magn. libro 2. cap. 1. mor. to. 2. pag.330. Lit E.* Videat in hoc ſpeculo fæditatem, ſuam, qui confitendo, decorem, & venuſtatem inducere non dedignatur.

4 D. Iacobus Apoſtolus cap.1 monet fideles, vt ſi quis eorum ſapientiam deſiderat a Deo petat: *Si quis veſtrũ indiget ſapientia, poſtulet a Deo. Iacob.c.1.u.5.* Quomodo autem petatur, vel quid iſta ſapientia ſit, non declarat: mihi tamen loqui videtur de ea ſapientia, quæ ex diuinarum ſcripturarum ſpeculatione acquiritur: lex enim Domini, oculos illuminat ad videndum conſcientiæ noſtræ pulchritudinem, vel fæditatem; qua præſtantiorem ſapientiam inuenire non poſſumus. Optimè hoc nouerat Rex ſanctus, & ideo canebat Domino; *Lex Domini immaculata conuertens Animas; teſtimonium, Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis*; & ſubdit: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. pſal.18. verſ.8 verſ 9.* Lex Dei, Teſtamentum vtrumque ita ab æterno Opifice ordinata ſunt, vt ex diuinis præceptis, ſapientia increata Artifice, quoddam perlucidum, & fidele ſpeculum ſit compoſitum; quod homo dum ſpeculatur, ſuæ Animæ faciem clariſſimè videt; ibi ſapiens efficitur, cognoſcendo vtique diuinam in ſe ordinatam Imaginem, vti Archetypo ſuo correſpondeat; quam ſimilis Deo ſit, quæ ad ſui Creatoris exemplar producta eſt: quòd ſi illam vitijs vacuam, virtutibuſq; ornatam, veram Dei referre imaginem viderit, gaudeat, illam in hac pulchritudine conſeruare conetur Si vero Deo diſſimilem, defectibuſque vndequaque deturpatam cognouerit, per pœnitentiam denigratam faciem mundet: Hoc ſpeculum præceptorum legis te cuncta docebit: ita cenſet Pontifex Leo. *Artifex enim Miſericordia Dei ſplendiſſimum ex mandatis ſuis condidit ſpeculum, in quo homo faciem ſuæ mentis inſpiceret; & quam conformis Imagini Dei, aut quam diſſimilis eſſet, agnoſceret. D. Leo Papa, ſerm.11. de Quadrag. pag. 46. col 1.* Heu Animæ munditiei ſpiritualis amantes, quo pergitis, quod perſpicitis, quid cogitatis? inquinatæ eſtis? mundamini: veſtras maculas non videtis? en Sacrę ſcripturæ lucidiſſimum ſpeculum, ibi faciem cordis veſtri intueri fas erit; ibi pulchritudinem veſtram vel conſeruare, vel corrigere poteritis. Illa Deo chara eſt, pulchra eſt, quæ ab huius ſpeculi intuitu oculos non deflectit.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Primus.

Benedic Anima mea Dominæ, quæ propter prolem piam benedicta, vehementer magnificata eſt, cuius Decorem omnes confitentur.

SEraphicus Bonauentura Dominæ noſtræ Angelorum Reginæ excellentiam conſiderans, integrum Pſalterium de Beatiſſima Dei Genitrice compoſuit, ex cuius Pſalmo 103. initium primi noſtri Verſus mutuauimus. Sed neque hac ſola exhibitione contentus, cauſam in eiuſdem Deiparę ſpeculo aſſignat, quare ab omnibus benedicenda, & benedicta ſit Dei præſtantiſſima Genitrix: & concludit ipſam ab omnibus creaturis propter pro-

len

Digitized by Google

lẽm piam benedictam,& benedicendam eſſe. *Maria propter prolem piam benedicta. Benedicta inquam, a Domino, ab Angelis ab Homine. Propter prolem piam inquam Benedicta eſt a Domino benedictionem eius operante: benedicta ab Angelo benedictionem eius nunciante: benedicta ab homine benedictionem eius prophetante. D.Bonau. in ſpec.Virg. Lec. 14. tom.6. pag. 474. col.2. Lit. D.*

Maria Virgo benedicta, & beata eſt propter prolem.

VIrginem Angelus Gabriel ſalutaturus inter alias eius excellentias, eius benedictionem inter omnes mulieres *ipſam* ſubleuantem enumerauit, dicens: *Benedicta tu inter mulieres; Luc.cap.1. verſ.29.* Ideo in ipſo mundi exordio viro adiuncta eſt mulier, vt vitæ comes, & generationis inſtrumentum eſſet: Hinc inter mortales illa cenſetur fæliciſſima mulier, benedicta a Deo, ab hominibus collaudata, a viro ſuo dilecta, quæ fæcunditatis ſuæ in plurimorum filiorum generatione monſtrauit. E contra ſterilitas, vt patet in ſcripturis, ab omnibus tamquam peccatorum pœna,& Dei maledictio odio proſequebatur. Iure merito igitur cœleſtis Aulicus, vt Virginem celebraret illam inter mulieres laudat, vt ſciremus & ſi Virginem, ſterilem non futuram, ſed inter omnes mulieres, quæ ſuis partibus gloriantur, glorioſiſſimam eſſe: ſiquidem cæteræ hominum Matres extitere, ipſa vero Dei Ipſius conclamata Genitrix omnium ſuperabat ſua prole fæcunditatem. Regiæ Nutrices in delicis habitæ benedicuntur ab omnibus, quæ omnium Principem lacte ſuo paſcunt; ſed omnium præſtantiſſima B Maria, quæ omnium Dominatorem vbere de cœlo pleno lactauit. Sed & aliç matres licet benedictæ cenſeantur quia pepererunt, attamẽ virginitatis flore conſumpto, Virginis nomen mulieris nomine commutarunt, & lilia puritatis inſignia, roſea ſubſequuta corona eſt. Non ſic in Deipara, ſed Virginitatem maternitate non perdidit, Mater, ſed non corrupta, Virgo, ſed non infæcunda; & ideo tanquam Virgo Mater inter omnes mulieres benedicta cenſetur: proles diuina tot, tantaque miracula oſtentans, ſingularem meruit benedictionem, vt D.Auguſtinus fatetur. *Quamuis Maria non incongruè per partum dicatur mulier, Virgo vero, quæ virilem neſcierit coniunctionem, neque pariendo Virginitas eius corrupta ſit. Quòd autem Angelus, & Eliſabeth dixerunt Mariæ, Benedicta tu inter mulieres, nulla quæſtio eſt, quia reuera benedicta eſt vt Virgo inter mulieres. D. Auguſt. libro de fide contr. Manich. cap. ſexto, pagina 22., tomo 238. col 2. lit. A.* Quid ni benedicant omnes Virginem illam, quæ generationem attingens piam, & æternam prolem emiſit?

2 Morti iam proximus Iſraeliticus Patriarcha filijs ſuis benedicere volens; cùm veniret ad Ioſeph, vt ille qui præcunctis dilectus erat; etiam in benedictionibus ſingularis appareret, ita ipſum benedicens alloquutus eſt. *Deus Patris tui erit adiutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi, benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus Abyſſi iacentis deorſum. Gen. c.49. verſ 25.* Cumque quid adderet in Cœlo, & in terra non inueniret, ſubdidit, *Benedictionibus Vberum, & vuluæ.* Optabat equidem Iacob, vt omnibus benedictionibus repleretur dilectus filius, ſed optimè ſciebat, Benedictionem illam Auo ſuo Abrahæ promiſſa, filiæ Iudæ reſeruari; Nihilominus ipſam Ioſepho prouenire petit, vt ſi fieri poſſet etiam illa mulier ex ſuo ſanguine ortum duceret, quæ vberum Deum lactantium, & virginalis vuluæ Deum parientis benedictionem auditura erat: Vtinam dilecte fili, dicebat Iſrael, vtinam inter tot benedictiones, quas tibi e Cœlo, & e terra prouenire deſidero, etiam, Dei Genitricem eſſe, alicui ex tuis filiabus contingeret; etenim ſemen tuum in illa omnibus benedictionibus repleretur: benedicent omnes homines benedictam illam filiam tuam, propter filium quem habebit; benedicent felicia illa Vbera, quæ lacte ſuauiſſimo referta labijs diuinis dulcem inſtillabunt liquorem: benedicent omnes corpus illud ſantiſſimum vbi carnis humanæ, imò meæ, indumento eſt amiciendus Deus: benedicent vterum illum immaculatum, vnde Sol iuſtitiæ, imò verius Miſericordiæ, ad illuminandum vniuerſum orbem mortalibus orietur: benedicent omnes gremium illud beatum, quod breui zona circundatum, omnium Creatorem perſtringet. Hanc tibi benedictionem opto, quam & ſi alijs reſeruatam non ambigo, tibi quoque aliquo pertingere modo, Deum deprecari non deſiſto. Hoc perſpexit D.Iſidorus Hiſpalenſis, dum hanc benedictionem commento illuſtraret, ideo dixit: *Benedictionibus Vberum, & Vuluæ, Benedictionibus Vberum Mariæ, quæ verè benedicta erat, quia eadem ſancta Virgo de ſe Domino potum lactis immulſit: vnde illa mulier, in Euangelio, Beata vbera, quæ ſuxiſti; & etiam hic benedicitur vulua eiuſdem Matris; illa inquam virginalis, quç Chriſtum nobis edidit. D.Iſidorus Hiſpalenſ. in c. 12. Gen.* Has omnes Mariæ benedictiones pia proles adduxit.

3 Talis, & tanta eſt iſta Mariæ benedictio, imò tanta excellentia, quæ talem benedictionem merita eſt, vt mulier quædam ſicut euangeliſta Lucas notauit, volens laudare ipſum Dei Filium, ac Redemptorem noſtrum Ieſum, non aliunde exorſa eſt, quam a Matris beatitudine, *Beatus,* inquiens, *venter qui te portauit. Luc. cap. 11. verſ.27.* Beata, & benedicta in æternum mulier illa, quæ talem profeſſa eſt ſanctitatem, talibus adornata ſplendet virtutibus, vt Creatorem omnium, tanta operantem mirabilia Vtero concipere, aluo geſtare, vberibus lactare, gremio excipere, brachijs amplexari, digna inter omnes mulieres inuenta fuerit. Si omnis filiorum bonitas, excellentia, virtus, in Genitricis honorem cedit, vnde ſapiens ait, *Filius ſapiens lætificat Patrem: Prou. cap.10 verſ.1.* quid dicemus de ea quæ ſapientiam ipſam in creatã ſui vteri partum agnoſcit? & viciſſim ſi Matris nobilitas in filii gloriam transfertur, laudem perfectiorem attexere non valet, niſi matris tuç excellentiam omnibus patefacere. Quare D. Bonauentura inquit; *Laudat hæc mulier Dei filium extollens laudis eius præconium ex beatitudine Matris, quaſi diceret, Beata Mulier; quæ portauit tam bonum filium; & rectè, quia decebat ſexum fœmineum ſic laudare; nec tantum fœminas, imo etiam viros. D Bonau. in Luc.* Omnes namque benedicere debent tanti filii Matrem, tantæ prolis Genitricem.

4 Generalis Aſſiriorum obtruncato capite, Hoſtiſq; variis collectis ſpoliis Triumphantis ornatu Iuditha Bethuliam ingreditur: eam comitantur coronati milites, occurunt lætantes populi, excipiunt ſolemniter Principes. Eius laudes celebri oratione laudare Sacerdoti committitur. Is ad memoriam rauocans omnia eius geſta, quæ dicentis facundiam promptiùs, ac validiùs excitarent; ommiſſa tanto de Hoſte admiranda victoria, eius caſtitatem commendans, ſic perorauit. *Eo quòd*

caſti-

Digitized by Google

caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alterum neſcieris, ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Iudith. cap.15. ver.13. Merebatur equidem benedictionem deturbato hoſte Iuditha; tanta ſalus ſuo populo allata honorem poſcebat; ſed Victoria illa, ſalus illa nonniſi caſtitatis extitit partus: tantam a Domino fortitudinem niſi caſta non meruiſſet: franguntur in carnali copula, & ſi licita, vires, langueſcunt virtutes: ibi refulget fortitudo, vbi vidualis continentia ſplendet. Hinc per locum a maiori argumentatur Seraphicus Doctor. Si vidualis caſtitas, quia ſalutem populo attulerat, benedictione digna cenſetur; quanto magis illibatæ Virginis caſtitas, quæ vniuerſi Saluatorem peperit, benedictionem meretur? Vidua illa, Virgo iſta; ibi caſtitas, hic puritas; inde ſalus vni populo, hinc Vniuerſo orbi æterna ſalus illuxit. *In hac caſtę Iudith benedictione poteſt benedictio Marię, non ſolum ſignari, ſed etiam per locum a maiori probari. Si enim ſic benedicta eſt Vidua caſta, quantò magis Virgo caſta? Maximè talis Virgo, quæ Deum parere, & certè ſic parere meruit, quòd virginitatem non amiſit. D. Bonau. in Spec. Virg. Lec.15. tom.6. pag.478. lit. E.F.* Benedictio debetur Virgini, quæ prolem caſta produxit, quæ filium intemerata peperit; eius nato debet, quæ ab omnibus audit benedictionum encomia laudum pręconia: Dei matrem benedictione non proſequi inſcitia eſt.

5 Primi Adami, necnon, & ſecundi productionem dum narrat Scriptura, de terra vtrumque factum inſinuat; lata tamen, & aperta diſparitas in vtriuſque terrę mentione conſpicitur. De primo narrationem attexens Gen.2. ſimpliciter illum ait de terra formatum: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. Gen. cap.2. v.7.* De ſecundo prophetans Auus eiuſdem Dauid, non abſolutè terram, ſed Dei terram nominat: *Benedixiſti Domine terram tuam. Pſalm. 84. v.1.* Inſuper illa terra, de qua Adam plaſmatus eſt, benedicta non dicitur, iſta autem a Deo benedicta affirmatur. Terra enim illa, qui hominem mortalem produxit, peccatorem aluit, nequaquam benedictione digna cenſetur, & ideo maledictionibus cumulatur: *Maledicta terra in opere tuo.* Terra verò Deipara, quæ primi hominis culpa nequaquam ſordida eſt, benedicitur benedictionibus locupletantibus ab ipſo Deo; quia non communis, ſed terra ſua eſt: Idcirco namque ab illius primæ terræ maledictionibus eximitur; ideo cęleſti benedictione repletur, quia prolem habet diuinam, filium agnoſcit Deum, ſuum genuit Creatorem. Fauet huic expoſitioni Abbas Rupertus, a quo nos accepimus. *Hominem illum terrenum cum iſto cæleſti homine conferēs, hoc primum in factura illius abeſſe perſpicimus, quod terram ipſam, cuius de limo formaret eum, non benedixit Deus. Ecce autem in iſta cęleſtis hominis factura noua dicit Archangelus, imò qui in Archangelo loquitur Spiritus Sanctus, Benedicta tu in mulieribus. Et Pſalmiſta per propheticam huc adductus gratiā, ſuccinit, & dicit: Benedixiſti Domine terrā tuam. Amplius autem & in hoc terra iſta præpollet, quia Terra Domini eſt. Non enim illic dixit Scriptura, Formauit hominem de limo terræ ſuę, ſed tantū de limo terrę: hic autem non tantum Benedixiſti Domine terram, ſed Benedixiſti, ait, Domine terram tuā. Rup. Abb. Tuitiēſ. de operib. Spir. Sanct. lib.1. cap.11. tom.1. pag 724. col. 2.* Clarius, & perfectius explicari non potuit marianæ. Prolis pręſtantia, ob cuius excellentiam Virgo Mater, ab omnibus laudatur, & Benedicitur. benedicta ſit in ęternum tanti Numinis Altrix.

6 Rauennæ inclitus Præſul ſolito acumine verba illa perpendens, quę ab Angelo Mariæ iam primitus prolata in laudem Virginis glorioſæ, iterum ab Eliſabetha replicata fuere, in quibus inter omnes, & ſuper omnes mulieres benedicta prędicatur; obſeruat ab Eliſabetha adiūgi cauſam benedictionis, ſuæ prolis videlicet benedictæ; inquit enim illa: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: Luc.c.1. v.42.* Sed cur non benedicta, & nos exclamare poſſumus, quæ omnium benedictionem portauit: Deum conſidera, cui exilis Thronus omnium Cœlorum immenſa machina; cui paruum ſcabellum Orbis terrarum vaſta moles, cui Mundus totus reſpectu eius incomprehenſibilis, magnitudinis vix punctum cenſetur: Ille inquam cuius potentiæ non eſt terminus, cuius magnitudinis non eſt finis, cuius ſapientiæ non eſt numerus, cuius pulchritudinis non eſt ſpecies, cuius maieſtatis non eſt locus, cuius gloriæ non eſt ſimilitudo: Qui antiquior chao, latior Mundo, æternitati coæuus: ipſum Deum hic in Vtero Virginis cerne, & videbis paruo contineri vaſculo quem totus non capit orbis: Igitur Vniuerſo maior eſt Virgo, quæ continet Deum; & ſi non vaſtior mole, Sanctitate ſublimior: quapropter benedictionibus dignam tantum miraculum teſtatur; Chriſologi Verba promamus: *Verè benedicta, quæ, & virginitatis poſſidet decus, Matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ fuit maior Cœlo, fortior terra, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, ſola capit; portauit eum, qui portat orbem, genuit genitorem ſuum, nutriuit omnium viuentium nutritorem. D. Petrus Chriſol. ſerm.143. pag 372. colum.2* Quæ benedictio reperitur, quibus vocibus laus illa exprimi poteſt, quæ linguæ non impares ad loquēdum, dum tantæ prolis Genitrix benedicenda proponitur? celebrent homines, Benedicant Angeli, cunctæ creaturæ laudibus reſonent: totum hoc parum eſt; nam his omnibus eſt ſublimior Virgo capiens Deitatem.

7 Ipſamet Virgo Parens diuino repleta Spiritu ex tāta Diuinitatis gratia ſuam benedictionem prophetauit ſeque ab omnibus creaturis benedicendam prædixit, illis verbis: *Ex hoc beatam me dicēt omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens eſt. Luc. cap 1. verſicul. 48.* Ille potentiſſimus in te magna operatus eſt Virgo; magna equidem non ſolum inter fœminas, non inter homines tantum, ſed & inter Angelos ipſos, inter quos maxima te decorauit gloria: Hinc eſt quòd non tantummodo fratres tui Adamo geniti de tuis laudibus delectātur; verùm etiam ſupremi cæleſtium Intelligentiarum Chori, tuas laudes celebrare non deſinūt; gloria aliqualis eſt illis tuas proſſequi laudes, nomen tuum dulciſſimum ſuis vocibus perſonare. Impleta eſt igitur tua prædictio, omnes generationes hominum, & Angelorum pro ſolatio tuas benedictiones habent; & dum te beatam prædicant, ipſi ſuæ ſumunt beatitudinis incrementum. Audiendus de hac re auguſtiſsimus Imperator Leo ſuam alloquens cæleſtem Reginam: *Ecce omnes generationes* (inquit ille) *vt prædixiſti, te Beatam prędicant; Fecit enim tibi magna qui potens eſt, qui ex te, quaſi carnis velo tectus, exijt potentes depoſuit, humiles exaltauit. Fecit tibi magna non in generationibus ſolum hominum, ſed & in cœlis tuam gloriam, quaſi publico munimento erectam conſignauit. Iam enim etiam Angelorum Choris dulce eſt tuas laudes concinere; & beatam prędicant te quaſi Regis matrem. Leo Imp. conſtantin. orat.3. de Annunt. pag.50* Sic benedicta eſt Virgo a Deo, qui in ea tot mirabilia operari dignatus eſt; benedicta ab Angelis quorum Regina, & Domina effecta eſt: benedicta eſt ab hominibus, quorum Reparatrix extitit, quorum Aduocata permanet in æternum: Sed neque nos taceamus, ſoluantur in eiuſdem laudes linguæ, aperiantur ora, excitentur affectus: Benedicat Anima noſtra tam magnificatæ Dominæ voce perenni.

Digitized by Google

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

QVid Deus,& Anima, eorumque Benedictio, Confeſſio, Magnificentia, & Decus iuxta literalem, moralemque ſenſum declarauimus: mox verò iuxta Symbolicam, ſiue Allegoricam intelligentiam, qua Spiritus Sanctus in Sacris literis, per hæc vocabula figuratè res varias, ipſarumque naturam ſignans voluit interdum loqui, conuertimur; cumque vllum reperiatur Verbum aliquo Hieroglifico carens, nos tantùm quinq; declaranda ſuſcepimus, Benedictionem, Animam, Deũ, Magnificationem, & Confeſſionẽ.

SVMMARIVM.

1 *Quid Benedictio, & benedicere allegoricè ſignent.*
2 *Animæ nomine quid importetur.*
3 *Quibus Perſonis Dei appellatio adaptetur.*
4 *Magnificatio, magnificare, magnificentia quarum rerum ſint ſimbola.*
5 *Confeſſionis acceptiones quæ ſint.*

§. I.

Quid Benedictio, & benedicere allegoricè ſignent.

1 BEnedic. Beneditere nil aliud, vt vidimus literaliter, eſt, niſi bonũ alicui dare, & ſic benedicit Deus; vel optare, & ſic benedicunt homines. Allegoricè autem multa ſignificare poteſt, vt in ſacris literis. Primò namque ſumitur pro munere; ſic dare benedictionem, eſt munus mittere alicui: hoc habetur *Gen. cap* 33. *verſ.* 11. vbi cùm Iacob miſiſſet munera fratri ſuo Eſau, dixit illi: ſuſcipe benedictionem, quam attuli tibi.

2 Sumitur pro Sanctificatione, ſeu conſecratione; quare idem eſt rem aliquam inanem benedicere, ac Dei cultui dedicare, & conſecrare. Sic dicitur Gen. 2. *Benedixit Dies* Septimo, & Sanctificauit illum. *Gen. cap.* 2. *ver.* 3. quod ad res omnes Dei cultui dedicatas extendit Lyranus, inquiens. *Etiam res inanimes, quæ per benedictionem, vel conſecrationem applicatæ ſunt diuino cultui, ſcilicet Eccleſiæ materiales, & veſtes, dicuntur Sanctæ, vel Sanctificatæ. Nicol. de Lyr in cap. 2. Gen.*

3 Significat Benedictio gratiarum actionem, ſic alicui benedicere, eſt illi bonum optare pro gratijs acceptis: benedicere autem Deo eſt illi gratias agere: ſic Dauid dixit: *Benedicam Dominum in omni tempore: Pſ.* 33 *v.* 1. Ideſt ſemper Deo gratias agam: Ita Lyranus. *Primo ponitur gratiarum actio, & ſecundo eius augmentatio. Circa primum dicit Dauid, Benedicam Dominum in omni tempore ei regratiando. Lyr. in Pſ.* 33 Hoc etiam ſuadebat Angelus Tobiæ, dicendo *Benedicite Deo Cæli, &c. quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam: Tob. c. 12. ver,* 6. Ideſt illi gratias agite. Hoc frequenter in Pſalmis, & alibi reperitur.

4 Sumitur Benedictio pro gratia, ſeu dono Spiritus Sancti: ſic Pſ. 20. de homine iuſto dicitur. *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: Pſalm* 20. *v.* 4. quæ benedictio pro collatione gratiarum Spiritus Sancti accipitur a Lyrano: *Benedictionibus dulcedinis, ideſt Chariſmatibus Spiritus Sancti.* Item *Benedicam Dominum qui tribuit mihi Intellectum, &c. Pſ* 15. *v.* 7.

5 Corpus, & Sanguinem Chriſti, ideſt diuiniſſimi Sacramenti participationem nomine benedictionis Apoſtolus intellexit. *Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* 1. *Cor. cap.* 10. *ver.* 16 Nomine benedictionis omnes Diuinitatis theſauros in illo cœleſti sãguine ſignare voluit: ita explicat Apoſtoli verba D Io. Chriſoſt. *Quid dicis o B Paule, volẽs Auditori pudorem ſuffundere, & reuerẽdorum mẽtionem faciens myſteriorũ, benedictionis calicem vocas illũ terribilem, & maximè formidandũ Calicem? Certè, inquit; Non enim eſt parum, quod dictũ eſt. Nam quando dico, Benedictionẽ, explico omnem Theſaurũ Dei Beneficẽtiæ. D. Io. Chriſ. hom. 24. in 1. ad Cor. to. 4 col. 438. lit. C.*

6 Eleemoſinam figurat; vnde Pauperi benedicere, eſt illi eleemoſinam tribuere. Hoc innuit Apoſtolus 2. Cor. c. 9 nomine benedictionis eleemoſinam exprimẽs; *Præparent repromiſſam benedictionem hanc: 2. Cor. capit. 9. verſic.* 5. Vbi Gloſsa interlinearis: *Benedictionem, ideſt Eleemoſinam, quæ rectè dicitur Benedictio, quia cauſa benedictionis æternæ.*

7 Nec ſolum in bonam partem, ſed etiam in malam capitur Benedictio: nam ſumitur pro maledictione. *Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo. Iob. cap.* 1. *ver.* 5. vbi Gloſ. ordinaria: *Benedixerint Deo, ideſt maledixerint: Gloſ. ordin.* Item cap. 9 vbi Dei maledictionem ei ſuggerens eius vxor, dicebat; *Benedic Deo, & morere. Iob. cap. 2. ver. 9.*

8 Adulationem adumbrat; dum enim huius ſæculi filij Principum, vel Potentium hominum geſta, & ſi mala, commendant; & plus iuſto attollunt, eis benedicere cenſentur. Sic de Præpotente loquens Dauid, dixit; *Anima eius in uita ipſius benedicetur: Pſal.* 48. *v.* 19. Vbi Interlinearis pro benedictione exaltationem intelligit; quia eorum geſta adulatoriè exaltantur; *Benedicetur, ideſt exaltabitur; Gloſſa Interlin.* Sed apertius Nicolaus Lyranus: *Benedicetur, ideſt commendabitur ab adulatoribus, qui aſſiſtunt talibus.*

9 Explicat Adulationi deceptionem adiunctam: etenim cùm homines cernunt ſua vitia laudari, quæ vituperari deberent, dicuntur benedici; & tunc magis confirmantur in malo. Hoc oſtenditur in Pſ. 10. *Quoniam laudatur peccator in deſiderijs Animæ ſuæ, & Iniquus benedicitur. Pſalm. 10. verſic.* 3. Vbi Titelmannus: *Homines impij a ſui ſimilibus prædicantur; glorificantur, & benedictionem laudis accipiunt. Franciſc. Titelman. in Pſal. 10. pag* 71. Et hoc modo adulatione decipiuntur, ea proſequendo tanquam bona, quæ peſſima exiſtunt.

10 Poteſt ſumi Benedictio pro dono fæcunditatis a Deo ſuis creaturis conceſſo: Quod Gen. ſæpe: *Benedixit eis dicens creſcite, & multiplicamini. Gen. cap. 1. ver.* 22. Et ita intelligit, & exponit D. Auguſtinus: *Benedictio propriè ad multiplicationem valet, & ad implendam faciem terræ. D. Auguſt. in Pſal. 66. tom. 8. pag. 282 col. 1. lit. C* Sic ſenſus eſt, Deum alicui benedicere, ideſt ei fæcunditatem impertiri: Vnde apud Hebræos ſteriles a Deo maledicti putabantur.

§. II.

Animæ nomine quid importetur.

ANima mea. Quid ſit Anima, nimirum, quòd ſit hominis forma, ſupra declaratum eſt. Quia verò multoties in Scripturis, variam induit ſignificationem; hoc præſenti §. declarare debemus.

1 Igitur pro Dei affectionibus, accipitur Anima; ſic quotieſcumq; ei tribuitur illa vis eius ſignificatur, per

quam

quam omnia penetrat, & diſponit; & quæ omnibus humanis potentijs eminenter correſpondet. Ita Iſai. cap. 1. *Kalendas veſtras, & feſtiuitates veſtras odiuit Anima mea. Iſai. cap. 1. ver.* 14. Quod D. Hieronimus declarat, dicens: *Non, quòd Animam Deus habeat, ſed humano loquitur affectu: D. Hieron. in Iſai. to. 4. col. 9. lit. B.* Sed manifeſtius. Iob. cap. 23. *Anima eius quodcumque voluit, hoc fecit: Iob. cap. 23. ver.* 13. Vbi D. Gregorius Magnus. *Cum ſit cunctis corporibus exterior, cunctis mentibus interior Deus, ea ipſa vis eius, qua omnia penetrat, cunctaque diſponit, Anima illius appellatur. D. Greg. Mag. lib. 16. moral. cap. 18. to. 2 pag 675 lit. E.*

2 Frequentiſſimè ſupponit pro toto homine; præcipuè Gen. 14. vbi Rex Sodomorum, nihil vel de præda inimicorum, vel de propria recuperatum ſubſtantia, ſe velle ab Abrahamo proteſtatur, dicens. *Da mihi Animas cætera tolle tibi: Gen. cap. 14. ver. 21.* Vbi Lyranus: *da mihi Animas, ideſt viros mulieres, & paruulos. Nicolaus de Lyra.* Hoc etiam in toto leuitico reperitur; & alibi ſępè.

3 Voluntatem, & deſiderium deſignat alicuius rei obtinendæ: ſic Animam implere, ideſt voluntatem, & deſiderium; de quo Exod. 15. De populo egytiaco deſiderante depredari Iſraelem, dicitur: *Diuidam ſpolia implebitur Anima mea: Exod. cap. 15. ver. 9. Ideſt voluntas mea*, Gloſſ Interlin. ſic etiam, 3. Reg. 11. & 2. Reg. dicitur, *Deſiderat anima tua, 3. Reg. capit. 11. ver. 37. 2. Reg. cap. 2. ver. 16.* ideſt voluntas: &c. & quia intendere eſt habere voluntatem aliquid faciendi, de eo quod veram ſuam intentionem, quam habet in voluntate etiam oſtendit, dicitur Animam portare in manibus. Quam ſuæ voluntatis ſinceritatem oſtendens patientiſſimus, inquit: *Animam meam porto in manibus meis: Iob. cap. 13. ver. 14* Vbi B. Gregorius Magnus: *Animam in manibus portare, eſt intentionem cordis in operationibus oſtendere. D. Greg. Magn. lib. 11. cap. 16. in Iob. to. 2. pag. 575. lit. B.*

4 Vſurpatur pro Vita; ſic Animam ponere, quęrere, vel perdere, vitæ amiſſionem frequenter denotat. Ita ipſemet Chriſtus Ieſus Dominus noſter Matth. c. 6. *Ne ſolliciti ſitis Animæ veſtræ quid manducetis. Matth. cap. 6. ver.* 25. Vbi D. Auguſtinus: *Animam hoc loco pro vita poſitam nouerimus. Secundum hanc ſignificationem dictum eſt etiam illud; Qui amat animam ſuam perdet eam. D. Auguſt. lib. 2. de ſerm. Dom in monte cap. 15. to. 4. pag. 83. col. 1. lit. C.* Hæc ille. Quibus nos adiungere poſſumus illud. Exod. 4. *Mortui ſunt omnes qui quærebant animam tuam: Exod. cap 4. v. 19.* & Geneſ 12. *Viuat Anima mea ob gratiam tuam &c. Geneſ. cap. 12. ver. 13.*

5 Anima, præſertim viuens, pro opere bono capitur: ſic Terram animam viuentem producere idem eſt ac hominem operationes dignas æterna vita producere: de quo dictum eſt, *Producat terra animam uiuentem. Gen. cap. 1. uer.* 24. Quapropter Pſaltes huius vitæ modum ſuadens, dicit: *Quærite Dominum, & uiuet Anima ueſtra. Pſal. 68. uer.* 33. Dilucidè Sapientiæ Archanum Auguſtinus. *Quærite Dominum, & uiuet anima ueſtra, ut producat terra animam uiuentem. Euitando uiuit anima, quæ appetendo moritur. Motus enim animæ ſunt iſti in allegoria; ſed faſtus elationis, delectatio libidinis, & uenenum curioſitatis, motus ſunt animæ mortuæ. D. Auguſt lib. 13. Confeſſ cap. 21. to. 1. pag. 96. col. 2 lit C.* Vnde colligimus, quòd quærere Deum, ideſt in obſeruatione mandatorum eius exerceri ſint viuentis animæ motus.

6 Hinc ſequitur Animam, dum volans dicitur, ſignificare operationem eleuantem ad Deum: ex quo habemus, capere animas volantes, ideſt bonas operationes ad Deum eleuatas, ſeu homines eleuatos ad Deum, ad terrena iterum reuocare. Hoc habetur. Ezech. c. 13. vbi de Prophetis decipientibus populum Domini, dixit: *Capitis animas uolantes. Ezech. cap. 13 uer. 20* Vbi Lyranus: *Capitis ideſt decipitis animas uolantes, ideſt homines, qui deberent eleuari ad cognitionem diuinorum. Nicolaus de Lyra in Ezech.*

§. III.

Quibus Perſonis Dei appellatio adaptetur.

DOmine *Deus meus*. Nulli dubium eſt, hoc nomen. *Deus*, ſoli, & vero Creatori noſtro, eique Domino deberi; de quo ſcriptum eſt: *Tu es Deus ſolus; Pſal. 85. uerſ. 10.* Attamen hoc eſſentialiter intelligendum eſt: etenim nuncupatiuè multi dicuntur Dij: quod Apoſtolus fatetur, *Siquidem ſunt Dij multi. 1 Corin. cap. 8. uer. 5.* Vnus igitur Deus eſt per proprietatem, per allegoriam vero multi.

1 Nuncupatiuè appellati ſunt omnes Dij Gentium; qui tamen propriè non Dij, ſed Imagines ab hominibus fabræfactæ, iuxta illud, *Opera manuum hominum: Pſal. 113. u. 4.* vel certè Dæmoniorum ſimulacra; vt Pſal. 95. *Quoniam omnes, Dij gentium Dæmonia: Pſal. 95. uer. 5.* Verum quia hoc de ſe patet in ſcriptura alia probatione non indiget.

2 Nomen Dei Angelis tribuitur; nam Pſal. 137. dicitur, *In conſpectu Angelorum pſallam tibi: Pſal. 137. uer. 1.* in hebræo autem eſt; אלהים ideſt *Deorum*; & in Pſalterio à D. Hieronymo translato habetur, *In conſpectu Deorum:* vnde Dij hoc loco a ſeptuaginta pro Angelis ſumpti fuere. Huc accedit alter locus Pſal. 49. *Deus Deorum Dominus loquutus eſt: Pſal. 49 uer. 1.* quod poteſt intelligi Deus Angelorum. Quod fusè ex ſententia Platonis D. Auguſtinus oſtendit. Plato namque ponebat aliquos Deos immortales, & beatos, qui tamen ab omnium Deo facti erant, & ei adhærentes Beati erant. Hos autem noſtros Angelos eſſe probat Doctor ſanctus, & ſolo nomine veros Platonicos a nobis differre in hac poſitione, imò, nec hoc nouum eſſe Angelos Deos appellare, cum dicat ſacra Scriptura Deus Deorum, ideſt Angelorum. Inquit igitur D. Auguſtinus. *Hos ſi Platonici malunt Deos dicere, eiſque aſſociare, quos a ſummo Deo conditos Deos eorum Author, & Magiſter ſcribit Plato; dicant, quod uolunt: non enim cum eis de uerborum controuerſia laborandum eſt. Nam & de ipſo nomine, quo huiuſmodi immortalem, beatamque creaturam Deos appellant; ideo inter nos, & ipſos pęnè nulla diſſenſio eſt, quia & in noſtris ſacris literis legitur; Deus Deorum Dominus loquutus eſt, &c. Illud uero, ubi dicitur Deus Deorum, non poteſt intelligi Deus Dæmoniorum.* Hæc D *Auguſt. lib 9. de Ciu. Dei c. 23 to. 5. pag. 106. col. 1. lit. C.* D.

3 Sacerdotes etiam Deos multoties appellatos ſacræ literæ teſtantur, ſed præſertim Exod. 22. Vbi præcipiens Dominus populo ſuo, a Deorum detractionibus parcendum eſſe: *Dijs non detrahes; Exod cap. 22.* ne cogamur aſſerere fallacium Numinum, vel Dæmonum murmurationem interdici, quod poſtea in ſcriptura minimè obſeruatum conſpicimus, dicendum eſt cum interlineari Gloſſa, ibi Sacerdotes intelligi: *Dijs non detrahes Sacerdotibus, Doctoribus, qui Eccleſiæ principantur. Gloſſ. Interlin.*

4 Hoc etiam nomine decorantur Prophetæ Dei amici; vnde Pſal. 94 Dicitur Dominus, *Rex magnus ſuper omnes Deos; Pſal. 94. uerſ. 3 Ideſt*, ſubdit Lyranus, *Prophetas Dei amicos, qui in ſcripturis dicuntur Dij nuncupatiuè. Nicolaus de Lyra.* Huc accedit. Illud Dei dictum ad Moyſen. Exod. 7. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, &c. Exod. c. 7. u. 1.*

5 Dij dicuntur Iudices. De hoc Pſal 81. *Deus ſtetit in Sinagoga Deorum, in medio autem Deus diiudicat: Pſal. 81. uer. 1.* Quod de Deo Iudices terræ iudicante, exponit D Hieronymus: *Deos appellans, qui habent iudicandi de hominibus poteſtatem, D. Hieron. lib. 13. in Ezechiel. to 4. col 1064 lit.* D. Huc etiam accedit, quod de diiudicando fure traditur Exod. 22. *Si latet fur Dominus Domus applicabitur ad Deos; ideſt ad Iudices* Lyranus addidit. *Exod. c. 22 uer. 8.*

6 Inſuper, & omnes iuſti, qui Deo credentes, ipſi ſincero corde ſeruiunt Dij nuncupantur. Hoc declarat Ioannes Apoſtolus, dicens: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ioan cap. 1. ver. 12.* Vbi D. Auguſtinus ait. *Manifeſtum eſt ergo, quod homines Deos dicit, ex gratia ſua deificatos, non de ſua natura natos. Ille enim iuſtificat, qui per ſemetipſum non ex alio iuſtus eſt: & ille deificat qui per ſemetipſum non alterius participatione Deus eſt. Qui autem iuſtificat ille deificat, quia iuſtificando filios Dei facit. Dedit enim eis poteſtatem filios Dei fieri. D. Auguſt. in Pſal. 49. to. 8. pag. 188. col. 2. lit. A.*

7 Deteriori ratione quia vſurpatiuè, non participatiuè, vitia etiam Deorum nomina vſurpauere: Homines enim ita carnalia deſideria colunt, vt tanquam Deos degeneri cultu venerentur: ſic dicebat Apoſtolus ad Coloſſ. *Auaritia, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus: Ad Coloſ cap 3. ver. 5.* quia vt dicit D. Bernardinus Senenſis, *Auari Deus eſt nummus. D. Bernard. Senen. tom. 2. pag. 752. col. 2 lit. G* Hinc *Gen. cap. 31. v. 30.* Cùm Iacob è domo Laban fugiſſet cum omni domo, & familia necnon ſubſtantia ſua; illum perſequutus eſt Socer, & obiurgauit, eo quòd furatus eſſet Deos ſuos: *Cur furatus es Deos meos?* non quòd magnifaceret Deos, ſed quia eorum ſimulacra, quæ Rachel abſtulerat, aurea, vel argentea erant, & auaritiæ numen ipſe colens, putauit in Iacob quoquæ præualuiſſe: quare Gloſsa interlinearis: *Cur furatus es Deos meos? cur apud te latet auaritia, quę eſt Idolorum ſeruitus?*

8 Nec crapula ab vſurpatione Deitatis cenſetur immunis. De illa enim teſtatur Paulus ad Philipp. *Quorum Deus venter eſt*: omnes enim homines ea colunt, quæ ſibi vtilia videntur; & quia omnia propter ventrem operantur, vt crapula ſatient, & ebrietate, ipſum tanquam Deum colere dicuntur; ſic Gloſſ. *Deus venter eſt, quia quidquid faciunt pro ventre faciunt: Gloſſ. Ordin.* Nec diſsentire videtur D. Auguſtinus inquiens: *Hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligit. D. Auguſt. ap. Gloſſ. interlin.* Hoc autem abominabile, & turpe videtur; vt homo Deum illum deſerat, qui per participationem ſibi Diuinitatem communicat; & tanquam Deos viliſſimas creaturas infami cultu, ſed diligenti, veneretur.

§. IV.

Magnificatio, & Magnificentia quarum rerum ſint ſimbola.

M*Agnificatus es vehementer*. Magnificare eſt aliquem magnum eſſe, vel verbis, vel factis oſtendere: Hinc Magnificentia, quæ oſtenſio magnitudinis, vel magnarum rerum effectio dici poteſt: ſic etiam magnificare eſt magna facere: & ex hoc oritur nomen magnifici, magnificus enim, quaſi magnificatus nuncupatur. Sed allegoricè, & ſimbolicè alia multa ſignificat.

1 Sumitur magnificentia pro Dei laude; ſic magnificare Dominum eſt eum laudare, vt habetur Paral. cap. 1. *Confeſſio, & magnificentia coram eo: Lib. 1. Paralip. cap. 16. ver. 27.* vbi Nicolaus de Lyra: *Confeſſio peccatorum, & magnificentia diuinæ laudis. Lyranus ibid.*

2 Diuinæ legis obſeruantia magnificentia dicitur: & tunc rectè lex diuina magnificatur, quando obſeruatur; ſicut è conuerſo, conculcari dicitur dum eius præcepta non æſtimans homo ipſa obſeruare dimittit. De hac magnificentia loquebatur Iſaias dum populo Dei voluntatem, ab ipſo nequaquam impletam, patefacit, dicens: *Dominus voluit vt Sanctificaret eum, & magnificaret legem: Iſai. cap. 42. verſic. 21.* vbi Gloſſ. ordinaria, *Magnificaret legem obſeruando:*

3 Signat magnificentia Doctrinam, & exempla Sanctorum, quibus Dei Eccleſia magnificatur. Hanc autem magnificentiam ſublatam ab Anima ab inimico eius diabolo plorat Hieremias Thren. c. 1. v. 15. *Abſtulit omnes magnificos meos a me*: ita explicatur a D. Hieronymo: *Sic, & ab Anima diabolica fraude decepta: poſtquam eam inimicus intus captiuam, a ſtatu rectæ fidei, & bonæ conuerſationis in confuſionem erroris abduxerit, Sanctorum Prædicatorum doctrinam, & exempla ab aſpectu cordis eius per obliuionem aufert. D. Hieronymus in Thren. tom. 4 colum. 684. litt. F.* Ex quibus clarè deducitur magnificentiam iuſtorum, eſſe Sanctorum Doctrinam, exemplis optimis ſociatam.

4 Spiritualis profectus in homine humili refulgens, magnificentia videtur; in homine ſic ſe humiliante cùm magis virtus eluceſcat. Ita prorſus ſpiritualis profectus in parua ætate magnificè apparebat in Samuele, qui adhuc puer, non apud homines tantummodo, verùm, & apud Deum ipsũ in ſpirituali perfectione magnus erat: Ita narrat Scriptura: *Magnificatus eſt puer Samuel in conſpectu Domini. 1. Reg. cap. 2. ver. 21.* Vbi magnus itidem audiendus Gregorius, inquiens. *Quo in loco valde notandum eſt, quòd puer Samuel dicitur, & magnificatus, & non coram hominibus, ſed in conſpectu Domini. Cur ergo puer, niſi quia humilis? Et cur magnficatus aſſeritur, niſi quia ad perfectionis erat celſitudinem ſublimatus? D. Gregor. Magn. in Lib. Reg. lib. 2. cap. 2. tom. 1. pag 54. lit. A.*

5 Magnificentia etiam illa res dici poteſt, quæ cùm ſit ſingularis, vel pulchritudine, vel ſanctitate, vel fama, Regnum, vel Ciuitatem vbi eſt, magnificam, & glorioſam reddit. Ita ſunt Ægipti Pyramides, Babilonici muri, Diaſiæ Epheſinum Templum. &c. Ita hodie Hiſpanorum Regum Templum in Eſcuriali D. Laurentio dicatum; necnon Romanorum Eccleſia D. Petro Sacra, earum nationum magnificentia nuncupari poſſunt. Tale erat olim Hieroſolymorum Templum, de quo ſub magnificentiæ vaſtatione ruinam memorat Zaccarias Propheta capitul. 11. *Magnificentia eorum vaſtata eſt: Zacc. capit. 11 verſic. 3.* vbi Gloſſ. ordin. *Quia magnificentia eorum vaſtatur, ideſt templum, de quo gloriabantur.*

6 Non diſſimili ratione Potentes, & Principes Populi magnifici appellantur; quia cùm per diuitias, nobilitatem, aut potentiam omnes antecellunt, Patriam magnificare, ideſt ab alijs magnifieri, videntur; nam propter eorum potentiam exteri ipſam venerantur. De his loquitur Idem Zaccar. ibid. *Quoniam magnifici vaſtati ſunt: Zaccar. ibid. verſic. 2. Ideſt*, ſubdit Lyranus, *Illi qui erant maiores in populo. Nicol. de Lyra.* Quibus profectò vaſtatis, omnis eorum magnificentia conſequenter ruebat.

7 Magnificare opera dicitur ille, qui omnia quæcumque operatur conformiter ad Dei voluntatem dirigens, per ipſa ad ſuperna eleuatur. Hoc ſe feciſſe teſtatur Sapiens *Magnificaui opera mea. Eccleſiaſt. capit. 2. verſic. 4.* quo in loco D. Hieronymus. *Magnificat opera ſua qui iuxta imaginem Conditoris ad ſuperna ſuſtollitur. D Hieronymus in Eccleſiaſt. tom. 5. col. 15. litt. A.*

8 Magnificare fimbriam, eſt vanam gloriam in exteriori corporis apparatu quærere, per oſtentationem vel mundanæ potentiæ, vel etiam fictæ virtutis: cuius vitij rei erant apud Chriſtum Scribæ, & Phariſei; de quibus dixit Matth. 23 *Magnificant fimbrias. Matth. cap. 23. verſ. 5.* Ideſt magnas fimbrias veſtium facere curant, vt ab hominibus laudentur, ita D Hieronymus. *Magnas faciunt fimbrias gloriam captantes ab hominibus. D. Hieronymus in Matth. tom. 6 colum. 109. lit. C.*

9 Magnificare labia eſt ita gloriari de labiorum potẽtia ac ſi ea propria virtute, & non ex Dei dono poſſideantur; quod & ad cunctas naturales, vel acquiſitas

virtutes

Digitized by Google

virtutes extendi poteſt : eſt itaque hæc magnificentia inanis iactantia de cunctis, quæ poſſidemus. Hanc labiorum magnificentiam iactabant aliqui mundani homines apud Pſaltem. *Linguam noſtram magnificabimus labia noſtra a nobis ſunt: Pſalm 11.ver.4.* Vbi Gloſ. *Iactant ſe de poteſtate labiorum, quaſi non a Deo acceperint, Gloſ. ordin.*

10 Magnificare ſe ſuper terminos, eſt modum ordinarium operādi a maioribus traditum curioſè transgrediendo, in errorem incidere : quod Hæreticis præſertim attribuitur a D. Hieronymo; qui cum antiquorum ſemitas calcare dedignentur in fallaces, & inanes opiniones feruntur, & ſcientia mundana decepti, veros Dei cultores derident. Hos ſignificauit Spiritus Sanctus. *Magnificati ſunt ſuper terminos eorum: Sophon.c.2.ver.8. Magnificare.* inquit Sanctus Doctor, *Cupiunt ſuper terminos eius poſſeſſionem ſuam: de quibus dicitur in Prouerbijs: Ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt Patres tui. Prou. 22. 28 Vide Hæreticos in Dialectica ſibi, & Rhetorica, & omnium Sophiſmatum dogmatibus applaudentes, contemnere Eccleſiæ ruſticitatem. D. Hieron. in Soph. tom. 5. col 482. lit. F.* Sed dum noua requirunt, fidem maculantes, æternam vitam ammittunt.

§. V.

Confeſſionis acceptiones quæ ſint.

C*Onfeſſionem, & decorem induiſti.* Confeſſio dicta eſt quaſi coram fateri, & latentem culpam publicam facere. Non tamen ſemper in hac ſignificatione intelligitur, & ideo eius variæ acceptiones ſunt explicandæ.

1 Confeſſio laudem ſonat, pręcipuè cum ille qui confitetur ab omni eſt culpa alienus. Sic Chriſtus Dominus confitebatur Patri, dum dixit; *Confiteor tibi Pater. Math.cap.11.ver.25.* vbi D. Auguſtinus; *Confiteor tibi laudo te. D. Auguſt ap. Breu. Rom. Homil. in feſto S.P.N. Franc.* Nec Filji Dei tantummodo iſta confeſſio eſt; ſed etiam multoties homines confitentur Deum ipſum laudando : Ita Pſaltes ſuadebat. *Præoccupemus faciem eius in confeſſione : Pſalm. 94. verſic.2. Confeſſio* inquit idem Auguſtinus, *laudantis, ad honorem pertinet eius, qui laudatur. D. Auguſt. in Pſalt. tom.8. pag.485. col. 1. lit. B.*

2 Confiteri eſt gratias agere ; neque enim perfectior eſt retributio, quam omnibus accepta beneficia patefacere : Hoc autem fit media Confeſſione. Idcirco de ipſis etiam hominibus mundanis, qui diuina aut parum, aut nihil curant, dicit Dauid, quòd cum a Deo beneficia temporalia recipiunt ipſi confitendo gratias agunt : *Confitebitur*, inquit, *tibi cum benefeceris ei : Pſalm. 48. verſicul. 19.* in quem locum Bellarminus : *Tibi gratias aget cum benefeceris ei. Rob. Bellarminus in Pſalm.48. pag.354.* Cui adſtipulatur D. Auguſtinus. *Quam multi ſunt Chriſtiani, fratres, qui tunc Deo gratias agunt, quando illis accidit lucrum, &c. Hoc eſt, Confitebitur tibi cum benefeceris ei D. Auguſt. in Pſal. 48. tom.8. pag.187. col.2. lit. A.*

3 Confitetur aliquis dum per voluntarias pęnitentias corpus ſuum caſtigat ; tunc enim licet lingua nihil explicet, tamen opus ipſum Deum confitetur : namque ſi Deum bonorum operum iuſtum remuneratorem non agnoſceret, tanta pro eius amore haud pateretur. Confeſſio igitur eſt carnis mortificatio, ſed non quæcumque, imò confeſſio dulcior omni cithara modulante : Fatetur hoc Pſalm, 42. *Confitebor tibi in cithara Deus. Pſalm.42. verſic 5.* Quod D. Hieronymus, perſpiciens, addidit; *Confitebor tibi in cithara per mortificationem carnis; quia crucifixus eſt mihi mundus, & ego mundo. D. Hieron. in Pſalm.42. tom.8. pag.136 lit. E.* Hoc præcipuè martyribus conuenit, nam ſi martyr, teſtis interpretatur, tunc perfectius teſtimonium de Deo reddebant quando pro ipſo patiebatur : quare D. Ambroſius in hunc ipſum verſum. *Quam gratè hoc martyr dicit, nam cithara eſt caro noſtra, quæ dum moritur viuit, & tormentis aptatur in vſum canendi. D. Ambroſius.*

4 Confeſſio eſt Prędicatio : tunc enim Dei nomen confitetur cùm eius fides, & gloria prędicatur. Hoc inſinuatur Pſalm.88. vbi habetur : *Confiteantur Cœli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum. Pſalm.88. verſ.6.* Etenim ſi cęli os non habent, quod in Sanctorum congregatione adaperiant, reliquum eſt, vt per Cœlos prædicatores veritatis cum D. Auguſtino intelligamus, qui prædicando Dei fidem ipſum confitentur. *De cœlis ergo nulla dubitatio eſt quod intelligantur Prædicatores Verbi veritatis, &c. Cœli ergo confitebuntur mirabilia tua, & veritatem tuam : totum quidquid prædicant Cœli ex te eſt, & de te eſt, & ideo ſecuri prædicant. D. Aug in Pſalm.88. tom 8. pag. 339. col.2. lit C.*

5 Confeſſionis nomine Remuneratio venit : qui enim præmium largitur, confitetur meritum : In hoc ſenſu loquebatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo : Matth. cap 10. verſic.32.* quaſi diceret ; dabo illi præmium cœleſtis beatitudinis, quæ in Patre eſt, & ad quam per me itur : ita cenſet Rabanus: *Confitebitur ergo aliquem Filius apud Patrem, qui per filium habebit acceſſum ad Patrem; quia Filius dicet: Venite benedicti. Rabanus ap. D. Thom. in Caten.*

Verſus Secundus.

עֹטֶה אוֹר כַּשַּׂלְמָה נוֹטֶה שָׁמַיִם כַּיְרִיעָה :

Verſio ex hebręo. *Amiciens te luce ſicut veſtimento, extendens Cœlos ſicut cortinam.*

Vulgata editio. *Amictus lumine ſicut veſtimento, extendens cœlum ſicut pellem.*

D. Hieronymus. *Amictus luce quaſi veſtimento.*

Caldeus. *Qui amicitur lumine ſicut linteo.*

Digitized by Google

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

PArua eſt Interpretum diſſentio in huius verſus explicatione; quod attinet ad Amictum, Verbum ipſum a radice עטה ſe veſtire ſignificat, quo datur intelligi Deum eſſe ens a ſe, nec ab alio ſuam pulchritudinem mutuare: nec alij diſſentiunt, nam dum dicunt, *Amictus*, ſubintelligunt a ſe. Deinde particula כ poteſt verti, *ſicut*, & *quaſi*: ſed melior eſt translatio D: Hieronymi, vt dicatur *quaſi*: Deus namque non veſtitur, vt homines realiter, ſed metaphoricè, & ideo rectius dicitur *Amictus luce quaſi veſtimento*: de ipſa אור ideſt *lumine*, illa particula *lumen*, & *lux* interpretari poteſt, ſed quia lux ſignificat corpus lumine amictum, ideo melius dicitur, *Amictus lumine*, quam *luce*: Verbum יריעה cortinam ſignificat; verùm quia cortinæ ex pellibus fieri ſolebant, ideo vulgatus interpres non ad literam, ſed ad ſenſum tranſtulit *pellem*. Hìc igitur videndum eſt de luce, lumine, & Cœlis.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit lux creata, quid lumen.*
2 *Quomodo Cæli ſydera lumine veſtiantur.*
3 *Quid ſit Cœlum; de numero, & ordine* Cœlorum.
4 *Quid ſit illud lumen, quo Deus amicitur.*

§. I.

Quid ſit lux creata, quid lumen.

INter lucem, & lumen multum eſſe diſcriminis omnes Philoſophi fatentur; id præſertim docet, & explicat *Scotus in 2. ſentent. diſ. 13. quæstio. 1. artic. 1. 2. pag. 138. colum. 1.* Lux ipſa nihil eſt aliud niſi qualitas quædam de genere, qualitatis ſubſtantiam corpoream per ſe viſibilem reddens, & ſplendidam. Quia verò vnaquæque qualitas præſertim primaria, alicuius ſubſtantiæ propria eſt, illique ſemper adhęrens, videtur quod lux ignis proprietas ſit; imò inter ignem, & lucem nullam eſſe differentiam arbitror, etenim corpus lucidum nullum reperitur, quòd vel Ignis, vel ſaltem igneum non ſit. In principio Creationis Vniuerſi lux genita fuit, vt habetur Gen. 1. *Fiat lux, & facta eſt lux: Gen. cap. 1. ver. 2.* quę nam autem illa lux fuerit multipliciter declaratur: nam cùm lux ſit qualitas, ſine aliquo ſubiecto, ſaltem naturaliter exiſtere non poteſt. Quidam exſtimauerunt ipſum Solem fuiſſe, alij ſubſtantiam illam, de qua poſtea Sol, & cætera lumina efformata fuere; quod an verum ſit, ſuo loco, in expoſitione verſus 19 videndum eſt: Nunc verò ſuppoſito, quod ſit eadem cum ſubſtantia Solis, & ſyderum, vlterius inquiritur, quæ ſubſtantia ſit: Reſpondendum eſt igitur, lucem a Deo in exordio Creationis productam ignis elementum fuiſſe. Id ſuadet Ratio, confirmat Authoritas Ratio eſſe poteſt, quia Ignis elementum eſt neceſſarium ad omnium viuentium vitam, nam in calido viuimus, & experientia patet. Cum ergo vnum ex elementis. & præcipuum ſit, debuit a Deo ſimul cum alijs elementis produci; ſed de alijs elementis fit mentio, nam de terra dicitur, *Creauit Cœlum, & terram*, de aere, & aqua; *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas; Gen. cap. 1 ver. 1.* nec alia de ignis productione eſt ſermo niſi lucis effectio; igitur lux tunc creata fuit ignis. Sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum authoritate, meliùs noſtræ poſitionis veritas innoteſcet. D Ioannes Damaſcenus primò occurrit, cuius talis eſt ſententia: *Ignis vnũ ex quatuor elemẽtis, leue, omniumq; altiſſimè tendens, vrendi ſimul, & illuminandi vim habens, die primo a ſummo illo rerum omnium Artifice conditum. Ait enim Scriptura: Et dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux. Neque enim ex quorumdam ſententia, ignis quidquam aliud eſt quam lux. D. Ioan. Damaſc. lib. 2. orthodox. fid. cap. 7. pag. 183. lit. B.*

2 Neque minus dilucidè idem ſtatuit D. Gregorius Niſſenus: inquit enim. *Sic igitur etiam tunc anteuertit, & celeritate, mobilitateq; ſua, vis illuminandi a rerum vniuerſitate ſeceſſit, ſeque ipſam ab alijs naturis ſeiunxit atque ita ſplendida illius potentia illustratus est orbis. Qua autem ratione hæc effecerit Ignis natura ſolius Dei est explicare, qui naturæ vim inſeruit illuminandi, atque illustrandi, quod ſcriptura ſua magnus testatur Moyſes, cum ait: Dixit Deus fiat lux. D Greg Niſſen. in Exam. tom. 1. pag. 10 lit. B.* Cui etiam ſententiæ aſſentitur Hugo de Sancto Victore, hæc proferens: *Prima die distinxit Deus ignem a cæteris elementis; & hoc est quod ipſe dicit, fiat lux, idest distinguatur Ignis a cæteris elementis. Fieri enim in hoc loco distingui ſignificat: Hugo de Sancto Victor. cap. 6. in Gen. tom. 1. pag. 9. lit. H.* Quod etiam innuere videtur ipſa Sacræ Scripturæ loquutio, in hebræo namque dicitur יהי אור *ſit lux*, & non *fiat*: quod ſolum in lucis, luminarium, & cęlorum extenſione obſeruatur. Neque ab his diſſonat D. Athanaſius, dum rationem reddit, quare Deum maximam illam Ignis Sphęram primo die creatam quarto die in tot lumina diſcreuerit, & hoc factum eſſe cenſet quia tantus ignis ſimul vnitus viuentium, præſertim animalium vitæ obſtabat, quamobrem non ante Animalia creata dicuntur, quam in luminaria diſpertitus ignis fuiſſet. *Lucem illam magnam, quam Deus fecerat, in luminaria diuiſit: quæ lux hinc inde diſperſa, aliquatenus est imminuta; quod niſi factum fuiſſet, non potuiſſent Animalia ſustinere magnum iubar, & ſplendorem tanti ignis. Atque huiuſcemodi rei gratia post Solem, & Lunam ſunt animalia creata, vt illius Ignis ſplẽdorem perferre poſſent. D. Athanaſius. ap. Christophor. Scheiner. in Roſa vrſin. lib. 4. part. 2. cap. 19. pag. 633. colum. 2.* Plures aliæ authoritates afferentur in Verſ. 19. Vbi ignem Solem eſſe demonſtrabimus.

3 Ex his itaq; concludendum eſt lucem primò a Deo conditam ignem fuiſſe, nec dari primariam lucem niſi in igne, ſecundariam verò ab ipſo igne. Deus igitur Optimus Maximus in ipſo mundi exordio ignem maximum creauit, qui, eo vtique motu, quo ad præſens mouetur Sol, mouebatur, & ſua preſentia diem abſentia noctem

noctem conſtituebat; vt ſic vera ratio dierum ante Solem haberetur:ita ſentit. D. Gregorius Niſſenus. *Ignis igitur abſceſſum veſperam nominauit. Rurſus autem cum ignis ſupremum circulum percurreret, & ſuperioribus lumen afferret, illud ipſum factum vocauit mane, crepuſculum ſic appellans*. De luce ergo quòd ſit qualitas luminoſa,ſed igni præcipuè conueniens,determinauimus.

4 Non autem D. Auguſtini ſententia prætereunda eſt, qui Animæ rationalis modum operandi in corpore aſſignans,ignem lucem appellat; cum enim Anima per ſpiritus animales ſenſuales operationes exerceat, per lucem, & aerem ipſam operari determinat: Ita enim inquit. *Non eſt quidem humani Animi natura nec de terra, nec de aqua, nec de aere, nec de igne: ſed tamen craſſiorem corporis ſui materiam, hoc eſt humidam quamdam terram, quę in carnis verſa eſt qualitatem per ſubtiliorem naturam corporis adminiſtrat, id eſt per lucem, & aerem. Nullus enim ſine his duobus vel ſenſus in corpore eſt, vel ab anima ſpontaneus corporis motus. D. Auguſt. de Geneſi ad liter. lib.7.cap.15.to.3.pag.240. col. 2. lit. D* Vbi videtur ſanctus Doctor ſentire, quòd ex quatuor elementis, quæ in corpore ſunt,duo, Terra ſcilicet, & aqua ſint paſſiua, Ignis verò, & aer actiua; & inſuper, quòd Anima moueat corporis partem terream,& aqueam, per aeream,& igneam: Hic tamen notandum, quomodo ſemper ignem lucem appellet. Quod autem ignem lucis nomine exprimat, prætterquamquod, ex ipſo contextu hauriatur;ita exponit ſubtiliſſimus Magiſter meus Scotus: *Ad primum dico, quod Auguſtinus accipit ibi lucem pro corpore ſubtili, puta forte igne qui eſt corpus ſubtilius in mixta, vel pro aliquo corpore ſubtili multum conueniente cum igne in natura. Scotus loc. cit. in Reſp. ad Prim. pag.139.col.2.*

5 Atque hæc quidem de luce determinaſſe ſat erit: modo ad ipſum lumen cõuertamur neceſſe eſt. De quo, cum eodem Magiſtro meo, in primis præmitto lumen, radium, & ſplendorem res eſſe inter ſe diuerſas: *Scotus loc. cit. artic. 3. per totum pag 139.* lumen eſt ſpecies intentionalis ipſius lucis; id eſt imago quędam repræſentatiua lucis, quæ lucem ipſam oculo videndam repræſentat: dicitur autem intentionalis, non quia realis non ſit, ſed quia eſt id, per quod lux tendit in oculum; Nec obſtat, quod quidam exiſtimant ſpecies intentionales eſſe tantummodo rationes videndi, ipſas vero non videri hoc inquam falſum eſt, nam in medio diaphano nec lumen, nec aliæ ſpecies videntur, ſed bene in perſpicuo ab aliquo opaco terminato apparent, ſed magis requiritur ad videndas alias ſpecies quam lumen, ſicuti ſufficit ad viſionem lucis ipſum lumen, ad videndas vero res alias requiritur lumen, nec ſolum in ipſo viſibili, ſed etiam in medio. Quod autem aliarũ rerum videantur ſpecies aliquando patet in ſpeculo; & etiam ſi per exiguum foramen in obſcurum cubiculum lucis radius ingrediatur, ſpecies rerum extra cubiculum poſitarum intra cubiculum apparebunt. Radius autem eſt ipſa tendentia luminis a luce per medium diaphanum vſq; ad corpus opacum vbi lumen apparet. Splendor tandem eſt lumen quoddam ſecundarium a primario lumine productum: lumen enim duplex primarium, & ſecundarium. Primarium lumen eſt ſpecies repræſentatiua ipſius lucis, ſeu corporis lucidi, ſecundarium vero, quod dicitur ſplendor, eſt ſpecies intentionalis ipſius luminis primarij: Patet hoc in vmbra, quam certum eſt lumine primario non illuſtrari, quia eſt carentia luminis, ſed bene lumine ſecundario, ſeu ſplendore, quia aliàs pars illa lumine primario deſtituta nequaquam videretur, videtur autem: igitur lumine ſecundario irradiatur. Lumen ergo eſt ſpecies intentionalis lucis, ſeu ratio formalis qua potentia viſiua tendit in lucem: Radius eſt ipſa luminis a luce per diaphanum corpus emiſſio: ſplendor eſt ſpecies intentionalis ipſius luminis: & vtraque ſpecies eſt etiam viſibilis, quia ſpecies intentionales quæcumque, non ſolum ſunt rationes ſentiendi, ſed aliquando etiam ſentiuntur.

§. II.

Quomodo Cæli Sydera lumine veſtiantur.

1 A*Mictus lumine &c.* Antiquiſſima extitit Philoſophorum opinio ſtellas omnes ſiue inerrantes, ſiue fixas, vt ipſi opinabantur, nullum congenitum lumen habere, ſeu luces non eſſe; ſed tantummodo primarium lumen a Sole habitum reflectendo, ſecundarium ad hæc inferiora tranſmittere. Hanc opinionem ſuadebat Planetarum obſeruatio, qui luce propria deſtituti alieno lumine ſplendeſcere cernebantur. Quodve verum eſt de Planetis experientia demonſtrante; de alijs vero euinci nequaquam poteſt Etenim non videtur Solem ad tantam diſtantiam poſſe emittere lumen, cum diſtantia ſyderum a Sole ſit ad minus ſemidiametris terræ 12.858. Terræ autem ſemidiameter continet milliaria cubica 170.032.521.600. ſed neque hæc diſtantia vera, & certa eſt, ſed ſupponit ſtellas immediatè ſupra Saturnum collocari; quod, an verum ſit, ambigitur. Hoc tamen ſuppoſito certum eſt, quòd ſi aliquis ibi exiſteret, vbi ſydera putantur eſſe, Solem haud maiorem ſibi apparere quam nobis Venus appareat, licet luminoſiorem; quomodo ergo lumen ad tantam diſtantiam, ad tam paruam quantitatem reſtrictum, poterit ſtellas ita lucidas, & ſplendidas reddere? non igitur a Sole tantummodo ſtellæ lumen habent.

2 Quòd ſi dicet fortaſſe aliquis; quomodo Iuppiter, & Saturnus, qui etiam ipſi maximè diſtant a Sole, illuminari poſſunt, non vero fixæ? deinde nos videmus Venerem a Sole illuſtratam lumen reflectere ad terrã, ipſamque illuminare: igitur Sol etiam ſi non appareret maior Venere, quia lucidiſſimus eſt, ipſa ſydera illuminabit. Adhoc in primis dicitur, ſtellas reuera in competiæ diſtantiæ a Sole eſſe; deinde nos non negamus abſolutè ſtellas a Sole illuminari non poſſe, ſed totaliter, quia ſic lucere ſine propria luce, vt lucent ipſæ nequaquam veriſimile videtur, ſed ſuppoſita diſtantia iam allata illuminantur aliqualiter,& fortaſſe vt terra a matutinis crepuſculis, quod tamen ad tantum lumen non ſufficit. De Ioue verò, & Saturno credibile eſt, & per tubum expertum eſt, ipſos illuſtrari etiam ab alijs ſtellis ſibi propinquioribus quam ſit Sol, & fortaſſe nec minus luminoſis quam ipſe Sol nobis appareat.

3 Sydera igitur propria luce fulgent; nam cùm Deus Optimus Maximus initio mundi ſphæram ignis eamq; quantitatis maximæ produxiſſet, ad mundi vtilitatem, nec non Cœlorum ornamentum, ipſum ignem in penè innumeras ſphærulas diſperſit, ſphærulas inquam reſpectu ſphęrę primo productæ, non vero reſpectu noſtri, cum illarũ minima terrã multis vicibus ſuperet. Vt igitur Sol (vt ſuo loco videbimus) ſic multa ſydera igneos eſſe globos determinamus.

4 Nec obſtat, vulgaris illa, quæ ad hæc vſque tempora viguit opinio, Cœlos, cœleſtiaque corpora incorruptibilia eſſe; & propterea ſine pabulo cùm non poſſit ignis ſubſiſtere, nec in Cœlo ſit corruptio, vel generatio, ſtellas ignes appellari non poſſe: Nam falſa de Cęlorum incorruptibilitate ſententia §. ſequenti oſtendetur; & de ſtellarum pabulo, vbi de Sole in verſum 19. erit ſermo, determinabimus. Sufficiat pro nunc Iuuenci præsbiteri Hiſpani antiquiſſimi inter Chriſtianos Poetæ ſententia, qui nihil eſſe in orbe vniuerſo, nec ipſos Cęleſtes ignes, præditum incorruptibilitate decernit; eius carmina a Chriſtophoro Scheinero Societatis Ieſu mutuata referam. *Iuuenc. Presbit. ap. Chriſtoph. Scheiner. loc. cit.*

Immortale nihil mundi compage tenetur.
Non orbis, non Regna hominum, non aurea Roma,
Non Mare, non tellus, non ignea ſydera Cæli.

En quomodo Iuuencus ignes,& mortales appellat ſydera. Vtrum autem omnes ſtellæ ſint ignes, vel alia reperiantur in cœleſti regione corpora, vt apud nos Planetæ alieno

Digitized by Google

alieno decorata lumine; vtrum etiam aliquæ de nouo generentur, vel corrumpantur; & tandem vtrum omnes eandem a terra, & a Sole diſtantiam ſeruent, ita vt in eadem ſuperficie concaua Cœli ſtellati reperiantur, determinare non auſim; incompertum eſt enim, neque huic negotio experientia fauet. Puto tamen veriſimilius eſſe non omnes in eadem ſuperficie reperiri, ſed alias alijs altiores collocatas eſſe: quod aliquantulum expoſitione in 3. Verſum innoteſcet.

5 Hinc apparet quomodo Deus etiam materiali, & creato lumine amictus dicatur. Nam aliquis circundatus aqua dicitur, vel in medio mari eſſe, licet non ipſe, ſed locus vbi ipſe peculiariter degit, puta Inſula, vel Nauis, in medio mari ſit ſitus: Deus ergò, qui licet vbique ſit, tamen ſpecialiter in Cœlis eſſe oſtenditur illis verbis, *Pater noſter qui es in Cœlis*, quia ibi gloriam ſuam oſtendit, dicitur, *Amictus lumine ſicut veſtimento*, quia, Cœlum eius ſedes, luminibus exornatur. Vel ſi mauis; ſicuti aliquis gemmis decoratus, vel veſtitus dicitur, quia veſtem gemmis renitentem induit, ſic prorſus Deus, qui Cœlo quaſi veſte circundatur, in quo gemmæ ignium fulgent, luminibus perhibetur amictus.

§. III.

Quid ſit Cœlum; & de numero, & ordine Cœlorum.

1 HVcuſque Aſtronomorum, nedum Philoſophorum, viguit ſententia, Cœlum aliquod eſſe corpus incorruptibile, & immortale; ſed audiamus Pſalmiſtam; *Extendens cœlos quaſi cortinam*: & inſuper ſtellarum Cœlum, Firmamentum eſſe, ideſt ſolidum corpus, & impenetrabile, fuſum æs, aut ſolidam cryſtallum repræſentans: nec vnum tantum Cœlum dari, ſed nec duos, aut tres, verùm decem, aut duodecim; ſcilicet vnicuique Planetarum ſuum, quibus decimum additur Firmamentum, vndecimum Criſtallinum, ſeu aqueum; quibus omnibus Empyreum, Dei, Beatorumque ſedem, Theologi adiungunt. Quæ omnia, an ita ſe habeant examinare debemus.

2 Quod ad primum attinet Cœlorum ſoliditas, & Firmamenti nomen, omnino fictitia ſunt, & illius primęuæ, & ruſticæ Mathematicæ naſcentis ætatis, Aſtronomorum haud rationabiles inuentiones: neque in ſacra ſcriptura vllibi nomen Firmamẽti legimus. In principio enim Geneſis, latinus interpres (quiſquis ille fuerit) non de verbo ad verbum, ſed per proprietatem, communis tunc temporis ſententiæ transferens hębraica verba, ſcripſit; *Fiat Firmamentum*, *Geneſ. cap. 1. verſiculo 5.* nam in hebræo legimus, יהי רקיע *ſit expanſio*: quod in præſenti Pſalmo repetens doctiſſimus Pſaltes, dixit; *extendens Cęlos*, non *firmans*, quo verbo in terræ creatione paulo poſt vſurpat. Audiendus de hac re Abbas Rupertus. *Extendens Cœlum ſicut pellem. Firmamentum, non ſolidum quid, aut durum, vt vulgò putatur; ſed Aer eſt extenſus, & adeo ſubtiliatus, vt licet videri queat, rectius tamen ſpiritus, quam corpus dici poſſit. Rup. Abb. lib. 1. in Geneſ. c. 22. to. 1. pag. 9. col. 1.* Hăc opinionem a Diuo Ambroſio ſumpſiſſe Rupertum facilè crediderim; qui de Cœli ſubſtantia determinans, inquit. *De qualitate igitur ſubſtantiæ Cæli ſatis eſt ea promere quæ in Eſaiæ ſcriptis reperimus, qui mediocrib. & vſitatis ſermonibus qualitatem naturæ cæleſtis expreſſit, dicens, Quòd firmauerit Cœlum ſicut fumum; ſubtilem eius naturam, non ſolidam cupiens declarare. D. Ambr. lib. 1. Hexam cap. 6. to. 4. pag. 8. lit. C.* Vlterius progreditur his Authoribus ſe ſubſcribens Caietanus in hæc verba. *Extendens Cælos ſicut cortinam: Cortinæ extenduntur ſola expanſione. In Sacra ſcriptura hoc vltimo modo inuenitur hic teſtus expoſitus a Dauide in Pſal.* 103. *extendens Cælos vt cortinam; quamuis vulgata editio habeat ſicut pellem. Quo circa Dauidem ſequendo, ſimpliciſſimam extenſionem, quæ pura extenſio eſt, quæve decet ſimplicia corpora, intelligimus. Card. Caietanus ap. martineng. in Gloſſ. mag. to. 1. pag. 556. n 6.* En Cœlum non corpus ſolidum, non denſum, ſed fluidum, ſubtile, aereum, & igneum. Iuſſit ergo Dominus fieri extenſionem inter aquas, ex aere namque ſumens materiam, quaſi ignea decorauit natura; vel potius, quaſi medium inter ignes, & aquas poſuit; & ideo appellantur שמים nomen compoſitũ ab אש quod eſt ignis, & מים quod ſunt aquæ: quaſi Cœlum mediæ ſit naturæ inter aquam, & ignem.

3 Deinde corruptibile Cœlum ex ſacris literis habemus; & præcipuè Iſai. cap 51. *Cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum veteraſcet, & habitatores eius ſicut hæc interibunt. Iſai. cap. 51. verſ. 6.* Neq; (vt exponit D. Hieronymus) de annihilatione loquitur. ſed de eorum mutatione, accidentali vtique, in melius. *Si enim* (inquit *B. Hieronymus*) *de ſanctis ſcriptum eſt: Omnes quidem dormiemus, ſed non omnes immutabimur. Quanto magis hoc de Cælo, ac Sole, ſtelliſque credendum eſt.* Et poſt pauca ſubdit. *Oportet enim corruptiuum hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem Cælum veteraſcat, & terra; conſequenter, & ea, quæ in circulo eius continentur, & homines qui ſunt habitatores terræ, ſicut hæc morientur, non in interitum ſui, ſed in abolitionem vilitatis antiquæ, & innouationem futuræ gloriæ. D Hieronym. in Iſai. to. 4. col. 357. lit. C. & col. 358. lit. E.* Concludit tandem: *Ex quo perſpicuum eſt Cælum, & terrã non perire & in nihilum redigi, ſed in melius commutari.* Sed ea quæ non annihilantur, ſed mutantur corruptibilia ſunt; igitur D. Hieronymus corruptibiles agnoſcit Cœlos. Idem ſentit D. Paulus ad Rom. iuxta auream D. Ioannis Conſtantinopolitani expoſitionem; dum dicit, *Rom. cap. 8. verſ. 20. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam.* Nam iſtam vanitatem corruptibilitatem interpretatur. *Quippe Vanitati creatura ſubiacet. Quid hoc ſibi vult? Vanitati ſubiacet creatura? corruptibilis effecta eſt: quo nomine, & quamobrem? propter te hominem. Quandoquidem enim & corpus accepiſti mortale, & patibile, idcirco & terra execrationem accepit, & ſpinas tulit, ac tribulos. Porro Cælum vna cum terra veteraſcens, in melius deſinens mutabitur. D. Ioan. Chriſoſt. Hom. 14. in epiſt. ad Rom. tom. 4 col. 133. lit. C. D* Vt nos pro certo haberemus corruptibile Cælum eſſe, dum mutationem credimus ſubiturum. Item Cœli corruptibilitatem agnoſcit Doctiſſimus inter platonicos Philoſophus, iſque ſanctiſſimus, & præclariſſimus Martyr Iuſtinus. *Nam inductione melioris Cæli recens facti, Firmamentum tolli neceſſe eſt, tanquam id quod ad conſtitutionem illam nulli rei ſit, & vſui: vt eius interitu, vel tunc denuo coarguatur, vanum eſſe, quod de Cælo, expers ipſum, & generationis, & corruptibilitatis eſſe circumfertur, eorum hominum dogma, qui ingenitum, æternumque eſſe dixerunt. D Iuſtinus Philoſ. mater. in quæſt. ad orthod. Reſp. ad q. 94. pag. 450. lit. B.* Itemque D. Baſilius hom. 1. in Hexam. inquit. *Et quidem quantum attinet ad Cælorũ creationem ſatis perſpicue Moyſes indicat, aſtra ex praexiſtenti aliquo corpore corruptibili facta, præcipuè ipſum Firmamentum.* Confirmantur tandem mathematicis rationibus. Cometæ de nouo generantur, & corrumpuntur in Cælo Planetarum, igitur Cælum eſt corruptibile. Antecedens probatur ex obſeruatione doctiſſimorum, Mathematicorũ. Hoc fatetur *And. Argol. in Pandoſ. ſphær. cap. 64. pag.* 294. *Recentiorum mathematicorum, ex inſignibus opinio rationi, & experientię congrua, atq; obſeruationibus eſt: Cometes in æthera regione produci, naſci & corrumpi, conſtareque ex ſubſtantia Cæli condenſabili, & diſſipabili a Sole illuſtrata.* Hæc Argolus. Videndus eſt etiam Ioſeph Blancanus Societ. Ieſu, in ſua ſphæra, vbi plurimos citat Authores. *Ioſeph Blancan. in ſphær. lib. 16. pag. 155. &c.*

4 Reſtat modo de Cælorum numero determinare. Quod autem Planetarum non ſint Cæli diſtinti, apertiſſimè experientia euincit, cum impoſſibile ſit iuxta motuum obſeruationem, ipſos moueri in aliquo ſolido,

nam

Digitized by Google

nam Cœlum Martis neceſſariò in Solis Cęlum ingrederetur. Vnde optimè ait Blancanus Cęlos, epiciclos, eccentricos, & concentricos antiquorum Mathematicorum fuiſſe hypotheſes, ad declarandos motus ſiderum, ſicuti ſunt circuli ſphæræ armillaris, qui finguntur ad declarationem ſphæræ mundanæ. Ita cenſet citatus Blancanus. Eſſe porro plures Cęlos in ſacris literis habemus, a quibus minimè recedendum eſt; Nam D. Paulus raptum ſe vſque ad tertium commemorat Cęlum, quod Dei, ſanctorumque ſedem eſſe nulli fas eſt dubitare. Quod expendens D. Ambroſius, inquit. *Itaque nos non ſolum ſecundum, ſed etiam tertium Cælum eſſe, negare non poſſumus., cùm Apoſtolus raptum ſe vſque ad tertium Cælum ſcriptorum ſuorum teſtificatione confirmet. Dauid etiam Cælos Cælorum in illo laudantium Dominum conſtituit Choro. D. Ambroſ. lib. 2. Hex. c. 3. pag. 17 lit. A.* Hinc improbans illam falſam Antiquorum opinionem de Cęlorum concentu, ex ſphærarum colliſione prouenienti, ſubdit. *Sed facilè hic ipſa reſpondet veritas; nam qui tonitrua audimus nubium colliſione generata, tantorum orbium conuerſiones, qui maiori vtique, ſicut motu ferri æſtimantur, ita vehementiores ſonitus excitarent, non audire mus? Idem loc. cit. lit. B.* Ita cùm tot Cælos impugnet S. Ambroſius, tres tamen eſſe confitetur. Deinde ex nomine ipſo hæbraico, quo Cæli appellantur שמים certum eſt eſſe nomen duale, duale autem apud græcos duo tantum ſignificat, apud hębreos vero latius patet, vt duo, quatuor, ſex. Cęli igitur plures ſunt, & ſic duo, cum plura non cognoſcantur, & ſuper hos tertium, quod expanſionis nomine minimè ſignificatur, nec eſt phyſicæ conſiderationis. Hic etiam obſeruandum eſt aerem noſtrum, ſeu athmoſphæram, ideſt halituum circulus, quæ illa pars eſt aeris quouſque terræ halitus, & vapores progrediuntur, & vbi viuere Animantia poſſunt, in ſacra ſcriptura ſemper Cœlum appellari, tam in veteri, quam in nouo teſtamento, ſic Aues dicuntur *Volucres Cæli. Gen. c. 1. v. 26. 30. c. 6 v. 7. & ſequ &c.* Gen. cap. 1. cap. 6. cap. 9. 3. Reg. c. 16. & c 21 Pſal. 8. & Pſ. 103. Ierem. c. 7. & c. 9. Daniel. c. 2. 3. & 4. Matth. cap. 8 & cap. 13. Luc. cap. 8. c 9. & cap. 13 ex quo ſatis apparet Aerem cęlum vocari. Quod etiam Plinius teſtatur, inquiens. *Nam & hoc cælũ appellauere maiores quod alio nomine aera. Plinius lib 2. nat. hiſt. cap. 38. pag. 15.* Ex quibus concludendum eſt Cęlos nomine extenſionis, ſicut cortinas inter aquas poſitos, duos eſſe, ſcil. Athmoſphæram ideſt Aerem; & Æthercam regionem, in quo omnia ſidera mouentur, non alicui ſolido affixa, ſed vt ſphæræ igne ſuis ponderibus libratæ, & proprio inhærentes centro, vt Terrarum Orbis; quomodo verò reperiantur motus varij in Planetis, æquales in alijs, non eſt philoſophandum ratione ducta ex his motibus, & naturis, quæ notæ ſunt, ſed conſideranda Dei omnipotentia, cuius voluntate omnia ſunt, & cuius nutu omnia gubernantur. Quòd ſi ſtellæ ab Intelligentijs mouentur, vt fert opinio antiquorum Philoſophorum, benè nouerunt illi ſupremi ſpiritus dirigere illos igneos globos, ad diuinæ maieſtatis præſcriptum: ſi verò a propria mouentur forma, vt noſtrorum ſcotiſtarum ſatis probabilis eſt ſententia, ille vtique Creator omnipotens qui Mari poſuit limites, qui Terram ſuomet pondere firmauit, qui Oceano fluxum, refluxumque perpetuum indidit, etiam cuicumque aſtro ſuum pondus, locum, & motum, illiſquæ præceptum poſuit, quod non præteribunt. Dicant mihi queſo Proterui, qui omnia ſibi notis rationibus commenſurari volunt, cur Magnes attrahit ferrum? cur a cinoſura ipſa attrahitur Magnes? cur Philomena in Draconis guttur vel inuita currit? cur cæleſte fulmen vinum libans dolium non comburat? & innumerabilium effectuum, quorum ignorantur cauſæ reddan trationes; tunc his credemus de rebus a noſtris ſenſibis remotiſſimis per naturalia experimenta diſputantibus. Tres igitur Cęlos eſſe, ſtatuere neceſſe eſt, ſecundum ſcripturarum, Patrum, & etiam non obſcuri nominis Mathematicorum placitum. Aerem, qui per vaporum, exalationumque confinia terminatur, & cuius a terra diſtantia eſt tantum milliariorum 43. Æther, ſeu ſtellarum Regio, quæ ab Aere vſque ad Aquas cæleſtes protenditur incompertæ quantitatis; & empyreum, ſeu igneum Cælum, in quo Dei Maieſtas ſuis amicis, & electis gloriæ ſuæ magnificentiam oſtendit. Hæc ſententia apertiſſimè a D. Ioanne Damaſceno proponitur. Sed ante ipſum, eam docuit Platonicorum ſydus D. Iuſtinus Martyr his verbis. *Moſes dixit Cælos, ſed numero non tradidit vnum, neque duos, neque plures. Verum diuinæ literæ nominatura erant Cælos ſpacia quæ in parte ſuperiori forent, vt Volucres Cæli, & Aquilæ de Cælo, & ſydera Cæli. Itaque ex conſequentia poſitarum vocum intelligimus Cælos re eſſe duos, ſed ſpacijs plures. Ita D Ioan. Damaſcenus lib. 2. de fide orthodox. cap 6. ap. Pererium lib. 1. in Gen. pag. 29. lit. A. D. Iuſtin. Mart. in quæſt ad Orthodox. in Reſp. ad qu. 57. pag.* Quibus additum empyreum. tres omnino erunt. *De motu ſyderum vide expoſitionem verſ. 5. & v. 19.*

§. IV.

Quid ſit illud lumen, quo Deus amicitur.

1 DEum eſſe ens, cuius quidditatem, eſſe a ſe, dum primum verſum declararemus viſum plane eſt. Aſt ens lucidiſſimum eſſe hoc verſu exprimitur, *Amiciens te luce quaſi veſtimento.* Sed quid iſta lux ſit, inueſtigandum eſt ſupra iam vidimus poſſe hoc materialiter, & formaliter intelligi, Deum induere ſe lumine, quia Cælum luminibus plenum inhabitat; ſed Apoſtolum dicentem audio; *lucem habitat inacceſſibilem. 1. Ad Timoth. cap. 6 verſ. 16.* Quare non de iſtis luminibus, quæ videntur, ſed de alia incompræhenſa luce explicari debet. Non me latet empyreum Cælum ſic dictum ab igne, vnde clariſſimum, & lucidiſſimum eſſe oportet; Nam Ciuitas eſt non egens Sole, quia Dei claritate illuſtratur: cuius luminoſam pulchritudinem deſcribens ſapiens, ait; *Species Cæli in viſione gloriæ. Eccl cap. 43. verſ. 1* quod de eius fulgore interpretatur D. Bernardinus Senenſis. *Specie Cæli in viſione gloriæ, quia lucet quaſi corpora Beatorum: D. Bernard. Senenſ. fer. 2. poſt Dom. oliuar. to. 1. pag. 259. col. 1.* Et proſequitur vir ſanctus multa de eius claritate, & pulchritudine. Quia verò Deus, vt diximus, in Empyreo Cælo ſpecialiter continetur, illius ſplendore veſtitus dicitur: verum enim vero, potius dicendum videtur ipſum Cælum Dei claritate veſtiri, quia non fulgeret niſi a Deo lumen acciperet: de alio ergo lumine loquendum eſt, quod ſit immediatũ ipſi naturæ diuinæ; de quo loquebatur Pſaltes; *Signatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine Pſ 4. v. 7.*

2 Putant alij non de lumine materiali, ſed de ſpirituali ſermonem haberi; vnde quia ſubſtantiæ ſpirituales, medio intellectu omnia vident, & media ſapientia, quæ oculus mentis dicitur, & oculus lumen vocatur, per lucem, quam Deus ſe induit ipſam ſuam ſapientiam explicatam volunt: quare D. Auguſt. inquit: *Lux de Dei natura eſt ipſa ſapientia, D. Auguſt. de Geneſ. ad Lit. A. to. 3. pag. 191. col. 1. lit. D.* & ideo filius diuinus dicitur, *Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis; ſapient. c. 7. v 10.* quia vt inquit Gloſſ. *proceſſit Lux de luce, & eſt Imago Patris, & ſapientia.*

3 Ego vero putauerim, cum Deus ignis multis in locis vocatur, cuius maieſtatem ſub igne Ezechiel expræſſerit: *Ignis inuoluens, & ſplendor in circuitu eius. Ezech. c. 1. v. 3.* Vbi D. Hieron *Hoc dicitur ſicut dictũ eſt, Ignis conſumens eſt. D. Hieron. in Ezech. to 4. col. 730. lit. C.* ſic in Igne apparuit Moyſi, & ligneis linguis Apoſtolis; & cùm ſpiritualis ſit ignis de illo manifeſtè loquitur Ioan. Amorem eſſe, *Deus Charitas eſt.* Splendor ergo, & lumen illud quo Deus indutus deſcribitur, Amor eſſe; quia cùm Beatus eſt, & Beatitudo ſit Amor, ſeu frutio; ipſa Dei Gloria ſeu Beatitudo lumen illius eſſe determinamus, cum Genebr. *Amictus lumine, lucis claritate, eſſentiæ diuinæ gloria, & maieſtate. Gilb. Geneb.*

RADIVS

Digitized by Google

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

DE diuino lumine, & Cœlorum extenſione, ſecundum literalem intellectum Hucuſq; diſſerere conati ſumus; Verum quia Spiritus ſanctus, nos non tantum ſapientes, & ſcientes, ſed & operantes, & in ijs, quæ didicimus proficien tes, deſiderat; de Lumine ſpirituali Animarum, deque Cœlis Gloriæ noſtræ, agendum eſt; vt ad meritorios mores, quæ didicimus adaptemus.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio debet eſſe luminoſa ſine excuſatione.*
2 *Fides eſt lux illuminans mentem.*
3 *Chriſtus in Incarnatione lux.*
4 *Sancti ſunt veſtimentum Dei.*
5 *In Anima iuſti ſedet, & quieſcit Deus.*
6. *Per Dei miſericordiam peccatoribus extenditur Cœlum, quod tantum iuſtorum eſt.*
7 *Sacra Scriptura Cœlum eſt.*
8 *Eccleſia Cœlum eſt, per Martyrum mortem extenſum.*
9. *Deus per ſuas creaturas cognoſcitur.*

§. I.

Confeſſio debet eſſe luminoſa ſine excuſatione.

1 A*Miciens te lumine*. In præcedenti verſu Confeſſionem ſuadebat Prophæta, quæ neceſſaria eſt, vt Anima decore induta videatur: verum quia non ſufficit quæcumq; Confeſſio, ſed perfecta, & puro corde facta, ideo ſubdit; *Amiciens te lumine*. Quaſi diceret ſi tu peccatrix Anima, quæ peccatorum fuligine denigrata deformis effecta es, cupis ad priſtinæ pulchritudinis decorem redire, ea confeſſione opus habes, quæ luminoſa ſit, clara, ſincera, ſine nubeculis vanæ excuſationis; in amicos, occaſiones, caſuſque tuam reflectere culpam, non propria confeſſio, ſed aliena accuſatio eſt; cur ergo ſatagis decorari ſplendore tenebras afferens? Falleris vtique, non excuſationis vmbra, ſed accuſationis lumen ad illuſtrandum Animi vultum requiritur. Incogniti interpretatio hæc eſt. *Hic vult oſtendere*, inquit ille, *quod ad hoc, quod Confeſſio decoret Animã, debet eſſe luminoſa, angulis & excuſationibus carens. Incognitus in Pſal.*103. Tua malitia in errorem, culpamq; incidiſti, ipſam clarè fatearis.

2 Non errauerim, ſi peccatorem mortuo, & ſepulto homini ſimilem dicam; quippe qui in tenebroſo ſui cordis ſepulchro impœnitentiæ, & obſtinationis lapide obſeratus iacet: nec ad vitam illi redire fas erit, niſi prius, reſerato lapide, ipſe ſuum fateatur errorem. Lazari (qui omnium ſanctorum Patrum ſententia peccatorem ſignat) dum reſurrectionem contemplor, non parua incidit dubitatio: quare eum Dominus noſter iam rediuiuum non extraxerit de ſepulchro, ſed iuſſerit dicens; *Lazare veni foras? Ioan cap.*11.*verſ.*43. Poterat vtique qui vitam dabat, etiam extrahere de ſepulchro; noluit tamen, ad noſtram doctrinam, vt ſciret peccator ſe ſurgere ad vitam ſpiritualem haud poſſe, niſi priùs ipſe de ſuo monumento lucida confeſſione, procul omni excuſationis vmbra exierit. Peroptimè, in hoc verè magnus romanus Greg. *Mortuo Lazaro, qui mole magna premebatur; nequaquã dicitur reuiuiſce: ſed veni foras. Ex qua videlicet reſurrectione, quæ geſta in illius eſt corpore, ſignatur qualiter nos reſuſcitemur in corde, cùm videlicet mortuo dicitur: veni foras: vt nimirum homo in peccato ſuo mortuus, & per molem malæ conſuetudinis iam ſepultus, quia intra conſcientiã ſuam abſconſus iacet per nequitiam, a ſemetipſo foras exit per confeſſionem: mortuo enim: veni foras: dicitur; vt ab excuſatione, atque occultatione peccati, ad accuſationem ſuam ore proprio exire prouocetur. D. Gregor. Magn. lib* 22.*mor.cap.*9 *to.*2.*pag.*810.*lit.E.* Exeat igitur de monumento Mortuus, confiteatur peccator; ſuſtollat excuſationis lapidem, vt diuino lumine veſtiatur.

3 Hanc autem cauſam eſſe opinor, cur Dominus Confeſſarium medico, infirmo peccatorum aſſimilauit. Etenim redarguius cur peccatores ſuſciperet, cauſam aſſignauit ægrotis medicum neceſſarium eſſe, non ſanis. *Non neceſſe habent ſani medico, ſed malè habentes. Marc. cap.*2.*verſ.* 17. Medicus autem difficilè morbum curare poteſt, quem non nouit, & cùm occultus eſt niſi ab ipſomet detegatur infirmo, ſcire non poteſt. Ita peccator niſi clarè, ſuum peccatum ſpirituali medico fateatur curari nequit; ne cùm morbi fictitij curationem proſequitur a vero conſumatur. Ita cenſet D. Petrus Chriſologus. *Vt intelligant ægritudinem, medicum vt curentur admittant: confiteantur ſe peccatores, vt modo Chriſtus parens, & conniua largiatur veniam: ne poſt Iudex ferat in contumaces debitam ſine fine ſententiam. D. Petrus Chriſolog. ſerm.*29.*pag.*274 *col.*1. Neque Medicus quam occultamus infirmitatem, nec excuſatam culpam Deus ignoſcet.

4 Ad hunc ſenſum Patientiſſimi occurrunt verba: qui, vt ſinceritatem ſuæ confeſſionis oſtenderet, & culparum ſuarum luminoſam accuſationem, propter quã, & iuſti, & recti hominis cognomen promeruit inquit: *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam. Iob.cap.*31.*verſ.*33. Sed cur de ſinu ſermonem fecit, qui mente non corpore crimen ſuum celare poterat? Sed inde ſimilitudo eſt, nam ſi quis vel manum propter lepram ſordidam, vel propter furtum plenam alienis mercibus habet, ne foras qualis eſt, appareat, ipſam intra ſinum abſcondit: nec diſſimilis Peccator, quia peccatum ſuum fictis excuſationibus tegere conatur illud in mente, quaſi in ſinu abſcondere dicitur: ſic lepra medico haud manifeſta, deterior facta, in canchrenam infeliciter ruit. Idcirco autem præpoſuit Patiens, *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum*, quià hominis eſt hæreditaria excuſatio. Ita Gregorius Magnus. *Vſitatum humani generi vitium eſt, & latendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & conuictum defendendo multiplicare. D.Gregor. Mag. lib* 22.*moral.cap.*9.*to* 2. *pag.*810. *lit. B.* Quòd antè nomine ſinus mens malitiam celans exprimatur, paulo poſt idem innuit. *Et celaui in ſinu meo iniquitatem meam; Quia igitur ſinu ſecretum mentis accipitur, in ſinu iniquitatem celare eſt hanc in conſcientiæ latibulis occultare, nec per confeſſionem detegere, ſed per defenſionem velare. Ibid. cap.* 10. *pag.* 811. *lit. A.* Malum vtique miſerandum, morbum non detegere vt curetur, ſed tegere, vt putreſcat.

5 Huius rei non ignobile dedit primus exemplum, qui primus dedit vitam, Adam inquam. Peccauit ille, humanum vtiq; peccare fuit, ſed illud abſcondere diabolicum.

bolicum. Etenim dum poſt perpetratum crimen Diuinum Numen aduentare ſenſiſſet, abſcondit ſe inter arborum folia; folijs tegebat corpus, qui animam nudam habebat: Rami corpus celabant, in ſignum futuræ excuſationis: denique in mulierem totam delicti culpam detorſit, nec illa ſegnior in ſerpentem. O ſtulti in noua veſtra ſapientia decepti, Deo occultum nihil, confeſſionem peccati, ſicut non inquirit vt ſciat, ſic confiteri non vult vt puniat, luminoſam confeſſionem expectat qui perditum originale decus reſtituere ſatagit: At vos excuſando culpam, maiorem reddidiſtis; indignos vos venia demonſtraſtis, dum corda intuenti culpam occultare conaremini; Nam Deum vel ignorantiæ, vel iniuſtitiæ inſimulat, qui eum neſcire crimen exiſtimat. Optimè D. Greg. *Abſcondit ſe Adam &c. Cumq; excuſare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per ſerpentem, auxerunt culpam, quam tueri conati ſunt. Peccatum peccato addit, qui in culpa, quam fecit, patrocinia defenſionis adiungit. Idem ibid. pag. 810. lit. C.*

6 Quid paras, quid cogitas miſerabilis homo, Deo peccata tua occultari putas? diuinos oculos effugere? prorſus erras: qui omnia antequam ſint intuetur nequaquam cordis tui intima penetrare poteſt? deliras. Qui confiteris dum te accuſas, homini? falleris. Deus, qui omnia nouit confeſſionem tuam expectat, vt te decoret; non opponas excuſationis tenebras, & illuminabit te. Hæc eſt vera gloria, Beatitudo præclara peccata detegendo tegere, propalando abſcondere, confitendo annihilare. Hanc Beatitudinem agnoſcens Propheta Rex, exclamat: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ tecta ſunt peccata: Pſal. 1. 31.* illos vtiq; beatus exiſtimans, qui liberè ſuos cõfitentur errores: nã eos, qui negãt, qui excuſant infeliciſſimi ſunt Ethnicus hoc homo, ſolo naturæ lumine ductus fatetur, *Nemo abſolui, poteſt niſi qui dixerit cauſam. Q. Curtius lib. 7. de reb. Alex* Sed ſapientiſſimi, atque deuotiſſimi Iuriſconſulti, fuluo pœnitentiæ induti habitu, accipe votum. *O ingenioſa ſimplicitas, & mille tergiuerſationibus cautior, manifeſtare delictum; illis non iudex, ſed aduocatus eſt Chriſtus, qui ſe propria accuſatione damnarunt. Caſſiodorus in Pſal. 31.* Illuſtremus igitur cordis ſerenitate, loquelæ ſimplicitate confeſſionem noſtram, & decore pulcherrimo veſtiemur.

§. II.

Fides eſt lux illuminans mentem.

1 A*Mictus lumine*, &c. Per optimè dicebat Apoſtolus, *ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: Ad hebr. c. 11. n. 6.* quomodo autem in conſpectu tantæ lucis tenebræ ponerentur? etenim *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. 1 Ioan. c. 1. v. 11.* Oportet autem Animam illuminari mediante fide, vt Deo adaptetur: Quia igitur Deus lumine indutus apparet, debet Anima lumine fidei etiam ipſa veſtiri; ideo dicit Dauid, *Amiciens ſe lumine, quaſi veſtimento*; Ideſt Anima, quæ per fidem illuminatur: quare Apoſtolus ad Epheſios, diuina fide illuſtratos ſcribit, *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ad Epheſ. c. 5. v. 8* Nihil prorſus in mundo erant ante dominicam fidem niſi tenebræ peccatorum, & ignorantiæ, Dæmonum Idolorumque cultum, ſuperſtitionum vmbræ; ſed adueniente fide omnia ſunt illuſtrata, mens luce referta tenebras cæcitatis euertit. Fauet D. Petrus Damianus. *Tunc autem in homine dicitur, vt lux fiat, cum datur, vt illuminatio credulitatis infulgeat. Prima quippe mentis lux fides eſt. Vnde iam fidelibus dixit Apoſtolus Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. D. Petrus Damianus lib. 2. epiſ 5 tom. 1. pag. 75. lit A.* Sic Anima in tenebris infidelitatis degens, per fidei præcepta lumine induta refulget

2 Sed cur propoſita ſuperius Pauli Verba, ſcilicet: *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo*, clariùs non expendimus: cur ita neceſſaria eſt fides, vt ſine illa vniuerſa hominis opera virtute prædita, meritis conſpicua Deo minime delectabilia videantur? Sed illud nobis conſiderandum eſt, quod prænotauimus, Mentis lucem fidem eſſe. Conſidera quæſo omnia, quæ in mundo ſunt opera Creatoris pulcherrima, Cœlorum ordines, Pratorum viridantium amœnitatem, Florum delectabilem pulchritudinem, Hominum præſtantes formas, Auium coloratas pennas, mari um, lacuumq; tranſparentiam, ædificiorum ſumptuoſum apparatum, pictorum inſignes tabulas, Arborum ordinatam multitudinem decora ſpecie recreantem, camporum, Vallium, montiumq; delectabilem proſpectum. Hæc omnia ſi lumine deſtituantur miſerabili, & inuido tenebrarum carcere clauſa, nec delectabilia eſſe poſſunt, cùm minimè videantur. Igitur ſi lux eſt Fides, quid mirum ſi ſine illa placere opera noſtra non poſſunt ei, qui niſi lumine fidei ſplendida haud intuetur? vanæ ſunt virtutes, nulla ſunt merita, vbi fides deſideratur; nam & ſi omnia Deus videat, oculo viuificante non aſpicit fidei lumine deſtituta. *Sicut enim nihil delectabile (inquit Origenes) eſt hominibus ſine luce: ſic ſimiliter nihil eſt delectabile, nec acceptum Deo ſine fidei lumine. Origenes lib. 1. in Iob. to. 1. pag 230. lit. H.* Neceſſaria eſt illa lux fidei, ſine cuius lumine delectabiles, acceptabileſque Deo virtutes noſtræ non exiſtunt.

3 Aſt è conuerſo tenebroſa fidei radijs delibuta opera numquam eſſe poſſunt. Si aliquis accenſam facem ſecum deferret, euidens eſt ſe & in medijs tenebris occultari non poſſe, nam ipſa lux quam gerit illum illuminat: ſic fideli contingit, quæcumque in abſcondito cordis operatur, vel in loco quantumcumque remoto, ſiue terræ clauſus viſceribus, ſiue marium mancipatus abiſſo, ſiue nemorum latebris occultatus, quæ in fidei operatur lumine abſcondita, vel obſcura nunquã erunt. Teſtis eſt Ionas Prophæta, qui in viſceribus ceti incluſus in medijs fluctibus errans orauit ad Dominum: & quia fide protectus orabat, meruit exaudiri: oratio illa, licet inter tenebras orta, quia luce perfundebatur fidei Deo inuiſibilis non fuit. Illam vidit Deus, homines cognouerunt: quare Abbas Tuitienſis inde concludit. *Vbicumque concluſus homo ſi hominis ſpiritus fuerit coanguſtatus, ſiue Inferni, ſiue Terræ vectibus, ſi apud ſe habet verbum fidei, dum orat, non poteſt neſciri. Rup. Abbas Tuitien. lib. 2. in cap. 1. Ioan. to. 3.* Operamini ergo opera vitæ, Chriſti Aſſeclæ; & quæ nobis deſunt a Deo petamus, ſed tenebras excludamus credentes; adſit operibus, & operationibus noſtris lux fidei: quia ſi credendo iuſtificamur, non poſſunt Deo delectabiles non eſſe operationes iuſtorum.

4 Neque eos ſolummodo Fides illuſtrat, qui ſunt fideles, verùm etiam vnius vera fides alios clarificat. Sicut enim, qui lucidam geſtat facem non ſolum ſeipſum, ſed etiam alios ſecum incedentes, vel ſibi occurrentes illuminat; & quocumque peruenerit inde tenebras, vmbraſque propulſat; ſic qui lumen fidei habet etiã nõ habentes ſic illuminat, vt diuinis oculis viſibiles reddat. Hoc oſtenditur Matth. cap. 9. In ciuitatem ſuam Ieſus Dominus noſter ingreſſus, oblatus eſt ei Paraliticus, vtique ſanandus; Ieſus autem optimè proſpiciens offerentium, & rogantium fidem, illum curauit. *Et videns Ieſus fidem illorum, dixit Paralitico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. c. 9. verſ. 2.* Audi fidem illorum dixit, ſcilicet offerentium; non infirmi, peccator ille erat, infidelis permanebat, incredulus hæſitabat, & tamen ſociorum fide illuſtratus a Chriſto videri meruit, & curari: Acutè vt ſolebat Archiepiſcopus Rauenas. *Meritò Chriſtus operantium fidem reſpicit, & vecordiam reſpicit ſic iacentis, ut fidei alienæ ſuffragio paralitici Anima anteà curaretur, quam corpus. Reſpiciens, inquit, fidem illorum. Cernitis in hoc loco fratres, Deum non quærere inſipientum voluntates, non expectare ignorantiam fidem, non infirmorum ſtulta deſideria*

Digitized by Google

ſidqria perſerutari, ſed ad alterius fidem ſubuenire, quod per ſolam gratiam conferebat. D. Petrus Chryſ. ſerm 50. pag.292. col.1. O lucidiſſimos fidei radios, quibus infidelium inſipientia corda illuſtrata, etiam alieno lumine clara Dei oculis obiecta, miſericorditer reſpiciuntur. Nemo ergo fidei lumen deſpiciat qui diuinarum gratiarum nitore deſiderat decorari.

5 Vbi vero Fides radios non diffundit, nequaquam aliud quam tenebræ dominantur. Illius hominis inimicos, cuius vita eſt continuata belligeratio ſuper terram, patefacere Apoſtolus cupiens, ad Epheſios ſcripſit. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum. Ad Epheſ. cap 6. verſ. 12.* Mundum tenebras appellat Apoſtolus; quia tunc temporis gentilibus, & idololatris refertum, in eo ignorantiæ tenebræ, errorum vmbræ, ſuperſtitionum obſcuritates ferè Dominæ principabantur; infidelitate obcęcatos homines fidei radius non decorabat, tenebroſas & errorū caligine infuſcatas mentes fidelitatis obſequium non illuſtrabat; ſic quia tenebræ erant Sole iuſtitiæ carebant, & tanquam noctuæ aues Rectores tenebrarum principes Dæmones ſequebantur: Has tenebras illuſtrare fidei fulgore optabat Paulus, ſed quia obſiſtebat Diabolus & Angeli eius, contra ipſos pugnantes inſtruit Epheſios, eis inimicos oſtendens, dicens: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum.* Verùm quia contra tenebrarum exercitum, eiuſque Rectores potentiſſima Machina lux eſt, ipſam ſumere Epheſios iubet; *In omnibus ſumentes ſcutum fidei. ibid verſ 15.* Audiamus ſapientiæ oraculum Auguſtinum. *Quid eſt mundi? tenebrarum harum. Quibus eſt Rector? dilectoribus ſuis, & infidelibus, quibus plenus eſt mundus. Hos appellat Apoſtolus tenebras. Harum rectores Diabolus, & Angeli eius Hæ tenebræ non naturales ſunt, non icommutabiles ſunt, mutantur, & lumen efficiuntur: credunt, & credendo illuminantur. D. Auguſt. ſerm.8. de verb. Dom. to.10. pag.13. col.1. lit. A.* Iam ex toto terrarum orbe Deus expellere has infidelitatis tenebras curat; incipiamus nos primùm è cordibus noſtris eijcere, firmæ fidei ſplendorem dando, vt ad noſtrum lumen reliqui illum inentur.

6 Ea eſt inter lucem, & reliqua viſibilia differentia, vt ipſa lux ſemper videatur ad quamcunque, (intra actiuitatis ſuæ ſphæram) diſtantiam, etiam ſi medium inter lucem & oculum nullo modo illuminatum ſit; reliqua vero viſibilia, licet illuminentur, non videntur tamen, niſi etiā medium ipſum illuſtratum ſit. Erat quippe, & eſt lux vera omnem hominem illuminans, omnes tenebras propulſans, imò & in medijs refulgens tenebris; attamen poſtquam carnem amictus eſt, vt reliqua viſibilia eſſe cœpit, ſic eſt in mundo, & eum minime videt mundus, ſed infidelis mundus, mundus fidei lumine non illuſtratus; nam fideles eum vident. Propterea Chriſtus dicebat diſcipulis: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.* Omnes ergo Beati qui Chriſtum vident? Nequaquam; quia multi ex his qui eum viderunt damnati in inferis cruciantur. Imò omnes, inquā, qui videbāt Beati, ſed nō omnes videbant: illis erat viſibile, qui medium inter mentem, & Chriſtum lumine, fidei illuſtrabant: infideles vero non videbant, qui eum Chriſtum, & Redemptorem haud agnoſcebant, illis inuiſibilis permanebat. Ita docet Agnellus Epiſcopus. *Qui vt eſſet viſibilis corpus noſtræ fragilitatis aſſumpſit, non ut inuiſibilis eſſe ceſſaret, ſed vt in ipſo Chriſto inuiſibilis increduli permaneret. Nam cum dicit: Beati oculi qui vident, quæ vos uidetis: ergo Beati erant iudæi omnes, & hi qui eum crucifixerunt; de quibus Dauid dicit: Ipſi vero uiderunt, & conſpexerunt me? Vides ergo, quia inuiſibilis perſeuerat, & mente cernitur pura, & credula. Agnellus Epiſcop. lib. de rat. fidei. tom.3. Biblioth Vet. P.P col.148.* Mundemus ergo mentem noſtram a caligine incredulitatis media fide vt videre poſſimus Dei filium hoc docet D Bernardus. *Fide oportet mundare oculum, qui uideat Deum. D. Bernard. Clareuall ſer. 28. in Cantic. col. 650. lit. C.* Sic illuſtrati lumine, Diuinitate fruemur.

§. III.

Chriſtus in Incarnatione lux.

1 A*Mictus lumine quaſi veſtimento.* Vt quid Deus lumine veſtiri dicitur, *Amiciens ſe lumine quaſi veſte?* Deus enim lux eſt, tenebris caret, quo ergo alio lumine lux ipſa veſtiti poterit? Sol cùm veſtitur nubibus lumen occultat. Paradoxum videtur lucem ſuper indui lumen. Sed ab ipſo Sole dubij occurrentis ſolutionem inquiramus. Sol ita ſua luce fulget, vt ab hominibus videri nequaquam poſſit; cùm vero Horizonti proximus vaporibus, halitibuſque tegitur, vel aqua, aut ſpeculo recipitur, ſine oculi noxa intueri poteſt. Sol ęternus immortali lumine fulgens videri a mortalium oculis haud poteſt; idcirco in ſua gloria rutilans lumine nobis inuiſibili circundatur. Vt autem etiam nobis viſibilis appareret, carne veſtiti voluit: ſic dicitur amicire ſe lumine, ideſt eo temperato lumine, quod noſtris oculis ſit viſibile: Ita Venerabilis Angelus del Paſ. *Amictus lumine ſicut ueſtimento: lumen & ueſtimentum humanitatem aſſumptam uocat. Ven. Angelus del Pas lib.5 in ſimbol. Apoſ. cap.9 to.1. pag.13 lit. B.*

2. Hinc manifeſtè illuſtratur intelligentia ad Regalis Prophætæ ſenſum capiendum; qui inquit Deo. *In lumine tuo uidebimus lumen. Pſal. 35. uer. 10.* Quid loqueris ſancte Princeps, quid doces? reliqua omnia viſibilia lumine egent, vt videantur, aſt lumen ipſum alieno ſplendore non indiget. Quod aliorum ratio eſt, & cauſa videndi, ipſum maximè videatur neceſſe eſt; & ſic ſeipſo videtur, alio non indigens: ne proceſſum in infinitum (ita exoſum Philoſophis) in luminibus concedamus. Quomodo igitur fieri poteſt, quod tu narras, lumen æternum ſine alio lumine videri non poſſe? *In lumine* (inquis Deo) *tuo uidebimus lumen.* Sed quid redarguere ſapientiſſimū Pſalē ſtudeo? Optimè, & doctè loquitur: audiuimus ſæpè Eccleſiam canentem (& in fidei profeſſione idipſum confeſſi ſumus) & vocantem Dei Verbum *lumen de lumine*: ergò Patrem non nouit niſi filius, & cui filius reuelare dignatur: & quomodo videbimus Patrem? videndo filium: nam *qui uidet me, uidet & Patrem, Ioan. cap.8. uerſ.9.* inquit. Filius verò in ſplendore fulgurantis maieſtatis non poterat cerni, & ideo ſuper induit lumen nobis proportionatum, dum carnem aſſumpſit, vt per humanitatis lumen, æternæ maieſtatis lucem cognoſceremus. Vliſipponenſis Antonij hæc deciſio eſt: ipſum audiamus. *In lumine tuo uidebimus lumen lux ergò quæ erat inacceſſibilis, & inuiſibilis, facta eſt in carne uiſibilis illuminans ſedentes in teneris. D Anton. de Pad ſerm. Dom. Septuag. pag.26. col.2.* Vt ſic per lumen humanitatis, diuinitatis lumen perciperemus.

3 Perpulchrè ſanè Mellifluus Clareuallenſis Abbas incarnationem Verbi Diuini comparat lumini intra lanternam quandam incluſo: lumen de nocte ad vias illuminandas deferens, ne nimio illius ſplendore oculi offenſionem incurrant: illud intra lanternam aliquam includit, vnde vel per chartam, vel per vitrum exiens radius aliquantulum obtundatur, vt ſic viam illuſtret, oculum non offendat. Erat vtiq; vnigenitus Dei lux, quæ vniuerſum illuminat, de qua Euangeliſta: *Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Ioan cap. 1.* Sed illam lucem, ſi ſic in mundum veniſſet, mortales oculi ferre non valuiſſent; idcirco corpus ſanctiſſimum, expuriſſimis viſceribus Virginis Matris quaſi quamdam lanternam (vt D. Bernardi verbo vtar) compoſuit, in qua illa lux clauſa temperatos diffunderet radios, ad illuſtrandum, non confundendum mundum. Quapropter noluit Deus nos ad ipſum accedere, ſed ipſum nobis temperato lumine illuceſcere,

ceſcere, ne Phaetontis fictitios caſus, vera perditione imitaremur. *Ita eſt* (inquit D. Bernardus) *fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit, ſed duplex erat impedimentum; nam & caligabant oculi noſtri: ille vero lucem habitat inacceſſibilem; & iacentes paralitici in grabatis, diuinam illam non poteramus attingere celſitudinem. Propterea benigniſſimus Saluator, & medicus Animarum deſcendit ab altitudine ſua, & claritatem ſuam infirmis oculis temperauit: induit ſe lanterna quadā, illo vtiq; glorioſo, & ab omni labe puriſſimo corpore, quod ſuſcepit. D Ber. Clareu. ſer. 1. de Adu col 4 lit. A. B.* O inuentionē illuſtrē Bonitatis diuinæ; induit ſe lumine tanquā veſtimēto, veſtiuit, ſæpiuit ſe corpore quaſi lanterna, vt animam illuſtraret, oculum non offenderet.

4 Sed heu deplorabilis cæcitas: tanto lumine perfundi, tanta charitate ſaluari mortales non curant: ne diuinæ lucernæ radijs illuſtrentur, oculos homines claudūt. Eſto in priſcis mundi ſeculis, aliqua excuſationis occaſio præberetur; quòd lux illa inacceſſibilis eſſet, quòd Cæli cælaretur nube, quòd ſuo fulgore oculis ininueſtigabilem ſe præberet; ſed modo, quæ occaſio iuuat, quæ excuſatio ſeſe offert, vt lucem nolimus intueri? Ne Solem timeamus; nequaquā Sol eſt extra Cælum, ibi, vbi ſempiterna illuceſcit Dies Sol ille iuſtitiæ, oculis immortalium clarè lucet; Hic, in huius ſæculi nocte, non ſol, ſed cereus eſt. Quid aliud Cereus ille, quā ſancta Mater Eccleſia in vigilia Paſchæ ſolemni cæremonia accendit, & conſecrat, niſi humanitatem Chriſti diuinitatis lumine accenſam ſignificat? In nocte ſumus, luce indigemus, ſol abeſt, cerea eſt humanitas, quæ veluti cera breui temporis ſpatio liqueſcit, en diuinum lumen in incarnatione hunc cereum accendit, illuminari deſideratis? accedite; audite propheticam exhortationem: *Accedite ad eum, & illuminamini. Pſal. 33. v. 6.* non eſt Sol offuſcans, ſed cereus illuſtrans. Audiendus Idem Bernard. *Ideo quippe Vnigenitus Dei, ſol iuſtitiæ, tanquam immenſi, & præclari luminis cereus in huius mundi carcere illuminatus eſt, & accenſus, vt omnes, qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique iungantur. D. Bern. Clareu. ſer. 3. in Vigil. Nat. Dom col. 42. lit. C.* Accedite, accedite mortales ad lucem, præcipitium amat, qui ambulans in tenebri facem dedignatur accenſam.

5 Hoc Dominus ipſe ſuis operationib. oſtendere dignatus eſt: nā multos curauit infirmos, ſed præcipuè a Dæmonis vexatos, ſub veſpera; hinc Matth. c. 8 legimus: *Veſpere autē facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & curauit eos. Matth. c 8. v. 16.* Quæret fortaſſe aliquis, cur de ſero miracula illa operetur, quæ æternitatis luce digna fuere? Melius vtiq; fuiſſet diurna luce dū homines multi vias occupabāt teſtē ſuorum miraculorum ſolē habere, vt eius cognita virtute ipsā celebrando prædicarēt. Reſp. D. Petr. Chryſ. hoc facto Dominū oſtendiſſe, ſe in noctē huius ſæculi veniſſe, ad illam ſuo lumine clarificandā. *Sero lucis Redditor uenit, vt nobis gentibus, qui in nocte venimus ſæculorū, diem redderet ſempiternum. D. Petrus Chriſolog. ſerm. 18 pag. 263. col. 1.*

6 Vir quidam non niſi excæcatis luminib. ad vitæ lucē exierat; is cùm videret ſe, tunc magis lumine deſtituit, quo propinquior erat ad lucem, optabat coeuā oculorū ſuorum tenebram aliquo ſupernaturalis luminis beneficio expelli; Saluatorē ergo mūdi ſua miſeria ad miſericordiā excitauit: volens autē Dominus noſter reſtituere debitam, ſed numquā habitā lucem expuit in terram, lutum ex ſputo, & puluere cōglutinās ſuper oculos eius linit, lauari iubet, ille obtēperans, optatū lumen aſſequitur. Myſterijs tamen nō paucis hæc curatio plena eſt; cur ſputum terræ miſcetur, vt fiat luminis redditor? Sed diuina myſteria declarantur. Sputū a capite deſcendere nemo eſt qui ambigat, hinc Verbum diuinū a Patre diuinarum productionum principio genitū ſignat: Verū quia Verbū, vti eſt, noſtra nō ferret infirmitas, ſputum miſcetur terræ, Verbum veſtitur terrea carne, vt ſic homines omnes, cæci mundo nati; ideſt ſub originali culpę caligine geniti, gratiæ lumen recuperarent. Ingenioſè, & mirabiliter D Ant. Patau. id explicat. *Sputum deſcendens à capite Patris ſapientiā ſignificat. Caput, inquit Apoſtolus Chriſti Deus. Vnitur ergo ſputum pulueri; ideſt Diuinitas Humanitati; vt illuminentur oculi cæci nati, ideſt generis humani in primo parente excæcati. Ecce ego habet, quòd eadem Die, qua dixit Deus; fiat lux; eadem die ſcilicet Dominica, ſapientia Dei Patris Chriſtus natus de Virg. Maria, tenebras, quæ erant ſuper faciem Abyſſi, ideſt cordis humani, effugauit. D. Ant. de Pad. ſer. Do. ſeptug. pag. 26. col 2.* Diffugite tenebræ; qui luminoſus eſſe deſiderat, appropinquet ad lucem.

7 Attamen velata licet hæc lux, & ſi terreno indumēto hic ſol tegatur; Ita tamen ſplendet, ſic fulgorib. micat, vt eius vnius luminoſa facies, ſolis, & Aſtrorū omnium lumen tenebroſū oſtēdat: Nā ſicut Sole adueniente ſydera omnia obſcurātur, ideſt apparere nequeunt; ita ad Redemptoris noſtri aduentū, ſol obſcuratus eſt, amiſit Luna ſplendorem, & ſtellæ omnes, quaſi tenebris tectæ, diſparuere. Teſtem adhibeamus Prophætā Habach. qui de hoc aduentu vaticinans, ait; *Operuit Cælos virtus eius, ſplendor eius vt lux erit. Habac. c. 3 v. 3.* Videte, quid dixerit lucem operire cælos; potius opertos cælos lux aperit, & oſtendit: nō .n. cælum per ſe nequaquā viſibile, videremus niſi lumina adeſſent, quæ veluti lucidiſſimæ gemmæ, faciem eius decorant. Verum hoc eſt, ſed ſicuti lumina illa minora ſplendēt in nocte, ſic adueniente Sole amplius nō videntur, & ſic videtur ſol operire, & claudere cęli lumina ita pariformiter, adueniente in mundū Dei Filio; tanta fuit eius lux vt operiretur cælum, obſcurarentur omnia lumina; nec inferiora tantummodo; ſed ipſa cæli luminaria magna Sol, & Luna lumine deſtituta viderentur. Ita cenſet Agellius. *Admirabiliter autē & cū emphaſi quadā dictū eſt; operuit; nō .n. ſplēdor, & lux operire ſolet, ſed potius operta detegere: voluit ergo excellentiā ſplēdoris hac figura ſignificare; ac tantū lucis attuliſſe Deū venientē, ut etiā ſolis & aſtrorū lucem operiret, & tegeret: maior enim lux minorem obſcurauit, & abſorbuit. Agell. epiſ in cātic. Habac. pag 675 col. 2. li. A.*

8 Hac ratione conuictus ſapiens deſcribens pulchritudinē militātis Eccleſiæ ſub nomine cęli, inquit; *Species Cæli in uiſione gloriæ. Eccl. cap. 43. verſ. 1.* Quaſi diceret. Pulcherrima æterni Regis ſponſa Eccleſia eſt, quæ veluti lucidiſſimum fulget Cælum, ſed tota pulchritudo eius conſiſtit in uiſione gloriæ, ideſt, in lumine ſponſi eius Chriſti: ſicut enim cæli materialis tota ſpecies conſiſtit in ſyderum ſplendore, ita tota Eccleſiæ pulchritudo eius Redemptoris, iuſtitiæ ſolis, lux eſt: ita Gloſſ. *Excellentiam manifeſtat Redemptoris, qui ſplendore ſuo illuſtrat credentes. Gloſſ. ordin.* Certè inter credentes enumerari non debet, qui tanti luminis claritatem non videt. Vſq; quo mortales tenebras veſtras diligetis, vmbras amplexabimini, ſolem odientes? reſipiſcite cæci, redite oberrantes ad lucem: peccatorum tenebræ, ad æternas caligines viam parant: lux vera tantum, quæ homines credentes illuminat, Paradiſi viam oſtendit: in lucem credite dum habetis.

§. IV.

Sancti ſunt Veſtimentum Dei.

1 A*Mictus lumine ſicut ueſtimento.* Diuina Maieſtas ita in ſua gloria refulget, vt nulla indigeat creaturatū pulchritudine ad ſuæ maieſtatis decorem. Quia vero nobis abſcondita tanta lux eſt, niſi ex creaturis ornatum ſuum minimè cognoſcimus: Hinc per Prophetā dicitur; *Amictus lumine ſicut ueſtimento*, per luminoſū Dei veſtimentum ſanctorum ſuorum ſanctam claritatē intelligens. Etenim ſi terrenus Princeps decorari, & illuſtrari dicitur, dum Magnatum ornamenta Dominantis illuſtrem potentiam demonſtrant; ita prorſus Deus lumine ſanctitatis ſeruorum ſuorum dicitur indutus, quia in ipſis Dei ſanctitas innoteſcit. Propterea inquit Incogn. *Lumine ergo ſicut ueſtimento induitur Deus; quia ſanctis omnib. quibus, dictum eſt; uos eſtis lux mundi: in illa æterna gloria ueſtietur. Incogn in Pſal. 103.*

2 Cacodæmonum Princeps, dum in Aula cœleſti, naturali gloria fulgens, inter aſtra fulgentia rutilus apparebat, luciferi cognomen ſortitus eſt. Hinc de eo

Digitized by Google

dicitur; *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Iſai. c.14.v.12.* Sed in mentis cęcitatem perueniens in tenebras lucem commutauit. Ideo autem lucem ferē tis dignitatem habebat, quia Deum lumine naturalis excellentiæ, & originalis innocentiæ veſtiebat. Decorabatur namq; Cęlorum Rex, dum inter tot creaturas, opus manuum ſuarum excellentiſſimum præfulgebat: Illuſtriſſimus Dominus, cuius ſerui lucis nitorem in ſuis actionibus ferunt. Sic lucifer luce ſua veſtiebat Altiſſimum. At poſtmodum maculam rebellionis incurrens lucem perdidit, & nitorem; luctuoſis tenebris mancipatus, nequaquam Dei veſtis eſt, nec Luciferi nomen habet. Ita cenſet D. Hieronymus. *O Lucifer, qui mane oriebaris, qui quando habebas opera virtutis, & luminis eras veſtimentum Dei; & de te dici poterat; Amictus lumine ſicut veſtimento: quia multos interfecisti gladio, qui deſcēderunt in infernū, & eorū pollutus es ſanguine, nequaquā vocaberis veſtimentū Dei. D. Hier. in c.14. Iſai. to.2. pag. 149. lit. C.* Sed illi ſancti Angeli, qui olim fide, & meritis effulxerūt, & nunc gloriæ lumine irradiantur, dici veſtimentum omnipotentis merētur.

3 Sanctus Sanctorū, Gloriæq; Rex Chriſtus Dominus noſter eſt; Huic maximo Principi magnates omnes Aulæ cæleſtis adhærent, & tanquā gemmarum corona ipſum circundant. Ibi omnes illi vitiorum triumphatores, conculcatores mundi, virtutibus emicant, meritis elucеſcūt: & triumphali gloria circundati, veluti ſtellæ fulgentes, imò radiantes Soles, in illa curia ſuperna refulgent. Hinc glorioſiſſimus Dei Filius, tot Aſſeclarū ſuorum luminibus irradiatus in veſte immortalitatis fulgētiſſimus apparet. Huius luminoſi Paludamenti claritatē, adhuc viuens, oſtenſurus Thabor aſcendit; ibi corā ſibi chariſſimis ſuæ gloriæ decorē patefaciens, inter reliqua ſui immortalis Regni ornamenta, fulgentiſſima veſte decoratus apparuit: *Veſtimenta autē eius facta ſunt alba ſicut nix. Matt. c.17. v.2.* Neq; hoc tam rutilū veſtimentum aliud cenſet Incognitus, quam omnium ſanctorum claram iuſtitiam, cuius ipſe potiſſima cauſa eſt; eius eſt triumphus, qui victoriā præſtitit, eius gloria, cuius auxilio, & virtute certatum eſt. *Per Euangelium dicitur quod, transfigurato in monte Domino veſtimēta eius facta ſunt candida ſicut nix; in mōte enim veſtimēta facta ſicut nix, quia in ſupernę claritatis culmine Sāčti omnes ei luce iuſtitiæ fulgentes adhærebunt. Incog. in Pſalt. in u. 1764. p. 692 col. 1. lit. D.* Quid igitur mirū ſi ita ſplēdet Domini veſtimētū dum tot ſanctorū luminib. irradiatur?

4 Huc reſpiciens Apoſtolus ad Epheſios ſcribens, Eccleſiæ catholicæ Dei ſpōſæ nitorem inſinuans, eam glorioſam, & immaculatam fore neceſſarium eſſe docet, his verbis: *Vt exhiberet ſibi glorioſā Eccleſiam, non habentem maculam, neq; rugā. Ad Epheſ. c.5. v 27.* Cur autem in huius ſæculi Eccleſia conſtituenda tanta adhibetur diligentia? Hæc Eccleſia finem cum ipſo mundo ſortitur: cum homines viatores eſſe deſierint, Eccleſia nulla erit: potius ergo in cæleſti illa patria conſtituenda omnis ruga abijcienda eſt, illa Gloriæ Regia eſt, illa æterni Regis Curia, illa immortalium Principum ſedes, illa æternitate durationem metitur. Sed vna quæſo mecum, hominis mundani diligentiam animaduertite: qui ſi pannum pro conſtruenda ſibi veſtē deligere debet, omni adhibita ſolertia inquirit, vt ſit pretioſa materia, color pulcher, fulgida ſpecies, ſine macula, ſine ruga: & hoc ideo, quia inde ſibi veſtem conficere debet; Quòd ſi regia eſſet veſtis facienda, Hæc omnia diligentiſſimè, & accuratiſſimè inſpiciuntur. Haud ſecus Cælorum Monarcha Eccleſiam terrenam, quaſi pannum delegit, ex quo ſibi in cæleſti ſolio veſtimentum luminoſum efficiendum eſt: nā ab ij, qui eum diligentes in hac vita virtuoſè, & ſanctè viuunt, in æterna beatitudine induitur, & decoratur: decet igitur, pannum illud, ex quo diuina veſtis fieri debet glorioſum & immaculatum eſſe. Audiendus D. Greg. Magnus. *His nunc veſtitur, a quibus diligitur, Paulo atteſtante, qui ait: Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam: Quę enim maculam, aut rugam non habere dicitur veſtis rationalis monſtratur. D. Greg. mag. lib 2. c.21. in Iob to.2. pag. 346 lit. D.* Viuat ergo a peccatorum maculis alienus, qui Dei veſtis fieri in æternitate deſiderat.

5 Regius Vates in Pſalmo 92. veſtem diuini Regis declarat, dicens; *Dominus regnauit decorem indutus eſt. Pſal. 92. v.1.* Hinc poſteaquam ſymbolicè, multos huius veſtis ornatus declarauerat, ſubdit; *Domum Dei decet ſanctitudo in Longitudinem dierum ver. 7.* Quare autem inter ornamenta diuinæ veſtis, etiam Eccleſiæ ſanctitudo deſcribitur, niſi quia, & ſanctitate ſeruorum ſuorum veſtitur Deus? ſancta ſit Eccleſia, id eſt Fidelium congregatio; etenim cum Dei ſerui ſanctè viuunt, & ad eius laudes perſoluendas purè, & ſanctè conueniunt, luminoſam Deo veſtem intexunt: Vitæ innocentia, conuerſationis ſanctitas, modeſtiæ fulgor decor eſt veſtis Dei: qui moribus enitet Deum luminoſum oſtendit; Ab hoc ſenſu non diſſidet Michael Ghiſlerius, inquiens. *Decor ipſe ſanctitatis, quem decere dixi Domum Dei; ipſaque confeſſio, laus, & gratiarum actio, quę in templo eidem Deo exhibentur, veſtes Dei ſunt. Michael Ghiſlerius in Hieremiam. to.2. pag. 40 col. 2. lit. B.* Pudeat nos obſoletam, & laceram, & multoties fætentem, Deo exhibere veſtem, dum peccatis referti, ad Dei Eccleſiam conuenimus: odio habet veſtes putridas, qui ſolum ſanctitatis decore veſtitur.

§. V.

In Anima Iuſti ſedet, & quieſcit Deus.

1 **E**Xtendens Cælum ſicut pellem. Omnipotentia ſua dignum Palatium conſtruens Altiſſimus, Cælum tanquam pulcherrimum tentorium extendit ſibi. Reuera tamen materiali pulchritudine parum delectatus, prætioſius Cælum in Anima iuſti ſibi parat; ibi tanquam in fulgenti ſuæ maieſtatis ſolio ſedet; ibidem velut in dulci Diuinitatis lectulo requieſcit. Cælum vtique, non igne ſolis, ſed charitatis ardore perlucciduū; non ſyderum decoratum luminibus, ſed virtutum ſplendoribus exornatū; nō Intelligentiæ directione mobile, ſed ſpiritus ſancti illuſtratione motum: Quod Angeli non habitant ſed reuerētur, Dæmones licet impugnent, exhorrent. De hoc Cælo Dauidis dictum intelligit Magnus Albertus. *Extendens Cælum ſicut pellem. Iuſtus Cælum eſt, in quo ſedet, & quieſcit Deus: & extendit illud propter eleemoſinarum largitatem; ſed ſicut pellem, per carnis mortificationem, vt inde faciat ſibi tentorium.*

2 Hac ratione vtebatur Ieremias Prophæta ad diuinam impetrandam miſericordiam, dum orans Dominum dicebat: *Solij gloriæ tuæ recordare Hierem. cap. 14. verſ. 21.* ſeu, vt ſeptuaginta interpretes vertunt: *Ne perdas ſolium gloriæ tuę.* quaſi diceret: Iuſtè quidem iratus eſt Domine furor tuus in nos, quia peccauimus tibi; & nos vtique reos mortis æternæ fatemur: attamen recordare, quòd Anima noſtra ſolium eſt tuæ gloriæ, Cælum tuæ maieſtatis; ne quæſo nos perdendo tuum ſolium abijcias: etenim ſi noſtra delicta demererentur veniam, memoria tuæ magnificentiæ miſericordiam interpellat: polluimus ſedem, ſed tu mundare potes, vt iterum ſedeas: neque enim ita quieſcis in ipſo Cælorum Throno, ſicuti in Anima iuſti. Hunc autem eſſe orantis Prophetæ ſenſum interpretatur D. Hieronymus. *Solium gloriæ Dei non ſolum arbitremur Templum Iudeæ, quod ſæpe deſtructum eſt, ſed omnem ſanctum, iuxta illud, quod ſcriptum eſt; Thronum eius in terra colliſiſti Pſ. 88. Tunc alliditur, atque conſumitur, quando multitudine peccatorum offendit Deum. Sed tamen qui ſua culpa periit, Domini clementia ſuſtentatur. D. Hieronymus in Ieremiam to.4. pag. 576. col. 1. lit. C.* Cælum Dei Anima eſt, ſed non illa, quæ peccatorum turpitudine fœdata Diaboli receptaculum eſt, ſed quæ ſanctis operibus radiata, virtutibus, quaſi ſtellis emicat, prius per pænitentiam, vel mortificationem extenſa.

3 Taceat ergo, qui cum Pſalmiſtam canentem audit. *Cælum mihi ſedes eſt* de materiali intelligit Cælo; tanquam

Digitized by Google

quam hoc ſit Dei maieſtatis condignum ſolium. Nam vbi ſydera virtutum emicant, rationale Cælum intelligendum eſt. Spiritus namq; cùm Deus ſit, nonniſi in ſpirituali ſolio requieſcere poteſt; de quo loques ſapiens, inquit; *Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ. Sap. c.7.v.* Quã enim quietem inueniet Deus in Cælo, quod continuis vorticibus mouetur, & requiẽ nõ nouit? quod mutationum omnium origo eſt, immutabilis Deitatis quomodo ſuſtinere poterit maieſtatem? In Cælo vtiq; Deus quieſcit, quia ibi in ſuis ſanctis æterni gaudij requiẽ cauſat. Sapientia illa increata, quæ Cęlo ſublimior eſt, antiquior chao, orbe latior, mare profundior, in ſolius iuſti viri anima delectabiliter requieſcit. Ita cenſet D. Bernardus. *Ergo virtus eſt ſidus, & homo virtutum Cælum: niſi quis fortè cũ Deum per Prophetã dixiſſe legit; Cælum mihi ſedes eſt, Cælum hoc volubile viſibileq; intelligendum exiſtimet, & nõ potius illud, de quo alibi apertius ſcriptura commemorat; Anima inquiens, iuſti ſedes eſt ſapientiæ D. Bern. Abb. Clar ſer.27. in cant. col.646. lit. F.* Cęlũ igitur Anima illa cẽſenda eſt, quę iuſtitiã colit, ſed cælorũ cælũ, in quo ipſe quieſcit, & regnat Deus.

4 Hoc nõ obſcurè ex ſacris literis datur intelligi. Omnium rerum opifex Deus, cũ cuncta in mundi exordio ex nihilo creaſſet, & ſex dierum ſpatio cuncta produxiſſet in lucem, tandẽ ſeptima die, vt legitur, *Requieuit ab vniuerſo opere quod patrarat. Gen. c 2. v. 2* Sed quis labor tantum Artificem, qui ſolo nutu cuncta patrauerat, ad quietem vocabat? In quos feſſus qui laborauerat numquã? Sed illud mirabilius; quòd cùm multa diebus reliquis produxiſſet, ſola diei ſextæ opera quietis neceſſitudinem induxerunt. Verùm hæc omnia nõ literalem, ſed myſticam expoſitionem requirunt: neque enim de illa requie, quæ labore priuat, ſed quæ laborem omnino negat intelligẽdum exiſtimo. Requieuit igitur Dominus nõ quia vires producendo laxauerat, ſed quia dignũ ſoliũ ſuæ mãſionis inuenerat; ſed quale? cælum forſitan tot ignibus emicantem lucem oſtentans? Solem forſitan lucis vniuerſæ ſcaturiginẽ magnã? Angelos potius crediderim, de quibus legis; *Qui ſedet ſuper Cherubim*: vel aerem tot apparentijs illuſtre, ambulat namq; ſuper ventorum pennas. Nulla ex his creaturis ſolium eſſe Deitatis obtinuit; ibi quies Amantis, vbi cor amatũ ſeſe offert: cùm ergo adhuc innocentis hominis ſurrexit Imago in dierum ſexto, ſtatim Domini cor charitate æſtuãs optatam requiem adinueniens, requieuit. Subtiliter quidem & deuotè D Thom. à Villanoua hoc expreſſit, inquiens. *In Homine quieſcit Deus, non in Angelo, nõ in Cælo, quia benefaciendi, ignoteſcendique ſufficientem, affluentemque ſibi materiam in eo dari perſpexit D. Thom. à Villanou. conc.3 in Natali Dom. pag.68. col.* 1 O fœlicem iuſti Animam cælo, Angeliſque preſtantiorem

5 Idcirco autẽ in Iſaia legimus, dum de Dei Templo loquitur; *Saluator ponetur in ea murus. Iſai c.26. v 2.* Etenim vt requie ſecuri, & abſque timore fruantur homines, domũ ſuam vndique muris circundant, ad quam per exiguũ oſtium aditus pateat, qui etiã aditus quietis tempore clauditur. Domus Dei electa, in qua Deus per gratiam inhabitare dignatur, viri iuſti mens eſt; ibi Deus pacificè quieſcit; vt autem ſine Dæmonum inſidis ſecurius requieſcat, Domum ipſam forti muro, ideſt ipſius Redẽptoris ſanguine circumdatũ voluit; ideo per Prophetam dicitur, *Saluator ponetur in ea murus, & antemurale*; peſſulum tantũmodo noſtræ voluntatis patet inimicis, clauſum diuina gratia quidem, ſed cuius clauis in noſtro libero eſt arbitrio, niſi nos conſenſum præſtemus nulli vitio patet aditus. Vrbs Fortitudinis, & alienis viribus inexpugnabilis anima iuſti profectò eſt, niſi ipſemet eam prodiderit, capi nullatenus poteſt; ita enim dominicæ requiei domum eſſe decet A quo ſenſu minime abhorret Magnus Greg. inquit enim. *Sed neque hoc prætereundum eſt negligenter, quòd idem murus poſitus dicitur in circuitu domus vndique. Domus quippe Dei, non ſolum ſancti Angeli, de quibus Pſalmiſta ait: Domine dilexi decorem domus tuæ: ſed etiam nos ſumus quorum mentes inhabitare dignatur. D. Greg Magnus. Hom.14. in Ezechiel, tom 2. pag.1327. lit. A.* Aduertere autem, quòd Dei Domus ſumus, hanc Domum ſanctitatem decere compertum eſt. Ne illicitis cogitationibus Dei domum polluamus, neq; irrationabilibus motibus quietem Domini perturbemus: virtutum ornatibus parietes eluceſcant, lectum Amor ſternat, deuotio foueat, perſeuerantia tueatur; ibi dulciter quieſcit Amor, vbi charitas dilatatur.

6 De hac Dei requie Apoſtolus Ioannes loquens, inquit: *Factum eſt ſilentium in Cælo quaſi media hora. Apocalip. cap.8. n.1.* Quæſo, Beatiſſime Euangeliſta, ad quem finem hoc cæleſte ſilentium directum eſt? Forſitan Mundi Monarcha, ad terrenorum Principum morem, requiem in huius ſilentij ſpatio capere deſiderat? Ita prorſus; nam ſi Cælum Anima iuſti dicitur; tunc præcipuè in ipſa quieſcit Dominus cùm ſilentium facit; tunc autem in Cælo animæ fit ſilentium, quando terrenarum rerum curis ſepoſitis, mens cæleſtium contemplationi vacat: & quia eo tempore totum Dei cor eſt, in ipſo ſpecialiter Dominus requieſcit. Audiendus Idem Gregiorius. *Cùm ergo quies contemplatiuæ vitę agitur in mente, ſilentium fit in Cęlo. Idem ibi pag.1329. lit. E.* Et mediæ horæ hæc contemplationis quies comparatur, quia tanta eſt humana fragilitas, vt non niſi paululum temporis in cæleſtium contemplatione impendat.

§. VI.

Per Dei miſericordiam, Peccatoribus extenditur Cælum, quod ſolùm Iuſtorum eſt.

1 EXtendens Cælum. Sutorum antiquus mos eſt, cũ ad calceos conſuendos minimè pelles ſufficiunt eas dentibus, aliſque inſtrumentis extendere, vt ad iuxtam quantitatem prouectæ ſuis vſibus adaptentur. O ineffabilem Dei pietatẽ, o miſericordiarũ abyſſum, quę cælum veluti pellem extendit. Cęlum ita iuſtitia terminatum eſt, vt Iuſtorum tantummodo capax inueniatur; in illud ſiquidem nihil coinquinatum introire poteſt: attamen peccatoribus, meretricibus, ac publicanis plenũ aſpicio; quia diuina Miſericordia, (vt ita dicã) pænitentiæ dentibus extendit Cælum, vt quod ſolius Iuſti eſſet, etiam peccatori Diuina gratia tribuatur. Hoc inſinuat Propheta, dum inquit: *extendens Cęlum ſicut pellem.* Quo in loco Caſſiodorus. *Bene dicitur, Dominum Cęlum ſicut pellem extẽdere, vbi meretrices, & publicanos eum conſtat admittere; nam cùm cæli per iuſtitiã ſint iuſtorum, facti ſunt gratię largitate peccantium.*

2 Duram nimis Doctrinam Apoſtolus prædicaſſe videtur, dum corinthijs proteſtatus eſt: *Nolite errare, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari &c. Regnum Dei poſſidebunt.* Vę mortalibus ſi vitiis contaminatis Cælum non patet: quis ergo Beatitudinem poſſidebit? Si terram vniuerſam inſpicias his criminibus ferè omnes maculatos inuenies? quis enim in idololatriæ tenebris verum virtutis fulgorem tenebit? crede mihi gentium Doctor; gentes quibus Euangelium prædicas his vitiis tenentur; ſi eos a Cælo expuleris, quis introibit? Nemo prorſus. Sed optimè loquitur Paulus; Cæli gloriam huiuſmodi peccatoribus non patere, de rigore iuſtitiæ: niſi pęnitentia Cælum illud, miſericordia permittente, extendatur; tunc enim ſic per pœnitentiam extenſum etiam peccatores admittet, quod vix iuſtos, & ſanctos capere poſſet. Neque mea hæc ſpeculatio eſt, verum doctiſſimi Fulgentii. *Quia igitur iuſtus eſt Deus; quamdiu talia agunt, Regnum Dei non conſequentur. Quoniam vero idem Deus miſericors eſt, propterea mali, ſi talia agere deſinant, in quibus Deum contumaciter exercebant, & humiliati atq; correcti ad Deum conuertantur, regnum Dei ſine dubio conſequentur. Fulgentius Ruſpen. lib.1. de Remiſ peccar. cap 15. pag.655 col.1.* Ne deſperet peccator; nam ſi Cælum veluti pellis eſt, pænitentia poteſt extendi.

3 Iudas Iſraetis filius cum ſuam cognouiſſet nurum Thamar, ſcorti prætium miſit ei Hædum de gregibus

Digitized by Google

ſuis,ita enim promiſerat: *Mittam tibi Hędum de gregibus Gen.c.38.v.17.* Neque abs re noſtra erit rationem inquirere, cur potius Hædum ei miſerit in mercedem peccati, quam aliud donum, veſtem,aut aureas inaures &c. Et mihi quidem diuina prouidẽtia factum videtur: pelles namq; hædinas Iſrael Pater ſuus extendit in manibus, & collo, vt fratris Eſau repreſentaret perſonam; quòd Chriſti Domini noſtri figura fuit,qui peccatorum pellem indutus extendit in cruce; vt ipſo pro pœnitentibus immolato, eis pateret Cęlorũ aditus; hoc Rupertus Abbas inſinuat, dicens. *Quid porro eſt huic Thamar hædum pro mercede dari, niſi Chriſtũ pro pœnitentibus ſacrificari? Rup. Abb. Tuitie. l.8.c.30. in Gen. t.1. pag.171. col 1.* Pro pœnitentibus inquit; nã ſanguis Chriſti non ſufficit peccatorib. ſine pęnitentia ad extendendũ Cęlũ.

4 Pellicea melote indutus Ioannes ad deſerta ſe contulit: ibi, vbicumque collectos homines videbat, voce magna clamabat: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim Regnũ Cælorũ. Matth. c.3 .v 1.* Nemo hucuſque ex Aſtronomis illis qui cęlos ipſos mobiles exiſtimabãt, illos ad centrũ moueri docuit:circa centrum enim,& nõ ad centrum ſydera girari experientia docet: ſi ergo terrarum orbis, in quo nos ſumus,in centro vniuerſi conſtituitur, quomodo nobis appropinquare poterit Cælũ, quod ad centrum non mouetur? Dices; Cælorum Regni hic Beatorum intelligi ſedem: ſed hæc eſt immota; minus ergo vicinior eſſe poteſt,quæ permanet immota. Sed ad moralem intellectũ expoſita, omnia patebunt. D. Bernard. Senenſis,non, *appropinquauit*, in præterito, ſed *appropinquabit*, in futuro legendum putat: vt ſenſus ſit. Cælũ, licet immobile motu recto ſurſũ, vel deorsũ tamen reſtringi, & dilatari poteſt quia videlicet ad modum pellis extenditur & cum dilatatur propinquius erit nobis. Peccatores igitur ſi pęnitentiam egerint, per illã extenſum, & dilatatũ Cęlum eis appropinquabit. Sancti cõcionatoris audiamus verba. *Veni ergo ad Domini Præcurſorẽ, & tubã Chriſti altiſonã, & audi vocẽ conſolationis, vocẽ lætitiæ, miſericordiæ verbum, ſermonem gloriæ, gratiæ largitatem; qui ſpirituali lumine, ac flamma cęleſtis regni repletus, in feruorem ſpiritus valido clamore annuncians regnum Dei, ait: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum Cælorum. Nec tamen vox iſta totius eſt iucunditatis: ait.n. pœnitentiã agentib. propinquũ eſſe Regnũ cælorũ. D. Ber. Senẽſ. Do. oct. Reſur. to.1. pag.348 col.1.* Magna ſanè pęnitẽtiæ vis eſt,quæ immobile Cælũ extendens ad peccatorem appropinquare facit,ibi eũ ſedere largiẽdo,vbi sãcti ſedere cõſueuerunt.

5 Quiſquis veſtẽ gemmis exornare diſponit; ſi quas rudes,& impolitas reperit,vt veſti, & Theſauro cõgruæ ſint, eas inſtrumentis,& malleis percutit,& decorat: ſic percuſſionibus expolitæ, vel veſtibus exornandis adhibentur, vel inferuntur theſauris: cum .n Theſaurus nõ niſi gẽmas pulchras, renitẽteſq; recipiat, illis percuſſionibus quaſi extenditur,ad recipiendas etiã illas,quæ prius turpes erant. Hoc docet Pſal.32. *Ponens in Theſauris Abyſſos. Pſ.32.v.7.* Etenim ſi Abiſſus ſine luce eſt,malè in ſplendentibus theſauris collocatur;ſed intelligendum eſt, quòd peccatores, qui antea tenebroſi, & abyſſi, ſine luce fuerũt,nunc per pęnitentiã extenſi,lapides prætioſi cẽſentur. Ita eminent. Hugo. *Ponens in Theſauris abyſſos, ideſt peccatores faciens lapides prætioſas per pœnitentiã. Hugo Card. in Pſ.32. Verbo* igitur *Domini Cæli firmati ſunt*, ideſt extenſi, quomodo? *Ponens in theſauris abyſſos*. Cælum namque tunc extenditur,cum vltra ſanctos viros, etiam pęnitentes recipit peccatores.

§. VII.

Sacra Scriptura Cælum eſt.

1 EXtendens *Cælum ſicut pellem*. Nomine Cæli multoties in ſacris literis ipſa ſacra ſcriptura, ipſa lex diuina ſignatur;quæ habet in ſe Sapientiæ Solẽ,ita Animas illuſtrantẽ, vt expulſis ignorantiæ tenebris verum Deum cognoſcere valeant. Ibi naturalium ſcientiarum Luna rutilat: ſicut enim Luna illuminata ſplendorem ſuũ terrę communicat; ita ſcientia naturalis per ſapientiã Dei in ſacris literis reuelatã, multas incognitas prius veritates aſſequitur,quas poſtea terrę,ideſt naturalia ſpeculantibus elargitur. Neq; ſtellæ deerunt,ſi tot ſanctorũ virtutes, & exẽpla,quaſi ſydera lucentia contẽplemur. Hoc Cælum rectè pelli aſſimilatur; nã cum ex pellibus ſcripturarũ libri fiant, illis aſſimilari ſcripturas conſentaneum eſt. Extenditur autem hoc ſacrarum literarum Cęlum, dũ eius ſenſus latentes per ſacros Doctores populis exponuntur. Optimè igitur Pſal. de Diuina ſcriptura dicit; *extendens Cælũ ſicut pellem*: quare D. Greg. magnus addidit. *Quid cæli nomine niſi ſacra ſcriptura ſignatur; de qua nobis Sol ſapientiæ, & Luna ſcientiæ, & ex antiquis Patribus ſtellæ virtutum, atq; exemplorũ lucent? Quod ſicut pellis extenditur: quia per ſcriptores ſuos carnis lingua formatum ante oculos noſtros, & per verba Doctorum exponendo diſplicatur. D. Greg magnus. Hom.9. in Ezechiel. to.2. pag.1287. lit. D.* Sicut nãque Cæli materialis quotidie per teleſcopia, & cetera huiuſmodi inſtrumẽta, multa antiquitus incognita perſpiciuntur:ita per DD. ſacrorum clariorem expoſitionẽ, multę in dies ſcripturarũ latẽtes intelligẽtię aperiuntur

2 Iſaias Propheta apertè teſtatus eſt diuinam maieſtatem ſe cõſpexiſſe, dicens; *Vidi Dominũ ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Iſai. c.6. v 1.* Meminem verò latere arbitror ſolium maieſtatis æternæ nequaquam in terris, ſed in Cælis collocari;ergo Iſaias Cælos conſcendit, vt inter luminum, fulgurumque apparatus, Dominũ poſſet intueri. Quomodo autem mortalis homo Cælum petere eſt auſus,quis ei cæleſtis ianuæ expediuit aditum, quis ad ineffabilis Deitatis ſolium introduxit? miror vehementer viuentem hominem illius faciem impunè vidiſſe,qui teſtatus eſt Prophætæ alteri. *Non videbit me homo, & viuet. Exod c.33 v.20.* Sed hęc viſio ſimilitudinaria fuit; ſicuti de ſeipſo teſtatur Ezechiel: *Hęc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini: Ezechiel. c 2. v.1* qui ad ſimilem viſionem admiſſus fuit. Faciliter nãq; Cælum conſcendit, qui per aliud Cælum ſibi viam parat: ſacra enim ſcriptura Cælum eſt; quiſquis iſtud Cælum media lectione penetrat, per contemplationẽ in alterius gloriam faciliter aſcẽdit. Ita D. Ioan. Chriſoſt. *Ingredimur enim in Regnum Cęlorũ; conſcendimus in regiones ſtellis fulgurantes: quę intus ſunt, miro ſilentio plena ſunt, miſterijſque referta: ſed animaduertite, nam ſcripturarum lectio Cęlorum eſt reſeratio. D. Ioan. Chriſoſt. Hom 2 de verbis Iſai. to 1. col.1288. lit. C.* Quaſi diceret Doctor ſanctus. Scio equidem viros virtutum contemplatione ſæpe ſæpius in Cælum conſcendere, & diuinæ gratiæ largitate cæleſtibus conſolationibus frui: Verum hoc nõ aſſequitur niſi lectio ſcripturarum præcedat: hoc Cælum percurrat quia lætius frui de ectationibus optat.

3 Tumidi,& ſuperbi Hæbreorũ DD. Cęlũ in manib. ſuis habebant, quia ſacrarum ſcripturarum intelligentia penes ipſos erat: ipſi autẽ inuidię liuore populis hoc Cęlum nõ extendebant; & ideo de illis dicebat Dominus noſter. *Væ vobis ſcribę, & Phariſei hypochritæ, quia clauditis Regnũ Cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. Matth. c.23. v.13* O Phariſei, verè ſtulti, qui ad Regnum Cælorum tã facilem habentes aditum, intrare negligentes, & ſibi, & alijs claudebant. Inuidi DD. qui hoc Cælum vera intelligentia extendere non curabant: ſic populi decepti eorum inſequentes doctrinã; ſcripturarum Cælum non conſcendebant, quia oſtium Doctorũ malitia clauſum, eorũ intelligentiæ nõ patebat. Ita D. Chriſoſt. *Regnum enim Cælorum dicuntur ſcripturę, quia in illis inſertum eſt Regnũ Cęlorum. Ianua eorũ, intellectus earum. Clauicularij Sacerdotes, quibus creditum eſt verbum docendi, & interpretandi D. Ioan. Chriſ. Hom 44. in Matth. to.2. col.900. lit. B.C.* Sed (addam ego) ſi nos Sacerdotes veram intelligentiam non aſſequimur, quomodo docebimus alios? ſi numquam hoc Cælum digna, & ſpirituali lectione ingredimur, alijs oſtium aperire haud poterimus. Cælum contemplationis illis patet, qui ſcripturarum Cælum aſſidua lectione diſtendunt.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Eccleſia cælum eſt per Martyrum mortem extenſum.

1 E*Xtendens Cælum ſicut pellem*. Humanæ, ac terrenæ mulieres, quæ annis exigentibus, in facies ſuas rugas apparere conſpiciunt, vt formoſitatem, venuſtatemque conſeruent, variis artis laboribus facies ſuas diſtendunt, vt diſpareant rugæ. Ne in hoc pulchritudinis Cęlo nebulæ turpitudinis producantur. Dei formoſiſſima ſponſa militans Eccleſia, Cælum eſt; quam omni ruga, maculaque carere decet. Idcirco Deus ne in illa peccatorum rugæ per inædiam præualeant, varijs tentationibus, ac tribulationibus extendit. Præcipuè tamen per Martyrum ſuorum paſſionem, & mortem, ſanctæ Eccleſiæ Cælum extenſum eſt. Ita aliquando a tyrannorum barbarie adflicta fuit, vt pœnè conſumpta videretur, ſed inde pulchior reſurrexit. Hoc docet Dauid, inquiens: *Extendens Cælum ſicut pellem*: pellis namque non niſi poſt animalium mortem extenditur; ſic tunc extenſa eſt eccleſia cùm ſuos fortiſſimos propugnatores mortuos in fidei confeſſione conſpexit. Ita cenſet Incognitus. *Et nota quomodo illos extendit, quia ſicut pellem. Pellis enim Animaliū extenditur poſt mortum ipſorū, vt ad vſum noſtrum ſit apta; ſic Deus pellem ſuorum Apoſtolorū per ipſorum mortem extendit, quia omnes martyrio coronati ſanctā Eccleſia fabricauerunt.*

2 Si Eccleſiæ naſcentis exordia ſubtili indagatione inueſtigabimus; videbimus ſanè Apoſtolorum tempore, & vſq; ad Conſtantini Triumphos, Eccleſiam vndique terrarum exagitatam, minis, tormentiſq; territam, morte filiorum ſuorum mulctatā, exilio, carceribuſq; agitatā: numquā tamen his perſequutionibus defeciſſe; imò creuiſſe; nam vel vno Martyris ſanguine irrigata mille parturiebat: vnius conſtantia infinitos ad ſui imitationem extimulabat. Quod quidem & in noſtro ſæculo in Iaponiæ Inſulis contingere, infallibili relatione cognouimus. Hoc autem ideo cōtingit, vt ſciamus Cælum ſanctę Eccleſiæ ſit extendi; nam martyrum ſanguine, dilatatur. Hoc docet Spiritus ſāctus per os Patiētiſſimi inter Prophetas, qui de Deo, inquit; *Qui extēdit Cęlos ſolus. Iob c. 9. v. 8.* Ideſt Ne arbitretur Mūdus meorū cōfeſſorū mortem, Principum inuidia cauſari; Eccleſiæ meæ dilectiſſimæ ſponſę faciem iniquorū perſequutione per Diaboli inſtigationem præmi: ſi enim Cælum eſt, Ego ſolus hoc Cælum extendo, vt diuina eluceat prouidentia, quæ ex paucorū oppreſſione innumerabilē ſanctorū multitudinē propagari fecit. In vna Prouincia, imò veriùs in vrbe vna, pauci conſtantiſſimè moriuntur; verū in orbe vniuerſo eccleſia dilatatur. Ita extenditur hoc Cœlum. Iniquorum rabie adminiſtra, non cauſa; quandoquidem Deus ſolus ad maiorem ſui pulchritudinem, & incrementum tribulationibus hoc Cęlum extendit. Magnum audiamus Gregorium *Quid namq; Cælorum nomine niſi hæc eadem cęleſtis prędicantium vita deſignatur? &c. Solus ergo Dominus Cælos extendit, qui ſecreti mira diſpenſatione conſili, Prędicatores ſuos vnde permiſit in vna gente opprimi, fecit in mundi cardines inde dilatari. D. Greg. mag lib. 9 c. 4 in Iob to. 2. pag. 512. lit. B. C.* Cœlum igitur eſt Eccleſia, quæ martyrum paſſione diſtenta Cęlum ipſum adæquat, dum illius vacua ſpatia agmine ſanctorum adimplet.

3 Sæpè ſæpius cōtigere videmus, menſe Martio grādinem in fruges inuehere; quæ quidem grando primitiuos quidē, & temporaneos fructus lædit; quia verò non parum pinguedinis, & humiditatis habet, cùm liquefacta fuerit terrā ipſam humectat, fæcundat, vberem reddit, ſerotinaſque ſegetes haud parum iuuat. Non diſſimili ratione Eccleſiæ perſequutionem grandini comparabimus: hæc namq; primitiuos Eccleſiæ filios, ſeu grando concuſſit, ſed ita fæcundauit, vt huius grandinis beneficio, ſe per vniuerſum mundū in ſeteges fæcundiſſimas excreuiſſe gaudeat. Benè hoc callebat Rex ſanctus, quādo fatebatur, eccleſiæ, nomine; *In tribulatione dilataſti mihi: Pſal. 4. ver. 1.* quaſi diceret. Inanis fuit Tyrannorum conatus dum me perſequutionibus agitabant, nam, vel nolentes, magis augebat: neſciebant vtique Cœlum pelliceum me eſſe, quòd eo magis creſcit, quo magis violentibus tractibus extenditur. Poterunt quippe vel aliquos, qui in fide inſtabiles ſunt, deijcere, reliquos verò neque violenta morte turbabit; me verò magis eorum ſanguine fæcundabit. Ita Alexander Halenſis docet. *Bene Perſequutio grandini comparatur, quoniam ſicut grando ſegetes virentes facit, & primitiua lędit; poſt liquefacta terram humectat, & vberem reddit; ſic perſequutio molles in fide frangit, ſed Eccleſiam fęcundam facit; vnde Pſalmus: In tribulatione dilataſti mihi. Alexander de Haleſ. in Apocal. c. 11. pag. 210. col. 2. lit. D.* Cœlum firmiſſimum eſt Eccleſia; quod ſi tanquā pellis extenditur, perſequutionibus dilatatur.

§. IX.

Deus per ſuas Creaturas cognoſcitur.

1 E*Xtendit Cęlum, &c.* Deus optimus maximus cùm ſpiritualis, & incorporeus ſit, ſolo ſeipſo continetur, neque fabrefactis indiget Domibus. Pręterquam quod ita magnus eſt, vt eum Cœlorum immenſa moles capere nequeat. Cur ergo tam mirifica, & ineffabili arte Cęlos extendit? Vt ſedeat? ſed materiali ſede nō indiget. Vt quieſcat? ſed illi ſeipſo frui quies eſt. Vt inhabitet? ſed quæ creatura ad illum capiendum ſufficiat, inueniri non poteſt. Vt regnet? Sed ſpiritibus imperat incorporeis Cur ergo? vt per eius viſibilia opera, inuiſibilis Omnipotentis Maieſtas mortalibus innoteſcat. In ipſa Dei ſapientia Deum cognoſcere, qui ipſam clarè non intuetur, non poteſt: mortalibus ipſam intueri impoſſibile; idcirco Deus Cælos ineffabili extendit arte, vt per ipſos eorum Artifex immortalis cognoſceretur; vt D. Auguſtinus eſt Author. *Quia in ſapientia Dei non poterat cognoſcere mundus per ſapientiam Deum; ideo elegit Deus mortales, & factum eſt tibi Cęlū, ut cognoſceres uerbū immortale. D. Auguſt. in Pſ. 103.*

2 Et optimè quidem, accuratèque Pſaltes Cœlum vt pellem extenſum docet: pelles namque extenduntur, vt in eis ſcribatur, & ex illis liber efficiatur, in quo Heroum præclariſſima geſta conſcripta legentibus manifeſtentur. Ita & in Cœlis Deus fecit; ipſos tanquam pelles extendit, & calamo ſuæ omnipotentiæ verba perennia in eis ſcripſit, vt omnes qui eos contemplantur in eis gloriam legant Artificis conditoris; id Prophæta teſtante: *Cœli enarrant gloriam Dei. Pſal. 18 uerſ. 1.* Etenim ſi inanimes Cœli ſunt, linguaque priuati, & pelicei dicuntur, conſequens eſt vt libri ſint, in quibus Dei magnalia exarata reperiantur. Illuſtretur ergo huius, Cęli lumine improbus Atheiſta: legat in hoc libro quāta fecerit Omnipotens, quem ipſe negat; oculis captum eſſe oportet, qui cum tot, tantaque fabre facta videat, Artificem non agnoſcit. Cęlum ſeipſo conſiſtere non potuit, nec produci, ergo Deus eſt dandus, qui tot viſibilia faciens, inuiſibilis perſeuerat; hoc ſua pulchritudine prædicant Cœli, hæc iſte liber continet; audi magni Baſilij doctrinam. *Vniuerſa hęc mundi moles perinde eſt ac liber, literis exaratus, palam conteſtans, ac prędicans gloriam Dei, illiuſq; auguſtiſſimam Maieſtatem, (arcanam alioqui, & aliunde inuiſibilem) enuncians tibi intellectuali creaturę, quatenus ad cognitionem attinet ueritatis. D Baſilius Magn. Hom. 11 in Hexam. pag. 54. col. 1. lit. F.* Hunc librum legat, ac meditetur, qui Diuina myſteria penetrare deſiderat.

3 Hoc ineluctabili argumento Apoſtolus vtebatur, vt gentibus Dei notitiam, Prouidentiamque ingereret. Cum enim mira de Deo prædicanti parū auſcultabant, eo, quòd inuiſibilis Numinis exaltaret potentiam: ipſum, licet inuiſibilem, haud tamen incognoſcibilē probabat apertè, nam eius inuiſibilem pulchritudinem per viſibilium declarans ſpeciem demonſtrabat, dicens: *Inuiſibilia enim ipſius, a creatura mūdi per ea, quę facta ſunt, intellecta conſpiciūtur. Ad Rom. c. 1. u. 20.* O Romani (dicere intendebat Paulus) qui vniuerſis incolis orbis præſtantiores vos putatis, vultis incompræhenſibilis Dei inuiſibilem pulchritudinem, maieſtatemque cognoſcere? viſibilia mundi contemplamini.

Aſpicite, inquam, Vniuerſi partitionem pulcherrimam Oceano, inſulis, continenti terra, fluminibus, lacubus, montibus, & vallibus deſtinctā: nonne pulchra eſt Animalium terrenorum ſpecies, maritimarum telluarum numeroſitas, Auium cœleſtium mira diſpoſitio; fluminum & fontium ſcaturigo, aerearum impreſſionum varietas, ſtellarum lux fulgentiſſima? omnia iſta pulchritudinem oſtendunt maximam. Interroga igitur illa quid te doceant, quidue interroganti exagerent, & profectò ſua ſpecie, & ordine reſpondebunt Authorem habere, Creatoremq; ſpecioſiſſimum; ipſe pulchra nos effecit qui pulcherrimus eſt. *Interroga*, inquit D. Auguſtinus, *pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati, ac diffuſi aeris, interroga pulchritudinem Cœli, interroga ordinem ſyderum, interroga Solem fulgore ſuo diem clarificantem, interroga Lunam ſplendore ſuo ſubſequentes noctis tenebras temperantem, interroga Animalia, quæ mouentur in aquis, quæ morantur in terris, quæ volitant in aere, latentes animas, perſpicua corpora, viſibilia regenda, inuiſibiles regentes: interroga iſta. Reſpondēt tibi omnia, ecce pulchra ſumus; pulchritudo eorū, confeſſio eorum eſt. Iſta pulchra mirabilia quis fecit niſi incommutabilis pulcher? D. Aug. ſerm.* 143 *de temp. to.* 10. *pag* 318. *col.* 1. *lit. B. C.* Sic Cælū, cæteraq; creata omnia, vt pelles extenſa, libri ſunt, in quib. mirabilia geſta Diuinitatis leguntur.

4 Solus inſipiens Deum non eſſe credidit, quamuis nec ipſe id ore proferre auſus eſt. Inſipientem profectò, ſe confitetur quiſquis Deum ex viſibilibus non cognoſcit. Quomodo terrenorum Principum præſentiam inſua ſe concludentium domo cognoſcimus? certè ex Palatij pulchritudine, militum vigilantia, ornamentorumque apparatu. Ad quid namque tam vigilis cuſtodia, tam ſumptuoſus ornatus, tanta ſeruorum frequentia ſi Dominum non haberent? Et Cælum habitatoribus deſtitutum, Principe orbatum cenſebimus, tot ſplendoribus illuſtre, tot regulatis motibus mirabile, tot pulchritudinibus decoratum? Inſipientia eſt ita credere. Sapiens autem benè nouit ex pulchritudine Tentorij habitantis Principis arguere maieſtatem; & Ideo dixit: *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator eorum videri. Sapient. c.* 13 *verſ.* 5. Sicut namque ex opificij excellentia virtus Artificis depræhenditur, ita ex creaturarum ſpecie increatus opifex reſplendeſcit; Incognito teſte, qui docet. *Ait ſapiens; A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator eorum videri. Nec mirum, quoniam ſicut ſapientia artificis in artificiato ſuo relucet, ſic Dei potentia, pulchritudo, & ſapientia in ſuis creaturis relucet. Incognitus in Pſalter in verſ.* 1762 *pag.* 691. *col.* 2. *lit D* Hinc clarè deducitur, quòd inſipiens omnino ſit, qui tanta rerum pulchritudine, & varietate, Creatoris præſentem virtutem videre cognoſcibiliter, aut non valet, aut non vult: omnia enim, quæ in mundo ſunt, mundi Conditorem demonſtrant

5 Domini noſtri, & Redemptoris gloriam (quam vt Dei filius habebat) occultare volentes Iudæi; illum ex irriſione filium fabri appellabant; dicebant enim ſubſannantes: *Nonne hic eſt filius fabri? Matth. cap.* 13. *v* 45. quaſi indignus honore eſſet humano, nedum diuino, qui Patrem fabrum habebat. At cæci, cæcorumque duces, quæ dicebant ignorabant, ſed vera prædicabant: verè defecerunt ſcrutantes ſcrutationes, conſilia mala. Quid ais o ſtulte Phariſæe, quid prædicas, *hic eſt fabri filius*? Optime inquis, nam & Fabri filius eſt; ſed illius qui vnico voluntatis ſuæ actu, vniuerſa, quæ in mundo vides de nihilo produxit: illius inquam Fabri, qui Cælos extendit, luminaria illuſtrauit, ſydera numerauit, elementa diſtinxit, e tenebris lucem eduxit, aquas in vtres cōgregauit, mari arenam limitem dedit, terram ſuo pondere librauit immobilem: illius, qui ſolis dedit lucem, Auroræ ſplendorem, auro valorem, auibus cantum, animalibus ſenſum, hominibus intelligentiam: illius, qui tempora creauit, motus regulauit, dies, noctesque diſtribuit; illius, cui obtemperant Angeli, obediunt ſpiritus, obſequuntur omnia: qui Faber, & Archetypus eſt omnium, omnium in ſimplicisſimo eſſe ideas includens. Huius Fabri filius eſt Chriſtus: ergo vel inuitus dum fabri filium dicis, Dei Filium confiteris: ex opere enim Artificis omnipotentia patet. Acutè, & ingenioſè Sanctus Rauennatum Antiſtes. *Dicebant; nonne hic eſt fabri filius? Vt arte ſcilicet, Ars lateret Authoris, & Deitatis nomen, fabrile nomen abſconderet: Dicebant, hic eſt fabri filius, ſed cuius fabri filius non dicebant. Chriſtus erat Fabri filius, ſed illius, qui Mundi Fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto: qui elementorum membra, non ingenio, ſed iuſſione compegit: qui maſſam ſæculi authoritate, non carbone conflauit: qui Solem, Lunam, &c. qui cuncta fecit ex nihilo: & fecit, o homo, vt opificem operis æſtimatione penſares. D. Petr. Chriſolog ſer.* 48. *pag.* 290. *col.* 2. Vniuerſa igitur, quæ creata in mundo videntur, dari ęternū Creatorē demonſtrant.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Secundus.

Amicta eſt luminoſæ pulchritudinis Veſtimento; vt Cœlum, & Tronus Diuinitatis.

PVlcherrimam Dei Genitricem eſſe inter omnes Adæ filias neminem latere arbitror, quandoquidem de ipſa Canticorum oraculum exponitur, *o pulcherrima inter mulieres: Cantic. cap.* 1. *v.* 7. Sed non modo pulchram, ſed ipſamet pulchritudine veſtiri, hoc verſu ſignificari poteſt, dum de ea dicere poſſumus, *Amictam lumine ſicut veſtimento.* Quapropter Seraphicus Doctor in Pſalterio Virginis in ſecundo huius Pſalmi verſu, dicit. *Formoſitatem, & pulchritudinem induiſti, amicta es Domina fulgenti veſtimento. D. Bonau. in Pſalt. Virg. pſal.* 103. *tom.* 6. *pag.* 510. *lit. B.* Porro hanc pulchritudinem ideo Virginem ſuperindui, quia Mater Dei eſt, & conſequenter, quia illum capit, quem nec ipſi Cœli capere poſſunt, vt Eccleſia canit, nulli dubitare fas eſt.

Digitized by Google

B. Maria Dei Genitrix ſpecie corporis pulcherrima fuit.

1 Decebat Cœlorum Imperatorem eam ſortiri matrem, quæ omnes pulchritudine ſuperaret fœminas. Quidquid enim in Matre eſt excellentiæ redundat in filium. Talis erat formoſitas, & pulchritudo B. Mariæ, vt ipſemet Deus eam in canticis celebrauerit; dicens, *Ecce tu pulchra es Amica mea. Cantic. c. 1. ver. 14.* Cui ſtatim ipſa Virgo ſubiunxit; *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. ver. 15.* Hoc autem dixit, non vt pulchritudinem ſuam abſconderet, ſed vt augeret; vt cauſam ſuæ formoſitatis oſtendens ſpecioſior appareret. Dicebat nãque. Ideo pulchra ego ſum, quia tu pulcher es, talem ac tãtum filium talem matrem decebat: ſi tu ſpecioſiſſimus forma præ filijs hominum, ego pulcherrima inter mulieres; ſpecioſum non peperiſſem, niſi formoſa fuiſſem: Facies tua, vt ſol reſplenduit, ſed illo vtique, quo ego amicta comparui: tu decorem induiſti, ſed quia ego pulchra, & decora, quia cariſſima; luminoſo vteris veſtimento, a ſtellis mutuato, quæ crinem meum coronant: gratia intuis labiis diffuſa luceſcit, a me gratiarum matre incrementa recipiens. Tu ergo pulcher, quia matri ſimilis, meam pulchritudinem induiſti. Non ab hoc ſenſu multum diſceſſit Albertus, inquiens. *Quemadmodum Corpus Chriſti, quod Deus ſupernaturaliter per ſeipſum formauit, eſt perfectiſſimum atque pulcherrimum in natura, quod fieri poteſt ſecundum ſtatum viæ: ſic corpus Virginis ad hoc immediatè ordinatum fuit pulcherrimum ſecundum ſtatum viæ, quod natura per ſe operans facere poteſt. B. Albertus Mag. ap. Dioniſ. Chart. lib. 1. de laudib. Virg. art. 34.* Quid ergo mirum ſi pulcherrima erit, quæ pulcherrimum, & ſibi prorſus ſimilem filium paritura erat? ſpecioſiſſimi Matrem ſpecioſiſſimam prædicemus.

2 Illa inter mortales eminet pulchritudo, quæ oculos allicit, animos trahit; illa vero pulcherrima exiſtimanda eſt, quæ ipſius Regis oculis decora videtur, ipſumque rapiat regale pectus. Sed qualis hæc comparatio ad Illius Virginis formoſiſſimam ſpeciem, quæ non mortalis Principis, ſed increati Monarchæ oculos allexit, corda vulnerauit: Hoc teſtatur eius Regius Atauus: dum ait: *Cõcupiſcet Rex decorem tuum. Pſal. 44. ver. 13.* Ille Rex, inquam, qui Vniuerſo mundo imperat ſeruienti, ille, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, cuius vultum videre deſiderat vniuerſa terra, in quem & ipſæ cæleſtes intelligẽtiæ proſpicere deſiderant; Iſte igitur Princeps ſtatim vt pulchritudinem Virginis vidit, ſua maieſtate dignam cenſuit, ab ipſaque captus in eius viſcera ſe demiſit: amauit vtique quam elegit, & diligendo formoſiſſimam declarauit. Ita D. Petrus Damianus. *Tandem naſcitur Maria, & ad nubiles annos progrediens ſpeciem induit ſpecioſam, quæ ipſum alliciat Deum, & Diuinitatis oculos in ſe conuertat. D. Petrus Damianus ſerm. de Annunc. to. 2. pag. 28. lit. D.* Maximè decoram faciem illam fateri debemus, quæ pulchritudinem ipſam increatam allexit.

3 De Sapientia loquens Sapiens ipſam ſpeculum Dei Maieſtatis appellans, ait; *Speculum ſine macula Dei maieſtatis, & Imago bonitatis illius. Sap. cap. 7. ver. 26.* Cauſa eſt, nam ſi vir aliquis reperitur, qui ſuæ faciei ſpeciem, vultumque natiuitatis ſuæ contemplari deſiderat, is, vel terminatum ab opaco denſo diaphanum, in quo eius reluceat vultus, vel tabulam Pictoris arte ſuam imaginem repræſentantem intueatur neceſſe eſt: Vtrumque ſpeculum dici poteſt, hac tamen cum differentia, nam ſpeculum propriè dictum eſt illud Diaphanum terminatum in quo propria videtur effigies: tabula vero non eamdem, ſed ſimilem demonſtrat Imaginem. Ea, quæ de ſapientia in diuinis literis Spiritus diuinus reuelauit, Eccleſia Catholica, & ipſi increatæ ſapientiæ Dei filio, & etiam ipſi Matri Virgini applicare conſueuit, ſecundum proprietatem de filio, ſecundum allegoriam de Matre. In allata vero ſententia, & Filium, & Matrem Dei Imaginem appellauit ſapiens: Filius Dei, ſpeculum eſt Dei Patris, in quo ipſiſſimum eſſe Patris relucet; Virgo verò Beata Tabula eſt, quæ ipſam Dei imaginem non reflectit, ſed ſimilem omnino in ſeipſa pulchritudinem referens: ita pulchra eſt, vt Deo ſimillima videatur. Ita placet Theſſalonicenſium Præſuli. *Naſcitur ergo ſacratiſſima hæc pulchritudo expreſſiſſimè Deum referens, & ſummè deiforme ſpeculum, diuinitus micans ſplendor, Deum oblectans iubar, Deum condecens formoſitas, & ſponſa, & filia Deo reſeruata Maria. Iſidorus Archiep. Theſſalon. orat. 1. pag. 34.* Quam vero pulchritudinem non habebit, quæ Dei Imago cum ſit, pulchritudinis Authorem referre debet? Tota pulchra, tota formoſa, tota decora, & ſine vlla macula es, o Maria, quæ Diuinitatis Imaginem immaculato corpore repreſentas.

4 Non immerito hanc pulchritudinem ita admirabilem ipſe admiratur Deus, inquit enim: *Quam pulchra es amica mea Cant. cap. 4. ver. 1.* Non enim alienam, ſed propriam pulchritudinem admiratur. Hinc autem eius ſpeciei celſitudinem indagare poſſumus; nam vlla reperiri poterit creatura, quæ Dei comparatione turpis non ſit, & de formis: nec Roſa decorem habet, nec lilium candorem, nec ebur præſtantiam, nec ſol ipſe ſplendorem, vbi increati Numinis Pulchritudo refulget, qui vtique ipſius pulchritudinis author eſt: ſi aliquam ſpeciem Deus admirari poteſt, vtpote admiratione dignam, ſua formoſitas eſt, qua ita delectatur, vt ipſa frui beatitudo ſit ei; admirabilis igitur, & matris eius eſt ſpecies, quæ omnino videtur diuino filio non indigna, eique per omnia ſimilis. Hinc exclamat Rupertus. *O pulchritudo admirabilis, quam ſic admiratur, & collaudat pulcherrimus Author ipſe pulchritudinis. Rup. Abb. Tuitienſ. lib. 3. in Cant. to. 2 pag. 26. col. 1.* Non vltra progredi mortalis excellentia poteſt, Deo aſſimilari maxima perfectio eſt, ſed Diuinam referre pulchritudinem omnem creatam perfectionem excedit.

5 Florum Regina Roſa eſt, quia pulchritudinis decore, odoriſque ſuauitate flores omnes ſuperat. In illo inſenſibilium grege non datur niſi decori corona; Qui inter odoriferos campos regnare ſatagit, foliorum ſpecie, odorumq fragantia ſceptrum promereri debet. Regnent inter belluas immanes corporis fortitudines, inter Aues, vel perniciſſimus volatus, vel cantus ſuauitas, inter homines ingenium ſibi vendicet Principatum; ſola imperat inter florum agmina pulchritudo: hæc Roſam, veluti inter ſydera ſolem, euehit inter Arua: ipſaque eſt, quæ ſpecioſitatis timida, ne rapinam incurrat ſpinarum cuſtodia ſuum tutatur imperium. Inter omnes autem Roſarum ſpecies Ierichuntina præſtat, quæ centum quinquaginta folijs decorata refulget; tot linguis regnum petit, quot folijs micat. Huic Roſæ ſimilem Mariam ſapiens prædicauit; *Quaſi Plantatio Roſæ in Iericho. Eccl. c. 24. ver. 18.* Quaſi diceret: Sicut Roſa Ierichuntina omnes Roſas pulchritudine antecellit, & Roſa omnes reliquos flores decore vincit, ſic tu, Virgo beata, omnes creatas pulchritudines, etiam eminentiſſimas inter homines, imò, & inter Angelos, decore tuo, quo tãquam lumine amicta es, ſuperas, & euincis, Riccardi ſpeculatio eſt. *Dicitur quod in Iericho creſcunt Roſæ ſpecioſiſſimæ habentes centumquinquaginta folia. Dicitur ergo Maria ſicut Roſa, non quæcumque, ſed Ierichuntina, id eſt ſpecioſiſſima. Riccard. a S. Laurent. de laudib. Virg. lib. 12. col. 809. lit. C.* Pulchritudinis ergo Regina Deipara eſt, quæ Pulchritudinis Authorem humanitatis decore induere, digna inuenta eſt.

6 Æterni Regis Pulchritudo in eo præſertim conſiſtit, quòd non vna ſpecie limitetur, ſed omnium rerum formoſitatem eminenter contineat. Nec abſimilis Virgo, omnes pulchritudinis leges in ſe concinnatas habet. Malè ergo vni Roſæ, licet pulcherrimæ, comparauimus, dum omnium florum, fructuumque venuſtatem continet. Meliùs, & expreſſius Paradiſum dicemus: Paradiſus vtique Maria eſt; verùm non arte aliqua mortali conditus, ſed ab initio mundi ab ipſo rerum opifice ſapientiſſimè creatus: Paradiſus, in quo omnia florum genera,

Digitized by Google

neta,omnia virtutum germina virent;vbi angelicæ modulantur aues, gratiarum ſcaturiunt fontes, meritorum exuberant vndæ, rami creſcunt honoris, & honeſtatis: Paradiſus, cuius colonus æternus Pater, cuius inquilinus Filius, cuius Agricola ſpiritus ſanctus, cuius turris intemerata virginitas,cuius ſæpes Angelicus famulatus; cuius pulchertimus fructus lignum eſt vitæ, & fructus eius dulcis,quod qui manducat mortem non nouit Procul ab hoc Paradiſo ſerpentis venena, nihil in eo morticferum reperitur: omnis decor viret, omnis pulchritudo nitet,omne lumen ſplendet:quare hoc? Quia Dei Paradiſus eſt;audi ſcripturam: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio. Gen. c.2. ver.8.* Hinc mellifluus Genitricis cultor,textatur. *Et cui te aſſimilabimus mater pulchritudinis? Verè Paradiſus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protuliſti,de quo qui manducauerit viuet in æternum.* D.*Bernardus Abb. Clareu. Deprec.ad B.V.col.269.lit.*D.Et qui mori timebit vbi naſcitur ipſa vita?niſi amor interfecerit,mors non occidet.

7 Solem intueri mortalibus inconceſſum; quòd ſi temerè quis cum luminum iactura ipſum audacter videre præſumat,a fulgore obfuſcatus omnia quæ in ſolari globo reperiuntur haud videbit,non pauca latebunt.Sol inter ſpiritus Deus eſt, quem licet diſpenſatione diuina, multi in perenni patria reuelata videbunt facie,attamen omnino comprehendere nemo poteſt; ipſe ſolus omnia, quæ in ipſo ſunt contemplatur. Inter terrenas pulchritudines ſol Maria extitit, quæ ita deiformem vultum habebat, vt nemo ex iJs,qui eam intuebantur, eius pulchritudinem comprehendere poſſet. Etenim ſicuti ſi aliquis hominum,Dei permiſſu,ſolem geſtaret in facie,ut ipſe ſol incomprehenſibilis ſe exhiberet, ita in cœlorum Regno,ſanctorum corpora vt ſol fulgebunt,quia æterni ſolis imaginem referent;de quo loquitur Pſalmus: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: Pſal.4.ver.7.* Hoc autem Maria etiam viatrix habuit, quia ſolem diuinum carnali geſtauit in vtero, vt Iſidorus Theſſalonicenſis docet. *Sicut enim cui Deum videre conceſſum eſt, non quidquid in Deo eſt ille cognouit:ita qui videbat Virginem,non propterea capiebat mente totam eius altitudinem.Ita ſe Virgo, vt ita dicam, diuinis depinxerat coloribus,ita, ſecundum voces* Dauidis, *ſignatum erat ſuper eam lumen vultus* Domini, *vt in ſe exprimeret effigiem Deiformem.Iſidorus Archiep Theſſal.orat.2.pag* 50.Solis ergo ſplendor Pulchritudo Virginis eſt; ſed ſolem intueri quis poterit?ne radijs obruamur,ne opprimamur a gloria,melius erit commendare ſilentio,quod verbis exprimere non valemus.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

QVatuor in hoc verſu reperiuntur, quæ non paucas allegorias fundare poſſunt,prout in ſacris literis luculenter habemus,ſcilicet lumen,veſtimentum,Cœlum,& Pellis; hæc omnia iuxta propoſitum allegoricè tractanda ſunt,ipſorum Hierogliphica declarando.

SVMMARIVM.

1 *De varijs lucis, & luminis acceptionibus.*
2 *Amictus,Veſtimentum,induere,quid allegoricè.*
3 De *cœli Hierogliphicis.*
4 *Pellis,aut cutis quæ ſignificet.*

§. I.

De varijs lucis,ac luminis acceptionibus.

1 A*Mictus lumine.* De luminis nomine non eſt quid de nouo dicamus,dum in literali expoſitione multa diximus;de eius allegorijs ſolùm videndum eſt.Sumitur primò lumen pro ſacramento Baptiſmi:de quo lumine loquitur Apoſtolus: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis,& illuminabit te Chriſtus. Ad epheſ c.5.ver.14.* vnde Niceta fatetur. *Baptiſmi illuminatio lumen appellatur. Niceta in operib. D.Greg. Naz.or.40.pag.810.l.A.*

2 Sumitur pro cognitione veritatis,nam mendacium tenebra dici poteſt,& veritatis cognitio illuminatio. Vnde quia Deus ſuperbis abſcondit diuinæ doctrinæ arcana,quæ humilibus reuelat,dicit Iob *Immanibus abſcondit lucem:Iob.c.36.verſ.32.Vbi* Gloſs. ordinaria: *Immanibus abſcondit lucem:immanes ſunt,qui ſe elatis cogitationibus extollunt,quibus ueritatis cognitio denegatur.*

3 Accipitur lumen pro ſcientia,& multiplici cognitione rerum; & hęc fuit lux quæ circumfulſit Paulum in via;*et ſubito circumfulſit eum lux de Cęlo: Actor.c.9.uer.*4.ideſt ſcientia, & cognitio rerum cæleſtium, vt qui vas electionis,& Doctor gentium futurus erat:quare Nicetas.*Quod Paulum in uia lumine circumfudit, per hoc lumen cognitio omnis,& ſcientia deſignatur. Nicet.loc.cit. pag.810 lit A.*

4 Per lumen præcepta Dei intelliguntur, quia mentē ad rectè operandum illuſtrant:de quibus Pſalmus: *Lucerna pedibus meis uerbum tuum,& lumen ſemitis meis: Pſal.118.uer.*105.ſeu vt legit Nicetas: *Lucerna pedibus meis lex tua: Præcepta Dei lumen ſunt in terra. Idem ibid. pag.849.lit.E.*

5 Lumen proſperitatem præſentis ſæculi denotat: illi enim qui proſperantur in diuitijs,& mundi potentia inter omnes ſplendent,& lucent:quę tamen lux cum tranſitoria ſit parum durat: quare Iob dicebat: *Nonne lux impij extinguetur? Iob.c.18. uer.* 5. per quam lucem proſperitatem terrenam Magnus Gregorius intelligit dicens: *Quia habent impij lucem ſuam, proſperitatem ſcilicet uitæ præſentis. D.Greg.Mag.lib.14.c.4.mor.pag.616. lit.E.*

6 Gaudium adumbrat,nam ſi triſtitia ſignificatur per tenebras, gaudium per lucem ſignari poteſt, ſic obtenebrari lucem alicui,eſt gaudium,& lætitiam perdere: de qua luce intelligit patiētiæ Princeps: *Lux obtenebreſcet, in tabernaculo illius. Iob.c 18.uer.6.*vbi idem Gregorius. *Si plerumque tenebras triſtitiam accipimus, non immerito lucem accipere gaudium debemus. Idem ibid. pag. 617.lit.A.*

7 Conſolationem ſignat; ſicut enim infirmi, vel ſimiles adueniente luce multum lætantur, & conſolantur, ſic omnis conſolatio nomine lucis intelligi poteſt. Hanc lucem expectabant Iudei, quibus Ieremias prædicabat: *Expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis: Hierem.c.13. u.16.* quia conſolationem non erant habituri:ſic Lyranus:*expectabitis lucem, ideſt conſolationem.*

8 Non incongruè per lucem Gloria,& Beatitudo accipitur;Nam ſi Deus eſt lux,& gloria eſt viſio,& fruitio Dei, ſequitur, quod lux ſit Gloria; hac luce omnino negatus damnatus eſt,cui impoſſibile videre Deum, vnde Pſalmus; *Vſque in æternum non uidebit lumen: Pſal.48. uer.20.Non uidebit lumen gloriæ*, inquit Lyranus, *quia in inferno nulla eſt redemptio.*

9 Pęnitentia ſub lumine declaratur,quia peccatorum expellit tenebras: idcirco æternæ noctis habitator Diabolus numquam illuſtrari lumine dicitur, quia numquā ad pęnitentiam redibit:quod oſtendit Iob: *Non requirat eum Deus deſuper,nec illuſtretur lumine; Iob.c.3 uer 4.*

ideſt

ideſt pœnitentiam non agat: ita D.Gregorius. *Quia ergo humanum genus ad lucem pœnitētię Redemptoris aduentu reducitur. Apoſtata verò Angelus ad reſurrectionis lucem nulla conuerſationis emendatione reuocatur : dicitur rectè: Non requirat eum Deus deſuper , nec illuſtretur lumine . D.Greg.Magn.lib.2 cap 10.mor. pag.381. lit.C. tom.2.*

10 Humanus plauſus,& fauor, mundanis hominibus lux eſt, quia ſicut luce radiante homo excitatur ad operandum; ſic mundanus ad fortia operandum populari plauſu excitatur : quem plauſum in melle Ionathæ illuminante oculos Scriptura ſignat , & *Illuminati ſunt oculi eius. 1. Reg. cap. 14. Quid verò eſt* inquit Magnus Gregorius. *Quòd ex guſtu mellis illuminati ſunt oculi Ionathæ, niſi quia, qui vani fauoris auram recipiunt , ex eadem ad agenda fortia roborantur ? D. Gregorius Magn. in lib. 1. Reg. lib.5. cap.4. tom.1.pag. 242. lit.D.*

11 Lux virtutem ſignat ; hinc indui armis lucis, virtutibus inſtrui eſt ; quod ſuadebat Apoſtolus; *Induamur arma lucis ; Ad Rom.cap.13. ver.12.* vbi Lyranus. *Virtutes, quæ dicuntur arma lucis, quia contra peccati tenebras muniunt .*

12 Lumen myraculum ſignificat , quia non minus redditur ſanctitas illuſtris per miracula,quam corpus per lumen. Hinc fulgurare lumine eſt Prædicationem miraculis illuſtrare: vnde Iob *: ſi voluerit fulgurare lumine ſuo deſuper : Iob cap.36.ver.30.* & Gloſſa ordinaria . *Per has nubes lumine ſuo fulgurat , quia per prædicatores ſuos inſenſibilitatis noſtræ tenebras etiam miraculis illuſtrat .*

§. II.

Amictus , Veſtimentum , induere , quid allegoricè .

1 QVaſi Veſtimento . Veſtimentum eſt corporis tegumentum , tum ad coercendum temporum inclementiam , tùm præcipuè ad hominis verecundiam tegendam: quo eguere homines,poſtquam originali innocentia viduati cognouerunt ſe eſſe nudas ; quia gratia,& immortalitate carentes mundi miſerijs ſunt ſubiecti : Idcirco primò maledictionem ſignificat, quia a Dei maledictione initium duxit ; hinc indui maledictione ; vt Pſalmus : *Induit maledictionem ſicut veſtimentum . Pſalm 108. v.18* & D.Hieronymus ſubdit. *Ecce autem peſſima veſtimenta docet Scriptura, vt eſt illud, quod in Pſalmis de Iuda proditore cantatur : Indutus eſt maledictione ſicut veſtimento : D.Hier.in Ezech.tom 4 pag. 1062.lit.D.*

2 Veſtimentum ſordidum eſt peccatum, quo indutus eſt Redemptor noſter,vt genus humanū redimeret, pro eo moriendo : vnde veſtimento ſordido indutus viſus eſt Zaccariæ , *Et Ieſus erat veſtitus veſtibus ſordidis . Zaccar.c 3.v.3.* Vbi Idem D.Hieronymus l.c. *Dominus qui pro nobis doluit, & noſtra peccata portauit , in Zaccaria ſordida habere dicitur veſtimenta .* Quare ſordidum veſtimentum peccatum eſt.

3 Veſtis Gloria eſt;hinc Deus dicitur ſuos electos veſtire veſte gloriæ in cæleſti patria: de quo Eccleſiaſticus: *Stolam glorię indues eum : Eccleſ.cap.6.v.32.* quo in loco Nicolaus de Lyra : *Indues eum in præſenti per gratiam, per gloriam in futuro .*

4 Hinc deducitur veſtimētum album, ideſt Baptiſmalis mundicia,quæ nos dignos denuo efficit Paradiſo: vnde Ioann. in Apocalipſi de Sanctis qui Cęli gaudijs fruebantur , dixit : *Circumamicti veſtimētis albis: Apocalip. cap.4. v.4.* ideſt baptiſmali innocentia ; vbi Gloſſ.interlin. *Veſtimentis , quę in Baptiſmo induerunt , quibus amiciuntur electi .*

5 Veſtimentum liliorum gloria eſt Angelorum , qui congenita puritate rutilant.Hoc innuit Chriſtus Dominus noſter . Luc 12. *Conſiderate lilia quomodo creſcunt. Dico autem vobis,neč Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut unum ex illis.Luc.cap.12.ver 27.* Vbi per Salomonē homines beati exprimuntur,per candorem verò liliorum Angelorum Sanctorum gloria . Ita D. Ambroſius . *Per claritatem coloris Angelorum cœleſtium gloriam putamus expreſſam . D.Ambroſius in cap. 12. Luc. tom.5.pag 108. lit.C.*

6 Veſtimentum Gloriæ eſt virtutū ornatus ; ita Iſaias inquit : *Induere Veſtimentis glorię tuę: Iſai.cap.12.verſic.1.* ideſt virtutibus . Subdit Gloſſa interlinearis .

7 Sequitur hinc, indui varijs veſtimentis eſſe varias exercere virtutes : de quibus Ezechiel . *Et veſtiui te diſcoloribus , Ezech. cap.16. ver.10.* vel vt alij legunt, *Varijs:* quæ verba D Hieronymus ſic exponit *Volumus ſcire quæ ſint varia Veſtimēta? Idem nos Apoſtolus docet credētibus ſcribens: Induimini ergo viſceribus miſericordiæ, bonitatis, humilitatis, manſuetudinis, patiētiæ . D. Hieronym. in Ezech.tom.4 col. 17. lit.C.* En quomodo D.Hieronymus probat ex Apoſtolo varias veſtes, varias eſſe virtutes .

8 Veſtis aurea decor virginalis intelligi poteſt ; Virginitas namque eſt virtutum omnium Regina , quam aurea decet Veſtis. Hoc veſtitu Dei immaculata Genitrix in Gloria decorata refulget : de qua Pſalmus : *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato : Pſalm.44. ver.10.* ideſt virginitate fulgens ſecundum Magni Gregorij ſenſum*: Quid eſt autem Veſtitus aureus niſi decor , & honor corporis virginalis ? D. Gregor. Magn. lib.6. capitul. primo in Lib. 1. Reg. pagin. 265. litter. C. tom. 1.*

9 Veſtis nuptialis , quam habere debet Anima , vt ad cęleſtis conuiuij gaudia condignè accedat fides eſt , & charitas, ſine qua de cęleſti Regno eijcitur . Sic habetur Matth. cap. 26. *Vidit hominem non veſtitum Veste nuptiali ; Matth. cap. 26. ver.12.* qui , & in tenebras exteriores miſſus eſt . Non enim ſufficit vocari a Chriſto per fidem , niſi charitas adſit : Ita D. Ambroſius . *Nec hoc tamen plenum eſt, ut aliquis vocatus veniat, niſi Veſtem habeat nuptialem , hoc eſt fidem habeat , & charitatem . D. Ambroſ.lib.7.in Luc.cap.14.tom.5.pag. 110. lit.C.*

10 Signatur per veſtem Authoritas Sacræ Scripturæ, ex qua Anima fidem veram induit : Hæc porro veſtis in hæreticis lutea , & terrea eſt, quia ſuis prauis expoſitionibus Scripturam diuinam deprauant : de quo dicitur Iob cap.27. *Sicut lutum præparauerit Veſtimentum . Iob cap.27. v.16.* Vbi D. Gregorius *Hæreticorum eloquium terræ comparatur ; qui etiam ſicut lutum præparant veſtimenta, quia fluxe, & inquinabiliter ea, quibus ſe tueri volunt , Scripturę Sacrę attexunt teſtimonia. D. Gregor. Magn. lib.18 capit. 11. moral. tom.2.pag.710. lit.C.*

11 Idcirco Hæreticus Sacram Scripturam corrumpens , tinea dicitur a D. Ambroſio : cùm enim dixiſſet Ioannes Apoſtolus, *Deus erat Verbum ; Ioan.cap prim. verſic. prim.* Arrius quaſi tinea corroſit , negando Verbum eſſe Deum . Ita D. Ambroſius . *Conſumit tinea ſi quod benè legeris malè credas . Tinea hęreticus eſt, Tinea Photinus eſt, Tinea Arrius eſt, &c. Integrum enim veſtimentum eſt ſi legas : Et Deus erat Verbum : ſcindit Veſtimentum qui ſeparat a Deo Chriſtum . D. Ambroſ. in Proem Luc. tom.5. pag.9. lit B* Sed hoc intelligi de ipſa Eccleſia poteſt ; nam ipſe Chriſtus Alexandrino Petro dixit : *Arrius Veſtem meam , quę eſt Eccleſia , dilacerauit ap.Breu.Rom. in Feſto S. Petri Epiſ. Alexand. mart. die 26. Nouemb.*

12 Hinc Veſtem quidem Dei ſed ab eo ſciſſam , & derelictam Hebræorum Sinagogam accipimus , quam Deus exuit, vt Chriſtianorum veſtitet Eccleſiam : in cuius myſterium Iob 1. dicitur . *Tunc ſurrexit Iob , & ſcidit veſtimenta ſua . Iob. cap. prim. v.20.* Ideſt Chriſtus veſtem ſuam veterem , ideſt Sinagogam reliquit : *Quid enim* , inquit D. Greg. *Veſtimentum Domini niſi Sinagoga extitit ? D.Greg. Mag. lib. 2.cap.21.moral.to. 2.pag.346. lit C.*

13 Ve-

Digitized by Google

13 Veſtimentum purpureum, quo indutus dicitur Chriſtus *Induunt eum purpura*: *Marc cap.15.verſic.17.* Martyrium eſt, quo nunc ſanguine ſuorum martyrum Dominus in Cœlo indutus eſt: vnde Gloſſ. ordin. *Purpura, vel cocco veſtitur, cùm triumpho glorioſorum martyrum gloriatur*.

14 Peccatores veſtimentum confuſionis indui in iudicio dicuntur, quia omnium ſuorum peccatorum reatus veſtient eum; ſic Iob. *Qui oderunt te induentur confuſione*: *Iob.cap 8. v.22.* Vbi Gloſſ. ex D.Gregorio. *Iuſtorum hoſtes in Iudicio confuſio induet, quia tunc viſo Iudice, mala omnia ante oculos mentis verſantur, & reatus deprimens eos vndique veſtit*.

15 Signat tandem veſtimentum, ſeu amictus, quo Deus animam veſtit, ſuam protectionem. Iſai. c.16. *Et tranſiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium; & expandi amictum meum ſuper te. Iſai. cap.16. ver.8.* Per amictum Dei ſuam protectionem intelligit D Hieronymus, inquiens. *Referamus ad Animam, quæ quamdiu in infantia conſtituta eſt, peccato caret: cum autem ætatis eius tempus aduenerit, multi ſunt amantes dæmonum, & hæreticorum; qui protectione Dei repelluntur. D.Hieronym. in cap.16. Iſai.tom.4. col.816. lit.F.*

§. III.

De Cœli Hieroglyphicis.

EXtendens Cœlum. Cœli nomen a cælando dictum eſt eo quòd nobis ſuperna cælet, & occultet; hinc per ſynedochen pro ijs rebus, quæ cœli ſumitur.

1 Igitur Deum ſignificat; in cuius ſignum dormiens Iacob ſchalam mundo innixam, cœlumque tangens vidit, *& cacumen illius tangens Cœlum*: *Gen.cap.28.verſic.12.* quia contemplatiui, per meditationis ſchalam ad Dei cognitionem pertingunt. Hinc apud ſiluam allegoriarum, Verbo Cœlum. pag.160. *Cœlum ſummum dicitur ipſe Deus.*

2 Nomine Cœli denotatur Angelus poſt Deum primus cœlorum Incola: De quo Pſalmus; *Qui fecit Cœlum, & Terram*: *Pſalm.113.ver.15.* per cœlum Angelos, per terram verò ſenſibilia corpora intelligens, ſecundum D.Ambroſij intellectum. *Qui fecit, inquit, Cœlum, & terram, ideſt Intelligibilem, & ſenſibilem ſubſtantiam. D.Ambroſius libro 2. de Abraham. cap.8. to.4. pag 204. lit.D.*

3 Cœlum eſt Beatiſſima Angelorum Regina, & Dei Genitrix Virgo Maria; quod patet, ex tertia expoſitione myſtica ſuperius poſita, in qua ipſam Cœlum eſſe fuſè probauimus; de qua cantat Eccleſia: *Quem cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti*.

4 Eccleſia Cœlum eſt; quod ſupra probatam fuit; ſed iterum oſtenditur Iob.c.26. *Columnæ cœli contremiſcunt: Iob. capit.26. ver.11.* ideſt Eccleſiæ proceres; vt ſentit D.Hieronymus in Iob. *tom.8. col 27. lit.E. Secundum tropicos intellectus Cœli nomine ſignificari Eccleſiam nouerimus.*

5 Anima Cœlum dicitur: nam ſi ſecundum Prophætam Cœlum eſt propria Dei altiſſimi ſedes: *Cœlum mihi ſedes eſt*: *Iſai. cap.66. v 1.* cum in Anima hominis tanquam in ſolio ſæpe Dominus ſedeat, etiam ipſa anima cœlum poterit nuncupari. ita D.Gregorius. *Cœlum quippe eſt Anima iuſti, ſicut per Prophætam Dominus dicit: Cœlum mihi ſedes eſt. D. Greg Mag.hom.14.in Ezech. to.2. pag.1329. lit.E.*

6 Vir ſpiritualis, & deuotus cœlum eſt: nam ſicut cœlum in æternum Deum habitantem habet: ita vir iuſtus, ſemper Dei obſeruet præcepta: de quo illud Pſalmi; *In æternum Domine permanet Verbum tuum in Cœlo. Pſal. 118. ver.77.* intelligit D.Ambroſius. *in Pſalm.118. to.4. 501. lit.A. Iſti igitur ſunt Cœli, qui etiam in terris poſiti audent dicere, noſtra conuerſatio in Cœlis eſt. Iſti ſunt Cœli in quibus fides, grauitas, doctrina, continentia, vita cœleſtis eſt.*

7 Licet Porro totus homo, vel tota Anima cœlum dici poſſit, mens tamen ipſius cœlum ſpecialiter dicitur, quæ Dei exequitur voluntatem: Idcirco vbi in oratione dominica habetur: *Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra*; *Matth. cap.6. ver.10.* per cœlum mentem, & terram ſenſum D. Ioannes Chriſoſtomus ſumit. *Hom. in orat. domin. tom.5. col.612. lit.C. In cœlo mentis meæ fiat voluntas tua, & in carne corporis mei adimpleatur voluntas tua.*

8 Ipſa Sanctitas Cœlum dicitur; nam, & Sancti Stellæ nuncupantur; ſic Stellas cadere de cœlo, eſt iuſtos a ſanctitate deficere: de quibus verba illa Redemptoris. Matth.24. *Stellæ cadent de cœlo*: *Matth.cap.24 ver.29.* interpretatus D. Ioannes Chriſoſtomus. *Homil.49 in Matth. tom.2. col.940. lit C. Stellæ cadent de cœlo, ideſt qui videntur Sancti, transgredientur, & cadent de dignitate cœleſti*: Dignitas autem cœleſtis non alia eſt niſi ſanctitas.

9 Per cœlum Fides exprimitur; Fides enim ſcientiam diuinarum rerum nobis communicat, quæ cœlum cœlat: & ſic cœlos apertos quos Stephanus protomartyr inſpexit, Fides extitit: *Ecce video cœlos apertos*: *Qui cœlos apertos habet Ieſum ad dexteram Dei cernit. Confiteamur ergo Ieſum ad dexteram, vt cœlum nobis aperiatur*; *Actor. capit. 7. verſic. 55.* inquit D. Ambroſius.

10 Cœlum Dei Prædicator eſt; nam ſicut cœlum in fluxu ſuo terram fæcundat, ſic Prædicator verbo Dei Animas ſatiat; de quibus cœlis dicebat Moyſes in ſuo cantico: *Audite cœli quæ loquor. Deuteron. cap.32. ver. 1.* Vbi magnus teſtatur Gregorius. *Lib.2 cap.19. moral. tom.2.pag.344. lit.E. Omnes qui Prædicationis officium in Synagoga tenuerunt Cœlum rectè vocati ſunt, quia nimirum ſapere cœleſtia credebantur. Vnde Moyſes cum Sacerdotes, ac populos ad verba ſuæ admonitionis excitaret, dixit: Audite cœli quæ loquor: per cœlos videlicet ſignans Præpoſitorum ordines.*

11 Cœlum eſt ſolium potentiæ, nam vulgo Potentes viri, quaſi cœlos tangere putantur, qui omnem terrenam ſuperant magnificentiam. De hoc cœlo cecidit Babilonum Monarcha Nabuchdonoſor, ad quem dicitur; *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer? Iſai. cap.14. ver.12.* Vbi Gloſſa Interlinearis. *Cecidiſti de cœlo ideſt de ſolio potentiæ*; perdidit namque Principatum, quem tenebat.

§. IV.

Pellis, ſeu Cutis quid ſignificet.

1 SIcut pellem. Pellis ea dicitur quæ Animalis carnem tegit: inter pellem autem, & cutim hæc eſt differentia, nam cutis propriè dicitur quæ ipſi carni vnita eſt; pellis verò quæ a carne ſeiuncta eſt: attamen ſæpè pro eodem vſurpantur. Primo ergo ſumitur pellis pro rebus temporalibus, vnde pellis pulchritudo eſt Gloria ex rebus reſultans temporalibus; quod habetur Iob. 18. *Deuoret pulchritudinem cutis eius*: *Iob. cap. 18. ver. 15.* Vbi D.Gregorius Magnus. *Lib.14.cap.8. moral.tom. 2.pag. 619. lit. C.* Pulchritudo cutis eſt gloria temporalis.

2 Hinc deriuatur dare pellem pro pelle, ideſt ſubſtantiam rerum temporalium pro virtute, & patientia commutare; pellis namque etiam patientiam ſignificat. Vnde Iob.2. dicitur. *Pellem pro pelle, & vniuerſa quæ habet dabit homo pro anima ſua. Iob. cap.2. ver.4.* Dedit vtiq; Iob pellem pro pelle, qui neglexit tēporalia, vt patiētiam inueniret. Ita Gloſſ. ordin *Sathan circumſtantiam diuitiarum pellem nominauit dicens: Pellem pro pelle, & vniuerſa quæ habet dabit homo pro anima ſua. Hanc dedit Iob, ut Pellem, ideſt patientiam retineret, quæ pellis dicitur, ex qua fiunt multa utilia.*

3 Pellis opus eſt bonum, & meritorium, quo Anima tegitur,

Digitized by Google

tegitur, & roboratur. Hinc excoriare pellem eſt auferre omnia bona opera, quod facit Diabolus per peccatum: De quo Mich. cap.3. *Pellem eorum deſuper excoriauerunt; ideſt opera veſtem Animæ*; addit Gloſſ. interlin.

4 eſt Pellis humanæ mortalitatis indicium: cùm enim hominum primus per tranſgreſſionem diuini præcepti originalem veſtem perdidiſſet, & mortalis effectus cooperimento indigeret, a Domino pellibus indutus eſt, vt cognoſceret in mortuorum pellibus, quibus tegebatur, ſuam mortalitatem. *Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, Ideſt*, inquit Lytanus, *de pellibus animalium mortuorum, in ſignum ſuæ mortalitatis. in Gen.c 3. n.21.*

5 Pellis quæ carni adhæret, quæ cutis propriè dicitur, peccatum ſignificat carnis. Hinc ſaccum conſuere ſuper cutem, eſt peccatum carnis per pęnitentiam tegere: quod ſe feciſſe Iob commemorat, dicens: *Saccum conſui ſuper cutem meam. Iob. cap.16. ver.16.* Quod ita exponit D. Gregorius. *Quid in ſacco, & cinere niſi pænitentia, quid in cute, & carne niſi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam poſt lapſum carnis ad pænitentiam reuertitur, quaſi ſaccus ſuper cutem conſuitur; quia culpa carnis per pęnitentiam tegitur. D. Gregor. Magn. lib.13. cap 6. moral. tom. 2. pag.606. lit. D.*

6 Idcirco Pellis etiam mortificatio eſt carnis: ſignificata Leu. cap. 13. vbi Sacerdoti demandatur *Pellis uel quidquid ex pelle confectum eſt; Leuit. capit. 13. ver.48.* quia tribulatio, quæ hominem mortificat, illum Deo ſeruat, & conſeruat: vnde Gloſſ. ordin. *Pellis ideſt tentatio tribulationis, quæ hominem mortificat.*

7 Conſuetudo peccandi pellis dicitur; ſicut enim tunc ſolida caro eſt cum ſuperinduit pellem, ſic peccator peccandi conſuetudine, quaſi pelle deſideria, firmat carnis. Ita D Hieronymus, ad illa verba Ieremiæ: *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum: Ierem. capit.13. ver.23.* inquit. *Quidquid diſcitur non natura eſt ſed ſtudij, & propriæ voluntatis: quæ nimia conſuetudine, & amore, peccandi quodammodo in naturam conuertitur: D. Hier. in Ierem. to.4. col.570. lit. E.F.*

8 Pellis Martha, vel ſimilis Deo corporaliter ſeruiens fœmina dicitur, quia ſicut pellis carnem, & oſſa tegit, ſic illa non impigro labore, ſed feruenti charitate corpori Domini Noſtri Ieſu Chriſti neceſſaria adminiſtrabat: De ea prophetabat Iob dicens; *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum. Iob. cap. 19. ver.....* Vbi D. Gregorius *lib.14. capit.23. moral. pag.630. lit.C. Quid per os niſi ipſe Dominus deſignatur? Per pellem verò, quæ exterior carne manet in corpore, quid niſi illæ ſanctæ fœminæ figurantur, quæ ad præparanda ſubſidia corporis, exterioribus Domino miniſterijs ſeruiebant?*

9 Pelles dicuntur viri craſſi ingenij, & rudes, qui aliquando a Deo in Eccleſia ſubleuantur, vt myſteria tegantur diuina. De his dicitur. Exod. cap.26. *Facies operimentum aliud tecto de pellibus Arietum. Exod. cap.26. ver.14.* Vbi Idem Gregorius, *lib.25. cap.16. pag. 877. lit. A. Quid ergo per pelles, & cilicia, quibus Tabernaculum tegitur, niſi craſſas hominum mentes accipimus? quæ aliquando occulto Dei iudicio, quamuis duræ ſint, præferuntur.*

Verſus Tertius.

הַמְקָרֶה בַמַּיִם עֲלִיּוֹתָיו הַשָּׂם עָבִים רְכוּבוֹ הַמְהַלֵּךְ עַל כַּנְפֵי רוּחַ׃

Verſio ex hebręo. *Contignans in aquis cœnacula ſua; ponens nubes currum ſuum; ambulans ſuper alas venti.*

Vulgata editio. *Qui tegis aquis ſuperiora eius; qui ponis nubem aſcenſum tuum; qui ambulas ſuper pennas ventorum.*

D. Hieronymus. *Qui tegis aquis cœnacula eius: qui ponis nubes currum tuum: qui ambulas ſuper pennas venti.*

Pagninus. *Qui contignat ſuperiora eius: qui ponit &c. qui ambulat ſuper extremitates venti.*

D. Auguſtinus. *Qui protegis in aquis ſuperiora eius, &c.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

EXpoſitionum varietas tantummodò de modo loquendi eſt; nam cùm verbum הַמְקָרֶה contignare ſignificet, & contignatio ipſa tectum dicatur, hinc ſequitur, quòd *contignare, tegere, protegere*, pro eodem vſurpentur: verbum verò participium eſt, & propriè *contignans*, & ſic *ponens, ambulans*, legendum eſt: illi verò qui voluerunt explicare participium per particulam *qui*, & tempus præſens, vt apud Grammaticos fieri ſolet, quidam in

ſecunda

Digitized by Google

ſecunda, quid in tertia perſona interpretati ſunt: עֲלִיּוֹתָיו. *cænacula ſua* ſignat literaliter, ſed ponuntur hìc propriè pro habitaculis, quaſi Deus tegat habitacula ſua aquis; & quia Dei habitacula in ſuperiori partè totius vniuerſi ſunt, idcirco alij ſuperiora interpretantur: *vide expoſit. ver.* 13. רְכוּב currus eſt,& quia in currum aſcenditur, Aſcenſum verterunt pro curru. De כְּנַף nihil eſt quod dicam, nam ala eſt; ſed alæ ſunt ex pennis, & penna pro ala, vel ala pro penna ſæpe ponitur.

SVMMARIVM.

1 *Vtrum Aquæ veræ, & reales ſupra cælorum extenſiones reperiantur.*
2 *Quare Deus Cælum, & Terram inter aquas fundauerit.*
3 De *Elementorum productione, natura & numero.*
4 De *Nubibus, Nebulis, Pluuia, Niue, Grandine, Rore, & Pruina.*
5 De *Aeris, & Ventorum Proprietatibus, & Differentijs.*

§. I.

Vtrum Aquæ veræ, & reales ſupra Cælorum extenſiones reperiantur.

1 QVi tegis Aquis ſuperiora eius. Tanta eſt fides quã chriſtiani inter recentiores Philoſophi habent documentis, & propoſitionibus Sophiſtarum Principis, & Hæreticorum Patriarchæ Ariſtotelis, vt non eos pudeat, potius extorquendo ſacræ ſcripturæ ſenſus, illos doctrinæ peripatheticæ accomodare, quam falſa illius dogmata, quæ pauca non ſunt, negare. Neque conſiderant Moyſem antiquiſſimæ Philoſophiæ Parentem, eumque Aſtronomiæ callidum, nec non (quod magni faciendum eſt) diuino afflatum ſpiritu ſuam de mundo ſcripſiſſe hiſtoriam. A quo ſapientiores Philoſophi, & ob præclaram ſapientiam diuinitatis titulo inſigniti, vt Mercurius Trimegiſtus, & Plato, non pauca didicere. Præſertim quæ apud Ariſtotelem correctione maxima indiget Doctrina, ea de natura Cælorum, & elementorum, de, eorumq; qualitatibus eſt primaria. Quis non miretur ſphæram ignis tot ſæculis poſt Ariſtotelem in concauo Cœli Lunæ locatam, noſtro ſæculo euanuiſſe, cùm præclariſſimi Philoſophi, & mathematici noſtri temporis ibi minimè recognoſcant. Quis autem credat Aerem natura ſua frigidiſſimum, qui ſub polis vbi a vaporibus terræ calefactis a Sole minimè alteratur, adeo frigeſcit, vt mare ſua natura fluidum glaciale reddat, eſſe calidum, vt Ariſtoteles docuit? Quis ignem ſiccum credat, cum non niſi humiditate nutriatur, non quacumque, ſed pingui; & certum eſt, quòd ſimilia ſimilibus nutriuntur; quod ſi alia deſiccat corpora, hoc per accidens eſt, quia humiditatem attrahendo in ſui pabulum, corpora ſicca relinquit: vnde omnino ſicca corpora, & nullo modo humida, (nam pinguedo humida eſt) vt cinis, & arena, cibum ignis eſſe non poſſunt.

2 Non igitur Scripturæ ſenſum debemus adulterare, vt delirantem Philoſophum defendamus; ſed demonſtrare rationibus veris (ſophiſmatibus reiectis) veram eſſe ſacræ ſcripturæ doctrinam. Aquam igitur eſſe ſupra Cœlorum extenſionem habemus in diuinis literis tertio verſu huius Pſalmi, ſupra relato: *Qui tegis*, vel *contignas aquis ſuperiora eius*, ideſt Cœli quod iam extenderat. Hanc doctrinam hauſit doctiſſimus Dauid a Moyſe qui Gen. cap. 1. dixit, ex Dei nomine: *Sit expanſio in medio aquarum, & diuiſionem faciat inter aquas, et aquas. Gen. c. 1. ver. 6.* Hoc repetit Pſaltes Pſal. 148. clarè loquens: *Et aquæ omnes, quæ ſuper Cælos ſunt laudent nomen Domini. Pſal. 148.* 4. Quibus in locis loquuntur Prophetæ ex proprio ſenſu, non aliorum placita referunt, hiſtorialem narrationem attexunt; non hic allegoriæ locus, nec metaphorici ſenſus: ſed ita vt verba ſonant intelligere ibi veras eſſe aquas fidei conſentaneum eſt, imò & rationi, vt videbimus. Origenes, *ap. Perer. infr. citand.* quem Auguſtinus confutat, eius fuit opinionis, vt Aquarum nomine Angelos ſignificari voluerit, cœlumque inter bonos, maloſue diuiſionem facere. Hanc ſententiam licet alibi impugnet, ſequitur tamen D. Hieronymus in explanatione huius Pſalmi. *Superiora cæli, iuxta Geneſim ab aquis teguntur, quia aquas ſuper cælos poſitas dixit multitudinem Angelorum intelligimus, iuxta illud: Et aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini. D. Hieron. in Pſal.* 103. Ita D. Hieronymus: ex quo Interlinearis Gloſſ. deſumpſit quod ſcribit in cap. 1. Gen. *Aquas ideſt populos Angelorum, qui non indigent firmamento ſcripturæ.* Puto tamen hos Patres non ſecundum literam, ſed myſticè, & figuratè loqui de Aquis: quod ad noſtrum inſtitutum minimè conducit; nam nos de realitate aquarum quærimus, vtrum ſupra cœlum collocentur.

3 Alij veras ibi eſſe aquas denegare non auſi, de Cælo Cryſtallino intellexerunt; inter quos primus occurrit Nicolaus de Lyra, qui verſum iſtum explicans, inquit; *Hic tangitur Cælum Cryſtallinum quod eſt ſupra firmamentum, quod dicitur aqueum.* Ita etiam opinatus eſt Abulenſium Epiſcopus in Geneſim. *Diuiſit Deus aquas quæ ſunt ſuper Firmamētum, ideſt Cælum Cryſtallinum, quod uocatur æquiuocè Aqua: ab his quæ ſunt ſub firmamento, quæ ſunt Aquæ elementares.* Sed neſcio quid reſponderet Interrogatus, quis ei indicauerit, Moyſem in eodem loco diuidendo eamdem aquam, de vna realiter, de altera impropriè loquutum: Non enim idem mathematicè diuiſum dicitur quod in membra diuidentia non reperitur: Neque aurum quis diuidendo in aurum, & argentum diuidet. Albertus Magnus etiam ipſe Toſtato ſubſcribit, ſiue a quo Toſtatus deſumpſit. *Qui tegis aquis ſuperiora eius: Hoc dicit propter Cælum Cryſtallinum, quod eſt quaſi aquæ congelatæ, & eſt immobile ſuſcipiens lucis influentiam. B. Albertus Mag in Pſal.* 103. Gilbertus Genebrardus in Pſal. 103. per aquas Cælum Cryſtallinum intelligit, quod tamen primum mobile cenſet. *Aqueo, ſiue cryſtallino cælo tegis ſuperiora eius cæli, ideſt cælum ſtellarum; nempe cœlum ſtellarum, cælorum viſibilium ſupremum obtegitur primo mobili, aquea ſubſtantia conſtare, non æthereа contra Philoſophos.* His accedit Bedæ opinio, ab eminentiſſimo Hugone relata in Pſal. 103 *Has aquas dicit Beda eſſe contiguas ad modum cryſtalli gelati.* His addi poteſt Gulielmus Pariſienſis; qui reuera quid ſibi velit non ſatis conſtat; an aliquod cælum, vel ipſius Empyrei pauimentum ex hoc cryſtallo factum velit; inquit enim: *Reuertar ad id in quo eram, & dicam, quoniam aquæ, quæ ſuper cœlos nouem ſunt, non ſunt ibi in forma aquarum, quæ apud nos ſunt; ſed ex eis regio illa, quæ cælo empyreo circumtegitur, ſic facta eſt, ut ſit amæna, & ſalubris, & per omnem apta habitatio glorificandis hominibus, conueniensque uitæ immortalitati, & impaſſibilitati eorumdem. Guilelm. Pariſienſis. ap. Gloſ. Mag. martineng. to. 1. pag. 629.* Hæc opinio eſt aquas ſupra cælum negātium, ac eius locum Cryſtallo adimplentiū, cuius poſitionis veritas infra examinabitur.

4 Aquas

4 Aquas veras, ſicuti & infra, ita & ſupra Cœlos exiſtere probant in primis Sacræ Scripturæ ſententiæ ſuperius adductæ: quam etiam ſententiam docet Apoſtolus Petrus: qui inſuper innuit mihi ſatis probabilem opinionem, ex illis ſuperioribus aquis vniuerſale diluuium fluxiſſe: inquit autem. *Latet enim eos, hoc volentes, quod cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam conſiſtẽs verbo Dei, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perijt. 1. Petri cap 3. ver.6.* Neque obſtat primò apud Recognitiones D. Clementis eiuſdem D. Petri ſententia. *Iam verò aqua quæ erat intra mundum in medio illius cœli (empyrei) terræq; ſpatio, quaſi gelu concreta, & cryſtallo ſolidata diſtenditur. D. Clem. lib. 1. Recogn. pag. 9. lit. D.* Non obſtat inquam, tum quia illa ſcriptura canonica non eſt, vnde eius veritas claudicat; tum etiam quia non dicit aquam illam abſolutè congelatam, ſed quaſi gelu concretam, quia nobis aliàs non apparet intelligibile quomodo ibi permaneant aquæ quaſi ſuſpenſæ, quod infra videbimus. Secundò huic opinioni fauet Eccleſia nam in hymno. *Fer. 6. ad Veſp.* canit.

Immenſe cœli Conditor
Qui mixta ne confunderent,
Aquę fluenta diuidens
Cęlum dediſti limitem.

Neque obſtat ſecundò Benedicti Pererij obiectio. *in Geneſ. to. 1 pag. 94. lit. B. C.* Aquam illam è cœlo deſcendere non potuiſſe, tũ quia cœlos omnes diſruptos oporteret, tum etiam quia vacuum reliquiſſent ſpatium; & modo aquæ illæ ad nihil deſeruirent, quia diluuium non amplius eſt futurum. Ad hoc namq; dicitur; cùm cęli non ſolidi, ſed fluidi ſint aquæ deſcenſui minimè impedimẽto eſſe; & eadem de cauſa cœlum vacuum ſpatium implere potuiſſe ſui rarefactione. Non tamen abſoluta cauſa collocationis aquarum ſupra cœlum, diluuium extitit futurum; ſed aliæ quæ adducentur infra. Probatur tertio Aquarum realitas ex D. Auguſt. dicente. *Quoquomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minimè dubitatur. Maius eſt quippe huius Scripturæ authoritas quam omnis humani ingenij capacitas. D. Aug ap. Perer. loc. cit. lit. E.* Quod clarius D. Ambroſius exprimit. *Alij quoq; purificatorias virtutes interpretati ſunt aquas, quæ ſuper cœlos ſunt. Accipimus hæc quaſi ad tractatus decorem: nobis tamen non alienum videtur, atque abſurdum, ſi veras aquas, propter illam cauſam, quam diximus intelligamus. Nam & Ros, & Gelu, & Frigus, & Æſtas ſecundum hymnum propheticum, benedicunt Dominum, benedicit & terra: & illa non ad intelligibiles naturas referimus. D. Ambroſ. lib 2. Hexem. cap. 4. to. 1. pag. 17. lit. A.* Illos namque redarguere videtur D Ambroſius, qui dictum Pſalmi: *Aquæ omnes, quę ſuper cœlos ſunt*, de Angelis intelligebant. Hoc etiam Abbas Rupertus apertè falſum conuincit, inquiens. *Alij namque quod dictum eſt, Qui tegis aquis ſuperiora eius, ſic accipiunt, vt dicant ſuperiora cęli ſecũdum Geneſim ab aquis teguntur; aquas ſuper firmamentum cęli poſitas eſſe dicit, quas Angelorum multitudines intelligimus, iuxta illud: Et aquæ omnes quæ ſuper cęlos ſunt laudent nomen Domini. Verum ſi hoc voluit citharedus, præcentor ille laudum Dei, laudans de cęlis, laudans eum in excelſis, cur dicturus: Et aquæ omnes, quæ ſuper cęlo ſunt laudent nomen Domini: præmiſit: Laudate eum omnes Angeli eius? Vniuerſaliter namque dicendo, Omnes Angeli eius: neminem Angelorum excepit. Rup. Abb. Tuitienſ. lib. 1. in Geneſ. cap. 23. to. 1. pag. 9. col. 2.* In hanc ſententiam concurrunt Salianus tom. 1. Annal. Sacr. pag. 78. D. Bonauentura, & D. Iuſtinus martyr §. ſequenti adducendi: Item Martinus Delrius in cap 1. Geneſ. qui pro veris aquis ſupra cęlum poſitis, Antiquorum Patrum Authoritates 32. adducit pag. 58. Nec non D. Baſilius Magnus apud Pererium loc. cit. & tandem Ioannes Baptiſta Folengius, qui ad illa verba. *Pſalm. 103. Qui tegis aquis ſuperiora eius*, inquit. *Vides hic ſupremas Cęlorum regiones aquis tegi, & tanquam tabulato cooperiri.*

5 Dicendum, & concludendum igitur, cùm Deus Aquarum molem per firmamentum diuiſerit, veras aquas eſſe ſupra cęlum ſicuti ſunt infra cœlum. Ad quod Pererius obijcit; Quomodo corpus per ſe graue poterit Deus ſupra cęlum ponere, & reſpondet Beda; *ap. Benedict. Perer. loc. cit. pag. 65. lit A. B. Non eſſe minus facilè omnipotenti Deo tenere aquas ſupra cęlum ſiue liquidas, ſiue in modum cryſtalli congelatas, atque concretas, quam (quod facit quotidie) tenere aquas in ſublimi aere ſuſpenſas.* Sed ſubiungit Pererius, *ex Beda quærendum eſſet, vtrum putet aquas eſſe ſupra cęlum naturaliter, vel miraculosè.* &c. Et vtramque partem impugnat. Ego autem viciſſim, a Pererio quærerem. Aquæ quæ infra, & circa terram ſunt, ſtant naturaliter, vel miraculosè? Non miraculosè, nam vt ipſe probat, ſemper eſſent in ſtatu violento, quod aſſerendum non videtur. Neque naturaliter, nam cùm elementorum ſedes, (ſecundum ipſum) ſtatuenda eſt iuxta grauitatem, vel leuitatem; Aqua naturaliter ſtare debet ſupra terram, qua leuior eſt, & ſic fuit creata, & per diuinum præceptum Aridæ locum dedit: modo verò, non ſolum terra altior non eſt, ſed montes maribus altiores ſunt, vt experientijs compertum eſt, & optimè probat in ſua ſphæra Blancanus, *Tract. de Terra*: ergo tot ſæculis in loco ſibi violento perſiſtit Aqua. Sed dicendum ad hanc Pererij inſtantiam illum eſſe elementorum naturalem locum, quem ſibi demandauerit Deus, ignem enim in viſceribus terræ eſſe, & in æternũ ibi manſurum ſine hæreſis, imò, & inſipientiæ nota, negare non poſſumus; nam, & id ſacra ſcriptura docet, & etiam experientia conuincit: nec tamen ibi violenter eſse ignem quis diceret. Præterquam quod, illa elemẽta grauitant, & ad centrũ terræ cadunt, quæ intra terræ Athmoſphęram comprehenduntur, extra verò illam nequaquam; vnde, ſicut mare noſtrũ V.G. in Lunam non cadit (quæ corpus eſt ſolidum, & ſicut terra ſuum habet centrum circa quod voluitur, ſicut etiam Sol, & reliqua ſydera) ita prorſus neque Aquæ illæ, quæ ſupra cælos ſunt, ſunt in ſtatu violento, neque cadent, niſi Deo iubente, de cęlo. Et ſic Pererio, eiuſque fautoribus ſatisfactum eſt. Vtrum autem aliqua pars illarum Aquarum ad modum cryſtalli concreta reperiatur, per quam illa aqua ab empyreo cęlo vel a Firmamento ſeparetur, improbabile non eſt, & hoc probant authoritates num. 3. adductæ; quod ego concederem, cùm enim id in aquis noſtris, tempore Hyemis in fluminibus, & ſemper ſub polis in ipſis aquis Oceani contingere experiamur, id etiam in cęlo potuiſſe diuina fieri voluntate non negabimus; dummodo tamen ibi etiam veras aquas, & liquidas collocemus. Sed quidquid de eo determinandum ſit, circa principalem quæſtionem, cum D. Auguſtino determinandum videtur, Aquas veras, & reales ſupra cęlum exiſtere; rationibus Pererii minimè obſtantibus; quibos ingeniosè Idem ſanctus Doctor reſpondet. Eius talis eſt ſententia. *Sed hi qui nomine Aquarum Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorũ mouentur, & ideo non putant aquarum fluidam, grauemq; naturam in ſuperioribus mundi locis potuiſſe conſtitui: qui ſecundum rationes ſuas, ſi ipſi hominem facere poſſent, non ei pituitam, quod grecè Phlegma dicitur, & tanquam in elementis corporis noſtri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim ſedes eſt Phlegmatis, ſecundum Dei opus vtique aptiſſimè, ſecundum iſtorum autem coniecturam tam abſurdè, vt ſi hoc neſciremus, & in hoc libro ſimiliter ſcriptum eſset, quod Deus humorem fluuidum, ac frigidum, ac per hoc grauem in ſuperioribus cæteris humani corporis parte poſuerit, iſti trutinatores elementorum nequaquam crederent; & ſi Authoritati eiuſdem ſcripturæ ſubditi eſsent, aliquid aliud ex hoc intelligendũ eſse cenſerent. D. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 34. to. 5. pag. 134. col. 2. lit. C.* En quomodo veris Philoſophis noſtra poſitio impoſſibilis non eſt, quippe rationi maximè conueniens, quod mox oſtendemus; ſed ſolum Peripateticis, quibus penes me nulla fides adhibetur. Corroborat hoc etiam D. Ambroſii ſimilis ratiocinatio; *lib. 2.*

Hexem. capitul. 3. pag. 18. littera C. ita enim ait. *Et vt ſcias, quod de iſtis aquis dixit, quas & tu negas poſſe in ſuperioribus Cæli eſſe: Audi ſuperiora: Laudate eum Cæli Cęlorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini. Nonne quaſi aduerſanti tibi dixit; Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, &c. An non videtur tibi Author idoneus, qui legem ſuo operi daret? cum hęc audis quid miraris ſi ſupra firmamẽtum cæli potuit tanta maieſtatis operatione vnda ſuſpendi?* Nihil rationi pugnans in ſacris literis reperitur, ſed plerumque ratio vera nos latet.

§. II.

Quare Deus Cælum, & Terram inter aquas fundauerit.

1 PRima opinio, quam refert, & refutat Abulenſis, *ap. Perer. loc. cit. pag. 64. lit. C.* Eſt eorum, qui putant Deum ſupra cælos collocaſſe aquas, vt pro ſuo libito ad terras mitteret, cùm voluiſſet; & ex quarum effuſione Diluuium vniuerſale originem duxit: nec omnino aerea hæc opinio eſt, fundatur enim in D. Petri ſententia ſuprà relata num. 4. neque obiectiones cõtra eam factæ ſunt magni momenti. Attamen haud puto hanc opinionem omnino veram eſſe, nam licet hæc vna cauſarum eſſe poſſit, totalis nullo modo erit.

2 Secũda igitur opinio eſt optima conſtitutio Vniuerſi. Etenim cũ Deus multos ignium globos infra Cœlũ, Terramque poſuerit, ad viuentium Vitam, rerumque omnium ortum, & interitum, nec non Vniuerſi pulchritudinem omnino neceſſarios, ne eorum flammis omnia alia diſſiparent. Aquæ neceſſariæ vitæ ſunt ad temperandum tot, tantoſque calores; & quia per cœlorum ferè immenſa ſpatia, innumera reperiuntur ſydera, quæ magna ex parte ignes ſunt, ſupra Cœlum maxima debuit collocari Aqua. Diui Baſilij hæc argumentatio eſt; ipſum audiamus. *Nam cum Deus infinitam prope vim ignei ardoris, propter multiplices, & ad plurima neceſſarios eius vſus in cælo, & infra cælum multifariam ſparſiſſet, eſſetq; ſuapte natura ignis voraciſſimus, ſuique fęcundiſſimus, ac minimis mirè creſcens initijs, ne ob eam cauſam vniuerſi ſalus, atque incolumitas periclitaretur, ex aduerſo ei maximam infra, ſupraq; cælum vim aquarum oppoſuit, vt earum refrigeratione tantus ignium ardor temperatus, non ſolum non obeſſet mundo, ſed plurimum prodeſſet.* Hæc *D. Baſilius Magnus, homil. 3. ſuper Geneſ. ap. Perer. lib. 1 in Geneſ. pag. 64. lit. A.* Hanc etiam Quęſtionem ita ſoluit D. Iuſtinus Martyr illuſtris, & Philoſophus egregius; quæſtione enim 93 quærit. *Si terga cęli aquis ſunt grauata, ſicut ait Scriptura, Qui tegis aquis ſuperiora eius; quod quidem factum nonnulli dixerunt propter igneam luminarium ſubſtantiam, Quomodo, qui iſta allegant, veri ſunt, cùm ſtellæ non in cælo, ſed ſub cęlo curſum ſuum teneant?* Ad quam quæſtionem. Idem Sanctus, doctuſque Philoſophus ita reſpondet. *Reſpondeo; Tametſi Luminaria ſub cælo ſint, impetus tamen, quæ ignearum ſubſtantiam ciet agitationis natura ſurſum tendit. Rationabili ergo cauſa adducti ſunt, qui prodiderunt, Firmamenti ſtabilitatis gratia, tanquam pondus ſuper terga cæli aquas eſſe impoſitas. Non autem hæc ſolummodo cauſa eſt impoſitarum cæli dorſo vndarum, vt inuictum id, & integrum perduret a ſubiecta luminarium flamma; verũ etiam vt deorſum vi aquarum terga eius incumbentium deprimatur, & violento ventorum impetu non iactetur: nec non vt ſummum ab eis frigus deorſum feratur, a quo ſummo Solis calore temperato, aeris perficitur temperies ad perſeuerantiam animalium, & plantarum terræ diuturnitatem.* Hucuſque D. Iuſtinus. *Quæſt. unc. ad orthodox. quæſt. 93. pag. 449. lit B. C.* Hanc inſuper opinionem ab Eccleſia Catholica videmus amplexatam, nam in Hymno Fer. 6. ita canit Breu. Rom.

Firmans locum cæleſtibus.
Simulq; Terræ riuulis,
Vt vnda flammas temperet,
Terræ ſolum ne diſſipent.

Huic Aſſertioni obijcit Pererius loc. cit. hanc rationem nullius eſſe momenti; nam ex Ariſtotele lib 2. de cœlo, & lib. 1. meteororum ſol, & ſydera nec ignea ſunt, nec calida *Verùm demus*, inquit ipſe, *eſſe calida, & ignea: at quanto ſatius fuiſſet a principio non plus caloris tribuere cuiq; ex ſyderibus, quam quantum vtile futurum erat ad mundi conſeruationem; quam immoderatum ſyderibus largiri calorem, ad quem poſtea corrigendum, & temperandum, opus fuerit iſto tam violento aquarum remedio.* Sed hæc obiectio (pace tanti viri) præſertim pro ſecunda parte, parum Philoſophica eſt; (ne dicam parum catholica) Quod attinet ad Philoſophi ſententiam de ſole, ſyderibuſque calore negatis, deridet hoc D. Baſilius apud doctiſſimum Salianum. *D. Baſilius ait, deliras, & aniles eſſe opiniones eorum, qui negent ſolem eſſe calidum, nec eſſe veram illorum ſententiam, qui ſolem ignea natura prędit um negant. Iacobus Salianus. tom. 1. Annal Sacror pag 78. num* 1. Sed hoc partim indicauimus ſupra in Verſum ſecundum; & ex profeſſo probabimus infra in Verſ 19 cùm de ſole erit ſermo. Si ergo Sol, & Sydera ignes ſunt, nec minorem, nec maiorem calorem, quam ad ignem ſit neceſſarium habere potuerunt. Deinde diuina ſcrutari myſteria temerarium eſt; nec dicere poſſumus ei, cur ita fecerit. Peteret namque a Pererio aliquis Quare Deus talem naturam nobis dedit, vt & frigore egeamus contra calorem, & ad temperandum frigus igne opus habeamus? cur Deus non ita orbem, & Aeris temperauerit temperiem, vt verè perpetuo fruentes, nec nimio calore laxaremur in Æſtate, nec in Hyeme maximo frigore gelaremus? Quod ſi dicas ita ad fructus colligendos neceſſarium eſſe, reſponderet proteruus, Deum potuiſſe talem condere citum, cui hæc neceſſaria non eſſent Non ergo quærendum hoc eſt, cur ita Deus fecerit, ſed de his, quæ fecit, inquirere rationes.

3 Neque enim Ratio a microcoſmo petita, megocoſmo incompetens iudicanda eſt; nam ex Ariſtotelis placito analogiam ducit. In paruo mundo, ſcilicet homine, eſt cor in medio corpore ſitum tanto præditum calore, vt ferè cenſeatur ignis; vt autem hic calor cordis corpus non comburat, poſuit Author naturæ in capite frigidiſſimum cerebrum; Et quare? vt cordis temperaretur calor: ita Ariſtoteles cenſet. *Aduerſus cordis ſedem & calorem, cerebrum natura molita eſt, &c. cerebrum igitur calorem, feruoremq; cordis moderatur, & temperiem affert.* Hæc Philoſophus *de partib. Animal. lib. 2. cap. 7.* Cur ergo non obiicit Ariſtoteli ſuo Pererius, cur Natura, vel Author naturæ Deus cor ita temperatum non effecerit, vt nulla cerebri frigefactione opus eſſet? Quod ſi ipſe Philoſopho non cõtradicit, nec ego D. Auguſtino Platonico aſſerenti; *Sicut in microcoſmo, ideſt in homine, ſupra cor ignea naturæ locatum eſt cerebrum frigidiſſimum: ita in magno mundo ſupra celeſtes ignes eſſe aquas poſitas. D. Aug. lib. 11. De Ciuit. Dei. c. 34. to. 5. pag. 134. col. 2. lit. D.* Seraphicus itidem Doctor; ex hac ratione probat ibi eſſe aquas (quæ ponentibus cęlos diſtintos magnam vim faciet) ex frigiditate Saturni; nam eum Saturnus ſit Planetarum ſupremus, & quo ridie a primo mobili raptus circa terram diurno voluatur circuitu, citiùs reliquis Planetis mouetur, & conſequenter calidior eſſe deberet ex motu, ſed frigidior eſt ex ſupernarum aquarum frigiditate. *Supra cælos ſunt aquę, vnde alibi: & aquę omnes quę ſupra cælos ſunt laudent nomen Domini: & illę ſunt frigidę; vnde Saturnus qui vicinior eſt aquis illis, alijs Planetis frigidior eſt; quia eſt in tenore ſphęrę, & ideo facit maiorem circulum, & ideo calidior eſſe deberet alijs, niſi frigiditas impediret aquę, & eum frigidum faceret. D. Bonauentura in Pſalm. 113.* Huic rationi inſtat Pererius loco citato, quod ſi verum eſſet, hoc etiam probaret de ſtellis fixis, quæ

vicinio-

viciniores ſunt aquis; & tamen ex illis multæ ardentes ſunt, vt Sirius, Regulus, &c. Non animaduertens diſparem eſſe rationem inter Planetas, & ſydera, nam Planetæ globi ſunt alieno lumine lucidi, & ſic ex vicinitate vel ſolaris flammæ, vel aqueæ humiditatis, & frigiditatis caleſient, & frigeſient: Secus non pauca ſydera, & inter ea Syrius, & Regulus, ignei globi ſunt ſicut Sol, cuius feruor aliquantulum remitti, ſed extingui aquarum vi nequaquam poteſt. Certum eſt igitur, & rationi conſentaneum aquas in cęlis, & circa Terras reperiri, ad temperandum ardorem ſyderum, ad fouendam generationem rerum, mortaliumque vitam tuendam.

§. III.

De Elementorum productione, natura, & numero.

1 QVi ponis nubem &c. Hoc, & ſequentibus Verſibus Elementorum productionem indicare Prophetam, Incogniti ſpeculatio eſt; nam in hunc verſum inquit *Hic conſequenter agit de creatis, quæ ſunt infra ſphæram lunę, quæ ſunt quatuor Elementa; & diuiditur in quatuor partes, quia primo agit de elemento aeris; Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum: ſecundo ignis, ibi, Et miniſtros tuos ignem vrentem: Tertio Terræ, Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: Quarto Aquæ ibi, Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſtabunt Aquæ.* Vides igitur rerum omnium creationem cantaturum Prophætam ab elementorum productione poſt Cælos, cæpiſſe: Primò namque de Deo, ciuſq; ornatu pauca diſſeruit, & de cælis nonnulla, quia hæc a ſenſibus remotiſſima ſunt, deinde de elementis, & mixtis in toto Pſalmo multa eſt proſequutus. Sed hìc quæreret fortè aliquis, ſi Pſalmus iſte, vt prænotauimus, Hexameronis, ſiue operum ſex dierum compendium eſt; quomodo ab elementorū productione exorditur, quod in Moyſis Hexamerone minimè reperitur? Ibi enim omnia quatuor elementa non nominantur. Verùm accuratè conſideranti omnium elementorum productio patebit. Prima omniū Terra creata eſt, ceu omnium baſis, & fundamentum; dicitur namque: *In principio creauit Deus Cęlum, & Terram. Gen. c. 1 ver. 1.* Per cælum namq; Empyreum intelligunt Patres, vel qualecumque illud ſit cælum: Terram primum elementum habemus. Secundum elementum Aqua eſt (ab imperfectiori ad perfecta magis, ordine naturali progrediendo) de qua inquit Moyſes; & tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi; nam per Abyſſum Aquam intelligit D. Ioannes Chryſoſtomus. *Nam quum de aquarum opificio nihil dixiſset, ait: Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi. Hæc enim tegebant faciem terræ, de tenebris loquor, & Abyſſo Aquarum. Didicimus hinc quòd omne, quod videbatur erat Abyſſus Aquarum tenebris velata.* D. *Ioannes Chryſoſt. hom. 3. in Gen. to. 1. pag. 11. lit. B.* Itidem colligitur hoc ex D. Auguſtino, qui per Abyſſum profunditatem aquarum intelligit, ait enim. *Abyſſus eſt profunditas quædam impenetrabilis, incomprehenſibilis, & maximè ſolet dici in aquarum multitudine. Ibi enim altitudo, ibi profunditas, quæ penetrari vſque ad fundum nō poteſt. D. Auguſt. in Pſal 41. to. 8 pag. 154. col. 2. lit. A.* Ergo per Abyſſum aquæ expreſſit elementum Propheta. Tertium elementum eſt Aer: de quo Moyſes: *Spiritus Domini,* ſiue *Ventus Domini ferebatur ſuper aquas;* nam verbum רוח ſpiritum, ſiue ventum ſonat; ita Tertullianus, & D. Theodoretus cenſent; *ap. Peter. lib 1. to. 1. in Geneſ. pag. 40. lit. A.* quia multoties inſcripturis poſitum ſpiritum Domini pro vento habemus, vt Pſal. 147. exod. 15. Iob. 27. Iſai. 30. & 40. Reſtat ſolum Ignis elementum; & factum eſt, cùm lux facta eſt; nam primigeniam lucem Ignem fuiſſe probatum eſt ſupra in Verſum. 2. § 1. & probabitur iterum in Verſum 19. Sed hæc omnia quatuor elementa expreſſius hic poſuit Dauid, Moſaicam deſcriptionem amplificans, & declarans.

2 De qualitatibus verò elementorum Peripathetici ita ſcripſerunt; vt quia qualitates primariæ quatuor ſunt videlicet Frigiditas. caliditas, humiditas, & ſiccitas; ex quibus quatuor combinationes poſſibiles enumerentur, quæ tribuuntur elementis. Igni ſcilicet calor, & ſiccitas: Aeri calor, & humiditas: Aquæ frigus, & humiditas: frigiditas, & ſiccitas Terræ: Mihi verò hæc qualitatum diuiſio minimè probatur; cùm omnia elementa, præter ignem, frigida eſſe ipſa doceat experientīa: nam qualitate conſtitutiua ammiſſa nequit, niſi miraculosè, conſeruari ſubſtantia. Etenim ſicut Ignis ſi calorem perdat ignis eſſe etiam perit; ſic etiam Terra ſiccitate ammiſſa nequaquam terra, ſed mixtum aliquod eſt: Terra enim noſtra, quæ nobis fructificat pura terra non eſt, ſed mixtum potius aliquod: Aqua etiam congelata, & humiditate deperdita, Aqua non eſt, ſed aliquod ex mixtis. Sic determinandum cenſeo vnam tantum qualitatem in ſummo, & quaſi proprietatem elementis ſingulis eſſe aſſignandam, & hoc puris, & immixtis; hoc eſt ſiccitatem Terræ, humiditatem Aquę caliditatem Igni, & Aeri tandem frigiditatem; nam calor ei nullatenus conuenit, niſi impuro Aeri & per accidens. Conſtat enim vltra athmoſphæram Aerem frigidiſſimum eſſe, nec ibi in ſtatu violento conſtituendus: nubes enim aquoſa nonniſi ab ambiente aeris frigiditate congelatur, nam hyemis tempore pars etiam athmoſphæræ, propter ſolis diſtantiam naturalem retinet frigiditatem. Nos autem Prophætam imitantes agere debemus de omnibus elementis; Sed in hoc verſu agemus tantūmodo de Aere, & ventis, & de aqua pluuiali, occaſione nubium, & ventorum, quæ hìc tanguntur, & de Aere, quem etiam nominat Prophæta ſequenti verſu. De igne agendum erit ſequenti verſu; & verſu 19. De aquis terrenis multis in locis ſermo erit.

3 De elementorum autem numero, nihil diſputandum cenſeo, ſed communem amplexandam eſſe ſententiam, eſſe illa quatuor hucuſque enumerata. Non me latet nonnullos recentiorum Chimicorum ſentire, Primum omnium elementum, ex quo omnia compoſita principium ducunt, & in quod reſoluuntur, (etiam quæ elementa nuncupantur) Sal eſſe; nam omnia in ſal, imò & oleum reſoluuntur. Igitur iſta duo propriè cenſenda elementa; Nam reſoluitur compoſitum in ea, ex quibus componitur. Hoc probat experientia, nam Sal ex planctis deductum ſi ſeminetur germinat; & ſanguis in quo omnis vita, & nutritio animalium conſiſtit, ſapidiſſimus eſt, quia multum ſalis habet. Olei autem nomine omnis pinguedo, ſeu adeps intelligitur, quæ ſicut ſal ex omnibus compoſitis, ſeu mixtis elicitur. Cum autem dicitur quòd ſal ex aqua virtute ſolis fit, quod indicauit D. Ioannes Chryſoſtomus; *Sal ex aqua fit, & vento. Sol merito appellauit nos Dominus quoniam ex aqua, & ſpiritu ſancto regenerauit. D. Ioann. Chryſoſt. in Pſal. 95. to. 1. col. 867 lit. D.* Intelligendum eſt de ſeparatione non de generatione, nam virtute Ignis non ſolum ex aquis, ſed ex alijs mixtis extrahitur: Datur autem Sal Aquæ quod elicitur ex mari; & Sal Terræ, quod in montibus effoditur, vt in Regno Neapolitano, & alijs in locis reperitur. Hinc apud veterem legem nullum Deo offerebatur ſine Sale ſacrificium: *Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres ſal. Leuit. cap. 2. ver. 13.* Sal igitur omne ſacrificium perficiebat, vt vult D. Hieronymus. *Bonum eſt Sal, nullumque ſacrificium abſque huius aſperſione ſuſcipitur. D. Hieron. epiſ. 4. ad Ruſticum. to. 1. pag. 41. lit. A.* Item Animalium offerebatur adeps; & nulla alia oblatio, quæ Animalium non erat, ſine olei aſperſione poterat offerri: vt apparet ibid. *Simila aſperſa oleo. verſ. 12. Effundes ſuper ea oleum. verſ. 16.* Ex quo deducitur iſta duo elementa eſſe quæ in memoriam beneficij creationis Deo optimo maximo offerebantur. In noſtris autem ſacramentis oleum adhibetur in confirmatione, ordine, & extrema vnctione; in Bap-

Digitized by Google

tiſmo Aqua, & licet ſal non ſit neceſſarium, tamen ex immemorabili Eccleſiæ conſuetudine non confertur Baptiſmus ſolemnis ſine ſale; in ſacramentalibus verò cunctis aqua benedicta adhibetur, quæ ſine ſale non cõficitur. Significat porro ſal Sapientiam, omniumq; virtutum fundamentum, vt quia Elementum eſt mixti cuiuſcumque primum principium, & fundamentum, ita ſapientia omnium virtutum fundamentum eſt. Hoc Dominus noſter docuit, quando Diſcipulis ſuis dixit; *Vos eſtis ſal terræ. Matth. cap 5 v.13.* Vbi Chriſoſtomus. *Hoc quod dicit, vos eſtis ſal terræ, ad illud reſpicit, quod ſuperius dixit: quia Doctor omnibus virtutibus debet eſſe ornatus. D Ioan Chriſoſt. hom 10 in Matth. to. 2. col. 693. lit. B.* Huc accedit quod ſalis aſperſione curentur vulnera. Inſuper, quia optima corporis valetudo ab elementorum concordia prouenit, ipſa Valetudo *Salus a ſale* appellatur. His rationibus ducti nonnulli opinantur elementa primaria rerum omnium mixtarum quatuor hæc eſſe, Terram, Aquam, Oleum, & Sal.

4 Duæ obiectiones huic opinioni aduerſantur. Prima eſt horum elementorum nullam reperiri ſphęram, vt Aeris, Aquæ, & Terræ: ſed hoc de ſale verum non eſt, nam ſicuti Aqua ſphęram a Terra ſeparatam non habet, ſic neque ſal, ſed cum ipſa permixtum eſt, & cum aqua reperitur. De Oleo verò adhuc ſcaturigo latet, ſed hoc non officit, quandoquidem Ignis nulla ſphęra a modernis conceditur, qui tamen non propterea negant eum elementum eſſe. Altera obiectio eſt; hanc opinionem excludere duo hucuſque ab omnibus acceptata elementa, Aerem ſcilicet, & ignem. Sed hoc non obſtat; quia cùm elementa primò in omnibus mixtis neceſſario reperiantur, Aer, & ignis in nullo reperiuntur. Solummodo ad Animalium vitam Aer, & ignis neceſſaria ſunt non tamen ad corporis compoſitionem: cum igitur ex parte formæ, non materiæ ſe teneant, elementa non erunt. Philoſophi autem qui hucuſque loquuti ſunt potius coniecturis, quam ratione Philoſophati ſunt: quod clarius patebit expoſitione lit. in Verſum 23. §. 2. vbi probabimus elementa reperiri non virtualiter tantum, ſed formaliter in mixto.

5 Sic proponitur, & declaratur opinio iſta; de cuius veritate nihil certi determinare audeo; eam nec approbo, nec reprobo: rationabilem quidem iudico, verùm a communiori ſententia minimè recedendum.

6 Vtrum autem Deus initio mundi elementa prius confuſa ab inuicem ſeparauerit, vel miſcuerit, dubium videtur. Antiquorum opinio fuit, cui aſſentiri videtur D. Auguſtinus, initio Deum Chaos creaſſe, ideſt omnia elementa confuſa, & deinde ſeparauerit, & exornauerit: ſed hoc Poetarum eſſe figmentum certum eſt: Neque D. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manicheos cap. 7 loquitur de elementis, ſed de informi materia, quam omnibus ſpoliatam formis putat in principio a Deo creatam, & hoc loc. cit. & alibi, acerrimè propugnat. Deus igitur optimus maximus in initio elementa primaria diſcreta condidit Terram rotundam omni ex parte aqua circundatam, & ſupra aquam aerem, & deinde lucem ſeu ignem. Hinc, vt ad generationem rerum apta eſſent miſceri debebant, vt mixta producerentur ex ipſis; & tunc Deus concauitates faciens in arida miſcuit in ea aquam aerem, & ignem; & ſic Deus elementa, quę ſeparata nulli eſſent vſui confudit, & miſcuit, vt tot entia pulcherrima producerentur Hoc indicare videtur Baſilius Magnus, *Homil. 2. in Hexam. ap. Pererium tom. 1. lib. 1. pag 33. lit. D. Quin*, inquit, *etiam nunc videre eſt tria elementa multipharìam intra terram contineri: namq; ignem latere intra terram, perpetua eructatio flammarum, & ignium ſatis indicat. Quantum Aeris intra ſua viſcera terra cohibeat frequentes terremotus ſunt indices. Quanta verò aquarum vis interiori cõplexu terræ contineatur, perennes fontium ſcaturigines, & fluminum origines oſtendunt.* Vnde de facto elementa non ſeparata, ſed confuſa reperiuntur. Quòd autem in initio ſeparata creata ſint, patet ex Geneſi, nam terra ibi aquis operta erat, ſupra quam Ventus Domini, ideſt agitatus aer ferebatur, & creatum ignem, ſeu lucem ſupra ventum fuiſſe credendum eſt. Atque hanc eſſe probabiliorem ſententiam, putat doctiſſimus Pererius loco cit. *pag. 74. lit. C. Sed probabilius eſt a principio condita eſſe elementa ſecundum naturalem ſuam conſtitutionem conuenientem ipſis, vt ſunt partes Vniuerſi; hoc eſt, vt eſſent ſpherica figuræ, & vnum contineretur ab alio.* Verum quia hoc viuentium vitæ, & mixtorum generationi obſiſteb at; ea Dominus miſcuit ad rerum omnium productionem.

§. IV.

De Nubibus, Nebulis, Pluuia, Niue, Grandine, Rore, & Pruina.

1 QVi ponis nubem aſcenſum tuum. Hic Propheta nubes currum increati Numinis vocat, quia Diuinum auxilium ad vitam rerum mortalium nutriendam, fouendamque nubibus vtitur, quorum miniſterio Terram perflando fæcundat. De nubibus, & cæteris aquis metheoris, Ariſtote is eſt ſententia, lib 2. Methcor. eas cauſare vapores humidos, ab aquis aliiſq; ſubſtantiis humidis per ſolis, & ſyderum calorem in aera attractos, ibique ab aeris frigiditate condenſatos: & ita fit multorum mixtorum imperfectorum productio. Etenim ſi magna vaporum adſit copia fiet nubes fæcunda, vel aquoſa, quæ paulatim a calore ſoluta pluuiam generat, quæ ſi paruas habeat guttas, Imber, ſi magnas pluuia dicitur. Si autem vapor iſte ita concretus a magna frigiditate conceſcat in gelu, cùm paulatim ſoluitur niuem mittit; quòd ſi pluuiæ guttæ non in nube, ſed per aerem cõgelentur a calore ambiente per antiperiſteſim; grando fit. Roris verò, & Pruinæ eadem ferè cauſa eſt, ſcilicet paruitas vaporum, quæ non multum eleuatur a terra; quæ ſi a frigore conſpiſſetur eſt pruina, in Vere autem, aut Æſtate, ſed rarius, Ros eſt. Hæc ſummatim expreſſa Peripatheticorum opinio eſt: cui fauere videtur Rupertus Abbas, dicendo. *Tunc enim ponit nubem aſcenſum ſuum, quando ad temperandum cœli feruorem aqua de mari, ſeu de fluminibus, ſtagnis, & paludibus exhalatæ glomerantur, atque flabris uentorum iterum in terram per concretas pluuiæ guttas deferuntur. Hoc enim modo, & planè, ponit nubem aſcenſum ſuum. Rup. Abb. Tuitienſ. lib. 1 in Gen c. 26. to. 1 pag. 10. col. 1.*

2 Porro hæc Peripatheticorum ratiocinatio non arridet excellentiſſimo Philoſopho Neapoliti Ioanni Baptiſtæ Portæ. Ipſe enim exiſtimat nubium, Pluuiarum, niuis, grandinis, pruinæ, & roris materiam non eſſe vaporem, aut exhalationem vllam; ſed eſſe Aerem ipſum, qui vi caloris in parte vna calidiori rarefactus, in alia concreſcit, vel in ventum ſi frigiditatem, & humiditatem non impingit, vel in aquæ guttas, aut nubes pro qualitate frigoris, humiditatiſque repertæ, quomodo autem hæc rarefactio fiat §. ſequenti videbimus. Hæc verò aqua ſeu concretus aer, vel ſoluta a calore guttatim decidit; nam a calore expellente, aut ſeparante aqueum humorem ab aliis elementis, fieri rorem, aut pluuiam docet experientia, nam Æſtatis tempore cùm homo per laborem intus caleſcit guttæ ſudoris, ſeu roris manatio, foras emittuntur: ſic ſimiliter ligno ab igne combuſto, ſi aliquid illi humoris adhæreat foras mittitur: & in diſtilationibus videre eſt, omnia vi caloris fieri; cum ergo Aer noſter impurus ſit, & aquei humoris non parum habeat, facilè in vna parte rarefactus, & ferè cõbuſtus, per aliam in aquas vertitur Huic ſentẽtię videtur aſſentiri Seneca, qui inquit. *Sed ut ad propoſitum reuertar: propter has, quas retuli cauſas pleriſque placuit in ea parte aeris niuem concipi, quę uicina terris eſt, & ideo minus alligari. quia minore frigore coit. Nam uicinus aer, & plus habet frigoris, quam ut in aquam, & imbrem tranſeat, & minus quam ut duretur in grandinem. Hoc medio frigore non nimis intento niues fiunt coactis*

aquis.

Digitized by Google

aquis. *Sen. natural. quæſt. li. 4. c. 12. pag. 385.* Vbi ſentire videtur. Aerem ipsũ in hæc omnia mutari licet a frigore ambiente concreſcere ſentiat. Nec nos adiuuantem frigiditatem expellimus, nam a calore rarefaciente expulſus aer, dum in frigus, & humidum incidit, concreſcit, vel in pluuiam, vel niuẽ pro quantitate frigoris; & in rorem, vel pruinam pro quantitate materiæ. Has omnes metheoricas operationes aeris tranſmutationem eſſe, etiam ſentit D. Auguſtinus, inquit enim. *Aer commotus ventos, & vehementius agitatus ignes, & tonitrua, & contractus nubila, & conſpiſſatus pluuiam, & congelantibus nebulis niuem, & turbulentius congelantibus denſioribus nebulis grandinem, & diſtentus ſerenum facit: occultis imperijs, & opere Dei, a ſummis ad infima, vniuerſa, quæ creauit adminiſtrantis. D. Auguſt. de Geneſ. ad lit. lib. 3. capitul 10. tom. 3. pag. 212. colum. prim. lit. C*


3 His rationabiliter alia pluuiarum productio adiungitur, ſcilicet turbinis, ſeu nubis aquas e mari & lacubus ſorbentis, quæ tanti vigoris eſt, vt ipſas naues magnas in aera ſubuehat, & præcipitet, hęc aqua a nubibus aliquantulum ſurſum vecta, a frigore repulſa in guttas decidit, & hoc ipſa commonſtrat experientia. Memini enim aliquando nubem quamdam ab aere in lacum me deſcẽdentem vidiſſe, ac ab eo aquas ſuxiſſe; nec multo poſt ſubſequutam pluuiam, quam & illius lacus aquam eſſe, fluuialis, ac piſcem redolens odor, ſeu potius fætor, oſtendebat. Cæterum nubem a mari aquas ſugere, & inde pluuiam parare, docet Amos Propheta; inquiens: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ. Amos cap. 5. ver. 8.* Quod declarat D. Iſidorus. *Legi in Amos Propheta: Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ. Vt enim medicinalis cucurbita calore ſuperioris circuli humorem, & ſanguinem ſurſum trahit: ſic amariſſimæ aquæ maris per tenuiſſimos vapores in aere ſuſpenſæ, paulatim concreſcunt, ibique igne ſolis concoctæ, in dulcem proluuialem ſaporem vertuntur. D. Iſidor. Hiſpalen. de rer. nat. cap. 33. pag. 256 col. 2 lit F.*

4 Reſtat tandem vt his omnibus relatis opinionibus, noſtram proferamus ſententiam. Exiſtimo igitur omnes relatas cauſas eſſe veras, ideſt & vapores, & aerem ipſum & aquam a nubibus euectam fieri pluuias; ſed has cauſas aliquantulæ pluuiæ eſſe: maiorem verò pluuiæ partem (quę poſtea a frigore ambiente congelatur in niuem) deſcendere ab aquis ſupercæleſtibus. Hæc aſſertio probatur, ex varijs Sacræ Scripturæ authoritatibus: nam in huius Pſalmi, quem declaramus, verſu 13. dicitur: *Rigans montes de ſuperioribus*, vel (vt hæbraica lectio) *de cænaculis ſuis. Pſ. 103. v. 13.* Igitur cùm ſupra cænacula empyreum declarauimus, ſequitur ex aquis ſupercæleſtibus irrigãtes guttas deſcendere. Hoc etiã in vniuerſali diluuio, & de particularibus quibuſdam probari poteſt, ex Gen. c. 7. v. 12. Vbi dicitur. *Rupti ſunt fontes Abyſſi magnæ & cataractę Cæli apertę sũt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Ratio verò talis eſſe poteſt; Nec aer ipſe, nec vapores, in tantam creſcere aquam poſſunt, quãta decidit è nubibus: deinde certũ eſt Ignem eſſe creaturam quamdam maximè actiuitatis, quæ & omnia conſumit, & ſemper pabulũ optat: cum Igitur multus Ignis in terræ viſceribus reperiatur (quis neget cùm ab hominibus videatur?) & inſuper tot ſydera ardentia, imò tot ignium ſphærę, quot ſtellæ, ſint in cęlo, quarum maxima ſol, iſti ignes cum ſine pabulo eſſe nequeant, omnium terrenarũ humiditatum non parum ad ſui paſtũ attrahunt, & conſequenter omnia ſublunaria exurunt; ideo Prouidentiſſimus Deus, ſapiẽtiæ Sol, vt tãtum tẽperaret ardorem, aquas maris, lacuumq; admiſcuit terræ; ſed quia iſtæ etiam a calore ſyderũ abſorbentur, & tandem omnia ſiccarentur, ſuis ſtatutis tẽporibus aquas de ſuis ſuperioribus cænaculis immittit ad terram hum[illegible]ndam, aquaſque internas adaugendas. Quod porro ignis tam cæleſtis, quam ſubterraneus, terram comburendo conſumant, quotidianæ monſtrãt experientiæ, & vt cætera prætercam, quod meis oculis obſeruaui referam: Quinto fermè ab Vrbe Partheno pea lapide (quæ Patrium mihi ſolũ eſt) exurgit Mons Veſuuius vulgò *Somma*, inter Appenninos montes altiſſimus; Is vſque ad annum ſalutis 1631. omnes alios proximos ſuperabat: & quia bifurcatus eſt, cacumen illud, quòd in auſtrum vergit, aliud cacumen longiſſimè ſuperabat: ſed ex altiori cacumine die 16. Decembris eiuſdem anni (me inſpectante) erumpentibus flammis, adeo conſumptum decreuit, vt alio minus, & depreſſius effectum ſit: quia verò hanc flammarum eruptionem etiam alijs temporibus contigiſſe legimus, etiam tunc imminutum conſentaneum eſt. Porrò huic terreno decremẽto continua mortalium diſſolutione in terram deſinentium, nec non aquarum hauſtis humoribus ſubuenitur. Cùm igitur ignis terrenus, & cæleſtis, necnon & terra ab aquis humores ſugant, niſi ſuccurreret ſupercæleſtis aqua, tandem terrena funditus deperiret. Hinc fortaſſe motus non errabit qui dixerit, illis ſupernis aquis (a quibus etiam ſydera nutriuntur) tandem deficientibus, in poſtremo Iudicij tempore vniuerſum orbem flammis deuorantibus conſumendum; nam per ignem conflagrandum eſſe fides docet. Ad reſtaurandas igitur aquas ſublunares, cæleſtes aquæ demittuntur in terras: quod colligitur ex Iob. c. 12. *Si continuerit Aquas omnia ſiccabũtur. Iob. cap. 12. ver. 15.* Hanc tamen cæleſtium aquarum pluuiam ab eruditiſſimo mediolanenſium Antiſtite mutuauimus, ſed ipſum docẽtem audiamus. *Propterea, quia exundat ignis, & feruet, etiam aqua exundant in terris, ne eas ſurgentis ſolis, & ſtellarum micantium ardor exureret, & tenera rerum exordia inſolitus vapor lęderet. Quanti fontes, fluuij, lacus irrigant terras, quia internus quidam ignis vaporat. Multum eſt quod ignis abſorbet, &c. Quis igitur dubitet, quod ignitus Æther, & magno feruens uapore inflammaret, atque exureret omnia (niſi lege quadam ſui prohiberetur Authoris) ut nec flumina, nec lacus, nec ipſa maria uim eius poſſent reſtinguere? Et ideo deſuper Aqua impetu quodam deſcendens, in tantos plerumque imbres rumpitur, ut flumina, & lacus repẽtè repleantur, ipſa maria exundent. Vnde frequenter ſolem uidemus madidum, atq; roratem, in quo euidens dat indiciũ, quod alimẽtum ſibi aquarũ, ad tẽperiem ſui ſumpſerit.* Hucuſq; *D. Amb. lib. 2 c. 3. Hexam. to. 4. pag. 19. lit. A. B.* cuius propria verba detuli, quia rem apertiſſimè declarat. Aqua igitur è cęleſti regione impetuosè deſcẽdens, vbi in ſupremã athmoſphære frigidam portionẽ peruenit, in nubem concreſcit, & vaporibus quibuſdam permixta guttatim decidit, & poteſt ab ambiẽte frigore cõgelari in niuẽ, vel a calore per antiperiſtaſim in grandinem Pluuiarum ergo multę cauſæ materiales, non vna tantummodo; ſcilicet vapores ex corporibus humidis exhalati, ipſemet Aer, a calido priùs rarefactus, a frigore condenſatus, & Aqua cæleſtis, ex qua maxima aquarum copia ſtatutis temporibus decidit.

5 Verum enim verò neque ſuis caret difficultatibus hæc aſſertio. Primo namq; obijciunt experientias; quidam enim in editiſſimis montibus aſcenſi, & literis in puluere factis, compererunt poſt annum nullam ibi nec cecidiſſe pluuiam, neque vim ventorum efferbuiſſe. Ita Ariſtoteles: *Adhęc ſuper excelſiſſimos montes ſpiritus nulli excitantur, ut ſuper Athon ac reliquos generis eiuſdem. Indicium, quod quæ reliquerint, qui anno ſuperiori ſacrificarũt, incorrupta cõperire affirmant. ſect. 26. Probl. 28.* Sed adhoc dicitur, non æqualiter ex omni cælorum puncto aquam fluere, ſed ex certis locis, quæ propriè cataractè cęli dicuntur, non ergo mirum ſi eos non tetigerit montes; & fortaſſe omnes ſupra mare deſcenderent niſi ab aere noſtro diſtraherentur. Præterquam quod hanc hiſtoriam de montium culminibus Olimpi, Athos, Atlantis, Caucaſi, Tauri, &c. a ventis nebulis, & pluuiis præſeruatis, fabuloſam eſſe fateor: etenim cum Terræ athmoſphæra ſecundum Clauium ad quinquaginta duo milliaria, ſecundum Blancanum ad quadraginta tria eleuetur, & quouſque aſcendunt vapores, & exhalationes, nebulæ, & pluuiæ eſſe poſſint: non videtur quod montium cacumina, quorum nullum

perpendiculariter ad decimum milliarium aſſurgit, poſſint a pluuijs,& nebulis illæſa permanere. Audiendus de hac re Doctiſſimus Salianus. *Quid, quod fabuloſum erudi ti credunt, aut Olympum Theſſaliæ, aut Athon Macedoniæ, aut Taurum, aut Caucaſum, aut vllum omnino montem, nubium, aut ventorum, aut pluuiarum expertem eſſe: quod exhalationes, & vapores aſcendant altius, quam cuiuſuis montis altitudo ſumpta perpendiculariter aſcendat. Iacob. Salian. in Annal. eccleſ. to. 1. ad ann. 1656. n. 34.* Et confirmat hoc loco cit. n. 38. authoritate cuiuſdam Franciſci Philadelphi, qui eius rei periculum fecit: *Rectè hæc fabuloſa eſſe dicit Franciſcus Philadelphus, qui ſe montem* (olympi ſcilicet) *aſcendiſſe affirmat, vt rem tantam exploraret.* Huic ſententiæ ſubſcribit Pererius, his verbis. *Prompta igitur meo iudicio, atque firma refellendi iſtos ratio eſt, negare verum eſſe, quod de illis montibus traditum eſt; ſed primum è Poetarum figmentis id profectum eſſe. Aiunt enim vertices illorum montium altiores eſſe media regione aeris: ergo ſupremam illi regionem attingunt; at eam regionem quinquaginta milliaribus a terra diſtare Mathematicorum demonſtrationibus conſtat. Nullus porro mons perdirectum quatuor milliaria excedit.* Hæc *Pererius lib. 12. in Gen. diſp. 9. num. 418.* Cum ergo falſum ſit altiora montium cacumina a pluuijs immunia eſſe; cæleſtibus aquis deſcenſum minimè deturbare poſſunt, neque noſtram poſitionem impugnare. His accedit, (quod apud relatos authores videre licet) videlicet ſublimiorum montium cacumina, vt Atlantis, Caucaſi, Libani, & Pyrineorum, nec non & Alpium, perpetua niue candeſcere. Secundò petunt; cur guttatim ſtillicidia cadunt, & non tota ſimul? Sed reſpondetur ob longum curſum aquam diſpergi, & diſcontinuari, nec non ab immixtis vaporibus, & aeris craſſitie. Tertiò Aſtronomicè contra noſtram concluſionem arguit Doctiſſimus P. Franciſcus Reſta, ex cælorum motu, Ætheris calore, & maxima Terræ a Firmamento diſtantia; propterea cenſent Aſtronomi eruditiſſimi, vt Claudius Ptolemæus, & Criſtophorus Clauius quòd ſi lapis a ſtellifero cælo mitteretur in terras non niſi in annis 45. ad eas perueniret; igitur maiori tempore aqua, quæ leuior eſt lapide: ſed eius rationem adducamus. *Sed nullatenus*, inquit, *id admittendum videtur. Non benè componitur hæc ſententia cum ijs, quæ aſſerunt Aſtronomi de altitudine ſupremi celi, nec enim in multis annis aqua per ſuam tenuem grauitatem ad nos perueniret. Motus celorum eam diſſiparet, calor intenſiſſimus reſolueret in ſubtiliſſimos halitus. P. Franciſcus Reſta in ſua Metheorologia. lib 3 trac. 3. c. 1. col. 1. p. 794.* Tria profert hæc ratio, diſtantiam terræ a Firmamento, cælorum motum, Ætheris ſeu ignis calorem. Hos cælos mobiles tot ſphæris diſtintos non dari vidimus ſupra, *expoſ. in ver. 2. §. 3.* neq. etiam alium dari ignem quam ſolem, & ſydera inſinuauimus; & pro abimus apertius infra, *expoſ. in ver. 19. §. 3.* Vnde tota difficultas ex diſtantia pendet quam eſſe circiter milliarium millionum octoginta exiſtimant, ſed eamdem gradibus metiri clariùs erit.

6 Porrò antequam mathematicè hanc obiectionem redarguamus, aliquas propoſitiones ſupponere neceſſe eſt. Primò ex Ariſtotele, ſi daretur corpus aliquod in vacuo ipſum moueretur in non tempore, ideſt in inſtanti: vnde corpus citius mouetur in loco rariori. Secundò Aerem vltra athmoſpheram noſtram puriſſimum, ſubtiliſſimum, & ſimpliciſſimum ita eſſe, vt viuentium reſpirationi nequaquam aptus experiatur: vnde qui altiſſimos montes aſcenderunt ſpongia aceto plena ipſum conſpiſſarunt, vt reſpirarent, quare longè minus proiectorum motus retardabit, quam aer hic noſter impurus, & elementis alijs permixtus. Puto autem eamdem ferè (niſi maior ſit) eſſe differentiam inter aerem æthereum, ſeu cælum ſecundum, & noſtrum, quam inter noſtrum aerem, marinamque aquam. Tertiò ex Scoto grauia corpora moueri violenter a centro, naturaliter ad centrum, & neutrè circa centrum. Quartò tandem ſemidiametrum cuiuſcumque ſphæræ eſſe ſextam partem illius circumferentiæ, quod licet mathematicis manifeſtum ſit, poterit tamen ex ſubiecta figura conſpici.



His præmiſſis ſic arguo. Stella ſub Æquatoris linea exiſtens, igneæ naturæ, motu neutro circa terram in horis 24. perficit iter graduum 360. igitur ſi graue corpus eſſet, & moueretur eodem motu ad terram illum compleret in horis quatuor, quia ſexta pars ſui itineris eſt 60. graduum, & ſexta pars horarum, eſt quatuor horarum: Ergo Aqua quæ graue eſt corpus, & motu fertur naturali ad cētrum citius mouebitur quam ſtella; & quia medium ſubtiliſſimum eſt, & leuiſſimum, nec alicuius perceptibilis impedimenti, poterit aqua tantum itineris vna hora, vel circum circiter perficere, & ad athmoſphæram terrenam peruenire; vbi poſtea eius velocitas retardatur, quia craſſiorem reperit aerem. Neque enim maior apparet ratio de Aſtris quam de aqua; præſertim ſi loquamur non de fixis, quæ ſunt ignes, ſed de luna, Saturno, & his ſimilibus, quæ corpora denſa, & aqua grauiora cenſentur, & tamen in motu ſibi non naturali, ſed neutro, diurno ſpatio totam ſphæræ circumferentiam percurrunt. Ea ergo celeritate, qua Saturni globus paululum ipſa aqua terræ propior, mouetur, & percurrit in 24. horis tantum vniuerſi ſpatium, poterit & aqua in terram deſcendere. Deo optimo maximo ipſam dirigente ad rerum ſublunarium leuamē, & fulcimentum. Non igitur ſecundum mathematicas rationes impoſſibile eſt Aquam cæleſtem pluuias quandoque cauſare; nam illum 45. annorum lapidis deſcenſum, anili fabulæ ſimilem reputamus.

§. V.

De Aeris, & Ventorum Proprietatibus, & Differentia.

1 QVi ambulas ſuper pennas Ventorum. De Ventis agit Prophæta, quaſi ipſi Alæ ſint ſuper quas Domini Prouidentia ad mundum regendum vehatur: ſicut enim venti velociſſimè mouentur, ita Deus incomprehenſibili celeritate vbique repetitur. Venti autem pennas habere dicuntur, non Poetarum fabulis, vel Pictorum figmentis inhærendo, ſed vt celerem ventorum motum deſcribatur; nam & Angelos eadem de cauſa alatos effingimus, vt D. Hieronymus docet. *Neque enim illud, quod de ventis dicitur; Qui ambulas ſuper pennas ventorum; verè ventos iuxta fabulas Poetarum, & pictorum licentiam pennas habere teſtatur, ſed celerem in cuncta diſcurſum. D. Hieron. in Iſai. lib. 3. tom. 4. col. 24. lit. A.*

Digitized by Google

lit. A Cum autem venti per Aera ferantur, nec aliud ſint quam Aer commotus, de Aere prius determinandum videtur.

2 Aer corpus tenuiſſimum,& inuiſibile eſt, per ſuam enim exactam diaphaneitatem, vel tranſparentiam, ita lumen tranſmittit, vt illuminari nequeat, & per conſequens nec videri; corpus autem eſſe probatur tactu, & auditu;& etiam aliquo modo per viſum. Sit enim Phiala aliqua collo prædita oblongo, cuius pars extrema intra vas Aqua plenum ſit, ſi Aer ille in Phiala incluſus per frigus ambiens condenſetur, videbimus aquam aſcendere, ad replendum vacuum; rurſus vero ſi rareſiet Aer per calorem ambientem aqua deſcendet cedens aeri; vnde patet Aerem eſſe corpus dumo rarefactionem, & condenſationem paſſiones corporales admittit. Per auditum verò Aer conſpiſſatus tranſiens, vt ventus validus cognoſcitur, & etiam per tactum, præcipuè cùm a ventis validis iactamur. Per ſe igitur Aer inuiſibilis eſt, niſi comſpiſſetur in nebulas, nubes, &c. Quanoo enim rubrum videtur non eſt Aer, ſed vapor illuminatus; niſi ipſemet Aer condenſatus per accidens coloris fiat particeps. De Aere effinxerunt veteres Philoſophi, Ariſtotele duce, in tres diuidi Regiones; prima calida eſt, propter radiorum ſolarium reflexionem; & exhalationum calidarum quantitatem;quæ quia a reflexione dependet, non eſt ſemper eiuſdem dimenſionis, ſed continuo vel minuitur vel creſcit, prout ſol a nobis remouetur, vel ad nos accedit; ſed vt plurimum, quod minuit vt in vna orbis terrarum regione augetur in alia. Tertia etiã Regio calidiſſima eſt,& ferè ignea; vel propter ignis ſphæram ſupra ipſum locatam;vel propter vicini Cæli lunaris citiſſimam rotationem. Secunda vero, ſeu media inter has Regio frigida eſt; hanc autem frigiditatem per anthiperiſteſim factam ſenſent.

3 Nos verò probabilioribus rationibus deuicti; duas tantum Aeris partitiones agnoſcimus (ex eo qui intra terræ athmoſphæram continetur (Primam hanc reflexionibus, & exhalationibus calefactam, alteram verò omnino frigidam, vſq; ad ſecundi Cæli, ſeu Lunæ confinia, vbi primum hoc Cælum, ſeu Aer terminatur. Nam ibi ſphęram ignis non eſſe ex vera Philoſophia ſatis conſtat,& nullum eſſe mobile Cælum inſinuauimus, & probabimus infra, cùm de luminaribus ſermo erit. Nam ſtellarij globi, ſiue propria, ſiue aliena flamma fulgentes, non ad motum Cæli,qui nuſquam mouetur, ſed ipſimet ſuis mouentur motibus. Hinc veritas noſtræ poſitionis apparet aerem ſcilicet frigidum eſſe, nam, etiam tribus datis regionibus, in ſola media reperitur Aer in ſuo ſtatu naturali ſecluſis alterantibus cauſis, nã ſi infima eſt calida,eſt propter reflexionem radiorum ſolarium, & ſuprema propter ignis, vel rotantis cæli vicinitatem: Media vero cùm a nullo alteretur, & frigida ſit, nullo modo Aer calidus, ſed frigidus dicendus eſt: & eo magis in noſtra poſitione, in qua ſolùm hanc infimam partem alteratam agnoſcimus. Aerem autem natura frigidum, & tenebroſum agnoſcit Seneca; *lib. 2. nat. queſt. cap. 10. pag. 361.* dum inquit: *Aer frigidus per ſe & obſcurus: lumen illi, calorque aliundè ſunt; ſed per omne ſpatium ſui ſimilis non eſt; mutatur enim a proximis*. Igitur ex Seneca Aer frigidus: non calidus eſt. Quomodo autem cometæ, trabes, ſtellæ cadentes, capræ ſaltantes, & vbi generentur ſuo loco, *Expoſitione literali in verſ. 7.* videbimus.

4 De Ventis Ariſtoteles diſputans lib. 4. Metheororum inquit eos produci ab exhalatione calida, & ſicca, a calore ſolis a terrenis ſubſtantij attracta; quæ quia calida eſt ſurſum ad ſuam ſphæram tendens, & ab aeris frigiditate repulſa diuerſimodè circa terram agitatur,& lateraliter mouetur, & ventus efficitur; quare, ſecundum ipſum commota, & repreſſa exhalatio ventus eſt. Hic propter varias terræ partes inquibus oritur varias qualitates ſortitur, & nomina; nam orientalis calidus & ſiccus eſt,meridionalis, ſeu auſtralis, calidus, & humidus,occidentalis humidus, & frigidus, ſeptentrionalis frigidus & ſiccus:Et ſicut venti a Sole generantur,ita etiam diſſipantur ab ipſo.

5 Hanc ventorum productionem non approbat ſtoicorum aſſecla Cordubenſis Seneca; ſed verius putat aliud ventum non eſſe niſi concitatum aerem; etenim cum ſemper Aer ad maris modum moueatur, cum placidè, & æqualiter mouetur non ſentitur, cùm vero concitatus ad vnam tantum partem violenter mouetur ventus eſt; vnde Ventus ſic definitur a Seneca. *Ventus eſt fluens Aer in vnam partem: vel ventus eſt fluens Aer impetu. Seneca lib. 5. natur. queſt. c. 1. pag 387.* Dat autem huius definitionis rationem, quia non poteſt dici ſimpliciter motus aer,quia ſemper mouetur, ſed eùm impetu mouetur in vnam partem tunc ventus eſt: ſicuti etiam mare ſemper mouetur, cum tamen non mouetur impetu in vnam partem tranquillum dicitur: *Hæc definitio*, inquit ille, *ibid. videtur diligentior: quia numquam, Aer tam immobilis eſt, vt non in aliqua ſit agitatione. Sic tranquillum mare dicitur, cum leuiter commouetur, nec in vnam partem inclinatur*. Senecæ D. Auguſtinus ſubſcribit, nam aerem commotum eſſe ventum vel ex eo probat, quod nos cùm mouemur impetuosè, vel eùm flabello aliquo aerem verberamus commotionem ipſius, & ventum producimus. *Nihil aliud quam iſtum aerem commotum, & agitatum ventum eſſe ſentimus: quod in loco tranquilliſſimo & ab omnibus ventis quietiſſimo vel breui flabello approbari poteſt. Quod cum euenerit occultiore quodam motu cæleſtium vel terrenorum corporum per magnum ſpatium mundi, ventus vocatur; ex diuerſis partibus mundi, vel cæli nomina etiam diuerſa ſortitus. D. Aug. lib. de quantit. Animæ c. 4. t. 1. pag 249. col. 2. B.* Hæc Sanctus Doctor. Quare autem nihil fruſtra generans Deus Aerem ſemper mobilem produxerit: quod indicatur Geneſ 1. vbi ſub nomine venti agitati Aer deſcribitur. vt ex hebræo vertitur; *Et ventus Dei commouebatur ſuper facies aquarum: Geneſ. cap. 1 v. 2* cauſa in promptu eſt, ne & ipſe, & alia quæ infra Cælum continentur (ſcilicet in Terræ athmoſphæra) corrumpantur, quies namque corruptionem cauſat, ita aquæ, quæ non mouentur, corrumpuntur, experientia teſte. Deinde Mare, & Aer agitantur continuò ad Animalium nutritionem, & generationem, cæterarumq; rerum ortum: Hoc de Aqua fatetur Seneca *loc. cit. cap. 5. pag. 388*. *Cum aqua motum ſuum habeat, etiam ventis quieſcentibus: nec enim aliter animalia edere poſſet*. Idem De Aere ſentit D. Ioannes Chriſoſtomus. *Hoc eſt enim munus ventorum aerem ſuſcitare, ac ventilare, vt non ſi ſit immobilis, corrumpatur, & intereat; fructus maturare, corpora nutrire. in Pſal. 134. to. 1. col. 1074. lit. C*.

6 De efficiente Ventorum cauſa duplex eſt opinio; Ariſtotelis altera eſt,terrenarum ſcilicet exhalationum, vaporumque conſtipatio, quæ cum in vnum conuenerint,exhalationes præſertim, repercuſſæ ab aeris frigiditate ventos producunt, aerem agitando. Sed hæc opinio non omnino vera eſt, nam dato quod hæc aliqua cauſa ſit, non totalis tamen, nec omnis, ſeu ſola cauſa commotionis aeris eſt. Suſtinent Alij, & præſertim Rupertus Phlud, ſeu de fluctibus in ſua Philoſophia moſaica, agitari aerem a ſeipſo, virtute tamen calefacientium ſyderum, vel eorum frigefactione rarefactus, vel condenſatus: quam ſuam poſitionem ſic explicat. Experientia conſtat aerem incluſum in vitrea ampulla,ſeu phiala condenſari,& rarefieri. Porro cum rarefit expellit aquam,quæ ad vas vbi continetur deſcendit; cum verò condenſatur quia minorem occupat locum ad reliquum ſpatium occupandum aſſurgit aqua;huius Inſtrumenti exemplar,cuius etiam meminit Ioſeph Blancanus in ſua ſphæra, & ad multas demonſtrationes rerum naturalium ad iuuat, huiuſmodi eſt.

Hoc

Digitized by Google



Hoc ſuppoſito ita ille diſcurrit. Cum totus Aer intra Cælum terramque concluſus reperiatur, ita vt extra cælum progredi nefas ſit, ſequitur, quòd cum ardentiſſimo ſolis, ſyderumque calore in ea parte, quò Sol directos, vel non multum obliquos immittit radios, rarefieri aerem neceſſe ſit, aer ſic rarefactus dilatetur, ſicque percutit aerem, & percuſſus alium exagitat vſquequo ad locum perueniens, vbi ex ſolis abſentia, vel radiorum obliquorum debili immiſſione, viget frigus, ibi agitationem maximã, ideſt ventos parit. Quòd ſi aqueos vapores reperit, etiam conſpiſſatur in nubes, & nebulas; ſi vero exhalationibus calidis miſceatur, ventus creſcit, nam aer aliquantulũ iterum rarefactus denuo agitatur. Huius rei experientiam habere poſſumus (quam ego ſæpe adnotaui) cum nos in alicuius montis radicibus, vnde pluuia venire debet, reperimur, obſeruabimus ante ipſam pluuiam ex eadem parte, vnde aqua ventura eſt, impetuoſum ventum exire, qui ad pluuiæ acceſſum poſtea euaneſcet: cauſa eſt agitatio aeris ab aqua expulſi, qui cum calidus reperiatur, & rarefactus, fugit, & commouet alium, donec & ipſe humefactus concreſcens pluuiam adauget.

7 Ex hoc diſcurſu patet aerem ab exhalationibus, vel vaporibus in ſuis tranſmutationibus adiuuari tantummodo, non commoueri, nam a ſeipſo, vel rarefactus, vel denſatus mouetur. Hoc inter alios docet Seneca. *l. cit. pag. 388 Quid ergo? Hanc ſolã eſſe cauſã venti exiſtimas, aquarum, terrarumque euaporationes? Deinde ſolus impetu, cum quæ denſa ſteterant, vt eſt neceſſe, extenuata nituntur in ampliorem locum? Ego vero & hanc iudico. Ceterum illa eſt longè verior cauſa, valentiorque habere Aera naturalem vim mouendi ſe: nec aliunde cõcipere, ſed ineſſe illi, vt aliarum rerum, ita huius potentiam. An hoc exiſtimas, nobis quidem datas vires eſſe, quibus nos moueremus, aera autem inertem, inagitabilem relictum eſſe?* Non igitur ab extrinſeco, ſed a ſe, & virtute ſua mouetur, & agitatione ventus efficitur. Quod Senecæ probaui placito, ne abhorrens ab inſtituto philoſophico videretur aſſertio. Verum ratio validior ſacrarum ſcripturarum, imò & ipſius Dei, doctrina eſt. Cũ Dominus noſter multa doceret Nicodemum Iudæorum Principem, quæ ſpiritualem intellectum habebant; vt eorum fidem faceret, & probaret ſpirituales, & inuiſibiles Dei operationes credendas eſſe, quãuis a ſenſibus alienas, quandoquidem & aeris commotionem audiamus, nec ipſam videamus, neq; illius motus cauſam, niſi ipſius aeris naturam aſſignare poſſimus: ita dixit: *Spiritus vbi vult ſpirat, & uocem eius audis: ſed neſcis unde ueniat, aut quo uadat. Ioan. cap. 3. v. 8.* Quod autem de vento, ſeu aere, & de eius naturali motu loquatur, audiamus ex D. Ioanne Chriſoſtomo. *Inuenit igitur medium quoddam inter corpus, & incorporeum, hoc eſt uenti impetum: hinc eum excitat, cum inquit: Spiritus vbi uult ſpirat, & uocem eius audis, ſed neſcis unde ueniat, aut quo uadat. Quod autem dixit, Vbi uult ſpirat; non loquitur ac ſi uoluntate feratur uentus, ſed liberum eius a natura impetum, qui ab alio impediri non poſſit, ſignificat: quod autem de vento loquatur, inde perſpicuum eſt, cum inquit; & vocem eius audis; non enim infidelis, & ſpiritus virtutem neſciens, de ſpiritus dixiſſet. Hom. 25. in Ioan. tomo 3. col. 104. lit. D* Ita cenſet Diuus Chriſoſtomus. Hoc idem ſubindicatum exiſtimat idem in Pſal. 134. Vbi dicitur de Deo; *Qui producit ventos de Theſauris ſuis. Pſal 134. verſ. 7.* neque enim nominantur Theſauri, quaſi incluſi ſint aliquo carcere venti, vt veteres cantabant Poetæ, ſed quia eorum ignoratur productio, quandoquidem iubente Deo illi ſtatim producuntur, moto a ſeipſo, non ab extrinſeca cauſa Aere. *Nam quod dixit: ex theſauris ſuis: non hoc ſignificat aliquos eſſe ventorum theſauros, ſed eius qui imperat facilitatem indicat; & quam ſit creatura prompta, & expedita. in Pſal. 134. tom. 1. col. 1074 lit. C.* Hæc ille.

8 Sed hæc pro noſtri inſtituti breuitate de ventorum productione ſufficiat. De eorum qualitate, & diſtinctione parca promamus. Potrò varias habere qualitates ventos, prout a tali flant cardine, vel etiam Planetarum, ſyderumque influxit perſpicuum videtur. Puto ego Aerem, natura quidem leuiſſimum, facilè Terræ halitibus, ac qualitatibus labefactari, & infici; ſic prauis illum terræ exhalationibus imbutum, multis in locis inſalubrem eſſe, & è conuerſo. Non mirum igitur ſi in ventum agitatus pro terreni ſoli, vnde vel diſcedit, vel quò tranſit, qualitatibus affectus diuerſas appareat. Hinc Idem D. Chriſoſtomus. *Porro autem ventorum quoq; multa differentia, hic quidem ſubtilior, ille craſſior, alius quidem frigidior, alius vero ſiccior, alius quidem humidior; alius vero calidior. Idem ibid. lit. D.* Nobis Europeis orientales venti ſalubres ſunt, precipuè flantes oriente Sole: occidentales itidem occidente Sole, & noctu proficui ſunt, licet ex ipſis chorus aliquando peſtilentialis ſit: Auſtrales reliquis calidiores omnino noxij, ſunt caput aggrauantes, morboſque inducentes: Septentrionales denique cæteris ſalubriores ſunt hominibus, ſed Vere fructibus, floribuſque noxij. Principes, ſeu Cardinales venti, a quibus omnes alii venti originem trahunt; nec non & denominationem, qui etiam ſæpiſſimè in ſacris literis referuntur, quatuor ſunt: Oriens, Occidens, Septentrio, & Auſter; inter hos alij quatuor conſurgunt; & deinde ex his octo, qui medii vocantur, & tandem apud Nautas alij ſexdecim ex his componuntur, qui apud eos quartæ ventorum nuncupantur; ita vt omnes ventorum ſpecies triginta duo enumerentur. Nos reliquos Nautis relinquentes, octo tantum Principalium nomina Italicè, Græcè, Latinè, & Hiſpanicè proponemus. Hebraicè verò, non niſi quatuor principalium Nomina ex ſacra ſcriptura colliguntur.

Ven.

Digitized by Google

Ventorum Nomina.

Hebraica	Græca	Latina	Italica	Hiſpanica
קָדִים	Απηλιωτης	ſubſolanus	Leuante	Leſte.
	Ευρος	Vulturnus	Sirocco	Sueſte.
תֵּמָן	Νοτος	Auſter	Oſtro	Sur
	Λυβος	Africus	Garbino	Sudueſte
יָם	Ζεφυρος	Fauonius	Ponente	Veſte.
	Αργεστης	Corus	Maeſtro	Norueſte
צָפוֹן	Απαρκτιας	Septẽtrio	Tramontana	Norte
	Καικιας	Heleſpõtius	Greco	Nordeſte

9 Tandem nonnulli Angelos mouere ventos exiſtimant, quibuſdam ſacræ ſcripturæ Authoritatibus niſi, videlicet. Matth c 24.*uerſ.*31. *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & uoce magna, & congregabit electos ſuos a quatuor uentis Cæli*. & Apocalips. cap 7 *uerſ.* 1 *Vidi quatuor Angelos ſtãtes ſuper quatuor Angulos terræ tenentes quatuor uentos, ne flarent*. Et Ezech. c. 27 *uerſ.* 37. *A quatuor uentis ueni ſpiritus*, Quod videtur Angelis præceptum eſſe: Et Zaccar. c. 6 *uerſ.* 5. *Iſti ſunt quatuor uenti Cæli, qui egrediuntur, ut ſtent coram Dominatore uniuerſæ Terræ*; quod cum de ventis nequeat intelligi, de eorum Angelis intelligendum eſt. Et hùc reuocant illud, *Spiritus ubi uult ſpirat*, ideſt illuc fluit ventus, quò vult eius Angelus. Cęterum ſi ſyderibus dantur aſſiſtentes Intelligentiæ, etiam ventis aſſignare non videtur irrationabile. Verùm de hac re expoſitione literali in quartum ſequentem verſum fuſius diſputabitur.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

CÆlum quoddam Animam eſſe, ſecundum Verſum declarantes probauimus: in quo vtique nobiliori Aere præſtantiores impreſſiones generantur: Hoc ne pereat per ſuperbiam, humilitatis tegitur aquis: in eo gratiarum pluuiæ, Nubes apoſtolicæ Prædicationis grandines diuinarum vltionum, Charitatis ignis: Iſtud ſublunare Cælum, ſeu ad noſtrum intellectum, iſte Aer ſanctis agitatur operibus, vt Ventus, ſeu ſpiritus pennis virtutũ volet in quib. ſuperfertur Dominus, ad adiuuandũ mortales velociſſimè currens.

SVMMARIVM.

1 *Cælum per tribulationem acquiritur.*
2 *Lex tegitur operibus charitatis erga, Deum & proximum.*
3 *Maxima peccatoribus pœna in indicio erit Dei Triumphantis gloria.*
4 *Deus a creaturis ſuis nequit comprehendi.*
5 *Dei Prouidentia omnia reſpicit.*
6 *Deus ad noſtrum auxilium uelox.*
7 *Animæ ut Venti pennis uirtutum uolant.*
8 *Prædicatores Veritatis ſunt nubes, Eccleſiam fecundantes.*
9 *Vita hominis uelociter pertranſit.*

§. I.

Cælum per tribulationem acquiritur.

1 QVi *tegis aquis ſuperiora eius*. Cęlorum Regnum licet hominibus deſignatum, vt in ipſo Deo fruentes imperent in æternum, non tamen omnibus vltro conceditur ſed illud expugnare neceſſe eſt: Quare idem Dominus, & Seruator noſter docuit. *A diebus Ioan. Baptiſtæ Regnum Cælorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Matth. c.* 11. *u.* 12. Neque putandum eſt Ciuitatem illam inter Aſtra fulgentia conditam faciliter capi poſſe: etenim eam Dominus adamantinis muniuit parietibus, & aquis immenſis foſſas eius repleuit, vt eam tegeret, defenderetque ab humanis inſultibus; hoc eſt quod ait Pſaltes: *Qui tegit aquis ſuperiora eius*. Sed quænam iſtæ ſunt aquæ, quas ſuperare, & pertranſire neceſſe eſt, vt Regnum acquiratur æternum? Profecto Aquæ tribulationum ſunt: laborando peruenitur ad Regnum; ſtrennò præliandum contra hominis inuiſibilis hoſtes, ſed viciſim ad non vulgarem ſuſtinentiam animus pręparandus eſt: ſi enim licuit ethnico hiſtorico de ſuo populo ſcribere, tanquam magnanimitatis monumentum. *Agere, & Pati fortia Romanorũ eſt*. eo magis nobis id dicendũ: *Agere, & Pati fortia Chriſtianorum eſt*. Nam & opera virtutis improbo labore ſuſcipienda, & ad aduerſa ſuſtinenda animus eſt roborandus Aquæ, quæ contra nos Cælum protegunt, Tribulationes, tentationes, aduerſitates ſunt, has tranſnatare viriliter oportet, vt munitiſſimam cælorum Arcem fæliciter capiamus. Hoc ex Cardinal is Hugonis ſententia nos monet, Propheta. *Qui tegis aquis tribulationum ſuperiora eius; quaſi dicat: nec habebitur, nec videbitur Cælum ſine tribulatione*.

2 Electos ſuos ad præliandum excitans Dominus, nequaquam ipſos ſe a tribulationibus crepturum pollicetur, ſed tantummodo ſe ſocium in tribulationibus exhibet: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione*; *Pſal.* 90. *v.* 15 Magna Dei miſerentis pietas nobiſcum in tribulatione eſſe, noſtra incommoda ſua reputare. Verus aliquis amicus ita amico ſuo patienti conformari ſe ſolet; cum enim aliquis, vt ſua purget delicta, carceribus mancipatur, amici ſimul cum ipſo in carceribus degere non abhorrent, vel in exilium actum comitari non dedignantur, vt ſolatio ſint cui adiumento eſſe nõ poſſunt. Ita prorſus Dominus Deus noſter amicos ſuos in tribulatione poſitos viſitat, cum ipſis perſequutiones patitur, tormenta ſuſtinet, maledicta audit, vt immenſæ ſuæ erga nos charitatis plenitudinem oſtendat. Verum ſi omnipotens Deus eſt, nec apud eum vlla res impoſſibilis, quare amicos ſuos a tribulatione potius non liberat, quam eam ſecum pati? melius eſt a caſu prohibere, quam caſum ſubleuare: forte non poterit! ſed quæ diuinæ obſiſtunt omnipotentiæ? Poſſet vtique hoc facere Deus, ſed non expedit; nam ad empyticam arcem obtinendam tribulationes neceſſariæ ſunt; vt D. Bernardus fatetur. *Res enim, vt dixi, neceſſaria eſt tribulatio, quæ in gloriam vertitur, triſtitia, quæ mutatur in gaudium: Gaudium ſanè longum, quod nemo tollet a nobis: gaudium multiplex, gaudium plenum. Res neceſſaria eſt iſta neceſſitas, quæ coronam parit. D. Bernard. Abb. Clareu. ſer.* 17. *in Pſal. Qui habitat col.* 554. *lit. E.* Præſtat ergo tribulationes pati; ex quibus victoriæ aſſequatur coronam, quam eximi ab illis: illæ Cælum protegunt, has tranſeamus, vt expugnemus.

3 Duas

3 Duas inter ſe valdè pugnantes ſententias in ſacris literis reperio. Geneſ. cap. 22. Deus tentaſſe Abraham dicitur: *Tentauit Deus Abraham: Gen. c. 22. ver. 1.* & Deuteron. c. 13. Tentaſſe etiam Iſraelitas refertur: *Quia tentat vos Dominus Deus. Deut. cap. 13. ver.* Iacobus vero Apoſtolus in ſua canonica Epiſtola Deum neminem tentare docet. *Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat Iacob. epiſ. cap. 1. ver. 13.* Si igitur neminem tentat Deus, quomodo Abraham, quomodo Iſraelitas tentauit? Sed illud eſt aduertendum duplex tentationis genus reperiri, vel per peccatorum malitioſam ſuggeſtionem, & hoc modo tentare non Dei, ſed Diaboli eſt: vel per fidei experimentum; vt cum quis amici fidem exploraturus ipſum ficta contumelia afficit: & hoc modo tentat Deus tribulationes cauſando, vt in ipſis amicorum ſuorum fidei, charitatiſque fortitudinem experiatur: atque tentatio iſta ita eſt neceſſaria, vt ægrè ſine illa ad æternum gaudium perueniatur. Bene poterat omnipotens Dominator ſæculorum populum ſuum liberare ab ægiptiaca ſeruitute, abſque eo quòd Pharaonis crudeliſſimā tyrannidem antea ſuſtineret; quæ ergo neceſſitas coegit ipſum ante liberationem, intolerabilem pati ſeruitutem, tribulationes inportabiles tolerare? Maxima id egit neceſſitas. Iſrael de Ægipto ad terram promiſſionis iturus anagogicè eſt fidelis anima ad Paradiſi gaudia profectura: quia vero nulla poteſt peruia eſſe via ad cæleſtem patriam, niſi aquas tribulationum tranſeundo, quæ cælum tegunt, idcircò populus de Ægipto ad promiſſionis terram egreſſurus prius haud vulgaribus tentationibus agitatur. Hoc Dominus oſtendit, cum proteſtatur Pharaoni ſe illum ad tribulandum populum ſuum excitaſſe. *Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam. Exod. cap. 9. ver. 16.* Quod expendens Rupertus Abbas inquit. *Nam idcirco potius Deus Pharaonem excitauit (ſubauditur in Regnum) & idcirco ſummam illi potentiam contulit, quia vas iræ fuit, & quia iam dudum aptus erat in interitum; idcirco corripiendis ſuperpoſitus eſt miſericordiæ filijs, vt eſſet virga furoris, & baculus in manu Domini ſuper eos, quos per tribulationem in gloriam transferre præparauit. Rup. Abb. tuitiens, in Exod. lib. 1. cap. 37. to. 1. pag. 216. col. 1.* O certè neceſſariam tribulationem, per quam in gloriam peruenitur?

4 Romanorum Imperatores antiquitus nequaquam maximam Triumphi gloriam aſſequebantur, niſi prius in hoſtibus debellandis impigro labore deſudaſſent. plauſus ille celebris, nonniſi periculorum patientia declinatorum effectus: multum ſanguinis impenſum in illius purpuræ tintura, qua glorioſè tegebantur. Haud ſecus in cæleſti Republica operandum eſt, illa æterni triumphi immarceſcibilis gloria ſine tribulatione non comparatur. Poſt exantlatos ſuæ paſſionis acerbiſſimos labores Seruator humani generis, ſui gloriam triumphi diſcipulis oſtendit; vt ſi quando Angelorum, Beatorumque cantum audirent proclamantem; *Benedictus qui venit in nomine Domini: Matth cap. 21. ver. 9.* nullatenus ab eorum memoria laberetur, hanc gloriam tribulationes promeruiſſe, quandoquidem, *Hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Luc. cap. 24 ver. 26.* Nos igitur, ſi cum ipſo triumphare ſatagimus, illiuſque refulgentis coronæ participes fieri, paſſionem eius intueamur oportet, Hæc eſt triumphi meritum, hæc ad gloriam iter, hæc Ianua Paradiſi. Benè hoc perſpexit, & docet melliflua eloquentia D. Bernardus. *Si tota concupiſcentia videre deſideras diem illum, quando ſuſcipietur in cæleſti Hieruſalem Chriſtus Dominus caput cum omnibus membris portans triumphum Victoriæ, applaudentibus iam non popularibus turmis, ſed virtutibus angelicis, clamantibus vndique populis vtriuſque teſtamenti: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Si inquam conſideraſti in Proceſſione quo properandum ſit, diſce in Paſſione quà ſit eundum. Hæc eſt enim via vitæ; Tribulatio præſens via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via Regni. D. Bernard. Abb. Clareuall. ſerm. in Dom. Palmar. col 134. lit. B.* Audiſti tectum tribulationibus Cælum? illas pertranſire ſatage, ſi concupiſcis coronam.

5 Ex hoc cæleſtis noſtri Imperatoris glorioſo triumpho clarius innoteſcet, quomodo Deus ſuos tentet amicos. Erit fortè aliquis terreni exercitus Imperator qui munitiſſimam Arcem obſidet; & ita quidem perſtrictè eire umuallatā habet, vt nulla ſpes ſubſidij obſeſſis ſuperſit: quia verò haud ſpernenda annonæ copia in ea reperitur nimis ſera deditio timetur. Ipſam vi capere niſi per lacum a quo Arx eſt circumdata, nequaquam poteſt. Tunc Imperator milites ſuos ad hortatur ad pugnam, vt ſi velint tædioſam obſidionem deuitare, & quam cito in Arcem obſeſſam ingredi, viriliter, & conſtanter per lacum iter aggrediantur; pręponendus namque paucarum horarum labor, longæ, & tædioſiſſimæ obſidioni, & incertæ deditioni. Hæc Ducis illius militum tentatio eſt, ſed quæ in eorum cedat vtilitatem. Huiuſcemodi eſt noſtri inuictiſſimi Ducis tentatio. Operibus charitatis cæleſtis Arx obſidetur, ſed in longum protrahitur, dum culpis noſtris exigentibus, (ſi tamen in gratia diſcedamus de ſæculo) per multum temporis in Purgatorio, extra beatam patriam manere debemus: vt autem celerius hanc Arcem empiream capiamus, quia aquis tegitur tribulationum, ipſas nos hortatur Dominus ad ſuperandas, vt peccata purgando, Purgatorij declinando tormenta celeriter in optatam patriam perueniamus. Hoc dicere non auderem, niſi me mei Seraphici Doctoris patrocinium ſuſtenaret; Is namque ex illo eccleſiaſtici dicto: *Vaſa figuli probat Fornax: & homines iuſtos tentatio tribulationis: Eccleſiaſtici cap. 27. ver. 6.* hanc elicit conſequentiam. *Deus probat amicos ſuos aduerſitate ſi fideliter in ipſa perſeuerent: Vaſa figuli probat Fornax: & homines iuſtos tentatio tribulationis: Purgatur etiam homo a peccatis per tribulationem tentationis, vt dignus fiat gloriæ cæleſtis celeri introitu, ne poſt mortem indigeat grauius, & diutius purgari. D. Bonau. Card. De Profec. Relig. lib 2. cap. 1. to. 7. pag. 613. col. 2. lit. D.* Quid expectas fidelis? eia induere fortitudine ſpiritali, accinge ſicut vir lumbos tuos; patet ianua ſupernæ ciuitatis, Aquæ ſolummodo tribulationis protegunt, has tranſgredere, & celeriter optatam gloriam poſſidebis.

6 Paradoxum videtur quod ſanctus Iſraelitarum Monarcha in ſuo 118. Pſalmo teſtatur. Primum quidem a iuſtitia Deum quam maximè commendat, dicens: *Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum, & lex tua ueritas: Pſ. 118. uer. 142.* Et optimè quidem, nam ipſa veritas, & iuſtitia Deus eſt: deinde ſubdit: *Tribulatio, & anguſtia inuenerunt me. u. 143.* Igitur illa iuſtitia, & vera eſt, quæ in iuſtū tribulationes aggregat? Iuſtitia delinquentes, & peccatores punire debet non iuſtos: Inimicos legis non amatores tribulationibus agere: Cur ergo illa commendatur iuſtitia, quæ ſanctos vrget? Etiam illa veriſſima iuſtitia eſt, quæ vnicuique quod ſuum eſt tribuit: portò pars amicorum Dei in hoc mundo ſola tribulatio eſt, Hæc crucifixi eſt hæreditas, cùm nequaquam promiſſum Regnum celeriter niſi media tribulatione valeat obtineri. Ita Alexander Alenſis. *Numquam enim Amicus Dei habuit quietem temporalem, ſed finaliter habebit æternalem: Tribulatio, & anguſtia inuenerunt me: Chriſtus in ſuo teſtamento Apoſtolis, & alijs amicis ſuis tribulationem, & anguſtiam reliquit. Alexander de Hales. in c. 6. Apoc. pag. 106. col. 2. lit. A.*

7 Sponſi cæleſtis pulchritudinem commendans ſponſa labia eius liliis comparat, neque hoc ad laudem ſatis viſum eſt, ideoque ſtillantia mirrham indicare voluit: ſed planè inæptè videtur labia illa, quæ omnem habent dulcorem ſuauitatis, amaritudine reſperſiſſe: potius melle redundantia deſcribere debuerat, vt puritatis, & ſanctitatis candorem, beatitudinis dulcedine cōdecoraret. Sed optimè dictum eſt: quiſquis enim ad labiorum Dei beatam fruitionem peruenire deſiderat per myrrham mortificationis, per aquam tribulationum tranſeat neceſſe eſt; ideo igitur ſponſa dicit. *Labia eius lilia ſtillantia*

myrrham

Digitized by Google

myrrham primam; Cantic. cap. 5. verſ. 13. Quia inquit Caſſiodorus, *candoris premia annunciant, & per carnis mortificationem ad hæc perueniendum docent. D. Caſſiodorus in Cantic. ap. Gloſſ. ordinar.* Nemo igitur oſcula diuina deſideret, qui aquarum tribulationem tranſmeare non audet.

8 Sanguinis fluxum quędam mulier patiebatur, morbus angebat, ſpes nulla leuabat: omnis profectò eam miſerabilem, & infelicem pleno ore conclamabat: ipſa verò non ita de ſe ſentiebat; nam cum fidei firmitatem haberet haud fluctuabat; ſciebat namq; ad diuini ſponſi dulcedinem accedere ſine tribulatione non poſſe. Et enim quomodo mulier ignota ad Chriſtum accedere auſa fuiſſet quomodo ſine pudore, & fortaſſe ſine improperio, eius fimbriam tetigiſſe, niſi eam patrocinaretur infirmitas? paſſa eſt accedere, tangere non prohibita, curari iuſſa, quia Tribulatio ad Ieſum peruium fecerat Iter. *At Ieſus conuerſus, & videns eã, dixit: confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Matth. c. 9. v. 22.* Acutem D. Petrus Chriſologus. *Chriſtus conuerſus ad mulierem, vt mulier conuerteretur ad Chriſtum: vt ab ipſo curam ſumeret, vnde ſumpſerat vitã; & ſciret ſibi præſentis vulneris cauſam fuiſſe perpetuæ rem ſalutis. D. Petrus Chriſ. ſerm. 34. pag. 278. col. 1.* En tribulationis beneficium, Chriſto præſentiam permiſit, ſanitatem reddidit, ad cęlos Ianuam aperuit. *Nemo* ergo de tribulatione triſtetur, quandoquidem Cælum tegit, ad quod per ipſam neceſſariò eſt accedendum.

§. II.

Lex tegitur operibus Charitatis erga Deum, & proximum.

1 Q*Vi tegis aquis ſuperiora eius.* Diuina lex, quę Cęlorum indicat iter, Cœlum dici, & nuncupari poteſt. Etenim ſi cęlum a cælando Diuinitatem nomen ſortitus eſt Lex Domini, vtique immaculata Hominum conuertens ad Deum animas, ipſum, Deum legiſlatorem continet. Huius Cæli diuini poli ſunt duo charitatis præcepta, qua ipſius Dei, & proximi dilectio mandatur, nam ex his duobus præceptis, tanquam ex polis, lex vniuerſa dependet. Tegitur ergo ſuis aquis hoc cælum; & ideo per Prophetam dicitur; *Qui tegis aquis ſuperiora eius:* nam ſuperiora, ideſt Poli, ſcilicet Præcepta Dilectionis, teguntur aquis, ideſt operibus charitatis. Lex Domini tunc in ſæculum integra perſeuerat, cum operibus charitatis fulcitur; cadit tectũ ſi deficiant parietes: perit charitatis habitus ſi actibus deſtituatur. Gloſſ. ordin. explicat. *Qui tegis aquis, ideſt operibus charitatis: ſuperiora eius, ſcilicet duo Præcepta, vnde tota lex pendet.*

2 Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, ita charitatem præexcelſa extollit eloquentia, vt Sol videatur, ad cuius aſpectum emineant omnia, ad cuius receſſum omnia obtenebrentur; inquit enim. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. 1. Corin. cap. 13. v. 1.* Et proſequitur nec ſapientiam, nec prophetiam, nec miraculorum patrationem, nec eleemoſinam, nec humilitatem, nec ipſum martyrium aliquid eſſe ſine charitate. Hoc autem ideo Apoſtolus exaggerat; quia charitas legalis cæli eſt fulcimentum: ideo cælum tegitur aquis, vt in expoſitione literali probatum eſt) ne a flammis conſumeretur orbis; nam niſi aquarum frigiditate Aſtrorum temperaretur ardor cõburerentur omnia. Itapariformiter niſi lex diuina operibus charitatis adiuuaretur, homo æternis dedicaretur f[...]mmis, quia ſine charitatis operibus perit lex: qua pereunte, quid aliud animę illi, cui perit, niſi æternum reſtat incendium? etenim ſi flamma illa perpetua operantibus iniquitatem ſeruatur, omnis, qui charitatis non habet opera, iniquitatis habet: quia ſi ſine charitate lex deperditur, omne quod ſine lege operatur iniquè efficitur. Hoc aſſerit D. Auguſtinus. *Recedite a me qui operamini iniquitatem, quia ſi habeam omnem prophetiam, charitatem autem non habeam nihil ſum. Prophetauit autem & Saul, ſed operabatur iniquitatem: Quos operatur iniquitatem niſi qui non habet charitatem? D. Aug. in Pſ. 103. to. 8. pag. 482. col. 1. lit. D.* Optimè dicebat Apoſtolus virtutes omnes, & ſi cæleſtes, ſi charitatis aquis tectæ non fuerint, ad iniquitatem degenerantes tartareas nutrire flammas.

3 Super cæleſtes aquæ quę cælum tegunt omnes terrenas humiditates adaugent hinc ex cæleſti pluuia impinguantur arua, & arbores. vt fructus vberiores reddant. Charitas eſt arbor, quæ fructus reddere debet virtutum, ſed hæc arbor nullum fructum producere poteſt ſine charitatis operibus; opera enim charitatis ipſum charitatis habitũ impinguant, & fæcundant, ſicut aquæ cęleſtes arbores: porro ex charitate tanquam ab arbore, fructus cæterarum virtutum pendent. Hoc Redemptor noſter docebat, dum prædicabat. *Non poteſt Arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Matth cap. 7. ver. 17.* Arbor bona eſt charitas ab operibus ſuis fæcundata; Arbor mala voluntas charitate deſtituta eſt; neque ergo ſine charitate voluntas aliquid mali operabitur. Docet hoc D. Bernardus. *A charitate tamquã fructus ab arbore pendet tota lex & Prophetæ. Sicut enim fructus ſuum a palmite recipit alimentum, donec ad maturitatem perueniat: ſic boni operis fructus, ſic ſumma deuotio, ſic omne, quod piè agitur, a charitate ſuum ſumit initium, & progreſſum. D. Bernard. Abb. Clareuall. opuſc. de charitat. c. 12. col. 2345. lit. F.* Pretioſus noſter fructus erit, & æternitatis ſpem nutriens, ſi à bona charitatis arbore, ſuis fulcita operibus, ſumpſerit incrementum.

4 Rex quidam Conuiuium magnum parauerat: & vt oſtenderet ſuæ magnanimitatis celſitudinem, omnes quoſcumque inuenire potuit ad nuptiale illud filij ſui conuiuium venire iuſſerat Nõ vilitas generis, nõ opum indigentia, non artis exercitium, non virtutum inopia quem quã ab aula prohibebat, ſola nuptialis veſtis reddebat indignum: nam cùm inuitatos inſpexiſſet Rex, videns aliquem veſte nuptiali inornatum, dixit ei: *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Matth. c. 22. v. 12.* Et cum illi ad manus iuſtę excuſationes non eſſent, æternis mancipatus eſt tenebris: *Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. v. 13.* Quæ autem hæc veſtis erit quę ſola Aulam paradiſi tegit, quæ ab æternis gaudijs exulare cogit mortales? quem vitia non maculant, indignitas non expellit, demerita non damnant, hæc ſola contumacem reddidit, non adhibita, veſtis. Quæ vtiq; charitas eſt, quæ cælum tegit; ſine charitatis aqua Fidei cælum non ſubſiſtit. *Quid autem*, inquit Origenes, *debemus intelligere per veſtem nuptialem, niſi charitatem? quia hanc & Dominus habuit cum ad ſociandæ Eccleſiæ nuptias venit. Intrat ergo ad nuptias, ſed ſine veſte nuptiali, qui in Eccſia fidem habet, ſed charitatem non habet. Origenes. ap. Aluarum Pelagium lib. 1. de planct. Eccleſiæ cap. 6.* Qui ad æternas filij Dei nuptias iter parat & virtutum parat ornamenta, nuptialem charitatis veſtem non obliuiſcatur; illa enim Cælum Fidei noſtræ protegit, & dilatat.

5 Qui homini microſcomi nomen dedere, vt proportionabiliter de hoc paruo ad magnũ diſcurrerent mundo, ſanguinis venas, fluminibus aſſimilauere: illud etenim quod fluuij terræ præſtant, ſcilicet fæcunditatem, & incrementum, hoc humani corpori dat ſanguis. In ſanguine vita conſiſtit, quia vitales ſpiritus, & naturales, qui per venas, artheriaſque, tanquam per canales, per totum feruntur corpus, per ſanguinem vehuntur. Non ab re igitur, ſi ſpiritualem hominem corpori humano comparauerimus, ei membrorum loco virtutes, ſanguine vero plenas, charitatis operibus refertas venas, dabimus: vel ſi magis placet demus legis præcepta venis, quæ ſint ſpiritibus plena, ideſt operibus charitatis. Hoc probari poterit ex ferculo illo, ſeu geſtatoria ſella, quam ſi-

bi

Digitized by Google

bi ſapientiſſimus extruxit Salomon, quam cum multis exornaſſet gemmis, auriq; & argenti operibus. *media tamē charitate conſtrauit. Cant.c.3.v.10.* In hoc nobis indicās, quod geſtatoria ſella, quę nos ad paradiſi aulā ducere debet virtutib. debet exornari, ſed omnia a charitate viuificāda ſunt, id enim quod vena membris, charitas eſt virtutibus. audi D.Bernardum. *Ipſis animi medullis amor imbibitur, & ſecretis influit venis, inquit; Media charitate: Bene media, quæ ſic intima eſt. Plenitudo legis eſt charitas, ideo lex vacuatur ſi fuerit deſtituta charitate; vitalis enim quædam vena legis eſt, & reliquarū charitas virtutum. D.Bernard. Abb.Clareuall. ſerm. 19. in Cantic.col.1214. lit. E.* Viuere igitur ſpiritualiter non curat, qui charitatis venas operibus non adimplet.

6 Anima, quæ peccati per ignorantiam incurrerat notam, expiari in lege veteri iubebatur oblatione Arietis, qui duobus ſiclis iuxta ſanctuarij pondus, emebatur. Hi duo ſicli nil aliud quam duo charitatis pręcepta ſunt, qui tegunt legem, cuius obſeruatio ab his duobus pendet præceptis. Totam adimpleuit legem, qui charitatis præcepta ſeruauit; etenim ſi peccando Deum, & proximum læſit, eos diligendo errorem ſuum corrigit. Ita decretat Abbas Rupertus, ad illa legis præcepta: *Anima ſi præuaricans ceremonias per ignorantiam peccauerit, offeret Arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis iuxta pondus ſanctuarij. Leuit.cap.5. ver.15.* vbi relatus Rupertus. *Videlicet Arietem offerre immaculatum, cuius totum pretium duo ſicli ſunt, ideſt geminum diuinæ, & fraternę dilectionis præceptum, iuxta pondus ſanctuarij cœleſtis, & non manufacti, quia videlicet, non homo, ſed Deus cæli duo charitatis pręcepta librauit, qua ſola redimimus Animam Deo offerendam, quia ſola hęc operit multitudinem peccatorum. Rup. Abbas Tuitienſ.lib.1.cap.24. in Leu. to.1. pag.302. col.1.* Tegatur igitur Diuinæ legis cælum hiſce charitatis aquis, vt ſempiternam nobis requiem valeat comparare.

§. III.

Maxima Peccatoribus pęna in Iudicio erit, Dei Triumphantis gloria.

1 QVi *ponit nubem currum ſuum.* Dominum Deum exercituum nuncupatum Deum noſtrum ex ſacris literis habemus; ſed in hoc Pſalmo etiam ſuper nubium currus aſcendere prædicatur. Dicet aliquis Deum veterum Gothorum magnificentiam imitari, qui ad pugnam egreſſuri Regem in ſublimi, & glorioſo curru regijs ornatum inſignijs ducem habebant; ſed nec Deus manufacto indiget curſu, qui ſatis in ſua gloria magnus eſt. Qui ergo dicitur. *Qui ponit nubem currum ſuum?* D.Hieronymus docet hoc figuratè dici, ad oſtendendam Dei gloriam, & furorem, quando ad iuſtam vindictam properat. Timeant ergo peccatores, qui irreuerenter peccando Miſericordiæ euertunt ſolium, nam in luendo pœnas ſuis debitas erroribus, maius erit illis tormentum glorioſa punientis maieſtas. Vnde D. Hieronymus. *Hęc autem vniuerſa dicuntur, non quòd Deus currus habeat, aut quadrigas, aut equorum velocitate portetur, de quo ſcriptum eſt; Qui ambulas ſuper pennas ventorum; qui ponis nubem currum tuum: ſed quomodo ſedere in ſolio dicitur quando aſſumit habitum Iudicantis: ſic quando ad vindictam venit, vt debellet aduerſarios ſuos in habitu Victoris, & Triumphatoris oſtenditur. D.Hieronymus in cap.66. Eſai. lib.18. to.4. col.492. lit. E.F.* Ita glorioſum ſe præbet Dominus vt iniqui confundantur: in antiquorum namque triumphis populis debellatis, & vinctis ante Rhedam ductis maioris erat occaſio confuſionis gloria Triumphantis.

2 Huc pertinere videtur Iſaiæ Prophætæ cum Deo colloquium, ſecundum mei ſubtiliſſimi Doctoris interpretationem. Impius quidam ita ſceleratioribus delictis ſe dederat, vt inter ſanctos ipſos, ideſt perfectos, & religioſos viros ſua flagitia perpetrare non erubuerit. Hinc propter diuini honoris zelum indignatus Propheta cum Deo accuſat; reſpondetque Dominus; quæ ergo pœna ei condigna dari poterit, fortaſſis ne videat gloriam meam? Hoc inſtat ille; ſed tandem concludit Dominus, illi & omnibus impijs maior pœna infligi non poſſit quam confuſio prouenicns ex viſione gloriæ vlciſcentis Dei. *In terra ſanctorum iniqua geſſit: & non videbit gloriam Domini? Domine exaltetur manus tua ut non videant: videant, & confundantur zelantes Populi. Iſai.cap.26.uer.10.11.* Sed noſtri Scoti expoſitionem audiamus, hanc Iſaiæ ſententiam ſubtiliſſimè declarantem. *Alio modo melius legitur, quòd ſit allegatio Prophetę contra impium: In terra iuſtorum iniqua geſſit: & ſequitur ſub interrogatione Verbum Domini; & non videbit gloriam Domini? Reſpondet Propheta: Domine exaltetur manus tua, ut non videant; reſpondet Dominus: Videant, ut confundantur zelantes populi. Scotus in 4. ſenten.diſt.48. queſ.1. ad 3. principale pag.320.col.4.* Et tandem concludit. *Impij etiam tunc non glorificati, videant gloriam, ideſt formam corporis Chriſti glorioſam, & confundantur: quia illa viſio magis erit eis confuſibilis, & triſtabilis, quam delectabilis.* Nam debellatus Peccator Debellatoris ſui triumphantis gloriam, ſine intolerabili pęna videre non ſuſtinebit.

3 Idcirco legimus Matth. 25. in extremo dierum venturum Dominum Ieſum in ſua gloria, & in ſublimi ſuæ diuinæ Maieſtatis ſolio ſeſſurum. *Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ. Matth.cap.25. uer. 32.* Etenim cum illa dies tota reproborum confuſioni ſit deſtinata, nec niſi Dominus iuſtæ, ſed terribilis vltionis exequutor accedat, conſequens eſt ipſum in maiori ſuæ diuinitatis gloria venturum; vt omnes gentes, quæ illum contempſerunt in mundo, videant triumphatorem in gloria; cuius maieſtatis fulgor ſit ipſis intolerabilis confuſio, inexplicabilis pęna. *Et tunc quidem,* inquit D.Gregorius Emiſſenus, *ſedebit in ſede maieſtatis ſuę, quoniam tunc Patri coęterno ęqualis, & ſimilis reuelabitur. Nūquam enim melius regia dignitas, quam in ſede regia manifeſtatur. In ipſa autem poſitione dextrę, & ſiniſtræ, iam ex tunc utraque pars cognoſcere poterit cui miſericordia, & cui pœna immineat. D.Euſebius Emiſſenus. Homil.ſer.2.Dom.1. Quadr.pag.63.* Sed expreſſius id docet angelicus Doctor. *Sicuti amicis gloria eſt delectabilis, ita gloria, & poteſtas eius qui odio habetur maximè contriſtat: & ideo ſicuti gloria humanitatis Chriſti erit iuſtis in præmium, ita inimicis Chriſti erit in ſupplicium. D.Thom. Aquin. in ſupplem. 3.p. queſ.90. art.2. ad 4. pag.223. col.2.*

4 Eò torquet triumphatoris gloria victos infelices, vt ita pręira accendatur ſanguis, quòd in faciem ſubuectus genas purpuret, oculos inflammet, torqueat manus; nimirum alterius gloria ignis tortor eſt illis. Ideo Eſaias Prophæta currum Domini triumphantis in iudicio deſcribens igneum facit. *Ecce Dominus in igne ueniet, & quaſi Turbo quadrigę eius, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis. Iſai. cap.66.uer.15.* Ignem verò quem commemorat ne arbitreris illum eſſe, quo conflagrandus eſt mundus, nam ille tantummodo in corpora ſi quæ viuentia reperit, ſæuiet, & ad Domini aduentum iam periſſe compertum eſt: ſed de ipſa cæleſtis vultus eius gloria, fulgore, maieſtateque intelligas velim: nam licet eius gloria contriumphantibus iuſtis ſplendor erit, iniuſtis tamen, qui eum vindicem experiuntur ignis erit, eos ira, pudore, confuſione igneſcere faciens, atque erubeſcere. Audiendus D.Hieronymus. *Ecce enim, inquit, Dominus in igne ueniet, & quaſi tempeſtas currus eius: quas debemus intelligere angelicas poteſtates, quando uenturus eſt Dominus in gloria Patris cum angelis ſuis iudicare uiuos, & mortuos: non quod Dominus Ignis ſit, ſed quod ſuſtinentibus pœnas eſſe ignis uideatur. D.Hieron.lib.18. in cap.66. Iſai. col.491. lit.C.* Ita Domini Triumphantis gloria fit reprobis non vulgare ſupplicium; ſed cur tantum Impera-

pera-

Digitized by Google

peratorem non adoramus, cur eius militiæ non aſcribimur, vt cum eo victores, eius gloria gloriemur, & eius laureis coronemur?

§. IV.

Deus a creaturis ſuis nequit comprehendi.

1 QVi ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum. Quare æterna illa lux, quæ vniuerſum illuminat orbem nube tegitur, & ſuper omnes peruolat ventos? Nonne iucundius nobis fuiſſet ipſam Dei immenſam intueri lucem, non ventorum alis ſubiectam, ſed prope nos familiariter gradientem. Nequaquam: etenim lux illa ineffabilis eſt haud comprehendi a creaturis, viatoribus præſertim, poteſt. Quid Sole pulchrius? Et tamen noctuis eius ſplendor non proficit, quia eorum oculorum infirmitas eius radios nequit intueri. Multò nobis incomprehenſibilior Diuina maieſtas: qui veluti cæcutientes noctuæ eius claritatem perſpicere, eius eſſentiam cognoſcere non valemus. Ideoque nobis apparet ſub nube, & ſpiritus ipſos, ideſt ſupernas intelligentias, in tanti Numinis cognitione confundit. Ita B. Albertus. *Eſt enim intelligentia noſtra ad illam lucem inacceſſibilem multo minus, quam virtus Noctuæ, vel veſpertilionis ad Solem; vnde dicitur in Pſalmo: Qui ambulat ſuper pennas ventorum, hoc eſt ſuper intelligentias etiam angelicas. B. Albertus Magn lib. 1. compend. Theolog. verit. cap. 16. tom. 8. pag. 10. col. 1.*

2 In omnibus creaturis æterni Creatoris reperiri veſtigia certũ eſt: ex ipſis namq; diuina notitia nobis aliqualiter innoteſcit. Hinc Atheiſtarum clarè conuincitur error, tot enim creaturas, ita in ſuis operationibus regulatè inſcedentibus nequaquam caſus dirigere potuiſſet: vnde exclamant quotidiè dari Deum, qui eas & produxit, & regit. Sic autem per hominis, vel alterius Animalis veſtigium in puluere impreſſum ibi hominem fuiſſe cognoſcimus, ita Dei cognitionem ex ſuis creaturis haurimus; ſed quantula hæc ex veſtigio cognitio eſt? confuſa prorſus & imbecillis; & tamen nec ipſum rerum mortalium comprehendere poſſumus, & multò minus Dei, veſtigium. Hoc amico ſuo Iob exprobrabat Sophar naamathites, *Forſitan veſtigia Dei cõprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies? Iob. cap. 11. verſ. 7.* quaſi diceret: Ita tu amicè ſecurè de Deo loqueris, ac ſi eius perfectam cognitionem habeas, ſed vnde, cùm vix eius teneamus veſtigia, quæ neque comprehendere poſſumus. Deum perfectè cognoſcere in hac vita impoſſibile eſt. Etenim ſi in Patria beata, vbi eius eſſentia ceu lumen immẽſum in noſtri animi oculos miſericorditer ſe diffundit, cum aperta viſione intueamur neque comprehendere aut Anima, aut Angelus poteſt (ipſe enim ſolus ſe cõprehendit) quid dicemus in hoc corporis ergaſtulo clauſi, in quo neque eius veſtigium plenè intelligere conceſſum eſt? Et optimè quidem philoſophabatur ille, & hoc quidem ipſe concedit Iob, & D Gregorius illius nomine prædicat. *In retributionis autem culmine reperiri Omnipotens per contemplationis ſpeciem poteſt, ſed tamen ad perfectum non poteſt: quia etſi hunc in claritate ſua quãdoque conſpicimus, non tamen eius eſſentiam plenè contuemur. Angelica etenim, vel humana mens cùm ad incircumſcriptum lumen inhiat, eo ipſo ſe quo eſt creatura coanguſtat, & ſuper ſe quidem per profectum tendit, ſed tamen eius ſplendorem comprehendere, nec dilatata, poteſt. D. Gregor. Mag lib. 10. cap. 7. moral. tom. 2 pag. 549. lit. C.* Quod ſi nec in Patria quem reuelata facie videbimus, perfectè cognoſcemus, quomodo hic ex veſtigio comprehendemus?

3 Inter opera diuinæ manus ad extra Incarnationem dominicam præſtantiſſimam eſſe, nulli fas eſt dubitare: attamen licet Chriſtum Dominum intuentes Deum ipſum cernerent, quia velatum, non capiebant. Sed quid dico Chriſti Domini noſtri Deitatem cognoſcere non potuiſſe; ipſam humanitatem nec comprehendebant. Quanta in vno myſterio miracula concurrebant? Creatura dicebatur, & Creator erat, mortem patiebatur, & immortalis permanebat, tempore menſurabatur æternus, & puſillo continebantur vtero, qui nec ab vniuerſo capi poteſt: hominum frater Dei filius, vitam amittebat qui vitam dabat, ſalus ipſa cernebatur infirma, & tandem inter reos deputatus qui Iudex eſt Vniuerſi. Quæ mens humana tanta in vno opere miranda cæcutienti intellectu complecteretur? Hinc igitur manifeſtè apparet Deum incomprehenſibilem eſſe, dum nec eius opera quæ naturæ limites aliquantulum tranſgrediuntur comprehendere poſſimus. Hoc nobis proteſtabatur patientiſſimus, dicens. *Cum uix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruũ magnitudinis eius intueri? Iob. cap. 26. verſ. 14.* quaſi diceret, ſi eius Verbi in carne apparitio ita ferè ineffabilibus referta eſt Sacramentis, vt illam humana mens penetrare non potuerit, cum hæc ad Diuinitatem comparata ſtilla & permodica videatur, quis audebit tonitruum Diuinitatis eius ad plenum contemplari? Ita D. Hieronymus. *Hoc dicit. Si aſſumptio formæ ſerui penè ineffabilibus miſteriis continetur, & ad comparationem aſſumentis Dei ſtilla permodica eſt, quanto magis quiſque non poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Ideſt ipſam Diuinitatem. D. Hieron. in Iob. tom. 8. pag. 73 lit. C.*

4 Hanc cognitionem, quam habent homines Dei per contemplationem in terra, diuinæ literæ ſpeculo comparant; ſed ex hac ipſa comparatione ſpeculi eius incomprehenſibilitas probatur. Nemo eſt qui neſciat, eam Imaginem videri in ſpeculo, quæ ab ipſo corpore per viſibiles imagines in diaphano terminato reflectitur, vnde qualis eſt facies hominis, talis & in ſpeculo videtur; quod ſi perſonatam quis habeat faciem, perſonata in ſpeculo videbitur. Cognitio autem, quam in hoc mundo de Deo habemus nobis in ſpeculo creaturarum, & ſcripturarum incomprehenſibilem Deum demonſtrat, quia incomprehenſibilis eſt: ideo Apoſtolus cùm de hac cognitione loqueretur, non ſimpliciter dixit nos Deum videre in ſpeculo, ſed addidit in ænigmate, quæ autem in ænigmate videntur, nequeunt comprehendi: *Videmus nũc, inquit, per ſpeculum in ænigmate. 1. Corint. cap. 13. verſ. 12.* Quapropter tres viri qui ad Deum contemplandum accedebant, dicuntur in Domũ Dei aſcendere, quia quantumcumque per contemplationem ad Dei cognitionem aſcendimus numquam comprehendemus. 1. *Reg. cap. 10. verſ 3* *Cognoſcitur autem Deus*, inquit D Gregorius, *per ſpeculum, cognoſcitur per ſemetipſum; per ſpeculum hic, per ſemetipſum in Cælo. Viri ergo iſti, qui ad Dominũ aſcendunt, in Bethel aſcendere dicuntur, quia cum multum in hac vita proficimus uidere ipſam lucem Conditoris per ſpeculum poſſumus, in ſeipſa autem minimè ualemus. D. Gregor. Magn. lib. 4. in lib. 1. Reg. to. 1. pag. 179. lit. E.* Sed licet in Patria ipſam Dei in ſe ipſo, & non in ſpecie videamus imaginem, cognoſcere illam, ſed non perfectè poterimus comprehendere. Solus ergo Deus ſuam eſſentiam comprehendit.

§. V.

Dei Prouidentia omnia reſpicit.

1 QVi ambulas ſuper pennas uentorum. Peripatheticus Deus, vt ex octauo Phyſicorum colligitur, & à D. Iuſtino martyre optimè impugnatur; eo ſuæ naturæ neceſſitate peruenit, vt ſit primus quidem motor immotus, ſed perpetuo primi cæli motui addictus, ita vt nec a motu aliquando deſiſtere poſſit, nec a continua gyratione circa centrũ aliquando quietem agere. Hanc autem neceſſitatẽ mouendi remouet a Deo validis argumẽtis D. Iuſtinus, ſed præcipuè quia hic motus cæli extrinſecus, vel eſſet ſecundũ naturã, ideſt naturalis cælo, vel violentus, nõ violentus, quia nõ eſt veriſimile cælum

lum cõtinuè violẽter moueri, ſi naturalis eſt motus, ergo cęlũ a ſeipſo mouetur, nec extrinſeco indiget motore. *Si illud primũ mouens* (inquit ille) *quod mouet Cœlũ in ſecundũ lationẽ, nec natũ aliter ipſum mouet, id enim eſſet ſuperuacuum, nec præter naturam, is enim motus deterior eſt altero: ergo non eſt quod cœlum moueat. D. Iuſtin. Philoſop. Mar. in confut. dogm. Ariſ. ex 8. li. pag. 265. col. 2.* Quomodo autem hic Dauid Deum nubes, & vẽtos mouere dicitur, *Qui ponis nubẽ aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas vẽtorũ?* Sed ideo hoc dicitur, vt per hoc myſticè Dei Prouidentiam intelligamus, quę omnia reſpicit, omnia gubernat, & ſic minima curat ſicut & magna. Hoc docet D. Ioannes Chriſoſtomus. *Per hæc verba Prouidentiam ad omnia pertinentem ſignificauit. Siquidem & ventis, & nebulis præſidet, atque eam, quæ hinc exiſtit vtilitatem, opportune tribuit. D. Io. Chriſoſ. in Pſ. 103.* Etenim ſic omnia maxima, & minima diuina curat Prouidẽtia, vt ad eam denotandã nõ immerito nubibus, & ventis inſidere dicatur Deus.

2 In cantionibus ſacris Dei ſponſa ſponsũ cæleſtẽ per amatorium iocum, cùm multis præſtantiſſimis compararet rebus, etiam ſiluestri capreæ ſimilem demonſtrare non erubuit. Quid autem vel pulchritudinis formæ, vel naturæ præſtantiæ in hoc animali obſeruauit, vt Dei ſimbolum dicere potuiſſet? quid eam ad dicendum exſtimulauit. *Similis eſt Dilectus meus capreæ. Cantic. cap. 2. verſ. 9.* (ideſt ſiluestri, nam צבי ſiluestrem capręam ſignificat) ſed aduertendum eſt cum beato Gregorio Niſſeno, hoc animal vndeq; reſpicere, quapropter gręcè *Dorcas*, ideſt reſpiciens nominatur. Optimè igitur Reſpicienti omnia belluæ ſimilis eſt Dei Prouidentia; quæ omnia reſpicit, omnia tuetur, omnia curat: vnde & Deus vniuerſorum nuncupatur, quia vniuerſa gubernat. *Hoc animal*, inquit Gregorius *Niſſen. Hom. 5. in Cantic. pag. 286. Lit. C. Egregiè, & mirum in modum intuens nomen habet ex operatione. Dorcas enim ſignificat idem, quod videre, & aſpicere. Qui ergo omnia aſpicit, & intuetur, ex eo quod omnia intueatur, nominatur Deus vniuerſorum.* Cum ergo Deus omnia reſpiciat, omnia proſpiciat, capreæ reſpicienti ſimilis dicitur, nam Deus eſt omnium, quia omnibus prouidet.

3 Hanc diuinam Prouidentiam omnia, licet minima, proſpicientem, benè nouerat Centurio ille, qui ad Dominum noſtrum accedens, ſerui ſui infirmitatem patefaciebat, dicens; *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Matth. cap. 8. verſ. 6.* Verum hic animaduertite, nec Centurionem ſeruum ad Dominum attuliſſe, neque aliquid poſtulaſſe, ſed tantummodo eius indigẽtiam aperuiſſe; nam & Deum omnia cognoſcere, & cognoſcentem omnia ipſis non ſegniter ſubuenire, fide firma credebat. Vnde meritò a Domino commendatur; *Non inueni tantam fidem in Iſrael. verſ. 8.* nam Dei Prouidentiam cognoſcere haud vulgaris fidei eſt; Deum omnia intuentem fateri, in Philoſopho magnum fuiſſet, ſed in milite portentum fuit. Quare Origenes *Puer meus iacet in domo paralyticus; & huc quare non attuliſti? quia non opus eſt oſtendere illi omnia videnti; non opus eſt in conſpectu afferre eius, cuius potentia non terminatur, nec includitur, nec excluditur. Origenes hom. 5. in diuerſ. to. 2. pag. 785. col. 1. lit. C.* Deo igitur tãtummodo noſtra incommoda patefacienda ſunt, vt noſtram teſtemur fidem ſpe non deſtitutam, & omnia reſpiciens Dominus cunctis prouidebit.

4 Rex ſanctus Diuinam Prouidentiam declarare ſatagens, ipſam impetuoſo Flumini comparat: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Pſ. 45. v. 4.* Fluuius nãq; vt terram vndequaq; fæcundet in multos riuulos diuiditur, omnia perflat, æqualiter terrã impinguat, & omnia ex æquo virilia reddit, & florida: non nouit prætetire aliqua, hæc parum, illa multum adiuuare, nec poſcenti beneficia denegare, ſed vndarum ſuarum prodigus, omnia ſuo florere beneficio gaudet. Huiuſmodi Dei Prouidentia eſt, quæ omnes creaturas reſpicit, nutrit fouet, ſublebat, & gubernat. Ita D. Ioan. Chriſoſt. *Quemadmodum enim Fluuius, qui ſcinditur in multas partes, ſubiectas regiones irrigat: ita Dei Prouidentia omni ex parte influit, abundè promanans, cum ſuſurro perfluens; & omnia implens. D. Ioan. Chriſoſt. in pſal. 45. tom. 1. col. 775. lit. A.* Lætentur mortales, in tam liberali Dei Prouidentia promptum habent ſubſidium, paratum auxiliũ: Fluuius eſt, licet cuilibet ex ipſo aquas haurire.

5 Neque putandum eſt ſolos homines hanc reſpicere prouidentiam, & licet in ipſo vniuerſalem fateamur, quia nec reſpicit perſonam hominum, neque enim eſt perſonarum acceptor Deus, apud quem Grecus, & barbarus, ſeruus, & liber, Diues, & pauper; Princeps, & ſubditus, eadẽ metiuntur menſura, nam omnium creator, omnia æque curat; attamen alias creaturas non curare: Hoc inquam aſſeuerandum non eſt, nam minimas creaturas Deus reſpicit, illiſque prouidet, nam opera manuum ſuarum, & illa ſunt. Propter Pharaonis duritiem, & impænitens cor, totum eius populum āfficere calamitatibus cupiens Omnipotens, inter alias plagas Primogenitor. interfectio poſtrema, ſed atrocior extitit: dum cara pignora, bonorum omnium ad hæreditatem iam deſtinata, immatura morte, alieni delicti dediſſe pęnas cernebant. Verum in hac punitione Pſalmiſta, vt eius acerbitatem oſtenderet, etiam in belluas animaduerſum eſſe pronunciat. *Qui percuſſiſti primogenita Aegipti ab homine, vſque ad pecus. pſal. 134. verſ. 8.* Sed vel quid peccauerant pecora, vel quid eorum primogenitorum extinctio populo eſſe in pęnam potuit? Verum ideo factum eſt, vt cognoſcerent homines Dei Prouidentiam vniuerſalem eſſe, & etiam iumenta, pecoraq; nec non irrationabilia cætera reſpicere, paſcere, & conſeruare: & vt nulli in mentem incidere poſſet tam ſtulta opinio, vt Deum illis non ſubuenire putarent. Ita philoſophatur D. Ioan. Chriſoſt. *Vide autem Prophetæ prudentiam, qui a generalibus ad hęc deduxit, orationem. Ne quis enim stultus existimaret Dei prouidentiam non verſari in ſingularibus, quando venit ad generalia, tunc hęc quoque attingit dicens: Qui percuſſiſti primogenita Aegipti ab homine vſque ad pecus. D. Ioan. Chriſoſt. in Pſal. 134. to. 1. col. 1075. lit. C.* Hinc impia apparet illa quorumdam ex antiquis Philoſophis aſſertio, Deum ſingularia non reſpicere, nec curare: nam viuentia, licet minima, ex hac ſententia ipſum reſpicere manifeſtum eſt; neque ergo hominem vnquam deſereret prouidentia illa, quæ & ipſa pecora ſic gubernat.

6 Diuina vtique, & prorſus ineffabilis Prouidentia, quę omnia reſpicit, cunctis prouidet. Sed illud mirabilius eſt ita ipſam curare omnia, vt ſingula curet, & ita ſingula, vt omnia curare videatur: ſic enim in vnoquoque ſuos fauores impendit, vt ſolum videatur reſpicere, & ſic omnes, vt de ſingulis rationem habeat. Hęc ſunt in cauſa, cur cæleſtis ſponſa, de ſuo diuino ſponſo dicere audeat. *Dilectus meus, & ego illi. Cantic. c. 2. ver. 19.* Quid dicis, o ſponſa? ergonè ita tibi ſoli proſpicit Dilectus tuus, vt cætera deſerat? Nonne vniuerſus terrarum orbis eius prouidentię incumbit? Nonne oculi omnium in eum ſperant? Nonne omnia ab eo expectant, vt det illis ſtatutis temporibus cibum? Ita planè. Cur ergo totum tibi arrogas, in te ſolum iactas intentũ? Vniuerſa vtique (reſpondet illa) reſpicit Dominus, ſed ſic vnumquodque curat, quaſi ſolum curet, & ſic omnia, quaſi ſingula: quid ergo mirum ſi mihi ita intẽtum promulgauero, quaſi me ſolam reſpiciat? Qui ita mecum ad mei amoris otia ſuam adhibet maieſtatem, vt omnia abieciſſe videatur, nã vniuerſi regimen nihil ponderis nihil laboris, ſed amoris vis eſt illi. Cõſentit D. Bernard. *O quid audet cor purum, & conſcientia bona, & fides, non ficta. Mihi, inquit, intendit. Itanè huic intenta eſt illa Maieſtas, cui gubernatio pariter, & adminiſtratio vniuerſitatis incumbit? Et cura ſeculorum ad ſola transfertur negotia (imo otia) amoris? Ita planè. D. Bernardus Abb. Clareuall. ser. 68. in Cantic. col. 771. lit. L.* In eum ergo ſperate omnis cõgregatio populi, qui prouidentiam ſuam ſic in ſingulorum cura impendit, vt

vtrum

Digitized by Google

vnum intendat, & reſpiciat omnia; cuncta gubernet, & in vnius animæ ſanctæ conſortio gaudeat otiari.

§. VI.

Deus ad noſtrum Axilium velox.

1 QVi ambulas ſuper pennas ventorum. Diuinæ Prouidentiæ alter eſt effectus, celeritas ſubuentionis: neque enim ſatis eſt illi omnia reſpicere, cunctis ſuccurrere, ſed celeriter, & ſine mora indigentibus pręſto eſſe. Idcirco autem ventis, & alas habentibus prouidentiam Dei comparat Prophæta, vt nobis velox Dei oſtenderet auxilium. Venti apud Poetas alis referti deſcribuntur, quia citiſſimè mouentur, haud ſecus Dei Prouidentia ipſis ventis celerior, nobis ſuccurrit: ideo dicitur Deo; *Qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Vbi Genebrardus inquit. *Qui veheris alis ventorum, qui poeticè animalia ſunt alata. Vehitur Deus nubibus, & ventis alatis poeticè, vt celeriter adſit nobis, & accurrat, etiam cùm minimè ſperamus. Gilbertus Genebr. in Pſ.* 103. Quis non miretur tantam Dei Prouidentis miſericordiam, vt non ſolum nobis ſuccurrere, ſed id celeriter facere dignetur?

2 Hoc Redemptoris eſt proprium inter ſuas creaturas verſari, vt ipſi ſubuenire celeriter poſſit. Quæri poteſt cûr Verbum, quòd eſt ſecunda Perſona, carnem aſſumpſerit, & non prima vel tertia; & adhoc reſpondet D. Thomas. *Prima rerum creatio facta fuit a Patre per Verbum. Vnde & recreatio per Verbum fieri debuit a potentia Dei Patris, vt recreatio creationi reſponderet. D. Thom. Aquin. 3. p. q. 3. artic. 8. in reſp. ad ſecundum, pag. 70. col. 2.* Igitur quia Verbum Creator, & Recreator eſt, etiam conſeruator, & Gubernator erit, & ad ipſum Prouidentia ſpectar; & propterea de ipſo dicitur. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ. Pſal. 73. verſ.* 12. & in media nocte naſciturus prænunciatus eſt: *Cum enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo proſiliuit. Sapien. cap. 18. verſ. 14.* Hinc in medio animalium natus, in medio latronum paſſus. Hoc autem totum factum eſt vt mundo innoteſceret, Diuinæ prouidentiæ adiutorum indigentibus, præſto eſſe, dum Prouidentiſſimus Dominus in noſtri medio eſt collocatus. Alexandri Alenſis doctrina eſt. *Nota quòd Chriſtus ſe præſto exhibet per hoc quod in medio frequenter ſe collocat. Ipſe enim ab æterno eſt media Perſona in Trinitate: in medio tempore eſt incarnatus; in media nocte eſt natus, in medio mundi paſſus: operatus eſt ſalutem in medio terræ. Alexander Alenſ. in cap. Apoc. 1 pag. 17. col. 2. lit. C. D.*

3 Quod vel ipſa Verbi incarnatio manifeſtiſſimè demonſtrat. Statim ac Deipara Spiritusſancto repleta eſt feſtinanter ad inuiſendam cognatam ſuam Eliſabeth acceſſit; Ita Luc 1. *Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum feſtinatione. Luc. c. 1. verſ. 39.* Vt quid in puella Virgine tanta feſtinatio? commode ſuis itineribus pergere poterat, ne nimio fatigaretur labore, neque prophetatæ veritas conceptionis ſterilis Matronæ in cita cognitione conſiſtebat: non imminebat partus, cui tres deficiebant menſes, non itineris prolixitas fidei detrahebat: ſed tota illa feſtinatio ſancti ſpiritus operatio fuit, qui ſtatim ac in Maria habitare cępit ipſam celerem ad deferēda beneficia fecit, vt ipſius Dei, cuius opem ferret, & gratiam, celerem prouidentiam imitaretur. *Quo enim* (inquit D. Ambroſius) *Deo plena niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina ſpiritus ſancti gratia. D. Ambroſius in cap 1. Luc. to. 5. pag. 20. lit. C.* Neque filius minoris celeritatis matri Author erat, vtique qui feſtinaret beneficia gratiæ conferre paruulo materno carcere clauſo. Ita Origenes. *hom. 6. in Luc. pag. 137. col 2. lit. E. Ieſus, qui in vtero Mariæ erat, feſtinabat adhuc in ventre matris poſitum ſanctificare Ioannem.* Ita benigniſſimus Deus alis vento velocioribus defertur, vt in nobis auxilij ſui beneficia impendat.

Ioan. de Mata.

4 Inter omnia ſalutis noſtræ inſtrumenta diuinam ſcripturam præſtantiſſimam eſſe, ignorat nemo. Huius autem diuinæ ſcripturæ veluti compendium Liber Pſalmorum eſt; cuius Pſalmi quotidiè decantantur. Hoc autem ideo factum cenſet D. Auguſtinus, vt velocem in indigentijs noſtris diuinum experiremur auxilium. Neque enim, vel potentius, vel commodius ad animarum ſalutem medicamen, quam Pſalmorum cantus poterit reperiri: bonę doctrinæ eſt Theſaurus, & vtilitates fere innumeras continet. Ita ſanctus Doctor. *Pſalmorum liber, qui ea, quæ vtilia ſunt, ex omnibus continet: & ut breuiter dicam communis quidam bonæ doctrinæ theſaurus eſt, aptè ſingulis neceſſaria ſubminiſtrans; ueteribus namque uulneribus nouit mederi: ſed & recentibus uelociſſimum ſolet adhibere remedium. D. Auguſt. in prolog. lib. Pſalm. 108. pag. 4. col. 1. lit. A.* Ne igitur in Animæ morbis vtilia deſiderentur medicamina, promptā habemus Pharmacum aromatariam cellam, in Pſalmorum libro miſericorditer ordinatam.

§. VII.

Animæ, ut uenti, pennis uirtutum uolant.

1 QVi ambulas ſuper pennas uentorum. Animam hominis propter ſui immaterialitatem ſpiritui comparatā eſſe ex ſacris literis patet. Quapropter cùm ventus, & ſpiritus idem ſint, non immerito ventos ſuper quos fertur Dominus, Animas iuſtorum intelligimus. Hi porro venti alis duorum teſtamentorum induti, & pennis virtutum referti, dum ad cæleſtia peruolant regna, quaſi Deum ferre dicuntur, dum eius miſericordiam, & pietatem ſuis operibus prædicant, & in vniuerſo orbe diffundunt. Ita Caſſiodorus. *Per uentos intelliguntur Animæ iuſtorum, qui utraque teſtamenta per docti, uelut duabus alis ad ſuperna gaudia transferuntur. Supra quas ambulare Dominus rectè dicitur, in quibus miſericordiam ſuæ operationis oſtendit. Caſſiodorus in Pſal.* 103. Sed expreſſius horum ventorum pennas virtutes eſſe quibus ad cæleſtia volant, & quas in duabus alis, ſcilicet charitatis præceptis colligunt, docet Gloſſa *Ord. Myſticè Animę Venti, pennæ uirtutes, quę sunt in duabus alis, ideſt pręceptis charitatis.* His itaque virtutum pennis petitur cœlum, & terrena deſeruntur incommoda; ſuper quas Deus ambulare non dedignatur.

2 Æternæ Maieſtatis ſolium aſpiciebat Ezechiel; & inter alios increati Numinis miniſtros quatuor Animalia vidit, quatuor habentia facies: & vt Imperantis mādata facilius exequerētur, quatuor alis amicta erant. Verū cùm cęleſtes ſpiritus nequaquam alis ad volandū indigeant, cur tot alis indutos ſuos miniſtros Dominus Prophetæ oſtēdere voluit? Mihi quidē videtur in horū animaliū ſpecie ſignificatas eſſe iuſtorum Animas; nam prius dicitur. *Quatuor facies uni, & quatuor pennę uni. Ezech. c. 1. v. 9.* & deinde ſuper eorum capita Firmamētum, ideſt Cælum eſſe deſcribitur. Animæ namque, quæ ſubtus Cælum ſunt, vt in illud transferantur, pennis virtutum indigent; quæ a terrenis deſiderijs ſeparantes Animam, ipſam ad cœleſtem gloriam feliciter euehunt. Fauet nobis D. Gregorius Magnus, dicens *Si enim vigilanter aſpicimus, quatuor eſſe virtutes inuenimus, quæ a terrenis actibus omne pennatum animal leuant: in futuris videlicet Amor, & Spes; de præteritis autem Timor & Pœnitentia. D. Gregor. Magn. Homil. 4. in Ezechiel. to. 2 pag. 1250. lit A.* Quicumque ergo ad cœlos volare deſiderat has veſtire alas feſtinet

3 Cæleſtis ſponſa, vt celeriter ad culmen perfectionis volaret, montemque contemplationis attingeret, ad ſui ſponſi ſimilitudinem currum ſanctitatis aſcenſa, alatos ei equos adiunxit. Licet enim canticorum. cap. 6. ſecundum vulgatam lectionem legamus, *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab; Cantic. c. 6. v. 11.* tamen ex translatione ſeptuaginta ita habet. *Poſuit me currus Aminadab.* ex hebræo namque legi-

Digitized by Google

mus נפשי שמתני מרכבת עמינריב *Anima mea poſuit me currus Aminadab.* Currus ergo ſponſa aſcendit, ideſt ſuæmet animæ eleuatam contemplationem: ſed currus a ſe ipſo ferri non poteſt, equi ei adiungendi: neque quicumque equi ſatis erunt; etenim ſi volandum ad cælum eſt, alatos equos adiungere neceſſe eſt: & tales equi virtutes ſunt, quæ perniciter volantes e terrenis moleſtijs ad ſuperiora gaudia Animam euehunt: D. Ambroſium hoc docentem audiamus. *Ideoque ait Anima; poſuit me currus Aminadab: ſi currus eſt, Anima habet equos vel bonos, vel malos: boni equi virtutes ſunt animæ: at vero boni equi volant, & a terris ad ſuperiora ſe ſubrigunt, animamque eleuant. D. Ambroſius lib. de Iſach c 8.to.4.pag.*230 *lit.C.* Felix profectò currus, qui volantibus aduectus equis terrena cuncta aſpernatus, vſque ad Diuinitatis conſpectum euehit animam, eleuat mentem: quibus & ipſæ cęleſtes ſemitæ peruiæ redduntur: non retardant volatus nubes, non terret ſolaris flamma, nõ Draconum deturbant inſidiæ: fruſtra namque iaciunt rete ante oculos pennatorum.

4 Neque adeo imbecilles alæ huiuſcemodi ſunt, imò ita potentes, vt non vnius, vel alterius Animæ euehant currum, ſed fere innumerabilium ſanctorum vectrices, ipſam ſupernam Ciuitatem ciuibus replent. Stemus in ſuprapoſitæ Ezechielis viſionis meditatione. Is poſteaquam Animalium, necnon ſuperioris cæli ſpeciem deſcripſerat, pennarum vim patefacere cupiens, ſubdidit. *Et audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum. Ezech. cap.*1. *verſ.*24. En quomodo pennarum vis multis aquis comparatur, vt doceat nos, pennas virtutum, nedum ſanctorum Animalium, Apoſtolorum ſcilicet, & Prophetarum, ſiue Prædicatorum Euangelij, deferre Animas, ſed ab ipſis conuerſorum gentium fere innumerabilem multitudinem ad ſydera ferre; etenim, ſicuti vermes quidam, poſtquam terrena faſtiditi, aſcendere in ramos, vel in parietes incipiunt, vilis vermis depoſito tegmine, alas veſtiunt, & Papiliones effecti, veluti aues in aera eleuantur. Ita prorſus Gentiles, Idololatrę, Meretrices, Publicani, ceterique peccatores, ad Euangelij prædicationem, vetere depoſito homine, & per pęnitentiæ, ſacramentorumque exercitationem pennis virtutum induti, ad cæleſtem Patriam mirabiliter eleuantur, non hominis, ſed volantis Angeli ſimilitudinem referentes. Magno Gregorio digna prorſus ſpeculatio. *Vt autem ſæpe diximus, Alæ ſunt Animalium Virtutes ſanctorum. Quid eſt ergo quod Propheta alarum ſonum audit quaſi ſonum aquarum multarum, niſi quod ex omnipotentis Dei pietate, illæ alæ virtutum, quæ in paucis prius ſanctis ſonabant, in multorum populorum conuerſatione reſonant? Incarnato enim, paſſo ac reſurgente Domino, pauca pennata Animalia fuerunt; quia rari valdè extiterunt qui cæleſtia deſiderarent, & virtutum pennis ſe in alta ſuſpenderent. Sed poſtquam Diuinitatis eius ſpeculatio diffuſa eſt, quanti iam paruuli, quanti grauiores, quanti fortes iuuenes, quanti imbecilles, quantæ conuerſæ peccatrices, quantæ animoſę Virgines, per fidem, ſpem, per amorem ad cęleſtia euolant, quis æſtimare ſufficiat? D. Greg. magn. Hom.*8. *in Ezech. to.*2. *pag.*1270. *lit. E.* Quid ergo moramur? cur non volamus, mortales? vermes ſumus, haud ambigo, ſed aues efficiemur volantes, ſi peccaminoſa exuti pelle, virtutum pennas induamur: Pennæ virtutes ſunt, iſtæ ad Cęlos eleuant, iſtæ a terrenis ſeiungunt, vilem vermium conditionem amat, qui pennas induere virtutum ſtrenuè non feſtinat.

(?)

§. VIII.

Prędicatores veritatis ſunt nubes Eccleſiam fæcundantes.

1 P*Onis nubem aſcenſum tuum.* Deum volare idem eſt, ac eius eſſentiam, potentiamque mundo innoteſcere; qui enim vbique eſt, & omnia replet, accedere per exiſtentiam non poteſt, per cognitionem vbi ignoratur poteſt. Ideo nubibus vehi dicitur, *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*; Ideſt qui per Prædicatores tuos tuam cognitionem omnibus populis præbes; ſic Prædicatores nubes ſunt, qui portantes ſcientiam Dei, ipſam quaſi pluuiam in populos diffundendo, Deum euehunt, & Eccleſiam fæcundant. Ita ſentire videtur D. Auguſtinus, *in pſal.* 103. inquiens. *Aſcendunt alij in cęlum per prędicationem noſtram. Omnes prędicatores veritatis per nubes accipi poſſunt.*

2 Ineffabilia Dei opera in mundo apparent, vtcùm de ipſis reddere rationem, vel modum explicare minimè valeamus, Dei mirabilem, omnipotentemque virtutem humiles veneremur. Pluuiarum productio, nubiumq; aquas cõtinentium, ac guttatim in terram emittentium generatio, inani ſpeculatione Philophorum torquet ingenia: qui cum multa ſcire præſumant, ſed reuera nihil certi ſciant, naturales efferentes cauſas, omnia ab illis pendere, dicere non erubeſcant, & diuinæ detrahere omnipotentiæ. Omnia certè ſuas habent naturales cauſas, ſed quas ignoramus, non quas fingimus. Audi Iob diſſerentem de pluuia. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis. Iob. cap.*26. *uerſ.*6. Ne quæras ergo, quòd vacillanti ingeniolo tuo occultatur, Deus ligauit, vtique qui poterat, aquas in nubibus, vt aqua irrigarent, & fæcundarent ad fruges; ſed myſticas etiam nubes Eccleſiæ ſuæ dedit, ſcilicet, Doctores, ac Prædicatores ſacros, vt aquas Euangelij deferẽtes, ex ipſis pluuias prędicationum producentes irrigarent, & fęcundarent Eccleſiam: ſicuti teſtatur maximus inter Doctores. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis. Spiritualis eſt iſte intellectus, ut nubes ſanctos Doctores interpretemur Eccleſię, qui aquas Euangelij portant, ut irrigentur terrę populorum. D. Hieron. in Iob. to.*8. *col.*71. *lit. C.* Ab his nubibus Eccleſiæ irrigatus Hortus, tot lilia virginum, Roſaſque martyrum, ſanctorumque omnium pulchros edidit flores.

3 Terram diligenter colit Agricola, neque parum in hoc laboris inſumit, ſudoribuſque ſuis ſpem alendæ familiæ fulcit, ſtabilitque: vanus tamen omnis eius conatus euaderet, niſi deſuper irrigarent pluuiæ meſſem: in quo ſenſu Iob inquit: *Frumentum deſiderat nubes: Iob cap* 37 *uerſ.*11. nam ſerò naſcitur, & ſegniter creſcit, niſi cadente e nubibus pluuia ſaturetur. Omnis ſanctorum Eccleſia Frumentum eſt; de quo dicitur in Euangelio: *Niſi granum frumenti cadens in terra, &c. Ioan. c.*12. *uerſ.*24 Hoc frumentum ideo in tribulatione ſeminatur, vt fructum centuplum reddens diuinis horreis inſeratur. Attamen hoc Frumentum nubes exoptat; hoc eſt, Prædicantium doctrinam, quæ veluti cæleſtis pluuia animas fidelium ſatians, eis ortum præſtet, & incrementum. Naſcitur quidem per fidem ſine operibus, ſed operibus creſcit Anima; opera autem non irrigata doctrinis, in otio torpentia, charitatis humore deperdito, a calore deſideriorum malorum ſiccantur. Magnus id docet Gregorius, inquiens. *Quid enim electi quique ſunt, niſi frumenta Dei cęleſtibus horreis recondenda? Sed hoc frumentum quouſque ad perfectionem fructuum ueniat, nubium pluuias expectat, ut creſcat: quia bonorum mens prędicantium uerbis infunditur, ne abſque humore charitatis, deſiderioium carnalium Sole ſiccentur D. Gregor. mag lib.*27. *cap.*19. *mor to* 2 *pag.* 925. *lib B.* Sed heu deploranda noſtri Æui cõditio, mundus vniuerſus a prauorum morum calidiſſimo ſiccatus igne, Prædicatorum doctrinam, nubium irrigationem non haurit, imò, quod peius eſt, nec exoptat. Falleris morta-

mortalis quicunque es, palea deſiceata infernalis ignis fit pabulum, ſolum frumentum electum in horreis cæleſtibus collocatur.

4 Pſaltes, Regnantis Domini deſcribens ſolium, mundum vniuerſum ad exultationem inuitat. *Dominus regnauit exultet terra lętentur Inſulę multę. Pſ.96. v.1.* Debita prorſus lætitia, vt Domini gloriam excipiat populus lætabundus: ſed quæſo Propheta, tanti Triumphatoris currum, tanti Regis ſolium oſtende nobis, eius ornamenta declara. *Nubes*, inquit, *& caligo in circuitu eius .v.2.* Hoc ergo Regnātis eſt ſolium, Triumphantis currus, caligo, & nubes? Hæc cęlare ſolent gloriam non patefacere: forſitan hæ nubes tanti ſolis illuſtratæ radijs, & ipſæ lucidiſſimæ ſplendent? ſplendent, inquit, ſed earum ſplendor fulgurantis eſt, non lætantis amictus: *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ. verſ 4.* Quomodo ergo lætandum prædicas, dum Dominus non illuſtrator, ſed fulgurator oſtenditur, dū ſuper nubes aſcendit, quæ fulgura iaciunt? timendum potius nobis eſt, ne peccatorum contectos ſtipula, fulgur incendat. Nequaquam, reſpondebit Propheta, lætandum omnino eſt, nā ſi frumentum Dei electum nos ſumus Nubes deſiderare debemus: nubes illæ doctrinæ pluuiam diffundunt, fulgura illa lucem præbent, non iacula: ſanam etenim, & veram doctrinam, quam Prædicatores velut nubes mittunt, miraculorum coruſcatione illuſtrant: vnde D. Auguſtinus. *Vnde fulgura? De nubibus. Quę ſunt nubes Dei? Prędicatores veritatis. Miſit ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus Prędicatores ſuos ſanctos velut nubes. Forma humana nubes erat, ſplendor miraculi coruſcatio erat: ſic in verbis, ſic in factis, dum miranda dicunt, & miracula faciunt apparent fulgura eius orbi terrę. D. Auguſtin. in Pſal.96. to.8. pag.444. col 1 lit. B* En quanta Frumento lætitiæ occaſio, Pluuia deſcendit lumine ſociata.

5 Ipſe Dominus Deus noſter hoc docere dignatus eſt; cùm enim Iobi amicos coarguere, ac confundere vellet, (& ſub illorum nomine noſtram comprimere audaciam) dixit, inter cætera, quæ eis impoſſibilia ſuggerit; *Numquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? Numquid mittes fulgura, & ibunt. Iob. cap.38. verſ. 34. 35.* Quaſi diceret Vos qui meum amicum Iob ſapientia veſtra confundere nitimini, dicito mihi ſi eouſque veſtra extenditur potentia, vt eleuando quaſi nubem vocem, pluuiam ita proficuam producere valeatis, vt ipſam miraculorum coruſcatione illuſtretis? Nonne cognoſcitis, quod ego tantum Nubes excito, Prædicatores mitto, qui pluuiam ſalutiferam veræ doctrinæ infundere, & eam coruſcantibus miraculis illuſtrare, & confirmare valeant? Huc reſpexit D Gregorius Magnus, illa patientiſſimi Verba, ex Dei nomine pronunciata declarans: inquit enim. *Fulgura quippe ex nubibus exeunt, cùm mira opera a ſanctis Prędicatoribus oſtenduntur. Qui (ut ſępe diximus) idcirco nubes vocari ſolent, quia & coruſcant miraculis, & verbis pluunt. D. Gregor. mag. lib.30. cap.2. mor. to.2. pag.980. lit A.* Hanc pluuiam à tam claris decidentem nubibus accipiamus lætantes, vt frumentum noſtrum ad iuſtam perfectionem excreſcens, cæleſtibus in horreis, in æternitatem ſeruandum reponatur.

§. VIII.

Vita hominis velociter pertranſit.

1 QVi *ambulas ſuper pennas ventorum.* Homines ventis ſupra ſimiles vidimus, eo quòd pennis virtutum induti ad ſupernam cælorum regionem perniciter volant. Verum eadem pennati venti conſideratio in vlteriorem contemplationem adducens, noſtræ caducitatis nos admonet. Liquet namque ex celerrimo humanæ vitæ volatu quam breuiter huius mundi incolæ ſimus; vix enim in hanc auram inuecti per natiuitatis oſtium, per aliud mortis egredi compellimur; nedum nati, & iam ad funera damnati, celerrimo volatu vitæ huius ſpatia pertranſimus. Hoc nobis præ oculis ponit expoſitus verſus, *Qui ambulus ſuper pennas ventorum.* Ac ſi Deo diceret Dauid. Domine, dum in hominibus virtutibus præditis quieſcis quaſi ſuper pennatos ventos ambulas, ita namque velociter eorum vita pertranſit, vt ventis ipſis velocior videatur. Hoc docet eminentiſſimus Hugo, *Qui ambulans ſuper pennas ventorum; ideſt, qui in hominibus es, & proficis in virtutibus eorum, quæ ſunt pennæ, quæ ad Cælos eleuant. Vento autem comparatur homo propter velocem tranſitum vitæ eius. in Pſ.103.*

2 Arboribus homines ſimiles eſſe fatentur omnes, ordine tamen aduerſo; vt qui radicum vice cæſariem; pro ramis brachia, & plantas, pro medullis ſanguinem habeant, pro frondibus, floribuſque opera virtutum, ingenijque: radices tamen non in terra nutrit, ſed ad cælum protrahit, vt inde ſumant vigorem, vnde ſperant & vitam. In vno tantum a cæteris diſſident rationales plantæ, quod ipſæ ſint ambulantes, illæ terris defixæ. Cuius rei teſtimonium in ſacris Literis apud Euangeliſtam Marcum habemus. Cæcus quidam, qui congenitis tenebris laborauerat, Domini noſtri miſericordia viſum recuperans, primò inſpexit homines, de quibus talem protulit ſententiam. *Video homines, ut arbores ambulantes. Marc. cap 8. verſ 24.* Sed cur ambulantes dixit, non ſtantes? vt oſtenderet arbores quidem fixas eſſe in terris, vt quæ inibi ſemper manſuræ ſint; homines vero, in aliam progreſſuri vitam, ambulant, non ſtant, eorum enim in hoc ſæculo incolatus velociſſimè tranſit. Ita D. Petrus Chriſologus. *ſerm. 176. pag.398. col.2. Et quare tamen ſicut arbores, & non ſicut columnæ vel aliud quid, neque ſtantes, ſed ambulantes? Quia poſt curam Chriſti viderat, quòd homines, velut arbores tranſirent in hoc ſæculo, non manerent.* O quam ſtulti ſunt illi, qui, quaſi in æternum victuri, domos ſibi, prædia, ciuitates immenſis condunt expenſis, dum minimè cogitant ſe velociter tranſituros, & multoties, machinis ſuis imperfectis, ad alterius vitæ indigentiam euolare.

3 Huius humanæ vitæ breuitatem vt ſapientes oſtenderent, varijs Comparationibus ipſam explicare conati ſunt Pſalmiſta indiuiſibili fere inſtanti eam aſſimilare non dubitauit, cum dixit: *Et adhuc puſillum, & non erit peccator. Pſal.36 verſ. 10.* Puſillum namque in tempore inſtans eſt, ſicuti in continuo minimum punctus eſt Et rectè ſereniſſimus ille, ſanctiſſimuſque Monarcha inſtanti humanam vitam fecit perſimilem, cuius principium, & finis idem eſt, nec aliam durationem habet, quam tranſitum: Etenim ſi mentis oculo ab initio mundi vniuerſa, quæ fuerunt ſpectabimus, in puſillo tranſiſſe tempore videbimus; cogita igitur ſi eo tempore natus fuiſſes & tu, quo Parens primus hominum de Paradiſo eiectus eſt, & vſque ad diem hanc vixiſſes, quid tibi de tot ſæculis videretur? certè fatereris inſtans breuiſſimum pertranſiſſe; neque diuturnam vitam illam fuiſſe, quæ tandem in hoc inſtanti terminatam videres. D Auguſtinus hunc Prophætæ ſenſum his verbis confirmat *Recole annos ab Adam uſque ad hodiernā diem, percurre ſcripturas: heri pænè Adam ille de Paradiſo lapſus eſt. Tot ſæcula emenſa uolitarunt Vbi ſunt præterita tempora? Sic pauca quæ reſtant utique tranſibunt. Si toto illo tempore uiueres, ex quo Adam de Paradiſo dimiſſus eſt uſque in hodiernum diem: certè uideres uitam tuam non fuiſſe diuturnam, quæ ſic auolaſſet. D. Auguſt. in Pſal.36. to.8. pag.114. col.1. lit. C.* Iuxta ergo Dauidis, Auguſtinique ſententiam inſtanti menſuratur vitam, quæ mundanum peruolat ſæculum.

4 Moyſes autem Dauide ipſo antiquior, nec imprudentior, Tranſitum humanam dixit vitam, non auſus huius tranſitus determinare menſuram. Quapropter agni paſchalis comeſtionem indicens, cum feſtinatione māducandū pręcepit, ne videlicet vita comedētib. ante-

mus נפשי שמתני מרכבת עמינדיב *Anima mea poſuit me currus Aminadab* Currus ergo ſponſa aſcendit, ideſt ſuæmet animæ eleuatam contemplationem: ſed currus a ſe ipſo ferri non poteſt, equi ei adiungendi: neque quicumque equi ſatis erunt; etenim ſi volandum ad cælum eſt, alatos equos adiungere neceſſe eſt: & tales equi virtutes ſunt, quæ perniciter volantes e terrenis moleſtijs ad ſuperiora gaudia Animam euehunt: D. Ambroſium hoc docentem audiamus. *Ideoque ait Anima; poſuit me currus Aminadab: ſi currus eſt, Anima habet equos vel bonos, vel malos: boni equi virtutes ſunt animæ: at vero boni equi volant, & a terris ad ſuperiora ſe ſubrigunt, animamque eleuant. D. Ambroſius lib. de Iſach c 8. to. 4. pag. 230 lit. C.* Felix profectò currus, qui volantibus aduectus equis terrena cuncta aſpernatus, vſque ad Diuinitatis conſpectum euehit animam, eleuat mentem: quibus & ipſæ cęleſtes ſemitæ peruiæ redduntur: non retardant volatus nubes, non terret ſolaris flamma, nō Draconum deturbant inſidiæ: fruſtra namque iaciunt rete ante oculos pennatorum.

4 Neque adeo imbecilles alæ huiuſcemodi ſunt, imò ita potentes, vt non vnius, vel alterius Animæ euehant currum, ſed fere innumerabilium ſanctorum vectrices, ipſam ſupernam Ciuitatem ciuibus replent. Stemus in ſuprapoſitæ Ezechielis viſionis meditatione. Is poſteaquam Animalium, necnon ſuperioris cæli ſpeciem deſcripſerat, pennarum vim patefacere cupiens, ſubdidit. *Et audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum. Ezech. cap. 1. verſ. 24.* En quomodo pennarum vis multis aquis comparatur, vt doceat nos, pennas virtutum, nedum ſanctorum Animalium, Apoſtolorum ſcilicet, & Prophetarum, ſiue Prædicatorum Euangelij, deferre Animas, ſed ab ipſis conuerſorum gentium fere innumerabilem multitudinem ad ſydera ferre; etenim, ſicuti vermes quidam, poſtquam terrena faſtiditi, aſcendere in ramos, vel in parietes incipiunt, vilis vermis depoſito tegmine, alas veſtiunt, & Papiliones effecti, veluti aues in aera eleuantur. Ita prorſus Gentiles, Idololatrę, Meretrices, Publicani, ceterique peccatores, ad Euangelij prædicationem, vetere depoſito homine, & per pęnitentiæ, ſacramentorumque exercitationem pennis virtutum induti, ad cæleſtem Patriam mirabiliter eleuantur, non hominis, ſed volantis Angeli ſimilitudinem referentes. Magno Gregorio digna prorſus ſpeculatio. *Vt autem ſæpe diximus, Alæ ſunt Animalium Virtutes ſanctorum. Quid eſt ergo quod Propheta alarum ſonum audit quaſi ſonum aquarum multarum, niſi quod ex omnipotentis Dei pietate, illæ alæ virtutum, quæ in paucis prius ſanctis ſonabant, in multorum populorum conuerſatione reſonant? Incarnato enim, paſſo ac reſurgente Domino, pauca pennata Animalia fuerunt; quia rari valdè extiterunt qui cœleſtia deſiderarent, & virtutum pennis ſe in alta ſuſpenderent. Sed poſtquam Diuinitatis eius ſpeculatio diffuſa eſt, quanti iam paruuli, quanti grauiores, quanti fortes iuuenes, quanti imbecilles, quantæ conuerſæ peccatrices, quantæ animoſę Virgines, per fidem, ſpem, per amorem ad cęleſtia euolant, quis æſtimare ſufficiat? D. Greg. magn. Hom. 8. in Ezech. to. 2. pag. 1270. lit. E.* Quid ergo moramur? cur non volamus, mortales? vermes ſumus, haud ambigo, ſed aues efficiemur volantes, ſi peccaminoſa exuti pelle, virtutum pennas induamur: Pennæ virtutes ſunt, iſtæ ad Cęlos eleuant, iſtæ a terrenis ſeiungunt, vilem vermium conditionem amat, qui pennas induere virtutum ſtrenuè non feſtinat.

§. VIII.

Prędicatores veritatis ſunt nubes Eccleſiam fœcundantes.

1 *POnis nubem aſcenſum tuum.* Deum volare idem eſt, ac eius eſſentiam, potentiamque mundo innoteſcere: qui enim vbique eſt, & omnia replet, accedere per exiſtentiam non poteſt, per cognitionem vbi ignoratur poteſt. Ideo nubibus vehi dicitur, *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*; Ideſt qui per Prædicatores tuos tuam cognitionem omnibus populis præbes; ſic Prædicatores nubes ſunt, qui portantes ſcientiam Dei, ipſam quaſi pluuiam in populos diffundendo, Deum euehunt, & Eccleſiam fæcundant. Ita ſentire videtur D. Auguſtinus, *in pſal.* 103. inquiens. *Aſcendunt alij in cęlum per prędicationem noſtram. Omnes prędicatores veritatis per nubes accipi poſſunt.*

2 Ineffabilia Dei opera in mundo apparent, vt cùm de ipſis reddere rationem, vel modum explicare minimè valeamus, Dei mirabilem, omnipotentemque virtutem humiles veneremur. Pluuiarum productio, nubiumq; aquas cōtinentium, ac guttatim in terram emittentium generatio, inani ſpeculatione Philoſophorum torquet ingenia: qui cum multa ſcire præſumant, ſed reuera nihil certi ſciant, naturales efferentes cauſas, omnia ab illis pendere, dicere non erubeſcant, & diuinæ detrahere omnipotentiæ. Omnia certè ſuas habent naturales cauſas, ſed quas ignoramus, non quas fingimus. Audi Iob differentem de pluuia. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis. Iob. cap. 26. verſ. 6.* Ne quæras ergo, quòd vacillanti ingeniolo tuo occultatur, Deus ligauit, vtique qui poterat, aquas in nubibus, vt arua irrigarent, & fæcundarent ad fruges; ſed myſticas etiam nubes Eccleſiæ ſuæ dedit, ſcilicet, Doctores, ac Prædicatores ſacros, vt aquas Euangelij deferētes, ex ipſis pluuias prędicationum producentes irrigarent, & fęcundarent Eccleſiam: ſicuti teſtatur maximus inter Doctores. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis. Spiritualis eſt iſte intellectus, ut nubes ſanctos Doctores interpretemur Eccleſię, qui aquas Euangelij portant, ut irrigentur terrę populorum. D. Hieron. in Iob. to. 8. col. 71. lit. C.* Ab his nubibus Eccleſiæ irrigatus Hortus, tot lilia virginum, Roſaſque martyrum, ſanctorumque omnium pulchros edidit flores.

3 Terram diligenter colit Agricola, neque parum in hoc laboris inſumit, ſudoribuſque ſuis ſpem alendæ familiæ fulcit, ſtabilitque: vanus tamen omnis eius conatus euaderet, niſi deſuper irrigarent pluuiæ meſſem: in quo ſenſu Iob inquit: *Frumentum deſiderat nubes: Iob cap 37 verſ. 11.* nam ſerò naſcitur, & ſegniter creſcit, niſi cadente e nubibus pluuia ſaturetur. Omnis ſanctorum Eccleſia Frumentum eſt; de quo dicitur in Euangelio: *Niſi granum frumenti cadens in terra, &c. Ioan. c. 12. verſ. 24* Hoc frumentum ideo in tribulatione ſeminatur, vt fructum centuplum reddens diuinis horreis inſeratur. Attamen hoc Frumentum nubes exoptat; hoc eſt, Prædicantium doctrinam, quæ veluti cæleſtis pluuia animas fidelium ſatians, eis ortum præſtet, & incrementum. Naſcitur quidem per fidem ſine operibus, ſed operibus creſcit Anima; opera autem non irrigata doctrinis, in otio torpentia, charitatis humore deperdito, a calore deſideriorum malorum ſiccantur. Magnus id docet Gregorius, inquiens. *Quid enim electi quique ſunt, niſi frumenta Dei cęleſtibus horreis recondenda? Sed hoc frumentum quouſque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluuias expectat, ut creſcat: quia bonorum mens prędicantium verbis infunditur, ne abſque humore charitatis, deſideriorum carnalium Sole ſiccentur D. Gregor. mag lib. 27. cap. 19. mor to 2 pag. 925. lit B.* Sed heu deploranda noſtri Æui cōditio, mundus vniuerſus a prauorum morum calidiſſimo ſiccatus igne, Prædicatorum doctrinam, nubium irrigationem non haurit, imò, quod peius eſt, nec exoptat. Falleris morta-

mortalis quicunque es, palea deſiccata infernalis ignis ſit pabulum, ſolum frumentum electum in horreis cæleſtibus collocatur.

4 Pſaltes, Regnantis Domini deſcribens ſolium, mundum vniuerſum ad exultationem inuitat. *Dominus regnauit exultet terra lętentur Inſulę multę. Pſ. 96. v. 1.* Debita prorſus lætitia, vt Domini gloriam excipiat populus lætabundus: ſed quæſo Propheta, tanti Triumphatoris currum, tanti Regis ſolium oſtende nobis, eius ornamenta declara. *Nubes*, inquit, *& caligo in circuitu eius. v. 2.* Hoc ergo Regnãtis eſt ſolium, Triumphantis currus, caligo, & nubes? Hæc celare ſolent gloriam non patefacere: forſitan hæ nubes tanti ſolis illuſtratæ radijs, & ipſæ lucidiſſimæ ſplendent? ſplendent, inquit, ſed earum ſplendor fulgurantis eſt, non lætantis amictus: *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ. verſ. 4.* Quomodo ergo lætandum prædicas, dum Dominus non illuſtrator, ſed fulgurator oſtenditur, dũ ſuper nubes aſcendit, quæ fulgura iaciunt? timendum potius nobis eſt, ne peccatorum conſectos ſtipula, fulgur incendat. Nequaquam, reſpondebit Propheta, lætandum omnino eſt, nã ſi frumentum Dei electum nos ſumus Nubes deſiderare debemus: nubes illæ doctrinæ pluuiam diffundunt, fulgura illa lucem præbent, non iacula: ſanam etenim, & veram doctrinam, quam Prædicatores velut nubes mittunt, miraculorum coruſcatione illuſtrant: vnde D. Auguſtinus. *Vnde fulgura? De nubibus. Quæ ſunt nubes Dei? Prędicatores veritatis. Miſit ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus Prędicatores ſuos ſanctos velut nubes. Forma humana nubes erat, ſplendor miraculi coruſcatio erat: ſic in verbis, ſic in factis, dum miranda dicunt, & miracula faciunt apparent fulgura eius orbi terrę. D. Auguſtin. in Pſal. 96. to. 8. pag. 444. col. 1 lit. B* En quanta Frumento lætitiæ occaſio, Pluuia deſcendit lumine ſociata.

5 Ipſe Dominus Deus noſter hoc docere dignatus eſt; cùm enim Iobi amicos coarguere, ac confundere vellet, (& ſub illorum nomine noſtram comprimere audaciam) dixit, inter cætera, quæ eis impoſſibilia ſuggerit; *Numquid eleuabis in nebula uocem tuam, & impetus aquarum operiet te? Numquid mittes fulgura, & ibunt. Iob. cap. 38. uerſ. 34. 35.* Quaſi diceret Vos qui meum amicum Iob ſapientia veſtra confundere nitimini, dicito mihi ſi eouſque veſtra extenditur potentia, vt eleuando quaſi nubem vocem, pluuiam ita proficuam producere valeatis, vt ipſam miraculorum coruſcatione illuſtretis? Nonne cognoſcitis, quod ego tantum Nubes excito, Prædicatores mitto, qui pluuiam ſalutiferam veræ doctrinæ infundere, & eam coruſcantibus miraculis illuſtrare, & confirmare valeant? Huc reſpexit D. Gregorius Magnus, illa patientiſſimi Verba, ex Dei nomine pronunciata declarans: inquit enim. *Fulgura quippe ex nubibus exeunt, cum mira opera a ſanctis Prędicatoribus oſtenduntur. Qui (ut ſępe diximus) idcirco nubes uocari ſolent, quia & coruſcant miraculis, & uerbis pluunt. D. Gregor. mag. lib. 30. cap. 2. mor. to. 2. pag. 980. lit A.* Hanc pluuiam à tam claris decidentem nubibus accipiamus lætantes, vt frumentum noſtrum ad iuſtam perfectionem excreſcens, cæleſtibus in horreis, in æternitatem ſeruandum reponatur.

§. VIII.

Vita hominis uelociter pertranſit.

1 QVi *ambulas ſuper pennas uentorum.* Homines ventis ſupra ſimiles vidimus, eo quòd pennis virtutum induti ad ſupernam cælorum regionem perniciter volant. Verum eadem pennati venti conſideratio in vlteriorem contemplationem adducens, noſtræ caducitatis nos admonet. Liquet namque ex celerrimo humanæ vitæ volatu quam breuiter huius mundi incolæ ſimus; vix enim in hanc auram inuecti per natiuitatis oſtium, per aliud mortis egredi compellimur; necdum nati, & iam ad funera damnati, celerrimo volatu vitæ huius ſpatia pertranſimus. Hoc nobis præ oculis ponit expoſitus verſus, *Qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Ac ſi Deo diceret Dauid. Domine, dum in hominibus virtutibus præditis quieſcis quaſi ſuper pennatos ventos ambulas, ita namque velociter eorum vita pertranſit, vt ventis ipſis velocior videatur Hoc docet eminentiſſimus Hugo, *Qui ambulans ſuper pennas ventorum; ideſt, qui in hominibus es, & proficis in virtutibus eorum, quæ ſunt pennæ, quæ ad Cælos eleuant. Vento autem comparatur homo propter velocem tranſitum uitæ eius. in Pſ. 103.*

2 Arboribus homines ſimiles eſſe fatentur omnes, ordine tamen aduerſo; vt qui radicum vice cæſariem; pro ramis brachia, & plantas, pro medullis ſanguinem habeant, pro frondibus, floribuſque opera virtutum, ingenijque: radices tamen non in terra nutrit, ſed ad cælum protrahit, vt inde ſumant vigorem, vnde ſperant & vitam In vno tantum a cæteris diſſident rationales plantæ, quod ipſæ ſint ambulantes, illæ terris defixæ. Cuius rei teſtimonium in ſacris Literis apud Euangeliſtam Marcum habemus. Cæcus quidam, qui congenitis tenebris laborauerat, Domini noſtri miſericordia viſum recuperans, primò inſpexit homines, de quibus talem protulit ſententiam. *Video homines, ut arbores ambulantes. Marc. cap 8. uerſ 24.* Sed cur ambulantes dixit, non ſtantes? vt oſtenderet arbores quidem fixas eſſe in terris, vt quæ inibi ſemper manſuræ ſint; homines vero, in aliam progreſſuri vitam, ambulant, non ſtant, eorum enim in hoc ſæculo incolatus velociſſimè tranſit. Ita D. Petrus Chriſologus. *ſerm. 176. pag. 398. col. 2. Et quare tamen ſicut arbores, & non ſicut columnæ uel aliud quid, neque ſtantes, ſed ambulantes? Quia poſt curam Chriſti uiderat, quòd homines, uelut arbores tranſirent in hoc ſæculo, non manerent.* O quam ſtulti ſunt illi, qui, quaſi in æternum victuri, domos ſibi, prædia, ciuitates immenſis condunt expenſis, dum minimè cogitant ſe velociter tranſituros, & multoties, machinis ſuis imperfectis, ad alterius vitæ indigentiam euolare.

3 Huius humanæ vitæ breuitatem vt ſapientes oſtenderent, varijs Comparationibus ipſam explicare conati ſunt Pſalmiſta indiuiſibili fere inſtanti eam aſſimilare non dubitauit, cum dixit: *Et adhuc puſillum, & non erit peccator. Pſal. 36 uerſ. 10.* Puſillum namque in tempore inſtans eſt, ſicuti in continuo minimum punctus eſt Et rectè ſereniſſimus ille, ſanctiſſimuſque Monarcha inſtanti humanam vitam fecit perſimilem, cuius principium, & finis idem eſt, nec aliam durationem habet, quam tranſitum: Etenim ſi mentis oculo ab initio mundi vniuerſa, quæ fuerunt ſpectabimus, in puſillo tranſiſſe tempore videbimus; cogita igitur ſi eo tempore natus fuiſſes & tu, quo Parens primus hominum de Paradiſo eiectus eſt, & vſque ad diem hanc vixiſſes, quid tibi de tot ſæculis videretur? certè fatereris inſtans breuiſſimum pertranſiſſe; neque diuturnam vitam illam fuiſſe, quæ tandem in hoc inſtanti terminatam videres. D Auguſtinus hunc Prophætæ ſenſum his verbis confirmat *Recole annos ab Adam uſque ad hodiernã diem, percurre ſcripturas: heri pœnè Adam ille de Paradiſo lapſus eſt. Tot ſecula emenſa uolutarunt Vbi ſunt prę terita tempora? Sic pauca quæ reſtant utique tranſibunt. Si toto illo tempore uiueres, ex quo Adam de Paradiſo dimiſſus eſt uſque in hodiernum diem: certè uideres uitam tuam non fuiſſe diuturnam, quę ſic auolaſſet. D. Auguſt. in Pſal. 36. to. 8. pag. 114. col. 1. lit. C.* Iuxta ergo Dauidis, Auguſtinique ſententiam inſtanti menſuratur vitam, quæ mundanum peruolat ſæculum.

4 Moyſes autem Dauide ipſo antiquior, nec imprudentior, Tranſitum humanam dixit vitam, non auſus huius tranſitus determinare menſuram. Quapropter agni paſchalis comeſtionem indicens, cum feſtinatione mãducandũ præcepit, ne videlicet vita comedẽtib. ante-

Digitized by Google

quam compleſſent, deficeret; & huius rei ſubdidit rationem, quia humana vita tranſitus videtur. *Comedetis feſtinanter; eſt enim Phaſe, ideſt tranſitus Domini.* Fallitur ergo qui ſibi ſæcula repromittens, pęnitentiam, bonorum operum fructus, virtutumq; exercitationem differt; opera bona feſtinanter exercenda ſunt, nam incertum mortis tempus nos arguit, dum in velociſſimo tranſitu, ſtabilitatem inquirere fatuum eſt: nos ſemper ad profectionem paratos conuenit eſſe, cum pileo, & baculo, feſtinanter exercendo virtutes, vt cum ceſſauerit tranſitus in patria reperiamur. Moyſis ſententiam D. Gregor. Niſſenus tuetur, *de vita Moys. pag. 133. lit. B. Comedetis feſtinater, eſt enim phaſe, ideſt tranſitus Domini: monet enim per hæc ænigmata, vt conſiderare, & intelligere velimus, tranſitum quidem eſſe hanc vitam noſtram. Nam poſteaquam ingreſſi ad eam ſumus, neceſſitate quadam ad exitum ſemper compellimur, ad quem præparatos nos eſſe vult pedibus, ac manib reliquo quoque ad iter apparatu.* Nam profectò, imparatos quos reperit, & improuiſo torquet dolore, & ad optatam patriam minimè perducit.

5 Vetus eſt, & celebris apud Ethnicos Poetas vitæ humanæ ad texentium ſtamina comparatio: Hinc tres illæ decantatæ Parcæ, ſic dictæ, eo quod nemini parcant; videlicet Cloto, Lacheſis, & Atropos; quarum prima humana colo deducebat ſtamina, altera texebat, Tertia ad iuſtam metam perductam telam recidebat. Hanc autem ſimilitudinem diuinus etiam amplexus eſt Vates, qui de ſeipſo loquens, fatetur: *Dies mei velocius, tranſierunt, quam a texente tela ſucciditur. Iob. cap. 7. v. 6.* O quam breuis telæ interitus eſt, quæ in momento ſucciſa perit; vita hominum quam debilis, quæ ex alieno pendet arbitrio: ſed illud præcipuè penſandum eſt, quod tela quo magis creſcit, eo magis ad inciſionem appropinquat. O hominum ineptum, fatuumque ſtudium, nos ipſi vitæ noſtræ interitum acceleratum facimus. Semper namque præſenti ſtatu haud contenti, futurum tempus optamus, vt annus iſte, qui nobis improſperus eſt tranſeat, vt noſtræ exaltationis optatus dies celeriter adueniat; vt iuuentutis elapſis annis, illud appropiet tempus, quod honoribus, ac dignitatibus conſequendis idoneum videtur; quòd ſi in præſenti, quam ſperabamus dignitatem conſequi non potuimus, in aliud opportunius dilatam tempus, illud iam aduentare, imò aduenisse pro votis eſt. Sed profecto ignoramus telas nos eſſe, dies enumerare pro filis, qui dum telam ad deſtinatam perduxere menſuram, incidunt; noſtris ergo deſiderijs ipſis, vitam decurtamus, properamus ad mortem. Hoc a Magno Gregorio audire feſtinemus. *Dies mei velocius tranſierunt, quam a texente tela ſuccidit ur; & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe. Congrua valdè ſimilitudine tempus carnis telæ comparatur: quia ſicut tela filis, ſic vita mortalis diebus ſingulis proficit: ſed quo ad augmentũ proficit, eo ad inciſionem tendit. D. Greg. Magn. lib 8. cap. 7. mor. to. 2. pag. 484. lit. B.* Sed nec illud prætereamus, quod Iob abſque ſpe conſumptos prædicat dies; quia velociter tranſeuntes, ad ſperata bona minimè perducere potuerunt.

6 Porrò Iſraelitarum Patriarcha vitam ſuam peregrinationem vocat: Interrogatus enim ab Ægiptio Monarcha de vitæ ſuæ longitudine, reſpondit. *Omnes dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt pauci, & mali. Gen. cap. 47. verſ. 9.* Cum ergo Vita peregrinatio ſit, nullo modo nec vita dicenda eſt, ſed breuiſſimus a cunis ad pheretrum tranſitus: nati vix ſumus, & quotidiè morimur; nam eſſi nos tantum mori dicimus cum iam certiſſimus inſtat interitus, non propterea aliud vitæ tempus niſi mortis inceptio eſt; mors eſt vita noſtra, quæ paucis terminata diebus, ſemper malis nos torquet; vt omptimè docet D. Bernardus. *Hæc enim vita, qua viuimus, magis mors eſt, nec ſimpliciter vita, ſed vita mortalis. Moritur homo, dicimus, quando morti certiſſime appropinquat. Quid vero agimus ex quo primum incipimus viuere niſi morti appropinquare, & incipere mori? Sed & dies qualeſcumque vitæ huius pauci, & mali ſunt, ſicut Patriarcha teſtatur: Omnes dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, pauci & mali. D Bernardus Abb. Clareuall. ſerm. 17. in Pſal. Qui Habitat. col. 557. lit. C.* Breuis ergo vita eſt, quæ peregrinatio cenſetur, niſi fortè tot malorum incurſus longam eſſe figurat, & ad finem perueniendi, deſiderium producat.

7 Sanctiſſimus Rex Iudeorum ex totius populi ſui nomine Deum laudans, non fatetur ſolum ſe peregrinos eſſe ab Atauo ſuo edoctus, ſed vlterius tam velocem hanc peregrinationem dixit, vt vmbræ tranſitum æſtimaret. *Peregrini enim ſumus coram te, & Aduenæ ſicut omnes Patres noſtri. Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora. 1. Paralip. cap. 19. verſ. 15* Quis neſciat ſtyli ſolaris in horologio vmbram in modico tempore maxima Cæli ſpatia a Sole emenſa monſtrare? ita nobis contingit; tam breuis vita noſtra, vt ſi omnes vitæ noſtræ iam elapſæ dies penſemus, quaſi vmbram reputabimus; & ſi ab initio mundi vixiſſemus, nuncque morituri eſſemus, quid tota præterita nobis ætas niſi in momento Vmbræ tranſitus videretur? Sic videtur D Dionifio Chartuſiano. *Si quis mille annos, & quod amplius eſt, ab exordio mundi vſque ad hanc horam vixiſſet, & nunc eſſet moriturus, totum tempus præteritũ videretur ſibi quaſi momentum. D Dioniſ. Carthuſianus libr. de quatuor nouiſſ. artic. 8. pag. 18. p. 2.*

8 Hinc patet illius dubitationis ſolutio, cur virtus Omnipotentis in Beatam Virginem deſcedens, eam obumbraſſe dicitur *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi? Luc. cap. 1. verſ. 11.* Potius videtur, adueniente æterno Sole, illum Virginem illuſtraſſe, cur ergo obumbrauit? Procul dubio Sol Deus eſt, & lux omnem hominem illuſtrans, qui reperitur in mundo: qui & ipſam Virginem æterno decorauit lumine; ideo tamẽ dicitur obumbraſſę, non quia vmbram produxerit, ſed quia in hanc vitam deſcendit, quæ vmbra, & velociſſima eſt. Acutè D. Ambroſius. *Non enim hæc vita perfecta eſt, ſed eſt vita in vmbra. Ideo vt homo Chriſtus Ieſus ex Virgine naſceretur, obumbrauit Virtus Altiſſimi matrem futuram; quia in vmbram deſcendit. D. Ambroſius in Pſalmus 118. ſerm. 5. verſ. 5 tomo 4 pag. 447.* Quid ergo leuius, quid velocius vmbra? Ne ſimus quæſo, velut amentes paruuli vmbræ amatores, ſed potius illam ſupernam optemus lucem, quæ ſempiternum nobis pariet diem.

9 Neque D. Paulum prætereamus, qui vitæ humanæ durationem tranſitum dixit, & figuram. *Qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi. 1. Cor. cap. 1. verſ. 31.* Figuram autem dixit, quia nihil in mundo eſt quod ſoliditatem habeat, ſed ſicuti figura eius rei cuius figura eſt, ſolam habet apparentem Imaginem, ita Vita hæc ſola figura, ſola imago eſt: quod perpendens D. Theodoretus, dixit. *Ideo dixit Figuram, quia eius bona ſolo terminantur aſpectu.* Hinc autem deducitur, quod in hac fugaci vita in dies vtique viuendum eſt, tanquam quotidiè, imò vnaquaque hora, mortis expectetur irreparabilis ictus; quæ concluſio D Aſterij eſt. *Hæc omnia ad vnum ſcopum tendunt, quod velut in diem hic viuere debemus, ſemperq; exitus ſignum, ac teſſeram expectare. D. Aſterius Homil De œconomo iniquit. pag. 825. col. 2.* Fatuitatis ergo indicium eſt in tam breui, incertaque vita terrenis vacare affectibus, illatumque rerum amore teneri, quarum incerta fruitio, ſed certiſſima amiſſio eſt, prætereunte vita, figura perit, & accedente morte, tanquam amariſſima torquent animam, quæ dulcia videbantur.

10 His omnibus figuris vitæ fugacitatem edocti, illud inſtãter petere a Deo debemus, vt nobis cognitionem huius labilis vitæ ingerat, vt ex eius cognitione eò deueniamus, vt aſpernantes ſæculi mendaces volupta-

tes,

tes, pœnitentiam agentes, vitam noſtram, quam breuiter derelinquendam nouimus, in melius emendemus; dicentes cum Propheta. *Notum fac mihi Domine finem meum; & numerum dierum meorum quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi. Pſalm.38.ver 5.6.* Nam & in hoc ſenſu hanc Pſalmiſtæ ſententiam interpretatur D. Dionisius Carthuſianus. *Notum fac mihi Domine finem meum; da mihi gratiam illuſtrantem, per quam efficaciter penſem quam celeriter mihi propinquet exitus vitæ meæ: Sic etiam notum fac mihi numerum dierum meorum: ideſt quatenus ex conſideratione paucitatis, ac breuitatis dierum vitę meæ, aduerſam conuerſationis meæ defectuoſitatem, & tantò feſtinantius, ac feruentius me emendem, quantò breuius, & incertius eſt tempus reſiduum vitæ meæ. D. Dioniſius Carthuſian lib. de 4. Nouiſſim. artic.11. pag.27. p.2.* Hæc nos orare conuenit; Hæc proſequi decet, vt ſtabilem vitam redimentes lucremur æternitatem.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Tertius.

Quæ protegit aqua gratiarum homines, Nubes effecta, vt eos ab æſtu, & ventis malorum liberet.

CErtiſsimum apud omnes eſt, inter alia nubis beneficia, illud præſtantiſsimum eſſe, quod æſtatis tempore, ab ardentiſſimi Solis radijs protegat homines, ac defendat. Haud ſecus Beatiſſima Deipara Virgo: nam nubes diuina effecta protegit vmbra gratiarum ſuarum homines ab omni malorum æſtu. Hæc ergo illa Nubes eſt, in quam Deus per incarnationem aſcendit, de qua dicitur. *Qui ponis Nubem aſcenſum tuum.* Vbi Doctiſſimus Alenſis. *Iſtam nubem formauit in Vtero Virginis. Alexander de Ales in cap.10. Apocalip. pag. 180. colum. 1. lit. B.* Vt eam ſcilicet protectricem haberemus.

Maria Nubes protegens homines ab æſtu malorum.

1 MOrtalis vita tot, tantiſque malorum exagitatur æſtibus, quibus, & torquetur in corpore, & maculatur in corde, vt difficillimum videatur poſſe hominem, niſi diuino ſuffultus auxilio, illeſum exire; quis diabolicas fraudes, carnis petulantiam, inimicorum inſidias, temporum viciſſitudines, periculorum diſcrimina, ferarum iras, vitiorum aggreſſus, aut apertè cognoſcere aut cautè vitare poterit? Æſtuatur miſer, vel ſyderum ardentium percuſſus radijs, vel concupiſcentis cupiditatis actus libidine, vel inferna is tentationis territus flamma; ſed tanto ardori vmbra ſubuenit, tempeſtates has nubes prohibet: Beatiſſima Dei Genitrix Nubes protegens eſt ab æſtu malorum, ipſa concupiſcentiam compeſcit, ſenſuum prohibet motus, Diaboli retundit iacula, vitiorum flammas extinguit. Nonne recordaris prodigioſæ illius nubis, quæ Iſraeliticũ Populum, ex Ægipto fugientem comitabatur, & ne ab æſtu ſolis exurerentur in modum cortinæ expandebatur ad protectionem eorum, de qua Pſaltes: *Expandit nubem in protectionem eorum? Pſalm.104.ver.* 39. Illam inquam Nubem ab æſtu populum ſubleuantem, ducentem, illuſtrantem Mariam Dominam noſtram dicito, quæ gratiarum referta protectionem ſuam in modum nubis expandit, vt ab omni malorum, vitiorum, & tentationem æſtu deuotos ſuos liberet, clientes ſuos protegat, familiares illuſtret ſuos: Id Seraphicus Bonauentura fatetur. *Maria nobis eſt columna nubis, tanquam nubes protegit ab æſtu diabolicæ tentationis: ſicut item dicitur in Pſalmo: expandit Nubem in protectionem eorum. D. Bonauent. Cardin. in ſpecul Virg lect.7. to.6. pag.455 colum. 1. lit. C.* Quod etiam apertiſſimè docuit D. Iacobus Apoſtolus, dicens: *Supplantari ab inimicis noſtris fauore praditi Mariæ Dei, & Magiſtri noſtri Genitricis, non poterimus. D. Iacob. Minor. ap. Marrac. in Apoſ. marian.* Benedicta ſit talis nubes quæ ſic valenter nos protegit, quæ ſic amanter nos tegit.

2 Iuſtitiæ ſolem appellatum Redemptorem noſtrum nouimus, ſed ideo præcipuè hoc nomine inſignitum credimus, quod peccatores feruenti radiorum ſuorum Æſtu, ira ad vindictam prouocante, comburat. Etenim experimur ſæpiſſimè dum Sol Leonis gremio exceptus ardentiores in mundum immittit radios, omnia calore ſolui ac debilitari: laxantur membra, debilitantur vires, cruciatur animus; luce ſerena frui ſine noxa haud poſſumus; quod ſi ſubitò exorta nubes inter nos, & ſolem poſita calorem prohibet, ſtatim placidiori allecti aura lætamur: in apertum exire cœlum ſub tanta protectione minimè dubitantes. Haud ſecus peccatoribus euenit, dum Iuſtitiæ ſol, a noſtris incitatus culpis, Leonis rugientis, minitantiſq; mortem induit formam, ſic delinquentes exurit animas, vt non ſit qui ſe abſcondere valeat a calore eius. Verùm ſi Protectrix noſtra dulciſſima, quaſi cæleſtis nubes inter nos, ſolemque iuſtitiæ eius filium ſe collocat, abſcondit nos ab eius ira, eius radios vindicta calentes ad nos peruenire non ſinit. Hoc indicat Sapiens, dum inquit; *Specioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi imbres pluuiæ in tempore ſiccitatis. Eccleſ. cap.35. ver. 26.* Quod de Virginis miſericordia interpretatur B. Albertus Magnus. *Specioſa miſericordia Mariæ in tempore tribulationis; & comparatur miſericordia eius nubi: quia velut nubes miſericorditer abſcondit peccatores ab ardore ſolis, ideſt ab ira filij. B. Albertus Magn. lib.4. cap.22. de laudib. B. Mariæ. to.20. pag.138. col.1.* Nullus ergo ſolis æterni pertimeſcat radios, licet iuſta ira ardentes videat; ſi tamen huius beneficentiſſimæ nubis protectionem habet; quæ peccata tergit, peccatorem protegit, diuinam mitigat iram, iam

iamque

iamque irrolutam in mundum vindictam miſericorditer compeſcit.

3 Cùm verò nubes è cauſis naturalibus pendeant,& multoties ab ipſis intelligentijs vel bonis, vel malis ad Dei nutum moueantur,nec homines pro ſuo libito illas habere poſſint, naturæ compoſita Ars, miro hominis inuentu, vmbracula producit: arbores namque, quæ naturaliter a natura gignuntur, ita diſtendit Ars, vt in eis pro libito vmbraculum habeatur; Ita vt ſub eius tegumento, & folis prohibeatur æſtus, & pluuiæ detineatur impetus,& turbinis retundatur tempeſtas; quòd ſi è auro diſtēdatur vmbraculum, etiam a fulmine impauidum ſeruat. Dei miſericordiam prædicans Euangelicus Vates, illam Vmbraculo comparat, illis verbis: *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes a turbine, Vmbraculum ab æſtu. Iſai. cap.25. ver.4.* Sed vtique Vmbraculum non eſſet Deus, niſi Virginem agnoſceret Matrem; nam ſi Chriſtus flos nuncupatur, non eſt flos ipſum Vmbraculum, ſed Vmbraculo refrigerium odoris,& pulchritudinis addit: ſic varijs floribus exornatum pulchrius, & delectabilius redditur. Ergo dicamus cum Beato Lauſanenſium Epiſcopo Vmbraculum Virginem eſſe,quæ veluti virga electa de Ieſſe radicibus orta, per ſpecialiſſimam Dei gratiam ramos ſuos, vtique honoris,& honeſtatis per orbem vniuerſum diffudit, vt Vmbraculum fieret hominibus præſtantiſſimum: vt autem etiam iucundiſſimum eſſet, flore filij ſui decorauit: quod idem Iſaias declarauit ſcribens: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Iſai. cap.11.ver.1.* Sed iam illuſtriſſimi Deiparæ amatoris verba promamus. *Feramus,* inquit, *animos in ſublime, intuentes diligentiſſimè, quod virga elegantiſſima orta de radice Ieſſe, ramorum ſuorum mirabili extenſione, ſeſe vbique terrarum expandit,vt diſperſos filios Adæ ab æſtu, a turbine, & a pluuia vmbra deſiderabili protegeret. B. Amadeus Lauſan.Epiſc. Hom. 8. de laudib. B Mar. pag 820. col.1.* Currite, properate, aduolate fideles, Diuini ſolis iraſcentis exurit æſtus, Iuſtitiæ fulgurat ignis, Diaboli impetunt turbines, tentationum, & tribulationum concreſcit pluuia, en Vmbraculum, en propugnaculum; ſub vmbra deſiderata ſedentes, timorem omnem abiciemus.

4 Mirabar aliquando quid cauſæ eſſet, quòd Catholica, ipſaque vera Romana Eccleſia in recenſendo Virginis Sacratiſſimæ excellentes dotes, inter alia ipſam auream domum appellet,ſicuti in Litanijs eiuſdem canimus; *Domus aurea ora pro nobis.* Reſpondebit fortè aliquis ita appellatam,quia Dei extitit Domus; ſed id quod additur,*ora pro nobis*, aliud etiam mihi ſonare videtur, vt quia Domus eſt Dei, etiam tegmen noſtrum, & protectio noſtra ſit: Etenim Domus regia protectio reorum eſt, ita vt, niſi rebellionis crimine aut læſę maieſtatis reos, alios delinquentes minimè ſit licitū ibi captiuare; illud profectò moraliter notans, quod phyſicè præbet: nam Domus cùm ſit defenſio a caumatibus, & a pluuia, etiam ab inimicorum inſidijs, & a militum, carnificumq; furore liberat. Maria igitur, quia Diuinitatis aurea eſt domus ſuos clientes, qui in eius protectione viuunt, a Diaboli inſidiis, a carnis tentationibus, & ab ipſa Dei ira defendit. Hoc docuit Sapiens, dum prophetauit: *Protegetur ſub tegmine illius a feruore,& in gloria illius requieſcet. Eccl.c.14.v.28.* Vbi Riccardus a S. Laurentio. *lib.10.de laudib. Virg. pag.612. lit.B. Sicut dicit Philoſophus Domus eſt defenſio a caumatibus, & pluuijs: per caumata tentationes diaboli inuiſibiles,& ſpirituales per pluuias tentationes carnis continue ſpiritum impugnantes; ab his defendimur quaſi ſub tegmine huius domus; vnde de amatore Mariæ dicitur. Eccl.14. Protegetur ſub tegmine illius à feruore,quaſi a caumate,& in gloria requieſcet quaſi a pluuia.* Eia ergo Virginis obſequentiſſimi famuli, qui a caumate diabolico, vitiorumq; tempeſtatibus agitamur, feſtinemus ingredi Domum auream, Paradiſi Regiam, Sanctorum Aulam,Diuinitatis Palatium,Summi Imperatoris Curiam,Æternitatis habitaculum, Receptaculum Gloriæ, vt ſit nobis Vmbraculum ab æſtu, tegmen a pluuia, Domus ab inſidiis, ab ira Diuina Refugium.

5 Huius aureæ Domus etſi nouerat protectionem, non habebat tamen,eius Auus illuſtris; quia in Artificis mente delineata elucebat, ſed in mundo adhuc ædificata non fuerat; ideoq; inimicorum multitudine ſuperatus, cecidit aliquando; hoc & ipſe fatetur,canens: *Conculcauerunt me inimici mei quoniam multi bellantes aduerſum me. Pſ.55.ver.3.* Non ita celeberrimus Hæros,& Hiſtoricorum pennis illuſtris Magnæ Britanniæ Rex Arcturus: de quo tam præclara memorantur facinora,vt ratio refugiat humana ea poſſibilia credere, & ideo fabulis ſimilia reputauit, ſed veriſſima fuiſſe mox aperiemus. Hic igitur Rex Regno illuſtris,armis potens,viribus præſtās, quotieſcumque proficiebat ad bellum,vt haberet contra inimicos tutamen in ſuo forti ſcuto intrinſecus depictā Deiparæ gerebat Imaginem,quæ, & æternum Regem filium tenebat in manibus: ſub cuius protectione ſecurus, intrepidus ſuſcipiebat certamina imperteritus committebat prælia; nam vbi fatigari cæpiſſet,vel nimia inimicorum multitudine obrui,vel laboris æſtu anguſtiari, ſtatim in Virginem oculos figebat, illam protectricem recipiebat refugii domum; & redintegratis viribus, ſuperato labore, victor, ac Triumphator de præliis aſcendebat. Quid mirum ſi hominibus carnalibus, neſcientibus ſub qua protectione tanta ſuſcipiebat Arcturus, quæ humanam ſuperabant potentiam fabulæ viſę fuerint? ſed nos vera ſub tantæ virginis præſidio fuiſſe pronunciamus, Doctiſſimi incogniti teſtimonio probantes: inquit namque. *Nos autem in præſenti in continuo bello pugnamus,ſcilicet contra Diabolum carnem,& mūdum Narratur autem in hiſtorijs Britonum, quod Arcturus in ſuo ſcuto ab intro portabat Imaginem Beatæ Mariæ, quæ filium tenebat in brachijs, & quoties in bellis preſſura fatigari inceperat, ad hanc imaginem reſpiciebat, ex cuius intuitu vires recuperabat. Incognit. in Pſal.in ver.1145. pag.451 col.2. lit. A.* Ita nobis aduerſum ſpirituales hoſtes pugnantes,agendum eſt; vt quod imparibus viribus non valemus,eius beneficio conſequamur. Vicisſet hoſtes Iudeorum Rex, ſi ſcutum fidei Deiparā refertū, ſicut Britanniæ Princeps,habuiſſet: ſed ſi ille ſe conculcatum fatetur, quia non habuit; nos debemus vincere qui tenemus.

6 Nubes autem hæc noſtra non ad modum aliarum nubium eſt,quæ licet ab æſtu protegant, a tenebris non defendunt, imò tenebras ipſas adaugent. At Deipara nubes eſt, illi vtique perſimilis, quæ Hebræorum ducebat cuncos,quæ quidem & nubes erat & ignis; de qua dicitur, *Per columnam ignis, & nubis. Exod. cap 14. ver.24.* Vt & protegeret ab æſtu,& tenebras illuminaret. Ex Ægipto nihileitatis exeuntes nos omnes, qui luce fruimur, in deſertum deuenimus mundi huius,per quem nobis neceſſarius eſt tranſitus ad Terram beatæ promiſſionis; ſed nube, & lucida indigemus,vt & protegamur ab hoſtibus,& diuina cognitione illuſtremur. Quod ſine Deiparę protectione aſſequi minimè potuiſſemus Quid nobis ergo ſine Maria vita deſeruiret? nihil certè, nam per eam diuinam cognitionem aſſequimur, & tenebras ignorantiæ noſtræ ad eius luminis exortum fugamus. Beata,& benedicta nubes, refrigerans a calore,protegēs a tenebris. De ipſa Iſidorus Theſalonicēſis dicebat, *orat. 4.pag.120. Propter te peruenimus ad agnitionem Dei, liberati ab errore, & tenebris; & bonorum ineffabilium poſſeſſionem expectamus: & niſi per te eruti è tenebris acceſſiſſemus ad Diuinitatem, profectò non fuiſſet nobis optabile omnino eſſe creatos.* Salue igitur ſpes noſtra, ſalus noſtra, refugium noſtrum, nubes, ſpes, vmbraculum, Domus, & ab inimicorum inſidiis nos tuere.

RADIVS

Digitized by Google

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

AQuarum, Ventorum, Nubiumque materiam ferè eandem vidimus eſſe, dum ex aere has omnes gigni meteoras demonſtrauimus; ſed non minorem dedit Aer tropologicis ſenſibus auſam; nec minorem allegoriarum numerum ſub recenſitis nominibus ſubminiſtrabit; quia verò ventorum velocitas pennis comparatur, ſeu alis, etiam ipſarum Hieroglifica exponere, non importunum iudicauimus.

SVMMARIVM.

1 *De aquarum allegorica acceptione.*
2 *De Nubium ſymbolis in ſcripturis.*
3 *Quæ Alæ, ſeu pennæ, Hieroglifica contineant.*
4 *De Ventorum ſignificationibus.*

§. I.

De aquarum allegorica acceptione.

1 AQua vnum ex elementis eſt humanę vitæ, & generationi, & reliquarum rerum neceſſarium. Et primo ſignificat Dominum, ac Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum, veluti Pſal.21.ver.15. vbi eius nomine dicit Propheta, *Sicut aqua effuſus ſum.* Et addit D. Aug. *Aqua quando effunditur, aut abluit, aut irrigat: effuſus eſt Chriſtus ſicut Aqua, abluti ſunt ſordentes, rigatæ ſunt mentes. D. Auguſtin. in Pſalm.21. tom.8. pag.44. col.2. lit. D.*

2 Sumitur aqua pro gratia Dei ſic Pſal.1.verſ.3. de iuſto dicitur, *Et erit tãquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, ideſt gratiarum,* Subdit Gloſſ. & Pſal.22. ver.2. *Super aquam refectionis educauit me:* vbi Bellarminus *Aqua ſpiritualis, quæ concupiſcentiæ ardorem rationabilium omnium reſtringit, gratia Dei eſt. Rupertus Card. Bellarm. in Pſ.22 pag.124.*

3 Significat Eccleſiam Dei; ſicut enim Dei præcepto aquæ omnes quæ ſub cęlo remanſerunt, in vnum locum conuenerunt: *Congregentur aquæ quæ ſub cęlo ſunt in locum vnum: Geneſ. cap 1. ver.9.* ita omnium fidelium vna tantum vera Eccleſia eſt: ita D. Ambr. *lib.3. Hexem. cap.1. tom.4 pag 23. lit. A. Hanc imitans aquam, & vnam congregationem Domini, vnam Eccleſiam nouerimus.*

4 Sacramentum Baptiſmi, ſiue gratiam baptiſmalem animam lauantem aqua figurat: de qua Pſal. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas. Pſal.38. ver. 3.* Quod de Chriſti Domini Baptiſmate interpretatur eminentiſſimus Bellarminus. *Vox Domini ſuper aquas eſt illa magnifica vox in Baptiſmo Chriſti audita, quia tunc inſtitutum eſt Baptiſma, & data virtus omnibus aquis totius mundi ad filios Dei generandos. Rup. Cardin. Bellarminus in Pſalm.38. pag. 163.*

5 Aquæ nomine Materiam primam ſignari vult D. Auguſtinus; nam illud quod dicitur Gen.1. ver.2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:* de materia prima exponit dicens: *Eamdem etiam materiam informem aquam appellauit, ſuper quam ſuperferebatur Spiritus Dei, ſicut ſuperfertur rebus fabricandis voluntas Artificis. D. Auguſtinus de Geneſ. contra Manich. lib.1. c.7. tom.1. pag.347. col. 2. lit. C.*

6 Aquæ populos ſignificant, ſic Pſalm 80. ver.6. *Probaui te apud aquam contradictionis:* & Apocalip.17. ver. 15. *Aquę, quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, Populi ſunt:* Vnde colligit D. Auguſtinus. *Quanta eſt enim ipſa aqua contradictionis. Iam pene ſiccata eſt; ſenſerunt illam maiores noſtri, quando Verbo Dei, quãdo myſterio Chriſti acriter reſiſtebant gentes, turbabatur aqua. Aquas enim pro populis aliquando intelligendas euidenter Apocalipſis Scriptura demonſtrat. D. Aug. in Pſal.80. to.8. pag.365. col.2. lit. D.*

7 Aqua in ſimilitudinem lapidum obdurata ſignificat vel Gentilium, vel Iudęorum in rebus fidei inſenſibilitatem, & obſtinationem; ſicuti dixit Iob: *In ſimilitudinem lapidis Aquæ durantur: Iob. cap.38. ver.30.* Vbi D. Gregorius Magnus. *Benè dicitur; In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur: ac ſi diceret; illa mollia, ac penetrabilia fidei corda Iudæorum in inſenſibilitatem vertuntur gentium. D. Greg. Mag. lib.29. cap.15. moral. to. 2. pag.971. lit. A.*

8 Sacrarum Scripturarum ſymbola ſunt aquæ; ſicut enim aqua terram fæcundat, & Plantas nutrit, ſic ſacra ſcriptura Eccleſiam fundat, & fideles paſcit: in cuius myſterium dicitur: *Beati qui ſeminatis ſuper aquas. Iſai. cap 32. ver.20.* Vnde D. Hieronymus. *Beati eſtis Apoſtoli, cæterique Doctores, qui ſeminatis ſuper omnes aquas Scripturæ Sacræ. D. Hieron. lib. 12. in Iſai. tom 4. col. 258 lit. E.*

9 Aliquando aquam deprauationem, ſeu malam interpretationem Scripturæ ſignat; vt idem Iſaias oſtendit. *cap.1. ver.22. Vinum tuum miſtum eſt aqua.* Quaſi diceret, vera ſcripturarum, & legis interpretatio a Iudæorum traditionibus deprauatur: ita D. Hieronymus. *lib.1. in Iſai. tom.4. col.11. lit. C. Lex Dei pura atq; ſincera, & (vt ita dicam) mera veritate ſubnixa: violata eſt traditionibus Phariſęorum.*

10 Veram ſapientiam aqua ſignificat; quod docet Sapiens Prouer.16. ver.22. *Fons vitæ eruditio poſſidentis.* Et Lyranus. *Sicut enim riuuli deriuantur a fonte, ſic aquæ Sapientiæ deriuantur ad alios a Doctore.*

11 Hinc adaquare pecora, eſt ſimplices veram Sapiẽtiam docere: de quo dicitur Gen.29. v.3. *Adaquabuntur pecora veſtra, ideſt ſimplices,* ſubdit Gloſſ. Interlin.

12 Sapientiam etiam mundanam figurat aqua, quæ dicitur in ſanguinem aliquando verti, quia ſuos enecat poſſeſſores, & in infernum deducit: Hinc *Exod. capit. 7. verſicul.17. Ecce percutiam virga, quæ eſt in manu mea aquam fluminis, quæ vertetur in ſanguinem.* Vbi Gloſſa ordinar. *Aqua in ſanguinem verſa humanam Sapientiam ſignificat, in qua omnis qui manſerit necatur.*

13 Aqua quia mundiſſima eſt, & alienas mundat ſordes, innocentiam ſignare poteſt; hinc lauare manus eſt innocentiam oſtendere; quod facere intendebat Pilatus quando ad oſtendendam ſuam, & totius populi gentilis innocentiam in Chriſti Domini morte, *Accepta aqua lauit manus coram populo dicens: innocens ego ſum a ſanguine iuſti huius. Matth. cap. 27 ver.24.* Vbi Gloſſ. ordinar. *Gentilem Populum ab impietate Iudęorum alienum deſignans, qui clamauerunt, crucifige.*

14 Opera vel carnalia, vel ſpiritualia ſignat; nam ſi ad cęlum opera deſignantur quaſi aquæ ſuper cæleſtes ſunt, ſi verò in carnalibus affectibus terminantur, aquæ ſunt terrenæ. Hoc ſignat Firmamentum diuidens inter aquas. *Geneſ. capit. 1. ver. 6. Fiat Firmamentum in*

medio

medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Ita D. Auguſtinus de *Gen. cont. Manich. lib. 1. cap. 25. to. 1. pag. 353. col. 2. lit. A. Firmamentum Diſciplinæ diſcernit inter carnalia, & ſpiritualia, ſicut inter aquas inferiores, & ſuperiores.*

15 Aqua lacrymas ſignat, vnde Thren. c. 1. v. 16. *Oculus meus deducens aquam.* Hinc effundere cor ſicut aquam, eſt intimo cordis affectu peccata plorare; de quo ibid. cap. 2. v. 19. dicitur: *Effunde ſicut aquam cor tuum in conſpectu Domini.* Quod expendens D. Hieronymus, inquit. *Effundit ſicut aquam cor ſuum ante conſpectum Domini qui ex intimo affectu cordis producit lacrymas compunctionis. D. Hieron. in Thren. to. 4 col. 695. lit. B.*

16 Tribulationes per aquas oſtenduntur, quod multis in locis habetur, ſed præcipuè Pſal. 32. ver. 7. *Congregans ſicut in vtre aquas maris;* Ideſt tribulationes in electis ſuis adunat; Ideo D. Hieronymus in Pſ. 32. to. 7. col. 102. lit. E. inquit. *Per aquas ſaculi tribulationes ſignificat.*

17 Per aquam Diuitiæ ſignantur, nam ſicut aqua magnos nutrit cedros, ita Diuitiæ potentes homines; vnde dicitur Ezech. c. 31. ver. 4. *Aquæ nutrierunt Cedrum.* Vbi Lyranus. *Per aquas, & abyſſum intelligitur copia Diuitiarum.* Hinc *In aquis defluentibus fundamentum ponere eſt in rebus labentibus ſpei fiduciam ſolidare;* inquit Magnus Gregorius. *lib. 22. cap. 2. Moral. to. 2. pag. 801 lit. B.*

18 Aqua propter honeſtatem vocabuli vrinam figurat; Hinc genua aquis fluere, eſt propter formidinem vrina ſe conſpurcare. Hoc expreſsè habetur Ezechiel. cap. 7. v. 21. *Omnia genua fluent aquis.* ita cenſet D. Hieronymus. *Pauoris magnitudine Vrina polluet genua, nec valebit profluentes aquas veſſica continere. D. Hieronym. lib. 2. in Ezechiel. to. 4. col. 767. lit. C.*

§. II.

De Nubium ſymbolis in ſcripturis.

1 NVbes aer eſt ab ambiente frigore conſpiſſatus, & quia per Aera velociter currit, inque pluuias ſæpe ſoluitur, multa per allegoriam ſignat. Primo nanque Deum patrem ſignificat, quem ſignauit nubes illa, quæ Chriſtum in Cælos euexit, vt Lucas Euangeliſta teſtatur; *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Actor. c. 1. ver. 9.* quam nubem Deum Patrem eſſe docet D. Ambroſius. *ſer. 60. to. 3. pag. 353. lit. A. Videamus ergo quæ nubes iſta ſit &c. Non igitur Nubes ſuſcepit Chriſtum, ſed Deus Pater recepit Filium.*

2 Ipſum Dei Filium denotat, vt habetur Ezechiel. 1. In Throno etenim ſedente Deo, Nubes ab aquilone venit quatuor allegoricis ſubuecta animalibus; *Et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna. Ezechiel. c. 1. ver. 4.* Quam nubem ſignare Chriſtum, cùm Animalia euangeliſtas figurent, inſinuat ibidem D. Hieronymus. *lib. 1. in Ezech. to. 4. col. 729. lit. C. Nubem quoque magnam ad perſonam Chriſti referunt.*

3 Ipſum quoque ſpiritum ſanctum adumbrat, tum quia in Mariam Virginem veniens, eam obumbrauit, quod nubis eſt proprium, tum etiam quia in monte Thabor in nubis lucidæ ſpecie comparuit: Etenim cum ibi transfigurato Domino tota Trinitas appareret, Pater in voce, Filius in humanitatis luminoſo aſpectu, ſpiritus vero increatus in nube ſe exhibuere; Ideo inquit Mattheus: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Matth. cap. 17. ver. 5.* Vbi Dionyſius Carthuſianus. *in Matth. artic. 30. pag. 149. Oſtenſa eſt Trinitas, ſuperbenedicta; Pater in voce, Filius in humanitate, ſpiritus ſanctus in nube.*

4 Mariæ glorioſiſſimæ typus eſt nubes; quod primo patet ex expoſitione myſtica ſuprapoſita; & etiam ſecundò per columnam nubis quæ Hebræos protegebat; & de qua ſcribitur: *Numquam defuit columna nubis. Exod. cap. 13. ver. 22.* Vnde D. Ambroſius inquit. *Illa autem columna nubis ſignificabat Dominum Ieſum in nube venturum, hoc eſt in Virgine Maria. D. Ambroſ. ſer. 5. in Pſal. 118. to. 4. pag. 441. lit. A.*

5 Nubes dici poſſunt Apoſtoli, in quibus Dei magnificentia, & virtus manifeſtata eſt, nam homines pauci, & idiotæ, diuinam virtutem oſtendentes mundum vniuerſum perduxerunt ad Chriſtum; de quibus Propheta; *Magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. Pſal. 67. v. 35.* vbi D. Hieronym. *in Pſal. 67. to. 7. col. 199. lit. C. Ideſt in Apoſtolis.*

6 Cum de Chriſto venturo in nubibus prædicatur; *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus: Matth cap. 27. ver. 27.* per nubes ſancti omnes, & electi intelliguntur; ita enim ſenſit D. Ambroſius *in Luc. to. 5. pag. 150. lit. C. Aſpice quia viri ſancti ſunt nubes, quia ſicut nubes volant: in his nubibus venit Chriſtus.*

7 Quia verò Dominus non ſolus ipſe Iudex in iudicio ſedebit, ſed ijs comitatus coniudicibus, qui eius amore omnia temporalia relinquentes ipſum ſunt ſequuti; nō immerito in his nubibus tales Iudices ſpecialius ſignificantur: quod & D. Auguſtinus docet. *Non enim ſolus veniet ad iudicium, ſed cum ſenioribus populi ſui quibus promiſit, quòd ſedebunt ſuper ſedes iudicaturi. Hæ ſunt nubes D. Auguſtin. in Pſal. 67. to. 8. pag. 292. col. 2. lit. D.*

8 Sancta Patrum Vita Nubes eſt; ſicut enim nubes pluuiam diffundens terram fæcundat; ſic Patrum ſancta conuerſatio nos ad eorum imitationem, per virtutum exercitationem inducit. Quod Iob perpendens ait. *Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta deſuper. Iob cap. 36. ver. 28.* Vbi D. Gregorius Magnus. *More nubium extenſa ſuper nos Patrum vita tegimur, vt ad fructum fæcundi germinis infundamur. D. Greg. Mag. lib. 27. cap. 5. Moral. pag. 913. lit. C.*

9 Per eaſdem nubes a Iob commemoratas, idem D. Gregorius *loc. cit. pag. 912. lit. A.* homines mobiles vult denotari; nam veluti nubes vndequaque mouentur. *In ſcriptura enim ſancta,* (inquit ille) *per nubes mobiles homines deſignantur.*

10 Rectè etiam Nubes mobilis, & inſtabilis mundanam gloriam deſignabit, quæ numquam fixa in vno ſtatu permanet: de qua Iob. *Velut nubes pertranſit ſalus mea. Iob. cap. 30. uer. 15.* Vbi D. Gregorius. *Salus ergo vt nubes tranſit, quia peruerſorum gloria, quæ alta eſt, fixa non eſt. Idem lib. 20. cap. 20. moral. pag. 776. lit. B.*

11 Nubes quæ lucem contendit ignorantiam, ſignat; nam in ea nube ab Ezechiele viſa, quæ ab aquilone veniebat, *Ezech. cap. 1. uer. 4.* ignorantiam caldeorum expreſſam putat D. Gregorius Mag. *homil. 2. in Ezech. to. 2. pag. 1240. lit. A. Quanto plus quiſque exarſit in crudelitate, tanto amplius obcæcari meruit ignorantiæ ſuæ caligine. Vnde factum eſt, ut eorum mens magna ignorantiæ ſua nube tegeretur.*

12 Quia a Propheta omnis peccans ignorans vocatur meritò nubes quæ excæcationem, & ignorantiam ſignat, peccatum etiam figurabit. In cuius ſignum, Iob dicebat: *Cum ponerem nubem ueſtimentum eius: Iob. cap. 38. uer. 9.* ideſt maris, nam de eo loquitur; & idem citatus Gregorius confirmat. *Mare ſauiens nube ueſtitur; Hæc nubes ſolet non ſolum infideles extra poſitos præmere: ſed quoſdam etiam intra Eccleſiam uiuentes carnaliter, obtenebrare. Idem lib. 28. cap. 9. moral. to. 2 pag. 948. lit. E.*

§. III.

Quæ Alæ, ſeu pennæ hieroglyphica contineant.

1 ALæ inſtrumenta ſunt per quæ Auium corpora per aera in altum feruntur, & ex grandioribus pennis componuntur. ideoque Primo Dei protectionem ſignant, nam & Gallina vt, & pullos ſuos ab Accipitris violentia defendat alis protegit. De quo Pſal. 139. v. 8 *Obūbraſti ſuper caput meum in die belli.* Vbi D. Bernard. *Sicut enim uidens uenientem Accipitrem mater expandit alas ſuas, ut pulli ſubeant, & habeant tutum refugium; ſic nobis parato, & quodammodo dilatato ſinu ex-*

tenſa

Digitized by Google

tenſa eſt ſumma illa & ineffabilis Dei pietas. D.Bernardus Abb.Clareuall.ſerm.4. in Pſal. Qui habitat. *col.521. lit.B.*

2 Quia diuino Chriſti Ieſu ſanguine ab hoſte maligno defendimur,per protegentes,& expanſas alas,Chriſti brachia in cruce extenſa accipere poſſumus. De quibus Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ,& ſanitas in pennis eius. Malach. cap.4. ver. 2.* Vbi Ioannes de Carthagena. *Per has ſolis iuſtitiæ pennas ſanitatem deferentes iuxta Prophetam Malachiam aptè intelligi poſſe reor brachia Chriſti in cruce extenſa, quibus velut alis extenſis ſanitatem, ac ſalutem humano generi lethali morbo laboranti miſericorditer attulit. Ioann.de Carthagena. De Archan.Cathol.Relig. lib.10. homil.23.col.223.*

3 Alæ quæ duæ ſunt, erunt Hieroglifica ſcripturarum,quæ duo ſunt teſtamenta: Quare vbi Cantic.8. legitur: *Lampades eius lampades ignis; Cantic.cap.8.ver. 6.* Septuaginta,quos ſequitur D.Ambroſius,habent: *Alæ eius Alæ ignis*: qui ſubdit. *Alæ igitur ignis in flamma ſcripturæ ſunt diuinæ. D.Ambroſius lib.de Iſaac cap.8. to.4. pag.237. lit.C.*

4 Alæ intelliguntur cognitio,& Deuotio;in cuius ſignum Seraphim, id eſt viri contemplatiui, quos Deo aſſiſtentes Iſaias vidit,alis *duabus volabant,Iſai cap.6.ver. 2.* ideſt cognitione, & deuotione accedebant ad Deum. Ita D.Bernardus cenſet. *Ego tamen opinor non incongruè pennas iſtas agnitionem, & deuotionem intelligi poſſe, quibus in eum, qui ſupra ipſos eſt, Seraphim rapiuntur. D.Bernard.Abb. Clareuall. De verb.Iſai.ſer.4.col.308. lit.G.*

5 Eiſdem Seraphim, quibus volabant, alis, idem D. Bernardus,naturam,& gratiam ſignari vult; vt namque ad cæleſtia ſubleuemur, & noſtris operationibus, & Dei gratia indigemus. Ita ille. *Quia duabus,inquit,volabant; Nec incongruè forſitan iſtas duas Naturæ, & gratiæ dicimus. Idem ibid.ſer.5 col.311. lit.I.*

6 Alæ duæ actiuam, & contemplatiuam referunt vitam:vnde Ezech.1. cum illa alata Animalia ſub Throno Dei poſita deſcribuntur, de ijs dicitur manus ſub pennis habuiſſe: *Manus hominis ſub pennis eorum: Ezech.cap.1. ver.8.* quaſi ſimul contemplatio, quæ per pennas exprimitur, debeat actioni, quam ſignat manus coniungi. Quod probat D.Gregorius Magnus *Hom.3.in Ezechiel to.2.pag.1245. lit.B. Quid itaque per manus niſi actiua vita, quid per pennas niſi contemplatiua vita ſignatur? Manus ergo hominis ſub pennis eorum, ideſt virtus operis ſub volatu contemplationi.*

7 Iſtæ duæ alæ Intellectus, & operatio ſunt, quibus homo virtutum operationes exequitur. Sicut autem capta aue ne iterum a nobis auolet ei pennas alarum detrahimus,ſic malignus ſpiritus, cum hominem per peccatum captiuat, Intellectum, & operationem eius deprauat. Hoc prophetabat Oſeas dicens: *Ligauit eum Spiritus in alis ſuis: Oſee cap.4.ver.19.* Vbi Lyranus. *Ligauit eum ſpiritus,ideſt malignus, in alis ſuis,ideſt in intellectu per obſtinationem,in effectu per exequutionem.*

8 Si vis orans Deum auis eſt, nam oratio ad Deum volat,orationis alæ Ieiunium,& eleemoſina ſunt. Sic viro oranti prædicabat Iſaias. *Frange eſurienti panem tuum: Eſai.cap.58.v.7.* Vbi D. Auguſtinus. *Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas Ieiunium, & Eleemoſinam.* D.*Auguſt.in Pſal.42. to.8.pag.4. col.1. lit. A.*

9 Quia columba, & mitiſſima, & ſine felle eſt auis, eius alæ duo charitatis præcepta denotant. Has optabat Pſaltes dum canebat: *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ? Pſal.54.ver.6.* Et idem teſtatur Hieronymus *in Pſ.54 to.7.col.164.lit.E. Columba ſimplex Animal eſt, & abſque felle,& a malitia fellis alienum: quia oſculum charitatis Animæ ſignificat: quia eccleſia duas pennas habet, hoc eſt duo præcepta charitatis, dilectionem videlicet Dei, & proximi.*

10 Ex his omnibus colligitur feruorem ardentis charitatis denotari per pennas; ſic aſſumere pennas eſt excitari cum feruore ad bona opera. Idcirco de talibus dicitur: *Aſſument pennas vt Aquilæ: Iſai.cap.40. ver.31* Ideſt, qui prius tepidi, & negligentes in bonis exercendis operibus erant,poſtea feruore charitatis excitati,ad ipſas veloces,quaſi Aquilæ volantes erunt: quod docet Lyranus. *Ideſt,qui prius erant tardi, & pigri ad opera bona efficientur veloces ad ipſa.*

§. IV.

De Ventorum ſignificationibus.

1 Ventus Aer eſt agitatus, & commotus;& primo ſignificare poteſt Angelos bonos quia ventus eſt ſpiritus: de quibus illud Pſ.134.v.7.intelligendũ eſt: *Qui producit ventos de theſauris ſuis*: & ita exponit. D. Hieronymus *in Pſal.134. to.7. col. 302. lit. D. Qui producit ventos de theſauris ſuis, Angelos ſanctos de arcanis cæleſtibus dirigens.*

2 Signat malum Angelum, qui & ipſe ſpiritus eſt,ſed nobis ſemper inſidias ſtruens;vnde eius aſſeclæ nihil boni operantur, ſecundum illud Eccleſi. 11. v. 4. *Qui ventum obſeruat non ſeminat.* Quare D.Gregorius Mag. *lib. 27.cap.5.moral.to.2. pag.912.lit.B. Ventum procul dubio inſidiantes ſpiritus appellat.*

3 Hinc deducitur prouerbium *Paſcere ventos*, Ideſt fieri Diaboli eſca,ſicut proteſtatur Sapiens: *Qui fidit in falſis hic paſcit uentos. Prouerb.cap.10.uer.4.ideſt*, inquit D.Auguſtinus, *lib.3.cap.9. contr.Creſcon.to.7. pag.181. col.2. lit B. fit eſca ſpiritibus malis.*

4 Per ventum ſeductio intelligi poteſt; ſicut enim arundines, & ſimiles plantæ leues omni vento inclinantur,ſic animi molles cuicumque ſeductorio ſpiritui credunt; ſic talem virum, *Arundinem uento agitatam, Matth.cap.11. uer.7.* appellauit Dominus noſter,ſecundum Diui Auguſtini intellectum,qui inquit: *Qui enim a uento mouentur circumferuntur omni ſpiritu ſeductorio. D. Auguſt.tract.4. in Ioann.to.9 pag.14. col.2. lit.D.*

5 De ſeductione vanæ ſpei intelligi poteſt illud, *paſcere uentos*: nam & hoc de Ephraide teſtatur Oſeas; *Ephraim paſcit uentos: Oſee cap. 12.u.1.* Vbi D.Hieronymus. *Ephraim paſcere uentos eſt ſpe uana ſeduci. in Oſea to.5. col.160.lit.D.*

6 Ventus turbinis cuncta concutiens, & ab aquilone veniens iram Dei omnipotentis ſignat: ſicuti vidit Ezechiel,c.1. uer.4. *Ecce uentus turbinis ueniebat ab aquilone.* Vbi idem Doctor Sanctus. *Qui uentum,& flatum tempeſtatis legunt:hoc ſentiunt,iram,& furorem Dei uenire ab aquilone. in Ezec.to.4.col.719. lit.B.*

7 Ventus plagam a Deo, ob malorum vindictam in peccatores miſſam,ſignificat Zaccar. cap. 6. Vbi cum vidiſſet Propheta quatuor ventos cęli fortiter omnia concutientes, quęſiuit ab Angelo quid eſſent, & reſpondit; *Iſti ſunt quatuor uenti cęli, Zaccar.cap.6.uer.5.Ideſt*, inquit Gloſſ.Interlin. *quatuor plagæ mundi.*

8 Tranſitoria bona ventus dici poſſunt, quia ſicut ventus velociſſimè aduolat; & ſicut ventus folia arborum, & ramos deijcere ſolet, ſic temporalia bona omnem ſpem,& deſiderium æternorum ſuccidunt. De hoc ſanctus Iob querebatur. *Abſtulit quaſi uentus deſiderium meum. Iob cap.30. uer.15* Quod patrocinatur romanus Gregorius. *Ventus ergo deſiderium tollit, cum res qualibet tranſitoria æternitatis appetitum deſtruit. D. Greg. Mag. lib.20.cap.20 moral.to.2.pag.776. lit.B.*

9 Superbia ventus eſt, quia inflat, ſecundum illud Pauli; *ſcientia inflat*: ſiue *trahere uentum* ſuperbia inflari eſt. Vnde Ieremias de quibuſdam ſuperbis aiebat; *Onagri traxerunt uentos quaſi Dracones. Ierem.cap.14.uer. 6.* Vbi aduerte Dracones, qui viſum perſpicaciſſimum habent, & ſapientes ſignant, ſolitos attrahere ventos, quia ſapientum eſt familiare ſuperbire, ſecundum verba Pauli allata; Sed miratur Propheta, Onagros, ſilueſtres ſcilicet Aſinos, qui ignorantes ſignificant, etiam ipſos

ſuper-

Digitized by Google

ſuperbire, & ſicut Dracones ventos trahere. Quare Gloſ. *Peruerſi quaſi Dracones trahunt ventum, cum malitioſa ſuperbia inflantur.*

10 Tandem hinc & aliud oritur prouerbium, ſcilicet *obſeruare ventum*: hoc eſt ex ſuis bonis operibus auram popularem captare; & qui ita facit perdit eorum fructum; ſicuti Prædicator inclamat. *Qui obſeruat ventum non ſeminabit. Eccleſiaſt. c. 11. ver. 5.* Vbi D. Hieronymus. *Qui tantum eo tempore prædicat, quo populus libenter auſcultat, & ſecunda ſpirat aura; tumoris ſator, negligens & ignauus Agricola eſt. D. Hieron. in Eccleſi. to. 5. col. 70. lit. D.*

Verſus Quartus.

עֹשֶׂה מַלְאָכָיו רוּחוֹת מְשָׁרְתָיו אֵשׁ לֹהֵט׃

Verſio ex hebræo: *Faciens Nuncios ſuos ventos, & Miniſtros ſuos ignem flagrantem.*

Vulgata editio: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, et miniſtros tuos ignem vrentem.*

Septuaginta. *Miniſtros tuos ignis flammam.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

VErbum מַלְאָךְ hebræum, ſicuti, & Angelus Grecè, propriè Nuncium, ſignificat: quia verò in diuinis ſcripturis vt plurimum introducuntur cæleſtes Intelligentiæ tanquam Dei nuncij, hinc מַלְאָכִים hebraicè, Angeli græcè nuncupantur, & nos nuncios dicemus. Ne autem erraremus in hoc nomine, ſacræ literæ cum de cæleſtibus loquuntur Intelligentijs, non ſimpliciter nuncios, ſed Dei nuncios ſemper appellant. Nomen deinde רוּחַ, quod & fæminini generis eſt, ventum ſignificat, ſeu ſpiritum: Verùm quia ſub hoc nomine omnia entia incorporea deſignantur, ſignificare poterit ipſum Deum, (ſed de hoc infra in Verſ. 30.) deinde Angelos tàm bonos, quàm malos, qui omnes Dei Miniſtri ſunt; de Ventis igitur propria acceptione egimus ſupra, hìc de ſpiritibus, hoc eſt Angelis, pertractabimus. Inſuper quia nomine Ignis non ſolum intelligitur æthereus, ſed etiam ſubterraneus, & terrenus, & præcipuè de igne Purgatorij, & Inferni, (qui propriè Dei miniſter eſt) de his omnibus diſputare debemus.

SVMMARIVM.

1 *De bonorum ſpirituum, ſeu Angelorum natura, & proprietatibus.*
2 *De Angelorum miniſterio, caſu, & poteſtate.*
3 *De Igne elementare, ſeu æthereo, necnon terreno, & ſubterraneo.*
4 *De Igne Purgatorij, & Inferni, quo Deus peccatores cruciat.*

§. I.

De bonorum ſpirituum, ſeu Angelorum natura, & proprietatibus.

1 QVi *facis Angelos tuos ſpiritus*; De Angelorum nomine iam viſum eſt, nunc ad eorum declarandam eſſentiam accedere oportet. Primo autem eorum poſſibilitatem, & exiſtentiam oſtendere debemus. Eſſe Angelos fides chriſtiana docet, cùm in vtriuſque teſtamenti ſcripturis plurima de Angelis teſtimonia reperiantur; ſed verum id ratione naturali conuinci poſſit, dubium eſt. Illud profectò certiſſimum eſt apud antiquiſſimos Philoſophos angelorum notitia reperiri. Ariſtoteles cognouit intelligentias cælorum motrices; ſed falſo eas probabat diſcurſu. Etenim cùm putaret Deum ad agendum neceſſitate, non voluntate duci, neque poſſe per ſe immediatè mouere cælos neceſſitate compulſus, & quidem ab æterno creaſſe intelligentias; probat autem Deum immediatè mouere cælos non poſſe, quia cælorum motus eſt ſucceſſiuus, ſed hic a Deo fieri non poteſt: quod probat eò quòd Deus ſit infinitæ virtutis, cum ergo neceſſariò agat debet mouere motu infinito, & conſequenter in non tempore, ideſt in inſtanti; ſed hic Peripatheticorum diſcurſus falſo innititur fundaméto; Deum videlicet neceſſariò agere, quod de Deo aſſerendum non eſt; nam ſi homo libertatem habet operádi pro libito, eò magis Deo libertas operandi tribuenda eſt. Cœlum igitur vel a ſeipſo moueri poteſt, vel immediatè a Deo, qui cum neceſſario non moueat poteſt mouere quantum vult, & conſequenter in tempore.

2 Verior, & pulchrior Platonis aſſertio eſt; Deum ſolo amore communicandi ſuam bonitatem Vniuerſum condidiſſe; cum enim bonus ſit, alios quoque ſuum eſſe partecipare gaudet; ita enim Plato docet. *Dicamus igitur quam ob cauſam ille rerum Author, generationem, & hoc*

Vni-

Digitized by Google

*Vniuerſum conſtituit. Bonus erat. Bonus autem nulla Vnquam aliqua de re inuidia tangitur. Ergo cum liuor ab eo alieniſſimus eſſet omnia ſibi quantum fieri poterat ſimillima fieri voluit. Si quis hanc gignendi cauſam præcipuam a prudentibus Viris acceperit, rectiſſimè profectò accipiet. Plato in Timeo. pag.*289.*col.*2. Angelos itaque Plato dari a Deo creatos, non aliqua neceſſitate,ſed benignitate cenſet. Diuidit autem illos in bonos,malos,& medios; bonos aliquando calodęmones, aliquãdo Deos appellat; malos verò, cacodæmones,ideſt malos dæmomones. Dæmon autem nil aliud quam ſapientem ſignificat, vnde licet omnibus ſpiritibus conuenire poſſit, tamen apud Chriſtianos abſolutè malum, & damnatum ſpiritum ſignat,apud Platonicos verò, vel malos,vel medios. Nam ipſi bonos, quos dicunt Deos,in Cęlis collocant, & aſſiſtentes Aſtris faciunt: non enim Plato animatos cęlos, vel ſydera putauit informante anima, ſed aſſiſtente;quod ex eius verbis patet; inquit namq; *Demum de his omnibus ueram hanc ſententiam, ferri uolumus. Impoſſibile eſſe Cœlum, Stellaſq; omnes, & quæ ex his conſtat moles, niſi anima ſingulis, aut adſit, aut inſit, adeo exquiſita ratione annis, menſibus, diebuſq; circumuolui,nobiſq; omnibus bona omnium facere. Plato in Epinom. pag.*376.*col.*1. In quibus verbis ſatis apertè indicat ſydera habere vel aſſiſtentem, vel inhærentem animam: eaq;de ratione ſydera Deos nuncupat, nõ de ipſis ſed de eorum angelis intelligens, qui a Platonicis ſub nomine Deorum exprimuntur,nam eas creaturas, ſed beatas fatetur. Porrò Angelos in diuinis Scripturis Deos appellari, vel Dei filios apertiſſimum eſt:nam Dei filios Deo aſſiſtentes a Iob numeratos,& Deos quorũ Deus magnus Dominus,& Rex,Angelos Patres intelligunt:nã de ipſis inquit D Hier.in Daniel. to.4. col.119. *lit C. Ergo iuxta Symmacũ,qui interpretatus eſt: ſpecies quarti quaſi ſimilitudo,non Dei,ſed Deorum, Angeli ſentiendi ſunt, qui & Dij,& Dei filij ſepiſſimè nuncupantur.*Non ergo errabant ſed bene ſentiebãt Platonici(imò ſecundũ sacręſcripturę morem)dum Angelos beatos,creatos eſſe docẽtes, Deos tamen appellabãt;nam ſacra ſcriptura quãdo ſpiritus immortales tanquam Dei miniſtros inducit Angelos, ideſt nuntios appellat,ſed quãdo Deo aſſiſtẽtes deſcribit,Deos vocat. Similis eſt ergo Platonis aſſertio sacræ ſcripturæ, a qua forſitan multa didicit; ita ſentit D. Auguſtinus;qui de præſenti opinione huiuſmodi ſententiã profert. *Hãc autem Platonicorum eſſe ſententiam in eorũ literis patet; nam & de ipſo nomine quo huiuſmodi immortalem, beatamq; creaturam Deos appellant, ideo inter nos, & illos nulla diſſenſio eſt, quia & in noſtris ſacris literis legitur: Deus Deorum Dominus locutus eſt,& alibi. Confitemini Deo Deorũ, & alibi. Et Rex magnus ſuper omnes Deos. D.Aug.li.*9.*de ciu.Dei c.*23.*t.*5.*pag.*106 *col.*2.*lit. D.*Habemus itaq;veterem eſſe ſapientiorũ Philoſophorũ ſententiam Angelos dari.Igitur,& de fide eſt,& inſuper extra Eccleſiam Principum Philoſophorum Platonis, & Ariſtotelis teſtimonium habet Angelorum exiſtentia.

3 Dari ergo Angelos diuina, & humana authoritate perſpicuũ eſt: ſed ratione,id vel a priori, vel a poſteriori oſtẽdere haud eſt poſſibile, nã nec Ariſtotelis ratio ſũpta a cęlorum motu,& impoſſibilitate Dei mouendi in tempore,rationabilis videtur,& D.Thom diſcurſus ex perfectione Vniuerſi nihil euincit, tũ quia neſcimus an Deus poſſit perfectiorem Angelo producere creaturam,quam nec creauit,tum etiã quia angelos eſſe omnino incorporeos,nec a fide accipimus,nec ratione cõuincimur,quod tamen Angelici Doct.ratiocinatio ſupponit. Plato enim Deos creatos,ideſt Angelos, animalia facit ex æthereo, ſeu aereo corpore compoſita,vt apud ipſũ videre eſt. Sic .ii.definiunt Platonici Dęmones,vt refert *D. Aug.li.*8.*c.*16.*de ciu.Dei to* 5 *pag* 93 *col.*1. *lit. A. Breuiter autẽ eos definiẽs ait, Dęmones eſſe genere animalia,animo paſſiua mente rationalia,corpore aerea, tẽpore ęterna;* quæ definitio ſi gratuitam addas impaſſibilitatẽ,& beatitudinem, etiam beatis ſpiritibus conuenit. Quare idem D Auguſt. angelica corpora æutherea facit: *Angelica corpora, qualia nos habitura ſperamus,lucidiſſima,atq;ætherea eſſe credẽdum eſt.Idem li.*83 *quæſt.quæst.*47.*to.*4.*pag.*238.*col.*1.*lit. A.* Idem docet Rup.Abb.*li.*9.*de oper.ſpir.ſãc.c.*21.*Itaq; Angeli noſtri cõparatione ſpiritus ſũt, quia corpora eorũ quanto aer iſte terra ſubtilior eſt;tanto noſtris corporibus ſubtiliora ſunt.* Quia verò mea me breuitas an omnium Patrum recenſione remouet, ſciat breuiter lector hanc ſentẽtiam eſſe, Origenis,Cæſarij Nazianzeni,Tertulliani,Hilarij,Lactãtij,Ambroſij, Irenei, Euſebij Cæſarienſis,Clementis Alexandrini,Methodij,Iuſtini martyris,& Hebræi Ioſephi,& quorumdam recentiorum præſertim Caietani: Ego verò dumtaxat D.Bernard.verba adducã; qui ita deſcribit Angelos *Et primo quidem Ciues ſpiritus eſſe illic potẽtes,glorioſos,beatos,diſtintos in Perſonas, diſpoſitos in dignitates, ab initio ſtãtes in ordine ſuo perfectos in genere ſuo, corpore æthereos, immortalitate perpetuos,impaſſibiles non creatos,ſed factos,id eſt gratia nõ natura,mente puros,affectu benignos,religione pios, caſtimonia integros,pace ſecuros,a Deo cõditos,diuinis laudibus,& obſequijs deditos. Quamquam de corpore eorum nõ modo unde ſint, ſed an aliquatenus ſint, hæret ſententia aliquorũ. Vnde ſi quis inter opinabilia magis id ponendũ cenſuerit non repugno. D.Bernard. Abb Clareuall.li.*5.*de conſid.ad Eugen.c.*4.*col.*893 *lit F.* Hęc Sanctus Doctor. Quæ Doctrina tota fermè ad literam in diuini Platonis oraculis reperitur. Immo putãt nonnulli Angelorũ corporeitatem eſſe tenẽdam,nam in Concil.Niceno ſecundo,actione 5. lectus eſt liber Ioan. Theſſalonicẽſis Epiſcopi,in quo diſputans cum gentile Philoſopho probabat Angelos vtiq;dipingendos eſſe,quia corporei ſunt,quam ſententiam eius ſęculi Patrum cõmunem dicebat,& Cõcilij Patres eius dicta probarunt. Neq;obſtat Authoritas Cõcilij Lateranenſis tertij ſub Innocent.3. Vbi definitur Deum ſimul creaſſe ſpiritualem, & corporalem creaturã,angelicam,& humanam naturã;nam ibi ſumitur corpus prout diſtinguitur ab inuiſibili;nam ſpiritus, ideſt aer (a quo ſumptum eſt nomen)corpus eſt, ſed inuiſibile, & ſic ſunt Angeli; nam aerem ſeu vẽtum ſpiritũ eſſe nemo negabit. Et propterea Symbolum Nicenũ docet Deum Creatorem eſſe viſibiliũ,& inuiſibiliũ; nõ autẽ dicit corporalium, & incorporalium. Vnde D. Bernar. (loc.ſup. cit.)Angelos,& Spiritus,& corporeos vocat. Si ergo aliquis tot Platonicorum, non ſolũ Æthnicorum, ſed Catholicorum, & Sãctorum ſequutus ſententiam angelos corpore æthereo, ſeu aereo, eſſe prędiros ſuſtineret, profectò nõ erraret; imò contrarium ſentientes Verba Niceni conſilij explicare tenentur: licet ſententia negatiua noſtro Sæculo Eccleſiæ Catholicæ communis eſt,& ideo amplexanda: neutra tamen de fide declarata eſt.

4 Hinc conſequẽter deducitur falſum eſſe Angelos ab intrinſeco immortales,& incorruptibiles eſſe; ſed,ſi nũquã defecturi ſũt,hoc a diuina volũtate,nõ a propria natura habent. Omne .n. quod productum eſt,diſſolui poteſt. Plato cũ Deum alloquentem angelos de hominum creatione inducit; ita ipsũ ad eos loquẽtem refert. *Quæ a me facta ſũt,me ita volente indiſſolubilia ſunt.Omne ſiquid em quod vinctũ eſt ſolui poteſt. Quapropter quia generati eſtis,immortales quidem,& indiſſolubiles omnino non eſtis.Nec tamen vnquã diſſoluemini,nec mortis fatũ ſubibitis. Nã volũtas mea maius, præſtantiuſq; vobis eſt vinculũ ad vitæ cuſtodiam,quã nexus illi,quibus eſtis,tunc cũ gignebamini,obligati. Plat. in Timeo pag.*291 *col* 2.Sed ne hãc ſentẽtiã quaſi Ethnici,licet maximi Philoſophorũ Principis,deſpiciamus; audiamus ex Magn.Catholicorũ Antiſtite Greg. eam iiſdem fere verbis expreſsã. *Natura Angelica,etſi contẽplationi Authoris inhærendo,in ſtatu ſuo immutabiliter permanet, eo ipſo tamen, quo creatura eſt,in ſemetipſa viciſſitudinem mutationis habet. Mutari vnum ex alio in aliud ire eſt,& in ſemetipſo ſtabilem non eſſe. Sola autem natura incomprehenſibilis a ſtatu ſuo neſcit moueri,quæ ab eo,quod idem ſemper eſt,neſcit immutari.* Ita D.Greg.Mag. *li.*5 *c.*28. *moral.to.*2.*pag.*425. *lit. D.* Natura ergo Angelica, & paſſibilis, & mutabilis eſt natura,& morti ſubdita, ſed gratia Dei in electis Angelis impaſſibilis,&immortalis permanet;in damnatis verò ſpiritibus(licet contra eorũ voluntatem)immortalis quidem

Digitized by Google

dam ſed paſſibilis perſeuerat. Hùc accedit relata ſuperius D. Bernardi ſententia, nimirum; *impaſſibiles eſſe non creatos, ſed factos, ideſt gratia non natura.* Non mirum igitur ſi Platonici cacodæmones, ſeu catholici apoſtatę Angeli, cum paſſibiles ſint, inferni ignibus torqueantur.

5 Quod ſi nec in ſubſtantia Angeli immutabiles ſunt, ſecundum propriæ conditionem naturæ, quanto minus vera erit illa immutabilitas, ſeu inflexibilitas eis a D. Thoma attributa, ſecundum quam, quod ſemel voluerunt, numquam non velle poſſunt. Sed hoc falſum eſſe ſacris literis docemur; & ſanctorum authoritatibus, nec non naturalibus, & Philoſophicis rationibus comprobamus. In primis Deus ſuæ teſtimonium Deitatis immutabilitatem affert, quaſi ſolius Dei ſit immutabilem eſſe; ſic habetur Num. c. 23. v. 19. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, aut vt filius hominis, vt mutetur.* & Malach. c. 3. v. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor*: Vnde differentiam inter Deum, & rationalem creaturā collegit D. Iſidorus Hiſpal. dicens. *Angeli, & Animæ immortales ſunt, ſed immutabiles non ſunt: Ideo Deus ſolus dicitur immortalis, quia ſolus immutabilis eſt. Sic & Angelus eſt mutatus dū deſerto Deo eſt lapſus. lib. de ſum bō. c. 1. pag. 1.* Ergo ſolus Deus natura eſt immutabilis, & Angelus peccando mutatus eſt, denuo pęnitendo mutari poſſet, niſi diuina voluntas repugnaret. 2. probatur ex epiſtola 2. D. Petri, c. 2. n. 5 vbi dicitur: *Si enim Deus Angelis peccātib. nō pepercit*: Igitur ſupponit D. Petrus Deum parcere potuiſſe: parcere autem non pęnitentibus nequaquam dicendum eſt: Rationem autem cur non pepercerit reddit D. Hieronymus, quia proprio peccauerunt vitio, nec ad alterius inſtigationem; & ideo de diuina in cęlo vindicta dicitur. *Inebriatus eſt gladius meus in Cęlo. Iſai. c. 34. ver 5.* Ita Doctor Maximus *in c. 5. Zaccar. to. 5. col. 544. lit. F. Et quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, qui proprio vitio habitaculum perdidere cæleſte; ideo ipſe dicit per Eſaiam: Inebriatus eſt gladius meus in cælo.* 3. probatur ex *Iob c. 4. ver. 18. Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* Vbi citatus Hieronymus. *Omnis enim natura ſine dubio creata capax peccati eſt: vt apparet in Angelo, de quo dixi, quia in veritate non ſtetit; tamen per donum, & gratiam creatoris ſui, ita in amorem claritatis illius transierunt, vt iam nec velint peccare, nec poſſint. D. Hieronymus in Iob c. 4. to. 8. col. 17. lit. A.* En quomodo Beati Angeli impeccabiles quidem, ſed per gratiam, non per naturam a B Hieronymo agnoſcuntur. 4. Hùc etiam pertinere illam eiuſdem patientiſſimi Verba; *Ecce Luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius: Iob c 25. v. 6.* Author eſt idem ſanctus, inquiens. *Sub lunæ nomine atque ſtellarum Angelos, & ſupernas poteſtates intelligere poſſumus, qui ad comparationem diuinæ reuerentiæ immundi, & tenebræ poſſunt videri, ex eo vtique quoniam naturæ condita creatura, licet non peccent, capaces tamen peccati ſunt, vt apparuit in Angelis eiuſdem naturæ peccantibus: ſed poſt eos nullum Angelum peccaſſe credendum eſt; Idem ibid. in c. 25. col. 70. lit. F.* & concludit: *Proinde Angelorum voluntas per amorem Dei facta eſt inconuertibilis, quæ in Deo eſt per naturam.* Sola igitur diuina voluntas eſt per naturam inconuertibilis, ſeu inflexibilis; angelica vero, vel quæcumque alia creata, per gratiam, non per naturam. Quod totum confirmari poteſt per D. Auguſtinum, ſeu potius D. Fulgentium, cuius eſt liber ille, licet ab antiquis D. Auguſtino attributus, ſub cuius nomine citatur a Scoto: cuius talis eſt ſententia. *Bonæ quoq; voluntatis, & cogitationis initium non homini ex ſe ipſo naſci, ſed diuinitus, & præparari, & tribui, in eo Deus euidenter oſtendit: quia neque Diabolus, neque alius Angelorum eius bonam potuit, ac poterit reſumere voluntatem Quod ſi poſſibile eſſet, vt humana natura, poſtquam a Deo auerſa bonitatem perdidit voluntatis, ex ſe ipſa rurſus eam habere potuiſſet, multo poſſibilius hoc natura haberet angelica, quæ quanto minus grauatur corporis terreni pondere, tanto magis hac eſſet prædita facultate; & hoc habere poſſet. D. Fulgent Ruſpen. Epiſc. de fide ad Petrum c. 3. in Append. to. 3. oper. D. Aug. pag. 388. col. 2. lit.* D. Ex quo Scotus argumentum validiſſimum ſumit. *Arguitur igitur ſic. Si volūtas humana ex ſe poſſit redire ad iuſtitiam, multo magis natura angelica; ergo illa nec propter immobilitatem ſuæ potentiæ cognitiuæ qualis non eſt potentia cognitiua voluntatis noſtræ; nec propter plenā libertatem eius, ex hoc quod eſt ſeparata a corpore, eſt impoſſibilis redire ad gratiam poſtquam peccauit: imo ſecundum eum magis videtur poſſibilis quam noſtra. Scotus in 2 diſ. 7. q vnica. § Contra concluſionem pag. 109 col. 3.* Ex quibus omnibus clarè, & euidenter colligitur Angelum eſſe de ſe mutabilem, & ſolum per gratiam inflexibilem habere voluntatem; aut in pænam.

6 Sequitur modo conſideratio de naturali excellentia, ſeu beatitudine Angeli. Diuinus Philoſophorū Princeps Plato, qui hominem verè ſapientē, ideſt Deo famulantē inſtituere voluit, diuidit Beatitudinem in naturalē, & diuinā, ſeu in beatitudinem viæ, & Patriæ, primam in Dei amore reponit, vt qui ad Deum tendit, eumq; diligit, naturalē beatitudinem habeat; diuinam vero in ipſa Dei fruitione conſtituit: quapropter cum Deus ipſa increata ſapientia ſit, nec aliud Philoſophia quā ſapientiæ Amor interpretetur, haud dubitauit ille diuinus Philoſophus Dei amorem Philoſophiam nuncupare. Cuius ſententiam refert D. Auguſtinus. *Quiſquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque & ſummum bonum amat, quis eum beatum niſi miſerrimus negat? Plato ap. D. Auguſ. lib. 8. c. 11. de Ciu. Dei, tom. 5. pag. 90. col. 1. lit.* D. Et ſubdit D Auguſtinus. *Ipſum autem verum ac ſummum Bonum Plato dicit Deum; vnde vult eſſe Philoſophum amatorem Dei, vt quoniam Philoſophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo, ſit beatus qui Deum amauerit.* Hanc ergo naturalem beatitudinem, Platonicam Philoſophiam, Dei videlicet amorem, Angelos viatores habuiſſe credendum eſt: etenim cum naturalem, eamque perfectiſſimam de Deo cognitionem haberent, & eum eorum Primum principium, vltimumq; finem rectè, & clarè eſſe ſcirent, illum naturaliter dilexiſſe conſentaneū rationi videtur. Quod perpendens D. Fulgentius indubitatè id docuit, dicens. *Quos* (Angelos) *tamen ita creauit, vt etiam præ ſe ipſis illum diligerent, cuius ſe tales creatos opere cognouiſſent; cū eorum, vt tales fierent, nulla merita præceſſiſſent. D. Fulg. Epiſc. Ruſpenſ lib. de Fide ad Petr. c. 3. in Append. to. 3. ap. D. Aug. pag 388. col. 2. lit. A* Hoc autem quodāmodo ex ipſa ſacra ſcriptura deduci poteſt: Nam Pſalmo. 6. v. 14. Vbi loqui videtur Propheta de apoſtaticis Angelis ante lapſum, inquit: De *abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* nomine autem vētris Intellectum D Hieronymus intelligit, qui Dei cognitione repletus eiuſdem gaudet amore: inquit enim. *Tripliciter hic intelligitur venter; Venter, Caſtitas, Intellectus, vt dicit Eucherius: Et Angelorum venter repletus fuit myſterijs Dei antequam cecidiſſent. D. Hieron. in Pſ. 16. to. 7 col. 53. l B.* Sed aſſeuerantius illam naturalem beatitudinem in Angelis agnouit D. Auguſtinus; probans contra Hæreticos, malos Angelos non ita creatos, ſed ſua malitia factos, cum naturalem beatitudinem habentes, illam ſint aſpernati. *Quæ cum ita ſint,* (inquit Sanctus Doctor) *nullo quidem modo ſecundum aliquod temporis ſpatium prius erant illi ſpiritus tenebrę, quos Angelos dicimus. Sed ſimul vt facti ſunt, lux facti ſunt: non tamen ita tantum creati vt quoquomodo eſſent, & quoquomodo viuerent, ſed etiam illuminati ſunt, vt ſapienter, beatèque viuerent. D. Aug. loc. cit. lib. 11. cap. 11. pag. 126. col. 2. lit. D.* Naturaliter ergo beati erant Angeli Deum amātes; in cuius amore qui perſeuerauere æternam ſunt beatitudinem conſequuti, vt ſummum illud bonum, quod abſtractiuè cognoſcebant, intuentes clarè, pro temporaria dilectione ſempiterna fruitione lætentur.

7 Neque minorem diſputandi occaſionem nobis tribuit Angelorum creatio, & ſi enim creaturas eſſe nemo Catholicus, imò nec Platonicus ambigat, de tempore tamen non parua controuerſia exoritur, multi, nec ignobiles Doctores ſacri, Angelos ante mūdi conſtitutionē multis ſæculis intelligibilibus creatos fuiſſe cenſent; & vt omittamus antiquam origenis, Græcorumq; Patrum ſen-

ten-

tentiã,quæ fere communis fuit, paucorum Patrũ opinio nẽ referamus.Primus ſit Caſſian. *Ante conditionẽ huius viſibilis creaturæ, ſpirituales, cæleſteſque virtutes Deum feciſſe nemo fidelium dubitat. Ioan.Caſſian. lib.8.collat. PP. c.7.* Eamdem prorſus opinionem D. Ambroſius cõfirmat, his verbis. *Sed etiam Angeli Dominationes, & Poteſtates, & ſi aliquando cęperunt, erant tamen, quando hic mundus factus eſt. D.Ambroſ. epiſt. mediol.lib.1. cap.5.Hexem.to.4. pag.7. lit.B.* Angelorũ inſuper creationem deſcribens B. Chriſoſtomus, duas Platonis opiniones approbare videtur, & propter ſolam ſuam bonitatem eos creaſſe,& ante mundum viſibilem eos condidiſſe; inquit namque. *Principio, cum Angelos crearet Deus, imò verò antequam Angelos conderet, cęleſteſq; reliquas virtutes, erat Deus, ſine vllo vnquam ſuæ ſubſtantiæ principio. Cũ verò nullius rei egens eſset creauit Angelos: creauit verò ob aliud nihil, niſi ſola bonitatis ſuæ cauſa. Poſt verò illorum creationem fecit hominem, mũdumq; hunc vniuerſũ: D.Ioan.Chriſoſt. lib.1.de Prouid. Dei to.5. col.511. lit.D.* His tandem adiungere maximi Doctorum Hieronymi authoritatem non incongruum videtur; qui non ſolum ante mundum conditam Angelorum naturam docet, ſed etiam per non pauca intẽtionalia ſæcula præceſſiſſe; Ita namq; diſcurrit. *Sex millia nedum noſtri orbis implentur anni; & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas ſæculorum origines fuiſse arbitrandum eſt: in quibus Angeli, Throni, & Dominationes, cæteręq; virtutes ſeruierint Deo; & abſque temporum vicibus, atq; menſuris Deo iubente ſubſtiterint. Ante hæc vtique tempora, quæ nec ſermo eloqui, nec mens comprehendere, nec cogitatio tacita audet attingere, promiſit Deus Pater Sapientiæ ſuæ Verbum ſuum, & ipſam Sapientiam ſuam, & vitam eorum, qui credituri erant in mundo eſse venturam. D.Hieron. in c.1.epiſt. ad Titum to.6.col.441.lit.C.* Hæ igitur Angelorum durationes sũt illa tempora ſæcularia, ante quæ Deus promiſit Incarnationem Filij, vt inquit Apoſtolus: *ad Tit.cap.1.uer.2. Quã promiſit, qui non mentitur Deus, ante tẽpora ſæcularia.* Ideſt ab ęternitate; quia ſola æternitas Angelorũ durationes præcedit: ex quo Apoſtoli ſenſu ſuam ratiocinationem D Hieron. deduxit. Hæc igitur prima opinio de Angelorũ creatione ante orbis productionẽ ſic ſe habet.

8 Sententia verò huic oppoſita ſcilicet in ipſo mundi exordio, cum reliquis creaturis Angelos creatos fuiſſe, non minori Patrũ fulcitur catena. Eam primus omnium docuit D. Auguſtinus. *Nimirum ergo ſi ad iſtorum dierum opera Dei pertinẽt Angeli, ipſi ſunt lux illa, quæ diei nomen accepit. D. Auguſt. lib.11.de ciu. Dei c.9.to.5.pag. 126.col.1.lit.A.* Sed hæc D.Auguſtini ſententia nec omnino determinata eſt, nec probatio vera: etenim cum Moyſis Hiſtoricè ſit accipienda narratio, etiam alias res reliquis diebus creatas non realiter, ſed metaphoricè ſumi poſſent, quod omnino refutandum eſt, vt docet doctiſſimus *Benedictus Perer. lib.1. in Geneſ.to.1. pag.45. lit...* omnia enim quæ a Moyſe creata narrãtur in proprio ſenſu,& non allegorico intelligenda ſunt. Sequitur Auguſtinum D. Thomas, ſed eam amplectitur opinionem tanquam probabiliorem, nõ tanquam abſolutè veram: inquit enim. *Circa hoc inuenitur duplex Sanctorũ Doctorum opinio: ſed probabilior videtur, quòd Angeli ſimul cum creatura corporea ſint creati. Angeli enim sũt partes Vniuerſi &c. D.Thom.1.p. quæſt.61.art.3.in corp. pag. 621. col. 2.* De alia autem opinione probabilitatem oſtendit, ſubdens: *Quamuis contrarium non ſit reputandũ erroneum, præcipuè propter ſententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta eſt in doctrina Chriſtiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præſumpſerit.* Confirmatur hæc D. Auguſtini,& D.Thomę ſententia ex verbis. *Eccl. cap.18.ver.1. Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*: Igitur eodem tempore, ſeu potius initio temporis quo mundus creatus eſt etiam Angeli fuere producti. Quæ etiam videtur eſſe determinatio Concilii Lateranen. vt refertur in Decretali Innocent.3.cap. *Firmiter, &c. Creator omnium viſibilium, & inuiſibilium, Spiritualium, & corporalium ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit Spiritualem, & corporalem, Angelicam, & mũdanam creaturam.* Igitur non ante mundum ſed ſimul cum illo Angeli creati fuere. Quam ſententiam ferè omnium latinorum Patrum eſt.

9 Quid verò tenendum ſit, ambiguum. Puto tamen has opiniones faciliter conciliari poſſe; ſi dicamus Deum benedictum in principio ſæculorum ideſt menſuræ finitæ durationis creaturarum, & Angelorum, quorum duratio, non æternitate, ſed vel Æuo vt placet Scoto, vel tempore diſcreto vt D. Bonauentura, & Henricus Gandauenſis aſſerunt, metitur; quæ menſura eſt limitata,& finita, habuitq; principium,& finem etiam haberet, quia eſt defectibilis, niſi diuina Voluntas oppoſitum decretaſſet. In huius igitur Temporis, vel Æui Angelici initio creauit Deus Cœlum Empyreum,& terram; ſiue nomine Terrę intelligamus cum D.Auguſtino in Geneſim, & multis alijs in locis, materiam primam omni forma priuatam: ſiue vt probabilius iudico, quatuor prima elementa; ſcilicet terrã, in cuius cauernoſo centro ignẽ terrenum, ipſamq; ab aqua circundatam,& circa aquam extenſum Aerem: in ipſo verò Empyreo Cęlo, vel ſi mauis in aere (de quo non diſputo) Angelos creauit; deinde per aliquot inſtantia angelica, quæ ſæculis noſtris correſponderent, Angelos viatores fuiſſe,& bonos meruiſſe gloriam, peccaſſe malos; ſed nec incredibile puto ipſos Angelos peccatores Deum aliquãtulum ad pęnitentiam expectaſſe; nam, & potuiſſe pęnitere ex ſupra determinatis ſequitur: & tandem in Ignem ſubterraneum præcipitatos malos; ad quorum ſupplendum defectum Deus homines, & pro eis, ex iam creatis elementis, cuncta viſibilia creauit. Hoc mihi ſuadet loquutio ſacræ ſcripturę, quæ cęlũ, terram, & aerem iam creaſſe Dominum ſupponit, cum dixit: *fiat lux*, quæ prima rerum genitarum in tempore fuit; nam ab huius lucis mòtu cæpit dies, & tempus. Quod autem dicit Moyſes: *In principio creauit Deus cęlum, & terram; Terra autem erat inanis, & uacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: Gen.c.1.uer.1. & uentus Dei mouebatur ſuper aquas*: intelligi poteſt: *In principio creauerat Deus cœlum, & terram*: nam verbũ ברא ſignificat, *creauit creabat, creauerat*: vnde c.2. Vbi noſtra vulgata legit: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum uoluptatis a principio*: In Hæbreo eſt verbum ויטע *& plantauit*: nec ibi habetur *in principio*, ſed *in Heden*: Vnde quatuor illa quæ a Deo iam creata dicũtur, nec inter nouiter producta numerãtur, Cęlum Terra, Abyſſus ideſt Aqua, & Spiritus, ſeu Aer, in tempore quidem, ſed Angelico creata fuiſſe putandum eſt. Hoc ita ſuppoſito, ſupradictæ opiniones conciliari poſſunt; nam qui volunt Angelos per multa ſęcula pręceſſiſſe creationem mundi, intelligendi ſunt ante diſtintam creationem operũ ſex dierum, ideſt ante tempus noſtrum; quod cæpiſſe ex motu ignis ętherei, ſeu lucis euidentiſſimum eſt; & ideo illa duratio angelica dicitur tempus ſæculare, ad differentiam temporis noſtri. Illi verò qui dicunt ſimul cum mundo creatos fuiſſe, vera dicunt pro mundo ipſam cœli,& elementorũ primæuam creationem intelligẽtes: ita vt ſpiritualis creatura ſimul cum materiali creata ſit; non tamen ſimul cum omni; nam illa ſimultas poſita ab Eccleſiaſtico, & Lateranenſi Concilio nõ debet intelligi de ſimultate temporis, ſed de ſimultate Creationis; Ideſt, omnis creatura, ſiue angelica ſiue humana, habuit eſſe a Deo, & hoc non ab æterno, ſed in tempore; nam omne, quod habet eſſe poſt non eſſe, habet principium ſuæ durationis, & per conſequens menſurabilem,& non æternam: Vnde licet Scotus in hac re ſit problematicus, mihi autem ſẽper verius viſum eſt creaturę repugnare ab intrinſeco æternitatem: etenim ſi æternitas eſt, ſecundum Boetium, *Interminabilis uitæ tota ſimul, ac perfecta poſſeſſio*: quę duratio initiũ habuit, & cui finis nõ repugnat, nequaquã ęternitate poterit mẽſurari, cũ inter menſurã & menſuratum proportio eſſe debeat: & hãc negatiua m partẽ problematis in ſcholis ſẽper ſuſtinui. *Sed de hac re uide fuſè in appẽdice §.2 literal. ad uer.19.* Quod autẽ de hac ſimultate Sapiens,& Conciliũ loquantur manifeſtũ

Ian. de Mata. G 2 eſt,

Digitized by Google

eſt , aliàs enim Moyſi repugnarent, qui non omnia ſimul, ſed diſtintis, diebus, & actionibus facta fuiſſe docet. Quantum verò æuiternæ durationis tempus inter creationem horum,& operationem ſex dierum fluxerit, niſi Deus reuelet , humanus Intellectus numquam determinabit.

10 Poſt hæc de Angelorum cognitione determinandum eſt; Vtrum videlicet ſint tantum Intelligentiæ, vt putauit Ariſtoteles, ideſt ſine diſcurſu intelligentes; vel etiam rationales, & diſcurſiui ſecundum Diuini Platonis placitum. In primis præmitto ſpeciem intelligibilem nihil aliud eſſe niſi imaginem quandam immaterialem, & ſpiritualem obiecti, quæ ipſum repræſentando intellectui facit eum intelligere,ideſt reddit potentiam ex intellectiua intelligentem,de potentia ad actum reducendo: quòd autem hæ rerum intelligibilium ſpecies requirantur in Intellectu tàm humano,quàm angelico,manifeſtum eſt, ſolum eſt dubium an in initio ſuæ creationis omnium rerum ſpecies congenitas habuerit, ita vt nec in cognitione,nec in ſcientia creſcere potuerit. Et quidē ſaltem ſpecies rerum vniuerſalium, & etiam multarum ſingularium congenitas habuiſſe certū eſt apud omnes, cum pleni ſcientia ſint creati; vnde Author de cauſis inquit, prop.9. *Omnis Intelligentia plena eſt formis*. quod de ſpeciebus rerum vniuerſalium explicat Scotus: *Si velim tenere authoritatem iſtam de cauſis: dico verum eſt, quod plena eſt formis vniuerſalibus , non tamen ſingularium. Scotus in 2.ſen.diſ.3 q.11.§. Ad primam rationē, pag.95. col.2.* 2.præmitto diſcurſum aliud non eſſe niſi ignotum ex noto cognoſcere, acquirendo nouam ſpeciē illius rei,quam antea,ignorabamus; & hæc eſt tertia intellectus creati operatio,per quam,quæ antea ignorabat per effectus,paſſiones,vel cauſas cognoſcit. 3.admitto cū communi omnium Theologorum ſententia diſtintionē illam angelicæ cognitionis in matutinam,& veſpertinā, de qua D.Auguſtinus eius inuentor diſputat lib.9.de Ciuit.Dei:ſed ego ex eodem D. Auguſtino ibidem euidenter colligo,non duplicem, ſed triplicem hanc eſſe cognitionem; videlicet,Veſpertinam, matutinam, & meridianam,ſeu diurnam: Nam D.Auguſtinus cognitionem veſpertinam vocat eam,qua cognoſcit Angelus rem in ſe ipſa;matutinam verò. qua ex ipſa rei cognitione ad Deū referendo,ipſum cognoſcit Deum; & diurnam, ſeu meridianam,quà c arē Deum videndo in diuina eſſentia rē illam cognoſcit:De prima namque,& ſecunda inquit D. Auguſtinus. *Si lux iſta,quæ primitus creata eſt, non corporalis,ſed ſpiritualis eſt, ſicut poſt tenebras facta eſt,vbi intelligitur a quadam ſui informitate ad creatorem conuerſa,atque formata;ita & poſt veſperam fiat mane, cum poſt cognitionem ſuæ propriæ naturæ , quâ non eſt quod Deus; refert ſe ad laudandam lucem, quod eſt ipſe Deus, cuius cognitione formatur. D. Aug lib.4. de Gen ad lit. c. 22.to.3. pag.224. col 1. lit.C.* Et cum exemplificaſſet in omnibus operibus creatis in ſex diebus, tandem concludit: *Multum quippe intereſt inter cognitionem rei cuiuſque in verbo Dei, & cognitionem in natura eius, vt illud meritò ad diem pertineat,hoc ad veſperam. Idē ibid.col. 2.lit. A.* Quia vero cognoſcere in verbo dupliciter intelligi poteſt,vel in ipſa eſſentia diuina intuitiuè cognita, vel abſtractiuè cognita in aliqua ſpecie repræſentatiua eſſentiæ diuinæ, quam poſſibilem docet Scotus. *Nulla repugnantia occurrit,quod Intellectus creatus habeat talem cognitionem per ſpeciem diſtinctè repreſentantem diuinam eſſentiam (dum tamen non intuitiuè) Ideo hoc videtur rationabile concedere. Scotus in 2.ſent.diſ 3.q.9.§. Dico igitur pag 85,col.2* Primo modo eſt cognitio non ſolum matutina,verum etiam diurna, & meridiana, ſecunda verò etiam matutina dici poteſt,ſed Auroræ aſſimilari,quæ lucem dubiam habet; ſicuti prima meridiei; quod & facit D.Bernardus,quem,per meridiem a ſponſa inquiſitum, dum dicebat: *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubas in meridie;Cantic.c.1.ver.*non in clara viſione meridiana, ſed abſtractiua,ſe oſtendiſſe demōſtrat.Sic enim ipſe loquitur.*Lucem quippe meridianam,vbi paſcat ſponſus quæſierat ſibi indicari,ſed repreſſa eſt:& pro plenitudine vmbram, pro ſatietate interim guſtum recepit. D. Bernardus Abb.Claræ.ſer.de Aquæductu col. . lit.*. Ex his deducitur Angelum diſcurſiuum,& rationalem eſſe; nam ſi diſcurrere, eſt rem ignotam, & occultam per aliā notam,paſſionem,effectum,vel cauſam cognoſcere,multa hoc modo cognoſcunt Angeli: Nam in primis cùm ſolus Deus occultas cordis cogitationes intueatur,ipſas nequaquā videre Angelus poterit, ſed bene ex extrinſecis circumſtantijs cognoſcere, vt de facto, & boni, & mali Angeli ſic noſtras cogitationes cognoſcunt; ſcilicet per notas paſſiones cogitationes ignotas.Hac de cauſa Diabolus de Chriſti Domini Diuinitate fuit dubius dum aliquando in eo ſigna Diuinitatis intuebatur , aliquando humanitatis; ex quibus varijs principijs diuerſas deduxiſſe concluſiones certum eſt:Docet enim D Auguſt.lib. 9.c.21.de Ciu Dei to.5.pag.105.col.2.lit.D. *Innotuit, ergo Dæmonibus,non per id quod eſt vita æterna , & lumen incommutabile,quod illuminat pios;ſed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta , & occultiſſima ſigna præſentiæ,quæ angelicis ſenſibus, etiam malignorum ſpirituum, potius quam infirmitati hominum eſſent cōſpicua.* Et angelicus Doctor inquit. *Dæmones videntes Chriſtum eſurire poſt ieiunium æſtimauerunt eum non eſſe filium Dei. D.Thom 3.p.q.44.art.1. ad 2.pag.434.col.1.* Hac de cauſa Diabolus dubitatiuè ei dixit, (vt Lucas refert) *Si Filius Dei es,dic lapidi huic,vt panis fiat; Luc. c.4. ver.3.* vbi D.Ambroſius. *Quid ſibi vult talis ſermonis exorſus, niſi quia cognouerat Dei filium eſſe venturum, ſed veniſſe per infirmitatem corporis non putauit? D. Ambr.in c.4. Luc.tom.3.pag.46. lit.B.* Quæ omnia diſcurſum eſſe in Angelo euidenter conuincunt. Obiectiones vero quæ contra hanc opinionem fieri poſſent rectè ſoluuntur a Scoto loc.cit.& ab eius ſchola,quò ſophiſtā remittimus.

11 Ex his omnibus ad principale quæſitum reſpondendum eſt , quid ſcilicet Angelus ſit:ſic igitur definiri poteſt: *Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis completā , creata,rationalis,beatificabilis*: Quę definitio cōſtat ſuo genere proximo ſcilicet ſubſtantia ſpirituali; & differentiis; nam per creationem paſſiuam differt a Deo,per ſpiritualitatem ab animalibus,per complementum ſubſtantiæ ab Anima; conuenit autem cum Anima in genere rationalis,beatificabilis.Sed & quā affert Damaſc.lib. 2.orthod. fid. c.3. p.174. c.2. l. C. ab hac haud valdè differt definitio vbi habet ille. *Angelus porrò eſt eſſentia intelligēs,perpetuo motu,ac arbitrij libertate prædita,corporis expers.*

12 Tandem de Angelorum numero remanet inquirendum. Sed enim hoc determinare difficillimum eſt. Plato docuit tot eſſe Angelos beatos,quot ſtellas,vt vnicuique illarum vnus aſſiſtat , numerus vero ſtellarum nobis innumerabilis eſt, cum de Deo quaſi mirabile dicatur: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus, eis nomina vocat. Pſal. 146. n.4.* Quare Daniel ad diuinam contemplandam maieſtatem euectus, innumerabilia fere ei miniſtrantium Angelorum agmina deſcribit, illis verbis: *Millia millium miniſtrabant ei; & decem millies centena millia aſſiſtebant ei. Daniel cap.7. v.10.* Non quod hanc numerationem quaſi mathematicam docere voluerit;ſed,vt exponit D Hieron.ad oſtendendam eorum innumerabilitatem: *Non quo iſte miniſtrorum numerus diffinitus ſit, ſed quo maiorem multitudinem humanus ſermo explicare nequiuerat. Iſta ſunt millia,& iſta ſunt miriades, de quibus in Pſalmis legimus: Qui facis Angelos tuos ſpiritus. D. Hieronym. lib. 1. in Dan. tom.4. pag.511. lit. G.* Iob vero humano ſermoni eorum numerum ineffabilem reputans,dixit: *Nūquid eſt numerus militum eius? Iob c.25. v.3.* Vbi D.Gregorius. *Supernorum ciuium numerus infinitus, & definitus exprimitur, vt qui Deo numerabilis eſt, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur. D.Greg. mag.lib.17. cap 9.mor.to.2.pag.692 lit.C.* Inſuper D. Thomas docet Angelorum multitudinem omnium rerum materialium numerum excedere. *Angeli ſecundum quod ſunt immateriales ſubſtantiæ in quadam multitudine maxima ſunt* om-

Digitized by Google

omnem materialem multitudinem excedente. D. Tho. 1 par, quæſ.50. artic.3. in corp.pag.157 col.2. Sed reuera quis eorum numerus ſit determinatus, ignoramus: Et niſi Deus ipſe reuelauerit viatores omnino latebit. Sed quocumq; numero diſtribuantur Virtutes illæ ſpirituales, illud dubitatur vtrum omnes tantum numero diſtributi, vnam tantummodo ſpeciem athomam conſtituant, vel in plures ſecentur ſpecies; & deinde an hæ ſpecies etiam in indiuidua ſecentur, nec ne. Ariſtoteles falſo niſus fundamento Angelos Inter ſe non numero, ſed ſolum ſpecie differre extimauit; dixit enim. *In his quę carent materia idem eſt quod quid eſt, cum eo, cuius eſt. Ariſtoteles 7. metaph. text. 20. 21. & 41.* Idem docuit Auicenna, & ipſe falſum ſupponens, Theologis Chriſtianis improbabile, videlicet vnam intelligentiam creare aliam, & eſſe entia neceſſaria, æterna, immobilia, &c. Vnde optimè concludit Scotus: *Et quia non concordant cum eo Theologi in hac propoſitione. Omne corpus ſempiternum eſt ex tota materia illius ſpeciei actuali, & potentiali, ideo non eſt concordandum cum eo in concluſione. Scotus queſt.7. Quolibet. §. ſed diſcordamus.* Hanc Auicennæ ſententiam ſequutus eſt D. Thomas *prima part. quæſt.50. art.* 4. negando inter Angelos diſtinctionem numericam, & ſingulos ſingulas conſtituere ſpecies docens. Scotus, vt quidam opinantur Scotiſtæ ſuſtinuit Angelos, & in multas diuidi ſpecies, & ſpecies in numerica indiuidua: Idcirco namq; Deum Angelos non redemiſſe cenſet, quia nulla ſpecies Angelica tota cecidit; *Ideo non cecidit aliqua ſpecies angelica] tota; licet fortè de qualibet ſpecie ceciderit aliquis Scot. loc. cit.* Tertia verò opinio mihi probabilior videtur, quòd ſi omnes homines eiuſdem ſunt ſpeciei athomæ etiam, omnes Angelos ita ſe habere. Quod in primis Seraphicus Cardinalis ſuſtinet; inquit enim. *Videtur magis Theologica, & probabilis opinio (niſi occurrat manifeſta authoritas in contrarium) quod omnes Angeli ſint eiuſdem ſpeciei, ſicut, & omnes homines. Et quemadmodum in hominibus ſunt gradus, & ordines, & quoad naturalia, & quoad officia commiſſa, ſiue dignitates, & quoad gratuita, ſalua tamen vnitate ſpeciei: ſic intelligendum eſt in Angelis. D.Bona.Card.in 2.ſent.diſp.9.ar.1.q.1.in corp.pag.221.col.2.* Itē Io.Damaſ. *Vniuſcuiuſq; ſpeciei vna eſt Natura, & omnium Angelorũ, eſt vna natura, & omnium hominũ. D.Ioan.Damaſ & alii apud Chriſtop.Delgadillo ord Min trac.de Angelis c.2.diffic.6.dub 3.pag. 76.col.2 n.28.* Pro hac opinione etiã citantur: D.Baſilius lib 3.contra Eunomium, D.Greg. Niſſen.de opificio hominis c.17. D.Athanaſius, D.Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap.21. Quos omnes citat, & ſequitur Chriſtophorus Delgadillo ord.Min. qui teſtatur: *Quæ authoritates ſunt adeo expreſſæ, vt fateantur Authores oppoſiti, aliquos horum Patrum ſic fuiſſe opinatos.* Cum autem omnes tres relatæ opiniones probabiles videantur, mihi tertia, quæ eſt D. Bonauenturæ, probabilior, & verior videtur.

§ II.

De Angelorum Miniſterio, caſu, & Poteſtate.

1 ET *Miniſtros tuos ignem vrentem.* Omnia, quæ hucuſq; de Angelis diſſeruimus, tam bonis, quã malis communia eſſe manifeſtum eſt: Idcirco eodem §. tradidimus. Iam ad diſcrepantia accedimus, nam & in modo miniſtrandi, in ipſis miniſterijs, in lapſu, & poteſtate valde a bonis diſſidēt mali. Bonorum, & malorum primũ miniſterium eſt circa Animas, quas boni Dei iuſſu cuſtodiunt, vt habetur *Pſ.90. Angelis ſuis Deus mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Qui ita vigilant ad cuſtodiam vt nunquam aut dormire, aut dormitare inueniantur: iſti ſiquidem illi ſunt vigiles militantis Ieruſalem, qui ſponſæ, ideſt Animæ Deum quærenti adito occurrunt; de quibus dicitur: *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt Ciuitatem: Cantic.cap.4 ver.3.* Ita ſentit D.Bernardus. *Bene tecum agitur o mater Eccleſia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ; ac cælo, & de terra venit auxilium tibi Qui cuſtodiunt te non dormitant, neq; dormiunt cuſtodes tui Angeli Sancti, vigiles tui, ſpiritus, & animæ iuſtorum. D Bernardus Abb.Clareuall. ſerm.77. in cantic.colum. lit..* Hinc idem Bernardus diuinam dignationem admirans Angelorum ad cuſtodiendum nos miſſione inter alia ſcribit. *Summa ergo maieſtas mãdauit Angelis, & Angelis ſuis mandauit. Illis vtique ſublimibus tam beatis, quam proximis ſibi coherentibus, & vere domeſticis mandauit de te. Sed quid putas mandauit de te? vt cuſtodiant te. D.Bernard.Claren Abb.ſerm.12.in Pſ.90 p.149.lit.E.* Hac ergo de cauſa Propheta Spiritus, & ignem Angelos dixit, tum quia intellectuales, tũ quia animos hominum purgare ſanctis inſpirationibus conſueuerũt; quapropter inquit D.Greg.Nazianz. *Spiritus porro atque ignis Angelus appellatur; illud quia intellectili natura præditus eſt: hoc quia purgandis animis noſtris adhibetur. D.Greg. Nazianzen.orat.34.num* 81. Quamobrem illos per vniuerſa loca diſcurrere vt omnibus prǫſto ſint, idem teſtatur. *Hæ (ideſt cęleſtes Intelligentiæ) Diuinæ voluntatis miniſtræ ſunt, roboreq; non modo naturali, ſed etiam aduentitio pollent, loca omnia peragrant, omnibus vbiq; impigræ adſunt tum ob miniſterij promptitudinem tum ob naturæ leuitatem.* Hinc ſpiritualium ſubſtantiarum nomen apud nos innotuit non ſub ſignificatione ſubſtantię ſed miniſterij; idcirco enim Angeli nuncupantur; quia a Deo mittuntur in mundum ad exequenda circa creaturas corporeas diuinæ obedientiæ mandata. *Ideo, hic dicitur Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, inquit D.Gregorius, Magn. *hom.34. in Euangel tom.3.pag.105. lit.D. Ac ſi patenter dicat; qui eos quos ſemper habet ſpiritus, etiam cum voluerit facit Angelos. Hi verò, qui minima nunciant Angeli, qui verò ſumma Archangeli vocantur.* Idem ſentit D.Iſidorus Hiſpalenſis *lib.7. origin. capit. 5. pag 90 col.2. lit. F. Angelorum vocabulum officij nomen eſt, non naturæ; ſemper enim ſpiritus ſunt, ſed cum mittuntur vocantur Angeli. Quibus ideo Pictorum licentia pennas facit, vt celerem eorum in cuncta diſcurſum ſignificent.* Neque hominum dumtaxat curam gerunt Angeli, & cuſtodiunt, ſed hominum amore, ac Dei imperio omnia ſublunaria, quæ propter hominem genita vitam habent, ſub Angelorum tutela conſeruantur. Regnorũ Principes Angeli ſunt: ſicuti ex ſacris literis innoteſcit, ex Daniel c.10. Vbi fit mentio Principis Perſarum Grecorum, & Iudęorum; quos Principes illarũ Regionum Cuſtodes Angelos eſſe teſtatur D.Hieron. *Videtur mihi hic eſſe Angelus cui Perſis cuſtodia eſt credita, iuxta illud quod in Deuteronomio legitur: Cum diſcriminaret Altiſſimus gentes, ſtatuit terminos gentium iuxta numerum Angelorũ Dei. D. Hieron.lib.1.in Daniel.10.4 col. 1156.lit.D.* Neq; cæterarum rerum, ſaltem in ſpecie Angelica cuſtodia ſubſtantia deſtituitur ſic enim in Apocalipſi legimus *Angelum aquarum; Apocal.c.16.v.5.* & alibi; *Et alius Angelus exiuit de Altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem. c. 14 v. 18.* Ex quibus locis clarè deducit Sapientiſſimus Auguſtinus omnem rem mũdanam angelico præſidio gubernari *Vnaquæq; res viſibilis in hoc mũdo habet poteſtatem angelicam ſibi præpoſitam, ſicut aliquot locis ſcriptura diuina teſtatur.* Hæc *D. Auguſt.Hippon.epiſ.lib.83.quæſt.79.to... pag... col... lit..*

2 Sed neque bonus Angelus ita ſibi vindicat rerum cuſtodiam, vt malus excludatur Dæmon; is etenim cunctis aſſiſtit, nõ ad cuſtodiendũ, ſed ad perdendum. Nam in primis cuicumq; homini adeſt Dæmon ad tentandum, & incitandum ad malum. Quod cõmuniter a Theologis aſſeritur cũ ſentētiarum Magiſtro in 2.diſ.6 & diſ.11. licet porrò deputationem huiuſmodi tētatoris a Lucifero factam credamus, non tamen aliter niſi permittēte Deo factã eſſe credendũ eſt, cum legamus de D.Paulo: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet: 2.Cor.c.12.ver.7.* cuius aſſiſtētiam importunã vel Deo volente illũ pati inde colligitur, quod illã Deus amouere noluerit. Quod teſtatur Lyran. *Stimulus carnis*

Ian. de Mata.

Digitized by Google

eſt tẽtatio carnalis quæ magis monebat concupiſcentiam poſt reuelationes quam ante, Deo permittente. Præcipuè verò cũ dicitur Angelũ vel percuſſiſse Ægyptios, vel trucidaſſe Aſſirios,& ſimilia nõ deſunt Expoſitores Sacri de malis Angelis exponẽtes: ſed in aere vẽtos,plouias tẽpeſtateſq; agitari,& commoueri dæmonũ ope paſſim conſitentur omnes: Nam Iob. cap.1. ver.16. dicitur: *Ignis Dei cecidit de cęlo, & tactas oues pueroſque conſumpſit*; quod factum a Dæmone omnes fateantur neceſſe eſt,ex ipſo textu, vbi apertè dicitur calamitates Iob a Dæmone veniſſe: quod confirmat D. Greg. *Cęlum vero Aerem dici paulo ante iam diximus; vnde, & aues cęli nominamus. Et ſcimus, quia immundi ſpiritus,qui de cęlo ęthereo lapſi ſunt, in huius cœli,terraq; medio vagantur, &c. Qui Ignis eſt Dei, non facientis, ſed permittentis. D. Gregor. Magn. lib.2. cap.25 mor. tom 2 pag.350.lit.C.* cui etiam adſtipulatur Nicolaus de Lyra. *Ignis Dei,ideſt a Deo miſſus; quaſi diceret,ex diuina permiſſione factum eſt: iſte tamen ignis deſcenderat opere Dęmonis.* Eſſe ordinem inter Angelos patet ex D. Dioniſio, qui eos in tres Hierarchias, & nouem Choros diſtribuit: neque hi ordines quoad naturalia periere in apoſtatis Angelis: Vnde ſicuti Regnorum Principes cęleſtes Angeli ordinis Principatus dicuntur, ad Regnorum deputati cuſtodias; ita pariformiter, qui ex illo Principatuum Chori Dæmones cecidere Regnis ſimiliter præſunt, ſed in ruinam Regnorum præcipuè Populorum Dei;nam infideles,& hæreticos Reges adiuuant,catholicos deprimunt; ſed quantum eis a Deo permittitur: ſic legimus Apocalip.c.9.de Vandalis (vt Lyranus eſt Author) ſub nomine locuſtarum deſcriptis, habere Regem, ideſt Cuſtodem Angelum Abyſſi. *Et habebant ſuper ſe Regem Angelum Abyſſi,qui hębraicè dicitur Abadon,gręcè autem Apollion latinè habens nomen exterminans. Apocal. c. 9. v. 11.* Vbi citatus Lyranus. *Tenetur autem communiter a Doctoribus, quod aliqui ceciderint, e ſingulis ordinibus; & ſic nomen ſingulorum remãſit in Dæmonibus: Primus autem ordo inferioris Hierarchiæ nominatur ordo Principatuum, quia pręſunt diuerſis regnis. Et ſicut Angeli ſancti promouent diuerſa Regna ſibi commiſſa ad bonum, ſic per oppoſitum ſunt Angeli mali ea impellentes ad malum. Igitur de Angelo malo præſidente Regno Vandalorum dicitur hic: Et habebant ſuper ſe Regem Angelum Abyſſi:* His igitur malis Angelis vtitur Deus ad miniſterium cùm perditos homines caſtigare deſignat;& hos ſpiritus Angelos fecit cùm rebellem Pharaonem, totamque Ægyptum pęnas diuinæ vindictæ dare iuſſit: nam de his Propheta canit: *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram immiſſiones per Angelos malos: Pſalm.77. verſic. 49.* Solet namque Dominus in caſtigando homines peccatores, mittere Dæmones, ideſt deſerendo homines dæmonibus licentiam præbere in illos ſęuiendi; quod in Ægyptios fecit, nam poteſtate in eos accepta, primum omnium Satan indurauit cor eius, deinde multis aflixit plagis ad imperium Moyſis illos exequendo, & tandem perdidit. Ita Gloſſ. ord. cenſet. *Poſſumus ergo ſine dubitatione malis Angelis tribuere mortem pecorum, mortes primitiuorum, & obdurationem Ægyptiorum: hanc enim Deus cum facere dicitur, non inſtigando, & inſpirando, ſed deſerendo facit; vt illi operentur in filijs diffidentiæ quod Deus iuſtè, debitèque permittit.* Quod ſi Deus ſui nominis contemptores caſtigare deliberans, ſe contra eos Caldeos ſuſcitaturum minatur per Habacuc: *Ecce ego ſuſcitabo Caldeos gentem amaram,& velocem.Habacuc. cap.1. ver 6* Per Caldæos intelligi poſſe dæmones arbitratur D.Hieronymus.*Comminatur Deus aduerſus contemptores, & calumniantes Prouidentiam ſuam, ſuſcitaturum ſe Caldeos, qui interpretãtur quaſi dęmonia,vel angelos peſſimos ſignificant, qui miniſtrant furori eius, & iræ,& tribulationi,quam infert in peccatores. D.Hieron. in Habacuc.to.5.col.420.lit.F.* Deus igitur nõ ſolum bonos Angelos ad pietatem miniſtros habet, ſed malos etiam ad vindictam: quapropter Seraphicus meus Patriarcha Franciſcus Dęmones *Satellites Dei* appellare conſueuerat.

3 Hoc autem ita intelligendum eſt,vt non excludantur boni Angeli ab exequutione vindictæ, nam etiam ipſi ad peccatorum cruciatum promptum Deo exhibent miniſterium: quod hic declaratur cum dicitur: *Et miniſtros ſuos ignem vrentem*: ſecundum interpretationem Ioannis Chryſoſtomi. *in Pſal.103 Porrò Deus Angelis miniſtris vtens tum probos viros beneficiis afficit, tum de improbis ſupplicium ſumit:* Idem ſentit D.Hieronymus. *in Pſalm. 103. Et miniſtros ſuos ignem vrentem, vt in alijs lumen veritatis infundant, in alijs peccata conſumant.* Et hi miniſtri Dei fuere, docet Magnus Gregorius, ad filiorum Noe confundendam linguam, vt a temerariæ turris ædificatione ceſſarent; nam Angelos alloquutus eſt dicens; *Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum: Gen. c.11. uer.7. Angelorum namque deſcendere, eſt punire ſuperbos. Quibus, & dicit: Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Aſcendunt Angeli in eo quod Creatorem conſpiciunt. Deſcendunt Angeli in eo, quod creaturam ſeſe illicitis erigentem, examine diſtrictionis premunt. D. Gregor. Magn. lib.2. cap.4. mor. tom.2. pag.333. lit. D.* Idem etiam apertè ſubindicaſſe Dominum in Euangelio videri poteſt, in parabola de zizania: nemo enim eſt qui neſciat zizaniam eſſe peccata a Diabolo in cordibus hominum ſeminatum; hanc ergo ad extirpandam ſerui ſe exhibuere: *Vis imus, & colligimus ea? Matth. cap. 13. uer.30.* quia Angeli Sancti parati ſunt ad peccatorum punitionem: vt optimè cenſet D.Iſidorus Peluſiota: *lib. 1.Epiſt.195. Vis imus, & colligimus ea? aiunt Angelicæ Virtutes, diuinæ uoluntati beneuolo ſemper animo ad miniſtrorum operam ſe præbere cupientes.* Ergo, & ad vindictam etiam boni Angeli Deo miniſtrant.

4 De alio Angelorum miniſterio videndum eſt, de motu ſcilicet ſyderum. Celebris eſt Platonicorum ſententia, Solem, & cætera ſydera animalia,rationis tamen participantia faciens. Quæ ſententia etiam inter Catholicos viguit, quam inter alios D. Ambroſius tuetur: cuius talis eſt opinio. *Oriuntur iſti; ſed, ut ait ſcriptura: Fecit Lunam in tempore, Sol cognouit occaſus ſuos: nouit quando pleno orbe ſuo luceat, quando exinanito; ſtellæ quoque nebulis obductæ uaneſcunt. Quæ ſuſtinent miniſtery huius mundani uſus, non ſpontè utique, ſed in ſpe; quia ſperant laboris huius gratiam, ab eo, qui ſubiecit eas. Nec mirum ſi patienter ſuſtinent, cum ſciant Dominum ſuum, & creatorem omnium, ſine quæ in cœlo, ſiue quæ in terris ſunt noſtri corporis fragilitatem, noſtræ conditionis ſeruitutem. D. Ambroſ. Epiſt. 38. ad Horontianum, tom.5 col.286.lit D.* His verbis Aſtra intelligentia D.Ambroſius fatetur; imò ne dum aſſequutam beatitudinem; quam tandem in fine mundi adepturam concludit. *Poſtea autem Sol,& Luna, & cętera Stellarum lumina requieſcent in gloria filiorum Dei.&c. Idem Ibid. col.287. lit.G.* Hanc etiam opinionem ex Platone mutuatam D.Auguſtinum docuiſſe lib 6. de muſica cap. 14. & alibi ipſum dubium eſſe, patet; nam in Enchiridion *cap.58. tom.3. pag.75 col.2. lit. C.* inquit: *ſed nec illud quidem certum habeo utrum ad eandem ſocietatem* (loquitur de Angelis) *pertineant Sol, & Luna, & cuncta ſydera: quamuis nonnullis lucida corpora eſſe non cum ſenſu, uel intelligentia uideantur.* Ex quo colligitur tempore Diui Auguſtini maiorem Doctorum partem animata ſydera putauiſſe, cum tantum aliquos oppoſitum ſentientes inducat: Sed & Scotus cùm de hac re loqueretur, dixit. *Quantum ad animationem uidetur eſſe dubium*: & relata D. Auguſtini ſententia ſupraposita; ſubdit. *Sed Hieronymus ſuper Pſalmum. Audite cœli quę loquor: dicit quod loquitur ad animata. Sed alius grecus ſcilicet Damaſcenus aſſerit cęlos non eſſe animatos. Ratio ad hoc ponitur, quia illa anima fruſtra uniretur tali corpori: ex quo non habet ſenſum, nec per conſequens aliquam perfectionem ex corpore acquirat. Sed illud non uidetur congruè dictum, ut forma uniatur*

mate-

Digitized by Google

materia, vt perfectionem accipiat a materia, ſed magis vt perfectionem communicet materiæ, &c Breuiter, ſi cæli non ſunt animati, hoc eſt creditum, & non ratione concluſum, quia nulla eſt cõditio in corpore illo ita perfecto manifeſtè apparẽs repugnare animationi corporis. Scotus in 2. ſen. diſ. 14. qu. 1. §. ſecundum Theolog pag. 141. col. 1. & 2. Sed & D. Thomam etiam aliquando animata ſydera cognouiſſe in opuſc. de Angelis c. 2. & lib. 2. contra gentes cap. 70. refert Benedictus Pererius *lib. 2. qu. 7. in Geneſ. tom. 1. pag. 151. lit. D. E.* quã etiam opinionem defendit Caietanus. Et D. Hieronymus apud Scotum. Sed & hanc ſententiam non eſſe nec erroneam, nec hæreticam probatur primò ex D. Aug. qui lib. 1. Retractationũ *c. 11. to. 1. pag. 11. col 2. lit. B.* ita inquit. *Sed Animal eſſe iſtum mundum, ſicut Plato ſenſit, aliique Philoſophi quam plurimi, nec ratione certa indagare potui, nec diuinarum ſcripturum authoritate perſuaderi poſſe cognoui, vnde tale aliquid a me dictum, temere dictum notaui; non quia hoc falſum eſſe confirmo, ſed quia nec verum comprehendo.* Hæc Sanctus Doctor, qui ſi in ſcripturis reperiſſet oppoſitum illam opinionem falſam dixiſſet. Item Benedictus Pererius loc. citato concludit opinionẽ affirmatiuam nõ eſſe damnatam, nec hæreticam, licet negatiua ſit hodie communis in ſcholis. Item Ioannes Thomas Caſtaldus ord. Prædicatorum, *tract. de Angel. in p. part. D. Thom. in art. 2. quæſt. 51.* D. Thomæ explicatus artic. 2. quæſt. 51. probat hanc propoſitionem. *Sydera non ſunt animata*; non eſſe de fide, nec in primo, nec in ſecundo gradu. Nihilominus tamen veriùs puto Angelos eſſe quidem formas ſtellarum, ſed aſſiſtentes, non informantes: imò exiſtimo omnes illos, qui animas ſtellis dederunt, de aſſiſtentibus Angelis intellexiſſe: ita ſemetipſum explicat D. Thomas. *Ad hoc autem quod moueat Angelus cælum, non oportet, quòd vniatur ei, vt forma, ſed per contactum virtutis, ſicut Motor vnitur mobili. D. Thomas. 1. part. q. 70. artic. 3. in corpor. pag. 684. col 2.* Sed hanc eſſe Platonis opinionem ſcilicet Angelos eſſe formas aſſiſtentes, non informantes ſtellarum, clarè colligitur ex eius verbis in Epinomide. *Impoſſibile eſſe Terram, cęlum ſtellaſque omnes, niſi Anima ipſis aut adſit, aut inſit &c.* Quod aduertit D. Thomas ibid. *Hoc quod Plato poſuit corpora cæleſtia animata, nihil aliud datur intelligi, quam, quòd ſubſtantiæ ſpirituales vniantur corporibus cæleſtibus, vt motores mobilibus. Plato in epinom. pag. 376. col. 1. D. Thom. loc. cit.* Et tandem concilians vtramque opinionem, quòd negantes dixerint non eſſe animata forma informante, affirmantes verò de aſſiſtente intellexerint, ipſe iudicat, concludens. *Sicut igitur patet, quòd corpora cæleſtia non ſunt animata ſicut Plantæ, & Animalia, ſed æquiuoce; vnde interponentes ea animata, & ponentes ea inanimata parua, vel nulla Differentia inuenitur in re, ſed in uoce tantum.* Quod autem quidam contendunt partem negatiuam colligit ex ſacra ſcriptura in Deuteronomio. *Ne forte eleuatis oculis ad cælum, & videas, Solem, & Lunam, omnia aſtra cæli, & deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus. Deuter. cap. 4 verſ. 19.* Falſum eſt, tum quia & Angeli appellantur miniſtri, & ad miniſterium hominum mitti dicuntur. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis*: Tum quia ibi etiam ſimulacrum cuiuſcumque Animalis, nec non hominis, & ipſius Dei interdicitur: & tandem quia nec Angeli tanquam Dij colendi, & adorandi ſunt, vnde tenentes Aſtra anima angelica, & beata informata eſſe, non propterea ea adoranda (ſi gentiles excipias) cenſebunt. His ita præmiſſis concludendum eſt, Angelos eſſe formas aſſiſtentes ſtellarum cum communiori ſententia: (licet oppoſita, nec hæretica dicenda ſit) & hoc eſt pulcrum Angelorum miniſterium, vt pulcherrimatũ creaturarum tam mirifici, & ordinati curſus, nec non ad fœcunditatem terrenorum corporum, tam varij influxus, ab Angelorum nutu dependeant.

5 E conuerſo Dęmones in ſublunari vagantes aere tempeſtates mouent, & ad omnia, quæ homines ſibi offenſos torquere poſſunt mouẽt. Et quia poteſtas eorum maxima eſt, nec ſimilem habeat in terra: (de qua dicitur Iob. c. 41. v. 24. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Quod exponens D. Gregorius addidit. *Poteſtas eius ſuper terram cunctis eminentior perhibetur; quia eſto actionis ſuę merito infra homines deſcendit, omne tamen humanum genus naturę angelicæ conditione tranſcendit. Quamuis enim internę felicitatis beatitudinem perdidit, naturę ſuę magnitudinem non amiſit) D Gregor. Magn. lib. 34. cap. 17. moral. to. 2 pag. 1101. lit. C.* niſi a Deo, vel eo iubente a ſanctis Angelis refrenarentur, mundum vniuerſum perderent. Sed non omnes hac gaudent libertate per aereos ſpatiari campos: namque nequiores vltricibus flammis addicti, diuinæ vindictæ exequutores ſunt in homines damnatos, ad quorum cruciatum æternum commouent ignem: Hoc colligitur ex verbis Dei ad Iſaiam *cap. 54. uers 16. Ecce ego creaui fabrum ſufflantẽ in igne prunas.* quod de diabolo D Hieron. exponit. *Ego qui creaui fabrum ſufflante in igne prunas, idest Diabolũ omnium malorũ artificem, non neceſſitate naturę, ſed mentis arbitrio. D Hieron. in Iſai to. 4. col 389. lit. A* Hoc igitur malorum eſt miniſterium; dignum ſanè, vt qui Principatus ſedem, & honorem perdidit, ſatellitis, imo Carnificis vituperabile exerceat officium. Multa tandem poſſunt Angeli tam boni, quam mali in corpore aſſumpto operari, quod de ſe patet in ſcripturis, & experientijs.

6 Concludamus hanc materiam de Angelorum caſu breuiter determinantes; illud præmittentes: Angeli, & Dæmonis nomen tam bonis, quam malis reuera conuenire, nam omnes, & ſapientes ſunt, & nuncij mittuntur: tamen apud Catholicos vſus euicit, & antiqua Eccleſiæ conſuetudo, vt Angelus pro bono, Dæmon pro malo ſupponat: quare da hac malitia differendũ eſt, quæ Angelos, dæmones effecit. In primis tanquam certum ſupponendum eſt durationem, & menſuram Angelicarum operationum diuiſibilitatem admittere; neque illud ſpatium, in quo viatores fuerunt, ſiue appellentur inſtantia, ſiue moræ, eſſe omnino indiuiſibile, ſed ad proportionem temporis noſtri ſuis partibus cucurriſſe. Deinde Angelos, vt vidimus, & diſcurſus, & in eo mutabilitatis ſententiæ capaces eſſe, cum nulla detur ratio conuincens oppoſitum: ſolus enim Deus immutabilis eſt, & diſcurſu caret, quia infinito intellectu, & infallibili voluntate præditus; creatura vero quæcumque, eo ipſo, quo creata eſt, finita, & limitata, & mutabilis, & defectibilis, & menſurabilis eſt; Vnde & conſequenter dicendũ eſt, & aliquo ſpatio diuiſibili durationis viatores fuiſſe, & pænitentiã reſpuiſſe; & non vno dũtaxat peccato gratiam, & gloriã demeruiſſe, ſed pluribus. Primo quidẽ curioſitas Angelos mouit (Radix quippe omnium malorũ, & quæ Euã ad inobedientiã traxit) ad conſiderationem propriæ Pulchritudinis, arcanorũ Deitatis, & ęternę beatitudinis. Hinc excitata voluntas ad deſideriũ illius beatitudinis; ſed inordinatè ſcilicet tanquam ſuæ excellentiæ debitum, non Dei donum. Hoc inſinuat D. Bernardus. *Totius diſputatiunculę hęc ſumma ſit, quòd per curioſitatem a ueritate ceciderit; quia prius ſpectauit curioſe, quod affectauit illicite, ſperauit pręſumptuosè. D. Bernard. Abb. Clareuall. de gradibus Humilit. de 1. grad. ſuperb. col. 975. lit. M.* En quomodo curioſitate allectus ad immoderatum deſiderium adductus eſt; qui & a D. Anſelmo luxuria ſpiritualis cenſetur, dum amore concupiſcentiæ ſeipſum inordinatè diligens, tanquam bonum ſibi maximũ, ſed ſuæ naturæ debitum, Beatitudinem illam cõcupiſcebat. *Nihil*, inquit ille, *regulat illam uoluntate non rectam, niſi inordinatus apetitus, & immoderatus illius maximi commodi, ideſt Beatitudinis. D. Anſel. de caſu diab. cap. 4. ap. Scotum.* Hinc ſuperbia, & inuidia ortum duxere, nam ſe exiſtimans excellentiſſimam creaturam, & omnium Principem, Dei ſimilitudinẽ, & æqualitatem per vnionẽ hypoſtaticam concupiſcens tantũ bonũ homini præ-

Digitized by Google

præparatum inuidit. Quod inſinuat Angelicus Doctor, inquiens: *Poſt peccatum ſuperbiæ cōſequutum eſt in Angelo peccante malum inuidiæ, ſecundumquod de bono hominis doluit. D. Thom. 1. p. quæſt. 63. art. 2. in corpor.* En quomodo ſecūdum D. Thom. non ſimul cum ſuperbia, ſed poſt ipſam, peccatū inuidiæ in malis Angelis excitatum eſt. Verum quia hæc in diuina voluntate, & arbitrio ſepoſita eſſe ſciebat, etiam Deo inuidit potentiā, & gloriā, & ita odio proſequutus eſt Deum, vt optaret, & deſideraret Deum non eſſe, ipſumque interficere, ſi potuiſſet: idcirco de eo dictum eſt per os Domini noſtri Ieſu Chriſti: *Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit. Ioan. cap. 8. ver. 44.* Quod & ipſe diabolus, iubente Deo, coram Beata Brigitta *Vide Reuel. B. Brigittæ lib. 1. cap. 34.* confeſſus eſt, ſe Deum perdere deſideraſſe, ex inuidia ad odium protumpens; quod & docet ſubtiliſſimus Magiſter meus Scotus. *Incæpit malitia Dæmonis ab immoderato amore ſui, quod non erat maximum peccatum, & conſumebatur in odio Dei, quod eſt maximum peccatum; quod ſequebatur ex hoc, quia non poterat habere volita, manente Deo. Scotus in ſecundo ſentent. diſ. 6. quæſt. 2. Reſponſ. ad 4. principale.* Atque ibi multa in Angelo peccata fuiſſe ſuſtinet, & in ſtatu viæ pænitere potuiſſe. Verum enim vero, neque ſolus appetitus, & ſi inordinatus, Beatitudinis videtur ſufficiens ad ſaluandam æqualitatem Dei a Diabolo appetitam, quam & Luciferum appetiuiſſe communis Eccleſiæ ſenſus ſuſtinet: neque ex oppoſito re vera creaturam ſapientiſſimam impoſſibile appetere potuiſſe. Non me latet Amorem ſui inordinatum, vbi voluntatem ad concupiſcendum accenderit, eam excæcare, ac ad impoſſibilia deſideranda impellere; non enim impoſſibilitas boni appetiti, vel difficultas id conſequendi, amorem frenat, aut deſiderium coercet, quia quòd appetit non conſiderat: vt optimè adnotauit Rauennatum Antiſtes. *Quid erit, quid debeat, aut quid poſſit non reſpicit uis amoris. Amor ignorat iudicium, ratione caret, modum neſcit. Amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium. D. Petrus Chriſolog. ſer. 147. poſt med. pag. 376. col. 1.* Sed cum beatitudinem ſupernaturalem ſibi promiſſam ſciret, & meritis acquirendam, non poterat ita deſperare de ſibi promiſſo bono. Vnde dicendum eſt appetijſſe Dei æqualitatem eo modo, quo poterat, ſcilicet per vnionem hypoſtaticam, ita vt Deus effectus, & Deo ipſi ſimilis, & æqualis, & omnibus angelis ipſe eſſet ad beatudinem via, & medium; & quia ſciebat hoc bonum homini reſeruatum inuidit illi, & per ſuperbiam illi eſſe ſubiectus noluit, nec per illius medium æternam, & ſupernaturalem conſequi Beatitudinem. Cæteri vero rebelles Angeli hoc bonū deſiderabant Lucifero vt per medium creaturæ nobiliſſimæ, & natura eorum Principis, non per hominem, qui ipſis videbatur vilis, & ignobilis, aditus eis pateret ad gloriam; & ſic potius voluerunt ſubijci Lucifero, & damnari, quam Deum hominem adorare. Atque hoc prælium inter Angelos fuit, nam cum Chriſtus Dominus adorādus proponeretur (iuxta illud Ad Hebreos. *Et cum iterum introducit Primogenitū in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei: Ad hebr. cap. 1.* quæ ſecunda introductio eſt reuelatio Angelis facta; nam prima introductio eſt æterna generatio Verbi) Lucifer, & Angeli eius nolebant hunc mediatorem ad gloriam, boni vero eum libenter adorauerunt, & hæc diſſentio prælium fuit a Ioanne deſcriptum. *Factum eſt prælium magnum in Cælo Michael & Angeli eius prælabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo: Apocalipſ. cap. 12. uerſ. 7* quia vero ſancti Angeli cognoſcentes, & adorantes mediatorem ad gloriam Verbum carne amictum perſtiterunt in gratia, & ad gloriam euecti ſunt, ideo ſubdit Ioannes: *Et ipſi vicerunt illum in ſanguine Agni*, ideſt per fidem in Chriſtum. Hæc opinatio mea non eſt ſed trium grauiſſimorum Doctorum: Primus qui eam inſinuat eſt Alexander de Ales Seraphici Bonauenturæ, & Angelici Thomæ quondam Pariſijs Præceptor, Qui hæc habet. *Lucifer præuidit rationalem creaturam aſſumendā in vnitate perſonæ filij Dei; vidit & inuidit. Vnde inuidia fuit cauſa caſus Diaboli; & mouēs ipſum ad tentandū hominem, cuius felicitati inuidebat, per peccatum demereretur humana natura aſſumtionem, & vnibilitatem ad Deum. Alex. de Aleſ. 3. p. qu. 2. memb. 13.* Quod igitur ipſe aſſequi non poterat, etiam homini deturbare, ſed incaſſo conatu moliebatur. Secundus, qui totum meum diſcurſum ad verbum habet, eſt Sanctus Bernardinus Senenſis, vir doctrina conſpicuus, & ſanctitate illuſtris, cuius talis eſt ſententia. *Prima quidem occaſio quare Diabolus ſanctam Eccleſiam primò in Angelis in Cælo, ſecundò in hominibus in terra impugnauit, & perſecutus eſt, extitit fides Chriſti incarnandi, quem Deus propoſuit vniuerſalem mediatorem interſe, & rationalem creaturam. Non enim fas eſt dicere plures eſſe mediatores, nec rationalem creaturam abſq; mediatore per gloriam ad Deum accedere, cum non ſuppetant merita Angelorum, vel hominum ad acquirendam gloriam ſempiternam. Proinde cum creaſſet Angelos Deus in libertate naturæ, reuelauit eis incarnationem filij ſui, quem propoſuit Dominatorem vniuerſæ terræ, vt per hæc, ſi vellent, Chriſti meritum, & gratiam aſcenderent a natura ad gloriam, & qui nollent ruerent a natura ad æternam pænam. D. Bernar. Senenſ. ſer. 56. Fer. 6. in Paraxe. art. 1. cap. 1. to. 2. pag. 402. col. 1.* Hæc Bernardinus; qui cum bonorum aſſenſum, meritum & præmium narraſſet, tandem de malis concludit. *Cæteri vero ſuperbientes Angeli circumuentione Luciferi attracti, contemnebant inferiori naturæ ſubici; & ad hoc inuidebant paſſioni Chriſti.* Quam opinionē etiam amplexatum fuiſſe Diuum Bernardum teſtatur idem D. Bernardinus; & in hunc ſenſum Diaboli inuidiam explicaſſe; de qua dicitur Sap c. 2. *verſ. 4. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Ita Bernardinus. *Dæmones in creationis exordio Chriſtum incarnandum viderunt, & illi inuiderunt ſecundū Bernardum: ex inuidia Diaboli mors introiuit in orbē terrarum. D. Bernard. Abb. Creual. ap. D. Barnad. Senenſ. ſer. Dom. Reſur. art. 1. cap. 3. tom 1. pag. 305. col. 1.* Sed iam tertium adducamus Doctorē Ioannem Vigherium Granatenſem ordinis Prædicatorum, inſignem Theologū Academiæ Tholoſanæ, qui elapſo ſæculo floruit. Hic igitur in ſuis theologicis inſtitutionibus, de voluntate angelica loquens, inquit. *Lucifer in ſecundo inſtanti pulchritudinem, nobilitatem, & dignitatem ſuæ naturæ conſiderans, & ſe eſſe ſuper omnes creaturas, non aduertens ad gratiam, quā Deus illi dederat, in ſuperbiam elatus, beatitudinem & eminentiſſimum Cæli empyrei locum humanitati Chriſti filio Dei hypoſtaticè vniendi præparatū (qui locus dextera Dei in ſacris literis nuncupatur) appetijt, & naturæ humanæ inuidit; votumque, ſiue deſiderium ſuum omnibus alijs Angelis, quibus naturaliter præerat, oſtendit. Et quemadmodum in naturalibus omnibus Angelis præerat, volens etiam in gratuitis præeſſe eis, vt ipſum in mediatorem perueniendi ad beatitudinem ſupernaturalem loco Chriſti eligerent, & illi aſſentirent, ſuggeſſit, dixitque: In Cælū aſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo: &c. Iſai cap. 14 uerſ. 14. In eodem inſtanti boni Angeli ad gratiam aduertentes, & ex fide præuidētes paſſionem Chriſti mediatoris, eius rapinæ non conſenſerunt, ſed illi reſtiterunt, &c Magiſter Ioannes Vigherius Granatenſis. lib. Inſtiut. Theologicar. cap. 3. de Voluntate. § 2. de angelica verſ. 15. pag. 33. lit A.* Et proſequitur probans vnionem hypoſtaticam appetiuiſſe. Hoc autem poſſibile fuiſſe manifeſtum eſt, nam vel perſona nihil addit ſupra naturam, niſi negationem dependentiæ, vel addit aliquid poſitiuum, nam de hoc eſt duplex opinio, & Scotus problematicus eſt; ſed quodcumque addat ſeparabile eſſe a natura, abſque ſui deſtructione, nullo modo inconueniens videtur nec datur ratio conuincens oppoſitum. Imò ex ſacris literis potius affirmatiua pars deducitur; etenim cum Apoſtolus Paulus

lus

Digitized by Google

lus ad Hæbreos ſcribens dicat, tanquam maximum Dei beneficium Deum humanæ naturæ (imò & hæbraicæ) hypoſtatice vnitum, & non angelicæ; *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*; *Ad hebr.cap.2.verſ.16* quod de vnione hypoſtatica intelligit Gloſſ. interl. *Nuſquam Angelos, ideſt naturam angelicam apprehendit, vt eam redimeret*: ſupponit illud fuiſſe poſſibile; nam quod ſpeciale beneficium eſt quod fieri non poterat factum non fuiſſe? Hæc igitur Angelorum culpa fuit; Luciferum Deum eſſe per vnionem hypoſtaticam, & mediatorem ad gloriam habere voluiſſe; & idcirco homini Deo ſubiacere abhorruiſſe: ſed ſuperbiæ ſuæ pœnas, æternis mancipati flammis, dedere. Poſſemus his addere, B. Amadei noſtri ordinis reuelationem, ſed quia nedum ab Eccleſia approbata eſt, neque relatis authoritatibus eſt diſſimilis, illam dimittere tutius eſſe iudicauimus. Atque hæc breuiter de Angelorum natura, miniſterio, poteſtate, & caſu dicta ſufficiant: qui de his pleniorem doctrinam deſiderat, relatos a me Doctores conſulendo procul dubio conſequetur.

§. III.

De Igne æthereo, terreno, & ſubterraneo.

1 ET *miniſtros tuos ignem vrentem*: Licet Pſaltes ſecundo verſu creationem ignis ſub nomine lucis expreſſerit; nihilominus, hic ſub proprio nomine de igne commemorationem facit, vt oſtendat ignem præcipuum Dei Miniſtrum, & inſtrumentum eſſe: quapropter ſub nomine Dei miniſtri ipſum introducit: quod Incognitus animaduertens, dicit: *Hic agit de elemento ignis, quod Deus ad libitũ aſſumit ad ſuum famulatum: & miniſtros ſuos ignem vrentem; ideo hoc dicit ad oſtendendum quod Deus elemento Ignis vtitur ad votum. Incognitus in Pſ* 103 Eſt autem Ignis Vnum ex elementis, imò inter illa præcipuum, cum rerum vita, & generatio ab eo dependeat: neque enim nutritio, aut generatio cuiuslibet viuentis ſine calore, ab igne infra terras, vel intra viſcera incluſo, fieri poteſt. Vnde ex quatuor elementis, Duo magis actiua, hoc eſt aqua & ignis, duo vero magis paſſiua, ſcilicet terra, & aer cenſenda ſunt. Quod autem Morandus in ſuo curſu Philoſophico inquit, Ignem non eſſe elementum, falſum conuincitur, cum & rationes eius falſæ ſint; & præcipuè cùm ignis ſphæram negat, & ideo eſſe elementum non poſſe, cum propriam ſpheram non habeat: quod autem ſphæram non habeat, videtur ſibi demonſtratum eo quod locus eius eſſe deberet ſupra aerem, vbi (vt bene ille probat) non eſt. Sed neque neceſſe eſt ibi eſſe ignem, neque ſphæram ignis ille cognouit. Neq; enim neceſſe eſt ignem, poſito quod aere leuior ſit, quod dubium videtur, ſupra aerem collocari, ſed in eo loco, quo ad generationem aptior eſſet; & ſic ignis in viſceribus terræ collocatus eſt, vbi omnium rerum generationem, & omnium viuentium vitam cauſat, & ſuſtentat. Quare Dauid ſapientiſſimus Prophætarũ, enumerans creaturas Deũ laudātes inter cæleſtes enumerat ſydera, Cælos, & ſuper cæleſtem aquam; inter terrenas vero ignẽ: cum enim dixiſſet; *laudate Dominum de terra*; ſubdidit; *Ignis, &c. Pſal* 148.*verſ.*7.8. Inter terrenas creaturas ignem collocans, & rationem reddit D. Hieronymus quia Ignis ad ortum, & vitam omnium rerum deſeruit. *Vniuerſa, quæ naſcuntur ex aqua, naſcuntur ex igne; hoc eſt, ex humore, & calore: nec Ignis ſolus generare poteſt ſine humore, nec humor ſine igne. D. Hieronim.in Pſal.*148.*to.*7.*col.*425 *lit.B.* Sicuti in Animalibus, Ignis natiuus non in capite, ſed in corde reponitur, vt toti corpori calorem ad nutritionem, ſeu aggenerationem miniſtret. Quod etiam patet de pullis gallinaceis in Ægipto, qui per calorem ignis in fornacibus generātur. Et hinc patet ſubſtantiam eſſe Ignem, vt concorditer Plato, & Ariſtoteles docuerunt; eſt autem Ignis ſubſtantia lucida, & vrens; quod docet D. Hieronymus in Pſal.77. vbi referens Pſaltes igneam columnã, quæ ducebat Iſraelem, *Tota nocte in illuminatione ignis. Pſal.* 77.*verſ.*14. eius naturam declarat D. Hieronymus: *Ignis duplicem habet naturam lucet, & vrit: D. Hierony in Pſal.*77.*to.*7.*col.*227. *lit* G. Sed & Saluator mundi eaſdem qualitates Igni dedit, dum per comparationem de Ioanne dixit. *Ille erat lucerna ardens, & lucens*: *Ioan c.*5.*verſ.*35 Et Apoſtolos erudiens alibi dixit: *Sint lucernæ ardentes in manib us veſtris. Luc.cap.*12.*verſ.*35. Viuere autem ignem, ſaltem anima vegetatiua, ex eo colligitur, quod nutriatur, & pabulo egeat, ſicut omnia alia viuentia, quæ continua aggeneratione ſubſtantiæ nutriuntur; & cum ignis deſinit eſſe, mori dicitur; quę autẽ nutriri, & mori dicũtur, etiã viuere neceſſe eſt: indiget igitur pabulo, & eo deficiente petit, & moritur; ſicuti omnia viuentia; hoc autem magis perſpicitur in igne, quia edaciſſimus, & actiuiſſimus eſt. Ad ſui igitur decorem lucet, ad nutritionem, & conſeruationem vrit, & ardet. Ignis propterea elementorum, ac omnium creaturarũ pulcherrimus, Diuinam, vnicam, & indiuiſam Triadem in ſe mirabiliter oſtendit, nam eo ipſo, quod Ignis ſubſtantia creatur a Deo, ingenita quidem eſt, ſed generat lumen, ſeu ſplendorem ſibi tamen conſubſtantialem, & coæuum; ex ſubſtantia autem, & ſplendore, ſeu ex luce, & lumine reſultat calor, ſeu ardor eſſentialis ipſi igni. Quo exemplo Diuus Auguſtinus contra Peſcennium vſus eſt, inquiens. *Ignis in ſubſtantia ſua in qua eſt a Creatore creatus, eſt quidem ingenitus, ſed genito a ſe ſplendori conſubſtantialis eſt, & æternus. D. Auguſtin.epiſtol* 178.*to.*2. *pag.* 303. *col.*1 *lit. D.* Sequitur ergo igni eſſentialia eſſe lucem, & ardorem.

2 Celebris eſt autem Ignis a Platone *in Epinomide* diuiſio in æthereum, & terrenum. Sed ſi pro æthereo ſummitatem Aeris intelligit, ille vtique non datur, vt manifeſtum eſt apud modernos: Pro quo videndi ſunt Blancanus in ſua ſphæra. Recta in ſua meteorologia, & Morandus in ſuo curſu Philoſophico part. 3. Si verò pro cæleſti, ſeu æthereo, cæleſtia ſignificauit corpora; de his hic non agimus, ſed cũ de Sole erit ſermo de cęleſti igne ſermonem habebimus; ſolum hic contra Morandum inſinuamus ſphæram Ignis non vnam, ſed plures eſſe, ſcilicet Sol, & plurima alia ſydera, quæ ſupra Aerem collocare manifeſtum eſt. De terreno autem igne hic, & de ſub terraneo §. ſequenti videndum eſt; ſubdiuiduntur autem hi Ignes in plures alias veluti ſpecies; quas recenſet D. Ioannes Chriſoſtomus. *Vide quanta ſit differentia in igne, hic quidem eſt in Sole, ille uero in Luna, alius in fulgure, alius in aere, alius qui fit ex lignis, alius qui eſt apud nos, & is qui eſt in lucernis; alius qui ex terra (eſt enim ſæpè eiuſmodi ignis, qui e terra editur ſicut fontes aquarum) alius qui fit ex colliſis lapidibus. D. Ioan.Chriſoſtom in Pſal.*134.*to.*1. *col.* 1074.*lit.D.* Secunda & principalis eiuſdem ignis diuiſio ex Platone *in Timæo*, eſt in lucem, flammam, & prunã; quam & indicare videtur. Vgo de S. Victore, dum ait: *Triplex eſt ignis natura, qui naſcitur, qui paſcitur, ideſt nutritur, & qui depaſcitur, ideſt conſumit. Hugo Victor.ap. Reſtam.in Meteorolog. lib.*1.*Tract.*5.*cap.*4 *pag.* 195.*col.*1. Hinc oriuntur quatuor ignis proprietates; nã omnia comburit, & deſtruit ad ſui nutritionem, calefacit etiam & ad aliorum, & ad propriam vitam conſeruandam; & cum deſtruit combuſtibilia, incombuſtilia purgat, & tandem omnia illuminat. Idcirco autem diuinus ſpiritus in igneis linguis apparuit, nam vrit peccata, purgat memoriã, calefacit, cor, & illuminat mentẽ; hoc oſtẽdit Gloſſ *Ignis enim quatuor habet naturas, vrit purgat, calefacit, & illuminat; ſic ſpiritus exurit peccata, mentem purgat, torporem excutit, ignorantes illuminat. Gloſſ. ordin.in cap.*2.*Act. pag* 166. *lib.G.* De his tribus ſpeciebus ignis, quæ ſunt lux, flamma, & pruna vnam eſſe ſpeciem dicimus, & ſolum differre materialiter penes materiam. De luce ſupra diffuſè egimus, &

& ſubſtantiam eſſe probauimus. Porrò flamma eſt fumus ardens; fumus nihil aliud eſt quam eſalatio quędã calida, & humida, cuius humiditas pinguis eſt, & propterea inflammabilis; nam omnis pinguedo humida eſt; & omnis ignis pinguedine nutritur: hoc patet in excrementis Ignis, ideſt cineribus, quæ cum ſint omninò ſiccæ, omniſque humidæ pinguedinis expertes, inflammabiles non ſunt. Hic fumus, ſeu exhalatio ex omnibus corporibus humidis attrahitur virtute ignium ſiue cæleſtium, ſiue terrenorum: cum autem hic fumus extra corpus, a quo exhalatur, accenditur flamma ſine pruna fit: qua de cauſa vel in malo nauis tempeſtatum tempore, vel in cæmeterijs mortuorum, vel alibi flammæ videntur ſine aliquo inflammato, ſeu ardenti corpore: & ſimili ratione puto, cùm ignis a Deo in vltionẽ miſſus eſt, flamma nuncupatur, vt in Pſal. 105. v. 18. *Flamma combuſſit peccatores*: & Luc. c. 16. *verſ.* 24 *de Igne infernali*: *Quia crucior in hac flamma*. Quia Dei potentia fumus, ſeu exhalatio tunc inflammatur; Tandem pruna eſt ignis in materia aliqua ſolida, quæ tantum circa partes extimas in ignem abijt, & paulatim tota in ignem reſoluitur, quæ materia cum parum habet fumi, ſeu cum modica eſt vis ignis ad illum euaporandum, ſola pruna ſine flamma videtur: hoc autem prouenit ex denſitate materiæ, & ex paruitate pinguedinis, quæ ignem nutrire debet: quod præcipuè in ferro videtur, cuius parua quantitas, nec niſi longo tempore in ignem tranſit; omnia namque ab igne abſumuntur, cum edaciſſimus, ſit in quib. aliquid pinguedinis reperitur: quare D. Ioannes Chriſoſtomus *Homil. 12. in Geneſ. cap. 2. to. 1. col. 65. lit. A.* inquit. *Videre hoc licet in igne, cui abſumptiua natura eſt: omnia enim domat, materiam lignorum, lapidum, corporum, & ferri, idque magna facilitate.*

3 Ignis natura quodammodo delibata pro illius completa cognitione aliquid aliud remanet diſcutiẽdũ: Vtrũ videlicet Ignis ſiccus, vel humidus cenſendus ſit. Ariſtoteles ſua vana primarum qualitatum combinatione, putauit Ignem calidum, & ſiccum eſſe: ſicuti Aerem calidum, & humidum; ſed ſicuti cùm de Aere loqueremur ipſum frigidum eſſe, & ratione, & aliorum Philoſophorum authoritate probauimus; ita in præſenti ignẽ humidum eſſe demonſtrabimus. Ante omnia ne æquiuocemus in terminis quid ſit humidum explanandum eſt. Ariſtoteles ſic humidum definiuit *lib. 2. de Gener. tex. 9. Humidum autem quod interminabile proprio termino, facilè terminabile exiſtens*. Scilicet humiditatem eſſe qualitatem quamdam facientem corpus per ſe interminabile, ideſt ſine vlla figura & termino, ſed facilè figurabile, & terminabile ab extrinſeco; ſed hæc definitio tam mala eſt, vt aliæ peripatheticæ, quæ vt plurimum ab extrinſeco rei eſſentiam determinantes, ipſam minimè declarant. Cum igitur ab humore dicatur humidum, vt terreum a terra, debet humiditas non in aliqua negatione, ſed in aliquo poſitiuo: poni: *eſt igitur Humiditas qualitas reddens corpora liquida, & fluida, & tractabilia, ideſt alijs corporibus duris, & ſiccis cedentia*. Quæ definitio cùm omnibus liquoribus, & humoribus conueniat etiam igni conuenire experientia docet; nam & effluit ignis, & liqueſcit, & non ſolum ſolidioribus cedit corporibus, verùm etiam ipſi aeri, a cuius concitatione agitatur; & quod fluat etiam patet, nam in continuo fluxu mouetur, nec vnquã flamma quieſcit: eſt igitur mollis, non durus, fluens, nõ permanens, cedens, non reſiſtens; cum è contra ſicca corpora, ſint dura, quieſcientia, & reſiſtentia. De figura vero quam Ariſtoteles humidis negauit corporibus, falſum eſt; nam aqua quæ humidiſſima eſt propriam habet figuram, nam & vbi quieſcit in orbem ſe figurat, & cum proijcitur in orbiculares figuras decidit; nam guttas aquę ſphæricas eſſe grandinis congelatio demõſtrat. Neque obſtat obiectio, quod alia exiccet corpora; nam hoc eſt per accidens; imò hinc probo euidenter Ignem humidum eſſe. Suppono in primis ignem nutriri, & pabulo ad ſui conſeruationem egere, quod ad ſenſum nouimus. Secundo ſuppono vulgare illud Phiſicorum Axioma. *Similia ſimilibus nutriuntur*. Tertio ſuppono materiam licet humidam, dum calida non eſt, igni contrariam eſſe, nec ſtatim exuri; ſicuti è conuerſo materiam omnino aridam, quæ humiditatis, ſeu pinguedinis nihil habet eodem modo non exuri faciliter: primum patet in aqua pura, ſecundum in arena, & terra pura: & in varijs mixtis. His poſitis ſic arguo. Similia ſimillibus nutriuntur; ſed ignis nutritur calido, & humido; igitur eſſentialiter eſt calidus, & humidus. Idcirco autem exiccat, quia conuertendo in ſui ſubſtantiam pinguem humiditatem, ſiccitatem tanquam excrementum relinquit, vt patet in cineribus. Ignẽ humidum agnouit Teleſius, etiam definitione peripatherica ſuppoſita; ita enim refert Franciſcus Reſta in ſua Meteorologia. *Cenſuit tamen Teleſius ignem eſſe humidum, nam facilè alieno termino figuratur, difficilè proprio. Teleſius ap. Reſtam. lib. 1. tract. 5. cap. 18. pag. 297 col.* 1. Hæc Reſta. Nam quod pyramidalis apud nos ignis, ſeu flamma videatur, illa non eſt ignis ſed fumi exhalati figura, cuius inflammatio eſt ignis; cum enim naturaliter virtus imminuatur in pyramidem deſinit; quam figuram fumus etiam non accenſus habet. Inſuper Ignem humidum agnouit Virgilius, qui ipſum liquidum appellauit: *Et liquidi ſimul Ignis. P. Virgilius Maron. egloga* 6. Imò, & Ariſtoteles fluidũ dixit ignem. Plato autem in Phedone ſub terra igneos agnouit fluuios; aſſeuerans ibi eſſe; *Plurimum ignem & ignis ingentes amnes*. Sed vt relinquamus ethnicos, progrediamur ad ſanctas doctrinas ſcripturæ ſacræ: Ignem fluidum Daniel ſanctus deſcripſit dum tamquam fluuium rapidum, ab ignea Dei ſede fluere conſpexit. *Thronus eius flamma ignis: Fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur a facie eius: Daniel cap. 7 v. 10* & rationem reddit D. Hieronymus, *Vt peccatores traheret in gehennã. D. Hieron. in cap. 7. Daniel. tom. 4. col. 1138. lit. D.* Hoc autem interpretatur D Hippolitus Martyr de igneo fluuio, qui in nouiſſimo temporum Vniuerſum inflammabit; inquit enim. *Fluuius enim igneus egrediens cũ furore inſtar maris ſæui exuret montes & colles, & mare delebit, & æthera velut ceram inflammatio diſſoluet. D. Hippolitus Epiſcop. Martyr. orat. de Conſum. mundi ap. Biblioth. VV. PP. tom. 2. col. 18 lit. A.* De hoc igneo fluuio loquebatur D. Paulus Ad Corinthios, inquiens. *Vniuſcuiuſque opus dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit: Si cuius opus arſerit detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem. 1. Corint. c. 3. verſ.* 13. 15. Quod expendens D. Auguſtinus ſubdit. *Sic tamen quaſi per ignem; per fluuium igneum: de quo propheticus ſermo commemorat: Et fluuius igneus currebat ante eum: per fluuium igneum; & vada feruentibus globis horrenda tranſibunt. D. Aug. lib. 50. homil. Hom. 16. to. 10. pag. 165. col. 2. lit. D.* Ignem porrò in fluuium currere, alteri fidem habere ego poſſum, qui Anno 1631. menſe Decembri, proprijs oculis igneos fluuios, e voragine Veſuuj montis ad exurendas valles, vineas, terras, villaſque fluere conſpexi: Inſuper ex Geneſi habemus Deum ignea pluuia, ſulphureaq; nefandas Vrbes conſumpſiſſe. *Pluit igitur Dominus ſupur Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de Cælo. Gen. c. 19. verſ.* 24. De qua pluuia D. Ioannes Chriſoſtomus inquit. *Cum vero lapſum Cælo imbrem igneum, atque omnino terribilem cerneret. &c lib. 2. de Prouid. Dei tom. 5. col. 541. lit. C.* Ex his omnibus euidenter conuincitur humidum eſſe ignem cum in fluuios fluat, in pluuias liqueſcat. Quod autem dicit Auerſa, quem ſequitur Reſta loco citato, Ignem eſſe veluti arenam fractã in minutiſſimas particulas, & ita eſſe figurabilem ſicuti arenam; non obſtat, nam idem de quocumque humore ſi dicerem, nequaquam conuinci poſſem: ſicca corpora omnino influxibilia eſſe tenendum eſt, & minimè liquida, ſeu mollia, ſed omnino pura, aliàs enim nulla in-

ter

Digitized by Google

ter ſiccum, & humidum vera differentia aſſignari poſſet. Neque ex ignis, vel aquæ effectibus aliqua differentia colligi poteſt: nã dantur corpora quæ medio igne ſiccantur, & durantur, & alia, quæ liqueſcunt: & è conuerſo quędam alia aqua ſiccantur, & alia aqua liqueſcunt. Pro exemplo inſeruiat cera, quæ aqua cócreſcit, igne vero liqueſcit: ſal autem igne concreſcit, liqueſcit aqua: item lutũ concreſcit frigore, & ſiccatur calore, &c.

4 Qualitates autem multas Igni accedere ex materia, qua nutritur, conſequens eſt. Etenim pro materiæ qualitate maiorem, vel minorem raritatem, imò quandoque denſitatem habet, vt in pruna videre eſt. Sumit etiam ex materia odores bonos, vel malos, prout materia; hinc ligna cedrina, vel alia mixta artificiosè cõfecta, odoratũ ignẽ reddũt: de quib. Poeta; *Virg. li. 7 Aeneid.*

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

E contra, cum ſulphuream inflammat materiam, fætorẽ maximum diffundit. Hinc aduertit D. Gregorius Magnus, Deum ad Sodomitarum incendium non ſimpliciter ignẽ pluiſſe, ſed ſulphureũ, vt pæna correſponderet delicto: & qui fætido ſcelere inquinabantur, fætido prę̄merentur ſupplicio; ideo ſcriptum eſt: *Pluit igitur Dominus ſuper Sodomã, & Gomorrhã ſulphur, & ignem. Gen. c. 19. v. 24.* Vbi Greg. *Cum Dominus carnis ſcelera punire decreuiſſet, in ipſa qualitate vltionis notauit maculam criminis, ſulphur quippe fætorem habet, ignis ardorem: qui itaq; ad peruerſa deſideria ex carnis fætore arſerant, dignum fuit vt ſimul igne, & ſulphure perirent. D. Greg. Mag. lib. 14 c. 10 mor. to 2. pag. 620. litt. D.* Atq; hac de cauſa mel a Dei ſacrificijs relegatum docet Oleaſter, quia crematũ fætorem edit. Deo namq; ſuauitatis odor ſacrificari debet. *Nec quidquã mellis addolebitur in ſacrificio Domini. Leu. c. 2. v. 7.* Et ſubdit Oleaſter. *in leu. pag. 150. Dulce eſt mel, ſed malè olet ſi comburatur, ideo reſpuit illud Deus.* Tertio ipſe etiam ſplendor ex materia aliquando magis, vel minus acutus euadit; nam in igne terreno acutus eſt vt quorumdã Animalium oculos lędat, in Sole autem acutior eſt, nam etiã humanos oculos hebetat: in fulgure vero acutiſſimus, & ſplendidiſſimus eſt, nã cum Solis radios aliquantiſper ſuſtineamus, fulguris fulgorẽ nec ad momentum ferre valemus, vt notat D. Ioan. Chriſoſt. *Neq; enim fulgure eſt aliquid magis igneum. Atq; fulgur eſt igne ſolari acutius, & ſplẽdidius, & eo magis ſecat, ac diuidit. Id teſtatur viſus, qui cũ radijs ſolis aſſidue congreditur: illius autem impetũ nec tantillum quidem ferre poteſt. in Pſ. 134. to. 1. col. 1074. lit. D* Quarto ex pabulo accedunt igni colores, nam & flauum, & ceruleum, & atrum ignẽ pro diuerſitate materiæ conſpicimus: ipſum vero de ſe, ſicut & Aerem, omni ſpoliatum colore plerique autumant. Ariſtoteles tamen *ſect. 8. Probem. 1.* attribuit igni colorem album, quare corpora animata, calore deſtituta nigreſcunt, & palleſcunt: in fulgure, in quo præſtantiſſimus eſt ignis, albor apparet. Verum inſignis exſperientia id oſtendere videtur. Religioſus quidam meæ Religionis, mihique charitate coniunctiſſimus, primus obſeruauit, & poſtea egomet expertus ſum, ſi perſpicillis fabrefactis radij excipiantur ſolares in ſubiectum eſcam ad debitam diſtantiam ignis à Sole genitus exardeſcit: ſi verò eſca candida ſit, licet ſit multum inflammabilis, vt pagina, vel ille panis conſecrabilis, qui vulgò dicitur *Hoſtia*; dum candorem retinet, numquã inflammabitur; ſi tamen ab eadem eſca aliquo colore, vel ipſo atramento, expellatur albedo, ſtatim, & ſi maxime humida, ob recentem tinturam, cremabitur: cauſa eſt, quia cum *omne agens quærat aſſimilare ſibi paſſum, Philoſophus ap. Scot. in 4. diſ. 34. q. 1. pag. 290. col* 2. in omnino ſimile minimè agit; cum igitur flamma ſolaris in candorem non agat, candida & ipſa exiſtimãda eſt. Optimè ergo dixit ſapientiſſimus de diuino Verbo: *Candor eſt lucis æternæ. Sap. c. 7. v. 22.* Neque minus ingenioſè D. Auguſtinus: *Congruit tamen luci quod album eſt, ſicut nigrum tenebris. D. Auguſt. Hipp. Epiſc. lib. 21. c. 4. de Ciu. Dei. pag. 278 col. 1. lit. D. to. 5.* Et hinc patet, quomodo Chriſtus Dominus in ſua transfiguratione, cùm faciem ſolis ſplẽdore decoraſſet. *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Veſtes ipſę niue apparuerint candidiores: *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Matth cap. 17. v. 2.* candor enim ignis, & cõſequenter ignei ſolis eſt qualitas: quod clarius manifeſtat alius Euangeliſta, inquiens. *Marc. c. 9. v. 2. Veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix.* Neque mirum ſi albeſcere videbantur veſtes à ſplendore ſolis radiantis in vultu, vt æſtimat D. Auguſtinus, a D. Dionisio Carthuſiano relatus. *D. Auguſt.* (inquit ille) *videtur aſſerere, quòd claritas, ſeu albedo apparens in veſtibus, non erat ſubiectiuè in eis, ſed ex illuſtratione aeris candidæ apparebant & albæ; quemadmodum ea pars cæli, cui Sol eſt vicinior. D. Auguſt. ap. D. Dionſ. Carthuſ. in cap. 9 Matth. art. 30. pag. 147. lit. D.* Igitur candidus color igni cenſetur proprius.

5 Cum ignis neceſſarius ſit ad omnium rerum productionem, tota terra ignibus plena eſt; continuò autem ex terra producuntur Bitumina, & ſulphur ad huiuſmodi ignes nutriendos, vt ex odore ignium, e montibus, vel etiam e campis erumpenſium colligitur. Môtium igitur igniuomorum breuem attexere hiſtoriam haud importunum videtur. Incipiam autem a Patrijs, qui maiorem notitiam dedere proprijs oculis inſpecti: Eſt itaque prope Neapolim Veſuuius mons, is non continuò, ſed ſtatis temporibus ignem euomere experientia docuit: recoluntur multæ eius conflagrationes, de quibus Plinius, Baronius, D. Gregorius Magnus. B. Petrus Damianus, D. Auguſtinus, alijq; Authores: hoc ſæculo inſignis fuit conflagratio Anni 1631. me inſpectante; aliæ ſubſecutæ ſunt Anno 1650. & 1659. ſed non adeo vehementes. Ex altera parte Neapolis Puteolani ignes perpetui viſuntur, magna per eos campos ſulphuris copia, nec non balneorum, & arenarum calidarum. Eſt & in Sicilia Æthna, qui vulgo Mongibellus, eſt & Vulcanus, & alij in adiacentibus Inſulis. Flagrãt inſuper montes Hecla in Iſlandia, Chimæra in Licia, in Perſide nonnulli, multi in Africa, nec non in nouo orbe quamplurimi. Pro hac re videantur Plinius, Seneca, alijque veteres, & ex modernis Baronius, & alij apud Franciſcum Reſtam. *in ſua Meteorolog. lib. 1. Tract. 4. cap. 1. pag. 134. & ſequen.* Nobis iſta ſufficiant.

§. IV.

De Igne Purgatorij, & Inferni, quo Deus Peccatores cruciat.

1 ET *miniſtros ſuos ignem vrentem.* Hebręi apud Genebrardum, & alij apud Titelmannũ, nomine Ignis, ignem materialem intelligũt, quo Deus ad malos vtitur puniendos. *Quidam enim,* inquit, Titelmannus, *in Pſal. 103. Flammam ignis, ſeu ignem vrentem, intelligunt ignem materialem punientem malos.* Et licet hoc vel de Sodomitica flamma, vel de Eliſei igne, & aliis huiuſmodi intelligi poſſit; rectius tamen de igne ſubterraneo, æterno, vel temporali cruciatui damnatas animas torquente, declaratur. Nam ignis ille tanquam Dei perpetuus Miniſter ſpiritus, animaſque rebelles cruciat. De hoc ignis maximo miniſterio agendum eſt; & relinquentes ea, quæ de ipſo Plato naturalibus rationib. permotus in Phedone Philoſophauit, catholicè de ipſo trãctantes, prius nobis occurrit de loco iſtius ignis. Vetus opinio apud vulgum credidit in centro Terræ infernalẽ eſſe ignem; ſed hoc eſſe non poſſe naturalis ratio ſuadet, cum nulla actio in ipſo centro fieri poſſit, & locum illum tamquam totius orbis fundamentum, ſolidum eſſe euincit ratio; quare D. Thom. fatetur: *Infernus non poteſt eſſe in centro terræ, ſed eſſe debet aliquanto remotius ab ipſo. opuſc. 11. art. 24.* Baſilius magnus & ſi non in centro tamen circa ipſum, & prope Infernum collocat; cum enim ſcriptura dicat. *Mortuus eſt Diues, & ſepultus eſt in Inferno. Luc c. 16. v 22* Infra terram eſſe demonſtrat: quare ipſe docet. *Eſt autem Infernus quidam locus communis in intimo terræ, obumbratus vndique, & opacus, cuius eſt quoddam orificium in profundum tendens,*

Digitized by Google

dens, per quod patet deſcenſus animabus ad mala damnatis. D. Baſilius Mag. ap. Caten. D. Thom. in cap 16. Luc. pag 213. col. 3. lit C. D. Ioannes Conſtantinopolitanus Antiſtes crediſſe videtur extra mundum Infernum poſitum eſſe, id probans authoritate ſcripturæ, in qua dicitur: *Mittite eum in tenebras exteriores: Matth. c. 22. v. 13.* & exēplo mundanorum carcerum, qui extra Palatia regia ſunt. *Sicut Regum carceres,* inquit, *extra manent, ſic & extra mūdum foris alicubi eſt Infernus: vnde & exteriores tenebræ dictæ ſunt. D. Io: Chriſ. ap. Cat. D. Th. loc. cit.* Verum hoc improbare videtur ipſum inferni nomen, quod locum non extra, ſed infernum deſignat; vnde putat D. Greg Magnus infernum probabiliter eſſe infra terram; imo duplicem eſſe, aliquem nobis propinquum, & in ipſa terra, alium infra terram *Hac de re definire non audeo. Nonnulli namque in quadā parte terrarum Infernū eſſe putauerunt. Alij vero hoc ſub terra eſſe exiſtimāt. Sed tamen hoc animū pulſat, quia ſi idcirco infernum dicimus, quia inferius iacet, quod terra è cælo eſt, hoc debet eſſe Infernus è terra. Vnde & fortaſſe per Pſalmiſtam dicitur: Liberaſti animam meam ex inferno inferiori: Pſal 85 ver. 13. vt Infernus ſuperior in terra, Infernus vero inferior ſub terra eſſe videatur. D. Greg. Mag. lib. 4. Dialog. cap. 42. tom 3. pag. 299. lit. E.* His varijs opinionibus agitatus D. Auguſtinus Inferni locum incognitum hactenus exiſtimauit: *In æternum Ignem miſſi; qui ignis cuiuſmodi, & in qua mundi, vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi fortè, cui ſpiritus diuinus oſtendit.* Hæc D. Auguſ. *lib. 20. cap. 16. de Ciu. Dei. to. 5 pag. 265. col. 2. lit. A.* Nos verò probabiliter dicimus Infernum infra terram eſſe, non tamen ita remotum, vt centrum tangat, ſed ita prope terram, vt multis in locis per igniuomos montes erumpat.

2 Quod autem Ignis in inferno ſit ex ſacris literis apertè cōſtat: quod montes continuum eructantes ignē infernalis carceris oſtia ſint, multæ teſtantur hiſtoriæ, quas apud ſacros hiſtoriatores videre eſt: nobis ſatis erit authoritatem magni Gregorij in medium afferre; qui cum morientis dictum retuliſſet de nauigando ad Siciliam, ſubdit. *Quod verò ad Siciliam ſe duci teſtatus eſt, quid ſentiri aliud poteſt, niſi quod præ cæteris locis in eius terræ inſulis, eructante igne, tormentorum ollæ patuerunt? Quæ, vt ſolent narrare qui nouerunt, laxatis quotidie faucibus excreſcunt, vt mundi termino appropinquante; quāto certum eſt illuc amplius exurendos colligi, tanto & eadem tormentorum loca amplius videantur aperiri. D. Gregor. magn. lib. 4. cap 35. Dialogor. to. 3 pag. 294. lit. A.* Quod de campano Veſuuij monte etiam in dies experimur, ipſum ſcilicet amplius dilatari: atque de huius etiam montis conflagratione, cum præpotens aliquis Peccator moriturus eſt, pulchras hiſtorias, idem ſanctus Pontifex loco citato narrat Quin & *D. Auguſt. Hipp. Epiſ. lib. 50. Homiliar. Hom. 16. to. 10. pag. 165. col. 2. lit. C.* Infernum Puteū igneum eſſe dixit, cuius os alicubi pateat: *Ardens enim inferni puteus aperietur, deſcenſus erit, reditus non erit. De hoc puteo Propheta orat, atque commemorat: Neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum: Ideo autem dixit; Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum; quia cum ſine pænitentiæ remedio infelices peccatores exceperit, claudetur ſurſum, aperietur deorſum, ac dilatabitur in profundum.* Quia igitur non ſolum Animæ, ſed & corpora in infernum detrudenda ſunt, ora habere debet, & dilatari debet in die iudicij; receptis vero damnatis hominibus claudentur hæc infernalia ora, cum ad nihil amplius deſeruire videantur. Quare autem & nunc pateant, cum ſolæ animæ, iuxta communiorem opinionem, in Infernum deſcendant, rationem reddit D. Gregorius loc. cit. Vt ſcilicet infideles eſſe infernum cognoſcant, ipſa edocti experientia: quandoquidem, & propter ipſam Diuinus Plato, addita naturali ratiocinatione, Infernum, & Purgatorium eſſe cognouit, & de vtroque in Phedone apertè loquutus eſt. Sed audiamus D. Gregorium. *Quod omnipotens Deus ad correptionem viuentium in hoc mundo voluit oſtendi, vt mentes infidelium, quæ Inferni tormenta eſſe non credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recuſant.*

3 En quomodo *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum Domini;* vt Propheta teſtatur, Deo in Damnatorum ſupplicio deſeruiunt: etenim nec ſola flamma, ſed gelu, & frigidiſſima ſtagna miſeros torquebunt: ſed de infernalibus aquis hic non agimus, alibi forſan de eis erit ſermo. Verum de tenebris non ommittendum, ideſt vtrum ignis ille immortalium tortor ſit lucidus, vel tenebroſus. Ignis vt vidimus colorem ſuſcipit a materia, attamen lucem habet a ſe, quæ eſt eius proprietas ſicut, & calor; ex alia vero parte infernalis ignis ferè ab omnibus tenebroſus dicitur; & ab ipſo Domino infernales lacus *tenebræ exteriores* vocantur. D. Bernardinus Senenſis tenebras exteriores dictas putat, quia ab æterni ſolis luce ſemotæ ſunt, ſicut enim quæcumque lux reſpectu ſolis ferè non lucet, ita his qui perpetuo a Dei facie relegantur nulla lux lucet. *Eycite eum in tenebras exteriores: Matth. cap. 25. ver. 30. Et meritò dicuntur exteriores, quia extra lucem Domini ſunt. D. Bernard. ſen. to. 2. ſerm. 11. artic. 3. cap 3 pag. 78 col. 1.* Quidam, quos refert Doctor angelicus in ſua catena, putant infernum dici tenebroſum, quia animæ corporibus ſolutæ non amplius apparent, nam prius licet non in ſe, tamen in ſuis operationibus apparebant. *Quidam uero dicunt Infernum eſſe tranſitum ab apparenti ad diſparens, & ad deformitatē Animæ; Quandiu enim Anima eſt in corpore apparet per proprias operationes, ut autem euolat de corpore fit deformis*: ideſt inuiſibilis. *D. Thom. in Caten. in c. 16. Luc pag. 213 col 3. lit. D.* Tartarea ergo flamma ſine luce omninò non eſt; verum lux illa omni tenebra infelicior eſt, non enim ad ſolatium ſplendet, ſed vt Damnati ſuas cernendo miſerias crudelius torqueantur: de quibus Pſalmus; *Peccator uidebit, & iraſcetur: Pſal. 111. uer 9.* ita docet D. Bernardinus. *Erit in inferno aliquid obſcuri luminis, quo ſcilicet Damnati uidere poſſint unde doleant, non unde delectentur; unde Pſalmus: Peccator uidebit, & iraſcetur: D. Bernard. Senenſ. loc. cit. pag. 77. col. 2.* Huic ſententiæ fauet Gregorius Magnus. *Flamma comburit, ſed nequaquam tenebras diſcutit: quamuis illic ignis ad conſolationem non lucet, & tamen, ut magis torqueat ad aliquid lucet. lib. 9. cap. 39. moral. to. 2. pag. 541. lit.* A. Concludendum eſt flammam ibi lucidam, ſed horridam eſſe, & viſu terribilem, vt viſiones terribiles, etiam nolentes videant, vt confundantur.

4 Duplex tormentum inferni incolas excruciat, damnum, & dolor; carentia ſcilicet viſionis beatæ, & ignis combuſtio; & maius eſſe carere bonis, quam cruciari malis ferè omnes cum Apoſtolo fatentur: qui docet. *Et nunc filioli manete in eo; vt cum apparuerit non confundamur ab eo in aduentu eius: 1 Ioan. cap. 2. uer. 28.* Et D. Ioannes Chryſoſtomus *Homil. 57. ad pop. Ant. to. 5 col. 328. lit. C. Non dixerunt ne puniamur, ſed ne confundamur; Hoc enim gehenna multo terribilius eſt ab illa excidere gloria.* Sed de dolore illius ignis effectu, tanquam noſtri inſtituti magis proprio videndum eſt. *Si* de ſpiritibus, & Angelis, & hominibus ſermo eſt, illud videtur dubium, quomodo corporalis ignis incorporeos cruciabit ſpiritus? Hanc difficultatem, vt declinaret D. Auguſtinus corporeos Angelos fecit, aereo indutos corpore, nam & in aerem ignem agere experientia docet; Idcirco dixit. *Quomodo in eo erit pæna malignorum ſpirituum, niſi quia ſunt quædam ſua etiam dæmonibus corpora, ſicut doctis hominibus viſum eſt, ex iſto aere noſtro, & humido, cuius impulſus vento flante ſentitur. Quod genus elementi ſi nihil igne perpeti poſſet non vreret ferueſactus in balneis; vt enim vrat prius vritur, facitque quod patitur. Corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, & hominum, & Dæmonum, ſolida Hominum, Aerea Dæmonum. D. Auguſtin. Hippon. Epiſc. lib. 21. cap. 2. de Ciuit. Dei to. 5. pag. 277. col. 1. lit. C.* Quia vero hæc

ro hæc

Digitized by Google

ro hæc Angelorum corporeitas non ab omnibus admittitur, aliter eſt dicendum: & in primis præmitto ex eodem D. Auguſtino, a Scoto relato; quod dolor proprie dictus non poteſt eſſe niſi in ſenſu, & in habente ſenſum. *Dolor eſt paſſio conſequens apprehenſionem ſenſitiuam, & in appetitu ſenſitiuo*, inquit *Scotus in 4. diſ. 44. quæſt. 3. §. Ad quæſtionem pag. 290. col. 3. & ſequent.* Non poteſt igitur vbi nullus eſt ſenſus, eſſe dolor. Sed eſt alius dolor, qui dicitur triſtitia, quæ eſt de his, quæ nobis nolentibus accidunt; & hic dolor eſt intellectiuus, & poteſt eſſe in ſpiritu: *Triſtitia autem*, ſubdit Doctor, loc. cit. *eſt proprie in appetitu intellectiuo, aut in voluntate; & conſequens apprehenſionem alicuius obiecti noliti*: Hæc triſtitia cruciat ſpiritus, tum quia igni religantur, ita vt extra illum eſſe non poſſint, tum quia Deo iubente (cui coacte ſubijciuntur) ibi ſunt; tum tandem propter multa alia diſconuenientia, nobis ignota. Certè & per apprehenſionem animam maximè cruciari experimur. Sit pro exemplo: Si aliquis tamquam verum apprehenderet aliquod peccatū, vel vitium ſuum, ex quo infamia oriri poteſt, toti ciuitati, vel Prouinciæ manifeſtum eſſe, vtique quam maxime ex hac apprehenſione torqueretur. Scoti ſententiam afferamus. *l. cit. Sic Angelus malus habet nolle detineri perpetuo ab igne; & ſpecialiter ſub iſta ratione, ex ſententia diuina illic effectiue detinente: & ad iſtud nolle inclinat affectio commodi, ſecundum quam appetit liberum vſum potentiæ, vt ſicut natura ſua eſt indifferens ad quodcumque corpus, ſic poſſet ſe facere præſentem cuicumque corpori. Promouet autem ſuperbia propter quam appetit vti propria poteſtate. Conſumat inuidia, propter quam nunquam vellet determinatè eſſe propter ſententiam, vel actionem diuinam, &c.* &c. Si autem de corporibus ſermo habeatur non minus difficile eſt explicare quomodo corpora ab ignis calore alterata non corrumpantur; præcipuè a validis agitatæ, & immutata contrarijs, dicente Iob: *Ab aquis niuium tranſibunt ad calorem nimium. Iob. cap. 24. verſ. 19.* Scotus duplicem actionem agnoſcit in igne realem & intentionalem. *Ignis præſens corruptibili animato anima ſenſitiua poteſt habere in illud duplicem actionem, ſcilicet realem, quæ eſt vniuoca; & intentionalem, quæ reſpectu illius eſt æquiuoca. In 4. ſent. diſ. 44. quæſt. 3. in corpore.* Actio autem intentionalis eſt agere non per propriam formam, ſeu qualitatem, ſed per ſpeciem, ſeu imaginem repræſentatiuam ſui, ſicut obiectum dicimus cauſare viſionem, & immutare viſum intentionaliter, ideſt per ſpeciem, Vlterius docet Scotus, quod actio realis non ſufficit ad dolorem ſine intentionali, ſed intentionalis ſufficit ſine reali ad cauſandum dolorem: & vtramque actionem poſſe habere ignem in corpora damnatorum, ſed actio realis, ſi ponatur, requirit Dei potentiam miraculosè ſubſtentantem ſubiectum ne corrumpatur: ſic igitur concludit Magiſter meus *Scotus loc. cit. Sic ergo dico quod patientur paſſione afflictiua ab igne; & ideo neceſſario paſſione intentionali, non neceſſario reali; ſed ſi illa concomitetur, oportet incorruptionem illius corporis ab extrinſeco ſaluari* Quod autem ille dolor, & ſi ſummus, non ſit de ſe inductiuus corruptionis, & mortis probat D. Auguſtinus tali pacto. *Mirabile eſt enim dolere in ignibus, & tamen viuere, ſed mirabilius viuere in ignibus, nec dolere: ſi autem hoc credunt cur non & illud? Nullam namq; carnem niſi mortalem ſciunt, & hæc eſt eorum tota ratio, vt quod experti non ſunt nequaquam eſſe poſſe arbitrentur. Namque cuius rationis eſt dolorem facere mortis argumentum, cum vitæ potius ſit indicium? Certum tamen eſt viuere omne quod dolet, doloremq; omnem niſi in viuente eſſe non poſſe. Neceſſe eſt ergo vt viuat dolens, non eſt neceſſe, vt occidat dolor. li. 21. c. 2. & 3. de Ciu. Dei to. 5. pag. 277. & 278. lit. C. A.*

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

SVpernorum ſpirituum, qui natura Angeli ſunt, & damnatorum dæmonum eſſentia explicata; nec non & ignis proprietatibus declaratis. Vlterius progrediendum eſt ad eorum tropologicam ſignificationem: Angeli enim, & Ignis, etiam hominibus congruit nomen, vel cum ad diuina mittuntur miniſteria, vel cum ſuperna charitate inflammantur. Dè his igitur ſermonem habebimus.

SVMMARIVM.

1 *Omnes Creaturæ Deo obediunt præter hominem.*
2 *Vir a carnis ſordibus alienus Angelus eſt.*
3 *Prædicatores Euangelici Angeli Dei ſunt.*
4 *Angeli homines illuminando Dei Angeli fiunt.*
5 *Liberalitas Dei proprietas eſt.*
6 *Dei Miniſtri debent eſſe ardentes charitate.*
7 Dei *Miniſtri debent eſſe valoces ad diuina mandata exequenda.*

§. I.

Omnes creaturæ Deo obediunt præter hominem.

1 QVi *facis Angelos tuos ſpiritus.* Angeli vocabulū non naturæ, ſed officij nomen eſſe iam vidimus; Spiritus namque beatos, niſi ad miniſteria a Deo mittantur, eſſe Angelos non merentur: atque hinc euidenter deducitur maximam eſſe creaturarum omnium in diuinis exequendis præceptis obedientiam, cum nobiliſſimæ creaturæ, incognito propriæ naturæ

vocabulo, non niſi nomine, obedientiæ filio, cognoſcantur. Etenim idcirco, etiam cum non mittuntur, Angeli nuncupantur, quia ſemper ad obedientiam prompti, numquam diuinæ voluntati reſiſtentes inueniuntur. Verumtamen cum non ſolum Angeli, ſed & reliquæ creaturæ Deo obediant in ſuis miniſteriis, homo ſolus ſæpiſſimè, ne dicam ſemper, inobediens, ac rebellis Deo inuenitur. Neque eum pudet in hoc ab irrationalibus vinci, nec eū mouet nobiliſſimorum ſpirituum exemplum. Hoc aduertens D. Laurentius Iuſtinianus, eum ſic increpat. *Pudeat igitur hominem poſſe conuinci in diuino iudicio a creaturis, quæ quia ſe non extulerunt ſteterunt. Ad hanc etiam virtutem inuitant illa* Deo *famulantia agmina, quæ ex officio obedientiæ meruerunt Angeli nuncupari; de quibus dicitur: Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* De *obed. cap. 2. pag. 61. lit. A.* Deberet igitur homo, non minus quam Angelus rationis particeps, eius excitari exemplo ad promptam obedientiam, vt & ipſe Angeli vocabulum mereretur.

2 Regius Vates cæleſtē Animam inſtruens, vt poſſit ad diuinum thalamum peruenire: & tanquam Dei ſponſam æterna decorari corona; ipſam ad obedientiam diſponit, dicens: *Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c. & concupiſcet Rex decorum tuum.*

Pſalm. 44. verſic. 12. Sed hic prætereundum non eſt, quod dum ipſam hortatur ad obediendum illis verbis; *Inclina aurem tuam*: etiam ad exemplum aliorum ipſam excitare videtur, inquiens, *Audi filia*. Verum vnde petenda eſt hoc ſingulare obedientiæ exemplum? ex cæleſti ſyderum militia: quis non miretur illa cæleſtia lumina ita ad vnguem exequi Creatoris mandata, vt numquam a percepto itinere in tot ſæculis deuiauerint: eadem peragrantes ſpatia, iiſdem redeuntes circulis, imperturbato curſu per cælorum campos, non arbitrarijs, ſed decretis paſſibus feruntur. Audi igitur Filia Dei, Anima humana, & vide tot fulgentium Stellarum diſtrictam obedientiam, & eius exemplo excitata inclina aurem tuam ad diuinorum præceptorum exequutionem: tanto fructuoſiorem tuam fore obedientiam noueris, quanto excellentius ratione ducta mandatorum illius perfectionem intelligis. Id ſentire videtur D. Bernardus Abbas Clareuall. *Sermon. de S. Martin. colum.* 315. *lit. L. Sed in quo viſus ille, inquiens, vel auditus inclinare me aurem, & obaudire monet? Non quod deſiderium pariat manifeſtum eſt. Sane ergo conſidera vniuerſam hanc cæleſtium gloriam corporum inceſſanter legibus obtemperare diuinis, nec vmquam ſibi poſitas, in tam continuis motibus, metas excedere temporum, aut locorum terminos tranſgredi conſtitutos*. O mirum creaturæ obtemperantis exemplum: tam difficile per cœlorum fluxibiles metas iter adamuſſim Stella perficit, nec ad dexteram, ſiniſtramque declinat; Creatoris ſui auſcultando mandatis: Aſt homo immemor ſuę ſeruitutis ad Deum, illi obtemperare, nedum negligit; ſed repugnat.

3 Non parua dubitationis occaſio nobis ex creationis forma inſurgit; & non vulgaris quæſtio ſpeculantem animum pulſat. Deus optimus, cuius omnia opera ſapienter, ſuauiterque ſunt diſpoſita, cum primum creaſſet hominem, cum ſuis manibus, hoc eſt potentia, in voluptatis horto repoſuit. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis. Geneſ. capit. 2. verſicul.* 15. Quando verò elementa ad hominis commodum diſponebat, vt aqua aridæ locum daret, ad hoc vt aptus ad habitandum locus fieret, non dicitur congregaſſe Deus aquas in locum vnum, ſed congregationem ipſis aquis demandaſſe; *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida. Gen. cap. 1. ver* 5. Sed hic videtur Moyſes parum obſeruare Philoſophica dogmata in ſua narratione: debuerat enim ſcribere Homini, vtpotè rationis decorato lumine, Deum præcepiſſe in voluptatis locum iter, & aquas ipſum Dominum congregaſſe, quæ cum in omnium ſententia ſenſu, & intelligentia careant, nec audire præcepta, nec iuſſis obtemperare valebant: Verum optimè Philoſophatus eſt Moyſes, etenim creaturæ reliquæ, & ſi inſenſitiuæ, naturali inſtinctu Dei audiunt præcepta, exequunturque; & ideo aquis, vt in vnum coirent locum, iuſſio ſufficiebat: homini verò nequaquam; vt qui Deo obedire ſemper recuſet, nec in Paradiſum iuiſſet, niſi a Domino deportatus. Huc reſpiciebat D. Ambroſius *lib. 3. Hexamer. capitul. primo, tomo 1. pagin. 22. lit. D.* dum adnotauit: *Congregentur Aquæ dictum eſt, & congregatæ ſunt; frequenter dicitur, congregetur populus, & non congregatur. Non mediocris pudor, imperio Dei inſenſibilia elementa parere, & homines non obedire quibus ſenſus ab ipſo tributus eſt Authore*. Sapienter igitur de ſolo homine dictum eſt, *poſuit eum*; nam ipſe ſolus, omnibus obtemperantibus creaturis, obedire detrectat.

4 Neque obſcurius hoc docuit Pſaltes, qui in Pſalmo 48. Dei operà recenſens, eorum commendat obedientiam, dicens; *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit. Pſalm. 48. verſicul.* 6. Dedit Dominus Cœlis curſum, terris pondus, aquis terminum, animantibus ſenſum, omnibuſque creaturis leges ſuarum operationum indixit; nec vlla reperitur ex ipſis, quæ præcipientis Domini vocem vel non audiat, vel tranſgrediatur; ſi vnum excipias hominem; vt obſeruauit D. Laurentius Iuſtinianus: ipſæ irrationabiles creaturæ ſua inculpabili obedientia noſtræ obligationis nos admonent, tot linguis prædicant, quot inſeruiunt miniſterijs; attamen proficiunt nihil: neque obduratam cordis noſtri impudentiam emollire ſuis rationibus potuere. *Ad obedientiam quippe*, inquit ille, *nos inuitant creaturæ inſenſibiles, & irrationales, quæ Deo vniuerſaliter famulantur; de quibus dicitur; Præceptum poſuit, & non præteribit. Vnde non mediocris eſt pudor generi humano imperio Dei inſenſibilia, irrationaliaque parere, & homines non obedire. D. Laurentius Iuſtinianus Tractat. de obedient. cap. 2. pagin. 41. columm. 2. lit. D.* Sed quis pudor corda illa afficere gloriabitur, quæ per impudentiam debacchantur? quem nec cæleſtium amor, nec inferorum terror commouent animum, exempla mouere inſenſibilium non valebunt.

5 Sed & fortaſſe dicet aliquis: quid mirum inſenſibilia Deo obtemperare, quæ neceſſitate, non voluntate feruntur; non anima, ſed natura mouentur; neque magnifacienda obedientia, quæ libertate caret, quæ ſui arbitra non exiſtit. At iſta obiectio tunc aliquid dubitationis ingereret, quando illa ab intelligentijs non ducerentur: illorum ergo ſpirituum, hæc creaturarum obedientia eſt. Aſt quantula eſt iſta auſcultatio creaturarum, ſi eum Creatoris obedientia comparetur? En tibi, mortalis, magnum propoſitum obedientiæ argumentum, ipſum Dominum obedientem, & vſque ad opprobrioſam, crudelemq; mortem obedientem intuere: qui cum Sapientia increata eſſet, tamen dedignatus non eſt laboribus, flagelliſque obedientiam addiſcere: ipſo Apoſtolo teſtante: *Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiam. Ad Hebr. cap.* 5. Vide homo gloriæ Regem, vt tibi magiſter fieret, obedientiam cruciatibus didiciſſe. Noli ergo mirari Angelos te ad obedientiam prouocare; quandoquidem, & ipſi eorum Creatorem in tam arduis obedientem vident. Quare D. Laurentius Iuſtinianus loc. cit. *pag 42. col 1. lit. C.* poſtquam Angelorum obſequentiſſimum deſcripſiſſet famulatum, ſubiunxit. *Sed nihil mirum ſi Angeli ſua obedientia nos prouocent, cum ipſe Dominus Ieſus Deus noſter, Dei filius, lux, dux, & legiſer noſter hanc ſuo nos docuerit exemplo, de quo ſcriptum eſt: Et quidem cum eſſet filius Dei didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiam*. Pudeat igitur hominem ſe, tot minimè permotum exemplis, adhuc obedientiam detrectare.

§. II.

Vir a carnis ſordibus alienus Angelus eſt.

1 QVi facis Angelos tuos Spiritus. Inter omnia animantia, quę rationis carentia intellectualium ſpirituum ſimilitudinem habere videntur, Apes profectò ſunt. Hæ terrenos non curantes cibos æthereum colligunt Nectar, Deum aſſiduo celebrant cantu, odoratos tantummodo libant flores; ſed quod in eis inſigne eſt, carnalem copulam non nouerunt, Virgines ſunt Aues, Angelorum puritatem caſtitate ſua adumbrantes: nam de Ape dixit Vates: *Caſta facit prolem*. Illud autem agricultores non ignorant, ex bouis mortui carne Apes generari. Hinc noua innoteſcit hominibus ars, abeundi ſcilicet, & conuertendi in Angelos; Virginitatem ſcilicet, caſtitatemque amplexando; vt ex carne noſtra peccatis mortua, & iam voluptatibus ſepulta Apes Angelicæ procreentur. Sicut namque Angelus ab omni corporea ſubſtantia, & carnali vnione eſt ſeparatus, ita homo ab illecebris carnis alienus, non homo, ſed Angelus reputatur? Ita Diu. Bonauentura fatetur. *Comparantur autem Viri iuſti Angelis propter munditiam cordis; & puritatem conuerſationis.*

Nam

Digitized by Google

Nam Angelus ab omni corpulentia, & conditione carnea eſt ſeparatus: ſic vir iuſtus nihil in ſe habet admixtionis carnalis delectationis, immo, ſicut adeps, ab omni carne ſeparatur; vt dicitur in Pſalmo: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. D. Bonau. de Eccleſiaſtica Hierarch. p.1. c.1. to.7. pag.265. col.2. lit. A. Heu quam pauci ſunt, qui Angelorum cupiant dignitatem, cum ita facilis tam nobilis ſtatus ſit acquiſitio; angelicas apes mortificatio carnis producit.

2 Matrimonium iam mutuo conſenſu ratum, per coniugum caſtitatem non ſoluitur: Nam etiam copula non interueniente, ratione contractus, hic vir, illa vero mulier, ſeu vxor poterit nuncupari: Neque enim Berta Caroli Magni ſoror ideo Hiſpaniæ Regina, & Alphonſi Regis Vxor dicenda non erit, quia mirabili nexu virginitatem matrimonio coniunxere. Hoc cum ita ſe habeat, cur Apoſtolus ad Corintios ſcribens dicit: *Tempus breue eſt, reliquum eſt, vt & qui habent vxores tanquam non habentes ſint. 1. Cor. cap.7. verſ. 29.* Quomodo eſſe poterit quod habentes vxores, non habentes ſint? Dices caſtitatem in matrimonio ſeruabunt: eſto, laudabilis profecto res eſt; at nō propterea vxorem non habebit; quia & ſi caſta, imò & virgo, vxor eſt. D. vero Hieronymus optimè loquutum Apoſtolum cenſet: ſiquidem vt inter coniuges caſtitas floret, non amplius homines ſunt, nec ille vir eſt, aut maritus, nec illa fœmina, vel vxor erit; ſed ambo inter Angelos, reputantur, in quibus nec ſexus diſparitas, nec matrimonij contractus intercedit. *Et reuera vbi inter virum, & mulierem caſtitas eſt, nec vir incipit eſſe, nec femina; ſed adhuc in corpore poſiti mutantur in Angelos, in quibus non eſt vir, neque mulier. D. Hieron. in Apolog. ad uerſ. Rufin. tom.2. col.309 lit. B.* Vide quam nobilis virtus caſtitas, quæ conuertit in Angelos homines, & ſpiritus facit, quos a carnis illecebris inuenerit alienos.

3 Hinc illa ſadduceorum fatua deridetur opinio, qui mortuorum reſurrectionem impugnabant, ea ſeducti caligine, quòd vxor multorum virorum non potuiſſet poſt reſurrectionem omnibus illis in vxorem reuerti; non perpendentes, quòd completa neceſſitate propagationis humanæ, etiam maritalis copula peritura eſſet: Imò quia homines in illo beatitudinis Regno in Angelos transmutantur, nam Angelorum ſedes occupare debent, eorum virgineam indui naturam conſentaneum eſt: quare Chriſtus Dominus eos redarguens, dixit. *In reſurrectione autem, neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei. Matth. cap. 22. verſ. 20.* Ob mutetce cauilloſe ſophiſta, ſadducee irriſor; quid commune Angelis cum carnis illecebris? quid cœleſtibus ciuibus cum terrenis voluptatibus? Spiritus eſt Deus, cui Beati illi copulantur, & eius beatitudinis delicijs referti; mundana non æſtimant: Angeli ſunt, quibus nec ſexus diſparitas, nec luxuriantis fomitis ardor obſiſtit: ſpiritus ſunt, quos corruptio carnis non aggrauat. D. Ambroſium audi: *Meum non eſt illud, quod qui non nubet, neque nubentur erunt ſicut Angeli Dei: nemo ergo miretur, ſi Angelis comparantur, qui Angelorum Domino copulantur. lib.1. de Virgin. tom.1. pag.95. lit. B.* En quomodo caſti homines Angeli reputantur.

4 Illud autem hic quærere non abs re erit; qualis Virginitas excellentior haberi debeat, angelicane, vel humana? Vt reſpondeamus dilucidè diſtinguendum eſt; duplicem excellentiam, ſeu nobilitatem reperiri, alteram quæ conſequitur eſſe, alteram quæ promeretur virtute: prima ſtatum natiuitatis, ſeu productionis conſequitur, ſic Regibus nati, eo ipſo quo naſcuntur Principes, nobileſque habentur: ſecunda vero excellentia non ſanguinis ſucceſſione, ſed virtutum merito acquiritur, per quas homo e vilibus faſcijs ad regium euectus faſtigium inter principes eluceſcit. Porrò excellentior illa gloria, quę non eſt aliorum radius, ſed ſui ipſius ſplendor. Alexander vtique Cæſare nobilior, vt qui in Regia macedonum creditarius genitus Princeps eſt, Cæſar vero priuati hominis filius: Sed illo excellentior Cæſar, qui proprijs viribus expriuato, Mundi Principem ſe effecit. Angelus igitur nobilior homine, mortali continentior, carnali purior; ſed natura donante; homo vero cum carnis petulantiam coercet, Angelus fit virtute, victoria, merito: ergo excellentior eſt virginitas quæ Angelum parit, quam quæ conſequitur. Idcirco Angeli Virginibus famulantur; quia excellentiores, & ſuperiores nouerunt. Huius indicium eſt Angelum ad Deiparam Virginem miſſum fuiſſe; in illa naturam ſublimiorem commonſtrans: *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem. Luc. cap. 1. verſ. 26.* Ex quo ita philoſophatur ingenioſiſſimus Chriſologus. *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem; quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas. In carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis. Et ſi vultis ſcire, angelicam gloriam acquirere maius eſt, quam habere: eſſe Angelum felicitatis eſt, Virginem eſſe virtutis: Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura. D. Petrus Chriſolog. ſer.143. pag.372. col. 1.* Æquales Angelis cum ſint Virgines puritate, ſunt tamen ſuperiores virtute, quia illud meritis acquiſiuere, quod Angeli creatione habuerunt.

5 Parum autem videtur excellentiſſimæ virtutis vltimo tantum Angelorum ordini homines æquiparare, quippe inter cæleſtes incolas infimi ſunt Angeli. Quod ſi diceremus Angeli nomen omnibus illis beatis intelligentijs cōuenire poſſe, nam omnes cum ad aliquod miniſterium mittuntur Angeli nuncupantur, quod patet in Gabriele, qui cum ſit vnus ex primis Principibus Regni cæleſtis, miſſus ad Virginem Angelus dicitur. Ad hoc tamen reſponderi poſſet, infimos ſpiritus Angelos dici, ſupremos vero Archangelos, quaſi nunciorum Principes. Caſti ergo viri num ad Angelos tantum, vel ad Archangelos etiam tranſire poterunt? vtriq. ſed quia Archangelorum ſtatus ſublimior eſt, etiam ad eū conſequendum purior requiritur continentia. Qui ergo ab omnibus carnis illecebris ſe abſtinent, nec in carnis deſideria vllatenus feruntur, Angeli ſunt; Archangeli vero, qui ita a carne ſunt ſeparati, vt neque quid ſit carnis laſciuiæ memoria teneant. Hoc indicaſſe videtur Saluator cum dixit: *Spiritus carnem, & oſſa non habet: Luc. c.24. v.39* quaſi diceret; ſpiritus quidem carnē non habēt, qui carnis delicijs non maculantur: alij vero oſſis etiam carent, ideſt etiam imaginatione, & memoria concupiſcentiæ carent, illos ad Angelos, poſteriores ad Archangelos referēdos eſſe credendū eſt D. Bonauent. hęc ſpeculatio eſt. *Status continentiū merito comparatur ſtatui Archangelorū, qui per vitæ munditiem merentur obtinere illius ordinis dignitatem. Conformes igitur debent eſſe, quantum ad conſcientiæ puritatem, Archangelis, vt ſcilicet eorum mens, & conſcientia, ab imaginatione, & appetitione carnali ſit remota, ſicut natura archangelica ab omni tali conditione cognoſcitur aliena: & ideo non ſolum expedit talibus a carnis paſſionibus abſtinere, verum etiam illecebras carnis ſaltim memoria non tenere. Dicitur enim in Luca: ſpiritus carnem, & oſſa non habet. D. Bonauentura Cardinalis de Eccleſi Hierarch. part.3 cap.2. tom.7. pag.178. col.2.* Hæc Seraphicus Doctor, optimè de Archangelica dignitate loquutus. O Beatos Virgines puritate cordis, & munditia mentis ad tam ſublimem Archangelicam dignitatem euectos.

6 Non immerito laſciuientis libidinis æſtus igni cōparatus eſt; quippe velut ignis cordis incendia nutrit; quare definitur Amor a Phyſicis: *Sanguinis accenſio intra cor.* De quo Poeta *Virgil. lib.4. Æneid.*

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Nec non D. Bruno Signinus Antiſtes: *Inferior ignis luxuria eſt*: cineres autem, quæ Ignis reliquiæ ſunt, memoriam extinctæ libidinis haud ineptè vocari poſſunt. Sicut enim cineres multoties tegunt, & conſeruant ignem, ita memoria deiectas illecebras excitare

ſolet. Montes illæ, quæ ignem concupiſcentiæ extinguunt Angeli ſunt; ſed niſi etiam cineres, ideſt memoriam illius eijciant, ad Archangelorum ordinem non perueniunt. Legiſlator omnipotens Filios Chaart ſpecialiter diligens officio nobili, ſacroque deſtinauit; ſcilicet, vt Altaris mundatio penes ipſos eſſet: eis autem iniunxit, vt prius altare mundarent non ſolum ab igne, verum etiam ab omni cinere, & deinde purpureo veſtimento inuoluerent, ac cũ vaſis ſanctuarij deputarent. *Hic eſt cultus filiorum Chaart. Sed & Altare mundabunt cinere, & inuoluent illud purpureo veſtimento, & ponent cum vaſis miniſterij. Num. cap. 4. verſ.* 13. Non prius ergo Altare inuoluebatur purpura, & cum vaſis ſanctuarij ponebatur, quam ab igne, & a cinere mundaretur: quia illi homines inter Archangelos numerantur, qui proprij Cordis Altare, non ſolum a laſciuiæ ignibus, ſed etiam a memoriæ cineribus mundauerunt. Idem Doctor Seraphicus hæc prædicat. *Præceptum eſt filiis Chaart, quod mundarent Altare a cinere, & inuoluerent illud purpureo veſtimento; & ponerent cum vaſis miniſteriis. Chaart dolens, vel pœnitens interpretatur; Filii itaque Chaart ſunt filii pœnitentiæ, & doloris, qui Altare proprii Cordis debent emundare, non ſolum ab igne luxuriæ, immo etiam & a cinere, ideſt reliquiis immunditiæ, ſcilicet a memoria, & cogitatione, & tunc digni erunt huiuſmodi cum vaſis tabernaculi inuolui, ideſt ſanctorum Archangelorum ſocietati adæquari. D. Bonauent. Cardin. loc. cit.* Si quidem carnis illecebras abhorrentes, cum ſpiritus, ideſt ſpirituales fuerint, illos Deus Angelos ſuos procreabit.

§. III.

Prædicatores Euangelici Angeli Dei ſunt.

1 QVi facis Angelos tuos Spiritus. Licet omnes Dei miniſtri Angeli nomen obtineant, id præcipuè ſanctis Verbi Dei prædicatoribus conuenit. Quos Dominus noſter ad nobiliſſimum dirigit miniſterium, ad ſaluandas gentes, ad animas lucrandas, ad Dei verbum diſſeminandum: iſti autem Prædicatores ſpiritus etiam dicuntur, quia eos Dominus ſpirituales deſiderat; & ab omni carnali alienos cupiditate: nam Dei Verbi annunciatio, ingenuum hominem, & nequaquam vitijs ſeruientem requirit: non ſpe temporalis lucri ad oculum famulantem, ſed diuina ardentem charitate alios inflammantem. Ideo dicitur: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*. Hæc magni Gregorii interpretatio eſt; ipſum audiamus. *Angeli quippe, ideſt nuncij in ſacro eloquio Prædicatores vocantur. Omnipotens ergo Deus Angelos ſuos ſpiritus facit, quia prædicatores ſuos ſpirituales facit, & ardentes, qui alios igne charitatis incendunt, & conſumunt ſtatim vitium. D. Gregor. Magn. lib. 11. cap. 3. moral. tom. 2. pag. 565. lit. B.*

2 Hinc admonendi ſunt Dei Verbi præcones, Diuinæ nuncii maieſtatis, vt nequaquam aliud in ſuis ſermonibus quam eloquium reſonet angelicum: non referat vita niſi puritatem, non redoleat doctrina niſi ſanctitatem. Quid in ore Angeli, vel Rethorici flores, vel mundana ſapientia, vel Poetarum commenta, vel ethnicorum fabulæ, vel antiquorum Philoſophorum deliria reſonabunt? Nonne doctrinam cæleſtem abundè diuina ſuppeditabunt oracula? Dedecent Angelum terrena: qui magis carnali ſapientia extolluntur cæleſtia minus ſapiunt. Spiritus ſunt, ſpiritualia referant; ignis ſunt, charitatẽ accendant: Dei Miniſtri diuinę Aulæ loquelam profetãt. Sed ſi a carnali ſapientia abſtinere iubentur, quãto minus ex eius ore ſermo vel laſciuiã redolens, vel iracundiam ſonans, vel cupiditatem fouens, vel ſuperbiam, auramque vanam affectans, prohibebitur exire? Sermo angelicus Angelum decet. Hoc docebat Malachias Propheta (qui vtique Angelus vocatur, nam *Malachia, Angelus Dei* interpretatur) & id alios eſſe deſiderabat quod ipſe erat, dicens. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Malach. cap. 2. verſ. 7.* Quaſi diceret: quia Sacerdos Angelus Dei eſt, eius labia deberent cuſtodire ſcientiam, ideſt angelico vti ſermone. Ita cenſet Gilbertus Abb. *Loquere linguis non hominum, ſed Angelorum, Angelus enim Dei es, qui ſacri profiteris verba myſterii; Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Gilbert. Abb ſer. 16. in Cant. in operib. D. Bernardi col.* 1805. *lit. F* Angelus ergo, ideſt Dei nuncius Prædicator eſt; ſed tunc angelici ſtatus claritatem oſtendit, cum lingua eius angelicam redolet eloquentiam.

3 Angelorum præcipuum munus, Hominum, reliquorumq; mortalium curam habere: ipſi namq; & homines cuſtodiunt, & Animalium ſpecies in ſuis operationibus naturalibus conſeruant, & ſtellarum motus imperturbato & ordinato curſu dirigunt; Quælibet orbis, Prouincia quodlibet elementum ſeruatorem, curatoremque agnoſcit Angelum. Merito igitur Prædicatores, qui ad Dei Eccleſiam in fide regendam, & ſtabiliendam mittuntur, ſi angelorum præſtant officium, etiam nomen habent. D. Ioannes Apoſtolus Prophetiam ſuam Angelis dirigit Eccleſiarum, quos ſub ſtellarum ſpecie in dextera Dei ſtare conſpexit. *Septem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum. Apocalip. cap. 1. verſ. 20.* Verùm qui iſti Angeli erunt, nam cæleſtes ſpiritus minimè eſſe ex eo conuincitur, quod in ſequentibus nonnullorum vitiorum accuſantur, quæ in beatos cadere Angelos haud poſſunt: Prædicatores igitur ſunt, qui ideo Angelorum nomine deſignantur, quia ad Eccleſias erudiendas miſſi fuerant; vt teſtatur Magnus Gregorius. *Sed quia ſæpè ſcriptura ſacra Prædicatores Eccleſiæ, pro eo, quòd gloriam Patriæ cæleſtis annunciant, Angelorum ſolet nomine deſignare; poſſumus hoc loco Angelos ſanctos Prædicatores accipere. Hinc eſt enim quod Ioannes in Apocalipſi ſeptem Eccleſiis ſcribens, Angelis Eccleſiarum loquitur, ideſt Prædicatoribus populorum. Lib. 34. cap. 7. in Iob to. 2. pag. 1093. lit. C.* En quomodo Deus facit Angelos ſuos ſpiritus dum ſpiritus ſancti Miniſtros ad diſſeminandum Dei Verbum Eccleſiis mittit.

§. IV.

Angeli homines illuminando Dei Nuncii ſunt.

1 QVi facit Angelos ſuos ſpiritus. Hucuſque iam declaratum eſt ſpiritus illos cœleſtes, qui ſemper ſpiritus ſunt; aliquando fieri Angelos, cum a Deo in aliquam miſſionem deſtinantur etenim tunc propriè Angeli, ſeu Nuncii ſunt, cum diuinam nunciant voluntatem. Et licet ipſi Angeli inter ſe ipſos illuminationem diuinam miniſtrent, ſuperiores inferiores docendo, & inferiores, quæ docti ſunt, hominibus communicando, quod apertè inter alios Beatus Gregor. Magnus docuit: *Si enim in ipſis officiis ſanctorũ Angelorũ nequaquam poteſtates ſummæ minimas diſponerent, nullo modo hoc quod homini diceret Angelus ab Angelo cognouiſſet. D. Greg. Magn. lib. 4. c. 27. Moral. to. 2. pag. 394. lit. E.* Attamen propriè Nuncii tunc appellantur cum extra cælum ad homines illuminandos funguntur legatione: quod & hic ſignificauit Propheta D. Hieronymo atteſtante *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus; vt inſpirent hominibus eius facere voluntatem: quia carnalis homo non capit ea quæ ſunt Dei. In Pſal.* 103. Tunc igitur cæleſtes intelligentiæ Nuncii Dei appellantur cum hominibus illuminandis a Deo mittuntur.

2 Lux ineffabilis Deus eſt, & vtique talis, quæ omnem hominem venientem in mundum illuminat. Hanc verò illuminationem, etiam dum poteſt, non per ſe, ſed mediantibus ſecundis cauſis perficit. Non enim omnia decent Regem maximum per ſeipſum operari.

tati. Hæc autem illuminatio duplex eſt, corporalis vna, ſpiritualis altera; & ad vtramque Rex Omnipotens porportionatos exhibuit miniſtros; videlicet corpori corpora, ſpirititui verò ſpiritus. Nonne oculis ipſis cernimus magna cęli luminaria, ſyderaque fulgentia, quæ ſtatutis temporibus noctu, diuque mundum illuſtrant, vt mortales tanta fruentes luce ſuas tutius operationes corporeas exequantur? Ideo *Fecit duo luminatia magna, uminare maius vt praeeſſet diei, luminare minus vt praeeſſet noctis, & ſtellas. Gen.cap.1. v.16.* Verum ſpiritum luce non deſtituit, qui corpora illuminauit; vt enim hominis ſpiritus in ſuis ſpiritualibus operationibus dirigeretur, ſpiritus ſuos cæleſtes nuncios, ſeu Angelos fecit. De qua illuſtratione loquutus Pſaltes dixit: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: Pſal. 75. v. 5.* per montes æternos ſupernos ſpiritus intelligens, vt teſtatur D. Gregor. Nazianzenus. *Etiam quidam Deum in hunc modum affatur: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: hoc eſt, vt opinione aſſequor, ab Angelicis virtutibus, quæ nobis ad optima quæque adiumento ſunt. D. Gregor. Nazianz. orat. 40. tom. 1. pag. 875. lit. B.* Sic igitur ſummi ſpiritus nos adiuuando Nuncij Dei fiunt.

3 Illud luminis ſingulare eſt, vt non ſolum illuſtret, ſed doceat, nam obſcura illuminando, quæ via ſit proſequenda, vt ad deſignatum iter ducamur; quæ res eligenda, ne decipiamur in electione; quæ ſubſtantia pulchrior, vt voluptatibus ſæculi quantum licet vtamur; apertiſſimè commonſtrat: Sic profecto ſāncti illi ſpiritus homines non ſolum de credendis, & de rebus fidei erudiunt, verum etiam de agendis ad coopetandum fidei, vt corona legitimè certantib. detur. Epheſios hortabatur Paulus, vt Deo grati exiſterent, quandoquidē non ex propria virtute, ſed ex Dei gratia, qui mirifica benignitate in ſuam traxerat fidem, in viam ſalutis inueniebantur: *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & non ex vobis: Dei enim donum eſt. Ad Epheſ. c. 2. 2. v.8.* Quæ verba D. Thomas expendens, obſeruat, ideo fidem appellari Dei donum, quia fides ex auditu eſt, & a Dei Nunciis pendet: quos nuncios non ſolum homines, ſed & Angelos eſſe, qui non ſolum de credendis Eccleſiam inſtruunt, verū etiam de agendis; in illis docent, in his dirigunt; digna ſane angelico Doctore ſententia. *Secundò requitur ad fidē, quod credibilia proponantur credenti, & hoc fit per hominem, ſecundum quod fides eſt ex auditu, ad Rom. 10. ſed per Angelos principaliter, per quos hominibus reuelantur diuina: vnde Angeli operantur aliquid ad illuminationem fidei; & tamen homines illuminantur ab Angelis, non ſolum de credendis, ſed etiam de agendis. D. Thom. Aquin. 1. p. qu. 111. art. ad primum.* Mirabilis illuminatio, quæ ſi Angelis dat nomen, nobis impartitur ſalutem, illius ex hoc honor, nobis gaudium prouenit, vtriſque gloria dilatatur.

4 Non immerito patientiſſimus Princeps Angelos ſanctos conſulum nomine decorauit: cum enim de primo hominum lapſu conquereretur, per quem mundi labores inducti, & Paradiſi clauſa ianua hominem torquent: aiebat illo peccato minimè ſtante, ſe iam quieuiſſe in illa ſempiterna cęlorum requie. *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem, cum Regibus, & conſulibus Terræ. Iob. cap 3 v.31.* Sed dico, patientiſſime Vir, ſunt ne in illa cœleſti regia Conſules? Nec de illis loquor, vt mos inualuit apud Romanos, & apud modernas Reſpublicas, qui Rectores ſint Ciuitatis: ſed illos memoro, qui potentes conſilio, alijs conſulunt conſilia optima eis præſtando: De hoc enim ambigo, in æternæ ſapientiæ increatæ viſione, & conſpectu, conſiliarios inueniri, aut opus eſſe. Etenim ſi antiquitas ſuo Ioui conſiliarios dedit ſtultitia fuit, ſummum omnium conditorem Conſilio reddere indigentem; vt fatetur Seneca. *In his prima ſpecie, ſi intueri velis errat antiquitas. Quid enim tam imperitum eſt quam credere, & ad ſuum concilium a Ioue Deos, quaſi in ipſo parum conſilii ſit, aduocari? Seneca lib. 2. nat. qu. cap. 42. pag. 367.* Cur ergo tu inter ſupernæ Aulæ Principes conſiliarios memoras? Conſiliarii vtique illic ſunt, nō vt Deum adiuuent, quod nefas eſt, ſed vt hominibus conſulant; quibus diuina explicantes mandata, non ſolum eos inſtruunt, ſed & ad perferenda ſæculi huius incommoda conſilio, & opibus adiuuant: ideo conſules dicti, quia dum Nuncii implent officium, Conſultoris etiam munus ad noſtram exequuntur vtilitatem: Fauet Magnus Gregorius. *Cum Regibus ergo dormiret, quia nimirum iam cum ſanctis Angelis homo quieſceret, ſi perſuaſoris linguam ſequi noluiſſet. Qui benè etiam conſules vocantur: quia dum ipſis nunciantibus voluntatem conditoris agnoſcimus, in eis proculdubio conſultum ab hac anguſtia noſtræ tribulationis inuenimus. D Gregor. Magn. li.4 c.27. Mor. to.2. pag.394 lit. E* Quis tales Cōſules non amabit, qui gratis cōſulta impertiuntur, nec humano more pro ſuo beneficio præmiū poſcunt. At ipſis non petentibus gratiæ a nobis ſunt exhibendæ, ne ingrati animi vitio tanta beneficia demereamur.

5 Obiicies fortè: Non ſemper cùm nuncii mittuntur Angeli, eſſe illuminatores: quandoque enim ad talis meriti virum mitti poſſunt, vt potius ab eis illuminari, quam e contra, videatur. Verùm quanticumque meriti homo, homo eſt; corporis carcere clauſus, ſenſuum illuminatione indiget; in quo ſpiritus immateriales nobis præſtantiores eſſe, inficiatur nemo. Quod vt euidenter pateat, dicito mihi, an Animam nobiliorem Deipara (excepta Anima filii) inueniri poſſe putas? Haud equidem; quæ totius Trinitatis Theſaurus, ſpiritus ſancti gratia; ne dum ſacrata, ſed plena erat, ipſius ſpiritus diuini receptaculum facta: & tamen ad eam Angelus illuminandam miſſus eſt. Nam licet gratia plenior Maria, cognitione tamen rerum peritior Gabriel: Idcirco autem; *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo ad Virginem; Luc. cap. 1. v.* vt medium eſſet Angelus ad Virginē in ſenſitiua cognitione erudiendam. Audiatur de hac re Magn. Alberti ſentētia. *Miſſio eſt per medium: Primo modo Angelus fuit medium quoad illuminationem ſenſitiuam, ſecundum quam Angelus fuit ſuperior Beata Virgine. Beatus Albertus Magn. quæſt. 1. ſup. miſſus eſt. §.3. tom.20. pag.4. col.2.* Sic igitur Deus ad homines illuminandos immortales illos ſpiritus ſuos Angelos, id eſt nuncios facit; vt nobis via expeditior pateat ad ſalutem.

§. V.

Liberalitas Dei Proprietas eſt.

1 E*T miniſtro tuos ignis flammā.* Inter omnia, quæ per ſimilitudinem de Deo dicuntur, nihil, vt ita dicam, ſimilius inuenitur igne, hinc Deus modo Ignis, modo lux, modo ſol nuncupatur; & vt illius inacceſſibilis, quam inhabitat, lucis ſpeciem oſtenderet, ferè ſemper flammis circumdatus apparuit. Vt in rubo, & in Sina. Quid igitur mirum ſi flammantes adhibeat miniſtros qui Ignis eſt? Illud poriò animaduerſione dignum videtur, cum hæc omnia ſimilitudinariè de Deo dicantur, cur Ignis ſimilitudinem amat? Sed idcirco factum exiſtimo, vt innoteſceret mundo inter omnes proprietates quæ Deo attribuuntur, vnam liberalitatem præſtantiſſimam, ipſiq; chariorem omnibus eſſe. Nam diuinam beneficentiam apertiſſimè ſignat, qua Deus ſine ſui diminutione, ſuam bonitatem creaturis omnibus communicat: ſicuti enim vnus ignis infinitis lampadibus (ſi adhibeantur) lumen, ſine ſuæ ſubſtantiæ detrimento, communicat; ita Deus omnes beneficio afficit liberaliter, & ſiue ſuæ diminutione ſubſtantiæ. Hanc a D. Iſidoro Peluſiota doctrinam accepi, qui ita fatur. *Quid cauſæ eſt, inquis, cur omnia ferè diuina ignis appellatione notentur? Ignis enim dictus eſt Deus, & Angeli ignis flammans Arbitror igitur id fieri propter copiam, & diuitiam inuidiæ, expertem, cum ab vno lychno infinitas accēdat lāpades, nec tamen minuatur. Diuus Iſidorus Peluſiota lib.4. epiſt.66. pag.448.*

ergo Deo, vtpote Igni, liberalitatis proprietas conuenire videtur.

2 Tanta eſt autem liberalitas Dei noſtri, vt explicari niſi a contrario difficilè poſſit: Ignis namque declarare ſplendorem tenebræ ſolent, & colorum pulchritudinē exaltare nigredinem: De Deo beneficia largiente Propheta dixerat: *Pſal.77.ver.25. Cibaria miſit eis in abundantia*. De Diuite autem auaro, illas etiam donare reliquias, quæ eijciebantur recuſante, dicitur: *Erat quidam mendicus nomine lazarus, &c. cupiens ſaturari de micis quæ cadebat de menſa Diuitis, & nemo illi dabat. Luc. cap.16. v. 20.21* O incredibilem crudelitatem, & Belluis ipſis tenaciorē Auaritiam, illas, quæ diſperguntur, negare micas: quæ ei ſuperſunt, quę nullo ſūt vſui, quæ vel leue incommodum ſi largiantur, non afferunt; imò & data merita creſcunt; abundantiā non minuunt; alienam curant indigentiam, propriam non violant ſaturitatē. At Dominus tunc ſuam augeri bonitatem cū largitur exiſtimat: imò multiplicata concedit, vt eius diuitiæ communicatæ creſcant: Omnium Sanctorum ideo ſolemnitatem Eccleſiæ inſpirauit, vt deſideratam nobis diuinorum donorum abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiretur: vt aduertit D. Bernardus. *Chaos magnum eſt, & iſtantia magnanimis inter liberalitatem, & benignitatem Dei, & auari diuitis crudelitatem. Propterea dedit hodie Pater noſter* (Feſtum erat Omnium Sanctorum) *panem, & cibaria in abundantia. Serm 1. in Feſto omn. Sanct col. 281. lit. E.* Ita paſcit Deus, vt nedum neceſſaria, ſed & ipſa in abundantia ſubminiſtrat, vt liberalitatem Diuinitatis proprietatem credamus.

3 Verbo diuino ex immaculata Virgine ſecundum carnem naſcenti, nomen quærebatur, quod vltro audientibus Diuinitatem Perſonę declararet. Nomen vtique ſuper omne nomen, ſicuti natus puer omnium Angelorum, & hominum Princeps erat. Neque melius occurrere potuit quam *Ieſus*, ideſt Saluator Ille enim qui omnibus ſaluandis ſuo ſanguine veniebat, qui liberaliter, ita ſemetipſum effunderet, vt nec optatam ſibi retineret vitam, quin pro peccatoribus daret, Saluator dicitur; vt credatur Deus; ſolius namque Creatoris, & Omnipotentis maieſtatis eſt proprium tanta largiri. De hoc nomine ſponſa cœleſtis dixit. *Oleum effuſum nomen tuum*. Non ſolum egentibus diſperſum, effuſumque dixit; ſed ſicut oleum addidit; vt ſicut oleum omnibus liquorib. ſupernatat, ſic nomen filij Dei ſuper omne nomen eleuaretur; & inſuper oleum effuſum, vt oſtenderet ſuam miſericordiam perſonis non coarctari, limitibus non contineri, ſecundum mellifluum D. Bernardi intellectum. *Non vinum effuſum, ſed oleum, quia coronas me in miſericordia, & miſerationibus. Oleum plane, quod dum ſupernatat cunctis liquoribus liquido illud deſignat nomen, quod eſt ſuper omne nomen. O nomen præſuaue, & prædulce. Hoc, non ſolum Iudæus, ſed quicumque inuocauerit ſaluus erit; in tantum vndequaque effuſum eſt. D. Bernardus Abb. Clareual. ſerm.16. in Cantic. col.606. lit.B.C* Effunditur ergo vt oleum nomen Ieſu, vt Animæ adoleſcentes ex effuſione gratiarum eius prædicent Diuinitatem. Sic omnibus viuere, vt ſeipſum perdat, & alienam ſalutem propria morte comparare, inter homines non inuenitur, quia proprietas eſt ſolius Diuinitatis.

4 Neque vulgare hoc argumentum eſt ad probandā Diuinitatem liberalitate vti; nam & D. Petrus, Prædicatorum optimus, ad oſtendendam Diuinitatem in Domino Ieſu Chriſto eius liberalitatis indicio vſus eſt. Cū enim prædicaret Cæſareæ Cornelio, eiuſque Domui fidem Chriſtianam, vt Chriſtum Dominū Deum oſtenderet, dixit: *Vos ſcitis &c. Ieſum a Nazareth: quomodo vnxit eum Deus ſpiritu ſancto, & virtute: qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes, quoniam Deus erat in illo. Act. c 10. v. 38.* En quomodo ex bonorū largitione Deum in Chriſto eſſe probat! Et ſanè præſtantiori vti argumento non poterat, quandoquidem proprium Dei eſt nulli noxium eſſe, omnibus benefacere. Tres ſpecies fulminum ſuo Ioui dedit antiquitas, prima quæ innoxia, imò & benefica erant, & hæc pro ſuo libito mittebat Iuppiter; alia vero noxia nō niſi de Deorum conſilio, (vt refert Seneca). Vt oſtēderet Dei propriam liberalitatem eſſe; quod ſit Reges diuinæ imitatores ſunt maieſtatis, liberalē eius beneficentiā eis conuenit imitari. *Quare ergo id fulmen, quod ſolus Iuppiter mittit placabile eſt, pernicioſū id de quo deliberauit, & quod alijs quoque Dijs auctoribus miſit? Quia Iouem, ideſt Regem, prodeſſe ſolum oportet; nocere, nō niſi quum pluribus viſum eſt. Seneca lib.2 natur. quæſt.43. pag.367.* Ergo optimè Apoſtolorum Principem, eum hominem, quem nemo noxium, verum omnes beneficum experti fuerant, Diuinitatis conſortem prædicabat. *Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes, quoniam Deus erat in illo*: & addit D. Ambroſius *lib.1. ad gent. ap. Baez. part.2. in Euangel. lib.16. cap.1. pag.331. col.1. Et quod proprium, conſentaneum, dignumque Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, ſed opiferum, ſed ſalutare, ſed auxiliaribus plenum nobis*, (Ieſum ſupple) *poteſtatis mirifica liberalitate donauit.* Vt Deū crederemus beneficientē, & liberalitatē Dei proprietatē agnoſceremus.

5 Haud recolo magnificā illam, ſoloq; Deo dignam liberalitatem, qua ſua beneficia nedum in bonos, verum etiam in malos inceſſanti prouidentia impendit, nō quia præcipua non ſit, laudeque digniſſima, verum qui. ſe[illegible] a ſpecialius ſuo loco *expoſ. mor. in v.28. § 2.* videnda eſt. Illud tamen prætereundum non eſt, Deū ita in deſiderium ferri ſua bona erogandi, vt ea vltrò volentibus exhibeat, & quod beneficentiſſimæ bonitatis inſigne eſt, ea vendere reputat, & iuſto tot, tantaque beneficia vendi prætio, ſi pro his recipiendis noſtram voluntatem flectamus. Populis prædicabat ex Dei nomine Euangelicus Iſaias; & cum videret gentem illam Dei gratias paruifacientem, clamabat: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & Lac. Iſai. cap.55. v.1.* Aduertite quid dicat Propheta: *emite abſque argento, & abſque vlla commutatione*: & qui fieri poteſt, vt emptio abſque argento, & commutatione fiat? quod ſic gratis datur donum eſt, non venditio; quomodo ergo vel venditur, vel emitur, quod gratis datur? Verùm Verba Prophetæ, ſi declarentur, vera ſunt; inquit D. Gregorius Nazianzenus: Nam Dona Dei, (quia Gratiæ ſunt) non exteriori, & mundano prætio, imò nec interiori, ideſt merito, comparantur; ſed cum hoc datur prætium, ideſt voluntas, & deſiderium habendi; nō dedignari, illa emere eſt; deſiderium, & ſitis diuinorum donorum apud liberaliſſimum Dominum loco prætij ſunt: Ideo ſitientes vocauit, vt ſiti ſua, deſiderio ſuo, aquam gratiæ compararent. *O miram beneficientia largitatem*, (inquit Nazianzenus) *o facilem contrahendi rationem: hoc bonū ſolo voluntatis prætio tibi emendum proponitur. Appetitionem ipſam Deus ingentis pretij loco habet: ſitit ſitiri: cum ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit. D. Gregor. Nazianz. orat.40. in ſanc. Baptiſm. ap. Franciſ. Mendozam in c.1. Reg. to.1. pag.274. col.1. lit. B.* Quis ergo Domino tam liberali non ſeruiet? Quis tam beneficentiſſimo Principi non præſtabit obſequium? ſi ſolum deſiderium ineffabilium bonorum eſt prætium, Profecto delirat quiſquis negligit deſiderare.

§. VI.

Dei Miniſtri debent eſſe ardentes charitate.

1 *ET Miniſtros ſuos ignem vrentē*. Dominus Ieſus, Mundi Redēptor, qui Ignis eſt, in mundū ſe veniſſe fatetur, vt corda hominū diuina charitate inflammaret: *Ignem veni mittere in terrā*: Vt autē ignis accendatur ab igne alio mutuari flammā neceſſe eſt; neq; in ex demortuo carbone aliquid poterit ſuccendi. Quia verò non omnia per ſeipſum, ſed medijs ſecundis cauſis operatur Deus, non ſufficit Dominum ipſum ſolum ignem eſſe; neceſſe eſt enim, & ſuos ad conuertendum mun-

Digitized by Google

mundum Miniſtros ignes eſſe. Experimur namq; in dies tempore hyemali, quando Sol remotius a noſtro tropico excurrit, & nimium obliquis radijs nos illuſtrans parum calefacit; tunc vt lucidiſſimi illius ignis calorem ſuppleant, ignes terrenos adhibent mortales: Ita prorſus. Dum ſol iuſtitię mundum proprio igniebat ardori, quanti feruoris, & quantæ charitatis extiterint fideles haud ignoramus: ita, & in exordio naſcentis Eccleſiæ, dum adhuc diuinus ſanguis recenter effuſus corda exurebat, charitate ardebant Chriſtiani: Nunc verò, magis remota a noſtra memoria Diuini ſolis ignea charitate, immerita tepiditate langueſcimus: vt igitur, corda hominum denuò poſſint inflammari, eius Miniſtri, qui ſolis loco nos accendere debent, ignes eſſe oportet; nam qui prius in ſe non ardet, nec alios ſuccendere poterit, D. Auguſtino teſtante. *Et miniſtros tuos ignem vrentem: Niſi enim ardeat Miniſter prædicans, non accendit eum, cui prædicat. D. Auguſt. Hipp. Epiſc. in Pſal. 103.*

2 Dominici gregis Paſtorem deſignare debebat Magiſter noſter: ſtellam fulgidiſſimam ad mundum regendum, illuminandum, inflammandumque ſui loco ſol æternus inſtituere debebat. Idcirco accerſito Petro, qui ſibi aptior videbatur, voluit publico examini ipſum exponere: Non quòd eius ſufficientiam ignoraret qui corda nouerat omnium, ſed vt & Eccleſiam ſuam erudiret ne ſine præuio examine dignitates Eccleſiaſticas, quibus animarum cura annexa eſt, daret. Petrum igitur in omnium diſcipulorum pręſentia poſitum, ſic benigniſſimus Ieſus interrogat; *Simon Ioannis amas me?* & illo reſpondente: *Etiam Domine tu ſcis quia amo te*, ipſe adiecit, *paſce oues meas: Ioan. cap. 21. ver. 15.* quod per ter eſt factum. Sed animaduertite quæſo, de quo examen eſt factum in maximo viro, cuius humeris ſummum Eccleſiæ Pontificatum committere ſatagebat Deus; de Amore vtiq; *Petre amas me?* Si mundanus aliquis Princeps pro aliquo regimine priuatum hominem examinare voluiſſet, nec tota Platonis de Republica diſceptatio, neq; Xenophontis Ciriana Pędia, neque Ariſtotelis politica, ad rectè reſpondendum abundam materiam ſuppeditaſſet: nec niſi legum conſultus, Armorum peritus, verſutiarum callidus, moralium diſciplinarum Profeſſor, admitteretur; At non ita in Chriſti Vicario; his omnibus prætermiſſis, quia diuini ſolis loco pectora ignire debet, an ſit ignis in ſpiritu, an diligat interrogatur, qui amorem nutrire debet; Charitas eum probat, qui ad corda mortalium inflammanda deſtinatur: Hæc ex Magni Alberti placito ſumpſi; is ita fatetur. *Prælati debent eſſe ignes ardentes zelo honoris Dei, & Eccleſię. Propter hoc a Petro inſtituendo requiritur amor, & quaſi triplex: primus amor, amor ſimplex, ſecundus amor zelus tertius amor ardor. B. Alber. Magn. in Pſalm. 103.* Felix Simon Gratiæ filius (nam id ſonat Ioannes) amore tentatus, inuentus ignis, vt vniuerſum orbem ſuæ charitatis inflammaret ardore.

3 Inter omnes noui teſtamenti Miniſtros, præſtantiſſimum fuiſſe, imò & eſſe Apoſtolum Paulum, inficiatur nemo. Qui lucidiſſimi ſolis inſtar mundum vniuerſum illuſtrauit, & vſſit: taceo hebræos, græcos, & Romanos, hiſpanos, barbaroſq; omnes, qui eius charitate inflammati, Chriſto haud vulgare, & inane nomen dedere: Illud porrò animaduertamus velim, ad hæc vſq; tempora prædicare Paulum, adhuc facem iſtam mirabilem elucceſcere, adhuc exurere; quæ enim tam otio torpentia, vel deſidia tepida inueniuntur corda, quæ ad auditum verborum Pauli non excitentur? in eius epiſtolis, tanquam ſub cineribus latet ignis; ſi reuoluantur, accenduntur ignis plane diuinus, qui charitatem fouet, amorem nutrit, hæreſim exurit, vitium conſumat; quin & de eo Pſalmi ſententiam intelligere nemo prohibebit: *Nec eſt qui ſe abſcondat a calore eius. Pſal. 18. ver. 7.* Dicito autem o Apoſtole, vnde hoc tibi; cur inter omnes Chriſtiani orbis ignes tuus præcipuè inextinctus perſeuerat? Quia dum viuerem ardebam, inquit, & præcordia mea exundanti charitate extuabant, ideo mei cineres adhuc igneſcunt. Nonne de me aliquando legiſti: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris; Ad Rom. cap. 5. verſic. 5* & alibi: *Charitas enim Chriſti vrget nos? 2. Corinth. cap. 5. ver. 14* Quid miraris ergo ſi ignis calefaciam, ſi totus inflammatus generem flammas? ita fatur Paulus, & rectè, vt probat Caſſiodorus; nam neceſsè eſt ignem appoſitam incendere eſcam. *Charitas quaſi ignis ſcintillans feruebat in Paulo, vnde adhuc non ceſſat incendere plures illius ignea loquutio. D. Caſſiodorus apud Aloyſium Nouarin. in Adagijs, num. 889.* Optimus ſanè ſolis radius, Dei miniſter, qui adhuc ſub terra poſitus pectora exurit.

4 Diuinam legem populo ſuo olim daturus omnipotens in Sinài Arabiæ montem deſcendit, & vt ſuæ maieſtatis aliquam oſtenderet ſpeciem, in igne venit, quo igne Mons calefactus, & ardens totus fumabat, vt legitur. *Exod. cap. 19. verſic. 18. Totus mons fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne.* Loco Regij Throni Ignis erat, nam & apud Danielem, in Throno ignis ſedens introducitur Deus, & fumus ornamentorum implebat officium. Sed cur Deus ita terribilis, & ignitus apparuit, cum legem daret? Cur totus mons ab eius calefactus præſentia fumabat? Lex diuina accendere populi corda ad eius obſeruationem debebat, & ideo Deus ignis apparuit, vt incenderet animos; & mons fumabat, vt oſtenderet cęleſtem ignem in eo eſſe: ſicut namque fumus ignis ſignum eſt, & qui fumat ardet; ita Apoſtoli gentes docturi, per montem iſtum fumantem ſignificati, ardere charitate debebant, igne ſpiritus ſancti repleri, vt credentium exurerent corda; Et notat D. Bruno Aſtenſis, quod fumus hic pro incendio ponitur; fumabant ergo Apoſtoli, ideſt fideles ad diuinum amorem inflammabant, quia ignes erant. *Totus Mons Sinaì fumabat: Mons enim iſte Apoſtolos deſignat, quia igne Spiritus Sancti interius ardent; ideo exterius fumare videntur. De his enim dicitur: Tange montes, & fumigabunt: non enim fumarent, niſi arderent; fumus pro incendio ponitur. D. Bruno Aſten. Epiſcop. Sign. in Exod. tom. 1. pagin. 44. column. 2.* Cum enim proprietas accendendi igni ſolum conueniat, oportet Dei miniſtros ignes eſſe, vt alios accendant.

5 Ita naturalis, & neceſſaria cauſa eſt caloris Ignis, vt non poſſit ignis applicatus non calefacere: ſimiliter autem cum Dei Miniſter cor diuino igne accenſum habet fumigare neceſſe eſt, non accendere nequit; imò multoties etiam nolens in verba prædicationis prorumpit; nam vt dixit de ſemetipſo Paulus, eos diuina vrget Charitas. Ieremias Propheta a Deo ad prædicandum miſſus in Populum rebellem, & obſtinatum impegit; Neque ſolum eius monita ſequi detrectabant, verum etiam, aut ſermonem Domini non audiebant, vel deridebant: Hoc Propheta cernens, indignoſque eos diuinis ſermonibus exiſtimans, ſæpè propoſuerat in tam ingratum populum ſermonem non perdere, compeſcere linguam, monita denegare; verùm hoc facere nequibat; zelus enim diuini honoris, & charitas in pectore feruens, eum ad Dei Verbum diſſeminandum impellebant. Hoc fatebatur dum dicebat: *Factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die: Et dixi, non recordabor eius, neque loquar amplius in nomine eius; & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans: Ierem. capit. 20. verſicul. 9.* Cor æſtuabat Prophętę, & etiam nolentem ad accendendum populum ſermone impellebat. Præclarè D. Gregorius Magnus. *lib. 23. capitul. quinto in Iob. tomo 2. pag. 828. lit. C. Sæpè contingit, vt ſapientes viri cum ſe non audiri conſiderant, ori ſuo ſilentium indicunt; ſed dum plerumque conſpiciunt, quòd iniquorum facinora, ipſis tacentibus, & non corripientibus, creſcunt, vim quamdam ſpiritus ſuſtinent, vt in locutionem apertæ correptionis erumpant. Vnde Propheta Ieremias cum ſibi ſilentium indixiſſet, dicens: Non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine eius: illico*

adiun-

Digitized by Google

adiunxit : *Et factus eſt in corde meo quaſi ignis ex æſtuans*. Fumus ignem prodit, & diuinus zelus charitatis ignem demonſtrat; non poteſt enim non fumare qui ardet, neque qui ignis eſt non comburrere.

6 Itaque conuincitur, temerè, & inaniter ad prædicandum accedere, qui charitatem non habet, extincta fax non illuminat, nec mortuus calefacit ignis: ſic miniſter prædicans, niſi diuinum amorem in pectore gerat, populum ad Dei obſequium non excitabit. Prophæticum exercere officium, & ad populum Dei voluntatem prædicare optabat Ezechiel; cùm ſibi præcipi a Domino audiuit: *Imple manus tuas prunis ignis, & effunde ſuper ciuitatem. Ezechiel. capit. 9. verſicul. 2.* Vt ex hoc diſceret prius ſeipſum accendere oportere charitatis ardoribus, & exinde flammas amoris igniti ſermonibus in populos iaculare. Hoc manifeſtè docet Eminentiſſimus Hugo Carenſ. Cardinalis. *In Ezechiel. pag. 4. columnn. 4. Qui prius in Sanctorum exemplis prunas ignis ſumpſerit, ideſt ardorem charitatis conceperit, vel opera charitatis compleuerit; talis poteſt ignem effundere in ciuitatem, ideſt ardenter prædicare ad plebem, & eum accendere ad amorem, qui enim non ardet non accendit*.

7 Hoc idem Saluator noſter inſinuat, vt magnus interpretatur Gregorius; qui vt magni Baptiſtæ Sanctitatem declararet, qua charitate ardebat in Deum, & in proximum, itaut relictis Parentibus Patria, amicis, mundi illecebris, ſe in abditiſſimam condiderat ſyluam, camelorum pilis conſito malè ſuffarcinato indumento; (& ſanè ſaxa petebat, vt ex illorum colliſione ignem diuinum eliceret) hinc iam ad iuxtam menſuram excreta flamma in publicum proſiliuit, ardenter prædicans, & audacter in vitia animaduertens Hoc totum, inquam, vt declararet Dominus dixit : *Ille erat Lucerna ardens, & lucens. Ioan cap. 5. ver.* Quaſi diceret, Lucerna, quæ in ſe ignem non habet, nec alijs flammam poterit communicare: Non ita Ioannes, qui lampas lucidiſſima, illuſtrabat, quia lumen erat, quia ardebat vrebat. Hoc legens D. Gregorius Magnus *homil. 11. in Ezechiel. tomo 2. pag. 1302. lit. C.* ſcripſit *Lucerna, quæ in ſemetipſa non ardet, eam rem, cui ſupponitur non accendit. Hinc enim de Ioanne veritas dixit. Ille erant lucerna ardens, & lucens*. Omnis ergo qui Dei populum, vel exemplis illuminare, vel verbis inflammare voluerit, lucerna eſto; ardeat in ſe vt accendat; luceat vt ſplendeat: neque enim alij prodeſſe poterit qui in ſeipſo charitatem non habet.

8 Neque tantummodo populo Dei Verba miniſtrantem, ardere oportet: Verumetiam ſi Anima ſeipſam ad contemplationem diuinorum ſubleuare voluerit, prius ſeipſam quantum amat examinare debet; non attingit perfectionis apicem, qui parum amat. Idcireo Propheta ad perfectionem anhelans canebat. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Pſalm. 54. verſic. 7.* columbæ deſiderat alas de amore ſeipſum interrogat, vt excitet cor ad amorem, quod ad Deum aſcendere deſiderat. Huc fortè D. Gregorius Magnus, *lib. 6. cap. 17. moral. tomo 2. pag. 452. lit. A.* reſpexit, dicens. *Neceſſe eſt, vt quiſquis ad contemplationis ſtudia properat, ſemetipſum prius ſubtiliter interroget quantum amet. Machina quippe mentis eſt amoris vis, quæ hanc dum a mundo extrahit in alta ſubſtollit*. amemus igitur, charitate ardeamus, vt & nos, & nobiſcum populos ad cæleſtia regna euehamus.

§. VII.

Miniſtri Dei debent eſſe veloces ad Diuina mandata exequenda.

1 ET *Miniſtros ſuos flammam ignis*. Inter omnia entia quæ quodammodo vita donantur, proindeque pabulo indigent, Ignis velociſſimus ad motum, & ad conſumandum pabulum actiuiſſimus eſt: vt qui inter omnes materiales ſubſtantias magis proximus Diuinitati videatur, & ſi non in inſtanti, ſaltem in minimo mouetur tempore. Propterea illi. qui corporeos Angelos faciunt, eorum corpora vel aerea, vel ignea fingunt, vt Angelorum velocitatem ad eorum nunciaturam perficiendam oſtenderent. Qui ergo Deo, vtpote conſumenti Igni, deſeruire deſiderat, ignis eſſe debet; ideſt ad modum ignis velox, & promptus ad diuina mandata perficienda; ideirco dicit. *Qui facit Miniſtros ſuos flammas ignis*. Ita Angelus quidam minorita expoſuit. *Miniſtri Dei flamma ignis dicuntur, hoc eſt veloces ad Dei imperia exequenda, & ardentes in miniſterijs diuinis. Venerab. Angelus del paſ. lib. 3. in Symbol. Apoſtol. capitul. 21. pagin. 42. columm. 1. litt. A.* Et meritò quidem, vt qui in Dei famulatu Angeli nomen ſortiuntur, eorum quoque velocitatem imitentur.

2 Hæc igitur cauſa fuit, cur Pictorum licentia Sanctis Spiritious alas dedit, vt ſcilicet animaduerterent homines Dei miniſtrorum velocitatem: quare nec mirum videri debet quandoque Angelos Aues vocatos. Hoc præcipuè in Iſaia habetur; vbi vocans Dominus miniſtrum ſuum, eum ſub Auis nomine vocat: *Vocans ab Oriente Auem. Iſai. capit. 47. verſicul. 11.* Vt ſcilicet, inquit D. Hieronymus Angelorum intelligeremus promptitudinem ad Imperium Dei exequendum. *Ergo iuxta eos vocatas ab Oriente Aues Angelorum poſſumus intelligere miniſteria: quæ ad Imperium Domini in toto orbe diſcurrunt, qui ſunt adminiſtratorij Spiritus. D. Hieronymus in cap. 47. Iſai. tomo 4. colum. 325. lit C.* Alati igitur Spiritus, Aues Angeli ſunt, vt Dei imperia non retardentur, & ita omnes eius miniſtros oportet eſſe ardentes charitate, voluntate veloces, volantes deſiderio, vt mandata Diuina perficiantur.

3 Columba inter omnes Aues perniciſſima eſſe dicitur, & quam celeritate ſua vel nec oculus aſſequatur; quare non immerito Miniſtrorum Dei ſignificauerit promptitudinem. Huius alas ſummopere deſiderabat Pſaltes dum canebat. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? Pſalm. 54. verſic. 7.* Quaſi diceret. Ita in me ad Diuinum miniſterium ardor charitatis impellit, vt quia me pigrum ad exequendum agnoſco, columbæ alas deſidero, vt volatu celerrimo, ne dum columbæ mortalis, verum etiam Seraphinorum immortalium curſum valeam ſuperare. Miniſter enim Dei fortiter volare debet. Audiendus Alenſis. *In Prædicatore debet eſſe velocitas exequutionis: & ſciendum quod Prædicator debet volare fortiter, vt columba*. Diſcedat ergo a Miniſtro diuino torpedo, velox ſit, auis ſit, columba ſit; vt ipſis alis, quibus ad Dei miniſterium peruolat, ad Cęli Regiam perueniat.

Digitized by Google

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Quartus.

Quæ Miniſtros, et Angelos habet, cæleſtes Spiritus, qui eam Reginam agnoſcunt.

DEcet vtique ſublimem, celſumque cælorum Imperatorem non ſolum ſibi ſubiectos, Angelos, & Miniſtros habere illos ſpiritus immortales, qui in cæleſti gloria, & illuſtri ſubſtantia fulgentes, ſupernæ ciuitatis ſedes adimplent; verum etiam, & Matrem ſuam cariſſimam, quam ſuper Æthera euectam in Regio collocauit ſolio, Cælorum proclamatam Reginam, ſpiritus eoſdem, nec minori promptitudine, adminiſtros habere; vnde de ea quoque dici poteſt, *Quæ habet Angelos ſuos ſpiritus*: quod & D. Auguſtinus confirmat. *Michael Dux, & Princeps militiæ cæleſtis tuis, Virgo, paret præceptis cum omnibus ſpiritibus adminiſtratorijs. D. Auguſt. ap. D. Bonau. Cardin. in ſpec. Virg. lec. 3. to. 6. pag. 455. col. 2. lit. C.* Non enim Regis Miniſtri, etiam Reginæ ſeruire dedignantur.

Maria eſt Angelorum Domina, & Regina Vniuerſi.

1 VIrginis benedictæ, Dominæque meæ præſtantiſſimæ ſuper omnes Cælorum ciues glorioſam exaltationem deſcribere, huius verſus occaſione lætanter ingredior. Quam cum Reginam dicimus, omnibus regijs decoratam ornatibus demonſtrare neceſſe eſt. Primo namq; ex prima Regni nobilitate nobilis Virgo deligitur, atauis illuſtribus edita, ne qua natalium macula regiam generationem obſcuret: Faciei ſpecies formoſis picta coloribus, decora venuſtate grauis, gratiarum exornata fulgoribus, ſplendet in illa. Morum ſuauitas, conſuetudinis decor, honeſtatis candor, in operibus nitet, ne deformitate deterreat, aut prauitate diſpliceat. Inde Regis digna iudicata corona, regalibus induitur veſtibus, & fulgenti redimita Diademate, in ſolio, vel claris lucente gemmis, ad Regis dexteram ſolemniter collocatur. Haud ſecus in Deipara factum cernimus. Hæc regio ſata ſanguine, quippe, quę *de domo Dauid Luc. 1.* erat, pulchritudine celebris, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; Cant. 4 v. 7.* gratioſitate famoſa, *diffuſa eſt gratia in labijs tuis: Pſal. 44. ver. 3.* ſanctitate illuſtris, honeſtate morum conſpicua; electa eſt Dei mater, Angelorum Domina, Cælorum Regina, vniuerſi orbis Imperatrix æterna; hinc regio inſtructa cultu, *in veſtitu deaurato circundata varietate*; ſtellifera rutilans corona; *in capite eius corona ſtellarum duodecim:* ad filij dexterá collocatur. Hoc totum compendio vſus deſcripſit Propheta: ver. 11. *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate*: Vt ſcilicet ipſam Reginam, Dominamque Cælorum agnoſceremus; vt argumentatur D. Athanaſius. *Et quandoquidem ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, idemque & Dominus, & vere cenſetur; & propterea, & mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè, & vere cenſetur; licebitque nobis ita congruenter dicere, dum ad ipſam, & ad eam, qui ex ea natus eſt reſpicimus carniferum filium: Nunc ſcilicet adſtit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato: eo quod ſecundum ſexum fœmineum Regina, & Domina, & Mater Dei appellari debeat. D. Athanaſius Alexand. Epiſ. Homil. de* Deipara *pag* 638. En quomodo coronatam, & in cæleſte ſubuectam ſolium noſtram Reginam veneramur.

2 Poſt coronam ſceptrum Reginæ datur; & hoc eſt ſpeciale Regiæ dignitatis ſignum: etenim tunc verè regnare dicitur cum ſceptrum tenet. Huius rei ſymbolum habetur Eſther cap. 15. Eſther magni Arthaxerſis vxor, Regem pro populo ſuo deprecatura accedere iniuſſa formidabat: cum ergo in illius veniſſet conſpectum, territa deficiebat. Tunc Rex vt oſtenderet ipſam, vtpotè Reginam, legibus Vaſſallorum haud ſubiacere, ſceptrum ei tangendum portendit, dicens: *Accede huc, & tange ſceptrum: Eſther cap. 15. ver* Hoc eſt, vt exponit Riccardus; Accede o Regina, & ita tuæ poteſtatis ſignum regale ſceptrum accipe; & ſciat omnis populus; non pro te, quæ regnas, ſed ad ſubditorum compeſcendam audaciam legem poſitam eſſe. Vel melius cum Riccardo dicamus æterni Imperatoris Mariam vocantis, illam orationem eſſe; quaſi diceret: Accede, accede, dilecta mea Filia, ſponſa Mater; Tu Regina es; & ſicut Eſther exaltata eſt in populis, tu in Angelis, illa ſuper regna extollebat imperium, tu ſuper cæleſtium ſpirituum choros ſolium eleuas: tene igitur dignitatis tuæ ſceptrum, imperij tui faſces, Regni tui paludamentum: eſto Domina, & Regina Curiæ immortalis. audiamus Riccardum a S. Lauren. lib. 3. de laudib. Virg. col. 198. lit. B. *Aſſuerus, qui interpretatur Beatus, ſiue Beatitudo, & ſignificat Chriſtum, dixit Eſther Reginæ, quæ interpretatur eleuata in Populis, & ſignat Mariam, quæ exaltata eſt ſuper choros Angelorum, & omnium Beatorum ad cæleſtia Regna; dixit, inquam ei, ſicut legitur Eſther cap. 15. Accede huc, & tange ſceptrum: Accede huc, & tene ſceptrum, accipe regiam dignitatem: eſto Domina Cæli, & Terræ.* Neque enim inane Reginæ nomen Maria habet, non ad decorem tantummodo Solis purpuram induit, ſtellarum induxit coronam, lunare calcat ſolium; ſed etiam ſceptrum tenet, poteſtatem habet, imperat, regnat; & infernalibus fugatis hoſtibus, in perpetuum regnatura triumphat.

3 Talis eſt mortalium conditio, vt cum multi regnare contendant, & nonniſi puſilli orbis parte potiantur, Reges eius partis, cui principantur, Reginis ſuis poteſtatem communicent. Quamobrem Romanorum dicitur Imperatrix Auguſti Vxor, & Hiſpaniarum Regina, Catholico Regi nupta. Maria vero eius Regni Regina eſt, quod nec regione finitur, nec termino coarctatur, nec limitibus deſignatur, nec loco continetur; Quidquid creatum eſt eius ſubiacet poteſtati, eius paret imperio,

Digitized by Google

eius ſubditur ſeruituti: Cælum egreditur, terram adimplet, maria comprehendit, aera ſpatiatur; luminoſi mūdi ſuperioris orbes, nec non tota eius ditionem illuſtrant: ei obediunt creaturæ, ſubduntur homines, famulantur Angeli, & eius maieſtatem, licet inuiti, Dæmones reuerentur. Et vt vno verbo eius deſcribā Imperium, vniuerſus eſt orbis: namque Vniuerſorum Domini Mater eſt. Hoc innuit ſapiens dum, vt eius declararet dominium, dixit; *Omnium Dominus dilexit illam*: *Sap. cap. 8. ver. 3.* vt ex hoc cognoſceretur eam Vniuerſorum eſſe Dominam, quia vniuerſorum peperit creatorem. *Omnium certè*, inquit D. Bonauentura Cardinalis in Specul. Virg. lec. 8. to. 6. pag 464. col. 1. lit. F. *vniuerſaliter, omnium inquam viſibilium, & inuiſibilium. Ita vniuerſalis omnium Dominus cum Maria fuit, quod etiam ipſam vniuerſalem etiam omnium Dominam fecit*. Sublime Regnum eſt Deiparæ ipſi mundo æquale, nec creatura aliqua reperitur, quæ illius non pareat poteſtati.

4 Regnum inaugurationem ſequitur Regni poſſeſſio; quare ſi Rex extra ſuum Regnum, dum eligitur, eſt, neceſſe eſt vt perſonaliter ad ipſum ad capiendam poſſeſſionem accedat; Hinc in ipſum vbi peruenerit totum fere luſtrat, ciuitates principales viſitat, vt omnes ipſum tanquam Dominum recognoſcāt. Haud iſta poſſeſſio in glorioſa Virgine deſideratur: ipſa namq; vt Cælorum Regina, per omnes cælorum orbes, celſiſſimis euecta virtutibus circuit immenſo volatu: *Girum cæli circuiui ſola. Eccl. cap. 24. ver. 8.* Ipſa inferorum abditas regiones, æternæ noctis caligines, nigra perditorum tartara, non cultura, ſed imperatura percurrit: *Et profundum Abyſſi penetraui.* immenſas oceani voragines, tumentes ponti fluctus, fluminumque ſcaturigines omnes tam ſedatura, quam dominatura calcauit: *In fluctibus Maris ambulaui.* Terrarum vero floriferos campos, amænos colles, ſublimes montes, oppida, Regiones, Imperia, veluti Aduocata, nedum Regina, perambulauit; *Et in omni terra ſteti.* Hoc autem ideo factum eſt vt Regnorum ſuorum poſſeſſionem Virgo immaculata teneret; hinc fatetur: *Et in omni populo, & in omni gente primatum habui.* Eleganter, & ingenioſè D. Bernardinus Senenſis: *ſer. 3. de glor. nom. Mariæ artic. 2. to. 4. pag. 82. col. 2. In quibus verbis exprimit magnitudinem dominij ſui; videlicet, quia dominatur in quatuor regnis. Primo in cælo, ſecundo in Inferno, tertio in Purgatorio: quarto in mundo*: Eaq; de cauſa cuncta perluſtraſſe ſubiungit. *Ipſa quippe tanquam Domina cælorum cælum circuiuit; & vbique principatum eius accepit.* Quis non ſubijcitur poteſtati Mariæ, cum nihil creatum ſit, quod Dominam Creatoris genitricem non recognoſcat?

5 Reginæ ſeruitutem ſuam, & homagium ſubditi omnes præſtare debent: Hinc ciuitates, Regnique præcipui legatos, & ipſi mittunt, neque vacuos tamen, verum qui quam profitentur ſermonibus obedientiam, muneribus valident, atque teſtentur. Statim ac Virgo glorioſiſſima Dei Mater electa eſt, cæpit ſuperna Angelorum Ciuitas exultare, ipſam Dominam confiteri, Reginam agnoſcere: Vt autem ei obedientiam præſtarent Gabrielem nuncium mittunt, qui & ipſius Regis immortalis, & etiam naturæ angelicæ nomine ipſam adorans; munera immenſa dedit, quippe gratiam, qua maior fieri nequit, ad puræ creaturæ decorem. Idcirco ei dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Aue, aue, *Regina Cælorum, Aue Domina Angelorum*: Tibi ſubduntur cæleſtes intelligentiæ, te Patronam cæleſtes Chori proclamant, te Cherubin laudant, Seraphim reuerentur; gratiam habebis, ſi meis verbis conſenſum dederis, quæ totius diuinæ gratiæ Theſaurus eſt: Ego hoc regale, imo diuinum munus defero; meæ legationis officium haud vulgare eſt: parùm habet orationis, multum donationis ornatum: quantum omnipotens dare poteſt, quantum optare noſtra deuotio valet, tuum eſt, orationis meæ effectus eſt; nam ſi meis dictis aſſenſum præſtaueris, mater eris Creatoris, qua dignitate inter creaturas excelſior inueniri non poteſt; nam ſi *Dominus tecum* eſt, non vt Princeps, ſed vt filius, tua gratia nihil optabilius Vniuerſus orbis habet. Præclare Rauennatum Antiſtes. *Sed quid egerit Angelus audiamus: ingreſſus ad eam dixit: Aue gratia plena Dominus tecum: In hac voce oblatio eſt; oblatio muneris, non ſimplex ſalutationis officium; D. Petrus Chriſolog. Arch. Rau ſer. 142. pag. 370. col. 1.* Reddamus ergo & nos homines obedientiam noſtram, & hanc adoremus Reginam; quod ſi munus tanta maieſtate dignum non eſt ad manus, Angelum imitantes, eius ſalutationem millies recitemus.

6 Quod ſi ſubditi ſe ſeruos confitentur Reginæ; & ita paratos ſe exhibent ad eius exequenda mandata, vt nulla eos mora ſit ab exequutione retardatura. Erat Samaria Iſraelitici Regni Regia Vrbs, vbi Principes habitare conſueuerant: Rex qui regnauerat Achab iuſſu Dei interfectus, & a Domino per prophetam, Iehu eius loco electus eſt. Hic, vt decebat Regem, regiam Ciuitatem obtinere cupiens, ad eam legatos miſit: Cuius optimates, vt ſuum erga Regem obſequium declararent, in hæc verba ei reſcripſerunt. *Serui tui ſumus, quæcumque iuſſeris faciemus. 4. Reg. cap. 10. ver. 5.* Haud ſecus Beatæ contigit Mariæ: ſtatim namque ac Dei electa eſt Mater, & conſequenter Vniuerſi Regina, ad Empireum cæleſtem Regiam miſit, vt eius pareret imperio: cuius optimates, & Principes, hilariter, & deuotè eodem ſermone texuerūt reſponſum, ſi Sancto credimus ſenenſi; & quomodo illi non præſtarent obſequium, quæ eorum Regis eſſet Mater? Cur ſe eius ſeruos eſſe negarent, quæ quodammodo ad eorum perfectam gloriam, cuius mediator filius, & ipſa extitit Mediatrix? Illane Ciuitas eius fugeret dominatum, quæ Angelorum ruinas illibati ſui ventris fructu repararat? Quapropter omnes ciues ciuitatis ſupernæ vna voce exclamauerunt; *Serui tui ſumus, quæcumque iuſſeris faciemus.* Non me mea fallit opinio, cum glorioſi Bernardini Senenſ. habeam teſtimonium. *ſerm. 3. de glorioſ. nom. Mar. artic. 3. cap. 3. to. 4. pag. 84. col. 2. Omnes angelici ſpiritus*, inquit, *ſunt huius Virginis glorioſæ miniſtri, atque ſerui. Quomodo enim non eſſent ſerui illius, per quam eorum, quantum ad numeri integritatem, reparatio facta eſt? Per cuius filium eorumdem facta eſt purgatio, illuminatio, & conſeruatio, ideſt gloriæ conſummatæ perfectio. Verè igitur Domina dici poteſt, atque merito habent de illa omnes cæleſtes ſpiritus confiteri, & dicere illud 4. Reg. 10. Serui tui ſumus, quæcumque iuſſeris faciemus.* Viuat, regnet Virgo illa immortalis, quæ ideo cæleſtis vrbis eſt Domina, quia illam prætioſo filij ſui ſanguine reparauit.

7 Iam Regni dum pacificus poſſeſſor eſt Rex, domum ſuam regio decorat ornatu; familiamque Rege dignam inſtituit. Debentur in primis Principi cubicularij; ad eius aſſiſtentiam, & intimam deputati ſeruitutem. Hoc officium in Beatæ Virginis domo adimplent Cherubim. Nemo eſt neſcius fœderis Arcam Virginis noſtræ figuram extitiſſe; quandoquidem & mannæ ſpiritualis omnem gratiam, nedum omnem ſaporem habentis Vrnam ſuo ſinu complexa eſt; Nec lapideas legis tabulas, verum ipſum carneum legiſlatorem ſuo gremio continuit: Illa ergo Arca duos habuit Cherubim, qui quaſi eius deputati cuſtodiæ ſemper illam reſpiciebant: *Duos quoque Cherubim, aureos facies ex vtraq; parte oraculi, &c. Reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium, quo aperienda eſt arca. Exod. c. 25. v. 18. 23.* Verum quam, cuſtodiā adhibere poterant Arcæ ductiles, aureiq; Cherubim? Dicere igitur conuenit: Arcam eſſe Deiparam, cui veri cherubim aſſiſtentes, cubiculariorum imitantur cuſtodiam: Ita Nicolaus de Lyra. *Duos quoque cherubim &c. per quos deſignatur aſſiſtētia Angelorum huic Virgini famulantium.* Ita prorſus decens fuerat cælorum Reginæ, vt Angelorum Principes in ſecreto deſeruirent cubiculo; & ad Dei Matris cuſtodiā cherubim vigilarēt.

8 Regia exigit Maieſtas, vt eius regia domus militum excubantium, cuſtodientium; ac tuentium agmine ſtipetur, vt & tumultuantis populi inſultus, nec non ho-

ſtium

Digitized by Google

ſtium inſidiæ propellantur: In quorum delectu terreni Principes, fortiſſimas, fideliſſimaſque ſeligunt nationes, vt tutius in eorum vigilantia otio, negotijſq; vacent. Eadem prorſus diligentia, marianam Domum, delecti ex omnibus ſpiritibus cæleſtibus Angeli, cuſtodiunt. Haud illi cuſtodiendæ vnicus deputatus, vt cæteris, Angelus: verum plures ſpiritus Reginæ ſuæ cuſtodiam ſuſcepere, ijque fortiſſimi, ſublimeſque. Huius figura Salomonis lectulus fuit; ad cuius cuſtodiam ſexaginta ex fortiſſimis milites aſſiſtebant: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: Cantic. cap. 3. ver. 7.* Quod de Virgine Deipara dictum Laurentinus Riccardus cenſet. *lib. 10. de laudib. Virg. col. 586. lit. B. Oſtenditur in hoc loco quod ad cuſtodiam, & obſequium B. Virginis, non inferioris, ſed ſuperioris dignitatis Angeli deputati ſunt; cum dicitur: En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt: nam B. Virginem ambiebant diligenti cuſtodia, & reuerentia obſequioſa angelici ſpiritus, fortes inter fortiſſimos ſpirituum.* Quid ergo mirum ſi hanc regiam domum numquam antiquus hoſtis violare potuerit, dum tam diligens cuſtodia eius poſtes ſeruabat?

9 Tandem in Populi conſpectumioditura Regina, vt vel ex ipſo ornatu, ac famulantium reuerentia, eius dignoſcatur maieſtas, inter alias, duas famulas habet; quarum altera defluentia in humum veſtimenta colligat, altera cui, non tam pro neceſſitate, quam pro maieſtate, innitatur. Ita de Perſarum Regina Eſther legitur. *cap. 15. ver. 6. Aſſumpſit duas famulas; & ſuper vnam quidem innitebatur: altera autem famularum ſequebatur Dominam, defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans.* Has Maria ancillas habet; ſed quas putas illas fuiſſe? Humana natura, & angelica: & humana quippe ancilla eſt, cui innititur Regina: nam & ex eadem naturam ſumpſit, nec Deum parere, niſi homo fuiſſet, poterat, & ex conſequenti, nec ad Regnum exaltari cæleſte. Angelica vero natura defluentia quaſi colligit veſtimenta, dum eam iam glorioſam colit; & de eius gloria accidentale ſentit gaudium, neque modicam voluptatem. Seraphici Doctoris hæc eſt ſpeculatio; docet namq; *Conſidera chariſſime, quod Maria eſt Domina Angelorum: ipſa enim ſignata eſt in Domina Eſther Regina, de qua legitur, quod ſuper vnam famulam ſuam delicioſè innitebatur, altera autem famularum ſequebatur Dominam, defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans. Per dominam Eſther Reginam intellige Mariam Reginam: duæ famulæ, quarum Domina eſt Regina Maria, ſunt angelica, & humana natura. D. Bonauent. Card. Epiſc. Alban. in ſpecul. Virg. lect. 3. to. 6. pag. 455. col. 2. lit. C.* Coronatam ergo, & glorificatam Angelorum, hominumque Reginam, & Dominam, omnia venerentur creata; plaudant pſallentes Angeli; iubilent colentes homines, exornent lucentia ſidera; & quidquid eſſe gaudet, eo, qui conceditur, modo ſui creatoris Matrem, Dominam adorando, & iubilando fateatur.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

ANgelum eſſe Naturæ eſt, dignitatem mereri angelicam, virtutis: ſymbolum referre, gratiæ. Non incongruè ergo poſt Angelorum naturam, & mores, etiam Hierogliphica proponimus; nec prætereundus Ignis, qui cum mirabilis ſit, mirabiliores ſignat allegorias: De his igitur breuiter eſt agendum.

SVMMARIVM.

1 *De Angelorum allegoricis ſignificationibus.*
2 *De Ignis Hierogliphicis.*

§. I.

De Angelorum allegoricis ſignificationibus.

QVi *facis Angelos tuos ſpiritus.* Cum nomen Angeli Nuncium importet, & ſpiritualem habeat naturam, pro nuncijs, & ſpiritualibus perſonis ſumitur.

Primo igitur ſpiritum ſanctum ſignat, qui a Patre, & Filio cum procedat, ab his mittitur, qui ideo Angelus, ideſt nuncius dicitur; *Angelus, autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in Piſcinam; & mouebatur aqua. Ioan. cap. 5. ver* 2. De quo D. Ambroſius. *Habes etiam in Euangelio, quia Angelus ſecundum tempus deſcendebat in natatoria, & mouebatur aqua. Quid in hoc typo Angelus, niſi deſcenſionem ſpiritus ſancti deſignabat? D. Ambroſ. Epiſc. mediol. lib. 1. c. 7. de ſpir. ſanc. to. 2. pag. 160. lit. C.*

2 Dominum noſtrum, ac Redemptorem Angelus figurabat, qui vtique in mundum veniens, & ſemetipſum incarne annuncians Angelus fuit: De quo Iob. *cap. 33. ver. 23. Si fuerit pro eo Angelus loquens:* Vbi D. Gregorius Magnus. *lib. 23. cap. 1. moral. to. 2. pag. 843. lit. A. Semetipſum nobis annuncians Dominus Angelus eſt.* Itidem Chriſtus Dominus vocatur *Angelus teſtamenti: Malach. c. 3. v. 1.*

3 Ioannes Baptiſta, eo quod ſaluatorem nunciauerit dicitur Angelus; de quo ſcriptum eſt. *Ecce ego mitto Angelum meum qui præparabit viam ante faciem meã. Malach. cap. 3. ver. 1.* Nam de Beato Ioanne hanc ſcripturam interpretatus eſt ipſe Chriſtus Dominus, dicens: *Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt; ecce ego mitto Angelum meum. Matth. c. 11. v. 10.*

4 Angeli ſunt omnes Apoſtoli, qui Dei euangelium omnibus gentibus prædicauerunt: qui Ieruſalem lugere deſcribuntur: *Angeli pacis amarè flebunt: Iſai. cap. 33. ver. 7.* & dicuntur Angeli pacis, quia pacem nunciabant, quam renuerunt Iudei: ita D. Hieronymus; *in cap. 33. Iſai. to. 4. col. 260. lit. D. Angeli pacis; ipſi Apoſtoli, qui miſſi fuerant, vt pacem annunciarent Ieruſalem.*

5 Non ſolum Apoſtoli, ſed quicumque Dei legem, voluntatemque nunciant Angeli ſunt; De his loquitur Apocalipſis: *cap. 16. ver. 2. Et abijt primus Angelus, & effudit phialam ſuam in terram.* Vbi *Gloſſ. interlinearis. Primus Angelus, ideſt primus ordo prædicantium, effudit ſuam prædicationem in terram, ideſt in Iudæos terrena amantes.*

6 Angeli ſunt ſancti omnes, qui iam corpore ſoluti, & in æterna tabernacula recepti, ſanctis Angelis non ſolum in gloria pares, ſed etiam in natura ſimiles, euadunt, corruptionis vtique expertes: Ideo illis Dominus dixit: *Matth. cap. 22. ver. 30. Erunt ſicut Angeli Dei in cælis:* Et Diuus Ambroſ. Epiſ. Mediol. loc. citato. *Sicut Dominus ipſe promiſit dicens: eritis ſicut Angeli in Cælo: Qui enim illos Angelos fecit in ſpiritu, homines quoq; per eandem gratiam ſimiles faciet Angelorum.*

7 Sacerdos eſt Angelus; de quo illud Malachiæ: *c. 2. ver. 7. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, quia Angelus Domini exercituum eſt. Habent enim,* ſubdit Lyranus,

Digitized by Google

nus, *Officium Angelicum, ſcilicet colere Deum, & diligere Populum, ſicut Angeli in miniſterium miſſi propter ſalutem electorum.*

8 Angelus fidei ſimbolum eſt. Hinc Angeli per illam Iacobi ſchalam aſcendentes in Cœlum; de qua ſcriptum eſt: *Angeli quoque Dei aſcendentes per eam*: *Gen. cap. 28. ver. 12.* quos Angelos Fidem, & deuotionem aſcendentes ad Deum eſſe docet Lyranus: *Per Angelos aſcendentes intelligitur fides, & Deuotio Sanctorum.*

9 Sermo diuinus, quia nobis Dei patefacit voluntatem, poteſt per Angelum ſignari: quem ſignificauit ille Angelus quem cum Azaria, & Socijs in fornacem deſcendiſſe teſtatur Daniel: *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & Socijs eius in fornacem. Daniel. cap. 3. ver. 49.* Quare D. Hieronymus. *in cap. 3. Daniel. tom. 4. col. 1117. lit. C. Oppreſſa perturbationibus Anima, & varijs moleſtiis occupata, &c. deſcendit ad eam Angelus Domini, ſcilicet ſermo diuinus.*

10 Iure optimo Angelus Dei auxiliũ eſt, nullus enim iucundior nuncius quam Dei adiuuãtis dextera: etenim cum nobiſcum Dei adiutorium eſt, omnium inimicorum potentiæ diſperguntur. Vnde Iſaias *cap. 33. ver. 3. A voce Angeli fugerunt Populi*: Nam Deo adiuuante omnis gentium multitudo fugit, inquit D. Hieronymus, *in cap. 33. Iſai. col. 259. lit. C. A voce Angeli fugerunt populi: Te enim præbente auxilium omnis gentium multitudo diſperſa eſt.*

11 Duo teſtamenta Angeli ſunt; qui ideo videntur vnus ad caput, alter ad pedes Domini in monumento, quia vnum Teſtamentum præceſſit Chriſtum, alterum vero ſequutum eſt: de his dicitur: *Vidit duos Angelos in albis ſedentes*, &c. *Ioan. cap. 20. ver. 12.* Vnde D. Gregorius Magnus, *Homil. 25. in Euang. tom. 3. pag. 70. lit. D. Poſſumus etiam per duos Angelos duo Teſtamenta cognoſcere.*

12 Angeli ſignificant ſtellas; quæ apud vanos, & cæcutientes Aſtrologos Angeli dicuntur, quatenus Mundi, hominiſque futura accidentia nunciare ſuperſtitioſè creduntur: Ita D. Paulus. *Ad Coloſſenſ. cap. 2. ver. 18. Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum.* Nomine Angelorum Stellas ſignificans, ſecundum Gentilium ſuperſtitioſam loquutionem, vt Author eſt D. Ambroſius. *Stellas Angelos vocat, non authoritate diuina, ſed ſuperſtitione humana, in Epiſt. ad Coloſſ. cap. 2. tom. 5. pag. 372. lit. D.*

§. II.

De Ignis Hieroglificis.

E*T Miniſtros ſuos ignem vrentem.* Ignis inter omnia elementa actiuiſſimus eſt, & calidiſſimus; hinc eſt quod ratione vtriuſque qualitatis, multa Symbolicè, & allegoricè ſignificare poteſt.

Primo igitur ipſum ſignificat Deum, de quo illud dictum eſt. *Deus tuus ignis conſumens eſt*: *Deuter. cap. 4. ver. 24.* Ignis enim ardet, ſplendet, ætheream, & pulcherrimam ſubſtantiam habet, in momento operatur; quæ omnia Deo maximè conueniunt: Quare D. Dioniſius Areopag. *ap. Silu. allegor. verbo Ignis. tomo 1. pag. 449. colum. 2.* inquit, *Ignis Diuinæ proprietatis (ſi dici licet) in rebus viſibilibus plurimas ſeruat imagines.*

2 Spiritus Sanctus ignis dicitur, de quo cantat Eccleſia: *Fons viuus, ignis charitas, &c.* De quo igne intelliguntur Chriſti verba; *Luc. cap. 12. v. 49. Ignem veni mittere in terram*: ſecundum expoſitionem D. Ioannis Chriſoſtomi *Homil. 31. in cap. 4. Ioan. tom. 3. colum. 127. lit. B. Spiritum ignem appellat; vt excitamentum, & feruorem gratiæ, & peccatorum abſumptionem ſignificet.*

3 Ignis dicitur Paſſio Chriſti Domini: eo quod cato Chriſti Domini quaſi petra, virga crucis percuſſa, ignem Paſſionis ſuæ ad comburenda peccata elicerit: in cuius Myſterium, *Extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, &c. aſcendítq; ignis de Petra. Iudic. cap. 6. v. 21.* Vbi D. Ambroſius *in Prolog. lib. de Spirit. Sanct. tomo 2. pagin. 148. lit. C. Quod igitur Angelus extendit virgam, & tetigit petram, ex qua exiuit ignis, oſtendit, quod caro Chriſti, Spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret.*

4 Angelus dicitur ignis; quod probatur per hunc verſum, & etiam per illud de lucifero *Ezech. cap. 28. verſic. 14.* dictum: *In medio lapidum ignitorum ambulaſti*, ſecundum D. Hieronym. *ibid. tomo 4. col. 931. lit. D.* lapides igniti Angeli ſunt: *Angeli vocantur lapides igniti.*

5 Ignis charitas, ſeu Amor Dei dicitur hinc capillos igne ſanctificare, eſt ſuperfluas cogitationes reſecare, & diuini ignis amore conſumere: Hoc habetur. *Num. cap. 6. ver. 18. Tunc radetur Nazareus, &c. Tolletq; capillos eius, & ponet ſuper ignem*: quare D. Gregorius Magn. *lib. 2. cap. 26. moral. tomo 2. pag. 354. lit. A.* docet. *Sed quid eſt quod deuotione completa, caput Nazareus radere, capilloſque in igne ſacrificij ponere iubetur, niſi quod tunc ad perfectionis ſummam pergimus, cum ſic exteriora vitia vincimus, vt etiã cogitationes ſuperfluas a mente reſecemus? Quas nimirum ſacrificij igne concremare, eſt flamma eas diuini amoris incendere.*

6 Sermo diuinus ignis eſt, etenim audientium corda comburrit, & ad mandatorum obſeruantiam accendit. De hoc igne loquitur Pſaltes, dum ait: *Ignitum eloquium tuum vehementer*: *Pſalm. 118. verſic. 140.* & eius effectus Chriſti Diſcipuli in Emaus pergentes primi experti fuere, vt inquit D. Ambroſius *Serm. 18. in Pſalm. 118. tom. 2. pagin. 552. lit. C. Hoc ſermonum igne vaporati Cleophas, & ille alius, qui ſimul cum Domino ab Hieruſalem vſque ad caſtellum confecerunt iter: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis cum aperiret nobis ſcripturas.*

7 Ignis zelus dicitur, præcipuè autem in ſcripturis zelus Diuini honoris ignis eſt, qui in manu Abrahæ poſitus, *Ipſe portabat ignem, & gladium*; *Gen. capit. 22. verſic. 6.* cum a filij ſeparauit amore, dum magis Deum quam ſeipſum, occidendo Filium, amare viſus eſt: ita *Gloſſ. interlin. Bonus zelus qui ſeparat Patrem a Filio.*

8 Ignis Victoriam adumbrat, hinc ignis ſuper caput Martij Romani, & Alexandri Macedonis apparens, eis victoriam pronunciauit, & in Sacris literis quando ſuper Apoſtolorum capita, *Apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Actor. cap. 2. verſic. 3.* Victoriam de Chriſti hoſtibus reportandam, per Diuini Numinis preſentiam, ſignificauit; quod Carthagena cognouit. *Diuinus ergo ignis ſuper Apoſtolorum capita veniens, quid aliud indicabat niſi certiſſimam victoriam, quam in expugnatione mundi obtinere debebant? Ioann. de Chartagena, lib. 16. Homil. 4. de miſſion. Spir. Sanct. colum. 24.*

9 Ignis remorſus cõſcientiæ, eſt quem habebunt impij de malo, quod fecerunt, & de bono quod neglexerunt, quod optimè declarauit Pſaltes, quando dixit: *Pones eos vt clibanum ignis*: *Pſalm. 20. verſic. 10.* nam ſicut ignis ardet intrinſecus, ita iſtorum dolor in corde eſt; *Sicuti clibanus*, teſtatur D. Hieronymus, *in Pſalm. 20. tom. 7. column. 67. litt. C. Intrinſecus ardet, ſic illorum conſcientia intrinſecus ardebit: eo quod bona non fecerunt.*

10 Pœnitentia quoque ignis vocatur, quia deuorat inimicos Dei, ideſt peccata: de quibus *Iſaias capit. 26. verſic. 11. Ignis hoſtes tuos deuoret*: Vbi D. Hieronymus *in cap. 26. Iſai. tom. 4. col. 208 lit. E. Ignis pœnitentia, qui eorum corda excruciat.*

11 Tribulatio, quia torquet, ſed ad gloriam, & mundat animam ignis dicitur; quod declarat Pſalmus: *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Pſalm. 65. ver. 10.* hoc D. Auguſtinus confirmat, *in Pſal 65. to. 8. pag. 277. col. 1. lit. A.* inquiens. *Quando ſunt res anguſtæ, quæ infelicitates dicuntur, in hoc tribulatio, quaſi ignis eſt.*

12 Sed

Digitized by Google

12 Sed & cupiditas, quæ animum ſæpe inflãmat, ignis eſt: ſecundum Pſalmum: *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*. *Pſalm.10.ver.7.* Vbi D. Auguſtinus *in Pſal.10. pag.31. col.1. lit.B. Hęc pęna eſt, atque exitus per quos plaſphematur nomen Dei, vt primo cupiditatum ſuarum igne vaſtentur.*

13 Ignis, & vorax concupiſcentia eſt; quæ ſuorum poſſeſſorum corda liquefacit velut ceram; hinç ſicut cera liqueſcere eſt malæ concupiſcentiæ ardore torqueri. De hoc Propheta: *Sicut cera, quæ fluit auferentur, ſupercecidit ignis, & non viderunt Solem: Pſalm. 57. ver. 9.* & ſubdit D. Auguſtinus *in Pſalm.57. ibid. pag. 235. col. 1. lit. A. Audite pœnam impiorum, ſicut cera liquefacta auferentur; dixi per concupiſcentias ſuas hoc eis fieri. Concupiſcentia mala quaſi ardor eſt ignis.*

14 Iram quoque ignem eſſe D. Auguſtinus docet, ex verbis Pſalmi: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: Pſalm. 96. verſ. 3.* Quærit namque. *Quis eſt iſte ignis?* Et reſpondet: *Cum prædicaretur Chriſtus iratæ ſunt gentes, & commouerunt perſequutionem; quæ ira ignis fuit, magis conſumens eos, qui perſequebantur, quam eos, quos perſequebantur: D. Auguſtin. in Pſalm.96. tom. 8. pagin. 443. col. 1. lit. D.*

15 Ignis dicitur inuidia, quæ quaſi flãma vorax exurit decipiendo: De qua Iob: *cap. 1. verſic. 16. Ignis Dei cecidit de Cęlo*: Vbi D. Gregorius Magn. *lib. 2. cap. 19. moral. tom. 2. pag. 344. lit. E. Quaſi ignis de Cęlo cecidit idem ad decipiendum imperitum populum, ab his etiam, qui vera docere putabantur, flamma inuidiæ exarſit.*

16 Ignis Auaritiam notat; Quod fortaſſe adnotauit D. Petrus, dicens: *Cor exercitatum Auaritia habentes. 2. Pet. cap. 2. ver. 14.* Sed apertè id aſſerit D. Auguſtinus *ſer. 250. de temp. tom. 10. pag. 395. col. 2. lit. C. Contemnenda eſt Auaritia, quæ velut ignis, quanto magis acceperit, tanto amplius quærit.*

17 Ignis, quia ſplendet, ſed vrit, poteſtas mundana ſeu decor mundanus eſt, qui dum ſplendet in pompis, patrimonium exurit: Vnde Iob. *cap. 18. ver. 5. Nec ſplendebit flamma ignis eius.* Et ibidem D. Gregorius *lib. 14. cap. 4. moral. tom. 2. pag. 616. lit. E. Flamma ignis eius eſt decor, vel poteſtas exterior.*

18 Ignis cæleſte ſupplicium dicitur, ſæpe enim Deus fulmine, qui ſuperus ignis eſt, peccatores percutit; ideo Pſalmus: *cadent ſuper eum carbones, in ignem deijcies eos. Pſalm. 139. ver. 11.* Ita explicat D. Ioannes Chriſoſtomus *tom. 1. col. 1101. lit. A. Carbones autem ignis, & ignem hic dicit ſupplicium, quod à ſuperis immittitur.* Hinc adagium: Qui ignem tangit ſeipſum comburit: ſic inſidiator, & calumniator, prius ſe quam aduerſarium lædit: Idem Chriſoſtomus *Homil. 44. in Matth. tomo 2. pag. 323. lit. C. Inſidiator, & calumniator ſeipſum prius interficit. Siquidem qui ignem tangit ſeipſum comburit.*

19 Ignis calumniatorem exprimit: dicitur in Pſalmo. *labor labiorum ipſorũ operiet eos, cadent ſuper eos carbones. Pſalm. 139. ver. 11.* Calumniator namque eſt ſicuti fricans ramos ſiccos hederæ, & lauri, ex quorum colliſione ignis accenditur: ita calumniator dum labia doloſè loquendo percutit, ignem ad ſui conſumptionem elicit. *Abſalon*, inquit D. Ioannes Chriſoſtomus, *in Pſal. 139. tom. 1. col. 1101. lit. A cum incurriſſet in tyramnidem, & vellet Patrem perdere, ipſe per eam captus eſt. Sufficit quidem vel ipſum vitium ad eos perdendos, qui ipſum complectuntur.*

20 Ignis virtutem ſupernaturalem ſeruerum Dei, ſeu Martyrum ferientem tyramnos in Apocalipſi ſignat: vbi de duobus Dei teſtibus Henoch, & Helia, dicitur: *Ignis exiet de ore illorum, & deuorabit inimicos eorum: Apocalip. cap. 11. ver. 5.* Vbi D. Bernardinus Senenſis *in Apocalipſ. pag. 75. col. 2. lit. E. Ignis ſcilicet virtus ſpiritualis exibit de ore eorum, quia de fornace accenſa, & deuorabit inimicos eorum.*

21 Ignis infernalium pœnarum Gehennam ſignificat: De qua Propheta: *Vox Domini intercidentis flammam ignis: Pſalm. 28. ver. 7.* quod confirmat D. Hieronymus *in Pſal. 28. to. 7. col 89. lit. C. Pænitentiam Ioannes in deſerto prædicans, omnem Gehennæ reſtinguebat ardorem.*

22 Tandem ignis, qui aurum purgare ſolet, Purgatorij figura eſt: qua allegoria Paulus Apoſtolus vtitur, dicens: *Vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis purgabit. 1. Cor. cap. 3. ver. 13.* quod de Purgatorij pęna dictum eſſe certum eſt; cum enim in Cęlum nihil inquinatum introire poſſit, prius igne illo peccatrix anima purganda eſt: quare Gloſ. interlin. hunc Pauli locum exponens, ait: *Ignis purgabit; ideſt pœna Purgatoria bonis.*

Verſus Quintus.

יָסַד אֶרֶץ עַל מְכוֹנֶיהָ בַּל תִּמּוֹט עוֹלָם וָעֶד׃

Verſio ex hebręo. *Fundauit terram ſuper baſes eius, ne moueatur in Sæculum, & tempus.*

D. Auguſtinus. *Fundauit terram ſupra firmamentum eius, &c.*

Vulgata editio. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in Sæculum Sæculi.*

D. Hieronymus. *Qui fundaſti terram ſuper baſem ſuam, non commouebitur in Sæculum, et in Sæculum:*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

SVperuacaneum non eſt, quòd in hoc loco Propheta, vt terram exprimeret, vſus eſt hoc nomine אֶרֶץ cum etiam appelletur אֲדָמָה non enim ſignificare voluit ſolam terram, quæ eſt puluis ſeu humus, vnde אָדָם ideſt homo; ſed vniuerſum terraru morbem, pro ut mundi totius intimior eſt pars,

ex humo, aquis, lapidibus, metallis, imò animantibus, & ciuitatibus conſtans. Porrò verbum מְכוֹנֶה baſem, fundamentum, & ſtabilitatem ſignificat: Legendum autem eſt, *fundauit*, &c. nam יָסַד non ſolum præteritum, ſed radix eſt, quæ a tertia incipit perſona. Dubium autem maximum eſt in verbo illo עוֹלָם vbi videtur deſiderari litera ל, vt dicat לְעוֹלָם, ideſt, *in ſæculum*: aliàs enim ſenſus imperfectus eſt: omnes tamen codices, quos vidi, ita habent: quomodo autem litera illa expuncta fuerit ignoramus. Tota igitur literalis dilucidatio, circa terram, & eius ſtabilitatem verſabitur.

SVMMARIVM.

1 *De Elementi terræ natura & proprietatibus.*
2 *De fundamento, ſuper quod orbis terrarum firmatus eſt.*
3 *De immobilitate terræ, & Cæli, & de ſyderum motu.*
4 *Obiectiones contra immobilitatem terræ reijciuntur.*

§. I.

De Elementi terræ naturæ, & proprietatibus.

1 CVm de Cælo, cæteriſque elementis, aqua videlicet, aere, & igne egiſſet Prophæta, in præſenti ad ipſum primarium terræ elementum, quod omnium rerum ſublunarium fundamentum eſt, declarandum accedit, inquiens: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Porrò licet variè ſumi poſſit Terra, vel vt diſtinguitur ab aquis, vel vt diſtinguitur ab ipſo Cælo, vel prout reſtringitur ad partem exultam, vel pro Regione, ſeu prouincia, imo etiam pro oppido, ſeu ciuitate: hic tamen ſumitur Terra pro ipſo terrarum orbe, prout continet omnia terrena, & diſtinguitur a Cælo, & Aſtris, eſtque hominum, reliquorumque viuentium vtilis habitatio. Terra igitur ſimul cum aqua globum vnum conſtituit, & ſphæricum; quod præcipuè ex eclypſibus lunaribus patet: Etenim cum lunaris eclypſis ab vmbra terræ ortum ducat, obſeruantur lunares defectus ſemper in luna orbiculariter apparere, ex quo ſequitur ipſam terram orbicularem eſſe. Probatur etiam ſacræ ſcripturæ authoritatibus, Nam ſæpiſſimè orbis terræ appellatur; de quo dicitur Pſal.92. ver.2. *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*: probant hoc inſuper Aſtronomi ratione centri, quia cum centrum grauitatis terræ ſit in eius medio, niſi ſphæricæ eſſet figuræ, in eius ſuperficie homines conſiſtere non poſſent; quam rationem euidenter oſtenſam, videre eſt apud ipſos.

2 Hinc etiam ſequitur Terram a Sole illuminari ex vna parte, cum in alteram proijciat vmbram; nam ſi corpus opacum eſt, neceſſe eſt etiam illuminari a corpore luminoſo, cum ſola corpora diaphana lumen tranſmittant. Huius illuminationis experientiam Blancanus in nouilunio, & lunaribus eclipſibus obſeruatam prodit in ſua ſphæra, videtur enim pars illa lunæ, quæ a ſole non illuſtratur aliquale lumen habere, ſcilicet lumen a terra reflexum ad ipſam lunam; quod idem ſuperioribus ſæculis Seneca obſeruauerat. Ratio autem cur Terra cum luna maior ſit, tamen minus lumen communicet, ea eſt, quia Terra non ſolum opaca, verum etiam coloris atri, & ad ſummum viridis eſt, luna vero candida inſtar argenti; experientia autem demonſtrat corpora alba luculentius illuminari, quippe cùm albedo ſit proprius color lucis, vt vidimus aliàs. Quod ſi aliquis ibi exiſteret vbi luna eſt, Terram vtique cerneret, maiorem quippe, quam Lunam, ſed obſcuriorem.

3 Verum enim vero licet hìc ſcriptura de terrarum orbe ſermonem habeat, nihil tamen prohibet, de elementari terra propriè loquutam exponere, nam & hoc docet Incognitus: *in Pſal.103. Conſequenter hic agit de elemento terræ; Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Inter omnia vero elementa Terram præcipuam eſſe nullus negabit: nam cum de cæteris dubium ſit an elementa ſint, de terra dubitat nemo: experientia namque teſte, omnia ex terra producta ſunt, cum tandem in terram conuertantur, & deſinant: regula autem philoſophica eſt, omne totum in ea reſolui, ex quibus conſtat. Terra igitur mater eſt noſtra, quia ex illa materiam carnis mutuauimus, nutrix eſt noſtra, quia ex eius fructibus viuimus, & ſuſtentamur, ſepulchrum noſtrum eſt, quia in eius viſceribus clauſi, in ipſam tandem, reſoluimur; tentorium eſt noſtrum, quia in hac miſerabili vita in ipſa ſiſtimus, & ex ea nobis domus ad habitandum conſtruimus; Idcirco D.Ioannes Chriſoſtomus inquit, Deum in mundi exordio terram informem feciſſe, vt ſciremus bona terræ quibus fruimur dona Dei eſſe, neq; ab eius neceſſitate decepti, ipſam veneraremur. *Terra autem erat inanis, & vacua*; inquit Moyſes, *Gen. cap.1. ver.2.* vbi Sanctus Doctor. *Informem terram creauit, quoniam ipſa eſt nutrix, & mater noſtra, & ex ea facti ſumus, ac educamur; ipſaque noſtra Patria eſt, & commune ſepulchrum (reditus enim noſter ad eam rurſus eſt) & varijs per eam bonis fruimur. Ideò ne homo ob vſus neceſſitatem pluſquam dignum eſt eam veneretur, oſtendit primo rudem, & abſque forma, & inexpolitam; vt ne beneficia terræ telluris naturæ imputes, ſed ei tribuas, qui illam ex nihilo, vt eſſet, creauit. D.Ioann.Chriſoſtom.hom.2. in Geneſ. tom.1. col.8. lit. E.*

4 Neque ideo mirum videri debet Deum optimum maximum a Cæli, & Terræ effectione mundi creationem incepiſſe: etenim cum Dei gloria, & magnificentia in rationali creatura præcipuè eniteat; ante omnia eius domum, & habitaculum conſtruere volebat: quia vero Cælum eſt gloriæ locus, & requiei; Terra autem luctus, & laboris; antea cælum creatur, deinde Terra: prius illud lucidiſſimis effulſit ignibus, quam hæc herbis, & animantibus ditaretur. *Gen. cap 1. ver.1. In principio creauit Deus Cælum, & Terram.* Rectè, inquit D. Ioannes Chriſoſtomus, vt Deus humanum ingenium a curioſis ſpeculationibus deterreret, contrario exorſus eſt modo in effectione mundi. Homines namque ante omnia fundamēta firmant, & deinde tectum extendunt: Deus vero prius tectum nempè cælum velut cortinam extendit, & poſtea terrenum ſubſtrauit fundamentum: vt ex hoc diſceremus omnia Dei voluntate, non humana ratione ſtabiliri: neque id quod humana ſpeculatio non aſſequitur illico impoſſibile reputemus. Audiamus D.Ioann. Chriſoſtomum *Hom. 2. in Gen. tom. 1. col. 8. lit. B. Attende nunc quomodo ex ipſo opificio mundi diuinæ naturæ dignitas eniteſcat. Nam Deus præter humanum morem ſuum perficiens ædificium prius cælum extendit, poſtea & terram ſubſternit: prius culmen, & poſtea fundamentum. Quis tale quid vidit? quis audiuit? In hominum ſanè operibus nihil tale vmquam fuit. Sed iubente Deo, voluntati eius parent,*

parent, & cedunt omnia. Patet igitur quomodo hallucinentur homines, peripathetici præſertim, qui ſuperficialia quædam naturæ experimenta aſſequuti, iam ſibi temerariè aſſumunt audaciam ipſa impenetrabilia Dei Naturęque arcana diiudicandi: & qui opera naturalia, vel leuiora, neſciunt, in rebus a ſenſu remotiſſimis, ſciētiſſimos ſe confiteri non erubeſcunt. Impar eſt hominis ratio ad mirabilia Dei comprehendenda, quia rationem a priori cum minimè habeat, fallacis experientiæ ductu ſæpe deceptus, ſophiſticè ratiocinatur.

§. II.

De fundamentis, in quibus Orbis Terrarum fundatus eſt.

1 F*Vndauit Terram ſuper baſes eius.* Quomodo in medijs Cælorum ſpatiis firmetur Terra, variæ feruntur ſententiæ. Putauit Thales Mileſius Aquis Terram ſupernatare ſicut nauis in mari; & videtur confirmari per authoritates ſcripturæ ſanctæ; nam habetur Pſal.23.v.2. *Ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam:* Sed hoc, præterquamquod non videtur veriſimile, Terram continuò fluctibus agitari, vnde dicit Pſalmus fundatam terram ſuper aquas, ideſt iuxta aquas; vt Cardinalis Hugo declarat *in Pſal.23.to. 2. pag. 54. col. 2. Terra dicitur fundata ſuper maria, quia vbicumque fodiatur reperitur aqua: vel aliter, & melius dici poteſt, quod loquitur hic Propheta vulgariter, ſicut dicitur caſtrum fundari ſuper aquam, quæ ei adiacet.* Illud etiam certum eſt hic non loqui de terra, vt Elementum diſtintum ab aqua, ſed prout cum illa vnum conficit globum, & ſic tam quæritur de fundamento aquarum quam de terra. Alii contendunt, vt Plato, & eius aſſeclæ, hoc prouenire a ſitu terræ, nam cùm terra ſit centrum mundi, & omnis motus ſit, vel ad centrum, vel circa centrum, non habet terra quo moueatur. Sed deridet Sanctus Ambroſius *lib.1.c.6. Hexam. to. 1. pag. 5. lit. F. Multi etiam in medio terram eſſe dixerunt, & mole ſua immobilem permanere, quod æquali momento hinc inde dependeat. De quo ſatis putamus dictum a Domino ad Iob ſeruum ſuum, quando loquutus per nubem ait. Vbi eras cum fundarem terram? Indica mihi, ſi habes ſcientiam, quis poſuit menſuras eius ſi noſti? &c. Iob c. 38. v. 4. Nonne euidenter oſtendit Deus omnia maieſtate ſua conſiſtere in numero pondere, & menſura?* Et infra manifeſtius. *Non ergo, quod in medio terra ſit, quaſi æqua lance ſuſpenditur, ſed quia Maieſtas Dei voluntatis ſuæ eam lege conſtringit, vt ſupra mutabile, atque inane ſtabilis perſeueret.* Alii tandem ideſt Anaximenes, & Democritus; ideo immobilem terra dixerunt, quia plana erat, & vndique ab aere prohibebatur deſcendere: ſed hoc probauimus fictitium eſſe, cum orbicularis ſit terra.

2 Terrenus igitur orbis ſolo diuinæ voluntatis imperio ſuamet immobilitate firmatur: ideo hic dicitur; *Fundauit terram ſuper baſes eius, ne moueatur in ſæculum, & tempus:* cui multæ aliæ fauent ſcripturæ, ſola Dei voluntate firmari terram aſſeuerantes: & præcipuè Zaccar.cap.12.v.1. *Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram:* & Eminentiſſimus Hugo in Zacc. *tom.5. pag.222.col.3. Fundans terram, quæ pondere ſuo ſtat, & fundatur in medio.* Et exponens præſentem verſum, inquit. *Qui fundaſti terram, ideſt illam feciſti ſtabilem; & ideo non inclinabitur in ſæculum ſæculi, Immobilitas terræ dicitur eſſe eius ſtabilitas, & fundamētum.* Hoc etiam ex Pſalmo 74. v.3, docet D. Baſilius Mag. *hom.1. in Hex. to.1. pag.5. col.1. lit. E. Ego confirmaui columnas eius: vim eam, qua continetur, atque ſtabilis eſt, dictas eſſe columnas puta.* Cum ergo ſufficiat Dei voluntas ad firmandam terram; quæ ſufficiens extitit ad eam de nihilo producendam, fruſtra qui temporalem mundi creationem fatentur, aliam, quam voluntatem diuinam, immobilitatis terrenæ cauſam inquirunt: quod ſi hoc defatigauit Ariſto-

Ian. de Mata.

telem, nihil mirum, cum ille creationem rerum ex nihilo, pro nihilo reputauerit.

3 Vt igitur Deus benedictus ſophiſticam Ariſtotelis ratiocinationem conuinceret, non ſolum omnia de nihilo ſe produxiſſe fatetur; verum etiam, vt oſtenderet imbecillitatem humani ingenij abſcondita naturæ arcana minimè penetrare poſſe, & Cælum poſuit in vacuo, & terram ſuſpendit in nihilo; vt patientiſſimus docet. *Qui extendit Aquilonem ſuper uacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Iob cap.26. ver.7.* Quod perpendens Doctorum maximus ait. *Hoc ſic intelligendum eſt, ſiue quòd terra ex nihilo facta ſit, ſiue quod nihil infra terram ſit quo ſuſtineatur, cum ipſa vniuerſa ſuſtineat, & ipſa immobiliter Dei virtute libretur. D. Hieronymus in Iob tom. 7.* Quod ante Hieronymum illuſtriſſimus Martyr, ac Platonicorum ſol Iuſtinus docuerat. *quæſt. 130. ad orthodox. Suſtinent igitur Cælum aquæ, aquas Terra, Terram diuinus nutus: qui terram inquit in re nulla fundauit.* Nautarum, nec non nauigantium probat authoritas, experientijs firmata, Nauem ſecundis ventis impleto velo currentem, imò volantem, aliquando palmaris piſcis tactu firmari; & ita immobilem permanere, vt nec rapidiſſimus ventus, nec vlla nautarum vis, illam (niſi remoto piſce) dimouere poſſit. Eat nunc Philoſophus, qui ſibi ſciolus videtur, & de terræ firmitate ſubtiliter diſputet, cum de immobilitate nauis, a tam paruo piſce facta, rationabiliter diſcurrere non præſumit. Non ergo contra rationem, nec contra Philoſophiam, doctrina moſaica eſt, ſed ex ſacris literis veram Philoſophiam elicere licet; cùm nedum diuino numine afflati, verum etiam naturali ſcientia doctiſſimi, ſacrarum literarum ſcriptores fuerint. Determinandum eſt igitur baſim terræ centrum eius eſſe, ſuper quo diuina voluntate firmatur, vt in æternum immobilis perſeueret.

§. III.

De immobilitate Cæli, & Terræ, & de ſyderum motu.

1 N*On mouebitur in ſæculum, & tempus.* Hucuſque viguit opinio, terram quidem in mundi centro immobilem parmanere, cælos vero circa ipſam euolui; cùm enim putarent ſydera partes eſſe craſſiores cęli, ipſa non putabant moueri, ſed vnumquodque ſuo affixum cælo, cum ipſo euolui, ſic ſeptem errantibus ſtellis, ſeptem cælos diſtribuere; vt autem diurnum motum motui planetarum contrarium ſaluarent, primum mobile finxerunt, hinc aliud quod eſſet cryſtallinum ob alium motum, & aliud firmamentum, cui omnes inerrantes affixæ voluerentur; & ſic omnes cæli decem enumerantur; ſupra quos empyreum Beatorum Patria, quod phiſicæ conſiderationis non eſt, nec de illo antiqui Philoſophati ſunt. Quia vero neque hi Cæli ſufficiebant, ad omnes motus ſaluandos varios in eodem cælo circulos effinxerunt, vt ſupra retulimus. Verum hanc ſententiam, tanquam ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum placitis contrariam, imò modernis Aſtronomis ridiculam, ſupra, cum de Cælorum qualitate, & numero ageremus, reiecimus.

2 Altera opinio de cælorum, & terrarum motu, iam obſoleta a Philolao pithagorico olim inuenta, denuo pręterito ſęculo ab inferis reſurrexit, quam Nicolaus Co pernicus, & Keplerus, alijque inſignes Aſtronomi amplexati ſunt, cum putent aliàs ſaluari Planetarum phænomina non poſſe; ſed, vt videbimus, hallucinantur. Dicunt igitur Solem in centro mundi eſſe, & ibi immobilem permanere, circaque eum volui Planetas, & ſimul terram tanquam vnam de ſtellis; rationes, quibus ad huiuſmodi commentum ſomniandum adducuntur ſequenti §. examinabimus. Noſtra vero ſententia ex ſacra ſcriptura, ſanctis Patribus, ac non ſpernendis Aſtronomis deducta talis eſt. Terra in mundi centro immobiliter

Digitized by Google

fixa eſt : Porrò Terræ aqua conglutinata eſt immobilis quidem quoad centrũ, mobilis verò circa centrum vt in expoſitione Verſus ſexti declarabitur;aeris,& aquæ globo, ſeu orbi qui vnus computatur, primum Cęlum,ſeu Aer vaporibus immixtus ſuccedit, qui propriè athmoſphera, hoc eſt, halituum, ſeu exhalationum globus appellatur. Deinde iſti contiguum eſt Cœlum ſecundum fluidum,& vt aer peruium ipſumq; generationi,& corruptioni ſubiectum : in hoc Cœlo, quod expanſionem vocăt Prophetæ, & Firmamentum veteres Aſtronomiæ cultores,ſparſim vagantur ſydera,tam illa quæ dicuntur errantia, quam illa quæ fixa, ſeu inerrantia creduntur : Ex his ſyderibus quædam alieno lumine fulgent, quædam, vtpote ignes, proprio fulgore niteſcunt: primi ordinis globi circa illud ſydus perpetuo voluuntur, a quo ſplendorem mutuantur; Sic Luna, Mercurius, & Venus, necnon, & Mars,& ex parte etiam Iuppiter, & Saturnus circa Solem voluuntur,& omnes ſimul cum Sole circa Terram, propter cuius illuminationem creata ſunt : Alia verò ſydera, quæ ſupra Saturnum ſunt,circa Solem non voluuntur, a quo impoſſibile eſt illuminari, cum ad tantam diſtantiam ſolares radij lumen non ferant. Igitur nec Cœlum vllum, nec Terra mouetur, ſed ipſa aſtra voluuntur, quæ vtique ſphæræ quædam ſunt; cœlum autem neque ſphæricum eſt, neque mobile; ſed in eo mouentur ſydera a ſuis directa Intelligentiis ſecundum Diuinæ voluntatis præſcriptum. Huic ſecundo cœlo incumbunt aquæ ſupra quas tertium cęlum Beatorum ſedes exurgit.

3 Hæc aſſertio probatur primò ex ſecundo Verſu Pſalmi præſentis; vbi dicitur: *Extendit Cęlum ſicut pellem*; vel vt alij, *ſicut tentorium*, vel vt alij, *ſicut teſtudinem*: Ex quo D.Ioannes Conſtantinopolitanus ſic arguit. *Cęlum quidem immotum permanſit, ſicut Propheta inquit: Qui ſtatuit cęlum tanquam teſtudinem,& extendit ipſum tanquam tentorium ſuper terram: Sol verò cum reliquis ſyderibus quotidie circumuoluitur. Et rurſum terra fixa eſt, aquæ verò ſemper mouentur. Hæc Chryſoſtomus. Homil 12. ad pop.tomo 5.colum.98.lit.C.* Probatur ſecundo ex Salomone, quem in omni ſcientia ſapientiſſimum fuiſſe conſtat: hic in ſuo Eccleſiaſte, ſeu Prædicatore,inquit: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: Eccleſ. cap.1. ver.5.* quod ſi Cęlum moueretur, vel terra, Salomon ipſi Soli motum non tribuiſſet. Huc accedit illud *Ioſue 10. ver.12. Sol contra Gabaon non mouearis, & Luna contra vallem Haialoth: ſteteruntque Sol, & Luna*. Quibus permotus Euſebius Emiſſenus, *ap. Athan. Kircher. in Præluſ. itin. extatic.* inquit: *Nam cum Ioſue dictum eſt: Sol,& Luna ſtet,non ait Cœlũ mouens Solem,& Lunaſtet.Item ab Ezechia dictũ eſt;Sol retrocedat,nõ ait Cœlum mouẽs Solem retrocedat. Cęcus eſt qui ex his Aſtra in liquido moueri non videt.* Tertio probatur;ex ipſa ſyderum creatione; etenim cum Luminaria,aſtraque cætera omnipotens ex ignis diuiſione produxiſset;ſacer Hiſtoricus ſubdit.*Fecit Deus duo luminaria magna;luminare maius vt præeſſet diei,luminare minus vt præeſſet nocti;& Stellas. Et poſuit eas in expanſione cęlorum*; *Gen. cap.1.ver.16.* Vt eſt in hebræo; vel *In Firmamento Cœli*, Vt vulgata editio habet: igitur in eadem Cęlo (vt illi contendunt) Firmamento, in quo inerrantia ſydera collocata niteſcunt, etiam luminaria poſuit Deus, & conſequenter Planetas reliquos: non ergo in centro mundi eſt luminare illud quod inter aſtra fulgentia collocatur: non diſtintis percurrunt cęlis lumina, quæ in eadem expanſione cęlorum ponuntur. Cum autem in eodem ſint cęlo, & diuerſis ferantur motibus,concludendũ eſt ſtellas ſuis proprijs corporibus curſare cęlũ, nõ tot fictitiis cęlis eccentricis,cõcentricis epiciclis,&c. quę omnia hypotheſes tantum eſſe,vt ſphæræ circuli credendum eſt,non reales orbes. Innuit hoc Diodorus Tarſenſis *ap. Athanaſ. Kirch.loc cit. Nemo cum audierit (Et poſuit eas in Firmamento Cœli) exiſtimet Solem, Lunam, & Stellas in Cęlo fixas, gentile dogma in Eccleſiam inducens: quemadmodum itaque homines in terra, ita luminaria in Cęlo poſita ſupernum ſuum iter peragunt.* Hæc ille. His omnibus addere licet excellentiſſimi, ac docti Principis ſententiam, nec non Cardinalis Doctiſſimi,& Eminentiſſimi confirmationem. Federicus namque cæſius S. Angeli Princeps,&c. in ſuo de cęlo liquido tractatu ad Cardinalem Bellarminum, hæc habet. *ap. Scheiner in Roſa vrſina pag.778. colum.2.ver.17. Ita Cœlum immobile, ſydera vero minimè affixa, ad peruium illud percurrentia, non ſolum agnoſcunt, ſed ſumma nobis aſſeueratione determinant D. Chriſoſtomus, Iuſtinus Martyr, Diodorus Tarſenſis, Euſebius Emiſſenus; Origenes, Procopius Gazeus, Theodoretus Tyrenſis, Theophilatus, Lactantius, Philoſtratus, aliique complures.* Cui reſpondens eminentiſſimus Cardinalis, affirmat. *Illud, quod ego deſideraui a V. E. non eſt intelligere a Sacra Scriptura, & SS. Patribus aſſeri Cœlum eſſe firmum, & Stellas moueri; & Cœlum non eſſe durum, & impenetrabile inſtar ferri; ſed mobile, & facillimè penetrabile inſtar aeris: hæc enim omnia ſciebam.*

4 Quęnam verò ratio naturalis euincat potius Solem & Aſtra mobilia eſſe quam terram, ſatis apparet, ex ipſa eorum natura. Ex his namque Elementis quæ circa nos ſunt, videmus ignem maximè mobilem ſemper in continuo motu verſari,nec vnquam quieſcere flammam;terram verò nonniſi per maximam violentiam moueri,ſẽper tamen quieſcere: inſuper quæ in motu agiliora ſunt igneæ cenſentur naturæ ſabrefacta fulgura ignis virtute peruolant: igitur cũ Sol, & maxima ſyderum pars ignis ſit(vt ſupponimus ex dicẽdis in expoſitione literali Verſus 19.) illis potius diſtribuendi ſunt motus quam terræ, quæ ſua grauitate ad tam violentum, varium ; motum reperitur inepta. Planetas autem per ſe ipſos ſine Cœlo particulari percurrere docet inſignis Mathematicus Tycho; idem Ioſeph Blancanus in ſua ſphæra; idem Chriſtophorus Scheiner in ſua Roſa Vrſina,idem Athanaſius Kircher in ſuo Itinerario extatico, præcipuè a pag. 349. vbi agit de celeritate motuum globorum. Ita etiam moueri ſtellas alias Blancanus eſt anceps, Kircher verò loc. cit. apertiſſimè docet. Hi omnes Mathematici ſunt,lincei ſunt, Cęli ſpeculatores ſunt: his igitur de talibus rebus determinantibus credendum. Quomodo autem ſaluentur phęnomina ſi Cęlum,& Terra non moueantur, ſed tantummodo Stellæ, declarandum remanet. Hoc igitur in primis aduertẽdum eſt omnia ſydera circa terram euolui, ſed imparibus ſpatijs; Aſtra quidem, quæ in ſuprema reſident Cęli portione, ſpatio 24. horarum terram totam circueunt; item Sol eodem ſpatio temporis, ſed aliquantulo tardiori motu, ita vt quotidie gradum fere vnum plus,minuſue tardius reliquis aſtris percurrat; & ſic reliqui Planetæ quotidie ab aſtris ſuperantur in motu tanto ſpatio quanto quis in Zodiaco currere perhibetur, vt Saturnus per duo minuta, Iuppiter per quinque, mars per 37. Venus per gradum cum dimidio, Mercurius per quinque circiter gradus, Luna tandem per tredecim: qui ſunt medij motus horum planetarum. Hoc poſito, illa inexcogitabilis,& inintelligibilis poſitio perit,quæ me extorſit diu: vt qui fieri poſſet, vt ſolidi cęli vnum ſuo motu ferret aliud, & ſic vnum cęlum duobus cõtrarijs motibus quotidie incederet: Sic etiam Luna illa,quę citiſſima videbatur tardiſſima eſt,& Saturnus omnium velociſſimus, quod vtiq; exẽplificari poſſumus de Magna Rota, cuius partes ab eius cẽtro remotiores, citius; proximiores verò ſeriùs mouentur.

5 Verum quæret aliquis, cur ſtellæ non eodem in loco oriũtur,cur modo ad Auſtrum,modo ad Septentrionem declinant, cur modo retrogradi ſunt Planetæ, modo directi: Ad hæc dicimus Aſtra animata eſſe, anima tamen aſſiſtente, cæleſti ſcilicet intelligentia, quæ ad diuinæ voluntatis nutum orbem ſuum voluẽs, ipſum,non per lineam rectam, ſed ſpiraliter mouet, & aliquando velocius, aliquando tardius; motuum Lunæ, & Martis exempla-

Digitized by Google

exemplaria a Blancano mutuata ſubnectimus ad euidẽtiorem oſtenſionem poſitionis noſtræ. Hinc eſt quod cũ Planetæ velocius ſolito currunt retrogradari videntur, cum verò aliquantulum ſiſtunt tunc dirigi creduntur. De hac poſitione conſentiunt in multis Authores ſupra relati, præſertim Bellarminus, Blancanus, Kircher, &c. Totum autem cõfirmatur ex vano tot ſæculis Aſtronomorum labore in inuentione veri calculi locorum Planetarum, & ſyderum, quem nuſquam adinuenere. Nam adnotandum eſt, tabulas huiuſmodi per aliquod temporis bonas eſſe, progreſſu verò temporis ineptas reperiri, neq; obſeruationibus reſpondere: Multum deſudauit in hoc Ptolomeus; deinde Alphonſus Hiſpaniarum Rex regia impenſa, & potentia; Poſt hunc Nicolaus Copernicus, & tandem Tycho Brahê Danus; & tamen in præſenti neque Thychonicæ tabulæ omnibus arrident: Quid plura? ipſe Andreas Argolus, qui tychonicæ Lunæ exprobrabat in ſuis aſſignandis Eeclipſibus anni 1650. & 1661. plurimum errauit, in ſolaribus præſertim, vt tota Italia teſtis eſt. Quantum deſudauit Tycho, dein Keplerus in motu Martis? Et tamen incompertus permanet. Illi cœleſtium globorum motus non omnino neceſſarij, ſed a liberis ſunt motoribus; vt mirum non ſit aliquando a forma conſueta diſcedere, ob finem a Deo optimo maximo intentum. Deſinant igitur delirari, qui terram mobilem volũt, vt ſaluent phænomena, quę etiam hac fictitia mobilitate conceſſa, minimè ſaluantur. Eorum autem rationes, qui terram mobilem volunt ſequenti §. ſoluentur. Vide infr. §. 1. lit. in ver. 25. confirmationem huius ſententiæ.

§. IV.

Obiectiones contra immobilitatem Terræ reijciuntur.

1 HÆc opinio, ſeu fictio, ni mauis deceptio, ſui erroris fundamenta iecit in authoritate quorumdam veterum Philoſophorum, ſcilicet Philolai Pithagorici, Ariſtarchi Samij, &c. Sed maioris ponderis eſt Doctorum a nobis relatorum authoritas, & præſertim diuinæ Scripturæ. Solum igitur rationes ventilandæ ſunt; & primò nobis occurrunt Copernicæ, vt Seniores: pro quo, ex lib. 2. Reuol. cap. 10.

Obijcies primo. Soli, vtpote nobilioris naturæ, nobiliores vtiq; qualitates aſſignandæ ſunt; atqui nobilior eſt immobilitas, quam mobilitas; igitur Sol eſt immobilis, & conſequenter Terra ignobilior mobilis: minor probatur, quia Deo tribuitur immobilitas tanquam enti perfectiſsimo.

Reſpondetur negãdo minorem ſimpliciter; licet enim immobilitas dicat perfectionem in Deo, quia eſt ens a ſe, nec ab alio poſſe moueri; tamen in creaturis, quibus cõperit mobilitas, perfectius eſt moueri, quam quieſcere: exemplum adducamus ex aquis: aquæ mobiles ſunt, & extrinſecus mouentur, illæ verò, quæ non mouentur appellantur mortuæ, malæ ſunt naturæ, putredini obnoxiæ; illæ verò, quæ mouentur, præſtantiores habentur, & viuæ nuncupantur: ſic ignis, qui mouetur, præſtantior eſt immobili: cum igitur Sol ignis ſit, & igni competat motus; præſtantius eſt ſolem moueri, quam quieſcere.

Obijcies ſecundo. Melius eſt moueri corpus contentum, quam corpus continens, ſed Firmamentũ continet Terram, igitur Terra debet moueri, non Firmamentum.

Reſpondetur negando maiorem, quam non probat: multa enim continentia, ſine contenti motu mouentur, & è conuerſo: deinde minor eſt falſa, nam vt vidimus, non datur Firmamentum mobile.

Obijcies tertio. Planetæ obſeruati ſunt volui circa Solem, & aliquando ſtellæ etiam fixæ propiores ſunt terræ, aliquando remotiores; igitur Sol eſt in centro, non terra.

Reſpondetur negando conſequentiam; nam Planetæ quia illuminantur a ſole circa ſolem voluuntur, ſed in eodem ſunt Cœlo; vnde Sol eſt centrũ Planetarum, non mundi. Stellæ autem reliquæ non illuminantur a Sole, neque circa ipſum voluuntur, ſed circa terram: quod ſi aliquando ſint propiores nil mirum, quia cum nõ ſint in vna eadem planitie, ſeu concauo cœli, ſed in craſſitie ipſius, aliæ ſunt aliis ſuperiores, & ſic poſſunt hoc Phænomen cauſare. De peculiaribus motibus ſtellarum illarum, quarum ferè infinitus eſt numerus, a nemine aliquid certi determinari poterit, ob nimiam diſtantiam.

Obiicies quarto. Sol eſt maximum ſyderum, igitur debet habere ampliorem orbem quam reliqua, vel poni in centro; ſed ſi poneretur inter Iouem, & Terram haberet orbem Ioue minorem; igitur non ita eſt collocandus.

Reſpondetur, Quidquid ſit de antecedenti, de quo dubitant lyncei; diſtinguo conſequens maiorem orbem, ſi pro orbe intelligit corpus ipſius Solis, cõcedo conſequẽtiam; & nego ſequentem minorem; nam Sol excedit in quantitate omnes planetas; neq; huic officit poſitio inter ipſos: ſi pro orbe intelligitur Cœlum, cui ſydus affixum ſit, nego ſuppoſitũ, nam tales cęlos minimè concedimus.

Obiicies quinto, Sol creatus eſt, vt illuminaret omnia: igitur debet collocari in medio omnium.

Reſpõdetur Sacram Scripturam aſſerere Solem creatum ad illuminandum terrarum orbem; & ad diſtinguẽdum dies, & tempora ad hominum vſum: ſic q; in medio eſt eorum, quæ illuminat, ſcilicet Terræ, & Planetarum, non autem ſyderum, quæ non illuſtrat.

His omnibus addit Copernicus ſuam poſitionem nullam inuoluere implicantiam, & per eam optimè ſaluari Phænomena; ad quod dicimus non implicantiam tantũ probare ſuam poſitionem poſſibilem eſſe, ſi Deus ita facere diſpoſuiſſet; ita verò non feciſſe Scriptura diuina teſtatur: circa apparentias neque ſic ſaluari omnino, vt Aſtronomis patet: aſſumi autem poteſt tanquam hipoteſis, ſicut orbes, epicicli, concentrici, eccentrici, & ſpheræ circuli, quæ omnia fictitia eſſe conſtat.

2 Copernici rationibus propoſitum minimè probantibus, oſtenſis; vlterius ad Kepleri argumenta ſoluenda accedendum eſt: pro quo, ex Præfat. lib. de ſtella Martis.

Obiicies primo. Corpus quod eſt in centro mundi eſt immobile, ſed Sol eſt in centro Mundi, igitur eſt immobilis: probatur maior: omnia mouentur vel ad centrum, vel circa centrum, igitur quod eſt in centro eſt immobile: minor etiam oſtenditur, quia hoc pertinet ad dignitatem tanti ſyderis.

Reſpondetur quidquid ſit de maiori, nam aqua proxima centro eſt, & circa centrum mouetur negando minorem, nam ſol debet eſſe tantum in medio illorum orbium, quorum eſt lux, non verò vniuerſi, cum totum non illuminet.

Obiicies ſecundo. Fons omnium motuum debet eſſe immobile, ſed ſol eſt fõs omnium motuum Planetarum, igitur eſt immobilis; & conſequenter etiam Terra mouetur a Sole. Minor probatur quia per eorum acceſſum, vel receſſum a Sole tardius, vel citius mouentur.

Reſpondetur negando maiorem; ſolus enim primus motor increatus mouet immotus, creaturæ verò mouẽtur, & mouent. Deinde neceſſe eſt explicare quid intelligat Author iſte pro fonte motuum, cauſa enim neque formalis, neq; materialis eſt, igitur vel efficiẽs, vel finalis; finalis non mouet phyſicè, ſed tantum metaphoricè, efficiens eſt ipſa Intelligentia motrix: neque enim Sol tanquam magnes planetas vel attrahit, vel expellit; cauſa verò finalis potius terra eſt, ad cuius pulchritudinem, & fecunditatem motus, & illuſtrationes Planetarum diriguntur.

Obiicies tertio. Veriſimilius eſt Solem mouere terram quam Terram mouere Solem, quia Sol tot Vicibus terra maior eſt: igitur terra mouetur, non Sol.

Reſpondetur neque Terram mouere Solem, neq; Solem Terram, ſed hanc quieſcere; ille autem natura mobilis, ab aſſiſtente mouetur Intelligentia.

Digitized by Google

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

Mirabilis profecto diuina Sapientia in Terræ, ſyderumque locatione refulſit; in quorum creatione omnipotens Dominus agnoſcitur, & exiſtit. Verum vberius in noſtra doctrina, eadem Sapientia mirabilior proſpicienda eſt; vt quæ vnam Terram ad corporum vtilitatem fundauerat; multas ad animi eruditionem expreſſerit, Cor, Animam, Eccleſiam, Cęlum: Quandoquidem Anima quæ corpore nobilior eſt, luculentius ornaretur: de quibus omnibus ſermonem habebimus.

SVMMARIVM.

1 *Firmamentum humani cordis in bono timor eſt.*
2 *Fides, Eccleſiæ ſupra fundamentum Chriſti fundatæ, ſtabilis.*
3 *Anima ſanctitatem fructificans, non peribit.*
4 *Eccleſia Sanctorum hominum generatione fundatur.*
5 *Via ad cœleſtem Patriam fides eſt.*
6 *Eccleſia tutiſſimum firmamentum eſt Verbum Dei.*

§. I.

Firmamentum humani cordis in bono, timor eſt.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, &c. Magna vtiq; ſecuritas Terræ, vt in æternum commotionem non patiatur, quæ ſuper baſes diuinæ voluntatis, ſuæ ſtabilitatis fundamentum erexit. Verum immobilior in virtutum baſibus hæret humani cordis terra, quæ timore altiſſimo roboratur. Iudaicum Populum à diuina dilectione, quam longè progredientem, diuinis deſtitutum auxilijs deplorabat Propheta: & quid mirum in innumeras incurriſſe miſerias, qui exulabat a Domino: cum vero eum denuo in bono firmatum optaret, Firmamentum cordis eius formidinem appellauit: *Poſuiſti Firmamentum eius formidinem. Pſal.* 88. *ver.* 41. Quæ vero firmitas Timor, qui potius perdere, & frangere cordis conſtantiam conſueuit? An fortaſſis qui imperterritus ita faciliter Deum deſeruit, virtutes exoſas habuit, amplexatus eſt vitia, non faciliori negotio timore perculſus, quod paululum bonæ conſcientiæ ſupererat proſternet? Nequaquam, inquit eminentiſſimus Hugo, Timor enim Dei, ita Terram humani cordis, in virtutum exercitationibus firmat, vt in æternum inclinationem non patiatur: illam neque ambitionis aura, nec deſperationis turbo, nec aduerſitatum tempeſtas, nec proſperitatis exundantia a boni propoſito ſeparabit, dum, tanquam immobile firmamentum, eam diuinus timor deuincit: *Terra moralis eſt cor hominis, in qua ſeminatur Verbum Dei, vt fructum afferat: huius Terræ ſtabilitas eſt timor Domini, ſecundum quod dicitur in Pſ.* 88. *Poſuiſti Firmamentum eius formidinem. Sed ſi ſibi fuerit firmata hæc terra, non inclinabitur in ſæculum ſæculi: ſupple, nec ad dexteram per proſperitatem, nec ad ſiniſtram per aduerſitatem, nec ſurſum per ambitionem, nec deorſum per deſperationem. Hugo Carenſ. Card. in Pſ.* 103. Euoluantur igitur Tartarorum impetus, vt Deo famulantium animos a virtutum exercitatione deturbent; etenim proficient nihil, ſi in Dei timore firmatos inuenient.

2 Nullam corpoream molem ſine Anima ſaltim aſſiſtente diù permanere poſſe, neque in ſua conſiſtere pulchritudine, vel inde conuincitur, quod Domus, & Palatia magna habitatoribus deſtituta, nulla extrinſeca cogēte cauſa irreparabiliter ruunt: quod eſt Anima corpori hoc domui inhabitator. Namque cum omnia hominum ſint deputata ſeruituti, homine diſcedente perire cōſentaneum eſt. Corpus, & ipſum Domus eſt animi, quo abeunte corruptioni relinquitur, diſſolutioni patet. Sed & ipſe Animus, ſiue Cor, cuius ſignatur nomine, Domus Diuinæ gratię eſt, qua priuatus ęternę mortis corruptionibus peruius, nil, niſi perditionem, expectat: Huius autem domus fundamentum Dei timor eſt, quo pręſente diſceſſum gratiæ minimè formidamus. Idcirco teſtatur ſapiens, Domum cordis omnino perituram, quæ timore non ſtabilitur, inquiens: *Si non timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur Domus tua. Eccl. cap.* 27. *ver.* 4 Neque immeritò, philoſophatur D. Bernardus: ſi enim domus humanæ caſus eſt negligentia, qua ruinæ non reparantur, & cordis Dei domus deſidia, quæ vitia parit; ſic eius fulcimentum eſt timor, a quo virtutes omnes ædificationem incipiunt. *Sicut enim*, D. Bernardus Abbas Clareu. loquitur, *de don. ſpir. ſ. cap.* 1. *col.* 425. *lit. F. ſecuritas, vel deſidia cauſa eſt, & mater omnium delictorum, ſic Timor Domini radix eſt, & cuſtos omnium bonorum; vnde ſcriptum eſt: ſi non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur domus tua: Omne namque virtutum ædificium illico vergit in præcipitium, ſi huius gratiæ amiſerit præſidium.* En quomodo humani cordis, quod Dei omnipotentis fit per gratiam Domus, timor cuſtos eſt, & fulcimentum, nam ſine ipſo peribit.

3 Palatium ſibi magnum, exornatumque *in Regio* Prophetæ corde parabat Omnipotens; & vt tanto Deo non indignus appareret ornatus, omnium virtutum imaginibus decorauerat. Illic diuino Numini voluntatis vniformitas; illic Inimicorum iniuriarum obliuio, illic in pauperes beneficentia, in Deum deuotio, in populos amor, in ſacerdotes obſequium: illic in iudicando iuſtitia, in parcendo miſericordia, in prouidendo abundantia, in gubernando prudentia. Illic fides dubitationibus haud obnoxia, ſpes contrarietatum inſidiis non vacillans, charitas mundialium amore nec tepefacta, fortitudo infortuniorum mole minimè perturbata. Illic maieſtas ſed non ſuperba, fortitudo ſed non arrogans, humilitas, ſed non deiecta, Pietas ſed non iniuſta, iuſtitia ſed non crudelis, ſapientia, ſed non ambitioſa, deuotio, ſed non tumida. Vt merito fateretur Altiſſimus, in vno Dauide omnes reperiſſe virtutes, qui ſolus vir eſſet iuxta cor eius. Regiam profecto domum, diuinum Omnipotentis Palatium. His tamen ſic ſe habentibus, fundamentum huic Terrę, fulcimentum huic domui petebat ille. *Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Pſal.* 118. *ver.* 38. Porro quid deerat cordi tot virtutibus exornato? fulcimentum timoris: quo maior eſt domus, maiori indiget fundamento: Vbi copioſior gratia, ibi timor exundans; ne ob timoris defectum deſidia torpens animus ædificium ſanctitatis euertat: ita D. Ioannes Chriſoſtomo. *Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo: Hoc eſt firmum, ac ſtabilem in tuis ſermonibus me redde: nimirum per metum tui Numinis ſic me cuſtodiens, vt nulla vi reſupinari queam: timor enim Dei, vt ſcriptura loquitur in vitam eſt viro. D. Ioann. Chriſoſt. in Pſal.* 118. *to.* 1. *col.* 1064. *lit. B.* Sicut namque Propheta perfectiſſimus inter homines apparebat, ſicut

Dei

Dei magnificum erat habitaculum, ita in Timore ne concuteretur aliquando, alta ſui ædificij fundamenta ponebat. Fælix profectò Terra, quæ ſupra Timoris ſtabilitatem fundata, caſum haud verebatur.

4 Magnus Vir procul dubio Dauid ac Dei illuſtriſſima Terra, & munitiſſima domus; attamen cum ſui filij ſanctitate minimè comparandus; quippe qui non purus homo, ſed etiam verus Deus exiſtat, Mundi Redemptor, Cælique Dominus Meſſias Ieſus. Attamen, ille, qui vtpote in diuinitate firmatus nullum pertimeſcebat ruinam, timoris etiam fulchrum haud dereliquit: de eo namque Propheta prædixit: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos deradice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eũ ſpiritus Domini, ſpiritus ſapiẽtiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Iſai cap. 11. verſ. 1. & 2.* En quot lapides pretioſiſſimos ſelectarum virtutum, diuinorum Donorum ad Meſſianum ædificium conſtruendum. Verum quæ eſt iſta prærogatiua timoris, vt non requieſcat, vt dona reliqua, ſed ſolus repleat, *Et replebit eum ſpiritus timoris Domini?* Si purus extitiſſet homo Meſſias, vtique corruptibile ædificium in timore fulchrum permanens habuiſſet; ſed vnde caſum pertimeſcere poterat Deus? Hoc totum factum eſt, opinatur Rupertus, vt notum fieret omnibus, nullam eſſe creaturam tam firmam, quæ timoris fundamento non egeat: quandoquidem ipſe, Dei filius, non propter neceſſitatem, ſed ad exemplum, timoris plenitudinem habuit: Ipſum audiamus Rupertum. *Videre licet, quia ille, in quem hæc dicuntur, non tantum homo, ſed & Deus ſit, licet ſecundum humanitatem ſapientia, ætate, & gratia profecerit: attamen ſecundum id, quod eſt, & erat Deus nullum profectum habuit. Verum creatura, non ſolum humana, ſed & angelica, profecit, vt iam ſupra dictum eſt, & proficit, & profectus eius initium eſt habere timorem Domini. Rup. Abb. Tuitien. lib. 1. cap. 21. in Gen. to. 1. pag. 9. 1. col.* Nullus ergo in bono ſine timore ſtabilitur; ſicut namq; materiale ædificium a fundamento incipit, ita ſpiritualis edificatio a Domini timore exorditur.

5 Hæſitaueram hucuſque de verbis Prophetæ, qui ſapientiæ principium timori dedit: *Initium ſapientiæ timor Domini*: ſed ex dictis ſolui dubium facillimè poteſt: ſapientia .n. vera Diuinitatis cognitio eſt: cognoſci autem ſine timore difficile eſt; primã namq; Deitatis cognitionem Timor inuexit: Huius rei exemplum in promptum eſt. Princeps aliquis, vel homo quicumque, vt ſiſtat, & erectus ſtet extrinſeco adiuuamento non indiget: ei namque ad ſtandum vbicumque fixerit pedes ſufficit ei ſuæ grauitatis centrum mundi centro perpendiculariter hærens; vt vero eius aliqua marmorea, vel metallica ſtatua fixa, & immota permaneat, baſe indiget in qua firmetur. Ita prorſus Deus, vt ſit, nullo indiget, nam ſeipſo eſt, & immobiliter permanet; vt autem eius cognitio nobis innoteſcat, baſe indiget, timore vtique, quid idcirco ſapientiæ prædicatur exordium. Idcirco autem Deus Grecè Θεὸς appellatur, eo quòd timendus ſit: qua propter Poetæ & ſi ethnico, dicere licuit. *Primos in orbe Deus fecit timor.* Ita cenſet idem Rupertus. *loc. cit. Initium ſapientiæ timor Domini: & ab iſto ſcilicet cognitionis eius initio, ſcilicet timoris, Grecè dicitur Θεὸς, quod nomen latinè parcè detortum dicitur Deus; eo quod iure timeatur. Quod in ſua licet vanitate, tamen verè quidam ethnicorum dixit: Primos in orbe Deos fecit timor.*

6 Peccator cadendi initium a timoris Dei amiſſione ſumens, ita in interitum petiturus ruit, vt in eo veri hominis haud reperiatur Immago; hinc nulla in eo virtutis vmbra nullus charitatis calor deprehenduntur, omnia horrida, peſtifera cuncta: hinc dignam dementiæ ſuæ mercedem, infælicitatem ſortitur. Vndique præmunt mala, dolores perimunt, bella vrgent, inſidiantur illecebræ, & ſub fruitionis aſpectus quallidæ torquent infirmitates. Dehuiuſcæ farinæ hominibus loquens Pſaltes, canebat: *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: Pſal. 13. verſ. 7.* & quare lues tanta, Propheta? *Non eſt*, inquit, *timor Dei ante oculos eorum.* Haud mirum igitur, domum timore deſolatam, in omnia ruere mala, in ſæpiſſimas aduerſitates incidere; cum fundamentum deſtitutum videamus, ruinæ ædificium patere conſequens videtur. Fundamentum enim firmum duo facit, & Domum ſuſtentat, & contraria repellit: ita Domini ſanctus timor pietatem, virtuteſque fouet, peccata propulſat: vt ex hoc ipſo pateat, nullam virtutũ molem ſine timore Dei diutius ſubſiſtere potuiſſe. Quod aduertit Cardinalis doctiſſimus. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum; Timor enim Dei duo facit, fugat peccatum, & vegetat ad bonum. Hugo Caren. cad. in Pſal. 13. pag. 26. col. 3.*

7 E contra vero, vbi Dei Timor inualuit, omne bonum ſubſequitur; vt idẽ Cantor ſequenti teſtatur Pſalmo. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat. Pſal. 14. v. 5.* Quæ vtique glorificatio, vt idem eminentiſſimus cenſet, nihil aliud eſt, quam omnium virtutum corona; ſicut namque prætioſiſſimas gemmas, qui in coronam adaptare cupit, ipſaſq; aurea coniungit virga, & licet aurum inter gemmas non numeretur, ipſas tamen gemmas coniungit, & firmat; ita Timor inter virtutes haud numeratur, ſed ipſas virtutum gemmas fouet, vnit, ſeruat. Cum ergo decem principaliores enumeraſſet virtutes Hugo Carenſis, *in Pſal. 14 pag. 28. col. 1.* ſubdidit: *Hæ ſeptem virtutes conueniunt perfectis; tres vero, quæ ſequuntur communes ſunt perfectis, & imperfectis. Timentes autem Dominum (ſupple Dominus) glorificat: iſte timor non facit numerum inter illas decem virtutes, ſed eſt comes per ſingulos gradus earum.* Ergo Domini Timor eſt nutrix virtutum cordis fundamentum, Animæ glorificatio: in ipſo Perfectionis ædificium ſtabilitum nutabit numquam, in ſæculum non peribit.

§. II.

Fides Eccleſiæ, fundata ſupra Fundamentum Chriſti, ſtabilis.

1 **F**Vndauit *Terram ſupra Firmamentum eius.* Hic Propheta alterius Terræ nobilioris firmitatem inſinuat, eccleſiaſticæ vtique fidei, quæ dum ſupra fundamentum Chriſti fundatur, ruinam non timet. Varii mundani Orbis incolæ reperiuntur, qui ad vſque fulgentia ſydera fidem ſuam euehunt, ſed vtrum ſtabilem, anceps eſt. Quicumque ſuper lapide angulari Chriſto fidei fundamenta poſuere, vt Romana fecit Eccleſia, ſtabilem, firmamque fidem, nec vllis obnoxiam caſibus obtinuere; reliqui vero omnes fictitiã, & diu haud permanentem credulitatem ſortiti ſunt. Etenim cum aliud fundamentum, quam Ieſum Dominum, nefas ſit ponere, ruiturum fidei ædificium conſtruit, qui ſine Chriſto virtute cumulat. Hoc docet ſapientiæ interpres D. Auguſtinus. *Fundauit Terram ſupra Firmamentum eius, ideſt Fundauit Eccleſiam ſupra Fundamentum Chriſti, nutabit Eccleſia, ſi nutauerit fundamentum: ſed vnde nutabit Chriſtus, qui antequam veniret ad nos, & carnem ſuſciperet, omnia per ipſum facta ſunt, qui omnia continet maieſtate, & non limitate. in Pſal. 103.* Firmiter Chriſto inhærens Chriſtiana Religio, numquam caſurum ædificium fidei conſtructum habet: neque aliqua alia reperitur natio, quæ ſuorum operum firmamentum lapidem habeat angularem immutabilem Chriſtum.

2 Quod vtiq; clarius ſingula recenſendo patebit. D. Paulus Apoſtolus Chriſtianorum profectus curſui aſſimilans ait. *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. 1. Cor. cap. 9. verſ. 24.* quaſi diceret. Omnes nationes beatitudinis deſiderio, bonorum operum, virtutumque pedibus, ad ſupernæ gloriæ brauium citiſſimè, feruentiſſimèque currunt. Sed eorum nullus, niſi ca-

Digitized by Google

ſi catholicus æternam conſequitur lauream. Etenim currunt Iudæi, ſed Meſſiam Saluatorem iam aduenisſe non credunt, ſed ſolummodo in ſuis ceremoniis, iam inutilibus, tempus terunt, a vero aberrant itinere, & per viam perditionis miſſerrimè pergunt. Currunt Ethnicorum Philoſophi ſubtilia diſputantes, ac in motum compoſitione voluntatem dirigentes; ſed cum nulla ſit virtus ſine Chriſti lumine, currentes in tenebris, in foueam falſitatis irreparabiliter cadunt. Currunt hæretici, ſed non perueniunt ad palmam, quia a recto deuiantes itinere, mente, ne dum oculis capti, quo perueniendum eſt ignorando, in ſua cæcitate deficiunt. Solus ergo Catholicus rectè viuens currit fæliciter, qui fundans in fide curſum recta pergit, & ad coronam peruenit. D. Petri Chriſologi ſpeculatio eſt. *ſer.* 119. *pag.* 353. *col.* 2. *Currere ergo debemus in fide Chriſti fideli curſu in mandatis Dei, in operibus iuſtitiæ, vt ad coronam æternæ vitæ peruenire poſſimus Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium: currunt Iudæi per legem, currunt Philoſophi per inanem ſapientiam, currunt & hæretici per falſam annunciationem, currunt Catholici per veram annunciationem: ſed de his omnibus vnus coronam accipit, id eſt Populus catholicus, qui recepto fidei curſu tendit ad Chriſtum, vt ad palmam immortalitatis, coronamque perueniat.* Hæc D. Petrus Chriſologus. Nemo igitur præmium ſperet, qui Chriſtum non habet, illa fides tantummodo ſtabilis eſt, quæ Chriſtum habet fundamentum, a quo qui diſcedit, non coronam, ſed perditionem inueniet.

3 Nulli dubium eſt myſterio haud vacare primæuę matris Heuę formationem; neque enim ipſa, vel immediatè ex nihilo, vt elemẽta; neq; ex terra, vt Adam primus; ſed ex ipſa Adami coſta fabricata eſt: vt quia mulier nõ abſolutè, ſed propter hominẽ creata eſt, agnoſceret vtique tunc ſtabilem, & firmam in ſuo eſſe, tuncque matrem veram viuentium eſſe, cum viro adhæſerit. Idcirco *Heuam*, hoc eſt *Vitam* vocatam. *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Heuam, eo quod eſſet mater omnium viuentium. Geneſis capit.* 3. *verſ.* 20. Verum hoc aliud myſticè innuit, nempè Eccleſiam illam verè viuentium Matrem eſſe, quæ de coſta Adami, id eſt de latere Chriſti fluens, Chriſtum ſui Ædificij fundamentum habet; Nam ſi iuſtus ex fide viuit, ibi viuitur vbi Crucifixi fides reperitur: Reliquæ omnes Infidelium Congregationes mortuorum ſunt matres, quæ vitam fidei non habent: Quod ſi vitæ fundamentum eſt Anima, Vitæ fidei fundamentum Chriſtus eſt; ſecundum Synaitæ ſententiam, quæ talis eſt. *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Heuam, eo quod eſſet Mater omnium viuentium. Hinc docemur magnam, & admirabilem Eccleſiæ gloriationem. Beata, & ter beata, vt ſpes, & in altum elatio Chriſtianorum. Nam per ea, quæ dicta ſunt, diſcimus, quod omnes reliquæ fides, quæ ſunt in mundo, ſunt mortuæ, & matres mortuorum populorum, & gentium, vt quæ in ſe non habent eum, qui dicit; Ego ſum vita. Anaſtaſ. ſynait. lib.* 11. *in Hexam.* Non igitur Fides noſtrę Eccleſiæ mutari poteſt, quæ tam ſtabile fundamentum in lapide Angulari Chriſto habet.

4 Exemplificat doctrinam ſuam idem Doctor Eccleſiæ Hebræorum ruina. Fuit aliquando Hebræorum fides ſpectabilis, quæ luminoſis fulgoribus effulgebat. Illa inquam fides, quę mirabilia operata in Ægipto Regis pernectit imperium; quæ rubri maris in diſperſiones vndas diuidens, inter aquarum Voragines tutam aperuit ſemitam: quæ in medio velociſſimi curſus, magna luminaria cæli ſola iuſſione ſtitit: quæ Iordanis fluenta temperauit a curſu, vt aperiret militibus viam: quæ obſcuriſſimæ noctis, columnæ illuminatione cœleſtis, tenebras eluſit: quæ de arido ſilice fontis venam aperiens, in deſerto aquas currere iuſſit: quæ fortiſſimam, munitamque vrbem ſolo circuitu diſiectis muris diripuit: quæ in Abrahamo vltra ſpem in ſpem credidit: in Iſaac obedientiæ merito patrauit miracula: quæ in Iacob in Angelos præualuit: quæ in Ioſeph futurorum patefecit arcana: quæ in Samſone exercitus ſuperauit; quę in Dauide gigantes proſtrauit, quæ in Salomone ſapientiam complexa eſt: Hæc fides ruit aliquando, quia fundamentum ſolidum haud ſemper habuit. Terra erat lucida ſynagoga; ſed tandem in ipſam irrumpentes incredulitatis, & obſtinationis fluuij, incompoſita, & inuiſibilis facta eſt; vt propterea de ipſa dici poſſit: *Terra autem erat inanis & vacua: Gen. cap.* 1. *verſ.* 2. vel ſecundum 70. *Inuiſibilis & incompoſita Ita Anaſtaſius. lib.* 1. *Hexa. Eam quoque dicit incompoſitam.* (ſupple ſynagogam) *Nam cum in eam multi irrupiſſent fluuij, & in qui ſpiraſſent venti, cecidit, fuitque incompoſita, & non conſtructa, & fuit magna eius ruina; vt quæ non eſſet ædificata ſupra vxorem, & ſponſam Chriſti, nempe ſuper petram fidei Petri.* Ita fides omnis, quæ in Chriſto non fundatur vacillat, & tandem ruat neceſſe eſt. Vbi enim lux fidei, Chriſtique lapis non admouetur, non niſi terram tenebroſam, & incompoſitam eſſe credendum eſt.

5 Noua figura Eccleſiæ militantis Luna non eſt, ſed ſepè ſepius a ſcripturis, & Patrib. vſurpata. Hinc dubitatio haud difficilis animũ pulſat cur dicatur Habacuc. 3. *v.* 11. ſecundum tranſlationem 72. Interpretum. *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo:* Quid ad Lunæ firmam ſtationem Solis eleuatio conferebat? Nempe Sol ille Chriſtum referebat, cuius paſſio prior, & reſurrectionis poſterior gloria Lunæ ſtationem, Eccleſiæ ſcilicet fidem, ſtabilem reddere debebat. Fundata diuino ſanguine Eccleſia, a dominici pectoris fonte lactis vice ſanguinẽ propinauit, & ſuxit; ſed ex eius Reſurrectionis fidei firmitatem deduxit. Hoc D. Fulgentius docet. *Nam & Abachuc Propheta, Chriſti Aſcenſionem, & Ordinis Eccleſiaſtici firmitatem, ſub nomine Solis, lunæque ſic prædicat: Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo. D. Fulgen. Rupenſ. de Remiſſ. pecc. lib.* 1. *cap.* 21. *pag.* 657. *col* 1. vt ſupra tale fundamentum Eccleſiæ ſtabilita fides in æternum non moueretur.

6 Ex hoc datur intelligi quid ſibi vellet cæleſtis ille ciuis, qui reſurrecto Domino ſuper ſepulchrum ſedere viſus eſt: etenim tertia die ſolutis vinculis mortis, qui antea fuerat in noſtra humilitate paſſibilis, impaſſibilis reſurrexit, diſparuerunt tenebræ mortis, vmbræ dolorum interiere; & gloria circundatus Ieſus ſecreta penetrauit Abyſſi. Vacuum ſepulchralis lapidis remanſerat, quem Angelus euoluens, ſupra illud reſedit. Credo ego, vt moneret de reſurrectione diſcipulos, ibi Angelum remanſiſſe; ſed ſpiritualis creatura ſeſſione non indigebat; cur ergo ſupra lapidem ſedit? Dicitur nãque: *Angelus enim Domini deſcendit de Cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Matth. cap.* 28. *verſ.* 3. Ni fallor, ſupra petram ſedebat ille, vt firmitatem fidei Eccleſiæ noſtræ monſtraret, quæ ex Dominica Reſurrectione, veluti ex lapideo firmamento ſtabilitatem hauriet at: lapidem pro ſolio tenebat qui fidei lapideum fundamentum Chriſtum, iam erectum prædicabat: meæ ad ſtipulatur ſententiæ acutiſſimus Rauennatum Antiſtes. *Et Angelo quæ cauſa ſedendi erat, cui nulla inerat laſſitudo? ſedebat vt fidei Doctor, vt Reſurrectionis Magiſter: ſedebat ſuper petram, vt ſoliditas ſedis daret credentibus firmitatem. Ponebat Angelus ſuper petram fundamentum fidei, ſuper quam Chriſtus erat Eccleſiam fundaturus. D. Petrus Chriſologus ſerm.* 74. *pag.* 314. *col.* 2. Lapideam baſem quis mouere poterit? Vani erunt ſpirituum conatus contra lapidem firmiſſimum.

7 Procul a veritate non eſt, Militantem Eccleſiam Triumphantis Ieruſalem Imaginem eſſe: dum, Paulo atteſtante, illic apertè, & manifeſtè videtur, quod hic ſub ænigmate contemplamur. Propterea facili negotio illum Marci cap. 4. loquendi modum explicabimus. Cum enim Dominus nauigare intenderet, dimiſſis turbis, inquit Euangeliſta, quòd Diſcipuli, *Aſſumunt eum ita vt erat in naui; Marc. cap.* 4. *verſ.* 36. nonne ſuffice-

Digitized by Google

ſufficeret dixiſſe, *Aſſumunt eum*? ita prorſus: cur ergo ſubiunxit: Ita vt erat in Naui? fortè aliter in terra, aliter in Mari: aliter in Cælo, aliter in Eccleſia eſt Chriſtus? Aliter vtique. Sed id declaremus exemplo. Dum Princeps magnus in Regia domo in gloria ſua fulget, ſuſtentatur a glorioſo, ac prætioſiſſimo ſolio gemmis, ac auro fulgenti: dum vero eius Imago, & ſi argentea, vel Ærea, baſi lapideæ, vel eiuſdem metalli, inſidet. En differentia inter cælum, & Eccleſiam; inter Chriſtum viſum per gloriam, & cognitum per fidem. In Patria nulla fides eſt, nam Deus in ſeipſo immenſa circundatus gloria videtur, ſed in Eccleſia lapideo inſidet fundamento, ideſt fidei paſſionis,& reſurrectionis eius: Quia vero hanc lapideam baſem, veram ſcilicet fidem, non niſi in Naui Eccleſiæ catholicæ habet, optimè, & ingenioſè dicit Marcus: *Aſſumunt eum ita vt erat in Naui*. Qui enim aliter credit quam Eccleſia, baſem Dei Imaginis non habet, & ruit fides. Ita idem Chriſolog. *ſer.21. pag.*265. *col.*2. philoſophatur. *Aſſumunt eum ita vt erat in Naui: Quid eſt hoc? Aliter eſt Chriſtus in cælo, aliter habetur Chriſtus in naui; aliter in maieſtate Patris, aliter in hominis humilitate ſentitur. Laus fidei eſt, ita Chriſtum recipere, vt eſt, & habetur in Naui, hoc eſt in Eccleſia*. Nullus extra Eccleſiam poſitus de ſua fide præſumat: ſtabilis eſſe non poteſt, quæ baſe caret. Illa tantummodo Fides quæ intra Nauim Eccleſiæ eſt, ſupra fundamentum Ieſu Chriſti fundata in æternum ſtabilis permanebit.

§. III.

Anima ſanctitatem fructificans non peribit.

1 NOn *inclinabitur in ſæculum ſæculi*. Terram ita Dei voluntate firmiſſimo fundamento ſtabilitam Prophæta deſcribit, vt in æternum immobilem permanſuram oſtendat. Hoc autem contrarium videtur verbis Redemptoris noſtri, qui Matth. cap.24. Cælum, & Terram tranſituras docet his verbis, *Cælum, & Terra tranſibunt*. *Matth.cap.24.verſ.35*. Si ergo Terra tranſibit, mouebitur, nam ſine motu tranſire non poterit. Reſponderi vtique poſſet, ſi literaliter loqueremur, Chriſtum Dominum loqui de corruptione Terræ, quæ ab hoc præſenti ſordido ſtatu in meliorem renouabitur, quod ſine motu locali, ſed cum mutatione fit: Pſalmiſtam vero loqui de immutabilitate ſecundū motum localem: Sed moraliter cum D. Hieronymo dicamus, hic nomine Terræ intelligendum eſſe hominem, qui ſi iuſtitiam, & ſanctitatem fructificauerit, non mouebitur in æternum, ideſt æternæ gloriæ erit particeps pallio immortalitatis circundatus. *Non inclinabitur in ſæculum ſæculi: Diſcordare videntur hæc cum illo vbi ait: Cælum, & Terra tranſibunt. Sed hæc viſibilis Terra præterit; corporis vero Terra, quæ fructuum exhibet ſanctitatis, myſteriorum cæleſtium pallio circundatur*. Hæc ſanctus Doctor, *in Pſal.*103.

2 Humanæ igitur terræ fundamentum fructus virtutis: Terræ prætioſitas fertilitas eſt; nullius namque æſtimationis habetur tellus, quæ ſuo tempore fructus exhibere non valet. Diū humana Terra ſterilis extitit, dum per primi hominis lapſum ad ſpinas, tribuloſque germinandos damnata, nonniſi ſpinoſa peccatorum germina producebat: glebæ virtutum incultæ deſertam reddebant animam: Valles deſideriorum aqua gratiæ deſtitutæ virides meritorum plantas haud excolebant. Verum illius miſertus Dominus de cælo veniens ſui ſacratiſſimi ſanguinis vnda terram noſtræ mentis rigauit, ſua gratia fæcundauit; & noſtra eſt fructus reddere ſanctitatis, ne in priſtinam ſterilitatem incidamus. Quæ prius peccatorum tribulos ad fouendam mortem protulit, iam innouata roſas germinet ad alendam vitam, ad fructificandam gloriam; nam tunc æterno digna pomario in æternum non commouebitur. Hoc ni fallor monebat Apoſtolus ad Romanos ſcribens. *Vt quemadmodum regnauit peccatum in morte, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam: Ad Rom.cap.5.verſ.21*. Gratia ergo per iuſtitiam regnare debet, quia excolendo iuſtitiā producitur gratia, cuius immortalis eſt fructus æterna vita. Ita ſentit D.Ambroſius. *Si autem regnat gratia per iuſtitiam, ſi accepta remiſſione peccatorum iuſtitiam ſequimur; vt videns gratia fructum habere in bonis, quos redemit, regnet in vitam æternam ſciens nos futuros æternos. D. Ambroſ. in cap.5. Ad Rom. tom.3. col.273. lit. E*. Sic ſtabilitur æternitate fundata Terra Animi noſtri, ſicque firmata commotionem non formidabit.

3 Electorum Eccleſiam in extremo dierum in æterna gaudia ſuſcipiendam Arbori Fici comparat Dominus Matth.c.24. Cum enim de futuro, nouiſſimoque iudicio ſermonem haberet, vt illius ſimilitudinem exprimeret, dixit: *Ab arbore fici diſcite parabolā. Matth. cap.24. verſ.32*. Neque Arboris ſimilitudo extranea eſt; ſiquidem, ſicut arbor fructificare debet, ita Eccleſia, ita homo fructum reddere ſanctitatis: Sed illud dubium; cur potius Arbori fici, quā alterius? Haud parua differentia inter ficum cæteraſque fructiferas arbores eſt: reliquæ enim ſuos fructus maturos ſimul dant, quibus collectis, fructus amplius ex eis illo anno nō expectantur Haud ita Ficus, ſed per totā æſtatē, & Autumnum fructus habet, nam & alij colliguntur iam maturi, alij interim matureſcunt, naſcuntur alii; vt per plures mēſes ſemper recentes ficus comedere fas ſit. Recta eccleſiaſtici hominis, & ad viuum expreſſa ſimilitudo; qui non vno tantum fructu contentus eſſe debet, ſed tota æſtate, & autumno, ideſt toto tempore vitæ ſuæ debet fructus iuſtitiæ, ac ſanctitatis afferre. Huc reſpexit D. Ioan. Chriſoſtomus, dum dixit. *Hom.50. in Matth. tom.2.col.870.lit.B. Omnis arbor pœne in vno tempore fructum præbet, nam intra paucos dies, & matureſcunt, & cadunt; Ficus autem ex quo cæperit fructus afferre vſque ad hyemem fructificare non ceſſat; nam alii colliguntur maturi, & alii hinc procedunt. Sic Eccleſia, ex quo cæperit ſanctos offerre, vſque ad finem ſæculi non ceſſabit*. Humana igitur Terra Diuini Agricolæ operibus exculta, dum temporaliter viuit, ſemper ſanctitatem fructificare debet, vt in æternum firmetur.

4 Cum multas virtutes enumeraſſet Propheta Pſal. 14. vt fructum earum hominibus ſuaderet, ſubdidit: *Qui facit hæc non mouebitur in æternum. Pſal. 14. verſ. 7*. Quaſi diceret: Nemo perſuadeat ſibi ęternam immobilitatem adipiſci, & conſequi poſſe ſine fructificatione virtutum: nam Terra rationalis, ſi immobilis inter vndas mundanarum tempeſtatum in fide ſtabiliri deſiderat; & ſi immutabilis inter ęternas delicias cupit permanere, neceſſario debet omnes exercere virtutes: hæc enim hominem, & in fide firmant, & in æternitate conſtituunt: Quæ doctrina Cardinalis Carenſis eſt. *Tandem ex omnibus prædictis concludit Propheta: Qui facit hæc non mouebitur in æternum. Non dicit, qui dicit, ſed, qui facit: hæc: ideſt omnia prædicta; non mouebitur in æternum, ideſt numquam mouebitur: & ſic non mouebitur in præſenti a fide, nec in futuro ab æterna ſtabilitate. Hugo Caren.Cardin.in Pſal 14.to.2.pag.28.col.2*. Pręclarum humanę Terrę fundamentum, in quo Anima ſi innitatur, in ſęculum ſęculi non commouebitur.

§. IV.

Eccleſia ſanctorum hominum generatione fundatur.

1 F*Vdauit terram ſuper baſem ſuam*. Terra hæc, quę ita in fide firmata in ſęculum permanſura lętatur nonniſi Catholica Eccleſia eſt: quę fūdata a Domino dicitur, eo prorſus modo, quo Ciuitas aliqua fundatur. Etenim ſicut Ciuitas terrena domorum, & templorum ędificatione creſcit, ita ſpiritualis Hieruſalem quę in terris ędificatur vt Ciuitas, ſuis creſcit domibus, ſanctis ſcilicet, cuius fundamentum Chriſtus, Baſes Apoſtoli, ędificia ſancti: nam & tot domos habet Eccleſia

Digitized by Google

cleſia quot veneratur, & producit ſanctos, qui vitæ exemplo, doctrinæ fulgore, prædicatione, & dilatatione fidei, ipſam per vniuerſum mundum extendunt. *Quod inſpiciens Ghislerius, teſtatur. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam. Hac igitur ratione, & Chriſtus Dominus fundare dicitur prædicatione ſua terrā, quia tot ædificia in Eccleſia conſtruxit, quot animas iuſtas reddidit, ac ſanctas. Michael Ghisler. in Hierem. tom. 1 pag. 62. col. 2 lit. B.*

2 Aliud quippe Eccleſia nō eſt, niſi Domus quædam, quam ſibi ad temporaliter habitandum in terra elegit Dominus. Neque enim ſine regali domo Regem eſſe decet: quæ quidem domus lapides alios non admittit niſi ſanctorum animas. Hinc eſt, quod Apoſtolus vnitatem fidei credentibus prædicabat: nam lapides niſi firmiter inter ſe coniungantur, ſtabilem domum ædificare non valent: ita ſi fideles inter ſe perfecta charitate non vniantur, ſtabilem Deo Eccleſiam minimè conſtruent. Quare ad Epheſios ſcribens, aiebat: *Obſecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, ſupportantes inuicem in charitate, ſollicite ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Epheſ. cap. 4. verſ. 1. & 2.* Quomodo enim lapides iſti in vnam coaleſcerent domum, ſi in ea, qua vocati ſunt ſpe per charitatem non vniantur? Animæ noſtræ ſunt lapides, quæ Eccleſiaſticam ædificant domum, deijcere illam, non ſtabilire deſiderat, qui charitatem non amat: audiamus Chriſoſtomum. *Eccleſia enim nihil eſt aliud quam Domus ædificata per Animas noſtras. D. Ioann. Chriſoſt. hom. 10 in ep. ad Epheſ. to. 4. col. 407. lit. B.* Qui ergo huius Domus firmiſſimæ pars fieri deſiderat, per vnionis, & pacis vinculum reliquis partibus, ſanctiſque viris compaginetur.

3 Hanc regalem Domum, imò potius Ciuitatem diuinam, intuens Ioannes Apoſtolus, illam omni lapide prætioſo exornatam perſpexit; & præcipuè fundamenta, in quibus eius fundatur ſtabilitas; inquiens: *Fundamenta muri Ciuitatis omni lapide prætioſo ornata. Apocalip. cap. 21. verſ. 19.* Neque enim aliud ſunt fundamenta quam Apoſtoli, neque muri aliud quam ſancti omnes, qui ad Eccleſiæ ædificationem pertinent. Prætioſiſſimi ergo lapides hanc Ciuitatem fundarunt, quandoquidem Apoſtoli, & Prophætæ, qui Eccleſiam prædicatione ſua conſtruxerunt, omni virtutum genere præditi fuere: quanta in eis enituit fides, vt pro illa mori non dubitarent? quanta charitas, vt pro aliorum ſalute tot, tantaque ſuſtinerent tormenta? quanta humilitas, vt Eccleſiæ Magiſtri ſe omnibus deteriores putarent? quanta in miſeros pietas, in pauperes miſericordia, in inimicos manſuetudo, in proximos amor, in perſequentes patientia, in Deum deuotio, in Maiores obedientia, in colentes retributio, in diſceptantes iuſtitia, in peccantes animaduerſio, in pœnitentes miſeratio? O quam optimè fundamenta dicuntur, in quibus inueniebant mærentes ſolatium, egentes ſubſidium, ægrotantes ſalutem, fugientes refugium, peregrinantes hoſpitium, ſitientes potum, deficientes refrigerium. Sed ſola Fundamenta domum, ſeu ciuitatem non conſtruunt, requiruntur parietes, qui & ipſi fundamentis ſimiles eſſe debent. Ita igitur, quicumque Apoſtolos, Prophetaſque in virtutibus imitantur hi muri ſunt Ciuitatis; vt Cardinalis Hugo demonſtrat, his verbis. *Fundamenta muri, ideſt Prophetæ, erant ornata omni lapide prætioſo, ideſt omni genere virtutum, & bonorum operum. Nec ſolum Prophetæ Fundamenta ſunt Eccleſiæ, ſed etiam imitatores eorum, qui vitæ exemplo Eccleſiam decorauerunt. Hugo Carent. Cardinalis in Apocalip. tom. 7. pag. 426. col. 1.* Dedecet namque ſupra fundamentum tam prætioſum impolitos ſuperimponere lapides: virtutibus poliatur, qui Eccleſiæ murum ædificare contendit.

4 Quia vero lapides nequaquam ſe ipſis aptantur, vt murum conſtruant, ſed neceſſe eſt, vt ab Artifice ſuis in locis diſpoſiti collocentur; idcirco decantabat Pſaltes: *Niſi Dominus ædificauit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Pſal. 126. verſ. 1.* Non igitur homo ex ſe eligere vitæ modum debet, ſed ſequi Dei voluntatem, ſcilicet ſecundum Dei præcepta viuere. Cur ergo aduerſitatibus iacti, infirmitatibus preſſi, laboribus fatigati, in homines, imò in Deum ſoluimus ſine modeſtia linguam, neque tantum murmur, ſed blaſphemia prorumpit? Impiorum hoc eſt, non lapidum diuinæ Domus, ſed laterum infernalis cloacæ. Qui Eccleſiæ pars cupit eſſe Deo adhæreat; quæ ab ipſo veniunt tribulationes, anguſtiæ, læto excipiantur animo; ſic poliuntur domus cæleſtis materialia: Neque quid vtilius eſſe poteſt, quam diuinæ Voluntati ſe cōformari. Hoc & Senecas nouit, dum docebat. *Quidquid ex Vniuerſi conſtitutione patiendum eſt, magno excipiatur animo; ad hoc Sacramentum adacti ſumus, ferre mortalia: nec perturbari his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt. In regno nati ſumus. Deo parere libertas eſt. Seneca lib. de Vit. beat. cap. 15. pag. 379.* Hæc ſunt in cauſa cur Dei Vnigenitus in mundum venit, & mundanas omnes aduerſitates voluit ſuſtinere, vt ſciremus noſtrum ædificiū minimè conſurgere ſine tribulationibus, quæ expoliant ſaxa, & adaptis in locis Deo mandante diſponant. *Cum igitur* (inquit D. Ambroſius *in cap. 3. Luc. to. 3. pag. 38. lit. B.*) *ad ædificationem Eccleſiæ ſuæ diuino Deus fauore conceſſerit, vt poſt Patriarchas, & Prophetas, Angelos, vnigenitus deſcenderet Dei Filius, & ad lauacrum veniret; nonne verè, atq; diuinè de Eccleſia cognouimus dictum: Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Ita ædificatur Eccleſia, ita firmatur, vt per ſanctorum muros erecta, in æternum manſura roboretur: neue timeat caſum, quæ lapides tam fortes, nec non prætioſiſſimos habet.

§. V.

Via ad cæleſtem patriam fides eſt.

1 QVi fundaſti terram ſupra ſtabilitatem ſuam, &c. Terra hæc Cælum eſt, quæ multoties in ſacris literis ſub ſymbolo terræ promiſſionis ſignificari manifeſtum eſt. Hæc Terra ſanctarum Animarum multitudine populatur. Vnde non immerito hic fundari dicitur ſuper ſtabilitatem ſuam; ideſt ſupra fidem: nam cum ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, nullus Paradiſum æternæ beatitudinis, niſi media fide ingredi poteſt: quapropter fides via ad cœleſtem patriam cum ſit, eius ſtabilitas nuncupatur. Parum ab hoc diſſentire videtur D. Chriloſt. *in Pſ.* 103. qui per terram ipſum hominem intelligit per fidem fundatum, vt non moueatur in ſæculo futuro. *Quo quidem loco per terram hominem intelligit. Hunc itaque ſupra fidei firmitatem fundat; qui quidem non inclinabitur in ſæculum ſæculi, hoc eſt in futuro ſæculo.* Fides igitur Cęli, & Terræ humanę fundamentum, huius ad illud via, & medium eſt; qua mediante Beatitudinis ęternitas comparatur.

2 Dei clementiſſimus Filius in mundum venit, varios dolores, & tormenta ſuſtinuit, diuinumq; effudit ſanguinem, vt Cęleſtis Patrię aditus nobis aperiretur; paſſus eſt, mortuus eſt, aperuit; ſed quis quæſo, hāc cæleſtem ianuam primus intrauit? Latro quidam, qui ſuis exigentibus culpis, ſceleribuſq; conclamantibus in cruce ſuſpenſus eſt: Nihil ergo iuuit Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, ſanctos, eorum integerrima virtus, imperterrita conſtantia, firma ſpes, inuicta fides? Iuuit vtique, ſed ad primum ingreſſum obtinendum non valuit; Fides latronis illuſtrior extitit. Nequaquam gratis audiuit: *Hodie mecum eris in Paradiſo: Luc. cap. 23. ver 43.* Verum promeruit credendo, fidemq; ſuam propalauit, dicens: *Memento mei dum veneris in Regnū tuum. ver. 42.* magna vtique fides eſt, quæ tali tempore eluxit; tunc enim credidit cum Dominus flagellis actus, contumelijs ſaturatus, damnatus ad mortem in patibulo

poſtrem-

Digitized by Google

poſtremum reddebat halitum. Tunc credidit inquam, cum inimici deridebant, fugiebant amici, negabant diſcipuli; nonne magna hæc fides videtur, quæ Deum credit quem pęne mortuum videt. Regem prædicat quem patibulum excipit. Ne mireris ſi primus ingreſſus Latronis fuit: oculi latronum lincei ſunt, primus vidit, & furatus eſt gloriam. Hoc adnotauit D. Paulinus *Epiſt.* 11. *ad Seuerum pag.* 168. *lit. E. Fidem veſtram etiam de recordatione beati illius Latronis accendat, qui bene verſo latrocinio, longas in magnis laboribus Sanctorum vias, de momento fidei, & de momento confeſſionis anticipans, non immerito ante ipſos Apoſtolos, & Martyres, praparatum ipſis, vt ait, ab initio Regnum Cœlorum primus inuaſit, & pius cœli prædo dirupit.* Fides ergo via ad Cœlos eſt, quandoquidem ipſos latrones introducere valet.

3 Suum in ſancta virtutum exercitatione profectum Anima ſanta proſpiciens aiebat: *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Cantic. cap.* 7. *ver.* 10. Deſcendere de cœlo in animam omnipotentis gratiam, ipſamque exornare, eamque ineffabilibus explere donis perſpicuum eſt: ſed quomodo ipſa in terris conſtituta ad Deum aſcēdere poteſt? Fide: Habet enim, & fides alas ſuas, quibus etiam viuens Anima transfertur in cœlum: quæ enim fidem veram, & firmam habet, alas orationis, & contemplationis extendens cælos penetrat, & inde cæleſtium conſolationum ſuauitatem haurit. Optimè ergo dictum eſt: *Ego dilecto meo*; Ideſt ego ad dilectum meum aſcendo per alas contemplationis, per alas dilectionis; quibus in eum, quem credo Dominum, quem diligo Sponſum affectum dirigo: *Et ad me conuerſio eius*: quia ipſe meæ fidei præmium, mei amoris meritum cæleſtes conſolationes impartitur. Ego fidelis amplector, ille dulcis oſculatur: ego ardens charitate appropinquo, ille rutilans pietate deſcendit. Ego ei grata, is mihi charus. Hæc eſt conuerſio quæ Animam adhuc mortalem beatificat, quæ cubiculum prædicat Paradiſum. Huc reſpexit D. Gregorius Magnus; dum in huius verſus expoſitione fatetur: *Quoniam Fide, & Dilectione ſoli Chriſto adhæreo, ſolum ſequor, & videre concupiſco: reſperſionis eius ſuauitatem, viſitationis benignitatem, & conuerſationis dulcedinem gaudenter experior. D. Gregor. Magn. in Cantic. tom.* 2. *pag.* 1225 *lit. E.* Quis non illam amplexabitur fidem, quæ via ad gloriam eſt, non ſolum poſt mortem; ſed etiam in hac miſerabili vita aliquam ſpeciem Beatitudinis præſtet?

4 Mirabar aliquando quid eſſet, quòd cum ab exordio mundi, ex quo primi peccauere Parentes, ſemper Deo Victimæ in Sacrificium mactatæ fuerint, in lege Euangelica prohibeantur. Quandoquidem, & illud certiſſimum eſt, ſacrificia media ad conſequendam beatitudinem extitiſſe, quippe cum per peccatum a Paradiſo cæleſti exulaſſent, nec in illum ſordidi admitti ſperarent, per ſacrificia Deum venerantes expiabant peccata, & ſic eorum operibus, vel ex implicita Mediatoris fide ſanctificati, etſi non ad cælum, ad Abrahæ tamen ſinum deueniendi ſpes erat. Hoc imitantes ethnici ad falſum ſuorum Idolorum cultum ſacrificia tranſtulere. Quod ſi Senecæ dicere licuit. *Deum coluit qui nouit. Primus eſt Deorum cultus, Deos credere. Seneca Epiſt.* 95. *tomo* 2. *pag.* 395. Potiori ratione hoc nobis dicere licet; qui ipsū mediatorem, non ſub figuris, ſed in ſuo proprio eſſe credimus, cuius ſanguine purificamur. Hoc ni fallor illud eſt ſacrificium, quod pro peccatis oblatum ſolum appellari meruit Sancta Sanctorum. *Hac quoque Hoſtia pro delicto Sancta Sanctorum eſt. Leuit. cap.* 7. *ver.* 1. Fides inquam hæc Hoſtia eſt, quæ peccata purgat; & ad Deum videndum, qui ſanctus ſanctorum eſt viam aperit; vt docet Rupertus Abbas Tuitien. *lib.* 1. *in leu. cap.* 32. *tom.* 1. *pag.* 305. *col.* 2. *Noſtrum pro peccato ſacrificium propriè fides eſt. Quæ eſt enim redemptio peccati (per quod mors introiuit in hunc mundum) niſi credere quia Dominus Ieſus, vt ſanctificaret per ſemetipſum populum, extra portam paſſus eſt.* Sola ergo fides noſtra ad cæleſtem Patriam pandit iter, quæ ſola eſt fundamentum Eccleſiæ.

5 Cæleſtem, æternamque Beatitudinem in viſione Diuinæ eſſentiæ (ſaltem apud Scotiſtas initiatiuè) conſiſtere, manifeſtum eſt; de qua illud Redemptoris noſtri Oraculum Ioann. *cap* 17. *ver.* 3. *Hac eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum eſſe, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: Verum quia cognitio ad fidem pertinet, inſinuare mihi videtur, non ſolum fidem ad Beatitudinem ducere, ſed ipſam aliqualem Beatitudinem eſſe, quod manifeſtè oſtenditur, Luc. cap. 10 Vbi cum fidem diſcipulorum ſuorum laudaret, ipſam Beatitudinem appellauit, inquiens: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. c.* 10. *v.* 23. Vbi aduertit Venerabilis Beda, hoc nequaquam de corporali viſione dictum fuiſſe; etenim ex hoc ſequeretur Scribarum Phariſeorum, & reliquorum infidelium oculos, qui Chriſtum maligno, inuido, & iniquo intuebantur aſpectu extitiſſe beatos; quod nec rationi, nec veritati conſentaneum eſt; ſed de fidei cognitione dictum eſt; illos Dominus aſſeuerans eſſe beatos, qui ipſum oculo fidei intuentes verum Redemptorem credebant; qui eius credebant myſteria, capiebant Sacramenta, voluntatem exequebantur; Nam cum hāc viſionem ſolis paruulis, ideſt humilibus, alibi conceſſam dixiſſe nequaquam ſuperbis innotuit Scribis, vel cæcis Iudeis. *Non oculi Scribarum, & Phariſeorum*, inquit, *Ven. Beda lib* 3. *in Luc. cap.* 43. *tomo* 5. *colum.* 332. *Qui corpus Domini tantum videre, ſed illi beati oculi, qui eius poſſunt cognoſcere Sacramenta, de quibus dicitur; Et reuelaſti ea paruulis: Beati oculi Paruulorum, quibus & ſe, & Patrem Filius reuelare dignatur.* Fides igitur ſi adhuc mortales beatificat, quanto magis ad æternam gloriam ſubleuabit?

6 Hanc gloriam perdidiſſe, Fidem ſcilicet, quærebantur Peccatores illi, dum lugentes dicebant: *Væ nobis quia peccauimus, cecidit Corona capitis noſtri. Thren. cap.* 5. *ver.* 16. Corona namque præmium æternum dicitur ad ſimilitudinem mundanæ gloriæ; hominibus enim vel in Victoriæ ſignum, vel in dignitatis inſigne conceditur. Hac ergo gloriæ corona illuſtrantur fideles: quòd ſi aliquando ob peccatorum ſuorum debitas pœnas fidei ſinceritatem amittunt, & in infidelitatis tenebras miſerabiliter ruunt, coronam capitis pretioſam, ornamentum ſcilicet fidei, beatitudinem perdunt; Quòd & Iudæis contigiſſe cernimus: quare eorum nomine hanc ammiſſam beatitudinem Ieremias plorabat, dicens. *Væ nobis quia peccauimus, cecidit Corona capitis noſtri*: quaſi diceret: quia veri Meſſiæ, quem ſperabamus, fidem amiſimus, in peccatorum noſtrorum iuſtiſſimam punitionem, beatitudinem, quæ in eius cognitione conſiſtit, perdidimus. Ita D. Paſchaſius Rathbert. *in Thren. lib.* 5. *col.* 1545. *lit. A. Fidei gratiam dum amittit, Gloria eius de capite ruit: quia Dominum decoris in perfidiam commutat falſitatis.* Nulla eſt, nec gloriſica, ſine fide, Beatitudo.

§. VI.

Eccleſiæ tutiſſimum Firmamentum eſt Verbum Dei.

1 FVndaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam. Catholicam Eccleſiam hic exprimi nomine terrę manifeſtum eſt: Hanc Dominus per Apoſtolos, & Prædicatores fundat, qui Dei Verbo ipſam, & extendunt, & firmant. Quidquid enim vel firmitatis, vel celſitudinis Eccleſia habet Verbo diuino tribuendum videtur. Nam nullo modo, per tot, tantaſque Regiones creſceret Eccleſia, niſi diuini prædicatio Verbi ipſam firmaret, atque fundaret. Idcirco autem dicitur *Fundauit Terram*, ideſt Eccleſiam, ſupra ſtabilitatem ſuam, ideſt ſupra Euangelicam Doctrinam: & potius ipſam fundare, quam ædificare dicitur, quia omnis eius propagationis, Dei Verbum eſt fundamentum. Ita Docet Ghilsletius.

Neque

Digitized by Google

Neque myſterio vacat, quod fundare potius quam ædificare dicatur terram iſtam; ſine enim totius Eccleſiæ ſpectetur ædificium, quidquid in eo eſt firmi, & celſitudinis hoc Dei verbo aſcribendum eſt: ſic quippe de ea dicitur in Pſalmo: Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam. Michael Ghiſlerius tom.1 in Ierem. pag.62. col.2. lit. B. Firmiſſimum ergo, & certiſſimum Eccleſiæ fundamentum eſt Dei Verbum.

2 Præcedenti paragrapho vidimus timorem Domini firmamentum humanæ terræ eſſe; quia verò timor iſte nonniſi per Dei ſermonem incutitur, non abs re videtur Dei ſermonem totius Eccleſiæ, appellare firmamentum: ſermo igitur Domini per Apoſtolos in vniuerſum terrarum orbem euectus Terram Eccleſiæ futuri Iudicij formidine ſolidauit. Hoc Iob inſinuat, dicens: *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Iob cap.26. v.14.* Vbi quia in hebræo habetur: רעם גבורותיו ideſt, *Tonitruum fortitudinum eius*; legunt aliqui apud D. Ambroſium: *Firmamentum quoque tonitrui ſui quis ſcit quando faciet?* Et hoc de ſermone Domini per Apoſtolos diffuſo intelligi, declarat his verbis: *In Iob quoque libro ſcriptura dicit: Firmamentũ quoq; tonitrui ſui quis ſcit quãdo faciet? Vtiq; ſi hæc ad commonitionũ cæleſtiũ tonitrua pertinerent, nõ futura eorũ firmamenta, ſed facta dixiſſet. Ergo tonitrua ad ſermones Domini retulit, quorum in omnem terram exiuit ſonus*: Certè ad diſſeminandam, & ſtabiliendam verbo ſuo Eccleſiam. *D. Ambroſ. lib.2. cap.7. de ſpir. ſanc. to.4. col.241. lit. C.*

3 Neque ab eodem diſcedamus Ambroſio, verum ab ipſo pulchriorem rapiamus figuram. Mundanorum Regnorum firmitatem eſſe Aurum, Argentumque, nemo inficiabitur: & multoties Argentum ferro validius fuiſſe ad inimicos propulſandos, quotidianæ ſuadent experientiæ. Haud ergo mirum videri debet Spiritum ſanctum Eccleſiæ ſuæ contra tot, tantoſque hoſtes pugnaturæ, non ferrea, ſed argentea propugnacula deſtinaſſe. Cum enim quæſiuiſſet: *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quo alloquenda eſt?* Statim reſpondet: *Si murus eſt ædificemus ei propugnacula argentea. Cantic.c.8. verſ.9.* Non meliora fuiſſent ex ferro, quod fortius miſſilibus valet reſiſtere? minimè id quidem: validius remouet hoſtes argenteum munus, quam ferreum propugnaculum. Ita prorſus Dei Eccleſiam non temporales opes, nõ armata Caſtra, non Potentia Principum firmare debent, ſed Verbum Dei, de quo in Pſalmis dicitur. *Eloquia Domini, Eloquia caſta, Argentum igne examinatum.* Ipſum audiamus Ambroſium. *ſerm.22. in Pſal. 118. tom.2. col 1086. lit. F. Habet & Eccleſiæ Ciuitas muros ſuos; quæ iam perfectior dicit: Ego Ciuitas munita. Sed quia rationalis hæc Ciuitas eſt, & omnis ſpes eius in Verbo Dei eſt; non ferrea, ſed argentea ei propugnacula requiruntur, eloquiis cæleſtibus magis quam corporalibus voluptatibus hoſtiles impetus propugnare conſueta.* Sic Verbum Dei propugnaculum verè argenteum, quia dulce, & ſuaue eſt, omnes inimicos emolliendo eorum corda ſuperat. Fallitur ergo qui Eccleſiam ferro dilatare præſumit; nam ſolũ Dei Verbum eſt firmamentũ illius, argenteum vtiq; & ad corda conterenda, & oppugnanda præſtantius.

4 Quòd ſi præſtantius Ciuitatum præſidium annonę abundantia eſt: nam neque annona Vrbs ſpoliata diù conſeruari poteſt, nec ab hoſtibus obſidentibus liberari: optimè de Eccleſia dictum eſt, fundatam ſuper ſtabilitatem eſſe, ne ruat in æternum; etenim Dei dulce Verbum, melliti, & mirifici Dei ſermones illi ſunt in eſcam, in potum, in lumen, in medicinam, in lauacrum: ſi ſordeſcit, Dei ſermone mundatur; ſi infirmatur Dei eloquio ſanatur, ſi vel eſurit, vel ſitit Dei verbo ſaturatur: ſi in ignorantiæ verſatur tenebris, lucerna eius Dei eloquiũ eſt. Incaſſum igitur armatur ad hanc Vrbem capiendam hoſtis tartareus; nam Dei Verbo ſi ſit munita, impauida eius oppugnationes eludet. Hoc docebat, niſi fallor, Ipſe Redemptor humani generis, dum dicebat diſcipulis: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Ioan.cap.15. verſ.3.* Quod non de ſolo lauacro, ſed de iam enumeratis omnibus, dulcis interpretatur Ambroſius. *in Præfat. in Pſal.45. Loquere Domine Ieſu: Verbum tuum medicina eſt: Verbum tuum lumen eſt; Verbum tuum noſtræ colluuionis ablutio eſt; Verbum tuum fons eſt: Tu loqueris & culpa ſanatur.*

5 Fatuitas ergo illorum conſpicitur, qui Dei Verbum contemnentes, illud neque audire volunt; digni equidem, quia ſapiente Pſalmographo Aſpidi comparentur; dicit namque: *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut Aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas. Pſal.57. verſ.4.* Nam quis maior furor, quæ magis aperta fatuitas, quã Ciuitatem obſeſſam, ac alimonijs deſtitutam, ita claudere, vt cum in eam inimici irrumpere poſſint, alimonia intromitti non poſſit: Hoc profectò facit, qui Dei Verbum audire recuſat; nam ſi, vt diximus Dei Verbum eſt cibus, potus, lumen, medicina, imò, vt addit Hugo Cardinal Clypeum, & ſolatium, hæc omnia paruipendit, qui Dei ſermonem reſpuit. *Furor enim eſt* (inquit Hugo *Caren. Cardin. in Pſal. 57. tom.2. pag.146. col.4.*) *reſpuere Verbum Dei, ægris medicinam, cæcis lumen, famelicis panem, ſitibundis potum, infrigidatis ignem, impugnatis Clypeum, deſolatis conſolationem.* En quomodo quærit perire, qui Dei Verbum non amat. Amemus igitur illud, cuius virtute ſtabilita Eccleſia caſum non timet; neque Anima noſtra ruinam ſentiet, ſi in Dei Verbo firmiter ſolidata, nunquam ab eius contemplatione diſcedat.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Quintus.

Quæ tanquam Terra Deipara in ſtabilitate gratiæ fundata eſt; vt eius maternitas Virginitatem non violaret in æternum.

ET ſi de terrarum orbe firmiſſimo fundamento fundato, loqui literaliter Prophæta voluerit; haud dubito tamen Spiritum Sanctum de Virgine principaliter intellexiſſe. De illa inquam Virgine, quæ ad Dei maternitatem euecta, vt ſeruaretur Virgo, & Mater fieret, non vulgari gratiæ fundamento indigebat. Quòd ſi omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, Terramque Filio ſuo in terras miſſo, præcipuè deſtinauerit, cum Beatiſſima Virgo illi ſuam dederit carnem, hæc eſt præcipua Terra Vnigeniti filij

Dei

Digitized by Google

Dei Domus. Hanc igitur Terram Deiparam, ſummi Regis Palatium firmiſſimo gratiæ dono fundari æquum erat, quæ ipſum orbis Creatorem hoſpitare debebat. Ita cenſet Iſidorus Theſſalonicenſis *orat. 3. pag. 82. Hæc Profecto illa Terra eſt, cuius ſtabiliſſima ſunt fundamenta, & non commouebuntur in ſæcula: ex quo factum eſt, vt ferret etiam altitudinem ſuper cœlos ædificatam.*

Maria Mater fœcunda, & Virgo puriſſima.

1 **Q***Væ tanquam Terra Deipara, &c.* Veram Dei Matrem extitiſſe puriſſimam Virginē Mariam, Eccleſia docet catholica; Mater autem non ſolum, quia peperit, verùm etiam, quia concepit, non ſolum miniſtrando ex ſuis puriſſimis ſanguinib. materiā, ſed etiam concurrendo actiuè ad totum id, quod aliæ Matres cōcurrunt: quas omnes actiuè concurrere ad prolis generationem ſuſtinet Phyſicorum ſchola cum Galeno, contra Ariſtotelem, & cum Galeno Scotus; qui tandē concludit. *Poteſt dici, quòd ſi ad Matrem pertinet agere, ſicut ad cauſam minus principalem, Maria verè fuit Mater; quia tota illa actio ſibi competebat, quæ Matri debetur. Scotus in 3. ſent. diſ. 4. qu. vnic. §.* Poteſt dici. *pag. 25. col. 2.* Quæ Doctoris mei ſententia corroborari poteſt, per verba eiuſdem Deiparæ ad dilectam filiam ſuam Brigidam; *lib. 1. Reuel. cap. 35. pag. 60. lit. E.* quæ huiuſmodi ſunt. *Ipſe, ſicut alij filij in viſceribus Matris ſolent eſſe ſic fuit in me; ſed ipſe conceptus eſt ex feruenti charitate diuinæ dilectionis, alij autem ex concupiſcentia carnis: ipſe quippe erat mihi quaſi cor meum, propterea cum naſceretur, ex me, ſenti quod quaſi dimidium cor meum naſceretur & exiret ex me.* Idcirco Angelus vt veram Matrem Virginem declararet, dixit: *Ecce concipies in vtero, & paries filium: Luc. cap. 1. v. 31.* Nonne ſufficiebat, vt Deiparā declararet, dicere, *Ecce concipies*? cur ergo addidit *in vtero*? præſertim cùm honeſtius videatur illam particulam prætetiſſe: Sed ideo adiunxit *in vtero*, vt ſentit D. Petrus Chriſolog. vt eius veram maternitatem, & verum concurſum in filij conceptione manifeſtaret: & ſimili modo cōceptus ex Virginis vtero prodiret homo, quo de mente Patris exijt conceptus Deus: vt ſicut de Deo vero verus Deus eſt, quia ex illius mentis fæcundæ operatione generatur, ita pariformiter ex vteri virginalis actiuitate verus homo de homine vera conciperetur. *Propter reuerentiam, dixiſſe ſufficeret; concipies: quod exagerat (in vtero) quid eſt? Vt conceptus eſſet veritas, non figura; vt partus eſſet proprietas, non imago: vt ſicut de Deo vero Deus verus natus eſt, ſic de vero conceptu veritas humani corporis naſceretur. ſer. 144. pag. 373. col. 2.* Cum igitur hæc Terra verè Deipara ſit, oportebat ipſam ſpeciali gratia fundari, vt maternitas virginitatem non violaret: & ideo plenitudinem gratiæ ipſam roborantem demonſtrat Angelus dum ipſam gratia plenam oſtendit.

2 Rectiſſimè ergo Virgo Virginum, ac fæcundiſſima Matrum pronunciatur; cum in virginitate fæcunda parem non habeat, vnde cantat Eccleſia: *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, gaudia matris habens cū virginitatis honore. Breu. Rom. in feſt. B. M.* Quapropter ſi illam orientali Aui, Phænici ſcilicet, comparauerim, ab erroribus procul ero. Duo in illa Aui commemorantur prodigia: primum, quòd vnica ſit, nec ſuæ ſpeciei conſortem admittat: ita ſanè pulchritudine, & perfectione inter cætera emicat volatilia, vt ſicut omnes vincit maieſtate, & decore ita pariformiter, nulla illi vel excellentior, vel ſimilis reperiatur: Secundum eſt portentum Virginitate ſeruata matrem eſſe: etenim, cum ſuæ ſpeciei ſit ſola, maris cognitionem ignorat; quia verò & ipſa mortalis eſt, vt per generationem ſeruetur indigens eſt. Illud igitur inuenit naturas, vt in proprij cinerib. ſemen ſui derelinquat, vt inde ei oriatur ſucceſſor: ſic de illa dici pōteſt, quod de Ape Virgilius cecinit: *Caſta facit prolem Virgil. lib. 4. Georg.* Phænix igitur Maria eſt, vnica inter Adæ filias Virginitatem Maternitati coniungens: ex quo ſatis apertæ inſcitiæ conuincuntur Hæretici, qui infidelibus deteriores, illud denegant Omnipotentiæ Dei, quòd ethnici naturæ in vna Aui conceſſere: De glorioſa Domina, & Regina noſtra, illud Iſaiæ verificari poſſe opinor; *Vocans ab oriente Auem: Iſai. cap. 46. v. 11.* id eſt Mariam quæ velut orientis Auis, id eſt Phænix, vnica Mater inter puriſſimas Virgines numeretur: quare Rufinus Aquileienſis, *in ſimbolo tom. 9. ap. D. Hier. pag. 113. lit. A.* ita hæreticos redarguebat. *Quid mirum videtur ſi Virgo conceperit, cū orientis Auem, quā Phænicem vocant, in tantū ſine coniuge naſci, vel renaſci conſtet, vt ſemper vna ſit, & ſemper ſibi ipſi naſcendo, vel renaſcendo ſuccedat.* Viuat in æternum hæc diuina Auis, Virginitatē fæcunditate decorans, vnica inter Virgines Mater.

3 Æterni Verbi duplicem generationem, diuinam videlicet, & humanam, in Pſalmis Spiritus ſanctus declarans, primam Cordi increati, & ingeniti Patris attribuit, inquiens: *Eructauit cor meum Verbum bonum: Pſal. 44. verſ. 1* De humana verò, ſeu virginea generatione ſermonem habens, linguæ illam adſcribit: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis; verſ. 2.* Quid autem cordis, quid linguę ſignatur myſterij? Maximum inquam: Etenim, cum nos conceptum aliquem alicui patefacere nitimur, prius ipſum mente noſtra concipiamus neceſſe eſt, mentem autem principaliter in hominis corde eſſe, Chriſtus Dominus clarè docuit, cùm dicebat: *Matth cap. 15. v. 19. De corde exeunt malæ cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes furta, &c.* & *Luc. c. 6. v. 45 ex abundantia cordis os loquitur.* Conceptum deinde per intellectum Verbum, vt in aliorum mentes ipſum ſcribamus linguæ calamo vtimur; qui ſine audientis læſione in eius mente ſcribitur; quod Verbum veluti virgineus partus ſine organi corruptione in mente producitur. Ergo æterna generatio Verbi iure quidem optimo cordi data eſt, cum prodeat e fæcunda Genitoris mente; humana verò linguæ, quia ſpiritus ille ſanctus, qui igneæ linguæ figura exprimitur, veluti quædam Diuinitatis lingua Verbum immortale, in pagina virginea mortale ſcripſit: organum minimè lædens, & vterū fæcundans. Porrò ſicuti Mens Verborū intellectualiū grauida legi nequit, licet ſcripturæ haud abſimilis, ita prorſus Ioſeph hunc marianum librum diuinitus ſcriptum accipiens numquam legit, quia clauſum legere fas nō erat: Doctrinā hanc a ſapientiſſimo, necnon Deiparæ amātiſſimo Ioan. Damaſceno mutuatam protulimus; *Hodierno die*, inquit ille *orat. 1. in Natiu. Virg. pag. 332. lit. C. is qui omnia efficit Deus, Verbum, quod Pater e pectore eructauit, librum nouum condidit, Dei lingua a Spiritu ſancto, tanquā calamo quodā in ipſo conſcribendum; qui quidem homini literarū perito datus eſt, nec tamen ab eo legitur; neque enim Ioſeph Mariam cognouit.* Immaculatus Liber Deipara eſt, cui a lingua ſpiritus ſancti Verbum æternum inſcriptum eſt; vt liber ſcriptus eſſet, & clauſus.

4 Neque nouum videri debet hominem ſine hominis operatione naſci, cum primus ſola Dei virtute ſubſtiterit; Mirabar aliquando cur Deus ſuæ veritatis generationē annuncians per os Dauid, ipſam terra parēte proditam prædicet; *Veritas de terra orta eſt. Pſ. 84 v. 12.*

Digitized by Google

℣ 12. Cur Terra veritatē edidit; & non cælum? ſi veritas diuinum Filium ſignat, cū obiectum ſapientiæ ſit, & ideo Verbi incarnationē figurat, aut potius Cælo editā non credamus? Nā, & alibi dicitur; *A ſummo cælo egreſſio eius. Pſ.18.v.6.* Nequaquam Terram agnoſcit matrē, qui totus cæleſtis eſt, qui peccatorum lutū ignorat, qui temporū viciſſitudines moderatur: dicantur illi terreni, terræq; liberi, qui terrenas diligunt voluptates, qui cælorū æternum Imperium pro luteo principatu commutant; qui cor immenſitatis haud incapax, paruulo, eoq; labili guſtui ſubiecere; Non ille Deus, & homo qui humilis apparere, cum Dominus eſſet omnium, dedignatus non eſt. Verum non eò reſpexiſſe Prophetam opinor cum e Terra natam veritatem demonſtrat: ſed vt oſtenderet Verbum Dei e Virgine natū ſine virili coniunctione, eo vtiq; modo, quo primus hominum parens, ſine virili ſemine de terra creatus eſt: cæleſtis ergo eſt quia Deus, quia innocens, quia ſanctus, & immaculatus, & tamen de virginea terra, ſine viri cognitione natus, terrenus, ideſt virgineus dicendus eſt; & idcirco canitur; *Veritas de terra orta eſt*: acutiſſimè id ponderat D. Auguſtinus. *ap. Brev. ord. Min.3. die infr. oct. concep. Ne quiſquā contemneret Veritatē, quia de terra orta eſt, cum ſicut ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, ideſt de vtero virginali, &c. ſicut .n. Deus noſter cū primū Adā facere vellet; non ex coniunctione viri, & mulieris, vt eſſet effectū, ſed accipiens terrā, inde hominem diuina quadā arte formauit: ita ſine viri coniunctione Deum in virginali vtero incorporari diſpenſauit.*

5 Quapropter ad Terræ fructuum ſimilitudinem, fructus ventris Mariæ Filius nūcupatur. Spiritus diuinus Virginis vterū Horto cōparans, ne in errorē induceremur, & ipſam hominū labore crederemus excultā, non hortum quemcumq; ſed terrenū Paradiſum appellat: *Emiſſiones tuæ Paradiſus*. Ea autem Differentia eſt inter primum Paradiſum, & modernos; quod iſti niſi colantur a nobis nec pulchritudinem ſeruant, nec fructum reddunt: ille autem, ſicut terra, quæ ſpontè ſuas dat herbas, quas nominamus agreſtes, ita omnes fructus ſuos ex ſe ſine alieno labore producebat. Maria Paradiſus terrenus eſt, ceteræ mulieres Horti; hæ a viris cultæ dant filios, illa illæſa Virginitate, & ſolum aqua gratiarum Fontis æterni, ideſt ſancti ſpiritus irrigata, fructum ſuum dedit. Hinc Regius eius Auus in ſpiritu tam mirabilem partum inſpiciens lętabundus canebat: *Confiteantur tibi Populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, Terra dedit fructum ſuum. Pſal 66.verſ.7.* Vbi D. Gregorius *in lib.1.Reg.lib.1.cap.1.tom.1.pag.7. lit.C. Terra quippe fructum ſuum dedit, quia quem Virgo peperit, nō concepit materiali opere, ſed ſpiritus ſancti obumbratione.* Quis non celebret hanc terram, quis hunc non exaltet Paradiſum, ſua dantem ſponte flores, ſine alieno cultu fructificantem? Confiteamur ergo, Prophetam imitantes, confiteamur Deo, Virginem celebremus: Huius fructus non meretur alimentum, qui a tantæ terræ laudibus, damnabili ſecordia temperat.

6 Stupor ingens mentem occupat, dum in Canticorum cantico ſcriptum lego lectum Salomonis tāta manu cuſtoditum: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael. cant.cap.3.v.7.* Quid potentiſſimus, ac pacificus Rex in meditullio ſui Regni ſitus, Arcem munitiſſimam incolens, timere poterat, vt eo deuenerit neceſſitatis, noctis quietem tanto milite comparare? Verum figuram hanc Chriſti eſſe inficiabitur nemo; qui verus Salomon, veræque pacis aductor extitit; lectulus valida tectus manu, Vterus Virgineus eſt, militum cuſtodia Dei gratia, quæ illibatum Virginitatis florem conſeruauit: Qui ſcit lectum hunc eſſe, qui Matrem legit, recordetur militia ſtipatum, diuina gratia protectam; Neque enim legibus naturæ in ſuis operibus niſi, cum vult, ſubditur Deus; lectus eſt vterus virginalis, ſed virtute Altiſſimi obumbratus: Non ab hoc multum aberrat Rupertus, inquiens. *Quis enim eſt lectus verè, & veri pacifici Regis Salomonis, qui inter nos, & Dominum pacem compoſuit? niſi illa, in qua diuina natura humanitatem ſibi nouam coniunxit? & quis ille eſt, niſi vterus tuus Dilecta Dilecti, vterus virginalis? Ibi namque Diuinitas Verbi Dei, Verbum Deus, ſeſe concluſit, & humanam naturam de ſua carne formatam ſibimet in vnione Perſonæ inſeparabiliter coniunxit. Rup. Abb.lib.3. in cant.tom.2. pag. 22. col.2.* Lectus armatus, Vterus Virgineus, nec ille ab inimicis expugnatus, neque hic a maternitate diſruptus; Virgo peperit, quæ Virgo conceperat; ſed ſtupor abſcedat, Deus eſt qui naſcitur; Deum nonniſi Virginitatis fructum eſſe oportebat.

7 Hùc, ni fallor, etiam reſpexit Lucas Euangeliſta, qui dum dominica geſta poſterum mandaret memoriæ ipſum aliquando in quoddam introiiſſe Caſtellum commemorat, dicens: *Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum. Luc.cap.10. verſ.38.* Inter omnes ciuitates, & oppida, quæ ſua illuſtrauit præſentia humanæ Redemptor captiuitatis, hoc ſolum Caſtrum innominatum reperio. Ergonè, ita male eſt in eo habitus Chriſtus, vt eius nomen immortalitati eripuerit? tam cito hoſpitij memoria perijt? Qui in ingratos beneficia erogare non deſinit, Benefactoris Caſtri hoſpitalitatem potuit obliuiſci? Glorioſius hoc puto Caſtrum Dominum paſcens, quam Hieroſolymam occidentem; & tamen illius deleta memoria, hæc glorioſiſſimè celebratur. Verum attentè audiendus eſt Euangelicus hiſtoriator, antequam ingratitudinis vitio arguatur. *Quoddam Caſtellum*, vocat ille: quaſi diceret Caſtrum ſingulare, Caſtrum excellentiſſimum, & cum alijs, licet ciuitatibus maximis, minimè computandum: cum enim omnis anima iuſta ſit Dei habitaculum, Domus, & Ciuitas; & omnis fœmina fœtus ſui ſit oppidum: Animam tamen Deiparæ Deus, vel vterū Verbum ingrediens tanquam in quoddam ſingulare, & alijs excellentius Caſtrum ingreſſus eſt; nam cunctæ mulieres caſtra ſunt, domus ſunt filiorum, ſed aperta, ſed violata; ſola Maria Caſtrum ſingulare, & in partu, & poſt partum intemerata virginitate refulgit: Ita cenſet D. Anſelmus. *epiſ. Cantuar. Homil. in Euang. Luc.to.3.pag.238. col 2. lit. D. Quoddam, ideſt ſingulare Caſtellum fuerit Virgo Maria: Quamuis enim multæ aliæ, & murum Virginitatis habeant, & turrim humilitatis, ideſt virgines ſint, & humiles: tamen ſalua virginitate matres eſſe non poſſunt; quod iſta ſola fecit. Et ideo Caſtellum hoc merito quoddam, ideſt ſingulare dicitur, quia iſta ſingulariter, & virgo, & mater fuit, quod nulla alia potuit, vel poterit.* Caſtrum ſingulare, virgineum, inconcuſſum, fæcundum, & orbi celeberrimum Vniuerſo; Virgo inter Matres, inter Virgines parens; tanta eſt Dei omnipotentis miniſterio deputata maternitas.

8 Dauidem in Patrem electurus Altiſſimus, ſe ex illo naſciturum iure iurando promittens, dixit per Prophætas ſuos. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuā. Pſ.131.v.11* D.Auguſt. hunc loquēdi modū perpendens, inquirit; cur de fructu ventris, & non de fructum femoris dixerit? Reſpondet autem hoc diuino conſilio factum, na cum femur virilis ſeminis fons exiſtat, indicaſſet naſciturum Verbum infantem ex viri ſemine immediatè, quod ſine Matris corruptione fieri nequibat: & licet ex ſemine Dauid mediante Matre ſit Chriſtus, quæ dauidico propagata eſt ſemine: & ſic verum eſt dicere eſſe *fructum fæmoris* mediatè: ad maiorem tamen, Virginitatis aſſertionem dixit de *fructu ventris*, nam immediatè Chriſtus ex carne Virginea ſine virili ſemine natus eſt; immediatè namque ex dauidico ventre, ideſt Virginis aluo, & mediatè tantum ex dauico ſemine genitus eſt. *Poterat dicere: ex fructu fæmoris tui, quare ex fructu ventris tui voluit dicere? Et illud quidem ſi diceret verum diceret: ſed ſignificantius voluit dicere, ex fructu ventris, quia de fæmina natus eſt Chriſtus, quò vir non acceſſit*. D.Auguſt.Hipp.Epiſc. *in Pſ.131.to.8.pag.627.col.2.lit.A.* Ita ſanè hæc Deipara tellus

Digitized by Google

tellus Spiritus ſancti gratia vndequaq; firmata, in æternum ab illibata virginitate moueri haud poteſt. Viuat ergo Virginum miraculum, Matrũ feliciſſima; regnetq; in Æternitatis Regia in ſæcula ſempiterna. Amen.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

DEiparam Terram fundamentis gratiarum firmatam, vt maternitatem Virginitati coniungeret, hucuſque luſtrauimus: Ab ipſa ad allegoricam Terram progrediendum eſt: verum quia ſtabilitatis nomine baſes intelliguntur, de baſium, nec non ſæculorum allegorijs pertractandum eſt; quibus ſpeculum Sacræ Scripturæ abundè reſperſum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Terræ allegoricæ ſignificationes.*
2 *De Baſium allegorijs.*
3 *De varia ſæculorum acceptione.*

§. I.

Terræ allegoricæ ſignificationes.

1 TErra hominum habitatio eſt, & elementum, ex quo fere omnia mortalia conſtant, in eamque ſoluuntur: allegoricè vero ſumitur. Primo pro mundo, vt cum dicitur Pſal. 62. v. 3. *In terra deſerta*; nomine huius deſertæ terræ, Mundum bonis deſtitutum Bellarminus dicit. *Sanctus Auguſtinus paulo aliter exponit, & ipſum ſequentes dicere poſſumus per deſertum intelligi mundum, qui deſertus eſt a veris hominibus, & inhabitatur a beſtijs hominibus, videlicet carnalibus, & animalibus. Rupert. Bellarminus in Pſ. 62. pag. 436.*

2 Miſericordiam ſignificat; ſicut enim Terra dicitur parturire ſua germina, ſic Dei miſericordia ſanctos, virtuteſque producit: vnde dicitur ſecundum D. Hieronymum Pſ. 89 v. 2. *Antequam montes naſcerentur, & parturiret terra:* & ſubdit ille: *Neq; enim montes, & terra natiuitatem, & parturitionem recipiunt, ſed conditionem. Ex quo liquidò demonſtratur, ſanctos quoque excelſaſq; virtutes Dei miſericordia procreari. tom. 7. pag. 113 lit. H.*

3 Sumitur pro cæleſti gloria: nam in benedictione Iſhac Patriarchæ, vbi dicitur: *De rore Cæli, & de pinguedine terræ erit benedictio tua, Gen. cap. 27. verſ. 39.* huius benedictionis nomine Gloria cæleſtis intelligitur a Petro Bercorio, dicente. *tom. 3. Dict. lit. T. pag. 376. col. 2. Per terram deſignatur poſſeſſio hominum ſanctorum, ſcilicet gloria Paradiſi; de qua dici poteſt illud Gen. 27. In rore Cæli, & in pinguedine terræ erit benedictio tua.*

4 Etiam Infernum exprimit terra dum tenebroſæ epithetum ſumit: de qua Iob: *cap. 10. v. 21. Antequam vadam ad terram tenebroſam*: quo in loco idem Bercorius *loc. cit. Per terram ſignificatur incarceratio hominũ damnatorũ, ideſt Infernus, & ſic ſumitur Iob.* 10.

5 Nomine terræ primam informemque materiam D. Auguſtinus intelligit: *lib. 12. cap. 20. Confeſſ. tom. 1. pag. 89. col. 2. lit. B* etenim cùm Gen. 1. v. 1. dicatur; *In principio creauit Deus Cælum, & Terram*; Terræ nomine expreſſam materiam docet informem. *In principio fecit Deus Cælum, & Terram, ideſt in Verbo ſuo ſibi coæterno fecit Deus informem materiam creaturæ ſpiritualis, & corporalis.*

6 D. Ambroſius in Terra ſenſibilem ſubſtantiam demonſtratam docet, iiſdem creationis verbis ex Pſalmis decerpta: *Pſal. 123. v. 8. Qui fecit Cælum & terram*: quare ait: *Qui fecit inquit Cælum, & Terram, hoc eſt intelligibilem, & ſenſibilem ſubſtantiam. Intelligibilis enim ſubſtantia Cælum eſt; viſibilis ſeu ſenſibilis ſubſtantia terra eſt. D. Ambroſius Epiſc. med. lib. 2. de Abrah. cap. 8. tom. 4. pag. 201. lit D.*

7 Non inconuenienter Terræ nomine tribulatio, ſeu deiectio hominis exprimitur, cum terra elementorum humillima, eaque viliſſima ſit: idcirco dicitur de Deo: *Suſcitans a Terra inopem. Pſal. 112. verſ. 7* Vbi Berchorius *loc. cit. Per terram deſignatur deiectio hominum miſerorum, ſcilicet ſtatus deiectionis, ſeu tribulationis, & ſic ſumitur in Pſalmo; Deus ſuſcitat a terra inopem, &c.*

8 Terra deſerta, eſt mens ſolitaria, quæ ab affectu terrenorum ſpoliata, quaſi in ſolitudinem verſa, Deum, & cæleſtia facilius contemplatur. De qua dicitur. *In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi.* Et approbat *Rupert. Card. Bellarm. in Pſal. 62. pag. 436. Anima quo magis deſtituitur carnalibus bonis, vel certè, quo magis affectum remouet a rebus terrenis, & ſe in quodam deſerto montis conſtituit: eò facilius aſcendit ad cæleſtia contemplanda, & guſtanda.*

§. II.

De Baſium allegoriis.

1 F*Vndauit Terram ſuper Baſes eius &c.* Baſes Fundamentum ædificiorum, præſertim columnarum ſunt, quæ in ipſis firmantur, & innituntur: & primo allegoricè transferuntur ad ſignandum conſilium ſapientiæ ſicut enim baſibus columnæ, ita ſapientiæ conſilijs crura Domini, quæ ſunt miſericordia, & iudicium, innituntur. De his Cantic. cap. 5. verſ. 15. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas:* Vbi Abbas Rupertus. *lib. 5. in Cant. tom. 1. pag. 1103. col. 1. Crura illius viæ ſunt illius, ſcilicet miſericordia, & iuſtitia, ſeu miſericordia, & veritas, ſicut ait Pſalmiſta: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas; crura iſta, viæ iſtæ columnæ marmoreæ, ideſt firmiſſimæ &c. Quid eo quoque verius, quod ait; Quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas? Baſes aureæ conſilia ſunt ſapientiæ.*

2 Deſignatur in baſibus Baptiſmus, cui totum ſanctitatis chriſtianæ machina inhæret: de quo dictum eſt: *Leu. cap. 4 verſ. 7. Omnem autem reliquum ſanguinem fundet in baſim Altaris*: Et Rupertus *lib. 4. in Leu. cap. 15. pag. 332. col. 2. Fundamentum eſt chriſtianæ fidei Baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Vnde benè dicit in introitu tabernaculi, quia videlicet, nonniſi per Baptiſmi regenerationem introitus vlli eſt in tabernaculum Dei.*

3 Baſes argenteæ Templi Prophetæ intelliguntur; nam ſi columnarum argentearum nomine intelliguntur Verbi Dei Prædicatores, iſti fundamenta Prophætas habent: De his dicitur *Exod. c. 36. v 30. Quadraginta baſes argenteas fundes, vt binæ baſes ſingulis tabulis ſubiiciantur*: & Origines *homil. 9. in Exod. to 1. pag. 55. col. 1. lit. C. Inargentatæ ergo ſunt columnæ, quia qui Verbum Dei prædicant accipiunt per ſpiritum eloquia Domini, quæ ſunt eloquia caſta, argentum igne probatum:*

Hi autem prædicationis ſuæ baſes habent Prophetas.

4 Baſes illæ aureæ, quæ crura ſponſi ſuſtinent Apoſtoli ſunt; & dicuntur *fundatæ ſuper baſes aureas; Cant. cap.5. verſ.15* quia per Apoſtolorum prædicationem, viæ Domini in nobis ſolidantur: Ita D. Ambroſius. *ſer. 5. in Pſal.118.to.4. pag.447.lit. B. Et quia baſim Verbi timorem diximus, ne quid alienum aſcripturis poſuiſſe nos quiſquam putet, accipiat lectum de Dei Verbo in canticis canticorum; crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas, ſignificans columnas eſſe Eccleſiæ Apoſtolos, qui fundati ſunt in timore ſancto.*

5 Etiam ipſum Domini timorem ſanctum baſis figurat; de quo Pſalmus: 118.*verſ.38. Statue ſerue tuo eloquium tuum in timore tuo:* quo in loco idem Ambroſius *loc.cit. Baſis quædam Verbi eſt timor ſanctus: ſicut enim ſimulacrum aliquod in baſi ſtatuitur, ita Verbum Dei in timore ſancto melius ſtatuitur.*

6 Baſis, & fundamentum virtutum omnium eſt Fides; de qua dicitur; *Eccl.cap.6.verſ.30 Compedes illius in protectionem fortitudinis, & baſe virtutis:* vbi Petrus Berchorius. *tom.1. Dict. pag.242. col.2. lit. A. Baſis poteſt ſignificare in moribus virtutem fidei, quæ hominem ſtabilit, atque firmat.* Et rectè, nam ſine fide Deo placere non poſſunt.

7 Eccleſiæ Doctores baſes illius ſunt: de quibus ſcriptum eſt; *Iob.cap.38.verſ.9. ſuper quo baſes eius ſolidatæ ſunt?* Vbi D. Gregorius Magnus: *lib.28.cap.6.mor.to.2. pag.942.lit.D. Quid aliud huius terræ baſes, quam ſanctæ Eccleſiæ Doctores accipimus? In baſibus quippe columnæ, in columnis autem totius fabricæ fundus erigitur. Non immerito ergo Doctores ſancti Baſium nomine deſignantur, quia dum recta prædicant, & prædicationi ſuæ viuendo concordant, omne pondus Eccleſiæ fixa morum ſuorum grauitate ſuſtentant.*

8 Si a generalibus Eccleſiæ baſibus, ad particulares cuiuſcumque deſcendimus, baſis vitæ Chriſtianæ intentio bona eſt: Quare in eumdem verſum Idem D. Gregor. *l. cit pag.936.lit.E.* inquit *Super quo baſes eius ſolidatæ ſunt: Baſes quippe vniuſcuiuſque ſunt animæ intentiones bonæ; nam ſicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus innituntur: ita vita noſtra in virtutib. virtutes vero in intima intentione ſubſiſtunt.*

9 Humilitas Perfectionis baſis dicitur; in cuius myſterium, cùm reliquas baſes argenteas, & aureas feciſſet, illam ſuper quam ipſe ſtare debebat æneam tantummodo fecit, vt ſuæ humilitatis memoriam haberet: *Siquidem fecerat Salomon Baſim æneam, & poſuerat eam in medio Baſilicæ &c. ſtetitq; ſuper eam. 2. Paralip.cap.6. v.13.* Vbi Gloſſ. *Interlin. Fecerat Salomon baſim æneam, veræ humilitatis ſoliditatem.*

10 Similiter Viros iuſtos fundamẽtum eſſe Eccleſię, declarat Spiritus ſanctus, cùm memorat: *Tulit Rex Acaz cælatas Baſes. 4.Reg. cap.16.verſ. 17.* & Petrus Berchorius *loc.cit. Per baſes Eccleſiæ poteſt intelligere viros iuſtos, quos ſubſtulit Diabolus.*

11 Conuerſatio gentilis peccatorum baſis eſt: de qua dicitur: *Lupanar tuum ædificaſti in capite omnis viæ, & baſem tuam feciſti in omni platea: Ezechiel. cap. 16. verſ.24. ſecund. heb.* quod exponens *D Hieronym. in Ezech.tom.4. pag.551.lit.C.* ait: *Variè quippe peccatum ad ſe nos trahere feſtinat, ſiue per hæreſim, ſiue per gentilem conuerſationem. Et per hæreſim quidem quando ædificat lupanar in capite omnis viæ: per gentilem conuerſationem, quando baſim ponit in omnibus plateis.*

12 Baſis in eodem ſenſu ſtabilitatem impietatis figurat: vnde dicitur *Zaccar.cap.5. verſ.10. Quo iſtæ deferunt amphoram; & dixit ad me; vt ædificetur ei Domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ſuper baſem ſuam.* Vbi D.Hieronymus. *Impietas ergo defertur in babilonem: vt ibi ædificetur domus eius, & ſtabiliatur, & ponatur ſuper baſem ſuam, & æterna ſtatione requieſcet. In Zaccar. to. 5. col.547. lit.C.*

§. III.

De Varia Sæculorum acceptione.

1 NOn *commouebitur in ſæculum &c* Sæculum multipliciter in ſacris literis ſumitur. Primo ſæculum in communi acceptione ſignificat totum ſpatium, quo vita humana ſuſtineri poteſt; ſicut Deus minatur Ciuitati Tyriæ per ſæculum non futuram: *Et vltra non eris vſque in ſæculum: Ezechiel.27.verſ.36.* ſicuti ſignificat hebraicum עולם: quod ſæculum D. Hieronym. *in Ezech.to.4.pag.551.lit.C.* ad ſpatium ſpetuaginta annorum reſtringit, dicens. *Ex eo quod ſequitur vſque in ſæculum, vnius ſæculi tempus oſtendit, quod iuxta ætatem hominis annorum 70. circulo ſupputatur.* Verum hæc ſententia a communi ſenſu, & veritate aliena eſt, nam vſque ad centeſimum viuitur, & octogenarium ſæpiſſimè tranſgreditur. Quare ſæculum centum annorum eſt ſpatium, vnde apud Romanos ſæculares ludi ortum duxere, qui centeſimis annis fiebant.

2 Sumitur pro illo temporis ſpatio, quod alicui vitæ ſupereſt, vſque ad mortem: quaptopter de ſeruo, qui de ſeruitute exire noluerit dicitur: *Erit ei ſeruus in ſæculum exod cap.21. verſ. 6.* Vbi Cardinalis Hugo: *In ſæculum, ideſt dum viuit.*

3 Sæculi nomen diſcriminantur vita præſens in hoc mundo, & futura poſt mortem, vel potius tempus, & æternitas; nam cum ponitur ſæculum tantum, vita pręſens, ſeu tempus ſignificatur; cum vero dicitur: ſæculum ſæculi, futura vita, ſeu æternitas declaratur: quod fit in Pſalmo 20. verſ.5. *In ſæculum, & in ſæculum ſæculi:* quod aduertit D. Auguſtinus. *in Pſal.57 tom.8 pag.321. col.1.lit. A. In ſæculum, & in ſæculum ſæculi ait: In ſeculum intelligitur quantum hoc ſeculum durat: in ſæculum autem ſeculi, quod poſt huius finem futurum promittitur.*

4 Sæculum innuit tempus priſcum, vetus, ſeu antiquum, & ſæculi initium: quod ſignatur Geneſ.c.6.v.4. cum de Gigantibus dicitur: *Iſti ſunt potentes a ſæculo;* ideſt, ait Hugo Cardinalis. *A principio ſæculi, ſeu longo tempore.*

5 Ex hoc ipſo ſequitur tempus ortus, & vitæ antiquorum Patrum ſæculum nuncupari: *Conſurge ſicut in diebus atiquis, & generationibus ſæculorum. Iſai cap.51. verſ.9.* Deo dicebat Propheta: Vbi Gloſſ. *Interlin. Sicut Patribus noſtris oſtendiſti potentiam tuam*

6 Sæculum dicitur mundus: de quo Apoſtoli interrogantes Dominum quando finem ſortiretur, aiebant: *Dic nobis quando hæc erunt? & quod ſignum Aduentus tui, & conſumationis ſæculi. Matth. cap 24. v.4.* Et rationem reddit Cardinalis Hugo *in Matth.pag.74. col.4.* quare dicatur ſæculum conſumandum: *Quia tunc tranſibit mundus, & gloria eius.*

7 Hinc deducitur ſæcularem negociationem, mundanam appellari; & præcipuè eſt cum homo ſine ſui labore lucrum quærit: quod prohibebat Apoſtolus. *Nemo militans Deo implicet ſe negocijs ſæcularibus: 2. Timoth. c.2.v.4.* præcipuè cùm ſine labore acquiruntur diuitiæ, & lucra, negocia mundi ſunt, non Dei, qui niſi legitimè certantib. coronam dare non promittit: Ideoq; Gloſſ. ordin. inquit. *Negocia ſæcularia ſunt cum animus occupatur cura colligendæ pecuniæ, ſine corporis labore, vt ſunt negociatores.*

8 A ſeptuaginta interpretibus negligentia, nomine ſæculi exprimitur; nam in Pſal. 89. verſ. 8. vbi ipſi exponunt: *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo: ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui:* D. Hieronym. *in epiſt.ad Ciprian, to.3. epiſ.139. pag. 746. lit. B.* ex Hebræo legit: *Negligentias noſtras in luce vultus tui:* Hinc ſequitur: *Nos iuxta hæbraicum, & Simmacum, poſuimus negligentias noſtras, pro quo ſeptuaginta ſæculum noſtrum tranſtulerunt.*

Verſus

Digitized by Google

Verſus Sextus.

תְּהוֹם כַּלְּבוּשׁ כִּסִּיתוֹ עַל הָרִים יַעַמְדוּ מָיִם:

Verſio ex hebræo. *Abyſſo quaſi veſte operuiſti eam: ſuper montes ſtabunt aquæ.*

Vulgata editio. *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ.*

D. Hieronymus. *Voragine ſicut veſtimento operuiſti eam: ſuper montes ſteterunt aquæ.*

Translatio Septuag. τὸ περιβόλαιον αὐτοῦ amictus eius *maſculinè, ideſt* Dei.

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

ILlud ſanè latinorum infortunium fuit, quod aliena nomina, a Græcis ſcilicet, mutuata pro ſuis recipiant; & hoc tum in Philoſophia, tum etiam in Sacrarum literarum interpretatione. Hinc eſt quod verbum תְּהוֹם nomine abyſſi intelligimus: Porrò *Abyſſus* vox Græca eſt, quæ propriè abſcuritatem, ſiue lucis carentiam ſignat: D. autem Hieronymus, cui conſentit Lyranus, pro תְּהוֹם ſeu *abyſſo*, voraginem poſuerunt: & vt iudico, magis ad proprietatem, quam ad ſenſum. יַעַמְדוּ futurum eſt: vnde ad literam explicatur *ſtabunt:* Verum illud aduertendum occurrit, ſæpiſſimè in Sacra Scriptura futurum poni pro præterito, V.G. יַעַשׂ pro עָשָׂה *fecit:* יַעַל pro עָלָה *aſcendit, &c.* quapropter rectè D. Hieronymus legit, *ſuper montes ſteterunt aquæ*; nam intentio Pſalmi eſt deſcribere terram in ſui prima creatione aquis contectam. Videndum eſt igitur, & declarandum, quid iſte ſit Abyſſus, & quomodo Aquæ, & Terræ elementa inter ſe cohæreant.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit iſte Abyſſus veſtiens Terram.*
2 *An etiam Aquarum vorago lumine veſtiri poſſit.*
3 *Quomodo iſta duo elementa Terra, & Aqua ad inuicem connectantur.*
4 *Quomodo intelligantur Aquæ ſtare ſupra montes.*

§. I.
Quid ſit iſte Abyſſus veſtiens Terram.

1 ABy*ſſus ſicut veſtimentum amictus eius, &c.* De Abyſſo ad literam diſputantibus variæ opiniones occurrunt, quid ſit Abyſſus iſte ipſam veſtiens Terram; De quo in Hexamerone dictum legimus; *Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi. Gen. cap. 1. ver. 2.* Porrò prima proponetur Philonis diſertiſſimi Iudæorum ſententia opinantis per Abyſſum vacuum inſinuari. Quod vt clarius innoteſcat eſt aduertendum, vacuum, a quo ita abhorrere natura videtur, vt nullibi reperiatur; duplicē intellectum ſortiri poſſe; vel enim extra rerū creatarum ſpheram ponitur; & ſic omnino nihil eſt, & impropriè vacuum nūcupatur: Aliud autem intelligi poteſt vacuitas quædam intra corpora; vt ſi hoc ſpatium inter Cęlū, & Terram a nullo occuparetur corpore: & in hoc ſēſu a Philoſophis accipitur vacuum, cum a rerum conditarum congerie ſeiungitur. In hoc vacuo putauit, ſed malè, Ariſtoteles motum fieri in non tēpore, ideſt in inſtanti; quia corpus nullum motum retardat; Verum duæ ſunt cauſę diuiſibilitatis motus, ſpatiū pertranſeundum, & medium implens; quarum altera tantum remota, tempus minimè tollitur, ſed decurtatur: Et hoc præſertim ex Sacris literis colligi poteſt: nam ſpiritus, ideſt ventus, ſeu aer, mouebatur ſuper aquas, vtique in vacuo (iuxta Philonem, qui de opif. Mundi, Abyſſum vacuum putat inter aerem, & terram, ſeu aquam. *Vacuum verò vocant Abyſſū, profundiſſimum enim eſt, & dehiſcit patentiſſime*) Mouebatur autem in tempore; nam in inſtanti motus, localis pręſertim nequit fieri. Putabat igitur Philo: inter extremitatem terræ, & Cęli Empyrei limitem, nihil eſſe, ſed vacuum ſpatium, a ſubſtantijs corporeis, poſt earum creationem occupandum.

2 Verum hęc Philonis ſententia licet etiā a Richardo a S. Victore *lib. 2. except. c. 7.* his verbis proponatur. *Abyſſus eſt concauitas terræ, quæ receptaculum inferiorū futura erat aquarum*: mihi non probatur: quomodo enim vacuum, quod vtiq; nihil eſt, tanquam veſtimentum terram veſtire poterit? Veſtis enim, vt amiciat, realis debet eſſe, & poſitiua, imò, & materialis, ſi terram materialem contineat. Quapropter ſententiarū Magiſter, parum a D. Auguſtino recedens, exiſtimat; confuſam congeriem, ſeu potius materiā elemētorum abyſſi nomine deſignari: Etenim ſicut abyſſus dicitur luce carens, ſic elementorum materia forma deſtituta, abyſſus dici poterit. Hoc ille docet *lib. 2. ſenten. diſ. 12. Confuſam materiam elementorum dicit abyſſum, & commixta ſpecie carens diſtinta.* Hoc igitur crediderunt Poetæ veteres Chaos, de quo Ouidius *lib. 1. Metamorph.*

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe.
Quem dixere Chaos: rudis, indigeſtaq; moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaq; eodem
Non benè iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Idque indicare videtur Scriptura dum ait tenebris coopertam Abyſſum: *Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi.* Vbi Lyranus. *Tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi, ideſt, ſuper faciem elementorum; Abyſſus enim græcè eſt Vorago Latinè.* Quia verò nullum Chaos a Deo factum ex Sacris literis habemus, cum ſit prorſus poeticum figmentum: nam vt ſuo vidimus loco, Deus ab initio ſeparata creauit elementa, Terram ſcilicet in centro ſphæricam perfectè, & circa Terram, aquarum omnium ferè immenſum globum, quas aquas omni ex parte tegebat Aer: nec deerat niſi ignis, qui ſtatim in prima dierum ſub nomine lucis creatus eſt, qui ignis totam circũdabat Aerem: porrò cum rerum generationem vellet Deus, Dierumq; diuiſionem, prius ignem in vnum collegit locum cum diuiſionem fecit inter lucem, & tenebras; deinde cum terræ cederet Aqua, in ipſa facta eſt elementorum mixtio, hactenus immixtorum, ex quorum mixtione rerum generabilium turba proceſſit.

3 Sententia igitur, quæ magis veritati reſpondet, eſt Aſſerentium Abyſſum eſſe aquarum ſphæram, quæ tunc in principio totam tegebat terram, & quia non omninò diaphana eſt inuiſibilẽ reddebat terram: Et inſuper cùm ipſa etiam luce careret, ideo in principio dicitur. *Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi;* ideſt aquarum: Et ſic optimè veſtimentum terræ dicebatur aqua, quæ totam tegebat: Supra quas aquas aer cùm ferretur nõ inferebat tenebras cum ſit tranſparens, ſed ſolum aqua lumine carens: quapropter, licet *Spiritus Domini,* Aer ſcilicet agitatus, *ferebatur ſuper Aquas:* non tamen eſſe tenebræ ſuper aerem, ſed ſuper aquas dicuntur, aqua enim, & nõ aer opacitatem cauſat. Hoc totum probat *D. Ioan. Chriſoſt. Homil. 3 in Geneſ. tom. 1. pagin. 11. lit. B.* inquiens. *Nam quum de aquarum opificio nihil dixiſſet, ait: Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi: & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: Hæc enim tegebant faciem terræ (de tenebris loquor, & Abyſſo aquarum) didicimus hinc, quod omne quod videbatur erat Abyſſus aquarum tenebris velata.* Quo alludens D. Auguſtinus *in Pſal. 41. tom. 8. pag. 154. col. 2. lit. A.* ait. *Abyſſus enim eſt profunditas quædam impenetrabilis, incomprehenſibilis; & maximè ſolet dici in Aquarum multitudine. Ibi enim altitudo ibi profunditas, quæ penetrari vſque ad fundum non poteſt.* Huic ſententiæ etiam ſubſcripſit Magnus, Sanctus, doctiſſimuſq; Baſilius *Homil. 2. in Hex. pag. 8. col 2. lit. D. E. Quid* inquit, *Abyſſus ſignificat? copioſam aquam: ad cuius fundum haud facilè perueniri poterit, deorſum verſus.* Magno Baſilio cõſentire videtur Magnus Albertus, qui Pſalmiſtæ ſententiam: *Ponens in theſauris Abyſſos. Pſal 32. ver. 7.* dilucidans, per Abyſſum aquas intelligit. *Ponens in theſauris Abyſſus, aquarum ſcilicet profunditates. B. Albert. Magn. in Pſ. 32 tom. 7. pag. 217. col. 1.* Quibus addo Incognitum *in Pſalm. 103.* dicentem. *Hic incipit agere de elemento aquæ; Abyſſus ſicut veſtimentũ amictus eius, ideſt terræ.* Ex quibus omnibus concludendum eſt, nomine Abyſſi terram veſtientis, vniuerſam aquarum ſphæram deſignati, quæ ante creationem Cælorum totam tegebat terram.

§. II.


An etiam Aquarum Vorago lumine veſtiri poſſit.

1 QVid Lux & quid lumen ſit ſuo iam loco demonſtratum eſt; Hinc deducitur illuminationem, ſeu Luminis amictum dupliciter capi poſſe, vel formaliter, vel terminatiuè: formaliter illuminatur quod ipſam Lucem, ſeu corpus luminoſum recipit; ſic illuſtratur fax aſcenſa, ideſt lux fit: terminatiuè illuminatur corpus ſolidum, quod vtique lucis radios reflectens lumine ſuam ſuperficiem decorat, atque luminis vim retro expellens lumen geminat, & ſplendorem gignit. Nullum igitur corpus terminatiuè illuminationis eſt capax, niſi aliquã habeat opacitatem: Terra & reliqua denſa corpora, cum omninò luminis retardent tranſitum, maximè ſplendent; Mixta verò corpora, eo magis, minuſue, quo maiorem, vel minorem denſitatem ſortiantur. Aer autem, qui omninò diaphanus eſt illuſtrari niſi formaliter non poteſt, terminatiuè verò nequaquam; lumen enim quod per ipſum tranſit, cum non retardetur, non apparet, ſed tranſparet: & eodem modo alia diaphana corpora: ſi tamen aer aliqua cauſa exteriori cogente aliquantulũ inſpiſſetur, tunc etiam aliquantulum illuſtrabitur, præcipuè multis vaporibus, exhalationibuſque permixtus, ex quorum cõgerie lumen gignitur crepuſculinum, & cum magna ſit horum copia aer magno rubore reſperſus apparet. Ipſe verò aer, vbi purus prorſus reperitur, inuiſibilis permanet, quia illuminabilis haud exiſtit.

2 Aqua verò inter denſa, & opaca corpora minimè collocanda eſt, cum tranſpareat: ſed neque ita diaphana eſt ſicut aer; aer enim etſi in immenſum diſtendatur, ſemper diaphanus permanet: non ita aquæ, quæ cum ad maximam creuerint profunditatem aliquo modo denſãtur, & opacantur: & ad modum ſolidorum corporum, lumen reflectere, lumen impedire, ſplendoremque gignere, non ineptæ videntur. Hac de cauſa quorumdam ſententia eſt, aquam illuminationis ſecundariæ, ſeu terminatiuè capacem eſſe: ideoque Geneſis 1. dici. *Tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi:* Neque dicitur, in *terra,* vel *in abyſſo* fuiſſe, *tenebras*, ſed in extima parte abyſſi: tenebra enim aliquid reale poſitiuum non eſt, ſed tantũ priuatio lucis, vel luminis: priuatio autem in eo ſubiecto ineſſe dicitur, vbi forma ineſſe poteſt: quare animal perfectum oculis captum, optimè cæcum, ideſt lumine priuatum, dicitur, quia illi ineſſe oculus, & viſio poteſt, non ſic lapis, vel res ſimilis inanimis, quæ cum viſionem omnino habere non poſſit, conſequenter cæcus nuncupari, niſi metaphoricè, non debet. Hęc igitur ratio eſt quare neque in aqua, neque in terra non potuit eſſe tenebra; quia cum abyſſus quaſi veſtis tegeret terram, non poterat vllo modo illuminari; ſed tantum inuiſibilis nuncupatur: *Terra autem erat inuiſibilis*, vt placuit 70. Vbi D. Baſilius Magnus loc. cit. *Erat inuiſibilis terra, quam ob cauſam quæſo? Quia circumfuſa vndiq; erat abyſſo. Quid abyſſus ſignificat? copioſam aquam.* De aqua verò, quia ſecundum vltimam ſuam ſuperficiem illuminationis capax erat, dicitur ſuper eius faciem, non in abyſſo fuiſſe tenebras. Quod Hugo de S. Victore ſubtiliter obſeruauit *lib. 1. de Sac. Fid. par. 1. cap 6. tomo 6. pag. 222. colum. prim. Neque Abyſſus tenebra erat, quia lumen futura non erat, quia abyſſus ſubtus erat, & deſuper caligo tenebroſa erat: ſed deſuper faciem abyſſi tenebrarum fuit locus, in eo ſcilicet elemento, vnde lumen poſtea venire debuit: neque enim, niſi in lucis loco, tenebræ eſſe potuerũt, propterea tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Abyſſus igitur ſic ſecundum extimam ſuperficiem illuminandus, in ſuperficie eadem habuiſſe tenebras dictum eſt, vt illi priuationi luminoſa forma ſuccederet.

3 Cum verò terrarum Orbis (vt mox videbimus) ſimul ex terra, & aqua vnum perficiat globum; & vmbram æqualiter conicam, & rotundam producat, conſequens eſt, vt tam aqua, quam terra ex vna parte totaliter illuſtretur, & ſplendeſcat, vt vmbram ex altera parte dimittat. Huius ratio eſt, quia dum lux, ſeu luminoſum corpus, opacum corpus illuminat, ſi lux corpore opaco ſit maior, illius ex vna facie maiorem partem medietatis illuminat, ex alia verò parte conicam cauſat vmbram, quæ decreſcendo paulatim, tandem euaneſcit: vt in ſequenti Figura apparet. Vbi A, eſt lux, ſeu lucidum corpus, B, corpus denſum illuminatum, C, vmbra.

Digitized by Google



Maior ergo cum Sol ſit ipſa, quam illuminat, terra, de eius lumine pariformiter philoſophandum eſt. Quod autem etiam Aqua illuminationis huius ſit capax obſeruare poſſumus in aliqua aquarum congregatione, quæ cum pura ſit, & ſordibus carens, radios ſolares, vel alterius luminis excipiens, mox illuſtrabitur, & ſplẽdorem ſuum producet; vt fatetur D. Ioannes Chriſoſtomus *in cap.1. Iſai, to.1. col.* 1200. *lit.C. Natura aquarum, quæ illimes ſint, & puræ, ſi Solis radios exceperit, mox illuſtrabitur, & ſplendeſcet*. Ita pariformiter ſimul cum terra vniuerſa illuminatur aqua.

4 Illud denique prætereundum non eſt, maximam eſſe differentiam, inter aquam, & terram, in luminis reflexione. Enimvero terra cum omninò ſolida ſit, & imperuia lumini ipſum totaliter flectit; & clarè fulget: ſecus vero Aqua, nam cum de ſe diaphana ſit et ſolum propter fundi opacitatem fiat aliquantulum opaca, partim radios tranſmittit, partim reflectit, hinc obſcurius terra lumen emittit. Quare ſi aliquis in Lunæ globo collocatus Terram a Sole illuminatam inſpiceret, vbi lacus, vel maria ſunt lumen ſubfuſcarum, ad inſtar macularum lunarium cerneret. Huius rationem reddit, noſtro Æuo doctiſſimus Athanaſius Kircherus, in ſuo Itinerario extatico, pag 44. his verbis. *Totum enim reliquum ſubfuſcum, quod terram ambit, Oceanus eſt. Sed cur aquea ſuperficies minus ſplendet, quam terreæ portiones? Quia fundus Maris, cui inſidet aquea moles, cum limi nigrore ſuffuſus ſit, totaque maris profunditas in neſcio quid atrum terminet, adeoque lumen potenter offuſcat: hinc lumen Solis ex aquea ſuperficie reflexum nonnihil debilitari neceſſe eſt, quod non fit ex immediata corporum terreſtrium illuminatione*. Neque tamen ipſa ſoli atritas totalis eſt cauſa luminis offuſcationis, ſed ipſum medium, aqua videlicet, ipſo aere ſpiſſius, & lumini non perfectè peruium. Inſuper inter Terram, & Lunam (nam altera in alteram ſolare lumen flectit) magna differentia eſt. Porro quod Luna, a Terra vice verſa illuſtretur in nouiluniis apparet, quando Luna lumine Solis deſtituta, nihilominus tota videtur; vt inter antiquos docuit Seneca; & inter modernos Blancanus in ſua ſphæra *lib.4. cap.3. pag.*38. inquiens. *Enimverò, cùm terra ſit corpus opacum, ac denſum, lumen Solis ſiſtit, ac reiicit. Porro hanc lucem a Sole mutuatam ad lunam vſque reflectit, eamque, a qua noctu viciſſim ſolis lumine reflexo perfunditur, grata vice mutatione eiuſdem luminis illuſtrat*. Ex qua luce cognouit D. Ambroſius Lunam minui quidem lumine, ſed non corpore, cum in plenilunio, etiamſi a Sole totaliter non illuſtratur, tota videatur, *Luna*, inquit Doctor ſanctus, *in Hexamorone. lib.4. cap.2 pag.42. lit.D. luminis imminutionem habet, non corporis, quando per vices menſtruas deponere videtur lumen ſuum: quod facile puro aere, atque perſpicuo, quando nulla eam obducta nebula caligantẽ facit, colligi poteſt. Orbis enim integer Luna manet, etſi non ſimiliter totus, vt pars eius effulgeat*. Orbis autem Lunaris totus videri non poſſet niſi aliquo perfunderetur lumine, terreno videlicet.

5 Differentia inquam maxima eſt inter lumen a Luna, & a Terra reflexum, nam, Luna cum tota candida ſit lumen fulgentius reflectit, qua terra quæ atrum vt plurimum colorẽ habet, quod manifeſte apparet in rebus candidis, & in ipſa aqua concreta, ſeu gelu; nam candor, vt vidimus, eſt ignis, ſeu lucis proprius color; hinc eſt quod albedo, ad lucis inſtar, oculorum hebetat lumen. Quapropter ſi ex globo lunari quis inſpiceret terram, gl[a]ciale mare, vel congelata flumina, & lacus, necnon iuga montium niue conſperſa fulgentiſſima, præ aliis terræ illuminatę partibus cerneret: quod ſanè ſapienter Doctiſſimus docet Athanaſ. Kircherus *loco citato pagin.45. Lumina illa relucentia, quibus partes terræ tam boreales quam auſtrales collucere vides, nihil aliud ſunt, quam Maria glacie cõtricta, montiumque iuga perpetuò niue candentia, quæ cum lucis Solaris capaciſſima ſint, quia & ipſa lucem quandam ex ſe ſpargant; hinc fit, vt receptis Solaribus radijs, vehemẽti intenſione lucem adaugeant*. Pulchrè autem hoc ex ſacris literis haurire poſſumus. Nam cum Redemptor noſter luminoſam corporum Beatorũ gloriam oſtẽdere vellet, faciem Sole quidẽ oſtendit amictam, veſtimenta verò, vt faciei lumen receptum fulgentiſſimum reflecterent, niuis candore decorauit; *Matth. c. 17. v.2. Reſplenduit facies eius ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*. Hoc autem ideo fecit vt corporalem Beatorum ſplendorem candore niueo demõſtraret: nam vbi nos legimus, ſicut nix, græcus textus habet, ὡς τὸ φῶς, ideſt, *ſicut lux*: quaſi idem ſint niueus candor, & lux: & addit Caietanus *ap. Sebaſtian. Barrad. to.2. in Evang. lib.10. c.28. pag.*772 *col.2. lit. B. Vt ſplendorem nõ ſpiritalem, ſed corporeum intelligeremus; candor veſtimentorum exurgens teſtatur*. Abyſſus igitur luminis & ſplendoris capax eſt, non ſicut terra, ſed aliquantulo minus; nix vero, ſeu gelata cryſtallus magis quam terrea corpora fulget.

§. III.


Quomodo iſta duo Elementa Terra, & Aqua ad inuicem connectantur.

1 CVm Dominus terram creans ipſam abyſſo, aqua videlicet, velut amictu veſtierit; quæ aquarum collocatio nequaquam hominum, & animalium, vitæ, & generationi ſeruiebat, voluit Deus quod ex aqua, & terra ita vnus fieret globus, vt ex vtraque aliquid appareret, aliquid lateret; hinc oritur difficultas, quomodo iſta duo elementa ad inuicem connectãtur, vt tamen vtraq; in ſuo naturali ſitu collocata quieſceret. Putant nonnulli, aliam rationem reddi nõ poſſe, niſi Dei voluntatem ita determinantis; qui ſuæ voluntatis imperio ita fluctus temperat aquarum, Oceani præſertim, vt terram nõ obruant; & hoc conantur oſtẽdere ex varijs ſacræ ſcripturæ authoritatibus: primò ex præſenti Pſalmo 103. nam dicitur verſ 9. *Terminum poſuiſti*, ideſt aquis, *quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram* 2. ex Iob. *cap.38. verſ.8. Quis concluſit oſtiis mare &c.* verſ.11. *Et dixi vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Vbi Deus proprio loquens nomine videtur aſſerere, aquarum coarctationem a ſua tantummodo voluntate pendere 3. ex Pſal.88. verſ.10. *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas* 4. ex ſapientiſſimo Principum Salomone, qui ex Dei Sapientiæ nomine mortales omnes alloquens, inquit. *Prouerb. cap 8. verſ.29. Quando certa lege & gyro vallabat Abyſſos; quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: cum eo eram cuncta componens*. Ex qua ſententia clarè colligitur, aquas tam cæleſtes, quam terrenas Dei nutu contineri, ne terram, cælumve obruant. Quod Doctiſſimus Mattheus Doring. apud gloſſam *in Geneſ. pag.33. col.2. lit. D.* docet. *Congregationis igitur aquarum, vt appareret arida, principalis cauſa eſt diuina voluntas, quæ terminũ poſuit aquis ne tranſirent fines ſuos* 5. ex Pſalmo 32. *verſ.7. Congregans ſicut in vtre aquas maris*: Verum hanc ſcripturam melius, & rationi conformius interpretatur Beatus, iſque Magnus Albertus: Etenim ſecundum D. Auguſt. ita ſcripturarum veritas eſt aperienda, vt tamen, vbi poſſumus, ab aperta Phyloſophiæ doctrina non diſcedamus: cum igitur optimè ſaluare poſſimus ſtatum naturalem aquarum, nõ eſt cur ad miraculum, pro earum continua, in ſtatu innaturali conſeruatione, recurramus. Inquit autẽ *in Pſ. 32. to.7. pag.217.*

Digitized by Google

pag.217.col.1.*Congregans ſicut in vtre aquas maris: ſed nonne facta eſt aqua iniuria, & violentia? quia cum naturaliter deberet eſſe ſupra terram incluſa eſt, & coarctata in viſceribus terræ, & prohibetur a ſui diffuſione in loco ſuo debito? Reſpondetur, non, &c.* Concludendum eſt igitur, aquas Dei nutu in vnum coaluiſſe locum, ſed non violenter.

2 Quam poſitionem vt vitaret Paulus Burgenſis, poſita regula D. Auguſtini ſupra inſinuata (quam videre eſt apud ipſum) eaquæ præmiſſa, commentum pulcherrimum, ſed inane, adinuenit. Putat namque Aquam cùm in principio mundi totam circumdaret terram, eidem, & centro mundi concentricam fuiſſe; poſtea vero cum Deus ad viuentium, hominum præcipuè, vitam, & habitationem arida opus haberet; quando dixit: *Geneſ.cap.1.verſ.3. Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, & appareat arida*, tunc duo centra ordinaſſe vnum terræ, idem cum centro Vniuerſi; alterum proprium aquarum: ſic mirum non eſt aquas ad Mare tendere, & mare terras non obruere, cum aquæ circa proprium centrum quieſcant; & ſic naturaliter, & non violenter per miraculum, aliquã terræ portionem aridam relinquunt, eam ſcilicet quæ extra ſuum centrum reperitur. Ad cuius mathematicam demonſtrationem addit præſentem figuram in qua A. eſt centrum terræ. B. verò centrum aquæ.



Cum ergo omnes aquæ tendant ad centrum ſuum proprium euidenter ſequitur, magnam terræ portionem ab aquis liberatam relinquant: & inſuper hæc ratio eſt quare omnes fluminum, fontiumq; fluctus ad Mare ſe recipiant. Quod ſi obijceret quis, videri inconueniens elementa nõ habere idem centrum, ſcilicet centrũ Vniuerſi: Reſpondet ille; hoc a ratione minimè eſſe alienum, cum multi Planetarum orbes diuerſum centrum habeant a centro Vniuerſi ſecundum Aſtronomos, qui propterea ab illis eccentrici nuncupantur. Hæc expoſitio Burgenſi. *ap. Gloſſ.in Geneſ. pag.31.col.3.lit.E.* his verbis tandem concluſa. *Sapientia diuina (quæ diſponit omnia ſuauiter) ſic diſpoſuit, vt elementum aquæ ſecundum ſuam rotunditatem naturalem haberet centrum ſeparatum a centro terræ, & vniuerſi, ſicut ſecundum Aſtronomos, qui motus ſyderũ diligenter inueſtigarunt, centrum quorumdam orbium Planetarum eſt ſeparatum a centro vniuerſi; vnde apud eos tales orbes dicuntur eccentrici.* Pulchrum ſane commentum, ſi vel experientiæ conſonum eſſet, vel nulla alia poſitio ſtatum naturalem aquarum euincere poſſet. Enim vero huic poſitioni obſtat in primis experientia: nam Mare non claudit terrarum orbẽ ex vna tantum parte, vt deberet poſito diuerſo centro, ſicuti apparet in ſuamet figura; nam tota Terra ſupram centum A. nonniſi flumina admittere deberet, religato mari, videmus tamen terram vndique per varia maria diſſitã, & per totum orbem vagati maria: caſpiũ præcipuè, qui vndiq, a terra interceptum eſt; nec non mediterraneum, quod per paruum fretum Oceano ſociatur. Quod autem ſine hoc cẽtro ſeparato, ſitus naturalis aquarum ſaluari poſſit, inferius demonſtrandum eſt.

3 Vero ergo ſimilior, & rationi magis conſentanea, ſententia eſt. Vnum & Idem centrum Aquæ, & Terræ eſſe; quę ab initio aquis veluti veſte amicta comparuit; vt hic dicitur; *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius*: vbi Incognitus. *De Mari Oceano ſub nomine Abyſſi dicit, quod Abyſſus eſt amictus eius, ſcilicet Terræ: & hoc ſicut veſtimentum, quia ex omni parte operit terram.* Quando vero Deus dixit: *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt.* Tunc excauata terra eſt, & concauitates in ea relictæ ſunt, ex montium erectione, itavt tot, tantæque voragines, & caueæ relictæ ſint in terra, quantæ ad totam aquam capiendam ſufficerent: cum igitur aquæ ad centrum tendant, in voraginem illam ſe receperunt, ad centrum vſque deſcenſuræ, ni terræ denſitas obſtaret. Terra igitur, & aqua vnum globum faciunt (idque perfectè ſphæricum eſſet niſi montes aſcenderent) eo prorſu modo, quem pila aliqua ex diuerſis coloribus, vel metallis confiсta, oſtendit: tantum enim terræ in montium eleuatione collocatum eſt, quantum aquæ includi in terræ concauitatibus debebat. Hæc poſitio multorum, nec infimæ authoritatis Theologorum eſt, & præcipuè Venerabilis Bedæ, qui *in Hexam. tom.4.pag.6.col.2.* inquit; *Si quis vero quæſierit, Vbi congregatæ ſint aquæ, quæ omnes terræ partes ad cælum vſque cooperuerant; ſciat fieri potuiſſe, vt terra ipſa longe lateq; iuſſu creatoris ſubſidens alias partes præberet concauas, quibus confluentes aquæ reciperentur, vt appareret arida ex his partibus, vnde humor abſcederet.* Cui ſententiæ haud imperitus mathematicus Blancanus ſubſcribit *in Sphær. lib.5.c.1.pag.48. Nonnulli magnæ authoritatis Theologi, terram initio mundi a Deo omnino rotundam, ſine vllis concauitatibus, aut eminentiis factam, ac proinde totam aquis circumfuſam fuiſſe exiſtimant. Cum vero Deus dixit; Congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida, ob animantium ſcilicet terreſtrium vitam, tunc diuino iuſſu cauitates latè patentes in terra factas eſſe, in quas omnem aquarum vim ſua naturali propenſione, qua ad decliuiora loca deſcendunt, tanquam in ſuas congregationes conceſſiſſe; ſicque varia maria in diuerſis terræ partibus exorta eſſe, porro ex partibus illis terræ inde extractis, montes eſſe conſtructos, veriſimile eſſe pariter opinantur. Quod inde colligunt quia quanta eſt montium altitudo, tanta eſt etiam maris profunditas; vt de mari Nautæ; de montibus verò Geometræ obſeruarunt.* Hucuſque Blancanus. Cui hac in re magis credendum eſt, cùm Theologus, & mathematicus ſit. Ita igitur ad inuicem connectuntur Aqua & Terra, vt vno inſidentes centro, quantum exurgit in montibus terra, in relictis cancauitatibus deſcendat aqua; & vtraque in ſuo ſtatu naturali quieſcat.

4 Sed enim ſcrupulũ adhuc exuperandũ remanet. Iſti Trutinatores elemẽtorum (vt Ambroſiano vtar verbo) contendunt, inter elementa proportionẽ eſſe, ita vt elementũ leuius, & ſuperius in decuplo inferius excedat: ſic faciũt aquã decuplo maiorẽ terra, aerẽ aqua, & ipſo aere ignem: Quomodo ergo fieri potuit, vt in minima parte terræ reciperetur aqua, quæ terrã decuplo maior erat? Et licet hanc proportionem, tanquam fictitiã, & arbitrariam reijcere poſſem; tamen ne a propoſito digrediamur, ipſa, vt hypotheſi, ſuppoſita, dubio ſatisfaciendum eſt. Prima opinio igitur eſt Venerabilis Bedę (qui eam a B. Auguſt. mutuauit) loc. ſup.cit. quẽ ſequitur Nicol. de Lyra in c.1.Geneſ. Aquam in principio mundi non fuiſſe denſam, vt nunc eſt, ſed rariſſimã, ita vt ad datã proportionem ſuperaret terrã, & circundaret eam: cũ vero Deus dixit: *Congregentur aquæ*, tunc denſatas fuiſſe, vt eas terræ voragines capere poſſent: audiamus ipſum. *Aqua prius producta in forma ſubſtantiali, accepit tunc a Deo debitam denſitatem, & ſic occupauit minorem locum aeris ſpatium dimittendo: & per hoc quod diuina virtute facta ſunt concauitates in terra, vbi recepta eſt pars aquarum, & ſic apparuit pars terræ diſcooperi a aquis ad habitationẽ hominũ.* 2. Bened. Pererius putat tãtũ aquę a Deo creatũ, quãtũ in terrę vacuo cõgregari poſſet,

Digitized by Google

poſſet, quæ totam circundando terram, ſupra ipſam parum eleuabatur. *Veriſimile enim eſt*, inquit, *tantum aquæ creaſſe, quantum poſtea in terræ receptaculis commodè poſſet contineri. Benedic. Perer. to.1 in Geneſ. lib.1.pag. 78. lit.C.* Verum hæc opinio ſupplenda eſt, vt & veritatem habeat, & proportio ſeruetur. Dicendum eſt igitur in ſui primæua creatione Aquam in decuplo quantitate, & altitudine ſeu profunditate ſuperaſſe terram; ſed cum extenſio, ideſt Cælum, inter aquas facta eſt, maior portio aquarum ſupra cælorum extenſionem collocatam fuiſſe (nam & ibi veram aquam fuiſſe poſitam, & modo ineſſe, ſupra probauimus) infra cælum verò tantam Deum reliquiſſe, quanta concauitatibus terræ adimplendis ſufficiebat. Sic ſeruata elementorum proportione, & naturali aquarum ſitu, omnia phyloſophicè ſaluantur.

§. IV.

Quomodo intelligantur aquæ ſtare ſupra montes.

1 S*Vper montes ſtabunt Aquæ &c.* Aquas montibus impoſitas hoc verſu docet Propheta; quia vero ad literam ſic modo non ſe habent, varias expoſitorum ſententias adducam, quæ omnes literaliter ſenſum verſus exponunt (relictis myſticis, de quibus infra.) Prima igitur ſententia eſt aſſerentium, hoc intelligi in principio mundi tunc enim, vt legit D.Hieronymus, *ſuper montes ſteterunt aquæ*: ideſt cum totam tegerent terram, loca illa operiebant in quibus montes poſtmodum ſurrexerunt. Ita cenſet Gilbertus Genebrard. in Pſal.103. *Abyſſus Pelagus, profundiſſimum mare: Abyſſo texiſti eam terram (nam obruebatur terra mari in prima rerum origine) ſuper montes ſtabant illæ aquæ; operiebant enim montes cum tota terra, ita vt nulli eſſent, vel ſaltim nulli apparerent montes, nullæ valles* Quæ expoſitio congruit literæ, nam optimè legi poteſt, *ſteterunt*, vt ſupra vidimus; præſertim cum hic Pſalmus ſit Hexæmeronis epilogus, vt ſupra viſum, & probatum eſt: cum autem modo ſupra montes aquæ non exiſtant, de illis in initio creationis intelligendum videtur.

2 Huic altera ſuccedit opinio haud improbabilis; hoc intelligi tempore diluuij; nam tempore primæuæ creationis nulli erant montes, ſuper quos ſtarent aquæ, cum ſupponatur tunc Terra perfectè ſphætica; ſed bene de aquis diluuij ſcribitur quod ſupra montes ita ſteterunt, vt quindecim cubitis celſiſſimum ſuperarent, Tunc igitur, cum *Abyſſus* ideſt oceanus totam *terram* operiret, *ſuper montes ſtabant aquæ*. Hoc docet D. Auguſtinus *in Pſal 103. Terræ enim quaſi veſtimentum eſt aqua circumdans eam, & contegens: ſed aliquando in Diluuio ita creuit iſta veſtis terræ, vt omnia omnino cooperiret, & tranſcenderet altiſſimos montes, ſicut ſcriptura teſtatur, cubitis fere quindecim.* Et hæc expoſitio literæ etiam conſonat, nam habemus Aquam tegentem terram, ac ſtantem ſupra celſiſſimos montes.

3 Huic addere tertium dicendi modum poſſumus eminentiſſimi Hugonis, videlicet; hoc intelligi in præſenti, non in præterito, modo enim ſtant ſæpiſſimè ſupra montes aquæ; & hoc ligatæ in nubibus; nubes enim aqua plenæ montes ſuperant, & ſupra eos manent, (vno vel altero excepto) cum igitur aquiferæ nubes ſtant ſupra montes, poteſt dici ſupra eos eſſe etiam aquas, quas continent. *Super montes ſtabunt aquæ; Hoc ad literam verum eſt; nubes enim incumbunt montibus. Hugo Caren. Cardin. in Pſal.* 103. Quæ expoſitio literalis etiam eſt; ſed fortaſsè non ad ſenſum Prophetæ, non tamen reijcienda videtur.

4 Quarta expoſitio eſt Salomonis diſertiſſimi Iudęorum Rabbini; qui putat aquas dici eſſe ſupra montes cõparatiuè, eo quod oceanum mare ſit altius terris: hoc fundatur in communi hucuſque opinione inter veteres Philoſophos, mare terris altius eſſe, vnde appellatur Altum, quia eſt altius terris: ita refert Incognitus *in Pſal. 103. Super montes ſtabunt aquæ; quod ſic interpretatur Rabbi Salomon, quòd aquæ maris Oceani ſunt altiores omnibus montibus terræ.* Verum hęc opinio falſa eſt, quia falſo nititur fundamento; montes enim, quia ſolidi, ſupra terram non cedentem poſiti, quieſcunt, ſed aquæ fluidæ non poſſunt quieſcere niſi a centro æquidiſtent, quia, vtpotè fluidæ, hinc inde dilabuntur: huc accedit experientia, ex qua moderni mathematici apertiſſimè demonſtrant aquam terra, nedum montibus, decliuiorem eſſe: vnde Propheta, diuino afflatus lumine, non dixit, cum poetis noſtris, aſcendere in altum, ſed deſcendere in mare: *Pſal.106.ver.3. Qui deſcendunt mare in nauibus.* Quapropter vero ſimiliorem ſententiam eorum eſſe, qui explicantes illud Pſalmi 23. *ver. 3. Qui fundaſti terram ſuper aquas*; intelligunt eam eſſe fundatam eminentiorem Aquis, ex hæbraica conſtructione confirmationem accipiens; docet Benedictus Pererius *to.1. lib.1. in Geneſ. pag.36. lit.B Verumtamen ſimilior vero eſt eorum ſententia, qui terram ſuper aquam eſſe factam interpretantur, terram eſſe factam ſuperiorem, celſiorem, & eminentiorem aquis. Cum enim lingua hebræa careat comparatiuis, vtuntur particula ſuper; ſic Dauid: Super mel ori meo &c. Et ſuper aurum & lapidem pretioſum multum.* Ex his omnibus expoſitionibus, lector humaniſſime, quam tibi libet, ſelige. Ego autem, & ſi omnes, (præcipuè tres primas) literæ correſpondere affirmem, tamen primam tanquam literæ magis correſpondentem amplector: vt in prima rerum creatione, quando tota aquarum abyſſus, velut amictus operiebat, tegebatque terram, tunc ſtarent ſupra montium loca aquæ: quæ poſtea Dei nutu ad terræ hiatus ſe colligentes, montibus prouinciam reliquerunt.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

LIcet Abyſſi nomine aqueum elementum expreſſum hucuſquę explicuerimus: rationi tamen haud diſſonum eſt, ſi pro terra animam accipimus, hanc multiplici abyſſo tectam oſtendere; ne ſupra montes, ideſt excelſas intellectiones, ſuperbiæ turrim, ſed humilitatis aquam ſuper imponendo, ad inſtar orbis terrarum in bono humilitatis, aquea veſte induta in bona voluntate firmetur. Dumque Diuinæ ſapientiæ, nec non diuinorum iudiciorum imperſcrutabili abyſſo ſe circumdatam videt, deſinat perſcrutari, quod capi impoſſibile eſt. His addere licebit moralibus ſenſibus etiam myſticum (vt ſequentem expoſitionem ſoli Virgini reſeruemus,) vt ſi eccleſia terra eſt, hanc Abyſſo D.Thomæ doctrinæ veſtitam, ac ſeruatam intueamur.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Dei Sapientia creato intellectui inueſtigabilis eſt.*
2 *Diuina Iudicia, ceu abyſſus, incomprehenſibilia ſunt.*
3 *Iuſtus veſte tribulationis tectus, fouetur, & creſcit.*
4 *D.Thomas Abyſſus Eccleſiam Catholicam tegens.*
5 *Sapientia ſtat ſupra mentem a mundo, & peccato eleuatam.*
6 *Inſipientes ſuper ſuperbiæ montes eleuantur.*
7 *Deliciæ, & voluptates in potentibus præualent.*

§. I.

Dei Sapientia creato intellectui inueſtigabilis eſt.

1 A*Byſſus ſicut veſtimentum amictus eius, &c.* Cum Abyſſus rem luce priuatam deſignet, ſi ad moralem intellectum eius ſignificatio reuocetur, nequaquam abs re videtur, res nobis incognoſcibiles Abyſſi nomine commonſtrari. Nihil namque pro ſtatu iſto ſine phantaſmatibus cognoſci poteſt; ex quo ſequitur ea omnia, quæ ſub ſenſu cadere nequeunt, nobis pro ſtatu iſto imperceptibilia eſſe. Quid autem remotius a ſenſibus, quàm Diuina Sapientia reperitur? Hæc mortalitatem ſuperat, quia impaſſibilis; tempore illudit, quia æterna; cognitionem deridet, quia phantaſmatibus caret; ſpecie decipit, quia ſimile non habet; Studium euincit, quia immenſa. Sicuti ergo in mundi exordio terra inuiſibilis erat, quia abyſſo circundata videri non poterat; ita prorſus Deus a nobis, prout eſt, nobis eſt incognoſcibilis, quia abyſſo inueſtigabilis Sapientiæ vndique tegitur, & velatur: Hoc docet D.Hieronymus in Pſalm.103. inquiens. *Quamquam ſecundum hebraicam veritatem referatur ad terras, quæ ambiantur Oceano, tamen ſecundum ſeptuaginta Tranſlatores, de Deo quod dictum eſt ſentire compellimur, eo quòd inueſtigabilis ſit eius Sapientia.*

2 Omnia quæ in mundo ſunt, cum Diuinam Sapientiam effectricem confiteantur, vtique ex effectibus cauſam cognoſcere poſſemus, ſi ipſos cognoſceremus effectus; verum eo noſtra nos tegit caligo, vt ea ipſa, quæ oculis videmus, ſenſu percipimus, experientia docemur, mente minimè comprehendamus. Quid nobis Cælo clarius, quid manifeſtius? ipſo ſuo lumine ſe videndum exhibet; & tamen cum tot ſæculi a ſapientiſſimis viris ſit exploratum, tunc minimè percipitur, quando maximè contemplatur. Veteres Aſtronomi, illud tot in ſphęras cum ſecaſſent, & clariora ſydera in Imagines quadraginta octo diſtinxiſſent, magnum ſe aliquid ſcire putabant; Hæc autem omnia noſtro ſæculo viluerunt, nouis, innumeriſque patentibus ſtellis, hactenus inuiſis, & orbium diſtinctionibus ad examen reuocatis; ita quod illud concludendum eſt, quanto magis de cęlo cognoſcimus, tanto minus de eo ſcire. Porrò quid cęlum ad ſapientiam Dei, cuius vnum, nec præcipuum ex mirandis eius operibus ſit? Sane; cum celſior, & mirabilior cælo ſit, de ea idem fateri debemus. Hoc fatebatur, qui canebat. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & non potero ad eam, Pſalm.*138. *ver.* 10. iuxta Magni Gregorij ſententiam. *Excelſior igitur Cælo ſit, cum ipſa in eum noſtra contemplatio deficit. Vnde, & Pſalmiſta cor in altum poſuerat; ſed nedum eum ſe contigiſſe ſentiebat, dicens: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & non potero ad eam. D. Gregor. Magn. lib.*10. *cap.*7. *moral. tomo ſecundo, pag.* 549. *lit. E.* De Dei ergo Sapientia dicere poſſumus nihil nos aliud de ea ſcire, quam neſcire.

3 Soli Sapientia Dei ſimilis eſt: quandoquidem ſicut omnia Sol illuminat corporalia, ita prorſus ſapientia ſpiritualia: & ſicut Sol generabilium, & corruptibilium generalis eſt cauſa, pariformiter ſapientia æterna rerum omnium eſt primum principium. Eſt porrò inter ſolem, & ſapientiam etiam in illuminando nõ aſpernanda proportio: quis neſciat omnia ſolē illuminare, ita vt nonniſi ipſius lumine hauſto videri viſibilia nequeant? etenim oculos ad videndum eleuat, in cognoſcendo roborat, in iudicando fauet: nihilominus tamen ipſe ſol lucis fons, & illuminationis origo intueri non poteſt; nam ſi quis in eum oculos admouet, tanto obſcurius ſibi redditur quanto magis intuetur, quia lumine intenſiſſimo vim oculorum offuſcat. Haud ſecus Dei Sapientia, cum ſit ineffabile lumen omnem creatam mentem illuminans, & ad ſpiritualia, & cæleſtia ſpeculanda ſubleuans, ſi tamen mens aliqua temeraria ipſius arcana penetrare præſumpſerit, ita in eius contemplatione caligat, vt quanto plus meditatur minus comprehendat. Sanè hoc indicabat Pſaltes cum canebat: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus: Pſalm.*63. *ver.*8. Ad quod etiam reſpexiſſe videtur Cretenſis Elias, *ap. Princip. Biſinian. in Pſalm.*103. docens. *Porrò Deus cum intellectuale lumen ſit, omnem quidem ſupercæleſtem, et humanam mentem illuminat; verum ipſius rurſus celeritatem ſublimitate effugit; tantum ſemper recedens quantum comprehenditur.* Hæc ſunt in cauſa cur tot hæretici a vera aberrauerint fide, quia cum curioſius Diuinæ ſapientiæ arcana ſcrutarentur, a tanto lumine, imparibus viribus attentato, confuſi, cecutientes a via veritatis miſerabiliter errauerunt.

4 Verum eſſe fateor, quod Apoſtolus docet per viſibilia mundi inuiſibilia Dei cognoſci; neque aliunde innoteſcere Diuinæ Sapientiæ Solem, quam in rerū creatarum mera productione, & ineffabili diſpoſitione, ſed hæc ita incomprehenſibilia ſunt, vt mirari iam deſinam, cur veteres ante Chriſtum Philoſophi de Deo, eiuſque ſapientia tam ridiculas protulerint ſententias; nam Abyſſus iſta comprehendi minimè poteſt. Quòd ſi de Peripatheticorū Duce narratur, ſe, dum Oceani motus, cæteraſque paſſiones comprehendere non poſſet, in ipſum præcipitem dediſſe, illo iam vulgato vſum axiomate: *Abyſſe tu me cape, quia te ipſe non capio.* Quanto minus credendum eſt de ſapientia diſponente intellexiſſe, qui (ſapientiſſimus cum haberetur) in vna eius diſpoſitione ſic confundebatur? Profectò nihil de cauſa *diſertè*, & fundamentaliter loqui poterat, qui *penitus ignorabat* effectum. Hinc Peripatheticorum delitia, de neceſſitate Dei ad operandum, de mundi æternitate, de perpetuitate motus, & ſimilia ortum duxere: Abyſſus ergo iſta ſine luce diuinitus communicata penetrari nequit; quod ſi aliquid Plato de Deo non indignum dixit, hoc hauſit a Mercurio trimegiſto, qui ab atauo ſuo Sem diuinitus reuelatam doctrinam vulgauerat, nec pauca ab ipſo Moyſe mutuatus eſt Plato; qui merito Diuinus eſt appellatus, quia diuinam, ſed non ſuam, doctrinam docebat. Deſinant igitur ſcrutari Diuinæ ſapiētiæ opera, qui cæleſti reuelatione carent: quæ vſque ad tertium cælum raptus Paulus, cum aliqualiter inſpexiſſet, effari nequibat; verum admirabundus exclamabat; *O altitudo diuitiarum Sapientiæ, et Scientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, et inueſtigabiles viæ eius. Ad Rom.cap.*11.*ver.*33. Quaſi diceret: Abyſſus ita profunda Deus eſt, vt Sapientia eius, quæ in æterna generatione, & ſpiritualium productione inueſtigabilis ſit, & omnino occulta; iudicia eius, ideſt æterna eius prouidentia regens omnia potenter, ſuauiterque diſponens, arcana ſunt, & abſcondita: ſcientia autem, ideſt rerum corporalium creatio, & viæ eius, ideſt creaturarum coordinationes incomprehenſibiles videantur. Hunc ſenſum verbis Pauli Intetlinearis Gloſſa tribuere videtur. *O altitudo diuitiarum! Et quare ſic? ne putes comprehendi poſſe, quia alta ſunt, et profunda; ſapientiæ de rebus ſpiritualibus, ſcientiæ de mundanis: ſicut ſapientia, et ſcientia eius ſunt incomprehenſibilia, ſic et iudicia pro quibus cæpit de Sapientia, et Scientia; quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, ideſt diſpoſitiones de omnibus rebus.* Alta Abyſſus eſt, quis attinget? profunda eſt, quis pertranſibit? nemo, niſi diuino afflatus lumine comprehendet.

5 Ma-

Digitized by Google

5 Maximus gentium Doctor Mundo Chriſtianam Fidem prædicaturus, fatetur ſe ſimplicibus verbis Chriſti humanitatem, hoc eſt ignominiam Crucis euulgaturum. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixũ. 1. Ad Corint. cap. 1. ver.23.* Sed dic ſodes ſanctiſſime, nonne melius fuiſſet, Chriſti Diuinitatem patefacere, vt ſcirent homines ipſum eſſe æternam ſapientiam cuncta diſponentem, & gubernantem, & ſic promptius ſequerentur eius doctrinam, illud inter veteres Philoſophos celebre axioma exequendo, *ſequere Deum?* Nequaquam, inquit, omnibus Dei ſapientia aperienda eſt, ſed ſpiritualibus, & perfectis tantummodo; *Sapientiam loquimur inter perfectos; Ibid. cap.2.ver.6.* ne videlicet a carnalibus, & mundana ſapientia elatis mentibus, ſapientia Dei, quæ incomprehenſibilis eſt, & niſi fide non capitur, derideretur. Et hoc in ſatis aperto exemplo commonſtrare poſſumus. Dum ſol orbem illuminans diem efficit, ad ſpeculandum tanti luminis iubar animantia oculis valentia, vt Aquilæ, & lynces admittuntur; quòd ſi Noctua, ſeu Veſpertilio, aut huiuſmodi aues nocturnæ ſolem vellent intueri, & diſcurſus capaces eſſent, illum blaſphemarent, tanquam ſuis oculis noxium; quibus nonniſi ſyderum lumen in nocte lucet. Ita prorſus dicebat Propheta: *Dies Diei eructat Verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Pſalm 18. ver.2.* In illo æternitatis Die, in cæleſti ſcilicet patria, vbi ſol immortalis ſuam gloriam aperit, ſuum eſse patefacit, Dies, ideſt viſio beata, eructat Verbum, ideſt Dei ſapientiam, Diei, ideſt menti glorificatæ; ſed in nocte huius ſæculi ſolum aliquam notitiam, ſeu ſcientiam humanitatis eius capere poſsumus: vel etiam ſi aliquis ſit homo in fide perfectus, & in corde puro, qui ſapientiam Dei, non ſubtili veſtigatione ſcrutari, ſed corde diligere nouerit, huic tanquam diei, prædicabant Apoſtoli Dei Sapientiam. Huic meæ aſſertioni fauet Incognitus *in Pſalt. in verſic. 255. pag.98.col.1.lit.D. Per diem accipe Chriſti diuinitatem; ſed per noctem carnis eius mortalitatem. Illis ergo, qui erant ſpirituales, & illuminati, vt dies Apoſtoli prædicabant Chriſti Diuinitatem; ſed carnalibus, & infirmis prædicabant noctem, ideſt Chriſti paſſionem, & mortalitatem: per hoc inſinuans quòd non omnia omnibus debent prædicari, ſed perfectis perfecta, infirmis autem humiliora.* Quid ergo imperfecti, & vana huius ſæculi ſcientia tumidi, facerent, in audiendo Diuinæ ſapientiæ arcana, quæ inueſtigabilia ſunt, niſi quod non caperent, vituperare? Merito igitur margaritas ante porcos exponere prohibemur.

6 Non diſſimilis argumenti eſt illa Patientiſſimi interrogatio: *Vnde ergo Sapientia venit, & quis eſt locus intelligentiæ? Iob. cap.28. ver. 12.* Etenim cum ſapientia Verbum ſit Dei, ac æterni Patris vnigenitus Filius, dum in mundum veniret inde diſceſſit, vbi erat, ideſt a Gloria Dei Patris ſui; ſed enim ſi *Deum nemo vidit vnquam* trabea carnis indutus, quis ſapiẽtiam vnde venerit clarè perſpexit? Et inſuper, cum locus intelligentiæ, videlicet, Dei per gratiam inhabitãtis, ſit humanus animus, qui omnino ſpiritualis eſt, & dum per Dei gratiam cæleſti repletur ſapientia, ſummamque de Dei arcanis intelligentiam aſſequitur, difficile a nobis, qui ſenſuales tantummodo ſpecies nouimus, cognoſci poſſit; rectè ignorare ſe fatetur Iob ſapientiæ aduentum, & Intelligentiæ locum: D Greg. Magn. *lib 18. c.28. moral. to.2. pag.732. lit.B.* atteſtante. *Penſandum magnopere eſt quod a Sancto viro requiritur: Vnde ſapientia veniat? Ab eo etenim venit, a quo orta eſt. Sed quia ab inuiſibili, & coæterno Patre naſcitur, eius via occulta eſt. Locus vero intelligẽtiæ eſt mens humana, quam hæc ſapientia, dum repleuerit, ſanctam facit. Quia ergo, & inuiſibilis eſt de quo prodijt, & incertum nobis eſt, in cuius mente intellecta requieſcat, rectè dicitur: Vnde ergo ſapientia venit, & quis eſt locus intelligentiæ.* Nemo ergo Diuinæ Sapientiæ archana curioſius, nec temerè ſcrutetur, nam Abyſſus inueſtigabilis eſt: qui abſorbere temerarios nouit, illuſtrare fideles.

§. II.

Diuina Iudicia, ceu Abyſſus, incomprehenſibilia ſunt.

1 A*Byſſus ſicut veſtimentum amictus eius.* Neque ſola Dei ſapientia incomprehenſibilis eſt, verum etiam Iudicia eius. Quæ iure merito abyſſo comparantur: ſicut enim abyſſus terrã circundans, & tegens ipſam inuiſibilem prorſus reddebat; ita pariformiter inſcrutabilium Iudiciorum Dei abyſſus Deum nobis incomprehenſibilem facit. Imò, quod maximopere mirabile eſt, non ſolum iſta iudicia abſolutè, ſeu circa alias incomprehenſibilia videntur, ſed qualia circa ſeipſum exerceãtur, ignorat vnuſquiſque ad eum vtiq; modum quo quis ſub immenſa aquarũ voragine deliteſcens, neq; quanta eum abyſſi profunditas premat veſtigare valet: quapropter dum mirabilia circa ſeipſum operãtur, ipſa eadem diuina iudicia, quæ lucent in ipſa ignorat homo; vnde optimè dicitur: *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius*: quia ita tegunt maieſtatem diuinam iudicia eius, vt quia inueſtigabilia ſunt, incomprehenſibilem faciant. *Per hoc*, ait Incognitus, *in Pſal.103. vult oſtendere Pſalmiſta myſticè, quod Abyſſus, ſcilicet diuinorum iudiciorum nobis occultus, Terram Eccleſiæ circumdat. Quæ diuina iudicia ſunt Abyſſus tantæ profunditatis, quod illa non ſolum ſuper alios, ſed etiam ſupra ſeipſum nullus mortalium cognoſcere poteſt.*

2 Hoc, ni fallor docere fideles ſuos ſatagebat Deus, dum ſæpe ſæpius Iſraelitico populo apparens, in nebula, & in caligine veniebat: quare exædificato Templo Hieroſolimitano, cùm illud dedicaret ſapientiſſimus Salomon, non aliunde Dei maieſtatis preſentiam ſuis reſpondentem votis collegit, quam ex nebula, quæ totum occupauerat Templum, eo quod Dominus ſe (in mundo terreno ſcilicet) inter nebulas habitantem exhiberet. *Tunc ait Salomon; Dominus dixit vt habitaret in nebula. 3. Reg. cap.8. ver.12.* Sed cur inter nebulas Deus? Ille inquam, qui Apoſtolo teſte, *lucem habitat inaceſſibilem*, qui exoriendus tanquam *Sol Iuſtitiæ*, prænunciatur, qui *erat lux vera in tenebris lucens a tenebris non comprehenſa, & omnem hominem illuminans*, qui mundi totius ſe prædicabat Iubar, *Ego ſum lux mundi*, cuius aliquando facies *reſplenduit ſicut Sol?* Decentius profecto in luce, quam in nebula tanta ſpectaretur maieſtas; quòd ſi incomprehenſibilis vellet videri, non minus lux nimia ſolem inſpectabilem facit, quam nebula; Attamen quia inter abyſſum multam, ideſt aquam profundam, & nebulam magna eſt cognatio, cum eadem ſit materia quæ rara eſt nebula, denſa eſt aqua; Deus oſtendit nobis ſe abyſſo diuinorum iudiciorum, imò & abyſſo multa tectum, veluti veſte, nobis incomprehenſibilem eſſe: vnde Pſalm. 35. *ver. 7. Iudicia tua, abyſſus multa*: quòd expendens aureus Præſulis Conſtantinopolitani calamus, ſcribit: *Nam cum ipſius iudicia nullo modo inueſtigari poſſint, comprehenſionem eorum nequaquam nanciſci licet. Qua etiam de cauſa non ſimpliciter Abyſſo, ſed abyſſo multæ comparantur. Eodem itaque modo Deum, cuius Iudicia Abyſſus multa, veſtimenti inſtar obtegit incomprenſibilitas, quæ quidem abyſſus nuncupatur: D. Ioan. Chriſoſt. in Pſal.35. tom.1. col.890. lit. A.* En quare inter nebulas Deus apparet, quia incomprehenſibilia eius iudicia, tanquam veſtimentum eum tegentia, eius cognitionem nobis impediant; nam quòd tegitur Abyſſo, ab humano intellectu capi nequaquam poterit.

3 Deus, quia videri ſicuti eſt a nobis non poteſt, ad ſimilitudinem rerum materialium, licet imperfectiſſimè, aliqualiter innoteſcit: tunc namque perfectè corpus cognoſcere credimus cum eius dimenſiones nobis notæ ſunt, videlicet longitudo, latitudo, ſublimitas, & profũditas. Habet metaphoricè Deus has accomodatitias dimen-

Digitized by Google

dimenſiones, eius longitudo tolerantia eſt, qua noſtram pœnitentiam longanimiter, & patienter expectat; latitudo vero immenſa eſt incomprehenſa charitas, qua nos totis viſceribus, ideſt infinitè diligit; altitudo, ſublimitas, ſeu celſitudo eſt eius perfectiſſima eſſentia, quæ omnem perfectionem includit, & omnium rerum, quarum continet bonitatem, ſuperat incomparabiliter excellentiam; profunditas tandem eſt iudiciorum eius profunditas, qua vel delicta punit, vel iudicat. Ex his omnibus amor, & miſericordia, ex effectibus aliquantulum cognoſcuntur; verumtamen eius eſſentiæ perfectio, & iudiciorum profunditas incomprehenſibilia omnino remanent, vſq; ad Dei in Patria reuelationem haud cognoſcenda: vnde Apoſtolus illuc hanc notitiam reponebat: *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum. Ad Epheſ. cap. 3. ver. 18.* Quæ vtique omnia comprehendi niſi in diuinæ eſſentię clara viſione non poſſunt; ſed vltima duo, neque cognoſci, vt fatetur D. Magnus Gregorius. *lib. 10. cap. 7. moral. to. 2. pag. 550. lit. B. Quæ ſcilicet quatuor nobis in hac vita poſitis ſingulis exercet; quia & latitudinem amando, & longitudinem tolerando, & celſitudinem, non ſolum noſtram intelligentiam, ſed etiam vota ſuperando, & profunditatem ſuam exhibet, occultos, & illicitos motus diſtincte iudicando: ſed eius celſitudo, & profunditas quam ſit inueſtigabilis nullus agnoſcit.* Temeritatis igitur, ſi non fatuitatis, coarguendus eſt, qui de diuinis iudicijs diſputationem attexens, ea penetrare præſumit: non eſt opus noctis tam occulta patefacere, diem æternitatis expectet.

4 Nec miraberis lector, ſi ſcrutatorem diuinorum iudiciorum fatuum dixerim; nam mente captum illum cenſes, qui figulo opera in luto exercenti, vaſorum ſuorum varietatem improbaret, quod ex eadem prorſus maſſa vas aliquod in honorem, aliud vero in contumeliam formet: etenim cum figulus Dominus ſit terræ, & inuentionum ſuarum, prout libet ex vna maſsæ portione vas mirificum profert, & ex altera comparte turpiſſimum, & deridendum, ſeu conſpurcãdum dolatur. Haud ſecus Deus; cum Dominus ſit omnium ex eadem humana maſſa Vaſa ſibi ad ſuæ voluntatis libitum, vel digna corona, vel punienda flammis producit. Hunc ſibi charum, & amicum, vtpote iuſtum, flagellis, tribulationibus agit, alium æque iuſtum, non ſolum recipit in ſua gaudia, ſed etiam adhuc mortalem proſperitate decorat: eadem de malis experientia eſt: alius in hac vita lætatur, cruciandus in alia; alius vero ex cacabo in prunas cadens poſt longas in præſenti ſæculo toleratas aduerſitates ad æternos cruciatus demittitur. Rector multoties eligitur qui Regnum ſaluet; haud raro qui Rempublicam deſtruat: De ſtercore hic ad principatum extollitur, ille in ſterquilinio ſedet Monarcha. Verum, (vt fatetur qui mirabiliter hæc iudicia expertus fuerat) *Iob. cap. 11. ver. 10. Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coacernauerit: quis contradicet ei? vel qui dicere poteſt cur ita facis?* Quod perfectè determinatum docet Gregorius *loc. cit. pag. 551 lit. B. Rectè itaque nunc dicitur: ſi ſubuerterit omnia, vel in vnum coacernauerit: quis contradicet ei? vel qui dicere poteſt, cur ita facis? Quia nimirum diuinum iudicium nec aduerſitate valet imminui, nec inquiſitione cognoſci.* Fatuum ergo ſe exhibet, qui iudicia diuina examinare contendit; deſinat igitur, quicumque eſt, fatuari: Deo ſe ſubijciat, cuius eſt opus; fide adhæreat illi cuius iudicia penetrare non audet. Quod vana ſapientia carnis attingere nequit, humilitas comprehendet.

5 Sed hanc doctrinam cum eodem Gregorio, clarioris ſcripturæ interpretatione firmemus. Exemplum adducamus, de quo ſapientiſſimus Princeps memorat. *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis; ſic neſcis opera Dei. Eccl. cap. 11. ver. 5.* In recondito mulieris vtero generatur fætus, & ita mollis materia dureſcit in oſſa, vt ſuperet mentis capacitatem; & vndique materni ventris occluſum corpuſculum parietibus vitæ ſpiraculum recipit, animatur, viuit; neque tam mirabilem animi, ſeu ſpiritus viam, qua ingreditur veſtigari poteſt: non ergo mirum, dum corporalia iudicia non percipimus, cur inuiſibilia non capiamus; ſi penetrare nequimus quomodo lutum in vas compingatur, neque comprehendere poterimus quare in hunc, vel illum deputetur vſum. Concludit citatus Gregorius. *Vnde benè etiam per Salomonem dicitur. Sicuti ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis, ſic neſcis opera Dei: vt enim vnum e multis loquar, duo ad hanc lucem paruuli veniunt, ſed vni datur vt ad redemptionem per baptiſmum redeat, alter ante ſubtrahitur quam hunc regenerationis vnda perfundat. Et ſæpe fidelium filius ſine fide rapitur, ſæpe infidelium conceſſo fides ſacramento renouatur. Occulta iſta ſunt iudicia; & quanta obſcuritate nequeunt concipi, tanta debent humilitate venerari.* Abyſſum timere debent; non inquirere; cauere non experiri; quandoquidem experientia miſerabili præcipitio propinquat.

6 Clauſus Abyſſus eſt, quia nequit comprehendi, & vt omnis humanæ voluntatis temeritas refrenetur, illius clauis minimè in terris reperitur; ſed in Cælis tantummodo ſeruatur; in cuius ſignum dicitur Apocalipſis 9. v. 1. *Vidi ſtellam cecidiſſe de Cælo, & data eſt ei clauis putei abyſſi*: & iterum c. 20. v. 1. *Et vidi Angelum deſcendentem de Cælo habentem clauem putei abyſſi.* Hoc autem ideo factum eſt, vt opinor, ne quærant homines in præſenti ſæculo declarationem diuinorum iudiciorum, cum ſolis ciuibus cæleſtis Ieruſalem Abyſſi claues concedantur; quare Abbaſ. Rupertus *de oper. ſpirit. ſan. c. 3. to. 1. pag. 705.* inquit. *Clauis Abyſſi eſt diuinorum profunditas iudiciorum.* Non ergo mortales ab abyſſi caligine obcæcati, quæratis diuini Abyſſi immenſitatem metiri; nam ad hoc illa aurea menſura requiritur, quæ a Deo Angelo data eſt; neque hæc profunditas reſeratur ſine claui illa, quam Chriſtus tenet, & Beatis communicat. Sed nobis ſat erit Deum ſequi, qui nobis per ſuam miſericordiam ad ineffabile lumen ſuum nos perducendo Abyſſum hanc reſerabit.

§. III.

Iuſtus veſte tribulationis tectus fouetur, & creſcit.

1 *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius.* Sed tandem aliquando a cæleſtibus ad terreſtria gradum retrahamus; & a veſte incomprehenſibili ſponſi immortalis, ad ſponſæ mirabile indumentum calamum transferamus: Abyſſus eſt amictus ſponſi, ſeu mauis Sapientiæ inueſtigabilis lumen, ſeu Iudiciorum incomprehenſibilium profunditas. Sed enim Eccleſia tanto ſociata marito, abyſſo non caret vt induta procedat ad Thalamum cæleſtem: Abyſſus namque tribulatio eſt, per quam Eccleſia, & eius filij, iuſti inquam, exagitati, & varie iactati in Dei amore ſtabiliuntur; ſicut enim veſtis tegit corpora, ne a frigore, calore, ſimilibuſque moleſtis diſſoluantur, ſic tribulatio iuſti animam, & Eccleſiam ſeruat ne a tentationibus, ac illecebris opprimatur: Idcirco ergo Eccleſia, & Anima iuſti, non ſolum tribulatione non deficit, ſed ſpiritualiter fouetur, creſcit, & roboratur, quia *Abyſſus quaſi veſtimentum amictus eius*: ideſt, vt magnus ſentit Albertus, *in Pſal. 103. Eccleſia abyſſo tribulationum circumdatur, & vallatur; ſed ſicut veſtimentum, quod fouet indutum. In his non deſtruitur, ſed magis fouetur, & calor charitatis in ea conſeruatur.*

2 Inter agricolas conſtat, longa iam experientia docente, fauonium ventum ſegetes, & placidis ſtillicidijs a ſe perductis irrigare, & benigno flatu fæcundare: quare quicumque hortus ſui deſiderat floreſcere plantas, aromata fluere, matureſcere fructus, procul expulſo aquilone omnia congelante, & intenſiſſimo frigore reſtringente, & exiccante plantas: nec non etiam longè actis calidis, & corrumpentibus flatibus Auſtri peſtiferi, Zefiri ſuauitatem exoptat; & a cælo feruidis votis expoſcit.

Contra

Digitized by Google

Contra tamen omnes agriculturæ regulas, ſponſa ſacra, vt eius fæcundetur hortus Aquilonem, Auſtrumque vocat. *Surge Aquilo, veni Auſter perſla hortum meum, & fluant aromata illius. Cantic.cap.4.verſ.16.* Deſipere mihi videtur, quæ Zephiri, ſeu Fauonij, ſuauitate neglecta, inſenſiſſimos vocat ventos, qui omnia vel exiccare, vel putrefacere nouerunt. Enim verò Hortus ſponſæ ſpiritualis eſt; Eccleſiæ namque plantæ fideles ſunt, qui vel Roſas martirij ſanguine purpureas, vel lilia virginitate candida, violas mortificatione pallentes, vel aromata ſanctitate redolentia, vel olea prædicatione fœcunda, producere debent; Vt autem hoc aſſequatur; non mundi proſperitas, ſed tribulatio requiritur; procul eſtote Zephiri, fauorabiles mundi plauſus, affluentes mundi deliciæ, abundantes diuitiæ, dignitates, honores; & venite Aquilones gelidi tribulationes, perſequutiones, iacturæ, vilipendia, neceſſitates, ægritudines; accedite flammigeri Auſtri, tentationes Carnis, inuidiæ diaboli, inſidiæ Mundi; perſlate Hortum animarum iuſtatum, neque enim in proſperitate, ſed in infirmitate perficitur virtus. Optimè Diuus Bernardus, *ſerm.38. in Cantic. col.1885. lit. D. Numquid non æmulatione quadam, tentationis Aquilo Auſtri ſe oppoſuit gratia? quaſi ſolus hortum perſlare conatur quodam rigore duri ſpiritus, aromata reſtringere volens, ne fluerent; ſed tanto latius fluxerunt: aduerſitatis, & proſperitatis alternis motibus nunc prouocata, nunc pacata Sponſa Chriſti Eccleſia, eius aromata virtutum proferre non deſtitit. In perſequutione virtus enituit, in pace auctus eſt numerus.* Sic Hortus vireſcit Eccleſiæ, tribulationibus concuſſus, ne longa pacis tranquillitate virtus langueſcat.

3 Sed ne videamur paradoxa proferre dū perſequutione iuſtum in virtute proficere, & ad Chriſtum propinquare, docemus: ſponſæ, de qua modo ſermonem fecimus; perpendamus curſum. Hæc deperdito ſponſo, intempeſta nocte ſurrexit, & citato curſu per plateas, vicoſq; ciuitatis dilectum ſuum quærebat; dum ſic curreret incidit in ciuitatis vigiles; *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Ciuitatem: Cantic.cap.5.ver.7* Qui cuſtodes eam cæciderunt flagellis, & plagis vulneratam abiecerunt; ***percuſſerunt me, vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum cuſtodes murorum.*** Cur autem cuſtodes iſti tam malè ſponſam receperunt, numquid cuſtodum officium eſt tranſeuntes lædere? nequaquam; ſed illi volebā ipſam properare ad ſponſum, nec in quærendo deficere, otio ſcilicet in via torpendo; nam & ſuperius ſponſa fatetur ſe cuſtodibus per tranſactis inueniſſe ſpōſum: *Paululum cum pertranſiſſem eos inueni quem diligit anima mea. Cantic. cap.3. verſ.4.* Hoc patere poteſt in ſimili. Apud Romanos antiquitus ludus vigebat (qui his temporibus apud hiſpanos adhuc permanet) ex ligno fiebat ad modum oualis pyramidis quoddam paruum inſtrumentum, ab effectu turbo appellatus, quòd tenui inuolutum corrigia in terram proiectum, veluti turbo, circulariter voluebatur; porro illud mirabile videbatur, quòd vt diù eius circuitus duraret corrigia illa turbo cōtinuo verberabatur, & dum verbera durabāt, circuitus permanebat, ſed ceſſante verbere, deſiſtebat a motu. Hoc Virgilius ita deſcribit *lib.7. Æneid.*

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo
Quem pueri magno ingyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur ſpatijs: ſtupet inſcia turba
Impubiſq; manus, mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ.

Sicut ergo Turbinem impellunt plagæ, vt celerius voluatur, ita ſponſam vigilum verbera, & plagæ ad ſponſum celerius quærendum vrgebant; D. Bernardo *ſerm.15. in Pſal. Qui hab.col.554.lit. E.* atteſtante. *Sed quid fecerunt Vigiles ſobrij, vigiles circumſpecti? non enim poterant ſibi ſuſcipere ſponſam, qui bene eam æmulabantur Dei æmulatione, qui deſponderant vni viro virginem caſtā exhibere Chriſto: Percuſſerunt me, & vulnerauerūt me ait. At quid ita? Ni fallor vrgebant, vt pertranſiret proinde inuentura Dilectum. Denique, etiam tulerunt pallium meum (inquit) haud dubium, quin vt curreret expedita.* Felix Sponſa, Beata Eccleſia, quæ tribulationibus agitur, ne otioſa ſedeat, ne ſegnis torpeſcat, ſed citato curſu ad æterni ſponſi nuptias perueniat coronanda.

4 Ad fidei firmitatem fideles exhortans Chriſtus Dominus noſter, inquit; *Si habueritis fidem tanquam granum ſinapis, dicetis huic monti, tranſi hinc, illuc, & tranſibit. Matth.c.17.v.19.* Sed iam dubitatio pulſat, cur potius grano ſinapis, quam alijs rebus fides Eccleſię comparatur? Non quòd modica ſufficiat, quia fides debet eſſe ardens, charitate formata (præſertim cum minutiora grano ſinapis reperiantur) Non errauerim ergo, ſi in grano iſto fidē tribulatione inflammatam adumbratam demonſtrabo. Nam granum ſinapis ſi integrum permaneat, eius valida, & quaſi ignea virtus latet, ſi verò conteratur inardeſcit, & præpotentē virtutem oſtendit. Haud diſſimilis lapis, qui ſilex dicitur, qui ferro percuſſus ignem producit, vnde paululum immutato ſenſu, iuſto viro adaptari poteſt Philippi Burgundionū Principis Emblema, qui ſilice a ferro percuſſo expoſito, addidit animam; *Ante ferit, quam flamma micet:* Antea namque tribulationibus terendus eſt iuſtus, vt virtutem fidei ardore charitatis flammantem oſtendat: Hoc melius declaratum a Magno Gregorio accipiamus. *præfat. in lib.moral.cap.2.to.2.pag.310.lit. A. Granum quippe ſinapis, niſi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoſcitur: nā non contritū lene eſt, ſi verò conteratur inardeſcit. Sic vnuſquiſque vir ſanctus, cum non pulſatur deſpicabilis, & lenis conſpicitur: ſi qua vero illum tritura perſecutionis opprimat, mox omne, quod calidum ſapit oſtendit; atque in feruorem virtutis vertitur quidquid in illo ante deſpicabile, infirmumque videbatur.* Non ergo præmit perſecutio, vt opprimat, ſed vt eleuet; non terit tribulatio, vt conterat, ſed vt inardeſcat fides; ſic homo magis cum tribulatur, in virtutum feruore ſolidatur.

5 Exemplum huius mirabiliter cernitur in hebræorū augmento dum ægipriaca ſeruiture præmerentur. Barbarus ille, feruſque tyrannus Pharao, nihil intentatum reliquit, vt gentem illam, ſibi iam nimio incremento formidoloſam minueret, opprimeretque; inceſſantibus fatigauit operibus, totamque per ægiptum ad colligendas paleas diſperſit, obſtetrices ad pueros enecandos perducere conatus eſt; quidquid eis, vel leuiter peccatum eſt, crudeli animaduerſione punitum, laſſis pro requie flagella parabantur; & tandem ad manifeſtam ſæuitiam in puerorum occiſione deuentum eſt. His tamen nihilominus haud obſtantibus, ſed iuuantibus potius, creſcebat populus, & ad tribulationum menſuram numerus augebatur: iuſtus namque vir quò a malis magis affligitur, tanto validius in virtutibus creſcit; ideo de illis dicitur: *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant. Exod. cap.1.v.12.* Vbi Cardinalis Hugo *in Exod.tom.1 pag.76. col 2.* ſolerter. *Sic boni quanto magis tribulantur, tanto amplius proficiunt in bono; nam virtus in infirmitate perficitur.* Ægiptiorum perſecutiones tanquam loræ fuerunt, quæ hebræorum gentem tanquam cœleſtem turbinem verberabant, vt ad virtutem curreret, & in diuina dilectione circuitus daret: docens nos ſacer textus ne exhorreamus huius ſæculi perturbationes, quæ nobis ad Cælos properantibus alas addunt.

6 Inclitus Iſraelitarum Rex per varias tribulationes egreſſus, & in his minimè deiectus; cū tandē optata potiretur fælicitate, Deo gratias agens, aiebat: *Dominus Petra mea, & refugium meū: 2.Reg.c.22.v 2.* Sed cur Petrā Dominum vocat? fortaſſis ad Chriſtum reſpiciebat, ad illum videlicet lapidem, qui a Iudæis ædificatoribus reprobatus, caput anguli cæleſtis Hieruſalem factus eſt: & hoc ipſe quæro, cur lapis Ieſus eſt appellatus? ipſe nāque hominē verū, hominiſq; filium ſe fatetur; & de ho-

Digitized by Google

dimenſiones, eius longitudo tolerantia eſt, qua noſtram pœnitentiam longanimiter, & patienter expectat; latitudo vero immenſa eſt incomprehenſa charitas, qua nos totis viſceribus, ideſt infinitè diligit; altitudo, ſublimitas, ſeu celſitudo eſt eius perfectiſſima eſſentia, quæ omnem perfectionem includit, & omnium rerum, quarum continet bonitatem, ſuperat incomparabiliter excellentiam; profunditas tandem eſt iudiciorum eius profunditas, qua vel delicta punit, vel iudicat. Ex his omnibus amor, & miſericordia, ex effectibus aliquantulum cognoſcuntur; verumtamen eius eſſentiæ perfectio, & iudiciorum profunditas incomprehenſibilia omnino remanent, vſq; ad Dei in Patria releuationem haud cognoſcenda: vnde Apoſtolus illuc hanc notitiam reponebat: *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum. Ad Epheſ. cap. 3. ver.* 18. Quæ vtique omnia comprehendi niſi in diuinæ eſſentię clara viſione non poſſunt; ſed vltima duo, neque cognoſci, vt fatetur D. Magnus Gregorius. *lib.* 10. *cap.* 7. *moral. to.* 2. *pag.* 550. *lit. B. Quæ ſcilicet quatuor nobis in hac vita poſitis ſingulis exercet; quia & latitudinem amando, & longitudinem tolerando, & celſitudinem, non ſolum noſtram intelligentiam, ſed etiam vota ſuperando, & profunditatem ſuam exhibet, occultos, & illicitos motus diſtincte iudicando: ſed eius celſitudo, & profunditas quam ſit inueſtigabilis nullus agnoſcit.* Temeritatis igitur, ſi non fatuitatis, coarguendus eſt, qui de diuinis iudicijs diſputationem attexens, ea penetrare præſumit: non eſt opus noctis tam occulta patefacere, diem æternitatis expectet.

4 Nec miraberis lector, ſi ſcrutatorem diuinorum iudiciorum fatuum dixerim; nam mente captum illum cenſes, qui figulo opera in luto exercenti, vaſorum ſuorum varietatem improbaret, quod ex eadem prorſus maſſa vas aliquod in honorem, aliud vero in contumeliam formet: etenim cum figulus Dominus ſit terræ, & inuentionum ſuarum, prout libet ex vna maſſæ portione vas mirificum profert, & ex altera comparte turpiſſimum, & deridendum, ſeu conſpurcādum dolatur. Haud ſecus Deus; cum Dominus ſit omnium ex eadem humana maſſa Vaſa ſibi ad ſuæ voluntatis libitum, vel digna corona, vel punienda flammis producit. Hunc ſibi charum, & amicum, vtpote iuſtum, flagellis, tribulationibus agit, alium æque iuſtum, non ſolum recipit in ſua gaudia, ſed etiam adhuc mortalem proſperitate decorat: eadem de malis experientia eſt: alius in hac vita lætatur, cruciandus in alia; alius vero ex cacabo in prunas cadens poſt longas in præſenti ſæculo toleratas aduerſitates ad æternos cruciatus demittitur. Rector multoties eligitur qui Regnum ſaluet; haud raro qui Rempublicam deſtruat: De ſtercore hic ad principatum extollitur, ille in ſterquilinio ſedet Monarcha. Verum, (vt fatetur qui mirabiliter hæc iudicia expertus fuerat) *Iob. cap.* 11. *ver.* 10. *Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coaceruauerit: quis contradicet ei? vel qui dicere poteſt cur ita facis?* Quod perfectè determinatum docet Gregorius *loc. cit. pag.* 551 *lit. B. Rectè itaque nunc dicitur: ſi ſubuerterit omnia, vel in vnum coaceruauerit: quis contradicet ei? vel qui dicere poteſt, cur ita facis? Quia nimirum diuinum iudicium nec aduerſitate valet imminui, nec inquiſitione cognoſci.* Fatuum ergo ſe exhibet, qui iudicia diuina examinare contendit; deſinat igitur, quicumque eſt, fatuari: Deo ſe ſubijciat, cuius eſt opus; fide adhæreat illi cuius iudicia penetrare non audet. Quod vana ſapientia carnis attingere nequit, humilitas comprehendet.

5 Sed hanc doctrinam cum eodem Gregorio, clarioris ſcripturæ interpretatione firmemus. Exemplum adducamus, de quo ſapientiſſimus Princeps memorat. *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis; ſic neſcis opera Dei. Eccl. cap.* 11. *ver.* 5. In recondito mulieris vtero generatur fætus, & ita mollis materia dureſcit in oſſa, vt ſuperet mentis capacitatem; & vndique materni ventris occluſum corpuſculum parietibus vitæ ſpiraculum recipit, animatur, viuit; neque tam mirabilem animi, ſeu ſpiritus viam, qua ingreditur veſtigari poteſt: non ergo mirum, dum corporalia iudicia non percipimus, cur inuiſibilia non capiamus; ſi penetrare nequimus quomodo lutum in vas compingatur, neque comprehendere poterimus quare in hunc, vel illum deputetur vſum. Concludit citatus Gregorius. *Vnde benè etiam per Salomonem dicitur. Sicuti ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre pregnantis, ſic neſcis opera Dei: vt enim vnum e multis loquar, duo ad hanc lucem paruuli veniunt, ſed vni datur vt ad redemptionem per baptiſmum redeat, alter ante ſubtrahitur quam hunc regenerationis vnda perfundat. Et ſæpe fidelium filius ſine fide rapitur, ſæpe infidelium conceſſo fidei ſacramento renouatur. Occulta iſta ſunt iudicia; & quanta obſcuritate nequeunt concipi, tanta debent humilitate venerari.* Abyſſum timere debent; non inquirere; cauere non experiri; quandoquidem experientia miſerabili præcipitio propinquat.

6 Clauſus Abyſſus eſt, quia nequit comprehendi, & vt omnis humanæ voluntatis temeritas refrenetur, illius clauis minimè in terris reperitur; ſed in Cælis tantummodo ſeruatur; in cuius ſignum dicitur Apocalipſis 9. v. 1. *Vidi ſtellam cecidiſſe de Cælo, & data eſt ei clauis putei abyſſi*: & iterum c. 20. v. 1. *Et vidi Angelum deſcendentem de Cælo habentem clauem putei abyſſi.* Hoc autem ideo factum eſt, vt opinor, ne quærant homines in præſenti ſæculo declarationem diuinorum iudiciorum, cum ſolis ciuibus cæleſtis Ieruſalem Abyſſi claues concedantur; quare Abbaſ. Rupertus *de oper. ſpirit. ſan. c.* 3. *to.* 1. *pag.* 705. inquit. *Clauis Abyſſi eſt diuinorum profunditas iudiciorum.* Non ergo mortales ab abyſſi caligine obcæcati, quæratis diuini Abyſſi immenſitatem metiri; nam ad hoc illa aurea menſura requiritur, quæ a Deo Angelo data eſt; neque hæc profunditas reſeratur ſine claui illa, quam Chriſtus tenet, & Beatis communicat. Sed nobis ſat erit Deum ſequi, qui nobis per ſuam miſericordiam ad ineffabile lumen ſuum nos perducendo Abyſſum hanc reſerabit.

§. III.

Iuſtus veſte tribulationis tectus fouetur, & creſcit.

1 A*Byſſus ſicut veſtimentum amictus eius.* Sed tandem aliquando a cæleſtibus ad terreſtria gradum retrahamus; & a veſte incomprehenſibili ſponſi immortalis, ad ſponſæ mirabile indumentum calamum transferamus: Abyſſus eſt amictus ſponſi, ſeu mauis Sapientiæ inueſtigabilis lumen, ſeu Iudiciorum incomprehenſibilium profunditas. Sed enim Eccleſia tanto ſociata marito, abyſſo non caret vt induta procedat ad Thalamum cæleſtem: Abyſſus namque tribulatio eſt, per quam Eccleſia, & eius filij, iuſti inquam, exagitati, & varie iactati in Dei amore ſtabiliuntur; ſicut enim veſtis regit corpora, ne a frigore, calore, ſimilibuſque moleſtis diſſoluantur, ſic tribulatio iuſti animam, & Eccleſiam ſeruat ne a tentationibus, ac illecebris opprimatur: Idcirco ergo Eccleſia, & Anima iuſti, non ſolum tribulatione non deficit, ſed ſpiritualiter fouetur, creſcit, & roboratur, quia *Abyſſus quaſi veſtimentum amictus eius*: ideſt, vt magnus ſentit Albertus, *in Pſal.* 103. *Eccleſia abyſſo tribulationum circumdatur, & vallatur; ſed ſicut veſtimentum, quod fouet indutum. In his non deſtruitur, ſed magis fouetur, & calor charitatis in ea conſeruatur.*

2 Inter agricolas conſtat, longa iam experientia docente, fauonium ventum ſegetes, & placidis ſtillicidijs a ſe perductis irrigare, & benigno flatu fæcundare: quare quicumque hortus ſui deſiderat floreſcere plantas, aromata fluere, matureſcere fructus, procul expulſo aquilone omnia congelante, & intenſiſſimo frigore reſtringente, & exiccante plantas: nec non etiam longè actis calidis, & corrumpentibus flatibus Auſtri peſtiferi, Zefiri ſuauitatem exoptat; & a cælo feruidis votis expoſcit.

Contra

Digitized by Google

Contra tamen omnes agriculturæ regulas, ſponſa ſacra, vt eius fæcundetur hortus Aqnilonem, Auſtrumque vocat. *Surge Aquilo, veni Auſter perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Cantic.cap.4.verſ.*16. Deſipere mibi videtur, quæ Zephiri, ſeu Fauonij, ſuauitate neglecta, inſenſiſſimos vocat ventos, qui omnia vel exiccare, vel putrefacere nouerunt. Enim verò Hortus ſponſæ ſpiritualis eſt; Eccleſiæ namque planiæ fideles ſunt, qui vel Roſas martirij ſanguine purpureas, vel lilia virginitate candida, violas mortificatione pallentes, vel aromata ſanctitate redolentia, vel olea prædicatione fœcunda, producere debent; Vt autem hoc aſſeqnatur; non mundi proſperitas, ſed tribulatio requiritur; procul eſtote Zephiri, fauorabiles mundi plauſus, affluentes mundi deliciæ, abundantes diuitiæ, dignitates, honores; & venite Aquilones gelidi tribulationes, perſequutiones, iacturæ, vilipendia, neceſſitates, ægritudines; accedite flammigeri Auſtri, tentationes Carnis, inuidiæ diaboli, inſidiæ Mundi; perflate Hortum animarum iuſtarum, neque enim in proſperitate, ſed in infirmitate perficitur virtus. Optimè Diuus Bernardus, *ſerm.38. in Cantic. col.*1885. *lit. D. Numquid non æmulatione quadam, tentationis Aquilo Auſtri ſe oppoſuit gratia? quaſi ſolus hortum perflare conatur quodam rigore duri ſpiritus, aromata reſtringere volens, ne fluerent; ſed tanto latius fluxerunt: aduerſitatis, & proſperitatis alternis motibus nunc prouocata, nunc pacata Sponſa Chriſti Eccleſia, eius aromata virtutum proferre non deſtitit. In perſequutione virtus enituit, in pace auctus eſt numerus.* Sic Hortus vireſcit Eccleſiæ, tribulationibus concuſſus, ne longa pacis tranquillitate virtus langueſcat.

3 Sed ne videamur paradoxa proferre dũ perſequutione iuſtum in virtute proficere, & ad Chriſtum propinquare, docemus: ſponſæ, de qua modo ſermonem fecimus; perpendamus curſum. Hæc deperdito ſponſo, intempeſta nocte ſurrexit, & citato curſu per plateas, vicoſq; ciuitatis dilectum ſuum quærebat; dum ſic curreret incidit in ciuitatis vigiles; *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Ciuitatem: Cantic.cap.*5. *ver.* 7 Qui cuſtodes eam cæciderunt flagellis, & plagis vulneratam abiecerunt; ***percuſſerunt me, vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum cuſtodes murorum.*** Cur autem cuſtodes iſti tam malè ſponſam receperunt, numquid cuſtodum officium eſt tranſeuuntes lædere? nequaquam; ſed illi volebãt ipſam properare ad ſponſum, nec in quærendo deficere, otio ſcilicet in via torpendo; nam & ſuperius ſponſa fatetur ſe cuſtodibus pertranſactis inueniſſe ſpõſum: *Paululum cum pertranſiſſem eos inueni quem diligit anima mea. Cantic. cap.*3. *verſ.*4. Hoc patere poteſt in ſimili. Apud Romanos antiquitus ludus vigebat (qui his temporibus apud hiſpanos adhuc permanet) ex ligno fiebat ad modum oualis pyramidis quoddam paruum inſtrumentum, ab effectu turbo appellatus, quòd tenui inuolutum corrigia in terram proiectum, veluti turbo, circulariter voluebatur; porro illud mirabile videbatur, quòd vt diù eius circuitus duraret corrigia illa turbo cõtinuo verberabatur, & dum verbera durabãt, circuitus permanebat, ſed ceſſante verbere, deſiſtebat a motu. Hoc Virgilius ita deſcribit *lib.*7. *Æneid.*

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur ſpatijs: ſtupet inſcia turba
Impubiſq; manus, mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ.

Sicut ergo Turbinem impellunt plagæ, vt celerius voluatur, ita ſponſam vigilum verbera, & plagæ ad ſponſum celerius quærendum vrgebant; D. Bernardo *ſerm.* 15. *in Pſal. Qui hab. col.* 554. *lit. E.* atteſtante. *Sed quid fecerunt Vigiles ſobrij, vigiles circumſpecti? non enim poterant ſibi ſuſcipere ſponſam, qui bene eam æmulabantur Dei æmulatione, qui deſponderant vni viro virginem caſtã exhibere Chriſto: Percuſſerunt me, & vulnerauerũt me ait. At quid ita? Ni fallor vrgebant, vt pertranſiret proinde inuentura Dilectum. Denique, etiam tulerunt pallium meum (inquit) haud dubium, quin vt curreret expedita.* Felix Sponſa, Beata Eccleſia, quæ tribulationibus agitur, ne orioſa ſedeat, ne ſegnis torpeſcat, ſed citato curſu ad æterni ſponſi nuptias perueniat coronanda.

4 Ad fidei firmitatem fideles exhortans Chriſtus Dominus noſter, inquit; *Si habueritis fidem tanquam granum ſinapis, dicetis huic monti, tranſi hinc, illuc, & tranſibit. Matth.c.*17.*v.*19. Sed iam dubitatio pulſat, cur potius grano ſinapis, quam alijs rebus fides Eccleſię comparatur? Non quòd modica ſufficiat, quia fides debet eſſe ardens, charitate formata (præſertim cum minutiora grano ſinapis reperiantur) Non errauerim ergo, ſi in grano iſto fidẽ tribulatione inflammatam adumbratam demonſtrabo. Nam granum ſinapis ſi integrum permaneat, eius valida, & quaſi ignea virtus latet, ſi verò conteratur inardeſcit, & præpotentẽ virtutem oſtendit. Haud diſſimilis lapis, qui ſilex dicitur, qui ferro percuſſus ignem producit, vnde paululum immutato ſenſu, iuſto viro adaptari poteſt Philippi Burgundionũ Principis Emblema, qui ſilice a ferro percuſſo expoſito, addidit animam; *Ante ferit, quam flamma micet:* Antea namque tribulationibus terendus eſt iuſtus, vt virtutem fidei ardore charitatis flammantem oſtendat: Hoc melius declaratum a Magno Gregorio accipiamus. *præfat. in lib. moral. cap.*2. *to.*2. *pag.*310. *lit. A. Granum quippe ſinapis, niſi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoſcitur: nã non contritũ lene eſt, ſi verò conteratur inardeſcit. Sic vnuſquiſque vir ſanctus, cum non pulſatur deſpicabilis, & lenis conſpicitur: ſi qua vero illum tritura perſecutionis opprimat, mox omne, quod calidum ſapit oſtendit; atque in feruorem virtutis vertitur quidquid in illo ante deſpicabile, infirmumque videbatur.* Non ergo præmit perſecutio, vt opprimat, ſed vt eleuet; non terit tribulatio, vt conterat, ſed vt inardeſcat fides; ſic homo magis cum tribulatur, in virtutum feruore ſolidatur.

5 Exemplum huius mirabiliter cernitur in hebræorũ augmento dum ægiptiaca ſeruitute præmerentur. Barbarus ille, ferusque tyrannus Pharao, nihil intentatum reliquit, vt gentem illam, ſibi iam nimio incremento formidoloſam minueret, opprimeretque; inceſſantibus fatigauit operibus, totamque per ægiptum ad colligendas paleas diſperſit, obſtetrices ad pueros enecandos perducere conatus eſt; quidquid eis, vel leuiter peccatum eſt, crudeli animaduerſione punitum, laſſis pro requie flagella parabantur; & tandem ad manifeſtam ſæuitiam in puerorum occiſione deuentum eſt. His tamen nihilominus haud obſtantibus, ſed iuuantibus potius, creſcebat populus, & ad tribulationum menſuram numerus augebatur: iuſtus namque vir quò a malis magis affligitur, tanto validius in virtutibus creſcit; ideo de illis dicitur: *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant. Exod. cap.* 1. *v.*12. Vbi Cardinalis Hugo *in Exod. tom.* 1. *pag.*76. *col* 2. ſolerter. *Sic boni quanto magis tribulantur, tanto amplius proficiunt in bono; nam virtus in infirmitate perficitur.* Ægiptiorum perſecutiones tanquam loræ fuerunt, quæ hebræorum gentem tanquam cœleſtem turbinem verberabant, vt ad virtutem curreret, & in diuina dilectione circuitus daret: docens nos ſacer textus ne exhorreamus huius ſæculi perturbationes, quæ nobis ad Cælos properantibus alas addunt.

6 Inclitus Iſraelitarum Rex per varias tribulationes egreſſus, & in his minimè deiectus; cũ tandẽ optata potiretur fælicitate, Deo gratias agens, aiebat: *Dominus Petra mea, & refugium meũ: 2. Reg. c.*22. *v* 2. Sed cur Petrã Dominum vocat? fortaſſis ad Chriſtum reſpiciebat, ad illum videlicet lapidem, qui a Iudæis ædificatoribus reprobatus, caput anguli cæleſtis Hieruſalem factus eſt: & hoc ipſe quæro, cur lapis Ieſus eſt appellatus? ipſe nãque hominẽ verũ, hominiſq; filium ſe fatetur; & de ho-

Digitized by Google

mine eſſe aliquod fictile vas,& luteũ docet Paulus: *Habẽtes theſaurũ in vaſis fictilib.* 2 *Cor.c.4.v.7.* Vtiq;nũquã vidiſti luteũ Vas eo ipſo quod fictũ eſt molle,& infirmũ eſſe,ſed fornacis flammis impoſitum ſolidatur,& lapidis in modum dureſcit? Ita humanitas Chriſti lutea, & fictilis, igni Diuinitatis (nam *Deus ignis conſumens eſt*) vnita, duruit in petram; [ni maius dicere paſſionis igne hunc lapidem duruiſſe: quare de ſe ipſo in Pſalmis prędixerat: *Aruit tanquam teſta virtus mea: Pſal.21.v.16.* nam ſicut lutea teſta dureſcit igne, ita Chriſtus, & quicumque iuſtus tribulationum, & paſſionum igne decoctus, lapis efficitur: ita ſentit D. Auguſtinus *in Pſal.21. to.8.pag.44. col 2 lit.D. Magnificè quod dixit, firmum factum eſt cor meum de tribulatione: quomodo enim teſta ante ignem mollis eſt, poſt ignem fortis; ſic Domini nomen ante paſſionem contemnebatur, poſt paſſionem honorificatur:* Poſt paſſionem Chriſtus lapis angularis, poſt mortem Eccleſiæ caput;nam niſi eum ignis tribulationis coxiſſet, in petram non duruiſſet.

7 Sed neque ipſius Redemptoris noſtri ommittamus exemplum de frumenti ſcilicet grano. Quis nõ miretur Diuinam Prouidentiam orbem terrenum regẽtem? non enim niſi media morte, ſeminibus datur augmentatio; in terram cadat granum oportet, ibiq; emori,vt & mortuum in ſpicas multas, multaq; germina granum vnum reuiuiſcat: quod ſi corrumpi, & mori ei non contingat generatione priuetur. *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ioan.cap.12. v. 24.* Iuſtus granum eſt, quod vtiq; vt mille producat virtutum germina, mortificandus tribulationibus eſt; vel etiam ſub earum ſæueritate mori, vt in ſpem reſurrectionis occumbens, cumulatus meritis reuiuiſcat; Vnde Prudentius cecinit.

..... In ipſis
Seminibus natura docet reuiuiſcere cuncta
Poſt obitum....

Quod liter principaliter de ſeipſo hoc dixerit Chriſtus, vt D.Auguſtino *tract.51.in Ioan.* viſum eſt. *Ipſe Dominus Ieſus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Iudæorum, multiplicãdum fide Populorum.* Nihilominus ad omnes Martyres, imò ad omnes tribulatos referri poteſt,quibus illud Prophetæ adaptari poteſt. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius; Pſal.115.ver.5.* vt & D.Leo Papa *Serm.1. in Natal Apoſtol. pag.79.col.2.* fatetur. *Pretioſa ergo in conſpectu Domini mors Sanctorum eius; nec vllo crudelitatis genere deſtrui poteſt Sacramento Crucis Chriſti fundata Religio. Non minuitur perſequutionibus Eccleſia, ſed augetur: & ſemper dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* Optanda igitur huiuſmodi mortificatio, quæ virtutem adauget, lætanter mors illa ſuſcipienda, quæ germina multiplicat Sanctitatis.

8 Aliqua reperiuntur frumenta quę creſcere,& multiplicari, imò & conſeruari nequaquam poſſunt, niſi inter aquas vſq; ferè ad ſpicam ſepeliantur, & ea frumenti ſpecies (quæ communiter oriza nuncupatur) maximæ ſubſtantiæ eſt, & ad cibum aptiſſima; & inter orientales ferculum ordinarium eſt,nec ſine ipſo conuiuium paratur: ſed illud mirabile, quod alia frumenta inter aquas ſuffocantur, & pereunt, hoc vnum conſeruatur, & creſcit. Omnes homines frumenta ſunt, quæ ſeminantur, vt vitam fructificent ſempiternam; verum iuſti hoc ſingulare ſunt frumẽtum,quod inter tribulationum aquas, & inter vndas perſequutionum plantatum fructum reddit centeſimum: Quapropter de Dei filio dictum eſt, *Frumentum electorum*; nam hoc electum frumentum Crucis, & paſſionis aquas inter ſeminatum, in panem Angelorum excreuit;& pariter omnis iuſtus inter aquas tribulationis ponendus eſt, vt in bono multiplicetur, & creſcat. In huius ſignum dixit Deus piſcibus iam creatis: *Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris. Gen. cap.1.ver.22.* quia fideles, & Deo chari inter amaritudinis aquas ſunt multiplicandi, vt videtur Eminentiſſimo Hugoni. *Creſcite, & multiplicamini; & ſequitur; & replete aquas maris. In aquis enim maris, ideſt in amaritudine creſcunt, & multiplicantur boni. Hugo Carenſ. Cardin.in Exod.to.1.pag.76.col 2.* Non ſolam aquas,ſed ſalſas,& amaras cæleſte frumentum,vt multiplicetur requirit; etenim ſine tribulationibus perfecta haud acquiritur virtus,& humilitas,quę bonorum operum complementum eſt, ſine perſecutione non ſolidatur. Abyſſus itaq; tribulationum Eccleſiam,Animamque iuſtam quaſi veſtis fouet, vt in ſanctitate fructificans conſeruetur.

§ IV.
D. Thomas Abyſſus Eccleſiam Catholicam tegens.

1 A*byſſus ſicut veſtimentum amictus eius.* Inter alias ſignificationes Abyſſi veſtientis terram, nõ immeritò Apoſtolus Thomas ſignari poteſt; ipſe enim dictus eſt Thomas a תהום *Theom*, quod hæbraicè ſignificare abyſſum manifeſtum eſt: porrò ſicut abyſſus immẽſitatem quamdam aquarum notat, prius tenebris obſitam,ſed ſuper illam volitante ſpiritu, tãdem luce reſperſam; ita Thomas Abyſſus erat informis, & ſuper eum erant tenebræ infidelitatis, vt inquit Cardinalis Hugo. *Thomas interpretatur Abyſſus, ſuper cuius cordis facie erant tenebræ infidelitatis; Hug.Caren.Cardin.in Pſal. 117. pag.301. col.3.* Nihilominus tamen ſuper eum ferebatur Sanctus Spiritus, vt eum illuſtrando fidelem faceret, & in recta ſolidaret fide, S. Paſchaſio atteſtante. *Thomas quidem interpretatur Abyſſus. Vtique abyſſus, ſuper quam ferebatur Spiritus Sanctus, vt de infirmitate cordis ſui, quandoque ipſo deſuper illuſtrante, ad formam procederet recta fides. D. Paſchaſius Rathbertus. lib.6. in Matth. col.477. lit.B.* Deniq; ſicut Abyſſus circundata terræ eſt, vt eam quaſi veſtis regeret, & conſeruaret, haud ſecus D. Thomas tanquam veſtis Catholicam Eccleſiam tegit; tres enim virtutes ſunt Theologicæ in quibus Chriſtiana perficitur lex, videlicet *Fides, Spes, Charitas*; Harum autem ſupernaturalium virtutum perfectio in hoc Apoſtolo ita enituit, vt per earum excellentiam vniuerſalem Eccleſiam decorauerit; quæ hic breuiter oſtendenda ſunt.

2 Primò Thomas per priſtinam ſuæ infidelitatis tenebroſam Abyſſum Eccleſiæ fidem roborauit.Nam cum a mortuis reſurrexiſſet Dominus, neſciebat Eccleſia verum illa vera Reſſurrectio fuiſſet,an in corpore paſſibili facta; an in corpore illo beato Sanctorum vulnerum cicatrices ſeruandæ eſſent: poterat namque Chriſtus ſi voluiſſet, etiam mortuo corpore, in phantaſtico, & aſſumpto corpore apparere, præſertim, cum clauſis ianuis apparuiſset, ſed has omnes dubietates ſua incredulitate Thomas eluſit: ipſe namque, cum crẽdere nequaquam voluiſſet, niſi videret, & palparet, & tunc palpando de vera carnis reſurrectione certus Deum agnouit, quem verè reſurrexiſse probabat; ſic verum oſtendit corpus, quod palpari poterat, & in eo cicatrices vulnerum, ad veram paſſionis memoriam, & reſurrectionis fidem remanſiſse cognouit. Ergo fides Eccleſiæ per D. Thomæ incredulitatem firmatur, niſi enim ille dubitaſset, & dubitando palpaſset, hæc veritas Eccleſiæ minimè innotuiſset: concludendum eſt D. Thomæ dubietatem, vtpotè Abyſsum, terram Catholicæ texiſse Eccleſiæ, ipſam de vera Redemptoris in carne reſurrectione certificando: neque dubietas illa aſpernanda eſt, quandoquidem magiſtra noſtræ fidei extitit; vt ex D.Laurentio Iuſtiniano audire, & addiſcere poterimus; qui verba illa Ioannis *cap 20. ver.18.* perpendens: *Reſpondit Thomas,& dixit ei; Dominus meus,& Deus meus*; diuinam Prouidentiam his proſequitur verbis. *D.Laurent. Iuſtinian. Ser.de S.Thom pag.692. lit.F. mira noſtri Authoris diſpenſatio, ac diligenda benignitas, quæ euidentiſſimis teſtimonijs, per vnius incredulitatem vniuerſam voluit erudire Eccleſiam. Hinc Thoma non eſt redarguẽda dubietas, quæ illum inquiſitorem fidei noſtræ*

fecit

Digitized by Google

fecit eſſe ſollicitum. Per ipſum quippe conſumatæ reſurrectionis, & veræ Diuinitatis in Christo certam ſummus aſſecuti notitiam. Patet igitur, Fidem Eccleſiæ Catholicę ab hac Thomæ abyſſo tectam imò detectam fuiſſe.

3 Neque minori decore Spem Eccleſiæ veſtiuit, declarauit, firmauit. Lazarus Dei amicitia illuſtris infirmabatur, & eo languoris proceſſerat vis, vt nulla de eius vita ſpes ſupereſſet, hinc Sorores de dilecti periculo Redemptorem noſtrum certiorem faciunt, breui illa, ſed facunda Epiſtola. *Ecce quem amas infirmatur. Ioan. cap. 11. ver. 4.* Amanti enim ſat erat dilecti periculum innotuiſſe, vt moras omnes rumpendo accurreret ad ſalutem. Quapropter eundum in Iudæam Diſcipulis indixit: trepidabant illi, dicentes: *Rabbi, nunc volebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? verſic* 8. erant, nedum de Chriſti morte, verũ etiam de propria ſolliciti; nondum enim in futuræ vitæ ſpe radicati, haud didicerãt vitam aſpernari mortalem; ſic trepidabant formidoloſi. Solus Thomas inuictus, & in ſpe veræ vitæ ſolidatus mortem non timens, ipſi occurrere ſuadebat, inquiens: *Eamus & nos & moriamur cum illo ver.* 17. Abyſſus erat Thomas, & ideo alteram non expauit Abyſſum, in ſpe omnes antecedens Diſcipulos: de quo verificatum videtur Dauidis dictum: *Abyſſus, Abyſſum inuocat in voce Catharactarum tuarum. Pſalm. 41. ver.* 8. Cum enim mors ante Chriſti paſſionem verè Abyſſus eſſet, nam Cœlorum obſerata ianua, ad inferorũ Abyſſum omnes, licet iuſtas, ducebat animas, hanc abyſſum non exhorruit Thomas ſperans breui temporis tractu, ſe ad cæleſtem gloriam euocaturum, per Chriſti mortem reſerato cęlo: & catharactarum, ideſt Apoſtolorum trepidantium ſuperans voçem ſpem futuræ gloriæ patefecit: Hæc omnia apertiſſimè, & luculenter docet D. Vincentius Ferrerius *Serm. de S. Thom. Apoſt. pag. 19. In iſto caſu omnes Apoſtoli timuerunt præter B. Thomam*: & paulò poſt proſequitur. *Per hoc quod dicitur Thomas, quòd hebraicè interpretatur Abyſſus fuit in eo completa Prophetia Dauid dicentis: Abyſſus Abyſſum inuocat: dicens: Eamus & nos, & moriamur cum illo. Mors enim abyſſus erat ante Chriſti paſſionem, quia omnes deſcẽdebant in Abyſſum Inferni. In voce catharactarum &c. figuratiuè Apoſtoli dicuntur Catharactæ, ex abundantia aquarum, ſcilicet doctrinarum Euangelicarum cum magnis vocibus prædicando: vox autem catharactarum fuit tremuloſa, quando dixerunt Chriſto: Rabbi nunc volebant te Iudæi lapidare: Sed Abyſſus, ideſt Thomas, abyſſum, ideſt mortem aduocat, ſupra vocem catharactarum, ſcilicet Apoſtolorum, dicens: Eamus & nos, & moriamur cum illo*. Spes iſta tanto Apoſtolo digna comparuit, vt Abyſſus tã ę fiduciẹ aliorum Apoſtolorũ, quaſi veſtis tegeret trepidationem, & Eccleſiæ ſperandi occaſionẽ præberet.

4 Quæ Thomæ verba adhuc preſſius, & accuratius penſanda ſunt; nam illis, nõ ſola ſpes, ſed charitatis abyſſus innoteſcit. D. Bernardin. Senenſis aduertit, Thomam non tantum abyſſum, verũ etiam Amorem interpretare nonnullos: vt nobis clarè appareret abyſſum erga Deum Amoris in D. Thoma repertum. Enim vero, quæ maior in charitate dilectio reperiri poterit illa, quæ pro amico vitam parnipendat, mortem ſuſcipiat, tormenta nõ horreat? Hæc dilectio abyſſus eſt charitatis, ipſo Domino noſtro docente: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ioan. c. 15. v.* 13. Ergo pro amicis morti occurrere abyſſus eſt charitatis: Quid mirum igitur ſi Thomas qui abyſſus, qui amor, alijs cunctantibus diſcipulis, ſolus haud expauerit mortẽ? miraretur vtiq; ſi charitatis abyſſus perfectæ charitatis ſignũ negaret. En Thomæ charitas, en noſtri abyſſi profunditas; etiam antequam pro eo Dominus moreretur mori pro illo non hæſitauit: ita Bernardin. Senen. *Sabb. poſt 4 Dom. de amor. exceſſ. par. p. tom. 3. pag. 321. lit. A. Thomas interpretatur, Amor: Vnde Thomas ſignificat amorem, & abyſſum charitatis, nam ſecundum intellectũ iſtum dixit: Eamus & nos, & moriamur cum illo*. Sic charitatis abyſſus Eccleſię charitatem veſtiuit, vt tyrannorum minas haud trepidaret, quæ tanta charitatis abyſſo tegebatur induta.

5 Quod ſi abyſſus idcirco veſtiebat terram, ne tenebris obrueretur; vnde tenebræ tantũ abyſſi faciem cooperientes ad terram vſque non deſcendebant; nam *tenebræ*, tantummodo, *erant ſuper faciem abyſſi*: etiam hoc mirabiliter in Apoſtolo Thoma concipitur: cum enim tenebræ incredulitatis ſuper faciem abyſſi, ideſt cordis Thomæ viſæ ſunt, a terra Eccleſiæ ſunt repulſæ. Quot hæreſes, eæq; euidentiſſimę contra Chriſti carnem ſuſcitatæ fuerunt; & hæ omnes Thomas compeſcuit, ne ad Catholicam peruenirent Eccleſiam. Quidam Chriſtum Corpus phantaſticum, non verũ aſsumpſiſse nequiſſimè contendebant; Sed cur ſpirituale Phantaſma a Thoma contrectari potuiſset? Nonnulli, a quibus ſua deliramẽta impius ſumpſit Mahomethes, Chriſtum nequaquã paſsũ fuiſse volũt, ſed impaſſibilem fuiſse; at Thomas per clauorum loca digito pererrans, & lateris vulnus manu penetrãs falſiſſimos nebulones fictionis euincit. Nec pauci ſunt, qui eius reſurrectionem redarguunt, ſed & ipſi a teſtimonio Thomę qui ipſum poſt reſurrectionem alloquutus, & experimento probatum verum agnouit. Quid Thomæ Arrius reſpondebit dicenti; *Dominus meus, & Deus meus; Ioan. loc. cit.* dum illi eam tribuit Apoſtolus. Diuinitatem, quam ipſe cauillationibus plenus ei tollere conatur? O fælicem, o miram, o profundam abyſsum, quæ ad horam infidelitatis tenebris cooperta, totam Eccleſiæ Catholicæ terram ab hæreſum tenebris vindicauit: Verũ, ſi *Abyſſus, abyſſum inuocat*, audiamus alium Thomam Villanouanum ſcilicet, miram huius exclamationis efficaciam declarantem. *O miram hominis perſpicaciam: hominem profert, & Deum vocat; aliud tetigit, aliud credidit. Si mille Codices ederet, non ita Eccleſiæ profuiſſet. Quam aptè, quam fideliter, quam nude Chriſtum vocat Deum! O Verbum Eccleſiæ vtiliſſimum, & neceſſariſſimum; quo multæ hæreſes, & euidentiſſimæ ab Eccleſia extirpatæ ſunt. D. Tho. a Villanou. epiſ. Valent. Ser. in oct. Paſch. pag. 102. col. 2.* Gaudeat Eccleſia, quæ tanta, & tam mira prædicationis Apoſtolicæ abyſso circundata, & tanquam veſte amicta, in fide ſolidata, in ſpe firmata, in charitate perfecta Hæreſum tenebras fælicirer propulſauit.

§. V.

Sapientia ſtat ſupra mentes a mundo, & peccato eleuatas.

1 SVper montes ſtabunt aquæ. Sapientiam per aquas deſignari nouum non eſt, cum ſcriptum ſit: *Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelſis*. Hæc autem Sapientia puras mentes, & a mundo ſeparatas inhabitat, ideo hic dicitur aquas, Sapientiæ ſcilicet, ſtare ſupra montes, ideſt in illis mentibus habitare, quæ a mundi perturbationibus alienæ, ſupra mõtem, ideſt eleuatas, Deitatis cõtemplationis feruenti deſiderio feruntur; neq; enim aliquid habere commune cum mundo, & ſordibus eius diuina Sapientia poteſt; vt docet Cardinalis Hugo. *Supra montes, ideſt ſuper mentes, a terra, & ab omni peccato eleuatas ſtabunt aquæ Sapientiæ. Hugo Caren. Cardin. in Pſalm. 103.*

2 Ex quo Adæ ſeniore multiplicato, homines eſse cœperunt in terra, & apud omnes nationes religio diuina inualuit, maximo in honore Templa habita ſunt; & eorum ſanctitas ſic venerata, vt qualibet immunditia, & ſi leui, profanari exiſtimarent. E templo Hieroſolimitano arcebantur infideles, & maculoſi quacumq; macula tum corporali, tum generationis fędati; neq; Animalia quędam, ab ipſis immunda vocitata, in eo immolari fas erat. Chriſtianorum verò Templa effuſione humani ſanguinis, vel ſeminis; & alijs de cauſis ſimilibus polluuntur. Et hoc iure merito, templum enim, quæ domus Dei eſt, ab omni macula alienum decet eſse: omitto ſumptuoſitatem in fabricis, prætioſitatem in ornamentis, ſan-

ctificationem in veſtibus, quæ exquiſito labore, & liberali ſumptu perficiuntur. Anima Sapientiæ templum eſt, & ideo ab omni ſorde mundanorum deſideriorum, quæ Idola ſpiritualia ſunt, necnon ab omni fœditate peccati, quæ animam polluunt, remota eſſe debet: vnde ſcriptum eſt. *Sap. cap. 1. ver. 4. In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Dedecet namque Templum pollutum Diuinæ Sapientiæ receptaculum fieri. ita D. Gregor. Niſſenus. *ap. Cornel. a lapid. in ſap. pag. 16. col. 2. lit. A. Si quis vere Templum Dei ſit, nullumque malitiæ ſimulacrum contineat, is a mediatore admittetur, cum purus ſit, & ad puritatem ſuſcipiendam idoneus: neque enim in maleuolam animam, vt ſcriptum eſt, introibit ſapientia.* Quapropter eleuetur oportet anima ſupra malitiæ montes, vt ſupra eam ſapientiales aquæ requieſcant.

3 Sanè vetus eſt inter Philoſophos axioma, virtutem ſine labore acquiri non poſſe; neque animum delicijs implicitum ad ſapientiam peruenire: Inter hos moraliſſimus Seneca aduertit, nec voluptatem cum virtute eſſe poſſe, neque ſapientia videri, cum ſine vitijs haud ſit poſſibile reperiri. *Deſinant ergo inconuenientia iungere, & virtuti voluptatem implicare, per quod vitium peſſimis quibuſq; adulatur. Ille effuſus in voluptates, reptabundus ſemper, atque ebrius, quia ſcit ſe cum voluptate viuere, credit, & cum virtute: deinde vitijs ſuis ſapientiam inſcribit. lib. de vita beat. cap. 12. pag. 375.* Benè hoc nouerat patientiſſimus, qui poſtquam dubium mouiſſet: *Iob capit 28. ver. 12. Sapientia vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ*: & multa inueſtigaſſet, in quibus putant voluptuoſi ſapientia ineſſe, concludit tandem; impoſſibile eſſe reperiri ſapientiam vbi regnant deliciæ: *ver. 13. Nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium.* Decipitur omnis, qui exiſtimat ſe poſſe ſapientiam inuenire inter delicias, & voluptates; vitia blanda ſunt, Virtutes aſperæ, & quæ nonniſi magno comparantur labore, quapropter animus ſapientiæ cupidus voluptuoſam deſerat terram, & ſupra montes virtutum labore impigro aſcendat: teſtatur D. Gregorius Mag. *lib. 19. cap. 24. moral. tom. 2. pag. 424. lit. A. Nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium; quid hoc in loco terræ ſignatur nomine niſi anima humana? Hæc autem ſapientia inueniri in terra ſuauiter viuentium non valet: quia quiſquis adhuc huius vitæ voluptatibus paſcitur ab æterna ſapientia intellectu ſeparatur.* Quòd ſi animus virtutis amore, floridas relinquens valles terrenarum deliciarum, in culmen virtutum aſcenderit, tunc ſupra perfectionis montes aquæ ſapientiæ permanebũt.

4 Cum vero inter voluptates potiſſimum ſit otium, quod vitiorum omnium fomes eſt: propterea enim Poeta cecinit.

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus.

Quare ſapiens ſcriptum reliquit: *Eccl. cap. 38. ver. 25. Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu ſapientiam percipit?* quibus verbis innuere videtur, ad ſapientiam capeſſendam otium, nam id ſonat vacuitas. requiri; cum enim homini ab omni vacat negotio, & vndique actiones arcet, maximo in otio videtur deliciari. Enim vero ne credito, animum deliciis, voluptatique deditum otiari; nam vt aſſequantur delitiæ, & cor vitiis, & mens machinationibus plena eſt. Quæ aſſiduæ delectationum fluctuationes ita occupant animũ, vt de ipſo verificari poſſit adagium illud, numquam eſſe minus vacuum, quam cum vacuum; ſiue minus ſolum, quam cum ſolus, tot agitationibus comitatus cum ſit. Vt igitur ad ſapientiam mens idonea reperiatur, vacua debet eſſe, ideſt ab omni terrenarum voluptatum deſiderio aliena, nec in vitiorum actibus occupata: tunc enim minoratur actu, cum vitiis parcit; & tunc eſt vacua cùm prauis cõgitationibus caret: vacuetur a malis, ab actibus carnalibus minoretur: Conſilium eiuſdem magni Gregorii eſt. *Nullus quippe eam plenè percipit, niſi qui ab omni ſe abſtrahere actuum carnalium fluctuatione contendit. Vnde dicitur: Sapientia ſcribæ in tempore otij, & qui minoratur actu ſapientiam percipit. Idem Ibid. pag. 725. lit. E.* Otium porro iſtud vtile eſt, & virtutis, ſapientiæque amicum, nullis terrenis cupiditatibus vacare.

5 Quod euidentius oſtendit Iob; qui cum multa loca animaduertiſſet, vbi ſapientia inueniri nequaquam poteſt; neque enim, vel in abyſſo peccatorum, vel in deliciis vitiorum, nec in mari negociorum, nec cum auri fame iungitur, neque prætioſis lapillis comparatur: Tandem ne de eius acquiſitione deſperarent homines, locum, vbi reperitur inſinuat, dicens: *Iob cap. 28. v. 28. Ecce timor Domini, ipſe eſt ſapientia, & recedere a malo intelligentia*: quaſi diceret: Ibi tantum ſapientia quieſcit, vbi vacuitas eſt vitiorum, vbi nullæ reperiuntur voluptates, vbi nulla venenoſa ſerpunt vitia, vbi operationes malæ locum non habent, ſed ſolus Diuinæ maieſtatis timor tantam vacuitatem adimplet; hic timor amoris eſt eſca, amor vero Dei ipſa ſapientia eſt: Aduoca eminentiſſimum teſtem, in huius verſus corroborationem, Hugonem inquam, quem dicentem audies. *Ecce timor Domini ipſe eſt ſapientia, ideſt cum ſapientia: quaſi dicat; ſi times Deum plenus es ſapientia: & recedere a malo intelligentia, ideſt qui ſe a prauis operibus cuſtodit, vim diuini amoris intelligit. Hugo Caren. Cardin. in Iob. pag. 432. col. 3.* Audite ergo mortales, qui ſapientiæ amatores ipſius comparationi totis viribus incumbitis; facillima eius acquiſitio eſt; relinquite valles floribus deliciarum refertas, conculcate diuitiarum ſpinas, paruipendite voluptatum pomaria, & impigro auſu ad montem contemplationis conſcendite, mundo relicto, illic ſapientiales aquæ reperiuntur.

§. VI.

Inſipientes ſuper ſuperbiæ montes eleuantur.

1 S*Vper montes ſtabunt aquæ.* Inter omnia veterum oracula, illud inter Philoſophos celeberrimum, quod tributum Apollini, propriam homini cognitionem ſuadet, dicens: *Noſce te ipſum.* Nam neque animus ſuperbire vmquam poteſt, ſi in ſui ipſius cognitione perſiſtat: quid enim ſuperbum in mentem venire poteſt, quæ ſe lutum fuiſſe, figuli opus eſſe, & cinerem mox futurum conſiderat? Optimè docet Seneca *De conſolat. ad marc. cap. 11. pag. 195. to. 1. Hoc iubet illa pythicis oraculis adſcripta vox, noſce te. Quid eſt homo? imbecillum corpus, & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum.* Inſipientium igitur eſt ſuperbire; illorum videlicet, qui ſeipſos numquam nouerunt; quæ maior præſumptio, quam aquas fluidas, & labiles ſupra montes conſiſtere velle? hoc opus inſipientis eſt; ille namque ſuper ſuperbiæ conſcendit montes, qui naturæ propriæ inſcius ſe non caducum, ſed ſempiternum putat. Ideo hic dicitur, vt notat D. Hieronymus *in Pſal. 103. Super montes ſtabunt aquæ: Ideſt ſuper excelſam ſuperbiam inſipientes populi commorantur.* Sed dum conſiſtere ſupra montes putant, in baratrum dilabuntur.

2 Putabam aliquando ſuperbiam ſcientiæ filiam eſſe, Paulo dicente: *Scientia inflat.* Verum re maturius conſiderata cognoui latam eſſe differentiam inter ſcientiam veram, & apparentem: qui enim veram ſcientiam habet nequaquam ſuperbire poteſt, cùm ipſa ſcientia, qua ſe clare cognoſcit, humilitatis potius homini occaſionem præbeat; etenim ille verus eſt humilis, qui cognitis aliis, nec ſeipſo ignorato, ſuæ naturæ fragilitatem cognoſcit: Logica docet, quæ in ſola intentionali abſtractione perſiſtit, nihil reale inter illecebras reperiri: Phyſica noſtræ mortalitatis nos admonet: Animæ immortalitas Cælum exoptandum probat, Mathematica noſtram puſillitatem demonſtrat, Gnonomica exiſtentiam noſtram, vitamque terrenam vmbræ ſimilem ſuadet, Aſtronomia humanum corpus fragile euincit, cuius humores a ſuperioribus cauſis tam facile alterantur, perſpectiua clarè indicat res humanas ſolo aſpectu delectabiles eſſe, Muſica, quæ cum ipſo tempore in fieri tantum eſſe

habet,

habet, inſtabilem noſtram durationem proponit, Metaphiſica animum a carnalibus, & terrenis abſtrahendum eſſe iudicat, & tandem Theologia in ſolo Deo ſpem noſtram collocare docet, qui cum ſit noſtra prima cauſa, vltimus etiam eſt finis: En quomodo vera ſcientia non inflat, ſed humiliat potius. Sed ne dictum Pauli, quod licitum nõ eſt, in dubiũ reuocemus, aduertẽdũ eſt aliam reperiri ſcientiam, ſeu potius neſcientiam, & veram inſipientiam, de qua idem Apoſtolus dicebat. *Sapientia huius ſaeculi ſtultitia eſt apud Deum*; *1. Corint. c. 3. v. 19.* quã videlicet putat homo ſe ſcire quod neſcit, & ſic quaſi ſapiens gloriatur, tumet, cum ſit inſipiens: quapropter inſipientiam cauſam ſuperbiæ dicimus; quandoquidem putãtes ſe ſapientes eſſe, cũ ſapientiã attigerint, tument, & ſuperbiunt. Tẽpore quo prędicabat Euangeliũ Paulus Apoſtolus, nõnulli reperiebantur, qui nomine chriſtani, putantes ſe in Euangelica doctrina doctiſſimos, cũ nec a limine ſalutaſſent, docere, & prædicare, ob inuidiam Pauli præſumebant, quia vero ſanam doctrinam nõ habebant, in docendo vana, & futilia ſuam neſcientiã declarabant; Idcirco de eis Paulus dicebat: *Si quis aliter, docet, & non acquieſcit ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbus eſt nihil ſciens*: *1. Timoth. c. 6. v. 3.* Qua ſententia illuminatus D. Io: Chriſoſt. *hom. 17. in 1. ad Timoth. tom. 4. col. 1392. lit C.* in huiuſmodi ſententiam deuenit. *Non igitur ſcientia in ſuperbiam attollit, ſed ignorantia potius. Nam qui ſermones pietatis ſcit, hic omnium maximè humilis eſt. Qui ſanam doctrinam nouit ille non infirmatur. Quod enim in corporibus tumor, hoc in animabus ſuperbia eſt. Demque ſicut illic quod immodicè turget ſanum non eſſe, ita tumidos carere ſanitate dicimus: eſt igitur aliquid ſcientem nihil ſcire.* Quod ſi ſuperbus, quia tumet, ſanus non eſt, qui capite, & cerebro laborat, is vel fatuus, vel inſipiens eſſe conuincitur.

3 Increati Numini ſponſa, Dei ſuperna dilectione languens, ipſius meridianum receptaculum ſcire deſiderabat, vt ardentiſſimi amoris, in optatis ſpõſi amplexibus, vim extingueret; ideoque puro cum affectu dicebat. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie: Cãtic. cap. 1. v. 6.* Dum vero dulciſſimam amati reſponſionem poſtulata indicantem expectat, audit ſe ignorantia notari: *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres. v. 7.* Et vnde inſipientiæ innoteſcit ſignum? Quia ſe minimè cognoſcens, immerita, & nedum poſſibilia præſumebat: meridies namque cæleſtis gloria eſt, in qua æternus ille Sol mentes Beatorum irradians, eorũ corda ardentiſſimo incendit amore; Et licet bonum ſit illam gloriam deſiderare, attamen nos ipſos noſcendo mortales, & caducos, præſumere non debemus adhuc in hac vita poſiti, & mortalibus circumdati ſpolijs tantã plenitudinem lucis poſſidere: prius pœnitentia cor eſt tergendum, virtutibus exornandum, & tandem mors intrepido animo ſuſcipienda eſt, vt clauſis mortalitatis oculis, Deo immortales viuamus. Sponſa vero viuens adhuc cęleſti frui beatitudine præſumebat, ſe ergo ignorabat mortalem, & tantæ haud idoneam viſioni, quæ mortalibus non conceditur, & ideo præſumebat inſipiens obtinere, quòd ſi ſapiens fuiſſet petere non auderet; meritò igitur ignorantiæ taxatur: *Si ignoras te*: vt D. Bernardus teſtatur: *ſerm. 38. in Cantic. pag. 162. col. 4. lit. B Sed reprehendenda cenſetur propter præſumptionem, & de ſua ipſius commonenda cognitione, in qua nimirum viſa eſt aliqualiter caligare, quæ tantæ ſe extimauit idoneam viſioni, ſiue minus attẽdens, præ exceſſu ſuo, quòd eſſet in corpore, ſiue fruſtra ſperans etiã manentem in corpore, ad illam ſe poſſe inuiſibilem aſcendere claritatem. Ergo ad ſeipſam protinus reuocatur, & ignorantia conuincitur, & inſolentia caſtigatur. Sed enim induci in nubes, penetrare in plenitudinem luminis, irrumpere in claritatis abyſſos, lucẽ habitare inacceſſibilem, nec temporis eſt huius, ne corporis. Quomodo quæris me in mea claritate videre, quæ adhuc ignoras te?* Vituperabilis ignorantia, quæ propriam conditionem ignorans, ſupra montes æternitatis conſiſtere præſumit.

4 Quæ ſuperba ignorantia in primo homine elucet, qui ſui conditionis oblitus, & qualis paulò ante fuiſſet, Dei æqualitatem appetere non dubitauit: & benè ſcientiæ boni & mali cupiditate decipitur, qui ſeipſum neſciens, inſipientem ſe fatebatur. A Deo ex luto compoſitus in animam nobilem, & immortalem euectus eſt, hinc in delitioſo pomario collocatus, muliere ſocia in delicijs obtenta, cum & ipſa vxor, & omnes reliquæ aeris, terræ, mariſque creaturæ ſuo parerent imperio, in hoc poſitus honore, luteam naturam ſtatim oblitus, iam ſe inter immortalia numina computabat; & in ſuperbiam elatus, Deo æqualem eſſe præſumebat; & tentatoris adulatorijs vocibus, *Eritis ſicut Dii*, delectatus, Deo auſcultare detrectauit: vnde ignorantiæ ſuæ pœnam luens, ſe poſteroſque ſuos, miſerijs, laboribus, doloribus, periculis, Morti; & Inferno miſerabiliter ſubiecit; quòd ſi ſe nouiſſet mortalem, luteum, & caducum nequaquam tanta præſumere potuiſſet; verùm quia aqua erat, inſipiens ſcilicet, in ſuperbiæ montem aſcendit. Hoc deplorabat Prophæta, dum canebat: *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus*: *Pſal. 48. verſ. 13.* Adam enim cum in honore eſſet, cunctis præpoſitus creaturis, quia ſe non nouerat, adulanti Diabolo credidit: benè ſuadebat Plutarcus: *quæſt. Quom. poſſ. adulat &c. tom. 1. cap. 52. pag. 144. Si vero Deum ſequuti, teneteſque ſummam vnicuique in eo poſitam eſſe ſalutis, vt norit ſe ipſum, non ita faciiè calcari ab adulatoribus patiemur*: Quod Adam ſi nouiſſet haud cecidiſſet: ſed audiamus D Bernardum. *loc. cit. Non intellexit, quod limus eſſet honoris faſtigio delectatus; vide quam ſit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum vniuerſo noſtro generi prouenerunt.* O quantũ inflat ſuperbia, quæ luteam aquam ſupra montes eleuare contendit.

5 Princeps quidam magnum, & ſua potentia haud dedecens parauerat conuiuium, ad quod (recuſantibus inuitatis) omnes cuiuſcumque conditionis homines admiſſi ſunt: factum eſt autem dum diſcumberet, vt ipſe Rex ad inſpiciendum conuiuas intraret, inter quos vnum vidit nuptiali veſte non decoratum, quem maxima mulctauit pœna: ſed quæ eius culpa fuerat, qui compulſus eſt, vt intraret? ea ſiquidem, quia ſeipſum non cognoſcens, auſus eſt tanto ſe dignum putare conuiuio, & cum alios omnes debita indutos veſte aſſidere videret menſæ, putauit ſe etiam ſine veſte decenter conuiuari potuiſſe. In quo ſuperbi adumbrantur, qui temerario auſu, licet peccatores, & indigni ad Sanctorum conſortium accedere non verentur, nec in eis ita mulctantur vitia reliqua, ſicuti iſta præſumptio, ideo damnationis illius non alia redditur ratio quam ſuperbia; *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Matth. cap. 22 verſ. 13.* Ignorantia demeriti ſui ipſum adduxit, vt ſe Sanctorum conſortio aſſociaret: nã ſi ſua vitia cognouiſſet, vt ille puli canus, nec oculos ad cœlum eleuare auſus fuiſſet: nec conſequenter pœnam luiſſet: ſicut enim macula inter candidas veſtes illico apparet, ſic inter ſanctos eminet peccatoris indignitas. Ita S. Maximus. *Cum alius charitate niteret, alius luceret fide, alius caſtitate fulgeret, ille ſolus conſcientiæ fœditate pollutus, cunctis ſplendentibus, deformi horrore ſordebat: & quanto plus ſimul diſcumbentium beatorum candebat ſanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas: qui potuerat minus diſplicuiſſe, ſi in conſortio iuſtorum minimè ſediſſet. D. Maximus Taurin. Epiſc. ſerm. de Natiu. Dom.* Inſipientium igitur, & ſeipſos neſcientium ſuperbire eſt; qui enim ſe nouerit humilietur neceſſe eſt, tot defectus, & vitia in ſemetipſo cognoſcens: ſed illæ aquæ, quæ ſe labiles non conſiderant, in ſuperbiæ montes aſcendunt.

Digitized by Google

§. VII.

Deliciæ, & Voluptates in Potentibus præualent.

1 S*Vper montes ſtabunt aquæ.* Non abs re montium nomine potentes, & Prælati intelliguntur: Etenim ſicut montes, valles imas protegunt, & a ventorum turbine defendunt; ita Superiores, & Prælati, valles humilium ſubditorum, animarumque ſibi commiſſarum, ab omni dæmonum incurſu, & vitiorum inſidijs regere, & defendere debent; nam ſicut valles vt plurimum floribus, herbis, ſimilibuſque delicijs refertæ ſunt, ita homines ſæculares, & mundi negocijs occupati, voluptatibus, & delicijs mundanis fruuntur; a quibus ne obruantur, debent Prælatorum, & Religioſorum exemplo tueri. Enim vero hiſce temporibus voluptatum, & deliciarum aquæ, quæ valles fæcundare ſolebant, ſupra montes conſpiciuntur: etiam in Prælatis, & Religioſis voluptuoſitas viget; vt ſegniter turbines arceantur, a tam mollibus, & delicatis montibus. Hoc plangit Propheta, inquiens: *Super montes ſteterunt aquæ*: hoc eſt, (vt magnus docet Albertus) *Aqua deliciarum, & voluptatum modo operuit montes, Prælatos, & magnos homines, aſcendens ad ſummum illorum.* Neque vlla ſupereſt florentibus vallibus ſpes virtutum labores amplexandi, dum montes voluptatibus exundant.

2 Hoc manifeſtè apparet in punitione Hæbreorum, carnes in deſerto appetentium. Diu per inuia, & deſerta loca iactatus Iſraeliticus populus, pane cæleſti, quo veſcebatur, minimè contentus, pertæſus ieiunio, carnes appetere cæpit, imo & petiit. Eorum murmurationibus motus Dominus, in ſuæ pietatis, & miſericordiæ ſignũ, coturnices ad eorum appetitum explendum adduxit: quia vero non humiliter, ſed petulanter eſcam petierãt, puniendi erant poſt ſaturitatem; & ita contigiſſe narrat *Pſal. 77. v. 30. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum.* iuſta temeritatis pæna: ſed cur inquit in ſolos pingues animaduerſum? nonne macilentes peccauerant? præſertim cum pinguedo potius debeatur complexioni: Qui ſunt igitur iſti pingues, qui ſoli cæduntur? *Pingues, ideſt Diuites, & potentes*, ait *Hugo Caren. Card. in Pſal. 77. to. 2. pag. 202. col. 4.* Iſti potentes, qui quaſi montes aliorum ingluuiem compeſcere debuerant; & exemplum temperantiæ populis præbere; erant, & ipſi pingues, ipſi edaces, & maiori, quam populus, deſiderio carnium ardebant; & ideo pænas dedere; nam montes, qui aquarum rigationem ſuſcipiunt; ſuperiores & Prælati, qui voluptatibus indulgent, præ cæteris puniendi ſunt: mundus enim periturus eſt, dum in eo deliciæ montes Prælatorum oppreſſerint. Hoc etiam Hugo *loc. cit.* deducit ad indignè communicantes: & ſic occiduntur pingues, ideſt ſacerdotes puniuntur, quia ipſi frequentius communicant in peccato, cum populi peccata compeſcere debuiſſent. *Moraliter poteſt exponi de indignè ſumentibus Euchariſtiam; & dicit, quod occidit pingues eorum, quia frequentius Sacerdotes, & Clerici indignè accedunt ad hunc cibum, quia pinguedinem temporalium multam habent.* Proh dolor! in quæ tempora, moreſque deuenimus, vt deliciæ, & voluptates, quæ ſæcularium valles, & gentilium colles deliciis carnalibus replere ſolebant, hodie Prælatos, & Religioſos impinguant.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Sextus.

Abyſſo Miſericordiæ induta eſt: ſuper montes Animarum ſtabunt aquæ beneficiorum ſuorum.

O Quam benè, & ad votum ab Iſraelitarum Monarca cantatum eſt: *Abyſſus Abyſſum inuocat*: Nam ſi Diuina Sapientia imperſcrutabilis eſt Abyſſus, quæ præcipuè propter eius miſericordias, quarum non eſt numerus, abyſſus nuncupatur, ab altera Abyſſo ortum duxiſſe credendum eſt: neque ſolum æterna generatione, in qua Deus de Deo proceſſit, cuius iudicia abyſſus multa; verum etiam humana natiuitate, in qua homo miſericordiæ victimã, de ſacrario Virginis, quæ Abyſſus miſericordiæ eſt, naſci voluit; vt in ara crucis immolaretur. Sic Virgo Deipara abyſſo miſericordiæ circumamicta, & abyſſum miſericordiæ, filium inuocans, ſuper montes animarum, ſibi deuinctarum, aquas perennes beneficiorum ſuorum exurgere facit, ſeraphico docente D. Bonauentura, *in ſpecul. B. M. lect. 5. tom. 6. pag. 458. col. 1. lit. E. Abyſſus eſt Maria in bonitate, et miſericordia: vnde cum profundiſsimam filij ſui miſericordiam interpellat, Abyſſus Abyſſum inuocat.*

Beata Dei Genitrix Miſericordiæ Abyſſus eſt.

1 A*Byſſo miſericordiæ induta eſt.* Diuinitatis abyſſum, vt imperſcrutabilem declararet, deſcribens Gentium Doctor, quadruplici eam immenſurabili menſura, potius terminantem, quam terminatam demonſtrat, illis verbis: *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum: Ad epheſ. cap. 3. ver.* 18. Quaſi diceret; Deus incomprehenſibilis eſt, nam ea quæ nos materialia, ſaltim extrinſecè comprehendimus, has quatuor commenſurationes habent: cum ergo Deus eas non habeat, vel

ſi illum

Digitized by Google

ſi illum humano more contemplari voluerimus, hæc quatuor ineffabilia nobis occurrant; pro ſtatu iſto incognoſcibilis nobis apparebit. Verum ſi nomine abyſſi Virginis miſericordiam intelligere fas eſt, cum D. Bernardo, etiam ipſam ineffabilem, & prorſus immenſurabilem cognoſcemus: Eius enim longitudo linea extenſa eſt vſque ad vltimum limitem temporis, vt dies ille qui tempus claudat, etiam Virginis miſericordiam terminet. Latitudo per omnem orbis terrarum ſpatium ſe diffundit, ita vt, qua patet mundus vniuerſus Mariæ miſericordia pleniſſimus ſit, eius beneficij in ſpem veniæ, & pœnitentiæ eleuatus: Sublimitas huius miſericordiæ vltimum cælorum attingit; quæ enim intellectualis creatura gloria gaudet, quæ eius pietati non debeat? vel quis locus ab apoſtaticis Angelis deſertus, Beatorum fulget conſortio qui a Mariæ miſericordia non ſit decoratus? Cuius profunditas profundum tangit Abyſſi, vbi animæ vltricibus, ſed purgatorijs flammis afflictæ, ex eius beneficentia quotidie capiunt refrigerium. En quomodo Mariæ abyſſus miſercordiæ profundiſſima, altiſſima, latiſſima, & longiſſima eſt, vltra quod humanus capiat Intellectus. Hanc doctrinam mellifluus Bernardus *Clareuall.* tradit. *ſerm. 4. de aſſumpt. pag. 256. lit. L. Quis miſericordiæ tuæ (o benedicta) longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inueſtigare? Nam longitudo eius vſque ad nouiſſimum diem inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt ſua quoque miſericordia plena ſit omnis terra: ſic & ſublimitas eius ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem; & profundum eius ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem.* Venerari igitur, at non cõprehendi hæc abyſſus poteſt, quæ ſine menſura beneficia impartitur.

2 Spiritus ſanctus, vt Deiparæ ſemperque Virginis Mariæ excellentiam declararet, ipſam varijs rebus, quę exiſtimantur inter homines, comparat. Inter omnes autem comparationes illa ſublimior eſt, qua Soli conformatur, *Electa vt Sol. Canticor. cap. 6. verſ. 9.* Etenim ſicut Sol fons eſt omnis illuminationis, ita Maria omnis gratiæ; ille tenebras, ipſa peccata propulſat, maculas nec ille habet, Nec Maria culpas; ille ſolus inter aſtra lucem producens, hæc ſola inter mulieres vitam generans; lux eſt ille, quæ lucens in tenebris ab ipſis non comprehenditur, Anima eſt iſta, quæ inter filias Adæ gratia plena, illius cladem, haud incurrit; ille Aſtrorum Princeps, hæc cælorum Regina: & ſi ille omnium corporum pulchritudinem antecellit, hæc omnium animarum ſpecioſitatem ſuperat: Sol ergo ſolus inter materialia, Maria ſola inter ſpiritualia, quæ poſt Deum excellentia præeminent omnibus creaturis. Perfecta igitur comparatio Solis, & Mariæ. Sed ſi ad explicandam eius perfectionem, Solis perfectiſſima ſufficiebat natura, cur etiam comparatur Lunæ? dicitur namque: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Quam excellentiam ad Solis ſplendorem Luna adiungere poteſt, quæ alieno lumine fulgens tenebricoſè lucet? Enim verò in hoc adumbratam Virginis miſericordiam maximam video, Sol clariſſimè fulget, ſed diem tantummodo, non noctem illuminat, Luna noctem, non diem: Nec Sol tantum, nec Luna ſolum Maria, ſed vtriuſque beneficentiam ſub pulchriori continet forma: illuminauit namq; ſua miſericordia mundum in nocte huius ſæculi, dum vitam nobiſcum duxit, at pleniori pietate in die Paradiſi poſita nobis ſuccurrit, vbi clarius noſtras intuens miſerias, maiorem impendit Miſericordiam. Id Seraphicus obſeruauit Doctor, dicens. *In ſpec. Virg. lect. 10. to. 6. pag. 466. col. 2. lit E. Magna enim erga miſeros fuit miſericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo; ſed multo maior eſt iam regnantis in cælo, quia magis nunc videt innumerabilium hominum miſeriam; vnde pro ſplendore prioris miſericordiæ fuit Maria pulchra vt Luna: pro ſplendore verò poſterioris miſericordiæ eſt electa vt Sol.* Sol creditur abyſſus lucis, ſed Abyſſus miſericordiæ marianæ latius patet.

3 Fidelium Congregatio frumentario agro ad meſſem iam albo ab ipſo Redemptore noſtro comparata eſt: huius agri meſſores, qui triticum in diuinum horreum congregant, diuini Verbi Prædicatores ſunt, cęterique ad animarum ſalutem deputati Miniſtri: Hi prędicationis falce animas a mundo præciſas, cæleſti gloria dignas reddunt. Sicut autem in meſſoribus contingit, vt non poſſint omnes ſpicas euellere, ſed multæ eorum manus effugiunt, & neceſſe eſt vt a mulieribus, permittente agri domino, colligantur: ita ſimiliter in Eccleſiæ agro, non pauci peccatores in malo obſtinati reperiuntur, qui nullis exhortationibus, exemplis, minis, a vitijs abſtrahi poſſunt, & ad meliorem frugem perduci; vnde tanquam incorrigibiles a Prædicatoribus, & Doctoribus relinquuntur; & illos colligit manu miſericordiæ ſuæ Maria; ipſa incorrigibiles corrigit, ad ſpem veniæ ſubleuat, in gratia firmat, in gloria tandem collocandos: Hanc enim ab omnium Domino gratiam conſequuta eſt. Huius ſignum fuit Ruth, quæ apud Booz gratiam inueniſſe dicitur, vt eius agri ſpicas colligeret: de qua legimus dixiſſe Booz: *Inueni gratiam in oculis tuis Domine mi. Ruth. cap. 2. v. 13.* Quod expendens D. Bonauentura, inquit. *in ſpecul. Virg. lect. 5. to. 6. pag. 459 col. 1. lit. K. Ruth interpretatur videns, vel feſtinans, & ſignat B. Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & benè feſtinans fuit in actione. Videns etiam noſtras miſerias eſt, & feſtinans ad impendendam ſuam miſericordiam. Maria ergo in oculis Domini hanc gratiam inuenit, vt ipſa ſpicas, ideſt animas a meſſoribus derelictas, colligere ad veniam poſſit: Qui ſunt meſſores niſi Doctores, & Rectores? O uerè magna Mariæ gratia, qua multi ex eis ad miſericordiam colliguntur, qui a Doctoribus, & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur.* Nullus Dei matris auxilio deſtituitur, nam Abyſſus eius miſericordiæ erumpens animas ſalutarium gratiarum vnda reſpergit.

4 Et quid mirum tantam vndarum diffundere pluuiam abyſſum, tantam miſericordiæ copiam impendere Mariam? Hoc ei regnare, miſeris miſereri. Numquid nam non audiſti in eius laudem cantari: *Salue Regina mater Miſericordiæ?* vtique millies: ſed mecum eius rationem conſidera. Regia vxor, & mater titulo Reginæ decoratur, & hoc propter Regnum viri, vel filij ſui; vnde dicitur Regina Hiſpaniæ, Hungariæ, Poloniæ, &c. Beata Virgo Regina eſt, & Regina mater, nuncupatur ergo Regina ex filij ſui regno: ſed dic ſodes, quod regnum Chriſti eſt, niſi miſericordia? Ipſe namque Dei filius, itemque Dei miſericordia eſt: de quo Auus eius Prophetabat: *Suſcepimus Deus Miſericordiam tuam, in medio templi tui: Pſal. 47. verſ. 10.* vbi D. Dionyſius Carthuſianus. *in Pſal. 47. Miſericordiam tuam ideſt Chriſtum ad nos miſericordiſſimè miſſum:* Hæc enim eſt miſericordia maxima, maior, & prima gratiarum, quòd Deus incarnari propter noſtram ſalutem voluerit: ſecundum quod Scotus ex D. Auguſtino docet; *In rebus per tempus ortis nulla maior gratia fuit, quam quòd homo in vnitate perſonæ coniunctus eſt Deo.* Si ergo Filius Virginis miſericordiæ eſt Dominus, merito Mater eius vocatur Regina, quia mater miſericordiæ eſt; Et benè Mater, & optimè Regina dicitur, nam abyſſus miſericordiæ ita in eius poteſtate eſt, vt cuicumque voluerit aperiat eum; D. Bernardo affirmante. *ſerm. 1. ſuper Sal. Reg. col. 1735. lit. M. Iam in hoc conuenienter vocatur Regina miſericordiæ, quando diuinæ pietatis abyſſum, cui vult, & quando vult creditur aperire; vt quiuis enormis peccator non pereat, cui Sancta ſanctorum patrocinij ſui ſuffragia præſtat.* Rectè igitur Mater miſericordiæ, Regina miſericordiæ eſt.

5 Confirmare hoc poſſumus ex Iſaiæ vaticinio; qui Meſſiæ Regis aduentũ deſcribens, illi miſericordiæ præparat ſolium, inquiens: *Præparabitur in miſericordia ſolium eius. Iſai. cap. 16. verſ. 5.* Etenim in regijs Aulis cum Monarchæ præparatur ſolium, illud Regni inſignijs decoratur: hinc eſt, quod cum Dei filius miſericor-

dia

Digitized by Google

dia ſit, eius ſolium miſericordia decoratur: Et huius miſericordis ſolij vel Maria eſt figura, vel Domina : ipſa namq; miſericordioſiſſima cum ſit miſericordiſſimi Monarchæ mater, Domina miſericordiæ, & pietatis abyſſus eſt : nulluſque eius inuocans patrocinium de miſericordia deſperare poteſt : nam Filium multæ miſericordiæ generans, multam habet miſericordiam : ita Doctor Seraphicus probat. *Præparabitur in miſericordia ſolium eius ; Solium Diuinæ miſericordiæ eſt Maria, Mater miſericordiæ, in quo omnes inueniunt ſolatia miſericordiæ. Nam ſicut miſericordioſiſſimum Dominum, ita miſericordioſiſſimam Dominam habemus. Dominus noſter multæ miſericordiæ eſt inuocantibus ſe : Domina noſtra multæ miſericordiæ eſt inuocantibus ſe. D. Bonauentur. Cardin. in Spec. Virgin. Lect.9. tom 6. pag. 465. colum. 2. lit. B.* Plaudat Cœlum, plaudat Terra, plaudat infernus purgatorij ignis : omnem veniam, & gratiam ſperare fas eſt, dum miſericordia regnat : nullus concupiſcentiæ ſiccitate caleſcet, nullus malorum peruerſitate peribit, nullus pœnarum acerbitate deficiet, dum ad eius refrigerium a miſericordia regnante pietatis Abyſſus aperitur.

6 Obijciet fortaſſe incredulus. Cur ſi abyſſus miſericordiæ Maria dicitur, omnibus gratiam procurando ; tot videantur in terra homines omnibus ſpiritualibus auxilijs deſtituti miſerrimè perire? Verum reſpondeo : nullum perire, niſi volentem : Terra illa non fœcundatur, quæ vndas aquæ reſpuit : illud cor vacuum, quod gratiam non exoptat : omnes illuminat, & calefacit ſol collocatus ſupra horizontem, ſolus ille lucis, & caloris beneficia non ſentit, qui latitat in ſpeluncis : quomodo ergo poterit huius abyſſi miſericordis gratioſas vndas haurire, qui negligit, qui paruipendit? Olim apud Iſraelitas quidam Propheta vltimum naturæ tributum moriẽdo perſoluit; muliere eius vxore, cũ duobus paruulis, filijs in maxima paupertate relicta ; hos paruulos inhumanus petebat creditor ſeruos ſibi, vt miſerabili ſeruitute defuncti parentis debitum compenſarent. Horum innocentiæ miſeratus Eliſeus Prophetarũ Princeps ; iuſſit matrem eorum a vicinis petere vaſa vacua non pauca, & de parua olei portione, quam habebat, impleri ; nam nunquam defeciſſet oleum, Dei miſericordia multiplicatum : iuſſis obtemperat mulier, & filijs porrigentibus vaſis illa oleo replebat : *Iuit itaque mulier, & clauſit oſtium poſt ſe ; illi offerebant vaſa, & illa infundebat : 4. Reg. cap.4. ver.5.* ſed tandem deficientibus vaſis ; *ſtetit oleum. ver.6.* Oleum miſericordiam ſignat, mulier illa B. Virginem ; hæc autem vaſa omnia, quæ exhibentur implet ; omnes animas, quæ eius implorant auxilium miſericordiæ, & gratiæ plenitudinem ſentiunt : quòd ſi vaſa aliqua nõ adhibentur, ſi corda indurata ad Mariam non clamant, ſtat oleum, miſericordia non operatur : eleganter, & acutè D. Bonauentura *loc. cit. lect.7. pag. 463. col.1. lit. A. Mulier iſta eſt Maria, quæ etiam a Filio ſuo mulier, appellata eſt. Huius mulieris vaſa ſunt affectus, & effectus, deſideria, & beneficia, quæ omnia oleo miſericordiæ plena ſunt in Maria. Sed certè, quia ad multiplicationem olei, vaſa etiam viciſſim non pauca collecta fuerunt ; ideo quoque per vaſa illa omnes ſignari poſſunt, qui plenitudinis miſericordiæ Mariæ participes ſunt.* Vaſa omnia mulieri porrecta implentur, omnes Mariam inuocantes Animæ miſericordiam conſequuntur, quæ non paucæ, imò ferè innumerabiles ſunt : quod ſi nonnullæ miſericordia deſtitutæ reperiuntur, eæ ſunt, quæ Mariæ patrocinium efficaciter non inuocarunt.

7 Huius veritas, vel ex eo colligi poteſt, quod etiam ijs diuinæ miſericordiæ abyſſum aperire conabatur, qui a Deo, & ab ipſa miſericordia auerſis, ipſam iuſtitiam auſis temerarijs prouocabant. Rex Meſſias, Mariæ Virginis Filius pro Mundi ſalute in mundum venit, & precipuè cognatos ſuos ſecũdum carnem Iudæos ad fidem, & pœnitentiam perducere ſatagebat : illi contrà eius ſanctitati, & doctrinæ inſultantes, varijs calumnijs, flagelliſq; cæſum, in Crucem egerunt. Pendebat in Cruce cruciatibus, doloribuſque plenus Dei filius, verum, nec iniuriis laceſſitus, ſuam miſericordiam continuit ; ſed vltro inſultantibus veniam impertabat, dicens : *Pater dimitte illis non enim ſciunt quid faciunt. Luc. cap. 23. ver.34.* Quid autem tunc Maria, cuius cor in filii vulneribus cruciabatur? fortè aliarum matrum more de crudelitate illorum conquerebatur? forte illis malum imprecabatur? fortè doloribus excitata eorum perditionem optabat? nequaquam, ſed ad ſui nati imitationem, Deum precata, ipſis veniam poſcebat, verba Ieſu repetens. *Dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Vt omnes creaturæ tantam mirarentur miſericordiam, quæ etiam illis, qui nec eam implorabant, imò qui eam iniuriis prouocabant diuinam pietatem impartiri cupiebat : Non enim ſolis amicis, & famulis, ſed quandoq; etiam inimicis fauere miſericordiarum Regina nouit, ex B. Amedei Lauſanenſis *Homil.5. de laudib. Virg pagin.814. colum.1.* ſententia. *Nec verò quiſquam opponat Iudæos exoſos Dei Genitrici, eo quod filium ſuum morte turpiſſima condemnarunt. Quos enim morti æternæ appropriare videbat, nequaquam odio ſuo dignos exiſtimauit, & ſuggillatione ; ſed affectu plurimo, ſed lacrymis multis, & magna miſeratione. Vnde tam particeps charitatis, quam Crucis Chriſti, aſſumpſit orationem pro eis, corde perfecto paternæ pietatis aures compulſans; Pater dimitte illis hanc noxam, quia neſciunt quid faciunt.* Quòd ſi hæc gratiarum abyſſus tantam pietatem inimicis demonſtrat, quid in amicos facturam putabimus? Nullus ſanè gratia vacuus, qui Mariam patronam aduocat, inuenietur.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

IN hoc verſu quinque verba reperiuntur, quæ ſecundum allegoricum ſenſum variè in ſcripturis reperiuntur expreſſa ; videlicet : Abyſſus, Veſtis, ſeu amictus, Mons, Stare, & Aqua : de Veſte require in expoſitione allegorica verſus ſecundi ; de Aquis in Verſum tertium. Hic igitur tria tantum expendenda remanent Abyſſus, Stare, & Montes, quorum allegorias more ſolito ex Scripturis Sacris; Catholiciſq; Doctoribus hauriemus.

SVMMARIVM.

1 *Varia Abyſſus ſignificata, & figura.*
2 *Montium Allegoricæ acceptiones.*
3 *Quibus rebus Verbum Stare ſymbolicè applicetur.*

Varia

Digitized by Google

§. I.

Varia Abyſſus ſignificata, & figuræ.

1 A*Byſſus ſicut veſtimentum amictus eius*. Abyſſus vorago quædam eſt inuiſibilis, & immenſurabilis: ideoque Dei ſapientiam, & Iudiciorum Dei profunditatem ſignificat, vt vidimus in expoſitione morali §. 1. & 2. ſumitur etiam pro Spiritu ſancto, & eius donis, quibus animarum extinguitur ſitis: de quo Pſal. 77. v. 15. *Adaquauit eos velut in Abyſſo multa*: & D. Auguſtinus: *in Pſal. 77. to. 8. pag. 351. col. 2. Poteſt vtique ſitienti fidei donum ſpiritus ſancti (quod illa res geſta ſignificabat) infundere.*

2 Abyſſus ſacra ſcriptura eſt, quæ plena myſterijs, & reconditis Sacramentis, & ſenſibus eſt: quia verò in duo teſtamenta diuiditur, & vnum fundatur in alio, ideo dicitur: *Abyſſus Abyſſum inuocat Pſal. 41. verſ. 8. Abyſſus, ideſt teſtamentum vetus*, inquit, D. Albertus Magnus *in Pſal. 41. to. 7. pag. 294. col. 2. inuocat abyſſum ad hoc vt tui memor ſit, ideſt teſtamentum nouum.*

3 Eſt Altitudo myſteriorum cæleſtium; de quibus dicitur: *Ponens in theſauris abyſſos*: *Pſal. 32. verſ. 17.* non enim faciliter cæleſtia myſteria nouit, qui eccleſiæ fidem non habet: vnde D. Hieronymus: *in Pſal. 22. tomo 7. col. 56. lit. F. Hic abyſſos myſteriorum cæleſtium altitudinem intelligimus.*

4 Doctrina Eccleſiæ Abyſſus dicitur, quia mentes fidelium ſaturantur, & fæcundantur Eccleſiaſtica doctrina, campi ſaturantur aquarum abyſſo: ſic dicitur: *In cuius campis, vallibus, & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi. Deuteron. cap. 8. verſ. 7.* Vbi Gloſſ interl. *Ad mentes auditorũ fluunt in Eccleſia doctrinæ flumina.*

5 Eſt Auaritia, quæ veluti abyſſus terminum, & finem non nouit: de qua Propheta; *Ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus, & deuorauit abyſſum multam: Am. c. 1. v. 7* Vbi Abb. Tuitienſis. *c. 6. in Amos. to. 1. pag. 873. col. 1. Multa abyſſus, ideſt ipſa Ciuitas, quæ propter profundam auaritiam abyſſus multa dici merebatur.*

6 Peccator abyſſus eſt, quæ tunc in cæleſti collocatur theſauro, quando a ſua via mala conuerſus ſanctitatem operans, velut lapis prætioſus refulget; de quo intelligit B. Albertus magnus, illud Pſal. *32. v. 17. Ponens in theſauris abyſſos*; ſubdens. *in Pſal. 32. tom. 7. pag. 217. col. 2 Ideſt peccatores, qui ſunt in profundo tenebrarum; in theſauris, eos faciens prætioſos; ſicut factũ eſt in Paulo, de quo Act. 9. Vas electionis eſt mihi iſte.*

7 Hinc ſequitur: aperire puteum abyſſi; ideſt publicè, & inuerecundè peccare: de quo dicitur Apocalip. 9. verſ. 10. *Aperuit puteum abyſſi*: inquit D. Auguſtinus, *Hom. 7. in Apoc. tom. 9. pag. 357. col. 1. lit. C. manifeſtauit cor ſuum ſine vllo timore, vel pauore peccandi.*

8 Totus populus propter peccatum, hæreſim præſertim, ab Eccleſia recedens abyſſus vocatur: hinc dicitur ibidem. verſ 1 *Vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi*, & citatus Auguſtinus. *ſtella abyſſus peruerſos homines: ergo ſtella cecidit de cælo, ideſt Populus peccator Eccleſia.*

9 Ipſe diabolus cum in abyſſum damnatur: *Miſit eum in puteum abyſſi*: *Apocalip. c. 20 verſ. 3.* per abyſſum maxima impiorum, & damnatorum multitudo intelligitur a Ruperto Abbate *De op. ſpir. ſanct. cap. 3. tom. 1. pag. 705. Miſit illum in abyſſum, vtique diabolum miſit in abyſſum; quo nomine ſignificata eſt multitudo innumerabilis impiorum.*

10 Abyſſus gaudia cæleſtia appellari poſſunt, quæ ineffabilia ſunt: de quibus dicitur: *Ponens in theſauris abyſſos, Pſ. 32. v. 17.* per theſaurum Chriſtũ intelligens, in quo omnia ſunt æterna gaudia: quare Magnus Albertus inquit: *loc. cit. Ponit in theſauris, in Chriſto; de quo Coloſ. 2 in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi: Abyſſos, ideſt gaudia inſcrutabilia.*

11 Etiam Tribulatio abyſſus eſt, animam ſpiritualem vel Eccleſiã tegens, ne ab illecebris obruatur: de quo in expoſitione morali §. 3. & etiam Ion. 2. vbi Propheta ne in peccati obſtinationem rueret ſe vallatum abyſſo fatetur: *Vallauit me Abyſſus*: *cap. 2. v. 15.* & ſubdit Idem Albertus *in Pſal. 103. tom. 7. pag. 215. col. 1. Sic Eccleſia Abyſſo tribulationum circumdatur, & vallatur.*

12 Hinc oritur: ſuperficiem abyſſi conſtringere; ideſt mentem in bono propoſito aduerſitatibus confirmari: quia Abyſſus gelu conſtringitur, & anima gelu tribulationis munitur: De hoc Iob. 38. verſ. 30. *Et ſuperficies abyſſi conſtringitur*: vbi D. Gregorius Magnus *lib. 29. cap. 15. mor. pag. 973. lit. E. Poſt gelu abyſſus conſtringitur; quia mens noſtra ad conſeruanda dona, quæ acceperit, ipſis aduerſitatibus munitur: abyſſi enim ſuæ ſuperficiem Iſaias conſtrinxerat, cum dicebat: ſecretum meum mihi; ſecretum meum mihi.*

13 Signat infernum: in quem demonia apud Lucam rogabant Ieſum, *Ne imperaret illis, vt in abyſſum irent: Luc. cap. 31.* ita Beda. *in cap. 1. Gen. tom. 4. col. 20. Abyſſus illa nimirum eſt, in qua diaboli, & Angeli eius; quæ in Euangelio ſignatur cum dicitur: Et rogabant illum dæmonia, ne iuberet ea ire in abyſſum.*

14 Abyſſus poteſt dici omnis vita a Deo auerſa; abyſſus enim eſt ſine vera animæ luce: quæ figuratur *Gen. cap. 1. verſ 2. Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*: vbi D. Auguſtinus. *Tranſlato verbo, tenebroſam abyſſum intelligimus naturam vitæ informem, niſi conuertatur ad creatorem. lib. 1. cap. 1. de Geneſ. ad lit.*

15 Abyſſus ignorantia eſt: in cuius ſignum dicitur Apocalip 11. *verſ. 7. Beſtia aſcendet de abyſſo, & proſperabitur*: nam propter ignorantiam hæretici, & Tyranni proſperantur: ita D. Bernardinus Senenſ. *Dom. 1. Quadrag. art. 1. cap. 1. to. 2. pag. 477. lit. A. Beſtia, ideſt beſtialis, & crudelis antichriſtus, aſcendet de abyſſo, & proſperabitur, ideſt ſucceſſum habebit ex ignorantia mundi; quæ verè abyſſus poterit appellari.*

16 Amor peccandi Abyſſus dicitur, quia luce ſapientiæ caret: vnde Iob de ſapientia loquens. ait: *capit. 28. verſ. 14. Abyſſus dicit non eſt in me*: & Senenſis citatus: *ſer. 2. Dom. 2. tom. 1. pag. 105 col. 2. lit. D. Amor peccandi abyſſi puteus digniſſimè nominatur, quia ſine ip a bonitate diuina amor peccandi manet; teſtante Iob 28. cap. qui ait; Dicit abyſſus non eſt in me.*

17 Timor maximus abyſſus nuncupatur, quia in profundum deſperationis mergit: de quo Pſalm. 106. v. 26. *Deſcendunt vſque ad abyſſum*; & Diuus Auguſtinus: *in Pſal. 106. tom. 8. pag. 513. lit. B. Deſcendunt vſque ad abyſſum timendo.*

18 Tandem Tribulatio, & afflictio Chriſtianorum, tempore Principum gentilium; quæ ad Deum vocem orando dedit, eſt abyſſus; ad quam ſubleuando altitudo Chriſtianiſſimi Principis Conſtantini leuauit manum ſuam: hoc exprimitur in *cap. 3. verſ. 10.* Cant. Habacuc: *Dedit abyſſus vocem ſuam, Altitudo manum ſuam leuauit*. Ita Lyranus. *Per altitudinem intelligitur Conſtantinus, cui totus orbis erat ſubiectus: ipſe vero manum ſuam leuauit ad protegendum Chriſtianiſmum: & ſic abyſſus dedit vocem ſuam, quia Chriſtiani prius in abyſſo tribulationis poſiti, eruperunt ſolemniter in diuinam laudem.*

§. II.

Montium allegoricæ acceptiones.

1 S*Vper Montes*. Mons terræ pars eſt altior & eleuatior; & primo ſignificat Chriſtum: de quo in Daniele Prophetatum eſt ſub figura lapidis, qui ſine manibus abſciſſus creuit in montem: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus*: *Dan. cap. 2. ver. 34.* qui paulo poſt: *factus eſt mons magnus*. Chriſtus namque ſine virili ſemine natus, quaſi mons inter ſanctos refulget: vt docet D. Auguſtinus. *in Pſal. 3. tom 8. pag. 7. col. 2. Lit. A. Montem quidem ipſum Dominum per Prophetã dictum habe-*

Digitized by Google

habemus, vt ſcriptum eſt; lapidem præciſum ſine manibus creuiſſe in montem.

2 Mons etiam mater Ieſu Chriſti Maria eſt, vt mons de monte naſceretur: quia etiam ipſa, poſt filium, omnes ſanctos perfectione præcellit: de qua dicitur: *Iſai. cap. 2. ver. 2. Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium*: vbi D. Gregorius Mag. *in 1. Reg. lib. 1. cap. 1. to. 1. pag. 7. lit. B. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes ſanctos refulſit.*

3 Montes Angelos figurant: de quibus videtur intellexiſſe Pſaltem, cum canebat: *Pſal. 89. ver. 2. Priuſquam montes fierent*: ſecundum D. Auguſtinum *in Pſal. 89. to. 8. pag. 405. col. 2. lit. C. Vt montium nomine ſignificarentur celſitudines angelorum.* Locum enim celſiorem inter intellectiuas creaturas habent, ſicut montes in terra.

4 Eccleſia Chriſtiana dicitur mons quia inter alias ſectas eminet veritate, & ſanctitate: de qua canitur: *Pſ. 77. ver. 34. Induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ; montem, quem acquiſiuit dextera eius*: Eccleſiæ namque poteſtatem ſanguine ſuo acquiſiuit Ieſus Chriſtus: vnde D. Auguſtinus *in Pſal. 77. pag. 355. col. 2. lit. B. Quanto ſublimior Eccleſia, quam acquiſiuit Chriſtus eius.*

5 Apoſtoli, cæterique Prædicatores, qui in Eccleſia inter reliquos præeminent, & ipſi montes ſunt: de quibus dicitur: *Pſal. 45. ver. 3. Transferentur montes in cor maris*: & Incognitus *in Pſalt. in ver. 762.* inquit. *Per montes in Plurali ſignificantur Prædicatores, & Apoſtoli.*

6 Etiam Prædeſtinati ſunt montes, quia reprobis elatiores, & perfectiores ſunt, de quibus Propheta: *Pſal. 35. ver. 7. Iuſtitia tua ſicut montes Dei*: vbi Idem Incognitus *in ver. 563. De iſtis, ergo iuſtis prædeſtinatis dicit, quod ſint ſicut montes Dei.*

7 Mons cælum ſignat vtpote totius vniuerſi ſublimiſſimam creaturam: de quo intelligitur illud *Ioan. c. 6. ver. 3. Subijt ergo in montem Ieſus*: quod ita interpretatur Rupertus Abb. *Tuitien. in Ioan. lib. 6. to. 2. pag. 192. col. 2. Ergo inquit, quia trans mare abijt, idcirco ipſe quoque in montem ſubijt: & idcirco ſuper cælum cælorum caput exaltauit, quia de torrente in via bibit.*

8 Contemplatio mons eſt, quia mentem ſupra ſeipſam extollit; & ſignatur per montem, in quem aſcendit Moyſes iubente Domino: *Exod. cap. 24. ver. 12. Aſcende ad me in montem*: & ad quem deſcendit Dominus: quia contemplatione mens aſcendit ad Deum, & Deus deſcendit ad mentem, vt docet Magnus Gregorius. *lib. 5. cap. 26. moral. pag. 424. lit. B. Mons quippe eſt ipſa noſtra contemplatio, in quam nos aſcendimus, vt ad ea, quæ vltra infinitatem noſtram ſunt, videnda ſubleuemur.*

9 Mons etiam eſt Virginitas, quia hominem ſupra homines extollit; ad quam ſecundum Gloſſ. Angelus hortabatur Lot, dicens: *Gen. cap. 19. ver. 17. Salua te in montem. Virginitas altus mons eſt, ad quam Angelus hortatur.*

10 Iuſtitia Dei mons eſt: in cuius myſterium dixit Dauid: *Pſal. 3. ver. 4. Exaudiuit me de monte ſancto ſuo.* vbi D. Auguſtinus *in Pſal. 3. to. 8. pag. 7. col. 2. lit. A. De monte ſancto ſuo, de iuſtitia ſua: legimus enim; iuſtitia tua ſicut montes Dei.*

11 Superiores, & Prælati ſunt montes, quia inter populos eminent: de quibus dicitur. *Pſal. 146. ver. 8. Producens in montibus fœnum*: & D. Auguſtinus *in Pſal. 146. to. 8. pag. 697. col. 2. lit. B. Numquid non, & in terra humilis? ſed quid magnum eſt in montibus? montes dixit excelſos ſæculi, aliqua magna dignitate præditos.*

12 Ipſa ſuperbia mons eſt: qua ſuper alios ſuperbi homines eleuantur. qui ſignantur per montes Gelboe: *2. Reg. cap. 1. ver. 18. Incliti Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt*: & addit Rupertus Abb. *Tuit. lib. 2. in lib. Reg. c. 20. pag. 464. col. 2. Ecce enim ſuper montes tuos, o Saul, ſuper montes inquam tuos, ideſt propter ſuperbiam tuam, incliti Iſrael occiſi ſunt.*

13 Propter eamdem rationem Diabolus, quia ſuperbus, mons eſt: de quo Chriſtus dixit: *Quicumque dixerit huic monti tollere, & mittere in mare* &c. *Marc. cap. 11. ver. 23.* Vbi Beda *lib. 3. in mar. cap. 11. col. 175. Montis nomine nonnumquam Diabolus ſignificatur.*

§. III.

Quibus rebus verbum (ſtare) ſymbolicè applicetur.

1 S*Tabunt aquæ.* Verbum ſto vſurpatur rigoroſè pro erecta, & permanenti hominis poſitione: vſurpatur tamen allegoricè multipliciter. Et primo ſignificat exiſtentiam Dei Iob. cap. 4. ver. 25. *Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum*: vbi Gregorius Magnus *lib. 5. cap. 25. moral. pag. 423. lit. B. to. 2. Stare ergo ſolius Creatoris eſt, per quem cuncta non tranſeuntia tranſeunt, & in quo aliqua ne tranſeant retinentur. Stat autem, quia inquantum cognoſcitur incommutabilis apparet.*

2 Significat aduocationem Chriſti pro nobis apud Patrem; ille enim, qui in ſua gloria ad dexteram Patris ſedet, vt pro nobis interpellet, ſtat: ſic eum Stephanus vidit: *Actor. cap. 7. ver. 55. Et Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei*: vbi D. Ambroſius *lib. 3. de fide cap. 7. pag. 117. lit. D. Cur enim vbique ad dexteram ſedere oſtenditur, vno legitur in loco ſtare? Sedet quaſi Iudex viuorum, & mortuorum: ſtat quaſi aduocatus ſuorum.*

3 Significat Chriſti potentiam, qua vniuerſum ſubmittens, gentes, & infideles deſtruxit; quod oſtendit Propheta; dicens; *Habac. cap. 3. ver. 6. Stetit, & menſus eſt terram*: & D. Hieronymus. *to. 3. pag. 271. lit. B. Stans Saluator, & cuncta perſpiciens, & oculo ſuo vniuerſitatem mundi metiens, gentium multitudinem diſſipauit.*

4 Significat ſtatio ſponſi inter cancellos, & poſt parietem, cognitionem, quam in præſenti de Deo habemus, quæ vtique velata eſt: de qua ſponſa: *Cantic. cap. 3. ver. 4. En ipſe ſtat poſt parietem reſpiciens per feneſtras, reſpiciens per cancellos.* Vbi Origenes *hom. 3. in cantic. to. 1. pag 344. col. 1. lit. L. Quod autem per retia feneſtrarum proſpicere dicitur; illud ſine dubio indicat, quod donec in domo huius corporis poſita ſit anima, non poteſt nudam, & apertam Dei ſapientiam capere; ſed per exempla quædam, & indicia, atque imagines rerum viſibilium.*

5 Significat altitudinem religionis quæ fundata in fide ad cælum pertingit, cuius figura fuit ſcala Iacob: *Gen cap. 28. ver. 12. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius tangens cælum*: Ibique Lyranus ait. *Vidit ſcalam ſtantem, ideſt Religionis altitudinem.*

6 Significat authoritatem prædicationis, quæ Eccleſiam roborat: ſic dicitur, iuxta 72. interpretes, Habacuc cap. 3. v. 11. *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo*: vbi D. Gregorius Mag. *Hom. 29. in Ezech. to. 3. pag. 86. lit. D. Eleuatus eſt ergo Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo: quia cum Dominus cælos petijt, ſancta eius Eccleſia in authoritate prædicationis excreuit.*

7 Sanctorum interceſſionem ſignat: de qua dicitur: Ierem. c. 15. v. 1. *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me* &c. & D. Hieronymus *In Ierem. to. 4. pag 343. lit B. Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, ſiue contra me, non eſt anima mea ad populum iſtum: Hos enim legimus Domino reſtitiſſe.*

8 Et in eodem ſenſu ſignatur oratio, qua Deus placatur: ſic Ezech. c. 13. ver. 4. dicitur: *Neque oppoſuiſtis murum, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* vbi idem Hieronymus *pag. 477. lit. A. Sicut enim murus hoſti opponitur; & aduerſario ſolet occurri ex aduerſo, contraque venienti; ita Dei ſententia ſanctorum precibus frangitur.*

9 Adherere Deo, ſiue eius voluntati ſe conformare, ſtare in conſilio eius dicitur; de quo dicitur: *Ierem. c. 23. v. 22. Si ſtetiſſent in conſilio meo.* vbi Gloſſ. interl. *Si ſtetiſſent in conſilio meo, ideſt voluntati meæ acquieuiſſent.*

10 Stare pedem, eſt fidem non moueri, nec nutare, ſiue

Digitized by Google

ſiue peproſpera extollatur, ſiue agitetur aduerſis: vnde Pſalmus. 25. *verſ.12. Pes meus ſtetit in directo*: vbi D. Ioannes Chriſoſt. *in Pſ.25.tom.1.col.924 lit.E. Pes veſter, ideſt fides veſtra, non extollatur in proſperis, in aduerſis non deiiciatur; ſed clamate cum Propheta dicentes; Pes meus ſtetit in directione.*

11 Spes quoque deſignari poteſt, quæ nos in cæleſtium deſiderio ſtare, & permanere facit: de qua dicitur: *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem*; & ſubdit Lyranus: *Ideſt affectiones noſtræ in appetitu Ieruſalem ſupernæ. in Pſal.121.verſ.2.*

12 Stare de longè a peccatore eſt ſeparari ab illo: ſic quærebatur Dauid amicos ſuos Angelos ſeparatos ab ipſo poſt peccatum: dicens: *Qui iuxta me erant de longè ſteterant; Pſal.37.verſ 13.* vt Magno placet Baſilio. *in Pſal.37.pag.101.col.2.lit.C. Longius ab illo ſteterunt, non iam cum illo volentes viuere. Qui autem illi erant, niſi qui in prioribus eius bonis gaudebant, Angeli videlicet boni?*

13 Stare in via eſt contemplari Prophetas: *Hæc dicit Dominus, ſtate ſuper vias: Ierem. cap.v.4.* vbi D. Hieron. *in Ierem.to.4.pag.320.lit.E. Standum eſt igitur in Prophetis, & diligentiſſimè contemplandum.*

14 Stare ſuper Flumen, eſt calcare bona temporalia: *Putabat ſe ſtare ſuper flumen: Gen. cap. 41. verſ.2.* & Gloſſ. interl. *Fluuius ſignificat curſum labilium, ſuper quem ſtat qui amorem temporalium calcat.*

15 Stare creaturarum ante Dominum, eſt eius mandatis obedire; de quibus dicitur Iſai. c. 48. v.13. *Dextera mea menſa eſt cælos: & ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul.* quaſi diceret eius iuſſionibus ſtatim parent: ita docet D. Hieronymus. *in Iſai.to.4. pag.200.lit.E. Vocat autem Cælos, vt eius pareant iuſſioni, & enarrent gloriam illius: cæli autem obediunt Dei voluntati.*

16 Tandem ſtare in via peccatorum, eſt malam peccati voluntatem animo conceptam opere implere: ſic de iuſto viro dicitur. *In via peccatorum non ſtetit. Pſ.1. verſ.1.* Sed Adam, inquit Incognitus, in hac via ſtetit, quando vetitum comedit pomum. *Stetit Adam in via peccatorum, quando malam voluntatem opere compleuit. in Pſal.1.verſ.1.pag.2.lit.B.*

Verſus Septimus.

מִן גַּעֲרָתְךָ יְנוּסוּן מִן קוֹל רַעַמְךָ יֵחָפֵזוּן׃

Verſio ex hebræo: *Ab increpatione tua fugiunt; a voce tonitrui tui præcipites feruntur.*

Vulgata editio: *Ab increpatione tua fugient; a voce tonitrui tui formidabunt.*

Pagninus. *Ab increpatione tua fugerunt; a voce &c. formidauerunt.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

CVm verba יְנוּסוּן & יֵחָפֵזוּן participia ſint, propria verſio eſſet, ſunt fugientes, formidantes: quia verò participia, ſine verbo ſubſtantiuo poſita, ad quodcumque tempus poſſunt determinari, ideo quiſque pro ſuo ſenſu, illis temporis ſignificationem attribuit. Præteritum tempus dant, qui hoc factum intelligunt de congregatione aquarum in principio Dei iuſſu facta, vt locum aridæ relinquerent: præſens verò illi, qui de hominum timore intelligi volunt; & tandem in futuro, qui ad Iudicij diem diſtrahunt. חָפַז propriè ſignificat feſtinanter currere, vel præcipitem ferri: quod magis conſonat cum primo verbo, *Fugiunt*: ne enim idem verbum bis poneret, vti voluit verbo æquiualenti. Hic autem, cùm tonitrua nominentur, expoſitionem tonitruorum, nec non aliarum Aeris impreſſionum literaliter ventilabimus.

SVMMARIVM.

1 *De natura, & productione fulgurum, & fulminum, & Tonitruorum.*
2 *De Cometarum generatione, apparitione, & ſignificatione.*
3 *De reliquis omnibus Aeris impreſſionibus.*

§. I.

De natura, & Productione fulgurum, & fulminum, & Tonitruorum.

1 A *A voce Tonitrui tui, &c.* Dei omnipotentis laudes recenſendo Propheta, hic conſequenter Deum celebrat propter immiſſionem tonitruorum, coruſcationum, & fulminum. Quia igitur, cum hæc a Deo

Deo in terram mittuntur formidant, & pauent homines, ideo dicitur: *Ab increpatione tua fugiunt, a voce tonitrui tui formidabunt*; nam ea potiſſima cauſa productionis huiuſmodi impreſſionum adducitur ab eminentiſſimo Hugone. *Carenſ Cardin. in pſal.103. Commendat eum ab emiſſionem fulgurum, & tonitruum in eodem verbo: & eſt ſenſus: homines formidabunt a voce tonitrui, & propter coruſcationes, & fulgurationes.* Licet namque in aſſignanda vera, & naturali harum rerum productione multum deſudauerint Philoſophi; præcipua tamen cauſa, vt videbimus, Dei vlciſcentis, & punientis voluntas eſt. De fulminibus igitur, iuxta morem, necnon de tonitruis, coruſcationibus, fulguribus agendum eſt, eorum naturam, cauſam, materiam, & effectus declarando.

2 Quod ad fulminum eſſentiam attinet, ignem eſſe euidentiſſimè patet; neque ab alijs aereis impreſſionibus in hoc diſſimilem: eſſe autem ignem ipſo ſolari igne præſtantiorem docet. D. Ioannes Chriſoſtomus: *in Pſalm.134. tom.1. col 1074. lit. B.* neque aliam ob cauſam, quam ratione materiæ; etenim cum ignis fórma eiuſdem ſit ſpeciei, alia differentia, quam ex parte materiæ aſſignari non poteſt: ait igitur, Sanctus ille Doctor. *Atque fulgur eſt igne ſolari acutius, & ſplendius, atque eo magnis ſecat, ac diuidit. Id teſtatur viſus, qui cum radijs ſolis aſſiduè congreditur, illius autem impetum ne tantillum ferre poteſt.* Hoc etiam a poſteriori, & per effectus apertiſſimè cognoſcimus, nam omnia exutit, inflammat; &] in cineres redigit. De materia verò variæ feruntur ſententiæ; Putat Ariſtoteles materiam fulminum exhalationem eſſe; quæ exhalatio, cum calida ſit, & ſicca a terra euadens, cum in nube aquoſâ intercipitur huc illuc que iactata incenditur: Porro Seneca, vt ex eius verbis patet, non aliam materiam fulminis quam ipſum aſſignat aerem; nam cum aer medius inter aquam, & ignem ſit, & in vtriuſque naturam conuertibilis, non indiget aliena materia, vt fulmina, & pluuias generet. *Quidam ex noſtris, exiſtimat, aera, cum in ignem, & aquam mutabilis ſit, non trahere aliundè cauſas flammarum nouas; ipſe ſe mouendo accendit; & cùm denſos compactoſque nubium ſinus diſſipat, neceſſario vaſtum, in tam magnorum corporum diruptione reddit ſonum.* Seneca *lib. 20. cap. 15. quæſt. nat. pag. 579. to. 2.* Anaximander, eodem referente, *loc. cit. cap.* 18. ſpiritum putat, ex colliſione nubium accendi, & ſtrepitum edere, ſicut & nos experimur in ſilicis percuſſione. *Anaximandrus omnia ad ſpiritum retulit. Tonitrua, inquit, ſunt nubis ictæ ſonus. At quare aliquando non fulgurat, ſi tonat? quia tenuior, & infirmior ſpiritus, quo in flammam non valuit, in ſonum valuit. Quid eſt ergo ipſa fulguratio? aeris diducentis ſe, corruentiſque iactatio; languidum ignem, nec exiturum aperiens. Quid eſt fulmen? acrioris, denſioriſque Spiritus curſus.* Ex his omnibus vnum concludit Seneca; *loc. cit. cap. 21. pag.* 580. fulmen, & coruſcationes verè ignem eſſe; dum concludit. *Eſſe illum ignem calor oſtendit, qui ſi non eſſet, oſtendit effectus. Magnorum enim ſæpè incendiorum fulmen cauſa fuit.* Empedocles verò aliam fulminum aſſignat materiam (Porta referente) videlicet Solis radium, qui inter aqueas in cluſus nubes, reflexus ignem accendit: qui dum micat coruſcationem cauſat, dum nubes elidit ſonitum. Ita Ioannes Paptiſta Porta ex Ariſtotele. *de Aeris tranſm. lib 3. cap. 9. pag. 106. Empedocles, Ariſtotele referente dicebat, Tonitruum eſſe interceptum Solis radium, ideſt Tonitruum eſſe ignem, qui ex Solis radiis nubibus concludatur; & dum micat ignis in nubibus, eſſe coruſcationem, nubis eliſæ ſtrepitum &c.* Hanc ſententiam Peripathetici omnes tanquam abſurdam, acriter impugnant; ſed ſi ad bonum ſenſum reducatur, vera eſſe poteſt, vt infra videbimus. Anaxamandri autem opinionem amplectitur etiam D. Iſidorus Hiſpalêſis *lib. 13. Origin. cap. 9. pag. 114. lib. A.* ſcilicet ex ſola aeris colliſione produci fulmina; *Fulmina autem colliſa nubila faciunt, nam omnium rerum colliſio ignem creat, vt in lapidibus cernimus, vel attritu rotarum, vel in ſyluis Arborum.*

3 Enim verò cùm de fulminum forma conſtet, quòd ſit ignis, de materia videndum eſt: conuincitur porro eſſe materiam ſulphuream ex odore; vnde non quæcumq; exhalatio fulmineum nutrit ignem, ſed ſulphurea; ſiue quæ de ſulphureis corporibus euaporata aerem petat, ſiue quæ in ipſo aere producatur: videtur autem ignis, e montibus eructantis, necnon & infernalis, eandem eſſe cum fulmine cõmunem materiam, dum indè ſulphuris odor exhalat, nec non eiuſdem productio conſpiciatur, & emanatio. Hinc ex ſacris literis habemus, quæcumq; ſpeciali vltione diuina exarſere ex ſulphureo igne conflagraſſe: ſic de Sodomitico incendio dicitur. *Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorram ignem, & Sulphur a domino de Cælo. Gen. cap. 19. v. 24.* Sic etiam de Damnatis infernali igne cruciandis, cantatur: *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Pſal. 10. verſ. 7.* & itidem de ijs in Apocalipſi ſcriptum eſt: *cap. 14. verſ.* 10. & paulo poſt: *cap. 20. & cap. 21. In ſtagnum cruciabitur ignè, & ſulphure: ignis, & ſulphuris, &c.* Cum igitur conſtet fulmineum ignem ſulphuratum exhalare odorem; & inſuper fulminum immiſſio, ſpecialiter ad Dei vltiones pertineat; non abs re credendum videtur eſſe eiuſdem rationis cũ infernali, qui puteus ſulphurei ignis nuncupatur. Huc reſpexiſſe opinor Tertullianum, qui fulmineum ignem archanum vocat, & ex illo probari poſſe infernali ignis exiſtentiam cenſet, dum aduerſus gentes ſic arguit. *Nouerunt, & Philoſophi diuerſitatem inter arcanum, & inter publicum ignem: ita longè eſt alius, qui vſui humano, alius qui iudicio Dei apparet, ſiuè de Cælo fulmina ſtringens, ſiue de terra per vertices montium eructans, &c. Hoc teſtimonium ignis æterni. Tertull. in Apologet. aduerſ. Gent. c 47. pag. 79 lit. B.* Ad probandum hoc dabimus experimenta; nam puluis pyrius, qui ex ſclopetis, vel æneis tormentis exploſus, ex ſulphurea materia componitur, qui tonitruo ſimilem ſonum reddit, neque neceſſe eſt, vt incluſus ſit ille puluis, ſed etiam ſub dio poſitus fragorem, & ruinam facit; hoc ſe expertum teſtatur Porta, his verbis. *de aer. tranſm. cap. 11. pag. 113. Vidimus temporibus noſtris incendiarium puluerem, qui in arce D. Eraſmi, noſtræ vrbi imminentis ſub dio aſſeruabatur, a Cælo tactum, & ita ingentem ſtrepitũ edidiſſe, vt lõgè ad multa milliaria paſſuũ exaudiretur, &c. Idem accidit in dextro propugnaculo Neapolitanæ Arcis moli imminente.* Hoc autem, quod refert Porta ſua ætate contigiſſe; mea etiam ætate anno 1636. contigit, in ſiniſtro propugnaculo, non ex cœleſti igne, ſed ex Bombardorum incuria. Quod autem obijcere quis poſſet, differentiam eſſe inter pyrium puluerem accenſum, & fulmen, cum ille ſurſum tendat, hoc autem ima petat: Reſpondet citatus Author, ſe expertum pyrium puluerem ex auro confici, qui accenſus Tonitruo per omnia eſt ſimilis, & in fragore terrifico, & in tendentia deorſum, cuius experimentum his verbis recenſet. *Occurrit pulcherimũ experimentũ ex auro pyrium puluerem concinnari*, &c. & paulo poſt: *Contigit amico, dum puluerem hunc clibano ad deſiccandum exponeret, qui ex deſtillatione adhuc tepebat, quantitas ſemilibra, adhuc madidus ignem concepit, ingenti tonitruo, & Bombardarum ſimili, pauimenta duo terebrauit, cum magno habitantium periculo; & vaſa vitrea, quæ adhuc ſuper clibanum ex diſtillatione aſtabant, intacta reliquit. Idem loc. cit. pag.* 114. Si quis autem hoc experiri deſiderat conſulat authorem loco citato, qui hunc puluerem ex auro conficiendum docet: nobis ſat erit oſtendiſſe, materiam fulminis ſulphuream eſſe, formam verò ignem.

4 Nunc ad efficientem cauſam accedamus oportet. Cauſam fulminum effectricem, nubem aquoſam eſſe Peripatheticorum docuit dogma: inquiunt etenim exhalationem calidam intra frigidam aquam incluſam,

exitum

Digitized by Google

exitum petere vt a contrario declinet, ſed eo reſiſtente, & minimè locum dante, ex candeſcere exhalationem, & impetu facto diſciſſa nube proſilire; ex ruptione autem nubis & ſonum cauſari, & ignem accendi, & ad ruinam terrenorum deſcendere: hanc ſententiam antiquitus prolatam, & non paruo tempore creditam, D. Iſidorus Hiſpalenſis *lib.13. orig.c.8.pag. 113. lit.H.* amplexatus eſt, inquiens. *Tonitruum dictū quod ſonus eius terreat, nā tonus, ſonus. Qui ideo interdū tam grauiter concutit omnia; ita vt Cœlū diſcidiſſe videatur; quia cū procella vehementiſſimi venti nubibus ſe repentè immiſerit, turbine inualeſcente, exitumq; quærente; nubem, quam excauauit, impetu magno proſcindit, & ſic cum horrendo fragore defertur ad aures. Quod mirari quis non debet, cum veſſicula quamuis parua, magnum tamen ſonitum diſploſa emittat.* D. Iſidoro Doctor meus Scotus *lib. 1. meteor. q. 15. in c. t. 2. pag. 37. col. 1.* conſentit; nam de fulminum productione docet. *Exhalatio calida ſicca, & vnctuoſa includitur in nube aquoſa, & propter frigiditatem nubis fortificatur illa exhalatio, & intenditur illa exhalatio, in tantum quod mouetur hinc indè petendo exitum, & illo motu cauſatur ſonus, qui dicitur tonitrus: & tandem ſic agitata frangit nubem, & ex tali fractione inflammatur:* Alij verò cauſas naturales excludentes, totam fulminum efficientiam Angelis ſiue bonis, ſiue malis tribuunt; vel ipſi Deo: *Quidam hæretici* (referente Reſta *lib. 1. meteor. tract. 2. cap. 2. pag. 72. col. 2.*) *quos anatematizat Concilium Bracarenſe primum, dixerunt dæmones propria authoritate fulmina, & tonitrua facere:* Si autem hoc diuina permiſſione aliquando factum aſſererent, a veritate alienum non eſſet: nam quotieſcumque Dæmones Deo permittente aliquid faciunt, Deus ipſe effector nuncupatur, *Sic*, ex eodem Reſta, *loc. cit. pag. 73 col. 1. Origines, & Chriſoſtomus dicunt dæmonem ſub ſpecies fulguris Iobi oues conſumpſiſſe, quia aliàs dæmon tanquam fulgur cecidit.* Porro dæmones non niſi naturalibus vtuntur cauſis, nam quæ verè efficiunt, hoc faciunt actiua paſſiuis applicando. Hoc autem quod dicunt ſolum Deum immediatè fulmina mittere ſine alio cauſæ naturalis concurſu, non videtur rationi conſentaneum: nam authoritates quæ adducuntur, videlicet; *De Throno procedebant fulgura; Apoc. cap. 4.* & alibi: *Deus fulgurat lumine ſuo; Iob. c. 41. v. 9.* & in Pſal. 17. verſ. 9. *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ:* & ſimilia per totum Pſalmum: aliud non probant, quam vel iubente, vel permittente Deo aliquando produci fulmina, non tamen ſemper, ſed frequentius ex naturalibus cauſis oriri: Negantibus autem ex naturalibus cauſis produci, & affirmantibus a ſolo Deo immitti, obijci poteſt illud Senecæ. *lib 1. nat. quæſt. cap 42. to. 2. pag. 594. Quid enim tam imperitum eſt, quam credere fulmina e nubibus Iouem mittere, columnas, arbores, ſtatuas eius nonnumquam petere, vt impunis ſacrilegis, percuſſis ouibus, incenſis aris, pecudes innoxias feriat. Vtrum enim cum emiſit ignes, quibus innoxia capita percuteret, noxia tranſiret, aut noluit iuſtius mittere, aut non ſucceſſit.* Et licet his dictis chriſtianus occurreret, dicendo Dei iudicia inueſtigabilia eſſe, nihilominus non omnia ad ſupernaturalem cauſam reducenda ſunt, ne natura impotens euincatur, vnde B. Albertus, *lib. 3. meteoror. tract. 3. cap. 23 tom 2. pag. 118. col. 1.* haud diſſimili argumento vſus eſt, ad probandum fulmina e naturalibus cauſis oriri. *Omnia autem hæc faciunt ad hoc, quod fulmen ſit res diuina, & in ictu fulminis Deus vtatur rebus, quibus fuerit voluntas eius; & vt timeant inferiores, &c. Si tamen hæc concedantur, pro nihilo erit opus naturæ.* Fulmina igitur Dei voluntate, ad terrendos homines, a naturalibus cauſis producuntur; & idcirco Dei ſagittæ appellantur: quare Pſalmus. 143. ver. 6. *Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.* Eo-

Ian. de Mata.

dem namque ſenſu vocat fulmina Dei ſagittas, ſicut peſtem, & famem, quas naturaliter produci vt plurimum patet. Ita ſentit D. Ioannes Chriſoſtomus. *in Pſalm. 143. tom. 1. col. 1129. lit. D. Dei autem ſagittæ ſunt peſtes, & fames, & fulgur, & multiplicia ſupplicia.* Hoc euidenter patet in igne, qui dæmonis arte excitatus, Iobi oues, ſeruoſque necauit; qui nihilominus dicitur diuinus. *capit. 1. verſ. 16. Ignis Dei cecidit è cœlo, qui tactas oues, pueroſq; conſumpſit.* Dicitur autem diuinus, quia Deo permittente productus eſt; vt docent D. Gregorius, & Chatuſianus apud Pinedam *in Iob. in verſ. 16. cap. 1. pag. 52. col. 2. Cæterum ignem Dei, cum Greg. Carthuſianus, quia a Deo miſſus.* Concludendum eſt igitur, Fulmina cauſas naturales habere, quibus Deus vtitur; Ita citatus Albertus. *Propter hæc, & his ſimilia dicendum, quod Deus naturam regit, & adminiſtrat per naturales cauſus.*

5 Cauſis efficientibus fulmen naturalibus admiſſis, eæ patefaciendæ ſunt; & in primis ſuppoſito ad hoc ſæpiſſimè nubem aquis grauidam concurrere, eius concauſas aſſignare debemus: Sol igitur, non ſolum remota eius cauſa eſt, ſcilicet ſulphuream exhalationem attrahendo (negare autem huiuſmodi exhalationem virtute ſyderum, & præcipuè Solis, imò, & cuiuſcumque ignis, e terrenis corporibus euaporari, & eleuari; ſicuti quidam negant, aperta fatuitas eſt, nam negare quæ experiuntur, ſtultorum eſt) verùm etiam efficiens proxima ipſam exhalationem incendendo. Concurrunt igitur ad fulmen materia, ideſt ſulphurea euaporatio, forma, ideſt ignis, cauſa efficiens, ideſt ſolaris radius, & concauſa refrangens radium, & vniens, ideſt nubes aquea, & cauſa finalis, ideſt terror Dei in hominibus: his cauſis concurrentibus ita producitur fulmen, ſicuti ignis in pyrio puluere; ſi per vſtorium ſpeculum radius Solaris excipiatur, & vniatur, & ſic eius acumen ſupra pyrium puluerem dirigatur, ſtatim incenditur, & fragorem cauſat; hoc ego per ſimplex perſpecillum expertus ſum: quod ſi eſſet puluis ex auro, vt inquit Porta (quod ego experiri non potui) omnes fulminis effectus haberemus. Eadem omninò eſt fulminum generatio: radius ſolis vnitus, & conſpiſſatus ab aquea nube, quæ ſpeculo æquiualet, ſi ibi reperiatur exhalatio ſulphurea competens, accenditur, & fit fulmen; aer porro a tali igne rarefacto percuſſus ſonum illum edit. Hoc fortaſſe ſentiebat Empedocles, dum dicebat, Solis radium interceptum in nube aquoſa eſſe fulmen; vide eius ſententiam ſupra numero 2. & ſic vera eſt, ab Ariſtotele malè relata, & peius impugnata. Tandem hic eſt ſenſus Dauidis dicētis: *A voce tonitrui tui formidabunt:* vbi Incognitus: *in Pſ. 103. Virtute aquarum congregatarum in nubibus generātur fulgura, ſonitus, & tonitrua, quæ terrent homines.* Atq; hoc eſt vnum ex mirandis Dei operibus, vt inter aquas producatur ignis, qui nec ab eis extinguatur, nec ipſe eas exiccet: audi de hac re Conſtantinopolitanum Antiſtitem: imò & Dauidem: eo enim canente: *Fulgura in pluuiam fecit:* Pſal. 134 hoc eſt inter pluuiam: ipſe inquit. *D. Ioan. Chriſoſt. in Pſal. 134. to. 1. col 1074. lit. B. Vide rurſus aliud mirabile, & diuerſas naturas conuenientes. Neque enim fulgure eſt quidquam magis igneum, neque aquis eſt aliquid frigidius: eæ tamen miſcentur, nec confunduntur, neque contemperantur, ſed vtraque conſeruat ſuos fines. Manens enim ignis in aqua, & aqua inigne, neque hic illam exiccauit, nec illa eum extinxit.*

6 Habemus igitur quid ſit, & quomodo producatur fulmen, & terrefacientia tonitrua. Sed hic aduertendum occurrit, reperiri quoſdam lapides ferè triangulares, qui dicuntur eſſe fulmina, & ita vulgus exiſtimat; res tamen aliter ſe habet, cum nil aliud ſit quam accenſa exhalatio ſulphurea: illud autem durum, & ſolidum aliud meteorum eſt, quòd

Digitized by Google

non ſemper, ſed quandoque ſimul cum fulmine cadit e nubibus. Cauſa autem quare fulmen triangulare pingitur, eſt propter triplicem eius effectum, nam fulget, vrit, & findit; vnde etiam triplex nomen ſortitus eſt, ſcilicet, Fulgur, fulgor, & fulmen: Ita D. Iſidorus. *lib.13. Orig. cap.9. pag.114. lit. A. Tria ſunt autem eius nomina, Fulgur, Fulgor, & Fulmen. Fulgur quia tangit; Fulgor, quia incendit, & vrit: Fulmen quia findit.* Non ergo ex figura, ſed ex proprietate triangulare depingitur.

§. II.

De Cometarum generatione, apparitione, & ſignificatione.

1 A*B increpatione tua fugient, &c.* Neque tantummodo tonitrua terrent nos, verùm etiam omnes aeris impreſſiones, cometæ præſertim, quapropter de ipſis etiam videndum eſt. Circa cometarum materiam vetus fuit Epigenis opinio, quam refert, & impugnat Seneca, *lib.7. cap. 6. quæſt. nat. tom.2. pag.717. 718.* Cometas ſublunares eſſe, & eiuſdem materiæ cum trabibus, cæteriſque aeris impreſſionibus, quam materiam putat ille eſſe ex vento exhalationibus, vaporibuſque pleno, & turbine agitante incenſo; fatetur namque, quod ad formam attinet, igneos eſſe. *Duo, inquit Epigenes Cometarum genera ſunt. Alij ardorem vndique effundunt nec locum mutant: alij in vnam partem ignem vagum in modum comæ porrigunt, & ſtellas prætermeant; quales duo ætate noſtra viſi ſunt: & eiſdem cauſis quibus trabes, faceſque conflantur, ex intemperie aeris turbidi, multa ſecum arida, humidaque terris exhalata verſantis, &c. Vt breuiter autem voluntatem eius exprimam, eadem ferè ratione hos fieri Cometas exiſtimat, qua fiunt ignes turbine euecti.* Hanc autem poſitionem optimè idem impugnat Seneca; nam ſi a vento Cometes fieret, cum vento creſceret, cum ipſo minueretur, cum ipſo curreret, nec ſine vento appareret, aut produceretur, & non vno loco, ſed quocumque ventus defertur, ibi conſpiceretur; quæ omnia experientia infringit. Attamen Ariſtotelis *lib. 1. meteor. c.4.* parum diſſimilis eſt ſententia, putat namque exhalationem calidam, & ſiccam incendi, & igniri, ex ſphærarum cœleſtium rotationem, & eſſe eiuſdem rationis cum reliquis aeris impreſſionibus. *Supponitur enim nobis mundi huius, qui circa terram, quantum ſub circulari eſt latione, eſſe primam partem exhalationem ſiccam, & calidam. Ipſa autem, & continui ſub ipſa aeris adhuc multum ſimul circumducitur circa terram a latione, & motu circulari: cum autem fertur, & mouentur hoc modo quacumque contigerit, benè temperata exiſtens ſæpè ignitur. Cum igitur in talem condenſationem inciderit, neque ſit debile vt extinguatur cito, hæc fit ſtella Cometa, qualitercumque exhalatum extiterit figuratum.* Huic ſententiæ etiam ſubſcribitur D. Baſilius Magnus, *Homil. 22. de Chriſ. gener. pag.220. col 1. lit. D.* cui in hac re ſequi peripatheticos viſum eſt; inquit namque. *Præterea Cometarum diuerſa genera, & appellationes, &c. Omnium vero generationis eadem eſt cauſa. Quum inundans circa terram aer in ſerenam Cæli partem diffunditur, quaſi materiam quandam igni cœleſti præbens, ſordium videlicet, & humorum terreſtrium craſſitudinem ad ſuperiora tractam, ac inflammatam, talis ſyderis crinitis apparentiam.* Verum Cometes cum trabibus, & alijs ignitis impreſſionibus confundi non debet, cum Cometas ſupralunares eſſe, & cæleſtes experientiæ teſtentur; & vt de alijs taceam. Cometes, qui apparuit Anno 1618. obſeruatus Romæ, Antuerpiæ, & in vltima Aſiæ prouincia, India ſcilicet, nullam exhibuit parallaxim; vt videre eſt apud Ioſephum Blanchanum *in ſphær. lib.16. cap.3.*

2 Fuit & alia inter antiquos opinio quam refert, impugnatq; Seneca, *lib.7. cap.11. nat. quæſt. tom.2. pag.722.* videlicet Cometas eſſe antiqua ſydera, quæ de nouo deſcendant, & ad noſtrum approprient viſum: & hęc ſententia bipartitur; quibuſdam placeat ſtellas vti ſunt in ſuperiori Cæli parte paulatim deſcendere, & ſic apparere, deinde rurſus aſcendere, & ſic diſparere, neque conſumi, vt vulgus putat. Alij ſentiunt Cometas eſſe non vnum ſydus ſed aggregationem multorum ſyderum coeuntium ſimul ad componendum Cometen, dehinc ſeparari, & ſic illum perire: *Quibuſdam antiquorum hæc placet ratio. Cum ex ſtellis errantibus altera ſe alteri applicuit, confuſo in vnum duarum lumine, faciem longioris ſyderis reddit.* Sed, & hanc antiquatam opinionem, hiſce temporibus excitauit, & innouauit P. Franciſcus Reſta. *Tract.1. lib.1. de meteor. ign. cap.3. pag. 18. col.2.* qui cap. 3. libri 1. hanc opinionem recitat, approbat, & ſequitur. *Antiquiſſima Anaxagoræ, Zenonis, & Democriti ſententia, cometas eſſe glomeramina plurium ſyderum, quamuis ab Ariſtotele grauiter oppugnata, viam aperit ad faciliorem Cometæ, nouorumque ſyderum explicationem.* Deinde inter alias probationes, adducit Dioniſij *pag. 22. col.1* experimentum. *Dion. lib. 54. cometam in morte Aggrippæ ſub Auguſto in faces diſſolutam abiſſe, ſcribit.* Cæterum licet Cælum fluidum cum modernis concedam, & conſequenter talium ſyderum ſynodum nõ improbem, attamen Cometas ſic generari mihi non probatur: nam eam optimè impugnat Seneca: præterquamquod, Cometæ obſeruati ſunt integra ſeruata magnitudine, rariores effecti, alios ſenſim creuiſſe, dein decreuiſſe; & præcipuè cum ignei ſint, eſſe ſtellas tum aggregatum non approbo, licet rem poſſibilem fateor.

3 Alia igitur materia, & cauſa cometarum aſſignanda eſt, nam & Cœlum cum corruptibile ſit ſuarum partium nouam generationem, & corruptionem patitur; & cum magna pars ſyderum ignei globi ſint, & continuò pinguibus aquarum terrenarum, & cœleſtium exhalationibus nutriantur, nec non aliorum ſuperlunarium corporum, quæ ignorantur; ipſa etiam (vt apud nos ignis) ſuam euaporationem emittunt, hinc in Sole conſpectæ maculæ; hæ igitur euaporationes dum aliquando in magna coeunt quantitate, non natura, ſed Deo, Angelorum miniſterio, cogente, acceditur Cometarius ignis, qui dum materia perdurat videtur; quare ſydus eſt, vt reliqua, ſed ratione materiæ modicam ſortitur durationem. Hoc confirmat experientia P. Horatij Graſſi (referente Blancano *capit. 4. loc. cit. pag.160.*) videlicet apparente Cometa, Solis maculas non apparere. *Exiſtimo pro materia Cometarum, magna conſideratione dignum eſſe illud, quod P. Horatius Graſſus in ſua Libra aſtronomica refert, ſcilicet tuo tempore, & antea etiam, quo Trabs, & Cometa anni ſuperioris 1618. apparuerunt, nullas in Sole maculas conſpectas eſſe.* Materiam Cometarum igitur huiuſmodi exhalatio cæleſtium, terrenorumque corporum eſt: cauſa verò efficiens non aliam quam Deum agnoſco, niſi fortaſſe Angelorum miniſterio vſum; nam cum rarò appareant, necnon Principum interitum, famem, peſtem, aliaque huius generis flagella portendant, nonniſi Dei iuſſu fiunt, qui mortales futuræ calamitatis admonet, vt ſi eam in corpore effugere nequeunt, ſaltim cor a peccatorum ſordibus mundatũ imperterritum calamitatibus exponant. Hæc noſtra ſententia, primò a Sibyllinis probatur oraculis *lib.3. orac. ſibyll. pag.196. col.2 lit. G.*

Sole ſub occiduo, verò vocitata Cometa,
Stella relucebit gladij mortalibus Index,
Et famis, & mortis præclarorumque virorum,
Atq; Ducum interitus magnorum, nobiliumque.

Secundò ex D. Ioan: Damaſceno, qui eam his verbis apertiſſimè docet *lib.2. de fide orthod. c.7. pag.184. lit. C. Plerumq; inſuper exiſtunt Cometæ ſummorum Principum extremum vitæ diem portendentes. Qui tamen haud quaquam ex eodem ſyderum numero ſunt, quæ*

in

Digitized by Google

in primo rerum ortu creata ſunt ; verum Dei imperio certis temporibus conflantur , rurſuſque dilabuntur. Atque eiuſdem farinæ ſydus illud fuiſſe, quod noſcente Domino Magis appatuit , cenſet: *Quandoquidem ne ſydus quidem illud, quod (Cum Dominus noſtra cauſa iuxta carnem natus eſt) Magis apparuit , ex ſtellis illis erat, quæ ab ipſo mundi ortu condita*. Etenim, cum iudicij extremum diem multa ſigna præcedant, vt homines territi ad Deum reuertantur; docente D. Gregorio. *Hom. 1. Euangel. pag. 2. lit. B. Vt ſi Deum metuere in tranquillitate nolumus, ſaltem vicinum eius iudicium , vel percuſſionibus attriti , timeamus*. Quare D Auguſtinus ſtellam in ortu Chriſti viſam cælorum linguam appellat , inſinuans cometas , & noua ſydera Dei patefacere voluntatem. *Illi erant primitiæ gentium , nos populus gentium. Nobis hoc lingua nunciauit Apoſtolorum , ſtella illis tanquam lingua Cælorum. ſerm.22. de temp. 2. de epiph. ap. Breu.Rom.* Inter alia autem ſigna , ſtellæ illæ, quæ cadent de Cælo, non quædam meteorologica, ſed veræ ſtellę cum ſint, ad Cometarum naturam reducendas exiſtimo ; nam & Cometæ a ſtellis ſpecie non differunt , ſed tantummodo duratione. De illis verò habemus *Matth. cap.24. verſ.25. Stellæ cadent de Cælo*; vbi D. Ioannes Chriſoſtomus. *Homil.22. ad Neoph. to.5.col.618 lit D. Quid ſibi vult quod dixit: ſicut cadunt folia de vite , ſic ſtellæ de Cælo cadent?* & paulo poſt. *Nocte pereunte ſine dubio ſtellarum vtilitas ſimul cum nocte deficiet ; illorum porro ſyderum ignea natura eſt &c. Illis quidem nomina ſtellis, hæc ſunt: Orion, Mezaroth, Arcturus, Veſperus, Lucifer*: Quibus ex verbis clarè colligitur ſecundum D. Ioannem Chriſoſtomum ante iudicium vera ſydera caſura de Cœlo , non meteoricas exuſtiones : & licet hoc videatur Peripatheticis impoſſibile , cuncta Deo poſſibilia ſunt ; nam neque cælum incorruptibile eſt, quia genitum: neque mirum illud incorruptibile Ariſtotelem ſomniaſſe, qui ingenitum , æternumque credebat. Neque neceſſe eſt, vel ſydera Magna totaliter decidere, cum earum partes cadere ſufficiat : imò cum in cælo innumeræ ferè , nec nobis viſibiles reperiantur ſtellulæ, illas cadere nullum inconueniens adducit. Audiendus de hac re Adamus Conzen. *in Euang. in cap.24. Matth. pag. 453. col. 2. Quemadmodum igitur ſonitum maris, & fluctuum, Solis, & Lunæ tenebras propriè interpretamur ; ita ſtellarum quoque lapſus , eadem manu Dei vibratas dicemus. Quod ſi ſtellas negamus cadere , & ad tropum refugimus, ne terram obruant ; aut etiam exhalationes eſſe dicimus; cauſam dicere non poſſumus , cur in Sole , & Luna verborum proprietatem retineamus, &c. Nec tamen negauerim , vel partes ſtellarum , vel ſtellulas , quarum eſt numerus innumerabilis , decuti. Nec audio hic Ariſtotelem , cui cælum ideo eſt incorruptibile, quia ingenerabile*. Ex his autem deducimus , quòd ſicut in vltimo dierum ſtellæ de Cælo labentes a Deo mittentur in iudicij ſignum ; ita pariformiter ad inſolitas, & magnas tribulationes enunciandas, a Deo ſtellæ comatæ producuntur , quæ cum alijs eiuſdem naturæ ſunt; cum noua , & vera generatio in Cælis ſit admittenda.

§. III.

De reliquis omnibus Aeris impreſſionibus.

1 ARiſtoteles qui putabat omnes Cometas ſublunares eſſe , conſequenter dicebat eamdem eſſe materiam meteororum omnium ignitorum , exhalationem ſiccam , & calidam. Cum autem falſum ſit veros Cometas in aere fieri , ideſt infra athmoſphæram terreni globi , aliud de Cometis , aliud de reliquis ignitis dicendum. Cometæ enim veræ ſtellæ ſunt , ſiue de nouo genitæ, ſiue de nouo oſtenſæ : ad quod probandum Senecæ *lib.7. nat. quæſt. cap.22. tom.2. pag 730.* rationem adducere libet: inquit ille: *Ego noſtris non aſſentior. Non enim exiſtimo Cometen ſubitaneum ignem , ſed inter æterna opera naturæ. Primum quæcumque Aer creat , breuia ſunt ; naſcuntur enim in re fugaci, & mutabili. Quomodo poteſt enim in aere aliquid idem diu permanere cum ipſe aer numquam idem maneat? fluit ſemper , & breuis, illi quies eſt*. Hanc rationem doctiſſimus Reſta. *lib.1. meteor. tract. 1. cap. 4. pag.29. col. 2.* euertere conatur his verbis : *Reſp. in primis , quæ in aere apparent ex conditione loci diſparent , quia aer ventis agitatur; Cometæ autem ſupra ventorum loca formantur. Deinde aliquam notabilem habere poſſunt permanentiam ex qualitate materiæ , quæ ardet*. Verum , pace tanti viri , hæc reſponſio nulla eſt : nam cum dicit Cometas fieri ſupra loca ventorum , hoc eſt ſupra athmoſphæram , iam fatetur fieri in Cælo : & non in aere , nam ſupra athmoſphæram non aer , ſed Cælum eſt , vt ſupra ſuo loco probauimus , cum de numero, & qualitate Cęlorum ageremus. Deinde licet ratione materiæ, quę ardet, poſſit aliqualis permanentia haberi, non tamen talis , quæ ad Cometarum rationem ſufficiat. Quæcumque igitur in aere incenduntur ad meteora ignita pertinent , non ad Cometarum genus. Nec mirum in hoc deceptum Ariſtotelem , qui ridiculo errore ipſam galaxiam meteorum putauit, videlicet exhalationem accenſam; neque ſuimet experientia , qua in ea nullam deprehendebat parallaxim , ad illam Cæleſtem redendam ſufficiebat Galaxiam porro eſſe ſtellarum maximam congeriem , vel cæcutientibus , opticus tubus oſtendit. Non negamus autem infra Lunam aliquando Cometas effulſiſſe , vt gladius ille igneus , qui per integrum annum ſupra Hieroſolymorum Ciuitatem pependit, &c. Sed Cœlum negamus incipere a Luna , ſed ſtatim poſt terrenam athmoſpæram Cælum eſſe (cum nullus inter aerem , Lunamque Ignis ſphæra collocetur) quare omnes Planetæ ſunt in Cælo , ſed aliquando infra Lunam : porro ex exhalatione fieri nequent , quæ athmoſphæram excedere numquam poſſunt : nam athmoſphæra , idem eſt ac halituum regio , vltra quam terreni halitus numquam aſcendunt.

2 Aliorum autem ignium meteororum ſpecies in Aere, & inſuper intra Athmoſphæram terrenam produci , manifeſtum eſt. De his patua videbimus; circa materiam bituminoſam, & vntuoſam exhalationem eſſe communiter docent Philoſophi , circa formam, eſſe ignem ; quod ad cauſam attinet , radiorum reflexio , ſeu adunatio ab ipſa athmoſphæra quandoque facta , exhalationes accendit: quoad figuram attinet , multiplex eſt , nunc enim trabs videtur , vel lancea iuxta figuram exhalationis , ſi tota ſimul accendatur : ſi autem extenſa exhalatio ab vno termino ad alium ſucceſſiuè protrahatur incendium , fiunt ſtellæ cadentes, aut currentes: eo ſiquidem modo , quo ſulcus pyrij pulueris ex vna parte accenſus flammam ambulantem oculis exhibet : quod ſi materia diſcontinua ſit, & pars poſt patrem accendatur , videntur capræ ſaltantes. Ex varia igitur exhalatæ materiæ figura , & diſpoſitione , variæ etiam ſpecies ignium diſcurrere videntur , vt gladij , homines, Leones, Lampades, iacula, Dracones , & his ſimilia. Circa terram etiam quædam quaſi lumina videntur ; ſic lumina illa , quæ malo , vel velo nauis inſidentia ab antiquis Caſtoris, & Pollucis, Numina credita ſunt. De his Statius.

Igni Tenarii iuuerunt carbaſa fratres.

Huiuſmodi etiam lumina , circa defunctorum cadauera, & cæmeteria videntur ; imò etiam circa viuentes homines: ſicuti , (referente Porta *de aer. tranſm. lib.3. c.7. pag.102.*) *Gylippo Syracuſas petenti viſa eſt ſtella ſuper ipſam lanceam conſtitiſſe*. Hoc idem de Aſcanio Æneæ filio refert Virgilius lib.2. Æneid.

Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli.

Fundere lumen apex , tactuſq; innoxia molli

Digitized by Google

Lambere flamma comas, & circum tempora paſci. Verùm hæc lumina vera non eſſe, nec exhalationem accenſam, vt hucuſque putatum eſt, ſuſtinet citatus Porta experimento Nautarum fultus. *Nos verò*, inquit, *vt veram haberemus rei relationem amicos nauigantes, & non imperitos, & nauigationum occidentalium, conſulimus. Omnes vno ore fatentur, ſcribuntque, poſt imbrium, & ventorum ſæuiſſimas tempeſtates poſt multos exanthlatos nauigantium labores, & exercitia fulgores aliquot albeſcentis ignis in puppis, & mali ſummitatibus videri, qui verè ignei non ſunt, & adeo imbecilles, vt vix ſint viſibiles; imò curioſorum plerique cum ad eos acceſſiſſent nihil inuenerunt, ſed ex quadam diſtantia viſiblies tantum; quod ſi verè ignes eſſent, naues ex tignis, lignis, & picatis compaginatas, comburerent.* Hæc ille *loc. cit.* Cum autem multa ſint, quæ ſplendere videantur, nec ignes ſunt, vt aqua marina, etiam in clauſo cubiculo agitata, piſcium ſquamæ, putridæ arbores, &c. veriſimile cenſet eodem modo ſalſuginoſum halitum, exhalatum, & ab ambiente aere conſpiſſatum, ſplendorem huiuſmodi reddere. *Vnde non a veri admodum ſimile abibit, ſi conſiſtentiæ, & concretiones hæ, in nauigiorum malis affixæ ex ſudore, & habitu periclitantium hominum refulgent. Idem quoq; euenit ex craſſitie ſuſpenſorum corporum, &c. ibidem* Concludit hic Author: a quo diſcedere non putaui, cum rationibus certis, & experientijs ſuam ſententiam probet. Vtrum autem hæc etiam ad Dei terrorem incutiendum hominibus concurrant, incertum iudico. Fulmina verò, Tonitrua, Cometæ, & alia huiuſmodi, ideo producuntur, vt homines diuinam maieſtatem formident.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

HÆc autem fulmina, Tonitrua, & Cometæ, quæ Deo volente producuntur, ad timorem diuinum homines prouocantia, nequaquam gratis effecta ſunt, ſed vt homines a peccatis abſtineant in futurum, & de præteritis pœnitentiam agant. Etenim cum omnes creaturas ad ſui gloriam manifeſtandam, rationales verò etiam ad eam fruendam deſtinauerit, omnia quæcumque operatur, ad noſtram dirigit ſalutem. *Ab increpatione* ergo *Dei* fugere debent, non corda, ſed peccata; & fulminantem pœnam, non dare, ſed cauere; vt timor ille ſit ad ſalutem.

SVMMARIVM.

1 *Timor Domini peccatum expellit.*
2 *Comminatione pœnæ Deus nos reuocat a peccatis.*
3 *Aeris terribiles impreſſiones ſignum ſunt iræ diuinæ.*
4 *Homo nihil boni operari poteſt a ſe ſine Deo.*

§. I.

Timor Domini peccatum expellit.

1 AB *increpatione tua fugient &c.* Omnipotens Deus cùm omnium creaturarum Dominus ſit, & ideo præſertim veraciter Deus, & Dominus, quia nullius indiget, nihilominus Boni proprietas ſui communicatio eſt, intellectualibus creaturis ratione, & voluntate donatis, eas ad ſuam fruendam gloriam deſtinauit, aſſequi verò ſine fide, & operibus non poteſt; quare Deus, & amandus, & timendus eſt: quia verò inuiſibilis Deus nequaquam videri corporeis oculis poteſt, multa nobis, vt ametur beneficia confert, multaque ſui furoris oſtendit ſigna, vt timeatur; qui timor illuc nos propellere debet, vt timendo Deum, fugiamus peccatum; & ne temerè in illius curramus offenſam, qui terribili animaduerſione punire poteſt. Hoc inſinuat in præſenti verſu Pſaltes, inquiens: *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabũt*: ita exponente eminentiſſimo Hugone. *Ab increpatione tua; quam facis incutiendo timorem, & dando cognitionem iuſti iudicii tui: fugient: ſcilicet hominis vitia. A voce tonitrui tui: ſcilicet comminationis tuæ, qua comminaris peccatoribus de pœnis æternis.*

2 Et optimè quidem comminationem diuinam tonitruo comparat; nihil enim eſt inter mortales terrores, quod tonitruum ſuperet, cum ita inſtantanea ſit fulminatio, vt antea in cinerem redactus homo ſit, quam ictum aduertat. Huic ſimillimam Apoſtolicorum hominum prædicationem eſſe oportet, veluti tonantes, diuinæ vindictæ iuſtiſſimam ingerant vltionem, & terribiles pęnas, vt per eas territi peccatores compungantur, & a peccatis abſtineant. Quia verò hanc virtutem, & efficaciam noſtris prædicationibus Deus tribuit; nam neq; qui aut rigat, aut plantat aliquid boni poteſt facere ſine Deo incrementum dante, & in hoc tonitruo ſimiles ſunt, cuius cauſa Deus. Hoc patientiſſimus apertè docet, cum ait de Deo: *Qui dat vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis Tonitrui. Iob capit. 38. verſ. 25.* Quæ verba ad noſtrum intellectum ita trahit magnus Gregorius *lib. 29. cap. 13. mor. tom. 2. pag. 968. lit. A. Quid enim per tonitruum niſi prædicatio ſuperni terroris accipitur, cuius terrorem cum humana corda percipiunt, quatiuntur. Dominus ergo ſe viam ſonantis tonitrui dare aſſerit, qui verba prædicationis tribuit, & per terrorem corda compungit.* Nec ſine timore tonituum auditur, nec ſine dolore diuinæ vindictæ magnitudo formidatur, ſed ſi ad odium vitiorum perducit ſanctus ille timor eſt, & optabilis. Id etiam naturali lumine illuſtratus, inter Ethnicorum vmbras nouit Horatius, ideoque cecinit. Ode. 2. ad Aug. Cæſ.

Iam ſatis terris niuis, atque diræ
Grandinis, miſit Pater; & rubente
Dextera ſacras iaculatus arces,
Terruit vrbem.
Terruit gentes, graue ne rediret
Sæculum Pirrhę, &c.

Hic enim clementiſſimi Dei terriculamentorum finis, iaculatur enim magis vt terreat, quam vt feriat, ſola odit peccata, quæ pęnitentia ſunt reſecanda, & charitate cremanda.

3 Tam modica fulminis duratio eſt, vt momentum ſignificare volentibus nil occurrat præſtantius, quam fulgur; clara diuini timoris figura: quæcumque enim nos terrent ſęcularia mala, ſi diuinum timorem

Digitized by Google

mortem incutiant, breuia ſunt, temporanea, leuia, verum æterni ſupplicij rigorem deuitant. Ex quo datur intelligi, quid ſibi velit ſapiens, dum hanc profert ſententiam: *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ: Eccl. cap. 11.* Quid enim horaria malitia, quid magna luxuria ſibi velint, ignoro. At de naturali, & phiſica malitia intelligendum exiſtimo, ac ſi diceret malum horarium, ſeu temporaria afflictio: magnæ verò luxuriæ nomine; æternam nobis debitam ob vitia, ac ſcelera pœnam accipio; vt ſit ſenſus: afflictio temporalis, quæ reſpectu æternitatis breuiſſima eſt, tollit memoriam vitiorum noſtrorum; quia dum Dei concipiendo timorem, ea plangimus, & voluntaria pœnitentia caſtigamus, eorum ſempiternam pœnam minimè formidamus. Huc reſpexit Lyranus. *Malitia horæ, ideſt afflictio breuis, obliuionem facit ideſt abſorbet, voluptatem magnam.* Timor timorem expellit, nam qui Deum timet, eius indignationem formidare non nouit.

4 Huius rei exemplum clarius ex Ezechielis Prophetia petamus. Acceptus Deo erat Ezechiel, & ita acceptus, vt ei omnia Cœlorum arcana, & ſuæmet magnitudinis patefaceret Sacramenta; Quamobrem ei in ſua gloria viſus eſt, & cœleſtis curiæ ciues, & ſui Throni maieſtatem, necnon curialium obſeruantiam patefecit: Namque in Throno excelſo, ac eleuato apparens, inter Seraphicos cantus, gloria indutus rutilabat; quem decorabat Iris, nubes obſequebantur, & fulgura; Firmamentum verò radiantibus fulgidum ſtellis, quia tantam capere maieſtatem non poterat, Thronum ſaltem eius exornare cupiebat; & vt vno exprimam verbo, omnia increati Dominatoris pulchritudinem, & gloriam teſtabantur: Vnum tamen ſcrupulum mihi præbet Firmamentum, nam cum ſub eo Animalium Imagine Prophetæ deambularent; illis terribilem exhibebat proſpectum: *Et ſimilitudo ſuper capita Animalium, Firmamenti quaſi aſpectus cryſtalli horribilis. Ezechiel. cap. 1. verſ.* Vt quid autem homines, eoſque ſanctos, quos ad ſui ſeruitutem, ex oſtenſione ſuæ gloriæ allicere ſatagit, ita terret horribili viſione? nonne melius fuiſſet eos læta, & plauſibili viſione recreare? Nequaquam, vt Magnus docet Gregorius; *Homil. 7. in Ezechiel. tom. 2. pag. 1268. lit. D.* homines namque facilius in peccata prolabuntur, cum fruuntur, quam cum timent: potentior apud mortales ad ſanctitatem ſeruandam, ac vitia vitanda, timoris gelu, quam ardor amoris: idcirco Dominus protegit ſanctos firmamento terribili, vt ſacra antiperiſtaſi, ſeruet, ac nutriat amorem metus: *Firmamentum hoc*, inquit ille, *quod in ſimilitudinem Cryſtalli ſuper capita eorum animalium apparet; & horribile, & extenſum eſt; quia bonorum mentes vnde terret inde protegit.* Quod ſi fulmen inter frigidiſſimas nubes accenditur, mirum non erit ſi charitatis feruor, ex timoris gelu excitat flammas.

5 Leo Quadrupedum Monarcha, hoc præ cæteris peculiare habet, vt ſuo terribili rugitu omnes terreat belluas: neque cor tam impauidum reperitur, quin ad eius vocem in pectore palpitet; ex quo facile colligemus, cur Deus tam ſæpe Leoni ſe comparet; vt ſcilicet homines minarum eius rugitum timere aſſueſcant. In cuius ſignum in Oſee dictum de Domino eſt. *Quaſi Leo rugiet; quia ipſe rugiet, & formidabunt filij maris. Oſee cap. 11. v. 10.* Etenim ſicut rugiente Leone omnes beſtiæ terræ, imò, & ipſa volatilia terrore percuſſa ſe mouere non audent, illius formidantes vires, cuius voce terrentur: ita pariformiter comminante Deo, omnes beſtiæ terræ, ideſt terreni homines Maris filij, ideſt huius ſæculi, inſtar Oceani fluctuantis, amatores, terrentur, & per opportunam pœnitentiam in Eccleſiam redeuntes, diuinam effugiunt vltionem: hunc ſenſum prophetico ſermoni attribuit Gloſſa, ord. in uiens. *Cum Leo rugit Volatilia, & beſtia terrore vocis gradu fixo, ſe mouere non poſſunt. Ita Domino comminante filij maris, ideſt huius ſæculi tempeſtuoſi, pauent, & vadunt ad nidos ſuos, ideſt Eccleſias, in quibus cum eis habitabit.* Bonus terror, rugitus deſiderabilis, vox amica, cum ideo terreat, vt corrigat; & ne puniat minatur.

6 Optimè id nouerat, qui Deo aſſidue decantabat: *Confige timore tuo carnes meas, a iudicijs enim tuis timui? Pſal. 118. verſ. 120.* Verum, quam valido ſcuto tegitur contra iudicij diſtrictionem? timore. Ergo ne timeat iudicium, pauere deſiderat? maximè, & rationabiliter quidem! Sicut namque fulminis lapidem qui gerit a fulminis ictu ſecurus incedit, ita qui diuinum iudicium timet, timendo Deum tutus eſt: timor enim Domini peccatum expellit, conſcientiam purgat, vitia comprimit, virtutes excitat, merita nutrit, pænitentiam parit, charitatem fouet; Neq; tam violenter ferrum magnetica trahitur virtute, ſicut a timore contritio; ſi ergo qui Deum timet peccata non retinet, cur timeat Iudicantis indignationem non habet; imperterritus iudicio aſſiſtit qui propriam conſcentiam accuſantem non habet. Diuina ſagitta timor eſt, qui carnem angit, vt ſpiritus pangat. Ita D. Bernardus *ſerm. 29. in Cant. col. 656. lit. I. Vide ergo ſi non prudenter ſagittari, & impugnari ſalubriter poſtulat ſanctus, cum dixit in oratione: confige timore tuo carnes meas, a iudicijs enim tuis timui: Optima, timor iſte, ſagitta, quæ configit, & interficit deſideria carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit.* Time igitur mortalis, ne timeas, confige Dei timore carnis illecebras, vt ſpiritus exultet; deuita peccata, vt gaudeas in æternum.

§. II.

Comminatione pænæ Deus nos reuocat a peccatis.

1 **A***B increpatione tua fugient.* Neque autem gratis, iſtæ comminationes, terroreſque cæleſtes a Deo immittuntur; Verum, quia miſericors eſt, ideo minatur ne puniat, & ideo terret, ne opprimat. Haud immerito fulgurationes, Tonitrua, cæteraque huiuſmodi Tubis præconum comparauerim: cum enim Princeps ſub pænæ comminatione vitia prohibet, hoc fit non vt puniantur, ſed vt fugiantur vitia, hoc optabilius, & carius Legiſlatori: qui ſubditos non perdere, ſed ſeruare deſiderat: ſuaſque pænas ante populi oculos ſemper eſſe ſatagit, dum ſæpe Præconum voce, Tubarum præmiſſo ſonu, eas promulgare iubet. Mortem temporalem, necnon æternam peccantibus minatur Deus, & ne peccent, præcones, ideſt Prædicatores adhibet; tubarum verò loco Tonitrua adhibet, quia illorum vocem expaueſcunt mortales, mortemque metuere addiſcunt. Idcirco hic dicitur *Ab increpatione tua*, ſcilicet a prædicatione miniſtrorum Eccleſiæ, quæ peccatorum pænas exagerat, *fugient*, populi ſcilicet vitia, & peccata: *A voce tonitrui tui*, quæ vox mortem minatur, *formidabunt* æternæ mortis ſupplicium. D. Hieronymi *in Pſal. 103.* hæc interpretatio eſt, aſſerentis. *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt; Vox enim tua eſt, cum dicis: Pænitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cælorum: Tanquam tonitrum verò, vt hi timeant, cum ait: Niſi pænitentiam egeritis omnes ſimul peribitis.*

2 Cum igitur Deus terreat ne puniat, ſed a vitijs auertat; hinc ſequitur, quòd ſi aliquando Deus punitionem adhibet, ita punit, vt vnius punitio, aliorum ſit correctio: nam & terrenus Princeps ideo publicè delinquentes punit, vt cæteri terrore percuſſi, a malefactis abſtineant. Ex hoc maxima exo-

ritur difficultas, cur Deus vxorem Loth, e Sodomitico elapſam incendio, & fæminili curioſitate peccantem, cum puniret in Salis ſtatuam vertit? cur non potius, vel flamma abſumpſit, vel fulmen deiecit, vel apoplexia correxit, vel Bellua deuorauit? *Sed reſpiciens poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam Salis. Gen.cap.19. verſ.26.* Quia videlicet ſtatua æternæ ſtudet memoriæ; Sal verò condiendis, ſeruandiſque carnibus adhibetur: ideo in Salis ſtatuam mulier inobediens conuerſa eſt, vt homines eam aſpicientes, a peccatorum putredine ſeruarentur: Quamobrem Redemptor noſter, cum iudicij inculcaret diſtrictionem, Vxoris Lot pœnam in audientium memoriam reuocauit; ne ſcilicet viuentes ſine ſale, ideſt fatui, eſſent illi mulieri perſimiles, quæ dum viueret ſtulta, & ſine ſale prudentiæ, poſt mortem ſalita eſt, ad aliorum terrorem, non ad ſui correctionem: ſed hic ſapere, peccatum, eiuſque pœnam vitando laborarent: dixit autem: *Mementote vxoris Lot: Luc. cap. 17. verſ. 32.* Vbi egregie Theologorum Magiſter D. Auguſtinus. *in Pſal.75 tom. 8. pag. 341. col.2. lit. C. De die iudicii cum Dominus minaretur, quid ait? Mementote vxoris Lot: omnibus dixit. Quid enim fecit vxor Lot? Liberata eſt a Sodomis, & in via poſita retrorſum reſpexit. Vbi reſpexit, ibi remanſit; facta eſt autem ſtatua ſalis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non ſint fatui, non retro reſpiciant: ne malum exemplum dantes, ipſi maneant, & alios condiant.* Caueat igitur homo peccata timendo, ne det pœnas ſaliendo.

3 Prudentiſſimus Iudex cum reum conſtituit, ipſum examinans, deque veritate interrogans, ad ſuum delictum confitendum hortatur, omnia pœnalia inſtrumenta ſibi demonſtrat, minimè declarans, quo torqueri debeat, niſi veritatem fateatur, vt animus omnium tormentorum apprehenſione conſternetur, & torqueatur amplius. Ita Deus noſter, vt nos a peccatis auertat, non peculiarem pœnam minatur, ſed malum in genere, vt omnia timeamus. Ex Dei nomine Populo Iſraelitico prædicabat Amos Prophæta, quem ad Dei ſeruitutem, a vitiis temperantem, reducere volens, Dei comminationem ſuis verbis ſic explicauit. *Subuerti vos, ſicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham, & non rediſtis ad me, dicit Dominus. Quapropter hæc faciam vobis. Amos cap. 4. verſ. 11. & 12.* Neque ſuperaddit Prophæta quæ Dominus Sodomiticæ diſſipationi aduere velit; & optimè quidem, inquit D. Hieronymus, *in Amos tom. 5. col. 242. lit. E.* vt cum minetur acerbiora ſodomitico igne ſupplicia, neque quæ ſint declarentur, omnia terribilia populus timeat, & magis incertitudine mali, quam ipſo malo crucietur. *Cum dixerit: Hæc faciam tibi: Quæ facturus ſit, tacet; vt dum ad ſingula pœnarum genera Iſrael pendeat incertus (quæ ideo terribiliora ſunt, quia omnia ſuſpicantur) agat pœnitentiam, ne Deus inferat, quæ minatur.* Etenim Dominus, vt pœnitentiam populi amplectantur, omnia minatur ſupplicia, vt terror auertat quæ ſupplicium puniret.

4 In creatarum rerum exordio Cœleſtis regiæ ciues, creati ſunt Angeli: Ipſis leges poſitæ ſunt, quas ſi ſeruarent leges perpetuo illo fruerentur bono, reuelata facie, quod ſibi ſub velamine monſtrabatur. Atque (vt legislatorem ſapientiſſimum decebat) non ſolum obedientibus propoſitum eſt præmium, verùm etiam delinquentibus pœna comminata eſt, æternæ ſcilicet perditionis. Contigit, vt non parua eorum manus, Lucifero duce, perierit, & poſt expectatam, nec habitam, eorum pœnitentiam (nam & pœnitentiæ extitiſſe capaces cum Scoto ſuſtinemus, & ſupra probauimus) Lucifer cum ſuis aſſeclis in infernum deiectus eſt. Qua in re aduertit patientiſſimus Prophætarum eius deiectionem Angelos omnes perterruiſſe, & conſequenter in bono firmaſſe, inquiens: *Cum ſublatus fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Iob. capitulo 41.* Hæc porro ſententia non eſt ipſius Iob, ſed Dei loquentis ad ipſum: quaſi diceret: Boni Angeli; cum viderent eorum nobiliſſimum ad maximam pœnam damnatum, timuerunt, ne ſi & ipſi peccarent conſimilem expectarent pœnam, & ideo purgati ſunt, ideſt in bono ita confirmati, vt numquam Deo, aut non deſeruire, aut eius iuſſa ſuperbo corde paruipendere, auderent: confirmat hanc expoſitionem Magnus Gregorius, *lib. 34. cap. 7. in Iob. tom. 2. pag. 1093. lit. C.* his verbis. *Cum ſublatus fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Huius itaque lapſus eos terruit, ac purgauit: terruit ne Conditorem ſuum ſuperbè deſpicerent: purgauit vero, quia exeuntibus reprobis actum eſt, vt ſoli electi remanerent. Et quia cunctorum opifex Deus ſcit ad bonorum cuſtodiam etiam benè vti mala actione reproborum, lapſum cadentium vertit in profectum manentium; & vnde punita eſt culpa ſuperbientium, inde humilibus Angelis & inuenta, & ſolidata ſunt augmenta meritorum.* Sic diſponente miſericordia ſua, comminatione pœnárum Deus nos reuocat a peccatorum amore.

§. III.

Aeris terribiles impreſſiones ſignum ſunt iræ diuinæ.

1 AB *increpatione tua, &c.* Etſi aeris impreſſiones diuinæ comminationes aliquando ſint homines a peccato deterrentes; multoties nihilominus, etiam diuinæ iræ ſunt ſigna. Irati hominis faciem ſi quis intueatur, procul dubio maculatam videbit, tumentia ſtant ora, rubicundæ genæ, porrecta facies, arcuata frons, excandeſcentes oculi: vt ipſam animi indignationem, turbata membra teſtentur. Porro cum Deus faciem nobis viſibilem non habeat, quotieſcumque iuſta iraſcitur de cauſa, noſtris exigentibus culpis, in aere, tanquam in Dei facie tonitrua, fulgura, turbines, cometæ, meteora apparent, vt indicent nobis Dei iram, vt ſcilicet iratum Dominum placare ſtudeamus. Propheta ergo dicit; *Ab increpatione tua fugient*; ſicut namque ab hominis irati præſentia, qui indignationis cauſam dedere, fugiunt, ita peccatores cum in aere irati Dei ſigna vident, a facie illius fugiunt, non loci mutatione, ſed vitæ; velum enim peccatores regens, & abſcondens, pœnitentia eſt. Fauet nobis Lyrani expoſitio. *Aliter exponitur, hoc referendo ad homines. In nubibus enim frequenter generantur impreſſiones terribiles, vt tonitrua fulgura, & turbines; quæ dicuntur quædam increpationes diuinæ; quæ frequenter ſunt Signa iræ ſuæ*

2 Cum aliquis grauiter delinquendo, humanas leges tranſgreſſus eſt, aliquo præſertim perpetrato delicto, quod enormitatem ſapiat; ſtatim, nedum in Principis facie iræ rationabilis, iuſtæque vindictę ſigna videntur, verùm etiam per vniuerſam vrbem, & regnum præconum voce eorum delicta debitæ animaduerſioni damnata, audiuntur. Quid autem ſunt præconia illa culpæ, & pęnarum, niſi ſigna irati Principis, qui iuſtiſſimè in peccata exardeſcens, eos punire deſiderat? Haud ſecus omnipotens Imperator, in peccatores ſæuiens, ſigna iræ ſuæ, iuſtæque expectandæ punitionis, tonitrua prædicationes, fulgura mittit; vt homines reſipiſcant, Deumque, quem iratum ſentiunt pertimeſcant. Orator Seneca etiam ipſe in ſuis controuerſijs adnotauit, Diligentius homines Deo ſeruire, cum agnoſcunt iratum; & cum præcipuè id in proprijs calamitatibus legunt. *Fortuna*, inquit, *quos miſeros fecit, & ſuperſtitioſos facit. Diligētius Dii coluntur irati. M. Senecæ excerp. ex lib. 8. contron. 1. pag. 422.* Sed quod Ethnicus homo Fortunæ dedit, nos diuinæ prouidētiæ tribuimus; qua operante, cum iræ cæleſtis videntur ſigna, homines in Dei obſequio promptiores redduntur. Colligitur hoc ex Apocalipſi. Nam ex Dei Throno proceſſiſſe fulgura, voces, & tonitrua legimus. *De Throno procedebant fulgura*

gura voces, & Tonitrua. Apocalip. cap.4. ver. 5. Voces præconia erant, Tonitrua tubæ, fulgura pœnæ oſtenſiones, quæ omnia ſedentem in Throno, in homines oſtendebant iratum: teſte D Ioanne Damaſceno. *medi. lib.2. Paraneſ. cap.1. Loquitur enim cum hominibus Deus, non modo humana lingua per ſacros Vates, vt a peccatis auocentur, & reſcipiſcant; ſed nonnumquam ipſis elementis, in formas, & imagines diuerſas ad eorumdem terrorem compoſitis.* Sic aeris impreſſiones, non tam elementorum effectus, quam iræ diuinæ ſunt ſigna; ſed voces etiam ſunt, quæ cum iram Dei in nos deſcēdere paratam oſtendunt, etiam admonent, a peccatorum perpetratione ceſſandum.

3 Rex omnipotens Deus, ſeruo ſuo Ioanni ſuæ maieſtatis ſplendorem oſtendens, nonniſi inter fulgura, & tonitrua viſus eſt: Neque ſolum Solium eius iaculans fulmina reſpexit, verum etiam cum in Templo Diuinitatis Arcam Dei intueretur, ex eadem fulmina coruſcare obſeruauit. *Et apertum eſt Templum Dei in Cœlo, & viſa eſt Arca teſtamenti eius in Templo eius, & facta ſunt fulgura, & voces, & terremotus, & grando magna.* Ergone Arca Dei inter terrificos demonſtratur aſpectus, & dum vita ex diuina viſione ſperatur, mortis terror incutitur? Aptiora fortaſſe viderentur ad tantam enunciandam gloriam, lętitiæ ſigna quam pauoris: cur igitur terriculamenta adhibentur? Dic quæſo, numquam terreni Principis, vel domum, vel Thronū obſeruaſti? nonne vidiſti in eius circuitu armatos ſtare milites, nudatos vibrantes enſes? ita prorſus: hoc autem ea de cauſa fit, vt diſcant homines amare Principem, & timere; amatur a quo beneficia ſperantur, ſed timeri debet, quia gladium ad reorum terrorem diſtrictum portat: Porrò in Deo miſericordia, & veritas ex ęquo aſſiſtunt, oſtenditur Arca ſalutis, vt de eius bonitate lætemur, ſed fulgura; & grandines nos terrent, vt eius iuſtitiam, & iuſtam iram agnoſcamus: vnde Magnus Baſilius *in Regul. fuſ. diſp. pag.387. col.2. lit.C.* hæc habet. *Hac igitur cum ita ſint, nolimus Deum ex dimidia parte cognoſcere, neque eius erga nos bonitatem ad ignauiæ occaſionem arripiamus: propterea tonitrua, propterea fulminum terrores, ne bonitas contemnatur. Qui ſolem oriri facit, is etiam cæcitate mulctat: qui imbrem dat, etiam ignem pluit, illa clementia, hæc ſeueritas; aut enim per illam ad amandum allicimur, aut per hæc ad metum aſſueſcimus.* Iram igitur ex huiuſmodi aeris impreſſionibus agnoſcentes diuinam, peccatum fugiamus, qui iram non expaueſcit, vindictam experietur.

§. IV.

Homo nihil boni operari poteſt a ſe ſine Deo.

1 A *Voce tonitrui tui, &c.* Perſpicuum eſt apud omnes, vt in expoſitione literali oſtenſum eſt, præcipuam harum impreſſionum cauſam Deum, eſse, non ſolum quia prima, & vniuerſalis cauſa omnium eſt, ſed præcipuè quia ad auertendos homines ab eorum via mala ſingulari prouidentia illas fieri permittit: cum autem omnia Dei ſint, quare hìc ſpecialiter Tonitrum Dei dicitur, *A voce tonitrui tui?* Certè vt agnoſcat homo ſe nihil boni facere poſſe ſine adiutorio Altiſſimi. Hoc ita verum, & perſpicuum eſt, vt gentiles etiam Philoſophi, qui rectè ratiocinarentur, illud faterentur, vt Seneca docet. *Bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquid ſupra Fortunam, niſi ab illo adiutus exurgere? Ille dat conſilia magnifica, & erecta. L. Seneca Epiſtol. 41. tomo ſecundo, pagin.* 112. Rectè igitur omnes operationes Naturæ, & virtutis Deo tribuuntur, qui omnia pro ſuo libito cum diſponat, nos ſine illo nihil boni facere poſſumus. Ideo dicit D. Auguſtinus. *A voce tonitrui tui fugient; ergo nullus homo arrogat ſibi aliquid; formidauerunt aquæ, ſed a voce tonitrui tui, nam ecce cum voluit Deus fugerunt aquæ ne præmerent montes.* Fatuus igitur ille eſt, qui de virtutibus gloriatur, qui de bonis ſuperbit, ſola vitia noſtra ſunt; bona verò ſolius Dei, de cuius benignitate nos miſericorditer proſperamur.

2 Eccleſiam ſuam Deus agro comparans, ſe diuiti viro ſimilem facit, qui agriculturæ intendens, ſuos operarios ad exercendum illum deſtinauit. Hic igitur vir, Dei figura, frumentum colonis dedit, vt ſeminarent; qui iuſſis obtemperantes, ſeminauerunt illud: contigit autem, vt intempeſta nocte, cum illi ſomnum caperent, veniret inimicus homo, & ſuperſeminaret zizania; ad exortum autem tritici, & zizania apparuere; tunc expaueſcentes coloni Domino factum retulere, dicentes: *Domine; nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Matth. capitul. 13. verſicul.* 27. Sed vim ſermonis, modumque loquendi conſideremus; nequaquam Dominus ipſe ſeminauerat triticum, ſed coloni, cur ergo dicunt *Seminaſti?* Quod ſi illud indicare volebant Domini eſſe. laborem verò illorum tantummodo, ſatis fuerat dixiſſe: *Nonne bonum ſemen ſeminauimus;* Qua igitur de cauſa dixerunt; *Seminaſti?* Vt innuerent inquit acutiſſimus Chriſologus, omnia opera bona, quæ facimus, & omnes virtutes noſtras Dei eſſe. ſine quo nihil boni perficere valemus. *Seminaſti, non ſeminauimus; nos quod per te facimus, tibi ſemper noſtro aſſignamus authori; & tu in his quæ nobis facienda præcipis, ipſe operator aſſiſtis. D. Petrus Chriſolog. Serm.97. pagin. 335. columm. prim.* Cum ergo non nos, ſed Deus in nobis omnia operetur, haud aliquid noſtris viribus tribuere poſſumus; Sed Deo operanti.

3 Ieremias Propheta populum Iſraeliticum erudiens, eique diuini verbi veritatem aperiens, ſibi ipſi contradicere videtur; nam aliquando apoſtrophe ad Deum verſus, inquit: *Scio Domine, quia non eſt hominis via eius; nec viri eſt, vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Ierem. capit. 10. verſic.* 23. Quid enim magis in poteſtate eſt viri, quam quòd ſuum eſt? & quid magis proprium libero homini, quam ferri quocumque libuerit? Inintelligibile eſt ergo, quòd dicitur, viam hominis non eſse hominis, nec liberum animum dirigere poſse viam ſuam. Sed vera loquitur Propheta: neque enim de materiali inceſsu loquitur, ſed de exercitatione virtutum: nam quantumcumque laboret homo, vt in virtutibus creſcat, vitamque ſpiritualem inſtituat, ſine Deo aliquid boni facere poterit: quapropter via eius bona, eius non eſt, verum illius cæleſtis Spiritus, qui mouet, fouet, & ſeruat voluntatem ſuam in bono: optimè ergo dictum eſt: *Scio Domine, quia non eſt hominis via eius;* Scilicet virtutum profeſſio, earumque conſeruatio, opus hominis non eſt, ſed Dei. Inſuper, ſi a bono itinere aberrauerit, propria virtute a malo ſurgere numquam poterit, niſi auxiliante Deo; & hoc eſt quod additur; *Nec viri eſt;* vt dirigat greſsus ſuos. Quòd perpendens D. Bernardus Abb. Clareuall. *de mod. ben. viuend. Sermon. 3. de grat. Dei columm. 124. litera B.* inquit. *Nec a ſe poteſt quiſquam corrigi niſi a Deo. Homo nihil boni habet proprium, cuius via non eſt eius, teſtante Propheta, qui ait: Scio Domine, quia non eſt hominis via eius; nec viri eſt, vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Ita homo bonum quod agit, non ſibi, ſed Deo debet.

4 Hinc profectò ſuperbiæ noſtræ vanitas redarguitur; etenim cum ex noſtris operibus nullum ſine Deo, eiuſque auxilio in lucem prodeat, de eo, qui noſtrarum virium fructus non eſt, vana conuincitur gloriatio. Nōne ſtulta eſt Regum, Rectorumque laudatio, cum eis vel in gubernando prudentia, vel in operando fælicitas ceſſit ad votum, dum dextera diuina protectus ei debeat, quidquid euenit feliciter? Manifeſtè id docetur,

Iſaiæ

Digitized by Google

Iſaiæ c.63. Sapientiſſimus inter legiſlatores, nec non inter Principes prudentiſſimus habitus eſt Moyſes, qui populum ſeruitute preſſum, militari peritia deſtitutum, tot miſerijs deiectum, ita erudiuit, ſic ſubleuauit, vt ad variarum regionum imperium euexerit; cuius præclara facinora, miratur fama dum recolit, dum celebrat obmuteſcit: Sed ne diuinæ gloriæ laudem vſurparet Dux tantus, magnus planè, ſed qui ſine Deo nihil fecerit; teſtatur Propheta. *Iſai. cap.63. v. 12. Qui eduxit ad dexteram Moyſen brachio maieſtatis ſuæ*: quatenus ſcilicet, veritatem mundus edoctus, Deo tribuat quod in Rectoribus, & Principibus laude dignum deprehenderit, audiamus D.Petrus Chriſologum. *ſer. 131. pag.364. col. 1. Qui eduxit ad dexteram Moyſen brachio maieſtatis ſuæ; vt cognoſceret, niſi a Deo regantur Reges, ipſos, cum ſint homines, nihil regere poſſe rectores*. Si igitur regere populos ſine Deo nequeunt Principes, ſine fatuitatis vitio ſuperbire non poſſunt.

5 Cæleſtis Curiæ Principes ſummo aſſiſtentes Imperatori, noſtratum miſeriarum haud immemores, non ceſſant interpellare pro nobis diuinam miſericordiam, vt orationibus ſuis væniam peccatoribus impetrantes, eorum conſortio dignos reddant. Hoc ſignificabant Animalia illa quæ Deo aſſiſtentia vidit Ezechiel; erant enim oculis plena, quia omnes noſtras indigentias clarè perſpiciunt; alas habebant, vt eſſent ad auxiliandum parata; ſonum vehementem alis reddebant, vt eorum orationum efficaciam, noſtræq; ſalutis ardentem zelum oſtenderent: Inter hęc autem mirum apparet, quod ingens ille alarum ſonitus Deo tribuatur: *Ezech. cap.1. ver.24. Et audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei*. Si ſancti pro nobis orationem fundendo ſonitum edunt vehemētiſſimum, ad inſtar ſcilicet aquarum multarum; cur hic ſonus Deo datur; *quaſi ſonum ſublimis Dei*? Ea, ſi magno credimus Gregorio, cauſa eſt, vt ſciremus, ſanctos nihil ſine Deo poſſe: quomodo enim erga nos miſericordia ferri poſſent, niſi Deus miſericordes efficeret? quomodo noſtras miſerias noſcerent, niſi Deus reuelaret? quomodo nos amarent, noſtrumque bonum optarent, niſi Inſpirante Deo? Deus vtique eos amantes reddit, orantes adiuuat, impetrantes exaudit. Rectè ergo Deo tribuitur illarum precum virtus, quæ ſine ipſo fieri haud potuiſſent. *Quid eſt*, inquit ille, *quòd alarum ſonus in ſanctis animalibus, quaſi ſonus ſublimis Dei dicitur; niſi quod omnipotens Deus, & ipſe implet mentes ſanctorum cæleſti deſiderio, & ipſe exaudit impletas? Ipſe enim creat in Sanctorum cordibus amorem, & ipſe ex amantibus cordibus ſuſcipit precem. &c. Benè ergo iſte alarum ſonus, quaſi ſublimis Dei dicitur, quia quidquid in Sanctorum virtutibus agitur, eius eſt gratia, qui merita largitur. D.Gregor. Mag. Hom.8. in Ezech.to.2.pag.1271.lit.B.C.* Ergo, & illud, quod a ſanctis nobis præſtatur beneficium, Dei eſt; ſine quo, neque nos aliquid haberemus, neque illi deprecarentur.

6 Dei miniſter cathedram eccleſiaſtes aſcendit, Diuina proclamaturus verba, vt territus populus ex auditu æternalium pænarum, vel potius ex exageratione cæleſtium gaudiorum illectus, vitia abiciat, merita proſequatur: Verum fruſtra funditur ſermo, inaniter rethores agglomerantur figuræ, in caſſum reſonant argumenta, niſi diuinitus aſſiſtat Deus, detque vocibus virtutem, fructumque prædicanti: tunc fæcunda ſunt eloquia cum incrementum dat Deus; tunc alliciunt Bona, cum confert Dominus ornamentum: neque enim ſupplicia imminentia perterrefacerent, niſi cælitus veniens timor corda moueret. Patet hoc cuilibet conſideranti Ieroſolimitanæ Piſcinæ myſteria. Aderat Fons ibi, quinque porticibus ornatus; *Ioan.cap.5. ver.2. Erat autem Ieroſolimis probatica Piſcina quinque porticus habens*: Has porticus maxima languentium inhabitabat turba; vtique vt a ſuis languoribus ſanaretur. Sanè celebris Fons qui ſanitatem donaret. Sed quæro, erat in ipſius poteſtate Fontis aquam mouere, vt eius motu propellerentur infirmitates? nequaquam: ſed ſtatutis diebus deſcendebat Angelus ad mouendam aquam: *ver. 4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in Piſcinam: & mouebatur aqua*. Noluit autem cælorum Imperator, Fontem illum ſine angelico motu ſanitatem reddere; vt ex hoc colligerent homines, Rethoricum fontem, e ſapientis Concionatoris ore manantem animabus ſalutem non afferre, niſi deſuper motus exundet: neque a ſua voluntate, ſed a diuina, audientium conuerſionem pendere: aſſentitur D. Petrus Chriſologus *ſerm.87. pag. 324. col.2. Hieroſolimitanus Fons abundat cum impellit Angelus, non cum ſitit auditor: ſic Sacerdotis ſermo exuberat, quando dat Deus, non dum perorat Sacerdos*. Sed ſi vacuus ſine Deo eſt ſermo, nobis quid tribuamus habere non poſſumus. Benedictus in ſæcula ſæculorum ſit ille, qui dat ſermonibus virtutem, virtutibus incrementum.

7 Audiant omnes, qui cum ſibi ſapientes videntur, ne dum mundana, ſed ſpiritali ſapientia pleni, qua maximè gloriantes ſuperbiunt; audiant, inquam, quid de ſe ipſa Sapientia loquatur: etenim cum ſe ex diuino ore manaſſe, ante ſæcula fuiſſe, omnia creaſſe iactaret, concluſit tandem: *Quaſi Palma exaltata ſum in Cades. Eccleſ. cap. 24. ver. 18.* Coronas promerebatur, quæ tanquam Regina virtutum, in Palmæ ſimilitudinem excreſcebat: Valde tamen eius verba penſanda ſunt. Quomodo exaltatur Palma? fructificando videlicet; nam quæ infæcunda eſt nihili exiſtimatur: & hoc mirabile, quod niſi Palma fæmina alterius Palmæ aſpectu fęcundetur, fructus non dabit: illud nobis demonſtrans, quod in nobis non creſcit, neque fructificat Sapientia, quæ diuinæ Sapientiæ caret intuitu: Quid ergo vel de ſcientia, vel de virtutibus ſuperbit homo, cum Domino debeat fæcunditatem, & incrementum? Audiat monentem concionatorum Phænicem D. Antonium de Pad. *ſerm.Dom.4.poſt Paſch. pag.208. col.1. Palma, quæ eſt fæmina non facit fructum maturum, niſi receperit vaporem alterius Palmæ, quæ ſit maſculus, per ventum vehementem illum: vnde Eccl. 24. Quaſi Palma exaltata ſum in Cades: Quia homo nō poteſt proficere ſine Spiritus ſancti gratia, ſicut Palma non fructificat, ſine vapore maris; & ideo homo ſine gratia non eſt aptus diuino ſeruitio*. Virtutis figura Palma eſt, ſed ſi illa ſine virili vapore non fructificat, hæc ſine Dei gratia non excreſcit.

8 Templum Dei eſt quælibet Anima ſancta, in qua eò libentius habitat, quò rationalis cum ſit, non ſolum inhabitantem nouit, ſed & obſequijs allicit. De hoc Tēplo Apoſtolus ad Corintios prædicans, docebat: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 1. Corin.cap.3. v. 16.* Nemo autem ignorare poteſt, omnia, quæ in Principis domo ſunt ſub Principis poteſtate eſſe; ſic Dei ſunt, quæcunque in Dei Templo, quæ Domus eius eſt, reperiuntur. Quis ergo, licet rudis, & imperitus, non illico fatuum Domus gubernatorem, vel Templi cuſtodem agnouerit, cum de domus, Templique theſauris, ornatuque viderit ſuperbè gloriantem? Haud abſimilem hominem dixerim, qui de ſua, vel iuſtitia, vel prudentia, vel ſanctitate, iactari non deſinit; quaſi eas virtutes proprio marte comparauerit, quaſi bona animæ ſuæ, ſua ſint, cum omnia conſtet Dei eſſe, cuius Anima eſt Templum: Ita philoſophatur D. Valerianus Cemel. *hom. 10. pag 741. col. 1. Ergo videtis, quod ſi quando boni videmur bonitatem Dei operamur. Audite Apoſtolum dicentem: Vos eſtis Templum Dei, ſi tamen ſpiritus Dei habitet in vobis. Templum profectò Dei ſumus; ſed cum benefacimus. Si ergo Templum Dei eſt homo, neceſſariò Dei eſt quod habemus in templo*. Bona ergo noſtra Theſaurus Dei ſunt; nos ſeruare debemus, ſed congregare niſi largiente Deo, non poſſumus: in vaſis fictilibus conſeruamus, ne ergo diſperdat ſuperbia quod humilitas comparauit.

9 Templum Dei ingreſſi ſumus, ne ergo properè relinquamus, verum eius mirificam ſtructuram attente conſideremus. Princeps aliquis magnus, dum vel Deo,

vel

Digitized by Google

vel ſibi Domum conſtruere curat, certum eſt ſuis manibus illam non ædificare, ſed ſua impenſa cæmentarijs fabricandi tribuit facultatem; inſuper, & Architectus tantum dirigit, ex cuius directione mechanici fabri Domũ ædificant. Ipſum tamen opus, nonniſi Principi tribuitur cuius impenſa factum, vel Architecto, cuius regulis directum eſt; non vero ipſis cæmentarijs, quos pater nil efficere poſſe ſine regulis Architecti, & neceſſariis rebus a Principe comparatis. Anima ſancta, in dignum Dei templum virtutibus aſſurgit; ſed tamen hanc ædificationem ſibi homo tribuere non poteſt, cum nil poſſit niſi dirigente, bonumque actionibus tribuente Deo: Ideoq; Deo hęc fabrica tribuenda eſt, cuius opibus, cuius operibus tanta moles ædificatur. Hũc reſpexiſſe Pſaltem credendũ eſt, dum canebat. *Pſ. 126. v. 1. Niſi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerũt qui ædificant eam.* Imo quia experimento conſtat Domum non habitatam corruere; ſequitur hoc Templum Dei, animam iuſtam videlicet, nequaquam cuſtodiri poſſe, niſi inhabitetur ab ipſo Deo; nam eo diſcedente quæcumque virtutum machina ruit; quod idem propheta teſtatur. *ver. 2. Niſi Dominus custodierit Ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Ego ſi nec ædificare, nec cuſtodire ſine Deo virtutum fabricam poteſt homo, quod bonum operatur ſuũ non eſt, ſed Dei. Ita citatus D. Valerian. Cęmelien. concludit. *hom. 11 pag. 741. col. 1. Videtis ergo, quod ſine Domino, nec quod bonũ eſt ædificari, nec ædificatum ſine Domino poterit cuſtodiri. Ædificatio diuinæ huius domus, ædificatio eſt vitæ noſtræ, quam oportet diuinæ Maieſtatis auxilio communiri.* Liquet ergo nil poſſe hominem ſine Deo.

10 Infeſtiſſimus Iſraelis hoſtis Philiſteus erat, qui & multis fregerat pręliis, & fere ad ſeruitutem oppreſſerat; quia populus ille ſub malis Iudicibus, omnia crimina perpetrans, diuinum auxilium demeruerat: conuerſus tandem Samuelis adhortationibus ad Dominum, in acie ſtãtem Philiſteum iterum pertimeſcebat; verum, inito cum hoſte certamine, de cælo Deus tonans, ita inimicos exterruit, vt facili negotio filii Iſrael ſic territos, fugiẽteſq; trucidarent. 1. *Reg c. 7. v. 10. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſtym, & exterruit eos: & cæſi ſunt a filijs Iſrael.* En ſignum Dei auxiliantis; quo modo enim, toties victi Iſraelitæ, fractis viribus, animis deiectis, hoſtem armis potentiſſimum, victoriiſq; inſolẽtem cædere poſſent, niſi Domino adiuuante? Idcirco dicitur Deum tonando terruiſſe, & deieciſſe quos illi cæderent; ne victoriam ſibi, ſed Deo cederent triumphatori. Optimè id perſpexit Mag. Greg. *lib. 3. c. 5. in lib. 1. Reg. to. 1. pag. 130. lit. E. Bene etiam Dominus ſuper Philiſteos intonare, & exterrere eos dicitur; filij autem Iſrael illos cædere perhibentur: quia bona deſideria nobis per diuinam gratiam miniſtrantur; ſed nos bona gratiæ per concurſum liberi arbitrij ad virtutum victorias promouemus.* Vincenda vitia ſunt, ædificandæ virtutes, odio habenda mala, merita proſequenda; ſed auxiliante Domino hæc omnia præſtabimus; nec nobis tribuamus, quod Dei eſt: haud modicum erit, ſi venientem gratiam excipiemus, hoc nobis dabitur ad meritum, non noſtris viribus debitum, ſed diuinæ miſericordiæ.

11 Hoc bene Diabolus nouerat, dum ſancto Iob exprobrabat. Erat Iob in diuinis oculis magnus, in virtutũ ſequela impiger, in Dei amore feruens, in vitiis fugiendis oculatus, in diuinis obſequiis deuotus, in adminiſtrãdo iuſtitiam integer, in ſubueniẽdis pauperibus liberalis, in ſubleuandis oppreſſis magnanimus, in gubernanda familia prudens; nullum in eo virium, nulla inerat culpa, humilis in proſperis, patiẽs in aduerſis, inter epulas ſobrius, inter diuitias laudabilis, inter labores interritus, inter dolores fortis. Gaudebat de tanto viro Deus, de tam fideli ſeruo Dominus; & quaſi glorians Diabolo dicebat; *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? c. 1. v. 8.* Talia dicentem ſitit Diabolus, huiuſmodi oratione: *Numquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum & domum eius, vniuerſamq; ſubſtantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixiſti? ver. 9.* Et hæc erat diabolicæ orationis ſententia: Iuſtus Iob eſt, fateor, homo declinans a malo, proſequens bonum; ſed & eumdem virtutibus omnibus decoratum haud tua laude dignum cenſeo: etenim ſi ſuis viribus vitia fugeret, ſectaret virtutes, me inſequentem ſuperaret; vtique celebrari poſſet: at cum ſine tuo adiutorio nil boni facere poſſit; & hæc, quæ tu narras, tuo auxilio, tuæq; cuſtodiæ debeat, quid gloriæ mereri poterit? Nonne tu tua gratia vallaſti eum, a malis liberans, & ſubſtantiam eius, bona cuſtodiens; & operibus eius benedixiſti, cum per habitualem gratiam illius operibus eſſe meriti tribuiſti? Cur ergo ſic eum laudas, qui fere nihil fecit? Diui Gregorii Mag. hæc expoſitio eſt. *lib. 2. c. 23. Moral. to. 2. pag. 349. lit. A. Ac ſi apertè diceret: Cur laudas eum, quem protegendo roboras? Deſpecto enim me dignus tuis laudibus homo eſſet, ſi ſuis contra me viribus ſtaret.* Fateamur ergo nos ſine Deo nihil boni proſequi poſſe; quod ſi aliquid boni in nobis apparet aliquando, Deo omnium bonorum Authori tribuamus.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Septimus.

Ab increpatione ſua fugiet Diabolus: & Angeli eius a voce Tonitrui ſui formidabunt.

ANtiquus humani Generis hoſtis, cum homines e voloptatis Paradiſo deiectos, huius ſæculi miſerijs, ac morti ſubieciſſet, ab vna tamen eius generis fœmina ſe debellandum audiuit: Hinc timor, & tremor ſuper eum venerunt, ac æternæ tenebræ contexerunt. Etenim hanc Deiparam ſic expaueſcit mulierem, vt ab omni eius increpatione, imo a ſonitu tantum vocis eius, exterritus, fugæ ſe commendet. Formidat vtique illius magnæ Dominæ humilitatem, qui propter ſuperbiam ſe deiectum agnoſcit: Idcirco nec nomen quidem eius audire ſuſtinet; nam cum ſubito in eius auribus hoc nomen, MARIA, inſonuit, timore correptus, quas animas occupauerat dereliquit.

relinquit.

Iſaiæ c.63. Sapientiſſimus inter legiſlatores, nec non inter Principes prudentiſſimus habitus eſt Moyſes, qui populum ſeruitute preſſum, militari peritia deſtitutum, tot miſerijs deiectum, ita erudiuit, ſic ſubleuauit, vt ad variarum regionum imperium euexerit; cuius præclara facinora, miratur fama dum recolit, dum celebrat obmuteſcit: Sed ne diuinæ gloriæ laudem vſurparet Dux tantus, magnus planè, ſed qui ſine Deo nihil fecerit; teſtatur Propheta. *Iſai. cap.63. v. 12. Qui eduxit ad dexteram Moyſen brachio maieſtatis ſuæ*: quatenus ſcilicet, veritatem mundus edoctus, Deo tribuat quod in Rectoribus, & Principibus laude dignum deprehenderit, audiamus D. Petrus Chriſologum. *ſer. 131. pag.364. col. 1. Qui eduxit ad dexteram Moyſem brachio maieſtatis ſuæ; Vt cognoſceret, niſi a Deo regantur Reges, ipſos, cum ſint homines, nihil regere poſſe rectores*. Si igitur regere populos ſine Deo nequeunt Principes, ſine fatuitatis vitio ſuperbire non poſſunt.

5 Cæleſtis Curiæ Principes ſummo aſſiſtentes Imperatori, noſtrarum miſeriarum haud immemores, non ceſſant interpellare pro nobis diuinam miſericordiam, vt orationibus ſuis væniam peccatoribus impetrantes, eorum conſortio dignos reddant. Hoc ſignificabant Animalia illa quæ Deo aſſiſtentia vidit Ezechiel; erant enim oculis plena, quia omnes noſtras indigentias clarè perſpiciunt; alas habebant, vt eſſent ad auxiliandum parata; ſonum vehementem alis reddebant, vt eorum orationum efficaciam, noſtræq; ſalutis ardentem zelum oſtenderent: Inter hęc autem mirum apparet, quod ingens ille alarum ſonitus Deo tribuatur: *Ezech. cap.1. ver.24. Et audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei*. Si ſancti pro nobis orationem fundendo ſonitum edunt vehemétiſſimum, ad inſtar ſcilicet aquarum multarum; cur hic ſonus Deo datur; *quaſi ſonum ſublimis Dei*? Ea, ſi magno credimus Gregorio, cauſa eſt, vt ſciremus, ſanctos nihil ſine Deo poſſe: quomodo enim erga nos miſericordia ferri poſſent, niſi Deus miſericordes efficeret? quomodo noſtras miſerias noſcerent, niſi Deus reuelaret? quomodo nos amarent, noſtrumque bonum optarent, niſi Inſpirante Deo? Deus vtique eos amantes reddit, orantes adiuuat, impetrantes exaudit. Rectè ergo Deo tribuitur illarum precum virtus, quæ ſine ipſo fieri haud potuiſſent. *Quid eſt*, inquit ille, *quòd alarum ſonus in ſanctis animalibus, quaſi ſonus ſublimis Dei dicitur; niſi quod omnipotens Deus, & ipſe implet mentes ſanctorum cæleſti deſiderio, & ipſe exaudit impletas? Ipſe enim creat in Sanctorum cordibus amorem, & ipſe ex amantibus cordibus ſuſcipit precem. &c. Benè ergo iſte alarum ſonus, quaſi ſublimis Dei dicitur, quia quidquid in Sanctorum virtutibus agitur, eius eſt gratia, qui merita largitur. D. Gregor. Mag. Hom.8. in Ezech.to.2.pag.1271.lit.B.C.* Ergo, & illud, quod a ſanctis nobis præſtatur beneficium, Dei eſt; ſine quo, neque nos aliquid haberemus, neque illi deprecarentur.

6 Dei miniſter cathedram eccleſiaſtes aſcendit, Diuina proclamaturus verba, vt territus populus ex auditu æternalium pœnarum, vel potius ex exageratione cæleſtium gaudiorum illectus, vitia abiciat, merita proſequatur: Verum fruſtra funditur ſermo, inaniter rethores agglomerantur figuræ, in caſſum reſonant argumenta, niſi diuinitus aſſiſtat Deus, detque vocibus virtutem, fructumque prædicanti: tunc fæcunda ſunt eloquia cum incrementum dat Deus; tunc alliciunt Bona, cum confert Dominus ornamentum: neque enim ſupplicia imminentia perterrefacerent, niſi cælitus veniens timor corda moueret. Patet hoc cuilibet conſideranti Ieroſolimitanæ Piſcinæ myſteria. Aderat Fons ibi, quinque porticibus ornatus; *Ioan.cap.5. ver.2. Erat autem Ieroſolimis probatica Piſcina quinque porticus habens*: Has porticus maxima languentium inhabitabat turba; vtique vt a ſuis languoribus ſanaretur. Sanè celebris Fons qui ſanitatem donaret. Sed quæſo, erat in ipſius poteſtate Fontis aquam mouere, vt eius motu propellerentur infirmitates? nequaquam: ſed ſtatutis diebus deſcendebat Angelus ad mouendam aquam: *ver. 4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in Piſcinam: & mouebatur aqua*. Noluit autem cælorum Imperator, Fontem illum ſine angelico motu ſanitatem reddere; vt ex hoc colligerent homines, Rethoricum fontem, e ſapientis Concionatoris ore manantem animabus ſalutem non afferre, niſi deſuper motus exundet: neque a ſua voluntate, ſed a diuina, audientium conuerſionem pendere: aſſentitur D. Petrus Chriſologus *ſerm.87. pag. 324. col.2. Hieroſolimitanus Fons abundat cum impellit Angelus, non cum ſitit auditor: ſic Sacerdotis ſermo exuberat, quando dat Deus, non dum perorat Sacerdos*. Sed ſi vacuus ſine Deo eſt ſermo, nobis quid tribuamus habere non poſſumus. Benedictus in ſæcula ſæculorum ſit ille, qui dat ſermonibus virtutem, virtutibus incrementum.

7 Audiant omnes, qui cum ſibi ſapientes videntur, ne dum mundana, ſed ſpiritali ſapientia pleni, qua maximè glotiantes ſuperbiunt; audiant, inquam, quid de ſe ipſa Sapientia loquatur: etenim cum ſe ex diuino ore manaſſe, ante ſæcula fuiſſe, omnia creaſſe iactaret, concluſit tandem: *Quaſi Palma exaltata ſum in Cades. Eccleſ cap. 24. ver. 18.* Coronas promerebatur, quæ tanquam Regina virtutum, in Palmæ ſimilitudinem excreſcebat: Valde tamen eius verba penſanda ſunt. Quomodo exaltatur Palma? fructificando videlicet; nam quæ infæcunda eſt nihili exiſtimatur: & hoc mirabile, quod niſi Palma fæmina alterius Palmæ aſpectu fęcundetur, fructus non dabit: illud nobis demonſtrans, quod in nobis non creſcit, neque fructificat Sapientia, quæ diuinæ Sapientiæ caret intuitu: Quid ergo vel de ſcientia, vel de virtutibus ſuperbit homo, cum Domino debeat fæcunditatem, & incrementum? Audiat monentem concionatorum Phænicem D. Antonium de Pad. *ſerm.Dom.4.poſt Paſch. pag.208. col.1. Palma, quæ eſt fæmina non facit fructum maturum, niſi receperit vaporem alterius Palmæ, quæ ſit maſculus, per ventum vehementem illum: vnde Eccl. 24. Quaſi Palma exaltata ſum in Cades: Quia homo nō poteſt proficere ſine Spiritus ſancti gratia, ſicut Palma non fructificat, ſine vapore maris; & ideo homo ſine gratia non eſt aptus diuino ſeruitio.* Virtutis figura Palma eſt, ſed ſi illa ſine virili vapore non fructificat, hæc ſine Dei gratia non excreſcit.

8 Templum Dei eſt quæ liber Anima ſancta, in qua eò libentius habitat, quò rationalis cum ſit, non ſolum inhabitantem nouit, ſed & obſequijs allicit. De hoc Téplo Apoſtolus ad Corintios prædicans, docebat: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 1.Corin.cap.3. v. 16.* Nemo autem ignorare poteſt, omnia, quæ in Principis domo ſunt ſub Principis poteſtate eſſe; ſic Dei ſunt, quæcunque in Dei Templo, quæ Domus eius eſt, reperiuntur. Quis ergo, licet rudis, & imperitus, non illico fatuum Domus gubernatorem, vel Templi cuſtodem agnouerit, cum de domus, Templique theſauris, ornatuque viderit ſuperbè gloriantem? Haud abſimilem hominem dixerim, qui de ſua, vel iuſtitia, vel prudentia, vel ſanctitate, iactari non deſinit; quaſi eas virtutes proprio marte comparauerit, quaſi bona animæ ſuæ, ſua ſint, cum omnia conſtet Dei eſſe, cuius Anima eſt Templum: Ita philoſophatur D. Valerianus Cemel. *hom. 10.pag 741.col.1. Ergo videtis, quod ſi quando boni videmur bonitatem Dei operamur. Audite Apoſtolum dicentem: Vos eſtis Templum Dei, ſi tamen ſpiritus Dei habitet in vobis. Templum profectò Dei ſumus; ſed cum benefacimus. Si ergo Templum Dei eſt homo, neceſſariò Dei eſt quod habemus in templo*. Bona ergo noſtra Theſaurus Dei ſunt; nos ſeruare debemus, ſed congregare niſi largiente Deo, non poſſumus: in vaſis fictilibus conſeruamus, ne ergo diſperdat ſuperbia quod humilitas comparauit.

9 Templum Dei ingreſſi ſumus, ne ergo properè relinquamus, verum eius mirificam ſtructuram attente conſideremus. Princeps aliquis magnus, dum vel Deo,

vel

Digitized by Google

vel ſibi Domum conſtruere curat, certum eſt ſuis manibus illam non ædificare, ſed ſua impenſa cæmentarijs fabricandi tribuit facultatem; inſuper, & Architectus tantum dirigit, ex cuius directione mechanici fabri Domũ ædificant. Ipſum tamen opus, nonniſi Principi tribuitur cuius impenſa factum, vel Architecto, cuius regulis directum eſt; non vero ipſis cæmentarijs, quos pater nil efficere poſſe ſine regulis Architecti, & neceſſariis rebus a Principe comparatis. Anima ſancta, in dignum Dei templum virtutibus aſſurgit; ſed tamen hanc ædificationem ſibi homo tribuere non poteſt, cum nil poſſit niſi dirigente, bonumque actionibus tribuente Deo. Ideoq; Deo hęc fabrica tribuenda eſt, cuius opibus, cuius operibus tanta moles ædificatur. Húc reſpexiſſe Pſalrem credendũ eſt, dum canebat. *Pſ. 126. v. 1. Niſi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerũt qui ædificant eam.* Imo quia experimento conſtat Domum non habitatam corruere; ſequitur hoc Templum Dei, animam iuſtam videlicet, nequaquam cuſtodiri poſſe, niſi inhabitetur ab ipſo Deo; nam eo diſcedente quæcumque virtutum machina ruit; quod idem propheta teſtatur. *ver. 2. Niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Ego ſi nec ædificare, nec cuſtodire ſine Deo virtutum fabricam poteſt homo, quod bonum operatur ſuũ non eſt, ſed Dei. Ita citatus D. Valerian. Cęmelien. concludit. *hom. 11 pag. 741. col. 1. Videtis ergo, quod ſine Domino, nec quod bonũ eſt ædificari, nec ædificatum ſine Domino poterit cuſtodiri. Ædificatio diuinæ huius domus, ædificatio eſt vitæ noſtræ, quam oportet diuinæ Maieſtatis auxilio communiri.* Liquet ergo nil poſſe hominem ſine Deo.

10 Infeſtiſſimus Iſraelis hoſtis Philiſteus erat, qui & multis fregerat pręliis, & fere ad ſeruitutem oppreſſerat; quia populus ille ſub malis Iudicibus, omnia crimina perpetrans, diuinum auxilium demeruerat: conuerſus tandem Samuelis adhortationibus ad Dominum, in acie ſtãtem Philiſteum iterum pertimeſcebat; verum, inito cum hoſte certamine, de cælo Deus tonans, ita inimicos exterruit, vt facili negotio filii Iſrael ſic territos, fugiẽteſq; trucidarent. 1. *Reg c. 7. v. 10. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthym, & exterruit eos: & cæſi ſunt a filijs Iſrael.* En ſignum Dei auxiliantis; quo modo enim, toties victi Iſraelitæ, fractis viribus, animis deiectis, hoſtem armis potentiſſimum, victoriiſq; inſolẽtem cædere poſſent, niſi Domino adiuuante? Idcirco dicitur Deum tonando terruiſſe, & deieciſſe quos illi cæderent; ne victoriam ſibi, ſed Deo cederent triumphatori. Optimè id perſpexit Mag. Greg. *lib. 3. c 5. in lib. 1. Reg. to. 1. pag. 130. lit. E. Bene etiam Dominus ſuper Philiſteos intonare, & exterrere eos dicitur; filij autem Iſrael illos cædere perhibentur: quia bona deſideria nobis per diuinam gratiam miniſtrantur; ſed nos bona gratiæ per concurſum liberi arbitrij ad virtutum victorias promouemus.* Vincenda vitia ſunt, ædificandæ virtutes, odio habenda mala, merita proſequenda; ſed auxiliante Domino hæc omnia præſtabimus; nec nobis tribuamus, quod Dei eſt: haud modicum erit, ſi venientem gratiam excipiemus, hoc nobis dabitur ad meritum, non noſtris viribus debitum, ſed diuinæ miſericordiæ.

11 Hoc bene Diabolus nouerat, dum ſancto Iob exprobrabat. Erat Iob in diuinis oculis magnus, in virtutũ ſequela impiger, in Dei amore feruens, in vitiis fugiendis oculatus, in diuinis obſequiis deuotus, in adminiſtrãdo iuſtitiam integer, in ſubueniẽdis pauperibus liberalis, in ſubleuandis oppreſſis magnanimus, in gubernanda familia prudens; nullum in eo vitium, nulla inerat culpa, humilis in proſperis, patiẽs in aduerſis, inter epulas ſobrius, inter diuitias laudabilis, inter labores interritus, inter dolores fortis. Gaudebat de tanto viro Deus, de tam fideli ſeruo Dominus; & quaſi glorians Diabolo dicebat; *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? c. 1. v. 8.* Talia dicentem ſtitit Diabolus, huiuſmodi oratione: *Numquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum & domum eius, vniuerſamq; ſubſtantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixiſti? ver. 9.* Et hæc erat diabolicæ orationis ſententia: Iuſtus Iob eſt, fateor, homo declinans a malo, proſequens bonum; ſed & eumdem virtutibus omnibus decoratum haud tua laude dignum cenſeo: etenim ſi ſuis viribus vitia fugeret, ſectaret virtutes, me inſequentem ſuperaret; vtique celebrari poſſet: at cum ſine tuo adiutorio nil boni facere poſſit; & hæc, quæ tu narras, tuo auxilio, tuæq; cuſtodiæ debeat, quid gloriæ mereri poterit? Nonne tu tua gratia vallaſti eum, a malis liberans, & ſubſtantiam eius, bona cuſtodiens; & operibus eius benedixiſti, cum per habitualem gratiam illius operibus eſſe meriti tribuiſti? Cur ergo ſic eum laudas, qui fere nihil fecit? Diui Gregorii Mag. hæc expoſitio eſt. *lib. 2. c. 23. Moral. to. 2. pag. 349. lit. A. Ac ſi apertè diceret: Cur laudas eum, quem protegendo roboras? Deſpecto enim me dignus tuis laudibus homo eſſet, ſi ſuis contra me viribus ſtaret.* Fateamur ergo nos ſine Deo nihil boni proſequi poſſe; quod ſi aliquid boni in nobis apparet aliquando, Deo omnium bonorum Authori tribuamus.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Septimus.

Ab increpatione ſua fugiet Diabolus: & Angeli eius a voce Tonitrui ſui formidabunt.

ANtiquus humani Generis hoſtis, cum homines e voloptatis Paradiſo deiectos, huius ſæculi miſerijs, ac morti ſubieciſſet, ab vna tamen eius generis fœmina ſe debellandum audiuit: Hinc timor, & tremor ſuper eum venerunt, ac æternæ tenebræ contexerunt. Etenim hanc Deiparam ſic expaueſcit mulierem, vt ab omni eius increpatione, imo a ſonitu tantum vocis eius, exterritus, fugæ ſe commendet. Formidat vtique illius magnæ Dominæ humilitatem, qui propter ſuperbiam ſe deiectum agnoſcit: Idcirco nec nomen quidem eius audire ſuſtinet; nam cum ſubito in eius auribus hoc nomen, MARIA, inſonuit, timore correptus, quas animas occupauerat derelinquit.

Digitized by Google

relinquit. Hoc teſtatur B. Virginis encomium B. Birgitta: *Omnes Dæmones verentur, & timent, quia audientes hoc nomen, Maria, ſtatim relinquunt Animam*. Protectrix hominum ſic hoſtes eorum proſternit. Decebat namque Saluatoris Genitricem, ſupplantatoris terrefacere conatus, frangere vires; vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, & ipſi & eius Filio lætantes, & gaudentes per omnia ſæcula ſeruiremus.

Beatiſſima Virgo terribilis eſt Diabolo, & Angelis eius.

1 Æternum Imperatorem ſine cæleſti eſſe militia nequaquam decet; hinc legimus de eo illud memorabile nomen apud Iſaiam ſcilicet *Dominus exercituum*. Qua de cauſa in omnibus ferè locis, vbi Angeli nominantur, cæleſtis militia dicuntur; ipſis non tam neceſſitate, quam maieſtate vtens ad debellandas tartareas poteſtates; quas licet vnico voluntatis nutu proſternere poſſit, pro eius tamen Imperij dignitate, militibus ſuis earum repreſſionem demandat. Verum poſt Deiparæ ad Cęlorum Coronam exaltationem, ſuperſunt militiæ; nam ita terribilis Lucifero, eiuſque militibus Mariæ vultus eſt, vt magis eos terreat, quam vniuerſus Angelorum exercitus. Idcirco namque de ipſa in Canticis dicitur. *Terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata. Cant. cap.6. verſic.* 3. Magis enim Mariam maligni ſpiritus verentur quam ſi vniuerſam Cœlorum Curiam in eorum perniciem armatam reſpicerent: Sed cur eam non timeant, quæ Dei eſt Mater? illius inquam qui eos ad nihilum, cum voluerit, redigere poteſt? qui Fortem eorum æternis vinculis alligauit? Qui omnes Inferni vires confregit? Qui rebelles eorum voluntates a miſericordia ſe mouit? Iuſtiſſima cauſa timoris eſt, eam timere inimicam, quæ ipſum Dominum Filium habet, eius mandatis obtemperantem; præualet namque Virginis virtus, cunctis cæleſtis militiæ caſtris. Fauet Guilelmus Pariſienſis. *Dilectus Filius, vt piam matrem cunctis ſpiritibus malignis terribilem vehementer demonſtraret, dixit de ea: Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata: quaſi dicat: Quia te ſciunt aereæ poteſtates matrem meam, matrem ſupplantatoris ſui, verentur te Matrem terribilis, & eius, qui aufert ſpiritum principum, id eſt deſtruit ſuperbiam malignorum ſpirituum. Tu quoque terribilis facta es, & non mediocriter, ſed ſicut eſt illis terribilis Angelorum exercitus, ad coercendos eos diuinitus ordinatus.* Paueant ergo illi te Dominam iratam, ſed non paueam ego ab illorum inſultu, te protegente, liberatus.

2 Licet omnes ſuperbi huius ſæculi Principes, qui Dei populum ſunt perſequuti, Diabolum referant, qui fideles animas impugnare non deſtitit: nihilominus tamen, vera eius figura Ægiptiorum Tyramnus Pharao fuit: Is Deo rebellis, ſubditis importabilis, in Iſraelitas immanis, nec tot flagellis cæſus, vt Deo obtemperaret Induxit animum; donec ita excæcatus a ſemetipſo præcipitatus in mare rubrum, non prius depoſuerit ſuperbiam, quam animam cum ipſo regno perdiderit: inſanus vtique, qui paucos ne perderet vaſſallos, totam euertit Monarchiam: & qui Deo obediens regnare, ac viuere potuiſſet, ſuperbe inobediendo vitam amiſit. En Diaboli typum, qui cum Deo ſubiectus æterna frui gloria potuiſſet, propter inobedientem ſuperbiam æternis pœnis eſt mancipatus: nec ſua tantum perditione contentus, ſæuit in animas, haud perpendens, ex aliorum damnatione, ſuas pœnas augeri potius quam leuari. Quòd ſi Pharao rubros maris vortices interfectores habuit: *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. Exod. cap.*15.*ver.*4. Qui fluctus Diabolum enecat? Maria Virgo; quæ maris nomen ſortita, caput Draconis conterens in ipſum amaritudines omnes immittit: mare & amarum Maria eſt, cuius aquis agitatus Diabolus, cum omnibus ſatellitibus eius, amariorem ipſo Inferno cruciatum experitur. D.Bonauentura *in Spec.Virg.Lectio.3.tom.6.pag.*454.*col.*2. teſtante. *Maria eſt mare amarum Diabolo, & Angelis eius, per ipſam oppreſſis: quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægiptijs. O quam amara, & timenda eſt hæc Maria Demonibus.* Sic Dei Genitricis auxilio Ægiptiaca, ſeu Infernalia Caſtra teruntur, nam ſi illa Pharaone duce ſuperbiunt, hęc ad eos perdendos rubri maris amaritudinem habet.

3 Hinc datur intelligi, cur B.Virgo, dum Cœlorum luſtraret circuitus, & vniuerſæ mundanæ regionis Imperium pedibus calcaret, vt ſcilicet Regni caperet poſſeſſionem, etiam Inferni penetrauerit clauſtra, etiam abyſſi penetrauerit fundum? Dicitur namque: *Et profundum Abyſſi penetraui: Eccleſ. cap.* 24. *verſ.* 8. Etenim ad Regni conſeruationem non ſolum pax inter ſubditos, ſed in inimicos poteſtas requiritur, ne ſubditi aliorum infeſtatione turbentur. Haud ergo mirum ſi cęlorum Regina, poſt luſtratas ſyderum Regiones, cœlorum ambitus, Angelorum Choros, Sanctorum Sedes, Diuinitatis Sacrarium, etiam vt triumphatrix Inferni penetralia calcet. Dicitur autem penetraſſe, non ſolum abyſſum, verum etiam profundiorem Abyſſi partem; quia ei ſubijciuntur, nedum infimi, ſed potentiſſimi Inferorum Principes; nec inter æternas tenebras reperitur potentia, quæ eius non timeat virtutem, non exhorreat poteſtatem: Nam ſi *Dominus* dicitur quaſi *domans manus*; rectè Maria Domina nuncupatur, quæ malorum Spirituum manus debellat, & proſternit: plaudat tellus victrici, paueat infernus Dominam, coronet Cęlum Regnantem: Pax in mundo, in Cęlo gloria roboratur, dum infernales vires eneruantur. Senenſis Bernardini *ſerm.* 3. *de glor. nom. mart. art* 2. *cap.*2, *tom.*4. *pag.*83. *colum.* 1. hæc ſpeculatio eſt. *Quod B. Virgo dominetur in regno inferni, propterea inquit Eccleſ.* 24. *Et profundum Inferni penetraui: Non enim tantum dominatur Dæmonibus, qui ſunt in ſuperficie ipſius Inferni, neque ſuper tantum mediocribus, qui quaſi ſunt in medio, ſed inſuper, & maxime his, qui ſunt quaſi in profundo: &c. Merito ergo competit ei etimologia huius nominis (Domina) quaſi domans manus, quaſi ipſa domet dæmonum manus, & poteſtates.* Paueant ergo Mariam diaboli, & ab eius increpatione fugiant, quæ ita eos confundit.

4 Cum debellatis hoſtibus, ipſorum ciuitatem victor Imperator ingreditur, inter cætera inimicorum ſpolia, quæ ipſi belli iure debentur, bona omnia, ipſoſque homines, qui ab hoſtibus olim capti in miſeram tenebatur ſeruitutem reddere coguntur: hoc porrò illis amarum videtur, nec ſine dolore, & ita reſtitutionem faciunt; quia verò vires ad reſiſtendum non habent, ſolo fremitu, & murmure, tantam rerum diminutionem deteſtantur. Hominis inimicus Diabolus, multas hominum cæperat animas, cum vniuerſum humanum genus, e Paradiſo ſubreptum, morti, infernoque deputauerat; Verum a Maria victus, a tanta Regina ſuperatus, ſubreptas animas reſtituere coactus, non ſine fremitu, & indignatione eas reddit: De quo illud Pſalmi intelligi poteſt: *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: Pſalm.* 111. *ver.*10. Ille namq; abſolutè Peccator

dicendus

Digitized by Google

dicendus eſt, qui numquam a peccatorum ſuorum pondere liberari poteſt; is præda iraſcitur amiſſa, is fremit vaſſallis ſeruiſque ſpoliatus, is præ dolore Marianæ victoriæ tabeſcit. Tabeſcit profectò dum ſuam ſuperbiam fractam, ſpem fruſtratam, captiuos redemptos intuetur. Dilucidè hoc oſtendit D. Amadeus Epilauſan. *hom.8 de laudib. Virg. pag.820. col.2. In manu potenti, & in brachio excelſo tyrannorum fines egreditur, munitiſſima quoque domorum aggreditur, inferna ſub pedibus ſuis ſaciens contremiſcere, & Principem mortis nimio terrore percuſſum reſilire. Denique ipſa iubente vehementer, euomit prædam quam in ventre malitiæ traiecerat, reijcient cum dolore, quam cum ingenti ſuperbia detinebat. Surgūt lapſi, redeunt pœnitentes; Peccator videbit, & iraſcetur: Maxilla eius hamo Dominicæ crucis perforata reddit liberos, quos ante detinuit captiuos; dentibus ſuis fremens, & tabeſcens: Per matrem filio, per Virginem reconciliantur Deo, vitæ dati; morti pœnitus ſubtracti.* Sic Dominam Mariam, quam venerari detrectant, victricem, & debellatricem trementes adorant.

5 Tanta eſt magni alicuius Ducis, & Imperatoris potentia, vt cum varijs victorijs fama nominis eius longè latèq; diffuſa ſit, ſolo aſpectu fuget caſtra, ſolo nomine terreat hoſtes: etenim qui eius virtutem agnoſcūt, eam experiri haud patiuntur. Haud abſimilis Maria, ita contra Diabolum dimicans victorijs eſt exaltata, vtpotè quę vix genita illum ſuperauerit, vt ſolo eius nomine audito cuncti tenebrarum Principes, trementes in fugam vertantur. Sereniſſimus Iſraelitarum Princeps, ex nomine cuiuſcumq; Animæ, de impugnatione diabolica quærebatur, dicens: *Principes perſequuti ſunt me gratis*: *Pſal. 118. ver.145.* Sed ſtatim impugnationis remedium, inſinuans, ſubdit: *Et a verbis tuis trepidauit cor meum; Lætabor ego ſuper eloquia tua:* Quaſi diceret. Licet a tenebrarum Principe anima mea validiſſimè impugnetur, ſpero tamen in auxilio Virginis; & ita lætabor ſuper eloquia tua, quia te inſpirante cognoui, quod inuocato Mariæ dulciſſimo nomine, trepidant omnes Principes tenebrarum Quod D.Bonauent. Card. *in Pſalt. Virg. Pſal. 118. to.6. pag.512. col.1. Principes perſequuti ſunt me gratis, & ab inuocatione Nominis tui trepidauit malignus ſpiritus.* Cur autem non trepident, cum illius Ducis nomen audiunt, quæ ipſos multoties ſuperauit, & cuius furori reſiſtere ſe ineptos cognoſcunt? Nemo Chriſtianorum infernale bellum exhorreat, ſub tanta Imperatrice decertans.

6 Sæpe ſæpius acie victus, & ſuperatus ab hoſtibus, ita & viribus fractus, animoq; deiectus remanet Dux; vt abſq; nouo auxilio validæ manus, amplius belli fortunam non audeat experiri. Hinc auxiliares expetuntur copiæ, nouus militum delectus mandatur, vt viribus adauctis animum roboret miles, iam bello concuſſus. Pugnauerat cōtra ſerpētem primus homo, ſed eius fraudibus victus, animo deiectus, amplius cū hoſte antiquo decertare non audebat: innocentiæ bona perdiderat, in mortis poteſtatem incurrerat, æterni doloris cruciatum extimeſcebat, clauſa cæleſtis Patriæ ianua, in illam confugere fas non erat: irrationales rebellauerant creaturę, & vndiq; malis, & infortunijs obſeſſus, vix vita fruebatur. Tantorū ergo malorū finem deſiderare poterat, nō ſperare: ſed ſi aliqua ſpes aderat in Omnipotentis auxilio fundabatur. Deſideratum auxilium Maria adduxit; ipſa noſtros miſerata dolores cęleſtia caſtra in aciem regens, Infernum deuincens, perdito homini ſalutem attulit. Id cognoſcens in ſpiritu Zaccharias Ioannis Genitor, cecinit: *Erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui: Luc. c.1. v.69.* Deus namq; vt victo Adamo ſuppetias ferret, cornu ſalutis erexit; ſed vnde miles delectus in prælium venit? De Dauidica domo; nam Beatiſſima Dei Genitrix, de domo Dauid exorta, caſtra meritorū armans, tartareum Ducem conſtrauit; teſte Leone Auguſto. *Erigitur quippe nobis de domo Dauid cornu virtutis; cornu, per quod contereretur Dynaſtarū hactenus nequitiæ cornu. Leo Imp. orat.1. pag.31.* Vt tanto ſuffultus auxilio homo in Patriam victor ingrederetur.

7 Sed expoſceret forſan aliquis, quomodo infernalis exercitus victus perijt. Reſpondeo autem ita perijſſe, vt de eo nec memoria quidem remaneat; non enim vllus reperitur ex hoſtibus, qui ab irata Mariæ facie illæſus euadat. Neq; cōparationem magis adaptam adducere poſſumus, quam ceræ ab ardenti flamma diſperſæ: ita enim omnis infernalis ſpiritus, ab irato Mariæ vultu conſpectus perijt, vti aſſolet cera ab ignis præſentia colliquata diſperdi: fauet nobis Pſaltes, dum canit. *Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei. Pſ.7. v.2.* Quod autem de Diabolis a Deiparę vultu, & increpatione diſperſis intelligatur, docet D Amedeus loc.cit. *Enimvero ſicut ignis attactu cera liqueſcit, & velut ardore ſolis defluit glacies, ſic a Mariæ facie inimicorū deperit acies eaque iubente nihil aduerſi ſubſiſtit.* Sic igitur patet quomodo ab increpatione Virginis Diaboli fugiunt, & a voce Tonitrui ſui, omnis tartareus exercitus reformidat.

8 Non immerito tantis decorata victorijs Imperatrix noſtra triumphat; & vt Triumphantem decet, palma, & corona cingitur: Palma victoriæ vetus eſt Signum, neq; palma carere fas erit, quæ toties victoria potita eſt. Atqui hæc ratio extitit, cur ſuam exaltationem comparet palmæ: etenim de ſua gloria vaticinans, aiebat: *Quaſi Palma exaltata ſum in cades.* Quid ni exaltaretur vt Palma quę vix vitam ingreſſa, peccatū premens victrix eſt acclamata? Quæ mundo ſalutem allatura, prius hoſtē deuicit, quam mundum vidit? Quæ ad victoriam nata, numquam peccatorum inquinata eſt vulnere, nunquam ſauciata reatu? Optimè ergo *Quaſi palma exaltatur*, quę cum victoria genita eſt, & cum victoria creſcens, ad Diuinitatis euecta ſoliū cæleſtis Imperatoris maternitatem victorijs meruit: Regniq; ſuperni ſolium hoſtium debellatione promeruit: Id confirmat Hugo de S.Victor. *ſer. 47. de Aſſump. Virg. to.2. pag.360. col.1. lit.A Benè Beata Dei Genitrix ſe veluti Palmam exaltatam in Cades gloriatur, quia ſpiritualibus hoſtibus potēter, & victorioſè ſubactis, non dolore criminum, ſed amore præmiorū contrita, ſuauiſſimè potabatur.* Sub tuam ergo, o Triumphatrix, auxilium confugimus, vt a periculis cunctis, tua liberati protectione, deuictis infernalibus caſtris, tecum in gloria coronemur.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

EAdem prorſus methodus in Allegorica expoſitione nobis occurrit, quæ in literali ſeruata eſt, vt non ſolum de Tonitruo, verum etiam de fulmine, & fulgure, quæ inueniuntur allegoriæ adnotentur. Ita prorſus ſimiliter pro eodem accipimus formidinem, timorem, pauorem &c. Agendū eſt inſuper de Voce, & de Fuga, quæ haud pauca ſymbola continent.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *De fuga, & eius allegorijs.*
2 *De Vocis, ſermoniſque ſignificationibus.*
3 *De Tonitrui, Fulminis, Fulguris ſymbolis.*
4 *De Timoris, & formidinis varijs acceptionibus.*

§. I.

De fuga, & eius allegorijs.

1 FVgere, & Fuga tum in bonam partem, tum in malam accipitur. In bonam quippe primò ſumitur pro contemplatione; ſic Pſal. 54. *ver.*8. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Vbi D. Gregorius Magnus, *lib.*4. *cap.*28. *moral.to.*2. *pag.*396. *lit.E. Fugiens ſe elongat, qui a turba deſideriorum temporalium in altam Dei contemplationem ſe ſubleuat.*

2 Pro incomprehenſibilitate Diuinæ eſſentiæ; & ſic capitur a cæleſti ſponſa, Eccleſia ſcilicet, quæ Chriſtiano ſuadet; *Cant.cap.*8. *ver.*14. *Fuge dilecte mi:* & D. Gregorius. *Sancta ergo Eccleſia poſtquam mortem, ac reſurrectionem Domini, aſcenſionemque deſcribit, clamat ei prophetico plena ſpiritu: Fuge dilecte mi, Fuge: ac ſi diceret: Tu, qui ex carne comprehenſibilis factus es, in Diuinitate tua intelligentiam noſtri ſenſus excede, & in te ipſo nobis incomprehenſibilis permane, lib.* 17. *cap.*15. *moral.to.*2.*pag.*697. *lit.D.*

3 Dare in fugam Hoſtes terrere, ſeu vincere ſignat; de quo dicitur: *Num. c.*21. *v.*29. *Dedit filios eius in fugam;* ideſt vicit: Ita Lyranus. *Sicut victi ſolent fugere quando poſſunt.*

4 Pro caſtitate, ſeu victoria libidinis: vnde Apoſtolus: 1.*Corin.cap.*6. *ver.*18. *Fugite fornicationem:* & cauſam Gloſſ.ord. aſſignat. *Cum alijs vitijs poteſt expectari conflictus, ſed hinc fugite, ne approximetis, quia non aliter melius poteſt vinci.*

5 Dei placationem ſignat, nam cum peccata fugimus Deum placamus: hinc, Fugere a facie gladij eſt Dei Iudicium, Deum placando, declinare. Quod ſuadebat Patientiſſimus, *Iob cap.* 19. *ver.*29. inquiens: *Fugite ergo a facie gladij:* vbi D. Gregorius Magn. *libr.* 14. *cap.*30. *moral.to.*2. *pag.*638. *lit. B. Faciem quoque gladij fugere, eſt animaduerſionis diſtrictæ ſententiam, prius quam appareat, placare.*

6 In malum ſumitur pro Inobedientia, ſeu obedientiæ tranſgreſſione, ſic Agar dicebat: *A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio: Gen. cap.*16. *ver.* 8. quia ei nolebat obedire, & ſubijci: vt docet Gloſſ. Interl. *Fugio, quaſi nolo ſubijci Gratiæ.*

7 Pœnitentiam nolle proſequi eſt ipſam declinando prauam ſequi doctrinam: nam qui nolunt de peccato pœnitere, ipſum doctrinis erroneis excuſant: hocque eſt ad equos ægiptios fugere: ſicuti dicebant Hebrei: *Iſai. cap.*30. *ver.*16. *Ad equos fugiemus.* Vbi D. Hieronymus. *in cap.*30. *Iſai. to.*4. *col.*143. *lit. C. Cumque eos ad pœnitentiam cohortetur, illi è contrario confidunt in falſis magiſtris; Deique verba audire nolentes equos ægiptios deſiderant.*

8 Ipſam deſignat hæreſim nam hæreſiarcharum eſt proprium a Deo, & veritate, ad dæmonem fugere: Quod Iſaias teſtatur: *cap.* 22. *ver.* 3. *Cuncti Principes tui fugerunt ſimul:* Secundum D. Hieronymi ſenſum, *in Iſai. to.* 4. *pag.* 107. *lit. B. Migrauerunt enim omnes hereticorum Principes ad ſinagogam Satanę a Chriſti Eccleſia.*

9 Fugere a veniente lupo, eſt malos mores zelanti ſermone non reprehendere, quod proprie malis Principibus, Gubernatoribus, Prælatis, Patribuſque familias competit; iuxta Saluatoris ſententiam: *Ioan. cap.*10. *ver.*12. *Mercennarius autem, & qui non eſt Paſtor videt lupum venientem, & fugit:* Quam ſic exponit Magnus Gregorius. *Hom.*14. *in Euang. to.*3. *pag.*32. *lit.E. Fugit autem, non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſolatium: fugit, quia iniuſtitiam vidit, & tacuit: fugit, quia ſe ſub ſilentio abſcondit.*

10 Fugere eſt auaritiam ſectari; nam qui auarus eſt putat rapiendo aliena, egeſtatem huius mundi fugere; ſed æternam pœnam incurrit. Hoc fatetur Iob inquiens: *cap.*20. *ver.*24. *Fugiet arma ferrea, & incidet in arcum æreum:* Vbi idem Gregorius *lib.* 15. *cap.* 14. *moral. to.*2. *pag.*648. *lit. A. Fugiet ergo arma ferrea, & incidet in arcum æreum; quia dum præſentes neceſſitates metuens multa per auaritiam rapit, extremi iudicij diſtrictis ſe percuſſionibus antepoſuit.*

11 Tandem fuga eſt mors, & fugere mori: teſtante Propheta *Naum cap.* 2. *ver.* 8. *Ipſi vero fugerunt:* Vbi idem Doctor *loc.cit. Ipſi vero fugerunt: quid eſt fugerunt? cito mortui ſunt.*

§. II.

De Vocis, ſermoniſque ſignificationibus.

1 VOx eſt percuſſio aeris per oris inſtrumenta cum intentione aliquid ſignificandi. Hinc vox ſignificat ipſum materiale ſoni; ſermo vero ipſam formalem ſignificationem. Hac igitur de cauſa vox, ſiue ſermo accipitur pro quacumque re aliquid ſignificante: Et ſumitur primo pro ipſo Filio Dei, qui cum ſit Patris Imago, eiuſdem eſt ſignum: idcirco vocatur ſermo a Ioanne *cap.*1. *ver.*1. *In principio erat verbum.* Vbi Diuus Gregorius. Mag. *lib.*32. *cap.*6. *in Iob. to.* 2. *pag.* 1043. *lit. E. Cum verò vox de Deo dicitur, conſubſtantialis ei Filius demonſtratur. Ipſe eſt vox, de qua dictum eſt: In principio erat Verbum.*

2 Spiritum Sanctum deſignat, de quo Iob *cap.*37. *ver.* 2. *Et ſonum de ore illius procedentem.* Vbi idem Gregorius. *lib.*27. *cap.*10. *moral.t.*2. *pag.*919. *lit.D. Per ſonum vero oris eius, poteſt eiuſdem Domini ſanctus Spiritus deſignari.*

3 Ipſam inſpirationem diuinam, quæ eidem ſancto appropriatur ſpiritui, tanquam proprius effectus: de quo Iob ibidem. loc.cit. *Audite auditionem in terrore vocis eius.* Et idem Gregorius. *loc cit. Sonus ex Dei ore eſt vis timoris de ſuperna irruens aſpiratione, quia cum nos de venturis Dominus aſpirando replet, procul dubio de malis geſtis præteritis terret.*

4 Hinc ſequitur: Vocem ſpiritus audire: cæleſtium amore rapide quo idem patiens: *Iob cap.*37. *ver.* 4. *Cum audita fuerit vox eius.* Vbi D. Gregorius *loc. cit. cap.* 13. *pag.* 921. *lit. E. Vocem ſpiritus audire, eſt vi compunctionis intima in amorem inuiſibilis Conditoris aſſurgere.*

5 Dei auxilium, ſine quo meritoriè operari non poſſumus, Vox ſpiritus ſignat; De quo dicitur. *Ioan. cap.* 3. *ver.*8. *Spiritus vbi vult ſpirat, & audis vocem eius;* Quod docet mellifluus Bernardi calamus. *ſer.*19. *in cant. pag.*176. *col.*4. *lit.L. Certo, & quotidiano experimento, ipſo nos illuminante, probamus, vota, & gemitus noſtros ab ipſo venire.*

6 Vox Ioannem Baptiſtam figurat; qui de ſemetipſo teſtatus eſt. *Ioan.cap.*1. *ver.*23. *Ego vox clamantis in deſerto:* & de qua illud etiam Pſalmi intelligitur: *Pſal.*28. *ver.* 3. *Vox Domini ſuper aquas.* Quod apertè magnus Inſinuat Baſilius dicens: *Quæ vox? ſuper quas aquas? Velut prophetiam accipiamus quod dictum eſt. Meminerſis Ioannis, qui interrogatus a Iudæis, Tu quis es? reſpondit: Ego vox clamantis in deſerto. Igitur vox Domini eſt Ioannes. Hom.*2. *in Pſal.*28. *col.*2. *pag.*81. *lit. F.*

7 Ipſum Chriſti a Ioanne Baptiſmum, & noſtrum ab illo exortum vox illa ſignat; cum dicitur: *Vox Domini ſuper aquas, Deus Maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas:* quibus in verbis Sanctæ Trinitatis inuocationem in Baptiſmo adhibitam, nouit Incognitus.

in Pſal.

Digitized by Google

in Pſalter. in verſ. 414. *Vox Domini ſuper aquas; ſcilicet Patris: Deus maieſtatis intonuit, ſcilicet Filius: Dominus ſuper aquas multas, ſcilicet ſpiritus ſanctus. Iſtæ ſunt aquæ fontis vitæ, baptiſmales ad quas Chriſtus ſuos deducit.*

8 Eandem a Dauide ſuper aquas emiſſam vocem, intelligit Diuus Auguſtinus Prædicationem Chriſti Domini ad populos factam. *Vox Domini ſuper aquas: Vox Chriſti ſuper populos. in Pſal.* 28. *tom.* 8. *pag.* 58. *col.* 2. *lit. B.*

9 Vox virtuti adiuncta, ſignificat Prædicationem Chriſti miraculis roboratam: Idcirco in eodem Pſalmo ver. 4. ſequitur: *Vox Domini in virtute*: Vbi D. Hieronymus. *in Pſ.* 28. *to.* 7. *col.* 48. *lit. E. Vox Domini in virtute: in credentibus potens facta eſt, cum dixit: Lazare veni foras.*

10 Vox de Cælo Domini imperium ſignat, per quod aliquid nobis faciendum iniungit: Hanc Ioannes audiuit: *Apocal. cap.* 4. *ver.* 8. *Audiui vocem de Cælo dicentem mihi*: Vbi D. Auguſtinus *in Apocal. Hom.* 8. *tom.* 9. *pag.* 358. *col.* 1. *lit. D. Vox de Cælo Imperium eſt Dei, qui Eccleſiæ cor tangit.*

11 Huic voci virtus datur, quando illud quod Deus imperat, fit: de hoc Pſalmus 67. *ver.* 32. *Dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Et D. Hieronymus ſubdit, *in Pſ.* 67. *to.* 7. *col.* 152. *lit. H. Voci Domini tunc datur vox virtutum, cum quod præcipit efficitur: quam mortui cum audierint reſurgent.*

12 Vox Fidem ſignat, qua ad Deum oratur; iuxta illud Pſalmi 141. *ver.* 2. *Voce mea ad Dominum clamaui.* Vbi D. Hilarius Pictauienſium Antiſtes, ſic loquitur, *in Pſal.* 141. *to.* 1. *col.* 1131. *lit. F. Omnium Sanctorum fidelis oratio clamor eſt Deo: Fide enim ad eum, non vocis clamore clamatur.*

13 Vox eſt criminis atrocitas, quæ ipſum publicat; Deo ipſo dicente Caino: *Gen. cap.* 4 *ver.* 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me*: Vbi idem Hilarius *loc. cit. Martyrum quoque ſanguis voce corporis caret, ſed indignitas necis eorum Deo clamor eſt, ipſo Domino de Abel ad Cain dicente: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

14 Vox Diaboli tentationem ſignat, quæ aliquando Vox gemitus fuit, quando ſcilicet primum hominem decipiendo, nos mundanis miſerijs, non ſine gemitu ferendis, ſubiecit: Hoc dolebat, qui dicebat. *Pſal.* 101. *ver.* 6. *A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ*: vt docet D. Gregorius Magnus *in Pſal.* 4. *Pœniten. to.* 2. *pag.* 1163. *lit. C. Poſſumus quoque per vocem gemitus vocem ſerpentis accipere &c. Illa eſt enim vox gemitus, per quam omnes peccauimus, per quam mortales, & paſſibiles facti ſumus.*

15 Hæc eadem diabolica ſuggeſtio vox cantantis aliquando dicta eſt, quia ſub ſpecie delectationis decipit: de qua voce Propheta *Sophon. cap.* 2. *ver.* 14. *Vox cantantis in Feneſtra*: Et D. Hieronymus *in Soph. to.* 5. *col.* 294. *lit. F. Quod ait: Vox cantantis in feneſtra: Dæmonem intelligit.*

§. III.

De Tonitrui, Fulminis, Fulguris, ſymbolis.

1 DE ſolo Tonitruo fit mentio in hoc verſu, verumtamen, quia Fulmen, & Fulgur ipſum ſæpè comitantur, ſicut in literali expoſitione factum eſt, de omnibus agemus. Primo igitur Tonitruum ſignificat Diuinitatem in Chriſto; quod innuit Iob *cap.* 26. *ver.* 14. *Quis poterit Tonitruum magnitudinis illius intueri?* Vbi D. Hieronymus *in Iob. to.* 8. *pag.* 43. *lit. A. Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? id eſt ipſam Diuinitatem; quæ ideo Tonitrui nomine dicta eſt, quia cum de excelſo fama nominis eius in Chriſto Ieſu filio ſuo terris inſonuit, & hominibus hoc fragore terribilis innotuit; nemo tamen eorum poterit totam Diuinitatis eius magnitudinem contueri.*

2 Tonitruum, quod ſuo ſonitu excitare dormientes adſolet Gratiam Dei excitantem ſignat, quæ incurioſos, propriæque ſalutis immemores, ad pœnitentiam excitat: De hoc Papientiſſimus *Iob cap.* 37. *ver.* 4. *Tonabit voce magnitudinis ſuæ*: Quod Magnus expendens Gregorius, addit. *lib.* 27. *cap.* 13. *moral. tom.* 2. *pag.* 921. *lit. D. Quaſi enim de Cælo tonitrus procedit, cum nos, incurta, negligentiaque torpentes, reſpectus gratiæ pauore ſubito percutit, atque in terra poſiti ſonum de ſuperioribus audimus.*

3 Quia proprium Tonitrui terrefacere eſt, ideo auxilium Dei, ſeu gratia adiuuans, quæ Dæmones nos impugnantes terret, Tonitruum dicitur: De quo dicitur: 1. *Reg. cap.* 7. *ver.* 10. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illo ſuper Philiſthijm, & exterruit eos*: Et addit D. Gregorius Mag. *in* 1. *lib. Reg. lib.* 3. *cap.* 5. *to.* 1. *pag.* 130. *lit. D. Velut enim tonitruo territi fugiunt nequam ſpiritus, dum in electis mentibus, quas tentando pulſauerant, ingentem ſonitum diuinæ virtutis expaueſcunt.*

4 Neque ſolum inimicos fugat gratia Dei, ſed & mentem perficit; & idcirco etiam Tonitruum noſtrum deſiderium perfectum denotat; vt idem Gregorius ibid. teſtatur. *Intonuit autem Dominus fragore magno: Fragor enim magnus Tonitrui, perfectum eſt vniuſcuiuſque deſiderium.*

5 Tonitruũ Pſalmodiam, ſeu diuinam laudem ſignificat: etenim cum Angelus ad laudandum Deum Sanctos omnes inuitaſſet, dicens: *Apocal. cap.* 19. *ver.* 5. *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Deum puſilli, & magni*: & cum imperata exequerentur, ſubdit Propheta: *ver.* 6. *Et audiui quaſi vocem tubæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum*: Et vt omittamus reliqua; Tonitruo comparatur laus diuina, (vt placet Hugoni) quia malis, præcipuè angelis, eſt terribilis: *Hic autem ſubiungitur mutua laus, & communis, quæ rectè ſequitur ad prouocationem. Laus autem iſta tripliciter nominatur &c. Tertiò vocatur Vox Tonitrui ad ſignificandum quod ipſa eſt terribilis malis; vnde dicit: Et ſicut vocem Tonitruorum magnorum. Hugo Careñ. Cardinal. in Apocal. to.* 7. *pag.* 418. *col* 3.

6 Iudicium Dei Tonitruum eſt: De quo ſcriptum eſt: *Iob cap.* 26. *ver.* 14. *Quis poterit Tonitruum magnitudinis eius intueri?* Per tonitruum iudicium extremum indicans; vnde D. Gregorius *lib.* 17. *cap.* 21. *moral. to.* 2. *pag.* 202. *lit. D. Terrorem ergo diſtricti examinis, quem ſophonias Tubam, Iſaias vero ſolium, Iob Tonitruum appellat.*

7 Tonitruum ſignificat Apoſtolorum terribilem ſententiam, quam in extremo Iudicio contra Iudæos ferent: De hac ſententia dicitur; *Et ſuper ipſos in cælis tonabit*: 1. *Reg. cap.* 2. *ver.* 10. *Id eſt*, inquit D. Gregorius *lib.* 1. *cap.* 2. *in lib.* 1. *Reg. to.* 1. *pag.* 40. *lit. A. Super Iudæos impios tunc in cælis tonabit, quia a ſanctis Apoſtolis tunc terribilia iudicia ſuæ damnationis audient.*

8 Nec non Prælatorum excommunicatio Tonitruum eſt: ſub hoc nomine a Ioanne expreſſa: *Apocalip. cap.* 10. *ver.* 3. *Et cum locuta fuiſſent ſeptem Tonitrua voces ſuas.* Id eſt Prælati excommunicando; nam inquit Lyranus. *Per ſeptenarium Tonitruorum ſignificatur vniuerſitas Prælatorum, qui habent authoritatem excommunicandi ſuos ſubditos.*

9 Euangelij Prædicatio, & ipſo Tonitruum dicitur a Dauid: *Pſal.* 17. *ver.* 14. *Et intonuit de Cælo Dominus.* Vbi Diuus Auguſtinus *in Pſal.* 17. *tom.* 8. *pag.* 35. *col.* 2. *lit. C. Et euangelica fiducia de corde iuſti tonuit Dominus.*

10 Preſſius, & verius de ipſa Chriſti Domini Prædicatione Tonitruum dicitur: *Pſal.* 28. *ver.* 3. *Deus maieſtatis intonuit*: ita D. Hieronymus *in Pſal.* 28. *to.* 7. *pag.* 48. *lit. C. Sicut Tonitruum a nube procedit, ita & Chriſtus intonuit a nube, hoc eſt a corpore ſuo; quando dixit;*

Digitized by Google

Pænitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cælorum.

11 Fulgur, quia ſplendet, miraculum ſignat, per quod fideles illuſtrantur, infideles terrentur: Dauid id cecinit: *Fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. Pſal. 17. ver. 15. Fulgura multiplicauit, ideſt miracula* (inquit Incognitus *in Pſalt. in ver. 215.*) *& conturbauit eos, quia multi per miracula conturbati ſunt.*

12 Fulgur eſt ſpirituale colloquium, quia ſicut fulgur ignem accendit, ita colloquium ſpirituale charitatem accendit, fidem oſtendit: hoc aduertit Ieremias *cap. 51. ver. 16. Qui leuat nubes ab extremo terræ; fulgura in pluuiam fecit*: Et Origenes *Hom. 5. in Ierem. to. 1. pag. 371. lit. D. Moyſes nubes erat, Ieſus Naue nubes erat, iſti ſi ſecum loquantur ex ſermonibus eorum fulgura micant. Hieremias, & Baruch nubes erant, ſermocinentur ad inuicem, & videbis rutilare fulgura.*

13 Fulgur vanam huius ſæculi eloquentiam ſignat, nam ſicut fulgur contra Ignis naturam, deorſum tendit, ita carnalis eloquentia ad infernum cadere facit: Hanc ſub ſpecie Aduerſarij noſtri, vidit Dominus noſter Ieſus tamquam Fulgur de cælo ruentem. *Luc. cap. 10. ver. 18. Videbam Satan tanquam fulgur de cælo cadentem*: Et ſubdit maximus inter Doctores. *D. Hieron. Epiſt. 150. ad Hedibiam to. 3. pag. 117. lit. A. Nec fulgore ſæcularis eloquentiæ delecteris, quam vidit Ieſus quaſi fulgur cadentem de cælo.*

14 Fulmen tandem iræ ſimbolum eſt; quia fulmen in momento temporis percutit, ſic ira in inſtanti animum turbat: Idcirco Angeli adiuuantes Machabeum, *lib. 2. c. 10. ver. 30. In aduerſarios tela, & fulmina iaciebant*: vt oſtenderent iuſtam Dei iram incurriſſe. Non immerito igitur dicit D. Ioannes Chryſoſtomus *ſer. de manſuetud. to. 5. col. 669. lit. A. Ira quaſi fulmen in animum irruit.*

§. IV.

De Timoris, & Formidinis varijs acceptionibus.

1 Formido, Pauor, & Timor omnino idem ſunt, & in bonam, malamque allegoriam ſumi poteſt. Primò autem Deum ſignat, vt qui valdè timendus eſt; Timor dicatur: ſic vocatur a Iacob *Gen. cap. 31. ver. 42. Niſi Deus Patris mei, & Timor Iſaac affuiſſet mihi forſitan modo nudum me dimiſiſſes*: vbi idem ſignificat Timor Iſhac, ac Deus Iſhac; vt teſtis eſt Oleaſter: in Iſaiam; ibi enim dicit Propheta: *Iſai. cap. 8. ver. 13. Dominum Deum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter*: Quas ſcripturas citatus Doctor coniungens, vtrobique hæc habet. *Hieron. Oleaſter in cap. 8. Iſai. in ver. 13. col. 185. Habent hebræi a Chaldeis vocare timorem rem, quæ timetur; quoniam Chaldei (vt ſtatim ex Geneſi diximus) vocant Deum timorem, quod ſcilicet ſit maximè timendus.*

2 Eadem ratione Dei cultus eſt Timor: nam ſi Deus pauor eſt maximè timendo colitur: ſic Ionas dicebat: *cap. 1. ver. 9. Dominum Deum cæli ego timeo*; ideſt colo; nam inquit D. Hieronymus *in Ion to. 5. pag. 187. lit. A. In hoc loco Timor pro cultu intelligi poteſt.*

3 Timor ipſam veram ſapientiam denotat Pſalmiſta canente *Pſal. 110. ver. 9. Initium ſapientiæ timor Domini.* Vbi Vilhelm. Damaſi Lindanus. *in Pſalt. pag. 315. Vera ſapientia, & cognitio a Dei timore exorditur: eſt enim primum elementum diuinæ Doctrinæ timor Dei: verè incipiunt ſapere qui Deum timent.*

4 Timor deſignat ipſam Iuſtitiam, ſeu ſanctitatem: quod declarat *Pſal. 134. ver. 30. Qui timetis Dominum benedicite Domino*: Incognitus *in Pſal. in verſ. 2378. Per timentes Deum generaliter omnes iuſti intelliguntur.*

5 Timor eſt ſymbolum gratiæ Dei præuenientis, quę peccatores ad pænitentiam excitat, & ad habitualem gratiam diſponit. Hoc teſtatur Malachias dicens: *cap. 4. ver. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ.* Vbi D. Bernardus Clareuall. *epiſ. 107. pag. 51. lit. I. col. 3. Forſitan timore vocamur, amore iuſtificamur.*

6 Timor eadem de cauſa dicitur initium noſtræ conuerſionis ad Deum, quæ Deo adiuuante incipitur: in cuius ſignum dixit Propheta *Iſai. cap. 19. ver. 17. Omnis, qui illius fuerit recordatus pauebit a facie conſilij Domini exercituum*: & D. Hieronymus *in cap. 19. Iſai. to. 4. pag. 101. lit. B. Omnis, qui huius terræ fuerit recordatus, pauebit eo pauore, qui ducit ad vitam: principium enim ſapientiæ timor Domini.*

7 Timor deſpectum rerum temporalium etiam ſignare poteſt; nam qui timet temporalia, ille ea ſpernit. Quæ Iob metuens deſpiciebat: *cap. 31. ver. 23. Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* Vbi D. Gregorius Magnus *lib. 21. cap. 17. moral. to. 2. pag. 799. lit. B. Quaſi ergo tumentes ſuper ſe fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam deſiderat omnia deſpicit, quæ hic poſſidens portat.*

8 Timor Dei pro obſeruatione diuinæ legis capitur: nam vbi legit vulgata: *Timor Domini fons vitæ, vt declinent a ruina mortis*: *Prouerb. cap. 14. ver. 27* Legunt 70. apud Cornelium: *Præceptum Domini fons vitæ; facit autem declinare de laqueo mortis*: & ſubdit Cornelius a Lapide *in Prou. pag. 341. col. 2. lit. A. Timor enim Domini conſiſtit in obſeruatione præceptorum diuinorum, quæ eſt via ad vitam.*

9 Timor infidelitatem denotat; nam cum in fide dubius cenſeatur infidelis, qui timet dubitat: de quibus inquit Ioannes: *Apocalip. cap. 21. ver. 8. Timidis autem, & incredulis &c. pars illorum in ſtagno ignis ardentis.* Vbi Abbas Rupertus. *lib. 1. in Ioel. cap. 2. to. 1. pag. 831. col. 1. Nam quia timidi ſociantur incredulis, ſine dubio timiditas mala intelligitur, & contraria fidei, quæ heſitatio, vel dubietas rectè dici poteſt.*

10 Timor ignorantia eſt, ex qua ortum habet incredulitas, nam qui neſcit timet, qui timet dubitat. Idcirco inquit Pſalmus 90. *ver. 5. Non timebis a timore nocturno*; Et optimè ignorantia timor nocturnus dicitur, quia ſine luce ſapientiæ eſt; vnde D. Auguſtinus *in Pſal. 90. to. 8. pag. 413. col. 1. lit. B. Tentationes ignorantiæ timor nocturnus.*

Verſus

Digitized by Google

Verſus Octauus.

יַעֲלוּ הָרִים יֵרְדוּ בְקָעוֹת אֶל מְקוֹם זֶה יָסַדְתָּ לָהֶם׃

Verſio ex hebręo. *Aſcendent Montes, deſcendent Valles ad locum, hunc fundaſti eis.*

Vulgata editio. *Aſcendunt Montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.*

Pagninus. *Aſcenderunt Montes, et deſcenderunt campi ad locum huius, quem fundaſti eis.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

ALiàs iam prænotauimus Hæbreos ſæpe vſurpare præteritum pro futuro, & è contra, & inſuper pro præſenti, quo carent. Quapropter mirum non eſt ſi tres verſiones iuxta triplex tempus apponuntur: puto tamen in præterito ſumi debere, vt hæc cum antecedentibus, & ſubſequentibus loquutionibus conſonent; nam & hìc ſequitur, *in locum quem fundaſti*, & in ſequenti verſu, *Terminum poſuiſti, &c.* & in ſuperioribus dictum eſt *Fundaſti Terram, &c.* Verbum זֶה propriè correſpondet articulo latino: Hic, Hæc, Hoc; vnde legi debet: *Hunc*, locum ſcilicet, *fundaſti eis*: & eſt hæbraica phraſis; latinè verò non de verbo ad verbum, ſed ad ſenſum elegantiùs legitur, *quem fundaſti, &c.* Circa autem Philoſophicam explanationem, quam literaliter exhibere tenemur, de Montium natura erit; cum ſupra de ipſis nihil tractauerimus, neque hìc aliud pertractandum occurrit, niſi de loco, de quo Philoſophicè diſceptandum eſt. De campis autem infra ſimul cum vallibus agemus.

SVMMARIVM.

1 *De montium productione, & neceſſitate.*
2 *De montium natura, & fertilitate.*
3 *De montium Prognoſticis, & Prodigijs.*
4 *De montibus diuina virtute claris ante Chriſtum.*
5 *De montibus a Chriſto Domino ſuis operibus illuſtratis.*
6 *De loco quid ſit, & quibus eſſe in loco conueniat.*

§. I.

De Montium Productione, & Neceſſitate.

1 ANtequam productionem, neceſſitatemq; Montium aperiamus, prius quid ſit ipſe Mons determinare debemus. Mons igitur eſt aliqua Terræ portio, quæ cæteris altior, & excelſior exurgit. Quapropter omnes Terræ tumores, qui ad aliquam notabilem quantitatem, alias terræ partes in altum ſuperant, Montes dici poſſunt: quam montium deſcriptionem a Beatiſſimo Theologorum oraculo, Auguſtino ſcilicet, mutuauimus. Cum enim Pſaltes fortitudinem ciuitatis, ſeu Arcis Sion, declarare vellet, illam facit tutam, quia in eius circuitu aſſurgunt montes: *Montes in circuitu Eius: Pſalm. 124. verſic. 2.* Vbi Sanctus Doctor. *Multum excelſa loca Terrarum montes dicuntur.* Sic tuta erat illa ciuitas quæ in excelſo poſita, excelſioribus Terræ locis vndique cingebatur. Patet igitur noſtram deſcriptionem bonam eſſe, nam in primis dicitur *Terræ portio*; quæ particulæ ſtant loco generis; nam per has conuenit, cum campis, vallibus, collibus, quæ omnes Terræ ſunt portiones: dicitur *quæ cæteris altior exurgit*; per quod differt a reliquis; quia ſolum montium eſt exurgere in altum, & terram reliquam ſuperare in notabili quantitate.

2 Cum ergo iam pateat, ex dictis, eſſentia Montium; de eorumdem neceſſitate determinandum eſt. Cur ergo omnipotens ille rerum omnium Opifex Terram omnino perfectè ſphæricam non produxit? Poterat namque huius pulcherrimi extima ſuperficies complanari, & æquali facie apparere; cur igitur tot montibus, velut sydera expugnatura diſtinguitur, & alijs in locis humili camporum deiectione vileſcit, deprimuntur hinc ſualles, illinc aſurgunt colles? Enim vero in noſtram commoditatem cedit, quod ſubtrahitur Terræ; ob noſtram vtilitatem eius pulchritudini derogandum fuit: Nam cum terrarum hic orbis Hominum, & propter Homines omnium Animantium terreſtrium deputatus ſit Habitaculum, congruum erat, vt aqua aridæ locum cederet, vbi iſta conſiſterent; & quia fluminibus eſt indiga, ad Viuentium productionem, & conſeruationem Montibus indigebat, & Vallibus, vt per Valles,

Flumina decurrentes, Montes, & ſubliniora loca ab aquarum inundatione tuta ſeruarentur: & inſuper ne Oceani tempeſtuoſi fluctus terram obruerent. Hoc videtur concludere ipſe Dauid, dum ſubdit: *Terminum poſuiſti, quem non transgredientur*: quaſi dicat, ad maria conſtituenda, *aſcendunt montes, & deſcendunt campi*: & campi quidem, vt in ipſis aqua congregata conſiſtat; montes vero, vt per illos aquarum impetus terminetur: Hoc apertè docet Chriſtopolitanus Antiſtes. *Ex quibus patet, quòd congregationes aquarum ad flumina, & maria, cauſantur ex diſpoſitione terræ: quæ conſiſtit in montibus, & vallibus, & campis decliuibus; nam montes, & campi efficiunt terram habitabilem & congregationes fontium efficiunt flumina, & paludes, & congregationes fluminum in vallibus infimis efficiunt Maria. Iacobus Parem de Valentia Epiſcop. Chriſtopolitan. in Pſalm.* 103. *pag.*741. *columm.*1. *lit. A.* Cumque pulcherrimam montium & marium diſpoſitionem oſtendiſſet (quam videre eſt apud ipſum) tandem ex dictis concludit. *Ex quo patet, quod ipſi montes terminant maria, ideo ſubdit: Terminum poſuiſti quem non transgredientur. Idem loc. cit. pag.*746. *colum.*1. *lit. A.* Hoc itidem fatetur Plinius, qui cum Deum non noſſet, Naturę tribuit, quod naturæ Creatori debetur: inquit ergo. *Montes Natura ſibi fecerat ad quaſdam compages Telluris viſceribus denſandas, ſimul ad impetus fluminum domandos, fluctuſque frangendos. C. Plinius natur. hiſ. lib* 36. *cap.*1. *pag.*752. Aliam quoque cauſam montium, eorumque neceſſitatem inſinuat Abbas Rupertus, vt ſcilicet Terra, a ventis non agitetur, obruatque homines; ſi enim eſſet æqualis planities, non minus quam Aer, & Aqua tempeſtatibus obnoxia eſſet: nam & in Libia, & in Ægypto, vbi extenſæ ad multa milliaria reperiuntur planities, non minus quam in mari agitatur arena, hominesque, & animalia cooperit: Qua propter ne vniuerſus orbis inhabitabilis redderetur, Montes creati fuere, qui ventos coercerent, & terram continerent. *Porro quid opus erat*, inquit ille, *Eidem aridæ, ideſt terræ, vt aſcenderent montes, & deſcenderent campi, in locum, inquit, quem fundaſti eis? Hic planè illud ſciendum eſt, quia ſi terra æqualis vbique iaceret, non leuior quam in mari ventorum tempeſtas in ea regnaret. Nam ſolet nunc in locis illis, qui montibus carent, videlicet maximè Libia, tempeſtas non minus quam in Pelago turbare foris deprehenſos quoſcumque, tam pedites, quam equo ſedentes. Rupert. Abb. Tuitien. lib.*1. *in Geneſ. capit.*33. *pag.*13. *columm. prim. tomo primo.* Quodque contigiſſe Perſarum Regi refert Seneca. *Aliquando Cambyſes ad Ammonem miſit exercitum: quem arena auſtro mota, & more niuis incidens, texit, deinde obruit. Senec. nat. quæſt. lib.*2. *cap.*30. *tom.*2. *pag.*586.

2 Hæc igitur quoad montium neceſſitatem duplex eſt cauſa, fluminum mariumque congregationem, & terminationem, nec non terrenarum tempeſtatum impedimentum. Nunc verò de montium productione videndum eſt. Philoſophorum antiquorum opinio fuit (vt magnus refert Albertus) Terram æqualiter rotundam a Deo creatam fuiſſe: deinde ſucceſſu temporis fluminibus, pluuijs, reliquiſque aquis excauantibus, & marinis fluctibus corrodentibus, nec non diluuijs Terram a ſuo loco deturbantibus, montes, & valles ortum duxiſſe parte exurgente, & parte Terræ declinante. *Dixerunt quidam antiquiſſimi Philoſophorum, quòd cauſa montium, & vallium non fuit niſi commotio aquarum. Terra enim, inquiunt in principio ſuæ compoſitionis fuit rotunda; ſed Mare, & Diluuia fecerunt montes. B. Albert. Magn. de proprietat. element. lib.*2. *cap.*4. *tom.*5. *pag.*326. *columm.*2. Falſam tamen hanc opinionem, prout eſt, ipſe vocat. Ab hac opinione haud multum elongatur alia, quæ (referente Pererio) ſuſtinebat Terram ante vniuerſale Diluuium exacta planitie fuiſſe, poſt diluuium vero, aquis operantibus, in tot diſcrimina montium, valliumque diſſectam fuiſſe: *Quo licet intelligere falſam eſſe opinionem quorumdam exiſtimantium fuiſſe terram ante diluuium totam æquabiliter rotundam, nulla celſorum, humiliorumque locorum inæqualitate: poſt diluuium autem hanc, quam in terra cernimus; montium, & vallium diſtintionem extitiſſe. Benedictus Pererius. in Geneſ. tomo primo, pag.*73. *lit. C.* Enim verò hæc poſitio ſiue primo, ſiue ſecundo modo teneatur ſubſiſtere nequit; namque ſi, vt vidimus, ideo dantur montes, vt aquæ maris contineantur, ne terram operiant; ſi ante diluuium terra erat rotunda, quomodo continebatur Oceanus, ne totam exundaret? Etenim cum nullæ concauitates, & valles profundæ adeſſent, in quas ſe reciperent aquæ ad maria conſtituenda, circa terram totam diffundi neceſſe erat. Ita redarguit illam relatus Doctor. *Sed quomodo ante diluuium tenebatur Oceanus ne terram effuſus inundaret? Nonne huius ſententiæ manifeſta confutatio eſt, quod infra cap.*7. *huius libri ſcriptum eſt, Aquas diluuii quindecim cubitis Terræ Montes ſupergreſſas? Idem loc. cit. lit. D.* Et optima quidem redargutio eſt: Dicit enim Sacra Scriptura: *Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes quos operuerat: Geneſ. capit.* 7. *verſic.* 20. Ergo ante diluuium erant montes.

3 Relatis opinionibus confutatis, ponimus concluſionem noſtram; videlicet: Aquam in principio creatam fuiſſe extra, & circa Terram, Terram verò perfectam habuiſſe ſphæricam ſuperficiem ſicuti, & ipſa aqua: Portò diuiſis aquis ſupra, & infra Cœlorum extenſiones; cum Deus diceret: *Congregentur aquæ quæ ſub Cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida. Geneſ. cap.*1. *ver.* 9. Tunc ad diuinam iuſſionem pars terræ in montibus ſe attollens profundiſſimas concauitates recipiendis aquis reliquit; & ita ab ipſo mundi exordio, Deo creata elementa ad hominum vtilitatem exornante, valles, montes, & maria extitere. Ab hac ſententia non abhorret Pererius loc. cit. lit. A. Imò eam huiuſmodi verbis proponit. *Reſponderi poteſt, tunc multis partibus terram profundè ſubſediſſe, aliis item plurimis in ſublimi elatis extumuiſſe, factaſque eſſe magnas concauitates terræ, profundaſque valles, & excelſos montes. Nam ante diem tertium terra æqualiter tota in orbem compoſita, & conglobata erat.* Confirmatur hæc ſententia ex authoritate B. Alberti Magni, qui poſt confutationem aſſerentis montes ſucceſſu temporis ſurrexiſſe, tandem concludit. *Sic ergo patet quòd a principio ſuæ creationis Terra cauata eſt vallibus, & eleuata in montibus; & falſificata eſt opinio aduerſariorum. B. Albert. Magn. loc. cit.* Accedit etiam corroboratio Diui Ioannis Damaſceni *de Fid. Orthodox. cap.* 9. *pag.*190. *colum.*1. *lit. C.* dicentis. *Ad hunc itaque modum excauata terra diuino iuſſu, in congeries ſuas aquæ collectæ ſunt; hincque etiam montes extiterunt*: & poſt nonnulla ſequitur. *Quam primum autem inſpirauit Deus, confeſtim aluei, quibus aquæ caperentur extiterunt, ac tunc montes eſſe cœperunt Idem loc. cit. capit.* 10. *pag.* 191. *columm. prima, lit. D.* Sic ergo, & vero ſimile, & rationi conſentaneum videtur, tertia die Terram in montes, & valles diuiſam Dei Imperio fuiſſe; vt & aquis daretur ad conſiſtendum locus, Terræ verò ab eius impetu tutamen.

4 Hoc licet ita verùm ſit, nihilominus tamen, cum hoc de generali Montium productione intelligatur, non videtur negandum, nouos in dies ex aquarum inundatione, vel ex terremotu, ſeu ſubterraneorum ignium eruptione, excreſcere montes, & itidem æquari; cum enim campi non exactam planitiem habeant, ſed ex altera parte magis decliues ſint; vbi multæ pluuiæ, & frequentes inundationes ſunt, terra paulatim ad planiora loca deducitur, & ſic ſuperior Terra paulatim excauata tractu temporis in Montem aſſurgit; modum huius poſitionis, ex aliorum ſententia ponit Reſta, quem ipſe approbat; his verbis. *Agricola libro tertio de ortu ſubterr. inquit:*

Torren-

Digitized by Google

Torrentes terram primò montis proluunt, deinde rapiunt duriorem, tum ſaxa quoque deuoluunt, atque ſic paucis annis ad aliquam altitudinem excauant camporum planitiem; eaſdem vero cauernas multis hominum ſæculis ad altitudinem mirandam excauantes ex vtroque latere ingentem efficiunt eminentiam. Georg. Agricola apud Franciſc. Reſta, in meteor. lib. 3. Tract. 1. cap. 21. pag. 714. col. 1. Hoc confirmat ipſe experientia; nam regiones illæ, quæ aqua carent, & flumina non norunt, & pluuias raro ſentiunt, æqualem habent planitiem ſine huiuſmodi montium & vallium diſtintione. *Regiones*, inquit *Idem loc. cit. in quibus aquarum inopia eſt, vbi etiam raræ pluuiæ, non ſunt admodum inæquales, & montoſæ: Signum ergo eſt ab aquis inæqualitatem terræ, & montes cauſari.* His tamen minimè obſtantibus, principalis Productio montium in diem Hexameronis tertiam referenda eſt; quando montes præcipui creati ſunt, vt aquis locum darent, terramque tegere valerent: ſi quis modo tumor, vel etiam modo mons aſſurgit, generalem concluſionem non infirmat: horum autem nouorum montium apparitiones, cum de Inſulis diſputabimus, clarius demonſtrabimus.

§ II.

De Montium Natura, & Fertilitate.

1 A*Scendunt Montes* &c. Cauſam præcipuam, quod montes aſcendant, tradit Magnus Albertus, eſſe ſubterraneum calorem, eo enim quo magis aſcendunt cacumina conſequenter frigidiora ſunt; & ideo in eius viſceribus congregantur calidi vapores, qui cum exitum recluſum habeant montem ipſum eleuant; quapropter Montes in aquilonaribus partibus poſiti celſiores ſunt, & ob eandem cauſam, haud paruas cauernas in viſceribus claudunt: Hanc rationem reddit ex Philoſophorum Schola citatus Doctor his verbis. *Eſt tamen in talibus locis diſtintio: quia quanto erunt frigidiora in ſuperficie, tanto magis recludunt in ſe vapores calidos diu in ventre terræ congregatos, & illi frequenter erumpunt in montes altos: propter quod tradunt Philoſophi montes altos eſſe in partibus aquilonaribus perpetuarum niuium, & perpetuæ frigiditatis. B. Albertus Mag. De Nat. locor. cap. 8. tom. 5. pag. 273. col. 1.* Hæc ille. Mihi tamen non videntur montes altiores, & frigidiores eſſe in parte aquilonari, tum quia Pyrinei, & Atlantici ſint occidentales, & ſub zona torrida ſcimus noſtro ſæculo eſſe montes altiſſimos, & frigidiſſimos niue coopertos; quare verum eſt frigiditatem, & vapores ab ea concluſos eleuare montes, verum non ſolum in aquilonaribus regionibus, imò multo magis ſub æquatore.

2 Sed hæc miſſa faciamus: aliqua de montium fertilitate dicenda ſunt. Montes igitur licet aliquantulum vallibus in fertilitate cedant, tamen in vtilitate excedunt; nam ea quæ in montibus leguntur ſalubriora, & nutritioni Animalium aptiora inueniuntur; cauſa eſt, quia humor, quo herbæ nutriuntur in campeſtibus abundantior eſt, in montanis vero purior, & ſubtilior, & conſequenter, meliorem cauſat nutritionem: Ita cenſet Bartholomeus Anglicus. *De Propriet. omn. rer. lib. 14. cap. 2. pag. 595. Montes, quia in herbis, & paſcuis fæcundi ſunt, & vberes, ideo conueniunt paſturæ ouium, & Animalium refectioni. Montoſa enim paſcua, & gramina in montibus creſcentia ſunt ſalubria, & nutrituræ animalium vtiliora, quam illa, quæ creſcunt in vallibus, quamuis ſint generaliter pinguiora. Humor enim nutrimentalis, quo nutriuntur herbæ, & gramina in montanis, ſubtilior eſt, & purior, quam campeſtris.* Sic ergo fæcunditas montium, in herbis procreandis, ſit licet aruorum fæcunditate minor, eſt tamen ſalubritate, & nutritione fæcundior. Porro montium fertilitas haud in ſolis plantis ſiſtit, verum in metallorum gignitione reliquas terræ portiones excedunt montes; nam & ad hominum vitam ciuilem ita neceſſario requiruntur metalla, vt ægrè ſine ipſis viuere homines queant: hæc a montium viſceribus extrahuntur, & in vitæ politicæ vſum adaptantur: Hos montes metallorum feraces recenſet *Georgius Agricola lib. de veteribus, & nou. metall. pag. 395. Montes autem*, inquit, *plerumque gignunt metalla: etenim in Hiſpania Pyrinei: in Gallia Cemenus, & Iuranus: Alpes, qui in plures pertinent regiones: Montes, qui Noruegos a Suedis ſeparant: in magna Germania Melibocus, Suditi, Carpatus: in Thracia Rhodope, & Pangeus: in Attica regione Laurius: in Lidia Tmolus: ad Iberiam Caucaſus: in India capitalia:* Inſuper Flumina præclariſſima ortum ſuum montibus debent: nam vt aperta demonſtrat experientia præcipuorum fluminum fontes a celſiſſimis montibus ortum habent: ex his inſigniores recenſet Martinengus in ſua Gloſſa Magna *in Geneſ. to. 1. pag. 735. At nunc memorata a ſcriptura Flumina ab altiſſimis montium iugis decurrere notantur. Nilus ab celſiſſimo Lunæ monte in Aphrica mediterraneis locis ſe extollente. A Caucaſo, ſeu Imao, qui dorſum fere totius Aſiæ occupat Ganges, Indus, Tigris, Euphrates, inſignia flumina erumpunt: & quod mirum eſt ab Adula monte quatuor ampliſſimi amnes decurrunt, Renus, Danubius, Rhodanus, & Padus, ſi ex Ticino eius originem ſumimus.* En quanta montium fertilitas, quæ nobis, & herbarum nutrimenta, & metallorum diuitias, & fluminum commoditates liberaliter largiuntur.

3 His adhuc vnam, præcipuamque Montium vtilitatem addere viſum eſt. Montes namque ſolitariorum Monachorum vitæ maximam prebent commoditatem; ibi namque, quæ vitæ alimenta, ad parſimoniæ præſcriptum, miniſtrent minimè deſunt; ibi ad cubandum antra, quæ cæli, terrarumque in clementiam deuitent, ſed quæ delicias non nutriant, vltro ſe ſe offerunt: ibi optatæ ſolitudines, quæ mentem ad Deum colligant, & ad mundanos tumultus non excitent reperiuntur: Ibi virentium arborum vmbræ ad ſolis fugiendos æſtus; ibi auium modulantium choros, ad honeſtam animi laxationem haud deſiderantur: & quod fælicius eſt, aeris ſalubritas ineſt; ita a mundo remotus homo Deo viuit; tanto cælo propinquior, quanto remotior a terrenis tumultibus; Angelorum ſocius ibi efficitur, qui perditorum hominum ſocietatem deſpiciendam iudicauerat. Idcirco ſponſa, quæ diuinum ſponſum ſalientem in montibus viderat; & ipſa in montem myrthæ aſcendere profitetur: *Cantic. cap. 2. ver. 6. Vadam ad Montem Myrrhæ.* Rectè quidem, nam ſi ſpiritualem vitam profitetur, in monte omnia neceſſaria reperiuntur: id docet Ioannes Hieroſolimorum Epiſcopus. *De Inſtit. monach. cap. 19. ap. Biblioth. VV. P. P. tom. 9. col. 639. lit. B. Mons quippe præbet eremitæ homini ex ſua ſolitudine ſilentium, & quietem, ex ſuis antris commodam manſionem, ex ſuo ſaltu iucunditatem, ex ſuo eminenti ſitu aerem ſalubrem, ex ſuis herbis, & fructibus paſtum vberem, & ex ſuo fonte aquæ viuæ hauſtum dulcem.* Maximam ergo montium eſſe vbertatem fateamur neceſſe eſt, dum corpori, & animæ fertilitatem impendit.

4 Montes in communi fertiles eſſe, atque vtiles demonſtrauimus; nunc de particularium montium fertilitate agendum remanet; & in primis occurrunt montes Iſrael qui a Bartholomeo anglico fæcundiſſimi aſſeruntur. *Bartholomeus Anglicus loc. cit. cap. 21. pag. 604. Montes Iſrael dicuntur montes generaliter totius terræ promiſſionis &c. Hi montes multum erant paſcuales, vberes, fructuoſi, & frugiferi, oliuis, & alijs arboribus fructiferis conſiti; erant etiam medicinales herbis, & ſpeciebus aromaticis pleni.* Inter hos numerantur præcipui montes Ephraim; Montem enim Ephraim fertiliſſimum eſſe, ex eo præcipuè elicitur; quod in eo dederunt Duci ſuo Ieſu filij Iſrael hæreditatem: congruum enim

Digitized by Google

videbatur Duci eorum vberiores poſſeſſiones aſſignare: Dicitur namq; *Dederunt Filii Iſrael poſſeſſionem Ioſue filio Nun, in medio ſui, &c. in monte Ephraim. Ioſu. cap.19.v.50.* Vbi Origenes *ap. Bartholom. Anglic. loc. cit. cap.12. pag.600. Erat mons iſte herbis, & arboribus inſignior, & fructibus fœcundior, ſitu ſublimior, aſpectu pulchrior, aere ſalubrior, riuulis fontium montem irrigantium fertilior; & ideo erat locus congruus, vt in eo Ieſus, qui dictus eſt Ioſue habitaret.* His accedit Athos illuſtris Macedoniæ Mons, quem effinxerunt antiqui lunare cælum, ſeu Ætheream regionem ferè attingere, eſſeque a pluuia, & ventis liberum: nihilominus in eius vertice ciuitatem conſtituerunt in qua homines duplo vitam longiorem ducebant, quam in alijs locis; quod tum ex ſalubritate aeris, tum ex fertilitate montis contingere poterat. Ita ex Solino Toſtatus. *Athos, qui eſt Mons Macedoniæ, tantæ altitudinis, vt excedat nubes, & ſuper illum neque pluat, neque venti ſpirent; & in illa altitudine oppidum eſt, in quo homines erant duplo maioris vitæ, quam in aliis. Alphonſ. Toſtatus Epiſt. Abulenſ. in Geneſim pag. 90 col.2. lit. B.* Quod ſi hoc fabuloſum videtur; veriſſimum eſt quod de Veſuuio monte prope Neapolim refert Strabo in deſcriptione campaniæ, quod ad hæc etiam tempora perſeuerat, ſcilicet fertiliſſimum eſſe, & ex bituminoſa pinguedine, quam aliquando ardens emittit, fœcundiorē fieri. *Supra hæc loca ſitus eſt Veſuuius Mons, agris cinctus optimis.* & paulò poſt. *Habent enim pinguedinem, & glebæ, quæ igne ardeſcunt, & quæ fructus profert: eaque dum abundat pinguedine apta eſt incendio: conſumpta pinguedine, & gleba reſtincta, ac in cinerem conuerſa, ad fruges producendas redacta eſt commodior. Strabo lib.5. pag.170.* Quòd noſtro etiam ſæculo eueniſſe experti ſumus. Et eadem prorſus ratione Æthna, plenum niue verticem, igne cauernas, radices verò fructibus, & floribus ſemper refertas: De quo idem Strabo *lib.6. pagin.189. Superiora loca* (Montis Æthnæ ſcilicet) *nuda ſunt, ac cineribus tecta, ac per hyemem niuis plena; inferiora nemoribus, & omnis generis plantis conſita.* De montibus verò Carmaniæ Idem narrat duos ibi reperiri, quorum alter ſalis fœcūdus eſt, alter verò arſenici: *lib.15 pag.499. Oneſicritus tradit eſſe in Carmania montes duos alterum arſenici, alterum ſalis.* Sed, & plures montes ſalis feraces recenſet Georgius Agricola lib. 3. de ortu ſubterraneorum. Horum omnium fertiliſſimi cenſendi ſunt Pyrinei, qui non frugibus, ſed argēto pleni, cum aliquando incenderentur, non paucos argenti riuulos effluxerunt. Ioanne Gerundenſe *lib.1. Paralip. Hiſp. ap. Theatr. vitæ hum. lit. M. tom.5. pag. 599. lit. B.* referente. *Montes, aiunt, cognominatos Pyreneos, ardente continuis diebus igne, plureſq; ex Montium incendiis argenti puri riuulos effluxerunt.* Tandem conterraneum meum Pauſilypum montem nequaquam omittēdum iudico, ſolo ita feraci, & iucundo præditum, vt ex fertilitate Pauſilypum appellatū doceat Ambroſius Calepinus, lit. P. & quod omnes curas tollat; De eo multa veteres, vt Plinius, Strabo, & alij: noſtro verò hoc ſæculo inibi Neapolitanorum deliciæ, ſicuti olim Romanorum, inueniuntur. Atque hæc de montium fertilitate ſufficiant enarrata.

§. III.

De Montium Prodigiis, & Prognoſticis.

1 DE ijs Montium Prodigijs agendum eſt, quæ totaliter a naturalibus cauſis, Deo permittente, ortum duxerunt, non verò de ijs, quæ ſpecialiter diuina virtute operata ſunt, de quibus infra. Et primò nobis occurrit Plinius, qui montes duos eſſe in India aſſerit, contrariæ naturæ, ambo tamen prodigioſi: Alter enim ita ferri amans eſt, vt ipſum tenaciter amplexetur: quapropter ſi aliquis ad eum accedit ferri habens aliquid, præſertim vt aſſolent Agricolæ, in calceamentis, inde diſcedere compos non ſit: Alius mons e contra, ita abhorret a ferro, vt ad ſe properare haud patiatur: eum e ferro aut exornatus, aut calceatus veſtigia in ipſo firmare non valeat. *Duo ſunt montes*, inquit Plinius, *natur. hiſt. lib.2. cap.96. pag.34 iuxta Flumen Indum, alteri natura eſt vt ferrum teneat, alteri, vt reſpuat. Itaque ſi ſint claui in calceamento, veſtigia auelli in altero non poſſit, in altero ſiſti.* Puto tamen talibus in montibus magneticum eſſe lapidem, vel magneti non valde abſimilem; nam & de ipſa magnete in dies experimur ex vna parte ferrum attrahere, ex altera verò reſpuere. Mirabilius eſt quòd de monte Epopon idem refert de repente flammis erumpentibus, omnino ſolo æquatum fuiſſe. *Mox in his montem Epopon ferunt, cum repente flamma ex eo micuiſſet, campeſtri æquatum planitiæ. Idem. loc. cit. cap. 88. pag.32.* Quod etiam noſtro ſæculo de Veſuuio monte Parthenopeo (cuius innumeri teſtes) viſum eſt; E quo flammæ erumpentes, & ſi totaliter ſolo non æquarunt, magna tamen ex parte imminuerunt, ita vt alterum montis cacumen, quod antea longè erat inferius, ad præſens celſius notabiliter appareat.

2 E contra vero, vel terremotu, vel ſimilibus de cauſis nouos ſurrexiſſe Montes legimus. Refert Nicephorus Caliſtus in ſua Eccleſiaſtica Hiſtoria tempore Theodoſij piiſſimi Imperatoris, horrendum, & ferè vniuerſalem terræmotum orbem vexaſſe, orientem præſertim, qui præterquamquòd Ciuitates deſtruxit, & alia multa mirabilia operatus eſt, inter alia nouorū montium cauſa fuit. *Adhuc Theodoſius imperabat, & terremotus magnus, & admirandus extitit: Nicephor. Eccleſ. Hiſtor. lib.14. cap.46. col 928. lit. E.* & poſt pauca. *Aggeres plurimi de repente exiſtentes in montes ingentes conformati.* Similiter terræmotus cauſa alios ſurrexiſſe montes fatetur Reſta his verbis. *Fulgoſ. lib. 1. de prodigiis att, tempore Lotharii Imperatoris in Saxonia collem emerſiſſe ſex mill. paſſ. longum. In Trispergula Mons ſimiliter de nouo apparuit, qui quatuor mill. paſſibus patet. Aſtrunus item mons repente apparuit, teſte Leandro in Campania. Franciſc. Reſta in meteorolog. lib.3. tract.1. cap 21. pag.713. col.2.* De alio item monte elapſo ſæculo apparente refert Agricola: nam Carolo V. Imperante non ex terremotu, ſed ventorum cauſa ex arenarum coitu, montem in Siria ſurrexiſſe ait. *Anno Caroli V. ſeptimo, & decimo, in Syria iuxta Tripolim ex arenarum cumulis, vi ventorum congeſtis montem effectum fuiſſe legimus. Geog. Agricola. lib.3. de ort. ſubter. pag.34.*

3 Porrò mirum prodigium ſimul, & prognoſticum illud fuit. quod Plinius narrat ante ſociale bellum eueniſſe; ſcilicet duorum montium inter ſe occurſum, & quaſi pugnam; ipſis inuicem magno fragore aſſultantibus, fumo, flammiſque ex eorum impetu exhalantibus. Cum autem montes eiuſdem generis ſint videtur ſociale bellum denunciaſſe. Rem ſuis verbis a C. Plinio *loc cit. cap.83. pag.31.* audiamus. *Factum eſt ſemel, quod equidem in Hetruſcæ voluminibus inueni, ingens terrarum portentum, L. Marcio, Sex Iulio coſſ. in agro mutinenſi. Namque montes duo inter ſe concurrerunt, crepitu maximo aſſultantes, recedenteſque, inter eos flamma, fumoque exeunte interdiu; ſpectante ex via æmilia magna Equitum Romanorum, familiariumque, & viatorum multitudine: anno ante ſociale bellum, quod haud ſcio an funeſtius ipſi Italiæ fuerit quam ciuilia.* Hinc hallucinatus Cardanus, volens omnia ad incertam falſam, damnatamque diuinationem reducere; & ipſos nouorum montium ortus varia ſuperſtitione reſperſit: nouos enim principatus nouorum montium apparitiones exiſtimauit, & pro montium qualitate, variam nouorum Principum naturam ſomniauit. Inquit igitur. *Montes Principes declarant, diu enim durant, ſed & ſtirpem nouam quæ, & ipſa diu perſeuerare poteſt. Steriles, & infrugiferi tyrannos: culti, molles ac ſenſim accliues, vtiles, iuſtos, ac modeſtos. Durus eſt tamen*

men

Digitized by Google

men omnium principatus, quod montes ex lapidibus conſtant. At ſi colles è terra emerſerint, molliores Dominos, ſed diuiſum imperium. Hieronym. Cardanus lib.14. de variet. cap.72. ap. Reſtam loc. cit. pag. 715. col. 1. At hæc ratione vtentibus deridenda relinquimus, tanquam gratis aſſerta. Vera ex montibus prognoſtica circa ſerenitatem, vel pluuiam ſumuntur, nam in eorum cacuminibus, vt plurimum aer, vel vapores inſpiſſari incipiunt: vnde nulla eſt regio, in qua alicuius celſioris montis vertex non obſeruetur; nam ſi purus, & ſerenus fuerit ſerenitatem ſignat, ſi nebulis obſitus appareat, pluuiam mox futuram indicat, ſi candicante nimis nube circundatur, grandinem, tempeſtatemque expectemus. Hæc etiam ſuo ſæculo obſeruata tradit Plinius. *loc. cit. lib. 18. capit. 35. pag. 435. Cum in cacuminibus montium nubes concident, hyemabit; ſi cacumina pura fient, diſſerenabit: nube grauida candicante, quod vocant tempeſtatem albam, grando imminebit.* His fortaſſe rationibus moti, nonnulli veterum, cappadoces præſertim, Montes diuinis honoribus dignos, interque Deos numerandos exiſtimarunt; referente Alexandro ab Alexandria. *lib.6 cap. 26. pag. 1005. Cappadocibus quoque Mons Deus habetur.* Qui plura de montium prodigijs, vel prognoſticis deſiderat, ipſos conſulat relatos authores; nam mihi vlterius de hac re differendum non videtur.

§. IV.

De Montibus diuina virtute claris, ante Chriſtum.

1 Diuinas virtutes, ac miracula præcipua Deus in montibus operatus eſt quæ in duas partes ſecabimus, prout in veteri, vel nouo teſtamento geſta enumerantur. Inter quos ille omnium maximus creditur, in quo Paradiſi terreſtris locus, primique hominis fabricatio facta eſt; qualis is fuerit hactenus ignoratur. Eſt tamen Inſula quædam nomine *Zeilan*, ab æquatore haud multum recedens, in qua mons maximus cernitur: eſtque Inſula aeris ſalubris, & vltra quam credi poteſt, fæcunda; in qua apud incolas vulgò creditur Paradiſum fuiſſe, & a diluuio diſſipatum; non ita tamen, quin cæteris terris fertilior, & vberior remanſerit: hic contendunt Primos Parentes creatos; imò & eorum extare veſtigia: neque obſtare videtur, quod ſit Inſula, nam poſt diluuium multas apparuiſſe Inſulas, quæ prius non extabant, ſequenti verſu videbimus. Gerardus Mercator *in Atlan. min.* in deſcriptione eius Inſulæ, ita refert: *Inſula valdè montoſa eſt, viſiturq; Mõs ſublimis altiſſimo ſitu inter totius Indiæ cacumina (incolis Pico de Adam) credunt enim Indi firmiter iſthinc Paradiſum fuiſſe, & Adamum ibidem a Deo creatum; dicuntque etiam nunc hodie primi parentis pedum extare veſtigia, longitudine duos palmos excedentia.* Quod an verum ſit alijs diſcutiendum libenter relinquimus. Poſt hominis creationem ſequitur alius Mons, diuinis illuſtratus operibus, ille inquam Armeniæ, in quo poſt diluuium, Arca Mortalium ſemina ſeruans, poſt varias fluctuum iactationes tandem ſtetit. De quo ſacræ literæ. *Requieuitque Arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis, ſuper montes Armeniæ, Gen. cap.8. verſ.4.* Porro montem iſtum, arcæ manſione illuſtrem *Ararath* fuiſſe docet D. Iſidorus Hiſpalen. *lib. 4. origin. c. 8. pag. 125. lit. D. Ararath Mons Armeniæ, in quo Arcam hiſtoriæ poſt diluuium reſediſſe teſtantur. Vnde & vſque hodie ibidem lignorum eius videntur veſtigia.* Sicuti poſt vniuerſale diluuium *Ararath* Armeniæ Mons Noe, filiorumque incolatu nobilitatus eſt, ita pariformiter poſt Sodomiticum incendium, alius Paleſtinæ Mons ſancti Loth ſeruatione fuit illuſtris: qui, vt ſcribitur. *Aſcendit de Segor, & manſit in Monte: Gen. capit. 19. verſic. 30.* quem Montem *Engaddi* fuiſſe crediderunt quidam apud Pererium. *tom.3. in Gen. c.19. n.35. pag.387. Sunt qui putent montem, ad quem Loth re fugerat Angelus, fuiſſe Montem Engaddi, ad cuius vtique radicem locata erat Segor. Aiunt enim qui montes Engaddi viſitarunt, & peragrarunt eſſe eos altiſſimos, & varijs anfractibus horrendos.* His addamus, montem *Sinai*, Dei apparitione, & legis donatione celeberrimus: & tantæ apud Hebræos, vt fas eſt, venerationis, vt per antonomaſiam *Sinai* tantummodo Mons appelletur; & cum ſine additione Mons dicitur de ipſo intelligant. Sic ipſa ſcriptura de eo loquitur: *Et mane conſurgens*, Moyſes ſcilicet, *ædificauit Altare ad radices montis. Exod. cap. 24. verſ.4.* Vbi Abulenſis. *tom.2. in exod. pag.5. col.2. lit.B. Ad radices montis, ſcilicet montis Sinay, quia iſte apud eas vocatur Mons per excellentiam, quia plura ibi bona receperunt, quam in alijs locis, ſcilicet legem, ſacrificia, Sacerdotium, & tabernaculum, & omnes ceremonias illius populi.* Fuit autem, & in nouo Teſtamento Mons iſte præclarus, dum inibi Sponſa Dei ſingularis, Doctrina, Virginitate, martyrio illuſtriſſima, magna inquam Catherina, per angelicas manus ſepulchralem meruit lapidem; De quo Eccleſia Catholica inquit. *Dediſti legem Moyſi in ſummitate Montis Sinay, & in eodem loco per ſanctos Angelos tuos corpus B. Catharinæ Virginis, & Martyris tuæ mirabiliter collocaſti: &c. Breu. Rom. in orat. S. Chathar. Die 25. Nou.* Nec equidem poterat melius honorari illa, quæ ſingulariter Dei Sponſa fuit, quam in eo, qui peculiariter Mons dicitur, obtinere ſepulchrum. Sed & alius celebrandus eſt Mons inſigni obedientia clarus, in quo ſcilicet Abrahamus, Dei iuſſu, filium dilectiſſimum Iſhac immolare præſumpſit, eiuſque loco Arietem ſacrificauit: De quo dixit Dominus: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſhac, & vade in terram viſionis; atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi. Gen. cap.22. v.2.* Hunc autem montem Moriah fuiſſe, in quo poſtea a Salomone Templum ædificatum eſt, adnotat Abulenſis; *in c.21. Paralipom. pag.250. col.4. lit.k.* eumdemque, & Moriah, & Sion vocitatum fuiſſe: *Cum autem obiicitur, quod Mons Moriah fuit locus ædificationis Templi, & non area Ornam. Dicendum quòd idem locus eſt: nam mons Sion eſt iuxta Ieruſalem, & pars excelſior eſt Vrbis, ideo ibi erat caſtrũ, & habitabat ibi David: & in parte ſuperiori erat area Ornam, & ibi ædificatum eſt Templum: & mons Moriah eſt idem quod Mons Sion.*

2 Montes Abarim illuſtres etiam extiterunt, morte ſcilicet, & ſepultura Magni legislatoris Moyſis: idcirco Montes illi עברים, ideſt tranſeuntes, dicuntur, quia in eo tranſitus tanti Ducis de mundo ad Cælum contigit. Sic habetur in Deuteron. *cap.32 verſ.49. Aſcende in Montem iſtum Abarim, ideſt tranſituum in monte Nebo, &c. & morere in monte.* De quo D. Hieronymus. *De 42. manſionib. epiſ.127. ad Fabiol. tom.3. col. 42. lit. B. Caſtrametati ſunt in montibus Abarim* עברים *contra faciem Nabo. Quadrageſima prima manſio vertitur in montes tranſeuntium, & eſt contra faciem montis Nabo, vbi moritur, & ſepelitur Moyſes, terra repromiſſionis ante conſpecta.* Duo montes legis proclamatione inſignes ſuccedunt, ſcilicet, Garizim, & Hebal: Qui montes radicibus coniunguntur, niſi potius eiuſdem Montis duo vertices appellandi ſint: in his ex præcepto Moyſis lex denuo promulgata eſt; ſed cum hoc diſcrimine, quod in vertice Garizim lectæ fuerunt benedictiones obſeruantium legem, in Hebal verò maledictiones latæ in inobſeruantes, vt legitur Ioſue *c. 8. verſ.33. Media pars eorum iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Hebal, ſicut præceperat Moyſes famulus Domini. Poſt hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, &c.* Porro hæc ibidem geſta dederunt occaſionem venerationi Montis Garizim, vbi Benedictiones latæ ſunt, in tantum quod tempore Alexandri Magni, & Iaddo Hebræorum Pontificis in vertice Garizim ædificatum fuerit Templum, ad inſtar Templi Hieroſolimitani, quod longo poſt tempore perdurauit;

Digitized by Google

uit; vt Peretius adnotauit ex Ioſepho. *Licet reuera*, ait Pererius, *in cap.12. Geneſ. nu.74.pag.41. vnus mons ſit, duo tamen habet iuga, & quaſi capita, quorum vni Garizim, alteri Hebal nomen fuit, &c. Et in Garizim quidem recitatæ ſunt benedictiones in eos qui cuſtodirent legem Moyſis conferendæ: in Hebal maledictiones infligendæ legem violantibus. Quamobrem magna deinceps eius loci apud poſteros religio, & veneratio fuit. De Templo autem, quod ad æmulationem templi Hieroſolimitani in monte Garizim tempore Iaddi Pontificis, & Alexandri magni ædificatum eſt, quodque ducentos annos ſtetit, nempe vſque ad Hircanum Pontificem, ſubtiliter, & copioſè ſcripſit Ioſephus.*

3 Famoſi Gelboe Montes nobis occurrunt, Famoſi inquam, ſed mala vtique fama; in ijs namque Iſraeliticus populus victus, profligatuſque a Philiſtiim eſt, & Saul, & Ionathas præcipui, & fortes duces, vnà cum maiori exercitus parte, trucidati ſunt: quare a Dauide diuinæ indignationis digni habiti ſunt, & maledicti, ne fructum ferrent, vt tantæ cladis iniuriam ſua ſterilitate deplorarent; In quos montes ſic Dauid imprecatus eſt: *Montes Gelboe nec Ros, nec pluuia veniant ſuper vos, neq; ſint agri primitiarum. 2. Reg.c.1.v.21.* De qua imprecatione variæ feruntur ſententiæ, quomodo ſit accipienda: nam Iacobus Salianus *Annal. Eccleſiaſ. tom.3. pag.211.col.2.* putat maledictionem fuiſſe propheticam, effectumque ſortita. *Illam porro imprecationem, ſeu execrationem in montes Gelboe, ne in eos vel Ros, vel pluuia deſcenderet, neque vt vlli agri fertiles illic eſſent, quales ſunt agri primitiarum, a Deo auditam fuiſſe, & ad vltima vſque ſæcula valuiſſe docet itinerarium Beniamini, quod anno 1173. ſcriptum traditur. Nec apparet ſolum ab illo tempore his 447. annis fertilius euaſiſſe, quod teſtatur etiam Bredembachius. Quale autem prius fuerit non liquet.* Oppoſitum omninò docet Abulenſis, *in Geneſ. in cap.13.pag.214. col.4. lit. F. H.* qui putat non fuiſſe maledictionem, ſed tantum modum plangendi; & probat, quia illa non euenere, quæ Dauid imprecatus fuerat: ait enim. *De montibus autem Gelboe poteſt dici, quod non fuit maledictio data, nec mutatio facta in eis*: & poſt nonnulla. *Patet, quia neque illa euenere, quæ Dauid ibi dixit, ſcilicet quod non caderet Ros neque pluuia ſuper montes Gelboe; immò ſuper illos Ros, & pluuia ceciderunt, & fuerunt agri primitiarum, nam, & nunc pluuia cadit, cum aliqui diebus noſtris dormierint in monte Gelboe, & de nocte cecidit magna pluuia ſuper eos.* Sed nec iſta ſententia totaliter vera eſt, nam & ibi pluuiam, roremq; deſcendere certum eſt; habere autem agros primitiarum falſum eſt, cum & ſteriles omninò reperiantur, vt teſtatur Burcardus de Monte Sion. *apud Thomam. maluend. to. 3. in lib.2.Samuel.cap.1.pag.469. col.1. Nec eſt verum quod dicitur de Monte Gelboe, quod in eo nec ros, nec pluuia deſcendat: quia cum in die S. Martini eſſem in Valle Iezrael ſub monte, vidi pluuiam maximam ſuper montem, quæ etiam aquæ ad nos deſcenderunt de monte. Verum eſt, quod aridus eſt, & ſterilis, & petroſus, ſicut pænè omnes montes in Iſrael.* Ex quibus colligo dicendum, vel quod illa maledictio fuerit ad tempus, ideſt donec habitaretur regio a Philiſteis infidelibus, vel quod non fuerit abſoluta, ſed conditionalis; ideſt non deſcendat talis Ros, & talis pluuia, quæ ad fertilitatem, & ad agrum primitiarum ſufficiat; quod & ex ipſo textu facilè deducitur, & experientia probat rorem, & pluuiam ibi cadentem ad fertilitandum montem ineptam omninò reperiri.

4 Claudat tandem montium veteris teſtamenti magnalia Mons Carmelus Eliæ habitatione clarus. Ibi cæleſtis vitæ conſuetudine fruebatur vir ille ſanctus, ibi Prophetarum cuneos adunabat, ibi Carmelitici ordinis æterna, & ſublimia iecit fundamenta; ibi etiam & ipſam Deiparam Virginem aliquantulum habitaſſe, Ioannes Ieroſolimitanus teſtis eſt: Sed vt ad miracula redeamus, in hoc Carmelitico monte illa nobilis Eliæ Prophetæ cum Sacerdotibus Baal contentio contigit; quando de diuino cultu, vel Deo verò, vel Falſo Baal altercantibus, in eo ventum eſt, vt conſtructis Aris, ac ſacrificijs impoſitis, igne minimè admoto, ille Deus coleretur, qui ignem ad ſuum ſacrificium perficiendum mitteret; vt 3.lib. Regum adnotatur: *cap. 18. verſ. 24. Deus, qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus.* Elianum autem ſacrificium, cæleſti igne conſumptum in Carmeli vertice, narrat Ioannes Hieroſolimitanus Antiſtes. *lib. de Inſtitut. monach.cap.20. ap. Biblioth. VV.PP.to. 9.col.640.lit. A. Cumque propoſitio Eliæ populo placuiſſet, ſed Baal ſuper ſacrificio per ſuos Prophetas ſibi, ignem de Cælo mittere non poſſet; tunc Elias in hoc monte Carmeli Altare Domino ædificauit, vbi ſacrificium Deo offerens, cunctis videntibus, ignē deſcendentē ad vorandum ſuum holocauſtum a Deo Iſrael impetrauit.* Neque mirum ibi Dei veri ſacrificium conflagraſſe, vbi Prophetarum corda diuino amoris æſtuabant incendio. Multi præterea ſunt montes a Deo virtutibus, & miraculis olim clarificatis, ſed iſta ſufficiant.

§. V.

De Montibus a Chriſto Domino ſuis operibus illuſtratis.

1 VIx conceptus Dominus noſter in terris, in vtero Virginis claudebatur, cum memor noſtrarum, neceſſitatum, voluit prius ſacrare ſua præſentia mundum, quam luce natus frueretur. Statim igitur ac conceptus in Iudeæ montes ſe contulit; vt ibi nondum natum ſanctificaret Ioannem, totumque montem Iudeæ ſua præſentia illuſtraret: Nam ſtatim diuino concepto fœtu; *Exurgens Maria abijt in montana, cum feſtinatione in Ciuitatem Iuda. Luc.cap.1.verſ.39.* Quis autem Mons iſte, vel Ciuitas iſta fuerit, non vnus eſt expoſitorum ſenſus. Putat eminentiſſimus Hugo, *in cap. 1. Luc. pag. 135. col. 1.* cui alij conſentiunt ipſos montes, qui Ciuitatem Hieruſalem circundant, hic per montana intelligi, per Ciuitatem verò Iuda, ipſam Hieruſalem. *Abiit in montana pluraliter, quia Ieruſalem eſt in Montanis.* Eſſetque conſona hæc expoſitio, niſi haberemus in hoc capite Zaccariam expletis diebus Sacerdotalis functionis, a Ieruſalem diſceſſiſſe, & in Domū ſuā redijſſe; erat igitur extra Ieruſalem. Iacobus Titinus *in c.1.Luc.to.2.pag.984.col.2.lit.B.* ex Toleto, & alijs, putat illam Ciuitatem eſſe Hebron, quæ in Iudæ montibus eſt collocata, & antea vocitata fuerat Cariath harbe, ideſt, Ciuitas quatuor, quia quatuor Patriarchæ in ea ſepulti ſunt. *Abijt in montana, ideſt in regionem Iudææ in Ciuitatem vnam tribus Iuda, veriſimillimè in Hebron, inquit Toletus, & alij: quæ erat Ciuitas Sacerdotalis ſita in montanis Iuda, olim dicta, Cariath Arbe.* Ludolphus *de ſaxon.de vit.Chriſt. capit.6.pag. 30. col.1. litera C.* inſinuat, nec eſſe Hieruſalem, nec Hebron, nec aliam, quæ pro certo affirmari poſſit; illud nihilominus certum eſt in montibus Iuda eſſe poſitam Domum Eliſabeth: *Domus Zaccharia in loco montuoſo, vbi montana Iuddeæ ſunt, erat ſita.* Porro montem iſtum Dominus, non dum natus, ſua gratia, qua Ioannem ſanctificauit, ſacrum reddidit, & inſignem.

2 Quod ſi Iudeæ mons Dominum duplici coopertum velamine, carnis ſcilicet, & virginalis vteri habere meruit, eo valdè felicior Thabor extitit, qui non ſolum egreſſum ex vtero, verum etiam reuelata beatifici corporis gloria excepit. Benè exultare, iuxta dauidicum vaticinium mons iſte poteſt, dum Cælo ipſo haud humilior Beatitudinis Imaginem repreſentat. *Thabor, & Herbom in nomine tuo exultabunt. Pſal.88. verſ. 16.* Dum videlicet mirabiliter ab ipſo illuminans diſcipulos tuos, æterni gaudii pignus dediſti. Quod autem Mons dominicæ transformationis Thabor fuerit, ex Abulenſi ſumimus. *in c.17. Matth quæſt.18. par.4.pag.203.col.2. lit. B.*

Digitized by Google

lit. B. Dici ſolet, quod in Monte Thabor transfiguratus eſt: ille eſt enim talis mons, qualem ſcriptura hic dicit, ſcilicet mons excelſus, & ille eſt in terra Galilea, in qua tunc Christus manebat, quando transfiguratus eſt. Magnus itaque Mons Sinày, qui Domini gloriam, ſub nube tamen Moyſi oſtendit, ſed Thabor non inferior, qui eum Moyſem, iam reuelatæ gloriæ comprehenſorem oſtendit.

3 Hinc noſtram curioſam quidem, deuotam tamen veſtigationem, oliuarum Mons ſiſtit, in veteri quidem lege infamis olim, dum inanium Deorum ſimulachra ſuſtentans, ſacrilegis ſacrificijs occaſionem dedit. In eo ſiquidem Rex ille, alias ſapientiſſimus, amore tamen vxorum ſuarum miſerabiliter dementatus, cunctis illarum Idolis Templa conſtruxit, & Aras: & quia haud multum, ideſt circiter mille paſſus, ad Hieruſalem diſtabat, muliebri ſuperſtitioni facilem præbebat occaſionem. Ita Abulenſis. *to.5. in Matth. cap.21. q.4. pag.213. col 1. lit. D. De Monte Oliueti dicendum, quod erat Mons iuxta Hieruſalem, & diſtabat ab Hieruſalem per mediam leucam, ſeu mille paſſus, quod idem eſt. Erat autem iſte Mons contra Orientem reſpectu Hieruſalem, & in illo fecerat Salomon templa Idolis vxorum ſuarum, quæ permanſerunt vſque ad tempora Ioſiæ, Regis, ipſe enim deleuit illa.* Verùm hanc fæcundiſſimi Montis maculã Redemptor mortaliũ ſua præſentia terſit. Nam in eo Dominus Ieſus orare ſolitus erat; ab eo triumphũ, ſuper Aſinam aſcenſurus Ieruſalem, incępit, *Cum aſcenderet Hieroſolymã & veniſſet Bethphage ad montẽ Oliueti: Matth. c.21. v.1.* & iam iam moriturus in eo ad Patrẽ orauit, & ſanguineũ emittens ſudorem, ſuæ paſſionis, noſtræq; redemptioni initium fecit: *Et hymno dicto exierunt in montem oliueti: cap.26. verſ.30.* ex eo Chriſtus ad Cælos aſſendit, nam dicitur de diſcipulis poſt Chriſti Aſcenſionem: *Reuerſi ſunt Hieruſalem a monte, qui vocatur oliueti. Actor cap.1. verſ.12.* Et tandem in hoc monte apparitùrus etiam in vltimo dierum ad Iudicium, & ex hoc loco coniicitur, vbi dicitur: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum; verſ.11.* & etiam ex Matth. *cap.24. verſ. 3.* nam ſermonem de futuro iudicio, diſtrictoque eius examine, in hoc monte oliueti habuit Dominus. *Sedente autem Domino in monte Oliueti, acceſſerunt ad eum diſcipuli dicentes: dic nobis quando hæc erunt; & quod ſignum aduentus tui, & conſumationis ſeculi?* Quare concludit citatus Doctor. *De illo monte aſcendit Chriſtus in Cælum. Fit magna mentio in ſcriptura de monte iſto, eo quod erat iuxta Hieruſalem. In iſto monte dicitur Deus aliquando apparitùrus Zaccar. 14. Et ſtabunt pedes eius in illa die ſuper montem oliuarum.*

4 His omnibus tamen illuſtrior Caluariæ Mons, & Primi Adæ ſepultura clarus, & ſecundi Adami paſſione notiſſimus. Hic noſtræ mortalitatis primum vectigal exactum, hìc ſolutum; hìc mortis victoria promulgata, hìc vitæ reſtiturum imperium; decens quippe erat, vt in medio Terræ; & noſtræ perditionis veſtigium, & noſtræ ſalutis memoria remaneret, & vbi Infernalia erecta fuere Trophea, ibi cœleſtis explicaretur Triumphus; *Poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum. Luc. c.33. verſ.33.* Vbi D. Ambroſius. *lib. 10. in Luc. tom.3. col. 220. Ipſe Crucis locus vel in medio terræ, vt conſpicuus omnibus; vel ſupra Adæ, vt hebræi diſputant, ſepulturam: congruebat quippe, vt ibi vitæ noſtræ primitiæ locarentur, vbi fuerant mortis exordia.* Cui ſententiæ etiam ſubſcribit D. Auguſtinus. *ſerm.1. De immol. Iſhac. to. 10. pag.262. col.2. lit. C. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipſo loco, vbi crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus; & ideo Caluariæ locum dictum eſſe, quia caput humani generis ibi dicitur eſſe ſepultum.* Enim verò, quod ad nomen attinet Caluariæ, validior, & certior eſt opinio, illi acceſſiſſe monti, ex damnatorum oſſibus, quæ ibi poſt ſupplicium inhumata remanebant. Eſt inſuper opinio, quam loco citato inſinuat D. Auguſtinus; montem Caluariæ idem eſſe cum monte Moriah, vbi ſacrificium Abrahami oblatum eſt, ſed illud idem eſſe cum Monte Syon, & vbi Templum ædificatum eſt, ſatis ex ſupra dictis apparet. Putat nihilominus Pererius, *tom.3. in Gen. cap.22. num.16. pag. 462.* credibile eſſe eiuſdem Montis eſſe partem, & ei in radice coniunctum, cum ab illo parum diſtet. *Verum Mons Caluariæ extra Vrbem Ieruſalem erat, & diuerſus a monte Moriah, ſuper quo Templum ædificatum eſt; ſed quia propinqui erant, & fortaſſe eiuſdem totius montis partes, pro vno loco, & monte accipi poſſunt.* Diuinus ſanè, & celeberrimus Mons, in quo ſalutis humanæ myſteria ſunt celebrata.

5 Inſuper vt mons iſte Caluariæ montium declararetur maximus, non molis vaſtitate, ſed infinitate virtutis, alios montes ſuæ operationis conſortes adhibuit: quippe cum Chriſto moriente *Petræ ſciſſæ ſunt Matth. cap.27. verſ.52.* nonnulli montes ſunt diſciſſi vt traditione antiquiſſima conſtat; vnus ex illis fuit mons Ciuitati Caietæ imminens, qui a ſummo vſque deorſum ad Mare ſciſſus eſt, & ita partes montis ſeparatas, vnitas olim fuiſſe ex conuenientia inter ſe apparet, vt dubitare nefas ſit: imò qui & aliquando hæſitauit, in facti roborationem cum manum monti adibuiſſet, continuò lapis, quaſi cera mollis redditus, manui locum dedit, cuius veſtigia ad hæc vſque tempora videntur. Eſt & ibi aliud miraculum, nam cum nobilis quidam vir ibi ædiculam ad ſanctiſſimæ Trinitatis honorem conſtruere ſatageret, & locum interdiù contemplatus, ob Mare ſubiacens impoſſibile id exiſtimaret, noctu ingens ſaxum e montis vertice cadens inter duas fixuras ita hæſit vt ſupra illud ſacra ędicula commodè conſtructa fuerit; e cuius feneſtra aliquando puer decidens, in mari, ſcopulo inſidens, & incolumis repertus eſt; locus eſt chriſtiana pietate non ſolum venerabilis, ſed & ipſis Turcis terribilis, & admirãdus. Memoriæ etiã traditum eſt, Aluerniæ montem in Thuſcia in Chriſti morte diſſectum; ſed nec caret eiuſdem Chriſti preſentiæ illuſtratione mons iſte, nam in eo ad ſtigmatizandum B. Patrem meum Franciſcum, Chriſtus Dominus in crucifixi Seraph imagine deſcendit. Facti Seriem toti orbi euulgatam, & quam D. Bonauentura *tom.7. pag. 318. lit. C.* fusè narrat in legenda S. P. Franciſci cap. 13. ommittere viſum eſt: Attamen eius loco carmina eiuſdem Seraphici Doctoris, quæ in hymno huius ſolemnitatis Minorum cantat Eccleſia, proferam.

Hoc in monte vir deuotus
Specu ſolitaria,
Pauper, a mundo ſemotus
Condenſat ieiunia:
Vigil nudus, ardens totus
Crebra dat ſuſpiria, &c.
Ad quem venit Rex e cælo
Amictu Seraphico,
Sex alarum tectus velo,
Aſpectu pacifico:
Affixuſque crucis telo
Portento mirifico.

6 Liceat tandem mihi tot montes a Chriſti Domini præſentia illuſtratos recenſenti, ad Religionis meæ primordia calamum vertere. Nam cum Seraphicus Legiſlator Regulam ſuam, Deo reuelante, ſcribere vellet, Montem Fontis columbæ prope Ciuitaté Reate, Moyſem æmulatus aſcendit; eiuſque ieiunium quadraginta dierum imitatus, Regulam Deo inſpirante conſcripſit. Ita Seraphicus Doctor recenſet. *cap.4. tom.7. pag.302. col.2. lit. A. Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Euangelij aggregatione profuſius traditam, ad compendioſum formam, iuxta quod dictabat viſio nocturna, redigere, in montem quemdam cum duobus ſocijs Spiritu ſancto ducente conſcendit.* Quam Regulam cum fratribus traderet ſeruandam, recuſantibus illis, in

eodem

eodem Monte viſus eſt omnibus, fulgentiſſima luce circumdatus, Chriſtus Dominus, Regulam ſuam eſſe teſtatus; quod Annal. Minorum *Luc. Vading.* Chroniſta ad Annum 1223. *num.* 10.*pag.* 295. *to.* 1. ita refert. *Turbatus ſpiritu Franciſcus, vultumq; oculoſque ad cælum conuertens, vehementi affectu dixit. Domine nonne prædixi hos mihi non credituros? Vt quid in vanum me laborare coegiſti? Dictu mirum: ſtatim in lucida nube apparuit ſuper hominem Chriſtus Dominus, qui audientibus cunctis dixit ei: Homuncio quid turbaris tanquam tuum hoc opus eſſet?* &c. Claudat ergo montium claritatem cælitus deriuatam Montis Reatini fulgor, qui cæteris inferior non eſt, ſi vel cum ipſo Monte Sinay comparetur.

§. VI.

De loco quid ſit, & quibus eſſe in loco conueniat.

1 *IN locum quem Fundaſti eis, &c.* Aliqua hic de loco breuiter diſſerenda ſunt: Locus igitur ſic definitur ab Ariſtotele: *lib.* 4. *Phiſ. text.* 41. *Locus eſt vltimum corporis continentis immobile primum.* Hæc porro Definitio non omnes locorum differentias complectitur, ſed ſolum eſſe in loco quantitatiuè; & in qua etiam eſt dubium, quam immobilitatem requirat: nam corpus in aere, vel Mari, vel Fluuio verè dicitur eſſe in loco, nec tamen ſemper eadem numero ſuperficie continetur, nam Aqua alicuius fluminis, & etiam Maris ſemper eſt diuerſa; Aer etiam, vt ſuo loco vidimus, ſemper eſt in motu; & ſic numquam eodem aere tegimur. Non ergo ſuperficies aliqua locus eſt, ſed potius ſpatium aliquod à corpore occupatum, quod quidem idem ſemper eſt & immotum reſpectu centri mundi, ideſt Terræ vel centri illius Aſtri in quo eſt: ſic V. G. aliqua macula in Luna, vel Sole, vel alio ſydere, dicitur eſſe in eodẽ loco, vel diuerſo, quia ſpatium occupat eandem habens diſtantiam a centro, & circumferentia illius globi, vel aliam, ſi in diuerſo loco eſt. Nihil igitur continentis ſuperficies ad locum. Inſuper dicitur aliquid eſſe in Domo aliqua, vel ciuitate &c licet non ab vltima Domus, vel Ciuitatis ſuperficie claudatur. Melius eſt ergo dicendum, quod nonnullorum Philoſophorum ante Ariſtotelem placitum fuit, & ab Ariſtotele malè impugnatum, locũ eſſe ſpatium quoddam corporis ſitum menſurans; tali diſtantia a centro orbis, & in tali differentia in ipſius circumferentia poſitum. Quare ſic Locus quantitatibus rerum ſcilicet corporalium definiendus eſt. *Locus eſt ſpatium aliquod in determinata diſtantia poſitum, ſitum eorum, quæ ſita ſunt, menſurans.* Hæc Definitio ſuo Genere, & Differentia conſtat, vt conſideranti patebit: nam illæ particulæ, *Spatium quoddam in determinata diſtantia poſitum*, ſtant loco Generis, per quæ cum omnibus ſpatijs locus conuenit, reliquæ differentiæ locum adimplent. Conuenit omnibus Definitis; nam nullus reperitur locus cui non conueniat: nam homo reſpectu Vniuerſi, dicitur eſſe in terra; reſpectu terræ dicitur eſſe in Continenti, vel in mari; reſpectu Regionis eſſe in Europa, reſpectu Regni in tali ciuitate, reſpectu Ciuitatis in tali Domo, vel Platea, reſpectu Domus in tali cubiculo &c. Nam omne illud loci nomen haber, per quod reſponderi poteſt ad quæſtionem, *Vbi eſt.* Confirmatur autem primò Authoritate D. Ioannis Damaſceni *in Phyſic. cap.* 10. *De loco. pag.* 411 *col.* 1. *lit. C.* dicentis. *Itaque præclarè locum definiunt, qui ipſum, ſitus eorum, quæ ſita ſunt, menſuram eſſe aiunt.* Secundò Confirmatur Geometrarum, & Geographorum placitis; hi namque locorum diſtantias ope meridiani circuli, & Horizontalis metientes, locorum latitudinem a diſtantia Horizontis a Polis, longitudinẽ verò a diſtãtia ab Inſulis Canarijs ſumunt.

2 Hinc optimè D. Iuſtinus Martyr Ariſtotelẽ redarguit, qui cælum non eſſe in loco contendit; ea tantummodo ratione ſuffultus, quia a nullo ambiente corpore continetur; quod ex noſtra poſitione oſtenditur falſum; nam & ſpatium ſuam quantitatem adæquans, & menſurans occupat Cælum, nam & eius quantitas tam quoad ſuperficiem concauam, quam conuexã menſurabilis eſt; & etiam ſi ſemper mouetur Cælum extimum (apud Ariſtotelem) modo pars Cæli dicitur eſſe in parte ſuperiori modo in inferiori, &c. ſed hæ ſunt loci differentiæ, ergo Cælum eſt in loco. Non requiritur igitur ad eſſentiam loci, quod ſit corpus, aut corporis ſuperficies continens locatum; ſed ſufficit ſpatium occupatum, occupantis corporis commenſuratiuum: ſed audiamus arguentem D. Iuſtinum Philoſ. Mar. euerſ. Dogm. Ariſ. *num.* 29. *ex* 4. *lib. Phiſ. pag.* 133. *lit. B. Si cælum per ſeipſum in loco non eſt: quomodo, dum circulari fertur dilatione, partes eius ſupernæ deorſum, infernæ ſurſum vergunt? (at quod partibus ſuis ſupra, & infra eſt, ipſum quoque per ſe ipſum ita eſſe neceſſe eſt.) Qui igitur illud falſum non eſt, Cælum non eſſe in loco?* Itaque continentis corporis ſuperficies, ad locandum impertinens omninò eſt, cum ſpatium determinatum, & commenſuratiuum ſufficiat.

3 Quibus autem eſſe in loco conueniat oſtendemus. In primis certũ eſt quantis corporibus hoc verè, & propriè conuenire, nam quod quantitatem non habet, nec menſuræ capax eſſe poterit. Quapropter optimè dixit Magiſter meus Scotus *q.* 11. *Quolibet. art.* 1. *ad primum. Corporeitas eſt ratio fundamentalis reſpectu huius, quod eſt eſſe locabile, & reſpectu huius etiam quod eſt locari:* Ex quo ſequitur, quod eſſe in loco propriè ſolis corporibus quantis conuenit: Eſſe autem in loco nihil aliud ponit niſi præſentialitatem rei ad ſpatium, quæ eſt relatio rei locatæ ad talem locum, non enim præſentialitas ſupra locum, & locatum aliquid addit, præter reſpectum locati ad locum, & loci ad locatum. Ita magiſter meus docet: *in* 4. *ſent. diſ.* 6. *quæſt.* 10. §. *contra iſtud. pag.* 64. *lit. C. Vbi non eſt niſi reſpectus quidam corporis circumſcribentis ad locatũ, vel locati ad corpus circumſcribens.* In re enim ita eſt, vbicatio enim reſpectus eſt, ſed ſpatij menſurantis, ſeu locantis ad corpus menſuratum, ſeu locatum. Quæ Sententia, & ſi parum Ariſtoteli arrideat; Platonicorum tamen eſt, & eam Platonicorũ Coriphæus Plotinus docet, inquiens. *Ennead.* 6. *lib.* 9. *cap.* 14. *pag.* 38. *lit. B. Præterea ſi quoties hunc eſſe hic affirmamus, non ſimplicem eſſe dicimus, habitudinem aliquam procreamus, tum huius in hoc, tum eius, quod ſuſcipitur, ad id quod ſuſcipit; Cur non hoc ipſum in relatiuorum numero ponimus? Si quidem ex vtriuſque habitudine ad vtrumque, aliquid generatur.* Secundò vltra quantitatem, ad eſſendum in loco requiritur indigentia, ea enim locum neceſſario requirunt, quæ conſiſtere per ſe non poſſunt, & propterea indigent ſuſtentaculo, quæ egeſtas corpoream, grauemque quantitatis molem conſequitur. De hac idem Plotinus. *loc. cit. lib* 1. *cap.* 7. *pag.* 764. *lit. E. F. Quod in alio fundatum eſt, vita vacuum indicatur; moleſque labans, niſi fortè ſuſtineatur: quod autem quærit locum proculdubio eſt egenum.* His igitur duabus de cauſis, corpora quantitatiua verè, & propriè in loco eſſe dicuntur. Locus inſuper diuiditur in locum naturalem, & violentum, ſeu potius accidentalem: locus naturalis eſt ille, in quo corpus naturaliter quieſcit, & in quem ex ſua natura, niſi impediatur, ſe mouet; Accidentalis eſt, in quo corpus non quieſcit, ſed ab illo ſe naturaliter moueret, niſi impediretur, & abſolutè locus, qui naturalis non eſt, accidentalis nominatur. Naturalis locus rurſus diuiditur in vniuerſalem, & particularem: Vniuerſalis locus eſt ſpatium conueniens ſecundum ordinem totius: ſic V. G. medium Vniuerſi eſt locus terræ, Terra eſt locus Animalium, Aqua Piſcium, Cælum ſyderum, Ciuitas Incolarum &c. Particularis locus eſt ſituatio partium vnius particularis corporis; ſic in homine locus ſuperior eſt Capitis, &c. Ita de locorum diuiſione tradit D. Io: Damaſcen. *in Phyſic. c.* 10. *pag.* 410. *lit. D. &* 411. *lit. C, Duplex eſt locus, alter naturalis, alter ex accidenti:*

Duplex

Duplex eſt naturalis locus, alter propriarum cuiuſq; rei partiũ apta collocatio, per quam caput, & pedes cæteraq; membra in Animali, certo modo ſita ſunt ſecundum rationes membrorũ inter ſe, atq; etiam ad totum Animal habita ratione. Alter Secretio, & ſors ad cõtinendas ſingulas Mundi partes: quo ſignificatu locus Terræ dicitur media mundi regio. In his autem locis eſſe ſolis quantis corporibus conuenire ex hucuſque declaratis conſpicuum eſt.

4 De Angelis poſito quòd omnino corpore careãt, vt communiter tenetur; (nam ſi aerea conſtent materia, de ijs, ſicut de corporibus philoſophandum eſſet) & alijs (ſi aliquæ ſint immateriales ſubſtantiæ) huiuſmodi, dicendum re vera in loco non eſſe; ea ſcilicet ratione, vt non poſſint eſſe ſine illo, ſicuti de corpori dictum eſt; nam quantitatem qua vel menſurentur, vel contineantur nõ habent: Vnde benè poſſet Angelus exiſtere nullo coexiſtente materiali loco, & etiam eo exiſtente abſque illo, & extra illum; nullam etenim immaterialis ſubſtantia de ſua natura connexionem cum materiali corpore habet. Ita Sacræ Theologiæ maiora lumina ſentiunt. Docet in primis D. Thomas *1. part. quæſt. 52. artic. 1. in corpore. Dicendum quòd Angelo conuenit eſſe in loco, extrinſecè tamen dicitur Angelus eſſe. Per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum, qualitercumque eſt in loco.* Oſtendit etiam Scotus *in 4. Diſ. 2. quæſt. 6. in corp. §. Ad propoſitum de Angelis dico, quod Angelus non neceſſario eſt in loco: quia multo magis poſſet fieri Angelus ſine creatione creaturæ corporalis, vel facta creatura corporali, poſſet fieri extra vllam creaturam corporalem.* Hæc ſententia probari poteſt ex materiali qualitate, qua Angelos, ſeu ſubſtantiam immaterialem carere certum eſt: omne enim locatum debet habere partes, quæ menſurentur a loco, ſed ſubſtantia immaterialis quantitatiuas partes non habet, igitur ei non conuenit eſſe in loco. Confirmatur ex Diuo Anſelmo. *in monolog. cap. 27. tom. 3. pag. 11. lit. D. Quoniam itaq; hæc eſt loci, vel Temporis ratio, vt tantummodo quidquid eorum metis clauditur, nec partium fugiunt rationem, vel qualem ſuſcipit locus eius ſecundum quantitatem, vel qualem patitur tempus eius ſecundum diuturnitatem.* Igitur locati, & temporalis ratio exigit vt habeant partes, vel permanentes, vel ſucceſſiuas, quantitatiuas tamen, quæ vel a loci, vel temporis partibus commenſurari poſſint; verùm communis eſt ſententia immaterialem ſubſtantiam tempori non ſubiacere; nec loco igitur. Quia verò non ob quantitatis defectum, quia carent tempore, carent menſura, ſed ſuo modo menſurantur, non quidem tempore, ſed alia immateriali menſura, quæ a multis Æuum, a nonnullis tempus diſcretum nuncupatur: ita pariformiter ſuo modo ſunt in loco, ſed immateriali, & intellectuali modo, vt inquit Damaſcenus. *Angelus autem, & ſi corporis in modum non ita in loco contineatur: in loco tamen eſſe dicitur; quia intellectuali modo adeſt, atque, vt ipſius naturæ conſentaneum eſt, operatur, nec alibi eſt, verum intellectualem in modum illic circumſcribitur vbi operatur. D. Ioan. Damaſcen. lib. 1. Orthod. Fid. cap. 17. pag. 170. lit. A.* Ex quibus verbis optimè colligit Angelicus Doctor, loc. cit. Angelum eſſe tantummodo in loco per operationem: quaſi dicat: Angelus re vera in loco non eſt; tamen ibi aliqualiter dicitur eſſe, vbi operatur: & cum eius potentia operatiua ad certum ſpatium a Deo conſtringitur, dicitur in illo ſpatio eſſe, ſed impropriè; ſic Angelus mittitur de cœlo ad terram quando operatur in terra; & Diabolus fuit electus de cœlo, quia a Dei viſione remotus, & religatus in inferno quia ibi, & vim habet operãdi, & dolorem patiendi. Hanc exiſtentiam Angeli in loco Scotus loc. cit. impugnat; ſed pace mei Magiſtri, malè; nec eius rationes aliquid habent vigoris, ſi ita explicetur, vt nos dicimus: nec fortaſſe in hoc ſenſu ab ipſo impugnatur.

5 Hinc colligitur ſubſtantiam immaterialem, dum eſt in ſpatio quantitatiuo, minimè ab eo contineri, ſed potius continere ipſum; quod de rationali Anima euidens eſt, non enim continetur a corpore, ſed ipſum ſuum ſeruat, & continet corpus; vnde cùm ita corporalia organa diſſipantur, vt operari tollatur animæ, ipſa anima recedit, nec amplius informat ipſum corpus; qua recedente totum deſtruitur corpus; ſed anima eſt in corpore, non ſolum, vt locata, ſed vt forma: & tamen cum operatur ineſt, & è conuerſo. D. Damaſcenus hoc declarat, *loc. cit. pag 170. lit. B.* inquit namque. *At vero Anima toti corpori tota, at non pars parti, aſtricta eſt: nec eo continetur, verum ipſum continet, ac in eo degens muneribus ſuis perfungitur.* Ea igitur de Anima a corpore ſeparata, quæ de Angelo dicenda erunt.

6 Tandem Deo in loco eſſe nullo modo cõuenit, nam in ſe ſubſiſtit, neque extra ſeipſum eſt; & quia ad exiſtendum & operandum nullo indiget nullo modo in loco eſt; ita Plotinus *Ennead. 6. lib. 9. cap. 6. pag. 764. lit. E. Locus item huic*, Deo ſcilicet, *Eſt nullus; nullo enim indiget fundamento, quaſi ſe ſubſiſtere non poſſit.* Sed cur eſſe in cœlo ſcriptura commemorat, & vbique exiſtere, prædicant Sancti? Certè ipſe per os Iſaiæ *cap. 66. verſ.* 1. dixerat; *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Sed reſpondet citatus Damaſcenus; Deum re vera in loco non eſſe vt entia quæcumque in loco eſſe dicuntur; ſed dicitur eſſe vbique, quia vbique operatur, omnia ſuſtinet, & conſeruat; vnde eſſe Dei vbicumq; dicitur eſſe, operari eſt. *Et quidem Deus haudquaquam in loco eſt: ipſe enim ſui ipſius eſt locus omnia implens, ac ſupra omnia exiſtens, omniaque ipſe complectens. Et tamen in loco eſſe dicitur, ibiq; Dei locus eſſe aſſeritur, vbi perſpicua eius operatio exiſtit. Damaſcen. loc. cit. cap. 16. pag. 169 lit. C. D.* Hac de cauſa in cœlo dicitur per antonomaſiam eſſe quia ibi perfectiſſimum ſui amoris effectum, ſcilicet Sanctorum infinitam, & glorioſam beatitudinem operatur. Neque diſſonat ab hoc Platonicus excellentiſſimus, inquiens. *Non enim poſitus eſt Deus alicubi, vt deſtituat alia, ſed vbicumque eſt quod poſſit attingere, ipſe Deus eſt præſens, ſolum non potenti non adeſt. Plotinus loc. citato, capit. 7. pag. 765. lit. C.* Deo igitur abſolutè eſſe alicubi non competit; & tamen vbique ab eius operatione ponitur: non tanquam in loco exiſtentiæ, ſed operationis. Hæc re vera cum ita ſint noſtro captui difficilia videntur, quia imperceptibilia ſunt; nobis enim ad materialia dignoſcenda aſſuetis, etiam immaterialia, corporeis neceſſitatibus alligandi datur occaſio: nam neque diſtintè ea, quæ ſenſuales ſpecies non habent, cognoſcere valemus.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

ADmirabilem Sapientiæ Solem in varia Montium ſituatione, fertilitate, atque vtilitate rutilantem reſpeximus: paterna etenim charitate in filios ſuos prouidus, ſapienter, & amanter omnia ad humanam vitam pertinentia direxit, & ordinauit. Enim verò, ſi corporis ſeruandi tanta extitit

cura,

cura, haud ſapientia animum eſt oblita; vt enim corpora mundo vterentur, Montes, valleſque diſpoſuit, vt autem Animi ipſo Deo fruerentur, eamdem diſpoſitionem hoc Prophetæ cantu concinnauit, vt & ad mores componendos prodeſſet, quod vitales artus nutriebat. Aſcenſus iſte Montium, valliumque deſcenſus, ita memoratus, cum aliàs ad oculum pateat, myſterio nequaquam vacare credendum eſt. Myſticos ergo montes, morales Valles, mirabiles deſcenſus, aſcenſioneſque declaremus.

SVMMARIVM.

1 *Contemplatione ad Deum, & cæleſtia mens aſcendit.*
2 *Prælatorum vita perfectior alijs eſſe debet.*
3 *Eccleſia ſanctorum doctrinis, & virtutibus proficit.*
4 *Vnuſquiſque ſecundum propriam conditionem Deo ſeruire debet.*
5 *Deus ſuperbos quandoque ex improuiſo humiliat.*
6 *Perfectionis ſtudoſi ad proximorum auxilium deſcendere debent.*

§. I.

Contemplatione ad Deum, & cæleſtia mens aſcendit.

1 A*Scendunt Montes, &c.* Montis nomine altiſſimum contemplationis gradum intelligi, apud omnes Theologiæ myſticæ ſtudioſos in confeſſo eſt: Ab Atlantide, & ſimilibus montibus ſumpta metaphora, qui cælum contingere videantur. Hinc ſequitur contemplatiuos omnes, qui culmen perfectionis aſſequuntur, quaſi cælum, non manu, ſed amoroſo affectu tangentes, Montis nomen promereri. Non abs re eſt igitur per montium Aſcenſionem, hic deſcriptam, intellexiſſe Prophetam animas illas felices, quæ a mundanorum tumultu ſegregatæ, cæleſtium meditationi, & contemplationi vacantes, in terris cum ſint, in cælis tamen viuere videantur. *Aſcendunt montes*; montes ſunt qui Deo viuunt, qui Deum ſapiunt, qui Deum contemplationis volatu aſſequuntur; In cælo ſunt, qui terrena non norunt, temporalia faſtidiunt, æterna ſectantur; *Aſcendunt montes*, dum cordis deſideria eo vertuntur, vbi ſperant ineffabili voluptate frui, & in locum eis fundatum aſcendunt, nam illa Beatorum eſt Patria; & incipiunt Cæleſtis Ciuitatis fieri Ciues, qui ſibi omnium bonorum Fonti deſeruiunt, qui ſibi vltimo intellectualium creaturarum fini charitate adhærent, meditatione iunguntur. O quam benè tunc *Aſcendunt Montes in locum, quem fundaſti eis*: quia ibi in æternum manſuri ſumus; Terra hoſpitium eſt, Patria Cælum; iam ad Patriam tendit qui cæleſtia meditatur: Hoc ſanè cognouit Hugo doctrina, & honore eminentiſſimus *in Pſal.103. Aſcendunt Montes*; *Montes ſunt contemplatiui, qui aſcendunt contemplando, & deſiderando in Cælum, quod eſt locus, quem Dominus fundauit eis ad aſcendendum.*

2 Ita igitur aſcendentibus Montibus Cælum ipſum contingunt, quia quantum Deum viatoribus comprehenſibilis eſt, tantum in contemplatione cognoſcitur: & hoc ex Iobi verbis colligitur; inquit namque: *Forſitan veſtigia Dei comprehendes? cap.11.v.7.* Quid eſt enim veſtigia Dei comprehendere? Hoc ni fallor contemplari ipſum eſt: nam cum nullus animus, adhuc in mortali poſitus corpore Dei eſſentiam, reuelata facie, contemplari poſſit, reliquum eſt, vt ſaltem eius veſtigia aliquo modo cognoſcat. Vt plurimum homines, cum ſibi carorum præſentia denegetur, in eorum imagine delectantur: ibi amati vultus contemplatur imago, ibi deſideratæ perſonæ non deſiderantur lineamenta; amica ſpeculatur frons, oris venuſtas apparet, manus ſeſe affabiliter offerunt; ſic nutritur affectus, dum ex ficta amici imagine in mente ſpecies renouantur; nec abſentiam, niſi verba tãtummodo deficientia, euincunt: Ita animus aliquantulum ſolatur, dum nec omninò amata facie caret. Ad hunc itaque modum Deo dicata mens, dum Dei abſentiam parum patienter ſuſtinet, cum amore æſtuans tanti boni carentiam ægrè fert, contemplatione erigitur ad eius cognitionẽ, & licet Deum ipſum videre nequeat, nihilominus tamen, eius imagine, ac veſtigio fruitur; dum ex ijs, quæ ab ipſo operata ſunt mirabilia, Deus ipſe quodammodo appareat; & ita de eius meditatione gaudet, cuius aliquando gloriam conſequi non deſperat. Audiamus verè magnum Gregorium. *lib.10.cap.6.mor.to.2.pag.548.lit.E. Quid Dei veſtigia, niſi benignitatem illius viſitationis vocat? quibus nimirum progredi ad ſuperna prouocamur, cum eius ſpiritus afflatu tangimur; & extra carnis anguſtias ſubleuati, per amorem agnoſcimus contemplandam Authoris noſtri ſpeciem, quam ſequamur.* Hæc ille. Species beata Dei, quæ cæleſtes delicias viatoribus, quantum fas eſt elargitur.

3 Sponſa illa ſapientis Epithalamio celebris, *Animam* Dei amatricem ſignat, hæc enim veri Salomonis, ſummique Regis Chriſti, ſponſa eſt. Quapropter myſterio non vacat, quod in eius laudem dicitur. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Cantic.c.8.v5.* Anima ſcilicet, quæ de deſerto temporalis vitæ media contẽplatione aſcendit; & benè dicitur, *delicijs affluens*, & *ſuper dilectum* innixa; nam dum myſteria ſponſi ſui deuota meditatione percurrit ab ipſo viciſſim ſubleuatur, & ſpiritualis dulcedinis tota repletur. Aſcenſus in montem difficilis eſt, & magno ſociatus labore, ſed ſuaui recreatione permixtus, nec non maximo propoſito præmio, quilq; aſcendere feſtinat. Ita pariformiter, contemplatione in ſummum apicem perfectioni aſcendere, difficile eſt, nec tedio carens; at Chriſti dulcedine comitante, Deiq; fruitione propoſita, ſegnis nullus eſt animus, lætanter ſuſcipitur iter, delectabiliter terminatur. Ita D. Gregor. *lib.16.cap.9.pag.669.lit. B. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens. Delicijs ergo affluit, & aſcendit, quia dum myſticis intelligentiis paſcitur ad ſuperna quotidiè contemplanda ſubleuatur.* Sic in terris poſita cælo fruitur, & adhuc mortalis, immortalium conuerſatione lætatur.

4 Deſpiciat omnia terrena neceſſe eſt, quæ tanta fruitur voluptate, quæ mens mundana deſiderabit labentia gaudia, dum de diuina ſocietate delectatur? cæcus eſt qui tenebras amat, dum Solis æterni illuminationem meretur. Inuitauerant ad prandium Dominum noſtrum duæ mulieres, ſorores carne non ſolum, ſed ſpiritu; Deum quem diligebant honorare, vtriuſque labor erat; attamen Martha temporalia bona ei erogare ſatagebat, dum in parando prandio nimis ſollicita videbatur: e contra Maria cor illi, & mentem offerebat, dum ſecus eius pedes ſedens cæleſtia meditabatur, proxima Chriſto corpore, ſed mente vicinior, dum contemplatione ſupra ſydera rapiebatur: indignè hoc ſoror ferebat, & quæſta eſt de ſororis otio; ſed Chriſtus

eius

Digitized by Google

eius perfectionem apériens teſtatus eſt: *Maria optimam partem elegit*: fructuoſum eſt, nec merito caret paſcere Dominum corporali cibo, ſed melius eſt ipſum amore ſpiritualiter alere: Tu vides o Martha meam humanitatem, Maria Deitatem; quod oculo non poteſt, animo contemplatur; ſedet, ſed volat, hic iacet, & cælo aſſiſtit; magis ipſa clauſis oculis videt, quam tu intuendo: *optimam partem elegit*, quia ad montem Diuinitatis pennis contemplationis aſcendit. Aſſentitur Doctor Seraphicus, inquiens. *De ſept. itiner. Aeternit. Diſ. 5. to. 7. pag. 168. col 1. lit. C. Quæ eſt pars optima, quam elegit Maria, niſi vacare, & videre quam ſuauis eſt Dominus? Nam Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiuit verbum illius. Summam itaque Sapientiam Dei in carne latitantem, quam oculis carnis videre non poterat, audiendo intelligebat, & intelligendo videbat, quia credebat; & ad hunc modum ſedendo, & audiendo ſummæ Veritatis contemplationi vacabat.* Vt mons Maria aſcendendo, licet radices in terra firmaret, in cælo verticem erigebat; contemplando eleuabatur, & volabat amando.

5 Hanc Redemptoris reſponſionem ad Martham in Canticis figuratam fuiſſe exiſtimo. Sponſi affabili conuerſatione delicians, obdormierat ſponſa, nam dulcedinem verborum ſuorum prælibans, in ſuauem ſoporem clauſerat oculos; aderat adhuc ſponſus quietis eius Cuſtos, vnde alias mulieres appropinquare videns, eas coniurat, ne Dilectam ſuam importuno ſtrepitu excitare velint: *Cant. cap. 3. verſ. 5. Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam*: Quaſi diceret: o Martha, o Anima ſpiritualis quæcumque ſis, quæ ſollicita es circa plurima, quæ in vita occuparis actiua, ne turbes otium Mariæ, ne rumpas dulcem contemplantis ſoporem: hic ſtatus eſt optimus, nam in eo me amat, me tenet, in me deliciatur, me fruitur: dormit quidem Corpus, ſed vigilat cor; dormit mundo, Deo vigilat; ſenſum non habet quo vos videat, habet mentem, qua me reſpiciat: Ne putetis hunc ſomnum mortis imaginem eſſe, perenniter viuit qui Deo fruitur. Hæc ſunt Domini Verba; nos autem reſpondere oportet cum doctiſſimo Origene. *ap. D. Bonauenturam loc. cit. col. 2. lit. C. Coniurationem tuam audiui Domine, quam, ni fallor, ſponſæ tuæ actus, & ſtatus cauſabat, ſtatus optimus, actus præcellentiſſimus, tibi incumbens ſine medio, te videns ſine nubilo, in te quieſcens ſine tedio, de te hilareſcens ſine modo, a te permanentiam accipiens ſine termino*. Non ergo euigilabimus eam, ſed ſanctè eius conuerſationem inuidentes, ad te vota noſtra pro tanti ſomni aſſequutione feremus.

6 Iſraelitarũ gentium Patriarcha Iacob primitus vocabatur, vſquequo diuinarum viſionũ merito, nomen *Iſrael* a Domino meruit: *Gen. c. 32. v. 28. Nequaquam inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael*. Porro ישראל interpretatur, *vir videns Deum*. Quomodo autem viderat Deum Iacob? dormiendo vtique in via. Iacob igitur in via dormiens viatorem hominem ſignat; qui omnibus rebus tranſitorijs abdicatis, mundo deſpecto, macerata carne, calcatis honoribus, nec aures habet, quibus mundanorum vanas prætenſiones audiat, nec oculos, quibus apparentes ſæculi figuras intueatur, nec guſtũ, quo caducas, & labiles voluptates ſentiat, nec olfactum, cui ſuauitas terrena ſapiat, nec tactum, cui ſenſibilis mundus exiſtat, ſed clauſis oculis ſæculo, ſenſibus in perfecta mũdi abdicatione ſopitis, contẽplationi vacans, Deo vigilat; via reperitur, viator eſt, extra diuinã patriam exul excurrit, dormit tamẽ, quia ſomno approximatur Deo: meditãdo in Cælo eſt. Nõne aliquis a ſua Patria exul factus, ſuã peregrinationẽ ægrè ferendo, illam ardenti cupiditate deſiderans, ſi ſomno captus ſe in Patria eſſe ſomniaret, ſalutare amicos, reuereri parentes, conſanguineos viſitare, omnibus cara neceſſitudine frui, nonne ille gauderet, & ſomnum perpetuum optaret? Ita prorſus. Quid ergo mirum ſi humanus animus, a Paradiſo peregrinans, ſomnum contemplationis in via procurat, per quem Dei, cæleſtiumque imagine fruitur? Peroptimè Seraphicus Doctor. *loc. cit. lit. B. Per Iſrael videntem ſignatur vita contemplatiua, quia in via dormiens cæleſtia contemplatur. Quid autem eſt dormire in via, ait Gloſſa, niſi in præſentis vitæ tranſitu, a rerum temporalium amore labentium, oculos mentis claudere?* Optabilis profecto ſopor, dulcis quies, quæ nos mundo tollit, Cælo nectit, terrenorum prohibet ſenſum, ſed ſpiritualium contemplationem inducit.

7 Cum vellet amantiſſimus Saluator noſter, cæleſtis beatitudinis imaginem ſuis carioribus demonſtrare, illos in ſublimem duxit montem; ibi orationi vacans, in cœleſtium corporum ſplendorem mutatus eſt, Ita vt nec fulgorem Sol æquaret, nec candorem nix ſuperaret; tanta erat, & tam mirabilis viſio, vt eam ſuſtinere nequeuntes diſcipuli, in faciem ſuam ceciderunt in terram. Hanc deſcriptionem a Luca accipiamus: *c. 9. v. 28. 29. Aſſumſit Ieſus Petrũ, & Iacobũ, & Ioannem, & aſcendit in montem, vt oraret. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus eius altera: & veſtitus eius albus, & refulgens*: Hæc autem transfiguratio Chriſti Animæ per contemplationem in Deo ſe transformantis figura eſt; Etenim cur in monte voluit Chriſtus transfigurari, cœleſtemque, ac beatam induere ſpeciem? Cur orando, & non aliud peragendo immutatus eſt? Quia ſignificabat ſpiritualem mutationem, quæ in Anima orationis, & contemplationis medio fit, nam & ſi non facie, corde tamen transfiguratur; non beatorum corporalem ſplendorem in vultu referens, ſed ſanctarũ animarum viſionem, fruitionemq; mente concipiens. Teſtatur hoc Euthimius *ap. Ioſeph. ſperanza punct. 30. pag. 80. col. 1. lit. A. Et facta eſt dum oraret ſpecies vultus eius altera: Potuiſſet enim vel cum Apoſtolis loquẽdo, vel aliter tranſfigurari, ſed id voluit orando, vt vim orationis exprimeret*. Per eam enim in montem perfectionis aſcendit cor, & Dei in terra fruitur ſocietate.

8 Hoc itidem in Moyſe manifeſtè conuincitur. Legem populo ſuo dare Dominus diſponebat, cuius miniſterium Moyſi demandauerat: cum autem id executioni mandaretur, in montis Synai verticem legem accepturus aſcendit; & ſtatim diuinæ gloriæ ſplendor montem occupauit: *Exod. cap. 24. verſ. 15. Cumque aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Synai*. Sed dico. Nunquid non vbiq; Dominus eſt? Nonne vbique demonſtrare ſuam gloriam poteſt, & legem dictare? Equidem Iacob bis in plano dormienti viſus eſt; in ſuo tabernaculo Abrahamo apparuit, & Domi Noe Arcæ fabricam demandauit: Cur ergo, vt oſtendat Moyſi gloriam ſuam, montem aſcendere iubet? Id in cauſa eſt, quod ille montis aſcenſus contemplationem adumbrat: quia verò, vt nos Dei conuerſatione fruamur neceſſe eſt a terrenarum rerum occupatione recedere, & in Deum meditando aſcendere, vt ſic ea, quæ ſupra noſtram poſſibilitatem ſunt, capere, ſubleuati diuina virtute poſſimus, ideo in montem aſcendere dicitur, qui ad contemplandam Diuinitatem accedit. Mons ſiquidem contemplatio eſt, in quam ſi aſcenderimus, gloriæ Domini imaginem perſpiciemus. Ita Diuus Gregorius. Magn. *lib. 5. cap. 16. mor. to. 2. pag. 424. lit. A. Quam benè in ipſa legis acceptatione ſignatur, cum dicitur; quia Moyſes aſcendit, & Dominus deſcendit in montem. Mons quippe eſt ipſa noſtra contemplatio, in quam nos aſcendimus, vt ad ea, quæ vltra infirmitatem noſtram ſunt, videnda ſubleuemur*. Subleuantur itaque mentes, aſcendunt montes in illius loci deſiderium, quem ab initio mundi eius Dominus fundauit.

9 Cælorum, Terrarumq; Monarcha ſuæ gloriæ ſpeciem familiari ſuo Ezechieli oſtẽdit: eiq; in fulgẽtiſſimo, apparens ſolio, Diuinæ maieſtatis ſuæ magnificentiam aperuit. Inter alia, quæ illius potentiam oſtendebant,

Digitized by Google

quatuor Animalia erant, quæ monſtruoſo vtique, ſed myſterio ſo vultu ſolium circuibant: & ne ad imperata ſegniora viderentur, vnunquodque illorum quatuor facies, & alas quatuor habebat. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Ezechiel.cap.1. ver.6.* Illud autem in rem noſtram facere videtur, quod alas iſtas, & vultus iſtos deſuper ſolium verſus extendebant; *v.11. Facies eorum, & pennæ eorum extentæ deſuper.* Et ne in rei tantæ inueſtigatione fatigaremur, quid hoc eſſet declarauit Propheta; nimirum imaginem, ſeu ſimilitudinem quamdam Diuinæ Gloriæ: *cap.2 verſ.1. Hæc viſio ſimilitudinis Gloriæ Domini.* Viua & vera contemplantis Imago in illo ſymbolico animali cernebatur; nam dum alas deſuper extendebat, mentem ad cœleſtia contemplatione volantem ſignabat; nam omnis animæ ſanctæ conatus in contemplando eſt, ſupra ſe tolli, humana obliuiſci, caduca deſpicere, meditari diuina, cęleſtia conſequi: vti docet D. Gregorius *in Ezechiel. Homil.4.tom.2.pag.1249.lit.D. Facies eorum, & pennæ eorum extentæ deſuper deſcribuntur, quia omnis intentio, omniſque contemplatio Sanctorum ſuper ſe tendit; vt illud poſſit adepiſci, quod in cæleſtibus appetit.* Aſcendere opus eſt, alas inducere, vel in montem excreſcere, qui cæleſtium gaudiorum imaginem, adhuc corporis clauſus carcere, contemplari deſiderat; neque ad cadendum pennæ requiruntur.

10 Quod ſi ad cęleſtia tendendo Mons euadit Mens; illud præcipuè debet aduertere, montis ſimilitudinem, & poſitionem imitari. Etenim mons ſolas radices in terra ſiſtit, verticem verò ſemper inter ſydera, & cæleſtes impreſſiones extollit; haud ſecus facere debet Animus; nil terrenum ſapere niſi ea tantummodo, quæ ad vitæ mortalis conſeruationem neceſſaria ſunt, deſiderium verò ſemper in cœlis, & circa Deum eſſe debet. Hoc exactiſſimè obſeruabat Rex ille ſantiſſimus, qui inter Regni gloriam Deum ſitiebat; neque tot Regnorum ſuorum deliciæ ad extinguendam cœleſtium ſitim ſufficiebant: *Sitiuit*, canebat, *Anima mea ad Deum fontem viuum*: multi fontes e terra ſcaturiunt, ſed terram ſapiunt, faſtidiunt, non delectant: Deum ſitio; quia Mons per contemplationem effectus, omnes huius ſæculi voluptates contemno; hic eſt diuini ſpiritus præſtans effectus, qui dum cæleſtibus inſerit, a terrenis amouet; *Nunc autem*, addit Gregorius, *lib. 10. cap.6.mor.pag.549.lit.B. a carnali cogitatione animum infuſi ſpiritus gratia ſubleuat, & in contemptum rerum tranſeuntium exaltat; totumque Mens, quod appetebat in infimis deſpicit; atque ad ſuperna deſideria igneſcit, & contemplationis ſuæ vi extra carnem tollitur.* Montes ergo ſumus o deuotæ mentes, vt montes recedamus a terra, vt cæleſtia contemplantes Dei ipſius conſortium mereamur.

§ II.

Prælatorum vita alijs perfectior eſſe debet.

1 ASCENDUNT *Montes &c.* Montes ſecundum propriam eorum quidditatem partes terræ ſunt celſiores, & eminentiores cæteris: quapropter eorum interpretatione ad moralem intelligentiam reducta principales in populos, vt Reges, Principes, Magiſtratus, Nobiles ſignificare debent montes. Præcipuè verò per Montes Eccleſiarum Prælati, ac Præfecti intelliguntur Hi quippe inter ſubditos eminēt imperio, dignitate, & honoribus. Enim verò, nō ſola dignitate, nec ſola poteſtate ſubditos præcellere debent, verum etiam virtute moribus, honeſtate; quæ virtus in ſubdito ſufficit, debet eſſe eminentior in Prælatis: Valles ſunt ſubditi, his non neceſſaria aſcenſio, at Montibus omninò; nam niſi aſcendant; niſi eorum morum honeſtas inter reliquos emineat, non erunt Montes, Prælati decorem amittunt: Deus fundauit montes, fundauit valles, ſubditos conſtituit, & Prælatos ordinauit; & ſicut montes iuſſit aſcendere, deſcendere valles, ita vult bonos ſubditos, Prælatos optimos: nec quælibet bonitas ſufficit in Montem ſe attollenti. Ita B. Albertus Mag. *in Pſalmus 103. Aſcendunt Montes; Montes ſunt Prælati, qui debent aſcendere ſurſum in locum, quem fundauit eis Deus, ſcilicet vt vita eorum emineat ſuper alios.*

2 Apoſtolos erudiens Seruator humani generis, quomodo ſe in regendis fidelibus gerere ſe deberent, illud in primis eis aduertit, ſe mundi lumen eſſe. *Vos eſtis lux mundi: Matth. cap.5. verſ* 14. Vt pro certo haberent Eccleſiarum Prælati, id muneris moraliter in Eccleſia ſuſcepiſſe, quod Sol & Aſtra in mundo tenent: Niſi enim Aſtrorum lux eſſet, vtique tenebris obrutus mundus, neque viſibilis eſſet, neque Animantia in ipſo perfectiores operationes exequi poſſent; idcirco lux eſt exorta, hoc eius creationis fundamentum, vt illuminarentur terrena, illuminata in prætio haberentur. Ita pariformiter Populi fideles in operando tenebræ ſunt, nam ſine Rectore per inuia, per deuia delabuntur, & pereunt: Prælati ergo lux ſunt, quæ illos regunt, & ad perfectam conuerſationem erudiunt. Porro maior radiorum, luminiſque congeries in ipſa luce requiritur, quam in obiecto, cum ad viſibilitatem quodlibet lumen ſufficiat, ad rationem verò lucis requiratur non ſolum lumen, ſed principium intrinſecum luminis productiuum. Ita in Prælatis maior perfectio conuerſationis, maior morum honeſtas, maior virtutum exercitatio, ne ſolum illuminati, ſed apti ad illuminandum appareant. Quod inſinuare videtur Sapientiæ oraculum D. Auguſtinus. *Hipp. epiſc. lib. 1. cap. 6. De ſermone Domin. in mon. tomo quarto. Vos eſtis lumen mundi: Hic mundum non cælum, & terram, ſed homines, qui ſunt in mundo, vel diligunt mundum oportet intelligi, quibus illuminandis Apoſtoli miſſi ſunt.*

3 Ex quo nobis illuſtratur intelligentia ad alterius ſcripturæ explanationem: Regius Vates Dominum, Deum orans cecinit: *Pſal.17.verſ.29 Quoniam tu illuminas Lucernam meam Domine Deus meus, illumina tenebras meas.* Verùm hæc verba ſibi cohærere non videntur; etenim ſi Deus Lucernam illuminauit, quid neceſſe erat adhuc petere tenebrarum illuminationem? ſufficiebat namque tenebris adhibere iam lucentem lucernam, quæ ſuo lumine tenebras profugaſſet. Vt hæc difficultas enodetur, necnon Prophetæ ſenſus ad noſtrū intellectū exponatur, ad hæbraicā literā recurrendū eſt: ibi illa duo verba *illuminas, & illumina* ambo sūt futuri temporis: deinde non eſt idem Verbum, ſed primo loco poſitum eſt תאיר *tahir*, quod deriuatum a verbo אור *Hor*, quod propriè lucere ſignificat (nam אור *Hor* dicitur lux) debet interpretari *lucere facies lucernam meam.* Secundo loco poſitum eſt verbum יגיה *iaghiah*, quod deductū a radice נגה Naghà, quod ſplendere ſignificat, debet interpretari *ſplendere facies*: ſenſus ergo totius verſus ex verbali hebrææ literæ interpretatione, eſt huiuſmodi: *Quia tu Domine facies lucidam lucernam meam, facies ſplendidas tenebras meas*: Nam lucere eſt proprium ipſius lucis, ſeu corporis luminoſi, ſplendere autem rei illuminatæ. Optimè igitur dicebat Dauid, ſe, ſi a Domino lucem recepiſſet, quia erat Lucerna, ideſt Prælatus, communicando lumen tenebris, ideſt ſubditis, illas ſplendidas redditurum. Prælatus enim lux debet eſſe, & lucere inter reliquos, vita, ſapientia, & gratia, vt per lumen ſuæ vitæ exemplaris illuminati populi, etiam ipſi virtutib. ſplendeant. Card. Hugonis hæc ſpeculatio eſt, dicētis. *in Pſ.17. pag. 37. col.1. Quoniā tu illuminas lucernā meā, ideſt Prælatos, illumina tenebras meas, ideſt ſubditos. Sicut enim ſubditi vocātur grex, & Prælati Paſtores, ita vocantur tenebræ reſpectu Prælatorū, & Prælati vocātur lux, quia alijs debent ſuper eminere in vita, ſcientia, & gratia.* Lucere igitur tenētur Prælati, qui tanquā luces, & ſyde-

ra

ra ad alios illuminandos deſtinantur.

4 Communis hominum vſus, ipſa ratione dictante, iam tenet, vt qui manus ſordidatas habet res mundas non tangat, niſi lotis prius manibus, ſordibuſque expoſitis, aliter enim res ipſas mundas, fœdu contactu, conſpurcaret: Vnde qui neceſſariò res mundas, ſacras præſertim, tangere debet, mundari antea debent. Prælati ad id eliguntur, immundas animas mundas reddant; & inſuper quæ mundæ ſunt, eas mundas ſeruent. Sed ſi Prælatus immundus eſt, vitijſque pollutus, quomodo poterit animas tangere mundas, & eas non conſpurcare? vtiq; nõ poterit. Ergo qui ad mundandas animas deputatus eſt reddet immundas, & polluet? Nequaquam ita fieri debet; ſed Prælatus ſanctè, & purè, & mundè viuere tenetur, vt bonos tangendo ſua malitia nõ perdat. In cuius myſterium Iſaiæ *cap. 52. v. 11.* dicitur. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*: Vaſa Domini Animę Deo dicatæ ſunt, eas ferre debent Prælati, vt cæleſtibus ſacrarijs inferant, ne igitur eas inquinent mundiſſimos eſſe oportet; ex voto Magni Prælati. *Rector ſemper cogitatione ſit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc ſuſcepit officij, vt in alienis quoque cordibus maculas tergat, ne tactu quoque deterius inquinet, ſi ſordida in ſe mens luctum tenet. Huic namque per Prophetam Eſaiam dicitur. Mundamini qui fertis vaſa Domini: etenim vaſa Domini ferunt, qui proximorum animas, ad æterna ſacraria perducendas, in ſuæ conuerſationis fide ſuſcipiunt.* D. Gregor. Magn. *paſt. cur. part. 2. tom. 3. pag. 151. lit. A.* ſuæ Prælaturæ haud indignus exiſtimandus eſt, qui ita viuit purè, ita virtuosè ſplendet, vt animas ſibi concreditas optimo exemplo mundare valeat, non inquinare.

5 Neq; tantum propter aliorum ædificationem, ſpiritualemque profectum, exemplariter viuere Prælati tenentur, verùm etiam pro ſuimet regiminis ſtabilitate; qui enim bona prædicat, & mala operatur, ſe perfectorum ſubditorum contemptui malorum, verò deriſui ſe exponit: Nullus profectò illi obediet qui quæ præcipit non exequitur. Si Pictor, qui inarte ſua excellens habetur, doceret diſcupulũ lineas ſecundum artem delineare, ipſe verò contra artem figuraret, Iuuenis addiſcens, ſe deceptum putans, potius Magiſtrum imitaretur, quam præcepta: Prælatus malus, bonus eſt Pictor, ſed malè delineans; ægrè igitur ei obedient ſubditi præcipienti ieiunium inter crapulas, ſuadenti caſtitatem inter proſtribula, prædicanti virtutes inter vitiorum plauſum. Quapropter Deus benedictus, vt peccator populus ob delictorum ſuorum debitas pænas, in noua vitia ſe præcipitem daret, & ſic grauius diuinam vltionem ſentiret, bonos Prælatos ab eo auferre minatur. *Eſaia c. 3. verſ. 1. & v. 3. Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet ab Ieruſalem, & a Iuda &c. Principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium & ſapientem, & prudentem eloquij myſtici.* En boni Principis, & Prælati conditiones, honorabilis propter bonitatem, conſiliarius propter ſapientiam, & prudentiam, qui ſciat facere & docere. En D. Ambroſius. *epiſ. lib. 2. offic. cap. 12. to. 4. pag. 38. lit. C.* Supra me debet eſſe, cui me committere paro. *An vero idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, qui non dat ſibi? & eum mihi vacare credam, qui ſibi non vacet: cuius animum voluptates occupent libido deuinciat, auaritia ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic conſilii locus, vbi nullus quieti? Admirandus mihi, & ſuſcipiendus conſiliarius, quem propitius Dominus Patribus dedit, offenſus abſtulit.* Si ſic erit Prælatus, honorabilem omnibus ſe præbet; nam qui non docet exemplo, contemptum docet.

6 Error eſt aliorum curam gerere, ſuamque obliuiſci poſſe; nam ægrè poterit alijs impertiri ſalutem qui quenam ſit ipſa ſalus ignorat. Cæleſtis ſponſa poſtquam in Diuini Verbi creuit amore, ab eo ad aliorum ſalutem deputata fuit: vt ea, quæ per contemplationem eleuabatur ad Deum, per proximorum conuerſionẽ ipſi amplius properaret, nam in electis ſuis Dominus eſt, Verum ſponſa, cum ſe totam ad aliorum correptionem, & profectum dediſſet, ſuipſius oblita eſt, & ſic & ſe perdidit, nec alios potuit lucrari; cum enim mundus nonniſi ad exemplum viuat, & tunc ad virtutem excitetur, cum eam lucere in Rectore videat, nam exhortationibus nudis credere parũ eſt aſſuetus, ſponſæ cuſtodienti, & erranti noluit obtemperare. Huius erroris conqueritur, dicens. *Cant. 1. verſ. 5. Poſuerunt me Cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui.* Rectores & Sacerdotes hìc figurantur, qui a Deo in Eccleſia ſua ad animarum curam ſunt deputati; qui cum alios ambitiosè regant, & proprium negligant profectum, vineam ſuam non cuſtodiunt, quia præcellere virtutibus, ſicut dignitatę præſunt, non ſatagunt; & ſię & ipſos perire in promptu eſt. *Benè Sancta Eccleſia*, ait D. Gregorius *Homil. 17. in Euang. to. 3. pag. 43. lit. D. de ſuis membris infirmantibus dicit. Poſuerunt me Cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui. Vineæ enim noſtræ actiones ſunt, quas vſu quotidiani laboris excolimus; ſed Cuſtodes in vineis poſiti, noſtram vineam minimè cuſtodimus, quia dum extr aneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus. Nullum puto fratres chariſſimi, ab alijs maius præiudicium, quam a Sacerdotibus toleret Deus, quando eos, quos ad aliorum correptionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit*; Huiuſmodi Rectorem, ſuperbia quidem, ſed non virtute aſcendentem, Montem imperio non ſanctitate ſublimem, Cuſtodem, an Diſſipatorem dixerim ignoro: etenim & ſe ipſum perdit, & alios concutit. Vana eſt Prælatio, quæ fide non eminet charitate non dilatatur.

7 Hunc errorem a ſuis diſcipulis elongare ſtudebat Apoſtolus, ſciebat enim, fruſtra apoſtolicum officium occupare, quem vitæ excellentia non illuſtrabat; idcirco ad Titum ſcribens hæc habet: *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Ecce ea, in quibus Prælatus excellere debet, vt in montem aſcendat. In primis doctrina omnes ſuperare debet, vt ea, quæ ad fidem pertinent docere poſſit, & dubia declarare; maior enim doctrina in Rectore, quam in ſubditis requiritur. Secundò debet ſupereminere in integritate, vt virtutes quas prædicat, in ſemetipſo oſtendat illuſtres, & ſuorum motum compoſitione, alios morigeratos efficiat. Tertiò, in grauitate: nam cum Rector alijs, & dignitate, & perfectione emineat, debitam morum grauitatem, & Prælato dignam ſeruare tenetur; vt acutè adnotat Seraph. Bonau. *De ſex Seraph. c. 6. to. 7. pag. 95. col. 1. lit. E. Quamuis igitur non ſolum in præfatis, ſed in omnibus virtutum exemplis debeat Rector præcedere ſubditos, ſpecialiter tamen in his tribus, ſcilicet in communis obſeruantiæ conformitate, in manſuetudinis humilitate, & in maturitatis honeſtate. Vnde Apoſtolus: In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Aſcendunt vt Montes Prælati, quando alios virtutibus antecellunt.

8 Vt hoc autem euidentius demonſtretur in ipſius Domini noſtri vitæ ſpeculo ipſum intueamur. Cœpit namque ob nullam neceſſitatem, ſed ad noſtram eruditionem prius facere quod doceret. Vt ſcirent Prælati, & Doctores Eccleſiæ vitam doctrina haud indignam parare. Inter reliqua verò, & admiranda Ieſu Meſſiæ opera, illud mirabiliſſimum eſt, cum in montem quemdam aſcendens ibi prolixiorem quam vnquam ſermonem habuit. *Matth. cap. 5. verſ. 1. Videns autem Ieſus turbas Aſcendit in montem, & cum ſediſſet acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos.* Sed cur Doctrinam daturus Montem conſcendit? Vt ſcilicet oſtenderet Prælatos, qui alios docere debent, etiam debere in culmine virtutis conſiſtere: & quan-

Digitized by Google

quantò Montes vallibus in altitudine præſtant, tantò Prælati ſubditos virtutis perfectione antecellere debent. Clarè idperſpexit D. Io. Chriſoſtomus, & his verbis teſtatus eſt. *in c.5. Matth.to.2.col.687.lit.D. Aſcendit ergo in montem, vt oſtendat nobis, quod in altitudine ſpiritualium virtutum conſiſtere debet, qui docet iuſtitiam Dei*. Ergo tu, qui alijs præes, qui alios regis, & doces, Aſcende vt Mons in altitudine virtutum, perfectiſſimus eſto.

§ III.

Eccleſia Sanctorum doctrinis, & virtutibus proficit.

1 Aſcendunt *Montes*, & rectè aſcendunt, nam ad mundi debitum ornamentum, & tutam habitationem aſcendunt; verum in Eccleſiaſtico mundo, in Chriſtiano orbe, in religioſa terra, non minus neceſſarij Montes, ideſt, ſpirituales, Perfecti, Sancti: dum enim iſti, ceu montes, ad altitudinem ſpiritualis profectus, & ſanctæ conuerſationis aſcendunt, eorum virtutibus Eccleſia florens, in numero, bonitate, & excellentia creſcit. Virtutes eorum, ac ſancta conuerſatio ſterilis non eſt, ſed bono exemplo alios ædificat, nam dum maiores fulgent, minores illuminantur, & dum illi proficiunt, hi roborantur: idcirco dicitur: *Aſcendunt Montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis*: Vbi D. Hieronymus. *Aſcendunt Montes, ſancti in ſpiritualem proficiunt intelligentiam: & deſcendunt campi, Populi eorum doctrinis ſubditi, vt virtutum floribus repleantur: in locum, quem fundaſti eis, in Conuentum Eccleſiaſticum*.

2 Creſcere Animantia nequeunt, vel florere, niſi alimento debito nutriantur: Herbis, & graminibus cæli humores, terræque pinguedines ad nutritionem deputantur; Animalibus herbæ, nec non inter ea debiliora fortioribus cedunt in cibum. Homo omnium creaturarum cum ſit Dominus, omnibus vti poteſt, ſed quia intelligentia pollet, quæ vtilia ſunt adhibet, quæ noxia prohibet. Hæc quoad corpus: quoad animam verò etiam pabulo indiget, nam vt virtutibus floreat, vt meritis augeatur, alimentum ſumere debet. Porrò ſicuti ad herbas, & pomaduo requiruntur Ros Cæli, & Pinguedo terræ, ſic ad pabulum Animarum, duo ſunt neceſſaria, Gratia Dei, e, Maiorum exempla: hæc dabat Iſhac filio cum dicebat *Gen. capit. 27. verſ. 2. Det ti bi Dus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*. Vbi Gloſſ. ord. *Ros deſuper, & ſubtiliter cadit: & toties de rore cæli accipimus, quoties per infuſionem contemplationis intima aliquid tenuiter videmus. Cum verò bona opera per corpus agimus de terra pinguedine ditamur*.

3 Euidenter hoc oſtenditur, in Geneſis initio, vbi multiplicandi, ac terram adimplendi creaturis omnibus præceptum datum eſt: *Gen. cap.1. ver.28. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*: quia verò ſine nutritione, & pabulo hoc fieri nequibat, ſubiunxit Dominus: *verſ. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen, & omnia ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam*: Neque tanta periruri corporis cura erat, ſed quod de eſca carnali dicitur etiam ad ſpiritualem intelligentiam reducere oportet: nam cum herbæ, & ligna ex terra naſcantur, opera noſtra bona, & exempla virtutum Maiorum noſtrorum, quæ nos ſaginant, repreſentant: herbæ quidem exempla Sanctorum, qui nobiſcum æqualiter viuunt: Ligna verò, & Arbores, vtpotè, quæ ſuper eminent, Sanctorum Prælatorum exempla denotant: tunc namque creſcit Eccleſia, cum virtutes florent, & iſtæ non niſi diuina gratia, & Sanctorum exemplis creſcunt. Audiamus Cardinalem Hugonē id declarantem. *in Geneſ. to.1. pag.3. col.4. Replete terram, ideſt corpus bonis operibus, vt non vacet: ecce dedi vobis omnem herbam, ideſt ſimplicia exempla Sanctorum: & vniuerſa ligna, ideſt maiora exempla Sanctorum ad imitandum*. Creſcit hoc pabulo ſaginata mirabiliter Eccleſia, & floret, cum doctrina, & exemplis maiorum, minores ad virtutum exercitium roborantur.

4 Hinc eſt, quod tot virtutibus Sanctorum florens Eccleſia, in delicioſum Hortum excreſcit; ita vt a ſponſo cæleſti, Hortus deliciarum loco, colitur, & ſeruatur: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, Hortus concluſus. Cant. cap.4. verſ. 12.* Nonne Hortus Eccleſia quæ euangelica prædicatione culta, vomere Prædicationis arata, verbi diuini accepto ſemine virtutum, & meritorum germina multiplicauit? Hortus eſt, a cuius aruis omne gramen peximum, a Sanctorum vigilantia eradicatur: Hortus eſt in quo Plantæ omnis generis virtutum excreſcunt; nam & lilia Virginitas colit, violas mortificatio fouet, roſas Martyrium purpurat, laurum doctrina rigat, mirtum confeſſio nutrit, Helitropium charitas replet, Cariophillum miſericordia decorat. Hortus eſt, in quo viret meritum, fragrat ſanctitas, floret exemplum, germinat Sapientia, Gratia ridet. Non immeritò igitur Hortus dicitur Eccleſia Sanctorum doctrinis, & virtutibus exornata: ita ſenſit Chriſologus. *ſerm.98.pag.336.col.1. Hortus eſt Euangelii vomere toto orbe diffuſa cultura, clauſus ſtimulis diſciplinæ, ab omni peximo gramme apoſtolico labore purgatus, Fidelium plantariis, lilys Virginum, roſis Martyrum, Confeſſorum viriditate amænus flagrans floribus ſempiternis*. Quod ſi de montibus fontes, & riuuli deſcendere ſolent ad pomaria riganda, mirum profectò non eſt; ſi proficientibus ſanctis, & vt montes in altum tendentibus, ex ipſis fontes virtutum, & riuuli exemplorum deſcendant, ad Hortum Eccleſiæ colendum.

Porrò aduertat Fidelis neceſſe eſt, huius Horti germen minimè eſſe, quod fructum boni operis non oſtendit; prudens Hortolanus ſteriles plantas terram, aliorum fructum impediant. Sic Eccleſia pro ſuis non numerat, quos vacuos meritis deprehendit. Clarè hoc colligitur ex Oſee Propheta, vbi Dominus de populo operibus bonis ſpoliato loquens, dicit *Oſee. cap 8. v.7. Culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam*: Domino enim delectabile non eſt deſertum, ſed Hortus; quod ſi Anima virtutibus non creſcit, nec bonis operibus viret, tanquam deſerū a Domino remouetur: ita D. Gregorius Magn. *lib.8.cap.25.mor.to.2. pag.500. lit.C. Culmus germen non habet, cum vita meritis virtutum caret; farina culmen non facit, cum is, qui in præſenti ſæculo proficit nihil ſubtelitatis intelligit, nullum boni operis reddidit*. Reliquum eſt, cum inutilis eſt Planta, eam a Domini Paradiſo euelli; vel potius emendare tempus, corrigere mores, virtutes meditari: nam Planta exculta germen floridum, & Delectabile Deo dabit.

6 Siquidem & hoc in Apoſtolo Paulo fœliciter euenisse cernimus. Erat Planta ſilueſtris Paulus, erat Vas indignationis, & perditionis, nam cum in Chriſti ſectas inueheretur, nonniſi venenata perſecutionis germina fouebat; erat eius flos marcidus, malè apud fideles olebat, peximè audiebat: quis audito nomine Sauli eius ignorabat crudelitatem? In hoc neque nomen vacuum erat, nam, & illius veteris Sauli implebat officium; ille enim iuſtum perſequebatur Dauidem, iſte Ieſum olim in Dauide figuratum, necnon & Dauidis filium: vis eius audire fructus? *Act. cap.9. verſ. 1. Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini*: virus nutriebat, & peximum liuoris, indignationis, & odij Vas contumeliæ credebatur. Quid igitur faciendum de eo erat, eradicandum? nequaquam; ſed purgandum, fodiendum, curandum; & ita factum eſt. Nam cœleſti voce, tanquam rore humefactus diuino, cecidit, hinc ſurrexit viuidior, & Chriſtianorum exemplo

Digitized by Google

exemplo impinguatus Flos Paradiſi eſt effectus; & e contumeliæ vaſculo, in electionis aureum Vas commutatus, Chriſti bonum dabat odorem: Vas vtique aureum erat, in quo planta ſapientiæ germinans fructum prædicationis reddebat: vnde de eo dicitur: *v.13. Vas electionis eſt mihi iſte*: eum D. Hieronymus Iechoniæ Regi opponit, qui ex vaſe regio, Vas inutile effectus, e Paradiſo Eccleſiæ eradicatus eſt; at Paulus Vas electionis formatus, in Eccleſia poſitum eſt. D. Hieronymus *in cap.8. Oſee to.5. col.79. lit. D. Inhonoratus eſt Iechonias, ſicut Vas, cuius nulla eſt vtilitas: e contrario Paulus, qui dicere poterat: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus. 1 cor. 13. appellatur Vas electionis aureum, & argenteum, quia habebat ſapientiam, & eloquium, quo Chriſti euangelium prædicabat*. Aſcendant ergo ſancti, Prædicatores, Maiores in ſublimè perfectionis ſtatum, exempla ad Eccleſiam fouendam communicent, vt ſic fœcundata germinet ſanctitatem.

§. IV.

Vnuſquiſque ſecundum propriam conditionem Deo ſeruire debet.

1 A*Scendunt Montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.* Manifeſtè hic docemur quam facile ſit Deo ſeruire; neque enim oportet nouam meditari doctrinam, nouum ſubire inſtitutum, nouos addiſcere mores; ſed vnuſquiſque in eo ſtatu, in quo reperitur, Deo ſeruire vtiliter poteſt: Montes enim vt Deo ſeruiant, quia ſublimes ſunt, aſcendunt; campi verò dum deſcendunt, ſuo deſcenſu Deo ſeruiunt; ſi tantum in ſublimi Deo placere poſſemus, quid facerent infimę valles, & ſi deiectio ſola placeret, ergo montes deſperarent gratiã. Sed rectè tam aſcendendo montes, quam deſcendendo valles, in locum à Domino fundatum vadunt, quia vnuſquiſque ſecundum propriam conditionẽ Deo ſeruire poteſt, & debet. *Aſcendunt Montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis, Faciunt ſecundũ dona quæ cõtuliſti eis: alios dedit Prophetas, alios Euangeliſtas, & huiuſmodi*: inquit Gloſſa Interlin.

2 Difficile ſanè eſſet, vt Piſcator ad Architecti officium aſſumeretur, aut è contra; & excuſatione negligens ſalutem non careret, cum Dei ſeruitus quod neſciret exigeret. Nunc verò omnes difficultates præcluſæ ſunt, illud exerces, quod facere conſueuiſti: in Dei Domo, Eccleſia ſcilicet, omnia miniſteria deputantur. At inquies venator ego ſum, montes, colleſque tranſilire noui, vepres incendere, feras latitantes expellere, fugientes inſequi, capere laqueo, gladio traijcere: & hoc ipſum Deo inſeruiendo facies. Nonne peccatores qui in iniquitate obdurati pœnitentiam detrectant, nec Dei ſuſtinent audire vocem, feræ ſunt inter latebras & cauernas infernales ſuæ obſtinationis latitãtes? hos venare prædicatione, exhortatione, & exemplo, venatio hæc glorioſior, & fructuoſior erit. Hæc noſcens intelliges Ieremiæ verba, imò ipſius Domini ad Ieremiam dicentis: *cap.16. verſ.16. Poſt hæc mittam eis multos Venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum*. Venatores ideſt *Prædicatores* mittet, ſecundum D. Hieronymum, & Gloſſam; Hi ſunt qui exhortationibus ſuis animas venantur: Sed de hoc Baſilij ſententiam proferamus. *ap. cornel. a lapid. in cap.6. Ierem. pag.666. col.1. lit.B. Habet Domus Dei, quæ Eccleſia viuentis eſt, Viatores, Architectos, Ædificatores, Agricolas, Paſtores, Athletas, Milites, Venatores miſſos a Deo ita monente: ecce ego mittam Venatores multos, & venabuntur eos. Attende igitur multa cum diligentia, ne forte fugiat te præda, vt efferatos per improbitatem verbo veritatis coniunctos Saluatori offeras*. Porro ſi tam varia, & mirabilis Dei miniſtrorum diſpoſitio eſt, ſequitur, vt in quocumq; ſtatu & diſpoſitione quiſquis Deo ſeruire poſſit, & debeat.

3 Hæc ſunt in cauſa, cur Deus mirabiliter, ſuauiterque diſponens omnia, cum ad ſe gentes vocat, vnumquem ſecundum propriam conditionem vocat, & in ſimili miniſterio occupat. Cum per Galileam prædicans mundi Redemptor ambularet, peruenit ad littus maris, ſeu lacus galilei, ibique aliquos inueniens piſcatores ad ſe vocauit, ſuoſque diſcipulos fecit. *Ambulans Ieſus iuxta Mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim Piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Matth. cap.4. verſ.18.* Piſcatores erant, Piſcatores fecit. Quare autem Piſcatores ad prædicandum elegit? optimè D. Petr. Chriſolog. *ſer.26 pag. 73. col.2.* reſpõdet; hoc factũ eſſe, vt illi qui capere didicerãt, capere poſſent; & hi qui laboribus aſſueuerant, labores nõ expaueſcerẽt: nã qui capiendi artẽ non practicauerant in piſcibus capiẽdis, nec homines verbi rete cepiſſent, nec labori durarent, qui laborarent numquam. *Erant Captores piſcium, ſed Piſcatores hominum iam decreti. Venite, inquit, poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum: vt vitalis eſſet iactus: vt hamo cæleſtis verbi de maris gurgite animas ad lucem tollerent ſempiternam. Captores piſcium fiunt hominũ piſcatores: de labore tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laſſeſcere meditatus. Omnia, quæ de vſu veniunt non fatigant. Virtus exercitio perſeuerat. Hinc eſt, quod Apoſtolos ſuos Chriſtus humanis laboribus exercere voluit, vt eos indefeſſos redderet in diuinis: voluit eis Deus manere fortitudinem: & quia fructus prouenit ex labore, voluit eos labores non perdere, ſed mutare*. Quod ſi ad aliam artem piſcatores vocaſſet, poterat quippe, quia Deus, eos idoneos reddere, ſed ad noſtra inſtructionem, & doctrinam, ad piſcandum homines Piſcatores vocauit.

4 Nato in terris Domino, eius aduentum prædicari debebat, vt innoteſceret mundo ortum Iuſtitiæ Solem, ad eius peccatrices tenebras fælicius illuminandas. Id multis creaturis demandatum eſt. Inter alia ſigna Magis in orientali plaga poſitis nouum apparuit Aſtrũ; vt qui in cæleſtium conſideratione ſyderum aſſueuerant, ex nouæ ſtellæ apparitione nouum Regem ortum agnoſcerent; & ipſa duce ad eum adorandum venirent. *Matth. cap.2. v. 2. Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum*. Indignum fortaſſe duceret aliquis Deum ſtella vocare magos, cum per Angelos melius, & luculentius feciſſet; ſed Deo conueniens eſt artem hominum, ad ſe vocatorum non mutare, ſed meliorare; idcirco opportunum fuit, vt eos, quos ſtellarum ſpeculatio dementauerat, ſtella erudiret, & quæ fuerant erroris principia, eſſent ſalutis initium: & vt erant adhuc infidelitate ligati, minus Angelo credidiſſent, quam ſyderi. Aſſentitur D. Ioannes Chriſoſtomus. *Homil.6. in Matth. to.2. col.43. lit.B. Quia enim vnuſquiſque conſuetudinis ſuæ amicitia ligatur, & Deus, & miſſi ab eo ad totius orbis ſalutem homines, de ipſo cuiuſque more gentis, materias ſibi ſumunt dicendi. Ne igitur opineris Deo indignum, quòd Magi per ſtellam vocantur*. Digna prorſus Dei miſerentis inuentio, vt ſtella ad Dei ſeruitium manciparet, quos ſtellæ deuinctos vanitati tenebat.

5 Cum Deus omnipotens ſeruo ſuo Moyſi legem ad ſuum regendum Populum daret; inter alias ſacras cæremonias, quibus coli volebat, ſacrificia principem, & meritò, locum obtinebãt; nam per ſacrificia Deum Dominum fatemur; illique, qui tot, tantaque mundo largitus eſt, munuſcula ex ijſdem in noſtræ ſeruitutis ſignũ offerimus. Illud tamen prætereundum ſine diſquiſitione non eſt; Cur voluerit Deus illa eadem ſibi in Holocauſthum offerri, quæ Idolis ſuis Gentilitas decepta donabat? nam boues, oues, columbas, placentas, & alia huiuſmodi, quæ Iſraelitici Deo offerebant, etiam Ioui Mercurio, & Iunoni ſacrificabat Infideli.

Digitized by Google

Sed diuino conſilio ſapienter præceptum eſt, teſte eodem Chriſoſtomo, vt ea quæ Populus infidelis ſuis vanitatibus dedicauerat, Deo verò dicata meliorem induerent formam: vt ſic facilius cõuerterentur ad Deum, quem ritu ſibi noto, & conſuetis ſacrificijs colere debebant. Hoc per Pſalmiſtam euidenter edocemur: *Pſ.49. verſ.13. & 14. Numquid manducabo carnes Taurorum, aut ſanguinem Hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Quaſi diceret: Non ideo Animalium ſacrificia præcepi; quia ego immortalis, aut potu indigeam, aut cibo vtar; ſed vt detis mihi laudem, & reddatis vota mea ſecundum conſuetudinem veſtram. *Hoc enim modo*, inquit ille, loc. cit. *Omnes Iudæorum cæremonias, omneſque ritus, & ſacrificia, atque purificationes, & Neomenia reprobabis: ſiquidem hæc omnia originem a Gentium ruditate traxerunt. Deus ob deceptorum ſalutem per ea ipſa ſe coli paſſus eſt, per quæ illi Dæmones ante coluerunt, aliquantulum illa in melius inflectens, vt eos paulatim a conſuetudine ſua reuocaret, & ad Philoſophiam perduceret altiorem.*

5 Etenim ſi ſtatim, & repentino impetu a ſua conſuetudine aliquis auelleretur, Dei ſeruitio ineptus deprehenderetur; quod vtrique in ſcripturis manifeſtè demonſtratum habemus. Nemo eſt qui neſciat quam fortis miles, & Dux egregius Dauid extiterit: nihilominus, cum admodum Iuuenis cum Goliath congredi deberet, arma, quæ veſtierat, ſtatim depoſuit, dicens: *Reg. cap 17. verſ.39. Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo. Et depoſuit ea, & tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus.* En virum poſtea Bellatorem acerrimum, & Ducem egregium, arma in initio militiæ ſuæ depoſuit, & baculum, & peram quibus pugnare cum belluis aſſueuerat, tulit, & proſtrauit Gigantem, contra quem lanceam admouere non potuiſſet; vt ſciremus ſecundum noſtram conſuetudinem Deo eſſe ſeruiendum: Quare obſeruat Abb. Franconius *apud Didac. de cea. Archielog. 3. ca p. 5. pag. 203. col. 2. Bellica autem arma non quæſiuit, baculum paſtoralem, vt Paſtor, accepit, & quinque limpidiſſimos lapides.* Ergo ſecundum id quod didicimus, in melius transferendo Deo ſeruiamus.

§. V.

Deus ſuperbos quandoque ex improuiſo humiliat.

1 A*Scendunt Montes, & deſcendunt Campi: &c.* Apud æternum Dominum nil odioſius ſuperbia; quapropter fideles ſuos in humilitate amat verſari; quod ſi aliquando ineffabili iudicio ſinit malos ſuperbire, & ceu montes ſublimi deſiderio aſcendere, ſtatim coniunctam habent maximam humiliationem, vt de ſtatu ſuo tanto præcipitantius corruant, quanto in celſiorem aſcendunt locum. Mali ergo ſuperbientes, vt Montes aſcendunt, cum ſibi preclariſſima quæque præponunt, & reliquos; veluti homuncios deſpiciendo, ſeſe giganteo extollunt faſtu, tanquam Soles vel nobilitatis, vel ſapientiæ, vel potentiæ, minorum ſyderum conſortium deteſtantur: verum iſti qui ita in montes ſunt eleuati, ignominioſam humiliationem expectent, nam deſcendent vt campi, cum diuina virtute deiecti, ſe omnibus deſpectiores effectos patiuntur. Ita Caſſiodorus. *Aſcendunt mali vt Montes cum ſæuiunt fluctus; deſcendunt vt campi, cum placati ſunt. Fundauit enim eis locum, id eſt quodam metu compeſcuit; nam permittit Deus ſuperbos quando vult creſcere, & cum vult eos humiliat apta diſpoſitione.* Hæc ille *in Pſal.* 103.

2 Inter omnes nationes, quæ ſub cælo viuunt, nullus eſt Populus, qui tam deiectam patiatur conditionem, vt Iſraeliticus: Hic olim in culminem poſitus gentes omnes Dei protectione ſuperabat; ſed tandem ita deiectam ſortem aſſequutus eſt, vt nulla contemptibilia ſint miniſteria, quæ ipſi non exequantur: Hoc illud propheticum exponit canticum, non tam ægiptiacam ſeruiturem, quam præſentem conditionem ſignans: *Manus eius in Cophino ſeruierunt. Pſal.* 80. *v.*7. Quod exponens Diuus Auguſtinus, inquit *in Pſalm.* 80. *to.8. pag.366. col.2. lit. A. Per Cophinum ſignificantur opera ſeruilia; mundare ſtercora, terram portare cophino fit. Seruilia ſunt opera, quia qui facit peccatum ſeruus eſt peccati: merito & abiecta mundi quaſi cophini deputantur.* Hoc autem Hebreos etiam ſuo tempore exercuiſſe Iuuenalis teſtatur. Sat. 3.

...... Templa locantur
Iudæis, quorum Cophinus, Fænumq; ſupellex.

Cur ergo Populo tam a Deo dilecto, & inter nationes ſubleuato, tam vilia exercitia deputantur, vt omnium abiectiſſimo? propter ſuperbiam eorum; voluerunt ſuperbire, & aſcendere; pluſquam ſatis, vt montes, & ideo deſcenderunt vt abiectiſſimę valles. Hác ab Oſee allatam rationem legimus. *Deuoratus eſt Iſrael, nunc factus eſt in nationib. quaſi vas immundũ: quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur:* en tantæ deſcenſionis cauſam; *Aſcenderunt ad Aſſur*, ſe ſuperbè exaltauerunt, vt Montes ſe omnibus præſtare credebant, deſpiciebant cunctos; & propter ſuperbam aſcenſionem, ita humiliter deſcenderunt, vt reputarentur vt *Vas immundum*; vt Cophinus: egregiè Rup. Abbas Tuitienſis. *Ergo, quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur, id eſt quia ſeſe in ſuperbiam extulerunt, ita vt filij ſint Aſſur; ſicut Dominus ait: vos ex patre Diabolo eſtis: Ioan. c.8. Idcirco quaſi vas immundum facti ſunt in nationibus.* Non ſuſtinet ſuperbiæ montes Deus, qui humilium valles fæcundare nouit; & ideo qui ſe ſuperbè ſuſtulerunt, vt montes, pręcipites deſcenderunt.

3 Ipſæ Gentilium Fabulæ haud vulgare huius rei exemplum dedere: Finxere ſiquidem Dedali filium Icarum, qui ex paterna inuentione pennas cera compaginatas veſtierat, nimis Soli appropinquantem, ex eius calore liquata cera in mare præcipitem nolens volens ſe dediſſe: & pœnam vetitæ aſcenſionis præcipitio ſoluiſſe. Haud ſecus ſuperbus, cum vltra ſuam ſphæram aſſurgere, & vt mons elatus aſcendere ſatagit, velut Icarus ſe deiectum, & humiliatum deplorat: optima ratione depoſitus, nam ſuperbus a tergo Solem liquefacientem, Deum humiliantem habet. Id cecinit eruditè Sabellicus.

Icarus infelix, qui ſe malè credidit alis.
Sequitur Superbos vltor a tergo Deus.

Vltor itaque Dominus ſuperbarum cogitationum, eum qui ſe ſtulta elatione ſublimat, confuſibili humiliatione deiicit: ideo in Prouerbijs ſcriptum eſt: *c.16. v.2. Immundus eſt apud Deum omnis, qui exaltat Cor ſuum.* Vbi eloquenter Caſſiodorus *lib.12. cap. 21. de ſpir. ſuperb. pag.169. Qui tumida elatione cordis inflatus eſt, turpiſſimæ cõfuſioni traditur deludendus, vt humiliatus taliter ſentiat ſemetipſum eſſe, vel immunditia carnis, & conſcientiæ impuræ paſſionis immundum, quod animus ſui noluerat elatione ſentire.* Quod ſi a ſua deiectione ſuperbus hoc vtilitatis aſſequitur, vt ſe humiliet, non Icaro pereunti, ſed Noe de diluuio emergenti ipſum comparabo; nam vtilis humiliatio eſt, quæ deperditam gratiam reſtaurat:

4 Fortaſſe, ideo ſuperbis, & abundantibus opprobrium, & deſpectionem optat Propheta dum canit: *Quoniam multum repleta eſt anima noſtra, opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Pſal.122. ver.4.* Vt ſcilicet illi quia ex rerum humanarum copia ſuperbientes, vt Montes ita elati ſunt, vti a Deo aberrantes ſeipſos ignorent, & diuina gratia careant, repentina humiliatione proſtrati, & propriam miſeriam, & ſui Creatoris miſericordiam recognoſcant. Ita ſentit D. Io. Chriſoſt. *in Pſ.122. to.1. col.774. lit. D. Hoc frequẽter admit-*

Digitized by Google

admittitur, hoc quotidie comprobatur; ſemper ſuperba cogitantes repentina humilitate opprimuntur. Ne eleuemur fratres vt montes, ne ampliùs noſtra elatio extollatur in Cælum, ne confuſio ſubſequatur: ſed ſi nos elatos ſentimus, & digna pœnitentia emendare peccatum deſideramus, voluntaria humilitate tumorem mentis noſtræ premamus.

§ VI.

Perfectionis ſtudioſi ad Proximorum auxilium deſcendere debent.

1 DEſcendunt Campi: &c. Non ignoro, vt iam demonſtrauimus, montes contemplatiuos eſſe, & omnes perfectionis euangelicæ ſtudioſos aſcendere, vt montes, ad Deum: enim vero, non ita contemplationi incumbendum eſt, quin ad actiuam etiam oculum habeamus, deſcendendo videlicet ad proximorum auxilium, permoti ab ipſa, qua Deum diligunt, charitate. Quapropter vita mixta quæ ex actiua, & contemplatiua coaleſcit, perfectior eſt cæteris, in qua ſuam Religionem fundare multi Regularium Patriarchæ (inter quos haud vltimus S.P.N Franciſcus) diuinitus iuſſi ſunt. Hoc docet Propheta; nam cum dixit de contemplatiuis, *Aſcendunt montes*, ſtatim de actiuis adiungit: *deſcendunt campi*: ſecundum Hugonis Caren. Cardin. expoſitionem *in Pſal. 103. Deſcendunt campi: Actiui ſunt campi, qui deſcendunt per compaſſionem ad miſeriam proximorum.*

2 Pulcherrimum de hoc ab ipſa traditum natura ſeſe offert exemplum: omnes Agricolæ norunt, niuem de Cælo deſcendentem ſaginare, ac fertilitare campos, & præſertim hiberno tempore omnibus Plantis vtilitatem afferre. Inſuper nix de aere deſcendit in terram; attamen eius materia generatur in ipſa terra: Etenim vapores vi Solis, & aliorum ſyderum in aera ſubleuati, ibi, vel ab ambiente frigore, vel per anthiperiſteſim ab ipſo calore, prius in aqueam verſi ſubſtantiam, congelantur in niuem. Huiuſmodi Contemplatiuos dicito: Hi namque in terra generantur, quia homines, hinc calore ſolis, Dei videlicet amore attrahuntur in aerem contemplationis; ibi, ſiue a frigore pœnitentiæ, ſiue a calore charitatis, prius in lacrymoſam aquam, inde in niuem ſolidæ virtutis durantur: & inde deſcendere debent ad proximorum miſerias videndas, & ſubleuandas. A Iob hoc didici, *cap. 37. ver. 6.* qui dicebat: *Qui præcipit niui vt deſcendat in terram.* Charitas enim diuina, quæ mentes ad ſuperna perducit, etiam vt deſcendant ad aliorum profectum cogit: euidenter D. Gregorius Magnus, *lib. 27. c. 14. moral. to. 2. pag. 923. lit. C. Quia igitur charitas Chriſti, quæ Sanctorum mentes ad ſuperna ſubleuat, eas pio moderamine pro fraterna dilectione etiam ad humilitatem condeſcenſionis format, rectè dicitur: Qui præcipit niui vt deſcendat in terram.* Opus eſt charitatis, & aſcendere contemplando, & deſcendere miſerendo.

3 Charitas, quæ in perfectis, ac Deo ſpecialiter dicatis, viget; ita Deo ligat, vt quiſquis verè Deum amat de omnibus eius offenſionibus dolet; nec tamen de peccatore ſcandalizatur: ſed potius eius lapſum plorat: De peccato dolere debet, ſed peccatorem excuſare, & compaſſiua charitate illam ſubleuare: culpa eſt odio habenda, amandus frater. Hoc euidenter oſtenditur Geneſis 44. Ioſeph in Ægipti regimen euectus, vt occaſio ſibi porrigeretur retinendi apud ſe fratrem Beniamin, quem inter omnes diligebat; iuſſit ſcyphum ſuum argenteum, in ore ſacci eius abſcondi, vt furti inſimulatus reus carcere mancipatus detineretur; *Gen. cap. 44. ver. 2. Scyphum autem meum argenteum pone in ore ſacci Iunioris*: Cumque ob eam cauſam Beniamin detentus eſſet, omnes fratres eius dolentes in ciuitatem reuerſi ſunt, & quaſi ob peccatum vnius omnes peccatores eſſent, in terram ſe proſtrauere ad veniam fratri impetrandam: *ver. 14. Omneſque ante eum pariter in terra corruerunt.* En digna viro perfecto charitas, alienam culpam tanquam propriam pœnitentia eluere, væniamque pro ea precibus, & gemitibus implorare: non enim deſpiciendus eſt proximus, quia peccauit, ſed ſubleuandus quia cecidit: omnes fratres ſumus, & alienum tanquam proprium infortunium deplorandum eſt. Ita ſentit Hugo Cardinalis Carenſis *in Gen. 50. 1. pag. 63. col. 4. Omneſque ante eum pariter in terra corruerunt: Ecce mutua charitas, vno peccante omnes condolent*; Sic condolendum de peccato, vt peccatori compatiamur.

4 Hocque ipſa ratio ſuadet: nam omnes fideles vnum corpus conſtituunt; ſi ergo vnum ſunt corpus, cuius Chriſtus Caput eſt, conſequenter cuiuſcumque membri infirmitas totum tangit corpus, & omnia membra debilitat: Nonne capitis noſtri charitatem videmus, quantum dolorem pro membrorum ſuorum redemptione ſuſtulerit? Ergo ſi nobis caput compatitur, & nos alijs membris compati non dedignemur. Si aliquod perit membrum, non ſine reliquarum partium detrimento fit; idcirco cum vnum dolet, & infirmatur membrum, omnia ad eius auxilium accurrunt. Haud ſecus ſpirituales viri omnes ad auxilium proximi præſto eſſe debent. Hoc exemplum Apoſtoli ad Corinthios 1. eſt *cap. 12. ver. 25. In idipſum pro inuicem ſunt membra; & ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Quod ad noſtrum propoſitum reducens, inquit eminentiſſimus Hugo Caren. *loc. cit. Omnes homines vnius corporis membra ſunt; vnde 1. Cor. 12. Pro inuicem ſollicita ſunt membra, & ſi quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra. Abſciſſus eſt ergo de corpore, qui non compatitur fratri patienti.* Sed inter omnes patientes Peccator miſerabilior eſt, qui mente, & animo torquetur; ergo in eius compaſſione celerius accurrere omnes debemus. Imò & ita debemus; vt fruſtra ſe iactetur Dei ſeruum, ſpiritualemque virum, qui proximo peccantis compati non didicerit.

5 Paulus Apoſtolorum maximus, Galatas erudiens, teſtatur, ſpiritualis viri nomen non mereri, qui fratrem leniter, & ſuauiter ad vitam reuocare non nouit; *Ad Galat. cap. 6. ver. 1. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Quid eſt, quod de peccatore loquens, hominem eum appellat, alios vero, qui iuſti ſunt, ſpirituales? Quia videlicet peccare humanum eſt, compati autem peccanti, traſcendit eſſe humanum, & eſſe mortale, opus ſpiritus eſt; eius inquam, qui a mundo ſegregatus Deo viuit, charitate graditur, contemplatione volat: hic profectò homo non eſt, ſed ſpiritus, ſed Angelus; ſi tamen ſpiritu Dei viuit, ſi Angelorum puritatem exoptat, induat oportet ſpiritum compaſſionis, & lenitatis, vt ſciat compati delinquenti, adiuuare dolentem, ſubleuare cadentem; & licet omnes ad hoc teneantur, vobis tamen qui ſpiritualem profitemini ſtatum ſpecialiter inculcatur. Optimè Diuus Ioan. Chriſoſtomus *Homil. de Nom. Abr. to. 1 col. 432. lit. B. Multum autem differunt Homo, & ſpiritualis; Vos qui ſpirituales eſtis: ſi ſpiritualis es, oſtende mihi virtutem tuam; non a tua, ſed mea ſalute, ſed ſubſidio, quod lapſo fers: hoc enim ſpiritualis eſt, non deſpicere ſua membra periclitantia.* Si igitur verè ſpirituales ſumus, ſi ſublimem perfectionem amamus, ad proximorum auxilium deſcendamus.

RA-

Digitized by Google

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Octauus.

Aſcendit Mons Marianæ excellentiæ, et deſcendunt campi Sanctorum, quibus eſt excelſior.

ORbi vniuerſo ad perfectam animantium generationem, & vitam, montium exaltationem neceſſariam iam vidimus, At christiano mundo haud minus neceſſaria Dominæ cælorum exaltatio videtur. Etenim vt nos ad æternam gloriam ſubleuaremur, conueniens, imò neceſſarium fuit, mulierem de terreno ſumptam ſemine ad ſolium vſque Deitatis attolli; vt fœmina Deum ipſum filium nuncuparet; & vt talis eſſet, conſequens erat, vt pulchritudine, excellentia, & gratia omnes puras creaturas ſuperaret. Mons igitur Maria eſt, ſancti omnes campi; quanto ergo montes ſuperant valles, tanto Maria Angelos, & ſanctos omnes antecellit: idcirco dicitur; *Aſcendunt Montes*, ideſt Mariana excellentia, *& deſcendunt campi*, ideſt omnes alij ſancti, & Angeli, qui ad eius altitudinem pertingere non valent. Quare D. Gregorius fatetur. *Mons quippe Maria fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria; quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros vſque ad ſolium Deitatis erexit? D. Gregor. Magn. in lib. Reg. lib. 1. cap. 1. tom. 1. pag. 7. lit. B.*

Maria Deipara ſanctis omnibus excelſior eſt.

1 ASCENDIT *Mons Marianæ excellentiæ*, &c. Nonnullos Montes diuina præſentia celebres in ſuperioribus retulimus, quos vtique præclariſſimos fecit Dei inhabitatio. Quę enim alia reperiri poterit excellentia, quæ diuinæ comparetur præſentię? Equidem ſi terreni alicuius Principis Curia Domum, vel Ciuitatem reddere poteſt illuſtrem, illuſtriſſimus erit mons quem incoluit Deus. *Pſal. 67. ver. 17.* Eſt autem Maria *Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Quapropter inter omnes montes fulgentiſſimus eſt. Celebris eſt Sinay, quia in eo data eſt lex, ſed Maria legiſlatorem ipſum generauit: illuſtris eſt Thabor, quia Dominicæ gloriæ ſplendorem oſtendit, at Maria totius gloriæ Theatrum fuit: Mons ſion, ſeu moriah Domum Dei habuit, Maria eſt Dei animatum Templum: orantem Dominum mons oliuatum accepit, Maria naſcentem reſpexit: Carmelus cæleſtem ignem ſacrificia diuina conſumentem vidit, Maria ignis æterni, ſancti ſcilicet ſpiritus, ſactarium extitit: Caluariæ collis morientem Dominum ſuſtinuit, viuentem Mariæ brachia portauere: Aliqui montes Chriſto moriente ſciſſi ſunt, Cor Mariæ doloris gladio tranſuerberatum eſt: Multi ſunt Montes fertilitate famoſi, ſed quæ fertilitas comparanda eſt Virgini, quæ ſui pudici pectoris lacte Deum aluit? En quomodo Marianus mons ſupra montes eleuatur; imo & ſupra ſanctos, qui virtute montis nomen promeruere; quia ſpecialiſſimè habitare in eo Domino placuit: *Nemo enim*, inquit Theſſalonicenſis Antiſtes Iſidorus *orat. 1. pag. 9. ſuperior fuit Maria, nemo propius aſcendit ſuper altitudinem nubium ad ſimilitudinem diuinam: ſed nec erit qui ad tantam altitudinem promoueatur. Hæc enim eſt ſublimiſſimus Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Nec in Angelorum Choris, nec in Beatorum cuneis reperitur ſanctitas, quæ ad Marianam excellentiam aſcendere poſſit, nam ipſa, ſicuti in Dei maternitate eſt vnica, ita in ſanctitate eſt ſingularis.

2 Deum celebraturus Propheta; idcirco laude dignum, & ab omnibus laudandum iudicat, eo quod ita magnus ſit, vt capi nequeat: tanta enim eſt magnitudo ipſius, vt finem non cognoſcat: *Pſal. 144. ver. 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Quæ ergo laus inueniri poterit, quæ infinita magnitudine digna ſit? ergo ſemper laudetur, vt ſit infinitas in duratione, quæ in ſubſtantia nequit eſſe. Ideo etiã de Deo dicitur: *Pſ. 85. v. 8. Nõ eſt ſimilis tui in Dijs Domine:* cum nullus ſit Angelus, vel homo qui, cum finitam habeat ſanctitatem, Deo poſſit æquari. Sed ſicut aliquid Deo vel melius, vel æquale fieri implicat, quia infinitam magnitudinem habet, ita etiam, & Matre Dei Maria quid ſanctius, vel maius, poſt Deum, fieri nequit; nam ex Dei maternitate quamdam infinitam dignitatem accepit; vnde & de ea dicere poſſumus: *Magna Domina, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Hæc ſententia a duobus ſacræ ſcholæ luminibus confirmatur: Ait enim D. Bonauentura. *Ipſa eſt vero Mater Dei, qua maiorem Deus facere non poſſet: maius Cęlum poteſt facere Deus, maiorem matrem, quam matrem Dei non poſſet facere Deus,* D. *Bonau. Cardin. in ſpecul. Virg. to. 6 ſect. 10. pag. 466. col. 2. lit. F.* Et D. Thomas *1. p. q. 25. art. 6. ad 4.* teſtatur. *Beata Virgo ex hoc, quod eſt Mater* Dei, *habet quamdam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod eſt* Deus: *& hoc ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius ea; ſicut non poteſt aliquid melius eſſe* Deo. Infinitam magnitudinem habet hic mons; cum ergo omnes quicumque ſancti finitam habeant bonitatem, ſequitur, quod omnes valles, & campi ſint in ſua deſcen-

dentes

Digitized by Google

dentes humilitate;Maria vero maximus eſt Mons in Infinitatem Sanctitatis aſcendens.

3 Hanc Dei Matris ſingularem excellentiam in Sacris Canticis cęleſtis Sponſus oſtendere volens perfectæ pulchritudini ſimilem facit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Cant.cap.4. verſ.7.* Nil ſub Cęlo difficilius eſt, quam perfectam hominis pulchritudinem reperire. Hinc celebris inter Pictores Zeuxis,vt pulcherrimam effingeret mulierem multas inſpexit; & quia nulla earum omnes pulchritudinis habebat partes, quinque ſelegit, vt ex alia caperet, quod alteri deerat; Ita C.Plinius *nat. Hiſtor. lib.35.cap.9. pag.736. Deprehenditur tamen Zeuxis grandior in capitibus, articuliſque: alioquin tantus diligentia, vt agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Iunonis Laciniæ publicè dicarent, inſpexerit virgines eorum nudas, & quinque elegerit, vt quod in quaque laudatiſſimum eſſet, Pictura redderet.* Cum ergo tam difficilis ſit Mulierem nulla macula fædatam inuenire, ſolius Sponſæ elogium eſt: Sola Dei Genitrix,ſola Maria. Tota pulchra eſt; tota pulchra corpore, tota pulchra mente,vt nec mundus fœminam, nec Cœlum pulchram habeat Intelligentiam ei ſimilem: nam pulchriorem,nefas eſt dicere; cum enim infinita ferè fulgeat Sanctitate, finitas pulchritudines ei comparare ridiculum foret. Egregiè D.Auguſtinus *Serm.de Incarnat. Chriſti. Tu tota pulchra es, tota formoſa, tota delectabilis: Tu macula nulla fuſcaris, tu omni decore veſtiris,tu omni Sanctitate ditaris.Tu ſuper omnes virgines Sancta in carne, tu ſuper omnes angelos Sancta in mente. Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos Spiritus excellentia Sanctitatis.* Sic aſcendit vt mons Maria, quæ pulchritudine, & Sanctitate ita animas, menteſque ſuperat omnes, vt eius comparatione ſicut valles deſcendant, & vt campi humilientur; cum eius altitudinem mirari quidem poſſunt, ſed non aſſequi, vel æquare.

4 Apud Philoſophos certum eſt, omne ens bonum eſſe. Quia verò nihil creatum reperitur, quod abſolutè mereatur entis nomen,quia eſſe participatum habet, nec eſt eſſentialiter eſſe. ſequitur quod ſolus Deus eſt: & ex conſequenti nulla creatura dici bona poteſt, nam Deus qui ſolus verè eſt, ſolus bonus eſt; ſic ipſe Ieſus faſſus eſt: *Vnus eſt bonus, Deus: Matth.cap.19.ver.17.* Nihilominus, tantam vidit Deus in luce pulchritudinem, & perfectionem, vt eam bonam appellare non hæſitauerit: *Vidit Deus lucem quod eſſet bona. Geneſ. cap. 1. verſ.3.* Porrò, cur lucem ſua bonitate condecoratam oſtendit, qui ſolus bonus eſſe contendit? Quia nimirum lux ita apparet perfecta,quod nulla creatura,licet perfectiſſima luci emineat comparata. Lux nec turpitudinem habet, nec diminutionem patitur, nec tenebras permittit, nec vmbras generat: quid ſine luce niteſcit, quid a luce non illuſtratur? nullum eſt ornamentum, nullum decus, pulchritudo nulla, quæ ſine luce æſtimetur, quæ illuſtrata deſpiciatur. Ergo bona lux, quæ ſola per ſe perfecta,cęterarum creaturarum bonitatem oſtendit, perfectionem adauget. Maria lux eſt,ipſa ſola poſt Deum bona,animæ reliquæ, non niſi a Deo per Mariam participatam bonitatem habent: lux quæ numquam vmbras vidit,lux quę tenebras non agnouit, ſplendorem non amiſit, pulchritudinem non fędauit, puritatem non maculauit, ſanctitatem non perdidit, bonitatem non corrupit: lux, quæ Cœlo ſplendet, Terram irradiat, animas ditat, Angelos illuminat, Sanctos beat,Deum inflammat: lux quæ peccata diſperdit, errores expellit, maculas tergit, hæreſes excæcat, ignorantiam fugat: non eſt bonus, qui ab eius radijs ſe abſcondat; non eſt malus, qui eius flammis expoſitus imperterritus perſeueret. Audi Riccardum a S. Laurent. *lib.7.de laudib.Virg col.476.lit.F.: Maria lux: ſicut enim nemo bonus niſi ſolus Deus, ſic nulla Anima Mariæ comparata inuenietur perfecta.* Heu nos miſeros,ſi Maria deſit, nam mali cum ſimus,ſi ipſa bona non eſſet nec nos bonitatem participare poſſemus,etenim ſine luce illuſtratur nihil.

5 Sed quid dico! Lux Maria eſt? nequaquam;verum luce purior, Sole ſplendidior,fulgentior aſtris,Luna clarior: Solus Deus Maria perfectior eſt: & Filio Mater ſolum meruit comparari. Diuinam perfectionem, vt oſtēderet Patientiæ Dux, inquit in eius conſpectu nec Solem,nec Lunam,nec aſtra cætera lucere: *Ecce Luna etiā non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius:* Quæ enim lux fulgere poterit in conſpectu illius inacceſſibilis lucis,quæ Deum cælat? immunda ſunt omnia, dum ad diuinam puritatem accedere non valēt:Sol erubeſcit ante Iuſtitię Solem,& omne Aſtrum lumen amittit,vbi Iacobea ſtella refulget. Quod ſi lucis nomine Sāctos Angelos D.Auguſtinus intelligit, licet iſta lux fulgentiſſima ſit, & cuiuſcumque maculæ neſcia,enim vero fateamur neceſsè eſt, hāc lucem tenebram ante æternum lumen apparere.Haud ſecus Maria eſt,aut ſegnior; etenim nec ante ipſam Sanctitas vlla commēdabilis eſt, licet Solis inſtar refulgeat, Lunam, aut Aſtrum referat, quidquid Deus non eſt, inferior Maria eſt; eius miſericordiam nulla pietas æquat,eius puritatem nulla ſuperat innocentia: ſeparata eſt lux a tenebris, fulget, liberata a malitia Sanctitas,nitet; ſed vbi Maria apparet,neutra cōſpicitur. Ita docet Seraphicus Deiparę cultor. *Maria etiam purior eſt Sole,& Stellis,& Luce, quia tam dignitate, quam puritate Solem, & Stellas, & omnem lucem corporalem ſuperat; immo etiam ſpiritualem, ideſt Angelicam creaturam,de qua dicitur; Diuiſit lucem a tenebris; ideſt Angelos ſtantes a cadentibus. Hac vtique luce angelica prior, & purior eſt Maria; prior dignitate; purior Sanctitate. Vnde Anſelmus exclamans ait. O benedicta inter mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos ſuperas pietate. D.Bonau.Card. in Spec.Virg.lect.3. to.6.pag.454. col.2. lit.D.* Ergo ſi lucem vincit. lux non eſt, ſed ipſa luce candidior; Si enim eius filius candor eſt lucis æternæ, & Mater ſempiterni candoris puritatem habebit.

6 Obijcies forſan. Duo luminaria terreno ſplendent Orbi Sol, Lunaq; ſic ſpirituali mundo duo fulgerunt; Maius Deus eſt,quo ſplendidius nullū; alterū homo eſt, ſed Ioanni hoc datur; nam & vocatur *Lucerna ardens, & lucens*; & omnium eſſe fulgentiſſimam prædicatur: *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta; Matth. cap.11. ver.11.* Quid igitur Maria, ſi luminare non eſt, ſi Ioannis Sanctitatem nòn ſuperat, omnium aſtrorū ſuperare fulgorem poterit? Sed,vt tibi ipſi reſpondeas,aduerte; nō omnium maiorem dici,ſed alios ipſum non antecellere; nec de omnibus abſolutè, ſed de ijs,qui hactenus nati fuerant; nec tandem vtriuſq; ſexus homines comprehendit, ſed Natos, ideſt Maſculos. Sydus eſt, & lucidiſſimum Ioannes, ſed Luminare non eſt. Verum Maria eſt luminare,quę omnes ſtellas pulchritudine vincit,quæ omnes creaturas perfectione præcellit; ideo de ipſa,tanquam de luminari canitur: *Vna eſt Columba mea,perfecta mea,vna eſt matris ſuæ,electa Genitricis ſuæ; viderunt eam filiæ,& beatiſſimam prædicauerunt. Cant.cap.6. ver.8.* Ipſa vnica inter perfectas, beatiſſima inter Sanctas; ita relatus Bonauent. *In Luc.to.2. pag.94.col.1. lit.B. Non autem dicitur maior omnibus,vt omnibus præferatur, ſed quod alius non fuerit maior eo; nec dicitur de omnibus vniuerſaliter præteritis, & futuris,ſed tunc præteritis.Non dicitur etiā reſpectu vtriuſq; ſexus,ſed tantū virilis. Vnde non includitur Virgo Maria, quæ exaltata eſt ſuper choros Angelorum,nullam puram creaturam habēs ſuperiorem, nec etiam æqualem ſecūdum illud; Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitricis ſuæ.* Mons itaq; Maria,quæ in tantam Sanctitatem aſcendit,vt nulli ſint Sāncti, qui eius comparatione videantur aſcendere, quin immo tanquam humiles campi,abiectæq; valles,in infima Sanctitatis,& perfectionis ſerie deſcendere videātur.

RADIVS

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

ALlegorias Montium dedimus expoſitione in verſum ſextum §. 2. quia vero, & alias reperimus, ipſas hìc ſuo etiam loco opportunè dabimus; ipſique alias adhuc intactas iungemus, ſcilicet, Aſcenſionis, & Deſcenſionis ſymbola, nec non locorum varias acceptiones; & quia de fundatione, nihil adhuc dictum eſt, & hæc etiam vox ſuas includit allegorias, de ipſa quoque videndum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Aſcenſionis, ſeu aſcendere allegoriæ.*
2 *Montium variæ, & myſticæ acceptiones.*
3 *Quid deſcendere allegoricè importet.*
4 *De varijs locorum acceptionibus.*
5 *Quid ſit allegoricè fundare, ſeu fundamentum ponere.*

§. I.

Aſcenſionis, ſeu aſcendere allegoriæ.

1 A*ſcendunt Montes; &c.* Aſcendere, eſt a terra in altum ſe attollere, & allegoricè multipliciter in Sacra Scriptura ſumitur. Primo Dei incomprehenſibilitatem demonſtrat; Nam cum Deus loco non moueatur, cum vbique ſit, dicitur aſcendere cum noſtram conſiderationem latet; ideo dicitur: *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit: Pſalm.* 17. *verſ.* 11. Vbi Magnus Gregorius *lib.* 17. *cap.* 15. *moral. tom.* 2. *pag.* 697. *lit. D. Cherubim quippe plenitudo ſcientiæ dicitur. Proinde ſuper plenitudinem ſcientiæ aſcendiſſe perhibetur, & volaſſe: quia maieſtatis eius celſitudinem ſcientia nulla comprehendit.*

2 Credere in Chriſtum eſt aſcendere, quare *Aſcenſus purpureus. Cantic. cap.* 3. *verſic.* 10. Ferculi Salomonis eſt Fides Chriſti. Ita Abbas Rupertus. *lib.* 3 *in Cantic. tom.* 1. *pag.* 1085. *columu.* 2. *Quid eſt Aſcenſus purpureus? Deus, & homo Chriſtus pro ſalute hominum paſſus, & ſanguine ſuo purpuratus. Iſtud credere aſcendere eſt.*

3 Aſcendere in montem, eſt quærere Deum; nam cum Deus celſiſſimus ſit, ſupra ſeipſum aſcendat neceſſe eſt qui Deum quærit; De hoc dictum eſt: *In illis diebus aſcendit in montem orare: Luc. cap.* 6. *verſ....* quo in loco D. Ambroſius *lib.* 5. *in Luc. to.* 3. *pag.* 62. *lit. D. Aſcendit ille, qui Deum quærit.*

4 Hac etiam de cauſa, cum nobiſcum ſemper ſit Deus, tunc noſtræ orationes dicuntur ad eum aſcendere, cum ab eo acceptantur, illique ſunt gratæ. Tales Cornelij Centurionis opera bona extitere, Scriptura teſtante: *Orationes tuæ, & eleemoſinæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei; Actor. c.* 10. *ver.* 4. & Lyranus. *Ideſt ſunt coram Deo acceptæ.*

5 Dum in peccato verſatur homo per terram reptat, cum vero conuertitur, ad Deum ſupra terram aſſurgit, idcirco aſcendere eſt conuerti ad Deum: de hoc dicit Iſaias *cap.* 55. *ver.* 13. *Pro ſaliuncula aſcendit Abies:* & D. Hieronymus *in Iſai. pagin.* 235. *lit B. Mattheus, & Zaccheus publicani, ſaliuncula erant &c. Iſti in Apoſtolos repente mutati facti ſunt Cypariſſus, & Abies.*

6 Hanc Abietis aſcenſionem contemplationem eſſe, qua ad Deum aſcenditur, putat Diuus Gregorius Magnus *lib.* 18. *cap* 12. *moral. pag.* 713. *lit. A.* inquiens. *Pro ſaliuncula namq; aſcẽdit Abies dum in Sanctorum corde pro abiectione terrenæ cogitationis altitudo ſupernæ contemplationis exoritur.*

7 Aſcendere eſt pœnitentiam agere: ideo a Propheta pœnitens aſſimilatur fluuio ſalienti: *Aſcendet quaſi fluuius vniuerſus:* Amoſ. *cap.* 8. *verſ.* 8. Vbi D. Hieronymus *in Amoſ. to.* 5. *pag.* 167. *lit. B. Vt qui egerit penitẽtiam aſcendat cum fluuio ſcandente.*

8 Aſcendere in homine eſt diuina participare, ita reuelare hominis Deo vniti gloriam dicitur aſcendere in Chriſto: hoc ſignificabat vir ille, de quo dicitur: *Aſcendebat vir ille de ciuitate ſua:* 1. *Reg. cap.* 1. *ver.* 9. Ideſt Chriſtus reuelabat ſublimia ſuæ Diuinitatis myſteria; vt author eſt D. Gregorius Magn. *in lib.* 1. *Reg. to.* 1. *pag.* 8. *lit. C. Quid autem fuit Redemptori noſtro aſcendere, niſi in Humanitatis forma Diuinitatis ſuæ alta reuelare?*

9 Quia Deſertum eſt mundus, Animæ Sanctæ aſcendere de deſerto eſt mundum, eiuſque delicias contemnere: hoc ſponſa faciebat, de qua dicitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto? Cantic. cap.* 8. *v.* 5. Vbi Riccardus a S. Victor. *in Cant. cap.* 9. *par.* 2. *pag.* 108. *col.* 1. *lit. B. Eſt ipſi deſertum mũdus, quia gaudia deſerit, & amittit; vnde cum gaudia ſua anima perfecta contemnit, & ad ſupernum, & certum gaudium tendit, per deſertum aſcendit.*

10 Aſcendere equos ſuperbire eſt; de quibus Pſaltes: *Dormitauerunt qui aſcenderunt equos. Pſalm.* 75. *ver.* 7. Et D. Auguſtinus *in Pſalm.* 75. *tom.* 8. *pag.* 340. *colum.* 1. *lit. B. Qui ſunt qui aſcendunt equos? qui humiles eſſe noluerunt. Non in equis ſedere peccatum eſt, ſed ceruicem poteſtatis contra Deum erigere.*

11 Aſcendere in malum ſumitur, & hæreticorum, vel Dæmonum malitiam ſignat; eoſque Aſcenſores equorum vocat Zaccarias *cap.* 12. *verſ.* 4. *Percutiam omnem equum in ſtuporem, & Aſcenſores eius in amentiam:* Vbi D. Hieronymus *in Zaccar. to.* 5. *pag.* 260. *lit. H. Aſcenſores equorum, vel Dæmones, vel falſos Magiſtros dicimus, qui omnes in ſtuporem vertuntur, & amentiam, vt nihil ſapere conuincantur.*

12 Aſcendere in Bethauen eſt adorare Idola, quod prohibebat Dominus; *Neq; aſcenderitis in Bethauen:* *Oſee cap.* 4. *v.* 15. & ſubdit Gloſſ. Interlin. *Vt adoretis Idola.*

13 Aſcendere in equos veloces eſt confidere in falſis Magiſtris: quod ſe facturos Iſraelitæ, & eorum nomine omnes hæretici profitentur. *Ad equos fugiemus, & in veloces aſcendemus: Iſai. cap.* 30. *v.* 16. Vt fugerent a Deo, & agere pœnitentum detrectent, ad falſos Magiſtros accedunt: ita D. Hieronymus *in Oſee tomo* 5. *pag.* 143. *lit. C. Cumq; eos ad pœnitentiam cohortaretur, illi è contrario confidunt in falſis magiſtris.*

14 Aſcendere eſt aliquam tentationem exurgere, ſic dicitur, Naas aſcendiſſe, & pugnaſſe contra Iabes Galaad; *Aſcendit Naas ammonites, & pugnare cæpit aduerſus Iabes Galaad.* 1. *Reg. cap.* 11. *v.* 1. Ideſt tentatio Gulæ ſurrexit ad tentandum homines ieiunio fatigatos. ita D. Gregorius Magnus *in lib.* 1. *Reg. tom.* 1. *pagin.* 198. *lit. B. Ad eos quidem Naas aſcendit, quos exiccatos videt; quia illis grauia bella Gulæ ſpiritus ingerit, quos attenuatos ieiunijs agnoſcit.*

15 Aſcendere Beſtias de mari poſt tempeſtatem, eſt motus irrationabiles de corde exurgere poſt tentationem

Digitized by Google

nem: de hoc Daniel *cap.7 v.3. Quatuor Beſtiæ grandes aſcendebant de mari*: & Riccardus Victorinus *de erud. hom. lib.3.cap.2. par.1. pag.110. col.2. lit.E. Quid quæſo eſt Beſtias poſt ventorum pugnas de mari aſcendere, niſi beſtiales motus, & irrationabiles impetus, poſt tentationum violentiam, de cordis inſtabilitate ſurgere, & in apertum prorumpere?*

16 Aſcendere clamorem eſt murmurationem contra peccantes exurgere: De hoc Ieremias *cap.14. v.2. Clamor Ieruſalem aſcendit, ideſt*, inquit Lyranus, *murmur populi contra eos*.

17 Aſcendere turres eſt obſeruare legem: ſicut enim de militibus Machabeis legitur; *Sed & alijs ſimiliter aſcendentes turres, portas incendere agreſſi ſunt*: 2. *Machab. cap.10. ver.35.* Ita legis diuinæ mandata ſeruantes infernales portas vitiaq; ſuccendunt. Hugone id docente *Cum Doctores Sacri quatuor Euangelij libris hoſtes vndiq; excludendo, per eos, qui legis mandata per duo præcepta cuſtodiunt, illorum machinas deſtruunt, atq; igne doloris, ac pœnitentiæ ipſos viuos comburunt. Hugo Caren. Card. in 2.lib. Math. pag. 260. col.4.*

18 Aſcendere ſuper occaſum, eſt Gloriam per mortem quærere: hoc inſinuat Pſaltes dum canit: *Iter facite illi, qui aſcendit ſuper occaſum: Pſal.67. ver.5.* & D. Gregorius. *Super occaſum namq; Dominus aſcendit, quod vnde in paſſione occubuit inde maiorem ſuam gloriam reſurgendo manifeſtauit. D.Gregor. Mag. hom.17. in Euang. to.3. pag.39. lit.E.*

§. II.

Montium variæ, & allegoricæ acceptiones.

1 A*Scendunt Montes, &c.* Nonnullas Montium allegorias ſupra dedimus expoſitione in Verſum 6. §.2. Sed hìc aliquas addere opportunum videtur. Primo igitur mons Diuinam Maieſtatem ſignat, vt accipitur *Exod. cap.18.v.12. Cauete ne aſcendatis in montem*: Quo in loco inquit Iodocus *in operb. D. Ioa. Damaſcen. lib.1. cap.1. de Fide orthodox. pag.148. col.1. lit. A. Sanè per montem Diuinæ Maieſtatis ſublimitatem accipere haud abſurdè poſſumus.*

2 Montis nomine ipſum Cœlum Empyreum Beatorum Patria accipitur: & præcipuè apud Pſalmiſtam, vbi ait: *Quis requieſcet in Monte Sancto tuo? Pſal. 14. v.1.* Et confirmat Magnus Baſilius *in Pſalm.14. pag. 50. col. 1. lit.F. Mons ille locum cæleſtem illuſtrem, & ſplendiflua luce conſpicuum ſignificat: de quo Apoſtolus ait: Appropinquaſtis ad montem Sion, Ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cæleſtem.*

3 Ex eodem Pſalmo vbi dicitur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte Sancto tuo: Pſal.14. v.1.* D. Ioannes Chriſoſtomus colligit, Tabernaculum eſſe legem, & mõtem Euangelium. *Tabernaculum Lex eſt, & mons Euangelium. D. Ioan. Chriſoſt. in Pſal.14. to.1. pag.696. lit. A.*

4 Potentes, & ob ſuam potentiam inſolentes montes appellantur: de quibus dicitur: *Turbati ſunt montes in fortitudine eius. Pſalm.45. v 3.* Vbi D.Baſilius. *Potes, & ſenſum huius dicti tropicè interpretari, montes appellans eos, qui ob ſuam potentiam, vireſq; inſoleſcunt, ſibiq; placent. D. Baſilius Magnus in Pſalm.45. pag. 109. col. 2. lit.E.*

5 Vana ſapientia pollentes, eiuſq; perditos Magiſtros montes intelligit idem Baſilius in eodem verſu. *Vel fortè Principes Sæculi huius, ac Patres perditæ ſapientiæ montes dicuntur.*

6 Mons virtutem adumbrat, ideo namq; transfiguraturus Dominus Diſcipulos ſuos in montem aduexit: *Ducit illos in montem Excelſum ſeorſum: Math.cap.17. verſic.1.* hoc facto docens ſine virtutis ſequela ad gloriæ aſſequutionem perueniri non poſſe. Ita Damaſcenus. *Quid autem eſt, cur diſcipulos in montem excelſum ſubducat? montes figurato ſenſu virtutes ſcriptura nominat.*

7 Non ſolum virtutem, ſed altiſſimum virtutis gradum ſignat: Sic Chriſtus ſuis Diſcipulis virtutes prædicaturus. *Aſcendit in montem*: *Matth. cap.5. verſic. prim.* & D. Ioannes Chriſoſtomus *in Matth. col. 687. lit. D. Aſcenſio enim eius eſt altitudo virtutum.*

8 Spem noſtram firmam in Deo, ac immobilem montem poſſumus appellare: De qua perſpicuè dicit Propheta: *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Pſalm.124. verſicul.1.* Vbi citatus Chriſoſtomus *in Pſalm. 124. columm. 1048. littera B. Montem etiam dixit Spem in Deum immutabilem, firmam, & conſtantem, immutabilem, & inexpugnabilem.*

9 Perfecti, & excellentes in aliquo peragendo montes ſunt, quia ſicut montes valles, ſic iſti alios ſuperant profeſſores: ſic per os Iſaiæ inquit Deus: *Agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion, & collem Ieruſalem: Iſai. cap.10. ver.32.* & D. Baſilius ibidem. *Nulli non perſuaſum crediderim hanc eſſe Scripturæ conſuetudinem, vt quæ præclarè ac fæliciter geſta ſunt; & eos, qui quadrãtenus quiddam obtinent plenius cæteris ad extruendam molem cuiuſpiam fabricæ, quod ipſa conſueuerit appellare montes, & colles. D.Baſilius magn. in Iſai. pag 732. col. 1. lit.E.*

10 Montes etiam Scriptores ſunt Sacri, nam ipſis Scribentibus fundata eſt fides, cuius firmamentum Chriſtus ſupra hos montes Sanctos, videlicet Scriptores, dignoſcitur: Propheta dicente: *Erit Firmamentum in terra in ſummis montibus. Pſalm 71. verſic. 16.* Vbi D. Auguſtinus *in Pſalm. 71. to.8. pag.320. columm. prim. lit.C. Summa montium Scripturarum Diuinarum authores, ideſt, per quos miniſtratæ ſunt, intelligere conuenit: in quibus vtique Chriſtus eſt Firmamentum.*

11 Montes, ſed coagulati ſunt Hæretici, & falſorum dogmatum Scriptores, ſine Chriſti Dei firmamento; de quibus Pſalmus: *Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Pſalm.67. verſic. 17.* Et D. Ioannes Chriſoſtomus *in Pſalm.67. tom.1. col.688. lit.C. Sunt enim, & hæreticorum montes, non autem vberes, ſed coagulati: in quibus non veritatis myſteria traduntur, ſed mendacia expugnantia veritatem.*

12 Infideles per obſtinatam in erroribus mentem montes dicuntur, ſed iſti ad aduentum Domini emolliti ſunt, quia ad veram fidem conuerſi. De his dicitur: *Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini. Pſalm. 96. verſicul. 5.* interprete Diuo Auguſtino *in Pſalm. 96. tomo 8. pag. 444. columm. prima, litera E. Vbi eſt altitudo Poteſtatum? Vbi duritia Infidelium? Sicut cera fluxerunt a facie Domini: Ignis enim eis fuit Dominus, illi ante faciem eius ſicut cera fluxerunt, tamdiu duri, donec ignis ille admoueretur.*

13 Hinc colligitur; Relinqui in montibus, eſſe, Damnari: nam cum Infidelis, vel Hæreticus Diuina inſpiratione non molleſcit, tanquam præſcitus reputatur: Huc pertinet hiſtoria de centum ouibus: de quibus Dominus in Mattheo. *Nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit? Matth. cap.18. verſic. 12.* Illi itaque qui ſic relinquuntur in montibus, nec a Deo Paſtore ad vitam quæruntur, æternæ damnationi traduntur. Id docet D. Auguſtinus *Sermon. 9. de verb. Apoſt. tomo 10. pagin. 111. columna prima, lit. B. Qui ergo ſuperbiebant, & alta ſapiebant relicti ſunt in montibus: Quid eſt relicti ſunt in montibus? in tumore terreno; ad nonagintanouem pertinent; in ſiniſtra ſunt, non in dextera.*

Quid

§. III.

Quid deſcendere allegoricè importet.

1 DEſcendunt campi, &c. Deſcendere eſt a loco aliquo eminentiori ad inferiora moueri: & primo allegoricè ſumitur pro reuelare, nam cum reuelatio fiat a Deo, qui antonomaſticè in cælis eſt, dicitur a Cælo ad terram reuelationem venire, ideoque deſcendere: ita in Exodo habemus. *cap. 19. v. 11. In die enim tertia deſcendet Dominus.* Vbi Cornelius a Lapide *in Exod. pag. 479. col. 1. lit. D. Deſcendam ego: deſcendam inquam, non motu locali, ſed reuelatione gloriæ meæ.*

2 Deſcendere ad Philiſthim ad acuendos vomeres, eſt vacare ſæcularibus ſcientijs; de hoc dicitur: *1. Reg. cap. 13. ver. 20. Deſcendebat omnis Iſrael ad Philiſthim, vt exacueret vnuſquiſque vomerem, & ligonem*: & Magnus Gregorius *in lib. 1. Reg. cap. 13. to. 1. pag. 226. lit. A. Ad Philiſteos deſcendimus, quando ad diſcendos ſeculares libros animum inclinamus.*

3 Deſcendere in occurſum Achab eſt prædicare intrepidè, & reſiſtere malis licet potentibus: in cuius ſignum dicitur Eliæ: *3. Reg. cap. 21. ver. 18. Deſcende in occurſum Achab: Per quod deſignatur,* Subdit Lyranus *quod Prædicator veritatis contra malos homines, & eius conſiliarios debet prædicare conſtanter.*

4 Deſcendere in domum figuli, eſt conſiderare propriam fragilitatem: ſic dicitur Ieremiæ. *c. 18. ver. 3. Surge, & deſcende in Domum Figuli*: Vbi Lyranus. *In domum Figuli deſcendere, eſt Dei potentiam, & fragilitatem propriam conſiderare.*

5 Deſcendere ad plenum Torcular eſt iudicium de peccatoribus facere: ita Ioel. c. 3. *ver. 13. Venite, & deſcendite quia plenum eſt Torcular*: vbi Gloſſ. int. *Venite, & deſcendite ad iudicandos veſtros perſequutores.*

6 Sicuti Aſcendere eſt ſuperbire, ita e conuerſo deſcendere eſt humiliari: De quo dicitur: *Gen. cap. 24 ver. 16. Deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam aqua*: Vbi Gloſſ. interl. *Humiliauerat ſe ad hauriendum fontem vitæ, & impleuerat diuinis ſententijs hydriam, verba humanæ facundiæ.*

7 Deſcendere in puteum, eſt ſuſcipere pænitentiam: *2. Reg. cap. 17. ver. 18. Habebat puteum in veſtibulo, & deſcenderunt in eum*: vbi Gloſſ. ord. *Deſcendunt in puteum, qui erat in veſtibulo, cum pænitentiæ humiliter ſe ſubijciunt.*

8 Deſcendere in Ægiptum, eſt cogitare carnalia, & ſenſualia: cuius figura extitit Abram, de quo ſcribitur: *Gen. cap. 12. Deſcenditque Abram in Ægiptum*, & D. Ambroſius ibi *lib. 2. de Abr. cap. 4. to. 1. pag. 195. lit. A. Ipſa eſt Ægiptus noſtra, hoc eſt caro noſtra. In hanc deſcendit mens noſtra, quando cogitat, quæ carnalia ſunt.*

9 E conuerſo, Deſcendere de Camelo eſt vitia relinquere. Vt fecit Rebecca ad aſpectum Iſhac; quæ ſignificat Animam habentem Deum per inſpirationem præſentem: *Geneſ. cap. 24. ver. 64. Protinus de Camelo deſcendit.* Vbi D. Gregorius Magnus *lib. 35. cap. 3. mor. to. 2. pag. 1119. lit. D. Sed protinus de camelo deſcendit, quia vitia, quibus prius fuerat ſuperbè elata, deſeruit.*

10 Deſcendere ſicut fluuius Ægipti, eſt perſeuerare in peccato; dicente de populo in vitijs obſtinato, Propheta *Amoſ. cap. 8. ver. 8. Deſcendet quaſi fluuius Ægipti*: Nam ingreſſus mare totaliter abſorbetur; ſic perſeuerans in peccatis finaliter peribit; vt teſtatur D. Hieronymus *in Amoſ. to. 5. pag. 167. lit. C. Qui autem perſeuerauerit in delictis deſcendet ſicut fluuius Ægipti, vt ingreſſus Mare abſorbeatur.*

11 Deſcendere in mare, eſt Riſum verti in luctum: ſic Ioſue dicitur *cap. 3. ver. 16. Aquæ autem, quæ inferiores erant, in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt*: Vbi egregiè Riccardus *a S. Victore tract. 1. de exterm. mal. to. 1. pag. 7 col. 1. lit. B. Hoc eſt dulcem aquam in mare deſcendere, & dulcedinem amittere, & dulcem in amaram vertere. Riſus ſanè, & gaudium dulcem aquam facit: ſed luctus, & mæror dulcem facere non poſſunt; nec huiuſmodi bibere homines facilè volunt. Quoties riſus in luctum vertitur, toties aqua inferior in mare labitur, & in amaram mutatur.*

12 Deſcendere in fletum, eſt agere pænitentiam: *Iſai. cap. 15. ver. 3. In plateis eius omnis vlulatus deſcendit in fletum*: & ideo in Plateis deſcenſum eſt in fletum, quia peccatum publicum, publica expiari pęnitentia debebat: Ita Hieronymus Oleaſter *in Iſai. pag. 338. col. 2. lit. C. Peccata, publica ſequitur pænitentia.*

13 Deſcendere a Domino, eſt malum fieri: nam bonum eſſe non poteſt quod a bono recedit: de quo dicit Micheas *cap. 1. ver. 12. Deſcendit malum a Domino: Sicut cecidit Lucifer de cælo, ita mala a Domino ceciderunt; quæ, antequam caderent, non erant mala, ſed quia corruerunt a Domino, ideo facta ſunt mala.* Subdit Abbas Lauretus *in Sylu. Alleg. pag. 287.*

14 Tandem Deſcenſus Angeli in Piſcinam, ad mouendam aquam, ad cuius motum Ægri ſanabantur, ſignificat aduentum Domini noſtri in mundum, per cuius gratiam ſanati ſumus. *Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in Piſcinam, & mouebatur aqua* &c. *Ioan. cap. 5. ver. 4.* Vbi D. Ambroſius *lib. 2. cap. 2. ſacram. to. 4. pag. 266. lit. C. Angelus ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, & quotieſcumque deſcendiſſet mouebatur aqua, & qui prius deſcendiſſet, ſanabatur. Quod in figura venturi Domini noſtri Ieſu Chriſti fiebat.*

§. IV.

De varijs locorum acceptionibus.

1 IN *locum* &c. Locus propriè eſt intima alicuius corporis ſuperficies aliud continens Corpus: & allegoricè Primo locus Dei, qui propriè in loco non eſt, ſignat eius magnificentiam: De qua intelligit, dum per Oſeam dicit: *cap. 5. ver. 15. Vadens reuertar ad locum meum*: ita D. Hieronymus *in Oſe. to. 5. pag. 70. lit. G. Locum Dei magnificentiam, & maieſtatem eius debemus accipere.*

2 Locus Dei, in quo libenter quieſcit Iuſti pectus eſt: De quo intelligebat Propheta, dum in Dei nomine dicebat ſe non ingreſſurum Cælum, quouſque dignum Deo locum inueniret: *Pſal. 131. ver. 3 & 5. Si introiero in tabernaculum Domus meæ: &c. donec inueniam locum Domino*, & D. Hilarius Pictauenſis *in Pſ. 131. col. 1044. lit. C. D. Aſſumpto igitur corpore vnigenitus Dei, neque ante ſe cum homine ſuo ingreſſurum tabernaculum domus ſuæ iurat, ideſt in Cæleſtem habitationem eſſe rediturum, quam hæc Religioſi pectoris loca Domino inueniat.*

3 Locus Dei frequentiſſimè ab eo inhabitatus, Miſericordia eſt; a quo mouetur, cum, exigentibus noſtris culpis ad puniendum accedit: quod teſtatur Iſaias, dicens: *cap. 26. v. 21. Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem.* Quod ita interpretatur D. Hieronymus *in Iſai. to. 4. pag. 124. lit. H. Siquidem egreditur Dominus de loco ſuo; quia miſericors, & miſerator Dominus, & clementiſſimus Pater filios negligentes ferire compellitur, & quodammodo de ſuo ſtatu commutari.*

4 Diuinæ Sapientiæ locus Eccleſia eſt: quod indicat Patientiſſimus *Iob cap. 28. ver. 1. Et auro locus eſt, in quo conflatur:* Vbi D. Gregorius *lib. 18. cap. 14. mor. to. 2. pag. 715. lit. C. Ac ſi apertè dicat; Vera fidelium Sapientia, cui vniuerſalis Eccleſia locus eſt, tribulationem vobis perſequentibus patitur.*

5 E conuerſo, locus verus Hominis Deus eſt; vnde cum peccat homo locum ſuum deperdit, quia Deus tanquam ſuum non noſcit: *Iob cap. 7. ver. 10. Neque agnoſcet eum amplius locus eius*: Vbi Magnus Gregorius *lib. 8. cap. 10. mor. pag. 487. lit. A B. Locus quippe hominis, ſed non localis, ipſe videlicet conditor extitit, qui hunc, vt in ſemetipſo conſiſteret, creauit.*

6 Locus Fluuiorum dicitur Gloria cæleſtis, quæ fluuijs

uijs

Digitized by Google

uijs gratiarum diuinarum abundat: ſic eam deſcribit Iſaias *cap.33.ver.21. Locus fluuiorum, riui latiſſimi, & patentes:* Vbi D.Hieronymus *in Iſai. to.4.pag. 155. lit. B. Hæc dicta ſunt de Sion Vrbe ſolemnitatis noſtræ, & de Ieruſalem habitatione ditiſſima, quam ipſe Dominus fluuijs ſuis circundabit, atq; vallabit.*

7 Locus vbi ſtant pedes Domini eſt Euangelium; de quo Pſaltes: *Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius: Pſal.131. ver. 7.* & D. Hilarius *in Pſalm. 131. col. 1048. lit. F. Diſcutit quidem per Apoſtolos prædicatio, quos frequenter pedes ſignificatos meminerimus: ſed in Euangelio conſiſtunt: illic ergo adorabimus, vbi ſteterunt pedes eius.*

8 Locus Paſcuæ eſt Spes æternæ Beatitudinis, in qua poſitus Propheta, dicebat: *In loco paſcuæ ibi me collocauit. Pſalm. 22. verſicul. primo,* Vnde D. Hieronymus *in Pſalm. 22. tomo 7. pag. 39. lit. A. In loco paſcuæ ibi me collocauit; ac ſi dicat in futura Beatitudine compoſuit ſpem meam. Paſcua enim futura intelligitur Beatitudo.*

9 Locus etiam Paſcuæ fidem ſignificat, quæ animam nouiter conuerſam nutrit; vt ex eodem Pſalmo colligit D.Auguſtinus *in Pſal.22. tom.8. pag.47. col.2. lit. A. In locum paſcuæ incipientis ad fidem ſuæ perducens, ibi me nutriendum collocauit.*

10 Locus murorum a Deo Eunuchis datus Sacerdotium eſt; Hoc eis ſpondet per os Iſaiæ *cap. 56. v.5. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum:* quòd expendens D.Hieronymus *in Iſai. tom.4 pag.237. lit.B.* ſubdit. *Habebit in muris eius locum optimum, vt ſcilicet Turris Domini efficiatur, & in Sacerdotali conſiſtat gradu.*

11 Locus Sapphiri eſt anima Sancta, quæ cæleſtem vitam ducendo gratiæ ſupplicium claudit: Ita Iob *cap. 28. v.6. Locus Sapphiri lapides eius:* vbi D. Gregorius *lib.18. cap.19. mor. pag.719. lit.D. Quia igitur de Iudæa numquam animæ Sanctæ, quæ cæleſtem vitam ducerent defuerunt, dicitur: Locus Sapphiri lapides eius.*

12 Locus aridus benè, vel malè ſumitur: primo modo animum, ſeu cor iuſti, ab omni carnalis pinguedinis deſiderio alienum ſignificat; de hoc Dominus inquit: *Ambulans per loca arida, & inaquoſa; Matth. cap.12. v.3.* & idem Gregorius *lib. 33. cap. 3. mor. pag. 1063. lit. B. Loca arentia, atq; inaquoſa ſunt corda Iuſtorum, quæ per Diſciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiſcentiæ humore ſiccantur.*

13 Locus aridus in malum ſenſum ſumitur a Diuo Hilario pro Gentilitate, quæ veræ fidei pinguedine carens, deſiccata erat. *Qui illinc exiens circum gentes deſertas, atq; aridas oberrauit. D. Hilarius Pictau. in Matth. can.12. pag.129. lit. B.*

14 Locus Virorum bonorum, & Spiritualium eſt humilitas, in quem a Dæmonio vexati confugiunt. Hoc ſuadet Sapiens, *Eccleſ. cap.10. v.4. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris.* Vbi acutè D.Gregorius *lib.3. cap. 13. mor. tom.2. pag.368. lit D. Humilitas locus Bonorum. De quo loco per Salomonem dicitur: Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: Ac ſi aperte dicat; ſi tentatoris ſpiritum contra te in aliquo præualere conſideras, humilitatem pœnitentiæ non derelinquas.*

15 Locus hominum perditorum, & præcipuè hæreticorum eſt ſuperbia; quos ſignificant tres amici Iob, qui vt ei exprobrarent, ſuamq; damnarent fidem: *Venerunt ſinguli de loco ſuo: Iob.cap.2.v.11.* Vbi loc.cit. Gregorius *Hæreticorum quippe locus ipſa; ſuperbia eſt.*

16 Locus humidus eſt mens terræ ad huc ligata, quæ carnalis concupiſcentiæ humorem ſugit; & in his locis humentibus, ſeu terrenis mentibus, Draco infernalis quieſcit: *Sub vmbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus. Iob.cap.40. v.16.* & D. Gregorius Magnus *lib.33. cap.3. mor. pag.1063. lit.C. In locis humentibus: Loca enim humentia ſunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiſcentiæ, quia replet, humidas facit.*

17 Locus hominum in hoc mundo eſt eorum conuerſatio: de quo Iob *cap.9. v. 18 Si abſorbuerit eum de loco ſuo:* Vbi D. Hieronymus *in Iob. tom.8. pag.14. lit. G. Locus hominis dici poteſt qualitas conuerſationis, vbi vel vitæ genere, vel mente conſiſtit.*

18 Locus Hipocritæ eſt adulatio: de quo idem Iob. *cap.20. v.9. Neq; vltra eum intuebitur locus ſuus;* nam ceſſante potentia adulatio peribit: ita D. Gregorius Magnus *lib.15. cap.4. mor. pag.641. lit. D.E. Quis eſt locus Hipocritæ? fauor adulantium: ibi quippe requieſcit, vbi fauores inueneris.*

19 Tandem locare lucernas in candelabro eſt Doctores ad docendum, & illuminandum fideles in Eccleſia inſtituere: De hoc Exodi *cap.40. v. 22. Poſuit Candelabrum in Tabernaculo, locatis per ordinem Lucernis:* Vbi Abbas Lauretus *in Silu. Allegor. p.1. verbo locus, pag. 555. col.2. Locare Lucernas in Tabernaculo eſt inſtituere Doctores in Eccleſia.*

§. V.

Quid ſit Allegoricè fundare, ſeu fundamentum ponere.

IN *locum, quem fundaſti eis:* Fundare, ſeu fundamentum ponere, eſt rem aliquam per ſe inſtabilem, in aliquo ſtabili loco firmare: Aliqua vide ſupra ſub nomine Baſis. In Verſ.5. §.3. Alia hic addemus. Primo Fundamentum Eccleſiæ Chriſtus Dominus eſt: De quo Apoſtolus: *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. 1. Corint. cap.3. v. 11.* Vbi D.Ioann.Chriſoſtom. *Hom.8. in 1. ad Corint. tom.4. col.314. lit.C. Ne attendamus ergo hæreſibus; Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt. Super ipſum ædificemus, & fundamento hæreamus, vt palmes viti.*

2 Etiam Eccleſiæ Fundamenta poſt Chriſtum Apoſtoli ſunt, & Prophetæ; de quibus canebat Pſaltes: *Fundamenta eius in montibus Sanctis: Pſalm. 88. v. 1.* & D.Auguſtinus addit *in Pſalm.86. tom.8. pag.391. col. 1. lit. D. Quare ſunt fundamenta Apoſtoli, & Prophetæ? Quia ipſi portant infirmitatem noſtram.*

3 Si Terram Animam Iuſti intelligamus, eius fundamentum Fides eſt. De quo Dominus apud Iob *capit. 38. v.4. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?* vbi D. Gregorius *lib.28. cap. 6. moral. tomo 2. pag.943. lit. D. Nil obſtat Terram intelligi animam Iuſti; ſed huius terræ fundamentum Fides eſt. Huius terræ Fundamentum iacitur quando in occultis cordis prima ſoliditatis cauſa, diuinus timor inſpiratur.*

4 Si e contra Terram mundum, eiuſque tranſitoria gaudia dicimus, eius fundamenta ſunt homines potentes delicijs dediti, quorum exemplo, & falſa fęlicitate alij trahuntur: Hæc fundamenta ab ira Dei mouenda docet Propheta: *Mouebuntur omnia fundamenta terræ: Pſal. 81. v. 5.* ita D. Auguſtinus *in Pſalm. 81. pag. 371. columm. prim. lit. B. Non inconuenienter Fundamenta terræ intelliguntur, quorum terrenam fælicitatem præpollentem, atq; potentem, homines, inuidendo eorum authoritati, ad huius mundi bona concupiſcenda pertrahuntur.*

5 Fundamentum Montium eſt ſpes Superborum; nam ſupra Montis nomine ſignificatos ſuperbos vidimus. De his Pſalmus: *Fundamenta Montium conturbata ſunt: Pſalm.17. v.8.* Vbi D. Auguſtinus *in Pſalm.17. pag.35. col.1. lit. D. Fundamenta montium; ſpes Superborum, qui in hoc ſæculo fuerunt, conturbatæ ſunt.*

6 Fundamentum eſt realis ſubſiſtentia; qua entia rationis, quia carent, ſine fundamento eſſe dicuntur: Hoc de Peccato, quòd negatio rectitudinis eſt, & conſequenter non realiter ſubſiſtens, affirmat Iob *cap.*

36.v.16. *Saluabit te de ore anguſto latiſſimè, & non habente Fundamentum* : Vbi Magnus Gregorius *lib.26.c.24.moral.pag.902.lit.B. Omne peccatum fundamentum non habet, quia non ex propria natura ſubſiſtit.*

7 Virga fundata eſt pæna æterna: quam deſcribit Iſaias *c.30. v.32. Erit tranſitus Virgæ fundatus* : *Et eſt ſenſus*, inquit D.Hieronymus *in cap.30. Iſ.to.4.pag.148.lit.E. nequaquam eum virga percutiet, & eam rurſus leuabit, ac more cadentium finem faciet verberandi; ſed quaſi fundatam, & alta radice defixam, in pænis eius faciet permanere.*

8 Fundare Lunam, eſt collocare Eccleſiam in ſcripturis ſacris, quæ ipſam firmam faciunt: De hoc Pſalmus 8, *v.4. Lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti* : & D. Auguſtinus *in Pſ.8. pag.22. col.1.lit.A. Luna, & ſtellæ in Cælo ſunt fundatæ, quia & vniuerſalis Eccleſia, in cuius ſæpe ſignificatione Luna ponitur; & particulatim per loca ſingulæ Eccleſiæ, quas nomine ſtellarum inſinuatas arbitror, in eiſdem ſacris ſcripturis collocatæ ſunt.*

9 Fundare Faſciculum, eſt aliquam inſtituere Religionem; nam & in Religione ligantur homines ad certam normam viuendi, & Deo ſpecialius ſeruiendi; Religio namque a religando dicitur: De hac Amos *c.9.v.6. Faſciculum ſuum ſuper terram fundauit* : Vbi D.Hieronymus *in Amoſ.to.5. pag.170. lit.H. Iſte ergo qui quotidie aſcendit in Sanctis, Faſciculum ſuum fundauit ſuper terram: de quo in Euãgelio loquitur: Ne timeas grex paruule, quia complacuit Patri meo habitare in te: Iſte faſciculus vna Domini religione conſtrictus eſt. Vnde & ipſa Religio a religando, & in faſcem Domini vinciendo nomen accepit.*

10 Fundare puluerem in terram, eſt Peccatorem iam per pænitentiam ad Deum conuerſum, ſtabilem in bono propoſito reddere: De hoc Iob *c.38.v.58. Quando fundabatur Puluis in terram*: Vbi Mag.Greg. inquit, *lib.30. c.6.mor. pag.985 lit.*D.E. *Puluis ergo in terra fundatus eſt, cum peccatores vocati in Eccleſiam, traditæ fidei ſunt ratione ſolidati; vt qui prius inconſtantia mobiles tentationis aura leuabantur, immobiles poſtmodum contra tentamenta conſiſterent.*

Verſus Nonus.

גְּבוּל שַׂמְתָּ בַּל יַעֲבֹרוּן בַּל יְשׁוּבוּן לְכַסּוֹת הָאָרֶץ :

Verſio ex hebręo: *Terminum poſuiſti, ne tranſeant; ne reuertantur ad operiendam terram.*

Vulgata editio: *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur; neque conuertentur operire terram.*

D.Hieronymus: *Terminum poſuiſti, quem non pertranſibunt, nec reuertentur vt operiant terram.*

D.Auguſtinus: *Terminum &c. neque reuertentur tegere terram.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

NVlla eſt inter expoſitores magni momenti diſſenſio, niſi tantum de tempore, cuius diuerſitatis ratio ſæpe ſuperius tacta eſt: verbum עָבַר aquo יַעֲבֹרוּן propriè *tranſire* ſignificat, vnde vulgata non ad verbum, ſed ad ſenſum dixit; *traſgredientur*; tranſeundo enim, diuinum præceptum de non tranſeundo, violarent. Deus ergo terminum poſuit aquis ne tranſirent fines ſuos, & terram cooperirent; iam vidimus ad hoc montes, inter alia effeciſſe, alias hìc cauſas reddemus; & hac de cauſa de altitudine montium, & aquarum: & inſuper de ortu, & productione, ac natura Inſularum, quæ ſuo modo Aquas terminant, determinare debemus.

SVMMARIVM.

1 *Quis ille ſit terminus, quo Deus Maris vndas compeſcuit.*

2 *Mare nonnulli putauerunt altius terra, ſed oppoſitum verum eſt.*

3 *De Varia Inſularum natura, & productione.*

§. I.

Quis ille ſit terminus, quo Deus Maris vndas compeſcuit.

1 T*Erminum poſuiſti, ne tranſeant* &c. Cum Deus optimus maximus ſuamet ſapientia duce Terrarum orbem ad Animalium, (Hominum præſertim) deſtinaſſet habitationem; ipſum ab aquarum inundatione vindicare debebat: Quapropter Terræ quibuſdam excauatis partibus, & in montes ſubleuatis, & oceano locum fecit, & Terram ab vndis liberauit; terminumque inter vtrumque elementum poſuit, vt vnumquodque intra ſuos fines contineretur; quod factum hic deſcribit Iſraelitarũ Monarca: *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur*, ſeu ex hebręo, *ne tranſeant, ne reuertãtur ad operiendam terram*: vbi eminentiſſimus Hugo *in Pſal.* 103 *Terminũ poſuiſti, ſcilicet aquis: poſiti enim ſunt termini Mari, vt ibi quieſcat, & non exeat.* Hinc dubitatio exoritur, quiſnã iſte terminus fuerit, qui aquas in officio cõtinens, terram immunem ab eius exundationibus præſeruat. Caſſiodorus in Pſ.103. putat, hoc de aquis diluuij dictum; tunc enim Oceano ſæuiendi in terram conceſſum eſt, ſed tandem ſua in loca reuerſis aquis, terminus fuit poſitus ipſis, ne amplius terram occuparent: *Terminum poſuiſti &c. Hoc de aquis Diluuij ad literam accipi poteſt, quo terram vlterius occupare non poſſunt.* Verum, præter-

Digitized by Google

præterquamquod, hic de primæua rerum conditione eſt ſermo, neque ipſe aſſignat quis ille ſit terminus; quare ad aliorum placita tranſeamus.

2 Ex multis ſcripturæ locis colligitur, terminum hunc arenam eſſe; ſic habetur Ierem. *cap. 5. ver. 22. An me non timebitis, dicit Dominus, qui poſui arenam terminum Mari?* Quia vero difficile videtur tam leuem materiam tanto elemento vim inferre poſſe, hoc reducit ad miraculum, ſcilicet Dei imperium D. Baſilius Mag. *Hom. 4. in Hexam. pag. 18. col. 1. lit. F. Ne e locis, quæ ipſum ſuſceperant affluens fuſim exundaret, tranſcenderet ſemper, atque ita ex alijs alia compleret loca, ac totam hoc pacto continentem terram ſtagnantibus vndis, & alluentibus inuolueret: iuſſa eſt in vnum ſe colligere locum. Idcirco furens ventis ſæpe numero Mare, atque ad immenſam altitudinem ſeſe attollens vi fluctuum, vbi littora ſolum attigerit, eo impetu mox in ſpumam diſſoluto, retrolabitur: An me non timebitis dicit Dominus, qui poſui arenam terminum Mari? En mare, & plane ſua vi intoleranda, re tamen omnium inualidiſſima, nempe arena frenatur, & coercetur.* Ieremiæ Iob adſtipulatur, Dei nomine, & ipſe loquutus, his verbis: *Iob cap. 38. Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: huc uſque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quam rem miratus D. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theol. pag. 210. col. 1. putat, hunc terminum, oſtium, & vectes nil aliud, quam Dei imperium eſſe; exiſtimat enim, Dei opera nequaquam naturalibus rationibus ſubdita eſſe; & hallucinari Philoſophos, dum de illius mirabilibus, naturali indagamine diſcurrunt. *Poſſunt ne hoc expedire Phyſici, atque inanis eruditionis laude celebres, cyatho Mare, hoc eſt res tantas ingenio ſuo metientes? An faciam ipſe, vt pauciſſimis verbis hoc ex ſcriptura ſacra explicem: idque probabilius, ac verius, quam ipſi cum prolixis ſuis diſputationibus? Præceptum circumdedit ſuper faciem aquæ; hoc humidæ naturæ vinculum eſt.* His addam Sapientis Siracidæ Ieſu authoritatem; qui Dei commendans opera, hoc præcipuum Bonitatis profert indicium, quod ſolo Verbo aquis terminum poſuerit, & quod eius formidabiles iras ſolo præcepto placet; & quid mirum, ſi qui eius aquis ſolo ſermone receptacula excauauit, in quæ eius congregationes fierent: etiam ſolo imperio placet iram, tempeſtates coerceat, furorem in placorem vertat? *Eccleſ. cap. 39. ver. 21. 22. Opera Domini vniuerſa bona valde. In verbo eius ſtetit aqua ſicut congeries; & in ſermone oris illius ſicut exceptoria aquarum: quoniam in præcepto ipſius placor fit.* Cuius ſententiæ omnino conſentire videtur D. Ioannes Chriſoſtomus *apud D. Ioann. Damaſcen. lib. 2. Paralellor. pag. 85. col. 1. lit. D.* qui præcepto Dominico, miraculoſè operanti Maris coarctationem, & tempeſtatum tribuit placationem. *Ventorum impetu ab imo fundo perturbatum mare, atque ingenti vi pulſum, arenæ terminos minimè tranſibit, Terminum, inquit ille, poſuiſti, quem non præteribit. Verum cum fluctus e pelago voluens perurſerit, atque æſtuans ſeſe excauarit, ac quodammodo rugiens intumuerit, Diuinam legem in arena impreſſam legit, ſtatimque refringitur, & reuoluitur. O ſingulare miraculum; ingens illud, atque horrendum mare, ab arena, hoc eſt re inualida, tanquam muro quodam obſepitur.* Itaque hæc ſententia putat Deũ ſolo nutu terminum aquis poſuiſſe.

3 Verum hæc ſententia, licet pia, tamen videtur inconueniens, non enim ſine neceſſitate miraculorum patrationem concedet Theologus; neque miraculum perpetuum, vbi naturalis effectus conuinci poteſt: Si enim Deus, cum ſit Omnipotens: *Pſal. 134. ver. 6. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in Cælo, in Terra, in Mari, & in omnibus abyſſis*; potuit ita aquæ & terræ connectere elementa, vt naturaliter, hæc emineret, coerceretur illa, cur hoc miraculo dandum eſt? Nam & in ſuperioribus vidimus, hanc elementorum coordinationem, quam Philologi commenti ſunt, falſam, fictitiamque eſſe; cum Ignis etiam in centro terræ reperiatur, & ſupra aerem, ipſum Cælum, vera ſit aqua: Deus igitur cauſas productiuas effectuum effecit, & voluit illas producere: poterat namque per ſeipſum producere herbas, & Terræ mandauit, ſic piſces dedit aquis, ipſiſque hominibus generationem, cum poſſet ſimul omnes homines, ſicuti Angelos vna productione creare: hoc docet Sapientiæ fidus Interpres D. Auguſtinus *lib. 7. de Ciu. Dei cap. 30. to. 5. Sic Deus adminiſtrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipſa ſuos motus exercere, & agere ſinat.* Igitur Arena terminus eſt Oceani, non miraculoſus, ſed naturalis, nam erectis montibus, in terræ concauitatibus humor adhæſit, qui cum ſit concentricus Terræ ſphæricè, in ea, quæ ſibi cecidit, parte, circa centrum voluitur, & cum extra centrum conſiſtere nequeat, in terram aſcendere minimè poteſt: arena igitur, ſimul cum montibus, & alijs editioribus locis, terminat mare. Non igitur cum tanto, & continuo miraculo debemus ſaluare ſcripturam, cuius naturalem cauſam poſſumus aſſignare; iſtam porro terræ, & aquæ ad vnicum centrum agglomerationem, eſſe eorum elementorum naturalem ſitum, alibi vidimus. Ita ſentit Pererius *in Geneſ. to. 1. lib. 1. pag. 73. lit. C. Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida: Mox ſubijcit, qua ratione Deus tanta molis aquæ capacem locum, & receptaculum comparauerit, vbi velut quodam carcere incluſæ aquæ coercentur, ne iterum terram obruerent, & operirent.* Id etiam docet Lorinus in Pſ. 103. in expoſitione verſus præſentis: *Terminum poſuiſti, quem non tranſibunt: Terminum iſtum diximus antea eſſe arenam, cui littora iungi poſſunt; atque etiam montes; vt Valentia longa oratione demonſtrat.* Altera opinio nonniſi in quibuſdam ſacræ paginæ authoritatibus nititur, quibus reſpondendum eſt: quia verò hoc pendet ex illa Quæſtione Vtrum aqua ſit altior terra necne, ideo illis poſt huius quæſtionis reſolutionem ſatisfaciemus.

§. II.

Mare nonnulli putauerunt altius terra; ſed oppoſitum verum eſt.

1 AQuam Terra altiorem eſſe exiſtimauere Veteres, Philoſophiæ inhærentes principio, quo ſecundum grauitatem, vel leuitatem eorum, eis loca deputantur: cum ergo aqua leuior terra ſit, ſupra eam collocari debet; & licet ex parte ceſſit Terræ, vt habitabilis fieret, nihilominus altior illa debet poni.

2 Probatur ſecundò varijs ſacræ ſcripturæ authoritatibus, quas adducit Franciſcus reſta *lib. 3. de meteor. aqu. Tract. 1. c. 6. pag. 616. col. 1.* his verbis. *Atque in primis Aquam eſſe altiorem terra, probari ſolet potiſſimè ex authoritate S. Scripturæ: Gen 1. aquæ ambientes terram iuſſæ ſunt congregari in vnum locum: neque dictum fuit, vt intra terram includerentur: ſi autem aquæ prius terræ ſuperminebant, quando erant diffuſæ & expanſæ ſuper totum ambitum terræ, multò altiores eſſe debent cum in vnum locum ſunt coaceruatæ. Pſal. 103. ſuper montes ſtabunt aquæ, terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. Prouerb. 8. certa lege vallabat abyſſos, legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos: Eſt iſta lex diuina, vis aquas continens, nè defluant: at ſi eſſent depreſſiores fruſtra lex impoſita fuiſſet. Hinc Prophetæ Dei potentiam magnificant, quod aqua terram non abſorbeat. Ierem. 5. Poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit. Eadem fere Iob 38. & Manaſſes in ſua oratione, 2. Paralipom. 38. Hæc & ſimilia loca indicant aquas ita eſſe ſituatas, vt effluerent, niſi eas Deus detineret.* Has ſcripturæ ſacræ ſententias ſuffarcinauit hic Author, vt ſuam opinionem firmaret. Confirmatur hæc poſitio duplici experimento; primum eſt de mari rubro de quo putauerunt antiqui Ægipto eſſe ſuperiorem; ideoq; Reges quoſdam olim tẽtaſſe ipſum mediterraneo iũgere, abſtinuiſſe vero, ne to-

Digitized by Google

tum obrueret Ægiptum. His conſentire videtur D. Baſilius *Homil.4. in Hexam. pag.18. columm.2. lit.B. Etenim Ægiptus quod ſit mari rubro humilior, vel illi nobis re ipſa perſuaſere, qui conati ſunt maria hæc Ægiptium inquam, & indicum, cui permiſcetur rubrum mare, inter ſeſe committere, & alterum alteri coniungere. Quamobrem deſtitere a conatu.* Ab eo idem ſumpſiſſe videtur D.Thomas Aquinas; qui ait *1. p. quæſt.69. artic.1. ad 2. Reſpondetur vno modo, vt aquæ in maiorem altitudinem ſint eleuatæ in loco, vbi ſunt congregatæ, vt experimento compertum eſt in mari rubro.*

3 Confirmatur deinde ex ipſius aquæ natura, quæ ſe circulariter obuoluit, non ſolum circa centrum, verum etiam circa ſeipſam; hinc inter duo littora mare arcuatum cernimus; & e littore mare aſpicientes, videtur altius, quia maius ſpatium videmus maris e turri, vel monte, quam e littore, propter globoſitatem; neque hæc prouenit a rotunditate ipſius circa centrum terræ ipſi etiam commune, quia ad tam paruum ſpatium non eſſet ſenſibilis.

4 His tamen minimè obſtantibus, dicendum eſt, Aquam Terra depreſſiorem eſſe, ideſt montibus, & editioribus locis, planitiei verò terræ æqualem, quia vnum globum æquale efficit cum terra: ad idem centrum, & eſt terra cum aqua veluti pila aliqua ſphærica ex duabus rebus diuerſis confecta; fuit autem excauata terra, & ſic non eſt perfectæ rotunditatis, quo ad montes, aqua verò perfecta planities eſt in ſua ſuperiori rotunditate: Hinc Aqua dicitur, quia in ſua ſphærica ſuperficie æqualis eſt; & eadem de cauſa Æquor dicitur; vt teſtis eſt D. Iſidorus *lib.13. orig. cap.12 pag.115. col.2. lit. B. Aqua dicta quòd ſuperficies eius æqualis ſit; hinc & Æquor appellatum, quia æqualiter ſurſum eſt.* Neque neceſſe eſt cõtinuo miraculo ſuſtineri, quod naturaliter eſſe poteſt; quòd cum multipliciter Salianus probaſſet *to. 1. Annal. Eccleſ. Die 3 num.16.* concludit tandem. *Itaq; ex dictis facilè intelligitur, terram aquis Eminentiorem eſſe, nihil vt illi timẽdum ſit ne ab aquis nutu ſuo defluẽtibus, obruatur: parumq; neceſſarium ſit, vt eas perpetuo miraculo diuinum imperium retineat, & ſi aliquando ſcriptura Sacra, quæ ſe ad vulgi captum, ſenſumq; accommodat, id ſignificare videatur.* Probatur autem noſtra ſententia Primo ex authoritate Sacræ Scripturæ, & primo ex Pſalm. 32. verſic. 7. & 8. In quo Pſaltes laudans Dominum ex rerum creatione inquit. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum: Congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abiſſos.* En creatorem ſpiritum aquas diuidentem, atque in vtre, & Theſauris condens; quid portò vtris nomine niſi concauitates terræ ſignauit? Equidem in locis ſecretis, & ſubterraneis Theſauri ſeruantur; audiamus Genebrardum *in Pſalm.32. pag.119. lit.C. Colligit in ſuo alueo ſicut in vtre, & aceruo maris aquas, quæ initio erant terris ſuperfuſæ; condit in cœlis, & in receptaculis occultis, in terræ concauitatibus, ſicut in theſauris aquarum voragines, & abyſſos. Pſalm.106. v.23.* dicitur: *Qui deſcendunt mare in nauibus*: Sic de Iona fugiente a facie Domini, non dicitur aſcendiſſe, ſed deſcẽdiſſe in Nauim: *Et dedit naulum eius, & deſcendit in eam. Ion. cap. 1. v.3.* Neque rectè reſpondent dicentes his locis nomine *deſcendere* intelligi progredi: nã etiam aſcendere eſt progredi, & ire; & rectè dicitur de ſcandentibus montes, de quibus cum dicatur quòd eant, & progrediantur, nequit tamen dici, quod deſcendant. Deuteron. 4. ver. 18. dicitur: *Similitudinem omnium iumentorum, quæ ſunt ſuper terram, vel auium ſub cœlo volantium, atq; reptilium, quæ mouẽtur in terra, ſiue piſcium, qui ſub terra morantur in aquis*: ergo *aquæ in quibus piſces, ſub terra ſunt.*

5 Probatur ſecundo ratione mathematica, primo ex vmbra terræ, quæ ipſius rotunditatem demonſtrat, ergo aqua in ſuperficie plana æqualis eſt terræ, ſed in aqua nõ ſunt montes, ergo terra in montibus ſuperior eſt aquis; ſecundo ex differentia horarum itinerum; nam Nautæ ita obſeruarunt per differentiam quindecim graduum longitudinis in mari conſtitui vna hora; ſicuti in terra continenti, ergo mare altius terra non exiſtit. Tertio; ſi mare eſſet altius terra ſequeretur, quod qui de littore velitarent, magis laborarent in remigando, quia aſcenderent, & e contra: de quo ita Pererius *tom. 1. in Gen. lib.1. pag.76. lit.B. Si enim mare eſſet altius terra, pari vẽtorum, aut remigum vi, & impulſu eadem Nauis multo velocius ferretur ad portum, ſeu littus tendens, quam ex portu, ſeu littore diſcedens: diſcedẽs enim ex littore aſcenderet, &c.* Sed hoc eſt contra experientiam; ergo. Quarto. Si mare altius terra eſt, quomodo Aquæ torrentes videlicet, & flumina, deſcendunt? ergo ſignum eſt quod ad decliuiorem locum feſtinant; neque hoc euenit, vt reliquæ iungantur aquæ, nam cum in locum editiorem perueniunt curſum ſiſtunt, & paludes procreant: quare optimè inquit Cardinalis Caietanus *in cap.1. Gen. pag. 7. col. 2. Si quis autem dubitat terram apparentem eſſe ſuperiorem aquis, non tam eget ratione, quam applicatione ad ſenſum; quoad oculum videmus aquæ motum ſemper in decliuiorem eſſe locum: hinc enim manifeſtum eſt, quod ſi terra apparẽs eſſet inferior mari, aqua maris ad ipſam (vtpotè decliuiorem) moueretur.* His igitur rationibus victi concludimus mare altius apparenti terra non eſſe.

6 Verum Aduerſariorum rationibus ſatisfaciendum eſt. Et primò ad authoritates Sacræ Scripturæ dicimus, ibi loqui tanquam de re mirabili, quia vt plurimum homines cauſam ignorant, & ſic ad rudem hominũm captũ Scriptura ſe accommodat. Quod patet: *Prouerb. cap.8. v.27.* Vbi dicitur: *Quando certa lege, & gyro vallabat Abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, &c. & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos.* Sed Ætheri ſurſum eſſe naturale eſt, ergo & aquis non tranſire fines ſuos naturale erit: ſic dicitur: *Tu fabricatus es Auroram, & Solem, Æſtatem, & Ver tu plaſmaſti ea, Tu feciſti omnes terminos terræ: Pſalm.73. v.18. & 19.* quòd in ſuis cauſis intelligitur, nam neque Aurora fabricatur, neq; Æſtas, aut Ver producitur, ſed ex Solis ad Orizontem, vel ad Zenith acceſſum oriuntur: Similiter Deus poſuit terminos mari, ſed ex naturali cauſa productos, montes ſcilicet, & elatiorem arenam. Quod obſeruauit Pererius *loc. cit. pag. 77. lit. C. Porrò quòd Scriptura inquit præcepto Dei coerceri aquas, & teneri ne terram exundent, non arguit eas ſublimiores eſſe terra, & miraculosè contineri ne defluant ad operiendam terram: ſed indicat aquas ita fuiſſe a Deo creatas, & in talibus locis collocatas, vt non queant exire ad operiendam terram: quia tertia die ſegregauit aquam a terra, & in prædicta loca coegit, quia Deus oppoſuit, & obiecit aquis magna ſcopulorum, montium, & littorum impedimenta.* Ad rationem ex loco naturali elementorum, quære reſponſionem ex §.3. & 4. in Verſum VI. Ad experientiam de Mari rubro dicimus illam factam non fuiſſe; deinde nihil prohibet aliquam terræ planitiem eſſe decliuiorem littoribus, & conſequenter mari, vt eſt in agro Setino, & Terracinenſi; hoc tamen potius euincit littora eſſe elatiora non ſolum mari, verum etiam terrę planitię, quam terminat. Ad aliam experientiam de viſione, dicimus hoc prouenire ex rotunditate aquæ; cum verò dicitur hanc in tam breui ſpatio ſenſibilem non eſſe, gratis dicitur; nam & in terra idem contingit, vt maior pars terræ continentis videatur ex monte, quam ex planitie. concludendum eſt igitur, aquas ſine hoc nouo, & continuo miraculo, contineri ne operiant terram, quia poſuit eis Deus terminum littora, ſcopula, & montes ipſis fluctibus eminentiora.

§. III.

De varia Inſularum natura, & productione.

1 T*Erminum poſuiſti &c.* Ex hucuſque declaratis euidenter colligitur arenam, Montes, & ſcopula

Oceani

Oceani furentis terminare motus, frænare conatus: ſed neq; ab hoc munere Inſulæ reiciendæ ſunt, quæ in medijs fluctibus ſitæ, cōtra conatum aquarum aridam tuentur. *Eſt igitur Inſula Terræ portio, quæ vndiq; circumdatur aquis*; & propriè de marinis dicitur; nam ſecundum D. Iſidorum *lib.13. orig. cap.6. pag.123. col.1. lit. D. Inſulæ dictæ quod in Salo ſint, ideſt in mari.* Vſus tamen euicit vt terræ omnes portiones in medijs quibuſcumq; aquis, ſiue lacubus, ſiue fluuijs dicantur Inſulæ, Inſuper, & Domus ipſe, quæ ab alijs per omnes partes ſunt ſeparatæ Inſulæ etiam nuncupantur. Multæ reperiuntur fertilitate inſignes, vt Sicilia, cuius ſolum feraciſſimum eſt; qua licet aere inſalubri ſit ignobilior Sardinia, tamen neque magnitudine, neque fertilitate ea minor eſt. De Taprobana inquit D. Iſidorus *loc. cit. col.2. lit. H.* Bis in anno fructus reddere: *Taprobana Inſula Indiæ ſubiacens ad Eurum, ex qua Oceanus Indicus incipit, &c. In hac Inſula dicunt duas eſſe Æſtates, & duas hyemes, & bis locum vernare floribus.* Hæc Inſula, vt putat Abrahamus Ortelius, & alij Coſmographi, hodie vocatur Zeilan, de cuius fertilitate tam mira dicuntur, vt in ea terreſtrem Paradiſum fuiſſe Incolæ ſibi ſuadeant. Illud porrò mirabile, quòd aliquæ (Seneca referente *lib.3. cap.25. quæſt. natur. pagin.626.*) reperiantur Inſulæ mobiles, ſeu natantes, quæ ventorum flatu actæ, per vndas vagè feruntur: *Itaque vbi aqua grauior eſt hominis corpore, aut ſaxi, non ſinit id, quod non vincitur, mergi. Sic euenit quibuſdam ſtagnis, ne lapides quidem peſſum eant: de ſolidis, & duris loquor. Sunt enim multi pumicoſi, & leues, ex quibus, quæ conſtant Inſulæ, in Lidia natant. Theophraſtus eſt author. Ipſe ad cutylias natantem Inſulam vidi. Alia in vadimonis lacu vehitur, alia in lacu ſtatonienſi. Cutyliarum Inſula, & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aqua ſuſtinetur: & in hanc, atque illam partem non tantum vento impellitur, ſed & aura.* Illud Porrò quod de Corſicæ fertilitate narrat D. Iſidorus mirabile eſt; quomodo eius fertilitas, mortalibus hactenus ignota ex Tauri commonſtratione inſignis euaſerit: ita enim narrat Sanctus *lib. 14. Orig. cap.6. pag.124. col.2. lit. F. Corſica Inſulæ exordium incolæ ligures dederunt, appellantes eam ex nomine Ducis. Nam quædam Corſa nomine mulier ligur, cùm Taurum ex grege, quem propè littora regebat, tranſnatare ſolitum, atque per interualla corpore aucto remeare videret; cupiens ſcire incognita ſibi pabula, Taurum a cæteris digredientem nauigio proſecuta eſt vſque ad Inſulam. Cuius regreſſu Inſulæ fertilitatē cognoſcentes Ligures, nauigijs illuc profecti ſunt, eamq; mulieris Ducis nomine appellauerunt.* Porrò in Inſula Islandia, antiquitus Thulæ, ſeu Thyle, cum niue, glacieque obſita, ex poli propinquitate, arbores ad coquendos cibos præſto non habeat, Fontem aquæ calidæ ſolum præſtat, ad hunc vſum aptiſſimum: in Melita venenoſa animalia venenum exuunt, in Balearibus, neque naſci, neque viuere; ſed prope Hiberniam alia eſt Inſula viuentium dicta, in qua homines mori nequeunt. Inſula Ilua ferri eſt feraciſſima; ſicut & ſtamni Cuba; auri nonnullæ. Atque hæc quoad Inſularum naturam, ſufficiant.

2 Nunc de Inſularum productione determinandum eſt. Non ignobilis eſt coniectura ante vniuerſale diluuium Inſulas non fuiſſe, & maiorem terræ partem, quam nunc, aquis ſuperfuiſſe, eamque totam continuam & continentem: Poſt diluuium verò non eodem in ſitu, quem antea tenebat, faciem terræ reuerſam, ſed hinc inde diſſectam in varias Inſulas. Id in primis ſuadet authoritas D. Auguſtini, (qui ſi Author illius operis non eſt, refert tamen Authorem ante mille annos, ſæculo ſcilicet ſexto, inter mortales verſatum) Ita enim inquit. *De qua inquiſitione in illis aquis, quæ de catharactis Cœli fluxerunt, bina Magiſtrorum æſtimatio eſt. maria quoq; extra terminos antiquos creſcere, cum tumeſcunt, & terrarum ſpatia diminuunt, atq; proſcindunt, ſicut & ſenes adhuc noſtro tempore viuentes, vidiſſe ſe confirmant; vnde etiam Inſulæ, quæ ab initio conditi orbis, vt multi affirmant, non fuerant, proceſſu temporis faciunt, dum propinqua promontoria marinis fluctibus a continenti terra diuidunt. D. Auguſtin. de mirabil. ſacr. Scriptur. lib.1. capit.7. tom.3. pag.397. column.1. lit. C.* Inſigniores tamen Inſulas ipſum Diluuium fecit; nam licet Dominus vrenti ſpiritu immiſſo, qui fortè Solis fuit, diſiectis denſis illis nubibus, quibus antea tectus radios immittere non poterat, vel etiam calido vento, ſeu verius vtroque, vento vrenti ſcilicet, & Sole, maiorem aquarum partem ſiccauerit, vt ſentire videtur Rupertus in illud Geneſis 8. *verſicul.1. Adduxit Spiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ*; inquit enim *lib.4. in Geneſ. cap.22. pag.60. colum.1. tom.1. Nam ſpiritum hic iuxta literam, vel calidum ventum, vel etiam ipſum Solem, qui hactenus ſub denſis nubibus latuerat, intelligimus. Dixit enim de illo Eccleſiaſtes: luſtrans vniuerſa per circuitum pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Nihilominus, magna vis illarum aquarum iſthmos non paucos corroſit, & ex promontorijs Inſulas fecit. Præcipuè autem hoc quòd de Delos Inſula dicitur, quòd poſt diluuium tempore Ogigis Regis (eum fuiſſe Noeticum, & nomine Ogigis ipſum intelligi Patriarcham omnes ferè ſentiunt) ea Inſula poſt multorum menſium obſcuritatem primò Solis radijs excepta fuit, proptereaq; Delos audiuiſſe: neque prohibet credere tunc primum apparuiſſe, nec ante Diluuium extitiſſe: Hæc de ea D. Iſidorus *lib.13. capit.12. orig. pag.124. lit. B. Delos Inſula in medio Cicladum ſita. Et dicta Delos, quod poſt diluuium, quod Ogigis temporibus notatur, cum orbem multis mēſibus continua nox inumbraſſet, ante omnes Terras radijs ſolis illuminata eſt, ſortitaq; ex eo nomen.*

3 Confirmari poteſt hæc opinio ex ijs, quæ de Inſula Zeilan narrantur, in qua terrenum Paradiſum fuiſſe, & ſitus ad Orientem, & aeris ſalubritas, & ſoli fertilitas, & Incolarum traditio probat; manifeſtum porrò eſt Deliciarum Hortum Inſulam non fuiſſe, quando conditus fuit; ſupereſt igitur, vt dicamus a diluuij ſurgere a continenti ſolo ſeparatum. Neq; Platonis hiſtoriam prætereamus. Narrat namq; in Timeo Inſulam in mari Atlantico fuiſſe Libia, & Aſia maiorem, & terremotu ſubmerſam, his verbis. *Atlantis Inſula vaſto gurgite merſa eſt, quam ob cauſam innauigabile pelagus illud propter abſorptæ Inſulæ limum relictum; tunc pelagus illud nauigabile erat, Inſulam enim habebat ante oſtium, quòd vos columnas Herculis apellatis. At Inſula illa, & Libia, & Aſia ſimul maior erat, ex qua aſcenſus ad alias inſulas tunc proficiſcentibus, contingebat ex Inſulis in omnem ex aduerſo continentem circa vaſtum illum pontum ſitis.* Hanc narrationem nonnulli fabuloſam exiſtimant; è contra verò Tertullianus, Pamelius, Marſilius Ficinus, & alij veram hiſtoriam credunt; puto ego non Inſulam, ſed continentem terram fuiſſe, & noetico diluuio ſubmerſam; atque inde omnes Inſulas canarias, & alias ortum duxiſſe, neque Americam ante diluuium, ab Europa, & Aſia diſiunctam fuiſſe: Neque omnes illas tam magnas Inſulas, quas refert Salianus, terremotu ſurrexiſſe crediderim, ſed maiorem partem diluuium effectorem habuiſſe. *Nonne* (inquit ille *Annal. Eccleſ. tom.1. die 3. num.67.*) *Qua Euboea Inſula Græciæ: qua Sicilia Italiæ, qua Hibernia Britanniæ, fortè etiam Britannia Galliæ iungebatur, maris irruptionibus abſorpta eſt, & Inſulæ ex peninſulis factæ ſunt: ita terra iuncta Acarnaniæ, & Peloponneſo in ſinum corinthium mutata eſt, & magna pars Hollandiæ, Zelandiæ, Bataviæ in mare Flandricum.* Has omnes Inſulas diluuium peperit, quod & Atlanticam ſurripuit terram; nam & ipſam non Inſulam, ſed continentem Terram vocat Tertullianus *in Apologet. cap.40. Memorat Plato maiorem Aſia, & Africa Terram Atlantico mari ereptam.*

4 Neque idcirco negandum eſt multas Inſulas etiām poſt diluuium varijs de cauſis ortas; & vna ex præci-

Digitized by Google

puis Terræ motus eſt, ex cuius impetu & terras abſortas, & Inſulas enatas memorant: De quibuſdam narrat Seneca *lib.6. cap.21. quæſ. natur. pag. 700. Tunc demum impetum ſumunt, cum illas agit flatus; qui poteſt diſſipare magna ſpatia terrarum, & nouos montes ſubiectos extollere, & inſulas non ante viſas in medio mari ponere. Theren, & Theraſiam, & hanc noſtra ætatis inſulam, ſpectantibus nobis in Ægeo mari natam, quis dubitat, quin in lucem ſpiritus vexerit?* Hoc itidem de Atalante ciuitate terræmotus violentia a continenti abſciſſa refert Oroſius *lib.2. cap.18. Atalante Ciuitas locris adhærens contigua, repentino maris impetu abſciſſa, atque in Inſulam deſolata eſt.* Titus Liuius, & ipſe in ſuis hiſtorijs *lib. 40. pag. 504. ver. 59.* narrat, anno, quo Tarquinius, e Regno deturbatus eſt, prope Siciliam Inſulam apparuiſſe; *Nunciatumque erat haud procul Sicilia, Inſulam, quæ non ante fuerat, nouam editam de mari.* Quod licet ipſe pro prodigio habeat, terræ, & aquarum tremori, & concuſſioni tribuendum eſt.

5 Illud præterea obſeruandum eſt aliquando artificioſè, & ex leui cauſa ſurrexiſſe Inſulas; nam de Ægiptiorum Rege narratur, quod regno pulſus, & in paluſtria loca eſt euectus, vt latitaret, in mediis aquis cinere clam aduecta, & aliis rebus Inſulam fecit, in qua quinquaginta annos latuit; & vnde tandem ad regni faſtigium iterum egreſſus eſt. Herodotus id narrat. *lib.20. num.63. Eo profecto ex Ægipto, rurſus cæcum è paluſtribus egreſſum accepiſſe imperium: vbi quinquaginta annos habitaſſe Inſulam, cinere, atque humo aggeſtam: nam vt quiſque ægiptiorum iuſſus illuc ibat portans frumentum, ei mandabat, vt clam Æthiope ad ſe dono etiam cinerem ferret. Hanc Inſulam nemo ante Amyrreum inuenire potuit, cui Inſulæ nomen eſt Elbo, decem omnino ſtadiorum magnitudinis.* Romæ etiam eſt Inſula in medio Tiberis, quæ etiam caſu aggeſta eſt; nam cum ſuperbi Tarquinii agros, Marti dicaſſent, & ibi ſegetes reperirentur, nefas putantes, eas in vſum conuertere hominum, quæ Dei eſſent, eas radicitus cæſas in aquam proiecerunt, quæ in vnum locum collectæ, & aliis fluminis ſordibus agglomeratis Inſulam fecere. Hoc ita narrat in ſuis hiſtoriis Liuius. *lib.2. cap.23. ver. 45. Fortè ibi tum ſeges farris dicitur fuiſſe matura meſſi, quem campi fructum, quia religioſum erat conſumere, deſectam cum ſtramento ſegetem, magna vi hominum ſimul immiſſa, corbibus fudere in Tiberim, tenui fluentem aqua, vt medijs caloribus ſolet; ita in vadis hæſitantes frumenti aceruos ſediſſe illius limo: Inſulam inde paulatim, & aliis, quæ fert temerè flumen inuectis, factam.* Sed iſtæ Inſulæ ſic effectæ parui ſunt momenti, earum tamen productionem adnotare placuit propter hiſtoriæ famam. De Inſulis flammas euomentibus, alibi dictum eſt. Inſularum igitur compendioſa narratio hæc eſt, quam ſufficere puto, ad hoc vt de omnibus terminis frementium, & exundantium aquarum, quantum noſtro inſtituto ſufficere videtur, claram notitiam habeamus.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

TErminum Altiſſimus Oceano poſuit, vt animantia omnia, quæ terram incolunt, tutum refugium ad inhabitandum haberent, vtpote quæ ipſius iraſcentis furorem parua arenarum congerie temperandum nouerunt. Enim vero neque minus vitia ad terram animæ operiendam, atque perdendam inſoleſcunt, atque omnem illius virtutem abſorbere minantur; ipſis quoque terminum ponere neceſſe eſt, vt procul actis tentationibus, tuta regnet in pectore virtus. Quod ſi moralis terra eſt cor hominis, vt ſupra viſum eſt, morales terminos, ad tantum frenandum Oceanum, requirit. Hos ſequentibus Paragraphis vtiliter, & breuiter perſtringemus.

SVMMARIVM.

1 *Contemplatiui ne plus ſapiant, quam oportet, nec ſecretiora ſcrutentur.*
2 *Arcana Deitatis tegenda, ne ſimplices obruant.*
3 *Deus nos tentari vltra noſtras vires non permittit.*
4 *Verba otioſa, & maledica Deus interdicit.*
5 *Dominus pauperes eligit ad frangendam mundi ſuperbiam.*
6 *Ex aqua lateris Chriſti, vita, & ſalus mundo orta eſt.*
7 *A terra virtutis ad maris laſciuiam non tranſeundum.*
8 *Libido omnes Animæ virtutes corrumpit.*
9 *Deo dicatus terrena negotia tractare non debet.*

§. I.

Contemplatiui ne plus ſapiant, quam oportet, nec ſecretiora ſcrutentur.

1 TErminum poſuiſti, &c. Inter omnes mortalitatis humanæ pernicies, illam inter omnes præualere exiſtimo, quę ex curioſitate nimia exurgit: Pernicies hęc eſt maxima, quandoquidem, nec in ſolis mortalibus deſideriis ſiſtit, verum etiam ipſis Dei ſpiritualibus contemplationibus vltro ſe inſerit. Etenim dum nimium Intellectui ſpeculanti conceditur, vanis curioſitatibus delectatus, amore charitatis extincto, in carnis deſideria, & multoties in mentis infidelitatem incurrit. Tot hæreſes ſpeculare, quæ retroactis ſæculis ſurrexere, & clarè cognoſces cauſam aliam haud habuiſſe, niſi ſuperfluendam in diuinis arcanis contemplandis curioſitatem: dum enim plus inueſtigare de Deo, quam fas erat ſatagebant, in ipſa fidei contemplatione infidelitas conſurrexit. Hoc remouere a fidelibus ſuis volens Deus, nimiam curioſitatem interdixit; de qua Propheta intellexit, dicens: *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur*, ſcilicet viris contemplatiuis, ne curioſè plus quam licet ſcrutentur. Ita ſentit Hugo. Car. *in Pſal. 103. Terminum poſuiſti, ſcilicet montibus, & collibus, contemplatiuis, & actiuis: quem non tranſgredientur: vt contemplatiui non plus ſapiant, quam oportet ſapere, nec ſint perſcrutatores Maieſtatis.*

2 Ipſe Dominus noſter hoc manifeſtè declarauit, cum ad cæleſtia regna victor aſcendit: etenim diſcipulis eius inſpectantibus cunctis paulatim eleuatus eſt, illius gloriæ fulgorem indutus, quem decebat Dei Filium triumphatorem, Angeli comitabantur pſallentes, hymniſque victoriam celebrabant, tanta delectati gloria diſcipuli in cælum oculos fixos tenebant, cum repente nubes, lucida

vtique,

vtique, ſed importuna, tanta viſione priuauit, ſe intermedium conſtituens. *Actor. cap. 1. verſ. 9. Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Sed cur nubes ſuſtulit viſionem? Itane ſuos Deus ſolatur amicos, vt eius myſteria contemplantibus charam ſui notitiam interdicat? Ita noſtra delicata eſt mortalitas, vt niſi aliqua alliciatur dulcedine neque ipſam contemplationem amet: quid autem dulcius quam Deum inquirenti Animo ſemper nouas, ac miras Deitatis reuelationes apparere? Intellectus ſapientiam quærit, & cum plures veritates agnoſcit, gaudet magis; æternæ autem veritatis archana ſecretiora in dies cognoſcere pabulum illi ſapidiſſimum eſt: Cur ergo ſapientiſſimus Dominus caliginis obumbrat nube contemplantium mentem, ne hæc mirabilia aſſequantur? Ne ſpeculantes, quæ non oportet in vitium incurrant. Contemplatio opus affectus eſſe debet, non inquiſitionis; amando, non ſpeculando in montem perfectionis aſcenditur. Ita Venerabilis Angelus del Pas *in ſimb. Apoſtol. capit. 8. libro 8. pag. 435. lit. C. Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum: etiam, vt perſcrutari deſinerent, quæ non decebant*. Atque omnes contemplatiuos viros docerent, ne curioſè inquirerent abſcondita Deitatis archana, ſed potius ament quod non vident, vt quod amant aſſequantur.

3 Inter omnes creaturas, nulla reperitur (licet omnes Dei vel imaginem, vel veſtigium exprimant) quæ illius maieſtatem melius exprimat, quam Sol: Vnicus cum ſit iſte Diuinæ eſſentiæ vnitatem euincit; cum omnia illuminet, Dei munificientiam oſtendit, dum ad omnia producenda concurrit, Dei generalem concurſum demonſtrat; dum tenebras pellit, Deum malorum cauſam non eſſe probat; dum tempora diſtinguit Dei æternitatem ſignat; dum calefacit, Dei charitatem figurat; dum aſtrorum omnium lucem occultat, Diuinę eſſentiæ immenſitatem, & nulli comparandam perfectionem reſtatur. Illud tamen præcipuum, & Diuinæ Maieſtati ſimillimum in Sole eſt, quod temerè eum intuentes excæcat; & præclarum illud luminare, quod ad omnia illuſtranda creatum eſt; cæcitatis ſit inſtrumentum ſi curioſius contempletur: Solem intueri parum debemus, ſi eius frui luce perpetuò deſideramus. Ita & Deum parũ ſcrutari debemus, credere in eum oportet, amare credi tum, at non perſcrutari contemplatum; quid mirum, igitur, ſi hæreſis tenebris excæcatos eos videmus, qui diuina luce in eius ſcripturis radiante minimè contenti, eius veritatem ſuis ſpeculationibus ſubdere voluerunt? Solem intueri nefas eſt; periculoſum diuina myſteria curioſis veſtigantionibus perſcrutari. Hoc & in Fidei ſymbolo Apoſtoli docuerunt, dicentes: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*; vt ſcilicet ſibi perſuadeat Homo, Deum fideliter credendum, non curioſè ſpeculandum. Id benè edoctus Paulus prædicabat: *Rom. cap. 10. v. 10. Corde creditur ad iuſtitiam*: opus cordis, opus amoris eſt credere, nòn intellectus, non diſcuſſionis: egregiè id expendit D. Petrus Chriſologus. *ſerm. 61. in ſimb. Apoſt. pag. 301. col. 1. Qui credit in Deum, Deum diſcutere non præſumat: Deus quòd ſit ſufficit ſcire: Qui requirit, vnde ſit, quantus ſit Deus, Deus quid ſit, hic neſcit: Sol importunum tenebrat aſpectum; ad Deum inconceſſus cæcatur acceſſus: Deum qui vult videre viſionis eius diſcat tenere modum*. Sicut namque qui Solem plus iuſto intuetur, cæcus effectus, nec ipſum nec alia videt; ſic qui Deum temerè diſcutit nec Deum nec alia cognoſcit, infidelitatis caligine obtenebratus.

4 Reperiuntur Ingenia ita deprauata, vt numquam dictis, vel auditis acquieſcant, niſi rei cauſas omnes agnoſcant, cur dictum, cur factum, cur imperatum; & niſi de ſingulis rationes, & a priori reddantur, nec credere velint, nec obedire mandatis feſtinent. Hoc ſi in humanis rebus inſolentia eſt, in diuinis erit prorſus temeritas. Ab hoc vitio ſe alienum oſtendit Apoſtolus: *Ad Rom. cap. 1. verſ. 13. Nolo autem vos ignorare fratres, quia ſæpè propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc*. Quis prohibebat Apoſtolum maximo deſiderantem affectu Romam accedere, ciues romanos erudire, rem proſequi quam optabat? Vtique Deus. Cur autem Deus id vetuit? De hoc nihil dictum eſt. Sufficiebat namque Paulo ſcire diuinam prohibitionem eſſe, cauſam eius non inquirebat, obedire didicerat, non diſputare; vt & nos diſceremus diuina exequi mandata, nec de ocultis mandatorum cauſis diſcutere: audiendus de hoc D. Athanaſius. *in epiſ. ad Rom. pag 3. col. 2. Si enim ipſe & votis & precibus ſæpè depoſcis, & hos conſolari, & te conſolationis huiuſce fieri non expertem: quid impedit quominus conuenire hos queas? Id ſanè inquit, quia Dei iuſſu prohibeor. Vides quam ille nõ prorſus cauſam diuinæ inhibitionis conquirit; ſed paret, nil hæſitans, Dei imperio: nos inſtructurus ne curioſius, quæ Deus geſſerit, exquiramus*. Crede ergo fidelis, ama cõtemplatiue; terminus tuæ curioſitatis Dei imperium ſit, quẽ tranſgredi non præſumas.

5 Neq; tamen ad id probandum deuenimus, vt Religio chriſtiana ratione ſuarum poſitionum careat; quod falſarum ſectarum proprium eſt; fatemur namq; Chriſti Fidem optimis munitam rationibus eſſe, & licet multa præter naturæ ordinem doceat, nulla contra illam admittit. Illud porro ſuadendum ſatagimus, non eadem demonſtratione res naturales, & diuinas demonſtrari. Duplex enim apud Dialecticos Demonſtratio datur, a priori ſcilicet, & a poſteriori: in multis naturalibus vti poſſumus demonſtratione apriori, in diuinis autem nonniſi a poſteriori argumẽta ſumenda ſunt: ſcilicet, vt Dei opera non humanis metiamur principijs, ſed Dei reuelationes ſequentes ipſas noſtris principijs contrarias non eſſe oſtendamus. Deum ſequi debemus, quæ dixerit credere, quæ mandauerit obtemperando adimplere; non præire debemus: ille Deo præire autumat, qui de diuinis reb. rationes a priori deſiderat. Horum Figura Moyſes extitit, qui ne cũ Deo loqueretur, de quo faciem ignoraret, eam videndam petiijt: Deus autẽ, vt eius frenaret curioſam audaciam, non faciem, ſed poſteriora videnda exhibuit. *Exod. cap. 33. v. 20. Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*. ob allegatam rationem docet D. Petrus Chriſologus *ſerm. 131. pag. 364. col. 1. Moyſes, vt poſteriora tantum Dei videat, admonetur: quatenus homo quærat Deum ſequi, non præcedere: neque ante Deum quæ ſint quærere, ſed quod per Deum ſint omnia adorator agnoſcat*: ergo a poſteriori cognoſcendus eſt Deus, quia ſcilicet omnia creata produxit, quare autem produxerit inquirendum non videtur.

6 Contemplanti Iſaiæ Diuinitatis eſſentiam apparuit Deus; & in illa maieſtate viſus eſt, quæ maximum apud homines venerationis indicium eſt; In ſolio ſcilicet pulchritudine conſpicuo, celſitudine inſigni, luce fulgenti: *Iſai. cap. 6. verſ. 1. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum*. Et quia Regem ſæculorũ decebat cęleſtium Ciuium habere obſequium, circum diuinum ſolium Seraphim ſtabant, & contemplantium ſpeciem præſeferebant; nam & alis volabant, meditatione videlicet, & lectione. Sed dic ſodes quid iſti magni contemplatores de Deo vident? fortè omnia quæ in Deo ſunt intuentur clarè? An principium, finemque infinitæ eius ſubſtantiæ aſſequuntur? Nequaquam, ſed tantummodo medietatem diuini Corporis cernunt, facies, & pedes velantur: audi Prophetam: *verſ. 2. Duabus*, alis, *velabant faciem eius, duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*. Ergo ſi Dei faciem, pedeſque tegunt, conſequens eſt, vt ſecretiora Deitatis ignorent, & tantummodo aliqua captu faciliora dignoſcant. Nobis autem Diuinitatem contemplantibus hæc doctrina data eſt, vt videlicet reuelatis credentes, ibique ſiſtentes, curioſas inueſtigationes deuitemus. Id teſtatur Diuus Ciprianus. *in Prolog. de operib. Chriſ. pag. 243. Huius rei forma Seraphim faciem Dei, & pedes velat, & patentibus, quæ in medio ſunt; principium finemque maieſtatis diuinæ alarum*

exten-

extenſio infra, ſupraque operiens, aditum ad ſe temerarijs tractatoribus interdicit; nec patitur ſe ad liquidum videri Diuinitas; quam vtique inueſtigatio fidelis aliquo modo adorat, & ſentit, ſed puram eius eſſentiam nec conſpicit, nec comprehendit. En terminum veſtræ inani curioſitati poſitum, contemplatores; Fides Dux veſtra ſit, altiora ne quæſieritis, claram Dei viſionem amatores, non diſquiſitores ſin aliter conſequuntur.

7 Poterant vtique diuinæ paginæ ſcriptores de ſingulis Dei operibus reddere rationem, ab eo tamen abſtinuerunt; Fides enim non eſt, quæ rationibus demonſtratur; credere autem quod Argumenta conuincunt meritum habere non poteſt. Abrahæ celebratur fides, quia contra ſpem in ſpem credidit. Hoc præſertim in Virginis partus narratione eniteſcit, nam Diuus Lucas inquit: *cap.2.verſ.6. Peperit filium ſuum primogenitum:* Quomodo autem pepererit tacet; Virgo peperit, Virgo permanſit, ſed quomodo id factum ſit non recenſet; ſed fortaſſe non audiſtis paulò ante dictum: *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum?* Sufficiat ergo tibi ſcire Deum Omnipotentem, vt credas Virginem peperiſſe, modum autem parturitionis huius ne quæras; quis enim Dei abſcondita archana penetrare poterit? ineffabilia ſunt, ideo ſilentio conſecrantur. *Virginis partum*, inquit D. Petrus Chriſologus, *ſerm.143 pag.372. col.1. ſicut humano ſermone pandit, ita diuino claudit archano: & hoc facit, vt homo, quod credere iuſſus eſt, diſcutere non præſumat: quis attingit arcanum Dei, partum Virginis, rerum cauſas, ſæculorum negotium, commercium Diuinitatis, & carnis, hominem Deumque vnum Deum?* Satius eſt igitur reuerenter credere, quod ratio non attingit: Fidei opus eſt, non ſcientiæ: Cum de Deo agitur, ſileat lingua, cæcutiat intellectus, Philoſophia obmuteſcat; ſola fides videat, quæ charitas amplectatur.

8 Ex Paleſtinorum captiuitate Archa Domini ad fines Bethſamitarum peruenit. Hi vtique fideles, & ex Iſraelitica gente erant; nihilominus tamen haud parcè eos Dominus animaduertit, multis millibus ipſorum cæſis. *1. Reg. cap.6. verſ. 19. Percuſſit autem de viris Bethſemitib. eo quod vidiſſent Arcā Domini: & percuſſit de popula ſeptuaginta viros, & quinque millia plebis.* Porro quodnam Bethſamitarum peccatum tam grande fuit, vt tantam vltionem indignati Domini experirentur? Equidem per Leuitarum manus deponentes Arcam, ac canticis Dominum collaudantes, ſacrificium, obtulere. Et vtique ſi his contenti fuiſſent minimè peccaſſent, ſed vana curioſitate ſubmoti, ipſam Arcam aperire, & quid in ipſa ſeruaretur aſpicere præſumpſerunt, bona fortaſſis intentione, ne a Philiſtim contaminata reuerteretur; ſed Deo hæc tam curioſa diſplicet veſtigatio: Bethſemitæ vocabantur, & ad nominis vocabulum, veram æterni ſolis Domum effici voluerunt, Arcam Domini contemplando (בית שמש namque, *Domus Solis* interpretatur) quapropter Bethſemitæ curioſos contemplatiuos ſignant, qui dum in Deo ſecretiora ſcrutari contendunt, ſuamet ſpeculatione decepti, in hæreſim miſerabiliter delabuntur: ita docet magnus Gregorius. *in 1. lib. Reg. tom. 1. pag. 123. lit. A. Qui ſunt Bethſemitæ percuſſi, niſi falſa contemplatione decepti hæretici? Bethſemitæ enim non veritate fuerunt, ſed præſumptione. Dum igitur Arcam videre in lapide præſumerent, percuſſi ſunt, quia cum Domini, ac Redemptoris noſtri Sacramenta indigni diſcuterent, æternæ damnationis laqueis, per fallaciam proprij ſunt depreſſi erroris.* Ne plus igitur iuſto cęleſtia myſteria Contemplatiui ſcrutentur; ne curioſitate allecti, nouitate doctrinæ decipiantur. Errat, ſi Solem intueatur, qui ſe ad eius intuitum cæcutire probauerit. Satius eſt non videre, quam viſum amittere contemplando.

§. II.

Archana Deitatis tegenda, ne Simplices obruant.

1 Licet porrò quandoque viri ſancti, ac perfecti, vtpote Prophetæ, & Contemplatiui, mira de Diuinitate Archana (detegente Domino) cognoſcere mereantur: ea ipſa tamen tegere, ne ſimplicibus pateant, iubentur: quandoquidem ſimplices, captu difficillima, dum intelligere nequeunt impetere calumnijs non vereantur: Sicque Diuinitatis manifeſtatio, quæ perfectis eſt amoris occaſio, fit rudibus perditionis initium. Idcirco Domino dicitur. *Terminum poſuiſti*; ideſt reuelationibus, ne præſumant Prophetæ eas omnibus propalare, ne ſcilicet altitudine myſterij, ad ſimplicem terram operiendam vertantur. Ita D. Ioannes Chriſoſtomus *in Pſalm.* 103. *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: Non enim Prophetæ omnes ſuas reuelationes annunciant, ſed ea dumtaxat, quæ pateſacere iubentur: ne alioqui multitudine operiant terram, hoc eſt hominem, qui ea capere nequit.*

2 Apud omnes nationes, in quibus aliqua Diuinitatis cognitio, licet obſcurè, innotuit; ſemper Numinis cultus ſacroſanctus eſt habitus. Præſertim homines peculiari dignitatis honore præditi, ac ſpeciali cultu ei ſacrati, ad eius ſeruitium ſunt deputati, in cuius munere obeundo haud communibus, & vulgaribus, ſed peculiaribus veſtibus vtebantur: vt vel ex ipſo apparatu innoteſceret, rem eſſe diuinam, quam perficiebant. Ita & apud Romanos Regem Numam ſanxiſſe, author eſt Liuius *lib.1.pag.8. Dec.1. Flaminē Ioui aſſiduum Sacerdotem creauit: inſignique eum veſte, & curuli regia ſella donauit. Salios item duodecim Marti gradiuo legit, tunicæque pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegumen, cæleſtiaque arma, quæ ancilia vocantur.* Apud alias quoque nationes, ſimili veſtimentorum decore honoratos Sacerdotes, apud alios authores videre eſt. Sufficiat nobis Deum idem & in lege moſayca, & in chriſtiana decreuiſſe: de noſtra iam omnibus perſpicuum eſt; de veteri legitur exod. c. 28. verſ.2. *Facieſque veſtem Sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem &c.* Hæc cum ita ſe habeant, illud mirabile videtur, quod per Ezechielem Prophetam *cap.44.verſ.19.* Deus Sacerdotibus præcipit; ne ſcilicet veſtibus ſanctis, quibus Deo ſacrificauerant, induti, in conſpectu populi, apparerent: *Exuent ſe veſtimentis ſuis, in quibus ſacrificauerant, & veſtient ſe veſtimentis alijs, & non ſanctificabunt populum in veſtimentis ſuis.* Sed quorſum hoc præceptum? nonne decentius in Sacerdotalibus veſtibus, quam in communibus populum ad deuotionem commouiſſent? nam & illæ ſanctificatæ veſtes venerabiles reddidiſſent. Minimè id quidem: Dei enim myſteria populo aperienda non ſunt; vt Sacerdotes admonerentur non omnia rudibus pateſacienda eſſe; nam & ea ſecretiora Diuinitatis arcana, quæ Prophetis, aut contemplatiuis reuelare dignatur Deus, populo non debent manifeſtari: vt docet D. Hieronymus *in Ezech. to.4. col.1061. lit.C. Hæc veſtimenta proprio nobis labore conficimus; quibus induimur, quando ſecreta Domini, & arcana cognoſcimus, & habemus ſpiritum, qui ſcrutatur etiam alta, & profunda Dei: quæ non ſunt monſtranda vulgo, nec proferenda populo, qui non eſt ſanctificatus.* Ne ergo quæ ſecretiora Dei ſcimus indoctis pateſaciamus.

3 Hoc autem idcirco ſtatutum eſt, ne ſimplices decipiantur: cuius rei notabilem figuram habemus in Exodo: vbi inter alia hoc præceptum Iſraelitis datum eſt. *cap.21.ver.3. Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit, cecideritque bos, vel Aſinus in eam, Dominus Ciſternæ reddet pretium iumentorum.* Quid autem Diuinitas eſt, niſi viuentium aquarum cælatus puteus, ſeu arcanorum cœleſtium abyſſus? Hunc puteum reſerare eſt eius ſublimiora ſecreta intelligere;

ſed

ſed iterum claudere iubemur, quia ea quæ perfectiores intelligunt imperfectis declarare non debent; hi enim ſublimes ſenſus non capientes, ſi fideles ſunt ſcandalum patiuntur decepti; ſi verò infideles, inde ſuorum errorum maiorem elicient occaſionem: vt optimè oſtendit. D. Gregorius Romanus. *lib.17.cap.14.moral. pag.696. lit. E. Quid eſt enim aperire ciſternam, niſi intellectu valido ſcripturæ ſacræ arcana penetrare? Quid autem per Bouem, & Aſinum, mundum ſcilicet, & immundum animal, niſi fidelis quiſque, & infidelis accipitur? Qui ergo ciſternam fodit, cooperiat, ne Bos, vel Aſinus ruat; ideſt qui in ſacro eloquio iam alta intelligit, ſublimes ſenſus coram non capientibus per ſilentium tegat, ne per ſcandalum mentis, aut Fidelem paruulum, aut infidelem, qui credere potuiſſet interimat*. Nam reperiuntur non pauci, qui ſanctarum ſcripturarum arcana, quæ fideliter credere debuiſſent, eo ipſo curioſa veſtigatione in dubium reuocant; neque Dei magnalia mirantur, ſed potius infideliter, aut deridendo ruunt aut calumniando decipiuntur.

4 Cæleſtis Gloria, nec non & eius contemplatio Vino perſimilis videtur, tum quia ſine faſtidio, & labore ſatiat, & delectat, tum quia multoties ſenſus tollit. Vnde Chriſtus de ſua gloria loquens vino ſimilem demonſtrat, nec cuicumque, ſed nouo: *Matth. cap.26. verſ.29. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei:* Inſuper, & de alta Dei contemplatione cantat Eccleſia *in Breu. Rom. in hym. fer.2. ad Laud.*

Læti bibamus ſobriam
Ebrietatem ſpiritus.

Porrò vinum nouum hoc ſpeciale habet, vt fumoſis ſpiritibus plenum, nequaquam vtre obſoleta contineri poſſit; ipſum enim ſua vi diſrumpit; quapropter nouum vinum, in nouum, vtrem ponitur: Hoc tanquam experientia iam comprobatum adducit Dominus, ad hunc intellectum: *Matth. cap.9. verſ.17. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinũ effunditur, & vtres pereunt: ſed vinum nouum, in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur.* Hoc exemplo apertè nos docet Redemptor noſter, arcana altiora Diuinitatis, nequaquam hominibus aperienda eſſe, qui adhuc veteri; ideſt carnali, & mundana, viuentes vita, adhuc nouitatem ſpiritus non aſſequuntur: Hi carnalia cum ſapiant, ſpiritualia capere haud valebunt. Vetuſtas literæ, nouum amoris opus nõ explicat; menſque vetuſtati aſſueta, ad ſanctæ nouitatis lumen rumpitur, & excæcatur. Si Vinum nouum eſt contemplatio, innouatus animus eam admittat; ille diuina ſine ſcandalo admittit myſteria, qui cum angelico Doctore, ex toto corde canit: *D. Thom. ap. Breu. Rom. in feſto Corp. Chriſt. Recedant vetera, noua ſint omnia, corda, voces, & opera.* Hoc inquit interlinearis Gloſſa, explicans Dominicum exemplum. *Noua vitæ myſteria non ſunt mittenda in mentibus nondum innouatis.* Nouum ergo induat hominem, qui nouum vinum cœleſtium arcanorum corde retinere præſumit ſuo, neque diſrumpi.

5 In Vinea Domini Sabaoth, impigro labore merebatur Paulus; multiſque fatigatus laboribus, ac tentationibus actus, & ſi non fractus, defeſſus tamen diuina refectione indigebat: Hinc ad tertium vſque eleuatus Cælum, in illius incomprehenſibili Diuinitatis glorioſa viſione iucundabatur: quia verò nondum tempus ſuæ vltimatæ glorificationis aduenerat, iterum ad terras reuerſus eſt. Hoc cùm cognouiſſent mortales, notitiam rerum arcanarum illius cæleſtis curiæ ſe habere poſſe ex eius reuelatione ſperabant: at Paulus, eos adhuc vetuſtati alligatos, nec adhuc in Chriſti nouitate obfirmatos agnoſcens, ea myſteria noluit reuelare, inquiens: *2. Corin. cap. 12. verſ 4. Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Et quare Paule, ea enarrare non licet? In Paradiſum te fuiſſe cum fatearis, quid noſtro auditu indignum in eo poterit contineri? Equidem ſi illius beatæ Patriæ aperirentur gaudia, & cognoſcerentur deliciæ, nemo eſſet qui non appeteret. Pulchra quidem ſunt, & voluptuoſa, quæ vidi, inquit Paulus; nihilominus arcana ſunt; ad quæ accedere vobis non licet, & propter indignitatem, & propter incapacitatem ſtatus veſtri; qui nondum eſtis in Domino roborati: Approbat Pauli verba eminentiſſims Hugo *in epiſ.2. ad Cor. pag.142. col.4. Non licet enim arcana Dei homini loqui propter multas cauſas; vna eſt indignitas hominis, alia eſt audientium incapacitas.* Nemo ergo ad tam recondita myſteria accedere præſumat, niſi prius renouationis gratiam fuerit conſequutus; ad quod aſſequendum diuinam miſericordiam cum Eccleſia Catholica iugiter imploret, magno cũ affectu orans, *ex Breu. Rom. in orat. Fer. 3. mai. hebd. ad veſper. Tua nos miſericordia, Deus, & ab omni ſubreptione vetuſtatis expurget, & capaces ſanctæ nouitatis efficiat.*

6 Propterea nondum innouatus Moyſes, cum ad interiora Deſerti minaſſet gregem gloriamq; Dei in rubo ardenti quidem, ſed incombuſto, figuratam videret, ad ipſam temere præſumpſit accedere; ſed illico vocem prohibentis Domini audiuit: *Exod. cap. 3. verſ.5. Ne appropries, inquit hic: ſolue calciamentum de pedibus tuis; terra enim, in qua ſtas, terra ſancta eſt.* Moyſes gentilibus affinitate iunctus, & adhuc de rebus cæleſtibus ineruditus, vel ſimplices Eccleſiæ filios, vel nouiter ad fidem cõuerſos deſignat: qui ad Dei arcana cognoſcenda accedere non præſumant, ſed ſufficiat credere, ea quæ docentur, ac ipſa humili obſequio reuereri: neque certiori veſtigatione ſcrutari curent, quæ magis adimplendo, quam ſpeculando dignoſcuntur: ita Lyranus. *Ne appropies, inquit hic; ac ſi diceret; humana fragilitas non præſumat arcana Dei inquirere curioſè, quia ſcriptum eſt: ſcrutator Maieſtatis opprimetur a gloria.* Qui ergo ſecreta Dei indignis, & incapacibus aperit, Solem infirmis oculis, vt excæcentur demonſtrat; foueam excæcatis præbet, vt præcipitio ſe collidant.

§. III.

Deus nos tentari vltra noſtras vires non permittit.

1 T*Erminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, &c.* Si tropologicè aquas conſiderare voluerimus, procul dubio in ipſis omnes Diaboli, ac mundi tentationes adumbratas videbimus, has ſuperare, & in illis enatare debemus, vt ad optatum Beatitudinis portum perueniamus. Exurgunt ſæpè in mundi Pelago diabolicarum tentationum tempeſtates, fremunt perſecutionum venti, decipiunt ſcopuli deliciarum; vt vix Nauis humana, hinc inde iactata beato in littore conſiſtere poſſit, niſi a fauorabili ſpiritus ſancti aura gratiarum adiuuetur. Ideo Deus huiuſmodi aquis tentationum terminum poſuit, ne ſcilicet ſupra noſtram fragilitatem, & potentiam nos audeant aggredi, ne ſupra vires iactati, in ipſis periclitemur. Quapropter inquit Deo Propheta: *Terminum poſuiſti*, ſcilicet tentationibus, & perſecutionibus; *quem nõ tranſgredientur*, vt nos vltra noſtras vires exagitent; *neque conuertentur* in immenſum excretæ, *operire terram*: opprimere noſtram fragilitatem. Hoc ipſum Incognitus perſpexit, inquiens *in Pſal.103. Conformiter omnibus tentationibus, & aduerſitatibus terminum, & menſuram ponit Deus, ne ſuper vires noſtras aſcendant, & mentem ſubmergant.*

2 Completa Redemptionis humanæ tragædia; nec non poſt reſurrectionẽ ad Cælos euecto Domino; eius diſcipuli omnibus inuiſi, & magiſtri præſentia viduati remanſere; perſequebantur eos increduli Iudæorum, Infernorum tyranni, mundi egeſtates: nihilominus tamen de ijs legitur conſtanter in orationibus, & in fide perſeueraſſe: *Act. cap. 1. ver. 14. Hi erant omnes vnanimiter perſeuerantes in oratione cum Maria matre eius, & fratribus eius.* Sed vnde tam mirabilis oriebatur

Digitized by Google

batur conſtantia, vt fidelis quicumque, tot appetitus inſidijs, tot iniurijs tentatus, vt dicere de ſe potuiſſet virgilianum illud lib. 1. Æneid.

.... *Multum ille, & terris iactatus, & alto.*

Firmus tamen in fide remaneret, nec frangeretur aduerſis, nec turbaretur in proſperis? Hoc erat diuinæ Prouidentiæ miraculum, quæ ita modum, & terminum tentationibus poſuerat, vt diſcipulorum vires non ſuperarent; Dic ſodes, & quæ, etiam maxima præualere potuiſſet tentatio in cor illud, cui Deipara aſſiſtens, fortiſſimum reddebat? Magna erat tribulatio, fateor, maxima tentatio, negare non auſim, at ſummæ erant vires; Deus namque, qui vltra vires ſuos tentari non ſuſtinet, magnas tribulationes immiſit, vbi maximum erat auxilium. Perſeuerabant illi, in fide, in oratione, in dilectione, ſed *cum Maria matre Ieſu*. Perbellè, & dulciter, vt aſſolet, D. Bernardus *ſer.6. De Aſc. Dom. col.207. lit. G. Immo verò, ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Apoſtoli decem dies in hac expectatione ſederunt, perſeuerantes vnanimiter in oratione cum Maria matre Ieſu. Et tu igitur orare diſce, diſce quærere, petere, pulſare, donec inuenias donec accipias, donec aperiatur tibi: Nouit Dominus figmentum tuum: fidelis eſt, non te patietur tentari ſupra quam poſſis*. Ne timeat, qui tentatur, dum tentationibus terminum poſitum animaduertit.

3 Corinthios hortabatur Apoſtolus, ne tentationes pertimeſcerent, ea vtens ratione, quia Deus ſupra vires tentare numquam permittit; quòd ſi aliquando perſecutionem inſurgere ſinit, & dat ſimul auxilium ad ſuſtinendā, & ex propoſito præmio vires auget, animumque firmat: 1. *Corin. cap.10. v.13. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*. Puto autem Deum nobiſcum agere vt mater cum paruulo, quem infirmis adhuc pedibus ad ambulandum prouocat, aliquo propoſito præmio; ita tamen ſolum relinquit, vt præſto ad ſuſtinendum adſit, ſi inclinatum ad cadendum perſpexerit. Ita prorſus Deus nos in ſpiritu infirmos tentationibus ad firmandas vires incitat, corona demonſtrata cæleſti, ſed ita in noſtri arbitrij poteſtate relinquit, vt vltra vires non tentemur, vel ſi magna inſurgat tentatio, ſit ad axiliandum paratus, vt cum eo, quod ſoli non poſſumus, ſuperemus. *Non patietur vos tentari*, ſubdit Oecumenius, *in 1. ad Corint.10.1.pag.513.lit.D. ſupra id quod poteſtis: pariformiter, inquit, ad veſtram potentiam permittit fieri tentationem. Aut potius quæuis tentatio vos euerteret, niſi Chriſtus auxiliaretur*. Neque enim auxiliante Domino vlla nobis tentatio grandis erit, nam licet noſtras vires excedat, Dei non ſuperat poteſtatem.

4 Numquam ad præliandum mittitur Tiro, quin a veterano ducatur, ex cuius directione multa ſuſcipit quæ aliàs non auderet. In Aphrica aduerſus Labienum dimicāte Cæſare, nulla alia militibus ſuis tironibus ſpes aderat, quam ſub Cæſare decertare; ſic pauci, & noui milites, veteranos, & multitudine præpollentes fugarunt milites. Serui Dei ad pugnam contra Diabolum taiſſi acriter dimicare iubentur, neque eorum incurſus pertimeſcere, nam Deo ipſo Duce dimicandum eſt: qui Deo comite non ſuperabit? Audi ipſum per Propheta ſpondentem: *Pſal.99.verſ.15. Cum ipſo ſum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum*. Nihil ergo timendum eſt; nam cum Deus verax ſit, & fidelis, quæ promiſit opere complebit, nobiſcum præliabitur cum Diabolo, aduerſitates, tentationeſque ſuperabit. Ita eminentiſſimus Hugo *Caren. Card. in 1. ad Corint. pag. 99. col.3.* teſtatur. *Fidelis Deus eſt in promiſſione, quam promiſit per Pſalmum 90. cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, quando tentatur, vt inducatur in mortale.* exeamus ergo ad pugnam, hoſtem deſpiciamus etſi terribilem, animum reſumamus fideles, Deus nobiſcum eſt, ipſe pugnat in nobis, ipſe triumphatores nos reddit: nulla tentatio ſupra noſtras vires exurget, ſi diuinam opem habeamus.

5 Nulli dubium eſt per lacrymas tribulationes ſignari; nam cum animus turbatur, & de aliquo triſtatur malo euento, in lacrymas prorumpit: Quare haud incongrue, qui tribulationem cauſat, dare lacrymas dicitur ad potandum, ex triſtitia paſſionis lacrymæ exoriuntur. Hunc loquendi modum imitatus Pſaltes, Deo canit: *Pſalm.79.verſ.6 Potum dabis nobis in lacrymis in menſura*. In menſura, inquit, & quare? Fortaſſis lacrymarum fluuius menſurabilis eſt? Non etenim, nam neque cohibere eas cum volumus datur, nec ad datam menſuram effundere. Cur igitur Deus menſurare lacrymas dicitur? Familiari exemplo id explicandum videtur. Diſcordantibus humani corporis humoribus, & decertantibus, febri, haud leui, languet homo quandoque; hunc Medicus Humoris alterati peccato animaduerſo, ad eum reprimendum medicamentum parat: quia verò, ſi vltra infirmi vires, vel exigentiam morbi medicina pararetur, ſequeretur interitus, prudens magiſter ponderat medicamina, & ſic ad menſuram, & debitum pondus redacta, ægroto ad potandum porrigit; ſic humoribus victis, & viribus haud deiectis, profligatur morbus, ſeruatur vita. Per proſperitatis laſciuiem ſæpè ſæpius Animæ fidelis corrumpuntur humores, hoc eſt mores; nam vel titillat Caro per otium, vel tumeſcit per gloriam ſuperbia, vel per abundantiam debacchatur ebrietas, vel per iuuentutis vigorem inſoleſcit audacia: tunc ne totaliter, & perenniter moriatur, ei medicina ſalutaris adhibenda eſt, nec tentatione, aut tribulatione reperitur valentior; quia verò, ſi tentatio ſupra vires, aut tribulatio ſupra patientiam excreſceret, potius deijceret, quam ſaluaret, metitur Deus, & ponderat lacrymarum remedium, tentationum medicamen, vt potens ſit ad ſaluandum, & impotens ad nocendum, Optimè ergo inquit Propheta: *Pſal.79. verſ.6. Potum dabis nobis in lacrymis in menſura*; commentante D. Ambroſio, *in Pſal.118. in v.4. Octon.20. to.4. pag.572. Ponderat miſericordiam, ponderat vltionem, in vtraque certum pondus, habiliſque menſura: vnde & Dauid dicit: Potum dabis nobis in lacrymis in menſura: Ne ſine moderatione menſuræ, pœnæ grumulo grauarentur, & ſuſtinere non poſſent*. Nam & medicina interimere ſolet ſi debitum pondus non habet, ſic & perdere tentatio ſi menſuram excedat.

6 Huc reſpexit Prophæta, quando fatebatur: *Iſai. cap.40. verſ.29. Qui dat laſſo virtutem, & his qui non ſunt fortitudinem*. Ex diuino præcepto Iſraeliticæ genti prædicabat Iſaias, & cùm omnes in eum maledictis, & perſecutionibus impetum facerent, tamen ab iniuncto munere non deſiſtebat, quanto magis perſecutionibus vrgebatur, tanto magis conualeſcebat; Populum perterrefacientem non magnifecit, iratum Regem non timuit; imò impij Principis iuſſu biſariam ſectus, cordis conſtantiam ſeruauit immotam; quia videlicet, ipſemet Deus, qui Diabolo ad perſequendū dederat anſam, dederat, & Prophetæ fortitudinem, vt Doctoris, & Prædicatoris lauream gemmis martyrij decoraret; hoc fatebatur Hugo Caren. Card. *loc. cit.* dicens: *Qui dat laſſo virtutem, & his, qui non ſunt, fortitudinem*: ideſt, vt explicat Hugo: *Qui dat tentanti Diabolo licentiam, ipſe dat tentatis miſericordiam*. Hoc eſt ponderare tribulationes, hoc eſt tentationes metiri; ne vltra noſtras vires aſſurgentes, mortem pariant ſempiternam.

§. IV.

Verba otioſa, & maledica Deus interdicit.

1 T*Erminum poſuiſti &c.* Inter omnia elementa, nullum aqua fluxibilius eſt, & niſi aliquo termino coerceatur, facillimè labitur. Huic elemento humana loquutio ſimilis eſt; ita enim ſemel ſoluta lingua, lubricis rationibus ſe diffundit, vt niſi aliquo freno regatur,

Digitized by Google

gatur, hominem perdit: neque enim in magnis loquutionibus, deſunt verba ſuperflua, otioſa, maledica; his terminus dandus eſt; omninò tacere non expedit, quandoquidem ſermone egemus ad multa, & ægrè ſine lingua regitur mundus; e contra verò ſi linguæ in dicendo laxantur habenæ, ſe præcipitio collidit, omniaque diſpergit, & maculat. Hinc de ea dictum eſt.

Nil melius lingua, lingua nil peius eadem,
Triſtia cum dulci Toxica melle gerit.

Fauſtus. *ap. Polianth. nou. verbo lingua.* Sicuti ergo aqua vniuerſo neceſſaria eſt, & tamen ſi per totum diffunderetur ipſum obrueret; ita loquutio homini neceſſaria, ſi elabitur ipſum perdit; quare poſuit Deus terminum aquæ arenam, & linguæ præceptum; de quo Pſaltes. *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur.* Et B. Albertus Magn. *in Pſal.* 103. adiungit. *Et nota quod aquæ ſunt loquutiones ſuperfluæ; his terminum poſuit Dominus, quando dixit: De omni verbo otioſo, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem: Hunc terminum loquaces homines tranſgrediuntur, in vanis tempus perdentes.*

2 Et quidem magnus eſt labentium aquarum terminus, Dei præceptum; quod oſtio comparat Patientiſſimus, dicens: *Quis concluſit oſtiis Mare:* ſed oſtium ſermonum fluentis idipſum diuinum præceptum ponendum eſt. Nonne forſan ferreum oſtium tibi videtur otioſa occludens verba, mandatum illud, quo cogimur in die Iudicij de illis reddere rationem? Verba illa, quæ nunc vel ad aliorum riſum fouendum, vel ad Potentum gratiam captandam, vel ad proximorum denigrandam famam inconſideratè delabuntur; tandem in totius Cæli, & mundi conſpectum apparebunt; tunc quando riſus vertetur in planctum, gratia terminabitur odio, & aliorum fama maculata æterna mulctabitur infamia: iocoſè loquutus es, ſed focis conſumantibus iocos, quod delectauerat cruciabit; & perditorum hominum plauſum æterna maledictio ſequetur. Hanc diuini præcepti memoriam, cuſtodiam vocabat Pſaltes; & hæc futura damna, quæ præuidentur, oſtia labiorum exiſtimabat: quapropter Deo canebat: *Pſal. 140. v. 3. 4. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis, vt non declinet cor meum in verba malitiæ.* Hoc probè nouerat D. Bernardus, qui ſemper mellifluo effluens ſermone, oſtiis diuini præcepti vana, & otioſa clauſerat verba; hocque ipſum ſuos, docebat, *De mod. ben. viuen. ſer. 33. col. 1279. lit. H.* dicens *Turpes fabulas non loquaris, non garrias vana verba. Sermo otioſus non erit abſque iudicio. Ante vniuſcuiuſque faciem verba tua ſtabunt in die iudicii. Ea, quæ loqueris, grauitate, atque doctrina digna fiant: ſit ſermo tuus irreprehenſibilis: lingua tua non te perdat; lingua tua non te damnet. Pone Cuſtodiam ori tuo: in labiis tuis pone ſignaculum.* Sic reſtrictus terminis ſermo, oſtiis lingua concluſa, dum Dei formidat iudicium, otioſa verba ſilebunt.

3 Sed licet omnibus otioſus ſermo interdicatur, præſertim tamen Sacerdotibus interdictum intelligamus: dedecet namque eum, quem venetatione dignū æſtimant omnes, otioſis, & turpibus manare ſermonibus; & ſuam authoritatem, grauitatemq; obſcænis loquutionibus conſpurcare. Sacerdotis labia ſapientiā claudant, euangelium reſonent, cohortationē effundant; longè ab ore Deo dicato, ſcurrilia, & inania verba; ſacrilegiū eſt ſermonem Deo ſacrum vanitati litare: quæ conuenientia Chriſti ad Belial? ergo ſi Chriſtus Dei Sacerdos eſt, belialia verba non proferat; haud decent nugæ fabuloſæ Veritatis Miniſtrum. Audi quid tibi dicit Propheta: *Malach. c. 2. v. 7. Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt:* munda verba, puri ſermones angelicæ linguæ cōueniunt. Hoc vſus eſt argumēto D. Bern. *li. 2. cap. 13. de Conſid. col. 874. lit. E. F.* vt Filium olim ſuum, tunc verò vniuerſalis Eccleſiæ Patrem Eugenium in loquendo erudiret. *Conſecraſti os tuum Euangelio: talibus iam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegum eſt. Labia Sacerdotis, ait, cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore eius; non nugas profectò, vel fabulas.* Hoc cogitet Dei miniſter; nam ſi omnes Deo de otioſis verbis reddere rationem tenentur, quod alijs peccatum, ipſi ſacrilegium erit.

4 Hoc omnibus Animalibus proprium, ac peculiare eſt, vt ex propria voce vnumquodq; cognoſcatur, hinnitu ſe prodit Equus, latratu Canis, rugitu formidabili Leo, cantu dulciſono paſſer; ſibilat ſerpens, Coruus crocitat, belat pecus; loquitur homo; & inſuper ex qua natione ille ſit ex loquela oſtendit, ſicuti Petrum galileum eſſe ex loquela, in Pilati prætorio, probabat miles. Quod ſi Italus aliquis hiſpanico ſermone vteretur, ſe Italum non demonſtraret, ſed auditum decipiendo, hiſpanum ſimularet. Haud ſecus in moralibus philoſophandū eſt; nam ex ſuo diſcurſu quiſq; in qua præualeat facultate declarat; illud enim ſemper ore voluitur, quod profeſſione tenetur. De his Claudian. eleganter,

Nauita de ventis, De Tauris narrat Arator,
Enumerat miles vulnera, Paſtor oues.

Quomodo ergo chriſtianus erit, quomodo miles Chriſti, quomodo Dei Sacerdos qui vana loquitur, diabolica profert, maledica meditatur verba? Chriſtianus es? mentiris, qui gentilem profers orationem: lingua, quę Chriſtum tangit, verba ædificationis habeat, ne loquatur verba mortalia, qui deſiderat vitam: audi Prophetam: *Pſal. 33. verſ. 13. Quis eſt homo qui vult vitam?* & ſubdit; *verſ. 14. Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Vbi D. Petrus Damianus: *opuſc. 49. c. 10. Faceſſat ab ore militis Chriſti omnis vani rumoris ineptia; & lingua quæ immaculati agni, imò ſummi Verbi rubet ſanguine, dedignetur otioſi ſermonis ſeſe facibus inquinare.* Nā amatorem puritatis, impurus ſermo non decet, neq; Chriſti Paſtorem hædinam redolere fœditatem. Chriſtianus es, chriſtiana eloquere; grauitas Dei Miniſtri pernicioſas fabulas nō admittit.

5 Hinc D. Iacobus Apoſtolus omnibus proteſtatur, dicens *cap. 1. verſ. 26. Si quis putat ſe religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.* Ac ſi manifeſtè diceret: Propria Religioſi viri conditio ſilentiū eſt; vel ſi aliquando loquatur, nonniſi Religioſo digna promat; propria deteſtetur vitia, aliena non ita aduertat, quin excuſet; Diuinis delectetur eloquijs, mundana non noſcat: adſit modeſtia in ore, paucitas in verbis, modicitas in ſonu, caſtitas in eloquio: ſuum eſt ſeruare regulas, obſeruare myſteria, ſpeculari legem explicare præcepta. Hoc autem quomodo præſtare poterit, qui frænare linguam cum neſciat, in ſua poteſtate verba non habet? Religioſum ſe non oſtendit, qui ſæcularia verba impuro reſonat ore, qui linguam ſilentio debitam, ſcurrilibus patefacit nugis; & puritatem cordis, turpi ſermone commaculat. Audiamus hac de re Oecumenium *in epiſt. Iac. to 2. pag. 451 lit. D. Ideo etiam hac dictione vſus eſt B. Iacobus, dicēs: religioſus: ac ſi dixiſſet; cognoſcere te exiſtimas, & exactè obſeruare arcana, quæ ſūt in lege; quomodo hoc fieri poteſt, cum linguā frænare neſcias?* Fruſtra legem profitetur, qui non obſeruat; obſeruare autem ſine linguæ moderamine nemo poterit. Ne igitur nos indigni Religione videamur, tam labile membrum iuſtis terminis compeſcamus.

6 Diui Ioannis Apocalipſis plena myſteriorum eſt; nec præualet humana fragilitas ad omnia declaranda: vt autem reliqua prætereamus, illud, quod capite 19. de Dei Verbo dicit, anxiū me, & dubiū reddit; ita enim ait. *Apocalip. c. 19. verſ. 11. Et vidi cælum apertum; & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis, & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat:* Et tandem clarius loquens, ipſum Dei Verbum eſſe declarat: *v. 13. Et vocatur nomen eius Verbum Dei.* Si ergo Dei Verbum eſt, & ex conſequenti verus. Deus, quid equo indiget? Nec vectore impaſſibilis Dominus, nec equo ſpiritualis Imperator opus habebit: qui pennis vē-

torum

Digitized by Google

torum vehitur, qui ſuper Cherubim ſedet, nequaquam equo ſe committet. Sed audio obiectionem dicentis: hic figuratè, & tropologicè loqui; aſſentior; ſed quis iſte candidus eſt equus? Lingua humana. Nobis namque mortalibus, & ſenſibus ad cognoſcendum egentibus, haud verba intellectualia, (ne dum Diuinum) niſi referente lingua cognoſcimus. Quia ergo, prædicante lingua, Dei Verbum mundo innoteſcit, equus Verbi Dei non incongruè dicitur. In hac lingua inſidet, & quieſcit Dei Verbum, cum eius explicat legem, notitiam parit, ſeruitutem ſuggerit, amorem ſuadet: tunc vehit ipſum, cum vera loquitur, cum cæleſtia prodit: Porro ſicut recalcitrans equus, & indomitus ſi fræno careat, ſine lege currendo ſeſſorem proijciet; ſic hominis Lingua, niſi fræno prudentiæ, & doctrinæ regatur, Verbum Dei reiiciet, diabolum rectorem habebit: ſed ſi frænum teneat modeſtiæ, Dei Verbi, Imperatoris æterni candidus efficietur equus. Ita D. Ioannes Chriſoſtomus *Hom. 50. in Matth. tom. 2. pag. 351. lit. C. Regius quidam equus eſt lingua; ſi ei frænum immiſeris, & doctrina tua gradarium feceris, aſcendet in eum Rex, & quieſcet in ea.*

7 Bene hoc nouerat ſapiens; & ideo homines erudiens, eis ſuadere conatur, vt huic barbaro, & indomito equo frænum adhibeant; vt ſic Dei Verbum vehere poſſit: ſcilicet frænum diſcretionis, modeſtiæ, & continentiæ; ne otioſa, aut maledica verba proferendo, Deum proiiciat; & ad frenandam audaciam equorum Domitori nequiſſimo, hoc eſt diabolo, ſubiiciatur. *Eccleſ. cap. 28. ver. 29. Verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos.* Quaſi diceret: pondus diſcretionis habeant ſermones tui, non temerè proferantur, ſed prius penſentur: lingua frænum habeat, vt regatur, nec in maledicta prorumpat. Id docet Hugo Caren. Cardin. in hunc locum *pag. 228. col. 1. Verbis tuis facito ſtateram, diſcretionis: vt nihil indiſcretum loquaris; vt prius veniat ſermo tuus ad limam, quam ad linguam: & frænos ori tuo rectos; id eſt rectum moderamen conſilij, modeſtia, & abſtinentia, contra adulationem, detractionem, maledictum, præcipitationem, atque caſtrimargiam.* Terminum ergo Deus ſuo præcepto aquis poſuit, linguæ limitem deſtinauit, ne illæ obruerent terram, ne iſta perderet animam: Mare eſt ſermo, arena diſcretionis claudatur: equus eſt lingua, modeſtiæ fræno contineatur.

§. V.

Dominus pauperes eligit ad frangendam mundi ſuperbiam.

1 **T***Erminum poſuiſti*, &c. Tempeſtuoſum Oceanum, mundi ſuperbiam dixerim; ſeſe ſemper vndoſis cogitationibus attollens, nec ſuis contentus honoribus, diuina meditatur. Subditos Principi perduelles facit, Diuites pauperibus inſolentes, Deo homines inobedientes, omnes inuidos, omnes proditores; neque mirum, cum omnium malorum radix ſuperbia cenſeatur. Huic aquæ terminum ponere debuit Deus; ne ſuperbiens homo, a vera cæli gloria caderet, vt olim fecerat Angelus. Dicitur ergo: *Terminum poſuiſti*, ſuperbis ſcilicet, ne humiles deſpiciant, & pereant; & hic terminus nihil aliud, quam pauperum exaltatio, ſuperborum deſpectio: quid enim mundi ſuperbia, ſæculi huius gloria iuuat, cum apud Deum deſpicabilem reddat, cum in pretio in cælo non habeatur? præſtat pauperem eſſe, ſi Deus humilitatem exaltat, eligit paupertatem. Aſſentitur D. Gregorius *lib. 9. cap. 5. moral. to. 2. pag. 512. lit. E.* Ex ipſo textu ſumens argumentum, nam Oceanum tam magnum, qui paruo puluere continet, is abiectos, & pauperes aſſumit ad deprimendam ſuperbiam. *Arenam quippe Dominus mari terminum poſuit, quia ad frangendam mundi gloriam abiectos, & pauperes elegit.*

2 Cùm Redemptor humani generis, ſuæ prædicationis exordia diſponere vellet, diſcipulos, & aſſeclas ſibi deligere inſtituit: Inter hos autem principem locum habuere Simon, & Andreas eius fratres: nam cum eos in maris Galileæ littore in iaciendis retibus occupatos Dominus inueniſſet, eos de materiali, & carnali piſcatione ad ſpiritualem vocauit. *Matth. cap. 4. ver. 18. Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: venite poſt me.* Iam, & hos nouerat Dominus, nam cum adhuc Ioannis Diſcipuli eſſent ad eum venerant, & ei Nathanaelem monſtrauere, quem vtique tanquam perfectum hominem collaudauerat Chriſtus: *Ioan. cap. 1. v. 47. Et vidit Ieſus Nathanaelem venientem ad ſe, & dicit de eo; ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt:* Non tamen ſicut Petrus, & Andreas, & Zebedei filij, vocatus Nathanael, in Apoſtolorum cooptatus eſt numerum: alij fere omnes peccatores, vel ſaltim imperfecti erant, hic ſolus bonus, & ſine dolo perfectus; nihilominus tamen eliguntur illi, negligitur iſte; qua ratione? Ego aliud non video, niſi diuinæ prouidentiæ arcanum, qui pauperes, & indoctos ad frangendam mundi ſuperbiam deligit. Erat vir ſanctitate inſignis Nathanael, nec non nobilitate clarus, ſcientia illuſtris, & ideo non vocatur; è contra piſcatores pauperes, & illiterati vocantur; vt per eos & Docti, & Potentes reducerentur ad fidem; & ſic vana mundi ſuperbia humiliaretur, dum per pauperes, & indoctos, Principes, & Sapientes vincuntur. Hoc Theologorum Magiſtri D. Auguſtini oraculum eſt. *Tract. 7. in Ioan. tom. 9. pag. 29. col. 1. lit. A. B. Quid ergo facimus fratres? Deberet iſte primus eſſe in Apoſtolis; & non ſolum primus non inuenitur, ſed nec medius, nec vltimus inter Apoſtolos Nathanael; cui tamen teſtimonium perhibuit filius Dei, dicens. Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt: Quæritur cauſa &c. Si doctus eligeretur, fortaſſe ideo ſe diceret electum, quia doctrina eius meruit eligi. Dominus Ieſus Chriſtus volens ſuperborum frangere ceruices, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem. Magnus Cipriamus Orator, ſed prius Petrus piſcator; per quem poſtea crederet non ſolum Orator, ſed etiam Imperator.* Sic mundi ſuperbia deiecta eſt, dum ſpretis Philoſophis, & Potentibus, Piſcatores ad conuertendum orbem terrarum deſtinantur.

3 Præpotens quidam vir grande Conuiuium parauerat, ad quod inuitauerat multos, eoſque nobiles, & ſibi ſimiles; ſed cum opportuna conuiuio veniſſet hora, & per ſeruum eos acceſſiri feciſſet, excuſatione propoſita venire contempſerunt; *Luc. cap. 14. ver. 18. Cœperunt ſimul omnes excuſare:* Quod videns Pater familias, ſeque deſpectum agnoſcens, iuſſit vocari pauperes, cæcos, claudos, vt inuitatorum locum occuparent: *ver. 21. Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes, & debiles, ac cæcos, & claudos introduc huc.* Hoc autem ideo ſe feciſſe proteſtatur, ne primis inuitatis (ſi fortè pæn

ituiſſent) ſupereſſet locus: *ver. 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* In hoc caſu obſeruandum eſt, quòd tam primi, quam ſecundi peccatores ſignant; primi quidem ſuperbos, & tumentes, iſti vero aliorum generum peccatores; & tamen peccatores pauperes ad pænitentiam admittuntur, deijciuntur ſuperbi; vt apertè appareret, Deum pauperes amare & ſuſcipere, vt mundi ſuperbia frangatur: nonniſi prius humiliati peccatores recipiuntur ad veniam, admittuntur ad gratiæ cænam, ad Conuiuium gloriæ. Audiamus magnam Gregorij Romani ſententiam. *Homil. 36. in Euang. tom. 3. pag. 116. lit. C. Quia ergo venire ſuperbi renuunt, pauperes eliguntur. Cur hoc? quia iuxta Pauli, infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Sed notandum eſt quomodo deſcribantur qui ad cænam vocantur, & veniunt: Pauperes, & debiles dicuntur, qui iudicio ſuo apud ſemetipſos infirmi ſunt. Nam pauperes, & quaſi fortes ſunt, qui in paupertate poſiti*

Digitized by Google

te poſiti ſuperbiunt. Cæci vero ſunt, qui nullum ingenij lumen habent. Claudi quoque ſunt, qui rectos greſſus in operatione non habent. Sed dum morum vitia in membrorum debilitate ſignantur, liquet, quia ſicut illi peccatores fuerunt, qui vocati venire noluerunt; ita hi quoque peccatores ſunt, qui vocantur & veniunt; ſed peccatores ſuperbi reſpuuntur, vt peccatores humiles eligantur: hos itaque eligit Deus, quos deſpicit mundus. Ne glorientur ergo ſuperbi de ſua potentia, & diuitijs, nam ad vitam iter humilitas eſt; paupertas, eligitur, vn peccatorum ſuperbia humilietur.

4 Cuiuſdam Reguli Filius infirmabatur, cuius Pater cognita Chriſti virtute, eius auxilium implorabat, vt ſcilicet in domum ſuam deſcenderet, & iam morti proximum liberaret filium: *Ioan. cap. 4. verſ. 49 Domine deſcende prius quam moriatur filius meus.* Sanauit quidem ipſum Dominus ſed ad eius domum deſcendere recuſauit. Erat autem Domus eius in Ciuitate Capharnaum, in qua ſimiliter ſeruus cuiuſdam Centurionis ægrotabat; pro cuius ſalute rogatus etiam Dominus, vltro ſe ad domum venturum exhibet: *Matth. cap. 8. ver. 7. Et ait illi Ieſus: ego veniam, & curabo eum.* Aduerte autem vtrinſque curationis differentiam, nam ad Reguli filium, præpotentem, & diuitem hominem, etiam inuitatus, ire recuſauit; ad ſeruum autem Centurionis, pauperem ſcilicet, & deſpectum, qui, vt viueret, Militi ſeruire cogebatur, etiam renuente Domino, ire Ieſus volebat. Non equidem ita humanus faceret medicus, ad pauperem enim nullo modo accederet ſine prætio exhibito, ad Diuitem verò, etiam non vocatus veniret, & ſolum ad eius conſequendam gratiam omnes artis ſuæ vires adhiberet. At cæleſtis medicus, vt potentium ſuperbiam perimat, pauperi famulatur, potentem deſpicit; vt optimè citatus adnotauit D. Greg. Mag. *Hom.28.in Euang.to.3.pag.82.lit.C. Quid eſt hoc niſi quod ſuperbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti ſunt, ſed honores, & diuitias veneramur. Redemptor verò noſter, vt oſtenderet, quia quæ alta ſunt hominibus deſpicienda ſunt, & quæ deſpecta ſunt hominibus deſpicienda non ſunt, ad filium Reguli ire noluit, ad ſeruum Centurionis ire paratus fuit.*

5 Quid ergo mortales ſuperbimus? quò diuitiæ, quò ſapientia, quò potentia tendit? Si tandem e mundo exeundum eſt, & ſola apud Deum paupertas præualet, ipſam non appetere crimen erit. Sed quid dico; apud Deum? apud ipſos homines, ſi quando prudentes fuere præualuit. Ita doctè cecinit Claudianus, *De 4. Honor. conſ.*

Pauper erat Curius Regem cum vinceret armis;
Pauper Fabricius Pyrri cum ſperneret aurum.

Neque aliud facere potuiſſent; nam ſi Deus ad perfectionem nos vocat, difficillimè Diues perfectus erit: quandoquidem omnium vitiorum Fons pecunia ſit: hæc ſæpè optimos currupit mores, hæc Romanos olim totius orbis victores vitijs proſtrauit, vt Iuuenalis fatetur. Sat. 6.

Nullum crimen abeſt, facinuſq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit .....

& paulo poſt.

Prima peregrinos obſcæna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Diuitiæ molles...

Idcirco ergo Deus infirma mundi eligere voluit, vt pudore afficiantur potentes, & diuites, & ſe deſpectos contemplantes humilientur. Nam vbi Apoſtolus inquit: *1.Cor. cap.1.verſ.27. Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*; legit D. Ioannes Chriſoſtomus, *Hom.5. in 1. ad Corint.tom.4.col.289. lit.B. Vt pudore afficiat fortia*: & ſequitur: *Non ſolum enim indoctos, & imperitos, ſed & pauperes, & eos, qui habentur contemptui, abiectoſque, & ignobiles vocauit, vt eos, qui ſunt potentes, & principatus obtinent, reddat humiles.* Deſpiciatur ergo Superbia, abiciantur diuitiæ, ſola paupertas ametur, quæ nos dignos diuina vocatione facit; terminus ponatur ſuperbiæ diuiti, humilis paupertas; ſic enim ad perdendam animam haud conuertetur.

6 Hinc expreſſe innoteſcit cauſa, cur de Deo dicat *Pſ.112.v.7 & 8. Suſcitans de terra inopē, & de ſtercore erigens pauperem; vt collocet eum cum principibus, cum Principibus populi ſui*: Dominus enim vt ſuperbos mundi confundat, pauperes, & viles eligit. Lubet ſæculi Principes Aquilis comparare, quæ cum ponant in arduis nidum ſuum, celtiora eligunt loca ad excludendos pullos, quos ad Solis intuitum probant: ita Principes mundani, vt ſuos magnates efficiant, nobiliores, & ditiores eligunt, & qui in Sole nobilitatis, nullam maculam admittant. Contra Scarabæum appellauerim Chriſtum; nam ſicut ſcarabæus, vt filios producat ſtercora aſſumit, & tamdiu verſat, donec in globos conformentur, ex quib. in plenilunio pullos excludit: haud ſecus Chriſtus, nonniſi *de ſtercore*, ideſt de paupertate, & humilitate, cæleſtis curiæ Principes elicit; verum quia nuda paupertas nihil producit, ſtercus noſtræ humilitatis virtutum verſat veſtigijs, donec charitate formetur, & ad plenilunium, ideſt cum completum virtutum eſt meritum, nos Cælo parit; ſupernæ Hieruſalem magnates efformat; Hoc igitur prædicat Pſalmus 112. verſ.7. *De ſtercore erigens Pauperem, vt collocet eum cum principibus.* Sed neque hæc ſententia mea eſt, imò ſapientis Mediolanenſiū Præſulis: qui hæc habet. *Clamauit quaſi Scarabæus: Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? Et bonus Scarabæus, qui Lutum corporis noſtri, virtutum verſabat veſtigijs. Bonus Scarabæus, qui de ſtercore erigit pauperem: erexit Paulum, qui propter Chriſtum æſtimatus eſt vt ſtercora; erexit Iob, qui ſedebat in ſtercore.* D. Ambroſ. Epiſc. Mediol. *lib.10. in Luc. tom.3. pag. 72. lit. D.* Optimus terminus humilitas, ad mundanam ſuperbiam coercendam.

§. VI.

Ex aqua lateris Chriſti, vita, & ſalus mundi orta eſt.

1 *Terminum poſuiſti, &c.* Amor ille diuinus, & ineffabilis, qui Deum humanum fecit, & in crucis patibulo crudeliter interfecit, Oceanum ſanguine redundantem aperuit, vt infinitæ charitati, haud parua ſanctiſſimi ſanguinis vnda correſponderet. Quia vero finitum habebat corpus, terminandum erat, & aqua ſanguinis terminus extitit; vt enim aliqua noſtræ ſalutis, vitæque figura oſtenderetur, e iam defuncto Redemptoris corpore vitalis aqua maneuit. Hoc figurauit Sereniſſimus Dauid cum aquam tam diligenter deſcripſit, eiuſq; terminos deſignauit, vt ſcilicet oſtenderet, Oceanum Paſſionis Dominicæ noſtra ſalute terminari; cum ex aqua, quæ de eius latere fluxit, vita, ſaluſque noſtra ortum duxit: cuius rei Ioan. Bapt. Folengium *in Pſal.* 103. teſtem adhibeo. *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: Hucuſque (inquit Spiritus) tuus erit curſus, atq; conatus o Oceane. Occultiſſimū id eſt myſterium, quod tā diligenter hic de aquis habeatur ſermo: ex aqua enim emerſa eſt vita, atque mortalium exorta eſt ſalus; poſtquam e lacero Chriſti latere dulciſſimus tum aquæ, tum cruoris effluxit riuus, quo abluta ſunt animæ, ac depuratæ.*

2 Sed iam aquæ illius ſanctiſſimæ declaremus myſteria: Iam in crucis patibulo defunctus iacebat Ieſus; mortis incurrerat ictum Author vitæ; cum adhuc in ſatellitibus viua crudelitas, nouos ei cruciatus parabat: nam, ne ſuſpenſorum corpora vltra diem viuerent, eorum frangere crura meditabantur; hocque in alijs furoris ſignū dedere, verum cùm Dominum iam extinctum vidiſſent, ei frangere crura non auſi, cor illi fregerunt: nam miles quidam cæteris audentior retorta lancea in latere ipſum vulnerauit. *Ioan.cap.19.verſ.34. Vnus militū lancea latus eius aperuit.* Quibus in verbis modum loquendi S.Euangeliſtę obſeruandū eſt: etenim

Digitized by Google

cum Chriſti vulnus deſcribit, nequaquam latus eius vulneratum, percuſſum, aut ſauciatum dicit, ſed apertum; modo ea, quæ aperiuntur, carent iniuria; quomodo ergo lancea illa, quæ ſola inter omnia paſſionis Dominicæ inſtrumenta, crudelis nomen promeruit, non dicitur plagaſſe, ſed aperuiſſe latus? præſertim, cum ita eius ictus violentus fuerit, vt nedum ſanguis, ſed etiam fluxerit aqua: *Ibid. Et continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Acuta quidem, & aquilina Ioannis obſeruatio, ſed haud ſpernenda Diui Auguſtini ſpeculatio; putat enim idcirco aperuiſſe, & non vulneraſſe dici, quia iam defuncto Domino dolorem non daſſet, nobis tamen vitæ, & ſalutis aperuit oſtium; nam ex illo latere ſic aperto in ſanguine, & aqua fluentibus Sacramenta manarunt, quæ æternam vitam largiuntur. *Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, latus eius percuſſit, aut vulnerauit, aut quid aliud, ſed aperuit; vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde Sacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam, quæ verè vita eſt; non intratur. D. Auguſt. Tract. 120. in Ioan. tom. 9. pag. 206. col. 1. lit. D.* En quomodo ſalutaris illa aqua, quæ in Redemptoris corpore clauſa tenebatur, vt ad noſtram ſalutem exitum haberet, oſtium ſibi aperiri per clauem militis, hoc eſt lanceam iuſſit; vt ſic fluens nobis vitalis eſſet, & æternaliter ſatiaret.

3 Illud quoque ſine animaduerſione prætereundum non eſt; quod licet in latus dextrum infixa ſit lancea, tamen ita crudeliter, & fortiter directa eſt, vt ad alterius lateris coſtam perueniens, cor ipſum per medium diuidens tranſuerberauit: hoc B. Birgittam docuit ipſa Dei Mater, vtpotè oculatus teſtis. *In corde punctus erat tam amarè, & immiſericorditer, quod Pungens non deſtitit, donec lancea attigit coſtam, & ambæ partes cordis eſſent in lancea: B. Birgitta Reuel lib. 1. capit. 21. tomo prim. pagin. 196. column. 1.* Hocque alibi etiam eadem Domina confirmat, inquiens. *lib. 4. capit. 70. tom. eod. pag. 414. col. 1. Modico autem tempore poſt, aperto latere, & extracta lancea, ſanguis in cuſpide, quaſi brunei coloris apparuit, vt ex hoc intelligeretur cor transfixum.* Neque hoc caſu vel geſtum, vel narratum eſt, ſed in eo haud vulgaria latent Sacramenta. Quæ vt aperiamus, ad Ezechielis Prophetiam recurrendum eſt. Is enim de hac aqua vaticinans, populum per eam mundaturum, a ſordibus ſuis prophetat *cap. 36. ver. 25. & 26. Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris; & ab omnibus idolis veſtris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri.* Aqua igitur quæ nos a peccatis omnibus lauat, & ita mundat, vt innouatos nos reddat, Chriſti lateris aqua eſt: porrò experimentum habemus, quod ad ſordes pellendas, & ad res ita mundandas, vt innouatæ videantur, aqua calida validior eſt; & ideo de corde ſuo aquam exire voluit Chriſtus, de illo inquam Diuinæ charitatis incendio, diuini amoris fornace, vt ſic calida, imò præ charitatis vehementia, ardens aqua, Animas validius mundaret, tergeret ſordes, & ipſa corda noua redderet, & ſplendentia. Ingenioſè id Hugo Cardinalis, in hoc verè eminentiſſimus, perſpexit; inquiens *in Epiſtol. ad Roman. pag. 36. col 1. Illa autem obedientia fuit nobis neceſſaria, quia indigebamus (immundi eramus) lotione: & ideo aqua fluxit de latere Chriſti; de qua Ezechiel. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris: & quia non lauaret, niſi eſſet calida, exiuit de fornace amoris Chriſti.* Cum igitur Amoris fornax ſit cor, de corde Domini aperto fluere debebat aqua, quæ nos a ſordibus noſtris, & peccatis mundare debebat, & innouare.

4 Aqua iſta neceſſariò de Chriſti latere egredi debebat, vt nobis aditus aperiretur ad vitam; nam, & ad cæleſtia Regna patefacienda Sanctis nulla iuſtitia ſufficiebat. Illud ſanè mirari non deſino, quod cum Redemptor humani generis a Ioanne in Iordanis baptizaretur fluentis, memorat Euangeliſta, Cœlos ſuper ipſum apertos fuiſſe. *Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua; & ecce aperti ſunt ei cæli. Matth. capitul. 3 verſic. 16.* Cur ergo potius Aſcendenti de aqua Cœli aperiuntur? ea, vt mihi videtur cauſa eſt, quia illa figurabat aquam, quæ de latere Chriſti manans, Cęlum aperire debebat. Quærit propterea Rupertus; quare ante Chriſtum, cum multi Sanctiſſimi extitiſſent Patres, nulli tamen eorum, Cęlorum ianua fuerit reſerata? Et reſpondet, (& quidem optimè) non decuiſſe homines quantumlibet Sanctos, illam ingredi Patriam Angelorum puritate candidatam, niſi prius hac aqua Salubri, e Chriſti latere manante purificarentur. *Quæret nunc aliquis: Cur ergo Sancti Patres ante aduentum Chriſti non introibant in Regnum Dei, ſi per fidem Chriſti in Circumciſione fuerant iuſtificati, & ipſi? Ad quod e directo reſpondens, &c. Ita planè veteres ſancti, idcirco ab illa cæleſti gloria non debebant in communionem gloriæ, & viſionis recipi Diuinæ Charitatis: nec fas erat vt inter candorem innocentiæ, vel claritatis Angelorum reciperentur qualeſcumque iuſtitiæ humani generis, quæ omnes, teſtante Iſaia, ſic erant ſicut pannus menſtruatæ: niſi prius lotæ erant ſanguinis, & aqua de Chriſti latere profluentis mundatione. Rupertus Abb. Tuitienſ. lib. 5. capit. 35. in Geneſ. pagin. 80. column. ſecunda, tomo primo.* Vide ergo quomodo limbi tenebris terminum poſuit aqua, ita vt miſeriarum aquæ, vna Chriſti aqua terminarentur.

5 Tandem inquirere debemus locum quem aperuit lancea, nimirum latus; *Lancea latus eius aperuit.* Cur ergo latus, & non alia pars, ad aquam fundendam apertum eſt? fortaſſis vt adimplerentur ſcripturæ, & vt etiam oſtia domorum imitaretur, quæ in latere ſunt. Eccleſiæ figura Arca fuit Noetica; ſicut enim in Arca genus humanum a Diluuio ſeruatum eſt, ita, & a peccatorum æternæque mortis diluuio in Eccleſia ſeruantur fideles; habebat oſtium Arca, per quod ingrederentur ſaluandi; & oſtium habet Eccleſia, Sacramentorum exercitium, per quæ ingredientes fideles vera vita donantur: quod ſi de illo dictum eſt. *Geneſ. cap. 6. verſic. 16. Oſtium autem Arcæ pones ex latere.* Etiam vulnus Chriſti, Sacramentorum oſtium, in latere debuit aperiri: ita D. Auguſtinus loc. cit. *Aqua illa ſalutare temperat poculum. Hæc & lauacrum præſtat, & potum. Hoc prænunciabat, quod in latere arcæ Noe oſtium facere iuſſus eſt, quò intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura; quibus præfigurabatur Eccleſia.* O ſalutare vulnus, o vitæ oſtium, o ſacri amoris fornax, o delectabile incendium, ſic vre corda noſtra, vt mundemur, ſic laua, vt innouemur; per te aqua exeat gratiarum, vt per te ad vitam gloriæ lætantes ingrediamur.

§. VII.

A terra virtutis ad maris laſciuiam non tranſeundum.

1 T*Erminum poſuiſti, &c.* Si tantummodo prophetica verba literaliter penſemus, ſtatim vtique videbimus mari a Deo terminum poſitum. Verum enim verò, etiam in aquarum immenſitate humanæ audaciæ terminus præfixus eſt; ne præſumeret temere maria curſare; quare Hercules cum horrenda proſtraſſet monſtra, atque ferè impoſſibilia exantlaſſet facinora, Oceanum aggredi non eſt auſus; ſed eius immenſitate obſeruata, pedem retorſit, & ad aliorum frænandã curioſam audaciam, columnas in freto erexit, adhibita inſcriptione: *Non plus vltra*; ne alius attentaret, quod Hercules non potuiſſet. Verùm poſt tot ſæcula, qui

Digitized by Google

qui Herculi exprobaret, nouo decreto itinere, non deſuit: ſed hæc ad noſtra non pertinent. Virtutem in continenti terra adumbratam puto, columnæ Herculeæ diuina præcepta, Oceanum laſciuiam notat. Terminum ergo Deus aquis poſuit, vt ſcirent homines, a terra virtutis ad maris laſciuiam tranſeundum non eſſe. Quo reſpicere videtur Pierius Valerianus. *Hierog. lib. 1. pag.402. lit. H. Fortè autem Herculis columnæ in habitabilis terræ finibus erectæ, virtuti documentum ſunt, non eſſe a duris terræ laboribus ad vndarum mollitiem, atque laſciuiam dilabendum.*

2 Cupiditas mare calcandum docuit; & licet in dies eius pericula, & naufragia experiantur homines, nihil horum vnquã eos a tam periculoſo auſu deterruit. Nil periculoſius, quam viri mulieriſque conuerſatio; neque deterior ea, quæ ſub virtutis ſpecie decipit Accedit ad Eccleſiam mulier, vt oret, ſed ſub ſpecie ſuæ nobilitatis, aut ſtatus, omnia ornamenta Diaboli ſecũ deſert; hinc ſalutaris doctrinæ cupida, Religioſos aut Sacerdotes alloquitur, diuina petit arcana, ſalutaria audit monita; at quia hæc fœmina eſt, ille vir, paulatim incipit amor, qui de ſpirituali in carnalem repente mutatus, ambos perdet. Hac de cauſa Paulus Apoſtolus, mulieribus Eccleſiam petentibus, & vanos ornatus interdicit, & ſilentium indicit, *Similiter mulieres in habitu ornato*, (honeſto legunt alij) *cum verecundia, ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Mulier in ſilentio diſcat cum omni humilitate. 1. ad Timoth. c.2.v.9. & 10* Ne ſcilicet ex loquutione multa, etiam de diuinis rebus, tandem a terra virtutis, ad laſciuiæ Oceanum fiat tranſitus. Quod hic adnotat D. Vincentius Fer. *Incipiunt tales mulieres impudicæ, & vanæ habere amicitiam per confeſſionem, ſeu ſub ſpecie alterius boni, cum aliquo Sacerdote, vel Religioſo, incipientesque loqui ſpiritualiter a Credo in Deum, finiunt in Carnis reſurrectionem; ſed væ illis quia numquam introibunt in Regnum Dei.* Tam facilis lapſus eſt, arena tam labilis; vt facile in vndas decidat, qui in extremo ſe littore ſiſtit fugiendum eſt: omne muliebre commercium cupientibus vitam.

3 Nonnulli equidem homines reperiuntur haud minus fœminis exitiales, quam illæ viris. Hi ſiquidem ſimulant ſanctitatem, vel doctrinam, vt ſic ſibi in alienas domos pateat ingreſſus; erudiunt de ſacris, cohortantur ad virtutes, ſed paulatim a tanto virtutis apparatu dehiſcendo, ad mare libidinis prolabuntur, a priori temperantia ſenſum turpiter ad laſciuiam detorquentes. De huiuſmodi farinæ viris loquebatur Apoſtolus *Iudas epiſ. capit. 1. verſicul. 4. Subintroierunt quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium) impii; Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam.* Adhuc tepebat Redemptoris ſanguis, & primæuo feruebat ardore recens Eccleſia, & tamen ex his, qui ſe diſcipulos iactabant, non defuere, qui deuotionem, aut doctrinam ſimulabant, vt virtutis ſpecie ad vitia pertraherent, luxuriæ ignem cinere conuerſationis tegentes. Ita Oecumenius. *in epiſ. Iud to.2. pag 623. lit. B. Nam cum gaſtrimargi eſſent, ac libidinoſi, doctrinam ſimulabant, vt huius prætextu latentem ingreſſum in domos nanciſcerentur, ac mulieres peccatis oneratas ducerent captiuas: effictis enim nocturnis myſteriis, tradiderunt ſeipſos cubilibus, & laſciuiis. Quod autem ait: transferunt ad laſciuiam: hoc eſt detorquentes a temperantia ad laſciuiam.* Hoc autem Chriſtianis omnibus, & Religioſis præſertim cauendum eſt; nec virtutis fundatam terram relinquant, nec transferant pedem iam in recto poſitum, ad lubricum laſciuiæ mare; in quo inſignes virtute viri, & fœminæ periere.

4 Non me latet, fateor vtique, rem nobis cum intrinſeco, ac violento inimico eſſe; a quo fugiendum potius quã dimicandum; ſed difficillimum ſanè eſt, anguis enim iſte venenatus ſub herba noſtræ carnis latet; inſidias cum minimè cogitamus parat: ſed Victores Corona expectat, ille fortis eſt, qui iam inter vndas occaſionis, volens nolens poſitus, enatat valenter: Idcirco Iacobus prædicabat: *c. 1. verſ 12. Beatus Vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: non eſt a terra virtutis tranſeundum ad laſciuiæ mare; ſed in eo iam poſitus homo ſubmergi non debet, ſed enatare, ne pereat; tunc enim calcata impudicitia, domata carne, in littore cœleſtis Hieruſalem Gloriæ coronam accipiet: De qua Hugo Cardinalis *in epiſt. Iacob. pag.312. col.3.* inquit. *Qui ſuffert tentationem, id eſt ſenſualitatem ſub ratione fert, vel ſeorſum fert conculcando: quoniam cum probatus fuerit; ſicut miles in tyrocinio; accipiet coronam vitæ: per coronam enim, in qua idem eſt principium, & finis, notatur perennitas; notatur etiam ſtatus bonorum æqualitas, quia tantum habebunt gaudium ſine fine, quantum a prima die.* Si terreni natatores maris ſuſtinent, & vndarum impetus propter caducam mercedem, & nos propter æternam laſciuiæ impetum ſuſtineamus.

5 Neque enim magnum eſt virtutis indicium cauere pericula, ſed ſuperare; non debemus illa quærere, ſed ſi ſeſe obtulerint, proſtrare. Nonne exemplum mirabile in Sancto Patriarcha Ioſeph habemus? Quis non miretur adoleſcentulum fortem robore, pulchrum viſu, ætate iuuenem, nulla lege niſi naturæ legatum, a fœmina pulchra, impudica, & potente tentatum, & magna cum violentia ad peccatum inuitatum, imò coactum, fortiter dimicaſſe, viriliter reſtitiſſe, glorioſè viciſſe? O quot hodie reperiuntur, iuuenes magis moribus, quam ætate, qui ſimili occaſione propoſita; nullo virtutis veſtigio relicto, nulla turpitudinis nota detenti, nulla legis pena coerciti, in manifeſtum prorumperent adulterium. Equidem nec opus haberet Putipharis vxor tanta vel vi, vel turpi eloquentia ad crimen ſuggerendum, ſtatim præberent aſſenſum; nec parum eis videretur laudandum, quod ab ea conſenſum non extorſiſſent. Haud ita Sanctus Iuuenis; ſed ad eius allectionem reſpondit: *Gen. cap.34. ver.9. Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Viro probo ipſa peccati conſideratio frænum eſt. Quam victoriam admiratus Conſtantinopolitanus Antiſtes, ait. *Non ſimpliciter hoc prætereamus, ſed cogitemus quantum certamen ſuſtinuerit Iuſtus ille: non enim tam admirabile, vt mihi videtur, in fornace Babilonis eſſe tres pueros, & illæſos permanere, & nihil ab igne pati, vt admirabile hoc & rarum; quod admirabilis ille iuuenis retinetur veſtimentis a polluta illa & laſciua, nec tamen illi cedit.* D. Ioan. Chriſoſt. *Hom. 62. in Geneſ. tom 1. col.377. lit. D.* Hunc nobis imitandum proponamus, & vt ad promiſſam coronam nobis expeditus ſit aditus, ſtemus in virtutis terra, nec ab illa ad laſciuientem oceanum tranſeamus.

§. VIII.

Libido omnes animi virtutes corrumpit.

1 T*Erminum poſuiſti, &c.* Neque fruſtra hic terminus poſitus eſt aquis, ſed vt operiens terram ipſam ſterilem non redderet: aqua enim marina ſalſedine ſua omnes terræ fruges corrumpit, & eius fertilitatem vitiat. In hoc ei ſimillima libido eſt, quæ omnes animi virtutes inficit, ac corrumpit. Laſciuia namque cum cor poſſederit hominis peruertit iudicium, intellectum excæcat, vt rationis vſu deuaſtato; ad Bruti ſimilitudinem ſenſibus regatur: hinc eruditè Iuuenalis, Satir. 6.

Nunc patimur longæ pacis mala: ſæuior armis.
Luxuria incubit, victumq; vlciſcitur orbem.

& poſt pauca.

.... *quid enim Venus ebria curat?*

Digitized by Google

Inguinis, & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit

Quia verò [a] quartum elementum, ad mundi ordinem neceſſarium eſt, ei terminus poſitus eſt ne læderet; & quia conſeruationi generis humani generatio deſeruit, cui miniſtratur libido, ei terminum poſuit Deus, ſcilicet Matrimonij Sacramentum, vt ſic libidine actus nubat, ne comburatur: vt in opere imperfecto docet Chriſoſtomus. *in oper. imperf. in Matth. Hom.* 1. *to.* 2. *col.* 591. *lit. B. Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: ecce vna eſt libido, quæ fornicationem generat, & quæ maritalem vſum miniſtrat. Sed ſicut poſuit terminos mari littora, dicens: Vſque huc veniens, & hic te conſtringes: ſic libidini carnali terminum poſuit coniugium, vt vſque illuc veniens, illic ſe conſtringat? Sicut ergo Mare ſi littora ſua ſupergreſſum fuerit peccat, ſic & homo ſi tranſgreſſus fuerit licentiam maritalem.* Sal porro ideo vrendi vim habet, quia continet in ſe duo elementa, ignem, & aquam; vt ignis vrit, & quia humidum habet, pabulo non caret; propterea complexio calida & humida, vt tradunt Phiſici, valdè ad libidinem prona eſt; quod autem ex his duobus elementis ſal ſit compoſitum, præter experientiam, docet etiam Diuus Hilarius. *in Matth. can.* 4. *pag.* 477 *lit. E. Sal eſt in ſe vno continens aqua & ignis elementum, & hoc ex duobus eſt vnum.* Ignitam ergo naturam cum habeat etiam libido, niſi termino perſtringatur, virtutes omnes incendet, & diſſipabit.

2 Iratus aliquando Iſraelitico populo Deus, minitatus eſt eos immiſſo igne perditurus; cum enim iram præ culpis in eius pectore ſuccendiſſent; quid aliud quam incendium omnia deuaſtans expectare poterant? Ignis eis promittitur, qui non ſolum homines interficeret, ſed & domos perderet, campeſtria deſtrueret, montana combureret, & herbas ipſas virentes deſiccaret: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni nouiſſima: deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Deuteron. cap.* 32. *v.* 22. Quiſnam iſte ſit ignis omnia perdens, inquirit D. Gregorius Magnus: *lib.* 21. *cap.* 9. *moral. pag.* 794. *lit. C.* & tandem concludit libidinem eſſe, quæ ad Ignis inſtar omnes virtutes, omnia merita conſumit, & vaſtat: fruges Animæ rectè facta ſunt, flamma eas perdens libido. *Ignis quippe terram atq; eius naſcentia comedit, ſicut libido carnem; atque per hanc omnia bene acta conſumit. Nam quidquid procedit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis.* Hæc maxima vitio eſt, Animam eiuſque merita vaſtare: qui enim temporalia perdit, Regnum beatitudinis non deſperat: At qui virtutes, merita, gratiamque Dei cum his perdit, ſpem omnem æternitatis amittit.

3 Inter omnia animantia, cum cætera ſuam veſtem, ornatumque, natura donante, ſecum in ſuo exortu deferant, ſolus homo e ventre matris nudus egreditur; ſed id Diuinæ Sapientiæ opus eſt, vt ſcilicet rationale animal ad rationis dictamen veſtes ſeligat, & ornamenta; nec neceſſitate, ſed voluntate veſtiatur. Cum corpore nudo, impolitus animus, & tanquam tabula raſa, cui nil eſt exculptum, prodit, vt videlicet bonorum morum ornatu, & virtutum veſte, labore, & induſtria accoretur. Veſtes ergo Animi virtutes ſunt. Quod ſi impoſſibile naturaliter eſt, ignem in veſte deferre, nec eas conſumere; impoſſibile itidem videtur ignem libidinis corde ſeruare, & virtutes mentis non conſumere. Ignis eſt meretricius ſermo, ſi aure capis, mente ſuſcipis, corde cuſtodis, omnem animi ornatum deſtrues. Id bene ſapientiſſimus nouerat, quando monebat. *Prouerb. cap.* 6. *verſ.* 27. *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant?* Et quod de ſenſualitatis ardore loquatur teſtatur eminentiſſimus Hugo Cardin. *in Prouerb.* 10. 3. *pag.* 14. *col.* 2. *Numquid poteſt homo abſcondere ignem, id eſt meretricis confabulationem; in ſinu ſuo, id eſt in corde ſuo; vt veſtimenta illius non ardeant; id eſt virtutes, quæ veſtiunt animam.* Solus ergo qui pudicus eſt, nec materialis ignis combuſtionem pauet; caſtus enim animus, flammas & ipſas inter, corporis veſtimenta illæſa conſeruat; ſicut legitur de S. Montano Toletanæ Eccleſiæ Preſule. *Sanctus Montanus Toletanus Epiſcopus* (inquit Idelphonſus Archiep. Tolet. *lib. de uir. illust.*) *ad explosionem infamia tamdiu prunas ardentes in veſte tenuit, donec coram ſedis ſuæ altari Sacram totius miſſæ celebrationem per ſemetipſum expleret: peractis autem ſolemnibus, nec prunæ ignem, nec veſtis inuenta eſt amiſiſſe decorem.* Veſtem namque & corporis, & animi, quam libido deſtruit, reparat caſtimonia.

4 Hoc inter ignem, & reliqua mixtorum, elementorumque inſtrumenta diſcriminis eſt; nam reliqua quidem commaculant, minuunt, lacerant veſtem, ſed ignis vorax penitus conſumit, nec vrere ceſſat, quin totum in cineres redegerit. Ignis cum ſit libido, eius imitatur naturam; nam reliqua vitia maculant virtutes non enecant, minuunt non deſtruunt; ſed laſciuia eradicat penitus, hoc teſtatur Patientiæ Princeps *Iob. c.* 31. *verſ.* 12. *Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina:* Nec veſtigiũ quidem virtutis remanet, vbi debacchatur Luxuria; vt putat Romanus Gregorius. *loc cit. lit. B. Vnde Beatus Iob crimen luxuriæ definiens, ait: Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans; quia reatus huius facinoris, non ſolum vſque ad inquinationem maculat, ſed vſq; ad perditionem vorat. Et quia quamlibet alia fuerint bona opera, ſi luxuriæ ſcelus non abluitur, immenſitate huius criminis obruuntur, ſecutus adiunxit: & omnia eradicans genimina.* Vide laſciuientis cupidinis ſterilitatem, omni ſpumanti ſalo deteriorem, quæ omnia perdit, deſiccat, depopulatur.

§. IX.

Deo dicatus terrena negotia tractare non debet.

1 NEque conuertentur operire terram. Semel a terra aquæ ſeparatæ ad eam rurſus operiendã reuerti prohibentur. Hoc autem ad noſtram doctrinam licet accomodare: aquæ ſunt viri ſpirituales, qui ad vlteriorem perfectionem anhelantes, ſeparant ſe a terra, ideſt, a mundanis occupationibus, & Dei ſeruitio, vel in ſtatu clericali, vel in aliqua religione ſpecialius dedicantur. Horum munus eſt Deo placere, diuina cogitare, cæleſtia meditari, ſpiritualia ſapere: neque debent amplius oculos retro vertere, vt negotia ſæcularia tractent: aquæ ſunt, ſæparatæ maneant, non amplius ad eam terram, quam reliquerunt, operiendam reuertantur. De his ergo dicitur: *Neque conuertentur operire terram*; ſecundum explanationem Cardinalis Hugon. *in Pſalmum.* 103. *Neque conuertentur, a via recta, quam inceperant tenere, operire: ideſt, vt operiant terram. Terram operit, qui terrenis tractandis, & appetendis ſe implicat.*

2 Omnis quicumque Deo ſub arctiori diſciplina mancipatus deſeruit, eò tendit, vt ad Diuinorum peculiarem notitiam, & ad Diuinitatis contemplationem aliquando perueniat. Hoc autem conſequi impoſſibile eſt ei, qui dum Deo militat negocijs ſe implicat ſæcularibus; iuxta monitum apoſtolicum; 2. *Timoth. c.* 2. *v.* 4. *Nemo militans Deo implicet ſe negotijs ſæcularibus.* Hoc equidem ſæpè ſæpius expertum eſt, quod ſi miles dum ad victoriam properat, ipſam indefeſsè proſequitur, ad alia minimè diuertendo, procul dubio exterminans hoſtem, plenam victoriam conſequitur. E contra verò, ſi ſpoliorũ cupiditate inlectus, retro vertit pedem, & credens fugientem hoſtem nullatenus redire poſſe, totum in prædando ſe occupat, multoties & victoriam, & vitam per ſecordiam amittit. Hæc quotidiano experimento probantur. Ita pariformiter Chriſti miles, Religioſus, contra Diabolum pugnans, nequaquã ad ſæcularia

Digitized by Google

laria negotia, quæ Diaboli ſpolia ſunt, deprædanda, vel deſiderio, vel commercio reuerti debet; ne ſcilicet internam notitiam Diuinorum, quam iam iam conſequuturus eſt, perdat: ſicut monet Gloſſa ordin. *Notitia interna nequaquam conſpicitur, niſi a terrena implicatione ceſſetur: ſi autem bonus miles eſſe vis, ne implices te negotijs ſecularibus.* Perdere, non vincere vult miles, qui prædam virtuti præfert; nonniſi completo certamine ſpolia ſunt conſequenda: Religioſus verò poſt vitæ huius pugnam, in cælo præmia ſperet.

3 Hoc videtur clarius inſinuare idem Paulus, dum Romanos erudiens *cap.8.verſ.13.* inquit: *Si enim ſecundum carnem vixeritis moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.* Ac ſi diceret: ſtultus profecto eſt, qui ita ſæcularia diligit, vt ipſam vitam pro illis ſpernat: Fatuus profectò appareret aliquis, ſi in captiuitate poſitus, a qua ſcit nonniſi ad patibulũ egreſſurus, dum ob aliquam breuem deliciem, qua, in captiuitate fruitur, vel illinc liberari renuit, vel ad illam iam liberatus ſponte ſua redit. Liberatus eſt Chriſti ſeruus, a mundi laqueis, qui in ſeruitutem Diaboli vinciunt, quæ morte terminatur æterna: non ergo ad peximam captiuitatem redire debet ſi vitam amat; tenebatur plãcta eius laqueo mortis, vinculis illecebrarum circumdabatur; ſolutus eſt; ſed o ſtultitiam incomparabilem, vincula ſua repetit, mortem amat. Sapienter D. Fulgentius *Ruſpen. lib.1. cap.28. de Remiſ peccat. pag.659. col.2. Facta autem carnis ſequitur, ſi quis aut obſequitur deſiderijs ſecularium, aut in impietate vult remanere captiuus: cum nos non aliud Doctrina ſpiritualis erudiat, niſi, vt abnegata impietate, deſideria quoque ſecularia deponamus.* Iam a ſeruitute liberatum dedecent vincula, relinquat ergo catenam Diaboli, qui ſeruitutem abiecit.

4 Vrbem Iericho Dei virtute proſtratam deuaſtauerat Ieſus Iſraelitarum Imperator: & quia vrbem illam Deo odibilem putabat, & tanquam anathema perpetua infamia notandam cenſebat, vetuit, ne dum præſentibus, verum etiam omnibus populi illius poſteris, ſub terribilis maledictione ſupplicij, vt nemo auderet, ciuitatem illam reædificare. *Ioſu. cap.6. verſ. 22. Maledictus vir qui ædificauerit Ciuitatem Iericho, in primogenito ſuo fundamenta eius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.* Hoc anathematis fulmine territus, per multa ſæcula, nemo auſus fuit ciuitatem illam reficere: Et quis tam mentis inops fuiſſet, qui natos ſuos, viſcera ſua, pro vnius ciuitatis poſſeſſione, vltro morti daret? Nihilominus tamen tempore impii Regis Achab, repertus eſt, qui cum ſuo Principe impietate decertans, Iericho ædificauit; & tigrem feritate ſuperans, licet cerneret emori filios, ab ædificatione non deſtitit, ſed Portarum vectem nouiſſimi filij tumulo comparauit 3. *Reg. cap.16. ver.34. In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Iericho, in Abiram primogenito ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbum Domini.* Quis autem iſte Hiel de Bethel eſt, qui, vt deſtructam olim vrbem reſtauraret, filios omnes perdere non dubitauit? Hic aduertendum eſt quod בית־אל Bethel, Domus Dei interpræṫatur: quare Hiel de domo Dei dicitur; hic profecto Religioſus eſt vir, qui exeundo de mundo, & in Religione profeſſionem emittendo, deſtruxit Iericho, ideſt mundi negotia dereliquit. Cum autem poſtea de Domo Dei ſit non debet Iericho reædificare, ad mundana conuerti, aliàs filios perdet, ideſt omnia eius opera bona deſtruentur: acutè Lyranus hoc approbat. *in c. 16. 3. Reg. Per Hiel, qui viuens Deo interpretatur Profeſſus in religione ſignificatur: propter quod dicitur de Bethel, quæ Domus Dei interpretatur; nam Religio Domus Dei nominatur, &c. Igitur Hiel Iericho ædificat, cum profeſſus in religione in actibus mundanis ſe occupat: & in hac ædificatione proles moritur, quia eius bona opera mortificantur.* Mundum ergo omninò in nobis deſtruamus, nec ad veterem conuerſationem redeundo, filios chariſſimos, meritoria ſcilicet opera, interficiamus.

Ita de Mata.

5 Si ſutor aliquis honoris cupidus ſe militiæ adſcriberet; incederetque vt miles galeatus, armatus, attamen nulla opera militaria exerceret, ſed omninò in prioribus ſutorijs laboribus defatigaret, profecto hic aliud militis quam externam apparentiam non haberet. Miles dicitur, non qui conſuit calceos, ſed qui pugnat. Sutor erat dum ſæcularem profitebatur vitã; conſuebat calceos, mundana tractans negotia, quæ ad ſolius corporis ornatum pertinent; ſed nunc Religioſus, Dei miles eſt, Deo viuere debet, contra vitia pugnare, non inanis laboris ſuſcipere exercitationem, ea negotia tractando, quæ dereliquit: non enim homo Dei erit, non miles Chriſti, qui ſæculo viuit, qui mundana pertractat. Hæc monita dabat gentium Doctor nouiter conuerſo Timotheo. 1. *Timoth. cap 6 verſ. 11. Tu autem ò homo Dei, hæc fuge; ſectare verò iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem. Certa bonum certamen fidei &c.* D. Ioan. Chriſoſ. *Hom.17. in 1. ad Timot. to.4. col.1394. lit. A Si homo, inquit, Dei es noli ſuperba quærere, & quæ ad Deum non ducunt, ſed fuge: perſequere vero iuſtitiam.* Iuſtitiam enim proſequere, eſt Dei militiæ actus exercere; hos Chriſtianus, & Religioſus miles, qui talis haberi vult, amplectatur.

6 Speciem ergo tantum Militis præbet, ſed Militis ſpiritum non habet, qui militaria non proſequitur opera; nec homo Dei eſt, qui ſæcularia, iam deſpecta, negotia reaſſumit. Perditurus Domines quinque nefandas Vrbes, egredienti Lot, eiuſque familiæ demandauerat, ne a Sodomis fugientes, ad videndam illam Ciuitatem oculos verterent. Huius Decreti vxor immemor, vel curioſitate illecta (quid muliebris curioſitas non audebit?) retro reſpexit, & continuò in Salis ſtatuam verſa eſt: *Gen. cap.19. verſ.26. Reſpiciensque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam Salis.* Vltione diuina dignam extitiſſe, quæ diuinum præceptum tranſgreſſa eſt, non ambigo; ſed cur in ſtatuam verſa fuerit, quæro: cum aliæ non defuerint punitionis ſpecies. O miram Dei in miſericordia punientis prudentiam: Dei famulatũ profitebatur Vxor Loth, ſed e Sodomis fortaſſe oriunda, Sodomiticum habebat ſpiritum, & illuc voluebat oculos vbi cor collocauerat. Quia ergo ſola apparentia Deum ſequebatur, ſed re homo Dei non erat, ſed mundi, voluit Deus vt verteretur in ſtatuam, quæ quidem homo apparet, ſed non eſt; ſpeciem habet viuentis, non opera. Hanc mulctham meretur Religioſus, qui in mundanis negotijs tractandis ſe occupat, nam ſi tantum habitum habet, non opera Religionis, ſtatua videtur eſſe non homo. Non aſpiciat retro Religioſus, non recogitet Carnis delicias, non vitia ante actæ vitæ, ne ſtatua inutilis reddatur. Ita Cardinalis Charenſis. *In Geneſ. pag.25. col.2. Reſpiciensq; vxor eius retro: ſic quandoque exeuntes de mundo ad clauſtrum, reſpiciunt retro, recolentes delectamenta, quæ in ſæculo habuerunt. Retro ſunt duo quæ obliuioni danda ſunt; Bona præterita, ne eorum fiat recordatio ad gloriam; ac mala præterita, ne eorum fiat recordatio ad delectationem; qui hæc duo reſpicit, in ſtatuam Salis vertitur, ſtatua habet ſpeciem hominis, ſed non habet ſpiritum viuificantem; quia talis habet habitum Religioſi, ſed non habet animum.* Retro aſpiciendum non eſt, ne hominis formam in ſtatuam commutemus.

7 Exercitatio in omni diſciplina ita eſt neceſſaria, vt ſtatim præcepta obliuiſcamur, quæ aſſiduis actibus non firmamus: & quia militis artem, adduximus, eius parallela proſequamur: Si Miles ſe in militia non exercet, nec gladiatorias exercitationes fictis gladijs, nec haſtiludiũ ad fictam ſtatuam aſſiduo labore proſequitur, cum tempus bellandi, aut prælian-di aduenerit, ſe imparatum, & ineptum reperiet, & ſi interim alijs ludis a ſua profeſſione alienis, operam dedit, illa recepta phantaſmata ſic mentẽ occupabunt,

bunt, vt ad propria redire neſciat, & velut tenebris concluſus, & compedibus aggrauatus, ſe mouere ad operandum nequibit. Quomodo autem Religioſus, qui quotidiè per ſæcularia negotia vagatur orationem, meditationem, ac reliqua Religionis exercitia præſtabit? ſanè ita ſæcularibus tumultibus plenam mentem quaſi cæcam, ad Deum contemplandũ habebit, & potentias ad contritionem & lacrymas inaſſuetas, quaſi catenis conſtrictas, mouere nõ poterit: oculi Solem, vel ignem nimium intuentes, ad videndam debitam lucem caligant; ſic Intellectus, qui nimium mundanæ gloriæ Solem, vel libidinis ignem perſpexit, diuinam Lucem contemplari non valebit. Hoc in huius vani Religioſi perſona Hieremias plorabat, dicens: *Thren. cap.3. verſ.3. In tenebroſis collocauit me, ſicut mortuos ſempiternos: circum ædificauit aduerſum me, vt non egrediar, aggrauauit compedem meum.* Approbat meæ interpretationis ſenſum, D. Petrus Damian. *opuſ.12. cap.12. to.3. pag.113. lit. E. Tunc infelix anima diſcit quanto ſibi conſtiterit, quod ſe per latitudinem ſæculi inaniter dilatauit; tabeſcet enim ſicca, obſcura, lapidea, in modum namq; lapidis obdurata, nec in lacrymarum fluenta prorumpere, nec lucem poteſt, tenebris vndique circumfuſa, videre. Pſalmorum quidem myſterijs intendere nititur, ſed tanquam lippientibus oculis intolerabili lumine reuerberatur. Cui Propheticum illud non inconuenienter aptauero: In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos, circum ædificauit aduerſum me, vt non egrediar, aggrauauit compedem meum.* Ad ſuperna volare nequit qui compedibus retardatur.

8 Ergo Deo dicatus homo, contemplationi vacans Anima, ſicuti corpore, ita & corde ſegregetur a Mundo; æterna non temporalia tractet; nec ſæcularia deſideria, niſi deteſtando, in memoriam aliquando audeat reuocare. Audiat ſuadentem Apoſtolum. *Ad Tit. c.2. verſ.12. Vt abnegantes impietatem, ac ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatã ſpem, & aduentũ gloriæ magni Dei.* Illi enim tantummodo ſpem beatitudinis nutriunt, qui ſæcularia deſideria, impietatemque abnegantes, vitam Religioſo dignam ducunt; vt inquit D. Fulgentius Ruſpenſis. *lib.1. cap.28. de remiſ. peccat. pag.659. col.2. Illorum eſt igitur ſpes beata, illorum expectatio certa, illorum felicitas futura, qui abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria ſobriè, & iuſtè, & piè vixerint in hoc ſæculo.* Si ergo hi tantum ad Cælum volant, qui de mundo diſcedunt, ſi Deo fruuntur, qui contempſere mundana; qui Dei ſeruus eſt, ad ſæcularia redire negotia; mundanis non debet ſe actibus, turpi, & degeneri conuerſatione, implicare.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Nonus.

Terminum poſuit Deus originali culpæ, quem non eſt tranſgreſſa, vt operiret Terra Deiparam.

IN principio Deus vniuerſum cum conderet orbem; Terram, ideſt humanam naturam, tenebris, ideſt peccato, tectam vidit; nam *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, Gen. cap.* 1. *v.* 1. ideſt, inquit Hugo; *in Genſ. pag.* 1. *col.* 2. *Tenebræ peccatorum, & ignorantiæ erant ſuper cor Peccatoris*. Peccatoris autem nomine, primum hominem notari, iam ſatis patet. Volens igitur hanc occultam terram a peccatorum tenebris vindicare, iuſſit omnes aquas in vnum congregari, ideſt peccatores omnes in infernum mitti, filios ſcilicet iræ, & infernum meritos, declarare; ita Venerabilis Doctor. *Beda apud. Martineng. in Gloſſ. mag. tom.* 2. *pag.* 1347. *Congregentur aquæ in locum vnum: ideſt peccatores, & hæretici in infernum: quia pro multitudine peccatorum maria dicuntur:* & hoc factum eſt, vt arida terra appareret: *Et appareat arida*. Sed cum aridum illud ſit, quod nihil humiditatis habet, iſta terra arida Maria immaculata eſt, quæ nullam peccatorum humiditatem habet, ac proinde arida, hoc eſt pura ab omni labe eſt; fatetur Martinengus. *ibid. pag.* 1350. *Deipara Virgo miſericordiæ fons, cum primum ab omni prorſus labe peccati arefacta eſt, mox terra nuncupari quiuit.* Fauet etiã Sanctus Ioſeph Hymnographus: *cant. fer.* 4. *ad matut. pag.* 258. *Sacer chorus vocabat te, o Domina, Portam imperuiam, Terram electam, & Montem, quem lapicidæ manus non attigit*. Lapicida quippe rudes, & impolitas lapides, ad expoliendum attingit: tota ergo pura erat illa terra, quæ lapicida purgante non indigebat. Artifex namque æternus, ſic ab initio puram creauit, vt lapicida non egeret; ſic terminas

potius

poſitus eſt Oceano originalis reatus, vt Mariam, terram prorſus aridam, haud madefaceret.

Maria, Deipara Virgo, ab originali culpa præſeruata eſt.

1 APparuit mundo excellentiſſima Virgo, ita gratia plena, ita decorata ſplendore, vt nulla in ea macula inuenta fuerit. Sed quærere quis poſſet, cur in Sacris literis Mariæ Progenitores nō notentur? Neq; commune ſubterfugium valet, Non ſolere in ſcripturis fœminarum genealogias poni, nam in Iudith, Eſther, Debora, contrarium obſeruatum legimus: ſed hoc totum factum eſt, vt ſciremus Mariam, non humanum eſſe opus, ſed diuinum, non peccati, ſed gratiæ filiam; nam licet mortales parentes habuit, prius tamen opere ſpiritus Sancti, munda reperta eſt, quam concepta; & prius Dei Mater, quam Adæ Filia. Nam de ea intelligit D. Bernardinus Senenſis, illud Sapientiæ *cap.1. ver.9. Ipſe fundauit illam in Spiritu Sancto, ideſt Mariam.* Quod ſi Statua eſt lapidea quidem, ſed impolita, numquam dum Deum refert, Dei opus eſt. Hinc D. Ioannes Damaſcenus *Orat.1. de Natiuit. B. Mar. pag.33. column. 2. O Diuinum, ac viuum Simulacrum, ad quod Deus Opifex inuentus eſt.* En igitur cauſam, vt carnales Mariæ Parentes Deus patefieri noluit, vt ſcilicet ipſam non de aquarum congregatione hauſtam, non de peccatorū congeriæ natam, non primæua maculatam culpa, ſed prorſus immaculatā eſſe ſciremus. Qui Adam proauum agnoſcit, deploret ſe in Peccati originalis Abyſſum prolapſum, culpæ tenebris obſitum: nam quæ Deum parentem, Deum Sponſum, Deum Filium habet, Terra eſt, & omnino arida, nullo maculante madefacta liquore. Ita Ioannes de Carthagena. *Homil.2. de Natiu.Virg. tom. 2. pag.120. colum.1. Vt ergo Spiritus Sanctus indicaret illam alienam ab hoc crimine, eius Parentes ſubticuit, innuens eam non fuiſſe a Deo reſpectam, nec a nobis reſpiciendam, tanquam filiam Adæ ſub peccato eius comprehenſam, ſed vt Matrem Chriſti.* Decebat namque a Deo factam Imaginem immaculatam eſſe.

2 Neq; caret myſterio quòd Iſaias Sanctus de Chriſti generatione fatetur; illam videlicet ineffabilem appellās: *Generationem eius quis enarrabit? Iſai. cap.53. ver.8.* Generatio Domini ineffabilis eſt: nec tantummodo diuina, quæ tot ſæculis mundum latuit, quia adhuc rudis tantum myſterium capere non poterat: verum etiam, & humana: Et quare Propheta Dei, hæc generatio eſt ineffabilis? quia inquit, de terra prorſus pura, & arida, ſine peccati humiditate abſciſſus eſt: *Qui abſciſſus eſt de terra viuentium.* Deus incarnandus erat, Chriſtus Deitatis imago componendus erat, ille inquam, *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius: Ad Heb. cap. 1. ver.3.* Se lapideam figuram fatetur: *Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu Eph.cap.2.v.20.* Porrò cum peritus Artifex, cū nobilis Lapicida ſui Principis Statuam elaborare debet, ex mille lapidem pulchrum, politum, elegantem, ſolidum, non fractum, non colliſum, non temendatum ſeligit, vt Supremi Domini Statua, non ſolum ſingulari arte inciſa, Viuentis ſimilitudinem exprimat, verum etiam, ipſa excellentia materiæ nobilior videatur; nam & artis induſtria, in aptiori materia melius elucescit. Deus omnium Artifex Filio ſuo vnigenito Statuam ex humana terra condere volens, terram puriorem elegiſſe fas eſt, aqua ſcilicet non madidam, macula non conſpurcatam, mulierem ſcilicet, ab omni peccato immunem, a mortis turpitudine immaculatam: hāc viuentium Terram vocat Propheta, vt Abbas Rupertus eſt Author *lib.2. in Iſai. cap.19. tom.1. pag.549. col.1. Sed vtrālibet Generationem eius quis enarrabit? nam vtraq; mirabilis, & vtraq; ineffabilis eſt. Nam ineffabile eſt, quod de Diuina Generatione Pater in Pſalmo, Eructauit, inquit, cor meum Verbum bonum. Ineffabile itidem eſt quod de carnis generatione hic dictum intelligitur: Quia abſciſſus eſt de terra viuētium: De terra, inquam, non morientium, vel non mortuorum morte peccati, qua omnes in Adam mortui ſunt, ſed de terra viuētium, ideſt de terra virginea, per Sanctum viuificata Spiritum, abſciſſus eſt.*

3 Reperiri nō poteſt ita Mechanicarum artium ignarus, ſculptoriæ præſertim, qui neſciat, Imaginem, antequam vel gipſo delineetur, vel ſcalpris incidatur, & exculpatur, mente, concipi, & ideari, & ad Ideæ præſcriptū opus exterius elaborari: quæ Idea ſimpliciter ipſo opere perfectior eſt, præcipuè ſi Diuini intellectus Idea ſit, quæ ab ipſo indiſtincta eſt. Ita Scotus *in 4. ſenten. diſ.1. quæſt. 1. lit.P. pag.7. Domus extra fit a domo intra*; & ſubdit: *Lapis in mente Diuina habet eſſe ſimpliciter perfectius, quam lapis extra.* Hoc ſuppoſito. Sapientis ſententia penſanda eſt; Is namque literaliter de Diuina ſapientia, ſed myſticè de Virgine loquens, ait: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata ſum, ex antiquis antequam terra fieret: nondum erant Abyſſi, & ego iam concepta eram. Prouerb. cap.8. verſic.22. & 23.* Huic ſententiæ D.Vincentius occurrens, admirabundus dubitat. *Serm. de Concept. B. Mariæ pag.10.* Quid potuerit tunc in initio produci Virgo, cum Parentes qui eam generarent, non eſſent: *Quomodo Virgo, vel vbi erat concepta, ſi nondum Pater, & Mater?* Enim verò ſicuti ſculptor prius in mente Ideam format ſtatuæ, & illam efformationem conceptum appellare poſſumus, vt Sanctus proſequitur. *Propoſitum Cordis dicitur conceptio, ſcilicet, quod quando aliqua perſona proponit in corde, mente, ſeu voluntate aliquid facere, illud firmum propoſitum dicitur conceptio.* Ita Diuinus Artifex antequam aliud cogitaret Virginis Ideam formauit, & licet poſt multos homines apparuerit, non latet Philoſophum; *Vltimum in exequutione primum eſſe in intentione*: idcirco concludit B.Vincentius *loc. cit. pag.11. Ad propoſitum dico, quod Deus antequam aliquid crearet, in ſua voluntate firma, & immutabili propoſuit creare vnam puellam Virginem Sanctiſſimam, quæ eſſet Mater filij ſui, camera Spiritus Sancti, Porta Paradiſi, Regina Cæli: Nota: Dominus poſſedit me, ſcilicet in voluntate ſua immutabili, in initio viarum ſuarum, ideſt creaturarum*, & concludit tandem. *Si ergo firmum propoſitum, & voluntas deliberata ad aliquid faciēdum dicitur conceptio; & Deus ab æterno, & voluntate immutabili propoſuit facere iſtam Beatam Virginem; Ecce quare dicit: Nondum erant Abyſſi, & ego iam concepta eram, ſcilicet in mente Diuina.* Hinc colligendum eſt Quod ſi in principio creata eſt Terra cum Cœlo ante aquarum Abyſſum, & Beatiſſima Virgo ante creaturarum omnium, productionem, vel peccati præuiſionem, cum creaturarum ſit quaſi primogenita, in Diuina mente concepta eluceſcit.

4 Prætereundum non eſt quòd ibidem Salomon ver. 26. nomine Virginis, ſubdit: *Ante colles ego parturiebar adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ*: Vt ex hoc colligeremus, ante ideatam Mariam, quam reliquas creaturas; ac propterea culpa, quæ homine poſterior fuit, numquam inquinatam. Pulcher de hoc extat Diui Bonauenturæ Rithmus: *in laudib. Virg. tomo 6. pag.492. col.1. lit. A. Ante Mundi originem te Dominus ordinauit; Dum cæli latitudinem ſapienter fabricauit: Et tunc Sancta mente cauit, per te Matrem, & Virginem Protoplaſti, qui peccauit, expirare voraginem.*

5 Inter omnes creaturas, nil gratiæ ſimilius quam lux, quæ omnes tenebras pellens, nullam admittit maculam: hæc primogenita creaturarum extitit; & quidem

Digitized by Google

dem merito, quādoquidem Dei Trinitatis imago eſt, ſub vna ſubſtantia lumen, flammam, & ſplendorem habet: Lux eſt mundi ornamentum, Pulchritudinis complemētum, generationis fulcrum, Aſtrorum Anima, elementorum Decus, virtutum gloria: omnia illuſtrat, ſed temerè aſpicientes excęcat; Hæc igitur inter creaturas prima recenſetur: nam prima Mundi die; *Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux. Gen. cap. 1. verſ. 3.* Cum lux igitur pulcherrima, & prorſus pura ac immaculata eſſet, conſentaneum rationi fuit, vt ipſa ſeiungeretur a tenebris; non enim lumen vmbræ, bonitas malitiæ, puritas maculæ miſcenda erat; quapropter inter lucem, & tenebras diuiſionem fecit Omnipotens; *Vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem a tenebris. Geneſ. cap. 1. ver. 4.* Neque hoc ita intelligendum eſt, vt lux a tenebris ſibi coniunctis ſepararetur, ſed hæbraicus textus expendendus eſt ויבדל אלהים בין האור ובין החשך *Et diuiſit Deus inter lucem, & inter tenebras.* Non enim ſeparauit illam a tenebris, quas habuit, ſed poſuit inter eos terminum, ne vnquam iungerentur. Lux fulgentiſſima Deipara Maria eſt, in qua nulla peccatorum eſt macula, nullæ culparum tenebræ, inquit D. Vincentius Ferrerius *Serm. 2. de Natiu. B. Mariæ pag. 244. colum. 2. Dixitq; fiat lux, & facta eſt lux: Ecce Conceptio Virginis Mariæ: Lux dicitur illa benedicta generatio, quia ſine tenebris culpę facta eſt.* Ergo ſi Lux erat Marię conceptio, inter ipſam, & peccati originalis tenebram, diuiſio facienda fuit; & ita factum eſt, docet Riccardus a S. Laurentio *lib. 7. de Laudib. Virg. col. 477. lit. A. Diuiſit Lucem, ideſt Mariam, a tenebris peccati originalis.* Terra ergo lucifera ab aqua lutoſa originalis maculæ omnino deſiccata comparuit; cum ipſi maculato Oceano, terminus datus eſt, ne luminoſam terrā operiret.

6 Si Poetarum figmenta abiiciamus, videbimus ſanè Auroræ lucem a Sole procedere, eamque vnam vtriuſq; eſſe; hoc tamen diſcrimine, quod Aurora lux eſt abſentis Solis, præſentis dies. Etenim, quia Solis præſentia tenebras non patitur, antequam ipſe ad conſtituendum diem appareat, Auroræ lumen præmittit ad expellendas tenebras ab ea aeris parte, in qua Sol oriri debet. Auroræ nomen, & officium Maria habuit; de qua dictum eſt: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens?* Maria eſt; vt enim ad exortum Auroræ illuminatus aer conſpicitur, de quo *Virgil. lib. 6. Æneid.*

Iamq; rubeſcebat radiis mare, & ęthere ab alto,
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Sic in conceptione eius illuminata a radijs Diuinæ Gratiæ caro illa Sanctiſſima Luminoſa, & munda apparuit; vt ſic digna videretur, in qua Sol Iuſtitiæ oriretur. Fauet Alcuinus Flaccus *in Natiuit. B. Mariæ pagin. 456. column. 2. Talem Auroram talis Dies, & talem diem talis aurora decuit. Et rectè quidem Auroræ impleſti officium; ipſe enim Sol Iuſtitiæ de te proceſſurus, ortum ſuum, quadam matutina irradiatione præueniens, in te lucis ſuæ radios copioſè transfudit, quibus poteſtates tenebrarum, quas Eua induxerat, in fugam conuertiſti; atq; ita deſideratum cunctis gentibus Solem mundo inuexiſti.* Nec Aurora tenebras, nec Maria culpas vnquam admiſit.

7 Hac igitur de cauſa in mundi exordio lux creata eſt, nam ab ipſa fit Dies, cuius Diei initium Aurora eſt; haud ſecus Virgo, cum Diei illius lucidiſſimi, Redemptionis humanæ, & legis gratiæ eſſet Aurora, debuit ante mundum creari, ideſt eligi, ſeu præeligi ad Dei maternitatem, ad gratiam. O lucidiſſima æterni Solis Aurora, o ſplendidiſſimum Diei gratiæ initium, o ſpecioſiſſima futuræ gloriæ Imago; tu ſine tenebris concepta es in mente Diuina, tu ſine macula electa es ad Dei maternitatem, tu ſine initio præelecta es ad gratiæ abyſſum continendum; Non habuit Sol fulgentiorem Auroram, non bonitas pulchriorem imaginem, non Sanctitas purius receptaculum; vno Deo obſcurior eſſes, niſi eius lucem tuo vtero contineres: Ante mundi conſtitutionem electa, eius maculas profugaſti. Ita D. Petrus Damianus *Serm. 2. in Natiu. Virg. to 2. pag. 126. lit. C. Virgo, cuius hodiernam Natiuitatem debitis veneramur obſequiis ante conſtitutionem mundi, in conſilio æternæ Sapientiæ electa, & præelecta eſt.* Adde vt lucifera Aurora, ad humanum genus illuminandum.

8 Sanctam Virginem Deiparam, eius Sereniſſimus Auus commonefaciens, canebat: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Pſal 44. ver. 11.* Quomodo, vel quando potuerit Beatiſſima Virgo obliuiſci Parentes, nō capio: etenim ſi diuina Lege obſequi Parentibus iubemur, quibus, poſt Deum, vitam debemus, cur omnino obliuiſci eos potuerit, quæ Sanctiſſima erat? Obijciet fortaſſe aliquis, Parentes quidem omnibus præponendos mortalibus, ſed non Deo, quæ ergo Dei Mater erat, Parentes pro Deo obliuiſci debebat. Et hoc quidem valeret, ſi Pater eius Deo contrarius fuiſſet, ſed qui Deo dicauerat, hac nota indignus cenſetur. Dicamus igitur, quod dum in lumbis Adæ continebatur Virgo, hoc ei dictum eſt, & præmonita, ne primorum Parentum macula inficeretur, tunc certè Patrem Adam oblita eſt, & Euam Matrem, cum nec illius culpam, nec iſtius dolores hæreditauit. Imperatoris Leonis hæc eſt aſſertio. *Orat. 3. pag. 50. Cum enim adhuc in paternis lumbis contineretis, progenitor tuus clamabat: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Audiſti verò, o filia commonitionem, & oblita es populi tui, & ſortis, & domus paternæ. Sortis videlicet illius, quam Eua progenitrix toti generi diſtribuit, immenſo illo dolorum cumulo hæreditatis vice dato. At nihil horum in domum tuam intuliſti: propterea dilexit te Rex ob animæ tuæ pulchritudinem, ſponſamq; ſibi delegit.* Hac voce peccatorum aquis terminus eſt poſitus, ne tranſirent parentum fines ad filiam operiendam.

9 In Exodo cap. 28. ver. 42. vbi Iudæorum Sacerdotis veſtes ſacræ ordinantur, inter alia præcipitur, vt & fęminalia linea habeat ad turpitudinis ſuæ carnem tegēdam: *Facies, & fœminalia linea vt operiant carnem turpitudinis ſuæ.* Hoc præceptum ſuperfluum videtur; nam poſt nuditatis noſtræ cognitionem, nil tam cordi homini eſt, quam verenda cooperire, & fęminalia linea ad hoc omnes nationes deputant. Non ergo tam ſpecialiter præcipiendum erat: Sed acutius ſpeculantes, hoc fruſtra nequaquam factum eſſe videbimus. Hæc fęminalia, quæ turpitudinem carnis tegebant; de byſſo retorto, & mundiſſimo confici debebant; Ergo Verbi Incarnationem ſignant, quæ peccata noſtra tegit, exornat animam; & e lino mundiſſimo immaculatæ Virginis facta eſt; docentem audiamus Rupertum Abbatem *lib. 4. c. 23. in Exod. tom. 1. pag. 277. col. 1. Fœminalia linea Sacerdotis magni decus ſignificant Incarnationis Sanctę Chriſti Filii Dei, qua præornata eſt natura noſtra ignobilis, & plaga peccati originalis, foliis ficus in Adam infæliciter contecta, in iſto excluſa eſt: non enim de vlceroſa libidine, vt nos conceptus eſt, ſed de mundiſſima, & ſimplici Virgine, byſſum retortum, ideſt candidi, & incoinquinati corporis decorem induit, & fortitudinem; vnde & corporis ſui, quod eſt Eccleſia, verecundiam, ſcilicet peccatum originale operuit.*

10 Neq; obſtat præſeruationi Virginis a peccato, quòd Ieſus Filius eius ſit omnium Redemptor; & omnium apud Deum mediator; dicēte Apoſtolo: *Mediator Dei, & hominis homo Chriſtus Ieſus* Nam & plus mediatore indiguit Virgo, ad hoc vt præſeruaretur: ſecundum Scoti doctrinam *in 3. diſ. 3. quæſt. 1. §. per iſtud poteſt. pag. 22. col. 3. Sicut alii indiguerunt Chriſto, vt per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum: ita illa magis indiguit mediatore præueniente peccatum, ne eſſet ab ipſa aliquando contrahendum.* Hac ex ipſius Virginis verbis clarè colligit D. Bernardinus Senenſis *Ser. de 7. Flam. flam. 2. tom 3. pag. 368. col. 2.* Dicit enim ipſa in ſuo cantico. *Et exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo; Quaſi dicat* (inquit ille) *Singularis Saluator meus, quia aliqui Doctores ſpeculantes dicunt, quod Deus*

aſſumpſit

Digitized by Google

aſſumpſit carnem potius propter ſaluare Virginem ſingularem quam omnes alias creaturas. Gaudeas ergo ò terra benedicta, iterumq; gaudeas; quæ gratia terminante Oceanũ originalis reatus, ſine labe concepta es filio præſeruante. Meq; de tua gloria paruula ſegniter delibantem libera a culpis, ab æterna morte præſerua; vt tua protectione tutus, & a vitijs expurgatus, poſſim te in æternitate vberius collaudare.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

OCeano furenti cum terminos poſuiſſet Deus, nequaquam id in Sacris Scripturis regiſtratum voluiſſet, niſi ad mundi doctrinam, animarumque ſalutem conduceret. Ergo huius Vocabuli allegorias colligemus. Quia verò, pro eodem ſumuntur Finis, & terminus, de vtraque voce videndum eſt; & inſuper cum inter alios Maris terminos Inſulas enumerauerimus, de ipſis etiam agemus. Deinde ſequuntur, conuertere, & operire; Inter has igitur voces, Terminus, ſeu Finis, Inſula, conuertere, & operire; ſeu tegere, tota allegorica expoſitio verſabitur.

SVMMARIVM.

1 *De Termini, ſeu finis allegorijs.*
2 *De varijs Inſularum acceptionibus.*
3 *De ſignificationibus conuerſionis, ſeu conuertere.*
4 *Quid Tegere, operire, opertorium, allegoricè ſignet.*

§. I.

De Termini ſeu finis allegoriis.

1 T*Erminum poſuiſti*. Terminus, ſeu finis eſt extremum cuiuſcumque rei. Et allegoricè ſumitur primò pro Chriſti Domini Diuinitate; vt *Pſalm.2. ver. 8. Et poſſeſſiones tuas terminos terræ*: D. Hilarius *in Pſal. 2. col. 650. lit. D. Accepit deinde poſſeſſionem finium terræ, ideſt vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, &c.*

2 Terminus viros Sanctos ſignificat, idcirco termini nuncupati, quia terrenis cupiditatibus terminum poſuere: de hoc Iob *cap.37. ver.3. Lumen illius ſuper terminos terræ*: & ſubdit D. Hieronymus *in Iob tom.7. pagin. 115 lit. B Termini quoq; ſeu fines terræ ipſi Sancti ſunt, finem terrenis paſſionibus, & cupiditatibus imponentes; eo quod non ſint in medio Babilonis, nec ſeculi huius vitiis circumdantur.*

3 Terminus Maris modificatio eſt perſequutionis, quæ velut tempeſtuoſum mare in iuſtos fremit; ideo dicitur: *Circumdedi illud terminis meis. Iob. cap. 38. ver.* 10. Et D Gregorius Magn. *lib.28. cap.8. moral. pag.949. lit. B. Terminis ſuis Dominus mare circumdat, quia iras perſequentium Iudiciorum ſuorum diſpenſatione modificat.*

4 Termini Æthiopiæ humiles intelliguntur, vt quia Æthiopes nigri ſunt, ita humiles ſe peccatores agnoſcunt: ita Ezechiel *cap.29. verſ.10. A turre Syenes, vſque ad terminos Æthiopiæ*. Vbi D. Hieronymus *in Ezech. tom.4. pag. 939. lit. C. Vſque ad terminos Æthiopum, qui humiles appellantur; vt videlicet omnis ſuperbia, quæ ſe contra Dei ſcientiam erexerat, deſtruatur, & humilietur ad ſalutem ſuam.*

5 Termini Regnorum ſunt latitudines doctrinarum: vnde Amos *cap.6. ver. 2. Si latior terminus eorum termino veſtro eſt*. Et citatus Hieronymus *in Amos tomo 5. column. 260. lit. E. Si enim voluerimus mente tractare, & vniuerſarum gentium diſcutere Philoſophiam, Ægyptiorum, Indorum, atq; Perſarum, reperiemus anguſtiores terminos earum, Sanctarum terminis ſcripturarum.*

6 Inter terminos accubare, eſt in fine mundi requieſcere. De quo ſcriptum eſt: *Iſſachar Aſinus fortis accubans inter terminos. Gen cap.49. ver.14.* Vbi D. Gregorius *lib.1. cap.6. mor. pag.321. lit. D Inter terminos accubare eſt, præſtolato fine mundi requieſcere, nihilq; de his, quæ nunc in medio verſantur quærere, ſed vltima deſiderare.*

7 Terminos transferre, eſt ſtatuta Eccleſiæ conuellere, & hæreticum fieri. De quo Iob *capit.24. verſicul.2. Alii terminos tranſtulerunt*. Et D. Hieronymus *in Iob. tomo 8. pagin. 64. lit. F. Terminos transferentes, ideſt ſtatuta Eccleſiæ conuellentes, hæreticos eſſe ſignificauit; qui nouitate doctrinæ peruerſæ, Euangelicæ legis, & Apoſtolorum terminos præfinitos excedunt.*

8 Finis Chriſtus eſt: De quo *Pſalmus* 118. *verſicul. 96. Omnis conſummationis vidi finem*: Vbi Diu. Ambroſius *Serm. 12. in Pſalm. 118. tomo 2. pag. 986 lit. G. Eſt ergo conſummatio malitiæ, conſummatio peccatorum: Venit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, qui eſt Chriſtus Ieſus, finis legis, principium, & finis, finis peccatorum. Eſt & etiam conſummata virtus, conſummata ſapientia, conſummata iuſtitia, ſed habet finem. Finis omnium virtutum Chriſtus eſt.*

9 Finis ſæculi eſt pœna æterna, quæ ſæcula claudit, ſed ipſa finem non habet: vnde Apoſtolus: *Prim. Corinth. capit. 10. verſic. 11. In quos fines ſeculorum deuenerunt*: Et D. Ioannes Chriſoſtomus *Homil. 23. in 1. ad Corinth. tomo 4. colum. 433. lit. C. Sicut enim quæ hic ſunt pœnæ, ſimul cum vita præſente diſſoluuntur, ita, quæ illic ſunt, manent perpetuò. Quando autem dixit fines ſeculorum, nihil aliud dicit, quàm quod de cætero inſtat illud terribile iudicium.*

10 Finis ſæculi itidem Bonorum Felicitas eſt, quæ cum ſit omnium laborum finis, ſempiternam dat requiem: nam de Iuſto ait *Pſalmus* 48. *verſicul. decimo. Et viuet adhuc in finem*: Vbi Diu. Baſilius *in Pſalm. 48. pagin. 930. column. 1. lit. A. Quanto igitur melius eſt, vt hic modico labore ſempiternam requiem reportemus, & immortales reddamur? Hoc enim eſt quod dicit: Et viuet in finem.*

11 Finis Præcepti Charitas eſt, ex qua omnis lex pendet; vt inquit Apoſtolus. *Prim. Timoth. capit.1. ver.5. Finis Præcepti Charitas eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* vnde colligit D. Auguſtinus

lib.17.

Digitized by Google

lib.17. cap.4.de ciuit. Dei *to.5. pag.* 208. *col.1. lit. A. Rectè autem viuit, qui obtemperat præcipienti Deo; & finis præcepti, ideſt, ad quem refertur præceptum, charitas eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*

12 Fines terræ Prophetæ ſunt, & electi; dicente Iſaia *cap.24. ver.16. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam Iuſti.* Subdit D. Hieronymus *in Iſai. pag.* 198. *lit. E. Hoc eſt a Prophetis, & a ſanctis Domini.*

13 Fines terræ ſunt intrinſeca cordis, & intimi dolores: *Pſal.60.ver.2. A finibus terræ ad te clamaui:* Vbi D. Hieronymus *in Pſal.60. pag.178. lit. D. Non de extremis terræ terminis, ſed de huius corporis habitaculo, quod ſuperindui cupit, & ex intimo cordis dolore clamauit.*

14 Fines Beniamin, ſunt Regulæ ſanctarum ſcripturarum, quæ aſſignantur Saul, vt diuinæ promiſſionis certitudinem haberet: 1. *Reg. cap. 10. ver.2. Inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel, in finibus Beniamin:* Et D. Gregorius *lib 4. cap.5. in 1. Reg. to. 1. pag. 176. lit. E. Vt iam dixi, in Beniamin, qui filius Dexteræ dicitur, Redemptor humani generis deſignatur. Fines ergo Beniamin Regulæ ſanctarum ſcripturarum ſunt.*

15 Hinc ſequitur *ſtare in finibus Beniamin*, eſſe non diſcedere a regula Fidei; cum moneamur a ſapiente: *Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui. Prouerb. cap.22. ver.28.* Vbi citatus Gregorius *pag. 177. lit. A. De quibus profectò finibus ſcriptum eſt: Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui. Quia ergo ſancti Prædicatores, cum ſumma contemplando vident, a fidei regula non diſcedunt, ſepulchrum, iuxta quod ſtant, eſſe in finibus Beniamin rectè dicitur.*

16 Finis puluis eſt ceſſatio potentiæ Diaboli, quam præuidit Iſaias, dicens. *c.16.ver.4. Finis eſt enim Puluis;* vt exponit D. Hieronymus *in Iſai. pag.159. lit. B. Scito quod poſt aduentum Agni finita ſit omnis potentia Diaboli, quæ pulueri comparatur.*

17 Finis occiſio Chriſti nuncupatur, quam Ezechiel cap.7. ver.6. præuidit, cum diceret: *Finis venit, venit finis; euigilauit aduerſum te.* Et D. Hieronymus *in Ezechiel pag. 764. lit. D. Quandiu enim non miſerunt manum in Filium, dormitauit eis ſententia Domini; & dilata eſt: quando vero interfecerunt hæredem, vt periret hæreditas, tunc euigilauit aduerſus eos, atque ſurrexit omnis ordo miſeriarum.*

18 Finis ſtultus, eſt Retributio temporalis; nam ſtultè agit, qui temporali mercedi ſuos labores deputat: Hoc minatur Deus impiis. *Iob cap.12. ver.17. Adducit conſiliarios in ſtultum finem.* Et D. Gregorius *lib. 11. cap.7. moral. pag. 568. lit. C. Adducit Conſiliarios in ſtultum finem, cum etiam bonum quodlibet non bona intentione faciunt, ſed ad temporalis muneris retributionem tendunt.*

19 Fines Decapoleos, ſunt mandata Decalogi: Decapoleos enim, ciuitas decem interpretatur: ſic dicitur Ieſus tranſiſſe, *Marc. cap.7. ver.31. Inter medios fines Decapoleos*: ad ſanandum vtique mutum. Vbi Gloſſ. interlin. *Inter medios fines Decapoleos, ideſt mandata Decalogi.*

20 Tandem Finis extremum peccatorum denotat; de quo Propheta *Ezech. cap.7. ver. 6. Afflictio vna, afflictio ecce venit: Finis venit.* Et D. Hieronym. *loc. cit. pag. 763. lit. C. Dicitur autem quod extremum peccatorum terra Iſrael aduenit, vt iam non effugiat ſententiam Dei, quam longo tempore merebatur.*

§. II.

De varijs Inſularum acceptionibus.

1 QVid Inſula ſit ſupra viſum eſt: allegoricè autem Primo Inſulæ vocantur Eccleſiæ; quæ a Propheta ad Dominum laudandum prouocantur: *Iſai. cap.24. ver.15. Glorificate Dominum in Inſulis Maris*: vt vult D. Hieronymus *in Iſai. pag. 198. lit. D. Nequaquam in terra Iudeæ, ſed in Inſulis, ideſt in Eccleſijs huius maris & ſæculi, in quibus benedicitur atq; laudatur nomen Domini, quondam Iſrael.*

2 Inſulæ vocantur ciuitates Iudeæ quibus exterminium minatur Dominus. *Iſai. cap.59. ver.18. Inſulis vicem reddet.* Et D Hieronymus *loc. cit. pag.431. lit. B. Vrbes Iudeæ ſignificat, quos Romanus vaſtauit Exercitus. Nam & ſupra habitatoribus Inſulæ, ideſt Hieruſalem loquutur.*

3 Inſulæ chetiim, domos hæreticorum ſignant: de quibus Ezechiel *cap.27. ver.6. Prætoriola de Inſulis chetijm.* & citatus Doctor. *in Ezechiel. pag.914. lit. E. Poſſumus ex Ebore, & ſylueſtres domos dicere de Inſulis chetijm, quas hæretici non in domo Dei, ſed in naui tyria fabricare conantur.*

4 Inſulæ ſunt homines mundani, apud eumdem Ezechielem *cap.26. ver.18. Turbabuntur Inſulæ in mari*: vbi idem D. Hieronymus *loc. cit. pag.911. lit. A. Omnes Inſulæ mouebuntur: hi videlicet qui ſalſis, amariſque huius ſæculi tunduntur fluctibus.*

5 Inſulæ gentes ſunt; de quibus ait Iſaias *cap. 42. ver. 4. Legem eius Inſulæ expectabunt.* Et idem Hieronymus *in Iſai. pag. 305. lit. C. Legem eius Inſulæ expectabunt, ideſt in nomine eius gentes ſperabunt, quæ in ſcripturis appellantur Inſulæ, quia ex omni parte perſecutorum incurſionibus patent. Legem autem eius, non quæ per Moyſem data eſt, ſed Euangelium ſentiamus.*

6 Inſulæ Animæ ſanctorum tribulatorum ſunt, apud eumdem Iſaiam *cap. 51. ver. 5. Me Inſulæ expectabunt.* Et ſubdit D Hieronymus *loc. cit. pag.357. lit. B. Inſulæ Animæ ſanctorum, quæ in perſecutionibus mundi iſtius, firma in Deum ſolidatæ ſunt fide.*

§. III.

De ſignificationibus Conuerſionis, ſeu Conuertere.

1 NEque *conuertentur.* &c. Conuertere, eſt ab aliquo itinere, vel conſideratione vertere, vt ad aliud properetur. Allegoricè vero Primo Petram conuerti in aquam, eſt Chriſtum nobis propitium fieri; vnde Pſalmus 113. *ver. 8. Qui conuertit Petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontem aquarum.* Vbi D. Auguſtinus *in Pſal.113. pag.534. col.1. lit. D. Seipſum enim, & quamdam ſuam duritiam liqueſecit ad irrigandos fideles ſuos, vt fieret in eis fons aquæ ſalientis in vitam æternam: quia prius, cum ignorabatur, durus videbatur.*

2 Conuertere, eſt liberare a peccatis. de quo Pſalmus 67. *v.23. Dixit Dominus ex Baſam conuertam, conuertam in profundum maris.* Et D. Hieronymus *in Pſal.67. pag.111. lit. C. Conuertam baſan: populum meum: conuertam in profundum maris: ideſt de profundis vitijs, & peccatis ſæculi iſtius.*

3 Conuertere captiuitatem Iuda, eſt mortuos ſuſcitare *Ioel cap. 3. ver. 1. Cum conuertero captiuitatem Iuda, & Hieruſalem, congregabo omnes gentes*: quo in loco Rupertus *in Ioel. to.1. pag. 834. col.1. Hoc loco Iuda, & Hieruſalem vna eſt, ſola generatio electorum, ſiue confeſſorum Dei &c. Eorum captiuitas conuerſa tunc erit, quia reſurgent incorrupti.*

4 Conuertere in profundum maris, eſt maximam vindictam de inimicis ſumere. Ad hoc applicat illud Pſalmi 67. *ver.23.24.* ſupra relatum: *Conuertam in profundum maris, vt intingatur pes tuus in ſanguine*: Hilarius *in Pſal.67. pag.807. col.1. lit. E.* ait namque. *Ob id ergo conuerſus in profundum maris intelligendus eſt, ideſt vſque ad vltimas deſcendiſſe ſæculi paſſiones, vt conculcans capita inimicorum, vltionem diuinæ poteſtatis exerceret.*

5 Conuertere planctum in gaudium eſt remunerare pœnitentiam. De hoc gratias dat Dauid Deo *Pſal. 29. ver. 12. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi:* Eleganter Baſilius Magnus *in Pſal.29. pag.85. col.2. lit. B. Non cuicunque Animæ gaudium a Deo ingignitur,*

ſed

Digitized by Google

ſed ei, quæ peccatum ſuum, vehementi luctu, & aſſidua lamentatione plorauerit.

6 Conuerti in toto corde, eſt ſolum Deum diligere; hoc ſuadet Ioel *cap.2. ver.12. Conuertimini ad me in toto corde veſtro*; vt inquit D. Bernardus Abb. Clareu. *ſer. 2. in cap. ieiun. pag.26. lit.G. Totum enim cor in his quatuor affectionibus eſt; & de his accipiendum puto, quod dicitur, vt in toto corde tuo conuertaris ad Dominum: conuertatur proinde amor tuus, vt nil diligat niſi Deum.*

7 Conuertere mare in aridam, eſt mundum ad Dei deſiderium trahere: ita de Deo Pſalmus 65. *ver.6. Qui conuertit mare in aridam*: Et D. Auguſtinus *in Pſal.65. pag.27. col.2. lit.D. Certè in aridam conuerſum eſt mare, modo ſitit aquam dulcem mundus, qui ſalſa plenus erat. Quis hoc fecit? Qui conuertit mare in aridam; iam anima gentium omnium quid dicit? Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*

8 Conuerti in requiem, eſt ad Paradiſi gloriam ſe transferre: quare Propheta animam ſuam, iam bonis plenam alloquebatur: *Pſal.115. ver.7. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*: vbi D. Baſilius *in Pſal.115. pag.124. Iam quando plenum vitæ iſtius abunde expleſti curſum, reliquum eſt, vt in requiem tuam conuertaris, quum Dominus benefacit tibi. Manet enim requies ſempiterna illis, qui in hac vita legitimè certauerint.*

9 Conuerti ad Sanctos, eſt eos inuocare; quod amici Iob ironicè ei ſuggerebant: *Iob cap.5. ver.1. Ad aliquem Sanctorum conuertere*: *id eſt*, inquit Lyranus, *ſi non confidis de tuis meritis, de quibus non videtur poſſe confidere, propter malitiam tuam, deprecare vnum de ſanctis Angelis, vt intercedat pro te.*

10 Conuertere manum ad os, eſt doctrinam operibus implere; quod piger facere recuſat; vt ait ſapiens. *Prouerb. c.20. ver.15. Abſcondit piger manus ſub aſcella, & laborat ſi ad os ſuum eã conuerterit.* Et Hugo Cardin. *in prouerb. pag.58. col.2. Manum ad os conuertere, eſt quod quis docet opere implere.*

11 Conuertere manum cum melle ad os, eſt humanam retributionem expetere: quod de Ionatha allegoricè dictum eſt: *1. Reg. cap.14. ver.27. Intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum.* Ita D. Gregorius *lib.5. in 1. Reg. to.1. pag.242. lit.D. Virgam quippe, & manum melle plenam ad os conuertunt, qui iuxta Creatoris vocem, omnia opera ſua faciunt; vt videantur ab hominibus.*

12 Conuerti iuſtitiam in iudicium eſt Iuſtos ſuorum perſequutorum Iudices fieri: vnde Pſalmus 93. *ver.15. Quoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium.* Vbi D. Auguſtinus *in Pſal.93. pag.430. col.1. Prius eſt vt habeas iuſtitiam, ſed ipſa iuſtitia tua conuertetur in iudicium. Habuerunt hic iuſtitiam Apoſtoli, & pertulerunt iniquos; ſed quid illis dicitur? Sedebitis ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael. Ergo iuſtitia Apoſtolorum conuertetur in iudicium.*

13 Conuertere Iudicium in abſinthium, eſt iniquo iudicio Dei mulctam prouocare: Hoc exprobrabat Propheta *Amoſ. cap.5. ver.7. Qui conuertitis in abſinthium Iudicium*: Et D. Hieronymus *in Amoſ. to.5. pag.149. lit.C. Qui conuertitis in abſinthium iudicium: id eſt qui iniquo iudicio Deum ad iracundiam prouocauerant.*

14 Conuerti in arcum prauum, eſt ſe ſuo iudicio damnare: de quibus Pſal.77. *ver.57. Conuerſi ſunt in arcum prauum*: ita D. Gregorius Magnus *lib.27. cap.27. moral. pag.933. lit.D. Viri namque arrogantes, & docti, cum non rectè viuant, ſed tamen recta dicere doctrinæ impulſionibus compelluntur, ipſi damnationis ſuæ aliquo modo præcones fiunt; quia dum ea quæ agere reſpuunt, prædicantes inſinuant, ſuis ſe vocibus damnatos clamant; contra quos bene per Pſalmiſtam dicitur: Conuerſi ſunt in arcum prauum: arcus enim prauus ipſum, a quo intenditur, percutit.*

15 Conuerti orationem in ſinum, eſt ipſum orantem delectare; quod dicit Pſalmus 34. *ver.17. Oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Quod probat Gilbertus Abbas *ſer. 34. in cant. pag.28. col.2. lit.F. Et quare ait in ſinu? Habet enim dulcedinem multam vehemens, & deuota oratio; & dum dirigitur in conſpectu* Domini, *quaſi incenſum ſuaue, ipſa odoris ſui ſenſum haurit.*

16 Conuertere faciem ad parietem, eſt Chriſti Domini humanitatem contemplari: quod & Ezechias fecit; *4. Reg. cap.20. ver.2. Qui conuertit faciem ſuam ad parietem.* Vti docet D. Auguſtinus *De viſit. infirm. lib.2. cap.2. to.9. pag.340. col.1. lit.D. Quoniam ergo infirmus hominis intellectus humanitate ponderoſa hebetatus, videns nunc per ſpeculum in ænigmate, Dei non poteſt Diuinitatem, vt dignum eſt, comprehendere; ad illam, quæ ſua eſt, humanitatem, oculum ſuum intellectualem flectat, ad ipſam faciem ſuam conuertat; ſicut de Ezechia dictum eſt: Conuertit faciem ſuam ad parietem: Paries Chriſti humanitas eſt.*

§. IV.

Quid tegere, operire, opertorium allegoricè ſignet.

1 OPerire Terram. Operire, ſeu tegere, eſt aliquid aliquo velamine impoſito viſui prohibere. Et primo allegoricè operire cardines maris, eſt totum mundum ad fidem perducere: quod indicat Iob *cap.36. ver.29.30. Si voluerit extendere nubes quaſi tentorium ſuum, & coruſcare lumine ſuo deſuper, cardines quoque maris operiet.* Vbi D. Gregorius *lib.27. moral. cap.6. pag.914. lit.C. Omnipotens enim Dominus corruſcantibus nubibus cardines maris operuit, quia enitentibus Prædicatorum miraculis, ad fidem, etiam fines mundi perduxit.*

2 Operire peccata, eſt virtutibus eorum malitiam occultare: ſic Deo dicitur Pſal.81. *verſ.2. Operuiſti omnia peccata eorum*: Et D. Hieronymus *in Pſal.81. pag.143. lit.D. Virtutibus operuiſti, & propterea peccata non parent: Ac ſi diceret: iniquitatem operuiſti iuſtitia; impudicitiam operuiſti caſtitate, turpitudinem operuiſti candore.*

3 Operire peccata, eſt ea delere: in quo ſenſu ait Dauid: *Pſal.31. ver.1. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*: & ſubdit D. Auguſtinus *in Pſal.31. pag.78. col.2. lit.A. Non in quibus non ſunt inuenta peccata, ſed quorum tecta ſunt peccata; cooperta ſunt, tecta ſunt, abolita ſunt: ſi texit peccata Deus noluit aduertere; ſi noluit aduertere, noluit punire; noluit agnoſcere, voluit ignoſcere.*

4 Operire cælum nubibus, eſt ſacram ſcripturam figuris tegere: *Pſal.146. ver.8. Qui operit cælum nubibus*, inquit Pſaltes; & citatus Doctor *in Pſ.146. pag.692. col.2. lit.A. Quid eſt, qui cooperit cælum nubibus? Qui contegit ſcripturam figuris, & ſacramentis.*

5 Operire verenda patris, eſt Chriſti crucem defendere: Hoc in figura fecerunt duo Filii Noe, quando, *Operuerunt verenda Patris ſui: Gen. c.9. ver.23.* vti docet Gloſſ. ord. *Quodam velamento paſſionem Chriſti tegimus, id eſt ſacramento honoramus, eiuſque myſterii rationem reddentes, a Iudeorum detractione operimus.*

6 Operire nudum, eſt infidelem conuertere: Hoc Deus præcipit per Iſaiam Prophetam *cap.58. ver.7. Cum videris nudum operi eum*: ſecundum D. Hieronymum *in Iſai pag.249. lit.B. Quos videris non habentes calorem fidei, ſed extra Eccleſiam frigoribus infidelitatis algere, inopes atque peregrinos, induc in domum tuam, id eſt in domum Eccleſiæ, & operi incorruptionis pallio, vt veſtiti Chriſti tunica nequaquam marceſcant in ſepulchris.*

7 Operire verenda Patris, quod filii Noe fecerunt, transfert Lyranus ad ſubditos qui ſuperiorum peccata charitate tegunt. *Per iſtos, qui verenda Patris operuerunt, ſignificantur boni ſubiecti, qui ſuperiorum delinquentium, cum debita reuerentia, monent charitatiuè, antequam Eccleſiæ denuncient.*

8 Operire terra ſanguinem, eſt occultare iuſtitiæ meri-

meritum : quod vtique patientiæ Princeps fieri de ſua patientia, & inſtitia prohibebat, inquiens: *Terra ne operias ſanguinem meum. Iob cap. 16. ver. 19. Hoc eſt quod dicit*, inquit D. Hieronymus *in Iob to. 8 pag. 26. lit. G. Ne innocentis, & bene ſibi conſcij meritum lateat.*

9 Operiri, & non calefieri, eſt operari ſine charitate: Hoc exprobrauit Iudęis Dominus per Aggeum Prophetam, *cap. 1. ver. 6.* qui charitatem non habentes gloriabantur: *Operuiſtis vos, & non eſtis calefacti*, quod expendens Abbas Rupertus *in Agg. to. 1. pag. 1009. col. 2.* ait. *Operuiſtis vos, & non eſtis calefacti, id eſt præclaris nominibus Patrum, & ſacerdotio legis adornati & exteriori religione veſtiti: nihilominus quaſi gentes frigidi permanſiſtis, non habentes dilectionem Dei in vobis.*

10 Operire cinere, eſt humiliare: Hoc fecit Deus Principibus Iudęorum in ſuperbiam elatis; in cuius figuram Iob prædixerat: *cap. 16. ver. 16. Operui cinere carnem meam*: nam huic intellectui accomodat D. Hieronymus *loc. cit. lit. F. Cinere verò* operuit Principes Iudęorum, cum ab eis regnum pro negationis ſacrilegio tranſtulit ad gentes. *Ita Sanctus D.*

11 Operire inimicos, eſt abolere vitia: De quo Pſalmus 77. *ver. 53. Inimicos eorum operuit mare*: Vbi D. Auguſtinus. *Et inimicos noſtros operuit mare, aboleuit in Baptiſmo remiſſione peccatorum.*

12 Operire lacrymis Altare, eſt offerre Deo rapinas bonorum pauperum. De quo quęritur Deus per prophetam *Malach. cap. 2. ver. 13. Operiebatis lacrymis Altare Domini*: Vbi Gloſſ. ord. *Operuiſtis Altare meum lacrymis innocentium, dum offerebatis hoſtiam, de rapina lugentium pauperum.*

13 Operire ſolem nube, eſt iniquitatem innocentia conculcare: Quod ſe facturum Dominus promiſit, cum per aduentum ſuum, nube vectum leui, ideſt innocentia ſumma ſine peccato; iniquitatem mundi deſtruxit; per os Ezechielis: *cap. 32. ver. 7. Solem nube tegam*: ita interpretatur D. Hieronymus *in Ezech. pag. 572. lit. G. Sol quippe nube tegetur*: Sol iniquitatis, qui contrarius eſt Soli iuſtitiæ; nube autem, ipſo Domino Saluatore, qui deſcendit in Ægiptum ſuper nubem leuem, nullo pondere peccatorum, prægrauatam. Hæc ille.

14 Opertorium Dei ſunt ſancti: nam ſicut nil nobis intimius eſt veſte, ſic nec ſanctis propinquius Deo. id innuit Pſal. 101. *ver. 28. Et ſicut opertorium mutabis eos.* Et notat Romanus Gregorius *in Pſal.* 101. 4. *pænit. to. 2. pag. 1176. lit. E. Notandum, quod opertorium Dei ſunt Sancti; ſicut enim homini nihil eſt vicinius quam veſtis, ita Deo nihil eſt vicinius Sanctis.*

Verſus Decimus.

הַמְשַׁלֵּחַ מַעְיָנִים בַּנְּחָלִים בֵּין הָרִים יְהַלֵּכוּן ׃

Verſio ex hebræo: *Emittens Fontes in Fluuijs, inter montes ibunt.*

Vulgata editio: *Qui emittis Fontes in conuallibus inter medium montium pertranſibunt aquæ.*

D. Hieronymus: *Qui emittes fontes in conuallibus, vt inter medios montes fluant.*

Pagninus: *Qui miſit fontes in conuallibus: inter montes iuerunt.*

Caietanus: *Emittens Fontes in Flumina, inter montes ibunt.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

Licet Verbum נחל, aliquando vallem ſignificare poſſit; propriè tamen ſignificat flumen, ſeu riuum; nam & valles ſuo proprio vocabulo dicuntur בְּקָעוֹת: quia vero flumina inter valles decurrere ſolent, vnum pro altero figuratè vſurpatur: Hìc autem nequaquam valles intelligendas puto, vt verum ſenſum hæc oratio habeat; videlicet: Mittens Deus ex ſuis Fontibus Flumina, efficit, vt inter montes eant, ſeu fluant: ad literam enim יְהַלֵּכוּן *ibunt*, ſignificat; nil tamen prohibet ad ſenſum dicere *fluent*; cum fluminum *ire*, ſeu *ambulare*, ſit *fluere*. In textu hebraico (vt videre eſt) non eſt illud verbum *aquæ*, quod vulgata habet editio, ſed ly *ibunt* referendum eſt ad fontes ſeu fluuios; nihilominus ad maiorem ſententiæ, & ſenſus explanationem poſitum eſt. Hac occaſione de eſſentia, generatione, ortu, & qualitate fontium, & Fluuiorum, ſeu Fluminum agendum videtur. De montibus iam abundè ſuperius egimus; de Vallibus agere determinaueram, ſed in 16. Verſum, vna cum campis, & aruis ipſas reponere iudicaui.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *De Fontium, & Fluminum natura, & ortu ſecundum Philoſophos.*
2 *De Theologica, rationabili, & legitima Fontium origine.*
3 *De cauſa nouorum ortuum, & defectuum Fontium, & Fluminum.*
4 *De cauſa dulcedinis, & ſalſedinis, aliorumque ſaporum aquarum.*
5 *De reliquis qualitatibus, & paſſionibus aquarum.*

§. I.

De Fontium, & Fluminum natura, & ortu ſecundum Philoſophos.

1 M*Ittens Fontes in Fluuijs, &c.* Antequam de ortu fontium, & fluminum determinemus, ipſorum natura, & eſſentia per ſuas definitiones, explicanda eſt; quas definitiones a D. Iſidorus Hiſpalen. *lib.* 13. *orig. capit.* 21. *pag.* 117. *lit. C.* accepimus. Eſt igitur *Fluuius perennis aquarum decurſus, a fluendo perpetim dictus. Propriè autem flumen ipſa aqua, Fluuius curſus aquæ;* Aliter vocatur Fluuius Amnis, vel etiam Riuus, cuius rationem reddit loc. cit. *Amnis fluuius eſt in nemore, ac frondibus redimitus, & ex ipſa amenitate Amnis vocatur. Riui dicti, quod deriuentur ad irrigandum, id eſt inducendum aquam in agris.* Aqua igitur, quæ perenniter fluit, eſt fluuius, quæ naſcitur Fons, quæ ad tempus fluit Torrens, quæ in nemore Amnis, quæ coit, & ſiſtit in concauo Lacus, quæ arua irrigat Riuus. Quæ omnes congregat aquas Abyſſus, ſeu Mare. Hæ omnes aquarum differentiæ ad naturam, & eſſentiam cuiuſcumque, eiuſq; nominis declarationem conducunt. Reſtat modo maximam omni æuo controuerſiam de origine, & ortu fluuiorum, & Fontium diſputare.

2 Quorumdam fuit Antiquorum opinio apud Senecam ex collectione aquarum pluuialium in terræ viſceribus facta oriri fontes, e quibus flumina; ac propterea, terræ, quæ cæleſtibus pluuijs non ſubiacent, fontibus, & fluminibus carent; & è conuerſo. *Quidam exiſtimant,* inquit ille, *quidquid ex imbribus terra concipit, in Flumina rurſus emitti. Et hoc argumenti loco ponunt, quod pauciſſima Flumina ſunt in his locis, in quibus rarus eſt imber. Seneca lib. 3. cap. 6. natur. quæſt. pag.* 610. Sed hęc poſitio faciliter falſitatis euincitur; tum quia ad tam magnos fluuios, qui in mundo ſunt, eorumq; perpetuos fluxus, aquæ pluuiales, neque ſi omnes, vel nec vna deperdita gutta, colligerentur, ſufficere poſſent, cum in India, & in America flumina reperiantur latitudine incomparabili: aliter conuincitur, nam expertū eſt aquam pluuialem non penetrare terram vltra decem pedes, vnde bene poterit pluuialis aqua per terræ ſuperficiem decurrens, & torrentes gignere, & flumina augere, non tamen ſubterraneos fluuiorum exortus cauſare: hoc fatetur Seneca loc. cit. *cap.* 7. *pag.* 611. *Primum ego tibi vinearum diligens foſſor affirmo, nullam pluuiam eſſe tam magnam, quæ terrā vltra decem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam cruſtam conſumitur, nec in inferiora deſcendit. Quomodo poteſt ergo imber ſuggerere amnibus vires, qui ſummam humum tangit?* Hoc argumentum tamen, ita accipias velim, vt licet in tot, tantorumq; amnium ortu verum ſit, non propterea tanquam vniuerſaliter verum ſit proponendum. Etenim poteſt pluuialis aqua guttatim quibuſdam in locis ſpongiæ natura præditis in interiora, quam ſint decem pedes loca terræ permeare, & quorumdam fontium, & fortaſſe fluuiorum origines formare; quod moderniot experientia, contra Senecam probat: hoc tamen non in editis locis, ſed in imis vallibus fieri poteſt; & hoc non ſolum temporaneo, ſed & perenni fluxu. Sed ad producenda flumina magna, & fontes omnes, & præſertim, quæ in ſummis montium iugis exoriuntur, optimè Senecæ argumentum non ſufficere conuincit.

2 Eſt & alia Ariſtotelis ſententia, ex vaporibus ſcilicet ſupra terram a ſyderum calore attractis pluuias generari, & eiſdem infra terram coeuntibus fontes produci; nam cum continuò attrahantur vapores a Sole, & ſyderibus, numquam ſubterraneæ aquæ poterit productio retardari: Hæc videtur propria, & germana Ariſtotelis opinio, qui ait *lib.* 1. *meteor. cap.* 1 *Similiter, & in eo, qui eſt ſuper terram loco par ue conſiſtunt guttæ, & iterum ipſæ cum alijs, ac tandem cum multitudine deſcendit pluuiens aqua; ſic & in terra, ex paruis conſtillatis primò, & eſſe, veluti ſcaturiente in vnum terra principia fluuiorum.* Hoc paulò aliter Porta explicat, videlicet. In terra eſſe multas, & varias cauernas, & concauitates, quæ, ne detur vacuum aere implentur, porrò hic aer ab ambiente frigore in aquæ vertitur guttas, quæ collectæ fontem efficiunt, & cum continuo accurrat aqua, quia continuo accurrens ad ſupplēdum vacuum aer, vertitur in guttas, perennitas oritur Fontis. Sicut igitur ſupra terram (ſecundum eum) pluuiæ ex aere in aquam verſo fiunt, ita infra terram fontes. Quare autem pluuiæ non ſint continuæ vti fluuij, reſpondet hoc prouenire, ex Sole diſſipante ſupra terram compactum aerem, quòd infra facere non valet. Sed ipſum audiamus loquentem. *Sunt nobis naturæ Iura ſub terra minus nota, ſed non minus certa; & ſi ex his, quæ ſupra videmus iudicare licet, quæ infra, vidimus in ſuperioribus plagis aerem algidis tactum in imbrem verſum, & quamplurimas cauernas graui vmbra, & aere plena, qui piger, & deſes a terræ algore in aquam conuertitur, & quemadmodum ſupra nos nubes frigefactæ plurimam aquam deponunt, & infra terram alger aerem in liquorem conuertit. Sed inter has aquas hoc erit diſcrimen, quod ſupra aqua ſuſpenſa in nubibus diu ſtare non poteſt, quia vel a Sole attenuatur, vel a ventis diſſipatur. Ob id imbres per interualla ſunt. Sub terra verò eadem ſemper vmbra, perpetuum frigus, & immota denſitas, vnde ſemper oriatur aqua, ex qua ſcaturiant fontes, & foris per apertos ſpecus, vel exiguos terræ poros euocatur. Ioan. Bapt. Porta lib. de aer. tranſmut. lib. 4. capit. 27. pag.* 168. Hæc opinio improbatur primo, quia impoſſibile eſt ex tam exiguis guttis, ex tam modico aere coagulato tam magna oriri flumina; nam neque, vt ſupponit hic Author, omnia flumina parua in principio, & exiguos habēt fontes, ſed multa imò maiora maximis e fontibus manant. Hanc rationem affert Bodinus *ap. Franciſc. Reſtam lib.* 3. *meteor. Tractat.* 2. *capit.* 1. *pag* 721. *column.* 2. *Ariſtotelis opinio deriſa iacet: fieri nullo modo poteſt, at ne cogitari quidem, vt Aer tanta celeritate corrumpatur, quanta fluunt aquæ. Nec tamen ſi momento id fieret, totus elementaris aer, ſuaptè natura rariſſimus, ad eam aquarum, quæ vel vno die fluunt, abundantiam ſufficeret.* Præterquamquod, continuam hanc Aeris, & Aquæ inter ſe mutationem, in tam magna copia, incredibilem puto, nedum impoſſibilem: cum in ſubſtantialibus mutationibus, per generationem, & corruptionem faciendis, natura non operetur tam cito, vt experientia conſtat. Improbatur ſecundò hæc opinio, quia hac mutua conuerſione etiam data, cum illæ cauernæ ſint, & aere plenæ, in quibus hæc materialis aqua producitur, non videtur quomodo ad montium cacumina aſcendere poſſit; vt ipſemet fatetur Porta *loc. citat. pagin.* 169. *Sed ad Montium cacumina attollere, neſcio quomodo eueniat, vt diuino oraculo commoniti faciam ſatis.*

3 His tertiam iungamus Senecæ ſententiam, exiſtimantis aquam fontium produci ex terra; Cum enim Elementorum in inuicem tranſmutatio continua ſit, ſemper amnes fluunt, quia ſemper terra in aquam conuertitur; nec rurſus creſcit Mare quia continuò aqua vel in terram, vel in aerem diſſoluitur. *Adiicias etiam licet,*

Digitized by Google

quod fiant omnia ex omnibus. Ex Aqua Aer; & ex Aer Aqua. Ignis ex Aere, ex Igne Aer. Quare ergo non Terra fiat ex Aqua, & ex Terra Aqua? quæ ſi in alia mutabilis eſt, & in Aquam: imò maximè in hanc. Vtraque cognata res eſt, vtraque grauis, vtraque denſa, vtraque in extremum mundi compulſa. Ex Aqua Terra fit. Cur non aqua fiat ex Terra? At magna Flumina ſunt. Cum videris quanta ſunt: rurſus ex quanto prodeant, adſpice. Seneca lib. 3. quæſtio. Natural. capit. 10. pag. 612. Sed contra hanc opinionem valentius agunt argumenta ſuperius contra aerem adducta; ita vt replicare ſuperfluum ſit. Non negauerim tamen aliquam aquæ quantitatem ex terræ vaporibus, vel ex aere, (& vt demus hoc tanto viro,) etiam ex terra: ſed non ad eam quantitatem, quæ fluuiorum origini ſatisfacere poſſit. De quadam Inſula ex canariis, olim fortunatis, narratur, eam aqua omni fontana, ac fluuiali carere; ſed tamen in eius medio arborem reperiri, quæ cum ſummo mane nebula tecta ſit, guttatim tantam aquam immittit, quę in loco ad hoc apto recepta omnibus eius habitatoribus ſufficiens eſt. Ita id deſcribit Ioannes Boterus, de Inſulis Canarijs ſermonem habens *in Relat. Vniu. vol. 2. lib. 2. pag. 224. Il Ferro non ha fonte ne pozzo; ma lo prouede d'acqua mirabilmente vna nebbia, che cuopre vn'albero: onde ſtilla tant' humore, quanto baſta per gli huomini, e per li beſtiami. Queſta nebia comincia vn'hora, ò due prima del Sole, e ſi dilegua altretante hore doppò eſſo Sole. L'aqua ſi raguna in vna Lagunetta fatta al piè dell'albero.* Quæ authoritas Latinè reddita huiuſmodi eſt. *Ferrum Inſula, neque fontem, neque puteum habet: ſed aquam ſubminiſtrat mirabiliter nebula quædam, quæ arborem cooperit; ex qua tantus emanat humor, quantus hominibus, & animalibus ſatis eſt. Incipit hæc nebula hora vna, vel duobus ante Solis exortum, & æquali tempore poſt ipſum euaneſcit. Aqua congregatur in quodam Lacunculo, qui ad arboris radices effoſſus eſt.* Igitur aut vapores ſint, aut Aer in nubem inſpiſſati, & Oriente Sole diſſoluti, aquam aliquam ex Aere, vel vaporibus conuincunt generari; ſed quæ modica ſit, & in terra colligatur.

4 Quarta, ex Philoſophorum antiquorum ſententijs Diuini Platonis eſt: qui Fontium, Fluuiorum Principium ponit abyſſum quamdam aquarum, ex qua Flumina exeunt, & ad quam redeunt, quod alio nomine Barathrum dicit; *Fontes,* inquit Plato, *in Phædone. pagin. 292. column. 2. Ex ingenti illo Barathro, quod iuxta terram eſt, partim per patentes quoſdam poros per terræ ſoliditatem excolatos, ſic iterum redundant, vt quantum vna pars confluit, tantum altera fluat:* & poſt nonnulla. *In hoc vtique receptaculum omnia affluunt Flumina, atq; rurſus inde effluunt. De quo Homerus*

Longè nimis Barathrum ſtat ſub tellure profundum.

Huic etiam ſententiæ videtur aſſentiri Magnus Albertus *lib. 2. meteor. Tract. 2. cap. 7. pag. 46. col. 2.* inquiens. *Cauſa autem quare appareant origines aquarum ex montibus, & locis altis eſt, quæ dicta eſt; quia ibi, videlicet ſub montibus, & locis altis, ſunt vaſtæ concauitates, Theſauros, & copiam habentes plurimarum aquarum.* Hanc ſententiam impugnat, ſed immeritò Ariſtoteles, quia non poteſt intelligi vbi tanta contineatur aqua, & addit Porta loco citato: quod foſſores metallorum aliquando illam abyſſum reperiſſent Et valeret vtique Argumentum, ſi Philoſophorum ille Princeps de aliqua aquarum cōgregatione ab Oceano diuerſa loqueretur: quia verò ipſe, a Sacris literis multa furatus, de illa parte Maris Oceani terræ ſub iacente intelligebat, quæ etiam in Sacra Scriptura Abyſſi nomine exprimitur; eius ſententia vera eſt, veritati, rationi, & Reuelationi conſona; vt §. ſequenti clarius apparebit.

§. II.

De Theologica, rationali, & legitima Fontium origine.

1 Dimiſſis itaque Peripathetico, ac reliquis antiquorum Philoſophorum de Fontium, Fluuiorumque origine figmentis, vti decet Chriſtianum, Concluſionem ex Sacris Scripturis promamus. Sapientiſſimus ergo Salomon, in ſuo Concionatore, ita determinauit. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant, Eccl. c. 1. v. 7.* Hæc authoritas Sacræ Scripturę magnifaciēda eſt, & quia eius eſt, & quia proceſſit ex ore hominis eruditiſſimi; qui nō loquebatur more hominum, vt alibi facit Scriptura, ſed ſuo ſenſu veram ſententiam manifeſtans. Confirmatur hæc cōcluſio per authoritates doctiſſimorum Patrum. Prima erit Diui Hieronymi *in Eccleſ. to. 5. pag. 5. lit. B. Putant quidam aquas dulces, quæ in mare fluunt, vel ardente deſuper Sole ſiccari, vel ſalſuginis maris eſse pabula. Eccleſiaſtes tamen noſter: & ipſarum aquarum conditor, eas dicit per occultas terræ venas ad capita fontium regredi, & de matrice abyſſo, in ſua ſemper ebullire principia.* Aſſentitur etiam D. Bernardus *Serm. 13. in Cant. pag. 141. colum. 3. Origo fontium omnium, & fluminum Mare eſt.* Inſuper aquarum originem, & fluxum de mari fusè deſcribit Baſilius Magnus *Homil. 4. in Hex. pag. 20. col. 1. lit. D. Primum quidem, quia Fons, origoue totius humoris quaquauerſum terram alluentis, aqua Maris eſt. Hæc enim per occultos paſſim meatus ſe diſpertiens, velut declarant continentes, littoráleſue terræ, hiulcis rimis, latiores inſtar ſpongiarum, & amnis ſubterraneis differtæ, ſubter quas Mare fluitans, ac per meatus, ac cuniculos fiſtulares, & anguſtos: mox vbi obliquis, ac certè recta in ſublimis erectis excurſibus, ſe occupatum deprehenderit, ab agitante compulſum ſpiritu, ſuperficie terræ vi diſrupta erumpit, atque foras euocat: ſitq; potulentā depoſita per tranſcolationem, ſiue diſtillationem, amaritudine.* His adiungere poſſumus D. Ioannem Damaſcenum, ita loquentem, *lib. 2. cap. 9. de Fid. Orthod pag. 190. lit. C. Sunt autem, & quamplurimi alij, & ampliſſimi fluuii, qui partim in Mare ſeſe effundunt, partim in Terra abſumuntur; ex quo fit vt terra vndique pertuſa, ac foraminoſa ſit, ac veluti venas quaſdam, per quas acceptis a mari aquis fontes producit.* Etiam addere poſſumus Platonis ſupra relatam ſententiam, quæ nomine Abyſſi, ſeu Barathri incognitum ſuo ſæculo Oceanum intellexit; ſicuti etiam Scriptura Oceanum mare Abyſſum vocat, vt fatetur inſignis Geometra Gerardus Mercator *in Atlant. de mundo. Oceanus, quem Sacræ literæ appellant abyſſum aquarum, reliqua omnia ſua vaſtitate, & magnitudine ſuperat.* Adde, & Liranum. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur. Quæ quidem reuerſio dupliciter intelligitur, vno modo, quia per vias ſubterraneas de mari fluunt aquæ ad loca terræ remota.*

2 Probatur etiam ex alio ſcripturæ loco. Iam plenus dierum Iſraelitarum Patriarcha agebat animam, neque euidentiùs amoris ſui erga liberos, (Ioſeph præcipuè, quem magno illuſtrem Imperio cernebat) magnitudinem oſtendere potuit, quam copioſam de Cœlis benedictionem illis optādo. Benedicens igitur præceteris dilectiſſimum Ioſeph, dixit: *Deus Patris tui erit adiutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi, benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus Abyſſi iacentis deorſum. Geneſ. capit. 49. verſic.* 25. Ex qua Scriptura clarè colligitur omnem aquam terram fæcundantem ex abyſſo, ideſt mari procedere; Terrę enim fæcunditas, de qua procul dubio hic loquitur, e duobus pendet, nempe ex ſyderum influxu: & ideo dicitur benedictionibus

Cœli

Digitized by Google

Cœli deſuper; & ex aquarum irrigatione, quæ pro maiori parte pendet a mari; a qua terra humores, velut a mammis, per flumina, fontes, & pluuias ſugit. Huc videtur reſpexiſſe Rupertum, cum ſcripſit. *Terræ Fundator Abyſſum diſpulit, & competens aquarum ſubſidium per intimas eius venas largè diffundit: & Terra trahens aquam in omnes venas, copioſam ſugit Abyſſi mammam. Rup. Abb. Tuitien. ap. Cornel. a Lap. in Eccleſ. pag. 42. col. 2. lit A.*

3 D. Auguſtinus alterum ſumit Argumentum ex Noetico diluuio: Cum enim Deus ad diluendam mundi totius infandam culpam aquarum diluuium deſtinaſſet; vt hoc opere compleret, duo fecit, & Cęli aperuit Ianuas, *Et cataractæ Cęli apertè ſunt*; *Gen. cap. 7. ver. 11.* & Fontes Oceani dilatauit, & Flumina auxit. *Et rupti ſunt omnes Fontes abyſſi magnæ.* Etenim cum aquę partim eſſent ſupra firmamentum, partim congregatæ in Oceano, vt ex vtroque loco ad cooperiendam terram ſufficiens aqua decurreret; & Cęli aperuit Ianuas, & Oceani meatus, flumina ſcilicet dilatauit: circa cæleſtem aquam, alibi dictum eſt; De abyſſo verò, ita citatus Doctor. *Attamen non de fontibus terræ, ſed de fontibus abyſſi dicitur: Et rupti ſunt Fontes abyſſi: Sed hoc generaliter de fontibus poteſt ſentiri. Vnde enim Terra potuiſſet habere, niſi, ſubiacente abyſſo, per occultos meatus fontium venas reciperet? Et idcirco abyſſi Fontes, etiam Terræ Fontes poſſunt nominari. D. Auguſt. Hipp. Epiſt. De mirab. Sacr. Scriptur. lib. 1. capit. 6. tomo 3. pag. 296. colum. 2. lit. B.* Quapropter, ſi Fontes Terræ e fontibus deriuantur Abyſſi, nil mirum, quod dicamus tot ingentia flumina perenniter fluere, cum ex tāta aquarū abyſſo fluant, ac in ipſam perpetuo recurrentes perpetuum fluxum retineant. Quod *D. Iſidor. Hiſpalen. lib. 13. capit. 20. orig. pag. 17 column. prim. lit. B.* approbat his verbis. *Abyſſus profunditas Aquarum impenetrabilis, ſiue ſpeluncæ aquarum latentium, de quibus Fontes, & Flumina procedunt, vel torrentes ad matricem abyſſum reuertuntur.*


4 Tandem probatur, ex capit. 2. Geneſis, vbi Sacer Hiſtoricus Terræ vbertatem, in initio ſuæ creationis deſcribens, ipſam tribuit aquis ex Oceano, ſeu abyſſo deductis, præſertim cum nomine ſingulari Fontis vtens, totius terræ irrigationem attribuit. *Non enim pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram: ſed fons aſcendebat de Terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. Geneſ. capit. 2. verſic. 5. & 6.* Quis hic tam magnus, tamque mirabilis Fons, qui vnus cum eſſet, vniuerſæ Terræ ad ſatietatem, & vbertatem ſufficiebat? Poſſet intelligi Fons ille in medio Paradiſi exoriens, qui in quatuor maxima diuiſus flumina, totam habitabilem terram irrigabat; & ſicut probabiliter tenui ante diluuium totam terram continentem fuiſſe, ſine Inſulis; & ſicut etiam haud obſcuri nominis Doctores, numquam ante diluuium pluiſſe putant; ſic illa Paradiſi Flumina, maxima quidem, totum fęcundabant orbem. Poſt diluuium autem rerum ordine perturbato, maxima illa Fontium, Fluuiorumquę ſcaturigine oppleta, variis, in varijs mundi partibus hiatibus apertis, tot fontes, totque, tantaque flumina, quæ nunc cernuntur, ſurrexiſſe: vt fuſius infra. Sed vnde ille Fons aſcendebat? Ex matrice abyſſo docet Hugo Victorinus *in Geneſ. cap. 7. tom. 1. pag. 11. colum. prim. litter. C. Non enim pluerat Dominus ſuper terram: &c. Sed Fons aſcendebat, &c. Quod eſt dicere: Et ſi non habebant auxilium per pluuiam, vt creſcerent; habebant tamen per fontem remedium Arbores, & herbæ creatæ, ne areſcerent. Fons iſte poteſt intelligi Abyſſus, ſcilicet matrix omnium aquarum, ex qua omnes fontes aquarum, & flumina egrediuntur.* Videndus denique Cornelius Cornelij a Lapide loco ſuperius citato, vbi plus quam triginta Patris adducit aſſerentes ex mari, ſeu abyſſo, omnes aquas emanare. Et ne Scripturarum hic ſenſus videatur alicui Philoſophis minus conſonus, vltra Platonis authoritatem, in Philoſophia facile Principis; fuiſſe etiam antiquorum Philoſophorum ſententiam, accipe ex Seneca *lib. 3. quæſt. Natur. capit. 5. pag. 610. Quidam iudicant, terram quidquid aquarum emiſit, rurſus accipere: & ob hoc maria non creſcere, quia quod influxit, non in ſuum vertunt, ſed protinus reddunt. Occulto enim itinere ſubit terras, & palam venit, ſecreto reuertitur, colaturque in tranſitu mare.* Cum igitur ſcriptura id teneat, conſentiant Patres, Philoſophi iudicent, & ratio minimè aduerſetur; ita ſtatuendum videtur.

5 Duæ Obiectiones huic Aſſertioni fieri poſſunt. Prima, quomodo contra naturam, & extra centrum aqua aſcendere poſſit. Secunda: ſi curſus continuus eſt, neque interruptus a Mare ad Flumina, & è conuerſo; quomodo, tam ſubito, amaritudine derelicta, dulceſcunt? Ad primam reſpondebimus §. ſequenti, in quo videbimus modum, & cauſam aſcenſionis aquarum: Ad Secundam verò §. 4. vbi de cauſa ſaporum, & qualitatum aquarum determinantes, huic etiam difficultati ſatisfaciemus.

§. III.

De Cauſa nouorum ortuum, & defectuum Fontium, & Fluminum.

1 Totus huius ſententiæ labor in aſſignando modum, quomodo aſcendant aquę, orianturque flumina, conſiſtit. Putat Plinius hoc ex terræ indigentia prouenire, ſicca enim cum ſit, aquam ab imo, & altera terræ parte ponderante, & ſpiritu impellente, trahere Siphonum vtique modo. *Cum terra arida, & ſicca conſtare per ſe, & ſine humore non poſſet, nec rurſus ſtare aqua, niſi terra ſuſtinente, mutuo amplexu iungerentur, hac ſinus pandente, illa permeante totum, extra, infra, ſupra, venis, vt vinculis diſcurrentibus, atque etiam in ſummis iugis erumpente, quo ſpiritu acta, ac terræ pondere expreſſa, Siphonum modo emicat. Plinius ap. Ioan. Bapt. Portam De Aeris transmut. lib. 4. capit. 21. pag. 159.* Hunc modum reijcit Porta loco citato quia Siphon numquam aquam ab imo ad ſumma traducet, niſi per decliuiora exeat, & deſcendat, quam ſit locus ille vnde aſcendit: non enim aſcendit per A, ad B, niſi os C, per quod decidit, ſit humilior ore A, per quod aſcendere debet. At hoc non conſonat Fontibus, qui in ſummis montium apicibus enaſcuntur.



2 Thales mileſius apud Senecam exiſtimauit Terrarum orbem aquis innatare; quod ſi ita eſſet, mirum ſanè non videretur, quod pars aquæ aſcenderet ſupra ipſam, quæ niſi redeat ad ſuum principium ſemper decurrit: ſed hanc fictam opinionem explodit Seneca, *lib. 3. capitul. 13. Natural. quæſtion. pagin. 616.* & a nobis reijcienda eſt. *Quæ ſequitur Thaletis inepta ſententia eſt. Ait enim terrarum orbem aqua ſuſtineri, & vehi more nauigij, mobilitateque eius fluctuare, cum dicitur tremere. Non eſt ergo mirum ſi abundat humor ad flumina fundenda, cum mundus in humore ſit totus.* Putabat equidem iſte Philoſophus, aquam maris eo prorſus modo terram intra ſe poſitam permeare, ſicuti marini fluctus, per tabulatum Nauis in illam penetrant: & rurſus vti adſolet per inſtrumenta in mare decidere: ſed optimè contra illam Seneca loco cit. *Hanc veterem, & rudem ſententiam explode; Nec eſt quod credas, in hunc orbem aquam ſubire per rimas, & facere ſentinam.* Mihi verò improbatur, ſed ex falſo ſuppoſito, videlicet ex innatatione Terræ more Nauis, quòd veritati, & Sacris literis aduerſatur; ſed ſi primum ſuppoſitum eſſet poſſibile, hic diſcurſus non eſſet omnino reijciendus.

Digitized by Google

3 Aliæ ſunt variæ inter opinantes ſententiæ. Prima, cui fauet D. Thomas, *in 2. ſent. diſ. 14. quæſt. vn. ad* 5. eſt, ſurſum trahi aquam vi ſolis, ac aliorum ſyderum, nec violenter trahi, cum ad commune totius vniuerſi bonum aſcendat. Verum hanc vim ſyderum, vix in vaporum, exhalationumque tractum experimur: quod ſi aliquid in hoc poſſent, ipſam aquam non de terræ viſceribus tanta cum violentia, ſed de ipſo mari traherent, vti de facto ad propriam nutritionem ſugunt. Secunda eſt, terram præcipuè montanam ad modum ſpongiæ conformatam eſſe, & ideo trahere aquam, & ipſam ſupra terram ſic proijcere. Huic opinioni fauet experientia: nam ſi alicui vaſi aqua referto immittatur ſpongia aliqua ſecundum aliquam tantum ſui partem, ita vt pars remaneat extra vas, tunc aqua per partem ſibi propinquam non ſolum aſcendit ad partem aliam extra, ſed etiam per illam in terram diffunditur: idipſum euenit, ſi loco ſpongiæ immittatur in aquam pars panni lanei, vel bombacis; quod ſimiliter in oleo, cæteriſque liquoribus expertum eſt. Hæc poſitio diſplicet Reſtæ loco ſuperius citato, ſed eius impugnatio mihi non arridet, nam quæcumque ſit cauſa tractus ſpongiæ, vel panni, ſimilis poſſet reperiri in montibus: vnum tantummodo ſcrupulum in hac habeo poſitione, cum multis in locis eiuſdem conditionis ſint terræ, cur illæ omnes non ſugunt aquas? Tertia poſitio eſt Senecæ, pulchra profectò, & aliqualiter attingens, ſeu ſaltim conducens ad veritatem. Comparat ille terrarum orbem corpori Hominis, cui venæ, venæ fontium ſint, aqua ſanguis, reliqui humores metalla; porro ſicuti deſecta vena corporis omnis ſanguis ad partem apertam, etiam ab infima corporis parte, aſcēdit, ita fontes per perpetuas ſectiones a natura factos ab infimo etiam mari aſcendunt. In vno duntaxat corpus terrenum, & humanum differunt, quod ſenſitiuum cum tandem ſanguis, vel alius humor expleatur, nec redeat, aliquando ceſſat manatio; in terra verò, ſecus fit, nam aqua cum reuertatur ad mare, ad eamdem recurrens venam perpetuo fluere poteſt. Hæc Senecæ poſitio eſt *loc. cit. cap. 15. pag. 616. Placet natura regi terram: & quidem ad noſtrorum corporum exemplar, in quibus venæ ſunt, & arteriæ: illæ ſanguinis, hæ ſpiritus receptacula. In terra quoque ſunt alia itinera, per quæ aqua; & alia, per quæ ſpiritus currit: adeoque illam ad ſimilitudinem humanorum corporum natura formauit, vt maiores quoque noſtri aquarum appellauerint venas. Sed quemadmodum in nobis non tantum ſanguis eſt, ſed multa genera humoris &c. ſic in terra quoque ſunt humorum genera complura. Hinc eſt omnis metallorum humus, ex quibus aurum argentumque petit auaritia: & quæ in lapidem ex liquore vertuntur &c. Ergo vt in corporibus noſtris, cum percuſſa vena eſt, tamdiu manat donec omnis effluxit, aut donec venæ ſciſſura ſubſedit, atque intercluſit, vel aliqua alia cauſa retro dedit ſanguinem: ita in terra ſolutis, ac patefactis venis, riuus, aut flumen effunditur.*

4 Albertus Magnus ortum fontium, ac fluminum vi ſpiritus in terra incluſi, aquamque impellentis euenire putat, ſpiritus enim, ſeu exhalatus vapor excalefaciens, & rarefaciens aquam ipſam ad ſuperiora compellit; & hæc eſt potiſſima cauſa, cur videatur vt plurimum, in his Fontium, ſeu fluminum originibus, aquam ebulliendo oriri. *B. Albertus Mag. lib. 2. meteor. Tract. 2. cap. 12 to. 2. pag. 50. col. 1. Modus autem eleuationis eſt iſte. Vapor ſub terra contentus, & reflexus in ſe ad ſolidum concaui ſuperius calefacit, & calore aquas de ſubtus attrahit. Itemque in aquis ſolidis parietibus concauitatis reflexus ebulliendo, ſicut ventus quidam, incluſus eleuat ſurſum, & cum continua actione ſua ad parietis latera neceſſario aliquando aperiat porum, per illud aqua incipit effluere per deuexum loci, quod in exteriori parte inuenit, &c.* Sed huic ſententiæ obſtat, quòd iſta vaporis, ſeu ſpiritus impulſio non poteſt eſſe continua, cum enim ſupra terram aer non ſemper moueatur, ita nec infra terram. Præterquamquod ad tantam impellendam aquam, magnus ſpiritus, qui ibi eſſe non poteſt, requireretur.

5 Veram ergo ſententiam, vt rationali modo explicemus, aliqua præponenda ſunt, quæ tanquam principia ſupponantur. Primum eſt quod aqua artificiosè aſcendere poteſt multis modis, primo per ſiphonem, vt ſpiritu ſubtracto, ad eius locum ſupplendum aſcendat aqua, ſic variæ machinæ ad attrahendam aquam de puteis, vel fluuijs inuentæ ſunt, inter quas illa celebris eſt, quæ Capuæ reperitur, per quam ex Vulturno fluuio ad irrigandum hortum cuiuſdam Comitis aſcendit. Vidi inſuper modum conſtruendi fontem ferè perennem, duabus fiſtulis conſtructum, per quarum vnam, ſpiritu ſubtracto aſcendens aqua, & in Concham recepta rurſus per aliam, cuius os erat in concha, redibat ad vas in ſinu fontis poſitum, & cum aeris prohiberetur ingreſſus, tota aſcendebat aqua, quæ cum iterum vas implebat, iterum aſcendebat: & fuiſſet quidem perpetuus motus, niſi multa extra vas deperderetur aqua. Animaduerti etiam Romæ, (quod aliquando etiam Neapoli in maxima pluuiarum copia, ſe obſeruaſſe narrat Porta: vide eum loc. cit.) quòd Plateæ illæ, Agonis præſertim, ad quas Cloacarū sūt oſtia, altiores ſunt, quā Fluminis Tiberini ripæ, etiam cum maximè intumeſcit; nam ideo fabræfactæ ſunt, vt per eas aquæ pluuiarum, cæteræque Vrbis immunditiæ, decurrant ad flumen: nihilominus tamen cum tempore hyemis Flumen intumeſcit, ita vt alia oſtia Cloacarum, quæ in flumine ſunt, repleat aqua, vis fluuialis aquæ ita impellit aquam ad os cloacarum poſitam, vt per illas vſque ad Plateas aſcendat; & ſi ille violentus aquarum effluxus duraret, perduraret etiam aquæ aſcendentis per Cloacas exundatio, quæ multum damni affert.

5 Ex his poſitis declaratur vera Salomonis, ac noſtra ſententia ſic: Deus terram variis venis, & concauitatibus repleuit, per quas aquam marinam aſcendere iuſſit ad terram, ſiue hoc ſubtractione ſpiritus fiat, ſiue per impulſum aquarum Cloacarum modo; quia vero aqua ad Oceanum recurrens ipſum adauget, impulſa aqua per notas vias continuò aſcendit: & ſic Fontium, Fluminumque origines aperiuntur. Quia vero in Diluuio tota terra aquis obruta eſt, illa vnica fontis maximi totam irrigantis terram, vena, varijs in locis dirupta eſt, & ita variis in locis varia orta ſunt Flumina: eo ſiquidem modo, quo ſi aquæductus aliquis, multis in locis rumpatur ab illis aqua exiens, principalem fluxum minuit, & quandoque deſiccat. Hinc etiam noui ortus & defectus fontium, & fluuiorum dependent; nam cum in vno loco venæ aperiuntur, (quod arte, vel caſu multipliciter accidere poteſt) in alio vel ſiccantur, vel minuuntur. Hunc noſtrum modum ponendi aliqualiter probamus ex Senecæ poſitione, loc. cit. quæ parum ab hac videtur differre. Deinde huic ſimilior eſt explicatio Iulii Scaligeri *ap. Ioan. Bap. Portam loc. cit. cap. 26. pag. 166* quę bene probat noſtram ſententiam. *Cum in ipſa mundi Machina pars aqua plurima ſit extra locum ſuum, & terra multis ſpecubus peruia eo in loco, qui aquæ debebatur, & a terra occupatus eſt, in caua terræ loca ſeſe induit, quæ cum ſint anguſta, neque tantam aquarum multitudinem capere queant, compreſſa ea aquæ portio ab extrinſecus incumbente mari, ſuæſque iure loci repetente ſedes, qua via poſſet egredi, quærit, qua impreſſione fiunt aquarum exitus, atque exitiones: quæ cum in ſuo loco non ſint, deorſum euoluuntur.* Hanc opinionem vocat Porta errorem; & impugnat dupliciter: primo, quia putat aquæ locum eſſe ſupra terram, quod Porta putat falſum: ſed tamen Porta in hoc contra omnem Philoſophiam ſolus ſenſit. Secundo, quia aqua non aſcendit, niſi quantum deſcendit, ſed hoc experientiis ſuperius poſitis contradicitur: & præterea an aquæ maris ſint altiores terra problema eſt. Verus, & inexcuſabilis error ipſius Portæ eſt, quod vt ſuas de aeris fictis trāſmutationib. opiniones firmaret, ac Ariſtoteli nimis arrideret; contra Philoſophiam, & Sacram

cram Scripturam irrationabile commentum de Fontium ſcaturigine inuenit, tutaturque. Sic igitur patet origo, ortus, defectuſque Fontium, & Fluuiorum.

§. IV.

De cauſa dulcedinis, ſalſedinis, aliorumq; ſaporum aquarum.

1 DE Fontium, fluuiorumque ſcaturigine abundè, & ſolidè determinatum cum ſit, ad alias aquarum differentias accedere oportet. Aquæ namque aliæ dulces, aliæ amaræ, aliæ ſalſæ; aliæ aſperæ aliæ molles, &c. De quibus Seneca loco citat. *cap. 2. pag. 609. Aliæ ſunt dulces, aliæ variæ; aſperæ quippe interueniunt, ſalſæ, amaræque, ac medicatæ: ex quibus ſulphuratas dicimus, ferratas, aluminoſas. Indicat vim ſapor. Habent prætereà multa diſcrimina. Primum tactus frigidæ, calidæque ſunt: deinde ponderis, leues, & graues ſunt: deinde coloris, puræ ſunt, & turbidæ, & cæruleæ, lucidæ: deinde ſalubritatis, ſunt enim ſalubres, & vtiles, mortiferæ, ſunt quæ cogantur in lapidem. Quædam tenues, quædam pingues: quædam alunt, quædam ſine vlla bibentis ope tranſeunt, quædam hauſtæ fœcunditatem afferunt.* Harum omnium differentiarum cauſam declarare oportet; cum enim definitum ſit, omnes aut mediatè, aut immediatè, ab eodem loco Barathro, Abyſſo, ſeu Oceano prouenire, dici non poteſt hanc eſſe ipſarum aquarum eſſentialem differentiam: quia verò id præcipuè de mari difficultatur, cum ipſum ſalſum, & amarum, experiamur, & neque ſimilis ſaporis vbique, ſed alibi ſuperficies fundo amarior eſt, alibi verò ex oppoſito; & alia maria alijs minus ſalſa dignoſcuntur. Quapropter prius de cauſa amaritudinis eius (nam inde mare vocitatum) & ſalſedinis, determinare debemus.

2 Et primò nobis occurrunt antiquorum Philoſophorum placita. Putabat Anaximander, referente Plutarco de Placitis Philoſoph. *lib. 4. cap. 16.* Mare eſſe quaſdam aquarum reliquias, quæ ab igne ſunt exiccatæ, & exhauſtæ, & ideo iſtæ tanquam fæces remanſerunt ſalſæ. *Anaximander, Mare ait, primi humoris eſſe reliquias, quarum maior pars ab igne exiccata, reliquum ob ardorem mutatum ſit.* Ab eo haud multum diſcedit. Anaxagoras *ap. eundem loc. cit.* Putat namque a Solis calore mare ſalſum redditum, cum ob combuſtionem dulcem pinguedinem exhalaſſet; *Cum humor ab initio ſtagnans a ſolari motu eſſet aduſtus, exhalaſſetq; eius pinguedo; reliquum ſalſugine, & amarore infectum ſubſtitiſſe.* Verum vtraque hæc opinio illico falſa cognoſcitur; nam cum idem ſit Sol, aut Ignis; (nam Anaximandro Sol Ignis eſt) & eadem vi agat in omnes ſtagnantes aquas, cur idem quod in mare, etiam in lacus, paludeſque non operatur? nam ſi hæ a fluuijs, vel a fontibus ortum ducunt, etiam mare continuo maximis repletur fluminibus dulcem ferentibus aquam. Fictitia, imò & deridenda, tertiò ſeſe offert loco Empedoclis Maris conſtitutio; *ap. eumd. loc. cit.* Putat namque Terram ad inſtar Animalis, a ſolis calore exuſtam, ſudare, ex cuius ſudore Mare genitum, & quia ſudor ſalſus eſt, id etiam mari conuenit. *Empedocli Mare eſt ſudor terræ aduſtæ a Sole, eumque ſudorem nimia ſui compreſſione emittentis;* Verum quis ſibi perſuaſerit tantum ſudorem Terram emittere, qui maior ipſa terra ſit: deinde potius fontes ſudoris nomen, & rationem haberent, quam Mare, qui tamen vt plurimum ſalſi non ſunt: Quę etiam ratio pugnat contra Metrodorum dicentem, *ap. eumdem loc. cit. Quia Mare ſit percolatum per terram, ideo craſſitiem eius participaſſe; ſicut euenit ijs, quæ per cinerem colantur.* Quæ comparatio ſi aliquid valeret, de Fluuijs potius id probaret. Refert etiam Porta Stoicorum opinionem, cui Cicero ſubſcribit; ſcilicet depaſcentibus Sole, & reliquis Stellis puriores aquæ partes, remanent craſſiores, & ideo ſalſæ. *Exiſtimabant Stoici, Mare ideo ſalſum eſſe, quòd tenuiores marini liquoris, a Sole, & Stellis exugerentur partes, eiſque paſci, craſſiores vero relinquere. Ioan. Bapt. Porta De Aeris Tranſm. lib. 4. capit. 4. pag. 133.* Accedit vt dicebam Cicero *lib. 2. de Nat. Deorum* Huic ſententiæ, quoad ſyderum cibum; & naturalem cauſam vltimæ orbis deſtructionis per ignem, aſſignat cauſam aquarum defectum. *Sunt autem Stellæ natura flammeæ, quo circa Terræ, Maris, aquarum vaporibus aluntur, his qui a Sole ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur, quibus altæ, renouatæque ſtellæ, ac omnis Æther refundat eadem, & rurſus trahant itidem, nihil, vt fere intereat, aut admodum paulum, quòd aſtrorum ignis, aut Ætheris flamma conſumat, ex quo euenturum, vt ad extremum omnis mundus ignefieret, quem humore conſumpto, neque terra ali poſſet, neque remaneret aer, ita relinqui nihil præter ignem, &c.* Contra hoc arguit Ariſtoteles; ſed cū duo eius impugnationis principia ſint, ſcilicet nec Solem, & ſydera ignem eſſe, nec hos vapores aeris ſecundam regionem tranſgredi poſſe: tum ob illius frigus, tum propter Cęlos intermedios. Quæ duo principia cum apud me falſa ſint, vt alibi oſtenditur, eius argumenta dimitto. Concedo igitur Aſtra nutriri, ſed nego hoc eſſe ſalſedinis cauſam, & propter rationes contra alias opiniones adductas. Ipſe verò Ariſtoteles, cum alias reprobaſſet opiniones, ſuam haud minus abſurdam propoſuit; videlicet, vt refert Porta; *loc. cit. cap. 5. pag. 134. Sol ſuis radijs terram verberans, humificas, & fumificas aſpirationes exugit, quas vbi adduſſit, aſſauitque, facta diſcretione, quod tenue, & corporale eſt surſum educit, quod terreſtre, & fæculentum, & humidæ animæ mixtura ſubſidet, & amarulento, ſalſoque ſucco Mare inficit, idque ex ſudoribus, reliquiſque Animalium excrementis deprehendere licet, &c.* Sed ſtatim ipſam impugnat Porta. *Contra hanc abſonam Ariſtotelis opinionem multa adducuntur contraria experimenta, &c.* Videantur hæc apud relatum Authorem; nobis ſufficiat, indicare quod ſupra dictum eſt; cur hoc in lacubus, & paludibus nequaquam fiat? ſanè etiam ab illis fumoſi vapores extrahuntur, & a terra extractos ita in lacus, ſicuti & in Mare cadere poſſunt.

3 Dimiſſis Antiquorum opinionibus ad Modernas diſcutiendas gradum faciamus. Et primo eiuſdem Portæ placitum examinemus *loco citato capit. 6. pagin. 136.* inquit ergo. *Maximus eſt aquarum ſinus Mare, & in id influunt flumina omnia; inter quæ multa ſunt, quæ ſalſa ſunt, & ſalem continuo inferunt, ſemperque in eo remanet, &c. Sunt multi lacus, putei, & ſalinæ, quæ ſalſorem Mari miniſtrant: ſunt, & Mari ſubſtratæ terræ ſalinæ, & Montes, vt ſupra terram, &c.* Has ergo tres cauſas putat ipſe ſufficientes, ad Maris ſalſedinem, non naturalem, ſed accidentalem adſtruendam. Mihi verò minimè probantur: Ad primam de fluminibus ratio eſt pro vtraque parte, nam ſi aliqua ſalſa, multa, & maiora dulcia in Mare ingrediuntur. De puteis, & lacubus, dubium eſt, an iſta potius a Mari trahant originem, & ſalſorem, quam è contra. Ad tertiam; Experientia probat in ſuperficie terræ, vel Solis, vel ignis calore ex aqua marina fieri ſal, igitur & in terris Mari ſubſtratis, vel ſuprapoſitis, vi ſubterraneorum ignium, continuò e Mari ſal elicietur. Cauſæ igitur, cum ſua poſitione, ratione, & probabilitate carebunt. Franciſcus Reſta *libro tertio, Meteor. Tractat. prim. capitul. 17. pagin. 691.* opinionem Ariſtotelis paulò aliter explicans, inquit ex fumoſis Euaporationibus quidem ſalſedinem oriri, ſed non, quæ a Sole a terra exhalatæ attrahantur, ſed quæ in terris mari ſubiectis, ex ſubterraneis ignibus euaporentur, nam & fumus ſalſorem ſubminiſtrare ſolet. *Poteſt Ariſtotelis doctrina paulò aliter explicari, dicendo, Ma-*

re euadere quidem ſalſum ex commixtione terrei aduſti cum humido? At iſtud terreum potius eſſe exhalationes, quæ ab internis ignibus eleuantur, diffundi ſalſedinem ab imo maris potius, quam è ſuperiori loco. Confirmat hoc primo authoritate Galeni: deinde duabus experientijs. *Inquit etiam Galenus: 4. de ſimpl.medic. facul. Salſum ſaporem fieri per magnam excoctionem, & ſi vlterius excoquere perſeueres, ex ſalſo fieri amarum, quia per vlteriorem coctionem conſumitur humiditas. Humor operculis adhærens, per quem tranſit fumus ſalis ſaporem habere ſolet, ſimilis actio ignis cogitatur in maris fundo. Narrat Balthaſſar Diez in quadam Inſula, quæ dicitur del Moro, antra eſſe, ex quibus fumus eructat, ex quo aquæ dulces redduntur amaræ.* Sed neque ſic explicata hæc ſententia aliquid probabilitatis oſtendit; nam calor ignis ſi aliquando per exiccationem cauſat ſalſedinem hoc facit ſeparando ipſam ab humiditate, non de nouo producendo, niſi enim in mixtis ſal eſſet vi ignis minimè extraheretur: ſic poſſe eſſe aliquas fumoſitates exhalatas a ſalſis corporibus non dubito, ſed eam eſſe totius maris ſalſedinis cauſam non conuincitur.

4 Dicendum eſt igitur omnes aquæ ſapores, coloreſque aduentitios eſſe, & ex terris per quas tranſit oriri, præter vnam ſalſedinem, quæ Maris eſt propria, & congenita. Cum enim aqua vnum ſit ex elementis ſalſam eſſe oportet: nam experientia conſtat ex omnibus mixtis, aquam, terram, oleum, & ſal elici, & ſeparari vi ignis, modo omne compoſitum in ea reſoluitur, ex quibus conſtat, ergo in omnibus mixtis ſal eſt, ex aqueo elemento proueniens. In primæua igitur creatione Maris, quando ſcilicet Deus diuiſit inter aquas, & aquas, puriores aquas, & quantitate maiores, ſupra Cœlos euexit, grauiores verò, & ſalſas, ac amaras in terra reliquit; ſicque eas eſſe oportebat, & ad piſcium productionem, & ad hominum ſanitatem, ad commodiorem nauigationem ne aqua maris putreſcat, vt paludibus contingit, multaque alia. Sic ab initio ſalſam amaramque creatam aquam innuunt, Philo Iudæus: *lib. de opific. mund. pag.* 10. *Iubet Deus quidquid aquarum ſalſum erat, ac proinde offecturum fertilitati ſatorum, & arborum, collectam in vnum confluere ex omnibus terræ foraminibus.* D. Baſilius. Hom 4. Hexam. loc. cit. D. Iſidorus Hiſpalenſ. *lib.* 13. *orig. cap.* 14 *pag.* 115. *lit. F. Propriè autem dicitur Mare, eo quod aquæ eius ſunt amaræ.* Franciſcus Reſta loc. cit. &c. Huic ſententiæ inepta obiectio fieri ſolet; videlicet, quod ſi aquæ ſua natura ſalſæ eſſent in mari, ita eſſent vbique; ſed multæ ſunt dulces, non ergo natura ſua ſalſum mare eſt. Cui facilè occurritur, quod omnes fatentur frigiditatem propriè conuenire aquis, & nihilominus multæ aquæ oriuntur calidæ vt experimur multis in locis, & D. Iſidorus loco citato cap. 13. refert. *Iam vero multis in locis aquæ manant perpetim feruentes tanta vi, vt balnea calefaciant.* Illæ ergo qualitates ſeparabiles ſunt ab aqua, quod ſi ſeparatur frigiditas, quæ ſecundum ipſos eſt prima eius qualitas, tanto magis ſecunda ſalſedinis.

5 Maris igitur Aqua ex ſe ſalſa eſt, ex cuius humore vi ignium, & Solis producuntur minerales caueæ ſalis, quæ ſub ipſo maris fundo inſidentes ipſam ſalſedinem conſeruant, & ad noua Flumina immutanda in Maris amarorem adiuuant. Aquæ igitur, quæ de Mari ad Fontium ſcatutigines euehuntur, cum per terram tranſeant terrarum qualitates induunt, ſalſæ ſunt quæ per ſalſam, dulces, quæ per dulcem, &c. Hoc in primis docet Seneca *loc. cit. cap.* 20. *pag.* 623. *At quare aquis ſapor varius? propter quatuor cauſas. Ex ſolo prima eſt, per quod feruntur; ſecunda ex eadem ſimulatione eius naſcitur. Tertia ex ſpiritu, qui in aquam transfiguratus eſt. Quarta ex vitio, quod ſæpe concipiunt corruptæ per iniuriam. Hæ cauſæ ſaporem dant aquis varium, &c. Intereſt, vtrum per loca ſulphure, an nitro, an bitumine tranſeant.* Hoc etiam Diuinus Plato docet *in Phædone pag.* 298. *columm.* 2. *Talia verò ſunt ſingula, per quales labuntur terras.* Sed vt noſtros referamus, inquit D. Baſilius loc. cit. *Fitq; potulentum depoſita per tranſcolationem, ſiue diſtillationem amaritudine.* Aſſentitur D. Ioannes Damaſcenus *de fid. Orthodox. lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 190. *lit. C. Ita fit, vt pro terræ qualitate Fontium aqua alia, atque alia exiſtat. Per terram enim aqua marina tranſcolatur, & eliquatur; ſicque dulcis efficitur. Quod ſi locus vnde fons emanat, amarus, aut ſalſus extiterit, talis vtique aqua ſurſum educet.* Mare igitur in ſe ſemper ſalſum, amarumque fuit ab exordio ſuæ creationis, & ita permanet, aquæ verò, ex eo promanantes, diuerſarum terrarum, per quas meant, induunt qualitates.

§. V.

De Reliquis Qualitatibus, & paſſionibus. Aquarum.

1 SVnt, & aliæ tum maris, tum fluminum qualitates. Et primo de colore dicendum eſt aquam non habere determinatum colorem, ſed illum ſumere a ſoli qualitate; etenim propter denſitatem aliquatenus apparet aqua, ſed colorem a fundo habet. Ita D. Iſidorus Hiſp. *lib.* 13. *Orig. cap.* 14. *pag. cit. Maris autem certum non eſſe colorem, ſed pro qualitate ventorum mutari: nam modo flauum eſt, modo lutulentum, modo atrum.* Color igitur, aut ſapor nullus eſt aquis, ſed ex terræ, mineraliumque conditionibus ſumit.

2 Voluit etiam Deus, vt aquæ proprias qualitates ideo non habeant, vt poſſint aliarum rerum conditiones facili negotio induere; ſicque diuerſis, & quandoque contrarijs qualitatibus indutæ varijs humanæ vitæ vſibus accommodarentur. Quamobrem medicinalem virtutem includunt, vt in ipſarum varietate contrarij omnino morbi habeant medicamen. Celebris eſt Puteolana, quæ antiquitus inſcriptiones habebat, qualis pro quouis morbo, ac qualiter adhiberi debebat, quibus a ſalernitanis Medicis deturbatis, obſcura noſtro tempore de eius vi notitia remanet, ſed nihilominus multas eius vtilitates experientia docuit. Hanc aquarum diuerſitatem Diuinę Prouidentię aſcribit D. Theodoretus *Serm.* 2. *de Prouident. tomo ſecundo, pag.* 582. *columm.* 2. & ſanè Dei miſericordia eſt, vt abſque vllo pretio prompta habeantur medicamenta. *Sed eas ipſas* (aquas) *varias, & diuerſas tibi exhibuit, & quæ contrarijs quoque, & diuerſis vſibus conueniant. Aliæ enim neruos rigentes laxant, & molliunt, aliæ vero laxatos aſtringunt, atque roborant. Rurſus hæ quidem phlegmata infeſtant, aliæ melancholiæ medentur, & aliæ vlcera exiccant. Tantam in calentibus quoque aquis commoditatem rerum Gubernator tibi contulit.* His addere oportet alias medicinales virtutes, ac ipſis contrarias ex D. Iſidoro *loc. cit. cap.* 13. *Iuxta Romam albulæ aquæ vulneribus medentur. In Italia Fons Ciceron oculorum vulnera curat. In Bœotia duo fontes, alter memoriam: alter obliuionem affert. Cizici fons amorem Veneris tollit. Bœotiæ lacus furialis eſt, de quo qui biberit ardore libidinis exardeſcit. In campania ſunt aquæ, quæ fœminarum ſterilitatem, & virorum inſaniam abolere dicuntur.* Multa alia apud ipſum authorem videre eſt.

3 Hinc ad alias mirabiles qualitates gradum faciamus; nam & tam admirabilis, ac varia vis aquis inſidet, vt miraculis perſimiles eorum effectus videantur: De quodam ciconiorum amne ait Ouidius apud Senecam, quod aquam habeat ita miram, vt pota ſaxea reddat viſcera, & cunctas res, quas tetigerit in ſaxum vertit: cui Seneca alias connectit aquas, quæ in Italia quidquid in eas merſum fuerit, poſt paucos dies lapidem reddit. *Hinc illud, De quo Ouidius ait.*

Flumen habent Cicones, quòd potum ſaxea reddit
Viſcera, quòd tactis inducit marmora rebus.

Quod

Digitized by Google

Quod in Italia, ſubdit Seneca, *lib.3. cap.20. queſt. natur.pag.622. quibuſdam locis euenit, ſiue virgam, ſiue frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahis.* Sequitur Fluuius lynceſtrius, qui Vini effectum producit; nam cum eius aqua guſtata fuerit, ebrietatem inducit: de qua idem Seneca. *Hoc habet & malis lynceſtrius amnis.*

Quem quicumq; parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.

Verum & ſi mala ebrietas, tolerandum tamen malum, eſt; illud porro periculoſum eſt, quod de ſtygia aquam Idem refert *cap.23.pag.624.* ſcilicet quod nec odore, nec ſapore ſuſpecta, enecat epota; neque eius malignitas vlla eſt medicabilis arte, ſiquidem ſtatim vt epota fuerit ad modum gypſi ſe conſtringens viſcera claudit. *Circa Nonacrin in Arcadia Styx appellata ab incolis Aduenas fallit: quia non facie, non odore ſuſpecta eſt: qualia ſunt magnorum Artificum venena, quæ deprehendi, niſi morte, non poſſunt. Hæc autem aqua, de qua paulo ante retuli, ſumma celeritate corrumpit: nec remedio locus eſt, quia protinus hauſta duratur: nec aliter quam gypſum ſub humore conſtringitur, & alligat viſcera.* Illud porrò mirum videtur, quod de alijs aquis idem narrat; eſſe ſiquidem in Bæotia duo flumina, quæ cum ex eodem lacu originem ducant, diuerſos tamen effectus parturiunt; nam ex altero cum oues biberint, nigræ redduntur, ex altero verò albæ: *Alia enim ſunt, quæ pota inficiunt greges ouium: intraque breue tempus, quæ fuere nigræ albam ferunt lanam, quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bæotia amnes duo efficiunt: vterque ex eodem lacu exeunt, diuerſa facturi.*

4 Sed omine meliori, quædam aut aurifera, aut frugifera flumina recenſeamus. Primum ſit Nilus, qui, vt vult Iſidorus a Paradiſo egrediens quondam (nunc ex æthiopiæ montibus prouenire compertum eſt) Geon dicebatur, & vniuerſam Ægiptum irrigans fertilem facit: ita D. Iſidorus. *lib. 13. etig. cap.21. pag. 117. lit.E. Geon Fluuius de Paradiſo exiens, atque vniuerſam Æthiopiam cingens, vocatus hoc nomine, quod incremento ſuæ inundationis terram Ægipti irriget. Hic apud Aegiptios Nilus vocatur, propter limum, quem trahit, qui efficit fæcunditatem.* Inſuper Euphrates, Babiloniæ campos fæcundat, a quo nomen accepit, nam Euphrata apud hebreos fertilitas dicitur ſecundum citatum Doctorem; nam & terram fertilem reddit, & gemmas ferens diuitias parit. *Euphrates fluuius Meſopotamiæ de Paradiſo exurgens copioſiſſimus gemmis, qui per mediam Babiloniam influit. Hic a frugibus, vel a fertilitate interpretatur,* Betis fluuius, qui Beticæ Prouinciæ in Hiſpania nomen dedit, fæcundiſſimam reddit, ſed inter cætera oliuas magnitudine, & perfectione toti Europæ commendatas nutrit; nec non lanas pulchro colore tingit: De hoc flumine Martialis .ap.eund. loc.cit.

Betis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Auriferi deinde ſunt Pactolus in Aſia, de quo Virgilius .... *Pactoluſq; irrigat auro.* & apud Hiſpanos Tagus, de quo D. Iſidorus *loc.cit.pag. 118. lit.D. Tagum fluuium Carthago Hiſpaniæ nuncupauit, ex qua ortus procedit, fluuius arenis aureis copioſus.* Tandem de noui orbis fluuijs inquit Mercator *in Atlan. min. pag. 21. col.1. Multis inclytis amnibus hæc orbis pars irrigua, quorum pleriſque auriferi.*

5 Hoc igitur miro ſuæ prouidentiæ artificio Deus mittens Fontes, & flumina inter montes, valleſq; fertilitans, omnium Animantium, & præſertim hominum commoditati, fertilitate, diuitijs, medicamine prouidit.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

TErra moraliter ſignat hominem, qui colono Deo fructum bonorum operum reddere tenetur. Ad hanc irrigandam, & fæcundandam terram varios fontes, ac fluuios gratiarum ſuarum mittit. Porro vt hæc cæleſtis irrigatio fruſtratoria non ſit, aut inutilis, ſuſcipiens terra aliquas conditiones debet habere: prima eſt humilitas, nam in humilium valles diuinarum gratiarum flumina fluunt; debet inſuper ſicca, & humoris indigens eſſe, ne paluſtribus aquis demerſa, irrigationi ſupernæ locum non præbeat; Neque terra vitioſa, ſterilis, ſpinis diuitiarum obſita ſit, ſicque per omnes eius partes ſaturitas diuina percurret. Quæ cum ita ſe habeant ſequentibus Paragraphis Aſſumpta, & titulos præbuere.

SVMMARIVM.

1 *Fontes gratiarum diuinarum in humiles fluunt.*
2 *Nullus locus eſt, quem Chriſtiana doctrina non irrigauerit.*
3 *Homo vt in gratia creſcat, illius indigentem ſe æſtimet.*
4 *Diuitiarum cupiditas Doctrinam corrumpit.*

§. I.

Fontes gratiarum diuinarum in humiles fluunt.

1 QVi emittis Fontes in Conuallibus. Fontium natura ea eſt, vt cum e montibus ortum ducant, nequaquam tamen ipſos montes fæcundent; in valles verò cum deſcendunt floribus, ac viridibus germinibus replent: ex æthiopicis montibus cum deſcendat Nilus, tunc famam fæcundatoris habet, cum ægiptios perluit campos. Haud ſecus gratia diuina, cum a celſiſſimis Cælorum montibus deſcendat, corda ſuperborum, velut montes elatos deuitat, & in humilium corda, ceu valles decliues, tota ſe diffundit. Sicci, ſterileſq; lapides, qui montes eleuant, aquam ibi ſiſtere non permittunt; ita aridæ cogitationes, quæ mentem ad indigna deſideria ſuperbiendo extollunt, diuinam gratiam perſiare cor non conſentiunt. Deſerat ergo ſuperbiam, molleſcant lacrymis lapides, qui corda tumeſcere faciunt, vt ſic Valles imitando fluuiorum cœleſtium irrigationi aditum præbeamus. Hoc nos Sereniſſimus Propheta in hoc verſu docet, cum proteſtatur Deum *emittere fontes in conuallibus.* Quod D.Bernardus Abb.Clarcuall. *ſer.4.in Vig. Nat. Dom.pag.48.col.2. lit.G.* intelligens, inquit. *Scimus enim, quia fontium natura eſt riuos ſe-*

ctari

ſtari conuallium, Montium ardua declinare, ſicut ſcriptum eſt: Qui emittis Fontes in conuallibus: Hoc eſt unde admonere ſtudeo ſæpius veſtram charitatem, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quapropter optimè Caſſiodorus hunc verſum explicans inquit: *Qui emittis fontes in conuallibus; quia in vallibus Animarū humilium tranſeunt aquæ gratiarum.*

2 Hoc & apud Iſaiam *cap. 41. verſ.* 17. 18. indicauit Dominus, cum ſe ad ſitientes exſaturandos in medio camporum Fontes aperire promittit: *Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non ſunt, lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes.* Egeni vtique & pauperes ſunt qui gratiam ſitiunt, nam qui Diuites ſunt, ita temporalibus voluptatibus ſatiati ſunt, vt diuinorum ſitim non habeant. Anima enim ſaturata, ſecumdum ſapientis oraculum, calcabit fauum: e contra verò in anguſtia poſitus, & ipſam putridam potabit aquam. Pauper eſt igitur, & egenus qui Deum ſitit; Quia vero pauperem non decent deſideria ſublimia, cogitationes ſuperbæ, ſpiritus elati, ſed humilitas, & abiectio, ideo Dominus in campis humilibus, & in decliuibus collibus fontes aperire, & flumina mittere gratiarum promittit. Optimè id declarat Magnus Albertus. *In medio camporum, ideſt humilium. Spiritualiter autem conualles ſunt humiles, propter humilitatem duplicem: in quibus Dominus fontes gratiarum emittit.* Mons ergo ſiccus eſt, ſed quia celſitudinem habet, retinere aquam non poteſt; ſed bibunt valles, & ſaturantur humiles, qui ſitim cum habeant ad aquam gratiarum capiendam lacus effodiunt humilitatis.

3 Inter viros contemplatiuos iam inoleuit comparatio Iſraeliticæ ſcalæ ad contemplationem; etenim ſicut per illam aſcendebant Angeli ad Cœlum, ita viri ſpirituales per contemplationem ad cæleſtia eleuantur; & inſuper ſicut multos habet gradus ſcala, & vnum poſt alterum aſcendere oportet, ita pariformiter, non ſtatim ad contemplationis apicem peruenitur, ſed per quoſdam quaſi gradus incedere oportet: quē modum aſcendendi ad Deum quia docuit Abbas Ioannes, Climacus, ideſt ſcalaris nuncupatus eſt. Illud verò in hac aſcenſione debemus animaduertere, quod quicumq; conſcendere exoptat prius humiliter in veſtibulo ante ſcalam conſiſtere debet, quia qui proficere in ſancta conuerſatione deſiderat prius in humilitate fundamentum ponat, oportet. Prophetæ Ezechieli ſub figura Ciuitatis Ieruſalem Religio Chriſtiana demonſtrata fuit; in eaq; Templum vidit magnificum, contemplationem ſcilicet Diuinorum, ad quod per ſcalam quamdam ſeptem graduum aſcendebatur; ſiquidem per ſeptem dona ſpiritus ſancti anima ad Diuinitatem contemplandam ſubſtollitur. *Secundum menſuram Portæ, quæ reſpiciebat ad orientem: & ſeptem graduum erant aſcenſus eius, & veſtibulum ante eam. Ezech. c. 40. v. 22.* Sed cur ante illius templi portam; ante ſcalam veſtibulum erat? Vt ſciremus vtiq; quod antequā ſcalam contemplationis aſcēdamus, nos in veſtibulo ſcalæ, humilitatis exercitatione debemus pedem ſpiritualis profectus firmare: vt docet D. Gregor. *hom. 19. in Ezech. pag. 1364. lit B. Bene autē dicitur: quod veſtibulum erat ante eam: quia niſi quis prius humilitatem habuerit, ad hos gradus ſpiritualium donorum non aſcendit.* Nam & qui aquam in vallibus mittit, nonniſi in humilium cordibus ſupernaturalia dona concedit.

4 Doctoris gentium virtutem, ac perfectionem mirantur multi, & præcipuè Abbas Rupertus; cur ſolus ipſe inter tot Apoſtolos, Chriſtique Diſcipulos ad tertium Cælum ſit raptus, vbi abſconditorum archanorum Dei notitiam eſt aſſequutus: Neque deſunt ſcholaſtici, qui illum, *per modum tranſeuntis,* diuinam vidiſſe, reuelata facie, eſſentiam putent. Cur Petro cæterorum Principi, aut Ioanni, inter dilectos Chariſſimo, id conceſſum aut non eſt, aut ignoratur? Verum deſinamus mirari per ſcalam ad cæleſte templum aſcendiſſe, qui in veſtibulo humilitatis manebat: magna erat Apoſtoli huius humilitas, qui ſe omnium minimum reputabat: 1. *Cor. cap. 15. verſ. 9. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum; qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Propterea que in tantum ſibi omnes præponebat, vt propriæ ſaluti, ſalutem omnium anteferret; ideo clamabat: *Ad Rom. c. 9. verſ. 3. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis:* Niſi enim ſe omnium minimum iudicaret, nequaquā pro aliorum ſalute, propriam perditionem optaret. Hæc eſt Ruperti *lib. 4. c. 30. in exod. to. 1. pag. 281. col. 2.* concluſio. *Ille ſua ſeparatione vult ſalutem fratrum redimere, rem ſicut eſt, ſatis verbis exprimere non potuerunt &c. Quia Deus Charitas, Deus Humilitas eſt, & cum per charitatem, ſiue per humilitatem a Deo quiſquam procul abſiſtit, indigniorem ſe iudicans eis, pro quibus interuenit, miro modo quantum ſe deprimit, tantum aſcendit; quantum condemnat, tantum iuſtificat: quantum a Deo quaſi recedit, tantum illi proximus fit.* Præclarū cęleſtis ſcalę veſtibulum; certum diuinæ fabricæ fundamentum Humilitas, nam in eam diuinarum gratiarum imber copioſè deſcendit.

5 Conſideremus autem quid inter elatos montes, ac humiles colles interſit; illos pluuia nec rigat, nec ſatiat, hos fæcundat, & exornat. Nonne elatus mons Angelus ille, qui per ſuperbiam Dei ſimilitudinem concupiuit? Nonne montes noſtri primi Parentes, qui terram, quam redolebāt, non cogitantes, diuinam Maieſtatem æmulari poſſe putabant? Nonne mons Pharao qui Ægiptiacæ monarchiæ imperans, Deum per ſuperbiam Dominum non agnoſcebat? Videbimus tamen celſos hos montes, lapidea obſtinatione refertos, Dei rore deſtitutos, & perdidiſſe virtutem, & ad maximas cecidiſſe miſerias: ad Infernum vſque detractos, & ad mortem damnatos. Ex oppoſito hominem videmus, qui ſe vſque ad inferni meritum humiliter deiecit, ad Dei nomen, dignitatemque perueniſſe. Vocans Dominus Moyſen Prophetam ſuum, & eum ad Pharaonem dirigens, ait: *Exod. cap. 7. v. 1. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Quænam verò tam ſublimis virtus, & quod grande meritum Moyſen Deitate dignum reddebant? Quæ vel proſapiæ nobilitas, vel ſanctitatis excellentia, vel ſapientiæ diſciplina, ita eum inter homines ſubleuabat, vt ſolum Deitate dignum probaret? Humilitas vtique: nam & hæc ſola Deo ſimiles reddit mortales: Videamus paulo ante quid dixerit; mandante Domino, *Exod. cap. 5. verſ. 29. Loquere ad Pharaonem Regem Aegipti:* ſtatim ſuam inſufficientiam propalauit: *En incircumciſus labijs ego ſum, quomodo audiet me Pharao? verſ. 30.* Quia ergo indignum ſe putauit ad prophetieum miniſterium, Dei dignitatem obtinuit. Hoc confirmat citatus Rupertus. *lib. 1. in exod. cap. 26 to. 1. pag. 211. col. 1. Glorioſa virtutum Regina humilitas, quæ in cælum volare conſueuit; loquuta eſt in eo dicente, ſe incircumciſis eſſe labijs, & idcirco dignū, atq; ſua reuerentia dignum accepit reſponſum, vt audiret homo priuatus Regnantis hominis eſſe Deum.* Quod ſi Virtutum Regina eſt humilitas, nil mirum ſupra Regem hominem priuatum ſubleuare potuiſſe.

6 Summo deſiderio Ieremias Propheta tenebatur Diuinæ veritatis penetrandi conſilia, nec valebat; quapropter inceſſantibus, ac feruentiſſimis precibus id poſtulabat. Volens autem miſericors Dominus eius orationem exaudire, dixit ei: *cap. 18. verſ. 2. Surge, deſcende in domum Figuli, & ibi audies verba mea.* Attendamus quid dixerit: *In domum Figuli:* & quare non in Templum? Ibi melius de Deo loquitur, vbi Deus ipſe inhabitare dignatur; melius igitur in templo, vbi locus orationis eſt, myſteria cæleſtia contemplatur animus: Deus tamen, vt reuelaret arcana ſua domum quærit Figuli, forte, vt cognoſcamus, quod inter omnes virtutes humilitas dignos diuina gratia reddit: In domo Figuli, vbi ſe cognoſcens homo, videt profecto ſe Vas luteum eſſe a Deo Figulo ex luto compoſitum; quia dum

Digitized by Google

dum per ſui cognitionem humiliatur, Dei reuelationibus aptum ſe facit: vt teſtatur Lyranus. *Deſcende in domum Figuli: In domum Figuli deſcendere, eſt Dei potentiam, & propriam fragilitatem conſiderare: & ibi audies verba mea: nam humilibus reuelatur veritas diuina*: Hoc ergo Ieremias cum feciſſet, & intraſſet in domum figuli ſuam fragilitatem meditando, ad diuina penetranda myſteria meruit peruenire.

7 Hoc euidentur oſtenditur apud Mattheum. Redemptore ac Domino noſtro prędicante, ac mirabilibus coruſcantes miraculis, eius fama Iudaicum impleuerat Populum; quia vero contradicebatur a multis eius doctrinæ inter varias vulgi opiniones veritas latebat: eum optimè Ioannes nouerat, attamen vt erudiret plebem, miſit diſcipulos ſuos ad ipſum, vt interrogarent quis eſſet: poſt quorum diſceſſum laudans Deum Chriſtus, dixit: *Math. cap. 11. verſ. 25 Confiteor tibi Pater Domine Cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*: Verum quorſum tendit hæc intempeſtiua cōfeſſio, vt celebrato Ioanne, in hanc laudationem prorumpat? Quia ſcilicet tacitè reſpondendum erat Dubitationi Ioannis, ſeu potius diſcipulorum eius; cur ita clarè Domino prædicante, & tot, tantaque patrante miracula, non omnes eius doctrinam capiebant; imò & pauci admodum, viam Domini, quam Chriſti verba indicabant, reperiebant? Ergo Dominus cauſam huius aſſignans, dixit: *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*. Quaſi diceret: ſicut pluuia cum de Cælo deſcendit, & montes rigat, & valles, ſed ſolæ valles eam retinent, & per ipſam fæcundantur; ita ſimiliter Ros eloquij mei, fluens in corda hominum omnia tangit, ſed non omnes ſaturat; ſapientes, & prudentes huius ſæculi (nō qui tales reuera ſunt, ſed qui ſibi vidētur) ſunt montes, quia ſunt ſuperbi, inflati, aſpernantes reliquos, & in eis pluuia doctrinæ cæleſtis, & ros ſupernæ reuelationis ſubſiſtere non poteſt. At contrà humiles ſunt ſpiritu paruuli, decliuitate valles, & hi cum auiditate diuinum ſuſcipientes verbum, fructum reddunt cognitionis ſupernæ. *Qui ſunt paruuli?* inquit D. Auguſtinus. *ſer. 8. de Verbis Dom. tom. 10. pag. 13. col. 2. lit. A. Humiles. Ergo abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus: Nomine ſapientium, & prudentium ſuperbos intelligi poſſe, ipſe expoſuit cum ait: Reuelaſti ea paruulis. Ergo aſcondiſti ea non paruulis: Quid eſt non paruulis? Non humilibus. Quid eſt non humilibus niſi ſuperbis? Hæc via Domini, aut non erat, aut latebat, vt reuelaretur nobis.*

8 Debemus igitur humiliari, vt eleuemur, colles fieri, vt fæcundemur; nam & montes cum aquam non retineant fulminum ictus trepidant, iuxta illud Horatianum: *Feriuntque ſummos Fulmina montes*. Ideoq; & Iacobus Apoſtolus *cap. 4. verſ. 6.* proteſtatur: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Nam montium proprium eſt attrahere fulmina, Magnetis ferrum, & vallium fontes: ſic ſuperbis deſpectis, quanto magis humiles habent cognitionem perfectā ſuæ abiectionis, tanto magis diuina gratia replentur: Ita Diuus Bernardinus *Senenſ. ſer 16. artic. 2. cap. 3. tom. 1. pag. 79. col. 2. Quanto in homine maior erit cognitio ſui, tanto maior infundetur gratia Dei. Vnde Iacobus: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Sicut enim magnes attrahit ferrum, ſic humilitas gratiam ad ſe attrahit*. Sic in valles animarum humilium effluunt flumina gratiarum.

§. II.

Nullus locus eſt, quem Chriſtiana Doctrina non irrigauerit.

1 INter *medium montium pertranſibunt aquæ*. Vide Aquarum vbertatem, ac Conditoris benignitatem, Montes lauat, colles rigat, Valles ſatiat, & fæcundat; nec reperitur terra ita alpeſtris, quæ aliquo non nobilitetur fonte, vel cæli rore, aut pluuia deſtituatur. Aquæ ergo Euangelicam Chriſti Domini doctrinam comparauerim, quæ per vniuerſum terrarū orbem diffuſa, nulla reperitur tam barbara natio, tam alpeſtris regio, tam incognita gens, ad quam illuſtrandam non penetrauerit. Quod obſeruauit Pierius Valerianus. *lib. 1. Hierogl. pag. 405. lit. A. Iam quod Dauid ait: Inter medium montium pertranſibunt aquæ: oſtendere voluit, nulla tam alpeſtria, tamque inacceſſibilia loca fore, in quo Doctrina diuina Legis non ſit penetratura.*

2 In nube Dominum ingreſſurum Aegiptum Iſaias prædixerat; neque alienum a ratione videtur per nubem Euangelium intelligere: etenim ſicuti ob ſuam maieſtatem aduolans Deus, inter nubes fingitur, ita verè per Euangelij promulgationem fertur Dominus per vniuerſum mundum. De hac nube loquutus al quando Iob dixit. *cap 36. verſ. 29. Si voluerit extendere nubes quaſi tentorium ſuum, &c. cardines quoque Maris operiet*. Quaſi diceret. Sicuti cum Dominus nubes ſub Sole extendit omnem habitabilem terram cooperit; ita etiam, cum Predicatores ſuos ad Euangelium publicandum mittit, per totam mundi latitudinem ſuæ doctrinæ veritatem extendit. Nulla orbis pars ita inuia eſt quin peruia verbo Domini ſit. Aduolat ſicut nubes, fulget vt Sol; & ideo omnes illuminat, omnes tegit D. Greg. *li 32. c. 6 mor. pag. 913. lit. E.* inquit. *Si voluerit extendere nubes: Extēdit Dominus nubes dū miniſtris ſuis viā prædicationis aperiens, eos in mūdi latitudine circūquaque diffundit*. Sed quæro, quæ incognita, vel imperuia poteſt eſſe regio ei qui vbique eſt, & omnia poteſt? miraculum eſſet, ſi quis in aperto campo Sole illuſtrante abſcondere ſe poſſet, ne eius radijs illuſtraretur.

3 Cogita tecum, quam magna Terrarum orbis pars, hucuſque mundo incognita fuerit, quæ noui orbis nomen ſortita, hactenus cognitas regiones magnitudine exæquat, ſi diuitijs antecellit. Hæc & Herculem deterruit, & Vliſſem abſorbuit, & Alexandrum propulſauit, & Romanos continuit. Nullus horum ſiue fortitudine inſignis, ſiue induſtria pollens, ſiue fortuna famoſus, ſiue virtute ſublimis in hanc occultam terrarum partem potuit penetrare: potuit nihilominus ingenium detegere quod vires non audebant, ſic Philoſophi nouum orbem eſſe, ac aliquando hominibus occurſurum docuere: inter quos Seneca, *in Medea. Chor. 2. pag 14.*

.... Venient annis
Sæcula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus; Typhiſque nouos
Detegat orbes. Nec ſit terris vltima Thule.

Optimè quidem Seneca ſeris annis has terras apparituras docet, nam in fine ſæculorum, vt in eas Euangelium deferretur, patuerunt. Nec alijs datum nouum hunc orbem detegere, quam Catholico Hiſpaniarum Monarchæ, vt ſimul cum mercibus, & armis vera fides ingrederetur: neque tantam aſſequutus eſt gloriam Princeps magnus, quod ſcecto ſuo maiorem totius mundi partem ſubiecerit, quam quod veræ fidei tot dederit filios, tot conſecrauerit Templa. Hoc in ſpiritu Propheta proſpiciens lætabundus canebat. *Pſal. 96. verſ. 1. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur Inſulæ multæ*. Exultet, exultet mexicana, Peruuiana terra, Iucundentur Indicæ Inſulæ, nam ex Hiſpaniarum verè catholicæ, & romanæ fidei Promptuario inſigni, Hinc Caſtellanis, inde Luſitanis egredientibus, & veram Chriſti Doctrinam prædicantibus, etiam in tam incognitis regionibus, etiam in tam remotis Inſulis, Dominus Ieſus regnauit. Quod D. Auguſtinus inſinuans, ait. *in Pſal. 96. to. 8 pag 433. col. 2. lit. A. Dominus regnauit iocundentur Inſulæ multæ: Quia Verbum Dei, non in ſola continenti Terra prædicatum eſt, ſed etiam in Inſulis conſtitutis in medio mari: & ipſæ plenæ ſunt Chriſtianis, plenæ ſunt ſeruis Dei: non enim ſeparat mare*

eum

eum, qui fecit mare. Quo naues poſſunt accedere verba Dei non poſſunt? impletæ ſunt Inſulæ. Non enim tantummodo Euangelizantium ſonus in omnem exijt terram, ſed eorum verba noſtro ſæculo, auſpicio meliori, vſque in fines terræ delata ſunt; vt inter montes gentium remotarum aquæ doctrinæ cæleſtis corda hominum irrigarent.

§. III.

Homo, vt in gratia Dei creſcat, illius ſe indigentem exiſtimet.

1 QVi *emittis Fontes. &c.* Creator omnipotens multas & varias proprietates in creatis rebus ponens, eas omnes ad hominis vtilitatem direxit. Neque ſolummodo eius corporalem vitam, nutritionemque reſpexit, verum etiam ad animi eruditionem voluit deſeruire. Hoc profectò clariſſimè patet in verſu præſenti, vbi ſub Fontis nomine gratiam ſancti ſpiritus, charitatemque adumbrauit. *Qui emittis fontes in conuallibus.* Vt ex ipſa fontium natura, proprietatem diuinæ gratiæ, eiuſque acquiſitionem inueniremus. Inter alias ſiquidem Fontium proprietates de quodam Ægiptio miraculis valde ſimilia enarrantur. Etenim ſi in ipſius aquam fax aliqua accenſa demergatur, ſtatim (quod & aliæ faciunt aquæ) extinguit; ſed ſi fax extincta in ipſam iaciatur, ſtatim accenditur. Hoc autem ad noſtram eruditionem totum fit, vt videlicet agnoſcamus, quod illi gratiam Dei recipiunt, igneq; ſancti ſpiritus accenduntur, qui ſunt extincti, id eſt qui per humilitatem ſe extinctos, ac ſine gratiæ luce ſe reputant, ac per conſequens gratiæ indigentes; e conuerſo autem, qui ſuperbiendo ſe luminoſos, & accenſos iactant, ac gratia Dei repletos, ipſi extinguuntur, charitatem amittunt: vt obſeruat Incognitus. *in Pſal.* 103. *Dicit Magiſter De Proprietatibus rerum cap. de Fonte: quod in Aegipto eſt quidam fons, in quod faces accenſæ extinguuntur, accenduntur extincta. Talis fons eſt gratia ſpiritus ſancti, quia qui eſt accenſus, id eſt qui ſe reputat luminoſum, & igne charitatis accenſum, per ſuperbiam, ſtatim extinguitur, quia in eo gratia ſpiritus ſancti amittitur; ſed ille, qui ſe reputat extinctum, ſcilicet humilis, accenditur, & inflammatur.*

2 Quicumque ergo in Dei gratia creſcere deſiderat, ſe illa vacuum, ac indigentem fateatur oportet. Multi namque cum aliqualem profectum in via Dei fecerint, ſtatim ſe perfectos exiſtimantes magiſtrorum directionem dedignantur, & cum cæci ſint, ſe videntes cum iudicent, Ductore deſpecto, in peccatorum foueam miſerabiliter cadunt: Hæc eſt in vita ſpirituali lapis offenſionis, & petra ſcandali, in quam non pauci homines naufragium fecere. Nonne ſtultum eſſe cæcum, & ſe videntem iactare? illuminari non poteſt, qui ſuam cæcitatem non confitetur. Nemo eſt qui neſciat Chriſtum Dominum ad illuminandum mundum veniſſe, qui ſe lucem mundi prædicabat, omnem hominē illuminantem: nihilominus tamen, nonniſi cæcos ſe illuminaturum promittit, videntes verò excæcaturum: *Ioan. c.9. verſ.39. In iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Neque putemus re vera eos Chriſtum excæcaſſe, qui videbant, ſed qui per ſuperbiam videre credebant, nec ſe Dei auxilio egere fatebantur; iſti enim tanquam diuina gratia indigni, in ſua cæcitate merito relinquuntur, dicit D. Auguſtinus. *in Pſal.96.to.8.pag.443.col.2.lit.B. Quid eſt qui vident cæci fiant? Qui ſibi videre videntur, qui ſe ſapientes putant, ipſi cæci fiant, ipſi non intelligant. Qui autem non vident videant: qui cæcitatem confitentur illuminari mereantur.* Merito extinguitur lampas quæ ſe iactat accenſam; ſpiritus ſancti ignem, qui ſe illius indigentem non credit, non meretur: lumen Dei non habet, qui ab illo ſuperbiendo recedit.

3 Duos homines, & vtrumque Dei ſeruum, in ſacris literis deprehendi; quorum alter cum ſe Diuitem iactaſſet, a Deo audiuit ſe eſſe pauperem; & inſuper cæcum, nam de ea gratia, quam non habebat, dum ſuperbiret, ſuam indigentiam, cæcus, non perſpiciebat: Ita in Apocalipſi Ioannes *cap.3. verſ.17. Quia dicis: quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus.* Laodicienſis Epiſcopus erat iſte, qui ſe perfectum credens, in virtutibus creſcere non ſatagebat: nam & ibidem ei dicitur, *nec frigidus es, nec calidus*, & ideo, *incipiam te euomere ex ore meo*: ſuam cæcitatem fateri dedignabatur, & ideo illi minatur Propheta gratiæ detrimentum: Alter vero, licet meritis, & virtutibus ditiſſimus eſſet, ante proprios oculos humilis, & pauper erat; & vt Deū ad miſericordiam perduceret, ſe egenum prædicabat: *Pſal.69.verſ.6. Egenus, & pauper ego ſum, Deus adiuua me*: quaſi diceret, inquit Gloſſa interl. *Non eſt quod in me laudetur: ex me egenus, & pauper, non diues, quia non ſuperbus.* Ille namque, qui Dei gratiam conſeruare, & augere deſiderat, ſemper illius indigentem, & vacuum ſe cognoſcere, & fateri debet: Quapropter Incognitus *in Pſalter in verſ.1143.pag.450.col.2.lit.A.* inquit. *Et ideo quia egenus ſum, & pauper Deus adiuua me: ſemper enim quiſque confiteri debet adiutorium ſibi opus eſſe.* Neque enim ſufficit homini ſe eſſe in gratia Dei, pœnitentia deleuiſſe peccata, Dei ſeruitio ſe mancipaſſe; ſed ſicut ad vitam naturalem ſeruandam quotidie cibo, & potu indigemus, ac propterea ſemper eſurimus, & ſitimus corporalem cibum, & potum: eodem prorſus modo, licet per pœnitentiam ad ſpiritualem vitam renati ſimus, debemus ſemper ſitire, & eſurire iuſtitiam, ſemper nos Dei adiutorio indigentes cognoſcere: hoc D. Auguſtinus docere Pſalmiſtam putat. *in Pſalm.69.tom.8.pag.305.col.1.lit C. Ego vero egenus, & pauper: Donata ſunt mihi peccata, iam cæpi ſequi Dei præcepta: adhuc tamen egenus, & pauper: Vnde egenus, & pauper? Quia Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: adhuc eſurio, adhuc ſitio, ſaturitas mea dilata eſt, non ablata.*

4 Quot repericbantur ex Iſraelitis, quibus Dominus prædicabat, infirmi, egentes, anguſtiati, & tamen horum multi beneficia Domini aſſequuti non fuere, quia ſe infirmos confiteri, aut videri detrectabant: ſed quam ſalutem, vltrò Domino offerente, ſuperbi fideles non curabant, infideles homines, etiam repugnante Ieſu, humiliter ſe egenos confitentes aſſequebantur. Recordare quæſo, lector, mulieris afflictiſſimæ, quæ chananea, & gentilis erat; hæc ſe Chriſti gratia egentem conſiderans, ipſum pro filiæ ſanitate deprecata eſt; verum recuſante Domino, nam dicebat: *Matth.cap.15. verſ.26. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus*: canis comparationem non exhorruit, ſed argumentum retorquens, & ſe canem confeſſa, probauit ſibi gratiam deberi: *verſ.27. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Quid ſuperbus Pariſeus reſpondiſſet, ſi ſe cani ſimilem audiuiſſet? Vtique contumelijs Dominum afficiens, ſalutem amplius non poſtulaſſet; nihilominus tamen, maior erat fides in hac gentili fœmina, quam in ſuperbo Iſraelita: quia ſe confeſſa eſt canem, panem ſalutis, & aquam gratiæ, promeruit: Hanc rationem reddit Origenes. *Hom.7. in diuerſ.to.2.pag.289.col.1.lit.B. Nunc autem quia intelligis Dei virtutem, & ſic te purè cognoſcis, vt dicas: etiam Catelli edunt de menſa dominorum ſuorum, laudo te: & ego dico tibi: O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis*: cuius ſententiam ſequutus D. Petrus Chriſologus, inquit. *ſer.21. pag. 265.col.2. Merito, quæ ſe canem confeſſa eſt in hominem commutatur: & iuſtè conuertuntur in canes, qui ſe filios eſſe noluerunt: merito adoptatur in filiam, honoratur, & leuatur in menſam, quæ ſe ſub menſa, laudabili, & prouida humilitate deiecit.* Sanitatem pro certo deſiderabat, gratiam cupiebat, quæ eius indigentiam propalabat: non meretur cibum vitæ, qui denegat eſurire.

5 Inter

Digitized by Google

5 Inter alias medicæ artis difficultates, non vltimum tenet locum morbi cognitio; ad morbi autem cognitionem maximè conducit ipſius Ægroti confeſſio; debet enim infirmitatē ſuā, omneſq; quas dedit cauſas fateri; niſi enim hoc vere, & clarè faſſus fuerit, non poterit rectè cognoſci morbus. Quod ſi quis cum magna detineatur ægritudine, ſe ſanum putet, & prædicet, nec ad eum accedit medicus, nec a ſuo morbo curabitur. Ita Anima quæ varijs peccatorum morbis ægrotat, ſi ſe fateatur ægram, diuinus Medicus ad eam curandam accedet, ac gratiarum ſuarum deferet medicamenta; ſuperbos vero, qui ſe valentes publicant, neque reſpiciet. Quærebantur Iudeorum magnates, ac Phariſei quod Chriſtus Dominus noſter cum publicanis, & peccatoribus epularetur: *Matth. cap.9. verſ.11. Quare cum publicanis, & peccaoribus manducat Magiſter veſter?* Cui ſtatim Ieſus reſpondit: *verſ.12. Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus;* & vt clarius ſe explicaret adiecit: *verſ. 13. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Ergo deſpiciendi ſunt iuſti? Ergo qui fideliter in Dei vinea laborantes diei portauerunt pondus, & æſtus, a præmio merito repulſi, tantum qui vna tantum hora laborauerunt, præmiabuntur? Quod eis æquentur in pretio, tranſeat, ſed non erunt omninò ſine pretio dimittendi. Sed aduertere oportet, non de omnibus iuſtis loqui Dominum, ſed de ſuperbis, qui ſeipſos iuſtos venditant; & de his rectè dicitur *Non eſt opus valentibus medicus: Non veni vocare iuſtos:* quaſi diceret: Cum ego Medicus ſim Animarum, & vos iuſti, & bene valentes ſitis, mea gratia non indigitis; & ad illos qui ſuas infirmitates fatēur me verto; vt ægros curo, vt peccatores mundo. Acutè Chriſologus. *ſer.29. pag.273.col.2. Non hic Dominus iuſtos reſpuit, ſed ſuperbos: & eos notat, qui cum non ſint, eſſe ſe iactant iuſtos:* Nam qui Morbum abſcondit Medicinam detrectat.

6 Nil difficilius in vita ſpirituali, quam humilatem inter ſpiritus profectus ſeruare: mirum namque non eſt peccatorem criminum malitia fædatum ſe gratia, auxilioque Dei indigentē exiſtimare, cum reuera eius gratia ſit deſtitutus; ſed illud difficile, cum quis virtutibus emicat, ſe tunc maximè indigentem cognoſcere. Hoc ex accurata ſui cognitione dependet. Chriſtus Dominus omnium virtutum exemplar, cum ad Ieroſolimorum Ciuitatem aſcenderet, & in eam Triumphantis more ingredi feſtinaret, ſuper Aſinam ſedit, vt adnotauit Matth. *cap.21. verſ.6. Sedens ſuper Aſinam:* Deficiebant fortaſſe Equi, & Quadrigæ Cælorum Imperatori? minimè id quidem; & inueniſſet equos, & equites ſi voluiſſet, ſicuti Aſinam, qui maris vndas calcabat, qui panes multiplicabat. Cur ergo Aſina contentus fuit? Vt nos doceret, quod quantacumque fuerit in homine virtus, & ſpiritualis profectus, ſemper ſe egenum, pauperem abiectum conſideret; ſuper Aſinum ſedeat, propriam fragilitatem aduertat; & dum in alienis oculis fulget, proprijs vileſcat, docet Ricchardus. *à S. Vict. de gem. Paſch. io.1. pag.377.col.2.lit. E. Nec nouum ſane, nec mirum de virtutibus gloriari, ſed illud magnum, atque mirandum inter ſumma quaque ornamenta virtutum Aſinum non dedignari; humilitatis, bono firmiter inhærere: vnum eundemque hominem, alijs omnibus mirabilem, ſoli ſibi contemptibilem apparere.* Iam vide quam egenus appaeet, qui ad Tantarum virtutum illuſtre Tropheum Aſino opus habet.

7 Iam §. 1. viſum eſt perfectionis ſtudium Iſraeliticæ ſcalæ ſimile fore; per quam tamen ſcalam ita aſcendere oportet, vt qui ſummum gradum ſe ſcandiſſe reputat, tamen ſe adhuc primo gradu indigere exiſtimet; adhuc gratia Dei vacuum metuat. Attende quomodo ſcala Iacobitica a ſpiritu ſancto deſcribatur *Gen.c.28.verſ.12. Viditq; Iacob ſcalam ſtantem ſuper terram; & cacumen illius tangens Cælum.* En quomodo aſcendere oportet, vt quantumcumque homo ad Deum aſcendat, quantumcumque in ſpiritus perfectionem creſcat, ſemper cognoſcat indigere ſe terra, in qua ſcala firmatur, ſemper aliquam habere admixtam imperfectionem ſentiat: niſi ſcala firmaretur in terra, ad Cælum non perueniret. Quis ſe igitur non egentem gratia poterit ſibi ſuaderi, cum etiam ſummus perfectionis gradus, Terra ad ſui fulchrum indigeat? Benè nouerat hoc D. Bernardus dum monebat, *ſerm.4. de mod. orand. pag. 400. lit.H. Sic nimirum conſeruanda humilitatis gratia, diuina ſolet pietas ordinare, vt quanto quis plus proficit, eo minus ſe reputet profeciſſe. Nam & vſque ad ſupremum gradum exercitij ſpiritualis, ſi quis eo vſque peruenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, vt ſibi primum videatur adeptus.* Nam & hæc maxima eſt Dei miſericordia ad gratiam Dei conſeruandam, vt homo quanto in meliori eſt contemplationis ſtatu, tanto ſe magis egere ſuadeat.

8 Caſtrum quodcumque licet fortiſſimum, apud veteres viliſſimis etiam rebus egebat: nam cum Arietum, ac Catapultarum impetu, & ictibus mænia quaſſarentur, tanta machinarum violentia paleis frangebatur: Cuſtodes enim murorum ſaccos paleis plenos obiciebant, vbi machinarum ictus dirigebantur, ſicq; earum fractus impetus, mænia aut nil, aut parum lædebat, Animæ Chriſtianæ Caſtrum ab inimicis infernalibus continuò impugnatur. Vt ergo impetus eius paruipendatur, ſaccus paleis plenus, ideſt humilitas opponi debet, propriæ indigentiæ cognitio. Hoc optimè noſcens, ſemper obſeruabat mitiſſimus Dauid, cui cum Saul filiam ſuam in vxorem ſpondiſſet, ſtatim ignobilitatem ſuam obiecit. 1. *Regum capitulo 18. verſiculo 18. Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio Patris mei in Iſrael, vt fiam gener Regis?* Quis ita hodie tam humiliſmò ſenſatus reperitur, qui ſe Regi parem non iactaret? Cum tantus Dux indignum ſe generum Regis fatebatur, nos erudiebat, vt contra ſuperbiam, cæteroſque Animæ hoſtes tutamen haberemus, nam ſi ſaccus paleis plenus arietum vim infringit, vt notat D. Iſidorus Hiſpal. *lib.18. orig. c. 11. pag.158. col.1. lit. A. Contra impulſum Arietis remedium eſt ſaccus paleis plenus.* Sic humilis homo, & qui ſe omni gratia indignum agnoſcit nulla hoſtium violentia turbari poterit. Benè ſe muniebat Dauid cum ſuam cognoſceret indigentiam, inquit D. Ioan: Chriſoſtomus. *Homil. 5. de Dauid.tom.1 col.158.lit.A. Ecce quanta eſt humilitas, quam dulcis, quam radicata, quæ nulla tempeſtate mouetur; quia non habet vnde cadat, Humilis homo omnibus ſubditus eſt.* Vt ergo cæleſtem irrigationem, ac gratiarum fontes mereamur, nos tanquam valles humiles egentes fateamur.

§. IV.

Diuitiarum cupiditas Doctrinam corrumpit.

1 QVi emittis fontes, &c. Quis crederet portentoſam metallorum malignitatem? vbi ſunt eorum mineræ, ſic vitiantur fontes, vt eorum aqua peſſima ſit: multa ex illis, ſed pernicioſa fluit aqua. Parum erat aurum, argentumque mores hominum corrupiſſe, niſi etiam vitiaſſet aquam. Aqua Doctrina eſt, fontes humana corda, e quibus iſta proditur aqua: quod ſi humano in pectore metalla fodiuntur, Auri, aut argenti amor includitur, ſordeſcit aqua, doctrina vitiatur. En ergo cur in mundo tot peruerſæ diffunduntur doctrinæ, quia auri eſecranda fames eam commaculat. Teſtis eſt Incognitus in Pſal.103. *Qui emittis fontes in conuallibus: ſicut dicit Auicenna 1. Canon. Aquæ vbi miſcetur ſubſtantia metallina omnes malæ: & ſicut dicit Vitruuius, vbi Aurum, Argentum, & metalla fodiuntur; ſicut in mineris iſtorum fontes inueniuntur copioſi, ſed maximè vitioſi, ſic & doctrina, quæ de corde procedit diuitijs dedito, licet quandoque poſſit eſſe copioſa, ſemper tamen eſt vitioſa.*

2 Inter omnes doctrinas, quæ ad erudiendum mundum diffuſæ ſunt, Euangelica præſtantiſſima eſt, quippe

Digitized by Google

pe quæ ſola ad beatam vitam conducant; quod Philoſophi deſiderauerunt quidem, ſed minimè aſſequuti fuerunt. Huius ſapientiæ Magiſtri Apoſtoli extitere. Illud tamen in his cæleſtis diſciplinæ Doctoribus mirari non deſino, quod eorum Principes Petrus, & Paulus, magna vi, ſe a cupiditate rerum temporalium alienos eſſe gentes credere voluerunt. Quare Petrus antequam ex occaſione ſanitatis Claudi prædicaret, dixit, & proteſtatus eſt: *Actor. cap. 3. verſ. 6. Argentum, & aurum non eſt mihi*: Itidemque Paulus a Mileto diſcedens, nec amplius eos viſurum ſe ſciens, vt doctrinam, quam prædicauerat, veram, & ſinceram oſtenderet, publicè de ſe conclamauit: *cap. 20. v. 33. Argentum, aut aurum, aut veſtem nullius concupiui*. Ad quid ergo tanta, & tam diſtricta cupiditatis abnegatio? Vt videlicet eorum doctrinam ſanam, & puriſſimam oſtenderent, ac ab omni vitio alienam: nam ſicut auri, argentique mineræ aquam vitiant, ita eorum metallorum cupiditas, quæ auaritia eſt, doctrinam corrumpit. Erant ergo Apoſtoli fontes, non minerales, ſed puri, de quibus promiſerat Dominus per Prophetam Ezechiel. *cap. 32. verſ. 14. Tunc puriſſimas reddam aquas eorum*: puras ergo, ſine dolo, ſine fallacia, quia auara cupiditate carebant. Ita cenſet Incognitus, *in Pſal. 103. Sic erant iſti fontes Apoſtolorum liberi ab omni infectione peccati mortalis. Ezech. 32. Tunc puriſſimas reddam aquas eorum: imò, vt puriores eſſent aquæ fluentes ab ipſis, omnes ſordes rerum temporalium abiecerunt. Vnde Petrus: Argentum & aurum non eſt mihi: Hæc enim temporalia iſtam aquam vitiant*. Bibant ergo populi, omni dubitatione poſtpoſita, ex hac aqua apoſtolica, quæ cum puriſſima ſit, nutrit, & delectat.

3 Si huiuſmodi omnes noſtræ doctrinæ fuiſſent, Pacē & Iuſtitiam amplexatas ad inuicem videremus; nam eorum doctrina, nulla macula deturpata, ſuum vnicuiq; reddens, pacem firmaret. Verum enim vero Pax quæritur, quia Iuſtitia detorquetur; auaritia illam deturpans, dum doctrinam, quæ ad veritatem firmandam adhibenda foret, ad tuendum mendacium retorquetur. Quid enim Iudex auarus, Aduocatus cupidus faciunt, niſi pro falſitate pallianda ingenium fatigare, & vitiatam doctrinam pro pura proponere? O quot mala ex iſtis vitioſis fontibus mundo aduenerunt. Hæc ſapientia vult videri, ſed inſipientia eſt, vt ex ſapiente didicimus. *Eccl. cap. 21. verſ. 15. Non eruditur qui non eſt ſapiens in bono: eſt autem inſipientia, quæ abundat in malo*: Rectè autem id dicitur; ſapientia enim mundana, auri cupiditate maculata, in inſipientiam vertitur. Nonne inſipientia eſt falſum pro vero oſtendere, malum commendare pro bono, iniuſtum iuſtum clamare? Optimè Lyranus. *Non eruditur qui non eſt ſapiens in bono: de qua ſapientia ſubditur: eſt autem inſipientia quæ abundat in malo. Quæ magis propriè aſtutia ſerpentina dicitur, quæ media reperit ad malam concluſionem, qualis eſt ſapientia Iudicum, & Aduocatorum iniquorum*. Nam ſi ſemel Miniſtrorum Iuſtitiæ auaritia poſſederit Cor, tota eorum ſapientia in opprimenda iuſtitia dirigitur, ſicque fit, vt aqua, quæ vitam legibus dare debuerat, mortem afferat vitiata.

4 Doctrina Euangelica, quam Paulus prædicabat, purior eſſe non poterat: quę a limpidiſſimo Chriſti fonte manabat. Hæc tamen vbi in corda Diuitum auarorum impegit, vitioſa reddita eſt; nam cum diſcipuli doctrinam, quam ab eo hauſerant, in Dei obſequio, hominumque ſalute impendere debuiſſent, ex ipſa occaſionem ſumebant calumniandi ipſum fidei ſuæ Magiſtrum, dicentes: *2. Cor. cap. 10. verſ. 10. Epiſtolæ quidem, inquiunt, graues ſunt, & fortes; præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis*. Quinam autem iſti erant, qui in Magiſtrum, quem obſequi debuerant, maledicta proferebant? Diuites vtique; nam & de Paulo tunc verificabatur illud Patientiſſimi Iob. *cap. 12. verſ. 5. Lampas contempta apud cogitationes diuitum*. Talis Paulus erat, dum a Diuitibus, quos erudierat, contemnebatur. Clarè id docet Romanus Gregorius *lib. 10. cap. 17. mor. to. 2. pag. 561. lit. D. Quid igitur Paulus niſi lampas contempta apud cogitationes diuitum fuit, quia vnde magiſterium humilitatis exhibuit inde a rudibus diſcipulis ſuperbiæ contumelias recepit? Horrendo. n. modo lāguor ſuperbientiū, vnde detumeſcere debuit, excreuit, dū mens elata carnaliū hoc quaſi dedignabile repulit, quod Magiſter imitabile oſtendit*. Quid enim aliud vena metallica facere potuiſſet, quid temporalium rerum auara cupiditas, niſi aquam deturpare, vitiare doctrinam? Aqua Chriſti puriſſima, ab Apoſtolo clarè manans, in cor auarum inuecta pernicioſa extitit. Vitare ergo debemus vanam temporalium rerum cupidinem, quæ aquam ſalutis vitiat: Cor ab omni auaritiæ ſuſpicione purgemus, vt diuinam aquam puram ſeruantes, ab ipſa vitam recipiamus æternam.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Decimus.

Qui emiſit omnes gratiarum fontes in animam Mariæ, vt eſſet vndequaque gratia plena.

A Peccati originalis abyſſo Terrā Deiparam ſeparatam iam vidimus, ne quæ eternæ ſatietatis panem fructificatura erat, ab amari, ſalſiſque Oceani peccaminoſi aquis infecta, ſterilis redderetur. Quia vero ab aquis ſeparata nimis arida terra eſt, nec ad fæcunditatem idonea, varijs fontibus, ac fluminibus irrigari debuerat. En terram Deiparam, ab omni culpæ amarore liberam, ſed tamen Spiritus ſancti aqua vndequaque repletam; Fontis, & aquæ nomine in ſacris literis Spiritus ſanctus accipitur, iſta aqua huius cœleſtis Fontis ſic repleta fuit Maria, vt propterea Spiritus ſancti habitaculum meruerit nuncupari. Hoc Angelus patefecit cum diceret: *Luc. c. 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*. Quaſi diceret; in nulla creatura ita re-

peritur

Digitized by Google

peritur Diuinus ſpiritus, vt omnes gratiarum fontes diffundat, omnes gratia plenæ ſunt; in te autem omnis gratiarum fons eſt effuſus, tu inter plenas gratia pleniſſima inueniris: tuum priuilegium eſt, cæteris inconceſſum. Hoc ex D. Hieronymo ita comprobat Seraphicus Doctor *in ſpecul. Virg. lect. 6. to.6. pag. 460. col. 2. lit. C. Secundum Mariæ Priuilegium eſt, quod ipſa ſuper omnes homines fuit gratia pleniſſima. Vnde Hieronymus. Cæteris per partes præſtatur, Mariæ verò ſe tota infudit plenitudo Gratiæ.* Vt ex hoc innoteſceret mundo omnes gratiarum diuinarum fontes ad Mariam irrigandam acceſſiſſe.

Maria Virgo fuit vndequaque gratia plena.

1 QVi emiſit omnes gratiarũ fontes, &c.* Paradiſum cum plantaret in principio Deus, Fonte ditauit, ex quo quatuor flumina ad vniuerſam terram rigandam naſcebantur: & quid aliud flumina a deliciarum Paradiſo manantia niſi fæcunditatem adducerent? Tota ad huius aquæ contactum florebat terra, & variis germinibus exornata fulgebat: hinc lilia candorem, hinc roſæ fragrantiam oſtentabant: fructus ſuaui ſapore alibi guſtum incitabant. Paradiſus Maria eſt; ex qua Fons gratiarum exoriens, totam reſpexit, ac fæcundauit: en in Maria Lilium Virginitatis, viola humilitatis, Roſa ſanctitatis, Narciſus pulchritudinis, fructus honoris, & honeſtatis; & hoc inde prouenicbat, quia aqua irrigante gratiæ, Spiritus ſancti cumulata fauoribus, fæcundabatur. De ea igitur myſticè dictum fuit: Geneſ. *capit. 2. verſic. 6. Fons aſcendebat de terra irrigans omnem ſuperficiem terræ.* Ideſt Fons ille cœleſtis gratiarum omnium origo, ſpiritus ille ſanctitate celebris, operatione diuinus, miſericordia notus: inſpiratione propitius, amore flagrans, qui omnia largitur dona, omnes fouet virtutes, omnem gratiam vehit; qui ſolatur dolentes, roborat debiles, ſanat infirmos, illuminat cæcos, inflammat tepidos: qui animam replet, mentem impinguat, cor ſatiat; ipſe Terram, ideſt Mariam, Dei matrem, ſanctitatis ſpeculum, virtutum exemplar, puritatis typum, ita irrigauit gratia, vt nulla eius pars ſine eius irrigatione reperiatur. Ita docet Diuus Auguſtinus *ap. Breu. ord. min. 7. die infra Octau. Concept. Facies terræ ideſt dignitas terræ, Mater Domini Virgo Maria rectiſſimè accipitur, quam irrigauit Spiritus ſanctus, qui Fontis, & aquæ nomine in Euangelio ſignificatur.* Cum igitur Mariæ vniuerſam Animam Spiritus ſancti repleuit gratia, vniuerſa Terræ ſuperficies fuit irrigata.

2 Hoc ipſum ex angelicis verbis colligit D. Hieronymus: nam Mariam appellat Angelus gratia plenam: *Aue gratia plena: Luc. cap. 1.* Porrò eam, quæ omnium Creatorem, Cælorum gloriam, Terrarum lætitiam, Angelorum gaudium mortuorum vitam, errantium ſalutem parturire debebat, nequaquam communi cum cæteris gratia irriganda erat; ſed plenitudinem omnium gratiarum habere debebat. Hæc enim illa eſt terra, quæ fructum edidit glorioſum, mundi totius ornamentum; quæ Cælis ſplendorem, terris pacem, vitijs finem dedit; ita D. Hieron. *ap. Breu. ordin. min. in feſto Concept. Talibus namque decebat Virginem oppignorari muneribus, vt eſſet gratia plena, quæ dedit Cælis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, finem vitijs, vitæ ordinem moribus diſciplinam.* Quapropter Angelus nequaquam dixit; *Spiritus ſanctus veniet in te,* ſed *ſuperueniet in te*; vt ex hoc intelligeretur, ait D. Amedeus, longè maiorem Mariæ gratiam eſſe, quã

Ian. de Mata.

aliorum ſanctorum; quia licet ſancti aliquantulum gratia pleni dicantur, ipſa eſt ſuperplena, ideſt ſuper omnes ſanctos, gratiarum aquis eſt ditata. *D. Amedeus Lauſanenſ. Hom. 3. de B. M. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: In alios ſanctos venit, in alios venit, ſed in te ſuperueniet, quia præ omnibus, & ſuper omnes elegit te, vt ſuperes vniuerſos, qui ante te fuere, vel poſt te futuri ſunt plenitudine gratiæ.* His verò addere licet etiam Saraphici Patris mei Franciſci ſententiam; qui Virginem ſalutans, ait: *Aue Domina ſancta, in qua eſt, & fuit omnis plenitudo gratiæ.* Vndequaque ergo diuina gratia repletam Virginem veneramur; Terram namque Deiparam, fructum ferens æternitatis, totius fontis Diuinitatis cordis exſaturari decebat: non æquanda erat reliquis in irrigatione, quæ ex ipſo ſuo exortu puriſſima agnoſcebatur.

3 Regius Vates eius ſanctiſſimæ Nepotis gratiam agnoſcens, eamque ſub nomine Dei Ciuitatis collaudans, de eius gratia vaticinatus eſt, dicens: *Pſalm. 45. verſ. 4. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Ea inter flumen impetuoſum, & Fontem differentia eſt, vt Fons ferat quidem aquam, ſed ita quantitate modicam, curſu tenuem, virtute leuem, vt facili negotio, vel curſum variet, vel aquam perdat. At contra fluuius, præſertim qui cum impetu fluat, ita abundat aquis, vt perenni, & minimè interrupto curſu fluat. Deus igitur cum alios ſanctificaret homines, & Angelos gratiam eis dedit, ſed gratia fuit fontana, quæ ſcilicet parum haberet virtutis, & faciliter poſſet amitti, vt & Angeli nonnulli perdiderunt, & homines in dies amittunt; at cum ſanctificaret Mariam Fluuium gratiarum pleniſſimum miſit, qui numquam deficeret, qui vndequaque repleret, qui ſupra omnes exaltaret: fatetur hoc D. Vincentius Ferrerius *ſer. 1. de Nat. Virg. Mar. pag. 239. col. 2. Fluminis Impetus lætificat Ciuitatem Dei: In ſanctificatione aliorum ſanctorum datur, vna gutta gratiæ, at in Maria fluminis impetus.* Sicut namque fluuius omnes fontium, riuulorum, pluuiarum, colligit aquas, & inſuper quæcumque ſibi obuia ſunt ſecum ad Mare fæcundandum aſportat: ita gratiarum flumen, quod Mariam ſanctificare debebat, omnes gratias, omnes prærogatiuas Sanctorum collegit, vt in vna Maria fulgeret Virginum caſtitas, Confeſſorum integritas, Martyrum victoria, Doctorum laurea, Apoſtolorum meritum, Prophetarum viſio, Patriarcharum excellentia, Angelorum gloria, Diuinitatis Imago. *O Diuina gratia pleniſſima*; vt cum D. Ioſepho hymnographo loquar *fer. 3. ad Matut. 10. pag. 257* Verè in te gratiarum fluuius effuſus eſt, vt te ſuper omnes Deo gratiſſimam veneraremur.

4 Inter omnia Cæli ſydera, vetus fuit Aſtronomorum aſſertio, nullum eſſe luminoſum ex proprio lumine: ſed a Sole lumen accipere, quod de non paucis ita eſſe experientia docemur. Sol ergo fons omnis luminis dicitur, quia nec ipſe ab alijs accipit, & inſuper alijs impartitur. Sancti ergo, & Angeli Stellæ ſunt, in empyreo firmamento fulgentes, hi ſunt qui Eccleſiaſticam terram illuminant; de quibus ſapiens: *ſpecies C.-*

*li gloria Stellarum ; Eccl. cap.43 verſ.*10. & Gloſſ.ord. *Omnis Eccleſiæ Sanctorum plenitudo , quos Deus excelſus ordinauit , vt prædicatione Euangelij illuſtrarent* . Sol porrò Deus eſt, qui ad has ſtellas ſanctorum illuminandas gratiarum ſuarum radios mittit . Attamen ad illuminandam Virginem deiparam , radij non ſufficiebant , ipſe requirebatur Sol, vt non ex vna tantum illuminaretur parte , vt Luna , & aliæ ſtellæ , ſed toto ipſo fulgentiſſimo Sole plena rutilaret. Ita eam aſpexit aquilino intuitu Ioannes (nam Solem intueri Aquilarum eſt) & nobis teſtatus eſt : Apocalip. *c. 12. v.1. Signum magnum apparuit in Cælo , Mulier amicta Sole* . Stellę ſint aliæ gratiarum radiis illuminati , Maria ipſo veſtitur Sole , non participat gratiam ſed totam habet , inquit D Bernardus *ſer. de B.Virg. in ſig. mag. pag.263.lit.I. Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ penetrauit abyſſum, vltra quam credi valeat : vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur , luci illi inacceſſibili videatur immerſa . Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur , illo igne Seraphim accenduntur . Longe verò aliter Maria meruit , non velut ſummatim tangi , ſed operiri magis , & circumfundi , & tanquam ipſo igne concludi*. Quid mirum ſi gratia ſit vndequaque plena , quæ gratiarum Solem veſtit , & in eius lumen immerſa ad ipſius inſtar ſplendidiſſimè fulget ?

5 Cæleſtis Sponſus, vt ſuæ ſponſę gratiam commendaret, oculos eius columbarũ oculis comparat : *Cantic. cap.1. verſ.14. Oculi tui columbarum* . Quare autem, vt pulchritudinem Mariæ oſtenderet, columbinorum oculorum ſimilitudine vtitur ? Vt hoc capiatur , aliquantulum vlterius progrediendum eſt ; Sponſa itidem ſponſi pulchritudinem laudans Columbæ oculos ſpõſo tribuit , addit tamen cauſam : *cap.5.verſ.12. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum , quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima* . Hoc autem in diuino ſponſo Chriſto Domino denotat plenitudinem gratiarum , quæ in eo reſidere tunc apparuit , cum in Iordane baptizaretur ; tunc namque Spiritus ſanctus ſuper eum in columbæ ſpecie viſus eſt, ad plenitudinem gratiarum eius teſtandam : & per oculos ſignificatur , nam & ſeptem oculi in vno lapide a Zaccaria viſi , ſunt ſeptem dona ſpiritus diuini in angulari lapide Chriſto Ieſu collocata . Ad Prophetæ intellectum Salomonis dictum applicat Ghislerius. *Sicut Columbæ: plures eos dicit , ob eandem rationem , quum vnum Spiritum ſanctum , ob plura munera , plures dicit & oculos : ſicut columbæ vero ſuper riuulos aquarum: quia tunc potiſſimum in illo manifeſtatum , ideſt oculorum , ac Spiritus ſancti decus , cum ad Iordanem ſuper ipſum aquarum riuulis baptizatum , ſub columbæ ſpecie deſcendiſſe viſa eſt omnis plenitudo eiuſdem Spiritus ſancti* . Hæc erat ergo oculorum ſpõſi columbæ ſimilium pulchritudo , ſpiritu ſancti gratiarum omnimoda plenitudo ; quam pulchritudinem, vt oſtenderet ſponſus Chriſtus, etiam in ſponſa Maria reperiri ; de ea dicit : *ecce tu pulchra es amica mea , oculi tui columbarum* : Quaſi diceret (vt exponit Rupertus) ſi ego columbinos oculos habeo, quia plenitudo gratiæ in me eſt , Tu etiam habes gratiam , quia & meos habes oculos . *Adhuc addo iſtud pulcherrimum : oculi tui columbarum : Quinam ſunt oculi columbarum , niſi dona ſeptem gratiarum , ideſt ſeptem ſpirituum ſuper me requieſcentium? Septem namq; oculi , qui ſecundum Zachariam Prophetam, in vno lapide ſunt , ſeptem ſunt ſpiritus Dei qui iuxta Eſaiam Prophetam , ſuper florem requieſcunt . Iſti oculi mei ſunt oculi tui , oculi columbarum , oculi omnium gratiarum , omnium quippe gratiarum, ſiue ſpirituum effecta es particeps ex quo me caſtis viſceribus ſuſcepiſti , ſuper quem requieuit, & in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter Rup. Abb. Tuitien.lib.1.in cap.1.Cant.to. 1.pag.1676.col.2.* Sic Virgo vndequaque gratia plena refulget.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

QVia verbum נחל poteſt ſignificare flumen , & etiam torrentem , & etiam aliquando ſumitur pro valle; ſicuti accepit in hoc verſu , dicens vulgata editio: *Qui emittis fontes in conuallibus :* ideo exponendæ erunt allegoriæ fluminum , & vallium ; quibus accedent acceptiones ſymbolicæ Fontium , & Mediorum ; nam hæc ſunt nomina , quæ in hoc verſu varias allegoricas acceptiones habere poſſunt . Neque enim tam accurata, & diſtintio horum omnium facta fuiſſet , niſi ad erudiendam Eccleſiam deſeruirent .

SVMMARIVM.

1 *De Fontium varia acceptione , & figuris .*
2 *De Fluminum , ſeu Torrentium ſignificationibus.*
3 *De Vallium multiplici allegoria .*
4 *Ad quæ ſignificanda Medium vſurpetur .*

§. I.

De Fontium varia acceptione & Figuris .

1 QVi emittit fontes , &c. Fons eſt perennis aquarum ſcaturigo: Et primò ſumitur ad ſignificandam Sanctiſſimam Trinitatem : nam vbi Prouerb. *c.5. verſ.*15. dicitur . *Bibe fluenta putei tui* : legit Origenes. *Hom.12.in lib.Num.tom.1 pag.135.col.1. lit.B. Bibe de puteorum tuorum fonte* : & addit : *In prouerbiis dicit ſapientia: Bibe de puteorũ tuorum fonte: Videamus ergo quorum puteorũ vnum dixerit fontem* ; & poſt nonnulla concludit . *Eſt ergo hæc trium diſtinctio perſonarum in Patre , Filio , & Spiritu ſancto , quæ ad pluralem puteorum numerum reuocatur . Sed horum puteorum vnus eſt fons , vna enim ſubſtantia eſt , & natura Trinitatis .*

2 Fons dicitur Chriſtus, qui figuratur ſub nomine Fontis Solis . Ioſue *cap.15.verſ.7. Tranſibit aquas , quæ vocantur Fons Solis* . Vbi idem Origenes *Homil.19. in Ioſ. tom.1.pag.201.lit.A.col.1. Qui autem eſt Fons Solis , vel ciuitas Solis ? illius ſine dubio , de quo ſcriptum eſt : Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iuſtitiæ* .

3 Fons eſt Spiritus ſanctus; de quo dicitur: *Gen. c.2. v.6 Fons aſcendebat de terra irrigans omnem ſuperficiem terræ* . Vbi D. Auguſt. *Facies terræ ideſt dignitas*

terræ ,

Digitized by Google

terra, mater Domini Virgo Maria rectiſſime accipitur; quam irrigauit Spiritus ſanctus, qui fontis & aquæ nomine in Euangelio ſignificatur lib. de Geneſ. cont. manich. lib. 2. circ. fin. pag. 279. lit. M.

4 Fons, quia perenniter fluit, æternitatem ſignat: ſic habetur in prouerbijs. *cap. 6. verſ. 11. Si vero impiger fueris veniet vt fons meſſis tua*: nam cum loquatur de præmio bonorum operum, eis æternã gloriam promittit: vnde Gloſſa ordin. *At qui impiger fuerit pro cæleſtibus laborare diuitijs vt meſſis, vt fons adueniet, quia mercedem laborum indeficientem accipiet.*

5 Fons eſt eruditio interna, & notatur in illo fonte, qui in initio mundi de terra oriebatur: *Gen. cap. 2. v. 6. Fons autem aſcendebat de terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* Ita exponit D. Aug. *lib 2. de Gen. cōtra Manich. tom. 1. pag. 355. col. 1. lit. C. Ante peccatum vero, cum viride agri, & pabulum feciſſet Deus, quo nomine inuiſibilem creaturam ſignificari diximus, irrigabat eam fonte interiori, loquens in intellectu eius: vt non extrinſecus verba exciperet, tanquam ex ſupradictis nubibus pluuiam, ſed fonte ſuo; hoc eſt de intimis ſuis manante veritate, ſatiaretur.*

6 Fons ſignificat Ciuitatem cœleſtem, cum dicitur: *Pſal. 41. v. 1. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum*: Vbi Lyranus. *Moraliter poteſt exponi de omni deuoto fideli, qui conſiderans hanc vitam eſſe captiuitatem, ſuſpirat ad ciuitatem cæleſtem; & ſic dicit: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum.*

7 Fons ſignificat Baptiſmum, per quem a ſordibus peccati originalis lauamur; de quo Fonte ſcriptum fuit. Zaccar. *cap. 13. ver. 1. In illa die erit fons patens domus Dauid.* Et ibi Rupertus Abb. *in Zacc. tom. 1. pag. 1052. col. 2. Quis iſte fons patens domus Dauid, niſi Baptiſmi Sacramentum, quod emanauit de latere filij Dauid, patefacto lancea militis?*

8 Fons vitam deſignat; & ſic conteri hydriam ſuper fontem, vel rotam confringi ſuper ciſternam, vitam perdere ſignificant: ſic Eccleſiaſtes *cap. 12. verſ. 6. Antequam conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam*: ideſt ante vitæ terminum. *Porro duo quæ ſequuntur*, inquit D. Hieronymus; *in Eccl. to. 5. pag. 46. lit. E. contritio hydriæ ſuper fontem, & confractio rotæ ſuper ciſternam, per metaphoram mortis ænigmata ſunt.*

9 Fontes exeuntes de maxilla aſini ad extinguendam ſitim Samſonis, ſignant miracula martyrum poſt eorum mortem. *Iudic. cap. 15. verſ. 19. Aperuitque Dominus molarem dentem in maxilla Aſini, & egreſſæ ſunt aquæ.* Vbi Gloſſ. interl. *Quia poſtquam mortua ſunt Prædicatorum corpora, magna manauere miracula*, & ſequitur textus. *Idcirco vocatum eſt nomen loci illius, Fons inuocantis de maxilla.*

10 Fontes ſunt hæreticorum dogmata, quæ a prædicatoribus veritatis ſiccantur: Ita in Oſee dicitur. *c. 13. verſ. 15. Adducet vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius.* Et D. Hieronymus *in Oſee. tom. 5. pag. 103 lit. D. Itaque ſermo Eccleſiaſticus vrens intelligendus eſt ventus, qui omnia hæreticorum dogmata areſaciat, & perducat ad nihilum.*

11 Fontes Abyſſi ſunt Dæmones, qui rupto abyſſo, ideſt permittente Deo ad humanam terram perdendam erumpunt: in huius myſterium dicitur: *Gen. cap. 7. verſ. 11. Ruptique ſunt fontes Abyſſi magnæ*: Vbi Abbas Lauretus *in ſylu. Alleg. verb. Fons. Fontes abyſſi magnæ rupti in diluuio deſignant Dæmones, qui rumpuntur, vt perdant terram, quando ad libitum in homines graſſantur permittente Deo.*

§. II.

De Fluminum, ſeu torrentium ſignificationibus.

1 E*Mittens fontes in fluuijs*: Fluuius, ſeu Flumen, eſt perennis aquarum curſus: & primò ſumitur pro Spiritu ſancto: vt ſignatur in Apocalipſi, in fluuio, qui procedebat a ſede Dei, & Agni, nã Spiritus ſanctus procedit a Patre, & filio. *cap. 22. v. 1. Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam criſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni.* & Rup. Abbas Tuitienſis *in Ioel. cap. 3. to. 1. pag. 837. col. 1. Et oſtendit mihi flumen aquæ viuæ lympidum tanquam cryſtallum &c. Breuiter hic eſt dicendum, quod fons ille ſiue flumen Spiritus ſanctus eſt.*

2 Flumina in plurali numero ſignificant dona eiuſdem Spiritus ſancti, vt colligitur, ex Ioanne *cap. 7. v. 38. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: & idem Rupertus *lib. 7. in Ioan. pag. 223. col. 2. Et ſingulari quidem numero cum dicitur Flumen ipſa ſubſtantia, ſeu perſona ſancti ſpiritus intelligitur. Plurali autem numero flumina cum dicuntur, vt hic: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: donorum ipſius diſtributiones aptè ſignificantur.*

3 Fluuius de Paradiſo terreſtri egrediens eſt doctrina Euangelica: *Gen. cap. 2. v. 10. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis*: vbi idem Rupertus *lib. 1. de op. ſp. ſanct. cap. 18. to. 1. pag. 648. col. 1. Fluuius, qui nobis de iſto Paradiſo egreditur Euangelica doctrina eſt.*

4 Flumen deſignat Sacramentum Baptiſmi; in cuius myſterium dicit Pſalmus 65. *verſic. 5. In Flumine pertranſibunt pede*: Et D. Hieronymus *in Pſal. 65. tom. 7. pag. 105. lit. D. Sicut tunc hæ aquæ ipſo Duce diuiſæ, populo viam in terram promiſſionis aperuerunt: ita nunc nos, ſi baptiſmum non polluamus, per ipſum abluti, præeunte eo, in quo renati ſumus, in regionem viuorum ingredimur.*

5 Flumina, quæ a Mari exeunt, & ad mare redeunt, ſignificant homines de terra factos, & ad eamdem redeuntes: Eccl. *cap. 1. v. 7. Ad locum vnde redeunt flumina reuertuntur*; *Hebræi*, ait D. Hieronymus *in Eccl. tom. 5 pag. 5. lit. B. ſub torrentium, & Maris nomine, per metaphoram de hominibus ſignificari arbitrantur, quod in terram, de qua ſumpti ſunt redeant.*

6 Eodem haud abſimili ſenſu Flumen præſentem vitam ſignificat; nam ſicut in flumine, pereunti aquæ alia ſuccedit; ita in hac vita; quibuſdam intereuntibus noua ſuccedunt. De quibus Pſalmus 136. verſ. 1: *Super Flumina Babilonis illic ſedimus, & fleuimus*: Vbi citatus Doctor *in Pſal. 136. pag. 228. lit. E. Sicut flumen tranſit, & aquæ ſuccedentes ſibi venientes, & recedentes pereunt, & aliæ oriuntur iterum, & ipſæ pereunt; ita & in hoc mundo, quo ad momentum, vel aliquod tempus, aut ditamur, aut fortes ſumus, aut pulchri ſumus; & poſt modicum tranſit ſicut aqua & perit.*

7 Flumina ſunt Euangeliſtæ deijcientes domum Diaboli: vt figuratur in Mattheo c. 7. v. 26. *ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam; & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum, & cecidit*: Quod ſic exponit Conſtantinopolitanus Antiſtes. *Aduerſus domum, quam ædificauerat ſtultus ſibi ſuper arenam; ideſt aduerſus Gentiles, & omnes impios, qui ſunt Diaboli domus, deſcendit pluuia, ideſt veritatis doctrina: deſcenderunt venti, ideſt gratiæ ſpirituales: venerunt flumina, ideſt quatuor Euangeliſtæ, & impegerunt in domum illam; & ſic cecidit domus Diaboli.* D. Ioannes Chriſoſtomus *Hom. 20. in Matth. to. 2. col 700. lit. C.*

8 Flumina ſunt Philoſophi de ſua ſcientia præſumentes, qui contra hominem fidelem inſurgunt: vt loc. cit. figuratur; dicente Domino. *verſicul. 25. Aſſimilabi-*

Digitized by Google

tur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Et ibidem Chriſoſtomus. *Venerunt flumina: Flumina autem ſunt ex parte mala homines immundo ſpiritu pleni, & in verboſitate verſati; vt ſunt Philoſophi dogmatum diuerſorum, cæterique non ſecundum Deum ſapientes.*

9 Flumen eſt peccator, quem cum abſorbuerit Diabolus parum curat: ſic Iob. *cap.*40 *verſ.*18. *Abſorbebit fluuium, & non mirabitur.* Vbi D. Gregorius: *lib.*33. *cap.* 6. *moral. pag.* 1066. *lit. A.* Diabolus *abſorbebit flumen, & non mirabitur; quia pro magno non æſtimat, cum eos deuorat, qui per ſuæ vitæ ſtudia deorſum currũt.*

10 Flumen Iordanis Iuſtos deſignat; vt loco citato dicitur: *Et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius:* Et ſubdit D. Gregorius. *loc. cit. lit. B. Vnde abſorpto fluuio bene ſubiungit: Et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius: Quia illos inſidiando rapere appetit, quos pro amore ſupernæ patriæ a præſentis vitæ gloria ſemetipſos deiicere agnoſcit.*

11 Flumina deſideria carnalia ſunt, quæ ab abyſſo concupiſcentiæ oriuntur: *Eccl cap.*1. *verſ.*7. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur:* Vbi Riccardus *a S. Vict. tract.*1. *de var. inter. hom. cap.*10. *pag.*27. *col* 2 *lit.B. Appetitus carnis eſt Abyſſus illa magna, vnde exeunt tot flumina, vnde ſurgunt tot, & tam infinita deſideria.*

12 Hinc flumina intrare in Mare, eſt delectationem carnalem terminari in amaritudine: *loc.c. lit.E. Omnia flumina intrant in mare:* Idem Riccardus. *Scimus quia flumina aquam dulcem faciunt, ſicut Mare amaram. Quid igitur eſt flumina intrare in mare niſi omnem delectationem carnalem terminari in amaritudine? Omne ergo flumen mare intrat, quia extrema gaudia luctus occupat.*

13 Fluuius terræ eſt ſapientia mundana; quos ſcindit Dominus, teſtante Propheta Habac. *cap.* 3. *verſ.* 9. *Fluuios ſcindes terræ.* Et Abb. Rupertus *in Habac. to.*1. *pag* 928. *col.*2. *Ergo fluuios terræ, id eſt omnes ſapientes, ſiue omnes loquutiones Philoſophiæ mundanæ, tu amor bone, tu ſpiritus ſapientiæ ſcindes.*

14 Flumina ſunt libri ſacræ ſcripturæ veteris teſtamenti: de quibus Iob. *cap.*28 *verſ.*11. *Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt:* Vbi D. Hieronymus *in Iob. tom.* 8. *pag.*47. *lit. D. Hos igitur fluuios non abſurdè libros veteris Inſtrumenti eſſe ſentimus: in quorum magnis latibulis abſcondita erant Sacramenta Eccleſiæ: quæ tempore Saluatoris Deus Pater ſcrutatus eſt.*

15 Fluuij etiam populos figurant: apud Naum: *c.* 2. *verſ.*6. *Portæ fluuiorum apertæ ſunt:* Et citatus Doctor: *Fluuiorum nomine Populorum multitudines aliquando intelliguntur: quemadmodum Nahum Propheta ait: Portæ Fluuiorum apertæ ſunt.*

16 Fluuius eſt doctrina Hæreticorum: quod ſignificat flumen illud, quod Draco, id eſt Diabolus, miſit poſt mulierem id eſt contra Eccleſiam: Apocalip. *c.* 12. *v.* 15. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen:* Ita interpretatur Abbas Rupertus *lib.*7 *de op. Spir. ſanct. to.*1. *pag.*716. *col.*1. *Quid erat flumen illud peſſimum ex ore Draconis emiſſum, poſtquam pugnante Michaele, & Angelis eius proiectus eſt in terram, niſi Doctrina Hæreticorum loquacium, & loquacitate fluentium?*

17 Fluuius vacuus eſt Corpus exanime: ſic Iob: *c.* 14. *verſ.*11. *Quomodo ſi fluuius vacuefactus areſcat:* Et Romanus Gregorius *lib.*12. *cap* 4. *moral. pag.* 585. *lit. B. Areſcit ergo fluuius vacuefactus; quia ſubducta anima, vacuum remanet corpus: quaſi enim alueus fluminis vacuus eſt corpus exanime.*

De Torrente.

18 Torrens eſt Perſecutio, ſic de Chriſto Domino Propheta *Pſal.* 109. *verſ.* 7. *De Torrente in via bibet.* Vbi D. Auguſtinus ait *in Pſal* 123. *pag.*596. *col.*2. *lit. D. Torrentes enim dicuntur fluuii, qui repentinis imbribus creſcunt; magnum habent impetum, quiſquis incurrerit trahitur: Adhuc quamdiu ſæculum hoc naſcendo, & moriendo trahitur, torrens eſt. Hinc perſecutiones de iſto torrente. Hinc bibit ille primus caput noſtrum, de quo dictum eſt in Pſal. De Torrente in via bibet.*

19 Torrens inundans eſt Iuſtitia Dei. Iſai. *cap.* 30. *verſ.*28. *Spiritus eius ſicut Torrens inundans:* Vbi D. Hieronymus *in Iſai. pag.*147. *lit. C. Spiritus quoque eius ita aqua in valle, trahens veniet vſque ad collum, vt ſupplicia ſuper peccatores faciat redundare.*

20 Torrens eſt ignis Iudicij extremi, qui diuidet impios a Sanctis: de ipſo Iob. *cap.*28. *verſ.*4. *Diuidit Torrens a populo peregrinante eos, quos oblitus eſt pes egentis hominis, & inuios.* Et optimè D. Gregorius *lib.*18. *cap.*18. *moral. pag.*717. *lit. D. Quid verò Torrentis nomine, niſi ille a conſpectu tremendi Iudicis per clarum exortum egrediens, atque electos, ac reprobos diuidens Ignis vocatur.*

21 Torrens eſt ſpiritualis voluptas: vnde Pſal. 35. verſ.9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos:* Et Hugo Carenſis *in Iſai. pag.*135. *col.*4. *Eſt autem quidam bonus Torrens, qui non ſiccatur, ſcilicet voluptas, non carnalis ſed ſpiritualis: de quo Pſal.* 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

22 Torrens eſt mundana proſperitas; quam deſiderantes Iudei exprobrantur ab Iſaia: *cap.* 57. *verſ.*6. *In partibus Torrentis pars tua;* vbi Idem Hugo. *Torrens, id eſt mundana proſperitas, quæ tranſit ſicut torrens: & habet tres partes, cupiditatem, voluptatem, & vanitatem; in his tribus partibus eſt pars malorum.*

23 Flumen eſt abundantia: vt dicitur Iſai.48. verſ.18. *Facta fuiſſet ſicut flumen pax tua: Id eſt abundans,* inquit Hugo, *in cap.*48. *pag.*109. *col.*3. *& copioſa, & continua ſicut flumen continuò currit.*

§. III.

De Vallium multiplici allegoria.

1 IN conuallibus. Vallis eſt planities montibus circumſcripta. Et primò deſignat humilitatem paſſionis Chriſti; De qua Oſee. *cap.*1. *v.*5. *In illa die conteram Arcum Iſrael in valle Iezrael.* Vbi Abbas Rupertus *in Oſee to.*1 *pag.*749. *col.*1. *Hoc totum eſt in valle Iezrael, id eſt in humilitate ſeminis Dei, quod eſt Chriſtus. Nam per humilitatem paſſionis Chriſti, ſicut exaltatæ ſunt gentes eius fidem recipientes, ita è contra deiecti, atque contriti ſunt Iudei.*

2 Valles ſunt nouiſſimi in Eccleſia; de quibus dicitur: Ezech. *capit.* 6. *verſic.* 2. *Væ dicit Dominus Deus Montibus, & collibus, rupibus, & vallibus.* Et D. Hieronymus *in Ezech. to.*4. *pag.*453. *lit. C. Valles autem appellati nouiſſimi in Eccleſia; qui & vita, & ſcientia inferiores, tamen de conuentu familiæ dominicæ non recedunt.*

3 Valles ſunt pauperes: de quibus apud Iob. *cap.* 39. *verſ.*10. *Numquid alligabis Rinocerotem ad arandum loro tuo, vt confringat glebas vallium.* Ita Magnus Gregorius *lib.*31. *cap.*3. *moral. pag* 1007. *lit. E. Sanctus enim quiſque Prædicator in mundum veniens, Euangelizando pauperibus, quaſi molles vallium terras arauerat.*

4 Valles ſunt Dicta Sanctorum Patrum: vt dicitur Iob. *cap.*30. *verſ.*5. *De conuallibus iſta rapientes.* Vbi citatus Doctor. *lib.*20. *cap.*13. *mor. pag.*765. *lit. D. Hæretici de conuallibus iſta rapiunt, quia hæc de humilibus dictis Patrum ſuperbo ſpiritus colligunt.*

5 Valles

Digitized by Google

5 Valles ſunt deſideria mundana, & terrena: de quibus Iob: *cap.6. v.15. Torrens, qui raptim pertranſit in conuallibus*: Vbi idem Gregorius. *lib. 7. cap. 10. mor. pag.464. lit.A. Torrentem enim raptim ad conualles tranſire eſt, Prauorum mentes ad ima deſideria ſine vllo obſtaculo, ac difficultate deſcendere*.

6 Valles deſignant frugum abundantiam: vt Ierem. *cap.49. v.4. Quid gloriaris in vallibus*. Vbi Gloſſ. interl. *In vallibus, Abundantia frugum, in qua Ammonita confidebant*.

7 Vallis quandoque Abundantiam ſuperbiæ ſignat: cum ſæpè ſub humilitatis baltheo lateat: Ideo Ierem. *loc. cit. Defluxit Vallis tua*; *Ideſt Abundantia ſuperbiæ*, ait Interlinearis Gloſſa.

8 Vallis capręarum eſt mors prætioſa ſanctorum, contra quos egreditur cuneus Philiſtijm, ideſt Tyramni: *1.Reg. cap.13. verſ. 18. Tertius autem verterat ſe ad iter termini imminentis Valli Seboim*: nam צבעים ideſt *Seboim*, capreæ interpretatur; Ita Romanus Gregorius *lib.5. in 1.Reg. tom.1. pag. 225 lit. B. Seboin capreæ nuncupantur. Vallis quippe craprearum eſt pratioſa mors ſanctorum; quia vnde moriendo deponuntur, inde ad gaudia ſubleuantur*.

9 Vallis Salinarũ eſt terra vniuerſa: *tit. in Pſ.59. Conuertit Ioab & percuſſit Edom in Valle ſalinarum; ideſt, omnes de quatuor mundi partibus ad fidem ſanctæ Trinitatis per apoſtolicam doctrinam vocatos*, ait Gloſſ. interlinear.

10 Vallis lacrymarum mundus, & eius labores ad quos Adam de Paradiſo eiectus deſcendit. *Pſal.83. v.7. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum*. Vbi D. Hieronymus. *in Pſal. 136. to.7. pag. 228. lit.E. Peccator ergo, qui cecidit venit in vallem lacrymarum, hoc eſt in hunc mundum*.

11 Vallis Viſionis, hæretici ſunt, contra quos vaticinatur Iſaias: *cap.22. verſ.1. Onus vallis viſionis*; vt docet idem D. Hieronymus *in Iſai to.4. pag.106. lit.H. Ipſaque verborum conſequentia trahimur ad intelligentiam ſpiritualem, vt omnes peruerſorum dogmatum Principes, qui corruerunt de ſublimitate ſenſus ſacrarum ſcripturarum, & ad humilia deuoluti ſunt, ſciamus in Sion valle verſari*: ציון *Sion* enim ſpecula, ſeu viſio, interpretatur.

§. IV.

Ad quæ ſignificanda medium vſurpetur.

1 Medium dicitur, quod æque diſtat ab extremis, vel æque diſtat ab vtriſque, & dicitur de omni re inanimi. Mediator vero eſt, qui voluntates vnit, & dicitur de re intellectu prædita. Primò ergo medium dicitur ſapientia: per quam omnia cognoſcuntur: *Gen. cap.2. verſ.9. Sic lignum vitæ in medio Paradiſi*, ſecundum Gloſſ. interl. *Hæc eſt ſapientia mater omnium bonorum*.

2 Medius dicitur Chriſtus: quia eſt media perſona ſanctiſſimæ Triadis: ac propterea de eo dixit Ioannes. *cap.1. verſ 26. Medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis*: & ideo frequenter in medio apparet: vt Apocalipſis *c.1. verſ.13. Et in medio candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis*. Vbi Alexander Halenſis. *in cap.1. Apoc. pag.17. col.2. lit. C. Nota Chriſtus ſe præſto exhibet, per hoc quod in medio frequenter ſe collocat: ipſe enim ab æterno eſt media Perſona in Trinitate*.

3 Medium ſignat incarnationem Domini, nam per incarnationem in medio noſtri eſt: hoc prædixerat per Prophetam *Ioel. cap.2. verſ.27. Et ſcietis, quia in medio Iſrael ego ſum*: & Rupertus. *in Ioel. tom.1. pag.832. col.1. Quomodo enim eſt in medio eorum; vel quid eſt eſſe in medio eorum? Profecto in medio eorum eſſe, eſt in veritate naturæ carnem illorum aſſumpſiſſe*.

4 De medio Cherubim loqui Deum, eſt media Angelorum perſona apparere: *Exod. cap.25. v.22. Loquar ad te de medio Cherubim*. & Gloſſ. interl. *In viſione ſcilicet angelica, non in propria ſubſtantia*.

5 Medium annorum ſignat tempus trigintatrium annorum, quando Chriſtus opus Redemptionis perfecit: quare dicit Habacuc: *cap.3. verſ.2. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*. Vbi Rupert. *in Habac. tom.1. pag.986. col.1. Annos iſtos libenter intelligimus annos vitæ hominis, quos Pſalmiſta computatos habens, dicit: Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta Anni: ergo anni vitæ hominis ſeptuaginta ſunt. Futurum enim erat, vt in medio horum annorum viuificaret Dominus opus ſuum. Cum enim eſſet ipſe Dominus Homo factus, paulo minus, quam in medio ſeptuaginta annorum, ſcilicet ætatem habens triginta trium, ipſe moriendo, ac reſurgendo viuificauit opus ſuum, Genus humanum*.

6 Medium hominis, in quo ſedet Deus, eſt Cor: ita Pſalmus 45. verſ.6. *Deus in medio eius non commouebitur*. Vbi D. Auguſtinus. *in Pſal.41. pag 171. col.2. lit.B. Quid eſt in medio eius? Sedes Dei eſt in cordib. hominũ*.

7 Medium inter Deum, & homines eſt Sacerdos: ſic Moyſi depræcanti pro populo Iſraelitico, Dominus dixit: *Exod. cap.34. verſ.10. Vt cernat populus iſte, in cuius es medio*. Quò fortaſſe reſpexit D. Ioannes Chriſoſtomus, cum dixit: *tom.1. pag.1222. lit. D. Itaque medius ſtat Sacerdos inter Deum, & naturam humanam*.

8 Medium principatum deſignat; nam ideo Charitas in medio ferculi Salomonis ponitur, quia eſt Princeps virtutum: *Cantic cap.3. verſ.10. Media charitate conſtrauit*; *Ergo* inquit Rupertus, *in Cantic. lib.3. to.1. pag.1086. col.1. Media ferculi Rex Salomon Charitate conſtruxit, ideſt in medio virtutum principatum Charitatis poſuit: quia re vera, de quo pendent omnia, illud rectè medium, ac principale eſt*.

9 Medium Iordanis eſt ſpes in Domino: *Ioſue c.4. verſ.3. Præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis, vbi ſteterunt pedes Sacerdotum, duodecim duriſſimos lapides*. Et Victorinus Ricchardus. *De exter. mal. Tract.3. cap.1. pag.16. col.2. Lubet & illud conſiderare, quid ſit quod Dominus iubet de Iordanis medio, vbi ſteterunt Sacerdotes, lapides colligere? &c. Vbi ergo debet animus ſub tantæ rei expectatione ſpem ſuam figere, niſi in fiducia diuinæ magnificentia? Tutus ſtationis locus, & magnæ ſecuritatis, præſũptio de adiutorio diuinæ pietatis*

10 Torrens inundans vſque ad medium colli, eſt punitio ineuitabilis: de hac Iſaias. *cap.30. verſ.28. Spiritus eius velut torrens inundans vſque ad medium colli*: Vbi Lyranus. *Quia non poteſt punitionem eius euadere*: & Gloſſa *ſicut Torrens ſuffocat eum, ad cuius collum peruenerit, ſic Dei iudicium neminem tranſibit impunitum*.

11 Per medium ambulare, eſt per obſeruantiam legis Chriſtum imitari, non declinando ad dexteram, vel ſiniſtram: ſic de Iſraelitis dicitur. *Exod c. 15. verſ. 19. Filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio eius. Hom.6. Exod. to.1. pag.48. col.1. lit.I. Qui vero ſequitur Chriſtum, & ſicut ipſe ambulauit, ſic, & ipſe ambulat, aqua eius murus fiunt dextra, læuaque; ipſe autem media via incedit per ſiccum*.

12 Medium noctis, eſt Tentationis diabolicæ plenitudo: De hac Pſalmus 118. verſ.62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*. Vbi D. Ambroſius. *ſer.8. in Pſal.118. to.2. pag.294. lit.D. Vide igitur, ne & per diem tibi media nox fiat, quo mundi Princeps tenebroſus, & ſqualidus plenitudinem tibi tentationis offundat*.

13 Per medium caſtrorum ire eſt Iuſtitiam æqua lançe exercere. Hoc præcepit Moyſes: *Exod. cap.32. v.27. Ite, & redite de porta vſque ad portam per medium Caſtrorum*: vbi Gloſſa interlinearis: *Ideſt Æqualiter, vt nulli parcant*: ſed clarius Gloſſa ordinaria. *Per medium verò caſtrorum ire, eſt tanta æqualitate in Eccleſia viuere, vt qui delinquentium culpas redarguit, in nullius reſideat fauore*.

14 Medium Animalium, eſt Spiritus in litera incluſus; quare Ezechielis c. 1. v.5. *Et in medio Animalium*

Digitized by Google

viſio ſicut carbonum ignis ardentium. Et D. Hieronymus *in Ezech. 10. 4. pag. 438. lit. H. De medioque Animalium ſplendor ignis, & fulgor egreditur. Si enim euangelia tibi colliſeris in medio literæ, vtiliſque hyſtoriæ ſpiritus Sancti Sacramenta reperies*.

15 Per medium montium tranſire, eſt omnibus fieri commune: vt in verſu præſenti. *Pſal.103. ver.11. Inter medium montium pertranſibunt aquæ*; Et D. Auguſtinus *in Pſal. 103. Quod medium dicitur, commune eſt; Res communis vnde omnes æqualiter ſumunt, nec attinet ad te, nec ad me*.

Verſus Vndecimus.

יַשְׁקוּ כָּל חַיְתוֹ שָׂדָי יִשְׁבְּרוּ פְרָאִים צְמָאָם׃

Verſio ex hebræo: *Adaquabunt omnes beſtias agri, frangent Onagri ſitim ſuam.*

Vulgata editio: *Potabunt omnes Beſtiæ agri, expectabunt Onagri in ſiti ſua.*

Pagninus: *Propinabunt omnibus Beſtijs agreſtibus frangent onagri ſitim ſuam.*

D.Hieronymus: *Vt bibant omnia Animalia Regionum; & reficiat Onager ſitim ſuam.*

Septuaginta: *Vſurpabit Onager ad ſitim ſuam.*

Simmacus: *Recreabitur Onager in ſiti ſua.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

VAria expoſitorum ſententia inde præſertim ortum habuit, quod verbum שָׁקָה, propriè *adaquare*, ſeu *potum dare* ſignificat; & in hoc ſenſu ſemper ferè ponitur; aliquando autem etiam pro שָׁתָה, ideſt *potare*, vſurpatur, ſed rarò. Hìc porro potius potum præbere, hoc eſt materiam potus, quam actiuè *potare* videtur interpretandum; vt fecit D.Hieronymus. Quod autem Pagninus ait, *Propinabunt*; omnino ineptè dictum eſt, nam propinare eſt bibere alium inuitando ad potum, quod irrationabilibus cõuenire non poteſt. שָׁבַר cum ש *ſcin frangere* ſignificat, frangere ergo ſitim, *eſt* refici, recreari, ſatiari potu: vnde colligitur, malè a quibuſdam interpretari, *expectabunt*; nam שָׁבַר cum ש *ſin*, non ſignificat *expectare*, ſed *ſpectare*, ideſt *conſiderare*, *videre*; quia verò dicunt onagrum expectare magna cum vehementia aquam fontium, quia turbidam non bibit, non ad verbum, ſed ad ſenſum dici poteſt, *expectabunt*. Cum autem, (vt viſum eſt in Prolegomenis) hic Pſalmus ſit epilogus Hexameronis, videtur hac occaſione attigiſſe Prophetam Quadrupedum productionem; ſicuti ſequentibus verſibus agit de Volatilibus, & deinde de plantis, & tandem de piſcibus ver. 25. Imo & de ipſo homine ver. 23: hìc tractare debemus de productione, natura, & vtilitate Animalium terreſtrium in genere; in ſpecie tantum de Onagro; de quibuſdam verò alijs ſuo loco diſputabimus.

SVMMARIVM.

1 *De Animalium terreſtrium generatione.*
2 *Quomodo elementa reperiantur in Animalibus, & alijs mixtis.*
3 *De Animalium natura, & proprietatibus.*
4 *De Animalium vtilitate, tam in ordine ad hominem, quam ad mundum.*
5 *De Onagri forma, natura, patria, & proprietatibus.*

§. I.

Digitized by Google

§. I.

De Animalium terreſtrium generatione.

1 Potabunt omnes Beſtiæ agri &c. Tanta eſt Omnipotentis Maieſtatis erga ſuas creaturas Prouidentia, vt ne minimis quidem Animalculis ad victum neceſſaria deſint; cum enim tot Animantium genera edidiſſet, iiſdem ne perirent, & aquarum fontes aperuit, & pabuli copiam ſubminiſtrauit. Hoc præſertim in hoc vndecimo verſu luce clarius reſplandeſcit: cum enim fontes fluuioſque ſe feciſſe, ac inter montes iter aquis aperuiſſe teſtatus fuerit; *Mittens Fontes in flauijs, inter montes ibunt*: Nunc docet hoc ad omnium Animalium recreationem, & præſertim ſilueſtris Aſini refrigerium factum fuiſſe: *Potum ſubminiſtrabunt omnibus Beſtijs agri, frangent Onagri ſitim ſuam*: Princeps profecto terreſtrium creaturarum eſt homo, verum enim vero ante æterni Creatoris intuitum, cætera viuentia diuinæ Prouidentiæ beneficia haud demerentur; etenim ſi paſcit hominem, & iumenta identidem nutrit. Hoc, & merito, mirabundus Magnus Baſilius collaudat *in ſchol. Pſal. 103. Pag.970. col.1. lit.D.* inquiens. *Hoc maximum eſt diuinæ diſpenſationis, & Prouidentiæ ſignum, quod non hominum modo, ſed & irrationabilium neceſſitati ſatiſfacit. Quapropter montes diuiſit, vndiſque peruios reddidit, vt non homines tantum, ſed & brutorum genera fluentarum copia potiantur.* Cum ergo & Deus ipſe pro Beſtiarum vſu aquas creauerit; ipſarum Beſtiarum productionem, & naturam breuiter explanare occurrit.

2 Quoad generationem attinet, duplicem habet conſiderationem; ſcilicet primæuam eorum creationem in mundi exordio, & actualem ex ſuis naturalibus cauſis generationem. Quantum ad primum ait Moyſes, *Gen. cap.1. ver.24. Dixit quoque Deus: Producat terra Animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas.* Circa quod dubium eſt, cum dicatur: *Producat terra:* Vtrum re vera ad Dei vocem ſicut antea herbas protulit, ſic modo etiam Animalia ediderit: ita vt diuina virtute veluti cadmæo ſemine fæcundata, ſi non armatos homines, ſaltem, viuentes Beſtias, e grauido ſinu emiſerit? Affirmatiuam opinionem, videlicet, per illa Dominica verba datam fuiſſe virtutem terræ generandi animalia; ita vt de terra, non tanquam de cauſa materiali, ſed tanquam de cauſa verè effectiua prodierint, *Producat terra,* tradit Caietanus: *in cap.1.Gen.pag.11. col.2. Significat decretam eſſe vim productiuam terræ terreſtrium Animalium. Dico autem vim productiuam, & non tantum materialem, quoniam de principio tantum materiali non verificatur quod producat.* Et vt hanc ſuam aſſertionem ratione firmaret, ex eo probat, quia ſicut dictum eſt, *germinet terra herbam virentem*, ita etiam dictum eſt, *producat terra animam viuentem*: ſed in prima plantarum productione terra effectiuè ſe habuit, igitur & in ſecunda. *Idem loc.cit. pag. 12.col.1. Vnde quemadmodum quum decretum fuit: germinabit terra germen: & vires terreſtres naturales ad producenda vegetabilia, quas terra continuo exercet, ſignificantur: ita cum dictum eſt: Repullificabunt aquæ; & proportionaliter modo dicitur: Producat terra: vires aquaticæ productiuæ piſcium; & vires terreſtræ productiuæ iumentorum, beſtiarum, quas frequenti vſu exercet terra, ſignificantur.* Verum quanti valeat hæc eius ratiocinatio poſtea examinabimus. Huic opinioni videtur aſſentiri D.Baſilius. Putat namque tunc Dei Verbum tantam virtutem terræ dediſſe, vt ex ſe cuncta terreſtria Animalia produceret; ſicuti etiam in præſentiarum cernimus multa animalia, vt ſunt mures, muſcæ, cicadæ &c. nam ea virtus, quę animal perfectum producit, licet paruum (talis eſt mus) poteſt etiam ſupernaturaliter adiuta producere quæcumque. *D.Baſil.Mag.Hom.9.in Hexam. pag.42. col.1. Præceptum hoc ſic impreſſum eſt terræ, vt ne hodie quidem deſinat ſubſeruire ſuo Creatori. Nam Animalia partim ex antecedentibus oriuntur ſucceſſiuè, partim nunc etiam ex ipſamet emergere terra, generarique cernuntur. Non ſolum enim cicadas humus pluuioſo tempore edit, & innumeras alias beſtiolas, in aere peruolantes, quarum plurimæ præ tenuitate nullam ſortitæ nomenclaturam; quin & mures ranaſque ex ſeipſa profert, & edit. Vtpotè cum circa ægiptias terras poſt vehementes in æſtibus pluuias vniuerſa arua ſoricibus impleri protinus nouimus.* Sic igitur perſuaſum videtur ſecundum iſtam opinionem, terram Dei munere fæcundatam tot, tantaque Animalia tanquam effectiuam cauſam produxiſſe.

3 Alia verò ſententia eſt, duas generationes rerum animatarum hic inſinuari a Propheta, (Moyſe videlicet) vnam in rerum primæua creatione, alteram vero, in continua generatione, quæ per multa ſæcula, & in alia duratura huc vſque permanſit. Porro in vtraque generatione, verificatur illud: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo*, ideſt; Sit terra cauſa materialis apta ex qua Animalia produci poſſint; in creatione ſolo Deo effectiuè concurrente, in generatione vero, ſuis efficientibus naturalibus cauſis ſecundis concurrentibus. Id docet Benedictus Pererius *lib. 1. in Geneſ. pag. 102. lit.D. Illud igitur: Producat terra &c. non denotat vim actiuam, & effectiuam, & ſimpliciter &c. Denotat tantum igitur materiam, ex qua poſtea per omnipotentem Dei vim facta ſunt Animalia: denotat etiam terram eſſe locum naturalem eiuſmodi Animalium, in quo tantum ea generantur, & aluntur.* Hoc etiam clarius exponit D.Ambroſius *lib.6.cap.3. Hexam. pag.66. lit.E.* omnia enim Dei virtute primitus facta, modo vero ex ſuis cauſis manantia, ex his illis verbis ſignificantur: *Producat terra Animam viuentem in genere ſuo:* dicit namque. *Quid argumentamur alia, vbi euidenter creaturarum terreſtrium natura formatur? Currit enim in conſtitutione mundi Dei Verbum per omnem creaturam, vt ſubito de terris omnia, quæ ſtatuit Deus, Animantium genera producantur: & in futurum lege præſcripta, ſecundum genus ſibi, ſimilitudinemque vniuerſa ſuccedant, vt Leo Leonem generet, Tigris Tigridem, Bos Bouem &c. Semel præceptum in perpetuum inoleuit Natura.* En quomodo quod terræ præceptum eſt de Animalium productione, ſi adhuc perſeuerat, id non de cauſa efficienti, ſed de materiali intelligitur, cum omnia ex terra materiam ſumant naſcendo, in eamque moriendo reſoluantur. Primum porro, Dei ſcilicet efficiente Verbo omnia in principio facta fuiſſe docet D.Ioannes Chriſoſtomus *Hom. 7. in Geneſ. tom. 1. pag.33. lit. B.* vbi hæc habet. *Producat terra: Et verbum quidem breue eſt, & verbum vnum, genera autem Animalium diuerſa; ſed nulla te admiratio teneat Dilecte, Verbum enim erat Dei, & ſermo ipſius his, quæ fiebant ſubſiſtentiam largitus eſt. Vide quomodo omnia ex nihilo, vt eſſent, creata ſunt.* Cum autem ex nihilo materiæ omnino creata non ſint, ſed ex terra, conſequens eſt, vt ly, *ex nihilo*, excludat cauſam effectiuam naturalem: ſolus ergo Deus effectiuè Animalia produxit. De ſecundo autem, ſcilicet cum dicitur; *ſecundum genus ſuum*: intelligi non de prima, ſed de conſequenti, & naturali Animalium generatione, patet etiam ex D.Auguſtino dicente *lib.3.de Geneſ.ad lit.cap.12. to.3. pag.213. lit.B. Hoc eſt ergo: ſecundum genus: vbi & ſeminum vis, & ſimilitudo intelligitur ſuccedentium decedētibus; quia nullum eorum ita creatum eſt, vt ſemel exiſteret, vel permanſurum, vel nullo ſuccedente deceſſurum.* Ita ergo concludendum eſt. Animalia non effectiue a terra, ſed a Deo creata fuiſſe, terra materiam tantum præbēte; & inſuper ibi naturalem rerum generationem poſt futuram declaratam fuiſſe. Quibus ex verbis ingenioſè equidem Irrefragabilis Doctor educit quatuor cauſarū genera; a Deo deſignatarū cū dixit: *Producat terra Animā viuentem* &c. Ita enim philoſophatur. *Alex. Alēſ.p.2 q.54. in corp. pag.92.col.3. Et tangit tria, que poſſunt reduci ad quatuor*

genera

Digitized by Google

bunt Hebræi Anam fuiſse manſerem, ideſt ſpurium, filium videlicet fratris ſui Sebeonis, qui commixtus matri ſuæ, hunc genuit Anam, filium ſimul, & fratrem ſuum: Vt mirum non ſit, cum qui tam degeneri, & vitioſa generatione ſit editus, adulterinam quoque Animantium generationem procuraſſe. Sic igitur de his Animalibus nequaquam dicendum eſt in propria forma in initio creata. Et tandem ex dictis colligimus, Deum in initio mundi fuiſſe animalium totalem cauſam efficientem, non ſolum primam, & principalem.

§. II.

Quomodo Elementa reperiantur in Animalibus, & alijs mixtis.

1 P*Otabunt omnes beſtiæ agri*. Cauſa Sitis, & Famis in quocumque viuenti eſt continua deperditio ſubſtantiæ, quæ per neceſſarias operationes in dies diminuitur: & ſic indiget reſtauratione, quod per cibum, & potum impletur. Itaque cum terra minuitur, & natura materiam ſeu terream ſubſtantiam appetit, fit famis; famis enim apud Phiſicos eſt appetitus calidi, & ſicci; cum verò deficit humor, fit ſitis, quæ eſt appetitus humidi, & frigidi. Hæc eſt proxima ſitis cauſa: remota verò eſt elementorum compaginatio. Elementa etenim mixtum componunt, quę quatuor cum ſint, ſcilicet Terra, Aqua, Aer, & Ignis, ex ipſorum varia mixtione mixta diuerſa generantur. Vt autem hoc melius, & expreſſius capiatur, aliqua præmittenda ſunt. Primò ex dictis expoſitione literali in Verſum 3. §.3. ſupponendum eſt quatuor qualitates primarias eſſe proprias, primas, & ſpecificatiuas ipſorum, videlicet calorem Ignis, frigiditatem aeris, humiditatem aquæ, & ſiccitatem Terræ; ita quod nequeant ſine ſuo elemento hæ qualitates in ſummo reperiri: Hinc eſt quod dum aqua ex aeris ambientis frigiditate in gelu concreſcit, multum aeris admixtum habet, & hoc patet, quia æqualis aquæ quantitas congelata minus ponderat, quam aqua ſimplex: Secundò non ita eſſe certum hæc elementa tantum eſſe quatuor, ſicuti nec certum eſt illas tantum qualitates primarias eſſe; vnde licet nos de iſtis elementis communiter notis loquamur, non excludimus tamen alia, ſi quæ reperiantur, & quidquid de his dicimus, de alijs etiam dictum volumus. Tertiò materiam primam, ex qua omnia fiunt, & quam in initio mundi creatam informem dicit, & probat D. Auguſtinus in Confeſſionibus *lib. 12. capit. 8. tom. 1. pagin. 86. col. 2. lit. D. Terra autem ipſa, quam feceras, informis materies erat, quia inuiſibilis erat, & incompoſita, & tenebræ erant ſuper Abyſſum. De qua terra inuiſibili, & incompoſita, de qua informitate, de quo pęnè nihilo faceres hæc omnia*. Quo in loco fatetur D. Auguſtinus, cum ſe prius hanc materiam informem, & pęne nihilum capere non potuiſſet tandem Deo reuelante accepiſſe, ita informem eſſe materiam: videatur loco citato. Id etiam docet lib. 1. de Geneſi contra Manicheos, cap. 6. & de Geneſi ad literam, &c. Puto tamen hanc informitatem materiæ non excludere quātitatem, ſed ſolum qualitates, formaſque ſubſtantiales; nam illæ accidentaliter, iſtæ verò eſſentialiter qualificant; Nam in exordio mundi materia, quæ fuit creata, & terra, & aqua nuncupata, locum occupabat, quod vtique ſine quantitate non faceret: neque aliquod ex materia compoſitum ſine quantitate reperiri poteſt: Porrò ex omnibus elementis Terra eſt, quæ magis de materia, & minus de qualitatibus participat: (loquendo de terra pura, & ſimplici, non de iſta quam videmus, quæ potius mixtum quam elementum dici deberet) reliqua verò minus de materia, & plus de qualitate. Poſt terram verò, aqua etiam plus habet de materia, quam aer aut ignis, & minus de qualitatibus. Quapropter etiam nomine aquæ primæua materies ſignata fuit, teſte D. Auguſtino *de Gen. contra Manich. cap. 6. tom. 3. pag. 247. col. 2. lit. C. Propterea non abſurdè etiam aqua dicta eſt iſta materia, quia omnia, quæ in terra naſcuntur, ſiue Animalia, ſiue arbores, &c. ab humore incipiunt formari*. A Diuo Auguſtino haud multum diſcordat Doctor Seraphicus Bonauentura qui *in 2. ſentent. diſ. 12. in text. pag. 168. col. 1. lit. A.* exponens illa verba: *Geneſ. cap. 1. ver. 1. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*; reddit rationem quare his tribus nominibus appelletur prima materia, videlicet Terra, Tenebra, & Aqua. *Inſinuatur ipſa materia informis his tribus nominibus ſub triplici conditione ſe habere in comparatione ad formam. Ipſa enim materia dat formæ fixionem, & propter hoc appellatur nomine Terræ, quæ inter cætera elementa plus habet de ſtabilitate. Ipſa etiam materia a forma recipit ſpecioſitatem, & completionem, & per ſe eſt quaſi tenebra; & ideo ſignatur nomine Abyſſi tenebroſæ. Ipſa quoque materia ad formam habet aptitudinem, & inclinationem: & ita quamdam fluxionem, quæ ſignatur nomine aquæ*.

2 Inſuper ex quatuor illis qualitatibus, quas ſuperius recenſuimus, non omnes æqualis actiuitatis ſunt, ſed duæ quaſi actiuæ, duæ verò quaſi paſſiuæ ſunt: Calidum namque, & Frigidum actiuè, ſe habent, e contra verò Siccum, & humidum tantum patiuntur; quapropter etiam duo ſuperiora elementa ignis, & aer, quæ in calido, & frigido conſiſtunt Elementa actiua erunt, ſeu maſculina (vt nonnulli veteres ſentiebant) aqua verò, & terra paſſiua, ſeu fęminina. De qualitatibus hæc docet Magnus Albertus *lib. 4. meteor. Tract. 1. cap. 2. pag. 146. col. 2. Ita patet quod duæ iſtarum qualitatum ſunt ſimpliciter actiuæ, & aliæ duæ ſimpliciter paſſiuæ, & ſecundum quid actiuæ, ſcilicet per calidum, & frigidum*. Et paulò ſuperius dixerat *loc. cit. columnn. prim. Actiuæ autem ſunt duæ, propter hoc, quod virtutes ſine commixtione materiæ, & ad longinquum agunt ſcilicet calidum, & frigidum*. Ex his ſequitur corpus phyſicum non eſſe homogeneum, ſed eterogeneum, cum ſubſtantias omnino diuerſas coadunet; cuius pars quaſi materialis ſunt terra, & aqua, quæ totum corpus componunt; aer verò, & ignis partes formales ſunt, quia cum habeant plus de qualitate, quam de materia, totum actuant: ita experientia docet, nam viuente corpore reſpiratione attractus aer, & a cordis calore attenuatus, & ſeparatus ab alijs (aer namque qui circa nos eſt purum elementum non eſt) per artherias diffuſus vitam tribuit, & per neruos, inſpiſſatus aliquantulum in capite, ſenſum, & motum. Spiritus igitur iſte qui, vel naturalis, ſimul cum ſanguine per venas currens, nutritionem cauſant; vel vitalis ſimul cum puriſſimo ſanguine per artherias vitam fauet, vel animalis inſpiſſatus per neruos ſenſum dans, & motum, dicitur aliud non eſt niſi aer, qui continuò attractus per reſpirationem, in pulmone ſedens, calorem cordis attemperat: Ab eius tamen frigiditate ſiccitas patitur; & decreſcit; Neque de aere vlla remanet dubitatio, cum quæ dicta ſunt ad ſenſum pateant. Ignis porrò in corde reſidet, ibi pyramidalem ſui ſimilem ſedem inuenit; inde deputat aerem, cibum concoquit ipſum veluti in cacabo, ſeu olla in ſtomachi ventriculo ebulllire faciens, fęces ſeparat vaporoſas fumigationes ſurſum agens, & his ſimiles effectus, qui proprij ignis ſunt, producit: Ex paſſiuis autem aqua magis in humoribus apparet, in ſudoribus, in lacrymis, &c. Terra verò in carne, oſſibus, & neruis. Cum igitur Ignis calor aqueam ſubſtantiam ad ſui conſeruationem deuoret; Humidum etenim radicale, in quod natiuus calor ignis perpetuo agit, aqua eſt: & aeris frigiditas carnis, oſſiumque ſiccitatem abſumat; famis, & ſitis ad reparationem humidum, ſiccumq; depoſcunt. Tandem, ſi vel aliquando, nouo ſubſidio in tantum excreuerit aqueus humor, vt ignis ſuperetur, extinguitur, & moritur Animal; ſic moriuntur ethici, ſeu phitiſici, apoplexetici, hydropici, &c. vel ſi ignis excreſcens reliquos humores inflammabit, veluti cum in domo efferbuit ignis, ſic omnia hominis interiora ardent, & conſumptis humoribus ignis ipſe conſumptus interimit Animal; nam diſſolutis organis

Anima

Anima materialis corrumpitur immaterialis ab informatione ceſſat. Hæc præcipua cauſa eſt, cur ex mortuo corpore Terra, & aqua per artem extrahuntur, & in ipſas etiam naturaliter reſoluitur, non in ignem, & aerem; quia materialia, & paſſiua elementa defuncto Animali remanent ibi, ſpiritualia verò, & actiua, vel pereunt, vel diſcedunt. Hæc poſitio probari poteſt per confirmationem Authoris Libri, de Spiritu, & Anima. *cap.37. tomo 3. pag.417. col.1. lit.B.* Siue is ſit D. Auguſtinus, cui adſcribitur, & inter cuius opera eſt, ſiue ſit Hugo Victorinus, cui tribuunt alij. Is igitur de elementis ita ſentit. *Humanum ſiquidem corpus ex quatuor elementis compoſitum eſt, ſed in carne, & oſſibus, magis apparet terra propter terrenam ſoliditatem. Aqua in humoribus: Aer continetur in pulmone, idcirco ſemper in motu eſt, quia ventilabrum cordis eſt, ne nimio calore cor diſſoluatur: ſedes Ignis eſt in corde, & ideo inferius eſt latum, & ſuperius acutum, quam formam ignis retinet.*

3 Hanc etiam ſententiam, videlicet elementa formaliter eſſe in mixto, tenet Eminentiſſimus Doctor Cardinalis Aureolus: quam probat multis rationibus; ſed duę nobis ſufficiant: prima eſt a poſteriori ſcilicet ab effectu; nam, cum verum ſit, quod omne compoſitum in ea reſoluitur, ex quibus eſt compoſitum, cum mixtum corpus in elementa pura, vera, & non in ſimiles qualitates reſoluatur, ex iiſdem ſit compoſitum neceſſe eſt. Verum ſua verba promamus. *Sicut mixtum reſoluitur in quatuor elementa, non ſecundum alias, & alias partes ſignabiles, ſed ſecundum eamdem partem quantumcumq; minimam, & ſignabilem: ita quod non eſt dare partem ſignatam, quæ non reſoluatur in quatuor elementa. Ergo in mixto ſunt realitates aliquæ pertinentes ad rationem, & formam quatuor elementorum. Petrus Aureolus Cardinal. in 2. ſenten. diſ.15. quæſt.2. artic.1. pag.207. col.1. lit.E.* Secunda verò ratio deſumitur a priori ex ipſa intrinſeca eſſentia mixti. Mixtum enim illud eſt, quod ex pluribus miſcibilibus componitur: & hæc differentia eſt, inter corruptionem, & mixtionem, quod per corruptionem res in rem diuerſæ naturæ, & rationis tranſeat, in mixtione verò ſecũdum ſuum proprium eſſe remaneat; ſic adunatio metallorum ad componendum Æs mixtio dici poteſt, & eſt; combuſtio verò ligni non eſt mixtio ſed corruptio; quia in Ære remanent eſſentiæ metallorum aliqua ſaltim arte ſeparabiles, in Igne verò ex ligno genito nihil ligni remanet niſi materia. *Mixtio,* inquit ille, *Non eſt corruptio ſimpliciter ipſorum miſcibilium; ſed niſi remaneant realitates aliquæ ipſorum miſcibilium in mixto, in mixto eſſet corruptio ſimpliciter ipſorum miſcibilium; ergo aliquæ realitates ipſorum miſcibilium remanent in ipſo mixto. Idem loc. cit. pag. 208. colum.2. lit. C.* De igne autem, de quo ſpecialis eſſet difficultas quomodo in Animalium corporibus formaliter reperiatur, addemus peculiarem rationem, quam ex effectibus euidenter oſtendit B. Albertus Magnus *lib. 20. de Animal. Tract 1. cap.4. tom.6. pag.543. col.1.* his verbis. *Eodem autem determinationis modo videndum eſt qualiter ignẽ Animalium corpora participent. Multos enim effectus ignis in corporibus Animalium eſſe cognoſcimus, ſicut eſt decoquere, digerere, ſeparare homogenia ab eterogenijs, congregare homogenia, perforare, ampliare vias, conſumere humidum, expellere cum impetu quædam ſuperflua, &c. Omnes autem dictæ operationes non efficiuntur a calido, niſi quod eſt calidum ignis.* Igitur ſi in animalis corpore calor ignis eſt, & hic ſine igne non eſt, & ipſe inerit ignis. Conſequenter, & in animalis corpore ipſa Elementa, quæcumque illa ſint, formaliter reperiuntur.

4 Ad maiorem dictorum declarationem quædam in contrarium obiectiones proponendæ, & ſoluendæ ſunt. Obijcies ergo primo. Ex dictis ſequeretur formam mixti nil aliud eſſe quam formam quãdam cõpoſitam ex formis elementorum: hoc autem eſt contra Ariſtotelem, qui hoc expreſsè negat, & patet ad ſenſum; forma totius non eſt aliquid realiter compoſitum ex formis elementorum. Huic argumento reſpondet Aureolus *loc. citat. art.2. pag.211. colum.1. lit.B. Quando dicit Philoſophus, quod forma mixti non eſt compoſita ex elementis: intelligendum eſt, quod non intendit Philoſophus quin forma mixti ſit forma conſtituta, & conflata ex realitatibus elementorum, ſed intelligit quod non eſt conflata ex formis elementorum, ita quod realitates componentes, ſiue conflantes compoſitum, non retinent nomen, & diffinitionem formæ elementi.* Obijcies Secundò, licet in viuentibus ratio Ignis, & aeris appareat, in alijs mixtis non videntur: Inſuper quando mixtum reſoluitur, præſertim artificialiter, ex eo multa eliciuntur, quæ non ſunt Elementa, vt Sal, & Oleum; ergo dicendum quod Elementa in alias res ſint mutata, & ſolum virtualiter remanſerint. Reſpondetur elementa noſtra, quæ ante in principio ſuæ creationis erant pura, & ſeparata, poſtea a Deo mixta eſſe; quapropter apud nos nec Terra, nec aqua, nec aer, nec ignis pura ſunt, ſed vel inuicem, vel cum alijs rebus commixta, vnde nec mirum ſi elementa in mixtis non reperiuntur: ita Galenus dicit, *lib.1. de Element. cap.5. Claſſ.1. pag.5. lit. D. Quamuis in nullo mixto reperire poſſimus ea quatuor corpora ita conſpicua, vt ſũt ex eorum natura; non propterea negare debemus ea in mixtis eſſe. Cur enim in Animali ſinceram terram requiris, quam neque ſinceram in vniuerſo Mundo vides?* De Sale, & Oleo iam viſum eſt alibi aliquos ea credere elementa; ſed allata reſponſio etiam huic inſtantiæ ſatiſfacit. Obijcies tertiò, etiam viuo exenterato animali ſi cor tangatur, non reperitur tanti caloris, qui ſufficiat ad arguendam præſentiam ignis. Ergo ignis non reperitur in propria ſubſtantia. Huic inſtantiæ dicitur quòd calor, licet maximus ſit in igne, non tamen æqualis eſt in omnibus, ſed vel intenſior, vel remiſſior prout eſt materia, in qua ſeruatur; vnde videmus alium alio vehementiorem ignem eſſe, vt obſeruauit Author de cauſis ab Incognito adductus; & præcipuè propter vnitatem in materia denſiori, vbi virtus vnita eſt, apparet intenſior: quod cernimus in ferro ignito, in quo ignis maximè calefacit: *Secundum Authorem de cauſis omnis virtus vnita maior eſt ſeipſa diſperſa, ſicut patet de ferro ignito, quod magis calefacit, vel comburit, quam faciat ignis in ſe ipſo cuius ratio eſt, quia partes ignis in alia materia ſunt diſperſæ, in ferro autem magis vnitæ propter denſitatem materiæ. Incogn. in Pſalm. in ver. 654. pag. 235. col.2. lit.C.* Poterit igitur materia cordis ita tenuis eſſe, vt remiſſiorem calorem nutriat: ſed potior ratio eſt, quòd ille ignis ita compoſitus eſt vt ſtatim aere noſtro viſo expiret; & licet palpitando moueatur Cor, hoc Spiritus, qui adhuc ſuperfluunt, faciunt. Exemplum huius habemus in Lucernis Sepulchralibus, quæ in antiquis monumentis reperiuntur, quæ ad extraneum aerem ſtatim extinguuntur. Puto tamen in corde flammam non eſſe, ſed materiam ignitam, vt ſunt carbones accenſi. Itaque concluſum remanet Elementa eſſe formaliter in mixto, non quod inter ſe aliquam mutationem non incurrant, ſed ita, vt ex omnibus mixtis elementa paſſiua ſecũdum proprias formas ſeparari poſſint: ex quorum elementorum permixtione illa forma mixti reſultat, quæ apud Scotiſtas corporeitatis dicitur, quæ materiam reddit organicam, & ad Animæ informationem diſponit.

§. III.

De Animalium Natura, & Proprietatibus.

1 GEneratione Animalium explicata, aliqua de eorum natura, & proprietatibus prælibanda ſunt. Quantum ad ſubſtantiam, ſeu eſſentiam attinet, certum eſt. *Animal eſſe mixtum viuens ſenſitiuum*: & dicitur animal, quia vltra mixti formam animam habet, quæ in ſenſitiuis euidentius apparet, quam in Plantis. Tria ſunt genera animalium, in quibus vita eſt, & ſenſus, ſine intelligentia; videlicet Beſtiæ terræ, Volucres Cœli, & piſces aquarum: ſed hic tantum de Beſtijs terræ ſermo

eſt;

Digitized by Google

eſt; nam de alijs ſuo loco eſt agendum. Inſuper Beſtiæ terræ etiam in triplici ſunt differentia, Beſtiæ, Iumenta, & Reptilia, de quibus dicitur. *Et fecit Deus Beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Geneſ. cap. 1. verſic. 25.* Vbi Rupertus. *lib. 1. in Geneſ. cap. 55. tomo prim. pagin. 19. columm. 2. Sub vno genere animæ viuentis, quā terra produxit, tres ſpecies manifeſtè Scriptura diſtinxit, Iumentorum, Reptilium, atque Beſtiarum. Dicuntur enim Iumenta, quod ſint quædam Hominum adiumenta; Reptilia verò repentia, ſiue Serpentia; Beſtiæ, quaſi Feſtiæ per antiphaſim, quod ſint infeſtæ.* Hoc idem docet Seraphicus Cardinalis D. Bonauentura, qui duplicem huius diſtinctionis cauſam adiungit *in 2. ſent. diſ. 15. in text. dub. 1. pag. 214. col. 1. lit. C.* alteram ex modo operandi, alteram ex fine, ad quem creatæ fuerunt, nempe hominem: inquit autem. *Omnes autem illæ differentiæ reducuntur ad tres differentias; quarum numerus, & ſufficientia poteſt accipi dupliciter, vel ex parte motus ipſorum Animalium, vel ex parte finis. Ex parte motus ſic: aut enim animal mouetur tractu, & ſic eſt reptile, aut impulſu, & ſic eſt greſſibile: & hoc eſt dupliciter, aut eſt Animal natum ſæuire, aut manſueſcere, primo modo dicitur beſtia, ſecundo modo dicitur Iumentum, & ſub Iumentis comprehenduntur pecora. Ex parte finis ſic. Animalia ſunt propter hominem, aut ergo ſunt ordinata ad hominis iuuamen, ſicut ſunt Iumenta quaſi iuuantia; aut ſunt ordinata ad hominis exercitium, & hoc dupliciter, quia aut exercendo manifeſtè, & ſic ſunt Beſtiæ, quaſi Vaſtiæ; aut occultè nocent, & ſic ſunt reptilia.* Sic ergo ex Diuina Scriptura ſcimus, tria eſſe genera beſtiarum terreſtium, Ferarum Iumentorum, atque Serpentium: quorum rationalis diuiſio remanet approbata.

2 Omnibus Animalibus aliqua cognitio, & appetitus ineſt, quo quidem multa cognoſcere, & quæ ſibi vtilia ſunt appetere valent: licet namque nec intellectiuam cognitionem, nec veram ſcientiam habeant, eſt tamen illis aliqua ſolertia, & cognitio, quæ aliquid vltra naturalem inſtintum in eis euincit. Nouerunt omnia, quæ ipſis vtilia ad vitam tuendam, ad prolis generationem, & educationem: quæ carniuora ſunt ſolertiam habent ad venandum, ad decipiendum; ad vitanda contraria: quis nō mirabitur Apum Regnum, Formicarum Rempublicam, mutuum congregabilium Animantium amorem; quæ non admirabilis ſeſe offert in ædificatione latibulorum induſtria, in periculis euitandis aſtutia, in infirmitate curanda ſcientia, in alimentorum procuratione Prouidentia, in inimicorum debellatione fortitudo, in liberorum, & ſociorum defenſione dilectio? Sanè ex his, quæ ad vitam ſeruandam, vel proſequenda, vel fugienda ſunt nihil ignorant. Hoc teſtatur D. Auguſtinus *ap. Barthol. Anglicum lib. 18. de propriet. omn. rer. pag. 971. Eſt admiranda quædam in Brutis prudentia. In quibus tamen cum nulla ſit propriè loquēdo ſcientia, quædam tamen in eis ſimilitudo ſcientiæ reperitur. Euidentem enim habent ſolertiam in educatione fetuum, in ædificatione latibulorum, & manſionum, in inquiſitione nutrimentorum, in medicatione vulnerum, in fuga nociuorum, in præſagio mutationis temporum futurorum, in cognitione, & amore parium ſuorum.* Hanc ſententiam etiam nouit, & docuit alterum Eccleſiæ luminare, qui parum diſſimilibus verbis eam docuit: dicit igitur. *Omnibus quoque animantibus innoteſcit primum ſalutem tueri, cauere quæ noceant, expetere quæ proſint; vt patet in latibulis, quibus ſe a periculis, imbribus, Sole defendunt; quod eſt prudentiæ. Succedit quoque, vt omnium genera animantium congregabilia natura ſint: primo generis ſui, ac formæ conſortibus, tum etiam cæteris. Iam de procreandi ſtudio, & ſobolis, vel etiam generationis amore quid loquar,* in quo eſt forma iuſtitiæ præcipua? *D. Ambroſ. Epiſc. Mediol. lib. 1. cap. 27. de offic. tom. 4. pag. 15. lit. D.* His addere oportet naturalem medicamētorum cognitionem, quam habent; nam omnes feræ, cùm infirmantur, quid ſit illi morbo, vel vulneri pharmacum, norunt; quod homines ignorant, niſi addiſcant; & multa ab ipſis Brutis accepiſſe fateri non dedignantur. Audiamus Ambroſium *lib. 6. Hexam. cap. 4. pag. 70. lit. P. Norunt, & Beſtiæ remedia ſua. Leo æger ſimiam quærit, vt deuoret, quo poſſit ſanari: Leopardus capreæ agreſtis ſanguinem bibit, et vim languoris euitat: Omnis Fera ægra canis hauſto curatur ſanguine: Vrſus æger Formicas deuorat: Ceruus oleæ ramuſculos deuorat. Ergo Feræ norunt expetere ea, quæ ſibi proſunt.* Hucuſque D. Ambroſius. Patet igitur Belluas habere cognitionem, ſi non rigurosè ſcientificam, imperfectam tamen rerum notitiam, vltra naturæ inſtinctum.

3 Differunt etiam Animalia inter ſe in ratione victus; nam quædam carniuora ſunt, ita vt non niſi carnibus veſcantur; ſicuti Leo, Leopardus, Tigris, Lupus; & ferè omnes Feræ quæ ſolitariè viuunt: alia verò ſunt quæ ſolis herbis, & frugibus nutriuntur, vt Iumenta, Cerui, Lepores, & ſimilia: Alia verò ſunt quæ indifferenter veſcuntur carnibus, & frugibus, vt vulpes, canes mures, &c. Ita de his ſcribit Auicenna *ap. Barthol. Anglic. loc. cit pag. 970. Diſcrepant etiam Animalia plurimum in nutrimento. Quædam veſcuntur ſolis carnibus, ſicut Leo, Lupus, Tigris, et huiuſmodi; quædam veſcuntur indifferenter omnibus, vt canis, muriceps, et huiuſmodi; quædam graminibus, et frugibus nutriuntur, vt Equi Cerui, et huiuſmodi.* Hinc euidenter colligitur Diuina Prouidentia in membrorum Animalium apta diſpoſitione: ijs namque Belluis, quæ præda, & carnibus veſcuntur vngues aduncas, & fortes dedit, colla verò breuia, quia ſic illis ſatis ſunt ad prædandum: alijs verò, quæ graminibus veſcuntur, vngues bellatrices non dedit, ſed prolixiora colla, vt ad herbam colligendam deſeruirent; & quo maiora ſunt Animalium corpora, eo prolixiora ſunt colla, vt vſque ad terram commodè ad pabulum deſcendere ora poſſint, quod perpendens citatus Ambroſius, inquit, *lit. D. Conſideremus qua ratione Dominus alijs beſtiis anguſtiora colla formauerit, vt Leonibus atq; Tigribus, Vrſis quoque; Aliis prolixiora vt Camelis, et equis. Nonne euidens cauſa eſt, quia illis Feris, quæ carne veſcuntur non erat opus prolixitate ceruicis? non enim in terras paſcendi gratia ceruicem, atque ora deiiciunt, ſed aut ceruum, aut ouem, bouemque diſcerpunt. Camelus verò cùm ſit altior, quomodo herbis minutiſſimis paſceretur, niſi longiora vſque ad terram colla ad vſum paſtionis extenderet?* Hæc ſunt quæ de Natura, & proprietatibus Animalium in generali diſcutere propoſueramus.

§. IV.

De Animalium vtilitate, tam in ordine ad hominem, quam ad Mundum.

1 NEque enim gratis hæc Animalia creata ſunt; nam è nihilo ea educens Altiſſimus, ſicut rationabilia ad ſeipſum direxit, ita Bruta ad hominum ſeruitium deputauit. De hoc teſtimonium ferens Pſaltes, dixit: *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius oues, et boues vniuerſas, inſuper, et pecora campi, volucres Cœli, et piſces maris. Pſalm. 8. verſ. 8.* Vt ſcilicet ex hoc cognoſceremus, omnia Animalia Homini deſeruire; nam ſi de Iumentis loquamur equis vtitur ad itinerandum, bobus ad terram colendam, ouibus ad veſtitum, & victum; Piſces, volucres Feræ, & ad ſolatium venationis, & piſcationis, & ad cibum ſimiliter deſeruiunt: quare concludendum eſt omnia hominis gratia Animantia creata fuiſſe; quod docet D. Ambroſius *de Noe, et Arc. c. 10 to. 1. pag. 139. lit. B. Deniq; gratiæ hominis attribuit Propheta, dicēs: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, et boues vniuerſas, inſuper, et pecora campi: Quia propter ipſum illa omnia; alia propter vtilitatē, alia delectationis gratia, alia voluptatis.* Hinc eſt quòd ſi Deus Animalia nutrit, conſeruat, ſaluat, id totum Hominis beneficio datur;

Digitized by Google

vt quia illis vtitur, illis ſeruatis, & ipſe incolumis ſit; qua propter, vt oſtenderet Deus ſuæ miſericordiæ Abyſſum, dixit ſe non ſolum ſaluare hominem, ſed & omnia illa, quæ ad hominis ſeruitutem pertinere videntur; quod Propheta faſſus eſt, dicens: *Homines, & Iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Pſal.*35. *ver.*8. Quod perpendens D. Theodoretus *in Pſal.*35. *to.*1. *pag.*128. *col.*2. ait. *Homines, & Iumenta ſaluabis Domine: Et quænam eſt cauſa? Quoniam multiplicaſti miſericordiam tuam Deus: Nam ad Iumenta quoque benignitas tua pertingit; nec homines modo, ſed ea quæ propter homines facta fuere, nutris, etiam per hæc homines beneficijs afficiens.* Neque enim in dubio eſt, quin beneficia ſeruis præſtita in Dominorum cedant vtilitatem. Pariformiter etiam, ſi quis iniuria ab aliquo affectus, ſi ipſum præliando vicerit non ſolum eum interficit, ſed quæcumque illius erant deuaſtat; haud ſecus Deus, cum hominem propter peccatorum fœditatem diluuio interimere cogitaret, etiam de Animalibus eadem lata ſententia eſt. *Gen. cap.*6. *ver.*7. *Delebo, inquit, hominem, quem creaui a facie terræ, ab homine vſque ad animantia, a reptili vſque ad volucres Cæli:* Scilicet, vt ea quæ Homini peccanti, ſua ſeruitute auferant culpam, etiam pænas danti miſeriam adaugerent: & eo pereunte, ad cuius beneficium creata fuerant, etiam ipſa perirent. ita D. Ambroſius *loc. cit. pag.*138. *lit. F. Quæcumque, inquit, ſunt in terra morientur. Quid vtique muta deliquerant Animantia, quia ſubiecta ſunt pænæ, quæ peccandi ſenſum non habent? Sed quemadmodum in bello cum Imperator ab hoſte occiditur commoritur eius exercitus, ac omnis comminuitur virtus militaris: ſic non diſcrepare iuſtitiæ viſum eſt cum interiret homo, cui regalem quandam Dominus Deus in omne animantium genus poteſtatem dedit, vt omnibus volucribus, feris, beſtijs, imperiali præeſſet authoritate; quod etiam pecudes, & quæcumque erant irrationabilium commorerentur.* En ergo quod omnia Animalia idcirco creata, ſeruata, ſanata, perdita, quia hominis ſubiecta imperio, deputata ſeruitio, ipſo ſtante permanent, & pereunt pereunte.

2 Sed intueor iam illius ſpeculantis hominis ingenium meæ doctrinæ contrariari paratum; neque ſine cauſa: Etenim tot feræ ſilueſtres, nec iugo cedentes, nec victui deſeruientes, nec venationi idoneæ; quæ potius hominis vel vitam inſidiantur, vel vineas demoliuntur, vel iumenta dilaniant, vel veſtimenta corrodunt, vel ſata deuaſtant, quomodo ad hominis bonum creata dicuntur, quæ tot malorum genera ſubminiſtrant? Enim vero, omnia ad hominis bonum, vel ipſa mala conducunt; Quod ſi negas, dicito mihi, aurum, adamas, gemmæque, & metalla debent minus Artificis malleo, quam naturæ alueo? nequaquam; nam ſi ab hac ſubſtantiam habent, expoliuntur, & illuſtrantur ab arte; nec niſi expolita tantum exiſtimationis haberent. Homines pro cæleſti Patria rudes in mundo naſcuntur, expoliri debent, vt Deo, & Angelis ſint in prætio, idcirco creatæ ſunt Feræ, quæ hominem impugnando exercerent, eius fortitudinem excitarent, agitarent ingenium: nam nullę ſunt Belluæ ita feroces, & indomitæ, quæ humano ingenio tandem non opprimantur; Quò reſpiciens Alexand. Halenſis, *par.* 2. *quæſ.*54. *memb.* 1. *pag.*92. *col.*4. cùm queſtionem mouiſſet, cur tria genera terreſtrium a Deo nominata ſint. *Præterea tria genera notat terreſtrium, ſcilicet Reptilia, Iumenta, & Beſtias. Propter quid deſignat illa ſub tribus rationibus?* Inferius reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod illa tria enumerat, quæ ſic diſtinguuntur, vt iumenta dicantur, quæ ſunt in adiutorium hominum ad laborandum in terra (vnde iumentum dicitur, quaſi iuuamentum) Reptilia vero, & Beſtiæ ſunt, quæ ſunt ad terrorem.* Sed & ipſæ Belluæ, quæ nobis magis inimicæ, & Infeſtæ videntur, non paruam nobis vtilitatem afferunt, vel ad medicinam, vel ad doctrinam. De medicina ex Plinio, Dioſcoride, & alijs hęc colliguntur. Carnes viperæ ad theriacam contra venena componendam adhibentur: fel Tauri, & quorumdam aliorum Animalium, oculorum caliginem remouet: Pellis ſerpentis oleo decocta aurium lenit dolorem: ſedens ſuper Leonis pellem, hemorrhoidas, ſi habet, curabit: Oculi Vrſo eruti, & ſiniſtro brachio alligati quartanam mitigant: canini dentes luporum epilepticos in principio morbi ſanant: & ne præter noſtrum inſtitutum longius protrahatur ſermo nihil eſt in corpore Animalis, quantumlibet feri, quod aliqua vi medicinali careat; nam pellis, pilus, cornu, vnguis, caro, & ſanguis, & ipſe fimus, & excrementum medicinalia ſunt. Hoc totum confirmat ſententia ſua Conſtantinopolitanus Antiſtes. *D. Ioan. Chriſoſt. Hom.*7. *in Gen. to.*1. *col.*35. *lit. B. Ferarum item, & Reptilium genera non paucam nobis præbent vtilitatem. Multa enim inde colligunt medici, quæ ad noſtrorum corporum medicinam, & ſanitatem conducunt.* Liquet profectò inutilia nobis non eſſe, quæ ſanitatem firmant, languoreſque propulſant.

3 Nec minora ex Animalibus ad doctrinam colliguntur. Et vt reliqua prætercam; quid in Formica modico animali non Prouidentiæ, prudentiæ, induſtriæ conſpicitur? hæc animalia minima corpore, maximo pollent ingenio; æſtate congregant id quod in hyeme mandant; pondus vltra ſuas vires ferunt, vnde Ouid. lib. 7. Metam.

Hic nos frugilegas aſpeximus agmine longo
Grande onus exiguo Formicas ore gerentes,
Rugoſoq; ſuum ſeruantes cortice callem.

Cum pluit madefacta ſemina Soli exponũt; ne ſub terra repoſita grana germinẽt, eorum cacumina, in quibus vis germinãdi eſt, detruncant; cum opus fuerit inuicẽ ſe mutuo adiuuãt in oneribus magnis ferendis: odoratu maximo pollent, quo victualia cognoſcunt, viaſque, per quas pergant, ſibi faciunt, ne deuient ab itinere, domumq; deperdant: mortuos ſuos ſepeliunt: Rege carent, ſed Reipublicæ ad modum reguntur; res malè olentes, ſulphur preſertim, oderunt. Ergo tales formicarum operationes ſunt, vt viſum ſit ſpiritui ſancto, earum exemplo excitare hominem ad virtutem: *Prouerb. cap.*6. *ver.*6. *Vade ad formicam o piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat:* Quaſi diceret, vt Gloſſ. ord. interpretatur; *Si tantillum Animal principe carens, ratione expers, natura duce ſibi in poſterum prouidet, multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam eius gloriam vocatus, cum tanto magiſterio adiutus, ipſum Deum creatorem habens ducem, in præſenti debes fructus colligere, quibus poſſis viuere in futuro.* Atque hanc etiam rationem reddit D. Ambroſius de Formicarum, cæterorumque Animalium, quæ inutilia videntur, creatione: ita diſcurrens. *lib.*6. *Hex. c.*3. *pag.*67. *lit. E. Exigua enim eſt Formica, quæ maiora ſuis audet viribus: neque ſeruitio ad operandum cogitur, ſed ſpontanea propoſitio proſpicientiæ futura alimentorum ſubſidia ſibi præſtruit. Cuius vt imiteris induſtriam ſcriptura commonet te, dicens; Vade ad Formicam, o piger, & conſidera vias eius.* Tribus ergo modis Homini inſeruiunt illa, quæ tu putabas fera Animalia ad nihilum prodeſſe, ſcilicet ad exercitium, ad medicinam, & ad doctrinam, vt gratias ageres Omnipotenti.

4 Cæterum nec ad ſolius hominis vtilitatem reſpexit Deus, cum animalia crearet, ſed ad totius mundi ornatum, ac ſui magnificentiam reſpexit; nam tam diuerſa, & in tam paruis, tantam ſolertiam reperiri, creantis Dei omnipotentiam manifeſtant. Cum ergo videris tot animalcula, quorum creationis cauſam ignoras, conſidera illa eſſe partes Vniuerſi, ac ad eius pertinere ornamentum; quod docente Chriſoſtomo addiſces. *Hom.*7. *in Geneſ. to.*1. *col.*34. *lit. E. Ecce verum eſt, quod dixi, quod non omnia propter noſtram vtilitatem produxerit, ſed & propter ſuam magnificentiam, vt videntes copiam creaturarum Opificis virtutem obſtupeſcamus; & ſciamus ſapientia quadam, & miſericordia inenarrabili propter futurum hominem, omnia eſſe producta.* Qua
de cauſa

Digitized by Google

de cauſa Irrefragabilis Doctor cum rationem aliam non inueniret creationis horum Animalium, pulchritudinem aſſignat: omne namq; quod pulchrum eſt ad totius mundi pulchritudinem ſtabiliendam pertinere videtur: *Ego vero fateor me neſcire quare Ranæ create ſint, & Muſcæ, & Vermiculi: video tamen omnia in ſuo genere pulchra eſſe: Alex. de Aleſ. loc. cit. memb. 2. pag. 93. col. 1.* Et ſanè temerarium eſſet, illa inutilia eſſe aſſerere, quæ Deus examinans bona inuenit: nam creatis animalibus dicitur: *Et vidit Deus quod eſſet bonum. Gen. cap. 1. verſ. 26.* Ergo ſi ex Dei ore omnia Animalia bona eſſe cognoſcimus, vtilia dicamus, vel ad hominis ſeruitutem, vel Vniuerſi ornamentum: potius nos eorum bonitatis inſcios eſſe fateamur. Audiamus de hac re Chriſoſtomum loc. cit. *Vbi nunc ſunt, qui dicere audent: Quare Feræ, & reptilia creata ſunt? Audiant Diuinam Scripturam dicẽtem: Et vidit Deus quod bona: Dic obſecro, ipſe qui creauit, laudat, facta, & tu audes reprehendere?* Nos ergo, & cũ Deo laudemus, Bona homini dicamus; pulchra mundo adiudicemus, ne & ipſi cum impiis reprehendamur.

§. V.

De Onagri forma, natura, patria, & proprietatibus.

1 E*Xpectabunt Onagri in ſiti ſua*: De Onagri natura aliquid ſpecialius dicere, quam de Beſtiis in communi, ipſe verſus qui ſpecialiter eum nominat, ſuadet. Onager igitur eſt Aſinus ſilueſter, ſeu ferus; nam compoſitum videtur ex ὄνος, quod ſignificat aſinum, & ἄγριος quod ſignificat agreſtem, ſeu ſilueſtrem; quapropter quamdam mediam naturam inter iumenta, & Feras habet: timiditatem aſininam habet, quare timidiſſimus eſt; ſed e contra pernicitatem leporinam habet in curſu, qua Leonem, a quo ad prædam expetitur, fugit: De eo ita D. Iſidorus Hiſp. *lib. 12. Orig. cap. 1. pag. 102. colum. 2. lit. F. Onager interpretatur Aſinus ferus; ὄνον quippe Græci Aſinum vocant, ἄγριον ferum.* Amant deſerta licet vt cerui, & capreæ ſilueſtres, & Elephantes gregaliter viuant: ſequitur Iſidorus: *Hos Africa habet magnos, ideſt indomitos, & in deſerto vagantes.* Habet præterea propter feritatem vires præſtantiores domeſtico, & ad excolendam terram idoneus eſt; & quia ex ſui natura ad hominis ſeruitutem eſt inclinatus facilè manſueſcit, & ad ſeruitutem cogitur, teſte M. Varone *ap. Aldrouand. lib. 1. de Quadrup. cap. 3. pag. 354. Onagrus ad ſeminationem idoneus eſt, quod e fero fit manſuetus facile, & e manſueto ferus numquam.* Quod ſecus de aliis beſtiis agreſtibus eſt, quæ numquam feritatem totaliter exuunt. Hi ſilueſtres Aſini in zelo Tauris, & Gallis ſimiles ſunt, nam fœminarum gregi ſoli dominari volunt; ea propter inuident maſculis, etiam propriis filiis naſcentibus, quod ſi detur locus eis naſcentibus dentibus genitalia adimunt; ſed id matres vitãt eorũ ab aſpectu partum occulẽtes, ita D. Iſidorus loc. cit. *Naſcentibus maſculis zelant, & teſticulos eorum morſu detruncant, quod tamen cauẽtes Matres eos in ſecretis locis occultant.* Hinc liquet luxurioſos, & liberos eſſe Onagros, ac propterea ſolitudinis amantes; cum verò a fœminis abeſt, vt olfactu præſtantiſſimus eſt, ad montana aſcendit, & aperto ore auram attrahit, vt per auræ odorem locum, vbi fœmina manet agnoſcat; hoc Ieremias docet *cap. 2. ver. 24. Onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui.* Quem locum interpretatus Cornelius a Lapide, *pag. 584. col. 2. lit. D.* ſubdit. *Onager mas, vel fœmina, animal ſilueſtre, & ſalaciſſimum, efferum, atq; velociſſimum teſte Plinio, Oppiano, Æliano, & aliis; quod in deſiderio animæ ſuæ, ſcilicet cum æſtuat, attrahit ventum, & auram, quam maximè amat: aut potius cum libidine incenditur, teſte Oppiano, ad odorandam, & captandam auram fœminæ, quam amat, & in eam transfertur.*

2 Onagri Patria Africa eſt Monſtrorum parens; licet enim & alibi etiam reperiantur onagri, attamen Africani omnibus præſtant, & qualitate, & numero; nam cum maior eius regionis pars ſit deſerta, in ea maiori cum libertate agreſtia animalia ſpatiantur: id docet D. Iſidorus Hiſp. *lib. 14. cap. 5. Origin. pag. 122. colum. 2. lit. G. Zeugis, vbi Carthago magna, ipſa eſt vera Africa inter Bizantium, & Numidiam ſita, a Septentrione mari ſiculo iuncta, & a meridie vſque ad Getulorum regionem porrecta; cuius proxima quæ frugifera ſunt: vlteriora autem, & ſerpentibus plena, atque Onagris magnis in deſerto vagantibus.* Apud veteres Onagrorum pullos ad eſum adhibitos dicit Plinius *lib. 8. cap. 44. pag. 174. ver. 8.* eoſque laudat, porrò laudatiſſimos Africanos eſſe. *Onagri in Phrigia, & Licaonia præcipui; pullis eorum ceu præſtantibus ſapore Africa gloriatur, quos Laliſiones vocant.* Hoc autem non ſolis Africanis conuenit, cum etiam aliæ Regiones eos habeant; nam & Poloni quam dicunt magnam Beſtiam, onagrum eſſe teſtantur; quin etiam & in Orientalibus Regionibus, India præſertim, pulchros ineſſe onagros ſcribit Nicephorus Calixtus; qui capta occaſione Onagri formam deſcribit his verbis *lib. 9. cap. 19. Hiſt. Eccleſ. pag. 488. col. 2. lit. D. Hæc eadem Regio, & Aſinos feros magnitudine ingentes fert, pelle mirificè præter morem verſicolores: albo ſcilicet, & nigro colore admodum inter ſe variatis, & zonæ quædam a ſumma dorſi ſpina ad latera, & ventrem demiſſæ, & conuerſionibus quibuſdam inter ſe implicatæ, mirificam, & nouam efficiunt plicaturam, & varietatem.* Sic ergo pulcherrimos onagros Indus nutrit; ſapidos Africa, Polonia ſalutares.

3 Cum ergo vt plurimum calidis in Regionibus viuat Onager, conſequens eſt, vt ſitim maximam patiatur; hoc enim calidarum Regionum eſt proprium, vt ſitim violentem generent ſed ad illam frangendam raram emittant aquam; cum igitur Onager in Africa viuat, & curſu hominem, lupum, leonem fugiens, ſæpiſſimo ſe curſu fatiget maximè ſitire neceſſe eſt; & cum fontem repererit, ibi frangere ſitim ſuam: *Onagri*, inquit Geſnerus *lib. 1. de Quadruped pag. 21. Cum in Regionibus calidis, ſiccisq; reperiantur, & ob timiditatem ſubinde locum mutent magna cum celeritate, præſertim cum natura corpore ſicco ſit, neceſſe eſt ſitim pati.* Ex hoc ei adhæret virtus alia, ſeu præſcientia, Gallo non abſimilis, horas ſcilicet diſtinguendi rugitu ſuo; nam tot edit rugitus die, ac nocte, quot horæ numerantur, & diebus æquinoctiorum duodecies de die, & toties de nocte rugit: Hinc ſilueſtres Africani in deſertis degentes, loco Horologii rugitu onagri vtuntur, ad horas diſtinguendas; quod obſeruat Bartholomeus Anglicus *De propriet. omn. rer. lib. 18. pag. 1096. De quo dicit Phiſiologus, quod 25. die Martij duodecies in die, & toties in nocte rugit, per cuius rugitũ æquinoctium apud Afros dignoſcitur: & dicit quod toties ſemper rugit de die quot dies habet horas, ſimiliter, & de nocte, vnde & ſyluani in montibus Africæ ab Onagris, in quibus abundant, per numerum rugitus eorum numerum horarum dierum, & noctium computant, & diuerſificãt.* Quæ de Onagrorum natura ſufficiat declaraſſe: qui plura deſiderat conſulat Aldrouandum.

Digitized by Google

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

INter alia beneficia, quæ Diuinæ diſpenſationis gratia Humano Generi ex Animalium generatione prouenerunt, illud haud minimum eſſe putandum eſt, quod eorum viuendi conditio, aut ad vitia fugienda, aut ad ſectandas virtutes exemplum nobis, doctrinamque proponat; nam, & multa reperiuntur, quæ ob vitioſam vitæ conuerſationem odio habentur, in quibus illa vitia liberius arguunt homines, quæ in ſe ipſis damnare non auderent. E contra verò talis quorumdam Belluarum viuendi eſt ratio, vt pudeat Belluarum virtutes hominem non imitari. In hoc verſu Beſtiarum nomine duo hominum vitia notantur: primum eſt mundanarum delectationum libido, nam Belluarum more homines mundani herbas agri, hoc eſt ſæculi voluptates concupiſcunt. Secundum vitium eſt impænitentia; nam ſicut ſilueſtres Feræ numquam feritatem deponunt; ita Peccatores in malo indurati numquam peccandi faciunt finem, nec pœnitentiam amplectuntur. Onagri verò boni habent quod aquam puram expectent quod hominum iugum exuerunt, per hæc cœleſtium deſiderium, vel iuſtorum, vel pœnitentium ſignantes; mali verò habent inuidiam quam erga maſculos filios parentes habent, noſtram profectò væſanam inuidiam demonſtrantes.

SVMMARIVM.

1 *Beſtiæ ſunt qui aquis mundialium delectationum ſatiantur.*
2 *Peccatores obſtinati numquam peccandi feritatem deponunt.*
3 *Animæ Sanctæ ſolam cæleſtem conſolationem deſiderant.*
4 *Sperare in Deo debemus, cuius auxilium ſemper eſt paratum.*
5 *Tunc peccatores cæleſtia amant, cum per penitentiam vitiorum ſarcinam deponunt.*
6 *Inuidi bonos oderunt, & eorum profectum impedire ſatagunt.*

§. I.

Beſtiæ ſunt qui aquis mundialium delectationum ſatiantur.

1 POtabunt omnes Beſtiæ agri: Belluarum omnium finis preſẽtis vitæ delectatio eſt, quippe quę mortali animatæ ſpiritu, animam cum vita deperdant; vnde nil mirum ſi in ſolius præſentis delectationis amorem naturæ ferantur inſtintu. Homo autem ſolus os ad Cœlum ſubſtollit, quia æternam illi gloriam in illis reponitur: cum igitur aliquis ex hominibus ſolis carnalibus deliciis addictus cernitur, is non Homo, ſed Beſtia potius dicendus eſt; qui herbam agri, carnales comedens voluptates, non expectat aquam vitæ, ſed mortis fontibus delectatur. De huiuſmodi ergo dicitur. *Potabunt omnes Beſtiæ agri*: Exponente B. Alberto. *Per Beſtias carnales homines intelliguntur. Beſtia ergo libido, quia carnalis homo delectationibus præſentibus ſe reficit.*

2 Communis apud quoſdam remurmuratio eſt, cur impiorum vita ſic proſperetur, vt omnia eis ex ſententia ſuccedant; non eos ægritudo fatigat, non ægeſtas excruciat, non perſecutio exagitat, non calumnia vexat, nõ intemperies maculat, non ruina comprimit, non iniuria turbat: ſi mercaturam exercet, ſpontè ſeſe offerunt lucra; ſi dignitates ambit, etiam non quærenti occurrunt; ſi delicias amat fruitur; ſi inimicorum meditatur clades, votis omnia reſpondent; ſic ergo feliciter viuit, qui nec proximum amat, nec Deum timet, nec Sanctos veretur, nec Principes veneratur, ſed omnibus infeſtus, in illos Blaſphemias, in hos conuicia iactat; iſtis detrahit, exprobrat illis. Cum è contra iuſti, & Deum timentes continuo labore vexentur. Sed deſinat iam mirari, quiſquis eſt, qui iſta meditatur; & conſideret Belluarum more *in* eos agi: nam quæ ad macellum deputatæ ſunt Beſtiæ, *in* liberis vagantur paſcuis, & quęcumque ſecundum naturalem inſtintum amant, vltro eis concedũtur, vt ſaginatę mortem incurrentes, hominum delicias proprio dolore foueant. Cum ergo carnales homines liberè deliciantes, & feliciter luxuriantes videris, Beſtias dicito, æterno Inferni macello ad crudeliſſimam mortem, Dęmonumque paſtum deſtinatas. Hoc optimè Patientiſſimus nouerat, cum tãdem finem vltimum Iniqui perditionem dicebat: *Numquid non perditio eſt iniquo, & alienatio Operantibus iniquitatem? Iob. cap.31.ver.3.* quaſi diceret: Nonne Beſtiæ, quæ ad ſatietatem paſcuntur tandem in mortem terminant? Ita prorſus iniqui, cum benè in *laſciuijs* exſaturati fuerint perditionem expectent. Fauet huic ſenſui Romanus Gregorius *lib.21.cap.4.moral.pag.289. lit.E. Numquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem? Iniuſtus ad debitam mortem currens effrenatis voluptatibus vtitur: quia & Vituli, qui mactandi ſunt, in liberis paſtibus relinquuntur.* Miſerrimæ Beſtiæ, quæ dum carnalium voluptatum ad ſatietatem aquas potant, vel nolentes æternæ morti propinant.

3 Nemo eſt qui neſciat, dummodo ratione vtatur, nedum Philoſophicis ſpeculationibus aſſuetus differentiam eſſentialem hominis, per quam differt a Brutis, ratiocinationem eſſe. Neque enim Belluæ nouerunt aliud bonum, quam id quod tanquam ſuæ ſpeciei commodum

Natura

Digitized by Google

Natura mater inſinuat: differentias rerum quas ſenſus non oſtendit, anima non agnoſcit, quæ ſint meliora, quæ laudabiliora non curat, quia diſtinguere neſcit. Homo autem ratione vtens hæc omnia ita intelligit, vt non ad ſenſus, ſed ad rationis præſcriptum vitam inſtituat: honorem æſtimat, virtutes proſequitur, vtilia haud aſpernatur. Quod ſi ratio honeſtè, modeſtèque viuere docet, cum videmus hominem ſenſuales appetitus ſequentem, nil famæ opinionem metuere, nil Dei hominumque indignationem vereri, nil rationi monenti cedere, ſed Brutorum more, quidquid ſenſum titillat, quidquid carnem inlectat, illud proſequi, quam de illo feremus ſententiam? hominem eſſe? Et quomodo hominem dicam quem rationalem non audio? Quod ratione caret Brutum eſt. Hæc metuebat Pſaltes, dum monebat: *Nolite fieri ſicut Equus, & Mulus, quibus non eſt intellectus*: *Pſalm.31. verſic.11.* Ne ſcilicet rationem abiicientes inter Belluas deputentur. Et quidem ferendum eſt malum, irrationale animal vti ratione neſcire: at hominem irrationabiliter operari nulla venia dignum eſt, vt notat Lyranus *in Pſalm.31. Nolite fieri ſicut Equus, & Mulus. Ideſt ſequentes appetitum ſenſitiuum, viuentes vita brutali: Quibus non eſt intellectus: Quaſi dicat, hoc nulla culpa eſt in Brutis animalibus, quia non habent intellectum, per quem poſſint refrenare appetitum ſenſitiuum: ſed in hominibus rationem habentibus hoc valde culpabile eſt, quia per rationem poſſet appetitum ſenſitiuum frenare.* Quod dum facere detrectant, hominis appellationem non merentur, qui brutali conuerſatione degenerant.

4 Ita præualet in cunctis animantibus propriæ inſtinctus naturæ, vt propoſito quod delectet, vnumquodque facilè decipiatur. Aues retibus capiuntur, piſces hamo vinciuntur, dum optatum cibum expetunt, inſidias non veriti; ramo viridi oſtenſo trahitur ouis, ad panis, vel carnis fruſtrum accurrit canis, & venationis ſtudio ad ſeruitutem Falco deducitur; quapropter verus apophtegma viget: *Trahit ſua quemque voluptas*. Hoc inter omnia mirum eſt, quod cum alia aliis trahantur voluptatibus animantia, vnus Porcus in Cœno ſe volutari pro maximis delicijs habeat. En voluptuoſorum hominum allegoria; Porci ſunt, in cœno carnalium voluptatum volutari deſiderant. Ea propter Diabolus Venator aſtutus, vt hanc ſub hominis forma turpem capiat Belluam, cœnum exhibet, lutum commonſtrat: neque enim eſt aliud voluptatibus carnis inhærere, quam volutari in cœno. Hoc ad peccatricem Ieruſalem obiciebat Propheta Ierem. *cap.38. verſic.22 Seduxerunt te, & preualuerunt aduerſum te viri pacifici tui, demerſerunt in cœno, & in lubrico pedes tuos*: Neque enim Ieruſalem comprehendiſſent, niſi cœnum carnalium voluptatum propoſuiſſent: Nam & hoc voluptas eſt, monſtrante D. Ioanne Chriſoſtomo *Aduerſ. Vituper. vit. monaſt. lib.2. capit.12. tom.5. colum.628. lit.E. Quid enim eſt voluptas? Nonne ventri ſe dedere, ciboſque delicatos parare, & ſpecioſis mulieribus congredi, Porcorum inſtar in cœno volutantium?* Turpius excogitari non poteſt, quam rationalem creaturam turpiſſimæ beſtiarum æquiparari; horret ingenium, natura abhorret; & hoc ſenſus deceptus amat.

5 Meritò igitur qui ſe Belluam fecit beſtiali morte peremptus, æternas, & ineluctabiles luit pœnas: in cœno moritur, qui in cœno vitam inſtituit; neque in hominum memoria viuit, qui Brutis conuixit: Filiorum panem Diuinæ gratiæ haud meretur, qui turpi conuerſatione, peiorem ſe cane demonſtrat. Cum iumenta paleis carent, nec ad virides campos, ad herbam captandam poteſtas datur, conſequenter in ſtabulo ſuomet circumdata ſtercore, fame fætoreque conſumuntur; imò ex ipſomet fimo erumpente putredine, prius computreſcunt quam moriantur: Ita Ieroſolimis accidiſſe Propheta commemorat, dum ingraueſcente fame: *Computruerunt Iumenta in ſtercore ſuo*: *Ioel. capit.1. ver. 17.* Et dat rationem Lyranus. *Quia propter ſterilitatem terræ non habebant ſtramentum ad ſufficiendum eis.* Hæc eſt ſenſualium hominum mors, hic voluptuoſæ vitæ finis; morte etenim propinquante, languoribus corpus oppreſſum, delicijs frui nequit, ſic paleæ terrenarum deficiunt voluptatum; & quia obſtinatus animus in vitiis obſoleuit, & conſenuit pœnitentiam detrectat, vnde ad virentia gratiæ paſcua ad quærendū cibum nō poteſt exire: quapropter in ſtercore ſuo computreſcit, ideſt in deſiderio earum voluptatum, quas conſequi nequit, moritur impœnitens, & de ſtabulo corporis ad Inferni ſterquilinium deportatur. Ita Gloſſa Interlin. *Computruerunt Iumenta in ſtercore ſuo: Ablatis alimentis, & lætitia, illi quorum Deus venter eſt, deficiunt in ſua luxuria, & Idololatria, & ingluuie ventris, & ibi vitam finiunt.* Aſſentitur etiam D Gregorius *Homil.10. in Euangel. tomo 3. pag.23. lit.E.* Hac ſententia. *Mortuam vero carnem putreſcere, eſt hoc mortale corpus fluxui luxuriæ deſeruire, ſicut dicitur: Computruerunt Iumenta in ſtercore ſuo: Iumenta quippe in ſtercore ſuo putreſcere, eſt carnales homines in fætore luxuriæ vitam finire.* Beſtiæ igitur ſunt, quibus potum terrenæ valles, ac mundani fontes tribuunt; nam ſi pro Feris, & Iumentis aperti ſunt fontes, & currunt flumina; ſanè bellua eſt qui illorum fluctibus ſatiatur.

§. II.

Peccatores obſtinati numquam peccandi feritatem deponunt.

1 *Potabunt omnes beſtiæ agri*: Cum omnes beſtias agri commemorat, omnes Feras, ſeu ſilueſtres, & indomitas beſtias comprehendit; quid ergo ſubdidit: Frangent Onagri ſitim ſuam? Quæ enim inter alias Feras, & Onagrum differentia eſt? magna equidem, vt in literali expoſitione docuimus; nam reliquæ Feræ ſilueſtres numquam domantur, aut manſueſcunt, Onagri verò facile ad domeſticam vitam trahuntur: per Onagros conuerſi peccatores, & diuinam ſitientes gratiam ſignātur, de quibus §. v. Beſtiæ verò agri peccatores obſtinati ſunt: cum enim in principio conuerti negligant, & a mala ſe auertere vita, difficile admodum eſt ab aſſuetis abſtrahi illecebris; quod egregiè taxauit Ouidius *de remed. amor.*

Vidi ego, quod fuerat primò ſanabile vulnus,
Dilatum longæ Damna tuliſſe moræ:
Sed quia delectat Veneris decerpere fructus,
Dicimus aſſiduè, cras quoque fiet idem.
Interea tacitæ ſerpunt per viſcera flammæ,
Et mala radices altius arbor habet.

Sic ergo Peccatores in malo firmati Beſtiæ agri nuncupantur, quibus immutandi naturam, aut deponendi feritatem modica ſpes ſupereſt. *Per beſtias autem agri*, inquit D. Ioannes Chriſoſtomus, *hoc eſt Mundi, Peccatores intelligit, propterea quod quemadmodum agreſtes beſtiæ feritatem ſuam deponere nequeunt, eodem modo nec peccatores immutari.*

2 Belluarum Principi hoc dedit natura, vt voce ſua rugiens, omnes beſtiæ timore compulſæ ſileant, & abſcondantur: cum enim Regum timor ſubditos continere in officio debeat, hoc belluarum Imperatori nequaquam denegare natura voluit. Illæ ergo tantummodo Beſtiæ Leonem timere non poſſunt, quæ eius rugitum non audierunt. Si autem Feræ ſunt peccatores, Regem ſuum timebunt, eum eum vltima minantem, & æterna ſupplicia audierint; nec poteſt irati Dei faciem non expaueſcere, qui iuſtitiam nouit, & minas audit: nihilominus reperiuntur qui non timeant, illi ſcilicet, qui Feris ipſis nequiores, obduratis præ obſtinatione auribus, Dei vocem audire detrectant. Quod quaſi portentum Amos Propheta commemorat, dicens: *Leo rugiet, quis non timebit? cap.3. verſ.8.* Im-

Digitized by Google

poſſibile eſt terribilem Dei vocem audire, & non timere, at peccatores aures clauſerunt, ne timerent; quare D.Hieronimus *in Amoſ. tomo 5. pagin.228 lit F. Quis in hoc loco, non pro impoſſibili, ſed pro raro accipitur: ille enim non timebit, & ille non prophetabit, qui propter duritiam ſuam Dominum audire contempſerit*. Nam ſi Dominum audiſſet, vtique feritate depoſita, ac timore filiali correptus, non amplius inter belluas, ſed inter homines ſanctè vixiſſet.

3 Cibum, potumque natura ad reſtaurandas corporis vires inuenit, hic eorum legitimus vſus: & tamen hominum ſæuitia, quod vitæ eſt fulcimentum mortis miniſtrum fecit. Limpida eſt aqua, pura eſt, dulcis eſt, quam iniquus veneno inficiens amaram, & truculentam reddens, vtitur inſtrumento vitali ad perdendam vitam. Neque pauci fuerunt, qui propriæ vitæ inſidiantes ſibi ipſi venena in cibo, vel potu miſcentes voluntariam ſubiere necem. Quæ ergo panis culpa, quod vini, vel aquæ delictũ, ſi pro dulci hauſtu, amaram præbuere mortem? nulla ſanè; illius peccatum eſt, qui inficit. Deus æternus dulcis eſt Animæ cibus, ſalutaris animæ potus, quos cibauerit ad vitam dirigit: quid ergo in peccatores aliquando amarum, mortiferumque ſe præbet, ipſos ad æternam mortem damnando? quia ipſi peccatores obdurati in malo, in iniquitate defixi, feritatem pœnitentia non exuentes, ipſa ſua malitia amarum Deum reddiderunt: ex cibo vitæ mortis poculum extrahentes. Huius iuſtæ iracũdiæ præco, imprecabat Oſeas *c.14.v.1 Pereat Samaria*: & quodnã ſcelus eam perdit? *Quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuũ*: digna perditione culpa, quæ Deum ſua natura mitem, dulcem, beneuolum ſua fecerat obſtinatione amarum, veniam non merebat, quæ pœnitentiam detrectabat; vt Abbas Rupertus docet *in cap.14. Oſee. tom 2. pag.102. colum.1. Pereat Samaria: quare? Quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum. Magna hæc, & terribilis cauſa, ſiue accuſatio eſt; Deus enim naturaliter dulcis eſt; nec parua poteſt eſſe cauſa, per quam ad amaritudinem concitatus eſſe videatur. Cor impœnitens hoc effecit, & huius criminis rea fuit Samaria*. Heu crudelis Bellua, quæ necem maluit incurrere, quam exuere feritatem, perire potius quam pęnitere.

4 Tanta ergo impęnitentia eſt, tanta obdurati hominis inſipientia, vt ipſa ſui perniciem ſtruat. De Turdo aue dicitur, quod ſtercore ſuo inter ramos arborum recepto viſcum producat, quo ipſa auis mox capietur, ſuam mortem propria fæcunditate ferens. Sed ſimilior peccatori impęnitenti, qui ſibimet diuinam fabricat vindictam, Actæon videtur; hic enim cum ſua curioſa veſtigatione Dianam aſpexiſſet, in Feram ab ira Deæ conuerſus eſt; & ſub ficta cerui ſpecie latitans, a ſuiſmet canibus interfectus, ac dilaniatus interijt. En tibi impęnitentis peccatoris imaginem, per peccatum in belluam verſus, dum ſuam feritatem non exuit, Dei vindictam, quæ hominibus parcit, feras punit, ad ſe trahit: ſicque ab æternæ mortis morſibus laceratus, non ſuas, ſed Diabolo repoſitas pœnas, luit: de quo illud Ouidianum de Actæone commentum fidem inuenit.

Vndique circumſtant, merſiſque in corpore roſtris,
Dilacerant falſi Dominum ſub imagine Cerui.

Ouidius lib. 3. Metamorph. Quod ſi dedecet gentilis Vatis figmentum, accipe Chriſtianæ tubæ ſonum: *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. Ad Roman. capit. 2. verſ. 5.* Nam impęnitentes cum beſtiæ ſint diuinæ vindictæ morſibus dilaniandos ſe offerunt. Plorabat, & hoc D. Bernardus. *Væ filijs diffidentiæ, his quoque, qui ex Adam ſunt, qui nati iræ filij, ipſi ſibi iram in furorem, furorem in virgam, virgam in baculum, imo in malleum diabolica obſtinatione conuertunt. Deniq; theſaurizant ſibi iram in die iræ. Ira enim accumulata quid niſi furor? D.Bernard. Abb.Claren. Serm.61. in Cantic. pag. 775. lit.G.* Si Fera eſt ſuis decipitur formis, & ſub falſa imagine belluæ ictibus vltionis diuinæ confoditur.

5 Summa veſania eſt, cum quis graui languet vulnere, medici opem non implorare, eoque peius, accedentem eijcere; id mentis compos haud faciet; faciet, vel Fera, quæ periculum vel non metuit, vel medici virtutem non nouit; aut mente captus, qui beſtiæ haud diſſimilis furens in medicum, ipſum expellit: Quod ſi aliquis cauſam interrogauerit cur vulnus peremit, reſponſio in promptu eſt; quia medicum recuſauit æger. Peccator impænitens Belluæ, & inſano ſe ſimilem facit, neque gratiæ medicinam per pænitentiam adhibere, nec medicum ſalutis prædicantem audire patitur. Ita ergo morbo conſumptus æternæ necis morſum incurrit, qui vulnus curare non eſt paſſus. De Iſraelitica gente interrogauit Ieremias *cap.8. ver.22. Numquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Neque vllam de hoc rationem reddit; quia fortè præ dolore aliud replicare non potuit; ſed ex ijs, quæ paulò ſuperius dixit, colligere poſſumus reſponſionem; dixit namque: *Nullus eſt, qui agat pænitentiam ſuper peccato ſuo. ver.6* Hæc cauſa fuit quare cicatrix non eſt curata, quia pęnitentiam, quæ huiuſmodi medicina eſt, aſpernata fuit; plaga ergo immedicata computruit, & mortem induxit. Aſſentitur Liranus. *Tacetur reſponſio, quia loquitur ad modum hominis turbati, qui truncat verbum ſuum, & non complet. Reſponſio tamen eſt, quod populus nolebat audire medicum, nec eius recipere medicinam.* Beſtiæ ergo, ęgri ſunt impænitentes peccatores, qui ſemper ſiluestres remanent, neque aliquando per pænitentiam manſueſcunt.

§. III.

Animæ Sanctæ ſolam cæleſtem conſolationem deſiderant.

1 E*Xpectabunt Onagri in ſiti ſua*. De Onagro ſcriptum eſt, quod licet maximè ſitiat, nequaquam tamen ex omni aqua bibat, ſed turbida paruipenſa, expectat, & patienter ſuſtinet ſitim, quoadusque aquam puram, & claram inueniat. Hæc figura eſt Animarum ſpiritualium, & quæ ad cæleſtia toto corde anhelant: iſtæ enim omnem humanam conſolationem, omnes terrenas delicias reſpuentes ad ſolam cęleſtem gloriam currunt, illam tantummodo beatitudinem ſitiunt: in nullo gaudio, quod Dei nõ ſit delectantur: Sciunt enim quod nulla mortalis voluptas ad ſatietatem poteſt reficere, nulla cordis deſideria totaliter explere; & ideo gloriam expectant Dei, quæ omnem ſatietatem adimplet, quæ ſitim omnem explet, quæ vltra ſitiendi cauſam non derelinquit. De his Onagris Propheta hic loquitur, vt magnus exponit Albertus. *Expectabunt Onagri in ſiti ſua: Onagri autem viri iuſti; ſed Onager expectat, & ſuſtinet ſitim, donec de plenitudine bonorum ſe reficiat, dicens illud Pſalmi: Satiabor cum apparuerit Gloria tua.*

2 Beſtiæ equidem, & irrationabiles ſunt, qui cum ſitim Beatitudinis habeant, ipſam in terrenis delectamentis explere laborant; aquæ mundanarum deliciarum eiuſmodi ſunt, vt numquam ſitim omnino extinguant, ſed cum ad modicum tempus delectauerint, ſtatim inſurget denuo ſitis: aquæ turbidæ, & quæ cum bibuntur in maxima ſiti, amaritudinem quam habent, abſcõdunt, ſed tandem voluptatis finem amaricatus guſtus imponit. Onagri verò turbidam neglexerunt aquam: Viri ſpirituales æternæ Beatitudinis fontem expectant; ipſum ſitiunt; ipſum expetunt: quod & faciebat Rex Sanctus. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: Pſalm. 41. verſicul. 2.* Quaſi diceret. Sitiant alij deſiderio decepto, mundiales aquas turbidas, impuras, amaras; ego ſolum Diuinitatis fontem vt

ſitim

Digitized by Google

ſitim expleam expecto; in illo ſunt fonte omnes ſatietates; non diuitias ſitio, non honores ambio, non volutates fameſco, non perituras, & perdituras delicias opto, ſed Deum ſitio, Deum expecto: Onager, non Beſtia ſum. Ita ſentit Carthagena. *Homil.7.de verb.Chriſt. tom.1.pag.1252. Hæc eſt natura, & ingenium Onagrorum, vt quantumcumque ſiti nimia vexentur, ex turbidis aquis minime bibant, ſed puras, & claras expectant inuenire, vt ſitim ſuam expleant. Ita ſane oportet, vt qui voluptatum, & honorum, & diuitiarum ſitim patiuntur, ex turbidis fontibus huius ſæculi minime bibant, ſed expectent peruenire ad perennem illum fontem, quem deſiderabat Dauid, cum dicebat: Sitiuit Anima mea ad Deum fontem viuum.* Fons ille omnem habet ſuauitatem, & omne delectamentum; attamen Onagros reficit, qui mundanam aſpernantur aquam; non Beſtias, quæ turbidis mundi delicijs ſitim expleuerunt.

3 Sapiens dum ſub nomine Mulieris fortis animam Sanctam laudibus extolleret, inter alia fortitudinis exempla, quæ ſanctam illam extulere mulierem, nauim fuiſſe commemorat. *Facta eſt quaſi Nauis Inſtitoris. Prouerb. cap.31. verſ.14.* Sed quænam eſt fortitudo tanta Nauis, vt eius imitari conditionem inter egregia Fortis opera locum teneat? Magna equidem, & digniſſima laude. Nauis in medio mari ſita marinas aquas non admittit; eam partem quæ mare tangit, clauſa omnino eſt; illa verò pars, quæ ſuperius eſt, & Cœlum intuetur, aperta eſt: quòd ſi eius aquæ defecerint ad bibendum, & in ea præualeat ſitis, nequaquam, vt ipſam expleant Nautæ ad maris vndas confugiunt, ſed cæleſtem pluuiam patienter expectantes, ex ipſa ſitim reficiunt. Rectè ergo Anima Sancta Nauis eſt terrenum voluptatum vndis clauſa, cæleſtis beatitudinis pluuiæ patens; vt ſciat mundana contemnere deſiderare cæleſtia: quòd ſuadebat Apoſtolus docens: *Quæ ſurſum ſunt quærite vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Ad Coloſſ. cap.3. verſic. 1.2.* Hoc totum magnus confirmat Albertus *in Pſalm.103.ver.27. Et benè viri iuſti Naui comparantur, quia Nauis ex parte maris clauſa eſt, & ſuperius aperta: Sic Iuſti quærunt quæ ſurſum ſunt, non quæ infra. Coloſſ. 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite non quæ ſuper terram.* Iuſtorum eſt igitur Onagrorum terrena paruipendere, & ſitim perferre ad Paradiſi fontem explendam.

4 Verum quid magnum eſt aquam Oceani ſalſam, & amaram aſpernari; tranſitorias mundi delicias odio habere? illud profectò mirabile eſt, ipſas aquas, quæ dulces videntur, ipſas celeſtes contemnere conſolationes, vt ſolius Deitatis fontis ſitiat vndam. Increati Numinis Sponſa, dum chariſſimi ſui ſitiret amplexus, hæc effata eſt: *Oſculetur me oſculo oris ſui: Cantic. capit.1. verſ.1.* Quid autem deſiderat Sponſa niſi ſolius Dei viſionem? Imò monet myſticæ Theologiæ ſtudioſos, contemplatiuos inſtruit; ne in ſiti ſpiritualium delectationum, extra Deum, licet ſanctum, & cæleſte aliquid expetant; nec ponant finem ſui laboris in ſenſibili dulcedine, quam in contemplatione experiuntur; non eſt hic finis noſter, ſed aperta viſio Dei, hanc ſolam expectere debemus, ipſam ſitire, omnes alii guſtus ſpirituales, vmbræ ſunt gloriæ, beatitudinis figuræ: etiam ſi ſecreta reuelentur cæleſtia, diuinæ fiant illuſtrationes, futurorum enodetur cognitio, ſupernæ dulcedinis illabatur guſtus, hæc omnia oſcula ſunt pedum, manuum, non oris; deſpicienda ſunt, & ipſius Dei reuelata facies expetenda, cuius gloriam oris oſculum ſignat; & ideo Anima perfecta clamat: nolo aquas turbidas, nolo delicias ſpirituales in hoc mundo, ipſum fontem æternitatis ſitio, ipſe meam ſitim frangat: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Audiamus D. Bernardum iſta meditantem. *Serm.2. in Cantic.pag. 134. lit.E. Oſculetur me oſculo oris ſui: Cuius vtiq; ſermo viuus, & efficax oſculum mihi eſt, non quidem commulanne Mata*[illegible]*tio labiorum, quę interdum pacem mentitur animarum, ſed planè infuſio gaudiorum, reuelatio ſecretorum, mira quædam, & quodammodo indiſcreta commixtio ſuperni luminis, & illuminatæ mentis. Adhærēs quippe Deo vnus ſpiritus eſt. Meritò proinde viſiones, & ſomnia non recipio, figuras, & ænigmata nolo, ipſas quoque angelicas faſtidio ſpecies. Quippe, & ipſas ſuperat Deus meus ſpecie ſua, & pulchritudine ſua. Non ergo alium ſiue Angelum, ſiue hominem, ſed ipſum peto oſculari me oſculo oris ſui.* Nam ſola Diuini fontis libatio ſitim explet Animę contemplantis.

5 Anima quæ re vera Deum ſitit, & ſe longè ab æterno fonte poſitam videt, nullam aquam guſtat, nullam conſolationem, quamuis ſpiritualem, atque cæleſtem admittit: Et cum Dei careat viſione, nec humana de Deo colloquia, nec Angelicæ viſiones, & conſolationes ſitim extinguunt, dolorem minuant. Apertè id perſpicitur in contemplatiuorum Speculo Maria Magdalena. Hæc Dominum perdiderat mortuum, quem cum non inueniſset apud monumentum plorabat: *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans. Ioan.cap.20.ver.11.* Ploranti adſunt Angeli conſolationem promittunt, nec ad eorum vocem temperat a lacrymis; imò cum eis dolorem ſuum explicuiſſet, ſtatim aliò conuerſa eſt, non expectans conſolatoria verba, quæ cæleſtes illi ſpiritus exhibebant. *Dum ergo fleret inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis ſedentes, &c. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, ver.13.* Quid ergo tunc Maria, patefacta doloris cauſa, forſitan eorum conſolationem expectauit, forſitan quæ Dominum Angelorum perdiderat, in proſpectu Angelorum hærebat, vt ſerui Domini præſentiam implerent? minimè; ſed reſponſo neglecto, retrorſum ſe conuertit. *Hæc cum dixiſſet conuerſa eſt retrorſum, ver.14.* Non enim Dei ſitientem Animam vllæ conſolationem aquæ etiam ſpirituales, & angelicæ ſatiabunt, ſed ipſe Deus, ipſe æternitatis fons exquirendus eſt; & Ideo dereliquit Angelos Maria, ipſū requiſitura, & expectatura Dominum. Peroptimè Origenes *Homil.10. in Diuerſ. in Euangel. tom.2. pag.292. lit. M. Maria doloribus confecta, tota in exceſſu mentis poſita nullam recipit conſolationem, ad nullum tendit cōſolatorem, ſed intra ſe cogitat dicens: Proh dolor! qualis eſt iſta conſolatio? Oneroſi ſunt mihi omnes conſolatores, grauant me, & non conſolantur: Ego autem quæro Creatorem, & ideo mihi grauis eſt ad videndum omnis creatura. Nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere.* Onager namq; Maria Magdalene erat, turbidam aquam conſolationis creatæ non admittebat, quæ vtique Creatoris fontem expectans, neque ſpe fruſtrata, in ipſo limpidiſſimo, ac puriſſimo Diuinitatis fonte, ſitim ſuam perenniter expleuit.

§. IV.

Sperare in Deo debemus, cuius auxilium ſemper eſt paratum.

1 E*Xpectabunt Onagri in ſiti ſua.* Hoc in loco magna Dei Prouidentia, ac in ipſa magna Creaturarum ſpes oſtenditur. Sitit onager, nec deſperat: turbidam negligit aquam, & in tam vehementi ſiti ſperat a Deo claram aquam, purum fontem. Augeſcat calor, roboretur ſitis, angat æſtus, *Expectabunt Onagri in ſiti ſua* Diuinæ Prouidentiæ fontem; Pater eſt, quòd creauit non derelinquet; ſemper eſt paratum creaturis ſuis Creatoris auxilium. Hinc admonemur, ne deſperet homo, nec in ſuis neceſſitatibus deficiat; nam fidelibus ſuis Deus ſemper eſt ad ſubueniendum paratus. *Expectabunt Onagri in ſiti ſua*, inquit Folengius, *Quid expectabunt? Dei certè ſubſidium*,

Digitized by Google

quòd ſanè omnibus, vbicumq; degant non poteſt non præſto eſſe creaturis ſuis.

2 Neque vacat myſterio, quod ad Onagri, ac cæterarum beſtiarinm ſubſidium non quamcumq; aquam adminiſtrat Omnipotens, ſed *mittens fontes in fluuijs*; Cur igitur tanta aquarum abundantia deperditur dum parua ſufficeret? vt ſciamus indigentiæ noſtræ ita Deum proſpicere vt non ſatis illi ſit ſecundum noſtram neceſſitatem prouidere, ſed ſecundum ſuam maieſtatem nobis ſuccurrit: vt ſubſidium non ſit egeno ſimile, ſed Alexādro dignum. Hæc porrò inter fontes, & flumina, ac reliquas aquas differentia eſt, quod fontes, & flumina perenni curſu feruntur, nec vnquam defecturam vndam miniſtrant; reliquæ verò aquæ deficere poſſunt. Quid ergo mirum ſi æternus Dominus perennem largitur gratiam? Id colligitur Ioannis cap. 4. verſic. 14. nam ibi de ſua gratia loquens Dominus, ait; *Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Fons eſt, flumen eſt Dei auxilium ſemper paratum, numquam deficiens: vt obſeruauit D. Aſterius *Serm. in Daniel. Proph. pag. 836. columnn. prim. Numquam Doni ſuperefflueniia Diues Spiritus gratia ſua, quando, ac quibus velit, exhibere ceſſat. Tanquam enim fluuius aquis plenus ſalientibus in vitam, ſecus omnino ac viſibilia hæc terrā irrigantia flumina, emiſſiones virtutis ſubminiſtratas habet*. Vt eſſet fidelium ſpes firma, dum cæleſtia, imò, & mundiales neceſſitates ſitit, in expectando Diuinæ pietatis aquam: etenim ſi flumen eſt, & abundè ſatiabit, & deficiet numquam.

3 Vidēmus aliquando hominem, qui nactus alicuius Principis gratiam præponentis, & diuitis, multa audet, plurima iactat, nec inimicorum pauet minas, nec odientium inſidias; nam veluti Nauis quæ fortem in arena fixit Anchoram ſpe fauentis Principis fretus, egeſtatem non timet, inſultus non veretur, infortunium non formidat; nam ſi tribulatio ei occurret, magnum habet in Protectore paratum auxilium. Haud ſecus homini in Deo ſperanti, contingit; nam in eo ſpem collocat, & illius patrocinium expectat, qui omnibus dominatur, cuius virtuti omnia cedunt, cui nihil impoſſibile dictu. Sereniſſimus Iſtaelitarum Monarcha, ne varijs mundi caſibus obrutus periret, ſpem ſuam in Domino collocabāt, dicens. *Quoniam tu es Domine ſpes mea*: *Pſalm. 90. verſicul.* 10. Hinc ei ex Dei, vel Angelorum nomine reſpondetur: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum, non accedat ad te malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo. verſ.* 11. Solerter te geſſiſti o Princeps, in eligendo Protectorem, altiſſimum poſuiſti refugium, Deum auxiliatorem habes; nullum tibi eueniet malum, omne te expectat bonum; quis enim te auſus fuerit impugnare protegente Deo? Quis tibi ſeruire non optabit, Deo fauente? Altiſſimus hìc eſt Protector, ineluctabile Refugium, indeficiens Auxilium: Deus eſt, qui numquam in ſe ſperantes derelinquere nouit. Melliflũus adſtipulatur Bernardus *in Pſalm. 90. Serm. 15. pag. 554. lit. C.* qui benè nouerat, in Deo ſperare quantæ eſſet vtilitatis. *Hoc nempe non eſt modo altis, ſed ipſis quoque altioribus altius captare refugium; vt ex ſententia profitenti: Quoniam tu es Domine ſpes mea; merito reſpondeatur: Altiſſimum poſuiſti refugium tuū: non enim dedignatur ſpes eſſe miſerorum miſericors, & miſerator Dominus; non ſeipſum Liberatorem ſimul, & Protectorem in ſe ſperantibus exhibere recuſat*. Secura ſpe Auxilium diuinum expectare poteſt, qui Deum in Protectorem elegit.

4 Sed audio plurimorum vocem. Quid nobis ſperandum eſt, qui omni humano ſubſidio deſtituti, pauperem, ac miſeram vitam gerimus? Erga nos nouerca natura, omnibus ſpoliatos bonis edidit; nec ad victum panem habemus, nec ad operiendum veſtem, nec ad lucrādum fortunam, nec ad inueſtigandum ingenium; fame, ſitiq; laboramus, frigore, caloreq; torquemur, calamitatibus obruimur, opprobrijs ſaturamur, conuiciis oppetimur; & quę ad pietatē erga nos omnes mouere debuiſſet egeſtas, ad odiū cōpellit; omnibus inuiſi, accepti nulli, auxilio deſtituimur, cōſolatione caremus: neq; nobis ad dicēdū eſt locus, neq; ad laborandū vires; egentibus abeſt auxilium, cadentibus adeſt irriſio; procul ſubſidium, ſed nimis prope ludibrium; ſic nedum pauperes, ſed mendici, quam ſpem habebimus: In hominibus nullam, at in Deum ſperandum eſt; magnum illi ad auxilium incitamentū mortalis miſeria; hominum deſpectus, Dei pietatis magnes eſt; illis magis auxiliatur Deus, qui minus in hominum fauore cōfidunt: audite quid dicat vnus ex fidelibus ſuis. *Ego autem mendicus ſum, & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei Pſalm. 39. verſ.* 22. Ne ſitis ſolliciti de huius vitæ miſeriis, in Deo ſperate, qui omnium in ſe ſperantium Procurator eſt, & ſollicitus: hortatur Incogn. *in Pſalt. in verſ. 676. pag. 242. col 2. lit. E. Hic autem conſequenter oſtendit, Deum de iſtis ſolertem habere prouidentiam: vult enim hic oſtendere Chriſtus, quod non debemus ſollicitari in factis mundi; quia et ſi pauperes ſumus, & mendic, bonū habemus Procuratorem, ſcilicet Deum*. Apud mundum pauperes ſimus, deſtituti ſimus, mendici ſimus, ſed tamen in Domino ſpem collocemus; nihil enim nobis ſub tanto Procuratore opus erit.

5 O quam benè, & ſapienter prædicabat Apoſtolus: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat Sapientes*. Stultitia namque videtur mundo Iuuenem, in ætatis ſuæ flore conſtitutum, nobilibus Parentibus natum, cōſanguineorum cohorte ſtipatum, diuitiis cumulatum, deliciis affluentem, quando ei maior bonis mundanis fruendi perhibetur occaſio, hæc omnia derelinquere, & religioſo indutum amictu voluntariam paupertatem profiteri; bonis omnibus ſe priuare, Parentes dimittere, hæreditaria iura deſpicere, in egeſtatibus gloriari: quomodo ergo ſtultus non eſt (inquit mundus) qui cum tot flueret diuitiis, omnia vt mendicaret abiecit? ſi Patrem reliquit, Matremque dimiſit, quis illius curæ inuigilabit? Derelictus eſt, & ipſe qui ſe elongauit, nulla ei in Mundo fiducia: reliquum eſt vt egeſtate conſumatur. Nequaquam ita erit: qui carnales Parentes perdidit Deum Patrem inuenit; qui mundi diuitias abdicauit, Dei procurationem meruit; qui carnis delicias fugit, æternam fælicitatem expectat, neque ſperantem in Domino gratia derelinquet. Ipſe Dominus eſt Orphanorum Pater, pupillorum tutor, Viduarum Defenſor; hoc fatebatur qui dicebat: *Quoniam Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me; Dominus autem aſſumpſit me. Pſalm. 26. ver.* 10. Et alibi: *Turbabuntur a facie eius Patris Orphanorum, & Iudicis Viduarum. Pſal. 67. ver.* 5. Quam Prophetæ atteſtationem D. Auguſtinus declarans, hæc habet *in Pſal. 67. pag. 283. col. 2. lit. C. Deſolatos enim puta, a quibus plerumque gladio verbi Dei, & parentes a filijs, & mariti ab vxoribus ſeparantur, ſed habent conſolationem deſtituti, atque viduati Patris orphanorum, & Iudicis viduarum. Habent eius conſolationem qui dicunt ei: Quoniam Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me; & qui ſperauerunt in Domino perſiſtentes in oratione die ac nocte. Nam, & de his orphanis, & viduis, ideſt ſpei ſæcularis ſocietate deſtitutis, Dominus ſibi templum fabricat*. Quod ſi omnia quæ Dei ſunt in eius Templis reponuntur, nil deficiet iis, qui a Mundo derelicti, & in Deo ſperantes, Templum ſunt illius incommutabilis maieſtatis.

6 A Pharaonis, Ægiptiorumque tyramnide liberatus Iſtaeliticus Populus, per Arabiæ deſerta ambulās ad promiſſam terram pergebat; cumq; fame cogente panes, & carnes deſiderarent, lamentationes in Deum, & conuicia in Moyſen iactabant: illorum tamen miſertus Dominus coturnices immiſit, panemq; de cęlo dedit. Verū, vt adnotat Pſaltes: *Ad huc eſcæ eorum erant in ore ipſorū, & ira Dei aſcendit ſuper eos; et occidit pingues eorū: Pſ. 77. v. 31.* Quare autem diuini Procuratoris annonam mors ſequitur? In deſerto etant, humanum auxilium nullū, carnes, aut panes, quos daret, Deſertū non habebat, in diuinis promiſſionibus ſpem ponentes Ægiptū deſeruerant;

quid

quid ergo in tanta rerum penuria facere debuiſſent, niſi a Domino, quem ſequebantur cibum petere? Cur ergo iræ diuinæ vltionem experiuntur? Quia in Domino, vt debebant minimè ſperauerunt, eius prouidentiam infallibilem non expectarunt; ſed potius exprobrando, quam orando cibos quærebant, vt idem Pſaltes refert: *verſ.19. & 20. Et male locuti ſunt de Deo: dixerunt, numquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, numquid panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?* O ſtulti, & inſenſati populi, cur nõ ſperaris in auxilio illius Dei, qui mare rubrũ diuiſit, qui dedit vobis panem de cælo, qui de duriſſimo lapide flumina eduxit? ſperare in eo debuiſtis; qui in ſe ſperantes adiuuat; ſed quia non habuiſtis in eo ſpem firmam, pœnam non deſiderij carnium, ſed deſperationis dediſtis: ignitus ſerpens non gulæ luxuriam, ſed cordis inſolentiam vindicauit. *Idcirco*, fatetur Abbas Rupertus, *lib.3.cap.5. in exod.tom.1.pag.283.col.1. in peccatum reputatum eſt illis, non quia petierunt eſcas, quibus neceſſario caro mortalis alitur: ſed quia cum peterent non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius.* Onagros imitari debemus, qui maximam ſitim ſuſtinent ſperantes a Domino aquam; vt firmam in Deo ſpem habentes, eius gratiarum flumine ſatiemur.

§. V.

Tunc peccatores cæleſtia amant, cum per pœnitentiam peccatorum ſarcinam deponunt.

1 Certum eſt apud ſcripturę ſtudioſos Aſinorum typo peccatores deſignari; quippe qui culparum onere grauati, ad ferendas peccatorum ſarcinas Diabolo inſeruiunt, eius ſeruitio miſerrimè deputati; nec niſi a tali onere liberi diuinam, ac cæleſtem conſolationem amare poſſunt. Non enim Aſini quicumque ſitim habere dicuntur, ſed Onagri, ideſt ſiluestres, & qui iugum hominum abiecerunt; ideo dicitur: *Exſpectabunt Onagri in ſiti ſua.* Nam peccatores iumentorum more aquis mundialium delitiarum ſatij, cæleſtia non ſitiunt; cum vero per pœnitentiam peccatorum deponunt ſarcinas, ac a mundi conſuetudine ſeparantur, tunc cœleſtes delicias, ceu onagri ſitire, & amare deprehenduntur, teſtante Chriſoſtomo *in Pſal.103. Onagros autem eos, qui non iam peccati ſarcinam geſtant, ſed ea liberati ſunt, appellauit; ob idque etiam eos ſpiritualium aquarum ſiti laborantes induxit.*

2 Inter egritudinis ſigna, illud peximum prognoſticum eſt, vel non fameſcere, cum vires deperduntur, vel non ſitire, cum incendio perit vita. Dum Iumentum domeſticum eſt, dum conuerſatur in mundo, & ſub hominum poteſtate eſt, vel ſitire non poteſt, vel ſitim non ſentit; at ſilueſter cum fuerit ardenti ſiti cruciatur. Neque enim exiſtimo ſiluestres, a reliquis ſui genere, niſi libertate differre: ſiti ergo ſua vehementi Onager animam diuino amore æſtuans, ac cæleſtium deſiderio ſuccenſam figurat; de quo dicitur: *Ierem. cap.2.verſ.24. Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui:* ille Onager deſiderium habet, ille ſiti torquetur, ille amore languet qui ſilueſter eſt, qui ſolitudinem tenet, qui non amplius humana curat, aut hominibus conuiuit, aut peccatis oneratus Diabolo ſeruit; hic in terris corpore, corde in cælo, neque quieſcere niſi in Deo poteſt. Probat Folengius *in Pſal.103. ſeu apud ipſum 104. Aiunt Onagrum (agreſtis is eſt Aſinus) propter locorum ariditatem perennè ſitire: eam ob rem illorum ſitim pro ardenti ſummi deſiderio. Ita de illo Hieremias ſcribit: Onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui. Puto hanc feram Animi diuini amoris percupidi præſeferre imaginem, cui nihil in terris iucundum eſſe poteſt, præterquam in otio, & quiete cum Deo eſſe.* O quantas ſpiritus dulcedines, quantas Animi delicias perdunt mundi amatores; aquam cæleſtium conſolationum, quia ſitire neſciunt, non aſſequuntur.

3 Aſinus erat latro Chriſti in morte conſors, eo minus ferus, quo magis ferox, & eo minus agreſtis, quo magis ſyluas frequentauerat: is homines niſi ad perdendum non nouerat, aliena rapiebat, en Bellua; Peccatorum onerabatur ſarcina, en Iumentum; tandem in vulneribus ſuis, vt Ieunculus Iudæ captus, in Cruce fixus eſt, clauiſque confoxus ſanguinis ſui amiſſione, languebat: itidem Chriſtus languebat, ſed eeu Onager a mundi ſeruitio immunis, cæleſtiumque deſiderio flagrans, ac amoris ictus vulnere ſitiebat, nec ſitis patiens, iam paſſionem ſuam patefecerat, dicens, *Sitio*: Latro, vel non ſitiebat, vel propter onus peccatorum grauatus, ſitim non ſentiebat. Interea altero con latrone occaſionem, dante, ſua confeſſus eſt delicta, clamans: *Luc.cap.23. verſ.41. Nos quidem digna factis recipimus*; eaque perfecta confeſſione; ſtatim ſitim æternorumque amorem propalauit: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum:* Antequam per confeſſionem onera deponeret ſitim non aperuit; poſtea vero, quia liber ab onere Onager erat ſitiuit, & ſuæ ſitis remedium, æternitatis fluuio ſatietatem recepit: Id fortaſſe vult D. Chriſoſtomo, inquiens *Hom. 1. de Cruce & Latron.tom.3 col.746. lit C. Non eſt auſus dicere; memento mei: niſi peccati ſarcinã remiſiſſet: tu ſpice quantum præſtat Confeſſio, confeſſus eſt, & Paradiſum patefecit; & totam confeſſus fiduciam meruit, vt Regnum poſt latrocinium poſtularet.* Merito, quia niſi onager, a peccatis liber, ſitim cæleſtis gloriæ habere haud potuiſſet.

4 Os homini ita aptauit Deus, vt cœleſtia contemplaretur. Sanè iam apud omnes nota, inueterataque ſunt Ouidij Carmina *lib.1.metamorph.*

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cælumq; videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Tunc autem homo ſurſum reſpicere, ac cæleſtia contemplari poterit, cum a peccatorum ſarcina liber erit etenim ſi ad vitiorum onera perferenda, ſe pronum ad iumentorum morem inclinauerit, cælum reſpicere non valebit. Audi frater, tu qui vitioſum te ſentis, depone per veram confeſſionem, quam fers, indignam ſarcinam, recede a mundi ſeruitute, in mentis ſolitudinem liberatus effuge, & tunc ad Deum videndum idoneus inuenieris. Eliphaz Themanites, qui credebat amicum ſuum Iob peccatorem, hæc illi ſuggerebat. *c.22. ver.23. Si reuerſus fueris ad Omnipotentem ædificaberis, & longè facies iniquitatem a tabernaculo tuo &c. verſ.26. Tunc ſuper omnipotentem delicijs afflues, & eleuabis ad Deum faciem tuam.* Neque enim eleuare faciem ſuam ad Cælum, Deumque poteſt, qui prius dimiſſo inferni iugo, onereque peccatorum deiecto, non fuerit in ſolitudine cordis, per Contritionem, ad Omnipotentem reuerſus: Neque meum hoc eſt iudicium, verum Magni Gregori ſententia, dicentis *lib.16.cap.9. moral. pag.669.lit. C. Cum vero iam pœnitentiæ lamentis culpa diluitur, & ſic perpetrata planguntur, vt plangenda minimè perpetrentur, magna menti fiducia naſcitur, & ad conſpicienda magna retributionis gaudia cordis noſtri facies leuatur:* Nec te pudet, qui cæleſtia conſequi potes, inter beſtias terræ, mundo infixis oculis, conuerſari? Reſipiſce aliquando, & te onagrum in mentis libertate, ac eleuatione fateare.

5 Id etiam apertè demonſtrat in hoc eodem Pſalmo, cuius explicationem præ manibus habemus, Propheta: Nam cum multa Dei beneficia, in hoc, & præcedenti Pſalmo enumeraſſet, ex ijs ad pœnitentiam incitatus, tandem concludit: *Pſal.103. verſ. 35 Iucundum ſit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.* Hoc autem eloquium nonniſi confeſſionem exiſtimo, per quam peccata abiciens, delectari poſſe in diuinis ſpectabat: Qui enim antea in vitijs delectationem habebat culpis deiectis, ad diuinam gratiam deſiderandam, ac ſupernas cõſolationes hauriendas capax reddebatur. Id circo

Digitized by Google

citco Cardinalis Hugo ait. *Iucundum ſit ei eloquium meum: ſcilicet Confeſſio; & tunc maximè eſt iucunda cum ad vomitum non reuertitur. Poſtquam autem homo ita de peccato exiuit incipiunt ei ſapere ſpiritualia, & cæleſtia, & immittit ei Dominus conſolationem: vnde addit: Ego vero delectabor in Domino; qui antea delectabar in peccato.* Ita qui in herbarum fænique ſaporibus tanquam Beſtia deliciabat nunc tanquam Onager diuinam ſitiens conſolationem in Domino delectatur.

§. VI.

Inuidi bonos oderunt, & eorum profectum impedire ſatagunt.

1 E*Xpectabunt Onagri &c.* Multas Onagri, vt vidimus, virtutes habent; ſed ſuo haud carent vitio, quia quantumcunque in quibuſdam naturæ inſtintis ſingulares, feræ tamen ſunt, rationis expertes. Zelotipia ergo,& inuidia maximè vexantur, vt nedum alijs, ſed etiam proprijs filijs inuident:ea propter, ne ſocios in amore habeant, cum mares naſcuntur filij, ipſis dentibus genitalia abſcindunt,niſi matres partum occultent. Neque hic ſiſtit peruerſitas; parum eſſet vtique ſolas Belluas zelo agitari, inuidia torqueri; Homines enim, qui ſe plerumque peccando Belluas fatentur, proximorum inuidentes bono, quod Onagri habent mali, hoc imitantur: quod olim Iudæos feciſſe legimus, dum Apoſtolorum virtuti inuidentes, ne in populum proficerent eis prædicationem interdicebant. *Actor. cap.4. verſ.18. Et vocantes eos denuntiauerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu*: Ita philoſophatur Incognitus. *Onagri accentibus maribus inuident, & ne generare poſſint dentibus teſticulos eis abſcindunt: quod naturaliter cognoſcentes Matres nati a Patribus recedunt, & ad alia loca procedunt. Sic conformiter Iudæi videntes Apoſtolos ex eis natos, eſſe mares, & virtuoſos, & viriles ad alios per prædicationem Chriſti generandos idoneos, ipſis inuiderunt; & virtutem generandi alios, ideſt loquelam, eis auferre conati ſunt.* Pexima Fera inuidus eſt, qui ita bono aliorum inuidet, vt toto conatu illud impedire conetur.

2 Legis Doctores idcirco in Republica inſtituuntur, vt Legem ipſam rudibus explanantes, iuſtitiam ſeruandam doceant. Ab horum ore pendent illi, & quæcumque ad ſeruandas leges neceſſaria, ab his edocentur, ſtatim exequuntur. Quod ſi contigat aliquando, (& vtinam numquam accideret) Doctores inuidia moueri; ſcilicet cum eos pudet malè, & peximè viuentes, homines indoctos videre in obſeruatione legis proficere, tunc ne ipſi mali hebeantur,legis veritatem occultant, neque veros ſenſus, ſed ad ſuum licentiosè viuendi modum accomodatos tribuunt legibus. Itaque, neque ipſi mandata ſeruant, neque ſeruare volentibus patefaciunt; & illa ſapientiæ clauis, quæ a Deo ipſis ad aperiendum commiſſa eſt, ad claudendum veritatis oſtium deſeruit.Iſtud fuit Doctorum Iudaici Populi haud leuis error;qui ne ſcelera perditę eorum conuerſationis populus animaduerteret, eis verum diuinæ legis intellectum claudentes,ad ſui libitum ſacras paginas interpretabantur. Hoc eis exprobrabat Ieſus Dominus noſter, cum dicebat: *Luc. cap.11. verſ.52. Væ vobis legis peritis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis,& eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Quod omnibus inuidis accomodat accutiſſimus Chriſol. *ſer. 127. pag.395.col.2. Cum alijs vitijs poterit confligere chriſtianus, inuidiam, quiſquis antequam ſentiat non fugerit, non euadit. Hæc peritis legis, legem ſuaſit non aperire, ſed claudere; & ſalutaris præcepti non commodare doctrinam, ſed negare obſerare ſcientiæ fontem, & vitalis fluenti, originis ſuæ ſecreto, diuitias obſtruere.* Vtinam & apud Chriſtianam Rempublicam eiuſdem inuidiæ liuorem non pateremur;tot a vera fide diſciſſos homines, tot hæreticos contumaces Eccleſia non ſuſtineret. Quid, niſi perditorum hominum Inuidia, ad peruerſa dogmata edocenda, & adulterinos ſcripturæ ſenſus promendos Hæreſiarchas addux t? Sic horum inuidia innocentes Populi periere.

3 Non immerito doctrinam,quæ Legis mandata populis aperit, & eius obſeruantiam docet pani comparare poſſumus: nam ſicuti ad naturalem vitam ſeruandam, inter omnia alimenta, panis neceſſariiſſimus eſt, & ſine quo vita malè producitur, ita ad ciuilem animorum vitam legis cognitio perneceſſaria exiſtit. Sed hoc de diuina lege præcipuè eſt intelligendum, ſine qua ad æternam felicitatem perueniri non poteſt. Legem hanc optimè Iudæa percipiens vera doctrina,ante Chriſti aduentum, & ſincera interpretatione declarabat populis alijs, vt in ſpe venturi Saluatoris credentes properarent ad vitam; ſed poſt Domini aduentum, videns Euangelij inter gentes profectum, contra chriſtianos Inuidia exardeſcens, panem amplius non miniſtrauit, ſed ſiniſtra declaratione doctrinam legis occultans, inuidia flagrans, quantum in ſe fuit, legis panem abſcondit. Prophetauerat & hoc Patientiſſimus multis retro ſæculis, atteſtans: *Iob. cap. 28. verſ. 5. Terra, de qua oriebatur panis, in loco ſuo igne ſubuerſa eſt.* Neque tibi ſuadeas materiali igne Iudæam concrematam, ſed zeli liuore, ſed inuidiæ flammis, vt docente Romano Gregorio, diſces: *lib. 18. cap.19. moral. pag.718. lit. E. Panem Iudæa dare conſueuerat, quæ legis verba proferebat. Quam videlicet legem, quia intelligere iam reprobi, & explanare non poterant, Propheta Ieremias in lamentis deplorat dicens: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: ſed hæc terra in loco ſuo igne ſubuerſa eſt, quia fidelium ſigna conſpiciens inuidiæ ſe face concremauit. Terra ergo, de qua oriebatur panis, in loco ſuo igne ſubuerſa eſt, quia & Iudæa in ſemetipſa prius habuit legem, quæ reficeret, & poſt inuidiam, quæ concremaret.* Quæ enim panem dare non poterat ad vitæ tutelam, venenum dare ad deſtructionem ſatagebat Inuidiæ zelo, ſed quia alios perdere non poterat, ſe ipſam concremabat.

4 Hoc commune malorum; & potentium vitium eſt, vt quod ipſi vel proſequi bonum, vel conſequi dignitatem non valent, alijs inuideant, atq; conſequutionem deturbare conentur. Sed a Diabolo huius liuoris venena ſuxit homo; qui cum ſe a cæleſti gloria alienum videret, omnique ſpe eam amplius conſequendi deſtitutum, cæpit tantum bonum a ſe deperditum hominibus inuidere,hinc ad tentandum aggreſſus, iiſdem, quibus ipſe deceptus fuerat, in Diuinitatis appetitu, ſenſibus erroneis decepit. Cecidit homo, gratiam amiſit, Paradiſi ius perdidit, mortem incurrit; & huculque erroris ſui pænas daret, niſi Dei miſeratoris pietas tantum ſcelus expiaſſet. En Inuidiæ damna Peccati macula, mortis Imperium, Ærumnarum tyrannis, Dei vnigeniti tormenta. Inuidorum caput Diabolus, neque eius nefanda ſcientia diſcipulis caret, haud paucos aſſeclas habet, qui ne bonum, quod eis negatur alij conſequantur, totis viribus laborant; ſapientis ſententiam verificantes: *Sapien.cap.2.verſ.25. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Quorum malitiam deteſtatur D.Ciprianus,apud D. Auguſtinum *lib.4.cap.8.de Bapt contr.Donatis. tom.7. pag.52. col.1. lit.B. Hinc diabolus, (inquit Ciprianus) inter initia ſtatim mundi, & periit primus, & perdidit; & paulo poſt; Quale malum eſt inquit fratres mei dilectiſſimi quo Angelus cecidit; quo circumueniri, & ſubuerti alta illa, & præclara ſubtilimitas potuit, quo deceptus eſt ipſe qui decepit? Exinde Inuidia graſſatur in terris dum liuore periturus magiſtro perditionis obſequitur, dū Diabolum qui zelat imitatur; ſicut ſcriptum eſt: Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui ſunt ex parte eius.* Diabolicum vitium aliorum bono cruciari.

5 Sal Terræ increata ſapientia Doctores Eccleſiæ num-

Digitized by Google

numcupauit, qui ſcilicet ſana doctrina corda hominum a peccatorum putrefactione vindicant; deficiente vero ſalutaris doctrinæ ſole computreſcunt: horum putredinis præcipua cauſa inuidia eſt: comparationem aduertite ſi ſapientiſſimi propoſitionem intelligere deſideratis, qua dicitur: *Prouerb. cap. 14. verſ. 30. Putredo oſſium Inuidia:* Sal carnes a putrefactione liberat, dummodo tamen ſiccum permaneat; ſi enim humoribus ambientibus liqueſcit non ſolum carnes non ſeruat, ſed humore ſuo putredinis generationem accelerat, expreſſum Inuidiæ ſimbolum hoc eſt: dum in corde Doctoris ſal ſapientiæ in ſiccitate rectæ intentionis permanet, ſuis conſiliis multa capita a vitijs illæſa ſeruantur, at ſi inuidię liuore liqueſcat, omnia ſcilicet merita, quæ illucuſque collegerat maculando; & ſibi, & aliis perditionis initium erit. A qua ſententia haud multum diſcedit Gregorius Magnus, dum dicit: *lib. 5. cap. 31. in Iob. pag. 432. lit. C. Putredo oſſium Inuidia, quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Oſſa quippe per Inuidiam putreſcere, eſt quædam etiam robuſta deperire.* Cum autem Doctores per inuidiam liqueſcunt, aliorum corda ſalire non poſſunt, & ita ſe, & alios putreſcere permittunt.

6 Putredo vtique chriſtiani cordis Inuidia eſt, nam ſicuti cum humoris copiam carnes mortuæ acceptauerint vermes pariunt, & e putredine ſua ſimilia pariunt animalia, quæ ex putri naſci conſueuerunt; ita pariformiter, cum ſemel Inuidia pectus molleſcere ad odium fecerit, omnem malitiam inde producit; hinc enim, & dolus ad decipiendum ſimplices, & adulatio ad irretandum magnates, & inſidiæ ad circumueniendum potentes, & detractiones ad ſubuertendum virtutum famam, & ſimulatio ad cooperiendam fraudem, oriuntur. Quod optimè Apoſtolorum Princeps cognoſcens ad fugiendam hanc inuidie putredinem, hanc omnium vitiorum originem hortabatur Fideles: *1. Petri cap. 2. verſ. 1. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationem, & inuidiam:* Omnis malitia deponitur cum Inuidia repellitur, omnis dolus perit, cum zelus abeſt: nam hoc vitio graſſante omnium hominũ mentes vitiorum vermibus ſcatent; a qua, ſecundũ D. Auguſt. ſententiam, omnia peccata naſcuntur. *Hipp. lib. 50. Hom. 20. to. 10. pag. 169. col. 1. lit. C. Quis vero ſit inuidus, qui non ei malum velit, cuius bono cruciatur? Ergo & inuidia parit conſequenter malitiam, vnde procedit & dolus, & adulatio, & detractio, & omne opus malum, quod pati nolis ab alio.* Liqueſcente enim ſale putredini datur locus, vt omnem pariat immunditiam, ſic inuidia omni dat anſam iniquitati.

7 Propoſitam ſalis comparationem quæſo ne derelinquamus; ſal illi carni ad medelam tutelamque valet, quæ adhuc non computruit, aut ſaltem in initio corruptionis eſt; nam cum totaliter computruit ſal nihil operatur. Pœnitentia ſal eſt, quæ animas a peccatorum putredine liberat, & ita per pænitentiam, & curatur anima, & præſeruatur; nec vitium, aut peccatum reperitur tantæ malignitatis, cuius plaga ſalis conſperſione, pœnitentiæ ſatisfactione non curetur; vnum ſi demas inuidiæ morbum, per quod ita putreſcit gratia, vt videatur inſanabile vulnus. Apoſtolus, ac Euangeliſta Ioannes ſuos in fide filios erudiens, hæc habet. *cap. 5. verſ. 16. & 17. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Ergo ſecundum doctrinam Ioannis datur aliquod peccatum, per quod ita moritur homo, vt reuiuiſci nequeant: (puto autem hoc non dici ſimpliciter, ſed conditionatè; ideſt, non quod aliquod peccatum dimitti non poſſit, ſed quod habeat maximam difficultatẽ, & de ſui natura ſit vltimę mortis inflictiuũ) Quodnam autẽ hoc ſit peccatum quærit D. Auguſt. & concludit Inuidiam eſſe; & poteſt colligi ex verbis Apoſtoli, quæ ſequuntur: *verſ. 18. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem.* Porro inter peccatum Inuidiæ, & alia hæc differentia eſt, quòd alia a carnis fragilitate ortum habent, vel enim concupiſcentia titillat, vel Ira inflammat, vel odium peruertit, vel paupertas, aut cupiditas ad furtum rapit, vel gula inebriat, vel otia ligant: Blaſphemiæ peximæ ſunt, ſed Ira iudicium turbat: Adulteria, fornicationes malæ, ſed ſenſus delectatione trahit: homicidia ſceleris ſapiunt, ſed odium mentem perturbat: otio torpeſcit animus, crapula langueſcit, ſed deliciæ dulciter violentant: culpæ hæ ſunt, non iniquitates; ſola Inuidia præ cæteris iniquitas eſt quæ malitiæ non fragilitatis eſt filia; quæ non bonum proprium quærit, ſed de alieno torquetur. Audiamus D. Auguſtinum. *lib. 1. cap. 22. De ſerm. Dom. in mon. to. 4. pag. 343. col. 2. lit. C. Peccatum ergo fratris ad mortem puto eſſe, cum poſt cognitionem Dei per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quiſque oppugnat fraternitatem, & aduerſus ipſam gratiam qua reconciliatus eſt Deo, inuidentiæ facibus agitur.*

8 Imò ad tantam malitiam Inuidiæ malum exurgit, vt ſi ad ipſum delendum (cum aliàs non poſſit) miraculum aliquod Deus facere voluerit, neque ipſum operari poterit. In patria ſua verſabatur Dominus Ieſus Chriſtus, vbi male exceptus a conciuibus ſuis, illorum Blaſphemias audiebat: volens autem aliquod ſignum, & miraculum ad eorum ſalutem operari, nequaquam potuit; nec ſine ſui ipſius admiratione; dicente Euangeliſta. *Marc. cap. 6. ver. 6. Non poterat ibi virtutem vllam facere &c. Et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Illene qui tot virtutes operatus iam fuerat ad aliorum ſalutem, nil ſuis prodeſſe voluit? etiam Samaritani, aliique populi in eum blaſphemauerant, nihilominus inter eos miracula facta; cur ergo non inter ciues ſuos? Hæc vt Ruperto videtur, cauſa eſt, quia alij populi Chriſto maledicebant, eum non recipiebant, propter ignorantiam, & ſic aliqualiter venia digni inueniebantur; ſed Nazareni Inuidia mouebantur, & ideo ita ad mortem peccatum eorum peruenerat, vt neque miraculosè conuerti potuerint. Atque hanc etiam cauſam eſſe, quare Angelis aditus ad ſalutem non patuit poſt peccatum, & homo redemptus eſt; quia homo per fragilitatem, Angelus verò per Inuidiæ iniquitatem lapſus eſt, Idem Rupertus Author eſt; qui hæc habet. *lib. 3. in Matth. cap. 13. de glor. & hon. fil. hom. to. 2. pag. 128. col. 2. Si Dominum virtutum, verum Deum, Dei omnipotentis omnipotentem filium dixit in illis conciuibus eius non potuiſſe facere virtutem vllam, quia non per ignorantiam, ſed per inuidiam blaſphemabant quanto magis de illis ſpiritibus malignis, & ſuperbis, & inuidis, qui gloriæ conditoris inuidebant, ſanè dicas, quia non potuit in eis facere virtutem vllam.* O Iniquitas omnium malorum pexima, vitiorum genitrix, putrefactionis initium, corruptionis origo, virtutum debellatrix, impænitentiæ cauſa: per te Angelus de cœlo irreparabiliter cecidit; per te homo impœnitens ad inferna deducitur? ſpes ægra ſalutis reperitur, vbi Inuidia debacchatur. Fugiamus ergo hoc barathrum, euitemus hanc ſcillam, ne dum ad cœleſtem Patriam corporeo nauigio, & virtutum velis tendimus, mortis naufragium faciamus.

Digitized by Google

circo Cardinalis Hugo ait. *Iucundum ſit ei eloquium meum: ſcilicet Confeſſio; & tunc maximè eſt iucunda cum ad vomitum non reuertitur. Poſtquam autem homo ita de peccato exiuit incipiunt ei ſapere ſpiritualia, & cæleſtia, & immittit ei Dominus conſolationem: vnde addit: Ego vero delectabor in Domino; qui antea delectabar in peccato.* Ita qui in herbarum fænique ſaporibus tanquam Beſtia deliciabat nunc tanquam Onager diuinam utiens conſolationem in Domino delectatur.

§. VI.

Inuidi bonos oderunt, & eorum profectum impedire ſatagunt.

1 EXpectabunt Onagri &c. Multas Onagri, vt vidimus, virtutes habent; ſed ſuo haud carent vitio, quia quantumcunque in quibuſdam naturæ inſtintis ſingulares, feræ tamen ſunt, rationis expertes. Zelotipia ergo, & inuidia maximè vexantur, vt nedum alijs, ſed etiam proprijs filijs inuident: ea propter, ne ſocios in amore habeant, cum mares naſcuntur filij, ipſis dentibus genitalia abſcindunt, niſi matres partum occultent. Neque hic ſiſtit peruerſitas; parum eſſet vtique ſolas Belluas zelo agitari, inuidia torqueri; Homines enim, qui ſe plerumque peccando Belluas fatentur, proximorum inuidentes bono, quod Onagri habent mali, hoc imitantur: quod olim Iudæos feciſſe legimus, dum Apoſtolorum virtuti inuidentes, ne in populum proficerent eis prædicationem interdicebant. *Actor. cap. 4. verſ. 18. Et vocantes eos denuntiauerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu*: Ita philoſophatur Incognitus. *Onagri accentibus maribus inuident, & ne generare poſſint dentibus teſticulos eis abſcindunt: quod naturaliter cognoſcentes Matres nati à Patribus recedunt, & ad alia loca procedunt. Sic conformiter Iudæi videntes Apoſtolos ex eis natos, eſſe mares, & virtuoſos, & viriles ad alios per prædicationem Chriſti generandos idoneos, ipſis inuiderunt; & virtutem generandi alios, id eſt loquelam, eis auferre conati ſunt.* Pexima Fera inuidus eſt, qui ita bono aliorum inuidet, vt toto conatu illud impedire conetur.

2 Legis Doctores idcirco in Republica inſtituuntur, vt Legem ipſam rudibus explanantes, iuſtitiam ſeruandam doceant. Ab horum ore pendent illi, & quæcumque ad ſeruandas leges neceſſaria, ab his edocentur, ſtatim exequuntur. Quod ſi contigat aliquando, (& vtinam numquam accideret) Doctores inuidia moueri; ſcilicet cum eos pudet malè, & peximè viuentes, homines indoctos videre in obſeruatione legis proficere, tunc ne ipſi mali hebeantur, legis veritatem occultant, neque veros ſenſus, ſed ad ſuum licentioſè viuendi modum accomodatos tribuunt legibus. Itaque, neque ipſi mandata ſeruant, neque ſeruare volentibus patefaciunt; & illa ſapientiæ clauis, quæ a Deo ipſis ad aperiendum commiſſa eſt, ad claudendum veritatis oſtium deſeruit. Iſtud fuit Doctorum Iudaici Populi haud leuis error; qui ne ſcelera perditę eorum conuerſationis populus animaduerteret, eis verum diuinæ legis intellectum claudentes, ad ſui libitum ſacras paginas interpretabantur. Hoc eis exprobrabat Ieſus Dominus noſter, cum dicebat: *Luc. cap. 11. verſ. 52. Væ vobis legis peritis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Quod omnibus inuidis accomodat accutiſſimus Chriſol. *ſer. 127. pag. 395. col. 2. Cum alij vitijs poterit confligere chriſtianus, inuidiam, quiſquis antequam ſentiat non fugerit, non euadit. Hæc peritis legis, legem ſuaſit non aperire, ſed claudere; & ſalutaris præcepti non commodare doctrinam, ſed negare obſerare ſcientiæ fontem, & vitalis fluenti, originis ſuæ ſecreto, diuitias obſtruere.* Vtinam & apud Chriſtianam Rempublicam eiuſdem inuidiæ liuorem non pateremur; tot a vera fide diſciſſos homines, tot hæreticos contumaces Eccleſia non ſuſtineret. Quid, niſi perditorum hominum Inuidia, ad peruerſa dogmata edocenda, & adulterinos ſcripturæ ſenſus promendos Hæreſiarchas adduxit? Sic horum inuidia innocentes Populi periere.

3 Non immerito doctrinam, quæ Legis mandata populis aperit, & eius obſeruantiam docet pani comparare poſſumus: nam ſicuti ad naturalem vitam ſeruandam, inter omnia alimenta, panis neceſſariiſſimus eſt, & ſine quo vita malè producitur, ita ad ciuilem animorum vitam legis cognitio perneceſſaria exiſtit. Sed hoc de diuina lege præcipuè eſt intelligendum, ſine qua ad æternam felicitatem perueniri non poteſt. Legem hanc optimè Iudæa percipiens vera doctrina, ante Chriſti aduentum, & ſincera interpretatione declarabat populis alijs, vt in ſpe venturi Saluatoris credentes properarent ad vitam; ſed poſt Domini aduentum, videns Euangelij inter gentes profectum, contra chriſtianos Inuidia exardeſcens, panem amplius non miniſtrauit, ſed ſiniſtra declaratione doctrinam legis occultans, inuidia flagrans, quantum in ſe fuit, legis panem abſcondit. Prophetauerat & hoc Patientiſſimus multis retro ſæculis, atteſtans: *Iob. cap. 28. verſ. 5. Terra, de qua oriebatur panis, in loco ſuo igne ſubuerſa eſt.* Neque tibi ſuadeas materiali igne Iudæam concrematam, ſed zeli liuore, ſed inuidiæ flammis, vt docente Romano Gregorio, diſces: *lib. 18. cap. 19. moral. pag. 718. lit. E. Panem Iudæa dare conſueuerat, quæ legis verba proferebat. Quam videlicet legem, quia intelligere iam reprobi, & explanare non poterant, Propheta Ieremias in lamentis deplorat dicens: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: ſed hæc terra in loco ſuo igne ſubuerſa eſt, quia fidelium ſigna conſpiciens, inuidiæ ſe face concremauit. Terra ergo, de qua oriebatur panis, in loco ſuo igne ſubuerſa eſt, quia & Iudæa in ſemetipſa prius habuit legem, quæ reficeret, & poſt inuidiam, quæ concremaret.* Quæ enim panem dare non poterat ad vitæ tutelam, venenum dare ad deſtructionem ſatagebat Inuidiæ zelo, ſed quia alios perdere non poterat, ſe ipſam concremabat.

4 Hoc commune malorum, & potentium vitium eſt, vt quod ipſi vel proſequi bonum, vel conſequi dignitatem non valent, alijs inuideant, atq; conſequutionem deturbare conentur. Sed a Diabolo huius liuoris venena ſuxit homo; qui cum ſe a cæleſti gloria alienum videret, omnique ſpe eam amplius conſequendi deſtitutum, cæpit tantum bonum a ſe deperditum hominibus inuidere, hinc ad tentandum aggreſſus, iiſdem, quibus ipſe deceptus fuerat, in Diuinitatis appetitu, ſenſibus erroneis decepit. Cecidit homo, gratiam amiſit, Paradiſi ius perdidit, mortem incurrit; & huc uſque erroris ſui pænas daret, niſi Dei miſeratoris pietas tantum ſcelus expiaſſet. En Inuidiæ damna Peccati macula, mortis Imperium, Ærumnarum tyrannis, Dei vnigeniti tormenta. Inuidorum caput Diabolus, neque eius nefanda ſcientia diſcipulis caret, haud paucos aſſeclas habet, qui ne bonum, quod eis negatur alij conſequantur, totis viribus laborant; ſapientis ſententiam verificantes: *Sapien. cap. 2. verſ. 25. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Quorum malitiam deteſtatur D. Ciprianus, apud D. Auguſtinum *lib. 4. cap. 8. de Bapt. contr. Donatiſt. tom. 7. pag. 52. col. 1. lit. B. Hinc diabolus, (inquit Ciprianus) inter initia ſtatim mundi, & periit primus, & perdidit; & paulo poſt; Quale malum eſt inquit fratres mei dilectiſſimi quo Angelus cecidit; quo circumueniri, & ſubuerti alta illa, & præclara ſubtilimitas potuit, quo deceptus eſt ipſe qui decepit? Exinde Inuidia graſſatur in terris dum liuore periturus magiſtro perditionis obſequitur, dũ Diabolum qui zelat imitatur; ſicut ſcriptum eſt: Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui ſunt ex parte eius.* Diabolicum vitium aliorum bono cruciari.

5 Sal Terræ increata ſapientia Doctores Eccleſiæ num-

Digitized by Google

nuncupauit, qui ſcilicet ſana doctrina corda hominum a peccatorum putrefactione vindicant; deficiente vero ſalutaris doctrinæ ſole computreſcunt: horum putredinis præcipua cauſa inuidia eſt: comparationem aduertite ſi ſapientiſſimi propoſitionem intelligere deſideraris, qua dicitur: *Prouerb. cap. 14. verſ. 30. Putredo oſſium Inuidia:* Sal carnes a putrefactione liberat, dummodo tamen ſiccum permaneat; ſi enim humoribus ambientibus liqueſcit non ſolum carnes non ſeruat, ſed humore ſuo putredinis generationem accelerat, expreſſum Inuidiæ ſimbolum hoc eſt: dum in corde Doctoris ſal ſapientiæ in ſiccitate rectæ intentionis permanet, ſuis conſiliis multa capita a vitijs illæſa ſeruantur, at ſi inuidię liuore liqueſcat, omnia ſcilicet merita, quæ illucuſque collegerat maculando; & ſibi, & aliis perditionis initium erit. A qua ſententia haud multum diſcedit Gregorius Magnus, dum dicit: *lib. 5. cap. 31. in Iob. pag. 432. lit. C. Putredo oſſium Inuidia, quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Oſſa quippe per Inuidiam putreſcere, eſt quædam etiam robuſta deperire.* Cum autem Doctores per inuidiam liqueſcunt, aliorum corda ſalire non poſſunt, & ita ſe, & alios putreſcere permittunt.

6 Putredo vtique chriſtiani cordis Inuidia eſt, nam ſicuti cum humoris copiam carnes mortuæ acceptauerint vermes pariunt, & e putredine ſua ſimilia pariunt animalia, quæ ex putri naſci conſueuerunt; ita pariformiter, cum ſemel Inuidia pectus molleſcere ad odium fecerit, omnem malitiam inde producit; hinc enim, & dolus ad decipiendum ſimplices, & adulatio ad irretandum magnates, & inſidiæ ad circumueniendum potentes, & detractiones ad ſubuertendum virtutum famam, & ſimulatio ad cooperiendam fraudem, oriuntur. Quod optimè Apoſtolorum Princeps cognoſcens ad fugiendam hanc inuidiæ putredinem, hanc omnium vitiorum originem hortabatur Fideles: *1. Petri cap. 2. verſ. 1. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationem, & inuidiam:* Omnis malitia deponitur cum Inuidia repellitur, omnis dolus perit, cum zelus abeſt: nam hoc vitio graſſante omnium hominũ mentes vitiorum vermibus ſcatent; a qua, ſecundũ D. Auguſt. ſententiam, omnia peccata naſcuntur. *Hipp. lib. 50. Hom. 20. to. 10. pag. 169. col. 1. lit. C. Quis vero ſit inuidus, qui non ei malum velit, cuius bono cruciatur? Ergo & inuidia parit conſequenter malitiam, vnde procedit & dolus, & adulatio, & detractio, & omne opus malum, quod pati nolis ab alio.* Liqueſcente enim ſale putredini datur locus, vt omnem pariat immunditiam, ſic inuidia omni dat anſam iniquitati.

7 Propoſitam ſalis comparationem quæſo ne derelinquamus; ſal illi carni ad medelam tutelamque valet, quæ adhuc non computruit, aut ſaltem in initio corruptionis eſt; nam cum totaliter computruit ſal nihil operatur. Pœnitentia ſal eſt, quæ animas a peccatorum putredine liberat, & ita per pænitentiam, & curatur anima, & præſeruatur; nec vitium, aut peccatum reperitur tantæ malignitatis, cuius plaga ſalis conſperſione, pœnitentiæ ſatisfactione non curetur; vnum ſi demas inuidiæ morbum, per quod ita putreſcit gratia, vt videatur inſanabile vulnus. Apoſtolus, ac Euangeliſta Ioannes ſuos in fide filios erudiens, hæc habet. *cap. 5. verſ. 16. & 17. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Ergo ſecundum doctrinam Ioannis datur aliquod peccatum, per quod ita moritur homo, vt reuiuiſci nequeant: (puto autem hoc non dici ſimpliciter, ſed conditionatè; ideſt, non quod aliquod peccatum dimitti non poſſit, ſed quod habeat maximam difficultatē, & de ſui natura ſit vltimę mortis inflictiuũ) Quodnam autē hoc ſit peccatum quærit D. Auguſt. & concludit Inuidiam eſſe; & poteſt colligi ex verbis Apoſtoli, quæ ſequuntur: *verſ. 18. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem.* Porro inter peccatum Inuidiæ, & alia hæc differentia eſt, quòd alia a carnis fragilitate ortum habent, vel enim concupiſcentia titillat, vel Ira inflammat, vel odium peruertit, vel paupertas, aut cupiditas ad furtum rapit, vel gula inebriat, vel otia ligant: Blaſphemiæ peximæ ſunt, ſed Ira iudicium turbat: Adulteria, fornicationes malæ, ſed ſenſus delectatione trahit: homicidia ſceleris ſapiunt, ſed odium mentem perturbat: otio torpeſcit animus, crapula langueſcit, ſed deliciæ dulciter violentant: culpæ hæ ſunt, non iniquitates; ſola Inuidia præ cæteris iniquitas eſt quæ malitiæ non fragilitatis eſt filia; quæ non bonum proprium quærit, ſed de alieno torquetur. Audiamus D. Auguſtinum. *lib. 1. cap. 22. De ſerm. Dom. in mon. to. 4. pag. 343. col. 2. lit. C. Peccatum ergo fratris ad mortem puto eſſe, cum poſt cognitionem Dei per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quiſque oppugnat fraternitatem, & aduerſus ipſam gratiam qua reconciliatus eſt Deo, inuidentiæ facibus agitur.*

8 Imò ad tantam malitiam Inuidiæ malum exurgit, vt ſi ad ipſum delendum (cum aliàs non poſſit) miraculum aliquod Deus facere voluerit, neque ipſum operari poterit. In patria ſua verſabatur Dominus Ieſus Chriſtus, vbi malè exceptus a conciuibus ſuis, illorum Blaſphemias audiebat: volens autem aliquod ſignum, & miraculum ad eorum ſalutem operari, nequaquam potuit; nec ſine ſui ipſius admiratione; dicente Euangeliſta. *Marc. cap. 6. ver. 6. Non poterat ibi virtutem vllam facere &c. Et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Illene qui tot virtutes operatus iam fuerat ad aliorum ſalutem, nil ſuis prodeſſe voluit? etiam Samaritani, aliique populi in eum blaſphemauerant, nihilominus inter eos miracula facta; cur ergo non inter ciues ſuos? Hæc vt Ruperto videtur, cauſa eſt, quia alij populi Chriſto maledicebant, cum non recipiebant, propter ignorantiam, & ſic aliqualiter venia digni inueniebantur; ſed Nazareni Inuidia mouebantur, & ideo ita ad mortem peccatum eorum peruenerat, vt neque miraculosè conuerti potuerint. Atque hanc etiam cauſam eſſe, quare Angelis aditus ad ſalutem non patuit poſt peccatum, & homo redemptus eſt; quia homo per fragilitatem, Angelus verò per Inuidiæ iniquitatem lapſus eſt, Idem Rupertus Author eſt; qui hæc habet. *lib. 3. in Matth. cap. 13. de glor. & hon. fil. hom. to. 2. pag. 128. col. 2. Si Dominum virtutum, verum Deum, Dei omnipotentis omnipotentem filium dixit in illis conciuibus eius non potuiſſe facere virtutem vllam, quia non per ignorantiam, ſed per inuidiam blaſphemabant quanto magis de illis ſpiritibus malignis, & ſuperbis, & inuidis, qui gloriæ conditoris inuidebant, ſanè dicas, quia non potuit in eis facere virtutem vllam.* O Iniquitas omnium malorum pexima, vitiorum genitrix, putrefactionis initium, corruptionis origo, virtutum debellatrix, impænitentiæ cauſa: per te Angelus de cœlo irreparabiliter cecidit; per te homo impœnitens ad inferna deducitur? ſpes ægra ſalutis reperitur, vbi Inuidia debacchatur. Fugiamus ergo hoc barathrum, euitemus hanc ſcillam, ne dum ad cœleſtem Patriam corporeo nauigio, & virtutum velis tendimus, mortis naufragium faciamus.

RA-

Digitized by Google

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vndecimus.

Potabunt omnes Animæ iuſtæ; & per eam expectabunt veniam peccatores in contritione ſua.

QVid ſtatis, o mortales! accurrite, rumpite moras, adeſto animis, plaudite manibus, Fons miſſus in conuallibus eſt, cuius gratiarum vnda Deliciarum ſitis extinguitur: De terra quidem ortus eſt, ſed a ſummo cœlo primæua egreſſio eius: perennis eſt, non deficiet, nam ab æternitatis fontibus aquam accepit. Omnibus potum promittit, nullum reſpuit, ſatiat omnes. Maria hæc eſt, quæ gratiarum aqua redundans, in ſuos deuotos beneficiorum vndas effundere non deſiſtit: *Potabunt* ergo gratiam eius *omnes Animæ iuſtæ, & per eius beneficia veniam peccatores expectabunt:* quod Leo Auguſtus, Virginem affatus, fatebatur *orat. 6. pag. 107. Perennis es beneficiorum fons, vnde bonorum omnium effluente copia, frangitur Impetus ærumnarum.* De hoc fonte item D. Bonauentura cecinit. *in laudib. Virg. tom. 6. pag. 492. col. 1. lit. C.*

Rigans mundum nouo rore, noua prolis nouitate;
Noua facis nouo more, cuncta mira claritate.
Ex diuina bonitate Fons aſcendens in honore,
Rigans terram charitate, Dei creſcens in amore.

Hanc ergo prætioſiſſimi, ac gratioſiſſimi Fontis aquam, quantum poſſumus declaremus.

Maria Virgo gratiarum Fons omnibus potum tribuens.

1 P*Otabunt omnes Animæ iuſtæ*. Fontium vtilitates multæ enumerantur, neque enim gratis, ſed ad hominum vtilitatem ortum a Deo habuere; ſed inter omnes maxima eſt terræ fertilitas. Inſpice terram, & vndequaque videbis, vel floribus decoratam, vel herbis fæcundatam, vel fructibus abundantem: hæc omnia fontium beneficio habet. Idcirco in ipſo mundi naſcentis exordio, in quo nondum vel inſpiſſatus aer, vel vnda ſubuecta pluuiam generauerat, ne ſterilis eſſet, quæ germinare viridentia gramina iuſſa fuerat terra, Fons ex illius ſinu deductus eſt qui vniuerſam eius faciem irrigaret: dicente Moyſe *Gen. cap. 2. ver. 6. Fons autem aſcendebat de terra irrigans omnem ſuperficiem terræ*. Rigans vtique ad fæcundandum, vt fuluis decora floribus, & dulcibus fæcunda fructibus, inter alias creaturas exornata niteſceret. Fons iſte Gratia diuina eſt, quæ in terram Mariam ingreſſam, & exinde in totam humanæ naturæ faciem ad irrigandum exurgens, Animas virtutum floribus, ac meritorum fructibus fæcundauit. Quam enim haberent vel cœlî gloriam, vel terra Deitatem, vel homines meritum, vel gentes fidem, vel mores diſcipliſſam, vel virtutes incrementum, vel vitia extirpationem, ſine illius fontis Diuinitatis, qui e Maria egreſſus gratiarũ ſuarum abundantia mundum vniuerſum reſperſit? Quare fatetur D. Petrus Chriſologus *ſerm. 143. pag. 372. col. 1. Aue gratia plena: Hæc eſt gratia, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo, ſalutem ſæculis reddiura*. Expreſſius verò id demonſtrat D. Ambroſius *in Luc. ap. Breu. A. I. M.* inquiens. *Fons aſcendebat de terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ: Quando Fons ille in ſinu Patris abſconditus exiuit de virginali terra Sancta Maria, irrigata fuit terra vniuerſa gratiarum abundantia.* Potemus, potemus, Animæ, irrigemus corda noſtra gratia ſalutari; Qui ex Virgine naſcitur, Fons fæcunditatis eſt: ſi illius aſperſi fuerimus aquis, omnes virtutes germinabimus.

2 Hæc Fontium vbertas terris demandata ad id præcipuè facta eſt, vt hominibus, iumentiſq; pabulum prębeat; Hinc varia meſſium tempora, vt producant fructum ſuum, aquis temperantur. Quid enim Ægiptus daret ad veſcendum habitatoribus ſuis, niſi Nili fæcunderetur aquis? Omnes ergo creaturæ eſcam a Deo fideliter expectant, qui per terræ vbertatem varios diuerſis temporibus fructus impartitur. Idcirco cecinit Pſaltes *Pſ. 144. v. 16. Oculi omniũ in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorũ in tempore opportuno.* Sed aliã eſcam hac nobiliorem, & vberiorem fameſcunt Animæ, gratiam videlicet; nam & ſine ea nec Deo viuere poſſumus, nec mortalitatem exuere: Hæc autem eſca gratiarũ nequaquã ſine fonte producitur, hæc virtutum, & meritorum abũdantia ab illa gratia, quæ in Mariam deſcendit, & quæ totam adimpleuit, & ſuperimpleuit, originatur. Ipſa nobis hanc ſpiritalem, eſcam fęcundat vt opportunis temporibus animas noſtras reficiat; cui illud Dauidicum adaptare poſſumus: *Oculi omnium animarum in te ſperant Domina; tu das illis eſcam gratiæ in tempore opportuno*. Hoc autem Diui Bernardi patrocinio freti diximus; qui de Virgine loquens, dicebat.

Digitized by Google

cebat. *ſer.1.ſup. Salue Reg. pag.405. lit.F. Data eſt ei poteſtas in Cælo, & in Terra, quæ poſſe poteſtas eſt, & in manibus eius vita & ſpiritus noſtri, & oculi omnium Chriſtianorum in eam ſperant, & ipſa dat eis eſcam gratiæ, quæ plena eſt, in tempore opportuno.* O gratijs plena Virgo, o fæcundiſſime fons, quis ad tuas hauriendas aquas non properabit, cum ſcit gratiarum eſcam ab eis promanare? Animal ego ſed tuum ſum, potum mihi præbe Domina, & ſterilitatem animæ meæ, tuæ gratiæ fæcunditate diſſolue.

3 Cum hæc omnia vera ſint, principalius tamen ad ſitim Animantium extinguendā fontes producti fuere; & hoc indicatur in preſenti verſu, dum poſt fontium generationem dicitur. *Potabunt omnes beſtiæ agri &c.* Multa enim Animalia reperiuntur, quæ non herbas, nec fructus terræ depaſcuntur, ſed minora venantur animalia e quorum carnibus veſcuntur; ſitim vero vt extinguant fontibus egent. Flores langueſcunt, ſiccantur Arbores, cruciantur Belluæ, pereunt homines, dum exardeſcentibus in ſiti, potabiles aquæ non occurrunt. Nec ſitis minus ardens ſanctorum Patriarcharum deſideriū Dominicæ Incarnationis; ardore diabolicæ fraudis afflicti, inferni ignibus deputati, ni redemerentur, ſitiebant his malis vnicum refrigerium, Deum hominē: quia vero fons iſte ab æterni Patris ſinu deſcendens, nō niſi de virginea terra, de vtero mariano, ad nos aſcendere poterat, Hanc myſticam ciſternam, hunc puteum aquarum viuentium imperij petebant, vt ex ipſo gratiarum aquam ad ſatietatem ebiberent. Contra Philiſtcorum exercitum preliabatur Dauid, & in acie eos fuderat; illi vero ad ſe recolligendos munitionem habebat in Bethleem; cum ergo Dauid fuſis hoſtibus ſitiuit, deſiderauit aquam de ciſterna, quæ in Bethleem erat, in manu ſcilicet inimicorum: Deſiderauit ergo Dauid, & ait: *2.Reg.cap.23. verſ.15. O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethleem iuxta portam.* Hoc Imperatoris deſiderium tres fortiſſimi milites audientes, vt ſimul & Ducis ſitim, & inimicorum contumaciam extinguerent, per medios hoſtes viam ſibi ad ciſternam fecerunt, & inde aquam aſportauerunt. Noluit autem Dauid bibere illam: *verſ. 17. At ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino.* Et quare? ſi tam violenti angebatur ſiti, & optata potiabatur aqua, cur bibere noluit? Vt innoteſceret nobis, inquit D. Ambroſius, Dauidem non ſitire materialem aquam, ſed gratiam ſpiritalem, non de ciſterna Bethleemitica, ſed de Virgine in Bethleem naſcitura; & ideo figuram abiecit, qui figuratum deſiderabat *ſer.16.in Pſ.118. Sitiebat Dauid, non aquam de Lacu, qui eſt in Bethleem, ſed oriendum ex Virgine Chriſtum ipſe præuidebat; volebat ergo bibere, non aquam fluminis, ſed potum gratiæ ſpiritualis.*

4 Ita delicatus eſt homo, natura, an defectu, non ſatis conſtat; vt his, quæ ad neceſſitatem ſufficiunt minimè contentus, multa ſibi ad delicias comparauerit. Quia igitur ad Horto illo deliciarum, in quo a Deo fuerat poſitus incola, ſua culpa exulat, hortorum ſimulachra inuenit: porro hortus, qui fontes irrigantes non habet, neque fruges, neque delicias nutrire poteſt, idcirco varijs fontium venulis, & ad luxuriam variè coaptatis irrigantur. Neque caret Horto deliciarum Altiſſimus; Anima nempe Iuſti Dei Hortus eſt, illius inquā, qui faſſus eſt: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Hunc hortum aquarum riuulis, gratiarum fauoribus rigat ille, ſed hæc irrigatio nonniſi de fonte gratiarum, qui ex Virginis fluit vtero, prouenit: hoc eodem Domino atteſtante: *Eccl. cap.24. verſ.42. Dixi irrigabo Hortum plantationum mearum.* Scilicet, vt qui primum Paradiſum fonte e terra fluente rigauerat, etiam ſecundum e fonte diuinitatis ex terra Deipara ſcaturiente rigaret; vt Seraphicus exponit Doctor Bonauentura *in ſpecul. Virg. lect.11. to.6. pag.469. col.1. lit. D. Fælix irrigatio vtriuſque Paradiſi per fluuium ventris Mariæ Ieſum Chriſtum, qui ait Eccleſiaſtici 24. Dixi irrigabo hortum plantationum mearum. Hinc eſt, quod benè Sanctus Hieronymus ſermone de Aſſumptione loquens de illis verbis: Vidi ſpecioſam aſcendentem deſuper riuos aquarum: ait. Benè deſuper riuos aquarum, quia ſuper aquam refectionis educauerat eam Dominus, & nutrierat; de qua multi educti riui omnem irrigant terram deliciarum, & infundunt Hortum voluptatis.* Quiſquis ergo in Anima ſua hortum deliciarum Deo ſerere cupit, poſt foſſionem pœnitentiæ, poſt plantationem virtutis ſumat ab hoc viuo, æternoque fonte riuulos gratiarum; & delicijs inenarrabilibus effluet, decore Angelis inuidendo.

5 Hortus erat, Dei vtique ſed ſterilis Sanctæ Eliſabethæ Anima, que in diebus ſuis iam annos numerans plurimos, fructum ſui ventris non reddebat: tandem aliquando angelico præmonita nuncio, exculta aliqualiter eſt, fructumque reddidit Ioannem, ſed plantam tenellam, & quæ mortis incurrerat iacturam, primi parentis debitum, & niſi gratiarum ſuccurreret aqua, diù ſterilem, & matrem, & filium manſuros. Tunc Virgo cœleſtis Aquæductus, quæ intra ſua viſcera ſapientiæ fontem clauſum gerebat, vt de plenitudine ſua canalem, ideſt filium impleret, & ex illo in Hortum matris exundaret, ad eorum domum acceſſit: ſtatim ergo quod huius Aquæductus fluenta pleniſſima ad Hortū Eliſabet propinquauit, repletus canalis, anima Ioannis, ebullire cæpit, matremque irrigare; etenim ſaltauit filius, prophetauit Mater; Tanta enim erat aqua gratiæ, qua Maria plena erat, vt ad alios replendos exundaret. *Luc. cap.1. verſ.44. Vt facta eſt,* (confitetur illa) *vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo:* Et hanc gratiæ vbertatem ſuis verbis ſubindicaſſe, docet citatus Bonauentura. *in medit. de vit. Chriſ. cap.5. tom.6. pag.353. col.1. lit. F. Cum enim Virgo ſalutauit Eliſabeth, repletus eſt in vtero Ioannes Spiritu ſancto, repleta eſt etiam & mater; nec prius repletur mater, quam filius, ſed filius repletus replet & matrem; non quidem in anima matris aliquid efficiendo, ſed per Spiritum ſanctum aliquid in ea fieri promerēdo, eo quod in eo Spiritus ſancti gratia affluentior refulgebat; & prior gratiam ſenſit: Vide quanta virtus ſit in verbis Dominæ, quia ad eorum pronunciationem confertur Spiritus ſanctus: ſic enim abundanter ipſa erat plena, quod eius meritis ipſe Spiritus ſanctus, etiam alios replebat.* Quid trepidas te moriturum, te ſiccaturum, cor meum? accede ad Aquæductum diuinum, quia ſupereffluens, aliquam ſuæ gratiæ ſtillam ad te quoque reficiendum effundet: Infidelis eſt de eius plenitudine dubitare, & vecordiæ ſuam miſericordiam ad quæſtionem reuocare; *Ecquis enim dubitat, quin ipſa benedictionis fons, ac bonorum omnium ſcaturigo ſit?* ait Damaſcenus *orat. 2. de Aſſump. Virg.* Tanto ergo fonte rigatus ad gratiam reuiuiſces.

6 Hoc habet ſpecialius aqua, fontana præſertim, vt res conſpurcatas mundet, & illuſtres reddat; nam ſordes non ſolum in ſe non habet, ſed etiam remouet ab alijs; ideo Æternus Opifex Deus, dum a ſe creatam rationalem redimeret creaturam, ad abluendam originalis culpæ maculā aquæ lotionem voluit adhiberi; quippæ, quæ natura ſua nitida, ſordeſque propellens, alios mundare conſueuerit in corpore, ſignet etiam mentis ſanctificationem. Hæc inter omnes aquæ proprietates Mariæ conuenit, quæ *ab omni labe puriſſima*, vt eam vocat Sanctus Ioſeph Hymnographus, *can. fer. 2. ad matut. ex Teotoc. ex paracl. Gra. pag.295.* alias animas priſtinæ reſtituit ſanctitati. Mirari fortaſſe poſſet aliquis cur in ſola Euāgelica lege Baptiſmi, ſeu lotionis in aqua Sacramentum ſit inſtitutum in Originalis culpæ remedium, cum antea in moſayca, ac naturæ lege, circumciſio, vel ſacrificium idipſum operaretur: ſed cauſa hinc innoteſcit, nam Virgo expectabatur, de cuius vtero fons ille naſceretur, qui tolleret peccata mūdi; neq; vllus vnquā mundatus eſt, qui per Mariā gratiam non acceperit. De antiquis illis Patribus affirmat Apoſtolus omnes cum de Ægipto egrederentur in nube baptizatos,

Digitized by Google

ſos, quia in virtute Mediatoris venturi mundabantur; vt autem oſtenderet per Virginem hanc munditiam illis veniſſe ſimul cum nube Mare connumerat Paulus, vt pote Mariæ typus: *Patres noſtri omnes in nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari 1. Cor. c. 10. v. 1.* Quia de Mari exijt nubes, de Maria fons ille diuinus, qui omniũ mundat corda ſurrexit, Mentiri me non permittet Acutiſſimus Rauuennatum Antiſtes, D. Petr. Chriſ. *ſer. 146. pag. 375. col. 1.* qui hæc habet. *Maria mater vocatur, & quando non Maria mater? Nonne hæc exeuntem populum de Ægipto concepit vno vtero, vt emergeret cæleſtis in nouam creaturam renata progenies? iuxta illud Apoſtoli: Baptizati ſunt in nube, & in mari. Et vt ſemper Maria humanæ præuia ſit ſalutis, populũ, quem vnda generatrix emiſit in lucem, ipſa iure præceſſit in cantico.* Aqua pura purificat, Maria mundiſſima mundat; & quam numquam nouit culpam, ab aliorum corde repellit.

7 Illud prætterea ſingulare habet fontium ſcaturigo, vt ipſa non tantum pro ſe recipiat aquam, ſed etiam pro alijs irrigandis: ipſa impletur prius, & impletur ita, vt exundet etiam ad alias terras infundendas. Videbimus ergo, quòd ab ipſa origine Fontis, in qua vniuerſa continetur aqua, variæ deriuantur viæ, ſeu ſoli indigentia, varios aquarum riuulos deportant: ſic abſque eo quod plenitudo fontis euacuetur, de eius plenitudine, omnes indigentes plantæ ſaturantur. Aquarum diuinarum Maria origo eſt, de qua ait D. Ioſeph Hymnographus: *Ad Hymn. Achatiſton. ode 3. pag. 30. Fons aquæ viuentis inexhauſtus*: De eius plenitudine ſaturantur omnes animæ, nam ab ea varij riui, & canales gratiam deferentes ad nos, deriuantur: quod ipſamet de ſeipſa prædicat dicens: *In me gratia omnis viæ, & veritatis; in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Quaſi his verbis oſtendere velit, omnes hominum gratias, virtutes, merita, bona, glorias, ab eius gratiarum abyſſo prouenire. Quapropter Seraphicus Bonauent. hæc verba expendens ſubdidit *in ſpec. Virg. lect. 3. to. 6. pag. 454. col. 1. lit. A. Quid mirum ſi omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Ait enim B. Auguſt. Gratia & plena Maria, quam apud Dominum inueniſti, & hanc per totum mundum effundere meruiſti: fuit enim in plenitudine ſanctorum detentio Virginis.* Et hoc, vt piæ plantulæ prætioſa hac gratia exſaturatæ fructum æternitatis fructificarent.

8 Pluuiæ plures cauſas ſupra aſſignauimus, cum de aquis diſputaremus; ſed ex illis duas hùc reuocare opportunum videtur, ſcilicet ad gratiæ Marianæ beneficentias declarandas. Prima eſt cum a mari, vel alijs aquarum congregationibus ad aerem eleuantur aquæ, quæ a nubibus vento agitatis circumlatæ in terras ad eas irrigandas iterum deſcendunt. Secunda cauſa eſt, cum a ſuper cœleſtibus aquis ad nos pluuiæ mittuntur. Ita prorſus Maria noſtram humanitatem ſupra omnes cœlos gratia plena extulit, vt inde in animas noſtras aquã viuã effunderet: quò cum aſcenderet glorioſa, admirati cæleſtes illi ciues, dicere cœperunt: *Cantic. cap. 8. verſ. 5. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* Nam & ſupra omnes Angelorum choros aſcendere eam oportebat, quæ pluuias gratiarum in omnes creaturas effundere debebat; imò etiam vt ex illo Diuinitatis fonte ipſa amplius impleretur, vt non ſolum gratia, ſed etiam gloria redundaret in filios. Audiamus de hac re D. Bernardum *ſer. de Aquæduc. pag. 274. lit. B. Aſcendit plane ſupra omne humanum genus, aſcendit vſque ad Angelos, ſed & ipſos quoque tranſcendit, & cæleſtem omnem ſupergreditur creaturam. Nimirum ſupra Angelos hauriat neceſſe eſt, quam refundat hominibus aquam viuam.* Confidenter expectant irrigantis pluuiæ guttas, ditantis gratiæ dona, mortales, ſi tanta ad nos deſcẽſura ad Empyreũ deuecta eſt aqua; ſi Aquæductus tam capax gratiarum, vt omnes ditaret æterno ſe miſcuit fonti. Quis animæ terram aridam ſentit, cæleſtem conſolationem ſitit, aperiat affectus ora, cordium patefaciat intima; en tantæ Matris, ac Virginis beneficio ſalutifera de cœlo pluuia nobis imminet gratiarum.

9 Qui medicamenti genus componere volunt, quod apud Phiſicos *ſyropus aureus* vocatur; neceſſe eſt, vt roris guttas colligat, & in aquam collectas ipſa ad ſuam compoſitionem vtatur: vt autem hoc faciliter fiat Pharmacopolus ſpongiam ſuis manibus ſumit, eamque vel Rori cadenti, vel irroratis herbis exponit, & ſpongia roris guttis imbibitur tota, cum vero eam præmit, aquam inde elicit, & ea vtitur pro libito. Dei gratia Ros eſt, quo confici debebat Pharmacum illud ad infirmitatem peccatorum medendam idoneum, ſed Ros iſte cadens in terras, ne fruſtra diſperderetur, Beatiſſima Virgo ſuæ humanitatis ſpongiam ſumens eam dexteræ Dei, ideſt eius vnigenito filio, qui Manus Diuinitatis dicitur, adaptauit, carne illum veſtiendo; Hæc caro Chriſti, quæ & Mariæ erat totam ebibit Diuinitatis gratiam, & immenſis huius cæleſtis roris guttis repleta eſt: deinde vt ex ipſa ſpongia gratiarũ aqua eliceretur, in torculari crucis preſſa eſt, & abundanter exiuit aqua, qua noſtræ ſalutis ſacramentale Pharmacum compoſitum fuit. Hoc ni fallor prophetabat Dauid, quando canebat: *Pſ. 71. ver. 6. Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Et ita eſſe intelligendum monet aureus Chriſologus *ſerm. 143. pag. 372. col. 1. Cæleſtis imber virgineum in vellus placido ſe fudit illapſu, & tota Diuinitatis vnda bibulo ſe noſtræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expreſſum, terris omnibus in pluuiam ſalutis effunderet.* Mente ergo capiuntur illi, qui cum ægros ſe nouerint, hanc roris diuini pluuiam ad propriam negligunt medelam; ne timeas peccator, hoc medicamen potens eſt quia diuinum, dulce eſt, quia per Mariæ ſpongiam præſſum induit dulcorem.

10 Humanum ingenium ſæpe ſæpius ſupra ſeipſum ſe attollens nouas deliciandi formas inuenit: Hinc non contentus homo refrigerio illo, quod a fontium vndis, per aquæ potum, aut lotionem accipit, vlterius, ex aqua ipſa refrigerantem auram producere cupit: Vidi & ipſe apud Romam in ciuitate Tuſculana, aquarum impetu auram frigidam produci. Videamus nunc qualiter Virgo glorioſa erga nos charitate flagrans, vt omnes iuuandi exerceret artes, aqua cæleſtis gratiæ in ſe ſeruata, eam ſic ſua interceſſione præmit, vt ex ipſa refrigerantem auram capiemus. Hanc auram diuinam, eiuſque beneficia cognoſcens Eliphaz themanites, dicebat: *Iob. c. 4. verſ. 16. Vocem quaſi auræ lenis audiui.* Quippe qui peccatorum æſtu fatigatus, & refrigerium inquirens, tantæ Virginis non eſt deſtitutus auxilio. O benegniſſima Virgo, quis tuas taceat laudes, dum ad noſtram deliciem, ac refrigerium in auræ ſuauis ſibilum te transformas, ſi fidem Richardo *a S. Lauren. lib. 7. de laud. Virg. pag. 473.* adhibemus. *Ipſa eſt aura illa, de qua dicit Eliphaz Iob. 4. Vocem quaſi auræ lenis audiui: Maria ſiquidem dicitur Aura propter refrigerium gratiæ, quam infundit diligentibus ſe: lenis propter multitudinem benignitatis ſuæ.* Iure ergo merito omnes animæ iuſtæ ad ſupercæleſtis huius aquæ potum inuitantur; & fiducialiter peccatores expectant, vt per Mariam peccatorum ſuorum medelam conſequuntur.

Eia ergo Diuini Fontis origo, quæ vndequaque gratiarum es plena, benignitatis tuæ oculos ad nos conuerte, qui in via Dei aridi, ſteriles, & ſitibundi ſumus, & tuarum aquarum gratia ſaturates, a vitijs munda, ab infæcunditate vindica, a ſiti tempera; vt tuæ gratiæ participes, tandem etiam tuæ gloriæ conſortes efficiamur.

RA-

Digitized by Google

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

MVndus totus Beſtiarum crudelium patet incurſibus; & Electorum mentes a Feris agri deuaſtantur; nam & cordibus vitia dominantur, peruerſæque doctrinæ mentium depaſcuntur ingenia; hinc bonorum omnium ſitis, hinc malè blandientium voluptatum amor exoritur; & dum mundanæ deliciæ capacitatem animæ explere non valent, ſemper ſitis carnalis inexplebiliter ardet. Has beſtias ergo, hos ſemper ſitientes Onagros, hanc ſitim ſemper ardentem allegoricè explicare tentabimus.

SVMMARIVM.

1 *Quinam nomine Beſtiarum intelligantur.*
2 *Ager pro quibus rebus a ſcriptura accipiatur.*
3 *Onager allegoricus quis, & quotuplex ſit.*
4 *Sitis in bonam, & malam partem accepta quæ figuret.*

§. I.

Quinam nomine Beſtiarum intelligantur.

1 LIcet Beſtia nomen genericum ſit, & animalia omnia ſignificet, hic tamen propriè pro feris, ſeu beſtijs agreſtibus accipitur; Et primo Beſtiæ manſuetæ ſunt humiles, qui ſuperbiæ feritatem abiecerunt. De quibus dicitur. *Gen. cap.1. verſ.24. Producat terra animam viuentem in genere ſuo iumēta reptilia, & beſtias:* Et D. Auguſtinus *lib.13. cap.21. Confeſſ. tom.1. pag.96. col. 2. lit. C. Quærite Dominum, & viuet anima veſtra, vt producat terra animam viuentem: continete vos ab immani feritate ſuperbiæ, vt ſint beſtiæ manſuetæ.*

2 Beſtiæ homines mundanos ſignificant; nam Beda Arcam Noe per Eccleſiam ſumens, notat per Beſtias, quæ in eam quarto loco ingreſſæ ſunt, ſignari homines mundanos. *in cap.5. Gen. tom.4. pag.43. col.1. Beſtiæ in quarto ideſt mundiales.*

3 In hoc proximo ſenſu apud Danielem per Beſtias, Regna ſeu Imperia Mundi deſignantur *cap.7. v.3. Quatuor Beſtiæ magnæ aſcendebant de mari diuerſę inter ſe.* Vbi D. Hieronymus *in Daniel. tom.4. pagin.679. lit. D. Quatuor autem Beſtias, quę aſcendebant de mari, & erāt diuerſæ inter ſe, Angelo diſſerente agnoſcamus. Hæ inquit quatuor Beſtiæ magnæ, quatuor regna conſurgent de terra.*

4 Beſtiæ agri ſunt Gentiles ad fidem Chriſti conuerſi; de quibus hic dicitur. *Potabunt omnes Beſtiæ agri. Pſalm.103. ver.12.* Vbi Dioniſius Carthuſianus *in Pſal. 103. Myſticè de riuis aquarum Chriſti bibunt omnes beſtiæ agri, ideſt omnes Gentiles ad fidem conuerſi.*

5 Beſtiæ ſunt dæmones, quæ oues diſperſas, ideſt homines vitioſos deuorant. De hoc quæritur Dominus per Ezechielem *cap.34. ver.5. Et diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium Beſtiarum agri.* Et Lyranus. *Omnium Beſtiarum agri, ideſt dæmonum, qui poteſtatum accipiunt ſuper homines, propter deuia vitiorum.*

6 Specialius Beſtia ſumitur pro Principe dæmoniorum, quem diſperſurum Ephraim, minatur Oſeas *cap.13. ver.8. Beſtia agri ſcindet eos.* Ita D. Gregorius *lib.32. cap. 2. moral. pag.1061. lit.C. De ipſo malignorum ſpirituum Principe contra Ephraim dicitur: Beſtia agri ſcindet eos.*

7 Idcirco Peccatores, ſeu reprobi latibulum, ſeu antrum beſtiæ dicūtur, quia in eis habitat dæmon: de quibus Iob. *cap 37. v.8. Ingreditur Beſtia latibulum ſuum:* vbi citatus Doctor *lib.27. c.17. mor. pag.925. lit. B. Diabolus omnium reproborum corda etiam nunc priuſquam apertus appareat, poſſidet; eaq; per occultam malitiam quaſi proprium antrum tenet.*

Ian. de Mata.

8 Beſtiæ vitia ſunt, quibus vt imperaret creatus eſt homo: vt dicitur. *Gen.1. ver.26. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs.* Vbi ingenioſè D. Baſilius *Homil.10. in Hex. pag.52. col.2. lit.F. Et præſit, ſiue dominetur beſtijs terræ: Se enim quis ad eius brutæ animātis indolem transformare dicitur, cuius vitioſa imitatione affinem ſe reddidit, ac familiarem. Quocirca non vnæ in nobis ſe collatebrant feræ. Da igitur operam, iſtiuſmodi beſtijs vt imperes.*

9 Beſtia eſt Ciuitas impia, ſeu vitioſorum hominum congregatio: vnde de his dicitur. *Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, &c. et hic bibet de vino iræ Dei. Apocalip. cap.14. verſ.9.* Et D. Auguſtinus *lib.20. cap.9. de Ciu. Dei, tom.5. pag.26. col.2. lit. D. Quæ ſit porro iſta beſtia, quamuis ſit diligentius inquirendum, non tamen abhorret a fide recta, vt ipſa impia ciuitas intelligatur, et populus infidelium, contrarius populo fideli, & Ciuitati Dei.*

10 Beſtia ſecunda, quæ primam comitatur in Apocalipſi: *cap.13. v.11. Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra:* Hæreſiarcha eſt; & etiam ipſe Mahomethus, vt ait Gloſſa Nicolay de Lyra moraliter. *Hoc literaliter exponitur de Mahumeto, qui legem falſam dedit Iſmahelitis, ideo miſticè poteſt exponi de quolibet Hereſiarcha, qui doctrinam erroneam dat diſcipulis ſuis.*

11 Beſtia eſt crudelitas, quę ſignificatur per illam Beſtiam, quam credebat Iacob deuoraſſe filium ſuum Ioſeph. *Fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph. Gen. cap.37. v.33.* Sed præcipuè denotat Iudæorum crudelitatem in occiſione Chriſti: vti exponit Gloſſ. Interl. *Sæuitia Iudaica, beſtialis populus crucifixit eum.*

§. II.

Ager pro quibus rebus à Scriptura accipiatur.

1 AGer multipliciter ſumitur allegoricè. Et primò ſignificat Chriſtum, de quo ſcriptum eſt. *Simile eſt Regnum Cœlorum Theſauro abſcondito in agro. Matth. cap.13. ver.44* Vbi Origenes *in cap.13. Matth. tom.2. pag.4. col.1. Alius autem dicet Agrum eſſe illum verè plenum, cui benedixit Dominus, videlicet Chriſtum Dei. Theſaurum autem in eo abſconſum eſſe ea quæ dicūtur apud Paulum eſſe recōdita in Chriſto; ſic de Chriſto loquente: In quo ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei occulti.*

2 Ager eſt Regnum Cœlorum, quem debemus emere operibus bonis, ſicut fortis illa mulier fecit, quæ *Conſiderauit agrum, & emit eum. Prouerb. capit.31. ver. 16.* Et Cardinalis Charenſis *in cap.22. Ierem. pagin.350. column.4. Ager Regnum cœlorum. Hunc emere ſuadet gratia, quando dat homini vnde emitur iſte ager, ſcilicet bona opera, & facit conſiderare volunta-*

tem emendi . *Prouerb. vltim. Conſiderauit agrum* , *& emit illum* .

3 Ager eadem de cauſa eſt diſciplina ſtudii cæleſtis ; de quo Chriſtus : *Matth.cap.13. verſ.44. Simile eſt Regnum Cælorum Theſauro abſcondito in agro* . Vbi D. Gregorius *Homil.* 11. *in Euangel. Theſaurus autem cæleſte eſt deſiderium ; ager verò , in quo Theſaurus abſconditur, diſciplina ſtudij cæleſtis* .

4 Ager eſt Sacra Scriptura ; in qua metunt catholici, & quem deprauant hæretici : de quibus dicitur . *Agrum non ſuum demetunt* . *Iob. cap.24. verſ.* 6. Eodem Gregorio explanante *lib.16. cap.22. moral. pag.679. lit.E. Poteſt Agri nomine Scriptura Sacra latitudo ſignari, quã hæretici non ſuam demetunt ; quia ex ea ſententias longè a ſuis ſenſibus diuerſas tollunt* .

5 Ager dicitur Eccleſia ; & occurrere Achaz in via agri fullonis eſt per documenta Scripturæ Eccleſię inimicis obſiſtere ; in cuius myſterium Iſaiæ *cap.7. verſ.3.* dictum eſt : *Egredere in occurſum . Achaz tu, &c. in via agri fullonis* : Et addit Eminentiſſimus Hugo Cardin. *in Iſai. pag.19.col.2. Ager fullonis eſt Eccleſia* : & paulò poſt : *Occurrere igitur Achaz in via agri fullonis, eſt per documenta Sacræ Scripturæ pro Eccleſia tyrannis reſiſtere* .

6 Ager eſt Cor hominis, qui bonorum operum fructum reddere debet, aliàs a Deo maledicitur ; iuxta illud: *Maledictus eris in agro.Deuter.cap.28.ver.16.* Ideſt in Corde, addit Hugo *in Deuteronom. pagin.* 169. *column.3.*

7 Ager ſolidus eſt cor ſimplex : quod ſubuertere Diabolus nititur *: Et faciet ſibi aratores agrorum ſuorum* . 1. *Reg. capit.8. verſ.12.* Vbi D. Gregorius *in* 1. *Reg. lib. 4.pag.141.lit.A.Velut enim agrorum ſoliditatem loquendo aperiunt, qui per reproba conſilia ſimplicium corda corrumpunt* .

8 Ager eſt conſcientia hominis, quam vir diligens virtutibus excolit, ſtultus verò impolitam deſerit : vnde Sapiens *Prouerb. cap.24. ver.30. Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ* . Quod docet Hugo Carenſis *in Prouerb. pag.54.col.2. Ager, ortus, vinea ſpiritualiter idem ſunt, mens, vel conſcientia vniuſcuiuſq; hominis : ibi enim quaſi in agro ſeminato virtutibus a Deo, creſcit ſeges bonorum operum* .

9 Ager floridus, & redolens eſt Anima Iuſti virtutum floribus exornata : quam in ſpiritu Iſhac videns, dixit: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* : *Gen. cap.27. verſ.27* id atteſtante melliſluo ſermone D. Ambroſii *lib.2. de Iacob cap.2 tomo 1. pag. 158. lit.E. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni ; erat enim perfectus in omni flore virtutum, & ſacræ benedictionis , atque cæleſtis beatitudinis redolebat gratiam . Ipſe eſt enim ager , quem Benedixit Dominus* .

10 Ager diuinorum contemplatio eſt, in quo florent virtutes, delicantur Angeli ; & in quem quieſcit Deus: ſic de Arca Dei dicitur . *Venit Plauſtrum in agrum Ioſue Bethſamitæ* : 1. *Reg. cap.* 6. *verſ.*14. Vbi Gregorius *lib.3. in 1. lib.Reg. tom.1. pag.* 120. *lit. B. Quis eſt ager Ioſue Bethſamitæ niſi amanitas vitæ contemplatiuæ ? ibi enim , & herbarum virtutes , & odores aromatum , & florum diuerſa pulchritudo cernitur ; quia nimirum quo ſuperna illa ſocietas clarius conſpicitur , quod incorruptibile floret Angelis* .

11 Ager etiam deuota mens dicitur , quorum fructum tollere Diabolus optat ; in cuius nomine de Rege dicitur : 1. *Reg. cap.8. ver.14. Agros quoque veſtros tollet* . Vbi idem Gregorius *loc.cit. lib.4. pagin.* 141. *lit.D. Qui ſunt agri bonorum niſi deuotæ mentes ſubditorum ? quæ dum eorum verba libenter audiunt, bonorum operum vberem fructum reddunt* .

12 Ager eſt præceptum Euangelicum , in quo excolendo occupatur Religioſus , & hic non debet ad curas ſęculares redire : nam de huiuſmodi dictum putat D. Hilarius. *Qui in agro erit non reuertatur tollere tunicam ſuam* . *Matth. cap.24. verſ.* 18. & D. Hilarius *Can.25. in Matth. pagin.* 586. *litera A. Scilicet poſitus in operatione præcepti, non ad curas priſtinas reuertatur* .

13 Ager eſt mundus ; per quem tranſit Ieſus, dum habitauit in nobis : quod ſignat ager ille , in quo erant ſata, quæ euellerunt diſcipuli. *Abijt Ieſus per ſata Sabbato* : *Matth.c.p.12. ver.1.* Vbi Diuus Hilarius hæc habet *loc.cit. can.12. pagin.* 522. *lit. A. Abijt Ieſus per ſegetes Sabbatis* : *Ager mundus eſt, Sabbatum otium eſt, ſeges credituorum profectus in meſſem eſt* .

14 Ager etiam ſæculum eſt, in quo Beſtiæ, ideſt vitia ludunt : ſecundum Patientiſſimi dictum . *Omnes beſtiæ agri ludent ibi* . *Iob. cap.40. ver.11.* Quod videtur indicare Romanus Gregorius, dicens *lib.37. cap.2. mor. pag.* 1061. *lit. C. Quid per agrum niſi præſens ſeculum deſignatur ?*

15 Ager ſtatum extra Eccleſiam ſignat, vbi ſtant omnes infideles, quibus necem a gladio minatur Prophera *Ezech. cap.7. ver.15. Qui in agro eſt gladio morietur*. Et addit D Hieronymus *in Ezech. pag.458. lit. H. Tropologicè vero eſt accipiendum , quod qui in agro, & campo eſt extra fines Dominicæ Ciuitatis quæ interpretatur Eccleſia, aduerſarij mucrone feriatur* .

16 Ager tandem eſt Congregatio laicorum : de quo Ieremias *cap.26. ver.18. Sion quaſi ager arabitur* . Vbi Cardinalis Hugo *in Ierem. pag.240. columm.1. Ager eſt Congregatio laicorum , qui tantum ad fidem , & obſeruantiam mandatorum tenentur : hi quaſi agri arantur quia vomere prædicationis verſati fructum faciunt* .

§. III.

Onager allegoricus quis, & quotuplex ſit .

1 E*Xpectabunt Onagri* . Onager ſilueſtris Aſinus eſt, & allegoricè primo ſignificat Chriſtum, qui licet carnem hominis peccatoris aſſumpſerit, a peccato tamen immunis eſt : De quo intelligitur illud Iob. *cap.* 39. *ver.8. Quis dimiſit Onagrum liberum*, Vt vult D. Gregorius *lib.30. cap.11. mor. pag* 1000. *lit. B. Poteſt Onager incarnatum Dominum deſignare . Dicitur ergo a Patre de Filio ſecundum formam ſerui : Quis dimiſit Onagrum liberum , & vincula eius quis ſoluit ? Omnis quippe qui peccat ſeruus eſt peccati ; & quia incarnatus Dominus particeps naturæ factus eſt noſtræ , non culpæ , liber dimiſſus dicitur , quia ſub peccati dominio non tenetur* .

2 Onager dicitur Religioſus , qui a curis mundanis, & ſæcularibus deſideriis ſeparatus viuit . De quo eadem Iob verba explicat idem Gregorius *loc. cit. pag.* 995. *lit. D. Onager enim , qui in ſolitudine verſatur , non incomptè vitam illorum ſignificat , qui remoti a turbis ſecularibus viuunt , qui aptè etiam liber dicitur, quia magna eſt ſeruitus ſæcularium negotiorum* .

3 Onager inter Religioſos ſpecialiter Eremita eſt , qui non ſolum corde , verum etiam corpore a mundanis tumultibus abeſt : Hoc indicatur illis verbis . *Onager aſſuetus ſolitudini. Ierem. cap.2. ver.24.* Ex quo Pierius Valerianus *tomo prim. in Hierogl. pag.* 119. *lit. A. Sed quoniam de Onagro facta eſt ſuperius mentio , minimè prætereundum eſt , quod diuina litera per Onagrum Eremitas intelligunt , qui a popularibus turbis ſecedentes , in ſolitudinarijs , & ab hominum veſtigiis ſemotis locis vitam degunt , vni Deo tantum dediti* .

4 Onagri ſunt Iudæi , qui expectant conuerſionem ſuam in fine mũdi, vt expleant deſideriũ vidẽdi Meſiam; De quibus Dionifius Carthuſianus *in Pſalm.103.* putat hic dici : *Expectabunt Onagri in ſiti ſua. in Pſalm.*103. quaſi diceret Propheta . *Expectant vſque ad finem mundi*

Digitized by Google

mundi Onagri ideſt crudeles Iudæi in ſiti ſua, ideſt in deſiderio, quo Chriſtum expectant venturum.

5 Onager dicitur populus Iudaicus, & quicumq; infidelis, qui iugum Chriſtianæ legis contemnit, deſcriptus a Iob: *cap. 11. ver. 12. Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pullum onagri ſe liberum natum putat.* Vbi Rupertus *in Oſee lib. 2. to. 1. pag. 790. col. 1. Rectè ergo per Onagrum carnalis Iſrael, ſiue Iudæus hic intelligitur, qui vinculo Domini ligari, & ad præſepe eius duci contempſit.*

6 Superbus etiam Onager dicitur, quapropter Oſee dicit: *Onager ſolitarius ſibi Ephraim: cap. 8. verſ. 9.* vbi idem Rupertus *loc. cit. p. 789. columm. 2. Onager ideſt agreſtis aſinus hominem ſtultum, atque ſuperbum ſignificat.*

7 Onagri ſunt hæretici, qui ab Eccleſia dimiſſi, nec iugum fidei, nec orationis pabulum habent: De quibus Iob: *cap. 24. ver. 5. Alij quaſi Onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum:* Et addit D. Gregorius *lib. 16. capit 22. moral. pag. 679. lit. D. Et rectè hoc loco onagris comparãtur hæretici; quia in ſuis voluntatibus dimiſſi, a vinculis ſunt fidei, & orationis alieni.*

8 Onager Gentilis eſt populus, de quo exponit illud Iob: *cap. 6. ver. 5. Numquid rugiet Onager, cum habuerit herbam;* D. Gregorius Magnus *lib. 7. cap. 4. mor. pag. 487. lit. C. Quid namque per Onagrum, ideſt agreſtem aſinum, niſi gentilis populus deſignatur?*

9 Onagri ſunt populi docibiles, ſed præceptore carentes, qui deſiderant ſacram doctrinam; quorum deſiderium deſcribit Ieremias *cap. 14. verſ. 6. Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi Dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* De quo malo quæritur D. Hieronymus *in Ierem. tomo 4. pag. 341. lit. B. Siccitas hæc ſæpe accidit in Eccleſiis quando Onagri inueniuntur in populis, & magiſtrorum penuria contabeſcunt: ſunt qui poſſunt diſcere, & non ſunt qui poſſunt docere.*

10 Onagri ſunt pauperes; de quibus ſapiens. *Eccleſ. cap. 13. ver. 23. Venatio Leonis Onager in Eremo, ſic & paſcua diuitum ſunt pauperes.* Et addit Hugo Cardinalis *in Eccleſiaſticum pag. 196. colum. 2. Onager aſinus ſilueſtris habitans in Eremo eſt cibus Leonis venatione quæſitus: ſic & paſcua diuitum ſunt pauperes, ideſt ſic diuites deuorant pauperes, & bona eorum.*

§. IV.

Sitis in bonam, & malam partem acceptæ quæ figuret.

1 IN *ſiti ſua*: Sitis eſt appetitus frigidi, & humidi; ſumitur autem multipliciter: & primo ſitis Chriſti Domini eſt deſiderium ſalutis humanæ, quam ſitiebat in Cruce, ſed pro vino fidei habuit acetum infidelitatis Iudæorum; & de hoc quærebatur dicens: *In ſiti mea potauerunt me aceto: Pſalm. 68. ver. 22.* Sic loquens per D. Auguſtinum *in Pſalm. 68 pag. 300. col. 1. lit D. Sitiebam, & acetum accepi; ideſt fidem illorum deſideraui, et vetuſtatem inueni.*

2 Terra ſitiens dicitur B. Virgo Maria, quia concepit ſine irrotatione virili ſeminis: vnde de Chriſto dictum eſt: *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & radix de terra ſitienti: Iſai capit. 13. verſ. 2.* Vbi Gloſſa. *De Vtero Virginis mundo a virili concubito;* & Lyranus. *De Terra ſitienti, ideſt Virgine, non humectata humano ſemine.*

3 Sitis Iuſti eſt deſiderium bonorum æternorum; vt ait Propheta. *Pſalm. 61. verſ. 5. Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere cucurri in ſiti:* Et D. Hilarius *in Pſalm. 61. col. 748. lit. D. Verumtamen honorem meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti: illis honorem ſuum detrahere cogitantibus, ille in ſitim cucurrit. Eſt enim ſitis bonorum æternorum, & ſpiritualis eſuries in Sanctis, de qua dictum eſt: Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.*

4 Sitis etiam ſpes Beatitudinis eſt: de qua Pſaltes: *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Pſalm. 62. ver. 2.* Quo in loco idem Hilarius *in Pſal. 62. col. 752. lit. F. Arduum autem, ſed maximè verum eſt æternitatem ita corporis, vt animæ ſperare; & ideo ad ſitim Animæ Propheta ſubnectit: ſitiuit tibi Anima mea, quam ſimpliciter caro mea: nihil ſub infidelitatis ambiguitate retinens, ſed tam ſimpliciter quam anima Deo ſitiens, & caro ſua ſitiat; ſitit enim, non corpori, ſed Deo ſitiens.*

5 Sitis eſt amor, ſeu deſiderium ſapientiæ in hominibus rudibus; cuius ingenioſi, ſed ſtulti acquiſitionem negligunt: quod reprehendit Iob: *cap. 5. ver. 5. Bibent ſitientes diuitias eius.* Vbi D. Gregorius *lib. 6. cap. 5. moral. pag. 436. lit. E. Huius ergo ſtulti diuitias ſitientes bibunt, dum præcepta Dei, quæ ingenioſi faſtidientes neſciunt, hebetes amore aſſequuntur.*

6 Sitis impiorum eſt concupiſcentia deliciarum mundi, quas laqueo peccati conſtricti ad plenum bibere nequeunt: Ita Iob: *capit. 18. ver. 7. Tenebitur planta eius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis:* Et ibidem citatus Doctor *lib. 14. cap. 6. mor. pag. 618. lit. A. Impio quippe ſitire eſt huius mundi mala concupiſcere.*

7 Sitis mundanorum eſt ambitio, de qua Ieremias: *cap. 2. v 7. Tranſduxit nos per terram ſitis:* Et D. Hieronymus *in Ierem. pagin. 303. lit. C. Per terram ſitis, vbi ſemper maiora cupimus, nec præſentibus contenti ſumus.*

8 Sitis peccatorum carentia gratiæ: ſic Exodi dicitur: *cap. 17. verſ. 3. Sitiuit ergo populus ibi præ aquæ penuria:* Quos reprehendit Incognit. *in Pſalter. in ver. 1303. Sitiuit populus propter aquam, qui debebat ſitire iuſtitiam.*

9 Sitis hæbreorum eſt carentia Prophetarum: Quam prædixit Pſalmiſta. *Poſuit flumina in deſertum, & exitum aquarum in ſitim. Pſalm. 106. ver. 33.* Habebant enim ante Chriſtum abundantiam aquarum, ideſt Prophetarum, ſed nunc in ſitim mutati ſunt: Ita D. Auguſtinus *in Pſal. 106. pag. 514. col. 1 lit. A. Currebant ibi aquæ, currebant Prophetiæ: quære modo apud Iudæos Prophetam, non inuenies.*

10 Sitis plebis eſt carentia Prædicationis: ſic prędixit Iſaias: *cap. 5. ver. 3. Nobiles eorum interierunt fame: & multitudo eius ſiti exaruit.* Vbi D. Hieronymus. *in Iſai. pag. 25. lit. B. Quod quidem ſpiritualiter hodie quoq; patiuntur, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi ſermones Dei.*

11 Sitire calcatis torcularibus, eſt Perſecutores in ipſa perſecutione crudeliores euadere: De quibus Iob: *cap. 24. verſ. 1. Qui calcatis torcularibus ſitiunt:* & eius Commentator Gregorius *lib. 16. cap. 23. moral. pag. 681. lit. C. Omnes qui vitam fidelium perſequuntur, calcant, & ſitiunt, quia agendo crudelia ferociores fiunt; & inſipientiæ ſuæ meritò excæcati, eo ambiunt grauiora facere, quo grauia fecerunt.*

12 Sitis Diaboli, eſt mortem, & malum hominum deſiderare: quia ligatus a Deo in inferno noſtram mortem ambit: De quo Iob: *cap. 18. ver. 7. Tenebitur planta eius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis:* Vbi magnus Gregorius *lib. 14. cap. 6. moral. 618 lit. E. Antiquus quippe noſter inimicus, cum in peccato vitam inlaqueat, ſitit, vt mortem peccatorum bibat.*

13 Sitientes ſunt nouiter ad fidem conuerſi, qui fidelium ſitiunt auxilium, & temporalium, & Spiritualium: quod faciendum monet Iſaias: *capit. 21. verſ. 14. Occurrentes ſitienti ferte aquas:* Vbi D. Hieronymus *in Iſai pag. 106. lit. F. Qui conſummati eſtis, atque perfecti, & habetis in vobis lumen ſcientiæ Scripturarum, fugientibus de Arabia, & de ſaltu occurrite cum aqua, & panibus. Fugiunt enim hæreticorum gladios, doctrinam gentilium, blaſphemias hebræorum.*

Digitized by Google

14 Sitis febricitantis Auari deſiderium figurat: cum de Auaro dicat Sapiens: *Auarus non implebitur pecunia: Eccleſ.cap.5.verſ.9.* Febricitans enim quantumcumque potet, numquam ſitim euacuat. Ita D.Ioannes Chriſoſtomus *Hom.*11. *in* 1.*ad Corinth. tom.*4. *col.*330. *litt.B. Quomodo enim febris in initio quidem accedens non admodum ſitis adurit ægrotantes, cum autem creuerit flammas excitans ſitim efficit immedicabilem; & ſi quis eius conceſſerit, vt ſe potu expleant, non extinguit, ſed accēdit fornacem. Ita etiā in hoc morbo*(Auaritia ſcilicet)*accidit.*

Verſus Duodecimus.

עֲלֵיהֶם עוֹף הַשָּׁמַיִם יִשְׁכּוֹן מִבֵּין עֳפָאיִם יִתְּנוּ קוֹל׃

Verſio ex hebręo. *Super eos Auis Cœli habitabit, ex inter frondes dabit vocem:*

Vulgata editio. *Super ea volucres Cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt vocem:*

D. Hieronymus. *Super ea volucres Cœli morabuntur, de medio nemorum dabunt vocem:*

Pagninus. *Super ea volucres Cœli habitabunt, ex inter frondes dabunt vocem:*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

POſt Fontium, Fluuiorumque manationem, ac eorum neceſſitatem ad Animantium potum, ſeu quadrupedum; hìc etiam Aues recenſet: de quibus infra. Quod adverſus traductionem pertinet: verbum עוֹף *Auem, volucrem, ſeu volatile*, ſignificat, quibus Latini volantia animalia vocitant. Nomen veò ipſum ſingulare eſt, ſed mox eſt Scripturæ ponere ſingulare pro plurali, et è contra: ſicuti paulò poſt יִתְּנוּ *dabunt*, eſt plurale. Nomen עֳפָאיִם frondes, ramos, et nemora ſignificat; et quodlibet iſtorum verſui congruit: petræ verò, nec per illud ſignificari poſſunt, nec congruit; cum Aues potius inter frondes, et arbores, quam inter petras canant, Circa literalem explanationem, de volatilium natura, aliqua in communi declarabuntur.

SVMMARIVM.

1 *De volatilium natura, & proprietatibus.*
2 *De paluſtribus auibus, quæ circa aquas degunt.*
3 *De Auibus canoris.*
4 *De prognoſticis Auium.*

§. I.

De Volatilium natura, & proprietatibus.

1 SVper *ea Volucres Cœli, &c.* Benigniſſimus Dominus, ſuam bonitatem communicans creaturis ſuis optimum ſe, & omnipotentem oſtēdit. Vide quomodo, cum tot, tantaq; aquarum dulcium fluenta, amęnorumq; nemorum arbuſta creaſſet, ea volantibus beſtijs ad victū ſolatiumq; dedit: quæ Creatori ſuo obſequendo, haud ingratæ creaturæ officium implent. Mirum autem non eſt ſi ſuper aquas viuant, ac ſpatientur aues, cum primęuam eorum originem ab aqua recognoſcant; nam legimus in Moyſis Hexæmerone in operibus quintæ Diei, ſimul cū piſce ex aqua a Deo productas volucres. *Dixit etiā Deus producant aquæ reptile animę viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento Cęli. Gen.c.*1. *v.*20. Porro quod Aues ex aqua productæ fuerint aſſerit, & rationem reddit D.Baſilius *Hom.8.in Hexæm.pag.37.col.1.lit.F. Cur ortum ex aquis Volucribus, ſicut, & aquatilibus præponit? Quoniam volantibus ad natatilia quoq; conſanguinitas quædam eſt. Nam vti piſces aquam ſecat agitatione quadam pennarū ad vlteriora, quæ petunt, proficiſcētes: eadē verò mutatione flexiones ſibi, rectoſq; impetus gubernātes: ſic, & in volatilibus conſpicere licet; aerem pennis aliſq; fidentibus, ſimili natātibus modo. Quare cum ſit vtriuſq; cōmunis conditio, ipſum inquam natare, vna quædam ipſis affinitas, ex aquarum ſanè generatione tributa.* Huic etiam ſententiæ ſubſcribit D.Ambroſius; ſed iam non ſolius Ambroſij eſt, ſed Vniuerſalis Eccleſiæ, quæ Hymnū a D.Ambroſio compoſitum canit in Veſperis ferię quintæ; nam hac die, Reptilium, Altiliumq; productio facta eſt: *Breu.Rom. Hym.fer.5. ad Veſp.*

Magnæ Deus potentiæ.
Qui fertili natos aqua
Partim relinquis gurgiti,
Partim leuas in aere.
Demerſa lymphis imprimens,
Subuecta Cęlis erigens;
Vt ſtirpe ab vna prodita,
Diuerſa repleant loca.

Cum

Digitized by Google

Cum his ſentiunt, qui magis ſapiunt: neque Caietani obiectio alicuius eſt momenti: is namque ex hæbraica litera, in qua habetur ועוף יעופף *& volatile volabit* putat colligi aues ex aquis productas non fuiſſe. *Ex eo autem, quod ſubdit, & volatile volabit: excluditur ſenſus vulgatæ editionis ſonantis, quod aquis datum eſt producere etiam volatile.* Nam cum Sacræ literæ vtrorumque productionem ſimul iungant commune principium indicant: ad illud de textu hæbraico dicitur, ſic eſſe legẽdum, ſcilicet; *Et volatile quod volabit*: nam piſces creati ſunt, vt in aquis reptarent, aues verò vt in aere volitarent: mos eſt autem Sacræ Scripturæ ſæpe particulam אשר quæ ſignificat *quod*, vel verbum ſubſtantiuum, *ſum*, omittere, vt tamen ſubintelligatur: ſicuti infra dicitur כל עוף כנף *omne volatile penna*; ideſt habens pennam, ſeu pennatum.

2 Sed quæret aliquis, cur Aues, ſi de aquis ortæ ſunt, nequaquam in aquis viuere poſſunt, vt piſces faciunt? Sed memineris quæſo, me ſupra dixiſſe, elementa, ex quibus mixta, tanquam ex materia producuntur, terram, & aquam; quæ propterea elemẽta paſſiua diximus; ex igne igitur, & aere vitam habemus, vitaleſque ſpiritus, ſed materiam ex aqua, & aere. Vt igitur Deus ornaret aereum Cœlum, quia de aere materiam ſumi non debebat, ex aquis leuioribus ſumpſit, vt perniciores eſſent; nec de terra, quia grauiores extitiſſent: quia ergo, vt Aerem inhabitarent, factæ ſunt, in aquis degendi facultate non ſunt præditæ. Hoc videtur ſentire Abbas Rupertus *lib. 1. cap. 50. in Geneſ. pag. 18. columm. prim. Itaque, & de aquis productæ ſunt, & tamen ſub aquis viuere non poſſunt, quia forte nequaquam ſub denſis fluctibus vitam ſumpſerunt, ſed de rarioris, & per nubeculas volantis aquæ globis, volantium auium corpuſcula facta ſunt.* Sic igitur puto Deum immediatè aues produxiſſe primas, ſed non de nihilo (vt potuiſſet) ſed de materia ſub aquæ elemento latitante.

3 Quia verò ad inhabitandum in aere creatæ ſunt aues, ſed inibi eſcam proportionatam non habent, Deum procuratorem habent: vnde in Euangelio legimus: *Reſpicite volatilia Cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cęleſtis paſcit illa. Matth. capit. 6. verſic. 26* Paſcere dicitur illa Deus, cum dedit ſenſum, & vires, ea quæ ſecundum ſuam naturam ſunt exquitendi ad eſcam. Ita namque ſentit D. Ambroſius *Serm. 19. in Pſalm. 118. tom. 2. pag. 372. lit. B. Volatilia Cęli omnia neque ſerunt, neque metunt, & Deus paſcit illa, quia iuſtitias Domini cuſtodiũt, nihil ſibi proprium vendicando, ſed ligno fructifero, quod Domini iudicio communem ad eſcam datum eſt famem releuare contenta.* Eapropter, ſicuti ad volandum alas, ita pedes omnibus dedit, nam & in terra eſcam quærere debent: idcirco nullum reperitur volucre, quod pedibus careat: In ipſis tamen pedibus multum differunt: quia illæ Aues quæ ad prædandum, & ad carnium eſum deputatæ ſunt, & adunco roſtro, & curuatis, vnguibus pollent, vt ferire, & mactare poſſint: aliæ, quæ ſeminibus veſci debent, ad gradiendũ tantummodo pedes idoneos habent. Ita D Ambroſius *lib. 5. Hexam. cap. 14 tomo 1. pag. 55. lit. F. Nullum Auium genus pedibus caret, quia omnibus victus ex terris: & ideo pedum munere fulciuntur, quia huiuſmodi ad eſcam quærendam indigent miniſterio. Sunt itaque Aues, quæ carne veſcuntur, ideo his vngues aſperi, curuatum, atque acutum os, velox volatus, quoniam raptu viuũt, vt poſſint facilè corrigere prædam, quam ſequuntur.* Reperiuntur nihilominus paucæ aues, quæ pedibus quidem non carent, ſed ineptos habent, & ad prædandum, & ad gradiendum; vt ſunt hyrundines, & quædam aliæ, quæ ex ijs quæ per aera volant, ſed minima ſunt, veſcuntur. Idem dicitur de quadam indica pulcherrima Aui, quę propterea Auis paradiſi vulgo dicitur, quæ pedibus carens numquam in terra conſiſtere poteſt, imò & tangendo terram, (quod portentum eſt) volandi vigorem deperdit, ſicque capitur. Nouit, & hoc D. Baſilius affirmans *Hom. 8. in Hex. pag. 37. col. 2. lit. B. Perpaucæ ſane volucres præditæ ſunt pedibus incommodis, nec ad ſtabiliendum, nec ad venãdum aptis, ceu hirũdines, & eæ quæ ſabulæ, ſeu ripariæ nuncupantur; quibus ex ijs, quæ feruntur in aere pabulum prouidit natura.*

4 Inter ſe Aues quædam communia habent præter mẽbra, & volatũ; primum eſt, quod omnes Aues potant, & ideo ad potandum ad fontes veniunt; minus tamen quam reliquæ rapaces; nulla tamen ex eis mingit, & hoc ex magna ſiccitate quam habent, quæ totum conſumat hauſtum humorem; id experientia quotidiana demonſtrat; & obſeruauit magnus Alber. *lib. 23. Animal. pag. 611. col. 1. Cõueniunt in hoc, quod nulla auis mingit, cum tamen omnis auis potare videatur; ſed raro, & parum potat auis carnem comedens propter ſui nutrimenti humiditatem: granũ autem comedens auis plus potat propter ſui ſiccitatem nutrimenti.* Alterum commune omnibus eſt oua parere, & non fętus eductos: & hoc propter corporis ſtricturam, ſeu verius propter vehementer motum: prima ratio eiuſdem Alberti eſt loc. cit. *Omni etiam aui conuenit ouare, & nulli generare propter ſui corporis ſtricturam præcipuè in inferiori, vbi ſtrictior eſt.* Ab hoc tamen ouiperorum numero excipiendus eſt veſpertilio, qui an quadrupes, vel Auis incertum eſt, is ergo cum ex raptu viuat, non vngue, ſed dentibus pollet, ſola dentata inter aues, & viuipera; nam filios, non oua enititur; volatile eſt, quia volat, ſed pennis caret, alas autem membraneas habet, cui malè concinnatos adiungit pedes. De eo hæc Baſilius *loc. cit. pag. 40. col. 1. lit. A. Conſideres velim vt Veſpertilio quadrupes eadem ſit, aleſque ſimul; & auium ſola dentibus vtatur; & pariat quidem animal, vt quadrupeda, circa vero aeris ſuperficiem ſe extollit, & ex humo emergit, non quidem pennis ſublatus, ſed membrana quadam.* His omnibus addere viſum eſt quaſdam quarum iam auium nobis magis familiarium conditiones, quas idem Baſilius enumerat *loc. cit. pag. 38. col. 1. lit. A. Elatus eſt Gallus gallinaceus, atque ſuperbus: ornatus, & elegantiæ amator Pauo, politiæque ſtudioſus: Columba copia libidinis gaudent: nec facilè quoquam ſe emouent domo gallinę: & eædem nullo non tempore veneri indulgent: Callida Volucris, aſtuta, & zelotipa Perdix eſt, malitioſeq; cum venatoribus in præda agit.* Tandem de alio animali inquirendum eſt verum quadrupes vel volatile ſit; ſcilicet culex, qui aliorum animalium ſanguinem ſugit, & inter alia hominibus moleſto. De eo autem vt de veſpertilione eſt ſimilis inquiſitio, nã pedes plures habet, & alas haud illi abſimiles, & ideo volat, & ſanguinem ſugit: præterea hoc habet vltra veſpertilionem, quia parit oua, vt aliæ aues. Culicem inter muſcas collocat D. Iſidorus: ego vero potius inter volantes locuſtas, cuius volatum imitatur *lib. 12. orig. cap. 8. pag. 112. col. 1. lit. C. Culex ab aculeo dicitur. Habet autem in ore fiſtulam, qua carnem terebrat, vt ſanguinem bibat.* Inter auiculas autem ipſum recenſet.

§. II.

De paluſtribus Auibus, quæ circa aquam degunt.

1 *SVper ea Volucres cœli habitabunt, &c.* Licet de vſu aquę ad vollantium belluarum commodũ relatus ſermo dirigatur; videtur tamen potiſſimum duo volucrũ genera tangere; primum quod in aquis naſcitur, & nutritur, ibi: *Super ea volucres cœli habitabunt*. Alterum verò, quod nemora incolens dulciſono modulatur ore ibi: *De medio frondium dabunt vocem*. Id obſeruauit etiam Author Incogn. *in Pſal. 103. Hic agit de vſu aquæ quoad volatilia. Duplex eſt enim genus auium; quia quædam ſunt aquaticæ, quæ in aquis, vel fluminibus habitant, ſicut Cygnus: quædam ſunt nemoroſæ, quæ in arboribus, vel in petris nidificant. De primis ait: ſuper ea Volucres Cœli habitabunt: de alijs verò Auibus, quæ ſcilicet veniunt ad aquas ad bibendum, & poſtea*


Digitized by Google

recedunt cantando, dicit: De medio pœtarum dabunt vocem, de medio ramorum. De vtriſque auibus, quædam numeranda ſunt, & præſenti §. agimus de aquaticis, de canoris infra.

2 Exordiamur autem a Cygno, qui latine Olor dicitur, hic porrò in aquis naſcitur, ibique commoratur; ſed nequaquam, vt aliæ aues aquaticæ piſces comedit, ſed herbas, imò ſi panis, aut alia eſca ſibi proijciatur, inſequentibus piſcibus donat. De eo Bartholomeus Anglicus *de propriet. ann. rer. lib. 12. cap. 11. pag. 532. Cum ſit inter piſces nutritus, ipſos non comedit, ideo ſi panis vel eſca ſibi proiecta fuerit; piſcibus ipſum inſequentibus ipſe cedit. De herbis, & radicibus victum ſuum quærit. Stagna, & lacus inhabitat, & ſecus aquas nidificat, vbi ſuper pauca ligna conie cta ſuper oua cubat, & pulliſicat*. Putat D. Iſidorus dici olorem, quia totus omnino candidus eſt, ſine alterius mixtione coloris: ego autem vidi Romæ Cygnum in horto Burgheſiano inter candidiſſimas pennas, vnam nigram habentem.

3 Sequitur Halcyon, & ipſa inter aquaticas aues locum habens: hæc in pullificatione mirabilis eſt: ferunt namque in ipſo littore oua ponere, & hoc hyemis tempore, ac tantam cum aquis conſuetudinem habet, vt durante eius pullificatione, quieſcant venti, miteſcat mare, ſerenetur cœlum; non autem accedere procellæ, nec inſoleſcunt turbines; quapropter illos viginti dies, ex quibus decem in pullorum excluſione, & totidem in eorūdem nutritione impendit, halcyoneos dixere veteres, qui tutam Nauis velitationem promittunt. Hanc Halcyonis naturam ibi deſcribit D. Ambroſius *lib. 5. cap. 13. Hexam. tom. 1. pag. 54. lit. F. Ea eſt auis* (Halcyon ſcilicet) *maritima, quæ in littoribus fœtus ſuos edere ſolet, ita vt in arena oua deponat, medio fere hyemis; & vbi vndoſum fuerit mare, poſitis ouis ſubito miteſcit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatuſq; aurarum quieſcunt, ac placidum vētis ſtat mare, donec oua foueat Halcyon ſua*. Deo benigniſſimo Principe ſua Prouidentia, vel minimæ creaturæ ſubueniente.

4 Sunt etiam fluuiales aues, quæ Fulices dicuntur, hæ ſemper circa lacus, vel ſtagna reperiuntur: de his D. Auguſtinus *in Pſalm. 103. verſ. 19. Fulices ſunt aues maris, vel ſtagnorum*. Et aſſentitur D. Bruno Aſtenſis. *Fulicæ domus dux eſt eorum: Pſalm. 103. ver. 19.* Sic enim legit ipſe, & D. Auguſtinus illud. *Herodij domus, &c. Fulicæ domus aqua eſt, quoniam hæc auis in aquis viuit, & manet. in Exod. tomo prim. pag. 44. col. 2* Vidi ego Anno 1661. Neapoli aquaticam auem, maximam, totamq; albam, quæ habebat roſtrum oblongum ad longitudinem fere bipalmarem; in cuius inferiori parte erat quędam carthilaginoſa membrana, quæ ad modū cuiuſdam marſupij pro libito inferius extēdebatur, ad hanc fere figuram:



qua veluti rete quodam ad piſces capiēdos vtebatur: neq; eam extendebat, niſi piſcationis tempore, nam alijs tēporibus roſtro coniuncta non cernebatur. Puto autem eſſe Onocratalum, de quo Plinius *ap. Ianſen. in Pſalm. 101. pag. 223. colum. 1. Olorum ſimilitudinem Onocrotali habent, nec diſtare æſtimarentur omnino, niſi faucibus ineſſet alterius vteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit*.

5 Fluuialis itidem auis Anſer eſt, ſemper enim in aquis manet, quæ etiam in domibus nutritur, cum aquam videt, in eam mergitur. Illud autem de Anſeribus mirabile eſt, quod cum dormiunt (nam aues gregariæ ſunt) excubias ponunt, in qua vigilantia ſibi mutuo ſuccedūt; & Inſuper ſtatutis horis etiam cantu ſuam cuſtodiam teſtantur. Contigit autem, vt in Romanorum hiſtorijs legitur, vt obſeſſo capitolio a Gallis, nocte intempeſta, excubijs, ac canitus ſomno ſopitis, ſoli vigilarent Anſeres, qui ſuo crocitatu hoſtium irruptionem prodiderunt; qui propterea meritò in honore ſequentibus ſæculis ſunt habiti; cuius beneficii meminit D. Ambroſius loco cit. *pag. 55. lit. D. Nocturnas autem Anſerum quis non miretur excubias, qui vigilias ſuas etiam cantus aſſiduitate teſtantur? Denique eo etiam Romana Capitolia a Gallo hoſte ſeruantur*.

6 De Pellicano nunc dicendum eſt, quę auis ſolitudinem amat, eſt tamen fluuialis, nam in ſolitudinibus Ægipti, iuxta Nilum fluuium moratur. Hæc auis illud ſingulare habere dicitur, quod pullos ſuos a ſerpente occiſos, ſuo ſanguine rupta vena reuocat ad vitam. Ita ex Plinio multi referunt Authóres. Quis verò non videt in hac Aui pœnitentis Eremitæ expreſſum ſimulacrum? In ſolitudine viuit, en Eremita a mundi tumultu ſegregatus; habitat iuxta aquam, quia lacrymæ pęnitentem aſſociantur: filios a ſerpente interfectos ſanguine viuificat, quia pœnitens voluntaria pœna bona opera ab infernali ſerpente necata ad meritum reuiuiſcere facit. Rectè ergo pœnitens Vates Regius ſe huic aui comparabat: *Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis: Pſalm. 101. ver. 7.* De ipſa Ghilbertus Genebrardus *in Pſal.* 101. *pag. 417. lit. C. Pelicanus auis ægiptia, habitans in Nili ſolitudinibus, quæ filios a ſerpente occiſos, lateribus percuſſis, ſuo ſanguine excitat. Eſt & aquatica, quæ aquis delectatur*. Item de Pelicano Magnus Albertus *lib. 23. Animal. tom. 6. pag. 643. col. 2. Pelicanus eſt auis a pelle cana ſic vocatus eo quod canas habeat pennas: habitare dicitur in Ægipto iuxta Nilum*.

7 Columba etiam inter aquaticas aues connumeranda venit, non quia e fluuijs ortum, vel eſcam ducat, ſed quia iuxta aquarum fluenta libenter moratur; nam timens accipitrem, ne ab ipſo capiatur aqua tanquam ſpeculo vtitur, vbi videns inimicæ auis vmbram ſtatim perniciter aduolat. Eſt præterea auis voluptuoſa veneri dicata; de ea enim ait Ariſtoteles *lib. 5. de Animalib. Columba eſt auis voluptuoſa, vnde, & ſeſe oſculantur ante coitū; & maſculus ſenex non poteſt coire, tamen non ceſſat oſculari, & fœmina multoties ſaltat ſuper fœminam, cum non ſit maſculus, & hoc facit cum oſculatur, & non eijcit ſemen: ex tali autem coitu faciunt oua aliquando non pulliſicantia*. Habent nihilominus multas qualitates optimas, quod felle careant, quod iniurias non memorent, quod pacem ſignent, quod munditiem ament, quod pietatem colant. Ea propter Spiritus Sanctus in Symbolum oculorum Sponſi diuini Columbis vtitur. *Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lactæ ſunt lotæ, & reſident ſuper fluenta pleniſſima: Cantic. cap. 5. verſic. 12.* Quæ verba exponens Rupertus Tuitienſis. inquit *in Cantic. lib. 3. pag. 1087. column. prim. tomo prim. Hæc namque auicula, primum ſine felle eſt, deinde nihil viuum comedit, pullos alienos nutrit grana ſemper candidiora colligit, in petris nidificat, gemitum pro cantu habet, libenter iuxta fluenta reſidet, vt venientem accipitrem ex vmbra præcognitum effugiat perniciter*. Sunt, & aliæ aues aquaticæ vt Mergus, ſic dictus, quod ſæpe in aquam ſe mergat, vt ait Diu. Iſidorus loco cit. & aliæ, quas videre eſt apud citatos Authores.

§. III.

De Auibus canoris.

1 D*E medio frondium dabunt vocem*: Inter omnia animantia, quæ in hoc Pſalmo, qui, vti in prologomenis diximus, Hexæmeronis eſt compendium, De auibus tantummodo dictum eſt, quod vocem dent, quaſi ipſæ ſolæ vocales ſint. Hoc autem dictū puto, quia aues ſunt magis vocales, quam viuentia reliqua, imò, & muſica, quarum cōcentum, nec homo ad plenū poterit imitari: quod Mag. Alber. docet *li. 23. animal. pag. 611. col. 1. Sunt aues generaliter magis vocātes alijs animalibus, &*

hoc

Digitized by Google

hoc contingit propter ſpirituũ leuitatem, propter quod etiã minores aues magis vocant, ita quod multæ earum ſint muſicæ. Hic autem aliquas notiores ex eodem Alberto alijſq; authoribus deſcribimus. D. Ambroſius in duo genera ex voce diuidit Aues; in primo ordine ſunt quæ ſtreporem edunt inconcinnum; in ſecundo genere, quę naturaliter canunt, in tertio, quæ ex hominum induſtria cantum edocentur *lib. 5. Hexemer. cap. 14. pag. 56. lit. C. Aliæ voce tantum ſtrepunt, Aliæ canoro delectant ſuauique modulamine. Quædam ex natura, aliæ ex inſtitutione diuerſarum vocum obloquuntur deſcrimina; vt hominem putes loquutum, cum loquuta ſit auis. Quam dulcis merularum, quam expreſſa vox pſittaci eſt*.

2 Calandra Alaudis ſimillima eſt; & ſæpe etiam cum eis volat, vocem illis meliorem habet, & vltra cantum proprium, omnium auium concentus peroptimè imitatur. De ea B. Albertus *magn. loc. cit. pag. 618. col. 2. Calandra auis colore & figura per omnia Alaudis ſimilis eſt, ſed quantitate maior, & eiſdem inflectit notis modulationes cum Alauda, ſed vox eius eſt gratior, & altior, & eſt multum ſonora, quaſi nihil requirens niſi cantare*. Carduelis dulciſono reſonat cantu, & cum Domi retinetur carceris ſui oblita eſcam cantu ſoluit; nec deſunt, qui nec ſolo cantu contenti, victum etiam labore comparare faciunt, paruulos cados funiculo ligantes, & miſerum carduelem catenula detentum, cogunt, cum fames, ſitiſque vrget roſtro cadum trahere. De eo citatus Albertus *loc. cit. pag. 619. Carduelis eſt auicula parua, quæ carduis inſidet: eſt autem hæc auis multorum generum &c. & hæc omnia muſica ſunt*.

4 Chrochilus, ſeu Regulus Auis minima eſt, ſed vocem habet pro ſui corporis mole maximam, luſciniæq; cantui ſimilem, ſed non ita continuata modulatione; tempore hyemis magis canit; & cantus neque mortua obliuiſcitur, nam in ligneo veru infixa, & ſe ipſam inuertit ad ignem, & ſtridet. De ea Albertus *loc. citato Chrochilus auis eſt minima omnium, quam Regulum vocant &c. & hæc auis muſica, & præcipue cantat tempore magni, & ſicci frigoris*.

5 His luſcinia ſuccedere debet, nocturna equidem auis, ſed quæ nocturnas delicias ſuauiſſimo fouet cantu, inſomnem ducit noctem, ſed non iniucundam; cum vero domeſtica facta fuerit, etiam de die canit, ſed ſolum verno tempore. De ea D. Ambroſius *loc cit. c. 24. pag. 62. lit. F. Quid autem de Luſcinia dicam, quæ peruigil cuſtos, cum oua quidem ſinu corporis, & gremio fouet inconſtantem longæ noctis laborem, cantilenæ ſuauitate ſolatur*.

6 Neque Poetis inuidentes cignum prætereamus, Auis eſt præ omnibus dulciſſimè canens, ideo optimè canentes Poetæ Cygnis comparantur; eius pulli ad citharæ rorum ſonum proſilientes e nido canunt; Hæc ex D. Iſidoro Bartholomeus Anglicus *De prop. omn. rer. lib. 12. cap. 11. pag. 531.* refert. *Cygnus autem a canendo eſt dictus, eo quod carminis dulcedinem modulatis vocibus fingit. Ideo autem canit dulciter, quia collum longum, & reflexum habet, & neceſſe eſt eructantem vocem, per longum, & flexuoſum iter varias reddere modulationes. Fertur autem in hyperboreis partibus præcinentibus citharædis Cygni pullos euolare de nidis, & aptè admodum concinere*. Illud peculiare de hac aui dicitur quod prope mortem poſita, dulciſſimè canat; & dant rationem, quod penna quædam eius cerebro ſe infigens, eam ad cantum excitet: ita loc. cit. idem Author. *Inſtante autem morte penna infixa cerebro, canit, & contra aliorum animantium conſuetudinem, pro gemitu cantum reddit*.

7 Merula nulli cedit Aui canendo, quæ & a muſica nomen habet; & equidem cum naturæ etiam ars adiungitur omnes aues, & homines melodico ſuperat cantu. De Merula hæc Magnus Albertus *loc. cit. pag. 642. col. 2. Merulam ſic vocatam dicunt, eo quod antiquitus modula vocaretur, quaſi modulos, & melos edens. Vnde dicunt quidam Merulam arte fuiſſe edoctam, quod nouem modos notarum, quibus omnis cantilena componitur, adeo benè modulabatur, quod a nullo hominum perfectè potuit imitari*. Speciem etiam merulæ exiſtimat Geſnerus eſſe auem, quam paſſerem ſolitarium Itali vocant, & ipſa muſica; cui ſe ſimilem dicit Pſaltes, nam cum Pœnitens ſe ſolitarium faciens peccata deplorat, Deo canit: *Pſal. 101. verſ 8. Factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*. De hac aui B. Albertus loc. cit. *Paſſer ſolitarius eſt auis nigra, merula minor, & eſt auis muſica*. Poſſet his addi paſſer canarius, qui bene canit, Fregellinus, aliæque permultæ, ſed has memoraſſe ſufficiat.

8 Tandem memorare debemus aues illas, quæ licet canora haud voce delectant, ſunt tamen in prætio, quia hominum loquelam perfectè imitantur, in tantum vt quandoque & ipſi homines decepti ſunt, non auium, ſed hominũ vocem ſe audire putantes; huiuſmodi ſunt noſtrates picæ, & etiam corui, & indici Pſittaci, quæ aues propterea ſemper magnæ exiſtimationis fuere. De his multas prærogatiuas enarrat Ouidius illa elegia, quę incipit.

Pſittacus, eõis ales mihi miſſus ab indis, occidit &c.

De Coruo refert Bartholomæus anglicus *loc. cit. Eſt auis clamoroſa, & diuerſas format voces. Solus enim inter aues ſexiginta quatuor habet vocis mutationes.* Sed illud in his auibus in prætio eſt, eſt quod humanas reddant voces. De quibus D. Io. Chriſoſt. *ſer. de virtutib. & vitijs tom. 5. col. 1162. lit. B Habent cæteri artes, quibus, cum permittitur, aues etiam in hominum genus transformare poſſint: Pſittacos, & Picas in voces humanas erumpere docent*.

9 Porro paſſerum, & aliorum auium canentium, quæ gregatim viuunt, illud obſeruari debet, quod mane ad ortum ſolis, & ad veſperam cum dormitum redeunt, omnes ſimul canere; quod & Apes faciunt ſtatutis horis; quarum cantus aliud non eſt niſi gratiarum actio Deo, & laudatio Diuinæ Maieſtatis, cuius prouidentia ſeruantur, & cibantur. Hoc colligo ex ordine, quem in hoc inuiolabiliter obſeruant; & etiam experientia, cuius ego oculatus ſum teſtis. In Conuentu meæ Religionis prope Ciuitatem Reatinam D. Antonij nomine nuncupatus, frater quidem tunc temporis Conuentus Vicarius, quamdam auiculam aſſidue paſcendo, ita ſibi familiarem fecerat, vt in ipſa eius fratris manu abſque timore ad eſcam veniret, in eaque eſcam comedendo perſiſteret; cum tandem deuorata eſca recedebat, ad proximum arbuſculum conuolabat, ibique per aliquod tempus dulciter canebat, Deo, & fratri gratias accepti beneficij reddens: imò aliquando, (iam ab omni timore remota) in ipſa manu canebat; ſed hoc rarò, in proximo vero arbuſto quoties comedebat, canebat. Nil igitur mirari debemus ſi Seraphicus Pater meus D. Franciſcus auibus prædicans, & ipſas ad Deum laudandum, ac ei gratias reddendum cohortans, expleto ſermone, omnes muſicas excitantes voces, imperata opere compleuerint: vt legitur in vita ipſius: Hæc autem auibus prædicauit *Ap. Luc. Vading. tom. 1. Annal. ad ann. 1212. num 30. Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem veſtrum, qui plumis vos induit, & pennas tribuit ad volandum, puritatem conceſſit aeris, & ſine veſtra ſollicitudine aſſidue vos gubernat*: Hæc vir ſanctus; & vt eius vitæ compilatores adnotant *ibid. Cum hæc eis, & his ſimilia loqueretur, auiculæ modo mirabili geſtientes, cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire roſtra, & illum attente reſpicere*. Id etiam Eccleſia in quadam antiphona a D. Bonauentura compoſita, in officio B. P. Noſtri Franciſci, textatur. *Dat aurem ſuis auium prædicans ſilueſtrium verbis intendentem*. Cum ergo aues Deum laudantes noſtram tepiditatem incuſent, qui rationis participes, ab animantibus brutis in gratias agendo ſuperamur; noſtram excitant gratitudinem, & tandem aliquando pudeat nos ingratos eſſe Domino, cui dant auiculæ laudem, ac Creatorem confitentur.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De Prognoſticis Auium.

1 VEteres Gentiles noſtri, in tantum auium cognitionem extollebant, nam ſenſus acutiores cæteris animantibus habent, vt ex ijs, Diabolo fallente, augurandi ſcientiam inſtituerint præcipuè in augurijs habuerunt Aquilam, vulturem, Accipitrem, Coruum, noctuam, & huiuſmodi; ſed omnia hæc ſuperſtitionibus plena ſunt: non tamen Aues, ſicut etiam quadrupedia, ex eo quod naturali inſtintu multa præcognoſcunt, quia ex aeris, mariſque alteratione, vel ex odore corporum, diuerſos ſubeunt motus, ex quibus longa experientia aliqua conijctare. Quod optimè obſeruauit Abbas Rupertus, *lib. 1. cap. 49. in Geneſ. pag. 17. col. 2.* ex ipſius Virgilij carminibus in Georgica *Acutius quidem volatilia, quam reptilia ſentiunt. Nam & acumine ſenſus illorum in tantum maligni ſpiritus abuſi ad augendum errorem gentilium, vt auſpices quoque, ſiue augures, ex eo conſtituti ſunt; quod ab auium garritu, ſiue inſpectu, ventura ſibi crederent, bona vel mala ſpectanda præſignari. Contra quod eximius eorum Peota paulo melius ſentiens, ait.*

Haud equidem credo, quod ſit diuinitus illis,
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.
Verum vbi tempeſtas, & cæli mobilis humor
Mutauere vias &c.
Vertuntur ſpecie animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris.
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture Corui.

Ea concludit Rupertus. *Dixit Aues non ſcienter diuinare, ſed pro cæli qualitate diuerſos motus concipere.* Duo autem præſertim in malum augurium aſſumebant, Noctuam ſeu Nicticoracem, & Cornicem: & hoc forte quia Nicticorax nocte tantum volat, & domus deſertas, & ruina euerſas incolit, cui ſe propter peccatum comparat Dauid a Deo, & gratia eius derelictũ. *Pſ. 101. verſ. 8. Factus ſum ſicut Nicticorax in domicilio*, & rationem ſimilitudinis reddit D. Ioannes Chriſoſtomus *in Pſal. 101 tom. 1. col. 1014. lit. A. Nicticorax cultas domus fugiens, ad deſertas, & euerſas fugit.* Ea propter cum auem ſolitam domus euerſas incolere, in cultis conſpiciebant, eorum euerſionem ſignificatam credebant. De Cornice vero eſt illud Virgilianum.
P. Virgilius Maro. Eglog. 1.

Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læua fuiſſet
De cælo tactas memini prædicere quercus:
Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab Ilice, Cornix.

In bonum autem augurium ſumebatur Aquila Vultur, nam duodecim vultures viſæ Romulo, ac deinde Auguſto imperium promiſſere: ſic Aquila alis ſuis Marcianum militem a Sole tegens, itemque Mahumethum, illi Imperium, iſti tyramnidem ſignificauit: de quo legantur hiſtorici.

2 Nos veterum ſuperſtitiones haud magnifacientes, imò nihili; ad ea prognoſtica, quæ naturali inſtintu aues habent, conuertimur. Mergus, ſeus Mergulus ita dictus, vt vult D. Iſidorus loc. cit. a mergendo eo quod ſæpe in aquam ſe immergat, non tam auis ſpecies, quã genus eſt, ſecundum Albertum. Hæ aues ita in fluctibus Maris ſe immergunt, vt etiam ad maris fundum vſque perueniant, & cum inimicum vident accipitrem inter vndas ſe occulunt. Maris tempeſtatem præuidet, & ideo cum futurum Maris commotionem præſentit, ad littus confugit, quod Nautæ cognoſcentes futurã tempeſtatem prognoſticant: De hac ita Magnus Albertus *loc. cit. pag. 642. col. 2. Mergus non tam ſpecies auis eſt, quam genus, multas habens ſpecies, &c. Dicitur, quod hæ Aues tempore tempeſtatis ad littora tuta ſe cõferunt, & ſic prænunciant tempeſtates.* Hoc diuinæ Prouidentiæ, vt æquum eſt, attribuens D. Ambroſius, *ſerm. 5. cap. 13. Hexam. to. 1. pag. 55 lit. C.* in vna Fulicum ſpecie, totius generis mergulorũ proprietatẽ explicat. *Quomodo etiam Fulices, quæ marino delectantur profundo, refugiendo, quam præſentitis commotionem maris, in vado luditis?* Eſt & alia harum ſpecies, quæ paludes colere conſueuit; hæc cum pluuiam, & imbres e cælo deſcenſuras præſentit, in altum volat, & ſupra nubes in tuto ſe collocat, ne vel pluuia infundatur, vel procelloſo turbine quatiatur; quod & de Aquila etiam nonnulli ferunt. Ita D. Ambroſius *loc. cit. lit. D. Ipſa Ardea quæ paludibus inhærere conſueuit, notas deſerit ſedes, imbreſque formidans, ſupra nubes volat, vt procellas turbinum ſentire non poſſit.* Muſcæ etiam plus ſolito importunæ, & violentius ad domos accedentes, pluuiam, vel frigidam temperiem mox futuram ſignificant; Cornix etiam ſuo crocitatu pluuiam ſignificare dicitur. De Cornice hæc D. Iſidorus *lib. 12. orig. cap. 7. pag. 110. lit. G. Hi inter multa auſpicia tribuunt, vt etiam pluuias prætendant vocibus; iuxta illud Virgilij.*

Nunc plena Cornix pluuiam vocat improba voce.

3 De vulturibus etiam dicunt, & de Coruis, & Cornicibus, quod futuram hominum ſtragem præſentiunt, quapropter militum caſtra inſequuntur, quod D. Baſilius prodit *ho. 8. in Hexam. pag. 40. col. 1 lit. E. Quis quæſo eadem vulturibus, ac mortẽ hominũ, cum contra ſeſe militiam ducunt prædicit? Videtis, enim vulturum innumerorum greges exercitus, caſtraque ſequentes.* Porro Hyrundinem etiam Domorum caſum præſentire, vnde a Domo caſura fugiunt, D. Iſidorus teſtatur *loc. cit. pag. 111. lit. F. Hyrundo habet etiam quiddã præſcium, quod lapſura deſerat, nec appetat culmina.* Charadrius inſuper, quem D. Iſidorus a chalandra non differre alij vero, maxime inter ſe differre contendunt: (aliorum ſit iudicium) Huius miram proprietatem prognoſtici ferunt; quod ſcilicet intuitu ſuo vitam, vel mortem Ægri prædicat; nam in conſpectu Ægrotantis hominis poſitus; ſi mori debet auertit Auis faciem ſuam ab eo, neque eum aſpicere patitur; ſi autem conualeſcere debet, in eum viſum figit: ita Bartholomeus Anglicus *de propr. rer. lib. 12. cap. 22. pag. 540. Charadrius, &c. cuius natura eſt talis, quod quando aliquis graui detinetur infirmitate: ſi ægritudo fuerit ad mortem, Charadrius auertit faciem ſuam a ſic ægrotante, & ſine dubiò tunc moritur homo: ſi autem Iſirmus debet conualeſcere, Charadrius figit viſum in ipſum, & intendit in eum, quaſi applaudens ei.*

4 Inter bona præſagia, ſeu prognoſtica numeratur Cygnus, nam vbi per marinos fluctus volitans deliciatur, ſic Naui occurrens ſerenitatem, ac tranquillitatem ſignat: Hæc de eo D. Iſidorus *loc. cit. pag 109. lit. G. Nautæ verò ſibi hanc bonam prognoſiam facere dicunt; ſicut ait Aemilius.*

Cignus in auſpicijs ſemper lætiſſimus Ales,
Hunc optant nautæ, quia ſe non mergit in vndis.

Hyrundinem inter bonorum prænuncias ponere poſſumus, quæ ſuo cantu ſolis ortum denunciat: de qua B. Albertus *loc. cit. pag. 641 col. 1. Hyrundo garrula eſt, & diem prænunciando præcinit.* Eadem Auis Veris aduentum, ſuo ad nos acceſſu ſignificat; vt notiſſimum omnibus eſt; & canit Ouidius *lib. 1. Faſt.* cuius carmina recenſendo finem huic §. dabimus.

Tunc blandi Soles, ignotaque venit Hyrundo,
Et luteum celſa ſubtrabe fingit opus.

RA-

Digitized by Google

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

SVper Aquarum fluenta morantur Aues, quæ vocem eleuant de medio nemorum, vt Deo Creatori de acceptis aquarum beneficijs gratias agant. Nec deſunt tamen morales Aues, quę etiam ipſę iuxta diuinarum gratiarum fontes reſident; nam omnes Animæ gratia diuina, ſaltim ſufficienti, ac actualibus auxilis ſatiantur. Sicut autem quædam ſunt Aues quæ in aquis deliciantur, ſic ſunt Angeli Animas ſanctas tanquā gratijs plenas inhabitantes; Aliæ reperiuntur, quę ſemper in altum tendentes in terram deſcendere dedignantur, ſic viri contemplatiui a terrenorum deſiderio recedunt. Ducem ſecuntur aliæ, vt ſciant perfectioni euangelicæ ſtudentes ſibi maioribus obediendum eſſe, nec ad proprium, ſed alteius præſcriptu m viuendum eſſe. Quia verò nec deſunt Aues carniuoræ, & ſuperbæ, quæ inferiores Aues deſpiciunt, hæ ſuperbos omnibus ſe præferentes figurant. Poſt auium relationem, moralium Auium mores intueamur.

SVMMARIVM.

1 *Viri ſpirituales a terrenis remotī viuere debent.*
2 *Hortus Anima Sancta Angelorum conſortio decorata.*
3 *Spirituales viri ſub aliorum obedientia viuere debent.*
4 *Superbi ſe ſolos efferunt, alios verò contemnunt.*
5 *Magis Perfecti Deum magis laudare tenentur.*

§. I.

Viri ſpirituales a terrenis remoti viuere debent.

1 S*Vper ea Volucres cæli habitabunt &c.* Inter multas tropologicas ſignificationes, quas aqua recipit, haud infima eſt ſacra ſcriptura, quæ ſub aquæ nomine multis in locis declaratur. Super hanc ergo ſacrarum ſcripturarum aquam habitant viri ſpirituales; qui per Volucres ſignantur, eo quod ſicuti volucres, de aqua creatæ, continuò ſub cœlo, a terra ſubleuatæ volitant, ſic viri ſpirituales a terrenarum rerum cupiditate alieni, mundanam faſtidientes gloriam, & argentum lutum reputantes, aquam potantes, ideſt ſcripturam ſpeculantes, corpore quidem in mundo ſunt, ſed mente conuerſantur in Cælo; Beatæ volucres, & felices, cui nullus terrenorum motuum metus, nullus marinarum tempeſtatum incurſus, ſed licet totus pereat mundus, nil ipſis adimitur, quarum tota ſpes eſt in Cælis De his rectè dicitur, ſecundum Incognitum *in Pſal. 103. Super ea volucres Cæli habitabunt:& ſuper aquas ſcripturæ habitant, non omnes, ſed ſolum ſpirituales, qui ſignificantur per volucres Cæli: Volucres enim ſignificant homines ſpirituales mente conuerſantes in cælis.*

2 Dum in hoc vitæ mortalis exilio, a Cælorum Patria diſiuncti reperimur, maximus eſt ad virtutum ſtimulus, illius beatæ Ciuitatis gaudia contemplari, vt ex eius memoria mundanas calamitates fortius toleremus: nam nulla eſt huius conuerſationis paſſio tam crudelis, quæ illius gloriæ guttulam valeat comparare. Verum cum incognita diligere nequaquam poſſimus, multa de illa nobis prædicata ſunt; quibus tamen non contentus clementiſſimus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, voluit etiam corporeis oculis, illius Patriæ claritatē oſtendere; qua in viſione & ſi intellectus beatiora non penetrabat arcana, ſaltem oculus eius in corporis reflexus Beatitudinis intuebatur. Huius rei geſtæ modum ſic narrat Matthæus *cap. 17. verſ. 1. Aſſumit Ieſus Petrum, & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.* Cuius viſionis ſeriem non recolo, nam omnes eam optimè norunt: illud verò prætermitti non debet, cur oſtenſurus beati corporis dotes, & Paradiſi cœleſtis imaginem Dominus, in montem aſcendit? Noctem ad hoc deputaſſe fatentur omnes, ergo & cubiculum eligere potuiſſet, & vt ſecretior eſſet locus, & lucidior apparitio, Attamen in montem eos aſcendere iuſſit Ieſus, nam Apoſtoli ſignificabant viros ſpirituales, & contemplationi cæleſtium vacantes; hi autem ſi Deum videre, quantum in terra fas eſt, exoptant, neceſſe eſt vt volucres facti, terrena deſpiciant, voluptates mundiales aſpernentur, & mente aſcendant ad Deum: niſi enim ad montem aſcendant, ideſt ad terrenorum bonorum, negotiorumq; contemptum, numquam contemplationis donum conſequentur. Hanc rationem D. Remigius apud D. Bonauenturam tangit, dum inquit. *De ſept. itiner. Aeter. diſ. 5. tom. 7. pag. 168 col. 1. lit. D. Sic dicit Remigius. Oſtenſurus Dominus gloriam ſuæ claritatis diſcipulis, duxit eos in montem; in quo docet, quod neceſſe eſt omnibus, qui Deum contemplari deſiderant, vt non in infimis voluptatibus iaceant, ſed amore ſupernorum ſemper ad cæleſtia erigantur,* Sic montem contemplationis conſcendens Anima, dum a terrenis auolat, inter cæleſtes glorias delicietur.

3 Paulus Gentium Doctor, cum diuinorum cognitionem aſſequutus fuiſſet, ſpiritualis viri conuerſationem in ſemetipſo perfectiſſimè oſtendit. Is Gentium ordinatus Apoſtolus, totius orbis terras peragrare neceſſe habuit, omnes docere, cum omnibus loqui, & conuerſari; imo quia victum ex proprio labore comparabat, etiam Artis ſuæ diſtractionem, & occupationem habebat: vt vnuſquiſque putaret, ita Paulum in hominum, mundique negotijs detentum, vt nec illi ad quietem minus ſupereſſet locus, quanto magis ad orandum. Nihilominus tamen, de ſeipſo audacter dicebat ad Philippenſes *cap. 3. verſ. 20 Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* At quomodo ita cæleſtis erat, qui terrena tractabat? Quomodo conuerſabatur cum Angelis, qui hominum ſalutem procurabat? Quomodo contemplationi vacabat, qui actiuitate vitæ ad proximorum beneficium neceſſario opus habebat? Poſſumus ne ſimul in terris negotiari, & conuerſari in Cælis? Profecto poſſumus,

Digitized by Google

mus, ſi dum corpus in terra eſt, animus eleuatur a mundo: neq; contemplationem retardat occupatio terrena, quæ pro proximi ſalute ſuſcipitur, dummodo mens hæc mundana non amet, ſed cæleſtia: occupetur corpus in negotijs, non ſe implicet animus; ſi Dei amore quæcumque agit operetur, in Deo ſemper erit. Audiamus Chriſoſtomum *lib. 1. de compunc. cord. to. 5. col. 493. lit. B. Paulus vbi perſpexit illa, quæ in cælis, ſunt contempſit iſta, quæ egeſtatis, & ſqualoris in terra plena ſunt; & cum hominibus quidem pro neceſſitate corporis conuerſabatur: mente vero, & ſollicitudine totum ſe illuc transferebat, quo eum amoris ſui ducebat intentio*. Sic viue homo in terris, vt amor ſit in Cælis, ſic vtere terrenis, vt cæleſtibus fruaris: in mundo non eſt, ſed in Cælo, qui ſemper cæleſtia contemplatur.

4 Mundanorum vanitatem ipſa mundialium rerum corruptibilitas damnat. Quid iuuat hominem pro his elaborare diuitijs, eos conſequi honores, vel ijs voluptatibus frui, quæ dum tenentur pereunt? ſi aurum eſt fures metuit, ſi veſtis deaurata tineam timet, ſi dignitas caſum formidat, ſi delicies amarulentum finem expectat. Quiſquis ergo Deo cupit vacare, deſpicere mundum; dum mundi penſat inconſtantiam, illico ſpernet. Adeamus ſcripturas. Prima manſio Populi Iſraelitici exeuntis de Ægipto fuit Rameſſes, ex qua ſtatim diſcedere iubentur, vt venirent in Socoth: *Exod. c. 12. verſ. 37. Profectique ſunt filii Iſrael de Rameſſe in Sochot*. Ex Ægipto ergo egredientibus, vt ad Sochoth veniant exeundum, ſeu diſcedendum eſt de Rameſſes; Quare? ex declaratione harum vocum pendet ſolutio רעמסס *Rahameſes* ſignificat *Tonitruum tineæ*, ex רעם & סס, vel *commotio tineæ* ex רעש & סס: סכת *Suchoth* verò dicitur tabernaculum: quicumque ergo ingredi vult tabernaculum Domini, ideſt ad Cæleſtium contemplationem venire, debet aſcendere de Rameſſes, ideſt tonitruo, ſeu commotione tineæ, ſcilicet vt cor ſuum ab illis gaudijs auertat, quæ poteſt fur rapere, tinea demolire; nam dum conſiderat rerum mundanarũ caducitatem, faciliter ea aſpernatur, & deſerit, & deſerendo in ſecretum contemplationis tabernaculum feliciter cemmoratur. Hæc dicere non auderem, niſi firmaret Origenes *Hom. 5. in exod. to. 1. pag. 44. col. 1. lit. H. Et leuantes Filii Iſrael de Rameſſe venerunt in Sochoth. Si quis eſt, qui cupit obſcuros huius mundi actus, & errorum tenebras derelinquere, primo omnium ex Rameſſe ei proficiſcendum eſt. Rameſſe vero interpretatur: commotio tineæ: ſi ergo vis venire in Sochoth, vt Dominus tibi Dux ſit, & in columna nubis te præcedat, & ſequatur petra, quæ tibi eſcam ſpiritualem, & potum nihilominus ſpiritualem præbeat, proficiſcere, & exi de Rameſſe, nec theſauriſes tibi, vbi tinea exterminat, & vbi fures effodiunt, & furantur*. Cum veſtis a tinea conſumpta eſt deſpicitur, ſic & tu ſerue Dei deſpice mundana, quę corruptioni obnoxia ſunt, vt aſſequi poſſis immortalitatem.

5 Error eſt intempeſta nocte, dum omnia cooperiunt tenebræ, iter arripere, cum enim luce deſtituuntur facillime a via errant, & verum iter adinuenire difficile eſt; de ſeipſo quæratur, qui lumine carens veram viam inuenire nequiuit, omnia confundere tenebrarum eſt: diſcernere inter vmbras viam vix veſpertilionibus datur. Haud minus errat qui in contemplationis profectu, putet ſe veritatem poſſe cognoſcere, cum adhuc mundum diligat, & eius deliria delicias æſtimet. Tenebræ ſunt vbi Sol Iuſtitiæ non lucet; quem mundus ſuis erroribus excæcatus minime cognouit; errabit ergo, qui Dei amorem, eiuſque veritatem aſſequi ſperat, adhuc mundi illecebris obcæcatus. Hoc deplorabat Sapiens quidam: *Sap. c. 5. v. 6. & 7. Ergo errauimus a via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles*. Fatetur liberè ſe vias difficiles ambulaſſe, & a vera veritatis via deuiaſſe; quia putabat ſe poſſe cum dilegeret mundum, & cum in peccatorum incederet viam, veritatem inuenire. Et cum ipſo errant omnes, vt docet D. Auguſtinus, qui putant nequiter viuendo, ac ſæculum iſtud diligendo contemplationis veritatem agnoſcere *De Agon. Chriſ. cap. 13. to. 3. pag. 289. col. 1. lit. B. Errat quiſquis putat veritatem ſe poſſe cognoſcere, cum adhuc nequiter viuat; nequitia autem eſt hunc mundum diligere, & ea, quæ naſcuntur, & tranſeunt in magno habere, & ea concupiſcere, & pro his laborare, & lætari cum abundauerint, & timere ne pereant. Vita talis non poteſt puram illam, & ſinceram, & incommutatam videre veritatem, & adhærere illi*. Aliorum error doctrina ſit noſtra, vt volucres imitando, ſubleuemur a terra, non corpore, ſed affectu, vt veritatem aſſequamur.

6 Ad huius confirmationem aduertere oportet Arcę motum, cum ex Philiſtiim ad Iſrael veniret: dicitur namque quod Arca venit in agrum cuiuſdam viri nomine Ioſue, ideſt Saluatoris, & ager erat in finibus Ciuitatis Bethſames: 1. *Reg. c. 6. verſ. 14. Et plauſtrum venit in agrum Ioſuæ Bethſemitæ, & ſtetit ibi*: Hic euidenter oſtenditur, quod ſi aliquis Arcam Dei vult recipere, ideſt ad Diuinam contemplationem peruenire, debet ſeparari a terrenis, deſpicere mundana, ſic viuere in mundo, vt cæleſtia ſapiat; id denotat ager: inſuper debet iſte ager, ſeu hæc ſolitudo eſſe prope ciuitatem *Bethſemes*, בית שמש namq; Domus Solis interpretatur; debet ambulare in luce Dei, non in tenebris bonorum mundialium, nam hæ tenebræ ſunt, vt vidimus; cum ergo Solis lumine comitati ambulemus, ideſt in Dei occupati miniſterio, & ſumus in agro mente, & intentione a mundo diuiſi, Arcam recipimus, Dei cognoſcimus Sacramenta. Dilucidè hoc Romanus Gregorius *in lib. 1. Reg. pag. 120. lit. B. Si Bethſames interpretatur domus ſolis, domus ſolis Ciuitas eſt cæleſtis, &c. In agrum quoque Ioſue Bethſemitæ plauſtrum venit, cum mens a ſæculi intentione diuiſa, ſolis cæleſtibus intendit, cum cæleſtis iam amœnitate virtutis fruitur, quia terrena reſpicere per amorem dedignatur*. Sic a via veritatis aberrare non poterit mens, dum ſub tanti ſolis lumine incedit.

7 Animam e mundo exeuntem, & de hoc tenebroſo ægipto egredi feſtinantem, vt Spiritus ſanctus erudiat, ei per os regij Vatis hæc mandat. *Pſal. 44. ver. 12. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum*: quibus in verbis omnis doctrina Continetur ad ambulandum in via Dei, vt ſpiritualis homo in ſancta conuerſatione proficere poſſit. *Audire* primò debet, ideſt Dei inſpirationes ad bonum vocantes non aſpernari; ſecundò *videre*, ideſt conſiderare bonum quod nobis cælat Cælum, malum quod ſæculum claudit: tertiò *inclinare aurem ſuam*, ideſt Magiſtris ſpiritualibus obedire, & iuxta eorum directionem viuere: quartò *obliuiſci populum, domum, parentes*, ideſt omnia terrena deſpicere, amare cæleſtia; & mores illos carnales, mundanos actus, in quibus hactenus ſe exercuit omnino deſerere; vitia eradicare, plantare virtutes; & ſic proficiendo Regis immortalis amorem promerebitur: experto credamus D. Bernardo *ſer. in feſt. S. Martini pag. 315. lit. k. Quorſum iſta? Inclina ait; aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, &c. Vult nos ponere contumaciam, diſcere obedientiam, apprehendere diſciplinam. Vult nos etiam obliuiſci poſteriora, deſpicere inferiora, terrenos mores, & vitia genuina deſerere, cæleſtia ſapere, ſuperna quærere, anterioribus inhiare*. A terra deſpiciendo ſurgat, qui ad cęlum aſcendere cupit amando.

8 Filium degenerem cum aliquis cognouerit Pater, qui nobilis, & illuſtris eques cũ ſit, ſe in vilibus exercitijs implicat, eum ab hæreditate deturbat, e domo eijcit, nec patitur ſe vocari Patrem ab eo qui ſe dignum tanto genitore filium non oſtendit. Quod ſi ſuam cæcitatem agnoſcens, ſuumque errorem corrigens a vilibus

Digitized by Google

bus actibus ſe ſubtraxerit, tanquam filium in priſtinam recipiet gratiam. Nos cum oramus filij Dei ſumus, nam Deum Patrem vocamus, ſic enim incipimus *Matth. cap. 6. verſ. 10. Pater noſter, qui es in Cælis*: ſi ergo cæleſtem Patrem habemus, vt illius aſſequamur gratiam, neque nos a ſua facie, tanquam degeneres, repellat, neceſſe eſt, vt cæleſtia deſideremus, deſpiciamus terrena: qui enim Deum Patrem vocat, quæm cæleſtem fatetur, ſi mundanas occupationes ſuſcipiat iniuriam facit Patri, dum tenebroſam mentè Solis filiam putat eſſe. Huius erroris admonet nos Rauennatum Antiſtes D. Petrus Chiſologus *ſerm. 71. pag. 312. col. 1. Pater noſter qui es in cælis: Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus eſſe de cælis? ergo cæleſtem vitam monſtra in habitatione terrena: quia ſi quid in te geſſerit terrena cogitatio, cælo maculam, cæleſti generi iniuriam intuliſti. Operari ſequitur eſſe, ſpiritu ambulemus, vt filij lucis*. Ideo Volucres cæli dicuntur non, quia in cælo natæ ſunt, ſed quia in Cælo alis ſe ſubſtollunt, & per ipſum volitant; nos vero adhoc nati ſumus, vt contemplationis alis nos a terra eleuantes, in Cælo Deo Patre dignam vitam inſtituamus.

9 Dum perfectos in charitate viros alloqueretur Paulus, mortuos eos vocat *Ad Coloſſen. cap. 3. v. 3. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Si ergo mortui erant quomodo opera vitæ exercere poterant? quia mortui quidem mundo erant, non Deo, cui viuebant, & vbi vita illa, quæ mundo non apparebat, repoſita erat, & mundo quidem inutiles videbantur, cui adhærere detrectabant, cælo vero viuebant, in quo coronari ſperabant: Homines terreni mortuos deputabant, quos terrenis voluptatibus frui non videbant, ſed eorum vitam laudabant Angeli, quorum virtutes mirabantur, & conſortium expectabant. *Mortui enim eſtis* (inquit Gloſſa interl) *terrenis, & caducis: & ideo quæ ſurſum ſunt quærite non quæ ſuper terram; et vita veſtra maximè terrenis, et carnalibus abſcondita eſt, cum Chriſto, qui eſt vita æterna*. Mortui ſumus, ergo terrena ſapere non debemus, inquit D. Ioannes Chriſoſtomus; Nonne ridiculum eſſet, ſi quis Defuncto homini, & iam inter lapides ſepulchrales condito, ſeruorum obſequentium turbam coemeret, ſumptuoſas, & magnificas conſtrueret domus, prætioſas auro, gemmiſque renitentes compararet veſtes, delicatis ferculis refertam apponeret menſam, in eius obſequium odorata erogaret aromata? Sic nobis iam mūdo, eiuſque pompis defunctis, terrena ſapere, ac optare indecens erit. *Non eſt enim noſtra vita hæc vita. Hoſpites enim, et peregrini ſumus; mortui enim, inquit, eſtis. Quis adeo deſipit vt mortuo corpori, et ſepulto, aut ſeruos emat, aut domos ædificet, aut prætioſas veſtes comparet? Nullus. Nec nos ergo* Hæc D. Ioan. Chriſoſ. *Hom. 7. in epiſ. ad Coloſſ. to. 4. col. 1118. lit. A.* Hanc ſtultitiam qui Chriſto viuere contendit, deuitet, ibi cor tantum viuat, vbi gaudia ſperat æterna.

10 Hinc patet ſacræ ſponſæ ſenſus, dum vitam ſuam in ſancta, ac ſpirituali conuerſatione declarat, nam primo intuitu, contradictoria videtur promere, ait enim ſimul dormire, & vigilare: *cantic. cap. 5. verſ. 2. Ego dormio, et cor meum vigilat*. Si enim & viuere poſſumus, & mori, & ſomnus mortis imago dicitur, etiam vigilare, & dormire poterimus, dormire equidē mundo; nam ſi dormiente Animali, ſenſus omnes a ſuis operationibus ceſſant, ſic dormiente Anima mundo, omnibus temporalibus delicijs parcit; viuit nihilominus cor, & conſequenter vigilat, nam Deo viuit contemplando, ac virtutum actus exercendo. Spiritualis ergo vir, qui Deo frui, qui cæleſtia meditari deſiderat, dormiat ſæculo, a terrenis, & ſenſualibus operationibus ceſſet; nam tunc magis cor vigilat, cum corpus dormit, tunc contemplatio viget, cum carnalia deſpiciuntur. Ita de Anima contemplatiua D. Bernardus *de modo ben. viu. ſerm. 53. pag. 1295. lit. M. Qui perfectam vitam contemplatiuam vult tenere, debet ab omni terreno opere ceſſare. Vnde in eiſdem canticis ſponſa de ſe dicit: ego dormio, et cor meum vigilat; ac ſi apertè mens ſancta loqueretur dicens: dum a terrenis tumultibus exterius dormio, in interiori cogitatione quæ ſunt cæleſtia, atque ſpiritualia penſo*. Quis libenter non dormiat, ſi tam dulcis eſt ſomnus? abiciantur operationes caducæ, quæ contemplationis quietem, indigna ſollicitudine perturbant.

11 Verum quia ſomnum memorauimus, ne ſubito eius conſiderationem prætereamus. Obſerua mecum, obſecro, eum, qui dormit, aut dormitum accedit, quod ſe in cubiculo claudit, feneſtras occulit, ab omni ſe tumultu ſubtrahit, & tandem in lecto ſe collocat; dormire autem extra lectum, diurnis tumultuantibus operibus ægrè, aut nullatenus poteſt. Religioſus vir, ſpiritualis Anima dormire debet mundo vt vigilet Deo, mundanas deſerere occupationes, vt Deum contempletur. Quid ergo curſat per plateas, girat per domos, ſæcularibus tumultibus gaudet, degeneri conuerſatione lætatur, aliorū vitam detrectat, famā lacerat, inſidiatur vitæ: Non eſt quærendus ſponſus per vicos, & plateas, ſed in lecto, in cubiculo, extra terrena negotia, extra ſæculares curas, extra perditorum hominum commercium: Hunc lectulum amabat cæleſtis ſponſa: *Cantic. cap. 1. verſ. 16. Lectulus noſter floridus*: in hoc ſponſum requirebat: *In lectulo meo quæſiui per noctem, quem diligit anima mea c. 3. v. 1.* Ideſt in monaſterio, in cubiculo, non in tumultu. En D. Bern. *ſerm. 46. in Cant. pag. 704. lit. H. In Eccleſia quidem lectum, in quo quieſcitur, clauſtra exiſtimo, & monaſteria, in quibus quietè a curis viuitur ſæculi, & ſollitudinibus vitæ*. In lectulo ergo, in quo ſumus quieſcere debemus, ne ad ſæcularia digrediamur.

12 Sed & in ipſo lectulo diligenter aduertere opus eſt, ne adulterum admitamus. Illa mens alienum amatorem admittit, quæ dum in contemplatione Diuinitatis verſatur, ad mundana cogitanda conuertitur; Quiſquis Deo placere, illoque frui deſiderat, imagines ſæculi, & Idola mundanarum rerum abiciat: nam reſpectu Dei anguſtus eſt humani corporis lectulus, nec Deum capere, cum alieni amore poteſt. De hoc quærebatur per Prophetam dicentem. *Iſai. cap. 28. v. 27. Coanguſtatum eſt enim ſtratū, & pallium breue vtrumque operire non poteſt*. Non compatitur Dei charitas mundialium amorem; ita D. Hieronymus *in cap. 28. Iſai to. 4. pag. 227. lit. B. Loquitur autem ſub metaphora viri pudiciſſimi, qui adulteræ dixit vxori: vnus lectus me, & adulterum capere non poteſt; & pallium breue maritum, & mæchum cooperire non præualet. O igitur Ieruſalem, ſi vis meis amplexibus copulari, abiice Idola.* Terra quadrupedibus ceſſit, Volucres Cælo ſunt deputati; ſi ergo in cælo volare contendimus terram deſpiciamus.

§. II.

Hortus Anima ſancta Angelorum conſortio decorata.

1 DE *medio frondium dabunt voces*: Nemora, & arbores Aues incolunt, ea præſertim quæ aquarum fluentis irrorata floribus, atque herbis abundant; Hinc ſiti extincta, ac fame propulſata Deo canunt, gratias vtique agentes Deo, qui dignatus eſt eam terram tot delicijs cumulare: & ideo *De medio frondium dabunt voces*. Anima ſancta, quæ gratiæ diuinæ fontibus irrigatur, Hortus eſt, in quo florent merita, creſcunt virtutes, & in quo cæleſtes aues, ideſt Angeli libenter inhabitant, & dulciſſimè canunt. Angeli enim cum cor ſanctum gratia reſperſum, virtutibus decoratum inueniunt, ibi lætiſſimè inhabitant, & ſanctis inſpirationibus ſeruant, cuſtodiuntque. Hunc Hortum cæleſtis ſponſus collaudabat cum dicebat: *Cantic. c. 4. ver. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa*: vti placet B. Alberto Magno *in Pſal. 103. Anima exiſtens in gratia eſt quaſi*

quaſi Hortus pulcherrimus. *Cantic* 4. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa : & ad hunc hortum veniunt volucres cæli, ideſt Angeli ; & reſident ſuper Arbores, ideſt ſuper virtutes ; & dulces cantus perſonant, ſcilicet dulces cogitationes, & affectiones ſanctas excitant*. Felix Hortus, quem non terrenæ voluptates, ſed diuinæ replent deliciæ, & ſupernæ incolunt aues; quæ æternæ beatitudinis exhibent Imaginem, & certitudinem nutriunt. Deſipit qui horticas fouet, qui ſpinas nutrit, qui ſæcularia ſperat; non incolunt Angeli hortum, quem non videant cæleſtium aquarum gratia redundantem.

2 Porro obſeruandum eſt, Beatum Albertum locum illum fontibus, arboribuſq; refertum, quem canentes incolunt Volucres, non vocare nemus, ſed Hortum, cum tamen etiam per nemora fluant aquæ; Verũ Aues illæ, quæ canora, muſicaque voce nos recreant, cum ſeminibus, vt plurimum veſcantur, frequentius Hortus, ac Pomaria colunt: Hæc enim differentia eſt inter Hortorum, ac nemorum fontes, quod hic aquas abſque vlla vtilitate profundi, ille vero, ad ſemina nutrienda, ad germina viuificanda prodeſt; & ideo illas aquas amant Volucres, quæ ſimul, & ſitim temperant, & ad famem pellendam ſemina, ac gramina fœcundant. Ideo Chriſtus hortorum ſe fonti comparat: *Cantic.cap.4.verſ.16. Fons Hortorum, puteus aquarum viuentium*, quia ſcilicet animam ad virtutum fæcunditatem irrigat; vt docet Gilibertus Abbas *ſer.37.in Cant. pag.30. lit.F. Sed etiã vide quo in loco eius aquæ fluunt. vbi niſi in hortis? Fons enim hortorum eſt, qui non lauat, ſed rigat: cuius in hoc omnis vſus eſt, vt fæcunditatem afferat*. Anima ergo, quæ Hortum exhibere ſe vult, neceſſe eſt diuinæ gratiæ fonte mentem irriget, virtutum flores enutriat, tunc enim Aues incolunt Hortum, cum floribus redolet, ſeminibus, fructibuſque abundat: & Anima illa Deo, Angeliſque acceptabilis eſt, quæ virtutum floribus, ac meritorum fructibus viret: ſequitur Idem Doctor. *In alio rubent roſæ, in alio candent liliæ, coloremque flores violæ purpureum reddunt. Tot horti ſunt, quot virtutum plantationes, ſimul collectæ; vbi enim flos vnus eſt, quis ibi Hortum eſſe definiat?* Nam & ad hoc per hortos fons mittitur, vt virtutum ſemina fæcũdet. Quod ſi fontis nomine ſacra ſcriptura intelligitur; hæc etiam Hortorum eſt fons, quia illi peculiariter ſacram ſcripturam non inaniter accipiunt, qui ex ipſa virtutum incrementa deſumunt, vt docet Gregorius Romanus *in cap.4. cantic. tom. 2. pag. 1213. lit.E. Quid enim per fontem, & puteum niſi ſacra ſcriptura deſignatur? qui benè hortorum eſſe deſignatur, quia illorum ſpecialiter eſt ſancta ſcriptura, in quorum mentibus virtutum ſemina oriuntur*.

3 O quam dulciter hic canunt volucres, Anima enim ſancta Hortus eſt, & dum meritis emicat, dulciſſimo cantu montes, ideſt Animæ potentias, reſonat, ac myſticis virtutum odoribus redolet, cui vigilianum illud aptari poterit, *lib.7. Aeneid.*

. . . . Vbi ſolis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu, tectiſque ſuperbis,
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Vox muſica, quæ ex animæ hortu reſonat, tam dulcis eſt, vt Chriſtus eam audire, ac alios beatos ſpiritus de ea delectari deſideret, dicens *Cantic. cap 8. verſ 13. Quæ habitas in hortis, amici auſcultant; fac me audire vocem tuam*. Quaſi dicat: vox tua, quæ non ſolum in Eccleſiæ Horto habitas, verum quæ hortus quidam virtutum es, tam dulcis eſt, perfectiones charitatis, & fidei tuæ operibus bonis modulatæ, ſic dulciter in auribus meis canunt, ſic cæleſtes ciues delectant, vt te ad canendum prouocare me perducant: Ita Gilber. Abb. *loc.cit. lit.G. Quid enim non dulce auſcultare illi, quæ in hortis moratur? De hortis loquitur, non auditur foris vox eius, nec extra hortum: ideo amicus eſt, qui in hortis commoratur. Nec tam in horto eſt, quam hortus ipſe; ipſa hortus eſt, & ipſe fons huius hortum doctrinæ ſuæ fluentis irrigans*. Felix ſponſa, quæ cum ipſa hortus ſit, quocumque pergat, ſi virtutes retineat, ſemper in horto commoratur.

4 Cum autem Diuinum ſponſum tantum myſticus iſte hortus delectet, haud temeritati adſcribendum eſt, ſi quando anima, cum ſe charitate minimè deſtitutam, quantũ fas eſt, agnouit, Deum ad ſui conſortium inuitet; vt dignetur illius horti, quem ipſe ſua gratia plantauit, & coluit, percipere bonorum operum fructus; hoc talis animæ nomine facit ſponſa, inquiens: *Cantic. cap.5. verſ.1. Veniat dilectus meus in hortum ſuum.* Quò etiam attendens Eccleſia in feſto B. Virginis, ac martyris Ceciliæ Deo canit: *Domine Ieſu Chriſte, paſtor bone, ſeminator caſti conſilij, ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Cæcilia ſeminaſti*. Nam tunc animarum ſponſus, (vt ait Beatus Gregorius) in hortum ſuum venit, & pomorum ſuorum poma comedit, quando mentem ſanctam viſitans de eius bonis operibus delectatur *loc. cit. pag.1214. lit. D. Veniat Dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum: In hortum Dilectus venit, & fructum comedit, quando Chriſtus mentes viſitat, & bonorum operum delectatione ſe ſatiat*. Eia igitur fideles, rigemus cor noſtrum gratia, cooperemur ſeminibus diuinarum inſpirationum, fodiamus charitate, ditemus fructibus meritorum; ſic enim hortes euadet, in quo Angeli canant, & Deus ipſe delicietur.

§. III.

Spirituales viri ſub aliorum obedientia viuere debent.

1 SVper eos Volucres cæli habitabunt &c. Cum ſuperius dixerit, inter montes fluere aquas, conſequenter debet intelligi, vt aquis fruantur, volucres in monte habitare, vbi illæ decurrunt. Licet porro verum non ſit de omni volucre quod in montibus habitet, de myſtico tamen volucri intelligendum eſt, ideſt de viro ſpirituali, quod omnis qui perfectionis Euangelicæ ſtudioſus eſt, Prælatis, ac Patribus ſpiritualibus, in ijs etiam quæ Dei ſunt, obedire debet, nec ab eius diſcedere voluntate. Nam & ſupra diximus, dum montium allegorias traderemus, Montes ſignificare Apoſtolos, Prophetas, & omnes maiores, ac ſuperiores Eccleſiæ. Dicitur ergo *ſuper eos*, ſcilicet montes, vbi ſunt aquæ; *Volucres cæli habitabunt*; quia ſpirituales viri, non debent viuere de corde ſuo, ſed ſub authoritate Apoſtolorum, & aliorum ſuperiorum; Hùc videtur alludere D Auguſtinus apud Gloſſam, inquiens. *Non omnes aues ad literam manent in montibus, ſed ſpirituales viri, non in cordibus ſuis, ſed in montibus, ideſt authoritatibus Apoſtolorum, & Prophetarum*.

2 Mirabar aliquando, cur Religioſus arcto obedientiæ ligatur voto, ita, vt nec velle niſi de eius placito poſſit; neque ſemel obedientiæ dato, amplius ab illa retrocedere detur locus. Reſponſio vero in promptu eſt, quia nec a Chriſto in ſua familia recipi, nec ad æterni gloriã Regni peruenire ſine obedientia poteſt. Chriſtus enim Prædeſtinatorum caput, cum ad obediendum ſe in mundum veniſſe affirmet, item eos tantum diſcipulos recipit, qui ad obediendum parati ſint. Hæc enim verba protulit de ſe ipſo. Ioan. *cap 6. verſ.37. Eum qui venit ad me non eyciam foras, quia de Cælo deſcendi, non vt facerem, voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me*. Nota, quęſo, cauſalem illam, *quia*: Ideo ad ſe venientes non abicit, quia ad obediendum venit; ergo ſi ad obedientiam non veniret, nos eijciſſet? vtique: Nam tota hominis perfectio, tota Dei ſeruitus, tota humanæ naturæ dignatio, obedientia eſt; qui obedire paratus eſt, de conſortio Domini non repellitur: quia ſicut primò Adæ obedientia mandara fuit, vt æternitatem felicitatis ſeruaret, ſed inobediendo perdidit, ita nobis obedientia imponitur, vt Deo ſer-

uiamus

Digitized by Google

ulamus, & deperditam felicitatem recuperemus. Id D. Gregorius Magnus teſtatur *lib. 35. cap. 10. moral. pag. 1116. lit. D. Eum qui venit ad me non eyciam foras, quia de cælo deſcendi, non vt facerem voluntatem meam ſed voluntatem eius qui miſit me. Quid enim ſi ſuam faceret, eos qui ad ſe veniunt repuliſſet? Quis autem neſciat, quod voluntas filii a Patris voluntate non diſcrepet? Cum igitur non ſuam, ſed Patris voluntatem facit, eos qui ad ſe veniunt foras non eiicit: quia dum exemplo ſuo nos obedientiæ ſubiicit, viam nobis egreſſionis claudit.* Nemo vlterius quærat cur tot viri, qui videbãtur deuoti, & perfecti, a ſpiritus feruore defecerint; hoc enim contigit, quia dum proprium ſpiritum, non ſuperiorum directionem ſequebantur, a Domino eiecti, qui ſolos obedientes recipit, extra diuinam familiam miſere perierunt.

3 Reperiuntur quidam, aliàs pij, ac feruenti ſpiritu præditi, qui propriæ opinioni inhærentes, quidquid contra voluntatem eorum eis ſuggeritur, reſpuunt, nec ſpiritualium magiſtrorum, nec ſuperiorũ obedientiam curant, eo excæcati iudicio, quod putent, melius eſſe quod ipſi faciunt, quam quod Director præcipit. Erit V. G. aliquis ſtomacho infirmus, complexione debilis, viribus deſtitutus, qui ieiunia frequentare ſolitus, etiam nunc quæ validis viribus faciebat, infirmus exequitur; Superior vero, ne ſibi ipſi, & communitati, cui ſeruire tenetur, inutilis fiat, ieiunium quandoque interdicit; tunc ille remurmurans, putat obediendum non eſſe, quia ſibi perſuadet non derelinquendum eſſe ieiunij bonum, nec obedientiæ poſtponendum, quantum vero falſum hoc ſit bene oſtẽdit Propheta Samuel; cum enim præcepiſſet Deus Sauli omnia bona Amalecitarum diſſipare, & deſtruere, ſeruauit ipſe quæ optima erant, ſub præteſtu Domino conſecrandi, ſed Iratus Propheta, eum certiorem fecit, quodcumque bonum, & ſacrificium obedientiæ poſtponendum: 1. *Reg. c. 15. verſ. 22. Melior eſt obedientia, quam victimæ, & auſcultare magis, quam offerre adipem Arietum.* Nonne qui magis donat magis diligit, & ille plus donat, qui quod melius eſt erogat? Illa præſtantior victima, quæ magis chara: nil eſt in homine voluntate pretioſius, quę ſola libera eſt, & cum Deo voluntatem ſubijcimus, quid hoc dono melius dare poterimus? Cum eleemoſinam erogamus, cum carnem maceramus, cum ſacrificia offerimus, noſtra damus Deo, non nos: At ſi voluntatem eius voluntati, & propter eum homini ligamus, nos ipſos offerimus, nos mactamus, ait citatus Gregorius. *lit. E. Hinc Samuel ait: Melior eſt obedientia quam victimæ; & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum: Obedientia quippe victimis iure præponitur, quia per victimam aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.* Quanto ergo melius eſt ſeipſum abnegare, quam ſua, tanto præſtantius eſt obedire, quam quodcumque bonum opus offerre.

4 Sed neque vno in loco id ſacra docet ſcriptura, ſed in multis, præſertim vero in libris numerorum. Apertè ibi oſtenditur Deo acceptabiliores nos eſſe cum voluntatem hominibus pro eius amore ſubiicimus, quam cum quodcumque bonum Deo offerimus; imò cum ipſam voluntatem ipſi Deo ligamus. E quidem magnum eſt donum, cum Deo per votum noſtram libertatem concedimus, ſed maius eſt, hanc ipſam noſtram libertatem donandi, ſuperiori, ac ſpiritualis vitæ Directori ſubmittere. De puella ergo, quæ adhuc propter ætatem Genitoris ſubiacet imperio, volenti Deo aliquid per votum promittere, hæc præcipit ipſe Deus. *Num. cap. 30. verſiculo 5. Quidquid pollicita eſt, & iurauit opere complebit; ſin autem ſtatim cum audierit, contradixerunt Pater, & vota, & Iuramentum eius irrita erunt.* Non æſtimat Deus vota noſtra, quæ ſine Patris ſpiritualis iudicio facta fuerint; nam filia adhuc in puellari ætate conſtituta, eſt quæcũq; ſpiritualis anima, quæ ſub aliorum regimine viuit, quę Deo vouere, aut vota reddere ſine ſuperioris, vel Patris ſpiritualis conſilio non debet. Qua de re elegantiſſimè Abbas Tuitienſis *lib. 2. in Num. cap. 30. to. 1. pag. 374. col. 1. Proinde quicumque ſub regimine Prioris es, vouere quidem, piamque deuotionem habere bonum eſt: ſed quidquid ſine permiſſione Patris ſpiritualis feceris, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Hanc ſententiam non de nihilo Patrum venerabilium maturitas eduxit, ſed de iſto fonte Legis ſumpta eſt. Quid enim eſt Anima ſub Prælati viuens cura, ſub alieno imperio penſum ſeruitutis Deo reddere profeſſa, niſi filia in domo Patris adhuc in ætate puellari poſita?* Aduerte diligenter o Religioſe, o Anima Deo ſeruiens, ne ex tuo libito viuens, quod Deo exhibuiſti ſubtrahens, ſub boni ſpecie decipiaris.

5 Deo exercituum cæleſtium Imperatori tabernaculum conſtructurus Moyſes, omnem adhibuit diligentiam, omnẽ impendit ornatum, nec byſſo, nec cocco pepercit, purpura abundauit & aurum: vario opere, & pulchra diſpoſitione omnia adaptauit: Tandem iuſſus eſt ſaga cilicina facere ad operiendum Tabernaculi tectum: *Exod. cap. 26. verſ. 7. Facies & ſaga cilicina vndecim ad operiendum tectum Tabernaculi.* Quorſum hæc? Vt ſciat Anima Deo inſeruiens omnia opera ſua, etiam bona, & laudabilia, ſub maiorum ſuorum obedientia exequenda eſſe. Anima, quæ Deo dicata creſcere de virtute in virtutẽ ſatagit, cordis ſui pulchrum, ornatumque Deo conſtruit Tabernaculum; ibi eſt caſtitatis byſſus, Ieiunii coccus, purpura contemplationis, charitatis optimum aurum; ſed ſuper omnia ſtudendum eſt, ne ſaga cilicina deſiderentur, ideſt vt omnia ex Patris ſpiritualis præſcripto fiant, cui obedientiam præſtando, ſaga cilicina conſuuntur. Hæc tectum Tabernaculi cooperiunt, ne maculam, incurrat, niſi enim obedientia opera noſtra dirigat omnis tabernaculi cordis noſtri pulchritudo corrumpitur: eodem Ruperto probante *lib. 4 in exod. cap. 11. to. 1. pag. 270. col. 2. Facies & ſaga cilicina vndecim ad operiendum tectum tabernaculi: ſic Sanctorum vita eſt clara; ſed niſi caute ſub Prælatorum præſidio, quaſi ſub cilicijs abſcondatur, integritatis eius pulchritudo non ſeruatur.* Quam pulchra ſunt iſta tabernacula Domini virtutum, corda iſta virtutum gemmis exornata, charitate flammantia, meritis ſpecioſa, ſed ſagum cilicinum non deſit ad operiendum; adſit obedientia ad pulchritudinem conſeruandam.

6 Quo vſque autem obedientia extolli poterit, quo ſublimius non tendat? Dicamus tandem obedientiam eſſe Prædeſtinationis ſignum; ac propterea eum, qui ſine remurmuratione, & libenter Maioribus ſuis obedit, Prædeſtinatus cenſendus eſt. Chriſtus Dominus Prædeſtinatorum patefaciens ſignum, eos ouibus comparat Matth. *cap. 25. verſ. 33. Separabit eos ab inuicem, ſicut Paſtor ſegregat oues ab hædis; & ſtatuet quidem oues a dextris.* Quodnam autem peculiare eſt ouibus per quod ſignant Prædeſtinatos? certè non aliud quam obedientia; nam de ipſis Saluator dicit: *Ioan. cap. 10. verſ. 4. Oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius.* Sicut ergo illæ beſtiæ, quæ Paſtoris vocem audiunt, quę ipſum ſequuntur, in ouile ſecum intrabunt, ita illi homines cum æterno Paſtore Cælorum Regnum aſſequentur, qui Paſtores, Prælatos, Superiores, audiunt, ac eis obediunt: Oues namque nihil niſi ex præſcripto Paſtoris faciunt, quo ducit pergunt, ab eius mandatis non recedunt, & debilis retis ad occludendam eis viam ſufficit; ſic chriſtianos omnino viuere ex Patrum, ſpiritualium, aut ſuorum ſuperiorum directione decet: Acutiſſimi Petri Chriſologi hæc ſpeculatio eſt *ſer. 173. pag. 396 col. 1. Sed & Paſtoris audiunt attentis auribus vocem, Paſtoris ſui ſemper ſequuntur arbitrium, Paſtoris ſui totam faciunt voluntatem, aſcendunt colles, petunt ardua, mutant ſæpè regiones, &c. Nec Ouis ad Caulas perueniet ſi pro ſuo libitu peruagetur; nec ſcientiam Diſcipulus poterit obtinere, ſi doceri pro ſua voluntate contenderit.* Oues Dei ſumus, eius Paſtoribus

Digitized by Google

obedire nos decet, ne infernalis rapiat lupus, quos æternæ gloriæ introducendos Dominus elaborando ducit.

§. IV.

Superbi ſe ſolos efferunt, alios vero contemnunt.

1 S*Vper ea volucres Cœli habitabunt: &c.* Nulla ſub cælo perfectio aliqua per creaturas diſperſa reperitur, quæ non hominis ingenio cedens, ipſum exornet; nam ſuperbium extructione domorum, Conchilium, ac Teſtudinum imiratur conchas; veſtibus prætioſis, & pellibns ipſis Animalium tegumenta æquiparat, armis potentiotibus antecedit, & præualet, militia, vigilantia, prudentia, omnia ſuperat viuentia; & ſi per aquas incedere cupido inceſſerit vel natando imitatur piſces, vel Nauibus Nautili induſtriam perficit. Vnum eſt quod homo numquam imitari nec auſus eſt, nec valuit, ſcilicet Auium veſtire pennas, ac earum exprimere volatum, per aerem perniciter ſe ferendo. Nam quod de Dedalo inſigni Antifice, de Creta per fugienti aptatis alis, quod Ouidius canit *lib.8. Metam.*

Naturamque nouat: nam ponit in ordine pennas
A minima cœptas, longam breuiore ſequente.
Vt Cliuo creuiſſe putes. Sic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit auenis.
Tunc lino medias, & ceris alligat imas.
Atque ita compoſitas paruo curuamine flectit.
Vt veras imitetur Aues ......

Inter fabulas reputatur. Cur autem hoc ſolo, volatu ſcilicet, priuatur homo? Ne ſuperbiret; & vltra ſuas ſe æſtimando vires, cæteros deſpiceret. Superbos Volucres ſignant, quæ alta petunt, decliuiora deſpiciunt: Ita Incognitus. *Volucres aliquando ſignificant ſuperbos, præſumptuosè in altum volare cupientes, & alios ſuppeditare.* Noluit ergo Deus hominem volare poſſe ne plus æquo ſuperbiret.

2 Superbi ſunt qui inconceſſum tentantes volatum, & plus iuſto in altum ſcandentes, cæteros deſpiciunt, quibus omnibus ſe præſtantiores reputant: Hi Diabolum Ductorem habent: Is enim primus in Aquilonem volatum dirigens, inter reliquas inſcitiæ ſuæ fatuitates, illa non inferior, qua ſe omnibus creaturis præponens, deſpiciebat omnes. Hoc ni fallor declarat Patiētiſſimus, vbi ſub nomine Leuiathan Diaboli proprietates declarat, dicens: *Iob cap. 41. verſ. 24.25. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret; omne ſublime videt.* Multæ hic Dęmonis qualitates declarantur; ſed eius conditionis epilogus verba illa ſunt: *Omne ſublime videt:* Hæc Luciferi perditio extitit, quia ſolum ſublime videbat; in tantum enim ſe æſtimabat, vt dignum ſe diuinitate putaret, ſicque ſuperbiendo omnes creaturas tanquam ſibi inferiores deſpiciebat: ſed o vtinam in ſolo Diabolo hoc, ab ipſo adinuentum malum, ſiſteret, neque homines macularet; illud enim plangendum, quod mortales omnes terræ filii, vermiculis haud abſimiles, mox in cenerem reuerſuri ita ſe ſuperbiendo efferūt, vt omnes tanquam viles, & abiectos, & indignos aſpernantur, ſe ſolos diuites, nobiles, virtute præditos, deuoto, doctos, ſpirituales reputantes. Ita ſentire videtur D. Gregorius Ma nus *lib. 34 cap. 17. moral. pag. 1102. lit. C. Cuius adhuc ſuperbia compendioſe deſcribitur, cum protinus ſubinfertur: omne ſublime videt: Ideſt cunctos velut infra ſe poſitos, quaſi de ſublimi reſpicit; quia dum per intentionem contra Authorem nititur, ſibi quemlibet ſimilem dedignatur. Quod æque etiam ſuis membris conuenit, quia omnes impii per tumorem cordis elati, cunctos, quos cernunt, ſeperbia faſtu deſpiciunt, & ſi quando exterius venerantur, intus tamen in ſecreto cordis, vbi apud ſe in ſua æſtimatione magni ſunt, cunctorum ſibi vitam, meritumque poſtponunt, & infra ſe eſſe reſpiciunt.* Quod Volucres ferantur in aera, eorum natura eſt, ſed quod homines ſuperbiendo aſcendant violentum eſt; ſed ſi *nullum violentum durabile*, ad præcipitium volant.

3 Riſum aliquando mouet mihi ſuperba inſcitia quorumdam; qui memoria non retinentes illud Apellis; *Ne ſutor vltra crepidam;* ſic ſui ingenij amatores ſunt, vt quodcumque vident paruipendant; vt eorum iudicio, nec aliquis ad regendam rempublicam idoneus, nec ad gubernandum exercitum ſtrenuus, nec ad moderandam Cathedram habilis, nec ad ſeruiendum Deo promptus, nec ad negotia tractanda perſpicuus, nemo ſcit occaſione vti, deliciis frui, tempora metiri, ardua penetrare, diſcordias componere, damna euitare; ſi omnia ipſi facerent quot euitarentur mala, quot fierent bona; ſed & hoc vanitas, eſt, ſuperbia eſt; qui tot in alijs deprehendunt errores, proprios ignorant; & dum eorum vanam theoricam ad practicam reducere volent,

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Et vt clare, & manifeſtè hoc in ſacris literis perſpiciamus, contemplemur patientiſſimi Iob caſus. Opera demonis perdiderat ille ſubſtantiam, filios, ſanitatem; & inter acutiſſimos carnis ſuæ dolores affligebant eum trium amicorum ſuorum argumenta quibus iuſtitiam eius impugnabant, quibus ita reſpondit, vt tandem conuincerentur, cederent, & tacerent. His ita ſe habentibus inter eos comparuit adoleſcens quidam, qui indignatus contra Iob, quod ſe iuſtum iactaret, & magis contra amicos eius, quod ipſum redarguere neſciebant, ſe ſolum ad hoc idoneum reputans, voluit & ipſe diſputationis periculum facere prius alijs exprobratis. *Iob. cap. 41. verſ. 24. & 25. Helium filius Barachel Buzites de cognotione Ram; iratus eſt aduerſum Iob, eo quod iuſtum ſe eſſe diceret coram Deo. Porro aduerſum inimicos eius indignatus eſt, eo quod non inueniſſent reſponſionem rationabilem.* Vide ſuperbam deſpicientiam, cum adoleſcentior, ac imperitior cæteris eſſet, ſe non ſine arrogantiæ faſtu illis præſtantiorem exiſtimauit: optimè hic D. Gregorius *lib. 23 cap. 3. mor. pag. 825. lit. D. Cuncti enim vanæ gloriæ ſectatores, dum ſe omnib. præferunt, alios quidem de fatuis ſenſibus, alios autem de indignis meritis reprehendunt, ideſt alios cenſent nihil ſcire, alios non bene viuere. Et quamuis iuxtè extra Eccleſiā poſitos praua ſentire redarguunt, tamen etiam eos, qui intus ſunt, pro vitæ deſpectu contemnunt.* Sed dum multa iactant, & pauca exhibent ſuis ſe vocibus reprehendunt.

4 Pernicioſior hic volatus in vitis ſpiritualibus, nam quod piſcis volans in aera feratur, detur ei, nam & alas habet: & quod mundani ſuperbiant, malum eſt, ſed alas terrenorum deſideriorum gerunt; viri autem ſpirituales, qui mentem in cælo, ſed æſtimationem in terra tenere debent vnde ſuperbiunt? ex ſua conuerſatione ſcilicet, quia in ſe aliquid boni vident, & aliorum peccata obſeruant, ſe ſanctos venditant, omnes alios tanquam perditionis filios execrantur: ſed væ illis quia dum alios putāt iniuſtos propriam iuſtitiam amittunt; vt Phariſeus ille qui dicebat. *Luc. c. 18. v. 10. Non ſum ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri, velut enim hic publicanus;* ſed ipſe ſuperbe deſpiciendo iuſtitiam perdidit: e contra publicanus humiliter de ſe ſentiens, iuſtificatus eſt: audi Dominum *verſ. 14. Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo.* Phariſeū imitantur quicumq; ſe perfectos exiſtimant, & alios ſpernunt, vt oſtendit Romanus Greg. *loc. cit. cap. 4. pag. 826. lit. C. Rurſum nonnulli deſpectis cæteris videri appetunt ſingulariter bonum habere quod habent. Vnde & Phariſeus idcirco de templo abſque iuſtificatione deſcendit; quia bonorum operum meritum, ſibi quaſi ſingulariter tribuens, oranti publicano ſe prætulit.* O fictæ volucres, o ſuperba ſapientes, alas cera compactas ne induamur; corpora de ſe grauia ad cœlum ſubuehere ne præſumamus.

§. V.

§. V.

Magis Perfecti, Deum laudare magis tenentur.

1 DE *medio Petrarum dabunt vocem:* In literali expoſitione viſum eſt quomodo Aues in genere magis vocales ſint quam Animantia reliqua; imò ipſæ tantummodo canora voce muſicos reddunt ſonos, nam nullum viuentium canit, niſi Auis, & Homo. Ipſe vero eorum cantus, vt ſupra etiam viſum eſt, aliud non eſt niſi laus Dei, & gratiarum actio, qua omnium Creatorem pro præſtitis ſibi beneficijs celebrant. Cum vero Dei beneficia omnes ſentiant creaturæ, cur de Solis volucribus dicitur: *De medio petrarum dabunt vocem?* Quia ni fallor, Aues maiorem gratiam conſequutæ ſunt, volatum videlicet, quo in aereum cælum feruntur, quod neque homini datum eſt, & idcirco pro ſingulari beneficio ſpeciales gratias agunt. Auium nomine tropologicè illæ Animæ ſignantur, quæ a Deo maiora acceperunt dona, quæ perfectiorē ſortitæ ſunt intelligentiam, quæ ſublimiorem conſequutæ ſunt gratiam; & iſtæ tenentur magis laudare Deum, quam aliæ; & ſic de medio petrarum, Eccleſiarum videlicet, vocem in Dei laudationem ſoluere. Ita D. Hieronymus *in Pſ.103. Super ea volucres cœli habitabūt: Qui excelſiorē ad intelligendū meruerunt ſenſum, de medio petrarū, ideſt Eccleſiarum dabunt vocem ad laudandum Deum.*

2 In Eccleſia Dei ordo Hierarchicus in omnibus ſeruari debet, & Superoriores, Prælati, Magiſtri, Sacerdotes, Principes reliquis præcedere debent, & honore præcellere, ſicut ſuperant poteſtate, vbi enim ordo nō eſt, eſt confuſio, quæ procul ab Eccleſia eſſe debet; cum & in ipſa Ieruſalem triumphanti ſit maximus, & perfectus ordo hierarchicus, vt D. Dioniſius refert. Verum id non ſolum in honoribus, in præbendis, in actionibus humanis, verum etiam in Dei obſequio, ac in eiuſdem laudibus, ac gratiarum actionibus ſeruari inuiolabiliter debet, qui enim plura a Deo recepit talenta, maiorem tenetur reddere rationem, & quanto in populo honorabilior eſt, tāto ad eum laudandū promptior eſſe debet, qui honorabilem fecit. Gratus Deo Propheta Rex, quia videbat ſe minimè ad Deum dignè laudandum ſufficere, creaturas omnes ad eius laudem inuitauit, & inter alias Solem, Lunam, fulgentiaq; aſtra ad laudandum Dominum excitauit dicens; *Pſal.148.verſ.3. Laudate eum Sol, & Luna; laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.* Vide ordinem in laudantibus Deum prius laudat qui perfectior eſt, prius Sol quam Luna, & deinde ſtellæ, & lumen. vt obſeruauit D. Hieronymus *in Pſal.148.tom.7.pag 423. lit.C. Non dixit Luna, & Sol, ſed Sol, & Luna; quod maius in lumine eſt prius laudat.* Vt nos manifeſtè ſciremus eos magis, & prius ad laudandum Deum teneri, qui maiori a Deo perfectione donati, cæteris præcellunt.

3 Prælatos Eccleſiæ decet ſacræ ſcripturæ arcana penetrare, & in hoc ſe exercere; nam ſi cæteris ſufficit legem Dei obſeruare, ipſis non ſatis eſt, quippe, qui eam aliis explanare teneantur. Idcirco licitè alii in diſciplinis, & artibus occupantur humanis, dum tamen propter ipſas Deum non deſerant, quia omnibus creaturis Deus laudari poteſt; & humanæ facultates Deo gratias agendi occaſionem præbere poterunt; at vero Prælati, ſuperiores, Magiſtri, in ſola ſpeculatione ſcripturarum ſanctarum occupare ſe debent, ſola Theologia eorum ſcientia eſt, in illa ſe exercere ad populū erudiendum tenentur. Hæc eſt illud canticum nouum, quod ad canendum Eccleſiæ Prælatos Pſaltes hortatur: *Pſal. 95.v.1. Cantate Domino canticum nouum:* vetus canticum ſunt ſcientiæ, artes, & facultates humanæ, & dicitur vetus, quia & gentiles in illis verſabatur: nouum vero canticum, eſt ſtudium ſacræ Theologiæ, nouæ legis ſpeculatio, nouis reuelationibus innixa, nouo labore comparata, ad Dei laudem, & Animarum lucrum, non ad temporalia commoda comparanda, adinuenta. Hanc inter iſtas ſcientias differentiam Hiſpanorū Sydus D. Ant. de Pad. *ſer. Dom. 2 poſt Paſch. pag. 191. col. 2.* tradidit. *Omnis ſcientia mundana, & lucratiua ſunt canticum vetus: ſola Theologia eſt canticum nouum in aure Dei dulce reſonans, & animam innouans. Hæc debet eſſe omnium eorum, ideſt Prælatorum.* Hallucinantur ergo qui Prælaturas ambiunt, eaſque recipiunt, abſque Theologiæ notitia; quomodo populos erudient, Eccleſiam regent, laudabunt Deum? magis expediens eſt, vt Doctus prælatus ſit quam bonus, ſi bonitas ad ſuum munus exhibendum non ſufficit: ſat eſt alijs bene viuere, ſed Prælati etiam bene prædicare tenentur.

4 Communis opinio eſt, eaque vera, occupationem ſanctorum in cælis aliam non eſſe, quam Deum laudare. Quapropter Ioel Propheta æternæ Patriæ felicitatem recenſens, & illius ſatietatem, quæ noſtrum deſiderium coæquabit annuucians, addit, nihil aliud nobis faciendum eſſe, niſi laudare Dominum: *Ioel.c.2. v.26. Et comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcum.* Sed quæret aliquis; quæ eſt iſta ſaturitas, quæ promittitur? Dei viſio, & Dei laus eſt; nam viſio Diuinitatis noſtra delectatio eſt, Diuinitatis laus noſter cibus eſt; laudando viuimus, videndo fruimur. Quapropter ſicut in hac corruptibili vita cibo materiali indigemus, & qui validioris eſt ſtomachi, & perfectioris complexionis, plus cibi opus habet: ita prorſus in vita ſpirituali laude Dei indigemus ad viuendum, & qui magis perfecti ſunt, indigent meliori, & feruentiori laude. Mirè id declarat Abbas Rupertus *in Ioel c.2.to.1. pag.832. col.1. Manifeſtè hic æterna gloriæ promittitur ſatietas: de qua & Dauid: Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt Deum, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi: ſatiabuntur Beati perfruentes viſione Dei; & ibi laudabunt nomen Domini; nam cibus ipſorum eſt ipſa laus Dei, qui ipſos mirabiliter reformabit.* Nos ergo qui Volucres ſumus, qui ad vitam religioſam, & perfectiorem vocati ſumus, Deum perfectiori modo laudemus.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Duodecimus.

In eius protectione Iuſti requieſcunt, de medio conſolationum dabunt voces laudis.

DE medio Frondium, ſeu nemorum vocem ſuauiſſimi cantus Volucres reddunt: ea nimirum de cauſa, vt de ipſis creaturis, ex quibus Dei beneficia percipiunt, etiam ſumant laudationis exordium, ex frondium germinibus ſemina aues colligunt, nidificant in arboribus, ſitim e xplēt in aquis, ergo & iuxta flumina, & ſupra arbores, & de medio frondium canere iu-

bentur. Aues, vt modo vidimus, ſpirituales viri ſunt, iſti gratiarum aquis ſatiantur, ex Mariæ plenitudinis fonte exorientibus, electorum frumento, in eius virginea terra nato, paſcuntur; & inter ramos protectionis eius nidificant, cum ad vitam ſpiritualem, & contemplatiuam anhelant: ergo viri iſti, iſtæ ſanctæ Volucres cantum ſuæ laudationis ex Maria, & per Mariam incipere debent. Peroptimè ergo dictum eſt: *De medio petrarum dabunt voces:* & Auroræ comparatur Maria, quia ſicut Aurora Volucrum excitat cantũ, ſic Beatiſſima Virgo, ſanctas animas protectione ſua ad Deum laudandum promouet: teſtante Richardo a S. Laurentio *lib. 2. de laudibus Virg. col. 93. lit. F. Dicitur Aurora, quaſi Auium ora aperiens ad laudes creatoris, tunc enim, exhilarantur Volucres, & dulciter modulantur, ideſt viri ſpirituales, qui in ortu, & de ortu Virginis concorditer cecinerunt. De quibus dicitur in Pſalmo: De medio petrarum dabunt voces.* De protectione Virginis in via contemplationis, erga viros ſpirituales in præſentiarum agendum eſt.

Maria Virgo Protectio, & requies virorum ſpiritualium eſt.

1 DVm mundo Solis aduentum rutilans promittit Aurora, roſeos radios per vniuerſum orbem diffundens, de qua *Virgilius lib 7. Æneid.*

Iamque rubeſcebat radiis Mare, & æthere ab alto.
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Tunc auiculæ: muſicas ſoluentes voces, inter Arborum ramos laudes creatori perſoluunt. Animæ ſanctæ, cœleſtes Auiculæ, cum arborem Mariæ Sole exoriente Iuſtitiæ, inueniunt, laudes Deo canunt: Arbor enim Maria eſt, cuius truncus ſanctitas, radix puritas, rami honores, frondes virtutes, fructus gratiæ; hos ramos, has frõdes extẽdit pientiſſima mater, vt ſub vmbra protectionis ſuæ protegat animas ſpirituales; quæ libenter in eius habitant ramis, in quib. requieſcunt. Etenim nulla eſt in orbe perfectionis virtus, nullũ præmio dignum bonum, nullum laude commendabile meritum, nulla ſingularis valore gratia, quæ ex Mariæ protectione nobis non veniat. Idcirco de ſeipſa Virgo immaculata dicebat *Eccleſiaſtici cap. 24. verſ. 22 Ego quaſi Therebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris, & gratiæ.* Quidni canant auiculæ, laudent lætantes animæ, plaudant iocundantes Angeli, inter tam floridos ramos, inter tam beneficas frondes? Quis ſub tantæ Arboris vmbra, ſub tantæ matris auxilio timebit? Audi Seraphicum Cardinalem D. Bonau. *in ſpec Virg. lect. 6. tom. 6. pag. 458. col 2. lit. B. Rami huius Arboris, ſunt rami honoris, & gratiæ; ſunt virtutes, & merita B. Mariæ; multi enim rami ſunt multæ virtutes, & exempla, multæ eius miſericordiæ, & beneficia. In his ramis libenter habitant, libenter iubilant Auiculæ cæleſtes, ideſt Animæ ſanctæ.* Lætè ſub vmbra canitur, lætanter ſub Mariæ protectione cantica modulantur Animæ iuſtæ; vt celebrent Creatorem, qui tantæ Matris præſidium eis conceſſit.

2 Poſtquam nidificauerit Auis, atque ad debitam ſoliditatem excreuerint pulli, eos de nido educit, ac per aereos cãpos ipſos lætanter præuolans ducit, illis eſcam demonſtrat, vſum comedendi docet; ſed tandem laxis, & Sole vrente vexatis filiis, ac ſiti laborantibus, eos ad aquas dirigit, & poſtquam ſitim extinxerint, inter arborum ramos collocat, vt in eorum vmbra requieſcant, & otii ſui quietem dulci cantu compenſent. Anima ſancta Auis eſt, pennis contemplationis ad cœlum vſque peruolans; hæc nidificat, cum per charitatis calorem de virtutum habitibus bonorum operum pullos educit: hos iam humilitate firmatos ad Cælum volare cogit; ſed tentationum iactatos ventis, necnon ſuperbiæ vexatos æſtu, ad ſitim per nouam gratiam explendam ad fontem miſericordiæ mittit; & Mariæ ſpecioſam inueniens arborem, in ea pullos ſuos ſiſtere; & ſub ramorũ ſuorum vmbra, ideſt Protectionis eius auxilio quieſcere a diabolica vexatione facit, & in gloria illius honorificè permanere. Sub nomine ſapientiæ hoc de Mariæ protectione teſtatum reliquit ſapiens *Eccleſiaſtici cap. 14. verſ. 21. Beatus vir qui in ſapientia morabitur, &c. verſ. 27. Statuet filios ſuo ſub tegmine illius, & ſub ramis eius morabitur, protegetur ſub tegmine illius a feruore, & in gloria eius requieſcet.* O quam fauſta eſt, quam benefica, quam glorioſa Virginei arboris vmbra ſpiritualibus viris, protegentur ſub illa, ab omni infernalis tentationis æſtu. *De hac Virginis obumbratione dicitur Eccleſiaſtici 14. Protegetur, ſcilicet ſeruus Mariæ, ſub tegmine illius a feruore, & in gloria illius requieſcet: Gloria Mariæ Miſericordia eſt* inquit Ricardus a S. Laur. *lib. 12. de laudib. Virg. col. 938. lit. A.* Gloria Arboris rami ſunt, ſub quorum vmbra Animantia a Solis feruore protegit: Gloria vero Mariæ Miſericordia eſt, ſub qua ſpirituales animas a ſpirituum infernalium tentationibus liberat. Arbor Maria, cuius fructus nos ſatiat, cuius humor nos refrigerat, cuius, nos ſeruat vmbra.

3 Inter omnes arbores præclariſſima Vitis eſt; quæ non ſolum ſapidiſſimum fructum, & dulciſſimum potum hominibus præbet, tum in vuarum perfectione, tum in Vini productione: verum etiam ſuarum expanſione frondium, in tecti, ac papilionis formam complicatis ramis, in æſtiuis caloribus, a Solis nimis vrentibus radiis animalia defendit: illuc & aues properant, vt & dulci ſatientur fructu, & ſuaui recreentur vmbra; fructus, qui ſimul & famem explet, & ſitim, vmbra, quæ refrigerat, & delectat. Inter alias delicias, quæ hebreis, a ſuorum peccatorum fæditate conuerſis, in noua Ieruſalem Dominus promittit, haud vltima eſt, ſub Vitium vmbra requies: *Mich cap. 4. v. 4. Sedebit vir ſubter vitem ſuam*: Ideſt tot delicijs affluet, vt poterit ſub vite ſedere, eius ſatiari fructu, eius vmbra frui. Sed melius hoc de militanti Ieruſalem, & de veris Iſraelitis, viris videlicet ſpiritualibus intelligitur. Cum Anima, mundo deſpecto, ad Deum contemplandum accedit; ſtatim cæleſtium deliciarum, ac ſupernorum dulcedinum ſentit delectamentum: ſed ſub vite dulcius requieſcit; ſub Mariæ ſcilicet protectione; hæc namque panem angelorum nutriens, vinum, quod hominum corda lætiſat ſeruans, ſpiritualium deſiderium nutrit:

Digitized by Google

nutrit: Quod docet Incogn. *Vt educas panem Pſal.103. verſ.15. de terra, & vinum lætificet cor hominis: Per hoc autem vult Pſal. oſtendere, quod ad vitam ſpiritualem hominum nutriendam; De terra ideſt de B.Virgine Deus nobis eduxit panem ſpiritualem, & vinũ.* Sed etiam cum nutritione Protectionis vmbram adiungit; vt ſub ea tuti requieſcant, quicumque virtutibus acquirendis incumbunt; quod Richard. a S.Laur. *l.c.col.937.lit.F.* aſſeuerat. *Dicitur Michea 4. ſedebit vir ſubter vitem ſuam: ideſt requieſcet, & ſecurus erit per protectionem B.Virginis, quæ data eſt virtuoſe agentibus in protectionem, & refrigerium.* O Chriſto addicta animantia, ò ad cælum volantes Aues; ſpirituales viri, Animæ perfectionem amantes, hùc currite, ad Mariam properate, vitis eſt, quæ fructu lætificet, quæ protegat vmbra.

4 Quintadecima die ſeptimi menſis; ex diuina inſtitutione Hebræis ſolemniſſima indicitur feſtiuitas; in qua eis præcipue lætandum, & quieſcendum eſt; inter cætera vero quæ ad quietis, ac lætitiæ exultationem conducentia numerantur, Arboris pulcherrimæ fructus ſumendi iubentur: *Leu.cap.23.verſ.40. Sumetiſq; vobis die primo fructus Arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & lætabimini coram Domino Deo veſtro.* Ex his ergo frondibus Tabernacula fieri debebant, ſub quorum vmbra lętantes requieſcere debebant; ideo hoc Feſtum grecè dicitur Scenophegia, ideſt fixio vmbrarum. Sed percontari libet, quęnam hæc pulcherrima Arbor erat, cuius fructus, frondeſque ad lætam procurandam vmbram aſſumi debebant? Lyranus & Abulenſis dicunt eſſe poma citrina; alii diuerſimode id explicant. Nobis vero dicendum eſt veros Iſraelitas viros eſſe ſpirituales, & contemplatiuos, & iſti cum celebrare volunt tabernaculorum feſtiuitatem, ideſt ſummæ contemplationis quietem, & extaſim; Arboris pulcherrimæ fructus, & denſarum frondium ramos, ideſt Mariæ patrocinium, ex quo ſibi vmbram ad quieſcendum, ideſt quietem, & feruorem ad contemplandum, feliciſſimè parant. Ita D. Antonius de Pad. *ſerm. Dom. Palm. pag.165.col.2. Sumetis vobis fructum arboris pulcherrimæ: Arbor pulcherrima eſt Maria; cuius fructus fuerunt humilitas, & paupertas.* Sub hac vmbra tabernaculorum detinebantur hebræi vt Deo lętantius, & commodius deſeruirent; & ſub Marianæ protectionis vmbra detinentur ſancti, vt ſecurius, & feruentius Diuinorum contemplationem aſſequantur, & in virtutibus creſcant, ac in bono perſeuerent. Nam & ideo de ſe ipſa Virgo dicebat: *Eccl. c.24. verſ.16. In plenitudine ſanctorum detentio mea:* Quod D. Bonauentura ad hunc ſenſum ita explicat *in ſpecul.lect.7.to.6.pag.463.col.2. lit. A. Non ſolum in plenitudine ſanctorum detinetur, ſed etiam in plenitudine ſanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur: detinet nimirum virtutes ne fugiant; detinet merita ne pereant: detinet dæmones ne noceant; detinet filium ne peccatores percutiat: Ante Mariam non fuit, qui ſic detinere Dominum auderet.* O Animæ deuotæ, o Aues cæleſtes, hùc currite, huc properate, ad vmbram vocati eſtis Arboris pulcherrimæ, quæ a Dei ira, & a Diaboli fraude vos liberet, reddatque felices.

5 Inter multas Virginis laudes, quæ ex ſacri amoris cantico colliguntur, Hortus ſeſe offert, plantulis conſitus, floribus venuſtatus, irrigatus aquis *Cantic. c.4. verſ.12. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, Hortus concluſus, fons ſignatus; emiſſiones tuæ Paradiſus.* In horto quidem, & irriguo, Aues inuenire pabulum, ac aquam poſſunt, ſed quæ florum vmbra ipſis ad delitiandum ſat erit? Verum aduertere oportet, omnes Authores, qui de Auibus ſcripſere, inter Auiculas recenſere Apes; quæ præſtantiſſimæ ſunt; harum vel infabricandis tectis ingenium, vel in melle colligendo ſolertia, vel in Rege tuendo fortitudo, vel in operibus diſtribuendis iuſtitia, vel in perſoluendis ſtatutis horis matutinis veſpertiniſque laudibus Deo Religio, omnibus in admiratione eſt; Hæ cum per tempus licet, aluearibus derelictis Hortos incolunt, & inter florum delicias, odoratis aluntur ſuccis, limpidis ſaturantur aquis, ſuaui recreantur vmbra. Apes haud immerito, contemplatiuos cum Diuo Bernardo dicamus; qui poſtquam pennas contemplationes veſtierint, de corporibus, meditando egrediuntur, & ad Hortum deliciarum, ad Paradiſum Mariæ, vt Dei ſuauitate fruantur, aduolant. *Apes vt puto*, inquit Bernardus, *lib. de paſſ. Dom. c.44. pag. 291. lit. E. ſunt illi, qui pennis contemplationis eleuati ſciunt, & poſſunt, ſuaque ipſorum poſſunt Aluearia, hoc eſt corpus ſuum relinquere, & ad hortũ deliciarum tranſuolare, in quo omnium florum diuitias, & diuites delicias inueniunt. Hortus enim ſic Paradiſus eſt. Ita habes in Cantico amoris: Emiſſiones tuæ o Virgo Maria, fœcũdiſſima Paradiſus: proceſſit enim Paradiſus ab vtero Virginali omni flore, omnique fructu refertus: Flores iſtius Paradiſi videamus, legamus, vel potius ſugamus.* Apes contemplatione ſublimes, puritatis amanres, ad virginalem Hortum, ad Liliorũ vmbram accedite, cæleſtium conſolationum floribus iocundamini: nullus hìc æſtus metus, nullæ ſerpentis inſidiæ: ſub herbis, in quibus Dei Spiritus ſpirat, anguis non latet.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

SEd iam calamum allegoricę Aues expectant; & quia de aquis & fontibus abundè iam dictum eſt, nec non & de cælo: Remanent Petræ, & voces: quia vero, in hebræo non Petræ ſed frondes, aut nemora ſignificantur, idcirco etiam de ipſis videndum eſt. Porrò de vocibus ſupra in v. 7. viſum eſt.

SVMMARIVM.

1 *De Volucrum, ſeu Auium acceptionibus.*
2 *De varia ſignificatione.*
3 *De Frondium, Ramorumque allegoriis.*
4 *De Ramis.*

§. I.

De Volucrum, ſeu Auium acceptionibus.

1 AVis ſignificat omnia volatilia, ad quæ etiam genus eſt Volucre: allegoricè vero primò ſignificat Dominum Redemptorem noſtrum: de quo Iſaias. c.46. verſ.11. *Vocans ab oriente Auem*: vbi D. Hieronymus *in Iſai pag. 296. lit. E. Dominum Saluatorem; de quo, & Balaam vaticinatur: orietur ſtella ex Iacob, & homo ex Iſrael; cuius nomen eſt oriens.*

2 Aues ſignificant Angelos: nam vbi loc. cit. Iſaiæ ſubditur in vulgata: *& virum voluntatis meæ:* ſeptuaginta vertunt: *De quibus cogitaui*: vt ſit ſenſus: *Vocans ab oriente aues, de quibus cogitaui*: & citatus Doctor *loco citato litera F. Ergo iuxta eos vocatas ab oriente Aues Angelorum poſſumus intelligere miniſteria: quæ ad imperium Domini in toto orbe diſcurrunt.*

3 Auis ſignificat Aſcenſionem Domini noſtri in cælum; de qua Iob *cap.28.v.7. Semitam ignorauit Auis*: vbi Magnus Greg. *lib.18.c.19.mor.pag.720. lit. A. Quis hoc loco Auis nomine, niſi ille ſignatur, qui corpus carneum, quod aſſumpſit aſcendendo ad æthera librauit?*

Digitized by Google

4 Auis eſt Protectio diuina, quæ a Domino Ieruſalem per Iſaiam promittitur: *cap.31. verſ.5. Sicut Aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Hieruſalem: protegens, & liberans, tranſiens, & ſaluans*: & ſubdit D. Hieronymus *in Iſai. pag.149.lit. A. Quomodo Aues, vt defendant fetus ſuos, nidos ſuperuolant, & ſiue ſerpentem, ſiue hominem viderint, aueſque alias ad pullos ſuos accedere, oblitæ imbecillitatis roſtro pugnant, & vnguibus; doloremque pectoris garrula voce congeminant; ſic Dominus protéget Hieruſalem, tranſiens, atque ſaluabit.*

5 Aues ſunt viri ſpirituales, inquorum figuram iuſſus eſt Abraham tollere turturem, & columbam ad ſacrificandum Domino: & cum reliqua Animalia ſacrifici) diuiſiſſet, de auibus ait textus: *Gen. cap.15. verſ 10. Aues autem non diuiſit*: Cuius rationem reddit Diuus Auguſtinus *de ciuit. Dei lib.16. cap.24. to.4. pag 196. col. 2. lit. C. Nullo tamen modo dubitauerim ſpiritales in eâ præfiguratos additamento Turturis, & columbæ: & ideo dictum eſt: Aues autem non diuiſit: quoniam carnales inter ſe diuiduntur, ſpirituales autem nullo modo: ſiue a negotioſis conuerſationibus hominum ſe remoueant ſicut turtur: ſiue inter illas degant, ſicut columba.*

6 Aues ſignificant malignos Spiritus: De loc. citatò Geneſi. *Deſcenderuntque Volucres ſuper cadauera*: & citatus Doctor: *Aues autem deſcendentes ſuper corpora, quæ diuiſa erant: non boni aliquid, ſed ſpiritus indicant Aeris huius, paſtum quemdam ſuum de carnalium diuiſione quærentes.*

7 Aues prauas cogitationes, quæ contemplatiuos turbant, ſignificant, loco citato; vnde ſequitur: *Et eligebat eos Abraham*: vbi D. Gregorius *lib.16. cap.19. moral. pag.677. lit. A. Sæpè enim etiam corda Iuſtorum ſubortæ cogitationes polluunt; terrenarũ rerum delectationibus tangunt, ſed dum citius manu ſanctæ diſcretionis abiguntur, feſtine agitur, ne cordis faciem caligo operiat, quæ hanc iam ex illicita cogitatione tangebat.*

8 Aues habitantes in ramis Sinapis, ſunt vrgentes ſperantes in doctrina Apoſtolorum Matth. c.13. v.31. *Ita vt Volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius: Apoſtolos ſcilicet ex Chriſti virtute protenſos*, inquit D. Hilarius, *can.13. in Matth. col.531. lit. B. & mundum inumbrantes in ramis intelligemus: in quos gentes in ſpem vitæ ambulabunt, & aurarum turbine, ideſt Diaboli ſpiritu, flatuque vexatæ, tanquam in ramis arboris acquieſcent.*

9 Aues in ramis eiuſdem Arboris manentes ſunt viri ſpirituales, ſecundum D. Gregorium *lib.19. cap.1. moral. pag.735. lit. D. In iſtis ramis Volucres requieſcunt: quia ſanctæ Animæ, quæ quibuſdam virtutum pennis a terrena cogitatione ſe ſubleuant, in eorum dictis, atque conſolationibus ab huius vitæ fatigatione reſpirant.*

10 Aues ſunt contemplatiui: De quibus Iob: *Volucres quoque Cæli latet*: quia Deum videre ſicuti eſt neque contemplatiui poſſunt: vt docet Idem Gregorius. *Volucres quoque cæli latet: quia in hac corruptibili carne conſtituti, naturæ eius potentiam ipſi quoque videndo non penetrant, qui iam per meritum ſanctæ contemplationis volant.*

11 Volucres ſuperbos ſignant; de quibus loquitur Dominus: *Matth. cap.8. v.20. Vulpes foueas habent, & Volucres Cæli nidos*: vbi idem Doctor loc. cit. *Volucres vero, vt nouimus, altu volatu ſe in æera ſubleuant: nomine ergo Volucrum ſuperba Dæmonia deſignantur.*

12 Aues ſunt Angeli, quæ volant ſub Firmamento cæli: de quibus, dicitur. *Gen. cap.1. v.20. Et volatile volans ſub Firmamento cæli*: ſecundum literam hebraicam: vbi Georgius Venetus *tom.6. ſect.5. nu.179. Quæ ſunt Aues volantes ſub firmamento cælorum? &c. Iſtæ Aues ſic volantes ſunt Angeli.*

13 Auis diſcolor eſt pauo, & ſignificat populũ Iſraeliticum virtutibus refertum: vt Hierem cap.12. verſ.9. *Numquid auis diſcolor hæreditas mea mihi*: & D. Hieronymus *in Ierem. pag.336. lit. G. Auem diſcolorem, tinctamque per totum, iuxta literam pauum vocat. Tantam inquit habuit pulchritudinem Iſrael, & tantis fuit Hieruſalem diſtincta virtutibus, vt nihil eſſet bonorum quod non cernerentur in ea.*

§. II.

De varia Petrarum ſignificatione.

1 *DE medio Petrarum &c.* Petra dicitur rupes, lapis vero qui tenerior, ſaxum quod durius, calculus idem, & lapillus parua eſt petra, & calcabilis, ſed tamen hæc nomina cõfunduntur, & ad gemmas etiam, quæ prætioſi lapides ſunt, extenduntur. Allegoricè verò primo Petra ſeu lapis ſignificat Deum propter firmitatem, & hæc eſt petra percuſſa, de qua exiuit aqua, ideſt filius *Pſal.77. v.15. Percuſſit Petram, & fluxerunt aquæ*: & Abbas Lauretus *in ſylu. Alle. verbo lapis. Petra interdum pro Deo Patre accipi poteſt: qui eſt fortis & omnipotens, & ſupremum omnium confugium: & ipſe eſt petra vnde fluxit aqua, hoc eſt filius, qui eſt Patris Sapientia.*

2 Petra virga percuſſa eſt Dominus Ieſus Chriſtus Cruci affixus: *Exod. cap.17. ver.6. Percutieſq; Petram, & exibit ex ea aqua*: Vbi Gloſſa ord. *Percutieſq; Petram, Chriſtum, qui in cruce a Iudæis percuſſus eſt: cui acceſſit virga, ideſt lignum paſſionis, vt fidelibus manaret aqua.*

3 Petra deſerti eſt B. Virgo Maria: ita Iſaias: *c.16. verſ 1. Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deſerti*: Vbi eminentiſſimus Hugo *in Iſai. pag.39. col.2. Petra deſerti dicitur Virgo Maria, de qua exciſus eſt lapis paruus ſine manibus, qui creuit in montem magnum.*

4 Petræ ſunt Angeli ſancti, qui iam in bono firmati ſunt; de quibus Iob *cap.39. verſ.28. In petris manet*: Vbi Magnus Gregorius *lib.31. cap.19. moral. pag.1035. lit. E. Poſſunt etiam Petræ ſublimes virtutum cæleſtium poteſtates intelligi, quas non iam quaſi more arborum huc, atque illuc ventus noſtræ mutabilitatis inclinat; quia velut petræ in arduis ſitæ, ab omni motu mutabilitatis ſunt alienæ; & ad ſoliditatem fixæ celſitudinis, ipſa cui inhærent æternitate duruerunt.*

5 Petræ ſunt viri ſancti Chriſti membra; vt ibidem citatus Gregorius. *Cum ſingulari numero petra nominatur, quis alius quam Chriſtus accipitur? Cum vero Petræ pluraliter appelantur, membra eius videlicet ſancti viri, qui illius robore ſolidati ſunt, exprimuntur.*

6 Petra ſpeciali priuilegio Petrum Apoſtolorum Principem ſignat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: Et D. Hieronymus *in cap.16. Iſai. cap.348. lit. F.* hanc Domini diſpenſationem cum Petro memorat, dicens. *Non ſolum enim Chriſtus Petra, ſed & Apoſtolo Petro donauit, vt vocaretur Petra.*

7 Petrarum cauernæ Apoſtoli: *Ierem. cap.16. ver.16. Venabuntur eos de Cauernis petrarum*: Et D. Hieronymus *in Ierem. pag.348. lit. E. De cauernis Petrarum, Apoſtolis, & Apoſtolicis viris.*

Item lapides integri ex quibus componitur Altare Apoſtoli ſunt: *Ioſ. cap.8. v.31. Altare verò de lapidibus impolitis*, ſeu *integris*: vt ait Origenes *Ho.9. in Ioſ tom 1. pag 192 col.1. lit. H.* vbi addit *Ego puto, quod fortè iſti tales lapides integri, & incontaminati, ſancti Apoſtoli eſſe poſſint.*

8 Lapidem ſopponere capiti ſuo, eſt conſcientiam ſuam collocare in Chriſto: quod fecit Iacob Patriarcha: *Gen. c.28. verſ.18. Surgens ergo Iaacob mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo*: vbi Rubertus *lib.7. cap.24. in Geneſ. to.1. pag.109. col.1. Lapidem ſupponat capiti ſuo, ideſt conſcientiam ſuam collocet in Chriſto, vt dormiens requieſcat in illo.*

9 Lapides Virtutes ſunt, ex quibus in cordibus noſtris conſtruitur Altare Domino; vti ſcriptum eſt: *Exod. cap.20. ver.25. Quod ſi Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus; ſi enim leuaueris*

cultrum

Digitized by Google

cultrum ſuper eo polluetur: Et idem Rupertus *lib.3. cap. 33. pag.193. col.1. Lapides virtutes Animi ſunt, de quibus tunc altare Domino facimus, dum fidem habentes reſurrectionis eius, ſuper hoc fundamentum illas ſuperædificamus. Ferrum autem ſiue cultrum arrogantia eſt, quo maximè vitio mens a Creatore ſuo præciditur.*

10 Lapides quinque quos elegit Dauid de torrente, ſunt quinque libri Moyſis: *Elegit ſibi quinq; limpidiſſimos lapides de torrente*: *1.Reg.cap.17.verſ.*40. Vbi Rupertus *lib.2.capit.5. pag.557. column. 1. Quinque lapides lympidiſſimi, quos elegit de torrente, quinque ſunt libri Moyſi.*

11 Lapides ſunt Fortiores in Eccleſia, qui a Doctoribus doctrina, quaſi funda, contra diabolum iaciuntur: ſed quia parum contra Antichriſtum valebunt, dicitur: *In ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ*: *Iob. cap.41.ver.* 19. Vbi D.Gregorius *lib.34. cap.10. moral.pag.*1095. *lit. D. Funda namque dum in gyrum mittitur, ſic vt de illa lapides exeunt, quibus aduerſariorum pectora feriantur: ita Sancta Eccleſia dum volubilitate temporum per tribulationum circumitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt, quibus quaſi lapideis ictibus iniquorum corda tunduntur.*

12 Lapides Sion ſunt Prophetæ; de quibus Pſaltes: *Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius. Pſalm* 101. *ver.*15. Vbi D Auguſtinus *in Pſalm.*101. *pag.* 467. *col* 1. *lit. A. Intelligo lapides Sion omnes Prophetas: ibi præmiſſa eſt vox prædicationis; inde aſſumptum eſt Euangelicum officium.*

13 Lapides ſunt Animæ Sanctæ meritorum diuerſitate diſtinctæ: de quibus dicitur. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos. Iſai.cap.54.ver.11* & D. Gregorius *lib.18.cap.19. mor.pag.719.lit.C. Strauit namque in illa per ordinem lapides; quia in ea Sanctas animas meritorum diuerſitate diſtinxit.*

14 Lapides Sapphyri, Animæ cœleſtia appetentes: de quibus ſequitur loco citat. *verſ.12. Et fundabo te in ſapphyris*: Et Idem Doctor magnus. *Fundauit eam in ſapphyris, qui ſcilicet lapides coloris aerei in ſe ſimilitudinem tenent: quia robur Eccleſiæ in animabus celeſtia appetentibus ſolidatur.*

15 Lapides Iaſpides ſunt perfecti qui nulla aduerſitate de ſpe, & charitate deturbantur: de quibus ibidem ſequitur: *Et ponam Iaſpidem propugnacula tua*: Et ſubdit Sanctus. *Quoniam Iaſpis viridis eſt coloris, iaſpidem propugnacula eius poſuit, quia illi contra aduerſarios pro Sancta Eccleſiæ defenſione obiecti ſunt, qui in terris deſiderijs virentes, nulla temporis reproba ariditate marceſcunt.*

16 Lapis inſenſibilitatem ſignat. De quibus Ezechiel *cap. 11 ver.19. Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*: Et D.Gregorius citatus. *Nam cũ lapis pro inſenſibilitate ponitur, dura per lapides corda ſignantur; vnde, & per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.*

17 Petra eſt Doctrina Sanctorum: vnde, & Ibices pariunt in petris, quia magiſtri ſpirituales fundantur in Sanctorum Doctrina, cum alios erudiũt: vnde Iob *c.39. verſ.1. Numquid noſti tempus partus Ibicum in petris.* Et D. Gregorius *lib.30. capit. 9. moral. pag.991. litt. B. Quid eſt quod B.Iob de partu Ibicum diſcutitur, niſi quia in Ibicibus Patrum ſpiritualium perſona ſignatur? Ipſi quippe velut Ibices in petris pariunt: quia in doctrina Patrum, qui petræ pro ſoliditate vocati ſunt, ad conuerſionem animas gignunt.*

18 Saxum transferri de loco ſuo; eſt virum iuſtum labi in peccatum. Iob *cap.14. verſ.18. Saxum transfertur de loco ſuo.*Et D.Gregorius *lib.12.cap.12.moral.pag.589.lit.A.Saxum transfertur de loco ſuo,ideſt mens Sancta, cuius locus iuſtitia fuerat, impulſu ſubito transfertur ad culpam.*

19 Aceruus Petrarum eſt admiratio hominum: vnde ſcirpi radices ſuper aceruum pœnarum denſari eſt hypocritam opera ſua propter hominum admirationem exequi: ſic Iob. *cap* 8. *v.*17. *Super aceruum petrarum radices eius denſabũtur*:Et idem Sanctus *lib.8.c.30.mor. pag.504. lit C. Scirpus itaq; iſte, qui inter lapides commoratur, ſuper aceruum petrarum radices denſat, quia omnis hypocrita cogitationes ſuas in exquirenda hominum admiratione multiplicat.*

20 Petra, vnde exciſi ſunt Iudæi, eſt Abraham: de quo Iſaias *cap.51.v.2. Attendite ad petram vnde exciſi eſtis*: Et ſubdit D Hieronymus *in Iſai pag.216.lit.F.Reſpicite ad petram, ideſt Abraham patrem veſtrum; de quo exciſi eſtis.*

21 Petra eſt literalis ſenſus legis, in quo ſibi ſtruunt tabernacula Iudæi: quod damnat Iſaias *cap.22. verſ.16. Quid tu hic? excidiſti in excelſo memoriam, & in petra tabernaculum tibi*: Vbi idem Hieronymus *loc. cit. pag.* 109. *lit.C. Quid hic agis? Cur vis tibi ædificare domum in occidente litera?*

22 Lapides obiurgationes ſunt; hinc lapidibus opprimi, eſt duris obiurgationibus increpari: *Sed lapidibus opprimetur*: *Exod. cap.19. v.13.* vbi Gloſſ.Interl. *Duris Eccleſiæ ſermonibus coarctabitur.*

23 Lapides quadri ſunt peccata, quæ animam claudunt, ne in bono proficiat; de hoc quæritur per os Ieremiæ: *concluſit vias meas lapidibus quadris. Thren.cap. 3.ver.9.* Vbi Lyranus. *Concluſit vias meas, procedendi in bonum; lapidibus quadris, ideſt peccatis; quæ quatuor habent angulos, ſcilicet Dei offenſam, obligationem ad pœnam, gratuitorum ſpoliationem, & naturalium vulnerationem.*

24 Lapis terræ angularis Diabolus eſt: de quo Iob. *cap 38. ver.6. Quis demiſit lapidem angularem eius?* Et Rupertus *lib.1.de vict Verb.cap 19. tom.2.pag.493. columm.2. Lapis alius ſcilicet Sathanas, erit intelligendus lapis terræ angularis, ideſt Princeps Mundi huius.*

25 Lapis caliginis Diabolus,quia ſine luce illuſtrationis diuinæ: de quo Iob *cap.28.ver.3. Lapidem quoq; caliginis,& vmbram mortis.*Et idem Rupertus. *Haud dubium, quin eo loco lapis Sathanas ille debeat intelligi lapis caliginis, vt puta nihil habens de illuminatione.*

26 Petræ ſunt peruerſa dogmata, per quæ hæretici peruertunt,& occidunt,ſimplices: de quibus Iſaias. *cap. 57.ver.3. Immolantes paruulos in torrente ſubter imminentes petras.* Vbi D.Hieronymus *in Iſai. pag.241. lit. C. Nec dubium eſt quin iſtiuſmodi perditionis filii,& ſemen iniquum,habeant plures filios,quoſcumq; deceperint, & occidant in profundis vallibus, & in barathro impietatis, ſubter imminentes petras, quæ ſemper minantur ruinas: quæ pro diuerſitate mendacii, & varietate dogmatum peruerſorum, plures appellantur petræ.*

27 Petram ſuper quam currere non valet equus, auxilium inutile; ſic Amos *c.6. verſ.14. Numquid currere queunt in petris equi.* Vbi Rupertus *lib.3.in Amoſ.tom. 1. pag.872. colum.1. Lætantibus in equis vos quidem lætamini in nihili, quia veſtri equi non queunt currere in petris; ideſt fallaces vobis erunt ad ſalutem in tempore anguſtiæ, quando ruinis, ſciſſionibus feriemini.*

§. III.

De Frondium allegoriis.

1 Frondes arborum ornamenta, & fructuum cuſtodia ſunt: ideo primò ſignificant Doctrinam Dei, per quam cuſtodiuntur fructus bonorum operum: ſic in *Pſalm.* 1. *verſic.* 4. *Et Folium eius non decidet.* Vbi D Hilarius *in Pſalm.1. columm. 628. lit.C. Doctrina ergo verborum Dei, quæ promiſſos nobis fructus conueſtit, ſignificatur in foliis: his enim verbis ſpes noſtræ inumbrantur; horum inter has ſæculi tempeſtates munimine, conteguntur.*

2 Frondes ſunt verba, & Frondes pulcherrimę verba com-

Digitized by Google

compoſita ; de quibus Dianiel : *cap. 4. verſ. 9. Folia eius pulcherrima*: & Ricchardus a S. Victore *lib. 2. de erud. hom. cap. 16. pag. 91. col. 1. lit. D. Folijs fructus veſtitur, & verbis compoſitis ſententia ornatur : os enim ſapientis ornat ſcientiam*.

3 Folia Ficus ſunt mendacia voluptuoſa : ſic Gen. *cap. 3. verſ. 7. Conſuerunt Folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*. Vbi D. Auguſtinus. *lib. 2. c. 16. de Gen. cont. Manich. to. 1. pag. 358. col. 2. lit. D.* Itaque vt iam non eſſent ſimplices, fecerunt de folijs ſibi ſuccinctoria, tanquam tegentes pudenda ſua, ideſt occultantes ſimplicitatem, de qua iam erubeſcebat aſtuta ſuperbia. Folia vero fici pruritum quemdam ſignificant, (ſi hoc bene in rebus incorporalibus dicitur) quem miris modis animus patitur cupiditate, & delectatione mentiendi. *Hæc ille*.

4 Folia ſine fructu ſunt verba inanis gloriæ ſine operibus bonis : ita *Matthei cap. 21. verſ. 19. Et non inuenit in ea niſi folia tantum* : & D. Hilarius *in Matth. can. 21. pag. 569. col. 1. lit. B. Veniet eſuriens plebis huius ſalutem, & inueniet infæcundam, folijs tantummodo veſtitam, ideſt verbis inanibus gloriantem, ſed fructibus vacuam, operibus quippe bonis ſterilem*.

5 Folia decidentes de vite ſunt Religioſi qui eadunt in os diaboli, ex defectu deuotionis, & gratiæ: de quibus Iſaias : *cap. 34. verſ. 4. Omnis militia eorum defluet ſicut defluit folium de vinea, & de ficu* : Vbi Eminentiſſimus Hugo : *in Iſai pag. 75. col. 1. Omnis melitia eorum defluet, ideſt tota fortitudo Religioſorum, & Prælatorum influet in os diaboli &c. Et quare caſus iſte fit? quia Prælati, & Religioſi ab humore compaſſionis, ab humore deuotionis, & gratiæ aruerunt : ideo ſubditur : ſicut defluit folium de vinea, & de ficu: Folium enim defluit ex defectu humoris*.

6 Folium a vento raptum hominem a tentationibus agitatum deſignat : de quo Iob : *c. 13. verſ. 25. Contra folium, quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam* : Et D. Gregorius Magnus *lib. 11. cap. 22. moral. pag. 578. lit. B. Quid eſt enim homo niſi folium, qui videlicet in Paradiſo ab arbore decidit? Quid eſt enim niſi foliũ, qui tẽtationis vento rapitur, & deſideriorũ flatib. leuatur?*

7 Folium ſublatum a vento, eſt homo a ſuperbia inflatus; vt fatetur Iſaias *cap. 64. verſ. 6. Cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos* : vbi Idem Doctor : *loc. cit lit. C. Quaſi ventus quippe nos iniquitas abſtulit : quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem leuauit*.

8 Folia legni vitæ ſunt verba ſancti Euangelij : *Apocalip. c. 22. verſ. 2. Et folia ligni ad ſanitatem gentium* : ibique Rupertus *lib. 12. in Apocalip. to. 2. pag. 483. col. 2. Nam folia ligni verba ſunt Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ recipiendo gentes, æternam animarum, & corporum ſanitatem ſibi acquiſierunt*.

9 Folia virentia ſunt opera perfecta : quæ iuſtum ſignans Columba vexit in ore. *Gen. cap. 8. verſ. 11. Cum virentibus folijs* : vbi Venerabilis Beda *in Gen. cap. 8. tom. 3. pag. 44. Cum virentibus folijs, ideſt operibus perfectis*.

§. IV.

De Ramis.

1 RAmus eſt Arboris pars cui folia inhærent: & primò Ramus oliuæ in ore columbæ ſignificat dona ſpiritus ſancti : *Gen. c. 8. v. 11. At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo*. vbi Gloſſ. ord. *Columba ramum oliuæ expulſo teterrimo alite, ad Noe poſt diluuium portat, quia columba ſpiritus ſancti ad Chriſtum poſt baptiſmum veniens ramum refectionis, & luminis pacem annunciat*.

1 Ramus ſignificat claritatem virtutis: ita de eodem oliuæ ramo D. Ambroſius *lib. de Noe cap. 19. to. 11. pag. 149. lit. D. Vexit inſigne, & folium oleæ, in qua arbore oliua generatur, ex qua oleum conficitur, quo materiale hoc lumen fouetur, & tenebrarum fugatur obſcuritas. Quid autem magis quam lumen familiare virtuti eſt?*

3 Ramum oleæ in ore geſtare, eſt ſermone pacifico claritatem virtutis oſtendere : ex eodem *ibid. In ore quoque non fruſtra ramulus oleæ videtur eſſe delatus, eo quod virtus & ſapientia in ſermone ſui habet claritatem, & ipſa ſtatim ſpecie lumen eius effulgeat, maximè cum pacifica loquitur*.

4 Idem ramus oleæ confeſſionem ſanctæ Trinitatis ſignat : ita Beda *cap. 8. in Gen. tom. 3. col 44. Ramus oliuæ in ore columbæ, confeſſionem Trinitatis ſignificat in ore vniuſcuiuſque ſancti*.

5 Rami Sinapis, in qua Volucres Cæli manent ſunt Prædicatores, in quorum doctrina fideles requieſcunt : *Ita vt volucres Cæli veniant, & habitent in ramis eius*. Et Magnus Gregor. *lib. 19. c. 1. mor. pag. 735. lit. C. Huius arboris rami ſancti Prædicatores ſunt*.

6 Rami ijdem ex D Hilario Apoſtoli ſunt *can. 13. in Matt. col. 531. lit. B. Apoſtolos ſcilicet ex Chriſti virtute protenſos, & mundum inumbrantes in ramis intelligemus*.

7 Rami pullulantes ex ligno præciſo, ſunt fideles multiplicati ex ſanguine martyrum : *Iob cap. 14. verſ. 7. Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit, & rami eius pullulant* : vbi D. Gregorius *lib. 12. cap. 4. mor. pag. 584. lit. A. Et rami eius pullulant; quia plerumque ex paſſione iuſti, fideles quique ad amorem cæleſtis Patriæ multiplicantur*.

8 Rami ſignificant filios : in quo ſenſu dicitur : *Iob cap. 15. verſ. 30. Ramos eius areſaciet flamma*: vbi Lyranus : *Ramos eius, ideſt filios, & filias, areſaciet flamma, ideſt interficiet Diuina iuſtitia*.

9 Rami fici teneres homines ſpirituales, & perfectos ſignificant; de quibus Dominus *Matth. c. 24. verſ. 32. Ab arbore fici diſcite parabolam; cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis, quia prope eſt æſtas* : Et D. Auguſt. *lib. 1. Euang. quæſt. 39. tom. 4. pag. 144. col. 1. lit. A. Arborem fici genus humanum intellige, propter pruritum carnis : cum iam ramus eius tener fuerit, ideſt cum filij hominum per fidem Chriſti ad ſpiritales fructus profecerint, & in eis honor adoptionis filiorum Dei eminuerit*.

10 Rami ſunt viri ſancti Patriarcharum diſcipuli: de quibus Apoſtolus *Rom. cap. 11. verſ. 17. Si radix ſancta, & rami*. Et Gloſſa ord. *Si radix ſancta, ideſt Patriarchæ, a quibus contrahunt ſancti humorem fidei; & rami; qui de eorum genere excreuerunt, in eis fundati*.

11 Rami ſunt ſubditi; Hinc humili ſtatura ramos reſpicere radicem, eſt Principem, ſeu ſuperiorem eſſe ſubordinatum alteri: ſic de Rege Iudæorum ſub babilonico imperio poſito, dicitur: *Ezecchiel. cap. 17. verſ. 6. Humili ſtatura reſpicientibus ramis eius ad eam* : Ita D. Hieronymus *in Ezech pag. 501. lit. D. Humili ſtatura reſpicientibus ramis eius ad eam; vt præeſſet quidem populis Iudæorum, ſed reſpiceret ad Babilonis iubentis imperium*.

12 Rami Arboris denſarum frondium, ſunt virtutes; quas ſumere in feſto tabernaculorum iubentur Hebræi : *Leu. cap. 23. v. 40. Et ramos ligni denſarum frondium* : vbi Gloſſa ord. *Ideſt omnium virtutum fructus, ſed maximè miſericordiam, quam oportet eſſe continuam, & permanentem*.

13 Rami, quos Chriſto triumphante ſternebantur in via, ſunt fructus gentium ex radice infidelitatis per Apoſtolos exciſarum : *Matth. 21. v. 8. Alij vero cædebant ramos de arboribus, & ſternebãt in via* : Et D. Hilarius Pictau. *can. 21. in Matth. col. 567. lit. E. Igitur infructuoſarum, Gentium rami, ideſt infidelium quondam gentium fructus, per Apoſtolos itineri Domini ſubſternuntur, & Saluatoris Domini inſtificantur ingreſſu*.

14 Rami ſunt bona temporalia ; de quibus ſapiens : *Sap c. 4. Et ſi in ramis in tempore germinauerint* : Vbi Lyranus. *Ideſt ſi in bonis tẽporalibus proſperati fuerint*.

15 Rami montium Iſrael, ſunt Conuerſi ad prædicatio-

catio-

Digitized by Google

cationem Apoſtolorum. De quibus Propheta Ezechiel *cap.36. verſ.8. Vos autem montes Iſrael ramos veſtros, germinetis*, Et Cardinalis Hugo *in Ezechiel pagin.* 116. *columm. ſecund. Perſecutoribus enim Eccleſiæ deſtructis, & punitis, & reddita pace Eccleſiæ, germinant montes, ideſt Apoſtoli, & apoſtolici viri, ramos ſuos ideſt multos conuerſos.*

16 Ramus ficus qui frondeſcens ſignum eſt futuri Iudicij, ſignat Antichriſtum: *Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas. Matth. cap.24. ver.32.* Et D.Hilarius *can.26. in Matth. col.588. lit. B. Ramus igitur ficus Antichriſtus eſſe intelligitur: Qui cum tenereſcere cœperit, atque frondeſcere; tunc proxima eſſe æſtas, ideſt dies iudicij ſentietur.*

17 Rami pręcidendi a falcibus ſignant infideles a Deo deſtruendos de quibus Iſaias *cap.18. ver.5. Præcidentur ramuſculi eius falcibus*: Et ibi D.Hieronymus *in Iſai. pagin.68. lit. D. Sic Ægiptij Populi quaſi rami inutiles falcibus præcidentur, & cuncta propagines nudabuntur. Ac ne putares eum de vinea dicere, & nō de hominibus, vertit metaphoram in hiſtoriæ veritatem: Et relinquentur, inquit, ſimul auibus montium, & beſtiis terræ; Aues enim, & beſtiæ non abſciſſos arborum ramos ſed cadauera deuorant.*

Verſus Tertiuſdecimus.

מַשְׁקֶה הָרִים מֵעֲלִיּוֹתָיו מִפְּרִי מַעֲשֶׂיךָ תִּשְׂבַּע הָאָרֶץ׃

Verſio ex hebręo.	*Adaquans montes de excelſis ſuis, de fructu operum tuorum implebitur terra.*
Vulgata editio.	*Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*
Pagninus.	*Qui irrigat montes de cœnaculis ſuis, &c.*
D.Hieronymus.	*Qui irrigas montes de cœnaculis tuis, &c.*
Caietanus.	*Potans montes de excelſis ſuis, &c.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITO LITERALIS.

HEbræo idiomate particula עַל ſeu עֲלִי *ſuper* ſignificat, vnde deriuatum eſt עֶלְיוֹן *excelſus*, ſiue ſuperior; quapropter melius hìc עליות interprætamur ſuperiora, ſeu excelſa, quam cœnacula a עֲלִיָּה Et aduertendum eſt ſuperiora ſeu excelſa dici *ſua*, ſcilicet Dei adaquantis; opera vero dici *tua*, ſcilicet hominis, quem alloquitur Pſaltes; vt ſenſus ſit: Quia Deus adaquat pluuijs è cœlo immiſſis montes, & valles, ideo terra ab ipſo irrigata, & a te homine exculta, ex fructu operum manuum tuarum replebitur. Hinc apparet minus rectè ab alijs poni cęnacula. Verbum שָׂבַע replere, & ſatiare ſignificat; ſed fructuum productione terra repletur, non vero ſatiatur, imò potius exinanitur: niſi ſenſus ſit, quod prius ſatietur aqua, & deinde fructibus repleatur. Aqua de ſuperioribus veniens pluuia eſt, de qua multa vidimus ſupra, *Expoſ. Liter. in Verſ.* 3. §. *IV*. præſertim, quæ ad cauſas intrinſecas pertinere videbantur; aliqua de eius vtilitate, & efficientia, ideſt cauſis extrinſecis Efficiente, & Fine, videbimus; nec non aliqua de terræ cultura, & fertilitate, quæ a Pluuiarum irrigatione dependet.

SVMMARIVM.

1 *De cauſa efficiente Pluuiarum.*
2 *De cauſa finali, ſeu vtilitate pluuiarum.*
3 *De Terris fertilibus, & infertilibus, & huiuſmodi cauſis.*
4 *De pluuiis prodigioſis.*

§. I.

De cauſa efficiente Pluuiarum.

1 RIgans montes, &c. Hucuſque de aquis agens Propheta, de abyſſo omnium aquarum matrice, de fontibus, ac fluuijs egit, ſed ne præteriret pluuias, quæ maximè ad terra naſcentium generationem conducunt, de illis hìc agit, inquiens: *Rigans montes de ſuperioribus ſuis*: quod autem de pluuijs ſermo ſit, teſtatur Incognitus *in Pſalm.*103. *Hic agit de aquis ſuperioribus, quæ de nubibus*

nubibus deſcendunt. Cui etiam ſubſcribit Caietanus. *Ornatus terræ deſcribitur per irrigationem pluuiæ; Potans montes de excelſis ſuis*. Ita etiam his multò antiquior D. Theodoretus ſentit. *Non modo aquarum naturam inferius ſcaturire facit, ſed etiam ſuperius per nubes irrigationem affert*. Porrò de cauſa materiali, & formali pluuiæ, quod ſcilicet, ipſa formaliter aqua ſit, dulcis, leuis, guttatim decidens, & quod vel ex vaporibus, vel marinis, & paluſtribus aquis, vel etiam de ſupercœleſtibus fontibus materiam ſumat, abundè in literali expoſitione verſus tertij viſum eſt. Remanent igitur duæ extrinſecæ cauſæ explicandæ videlicet efficiens, & finis, qui cum effectu coincidit. Quantum ad cauſam attinet, principalis eſt ipſe Deus; *Qui parat terræ pluuiã*: Nam prima, & vniuerſaliſſima cauſa eſt: cauſa verò inſtrumentalis, ſeu efficiens ſecundaria non vna, ſed multiplex eſſe poteſt, præcipua verò Solis calor, aliorumque ſyderum influens virtus. Nam & idcirco dictum eſt: *De excelſis ſuis*: non ſolum quia pluuiæ de aereo, vel etiam ſuperiori Cœlo deſcendunt, verum etiam, quia a Stellarum vario influxu cauſantur. Quod docet doctiſſimus Caietanus. *Excelſa Dei appellat, vel ſupremas aereæ regionis partes; quandoquidem in illis non verſantur homines, ſed ſunt quaſi ad Solarium Dei: vel ipſa cæleſtia corpora cauſantia pluuias*.

2 Sydera ergo efficientia pluuias enumerare debemus. Inter Planetas pluuioſiſſima Venus eſt; inter fixas verò, Arcturus, Orion, Pleiades, Hyades, Delphin. Ex horum aſpectu colligunt Aſtronomi pluuias futuras, veluti effectus a cauſis: ſigna verò pluuiarum notiora iſta numerantur. In annua Reuolutione Mars in Scorpione, item Venus, Mercurius, & Luna in ſignis humidis. Similiter Saturnus, & Luna ſe aſpicientibus in humidis ſignis, Luna cum Venere, vel Mercurio; Venus in quocũq; aſpectu Saturni; & in quocũq; aſpectu Solis, & in quacumq; aſpectu Martis. Eiuſdem Veneris, aut Martis trãſitus per Pleiadas: matutinus ortus Arcturi; Sol occidens cũ Pleiadibus; Saturnus aut Venus occidens cum Pleiadibus, vel orione, vel Arcturo, vel hyadibus. Hæc omnia ſigna, & cauſæ pluuiarũ ſunt. Præterea, dantur aliqui Aſpectus, qui dicuntur aperitiones portarũ, eo quod maximas generent pluuias, videlicet Saturnus in quadrato, trino, aut coniunctione Solis, vtroque in ſignis, vel Stellis humidis: Mars, & Venus in quocumque aſpectu tempore Autumnali: Mars quocumque tempore in Scorpione aſpiciens Venerem: Sol Veneri iunctus in gradu 18. Scorpionis. Probatur hoc ex quibuſdam Sacræ Scripturæ locis; nam vbi vulgata habet: *Qui aufert ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum. Iob. cap.36. verſ.27*. Legunt alii, & præſertim D. Gregorius Papa, & Cardinalis Hugo. *Qui aufert ſtellas pluuiæ*: quod explicans primus ait *lib.36. cap.5. mor. pagin. 911. lit.C. In cœli facie aliæ Stellæ prodeunt, quas nullæ pluuiæ ſubſequuntur, & aliæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus infundunt*. Alter verò inquit *in Iob. pag. 446. colum.4. Vocat ſtellas pluuiæ, quas ſequitur pluuia*. Eſt & alius locus in eodem Iob, in quo ſtellarum pluuialium fit mentio, ac de earum productione laudatur Dominus: *Qui fecit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri: Iob.cap 9.ver.9*. quam ad noſtrum intellectum explicat B.Gregorius *lib.9 cap.6.moral.pagin. 513. lit.D. Oriones quippe in ipſo pondere temporis hyemalis oriuntur: ſuo quoque ortu tempeſtates excitãt, & maria, terraſque perturbãt*: & paulo poſt *pag.514. lit.A. Græco quippe eloquio hyetos pluuia vocatur, & hyades nomen a pluuiis acceperunt: quia ortæ proculdubio imbres ferunt*.

3 In quorum confirmationem libet aliam trutinare Sacræ paginæ ſententiam. Cum Barach Dux Iſraelitarum, comite Debora propheti ſſa Chananeorum exercitum, cum eorum Rege Siſara profligaſſet, diuino adiutus auxilio, in Dei laudem canticum cecinit Debora; in quo Deo tribuens victoriam, inter alia, inquit *Iud. cap. 5. ver.20. De Cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt*. Quænam autem hæc Cœlorum concertatio fuerit accipiamus a Ioſepho, qui tempeſtuoſam aquam, & grandines ac ventos de cęlo deſcendiſſe in hoſtes putat, nec immeritò. *Commiſſa pugna, vehemens imber mixtus grandine ſuperuenit, quem ventus in aduerſos Chananeorum vultus ingerens, & proſpectum adimens, inutiles eorum iaculatores, ac funditores reddebat*. Idem ſentit Abulenſis, ex aliis Sacræ Scripturæ locis comprobans *in lib. Iud. in cap.5. quæſt.1. pag.49. column 3.lit.E. Quæret aliquis quomodo dimicatum fuit de cælo contra Siſaram? Reſpondendum quod principalius pugna contra Siſaram fuit hic de cęlo, ſcilicet in grandine, & pluuia cadente ſuper exercitum Siſaræ, & compellente ad fugam*. Hoc autem modo pugnauerunt contra Siſaram ſtellæ, nam ad diuinum imperium ad pluuiam cauſãdam ſublunares cauſas mouerunt: Quapropter malè idem Author pugnam de cęlo, & pugnam ſtellarum, quaſi duas diuidit, nam eadem fuit vtriuſque, quod ex litera hebraica melius cognoſci poterit, vbi hæc concertatio. Sic deſcribitur:

מִן שָׁמַיִם נִלְחָמוּ הַכּוֹכָבִים מִמְּסִלּוֹתָם נִלְחֲמוּ
עם סיסרא

ideſt: *De cęlo pugnauerunt ſtellæ, de ſemitis earum pugnauerunt cum Siſara*: Vbi clarè videtur ſtellas pugnare de cœlo; & cęlum per ſtellas pugnaſſe, mouendi cauſas ſublunares ad pluuias, ac grandinem, & ventum producendum: ipſæ verò ſtellæ a Deo motæ miraculosè fuerunt, vt facerent ſtatim, & ſolum in hoſtes, quod longo temporis tractu, ſine diſcretione feciſſent: Neque, ab hoc ſenſu abhorret Dionifius Carthuſianus, inquiens *in Iudic. Artic.9. pag. 82. De Cęlo dimicatum eſt contra eos, ideſt Deus Creator ſupernaturaliter reſtitit eis corda ipſorum terrendo, atque per ventum, imbrem, coruſcationes, fulgura eos deiiciendo: ſtellæ manentes, &c. Hoc primo intelligi poteſt de corporibus cæleſtibus, in quantum ad generationem impreſſionum prædictarum, forſitan aliquo modo cooperabantur; quæ tamen præter curſum naturæ potius generatæ cenſentur*. Habemus ergo cauſas duas vniuerſales pluuiæ, ſcilicet primam, quæ Deus eſt, ſecunda ſyderum aſpectus, & influxus.

§. II.

De cauſa finali, ſeu vtilitate Pluuiarum.

1 DE *fructu &c*. Hic iam de vtilitate pluuiæ videndum eſt; & in primis obſeruandum pluuiam ad hoc mitti a Deo, vt terra fœcundetur ad germina producenda; ideo dicitur: *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra: Quia* ait Incognitus, *aqua pluuialis fecundior eſt, quam ſit aqua fluminis, vel fontis, hinc eſt quod plura gignat ad nutrimentum Animalium, quam aqua inferior*. Cauſam huius inquirit Plutarcus *lib.2. quæſt. natur. quæſ. 2 pag.374. column.2. Cur a pluuiis aquis potius, quam a fluentibus, arbores, & ſemina ſolent adnutriri?* Et rationem affert. *Iam tenuia, & ſimplicia, & inſipida facilius mutantur, quorum de cenſu etiam eſt aqua pluuia, &c. Imbrium porrò aquas facile mutari, argumento id eſt, quod citius quam fontanea ac fluuiales putreſcant; concoctio autem videtur eſſe putrefactio, ſicut Empedocles teſtatur. In ligno putrefacta aqua fit ſub cortice vinum*. Alia etiam ratio reddi poteſt, quod ſcilicet aqua pluuialis guttatim decidat, ac propterea terram non diſſipat, nec radices plantarum diuellit: quod videtur inſinuare Pſaltes, dum canit. *Riuos eius inebria multiplica genimina eius, in ſtillicidiis eius lætabitur germinans. Pſ.64. verſic. 11*. vbi Lyranus. *Riuos eius inebria: in hebræo habetur ſulcos eius inebria, quia cum ſulci terræ, qui ſunt quaſi quidam riuuli, humectantur, illa quæ ſunt ſeminata, vel plantata ad germinandum, vel fructificandam diſpo-*

Digitized by Google

diſponuntur: in ſtillicidiis eius: ideſt pluuiis ſtillantibus de cælo a Deo: lætabitur germinans: ideſt terra germina proferens. Hæc ergo maioris fertilitatis pluuiæ, quam aliarum aquarum, duplex ratio aſſignatur; & earum leuitas, & etiam pinguedo, & modus guttatim decidendi, qui ſine læſione madefacit.

2 Tanta eſt autem pluuiarum vtilitas, vt ſine illa viuere animantia nequeãt, nam omnia terranaſcentia ſine imbrium fæcunda irrigatione, nec oriri poſſent, nec conſeruari: ideo dixit Plinius *hiſtor. nat. lib. 31. cap. 1. pag. 662. verſ. 35. Eadem*, Pluuiæ, *cadentes omnium terra naſcentium cauſa fiunt, prorſus mirabilis natura, ſi quis velit reputare, vt fruges gignantur, arbores, fruticeſque viuant, in cælum migrare aquas, animamque etiam inde vitalem inde deferre: iuſta confeſſione, omnes terræ quoque vires, aquarum eſſe beneficy*: Hoc autem etiam habemus in ſcripturæ diuinæ monumentis: Deo enim canit Propheta: *Pſal. 146. verſ. 8. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam*. Hæc ergo cauſa finalis pluuiarum eſt, ſcilicet terræ ad fæcunditatem irrigatio; vti docet Lyranus. *Parat terræ pluuiam, vt fæcundetur ad terranaſcentium productionem*. Hac de cauſa putat rerum etymologiarum diligentiſſimus indagator D. Iſidorus Hiſpal. imber dici, quaſi inebrians, eo quod terram fæcunditate inebriat a græco vocabulo ducens originem *lib. 13. c. 10. Orig. pag. 114. col. 1. lit. B. Imbres autem & ad nubes, & ad pluuiam pertinent, dicti a græco vocabulo, quod terram inebrient ad germinandum; ex his enim cuncta creantur; vnde & Lucretius. Ex igne, terra, atq; anima naſcuntur & imbri*. Hæc eſt pluuiæ vtilitas, quæ tamen non caſu è cælo venit; nam licet creatas habeat cauſas, & naturales, omnia tamen Dei imperio ſubduntur; qui tempore apto dat, vel negat pluuiam prout ſibi videtur: optimis, & fidelibus populis, legiſque ſuæ obſeruatoribus pluuias mittit; at inobedientibus, & iniquis ſubtrahit. Hoc colligitur ex Pſalmo 67. verſ. 10. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus Hæreditati tuæ*: quaſi diceret; pluuia in mea voluntate dependet, quam hæreditati meæ, ſcilicet iuſtis ſepoſui, non iniquis, non inimicis. Et id colligit Incognitus ex eo quod Dominus promiſerat Iſraeli, ſcilicet ſe daturum pluuiam temporibus ſuis, dummodo eius mandata ſeruaſſent, & e contra negaturum *in Pſalt. 4. in verſ. 1067. Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ: ſicut habetur Leuiticorum vigeſimo ſexto, promiſerat Deus antiquis Patribus dicens: ſi in præceptis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuiam temporibus ſuis: qua ſcilicet terra fructum debitum producere poſſet*. Vt autem hæc fertilitas ex omni parte completa foret, non ſolum valles, & campos verum etiam montes irrigat, & ideo de montibus dicitur: *Rigans montes*; nam quædam melius naſcuntur in montibus; quam in vallibus, & è conuerſo; ne ergo aliquid pluuiæ beneficium deſideretur, etiam montes irrigari profitetur, vt ſentit Titelmannus. *Videlicet vt ſic conuenientius producerentur omnia quæcumq; ad hominum vitam ſunt opportuna, vel neceſſaria, dum quædam felicius in montibus, alia commodius naſcuntur in vallibus*.

3 Verumtamen ſi tanta pluuiarum neceſſitas, & vtilitas eſt, cur in initio mundi, ex ſola fontis de terra aſcendentis irrigatione germina virentia ad vitam reuocabantur? Dicitur namque: *Gen. cap. 2. verſ. 6. Non enim pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram: ſed fons aſcendebat de terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ*: qui modus loquendi occaſionem nonnullis dedit, quos citat Pererius, aſſerendi ante diluuium numquam pluiſſe, quod falſum eſſe ipſe optimè conuincit; in ipſo verò mundi naſcentis exordio per aliquod temporis non pluiſſe exploratum eſt; cuius cauſam aſſignat D. Theodoretus. Nam ex ſeparatione aquarum a terra quando in vnum congregatæ ſunt locum, vt arida appareret, remanſit terra ex præcedenti inundatione madefacta, & vaporibus plena pluuiis ad germinandum non indigebat. Quia vero dicitur: *Fons aſcendebat de terra*, ad irrigandam ipſam, hoc ita intelligendum eſt: quod vi ſolis, & ſyderum aliquantulum illi vapores è terrena humiditate eleuabantur, & in modum roris ſuper ipſam terram denuo effundebantur. Ita D. Theodoretus: *quæſt. 22. in Gen. to. 1. pag. 8. col. 2. Quid eſt, fons aſcendebat de terra, & irrigabat vniuerſum ſuperficiem terræ? Quod terra nullo eam colente, neque nubibus vllis pluuiam effundentibus, germinauit quemadmodum Creatori libuit, irrigata videlicet ab humore, & vapore, qui ſupererat a ſeparatione aquarum*. Quod colligitur ex ipſa litera hæbraica, nam vbi Vulgata habet *fons*, in hæbreo eſt אד *ed*: quod vocabulum nuſquam alibi reperitur in ſacra ſcriptura, nec propriam habet ſignificationem certam; Hebræi tamen eam interpretantur: *Vapor*: Non ergo fons; ſed vapor aſcendens a terra ipſam irrigabat, quod fatetur Pererius *lib. 1. in 2. Gen. to. 1. pag. 122. lit. B. Vocem, Ed, Hebræi, & de Chriſtianis eius linguæ ſcientiſſimi affirmant ſignificare vaporem, talem ſcilicet, qualis eſt, ex quo vi Solis, e terra in ſublime attracto, pluuia generatur*: Verumtamen ille vapor non denſabantur in pluuiam, nam hoc manifeſtè ſcriptura negat, ſed in rorem tenuem, & guttas paruulas, vt eſſet paulò maior irroratio, quam verna. Licet porro primæua plantarum generatio, ex ſola Dei iuſſione fuerit facta: quia tamen non immediatè de nihilo, ſed de terra germinata fuere, haud incongruè dici poteſt, quòd illa etiam humiditas ab aquis derelicta vtilis adhoc fuit: ſic enim intelligitur illa obſcura Moyſis locutio *verſ. 4. & 5. 6. Quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Cælum, & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret: non enim pluerat Dominus, &c.* Sed quomodo iam fecerat Deus herbas, antequam naſcerentur? ſenſus eſt, quod Deus in initio ſua virtute abſque pluuia, & abſque operatione hominis, prima germina creauit; & antequam germina de terra cauſarum ſecundarum concurſu de ſe naſcerentur, iam Dei imperio nata fuere. Sic explicat Gloſſa ordin. *Poſſumus intelligere, quia protulit terra herbam virentem, non ſicut modo, cum irrigatione pluuiarũ, vel induſtria hominum multa procreantur; ſed aliter prima herbarum, & arborum facta eſt creatio, ſolo ſcilicet Dei imperio, ſine pluuia, & operatione hominum*. Magna ergo eſt Pluuiarum vtilitas, quæ hominum, & iumentorum eſcam producit.

§. III.

De Terris fertilibus, & infertilibus, & huiuſmodi cauſis.

1 D*E fructum operum tuorum ſatiabitur terra: &c.* Tria requiruntur ad plenitudinem terræ, vt fæcundetur, & repleatur herbis, ac fructibus, quæ omnia in hoc verſu includuntur; primum eſt pluuiarum irrigatio; quæ ſi congruis temporibus terram infundat, ipſam fæcundat, ob quarum defectum maior Africæ pars inculta, & germinibus ſpoliata reperitur; Aegiptus vero fædundatur ex Nili inundatione, qui remotarum regionum pluuijs exundans, rigat ægiptiacos campos: Hinc Sicilia fertiliſſima eſt, vnde antiquitus Horreum Italiæ, & Vrbis Romanæ dicebatur: prima ergo fæcunditatis terræ cauſa pluuia eſt, præſertim verno tempore placida irrigatione perfundens; vt ait Plutarchus *qu. 4. natural. pag. 375. col. 1. Vernis autem aquis admodum opus habent ſemina, ante æſtatem: Itaque Regio, quæ vere plurima pluuia irrigatur, vt Sicilia, multum, bonumque fructum producit*. Pluuia igitur neceſſariò ad frugum productionem requiritur.

2 Secundum, quod ad fæcunditatem requiritur eſt ipſius ſoli fertilitas: hinc eſt quod diuerſis in locis eadem pluuiarum irrigatione deſcendente, pro agrorum qua-

litate

Digitized by Google

litate nihilominus, ac pro Cæli temperie diuerſæ qualitatis fruges naſcuntur: hinc Theophraſtus *apud Eraſm. Roterd. in Adag. chil. 1. cent. 1. num. 44. pag. 50. col. 2. Ad incrementum autem, alimentumque, plurimum quidem Cæli temperies, & in totum anni conditio ſuuat: etenim ſi imbres, ſerenitates, & hyemes accidant opportunè, cuncta felicius, ac vberius proueniunt, etiam in ſalſuginoſis, ac parum pinguibus agris; vnde non abs re eſt quod prouerbio dicitur: Annus producit ſegetem non ager. Verumtamen non parui refert quæ regionum ſit ratio.* Ob hanc rationem campania felix, & alio nomine Terra laboris (vbi Neapolis italiæ ſita eſt) fertiliſſima eſt, vt Italiæ Hortus nõ immerito reputetur; de hac inquit in ſua Geographia Strabo *lib. 5. pag. 167. Traditum memoriæ Campaniæ arua toto anno conſeri bis zea, tertium panico: quædam etiam quarto ſatu olera producere.* E contra verò Corinthus Greciæ præclariſſima Vrbs, in alijs quidem nobilis, in hoc tantummodo aruorum infelicitate notatur; de qua Idem Author *lib. 8. pag. 263. Fuit Corinthus Vrbs magna, ſemper diues, copiamque tulit virorum, & ad res ciuiles tractandas idoneorum, & ad artificia exercenda. Solum habuerunt non admodum gleba terræ felix, ſed obliquum, & aſperum; vnde vulgò ſuperciliosa Corinthus dicta fuit.* Quapropter ad pluuiæ opportunitatem ſoli feracitas iungi debet, vt fæcundior ſegetum germinatio fiat.

3 Requiritur etiam tertium, Hominum videlicet cultus & induſtria. Nam teſte D. Iſidoro *lib. 15. Orig. cap. 13 pag. 133. col. 1. lit. C. Ager dicitur eo quod in eo aliquid agatur.* Et Bartholomæus Anglicus *de propriet. rer. lib. 14. cap. 48. pag. 619. Ager eſt locus exercitij, & laboris, & ſudoris. Nam cum labore ager excolitur, ligone percutitur, foditur, euertitur, vomere aperitur, ſemine ſeritur, raſtro tegitur, rore, & imbre perfunditur, ſpinoſis ſæpibus circumdatur, & munitur.* Ea propter ſtatim poſt creationem miſſus eſt homo in Horto, vt illum coleret, vt ſciret etiam in pleniſſimo Paradiſo aliquid operis exhibendum eſſe: & licet Deus humano labore ad illius deliciarũ Horti fæcunditatẽ nõ indigeret, voluit nihilominus vti hominis cultu ad fugandum otium: *Gen. cap. 2. verſ. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum:* Quæ Verba ita exponit D. Chriſoſtomus *hom. 14. in Gen. tom. 1. col. 68. lit. E. Et vt dixit: Poſuit illum in Paradiſo voluptatis; addit, vt coleret illum. Etiam hoc magnæ curæ, & prouidentiæ noſtri argumentum eſt. Nam cum omnibus delicijs potirentur ibi vitam agentes, tam oblectamentis eorum, quæ videbant, quam lætitia eorum, quibus fruebantur, vt ne immodica proſperitate homo inſoleſceret (omnẽ enim malitiã docuit otium) propterea præcepit Deus, vt operaretur in illo.* Hominum labor ex Dei prouidentia ad fæcundandam terram requiritur; & vbi hæc tria ſimul reperiuntur, videlicet pluuia temporanea, Soli fertilitas, & hominum induſtrius labor maximã fæcunditatem ineſſe certum eſt.

4 Cæterum ea eſt hominum induſtria, vt etiam agros natura ſua ſteriles, fæcundare valeat; quod fieri in quadam Arcadiæ regione refert Theatrum Vitæ humanæ *tom. 1. pag. 177. col. 1. lit. G. Tradunt Azaneam quampiam eſſe Arcadiæ regionem ſterilem, & culturæ inhabilem; in qua Coloni multo ſudore parum fructum referunt. Inde Azanea mala dicta, vbi quis in re difficili, & frugifera plurimum ſumeret laboris.* At quod Arcades iſti multo labore parum colligunt fructum, meliori euentu multis in locis arua colonum induſtria fæcundantur; vt externas regiones peragrantibus patet; de ſua Brabantia id narrat Laurentius Beyerlink, in Theatro vitæ humanæ *loc. cit. pag. 178. lit. D. Brabantia penè tota ex ſterili, & arida ad fertilitatem perducta eſt Incolarum induſtria, & laboris aſſiduitate.* Qua de cauſa Agrorum cultura ars regia extimata eſt: Nam multi ex ea ad Regnum euecti ſunt, vt ad Romanum Imperium Licinius, & Maximinus; ad conſtantinopolitanum Marcianus, & Baſilius Macedo; ad Hiſpaniæ Regnum Bamba; ad Romanorum Tullus Hoſtilius, ad Poloniæ Plaſtus, ad Turcarum Othomanus, ad ſciticum Tamburlanus, ad Lydorum Gordius; & alios, quos breuitatis cauſa prætereo. Neque deſunt Principes, qui agriculturæ aliquantulum indulſerint, etiam in principatu; nam de Artaxerſe Perſarum, & medorum Monarcha aiunt ſacræ literæ paraſſe in Horto conuiuium, *Eſther. cap. 1. verſ. 5. quod regio cultu, & manu conſitum erat;* & de Cyro alterius Artaxerſis fratre hortum ſuis manibus cultum oſtendiſſe ſpartano Lyſandro narratur: Maſiniſſa Numidiæ Rex in hortu, & agris excolendis inſignis fuit; Diocletianus imperii faſtigium horti, & agelli cultura permutauit: & prætera multi quos apud authores, & apud Theatrum humanæ vitæ quis poterit reperire. Ita propoſitum de pluuiarum fine, & vtilitate patet.

§. IV.

De Pluuijs Prodigioſis.

1 Vidimus hucuſque Pluuiarum ad terræ fæcunditatem vtilitatem; nunc aliqua de pluuiis prodigioſis videndum eſt; quæ in duas diuiduntur claſſes, prima eſt pluuiarum præternaturalium, & rarò occurrentiũ. Secunda eſt pluuiarũ ſupernaturalium, quarum immediata cauſa extitit Deus. Quantum ad primas legimus in Romanorum hyſtoriis pluiſſe *aliquando* terram, aliquando cretam, & inſuper lapides, lapides inquam non grandinis, ſed veros lapides; de quibus D. Auguſtinus *lib. 3. cap. 31. de Ciu. Dei to. 5. pag. 40. col. 2. lit. D. Quæ in eorum libris non fabuloſis, ſed hyſtoricis, ſeu vera, ſeu falſa ſint, non inferunt hominibus perniciem, ſed ſtuporem. Sed & cum pluit terra, cum pluit creta, cum lapidibus; non vt grando appellari ſolet hoc nomine, ſed omnino lapidibus: hæc profectò etiam grauiter lædere potuerũt.* Alias prodigioſas pluuias lactis, ſanguinis, carnium, lanæ, ferri, narrat Plinius *lib. 2. cap. 56. hiſt. nat. pag. 23. verſ. 36. Præter hæc infinities cælo relatum in monumento eſt, lacte, & ſanguine pluiſſe M. Acilio C. Portio Coſſ. & ſæpe alias: Carne ſicut L. Volumnio, ſeruio ſulpitio Coſſ. exque ea non putruiſſe, quod non diripuiſſent aues. Item ferro in lucanis antequam M. Craſſus a Parthis interemptus eſt, &c. L. autem Paulo C. Marcello Coſſ. lana pluit circa Caſtellum cariſſatum.* Et ne id mirabile videretur multas ſanguineas pluuias moderníoribus ſæculis eueniſſe narrat Franciſcus Reſta, ſcilicet *lib. 3. meteor. tract. 3. cap. 11. pag. 854. col. 2. 1163. in Rupellano galliæ oppido. Romæ 1456. in Diæceſi monaſterienſi 1543. Louanis 1568. In ditione Embdenſi in Friſiis orientalib. 1571.* &c. Nonnulli vero interiectis ſequitur *pag. 856 col. 1. Etiam animalia e cælo lapſa affirmant: Piſcium pluuiam memorat Plinius lib. 31. cap. 1.* Hos piſces in aere genitos putat B. Albertus, cum pluuia ſuauis eſt, & multum de terreſtris vaporibus ſecum habet: *lib. 2. meteor. cap. 21. pag. 38. col. 1. Quia autem pluuia fit de vapore multum habente terreſtri ideo cũ ſuauis eſt aliquãdo cũ pluuia generantur plura animalia aquatica, ſicut ranunculi, & vermes, & aliquando piſces paruuli.* Ego vero pace tanti Doctoris haud puto ita contingere, ſed cum nubes ab aquis marinis, vel lacuum aquam ſorbeant, & tam violenter, vt in altum magnas euehant naues poterunt etiam trahere animalcula iſta, & piſces, imò & lapides, cum & aliquando grandines decidant a nubibus lapidibus ipſis non leuiores. Huic ſententiæ adſtipulantur Plinius, & Vincentius Beluacenſis relati a Franciſco Reſta vbi ſupra *pag. 857. col. 1. Hoc modo Plinius: rapiunt aquã ſecumque ſurſum efferunt piſcium examina. Vincentius in ſpec. natural. lib. 4. cap. 46. Quia ventus eleuat humorem de fluuiis, ſtagnis, lacubus, hinc ranunculi, & piſces cum pluuia viſi ſunt cadere.* Atque hæc

ſunt

Digitized by Google

ſunt pluuiæ quæ præter naturalem vſum aliquando de nubibus deſceudunt.

2 Verumtamen terribiliores ſunt illæ pluuiæ, quas Deus ad vindictam malorum ſua poteſtate ſupernaturaliter mittit: Igneam pluuiam ſulphure mixtam in Ciuitates nefandas miliſſe omnibus ex ſcripturis patet, dicentibus *Gen. cap. 19. verſ. 25. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem a Domnio de Cælo*. Super Amorræos etiam cum Ioſue decertantibus lapidum pluuiam immiſit Dominus Ioſue *cap. 10. verſ. 11. Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Cælo*. Et licet grandineos lapides expoſitores ex ipſo textu exponant; non ordinarios, ſed magnitudinis maximæ fuiſſe oportet, qui homines, equoſque interficerent: vnde Lyranus: *Lapides, ſcilicet grandinis inſolitæ magnitudinis, ita quod poſſent armatos interficere*. Iſti namque lapides ſolum differebant in materia a veris lapidibus, at in duritie, & ponderoſitate ipſos æquabant, ni ſuperaſſent; quod obſeruat Abulenſis *quæſt. 9. in Ioſu. pag 179. col. 1. lit. B. Sicut lapides, qui in terra ſunt propter ponderoſitatem ſuam grauiter lædunt, & occidunt, ita lapides grandinis interdum ita magni, & duri ceciderunt, quod poſſent homines occidere, & occiderint: iſti ergo qui ſuper chananeos ceciderunt, ſatis poterant eſſe lapides grandinis*.

3 Similem exitialem pluuiam in exercitum Eugenij tyramni contra piiſſimum Imperatorem Theodoſium dimicantis, de Cœlo deſcendiſſe refert Cornelius a lapide; qui explicans illud Eccleſiaſtici, quo hæc Ioſue victoria recenſetur: *Eccleſiaſtici cap. 46. verſ. 6. Inuocauit Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus, & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis*: Vbi Cornelius a Lap. *in Eccleſiaſtici to. 2. pag. 451. col. 1. lit. A.* hæc habet. *Similia cælitus præſidia immiſit Deus Theodoſio Imperatori contra Eugenium Tyramnum decertanti; de quo Claudianus in Panegyrico.*

O nimium dilecte Deo, cui militat Aether.
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Neque id mirum eſt ad fauorem fideliſſimorum, ac deuotorum Imperatorum Ioſue, & Theodoſij, de Cælo Dominum dimicaſſe; verùm mirabilius eſt, ad ſeruorum ſuorum orationem Deum pro Gentilium exercitu terrificas hoſtibus, ac ſalutares Romanis miſiſſe pluuias. Rem Euſeb. ita narrat *Hiſt. Eccl. lib. 5. c. 5. pag. 92. lit. A. Anton. fratrē M. Aureliū Cæſarem, fama eſt, cōtra Germanos, & Sarmatas aciem inſtruente, cū exercitus illius ingenti ſiti opprimeretur, omnino non habuiſſe quid ageret. Vnde milites in ea legione, quæ melitina appellabatur (quæ ſane ab illo tempore ad hanc noſtram ætatem magnopere propter fidem commendata eſt) in ipſa acie contra hoſtes inſtructa, genibus humi poſitis, ſe ad preces Deo adhibendas totos conuertiſſe dicuntur. Ac dum hoſtes eiuſmodi ſpectaculum magnopere mirabantur, aliud quoddam multo mirabilius ſtatim inſecutum fertur. Fulmen enim hoſtes in fugam vertiſſe, eoſque interemiſſe; & imbrem in exercitum eorum, qui Diuini Numinis nomen implorauerant, de cælo affluxiſſe; qui parum aberat quin præ ſiti intolerabili iam extinguerentur, refeciſſe, recreaſſeque.* Refert tandem D. Gregorius Magnus in ea peſtilentia, quæ ſuo tempore Romanam vrbem cæcidit, viſibiliter de cęlo ſagittas peſtilētiales pluiſse; ita inquiēs Petro Diacono *lib. 4. c. 36. Dialog. to. 3. pag. 295. lit. A.* eius rei oculato teſti. *Ante triennium quoque in hac peſtilentia, quæ hanc vrbem clade vehementiſſima depopulauit, in qua etiam corporali viſu ſagittæ cælitus veniſſe, & ſingulos quoque ferire videbantur ſicut noſti.* Ita namque ſupremus cælorum, ac terrarum Imperator, vel ad ſuorum defenſiones, vel ad inimicorum perniciem, de cælo terriblies dat pluuias; quas & lapideas per ſuos prophetas ad impios delendos miſſurum comminatur.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

Rigat montes omnipotens, & miſericors Dominus, & de excelſis ſuis rigat, cum animam ſuarum gratiarum pluuia reſperſam ad fructum bonorum operum excitat. Quantum hæc pluuia in ſanctis profecerit, tot ſacræ teſtantur hiſtoriæ. Neque fluminis inſtar irrumpit, ſed ſtillicidia, imitatus pluuiæ, paulatim corda perfundit, ne magnitudine gratiarum mortale obruatur cor; ſed paulatim in virtutibus proficiendo tandem firmato, & perfecto ſpiritu, æternæ beatitudinis fructum in operum ſeminatione perficiat: Hanc pluuiam ſtulti deſpiciunt, qui in huius ſæculi aquis ſpem ſuæ fertilitatis ponentes, Auari præſertim, diuinam irrigationem aſpernantur. Hæc breuiter ſcripturarum, & ſanctorum Doctorum firmemus documentis.

SVMMARIVM.

1 *Gratia ſpiritus ſancti mentes ſanctorum irrigat.*
2 *Anima ſpiritualis de virtute in virtutem proficere debet.*
3 *Perfecti prius diuinarum conſolationum gratiam aſſequuntur.*
4 *Diues terrenis inhians, cœleſtia non curat.*
5 *Opera bona fructificant vitam æternam.*
6 *Gratia Dei, non noſtro labore anima virtutibus repletur.*

§. I.

Gratia ſpiritus ſancti mentes ſanctorum irrigat.

1 R*Igans montes de excelſis ſuis*: Aquarum pluuia de aeris ſublimitate deſcendens primum omnium montes rigat; ac ſalubri irroratione fæcundat: nam quæ cælo loca viciniora ſunt, citius cæleſtiū aquarum vtilitatem ſentiunt. Non abs re igitur in Eccleſia montes ſanctos dixerimus, qui inter humiles fidelium valles celſitudine ſanctitatis, & virtutum faſtigio ſubleuan-

uantur: hi tanquam cœleſtes animæ, immediatè diuinarum gratiarum pluuiam recipiunt. Porro inter ipſos ſanctorum montes Apoſtoli ſublimiores ſunt; & ſicut omnes conuallium irrigationes a Cælo per montes deriuãtur, ſic omnis cæleſtis gratia cordibus fidelium per Sanctorũ merita, & Apoſtolorum merita inſtillatur, Idcirco Propheta vt terræ chriſtianæ fæcunditatem bonorum operum, ex pluuia diuinæ gratiæ deſcriberet, prius Apoſtolorum montes irrigatos dixit: *Rigans montes de excelſis ſuis* optimè, & apertè D. Hieronymus *in Pſal.*103. *Rigans montes; hoc eſt Apoſtolos: de ſuperioribus ſuis, de cæleſtibus effundens eis ſpiritum ſanctum.*

2 In hoc omnis aquarum irrigatio adhibetur, vt terra fœcundetur ad fruges; & cœleſtis ſpiritus diuini irrigatio ſanctos replet ad virtutum agumentum. Hinc fit, vt ſupra ſanctorum Doctorum montes prius cadat aqua iſta, vt ſcilicet, ex eorum plenitudine populi etiam irrigentur. De huiuſmodi Doctoribus, doctrina, & ſanctitate conſpicuis, Syrachicus Ieſus inquit *Eccleſiaſtici cap.*15.*verſiculo* 3. *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*: quaſi diceret; cum reperitur in Eccleſia, ſeu terra Mons aliquis, vir ſcilicet doctrina & dignitate ſublimis, ſtatim diuinitus aqua ſpiritus ſancti ei conceditur, vt ſitim gratiæ expleat, infirma vitiorum extinguat, peccatorum maculas tergat, & ſibi, populiſque ſibi concreditis æternam ſalutem operetur. Neque enim decet rudes homines immediatè repleri illo ſpiritu, cuius adhuc virtutem, & dignitatem ignorant; & ideo montibus, hoc eſt ſanctis prius pro ſeipſis, & alijs conceditur. Haud multum Hugonis *Caren. Card. in Eccl. pag.* 188. *col.*3. expoſitio ab hoc diſcedit, inquit namque *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, ideſt gratia ſpiritus ſancti, quæ ſitim, & intima cordis vitiorum extinguit, & ſordes peccatorum lauat, & ſalutem æternam conferet.* Quam aquam Sancti Apoſtoli, Doctoreſque Eccleſiæ ſanctæ non pro ſe tantum, ſed etiam ad aliorum inſtructionem conſequuntur, nam montes adaquantur, vt valles re... nt.

3 Cum terra aridiſſima eſt, & præ nimia ſiccitate ſciſſa humiditatem in oris formam hyatibus apertis, quo poteſt modo expoſcit; vt Ouidius lib.2. Metamor.

...pitur flammis vt quæq; altiſſima tellus.
Fiſſaque agit rimas, & ſuccis aret ademptis.

Tunc nec leuis pluuia ad terram irrigandam ſat eſt, ſed flumina, eaque maxima requiruntur. Arebat mundus vitiorum flammis exuſtus, tunc cum per Gentilitatis errores infrænæ laſciuiæ, errorumque habenæ quocumque libuiſſet decepta ducebant corda. Cui malo occurrere, ſiccitatemque orbis reſtinguere cupiens Deus, gratiarum ſuarum flumina in montes, ſcilicet Apoſtolos, ac ſanctos viros miſit, & hoc ad lætificandam Terram: ideo dicebat: *Ioan.c.*7.*verſ.*38. *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quam fluminum vbertatem, vtilitatemque Propheta prænoſcens in ſpiritu cecinerat: *Pſal.* 45. *verſ.* 5. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Ad lætificandam enim Eccleſiam flumina requirebantur gratiæ, qui ſanctos replerent, vt alijs communicarent: Nam, vt D. Ioan. Chriſoſtomus *Hom.*50. *in Ioan. to.*3. *col.* 203. *lit.B.* ait. *Spiritus gratia cum menti illapſa eſt, eamque irrigauit, omni fonte vberius ſcaturit, numquam deficit, numquam vacuatur, numquam ſtat.* Fluit namque ad aliorum ſalutem; ſed expreſſius D. Auguſtinus *in Pſal.*45.*tom.*8.*pag.*171.*col.*1.*lit. D. Qui ſunt iſti impetus fluminis? Inundatio illa Spiritus ſancti, de qua Dominus dicebat: Qui credit in me flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Ergo hæc flumina fluebant de ventre Pauli, Petri, Ioannis, & aliorum Apoſtolorum: Hæc flumina cum fluant ab vno flumine, multi impetus fluminis lætificant ciuitatem Dei.* Flumina igitur gratiarum de ventre Procerorum Eccleſiæ exire debuerant, vt aridiſſimi mundi ſiccitatem temperare valerent; numquam enim niſi fluminis gratiarum impetus, gentium conuerſione Dei Ciuitatem Eccleſiam lætificare potuiſſent.

4 Inter alia documenta, quibus ſapientiſſimus Salomon iuuenes erudire conatur, ne falſa mundi huius imagine decepti, æternæ mortis damnationem incurrant; illud mirabile videtur, quod iubeat aquam bibere de puteo ſuo, eamque foras etiam alijs diuidere *Prouerb. cap.*5. *ver.* 16. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui: Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Quam eruditiſſimi Principis ſententiam ægrè capiemus, niſi comparatione aliqua explicemus. Agricolarum maxima curarum eſt, vt in excolendis eorum agris, & hortis aquæ penuria non laborent; vt autem æſtiuo tempore, vbi non ſuppetunt fluuiales aquæ, ijs non deſtituantur, prouida præuidenti cura aquas pluuiales, cum multæ in hyeme cadunt, in ciſternis, & puteis congregant: & in æſtate eas è ciſterna extractas per induſtrios canales ad agra ſua irriganda partiuntur. Haud ſecus cum Viro Sancto, vel Prælato agit ſapiens; Nam aquam cœleſtis pluuiæ, gratiam Spiritus ſancti in ciſternam ſui ſui cordis, & puteo ſui intellectus colligere iubetur; vt ſuo tempore, ab eo ſapientiæ fontes deriuati, corda fidelium gratificairrigatione fæcundent. Quod animaduertens Rupertus, ait; *lib.* 4. *cap.*6. *De Trin. & op. ei. tom.*1. *pag.*543. *col.* 2. *Bibe aquam de ciſterna tua &c. Quid eſt hoc dicere, niſi credendo in Chriſtum gratiam ſancti ſpiritus accipere, vt poſſis alijs ſalutarem doctrinam propinare?* Proprium enim montium eſt, non ſibi tantum, verum etiam vallibus pluuiarum irrigationem recipere. Ita Apoſtoli, ſancti, Doctores prius a Deo gratiam Spiritus ſancti recipiunt, vt fidelibus populis impertiantur.

§. II.

Anima Spiritualis de virtute in virtutem proficere debet.

1 RIgans montes de ſuperioribus ſuis. Pluuiarum irrigatio idcirco magis terræ vtilis eſt, quia non impetu veniens arborum, & Plantarum radices vel reuelat, vel lædit, ipſoſque detruncat ramos, ſed placido ſtillicidio guttatim decidens, paulatim infundendo fæcundat. Hoc & in gratiarum irrigatione ſeruat Deus; nam gratiam ſuam non ſtatim totam in Animam infundit, ſed paulatim, vt homo proficiens, ſicuti de vna virtute ad aliam virtutem aſcendit, ſic de minori ad pleniorem gratiam aſcendit. Debet igitur aduertere Chriſtianus, ne ſimul omnium virtutum acquiſitionem ſuſcipiat, nam ſic impotens ad ſuſtinendum laborem nullam capiet, ſed Deum imitatus, ſicut ille a minori ad maiorem gratiam perducit, ſit ſpiritualis anima vnam poſt aliam virtutem acquirere conetur. Docet hoc Prophæta cum dicit: *Rigans montes*: vbi Incognitus. *Rigare enim dicitur Deus corda noſtra, quando gratiam ſuam deſuper immittit; ſic enim irrigata ſatiatur terra, quia de virtute proficit in virtutem.*

2 Quòd ſi Terræ plantas producenti, ac ſemina germinanti, proficientem in ſpiritu animam comparamus, ab ipſa terra modum proficiendi diſcamus. Terra igitur non illico veluti in inſtanti plantam producit, ſed paulatim; prius enim ſemen ad germinandam diſponit, inde imbellem truncum, & auris inualidè reſiſtentem producit, poſt altius extendit, firmat, frondibus exornat, fructibus tandem

Digitized by Google

dem ditat, omnia debitis ſpatiis aſſurgentibus; & quo diuturnius Planta viuere debet, eo tardius excreſcit, & ad debitam menſuram peruenit. Ad noſtram eruditionem id conducit, ne ſtatim tenellam plantam, quæ heri inter terrenas delicias, veluti ſemen detinebatur incluſum; præſumat hodie ad poſtremum virtutum culmen deducere; hoc enim errorem ſapit. Hoc exemplum meo mente ad inuentum non protuli, ſed ab ipſo piaſſimo Saluatore, ac Domino noſtro Ieſu, accepi, qui illud docuit *Marc. cap. 4. verſ. 28. Terra vltro fructificat primum herbam deinde ſpicā*. Cuius ſenſus interpratatus Magnus Gregorius, *lib. 22 cap. 14. mor. pag. 815. lit. E.* docet. *Ecce Veritatis voce per qualitates frugum diſtincta ſunt incrementa meritorum, ait enim: Primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. An non herba tunc adhuc fuerat Petrus, cum Ancillæ ab ore ſubito vnius flatus ſermone inflexus eſt? iam quidem per deuotionem viridis, ſed adhuc per infirmitatem tener. Plenum vero frumentum in ſpica inuentus eſt, quando perſequentibus Principibus reſiſtebat dicens: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Quis ergo Petro perfectior erit, qui adhuc in ſpiritu tener magnas vitiorum pugnas ſimul valeat ſuſtinere? Nemo ſanè; non ergo ſtatim perfectiſſimus acquiritur ſtatus; ſed de virtutes in virtutem progrediendum eſt.

3 Virtutum meritis, ac meritorum floribus creſcit iuſtitia; hæc tamen iuſtitiæ germinatio, non cuicumque vulgari plantæ, ſed Palmæ aſſimilatur. Palma namque longo temporis tractu creſcit, donec ad debitam altitudinem perueniens fructus edat: & inſuper cum tenuia habeat initia, culmina maxima habet; eius namque truncus prope radices ſtrictior, prope culmen latior eſt, creſcendo enim paulatim dilatatur. Anima chriſtiana aſſimilatur Palmæ; de qua ſapiens: *Cantic. cap. 7. verſ. 7. Statura tua aſſimilata eſt Palmæ*: Atque hanc ſimilitudinem etiam Pſaltes Iuſto in virtutibus proficienti attribuit, dicens: *Pſal. 91. verſ. 13. Iuſtus, vt palma florebit*: Quapropter modum creſcendi eius Arboris imitari debet, de virtute in virtutem progrediendo, vt quanto ſublimius per perfectionem aſſurgit, tanto humilius circa radicem per ſui cognitionem attenuetur. Audiamus de hoc diſſerentem Romanum Gregorium *in cap. 7. Cantic. tomo 2. pag. 1225. lit. A. Palma quippe dum creſcit, deorſum ſtringitur, & surſum dilatatur. Sic ſancta Anima ab imis ad minima incipit, & paulatim ad maiora creſcendo, vſque ad amplitudinem perfectæ charitatis peruenit: nemo enim (vt ſcriptum eſt) repentè fit ſummus.* Sicuti enim Palma nonniſi poſt ſæculum debitam ſtaturam acquirit, ſic Anima poſt longas exercitationes ad ſanctitatis culmen pertingere valebit.

4 Temeritatis profecto arguendus eſt, qui vix ſæcularibus occupationibus dimiſſis, & initiis vitæ ſpiritualis a limine ſalutatis, ſtatim ſe & perfectum putat, & ſummum contemplationis apicem appetere non erubeſcit: Vidiſtine aliquando debilem plantulam nondum firma radice, ac valentibus ramis nimis accretam, vento diſruptam? talem Animam dicito, quæ ſtatim ſe putat perfectam vix perfectionis iter aggreſſa; & reputat facilè ſibi exclamare cum perfectiſſimis ſponſis ad Deum: *Cantic. cap. 1. verſ. 1. O ſculetur me oſculo, oris ſui.* Qui modo a ſæculi vanitate conuerſus, ſentit animam vitiorum pondere oppreſſam, ac mentem ſæcularium Phantaſmatum inumbratam, quomodo petit oris oſculum? Quomodo cæcutientibus oculis Solis Iubar intrueri præſumit? Sat erit, ſi pedes oſculandi detur locus, remiſſionem peccatorum impetrando, aut ſaltem ad manus, gratiam a Deo promerendo; ſed ad os, ad ſponſæ fauorem, niſi ſe diu in pœnitentiæ lamentis, ac virtutum acquiſitione exercuerit, accedere non præſumat; vt D. Bernardus hortatur *ſerm. 3. in cant. pag. 134. lit. M. Non temerè aſſurgat ad os ſereniſſimi ſponſi, ſed ad pedes ſeueriſſimi Domini mecum pauida iaceat; & cum publicano terram tremens, non cælum aſpiciat: ne confuſa in luminaribus cæli, facies aſſueta tenebris, opprimatur a gloria, atque inſolitis reuerberata ſplendoribus maieſtatis, denſioris rurſus cæcitate caliginis obuoluatur. Nolo repentè fieri ſummus, paulatim proficere volo.* Animam ergo ſtillatim pluuiarum more virtutibus irrigemus, vt paulatim creſcendo bonorum operum fructibus fæcundetur.

5 Electurus Apoſtolos ſuos Dominus ſolus in montem aſcendit, & poſt longam orationem, electione completa, cum deſcendiſſet de monte, & campeſtri loco ſtetiſſet, a copioſa hominum multitudine circumdatus fuit, qui omnes ad eius doctrinam audiendam, ac animarum, corporumque ſalutem impetrandam conuenerant. Ita Lucas *capite 6. verſiculo 17. Et deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant, vt audirent eū, & ſanarentur a languoribus ſuis.* Hic dubius ſiſtit Ambroſius, quæritque, cur tota illa multitudo diſcipulorum, & populorum non aſſcendit in montem, vt ibi Redemptoris monita, & gratias reciperent? Neque enim tam laborioſum iter ad illum referebat, vt ſaltē valentiores illorum ad ipſum peruenire non potuerint. Verùm ad noſtram eruditionem id factum dicit; vt ſcilicet noſceremus, non debere nos ſtatim conſcendere perfectionis montem, ſed prius purgare animam noſtram a vitiis, & paulatim in illam virtutes inducere, vt cum electis Apoſtolis tandem perueniamus ad ſupremum contemplationis montem. *Quomodo enim turba niſi in humili Chriſtum videret? Non ſequitur ad excelſa, non aſcendit ad ſublimia, &c. Hinc et iam Mattheus docet in inferioribus debiles eſſe ſanatos. Prius enim vnuſquiſque ſanandus eſt, vt paulatim virtutibus procedentibus aſcendere poſſit ad montem.* Hæc D. Ambroſius *lib. 5. in Luc. c. 6. tom. 3. pag. 40. lit. C.* Ad menſuram ergo pluuiæ cœleſtis, nos etiam paulatim proficiamus, vt æterna felicitate digna opera germinemus.

§. III.

Perfecti prius diuinarum conſolationum gratiam aſſequuntur.

1 RIgans montes &c. Myſterio nō vacat quòd Propheta pluuiarum irrigationem commemorans, cum terra vniuerſa hāc vtilitatem percipiat; ipſe nihilominus, quaſi Cœlorum cœnacula in ſolis montibus fæcundandis exinanirentur; ipſos ſolummodo recenſet, inquiens: *Rigans montes de cænaculis ſuis.* Verum illud aduertendum occurrit, quòd licet vniuerſa irrigetur terra, Montes, etſi non ſoli, primi tamen Pluuiarum beneficia ſentiunt; nam ipſi tanquam Cælo viciniores prius ſuperiori aqua perfunduntur. Montes In Eccleſia ſunt ſpiritualiores, ac magis perfecti, qui valles humanarum deliciarum aſpernantes, alta diuinorum cōtemplatione in Cęlum extolluntur; & hi vtique ſunt, qui diuinam irrigationem primitus ſentiunt, nam ægrè poterit cœleſtes conſolationes haurire, qui humi adhuc in huius mundi ſerpens amore, Mons effici appetendo cæleſtia non laborat. Ita D. Hieronymus. *Rigans montes de cænaculis ſuis; Niſi enim quis Mons fuerit effectus, & ad altiora ſurrexerit, pluuijs Domini non irrigabitur.*

2 Dominus Cælorum, qui in altiſſimis habitans ſuper Cherubim ſedet, & Seraphim aſſiſtentes habet in ijs mentibus maximè delectatur, quæ reliquas perfectione antecellunt. Quapropter ſemper cum inter ho-

mines apparuit, ſuper altitudinem montium viſus eſt: ſic, vt iam vidimus, Montes Sinai, Oreb, Sion; &c. Dei preſentia decorati extolluntur. Hoc autem ideo factum eſſe arbitror, vt ſciremus, illos immediatè a Deo ſuis gratijs repleri, qui montes ſunt, ideſt qui perfectiores, & digniores ſunt; & merito ſuæ altiſſimæ contemplationis Deo dignum habitaculum ſubminiſtrant, vt ab illis in inferiores deſcendant. Hoc indicatur in ſacro Epithalamio, in quo cum ſacra ſponſa ſui dilecti ad ſe reuerſionem optaret ipſum ceruis ſuper Montes Bethel ſtantibus aſſimilat: *Cantic. cap. 2. v. 17. Reuertere ſimilis eſto caprea, hymnuloque Ceruorum ſuper Montes Bethel*. Eccleſiæ militantis cœleſtem ſponſum inuitantis vox iſta eſt; & quia optimè nouit, non omnes diuinæ gratiæ plenitudine dignos eſſe, Montes commemorat, vt ſaltem perfectos, & contemplatiuos immediatè illuminare, & ſua viſitatione replere dignetur, vt inde etiam ad infirmiores gratiarum pluuia deriuetur: ita ſentire videtur Cardinalis Hugo *in Cant. pag. 188. col. 3. Similis eſto capreæ, hymnuloque ceruorum, ideſt velociter reuertaris: ſuper montes Bethel, ideſt in excelſis mentibus Perfectorum, per quos cum aſcendis, & appares etiam minoribus, qui ſunt Bethel, ideſt Domus conſurgens*. Domus enim dum nondum ad deſtinatam celſitudinem completur, ad inhabitandum inepta eſt; ſic imperfecti; & incipientes Dei pluuiam immediatè non capiunt, ſed Perfecti, qui Domum Dei perfectam conſtituunt.

§. IV.

Diues terrenis inhians cœleſtia non curat.

1 R*igans montes de ſuperioribus ſuis.* Omnis Animæ fertilitas in eo conſiſtit, vt de excelſis, & cœleſtibus aquis irrigata, fructum bonorum operum reddens, diuinis conſolationibus repleatur; nihilominus ea eſt naturæ noſtræ fragilitas, vt eas, quæ veræ deliciæ ſunt, aſpernantes homines, ſenſualibus inuoluti delectamentis, terram, de qua ficti ſunt, tantummodo ſapiant, tanquam ſi nec Anima immortalem expectaret vitam, neque corpus corruptionis imperio ſubiaceret. Hinc omnium illuſio ſenſuum deriuatur; quæ ipſam cæcutientem voluntatem, mente voluptatis titillatione corrupta, ad prona deſideria flectit. Cumque expleri niſi terrenis non putet, cæleſtium aquarum irrigationem non curat. Inter omnes vero mundialium cupiditates, nulla eſt, quæ Auaritia nequior, & indignior cordis affectu reperiatur; dum aliæ vel delectando decipiunt, Auaritia vero etiam torquendo delectat; & cum plus pecuniis repletur plus ſitiat, nec ijs, quas poſſidet, frui conceditur. Vana profecto, & inutilis auri cupiditas, quæ & cœleſtem irrigationem perdit, & terrena non ſaturatur. De hac Cardinalis Prædicator. *Rigans Montes de ſuperioribus ſuis: Multi ſunt qui non curant irrigari de ſuperioribus, ſed tantum de inferioribus; ſecundum quod dicit Poeta,*

Det vitam, det opes, æquum animum ipſe parabo.

& Gen. Fluuius Gehon irrigat terram Ægipti: Gehon interpretatur hiatus terræ, & ſignificat Auaritiam, quæ hiat ad terram ſorbendam. Non igitur pluuias cœleſtes amat, qui ægiptiacis fluuijs irrigatur.

2 Sereniſſimus, ac ſanctiſſimus Iſraelitarum Monarcha in quodam Pſalmo de huiuſmodi hominibus loquens ait: *Pſal. 33. verſ. 10. Diuites eguerunt & eſurierunt*: Hoc tamen vero abſimile videtur; quomodo Diuites egere poſſunt? Pauperes egent, quibus nulla ſuppeditatur delicies, cum vix ad neceſſitatem habeant, non verò Diuites; quandoquidem Auri potentia omnia ſuperat, & qui diuitijs affluit, nec ad edendum pretioſitate ciborum, nec ad luxum ſumptuoſitate veſtium, nec ad quieſcendum morbiditate culcitrum, nec ad fruendum voluptatibus caret: emit namque ab humilibus obſequium, ab æqualibus honorem, a potentibus fidem; Diues enim quidquid ſimplici verbo proferat fidem in audientium auribus facit; cum & pauper etiam ſi iuramento ſuam firmet ſententiam, nec ad proferendum inuenit locum: *optimè* cecinit Iuuenalis Sat. 3.

Quantum quiſq; ſua nummorum ſeruat in arca.
Tantum habet & fides. Iures licet & Samothracum,
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos. Diis ignoſcentibus ipſis.

Quomodo ergo Rex ſanctus egere Diuites affirmauit? Egeni equidem ſunt, inquit Leo Magnus; quia propter aquam fluminis quæ tranſeundo rigat, pluuiarum irrigationem perdunt; nam propter huius mundi temporanea delectamenta, æternã gloriam amittunt; cumque vltima aduenerit hora, a ſuis derelictii diuitiis omnium indigentes reperiuntur *ſerm. 5. de collect. pag. 6. col. 1. Huiuſmodi Diuites egentiores ſunt omnibus egenis. Perdunt enim illos reditus, quos poſſunt habere perpetuos: & dum breui, nec ſemper libero, incumbunt vſui, nullo iuſtitiæ cibo, nulla miſericordiæ ſuauitate paſcuntur; foris ſplendidi, intus obſcuri; abundantes temporalium, inopes æternorum.* Sic ſtulti dum diuinam reſpuunt irrigationem perpetua ſiccitate conſumuntur.

3 Cum nimio cibo, potuque repletus eſt ſtomachus, quem digerere non valet, nec fameſcere vtique oppletis partibus, poteſt, nec vbi nocuum recipiat cibum *habet*; ſic Auari delicijs repleti terreſtribus, vbi gratiam Dei recipere poſſint non habent. Quærebat aliquando Regius Pſaltes ab hominibus, quare diligerent vanitates, & delectarentur erroribus: *Pſal. 4. verſ. 3. Filii hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Præſertim cum videant Dei ſeruos æternis deliciari in gloriis. Cauſam tandem ſe repeiſſe ſubdit; Quod ideo homines diuina non curent, quia terrenis ſunt repleti; & diuitiis, ac voluptatibus ſaturati, eſurire cœleſtia non valent, ideo inquit: *verſ. 8. A fructu frumenti vini, & olei ſui multiplicati ſunt.* Non mirum ſi hidropicus, (ita ſentire videtur Propheta) qui aquis repletus eſt omnia odio habens ſolam aquam ſitiat, mortem enim ſimilitudine ſatietatis appetit, illud amat quod nocet; nam aqua flammis exitialibus ardens, exiccat potius quam humectat, & noua aqua nutrit ardorem, non extinguit. Ita Auarus qui omnibus bonis plenus eſt, ſemper ſitit quæ habet, & deſiderare cæleſtia neſcit. *Talis anima*; docet D. Auguſtinus: *in Pſ. 4. tom. 8. pag. 10. col. 2. lit. B. temporalium bonorum deceſſione, & ſucceſſione, ideſt a tempore frumenti, vini, & olei ſui, innumerabilibus completa phantaſmatibus, ſic multiplicata eſt, vt non poſſit agere quod præceptum eſt, ſentite de Domino in bonitate; & in ſimplicitate cordis quærite illum; iſta enim multiplicitas illi ſimplicitati vehementer aduerſa eſt.* Sic ſaturata torrentibus pluuias non admittit.

4 Solet agricola, vt irroratio plantas iuuet, circa eas fodere, vt terræ ſoliditas aquis penetrationem ad radicem non impediat. Ita prorſus cæleſtis ille Agricola, de quo dicitur, *Pater meus Agricola eſt*; plantas ſeruorum ſuorum fodit, & emollit corda, cum ab amore diuitiarum ſeparat, vt ſic validius gratiæ pluuiam in cordibus recipiant. Id nos apertè docet apud Mattheum: vbi narrat, quod quidam Adoleſcens in legis obſeruatione fidelis, cum de peccato conſcientiam grauem non cerneret, vlteriorem perfectionem inquirebat; quod Saluatori aperiens, hoc audiuit reſponſum: *Matth. cap. 19. verſ. 21. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Non ergo poterat diues vltimum perfectionis complementũ conſequi? maxima cum difficultate, nam diuitiæ

Digitized by Google

ita cor claudunt, vt in illud pluuiæ diuinarum conſolationum introire non poſſit; Animus in terrenis occupatus affectibus, ad cœleſtia contemplanda difficilè aſſurgit: nam Deo ſimul, & diuitiarum cupiditatibus deſeruire fragilitas humana non poteſt: Quomodo enim cogitatio vel in congregando, vel in conſeruando auro, argentoque occupata, in Dei contemplatione proficiet? Bene hoc nouerat D.Valerian.Cemelienſ. epiſ. *Hom. 2.pag.728.col.2. Non ſine cauſa autem dicit Dominus: Relinque bona tua, & ſequere me: Bona iſta, dilectiſſimi, mala noſtra ſunt, terrenis actibus enutrita; quibus dum aliquanti nimium ſeruiunt, cæleſtia perdiderunt.* Fodiamus ergo noſtri cordis terram ligone charitatis, vt amor diuinus omnem diuitiarum terram abijciens, cœleſtem irrigationem facilius in animi ſecretiora introducat.

5 Fatuitas profectò eſt huius mundi diuitijs cordis affectum donare, quæ ita fallaces ſunt, ita labiles, vt vix poſſideantur cum amittuntur. Meritò præſentem vitam breui ſomnio comparauerim. Dum aliquis ſopore deprimitur, & ficta imagine ſomnij lætatur, quā cernit ſe innumeras congregaſſe diuitias, vel abſconditos inueniſſe theſauros, tunc gaudet, lætatur, fruitur tot inuentis bonis; verùm hoc gaudium cum expergiſcitur euaneſcit; nam fugiente cum ſomno Inſomnio, nihil eorum, quæ putabat ſe poſſidere, habet. Diuitiarum viri, cum totos ſe illarum amori dederint, putant ſe beatos, nil indigere, omnia ad votum contingere, neque ſupernam aquam ad fructificandam æternitatem veri gaudij, procurant; neſciunt enim ſe in breui præſentis vitæ requie ſomniare; ſed cum hora properante mortis euigilant, ſe a diuitiis derelictos, & gratia deſtitutos, omnino pauperes deplorant: in ſeipſis verificantes, quod multis ante ſæculis prædixerat Pſaltes: *Pſal.75.verſ.5. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis.* Vbi D. Auguſtinus huius ſęculi amatoribus deridens inquit, *in Pſ. 75. pag. 339. col. 2. lit. D. Amauerunt præſentia, & dormierunt in ipſis præſentibus, & ſic illis facta ſunt ipſa præſentia dulciora; quomodo qui videt per ſomnium inueniſſe ſe theſauros, tamdiù diues eſt, quamdiù non euigilat; ſomnium illum diuitem fecit, euigilatio pauperem fecit.* Somniatas delicias amare, & veris præferre, ſtultitia eſt.

6 Diuinus Medicus tunc præcipuè ſuæ gratiæ medicamen adhibet cum maxime languet Ægrotus; itaque eo tempore dominica incarnatio operata eſt ad ſaluandum mundum, quo in maiori neceſſitate verſabatur. Quænam autem validior neceſſitas fuit, & quod morbum adeo malignum, quod feſtinato aduentu omnipotentem medicum de Cælo deduxit? Non niſi diuitiarum, & temporalium rerum affluentia, quæ hominem ita impleuerat, vt cœleſtia non ſolum non appeteret, ſed nec eorum memoriam conſeruaret. Domini aduentum recolens Apoſtolus hanc cauſam inſinuaſſe videtur: *Ad Galatas capite quarto, verſiculo quarto, At vbi venit plenitudo temporum miſit Deus filium ſuum*: in plenitudine temporis Deus venit, ideſt, cum temporalium rerum plenitudo æternitatis fecerat obliuionem; vt Diuus Bernardus fatetur *ſerm. 1. de Aduent. pag. 2. lit. C. Quando ergo venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum: Nimirum multitudo, & abundantia temporalium obliuionem fecerat æternorum: opportunè ergo tunc venit æternitas, quando temporalitas præualebat.* Vlterius progredi ſcelus humanum non poterat dum eò peruenerat, vt propter terrenarum rerum abundantiam paruipenderet cœleſtia, & induratum cor diuitiarum pluuias non admittebat.

7 Formicarum reſpublica poteſt quidem diligentiam, & ſolertiam homines docere, vt quæ labori minimè parcens, cum tempus permittit eſcam ſibi præparat in futurum; verum in hoc ipſo prouidentiæ ſtudio, auiditatis etiam vitium præualet; nam Animal breuiſſimæ vitæ, quippe quæ triennium vix attingat, tot præparat eſcas, quot ad plura luſtra ſatis eſſent. Error hic eſt Auarorum hominum, qui optime ſcientes vitam humanam breui ſpatio terminari, ac ſi æternitati conuiuerent, a congregatione diuitiarum non ceſſant: & cum multas congregauerint gaudent, neſcientes, ſtulti, in Ianuis mortem adeſſe, & illis frui, quæ inani cura collecta ſunt, amplius non licere. Huius farinæ homo, apud Lucam, cum ex anni fertilitate, vberes ex agris ſuis fructus accepiſſet; Animam ſuam ad lætitiam, his dictis prouocabat; *cap. 12. verſ. 19. Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Loquebatur autem ac ſi inito pacto cum morte de longitudine vitæ ſecurus eſſet: verum illi de cœlo dictum eſt: *verſ. 20. Dixit autem illi Deus: ſtulte hac nocte repetunt animam tuam a te; quæ autem paraſti cuius erunt?* Stultus quidem erat qui tot ſibi promittebat annos, ne vna quidem integra nocte victurus: quare exclamat Chriſologus *ſerm. 104. pag. 341. col 1. Stulte: bene ſtulte, quia ſibi totum de carne fuerat, nihil de corde: bene ſtulte, quia migraturæ mox animæ condita ſatis longa præparabat. Hac nocte animam tuam repetunt a te: Conuenienter hac nocte, quia fugiens miſericordiæ lucem, auaritiæ tenebris ſe mancipat.* Videte hominis inſaniam, occupatus in congregandis diuitiis in multos annos, quos videre non debebat; diuinam gratiam paruipendit, cuius propinquante iam morte indigebat.

8 Agricola, qui ſciens marinam aquam detrimento plantis eſſe, nam ipſas comburendo conſumit; nihilominus falſa cupiditate deceptus, abundanter marinis fluctibus ipſas perfunderet, pluuiarum irrigatione neglecta, ſtultitiæ vtique arguendus eſſet. Illi Auarus haud abſimilis, qui cum poſſit pecuniis erogatis ineffabilem Dei gloriam comparare, mauult ob illarum amorem propriam perditionem enutrire. Adumbratur hoc, ni fallor, in ſeruo illo, qui cum ſibi a Domino dimiſſum debitum gratularetur, a conſeruo ſuo paruam argenti quantitatem exigere non eſt veritus: & licet hoc facto Domini indignationem, ac gratiæ amiſſionem incurrere poſſet; hæc omnia argenti cupiditati poſtpoſuit; & *Tenens ſuffocabat eum, dicens, redde quod debes*; Ita enim excæcatus cupiditate erat, vt nec propriæ ſalutis memor ſolas pecunias appeteret. Egregiè Chriſoſtomus *Hom. 55. ex var. in Matth. tom. 2. col. 1022. lit. B. Ille propter auaritiam, & crudelitatem, & rancorem eiiciens, erat fera moleſtior, ſuffocans conſeruum. Quid agis homo? non animaduertis te mucronem in te ipſum agere, ſententiamque & donum reuocare? Sed horum nihil cogitauit, neque ſui recordatus eſt, neque remittit: licet non de pari eſſet ſupplicatio.* Quis hominis væſaniam non miretur, ſeipſum potius quam pecuniam perdere cupientis? Quo vltra progrediatur non habet.

9 Mattheus antequam diuinitus ad Dei gratiam ſubleuaretur, ad telonium ſediſſe commemoratur: *Matth. cap 9. verſ. 9. Vidit hominem ſedentem ad telonium Mattheum nomine.* Nec inueſtigatione indigna eſt ſeſſio iſta, cur potius ſedere dicatur hic publicanus quam ſtare: cum enim inter diuitias reperiretur, ita putabat ſe omnibus aquis mundialium bonorum repletum, vt diuinæ gratiæ aquam non curaret; idcirco ſedebat, quia ex ſe ſurgere ad cæleſtem irrigationem non poterat; tanta eum fallax opprimebat aqua, vt amplius non ſitiret, nec ſuam noſceret indigentiam. Quomodo deſideraret diuina qui tot humanis opibus affluebat? ſedebat, quia abundantia ſatiabat, copia reficiebat. *Mattheum publicanum*, ait Diuus Petrus Chriſologus, *ſer. 28. pag. 272. col. 2. Diuitiæ ſic cupiditatis publicabant magiſtrum,*

fornace auaritiæ ſic coquebant, ſic alligabant vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iuſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret, Vnde, & ſedere eius erat iam ſubſidere non ſedere. Abſcedat a noſtro pectore diuitiatum cupido, quæ pluuiam cœleſtium aquarum negligere docet, vt his, qui inter diuitias quieſcebat fecerat.

§. V.

Opera bona fructificant vitam æternam.

1 DE *fructu operum tuorum ſatiabitur terra*: Agrorum fructificationi cæleſtes diriguntur aquæ, vt ſcilicet nubibus irrorantibus fæcundatæ fructum hominibus, beſtiiſque temporibus ſuis reddant. Agri Eccleſiæ homines ſunt, qui quotidie pluuijs gratiarum a Deo ſaturantur; vt ipſi viciſſimè rigatis cordibus fructum bonorum operum reddant, quibus Eccleſia repleatur; & ipſa anima ſibi in cæleſtibus horreis repoſita grana colligat, in æternitate victura. Quis neſciat Terram illam, quæ diù effoſſa, & rigata, fructum non reddens, laborem ſterilitate compenſat, ab agricola deſeri, vt vepribus, ſpiniſque repleta ignibus tandem aliquando tradatur? Hæc meretur anima, quæ doctis exhortationibus foſſa, cœleſtibus inſpirationibus culta, diuinis gratijs irrigata bonorum operum fructum dare non ſatagit. Bona ergo opera quaſi ſemina ſunt, quibus beatitudinis fructus producitur, quo anima ſancta perenniter ſatietur. Ita ſentit eminentiſſimus Prædicator. *De fructu operum tuorum; ideſt de fructu, qui ſequitur ex operibus, quæ ſunt quaſi ſemina, & eorum fructus vita æterna. De quo fructu ſatiabitur terra, ſcilicet corpus, & anima.*

2 Si quis agriculturæ ignarus colonum obſeruaret, dum ſemina condit in terris; ſtuperet vtique, videns tam liberali manu frumenta inter glebas proiicere; ſed magis tempore meſſis admiraretur tot ex ſingulis granis ſpicas colligi. Similis eſt ſtulto admiratio, dum videt Animam Deo inſeruientem liberaliter mundanas voluptates abiicere, in pauperes erogare diuitias, etiam a licitis temperare voluptatibus, & inceſſantibus laboribus macerare corpus; ſed in nouiſſimo dierum admirabitur magis, aſpiciens gloriam inenarrabilem æternitati copulatam, huiuſmodi operum fructum eſſe. Hoc in Geneſi indicatur, nam promittens Abrahamo Deus cœleſtem terram, hæc habet: *Geneſ. cap. 13. verſ. 15. Omnem terram, quam conſpicis tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Hic non de mundana terræ poſſeſſione, ſed de cæleſtis patriæ acquiſitione loqui, vel ex eo colligitur, quod ſempiterna nominatur; etenim cum mundus aliquando finem habiturus ſit, profecto cæleſtis eſt poſſeſſio, quæ publicatur æterna. Sed cur gloria hæc non promittitur Abrahamo ipſi, ſed ſuo ſemini; *Et ſemini tuo vſque in ſempiternum?* quia licet ipſi danda eſſet, nihilominus ob opera ſua bona ei debebatur; ſemen ſuarum virtutum hanc produxerant æternitatis ſegetem D. Bernardi ſententia eſt *ſerm. de Conu. ad Cleric. cap. 15 pag. 202. lit. C. Non enim opera noſtra tranſeunt, vt videntur, ſed temporalia quæque veluti æternitatis ſemina iaciuntur. Stupebit inſipiens, cum ex hoc modico ſemine copioſam viderit exurgere meſſem*: Fæcunda terra eſt, quæ huiuſmodi ſemina, ex diuinæ gratiæ rore in fructum multiplicat æternitatis.

3 Huic etiam conformis illa Dei promiſſio Regio Vati facta, eſt. Cum enim ille diuinis inhærens mandatis, multa digna præmio opera compleuiſſet, ac virtutes amplexus eſſet inſignes, Inimicis parcens iram coercendo, Delicijs haud indulgens, carnem macerando, Dei laudibus aſſiduus noctu diuque canendo, peccatis indignatus fletibus ea delendo; pœnitens ipſa cinere non tam caput aſpergendo, quam panem coagulando; miſericordia motus pauperes paſcendo, Iuſtitiæ amans aliena detrectando, omnibus beneficus, nulli moleſtus, gratus amicis, Deo deuotus; Iuſtam operibus tantis mercedem reddere cupiens Dominus, dixit. *Pſal. 88. verſ. 4. Iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum.* Vt enim intelligeret, opera ſeminando virtutum, æternitatis fructum germinaſſe nomine ſeminis vſus eſt, vt Hugo fatetur *in Pſal. 88. pag. 230. col. 4. Semen ſunt opera, quæ vſque in æternum præparantur, cum non ſunt ſumpta praua intentione, ſed ad æternam retributionem ordinantur.* Neque Dauidi ſolum, ſed omnibus idem promittitur fructus, qui eius opera imitantur.

4 Licet autem omnia opera bona ſeminis nomen conuenienter ſuſtineant, principalius tamen eleemoſinæ congruit, per quam cum bona pauperibus erogantur, quaſi quædam ſemina terræ mandata ſunt, vt Beatitudinis ſegetem producant: imò non quæcumque ſemina ſunt, ſed triticea, quæ electorum frumentum germinant in æternitate. Quod optimè noſcens Apoſtolus Corinthios admonens ad opera charitatis, & egenorum indigentiam ſubleuandam, huiuſmodi fructificationis meminit, dicens *2. Corin. cap. 9. verſ. 10. Multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*: Neque enim tantummodo ipſius eleemoſinæ fructũ auget, ſed reliquarum etiam virtutum; & ideo comparatione ſeminis vtitur; vt placet Chriſoſtomo *Hom. 20. in 2 ad Corint. to. 4. col. 726. lit. A. Quo fit, vt eam ſemen quoque aſſidue appellet: vt enim triticum conſitum florentes ſegetes reddit; ita etiam eleemoſina ingentes iuſtitiæ manipulos efficit, atque ineffabilem ſegetem edit.* A quo ſententiam mutuatus Lyranus, inquit. *Et multiplicabit ſemen veſtrũ; ideſt facultatem, & vtilitatem eleemoſinam faciendi; & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ: ideſt mercedem, quæ ex hoc in Patria colligetur.* En parum ſeminis quantam meſſem producit.

5 Multum ad fructificandum iuuat, qua in terra condantur ſemina; non enim arida, ſpinoſa, lapidea, ſed bona fructum reddet optatum: propterea monebat Dominus *Matth. cap. 6. verſ. 20 Theſaurizate vobis theſauros in cælo*: Quaſi diceret: opera virtutis, quæ inceſſanter exercetis, cauete ne hypochritarum more propter hominum laudem operantes, deſiccatum pereat ſemen, ſine cœleſti pluuia aridum; ſed reponite in terra cœleſti roræ perfuſa, ſolummodo cæleſtem retributionem præ oculis habentes: filios fructus nomen etiam habent; quos vt in tuto collocaret cæleſtis quædam anima, ſub nomine turturis adumbrata, *in ipſo* Dominico Altari repoſuit *Pſal 83 verſ. 3. Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos, Altaria tua Domine virtutum.* Prudens auis, quæ ne ſuorum laborum perderet fructus, in ſpe cœleſtis beatitudinis collocauit. Hanc celebrat his verbis purpuratus Hugo *in Pſ. 83. pag. 220. col. 1. Turtur, ideſt Anima pænitens, & gemens; inuenit nidum ſibi, ſcilicet æternum tabernaculum: vbi reponat pullos ſuos, ideſt opera bona ne perdantur. Quia tum ibi reponuntur, quando in ſpe retributionis æternæ efficiuntur. Hoc eſt, quod monebat Dominus Matth. 6. Theſaurizate vobis theſauros in Cælo.* Theſaurus in agro abſconditus eſt, dum in ſpe cœleſtis dilectionis colitur, & cæleſtibus pluuijs fæcundatur.

§. VI.

Gratia Dei, non noſtro labore Anima virtutibus repletur.

1 DE *fructu operum tuorum ſatiabitur terra*: Inanimis terra cum ſit, dum aqua pluuiali fœcundata fructum ſuum producit, id non cognoſcit: ſi autem ſenſu prædita eſſet, nequaquam de fructuum germinatione gloriaretur; etenim parũ eſt quod terra præ-

ſtat,

ſtat,nã & aer, & aqua, & colonus,& ſuper omnia Deus potiorem cauſam fructificationis agnoſceret. Nos ergo qui ratione haud caremus, de his omnibus bonis, quæ Deo dante, ac diuina gratia comitante perficimus, Deo gloriam dare debemus, non nobis, de cuius munere accepimus quæcumque bona operati ſumus. Hoc nos docere Propheta cupiens Deum alloquens, inquit: *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra*: non ait, *operum ſuorum*, ſed *tuorum*; opera terræ Deo tribuens, quia ſine eius gratia cum nihil fieri poſſit, quidquid fit boni, Dei eſt. ita D. Auguſtinus. *Tuorum inquit; nemo enim gloriari debet in operibus ſuis, ſed qui gloriatur in Domino glorietur, de cuius gratia ſaturatur terra*. Quæcunque enim ad ſalutem operamur, non noſtro labore, ſed Dei gratia perficimus.

2 Vates regius, cum ad Deum, quem offenderat, ex toto corde reuerti concupiſceret, & hoc ſine Dei auxilio facere non poſſet, ad ipſum inceſſanter clamabat: *Pſal. 50. ver. 11. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis*. Quibus in verbis modum loquendi Prophetæ aduertere oportet, qui ſibi nouum cor, & nouum ſpiritum poſcens, hanc innouationem, ſeu vitæ in melius mutationem, creationem vocat: *Cor mundum crea in me Deus*: Fortaſſe non ſufficeret dixiſſe, produc, da, innoua &c. quod vtitur creationis verbo? Non, inquam; inter creationem, & generationem hæc eſt differentia, quod generatio fit dependenter a ſubiecto, e cuius potentia educitur forma; creatio verò fit immediatè a Deo, nullo ſubiecto concurrente, ſed ex nihilo. Voluit ergo Deus, quod gratia, per quam peccator iuſtificatur, creari, & non educi de potentia Animæ, vt ſcilicet ex hoc cognoſceret homo, ſe nullam habere partem, niſi merè paſſiuè, ad illam gratiam, quæ creatur; & conſequenter, cum aliorum operum bonum a gratia dependeat, nihil ſe ſine auxilio Dei boni operis fructum afferre. Hoc docet Propheta, dicens: *Cor mundum crea*: Nam ſubdit Lyranus. *Dicit; crea: quia gratia iuſtificans de potentia ſubiecti non educitur; ſed in Anima a Deo creatur*. Non ergo de ſua a vitijs ad Deum conuerſione glorietur homo, quandoquidem in hoc nihil contulit, ſed Dei ſubleuantem gratiam recipiens iuſtificatus eſt: Deo gratias agat, ipſi honor & gloria tribuatur. Quod monet Ioannes a Carthagena *Hom. 4. de Bapt. Chriſ. to. 1. pag. 529. Inſinuauit Dauid vtens illo verbo; creare: quod ſicut in creatione nihil præſupponitur, cui iure iuſtitiæ debeatur id, quod creatur: Ita ex parte cordis, cum ſpiritus ſanctus illud per primam gratiam purificat, nihil ſanè præſupponitur (quantumcumque contritum ſit) cui iure iuſtitiæ primæ gratiæ infuſio debita ſit, alias gratia non eſſet, vt bene Paulus ad Rom. 11. Si autem gratia, non ex operibus; alioquin gratia iam non eſſet gratia*: Vana eſt ergo gloriatio hominis cum terram ſui cordis bonis operibus repletam videt, ſi tanquam propria laudat; Nam Deo, qui fecundauit gloria debetur.

3 Ego diuinarum gratiarum auxilium ſcuto comparauerim; Sicuti namque miles dum clypeo munitus eſt, quo aduerſariorum tela refrangat, & gladiorum acies retundat, fortis, & inuictus permanet, ſed ſcuto amiſſo, ictibus hoſtium patens vincitur; ita chriſtianus aduerſus Animæ hoſtes pugnans, dum clypeum diuinæ gratiæ habet valenter cum hoſte dimicat, victoriamque facit; ſed ea deperdita victus, profligatuſque recedet. Ergo non ſibi, ſed Clypeo debet miles, quod fortis ſit; gratiæ diuinæ Chriſtianus Diaboli ſuppeditationem debet; ideoque Deo gratias agat, non de fortitudine ſua inaniter glorietur. Plangens Dauid Regis Sauli, & filiorum necem, ac Iſraeliticæ gentis excidium, inter alia, hæc dixit: 2. *Reg. cap. 1. ver. 22. Quomodo ceciderunt fortes in prælio?* Sed quomodo victos, & fortes appellat: ſi enim fortes erant, quomodo victi fuerunt? Et ſi victi ſunt, de qua fortitudine gloriantur? Fortes ſunt Dei milites ſed dum Clypeum geſtant diuinæ gratiæ; & ſic aliquando illi fuerant, qua amiſſa ceciderunt; vt ſapiant victores, & Deo, non ſibi, tribuant victoriam, quam ſine diuinæ miſericordiæ ſcuto, aſſequuti minimè fuiſſent. Egregiè Drogo hoſtienſis *lib. de ſacram. Dom. Paſſ. ap. Bibliot. p.p. to. 2. col. 584. lit. E. Ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul: ver. 21. Clypeus fortium ſpes eſt diuinæ protectionis, quo ignita diaboli iacula repelluntur, quibus grauiter vulneratus eſt Saul a ſagittarijs, &c. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? ſi fortes, quomodo ceciderunt? & ſi ceciderunt quomodo fortes? Sed non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque fortis in fortitudine ſua, ſed qui gloriatur in Domino glorietur*. Quid ni periret in bello qui perdiderat Clypeum? Nulla eſt fortitudo noſtra; cum hoſte pugnamus, cui terrena poteſtas æquari non poteſt; diuini auxilij clypeo opus habemus illum vincere valeamus.

4 Si Princeps aliquis magno propoſito præmio ad curſum equites prouocaret; deinde dilecto ſibi equiti equum citiſſimum cõmodaret, vt in eo currendo vinceret, ſi ille parcta victoria gloriaretur de ſuo curſu, nonne vanitatem ſuam aperiret? Certè; nã non ſuis virib. citiſſimum curſum, ſed equi velocitate perfecit; potius Princeps gloriam meretur, cuius eſt velox Animal victoriæ cauſa. Propoſuit nobis Deus curſum in virtutum ſemita, ad æternitatis præmium conſequendum; ſed currere ſine equo diuinæ gratiæ non valemus; ſi ergo omnia bona noſtra Dei Dona ſunt, quid gloriamur, quaſi de fortitudinis noſtræ fructu? 1. *Cor. cap. 4. ver. 7. Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* In Deo ſit omnis gloriatio noſtra, a quo ſperandum omne bonum. Quod ex Apoſtolo docet D. Valerian. Cemelianus *Hom. 11. pag. 740. col. 2. Sperandum ergo in Domino, vt boni ſimus: & cum boni fuerimus, in Domino gloriandum. Audite Apoſtolum: Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Hæc actuum noſtrorum perfecta gloriatio eſt ſi gloriamur in Domino, apud quem victoribus virtutum corona componitur*. Qui dat coronam, & victoriam Deus, qui pluuiam mittit; ſemen ſpargit, & incrementum dat Dominus, ille laudandus.

5 Tellus inter aquas fundata eſt, & ad ſui conſeruationem, nec non ad frugum productionem fluuiorum, ac fontium indiget aquis; vt autem continua irrigatione fæcundetur, flumina, quæ ex Oceano recipit, ad ipſum remittit, vt inde iterum refluentes eam perfundant: quod ſi fluminum aqua, & fontium non rediret ad Oceanum, ſed periret abſorpta a terra, tandem ſcaturigines ſiccarentur, nec recurreret Aqua. Anima noſtra terra eſt, quæ vt fructus Cælo dignos producat, irrigatione diuinarum gratiarum indiget; ab iſta aqua quidquid habet virtutis, bonitatis, meriti recognoſcit; flumina iſta ad Mare reuerti debent vt iterum fluant, ideſt eorum Deo agendæ ſunt gratiæ. Hùc reuocari poteſt illa Sapientis aſſertio: *Eccl cap. 1. ver. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*. Verùm huius ſententiæ expoſitionem, & inde deriuatam moralitatem melius ex D. Bernardi, prolixo quidem, ſed aureo diſcurſu percipietis. Ergo ille, *ſerm. 13. in cantic. pag. 140. lit. M. N. Origo fontium, & fluminum omnium mare eſt: virtutum, & ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus. &c. Inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo; Theſauri ſiquidem ſapientiæ, & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt. Quid? caſta conſilia, iuſta iudicia, ſancta deſideria, nonne riuuli fontis illius ſunt? Quod ſi copiæ aquarum ſecretis ſubterraneiſque recurſibus inceſſanter æquora repetunt, vt inde rurſus ad viſus, vſuſque noſtros iugi, & infatigabili erumpant obſequio, cur non etiam ſpirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude, & ſine intermiſſione reddentur, ad locum, vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant? Remittatur ad ſuum principium cæleſte refluuium, quo vberius terræ refundatur: Qualiter? inquis; Qualiter dicit Apoſtolus: In omnibus gratias agentes. Quidquid ſapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis,*

fidis, Dei virtuti, & Dei ſapientiæ deputa Chriſto. Clarius, & elegantius exponi non poterat ſapientis intentio. Reddat ergo immenſo diuinæ bonitatis oceano gratiarum aquam fidelis Anima, illuc redeant cum gratiarum actione bonorum operum flumina, & virtutum fontes, nec non auxiliorum pluuiæ, vnde ad animam irrigandam miſericorditer diſceſſerunt.

RADIVS TERTIVS; EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Tertiuſdecimus.

Rigauit opera eius Deus de cæleſtibus gratijs; de fructu meritorum ſuorum ſatiatur Eccleſia.

AD exſaturandam Terram, fructibuſque replendam cæleſtes pluuiæ deſtinantur; pluuiæ, inquam, gratiarum, quæ bonorum operum, & virtutum fructibus vniuerſam replent Eccleſiam; quæ veluti Terra fæcunda omnium ſanctorum meritis ſatiatur. Verumtamen inter omnia virtutum exempla, Mariæ ſemper Virginis fructus Terram, ac Cælum ipſum fæcundant: Cuius orationibus, ac meritis Chriſti feſtinatum Aduentum debet Eccleſia. Hæc namque puriſſimæ Virginitatis flore, florentiſſima humilitate, ardentiſſima charitate, inalterabili fide, ſpe infrangibili, ac omnibus comitata virtutibus, illum produxit fructum, Ieſum inquam, qui *Eccleſiæ* fundamenta iecit. Merito ergo dictum eſt: *De fructu operum*, ſcilicet *meritorum ſuorum, ſatiabitur terra*, ideſt *Eccleſia*. Ea propter Theſſalonicenſium Præſul Iſidorus teſtatur *or. 3. pag. 81. En nouus benedictæ Virginis ad virtutem aſcenſus, qualia nimirum eminentiora omnibus parauit miracula. Ita de fructu operum eius (opera vero ſublimem dico contemplationem, quarum fructus extitit dulciſſimus Ieſus) ſatiata eſt terra, & cælum, & reliqua omnia.* Benedictus Virginis intemeratæ fructus, qui cæleſti dulcedine mundum repleuit; fructus animæ deſiderium complens; deliciarum ſitim extinguens, æternorum appetitum ſatians, virtutum ornamenta illuſtrans; qui in terra mariana naſcens, ſed de Cælo ſatus, ſua gratia Deiparam Terram ita fæcundauit, vt vniuerſam Eccleſiam eius meritorum fructibus locupletaret.

Mariæ Virginis bonorum operum fructus Eccleſiam ſatiat.

1 IMbrium cæleſtium ſatiata irroratione Terra, fructibus repleta vireſcit; Hæc tamen fæcunditas, non ipſius ſolummodo terræ decor eſt, verum etiam vtilitas omnibus animalibus, quæ dulces ipſius fructus, ac ſapida germina depaſcuntur; ſic ipſa ſatiatur imbribus, illa paſcuis, ac fructibus veſcuntur. Haud ſecus Maria eſt, quæ diuinarum gratiarum irrigatione repleta, omne genus humanum ad æterna paſcua ſubleuauit. Huius figura Perſarum Regina Eſther extitit, quæ cum Regi Arthaxerſi placuiſſet, & ab eo præ omnibus eius vxoribus diligeretur, non ſolum ſibi Regni Diadema, ac tanti culmen Imperiri comparauit, verùm toti generi ſuo a morte redemptionem, & ad vitam ſecuritatem obtinuit. De qua dicitur: *Eſther. cap. 2. ver. 17. Adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres*. En Maria formoſiſſima, & ſanctiſſima inter omnes Adæ filias, ſic placuit æterno Regi, vt & ſibi ſolium Regni, & toti generi humano morti addicto vitam obtinuit; quod aſſeuerat Seraphicus Doctor: *D. Bonau. Card. in ſpec. Virg. lect. 5. to. 6. pag. 459. col. 1. lit. F. Huius autem gratiæ, quam Eſther coram Rege habuit, duplex legitur fuiſſe vtilitas; vna, quod ipſa Diadema Regni obtinuit; alia, quod ipſa gentem illam morti addictam, a morte eripuit. Sic certè Eſther noſtra B. Maria tantam gratiam coram Rege æterno impetrauit, quod per hoc, non ſolum ipſa ad coronam peruenit, ſed etiam genus humanum morti addictum ſubuenit.* Sublimis virtutum Mariæ fructus, qui terram repleuit ſanctitate, & Eccleſiam decorauit honore; ſibi coronam, ſed omnibus gloriam merita, omnes ad panem Angelorum guſtandum vocauit.

2 Hanc Eccleſiæ plenitudinem ex Mariæ virtutibus in ſpiritu Propheta cognoſcens, dicebat: *Pſal. 23. ver. 1. Domini eſt Terra, & plenitudo eius.* Per terram vtique Virginem, per plenitudinem vero virtutes eius intelligens. Nam ſicut materialis terra tunc dicitur plena, cum floribus eſt referta, germinibus adornata, fructibus locupletata, vt hinc rideant prata, illinc ſpirent odores, flores effulgeant, ſapiant fructus. Ita ſpiritualis Terra, Deipara, pleniſſima dicitur, quia in ipſa omnium virtu-

tum

Digitized by Google

rum flores, omnium gratiarum germina, omnes meritorum fructus cernuntur; quæ comparatio præallegati Doctoris eſt, *loc.cit.lect 7 pag.460.col.2.lit.E. Plenitudo terræ conſiſtit in fructibus, & diuerſis poſſeſſionibus terræ: Fructus autem, & poſſeſſiones pleniſſimæ terræ Mariæ, ſunt opera, mores, & exempla, & diuerſa merita ſanctiſſimæ vitæ Mariæ*. Sic repletur Eccleſia tot fructibus, dum Theſauros gratiarum, ex Mariæ meritorum cumulo adauget; & cunctis filiis ſuis ex tanta ſatietate cęleſtia dona diſpertit.

3 Videbitur fortaſſe alicui, hæc terræ ad Mariam cōparatio eius maieſtate indigna; vt quę Angelorū eſt Domina, Cælorum Regina, Dei Mater, infimo, & terreo elemento ſimilis deputetur. Nonne melius diceretur Aurora, æterni ſolis prænuncia; Luna, ſyderum immortalium Regina, Cælum, Diuinitatis habitaculum; Iris, noſtrę pacis conciliatrix; Firmamentum, omnibus redimita virtutibus? Minimè id quidem; nam ſi relatę ſimilitudines aliqualiter eius gloriam indicāt, eius plenitudinem, & vtilitatem exprimere ad plenum non valent; quandoquidē nec ſibi ſoli, vt fulgeret repleta eſt, ſed vt & nobis prodeſſet. Terra omnibus humilius eſt elementum, ſed ipſis vtilius; etenim nec ſine ipſa ſiſteret animal, nec ſine ipſa conſeruatur; nā impleta cælitus fructibus terra animalia quęq; ſuſtētat. Maria terra eſt omnib creaturis humilior; cuius humilitati par inueniri non poteſt: ſed etiam vtiliſſima nobis; nam ob ſuæ meritū humilitatis, ita gratiis repleta, & donis cōdecorata eſt, vt omnibus ad vitam ſpiritualem nutriendam ſufficiat. Ideo plenitudinem eius per Spiritus S. gratiam facta in illis Sapientiæ verbis adumbratam puto: *c.1. v.7. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*. Ad quod poſſunt adaptari eiuſdē Bonau. verba, *loc.cit.pag.462.col.2.lit E. Quid ergo humilius, quid vtilius terra? ſimiliter, quid humilius, quid vtilius Maria? Ipſa denią; humilitate ſua eſt omnium infima: ipſa plenitudine ſua omnium eſt vtiliſſima. Vitæ namque ſpiritualis neceſſaria habemus de pleniſſima terra Maria*. Eius dulciſſimis pabulis ſatiatur ſpiritalis anima, de ſuis operibus creſcit in virtutibus; ſic per Mariæ opera, tot ſpiritualibus, ac ſanctiſſimis viris floret Eccleſia ſanctitatis plenitudine ſatiata.

4 Vidimus ſupra cum litteraliter exponeremus hunc verſum, tria ad fæcunditatem frugum requiri, ſcilicet, Cæli irrigationem in pluuijs, fertilitas, & bonitas ipſius terræ, & colonum impiger labor ad eam excolendam. Deus ergo volens Eccleſiam ſuam cæleſti ſemine fęcundare; hæc omnia iunxit (de duobus primis hic loquimur, de cultura infra videbitur.) Poterat ne melius ſemen demitti in terram, quam Dei Verbum? reperiri poterat terra Maria prætioſior? & irrigatione Spiritus ſancti, nulla pluuia fæcundior eſſe poteſt. Verbum ergo Dei, ſemen æternum, perfectiſſimum, multiplex, impollutū, fructum habentem omnem ſuauitatem ſuaptè natura producens, in Mariæ vtero, terra vtique ſanctiſſima, ac fertiliſſima ſeminauit, quæ omnes terræ ſuperans fertilitates, quem cunctæ electiſſimæ Animæ redderent vnitæ fructum, ipſa ſola fructificauit. Hoc declarat Pſalmus, dum ex diuina largitione bonitatem deriuatam ad hanc terram, ipſam fructum optatum dediſſe affirmat. *Pſal.84.verſ.13. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*: en Cælo præbente gratiam, virtutes redditas à Maria multiplicato fructu, vt placet Richardo à S. Laurent. *lib.12. de laudib. Virg. col.733. lit.F. Semen, quo Dominus dedit benignitatem, & terra noſtra, ideſt Maria, dedit fructum ſuum: Pſal. 84. Semen, quod in incarnatione cecidit in terram bonā Virginem Mariam, & attulit quidem in alijs fructum trigeſimum, in alijs ſexageſimum, & in alijs centeſimum; in ipſa vero ſingulari priuilegio ſimul trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum*. Sic ditata tantis meritis Eccleſia lætatur, quæ in vna eius filia, imò verius Domina, omnium virtutum fructus miratur.

5 Neque deſideratur cultus; non enim terra à peritiſſimo colono exculta, neque ager ab Agricoltore ſapienti exercitus, fructum, niſi excellentiſſimum dabit. Terra fertilis eſt Virgo, pluuia fæcundans gratia, Colonus autem Spiritus ſanctus, quem ergo virtutum fructū non dabit? Deſinat ergo mirari, qui inquirit, ad quid Spiritus ſanctus in Maria ſuperuenit, qui iam ad gratia replendam venerat? gratia namque plenam inuenit Angelus. Ceſſet igitur admiratio, nam ad eam excolendam, vt fructum redderet venit. Hac de cauſa Beatiſſima Virgo Ager nominatur, & preſertim illi aſſimilatur agro, de quo Patriarcha: *Gen.cap.27.verſ.27. Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Et notat citatus Richardus; quod Ager dicitur terra ab agendo; illa enim terra, in qua aliquid agitur, ager dicitur; terra vero inculta agri appellationem non meretur. Itaque Immaculata Deipara Ager dicta eſt, ſed ager plenus omni deſiderabili vbertate, quia eam exercuit, & coluit Diuinus Spiritus, vt multarum virtutum germina daret, *lib.8.col.497. lit.D. Dicitur Ager ab agendo, quia Beata Virgo multis fuit virtutum, actionibus, & multiplici Spiritus ſancti exercitio exculta. De hoc agro dicitur Gen.27. Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Vt ſic ex pluuia gratiarum cœleſtium, fertilitate ſuæ bonitatis, & Spiritus ſancti cultura, fructus huius agri fæcundiſſimus redderetur.

6 Qui temperamenti vitio male olet, ne aliis tædio ſit, quærit ex varia odorū mixtura naturę defectum arte redimere; Talis eſt mariani agri, ob tot, tantoſque virtutum flores fragrantia, vt mundi totius faciem odoratam faciat. Fætebat in diuinis naribus mundus, dum peccati fæditate conſperſus peximè olebat: ſed talis extitit Mariæ fragrantia, tantus ſuauium virtutum odor, vt malè olentem mundum, floridum ante Deum, & fragrantem reddiderit Sponſus ille cæleſtis, Eccleſiæ militanti copulatus, ſuæ ſponſæ bonitatem, & pulcritudinem laudās, hæc habet *Cant.cap.1.ver.2. Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*. quaſi diceret: ſponſa mea Eccleſia tu cęleſti fragrantia redoles, quia vbera tua, Matris meæ virtutes, quaſi prætioſiſſimis vnguentis, virtutibus, & meritis iuncta ſuauiſſima fragrantia te replent, tuam fæditatem, fætoremque expellendo. Fauet nobis Leo Auguſtus, *Orat.6.pag.107. Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis: mundi fragrantia, è floribus tuarum virtutum afflatur*. Felix Eccleſia, quæ de Mariæ plenitudine particeps facta omni ſaturitate repletur, omni merito viget, & omni redolet ſuauitate virtutum.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

Rigans montes de ſuperioribus Deus terram impinguare non deſiſtit; nec terram tantum iſtam, quæ pecudum, belluarumque paſcit greges, ſed allegoricam terram, ideſt Eccleſiam ſuam varijs documentis, ſub pluuiarum, rigationum, fructuum, & operū nomine ipſam inſtruit, & ad ſanctitatē fæcundat. Si quis rigationem audit, nec diuinā gratiā aſpirantē nouit, inter

pluuias

Digitized by Google

pluuias ipſas permanet infæcundus; de iſtarum rerum allegorijs agere verſus nos admonet; quod ſi declaratio ſermonum diuinorum illuminat, irrigabimur ſanè dum allegoricas irrigationes exponemus.

SVMMARIVM.

1 *De allegoricis irrigationibus.*
2 *Pluuiæ nobis nomine quid importetur.*
3 *De fructuum ſignificatione.*
4 *Opera Allegorica quæ ſint.*

§. I.

De allegoricis irrigationibus.

1 RIgare eſt per infuſam aquam madefacere terram. Et primò ſignificat gratiam Baptiſmi, per quam anima irrigatur ad producendas virtutes; de qua Ioel *c. 3. ver. 18. Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Vbi Gloſſ. ord. *Egreditur fons Baptiſmatis, qui irrigat corda gentilium, quæ ſpinis vitiorum, & aculeis malarum cogitationum pungebantur, vt ibi oriantur flores virtutum.*

2 Irrigatio imbrium ſanctorum Patrum doctrina, ſeu Prædicatio eſt; de qua Iob. *cap. 24. ver. 8. Quos imbres montium rigant.* Et D. Gregorius Magnus *lib. 16. c. 22. Moral. pag. 680. lit. C. Imbres montium ſunt verba Doctorum. Hos itaque imbres montium rigant, quia ſanctorum Patrum fluenta ſatiant.*

3 Rigare eſt roborare; vnde irrigatio oſſium eſt roboratio animæ ad operationes virtutis; nam & de hac ſapiens. *Prouerb. c. 3. ver. 8. Sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum*; & addit Beda *cap. 3. in prouerb. to. 4. col. 644. Et fortia quæque tua alta, vnde amplius roborentur accipiunt.*

4 Rigare eſt cor ad pænitentiam emollire; vnde rigare lacrymis ſtratum ſuum eſt dolorem de peccatis commiſſis habere, quod faciebat Dauid: *Pſal. 6. ver. 6. Lacrymis meis ſtratum rigabo*: Vbi Magnus Gregorius *in Pſal. 6. to. 2. pag. 1129. lit. B. Rigat ergo lacrymis ſtratum ſuum, quia continuo luctu, & dolore carnis maculas diluit, & cordis duritiam imbre compunctionis emollit.*

5 Rigatio interna terræ, & plantarum penetrat, ideo rigare eſt ad interna penetrare; & conſequenter rigare ſtratum lacrymis, eſt dolorē ad intima cordis penetrare; ita in eumdem Pſalmum D. Auguſtinus *in Pſal. 6. to. 8. pag. 15. col. 1. lit. A. Rigabo amplius eſt aliquid, quam lauabo, quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lauari; rigatio vero ad interiora permanat, quod ſignificat fletum vſq; ad cordis intima.*

6 Irrigatio abundantiam ſignat: ideoque oſſa medullis irrigare, eſt rerum terrenarum abundantia ſaginari: Ita Iob *cap. 21. ver. 24. Et medullis oſſa illius irrigantur*: Vbi D. Gregorius *lib. 15. cap. 33. moral. pag. 658. lit. C. Quia ergo ſic iſte amator huius ſæculi exteriori poteſtate fulcitur, vt etiam interiori terrenæ domus abundantia ſaginetur, dicitur: & medullis oſſa illius irrigantur.*

7 Rigatio eſt benedictio diuina; ſic Anima diuinis benedictionibus plena dicitur Hortus irriguus: ita Hieremias *cap. 31. ver. 22. Eritque anima eorum ſicut hortus irriguus*: Et addit D. Hieronymus *in Ierem. pag. 391. lit. C. Vt autem ſciamus benedictiones has nequaquam ad corpus, ſed ad animam pertinere; ſequitur: Eritque Anima eorum ſicut hortus irriguus.*

§. II.

Pluuiæ nobis nomine quid importetur.

1 PLuuia eſt aqua lentè e nubibus in terras decidens; & primò ſignificat incarnationem Chriſti; de qua Pſalmus 71. *ver. 6. Deſcendet ſicut pluuia in vellus*: Et D. Hieronymus *in Pſal. 71. tom. 7. pag. 118. lit. E. Sicut enim in vellus Gedeonis pluuia deſcendens, cum terra arida deſecit: ita & hic illapſus eſt in vterum virginalem per infuſionem ſpiritus ſancti.*

2 Pluuia eſt ſapientia diuinorum, qua penetrantur Deitatis arcana; quæ negatur hæreticis. *Amos cap. 4. ver. 7. Et plui ſuper ciuitatem vnam, & ſuper ciuitatem alteram non plui*: Et idem maximus Doctor *in Amoſ. to. 5. pag. 144. lit. F. Prohibet quoque, ſiue reprimit ab hæreticis Dominus pluuias ſpirituales, & omnem rorem diuinæ ſapientiæ, & mandat nubibus ſuis ne pluant ſuper eos imbrem, ante tres menſes meſſis, ſiue vindemiæ: vt ad fructus myſterij Trinitatis peruenire non poſſint.*

3 Pluuia verba euangelij, ſeu legis ſignificat: de qua dicebat Moyſes: *Deuter. cap. 32. ver. 2. Expectetur ſicut pluuia eloquium meum*: Et D. Iſidorus Hiſp. *in 1. lib. Reg. cap. 4. pag. 238. col. 2. lit. H. Pluuiæ enim in ſacris ſcripturis verba ſunt Euangelij, ſiue Legis; ſicut & Moyſes dixit: Expectetur ſicut pluuia eloquium meum.*

4 Pluuia eſt doctrina, ſeu prædicatio Apoſtolorum: De qua Pſalmus 146. *ver. 8. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam*: quò reſpexit D. Iſidorus, dicens *de nat. rer. cap. 33. pag. 256. col. 2. lit. F. Pluuiæ ergo nubium eloquia ſunt Apoſtolorum, qui quaſi guttatim, id eſt ſenſualiter veniunt, ſed abundantius doctrinæ fecunditatem infundunt.*

5 Pluuia diuina miſericordia eſt; & ideo Fulgura mutantur in pluuiam, cum diuina indignatio in miſericordiam conuertitur: hoc docet Pſalmus 134. *ver. 7. Fulgura in pluuiam fecit*: ſecundum expoſitionem D. Auguſtini *expoſ. myſt. in Pſal. 143. pag. 637. col. 1. lit. C. Fulgura in pluuiam fecit: minas ad miſericordiam flexit: &c. Quando tibi minatur Deus per prophetam, & per Apoſtolum, & times, nonne coruſcatio terruit te? ſed cum pænitendo corrigeris, & agnoſcis hoc miſericordia fieri, in pluuiam vertitur fulguris terror.*

6 Pluuia eſt doctrina ſacra, quæ cum ab hæreticis malè intelligitur tunc Deus pluit ſuper eos laqueos; iuxta Prophetę verba: *Pſal. 10. ver. 9. Pluet ſuper peccatores laqueos*: vbi D. Auguſtinus *in Pſal. 10. pag. 31. col. 1. lit. A. Sic ordinantur Pſeudoprophetæ a Domino Deo, vt de his laqueos ſuper peccatores pluat. Non enim quis in eos ſectandos incidit niſi peccator.*

7 Hinc etiam Pluuiam conuerti in ſanguinem, eſt aſpergi doctrinam dogmatibus Philoſophorum. Sic Pſaltes: *Pſalm. 77. ver. 44. Conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent*: Vbi D. Hieronymus *in Pſal. 77. pag. 131. lit. A. Vana Philoſophorum verba, quæ Eccleſiæ paruulos interimebant.*

8 Pluuia temporanea, & ſerotina, lex & Euangelium ſunt: de quibus Oſeas *cap. 6. ver. 3. Et veniet nobis, quaſi imber temporaneus, & ſerotinus terræ*: Vbi Abbas Rupertus *in cap. 6. Oſe. tom. 1. pag. 775. col. 1. Spiritualiter pluuiam ſiue imbrem vtrumque, videlicet temporaneum, & ſerotinum intelligi oportet; & ſancta prophetica, atque apoſtolica ſcriptura eſt.*

9 Pluuia gratia Dei eſt; in cuius ſenſu dicitur Iob *cap. 38. ver. 28. Quis eſt Pluuiæ pater, vel quis genuit ſtillas roris? Et gelu de Cœlo quis genuit?* Et D. Gregorius *lib. 29. cap. 15. in Iob. pag. 972. lit. E. Quid eſt ergo quod Dominus, prius quidem patrem ſe pluuiæ inſinuat, poſtmodum vero de ſuo egredi vtero glaciem narrat, ſeque gelu de Cœlo gignere pronunciat? niſi quod miro modo noſtri pectoris terram ad ſuſcipienda verbi ſemina prius per occultæ gratiæ pluuiam infundit; & poſtmodum ne in conceptis virtutibus immoderatius profluat, diſciplina intimæ diſpenſationis premit.*

10 Plu-

Digitized by Google

10 Pluuia eſt Idea ſenſus:nam in illa verba *Gen.cap.* 2.*verſ.*5. *Non enim pluerat Dominus ſuper terram*: ait Philo Iudæus,*lib.*1. *Alleg.pag.*62.*tom.*1.*Idea ſenſus, quæ figuratè pluuia dicitur,nullo alimento indiget*.

11 Pluuia inundans eſt hoſtium ſæuitia a Deo contra peccatores miſſa:de qua Ezechiel: *cap.*13.*verſ.*11.*Erit pluuia inundans*;& D.Hieronym. *in Ezech.pag.*478.*lit.* G.*Immittam imbrem vehementiſſimum,hoſtes videlicet ſæuiſſimos:Babilonios autem, Chaldeoſque ſignificat*.

12 Pluere bellum ſuper Peccatorem Dominum, eſt eius opera punire:ita Iob, *cap.*20.*ver.*23. *Pluat ſuper illum bellum ſuum*.& D.Gregorius, *lib.*15.*cap.*13.*mor pagin.*627.*lit.*D.*Super hunc hypocritam bellum ſuum Dominus pluit, cum iudiciorum ſuorum gladiis eius opera percutit.Bellum namque Deo pluere,eſt iniqui vindictam diſtrictis ſententiis deſuper ad interitum vrgere*.

13 Pluuiæ hyemales ſunt tribulationes:ita Iob, *capit.* 37.*ver.*6.*Qui præcipit niui, vt deſcendat in terram, & hyemis pluuiis*,& D.Hieronymus,*in Iob,tom.*7.*pag.* 68. *lit.F. Contra hanc gratiam Chriſti tribulationes perſecutiones futuras,in pluuiis hyemalibus voluit indicare,& pr opter graues preſſuras hyemales pluuias dixit*.

§. III.

De Fructuum ſignificatione.

1 FRuctus eſt id quod ex arbore vltimo naſcitur ad animantium nutritionem, & fructus dicitur à fruendo, eo quod animalia illo fruantur. Et primò fructus terræ eſt Chriſtus natus de Virgine. *Pſal* 66.*ver.*5. *Terra dedit fructum ſuum*, & D Hieronymus, *in Pſal.* 66.*pag.*108.*lit.E. Terra Sancta Maria:iſta terra dedit fructum ſuum,&c.Vultis ſcire quis iſte ſit fructus? Virgo de Virgine, Dominus de ancilla,Deus ex homine,filius ex matre,fructus ex terra*.

2 Chriſtus fructus vineæ dicitur, quia de ſynagoga natus eſt:vnde in canticis dicitur.Cant.*cap.*8 *ver.*11 *Vir affert pro fructu eius mille argenteos*: & D.Gregorius, *c.* 8.*cant.tom.*2.*pag.*1230.*lit. A.Hæc vinea fructum protulit,quia ex ſynagoga botrus ille magnus, qui de terra promiſſionis allatus eſt,Chriſtus videlicet Ieſus, per humanitatem proceſſit*.

3 Fructus vineæ eſt etiam eruditio Eccleſiæ per bonos Doctores,de qua dicitur Matth.*cap.*21.*ver.*41.*Malos male perdet,& vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis*.& Magnus Gregorius *loc cit.lit.C.De qua vinea iam bonis locata ipſe Pacificus dicit:Vinea mea coram me eſt;coram ipſo vinea ſua exiſtit, quia perditis malis agricolis Sanctam Eccleſiam per bonos Doctores reſpectu benigno erudit*.

4 Fructus ligni, ſunt dona Spiritus ſancti, quæ per Crucis Chriſti virtutem dantur nobis:vt dicitur Ioel.*capit.*2.*ver.*22 *Quoniam lignum attulit fructum ſuum*: Vbi D.Hieronym. *in Ioel,pag.*119. *lit. A. Et lignum Crucis afferet fructum ſuum: Dona Spiritus ſancti dulciſſima, ſuam cunctis tribuerent largitatem*.

5 Fructus Chriſti eſt donum immortalitatis: de quo dicitur. *Pſal.*1.*ver.*3.*Fructum ſuum dabit in tempore ſuo*: vbi D.Hilarius,*in Pſal.*1.*col.*628. *litt. A. Hos ergo nobis fructus ſuos dabit,quos iam in eo, quem ſibi aſſumpſit, & qui ſignificatur in ligno,homine perfecit, quem in immortalitatis ſuæ naturam abſorpta mortalitate transfudit*.

6 Fructus iuſtitiæ eſt retributio ęterna:de qua ſapiēs *Prouerb. cap.*11 *verſ.* 30. *Fructus iuſti lignum vitæ*: vbi Gloſ.ordin.*Viſio Chriſti,qui ſapientia*:& Lyranus. *Ideſt opus Iuſti deducit ad eſum ligni vitæ,qui eſt Chriſtus in beata fruitione*.

7 Fructus Prædicationis Apoſtolorum ſunt credentes:de quibus Ezechiel, *cap.*47. *verſ* 12. *Orietur in ripis eius ex vtraque parte lignum pomiferum: non defluet folium ex eo,nec deficiet fructus eius:per ſingulos menſes afferet primitiua*. Vbi D.Hieronym.*in Ezech.pag.*650.*lit. H. Fructus eius in renouatione ſui primitiua dabit: vt omnes credentium fructus primitiæ ſint,& ſinguli menſes ſingulis Apoſtolis deputentur*.

8 Fructus oris eſt ſermo bonus: Dicente Salomone: *De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis. Prouerb. cap.*12.*ver.*14.vbi Gloſ.interlin *Ideſt ſermone bono; Qui enim malè loquitur non ore fructum generat, ſed damnū*.

9 Fructus oliuæ eſt miſericordia Dei: de qua Pſaltes *Pſal.*51.*ver.*10.*Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei,ſperaui in miſericordia in æternum*, & aſſentitur D. Hilarius,*in Pſ.*51.*col.*683.*lit. A. Iuſtus,& Sanctus Propheta ſicut fructifera oliua conſiſtens, propria ſua viſus fructuoſa, pinguiq;radice, ſperauit in miſericordia Dei*.

10 Fructus terræ ſunt Animæ virtutes;de quo fructu dicitur:*Pſ.*66.*ver.*5.*Terra dedit fructum ſuum*: vt vult D.Hilarius,*in Pſal.*66.*col.*790.*lit B Cæterum qui iam cæleſti Adæ configuratur, habet innocentem terræ ſuæ fructum:primum Dei cognitione locupletem;dehinc caſtitatis,iuſtitiæ,miſericordiæ operibus glorioſum*.

§. IV.

Opera Allegorica quæ ſint.

1 OPus ſignificat primò ſalutem noſtram, quæ propriè opus manuum Dei dicitur, vt loquitur Dauid,*Pſal.*18.*verſ.*1.*Opera manuum eius annunciat firmamentum*:vbi D.Auguſtinus. *in Pſal.*18. *pag.*39. *col.*1. *lit. A. Quæ ſunt opera manuum eius? Gloria Dei illa, qua ſalui facti ſumus,quia creati in bonis operibus ſumus*.

2 Opus iuſtitiæ eſt pax:vt dixit Iſaias.*cap.*32.*verſ.*17. *Et erit opus iuſtitiæ pax*: ideſt tempore aduentus Domini,qui eſt ſol Iuſtitiæ, tunc enim Angeli pacem annunciauerunt:ita Lyranus: *Pax quam nato Chriſto Angeli clamauerunt*.

3 Opera digitorum Dei eſt ſacra ſcriptura; de qua Pſaltes *Pſal* 8.*verſ.*4. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitor um tuorum*,vbi D.Auguſtinus, *in Pſal.*8. *pag* 21. *col.*2.*lit.B. Quoniam videbo,inquit,cælos, opera digitorū tuorum;ideſt cernam,& intelligam ſcripturas, quas,operante Spiritu ſancto,per miniſtros tuos conſcripſiſti*.

4 Opus manuum Dei eſt Genus humanum,cui Deus dexteram ſuam in Dominica incarnatione porrexit; vt petebat Iob,*cap* 14.*ver.*15. *Operi manuum tuarum porriges dexteram*; ſicut Magnus Gregorius exponit, *lib.* 12. *cap.*11.*moral.pag.*587 *lit.E.Operi igitur manuum ſuarū porrexit omnipotens Deus dexteram ſuam, quia,vt abiectum, & in infimis iacens genus humanum ad ſumma erigeret, incarnatum ad hoc vnigenitum miſit*.

5 Opera Dei,que ignorantur ſunt eius iudicia ſecundum Iob,c.36.*ver.* 14. *Memento,quod ignoras opus eius*, & D.Gregorius,*lib.*27.*cap.*2.*mor.pag.*909.*lit.E. Occulta ſunt iudicia eius; & quanta obſcuritate nequeunt conſpici,tanta debent humilitate venerari.Dicat ergo: Memento, quod ignoras opus eius: ac ſi apertè diceret: De quo fortes quique locuti ſunt eius opera tuæ mentis oculis abſconduntur*.

6 Opus manuum figuli ſunt homines carnalibus deſideriis,& illecebris dediti; de quibus Ierem. *Thr. c.*4.*v.* 2.*Filii Sion incliti,& amicti auro primo, quomodo computati ſunt in vaſa teſtea,opus manuum figuli*,& D.Hieronymus,*in Thren.pag* 426.*lit.F. Quòd filii Eccleſiæ,qui incliti fuerunt Chriſtiana Religione, & ornati ſapientiæ fulgore,& decore virtutum,nunc emolliti carnalibus deſideriis, & terrenis cupiditatibus tabefacti, vaſis teſteis comparentur*.

7 Operari opera Dei eſt credere in illum: ſic apud Ioannem,*cap.*6.*ver.*29. *Quid faciemus,vt operemur opera Dei?Reſpondit Ieſus,& dixit eis: Hoc eſt opus Dei,vt credatis in eum,quem miſit ille*,vbi D.Auguſtinus,*tract.* 25.*in Ioann:tom.*9.*pag.*90.*col.*1.*lit. A. Hoc eſt ergo manducare cibum,qui non perit,ſed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes, & ventrem?crede, & manducaſti*.

8 Operis finem expectare eſt conſiderare præmium illius;

Digitized by Google

illius: vnde Iob, *cap.7.ver.2. Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui*, & D.Gregorius, *lib.8.cap.5.moral. pag.480.lit. D. Mercenarius cum laſſeſcentem animum ad conſiderandum operis præmium reuocat vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat: & quod graue perpendit ex opere, leue exiſtimat ex remuneratione.*

9 Operari in primogenito Bouis, eſt ſua bona coram hominibus agere, quod à Domino prohibetur: *Deut.cap.15.verſ.19. Non operaberis in primogenito Bouis*, vbi D. Gregorius, *loc.cit.cap.39.pag.503.lit.C. In primogenito quippe Bouis operari, eſt bona conuerſationis primordia in exercitio publicæ actionis oſtendere.*

10 Opera ſua Deum dicere filio eſt illi communicare omnipotentiam, ſimul cum eſſentia, nam omnia fiunt per ipſum, vnde *Pſalm.44.verſ.1. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi*, vbi D.Hieronymus, *in Pſal.44.pag.78.litt.E. Non de coniunctione corporea, ſed de corde protulit æquale ſibi verbum, per quod facta ſunt omnia: bonum eſt enim hoc verbum: quia quod factum eſt in eo vita eſt. Dico ego opera mea Regi: Loquor ipſi verbo Regi filio, & cuncta perficiuntur.*

11 Operarii Vineæ Domini, ſunt hominis cogitationes, & affectiones, de quibus dicitur Matth: *cap.20.verſ.1. Exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuã*, vbi Richardus à S.Victore, *de ſtat.int.hom.tract.1.cap.35.pag.38.col.1.lit.B. Vineæ cultores cogitationes, & affectiones. Huiuſmodi cultores in vineæ cultura laborare habent, quia in conſcientiæ emundatione vtrique deſudare debent.*

Verſus Quartuſdecimus.

מַצְמִיחַ חָצִיר לַבְּהֵמָה וְעֵשֶׂב לַעֲבֹדַת הָאָדָם לְהוֹצִיא לֶחֶם מִן הָאָרֶץ׃

Verſio ex hebræo. *Germinare faciens fœnum Beſtiæ, et herbam miniſterio hominis, ad educendum panem de terra.*

Vulgata editio. *Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, vt educas panem de terra.*

D.Hieronymus. *Germinans herbam iumentis, & fœnum ſeruituti hominum, vt educat panem de terra.*

Pagninus. *Qui germinare facit herbam pro iumentis, & herbam ad obſequium hominum, vt educat panem de terra.*

VT hunc verſum faciliori intelligentia capiamus, aduertere oportet, herbam ab hebræis varijs nominibus appellari, quæ ſingulæ diuerſas ſpecies earum ſignificant; multoties tamen iſta nomina confunduntur, & vnum pro altero vſurpatur, vt puto in præſenti verſu factum. Verbum igitur עֵשֶׂב (quod hìc ſecundo loco poſitum eſt) herbam generaliter ſignificat, ſed herbam iam grandem, & ſeminificantem; nam herba tenera, quam nos germen, ipſi vocant דֶּשֶׁא; plautulam verò, ſeu virgultum שִׂיחַ dicunt: porro חָצִיר (quod in hoc verſu primo loco ponitur) fœnum, ſeu herbam fœnificã ſignificat, & tandem יֶרֶק ſeu יָרוֹק olus eſt, ſcilicet herba ad hominum eſcam accomoda. His notatis, nulli dubium eſt חָצִיר primo loco poſitum, pro herba, quæ vel viridis, vel arida beſtiarum eſt pabulum, & cui propriè congruit nomen fœni, ſumi, vnde optimè expoſitum eſt: *Producens*, vel *germinare faciens fœnum iumentis*. De ſecundo verò עֵשֶׂב magis dubia interpretatio eſt, nam herba eſt generaliter dicta; poteſt tamen duplex ſenſus illi verſui tribui; vel enim ſeparatur a verſu ſequenti (ſcilicet, *vt educas panem*) & ſic ſolum herbas ſignificare videtur, quæ ad hominum cibum ſunt aptæ; & tunc poſitũ eſt עֵשֶׂב loco יֶרֶק vt ſignificet *olus*, quia olera dicuntur herbæ, quas comedunt homines: ſi verò (vt facit littera hebraica) coniungatur ly, *vt educas panem*, cum antecedanti verſu; facit ſenſum; produci fœnum, ideſt triticum, hordeum, milium, &c. vt deſtinetur hominum operi, qui ſuo labore de illis panẽ exire faciat; (nam hoc ſignificat הוצי, à radice יָצָא quod eſt *exire*) & tunc עֵשֶׂב coarctatur ad ſolam eam herbam, ex qua deſiccata panis conficitur: quare D. Hiero-

Hieronymus fœnum appellauit; nam herba deſiccata fœnum dicitur. Hac occaſione de herbarum productione, & vtilitate videndum eſt; & in ordine ad hominum eſcam, vtrum ante diluuium ſolis herbis, & fructibus vſi ſint homines.

SVMMARIVM.

1 *De Productione, & vtilitate Plantarum, & fructuum.*
2 *Vtrum ſolis fructibus, & oleribus ad eſcam vſi ſint homines ante diluuium.*
3 *Homo creaturarum Dominus, propter quem creatæ ſunt.*

§. I.

De Productione, & vtilitate Plantarum, & fructuum.

1 PRoducens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum: Sapientiſſimus rerum opifex omnia cum ſapientia, & ſapienter producens, in ipſo mundi exordio, antequam ad Animalium creationem perueniret, quod ſexta die perfectum eſt, tertia die e terra omnia producere germina, Plantas, arboreſque voluit; vt ſcilicet ad eorum ex ortum ſtatim neceſſaria ad vitam pabula inuenirent. Ad hoc namque Arbores, & herbæ creatæ ſunt, vt eſſent cunctis animalibus in cibum. Neque enim ſolum hominem paſcere cura fuit, verum etiam irrationabilium Belluarum, quæ ad hominum famulatum producta fuere. Hoc declarat verſus iſte. *Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum:* Et exponit eminentiſſimus Hugo Caren. *Quaſi dicat: ita vtilia facis terræ naſcentia, quod non ſolum paſcis ex ea homines ſed etiam iumenta, quæ dediſti in auxilium hominum: & ad quid dat illis eſcam? Vt ſeruiant hominibus; vnde addit: Seruituti hominum: ideſt, vt ſeruiant hominibus, quia & propter hoc facta fuerunt, & propter hoc ſuſtentantur.* Hæc eſt prima Arborum, herbarumque vtilitas, vt cibum miniſtrent. Atque hinc colligere eſt diuinæ prouidentiæ ſapientiſſimam ortus rerum diſpoſitionem, vt nullo non tempore fructus arborum, oleraque deficiant, nam & vere germina iam nata creſcunt, & olera cibum præbent, recreant odoramine flores: & primitiui, ſeu temporanei leguntur fructus: Æſtate frumentariæ ſegetes, necnon legumina matureſcunt, & Cæpæ, Allia, Cucumeres, Pepones, Cucurbitæ, Nuces, & Auellanæ, Ceraſa, Pira; & cætera huiuſmodi: Autumno, omnes Arbores fructus ſuos edunt, & abundant vuæ, ficus, mala, &c. Hyeme non deſunt glandes, caſtaneæ, Rapæ, Porri, Apia, Radices &c. Sed de oleribus quid memorem? Vere namque germina ſeminifica Caulium, & aliarum olerum cibum miniſtrant; Æſtate lactucæ, endiuiæ, caules denſarum frondium, vulgò Caputij, Autumno Braſſica, & caules latarum frondium; hyeme vero Betæ, & Caules criſpi, qui vulgo nigri, & etiam, qui in Italia Bononienſes appellantur. Porrò iumenta vere quidem teneri veſcuntur herba, alijs vero anni temporibus, iiſdem deſiccatis, ſcilicet fœno, paleis, & etiam auena, hordeo, &c. En quomodo Prouidentia æterna, ne Animalia alimentum deſiderarent, ſingulis anni temporibus, ſuas herbas, ſuoſque peculiares edidit fructus; & hoc diſpoſuit, cùm mandauit: *Gen. cap. 1. ver. 11. Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum facientem fructum iuxta genus ſuum.* Quibus ex verbis ſapientiæ increatæ prouidentiam colligit D. Ioan. Chriſoſ. *Hom. 11. in Geneſ. to. 1. col. 53. lit. B. Singulis temporibus, & Anni partibus, varia, & diuerſa nobis alimenta Dominus largitur. Terra enim, quaſi optima nutrix, dona ſua nobis profert, præcepto dominico ſeruiens.* Hæc igitur extitit cauſa cur prius terram germina, fructuſque producere iuſſa eſt, quam creata Animalia fuerint, vt cibum paratum inuenirent.

2 Neque ad cibum tantummodo inſeruiunt Plantæ, ſed ad medicinam, tum hominum, tum Belluarum; quarum omnium virtutes referre longum eſſet, noſtræque breuitati incongruum; aliquas tamen ex ſanctis Patribus adducemus: ex his ad medicinam facientia hæc enumerat D. Ambroſius *lib. 3. cap. 8. Hex. to. 1. pag. 26. lit. E. Quid enumerem ſuccus herbarum ſalubres? Quid Virgultorum, ac foliorum remedia? Ceruus æger ramuſculos oleæ mandit, & ſanus fit. Locuſtas quoque folia oleæ arraſa liberant ab ægritudine: Rubi folia ſuperiacta ſerpenti enecant. Culices non tangent te, ſi abſinthij herbam cum oleo coquas, & eo te perunxeris.* Multæ etiam herbæ ſunt, quæ purgandi aluum virtutem habent, inter quas Malua: de qua D. Iſidorus Hiſpal. *lib. 18. cap. 10. orig. pag. 154. col. 1. lit. C.* hæc habet: *Malua ex parte græco vocabulo appellatur, eo quod molliendi aluum, ſoluendique naturam habet. Cuius ſucco ſi quis ſe, oleo mixto perunxerit, ab Apibus negatur feriri.* Hanc etiam virtutem purgandi aluum habet Hyſopus; & ideo Deus, qui ad inuiſibiles gratiæ ſuæ effectus vtitur creaturis ſimilitudinarijs, voluit in veteri teſtamento, vt ad ſignificandam gratiam ſanctificantem peccatores, hyſopo ſanguine aſperſo vterentur: cuius exoptabat effectum Rex pœnitens, cum dicebat: *Pſal. 50. ver. 8. Aſperges me Hyſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*: & hanc rationem relatæ cæremoniæ dat citatus Iſidorus *loc. cit. lit. D. Hyſopus herba purgandis pulmonibus apta; vnde & in veteri teſtamento per hyſopi faſciculos aſpergebantur ſanguine, qui mundari volebant.*

3 Contra venena multæ herbæ medicamentum præbent; & multas ex illis refert D. Iſidorus cit. *l. E: Nam contra venena Radices, Nuces, Lupini, citrum, Apium proſunt; ſed contra futurum, non contra acceptum venenum. Vnde & apud veteres, ante alias epulas, hoc ſolebant menſis apponere*: & ſpecialiter de Apio paulo poſt ait. *Apij radices efficaciter pugnant contra inſidias venenorum.* Sed contra iam hauſtum venenum innumeræ iuuant herbæ, inter quas Diptamum ponit B. Albertus Magnus *Tract. 2. lib. 6. cap. 5. de plant. pag. 468. col. 2 Diptamus*, inquit, *eſt herba communis ſatis calida, & ſicca, quam, vt tradunt, Cerui iaculati toxicatis prodiderunt; extrahit venenum comeſta, & ſuperlinita.* His etiam adiungitur Gentiana, quæ contra morſum omnium venenatorum præſtantiſſimum medicamen eſt; de ea Idem Albertus *loc. cit. cap. 7 pag. 472. col. 2. Succus Gentianæ valet pleureticis, & eſt aperitiua oppilationum epatis, & ſplenis, frigiditatem cauſantibus; & vltima medicina contra morſum ſcorpionis, contra morſum omnium venenatorum, contra morſum canis rabidi, & contra morſum luporum, quando bibuntur ex eo duæ vnciæ cum vino.* Neque prætereundi ſunt Caules, qui & ad eſum, & ad medicamina aptiſſimi ſunt; & in tres ſpecies a Plinio diſtinguuntur; quod ſupra indicauimus; porro earum virtutes hæ ſunt ex Plinio, & alijs, vt refert Bartolomæus Anglicus *de proprietatibus rerum lib. 17. cap. 115. pag. 894. Plinius libr. 20. capit. 10. multis laudibus extollit caulem, quo ad vſum medicinæ, & dicit, quod eius triplex eſt ſpecies. Quædam eſt criſpa, vtilis ſtomacho, aluum modicè molliens: alia lata habens folia ſpiſſa, & iſta minus valet ad medicinam: tertia tenuia habet folia, & ſimplicia, & cæteris amarior, ſed vtilior medicinæ. Folia eius trita, & appoſita*

bis in die ſanant canum vulnera recentia, & inueterata mirè ſanant. Caulis parum coctus ſoluit, multum coctus ſtringit: vino, & ebrietati reſiſtit, neruos confortat, & ideo vtilis eſt paraliticis, & tremuloſis: lactis vbertatē tribuit puerperis; ſuccus eius valet contra venenū: contra morsū canis rabidi. Odorē ſeminis eius cocti fugiunt ſerpentes, &c. Bractea ſylueſtris, id eſt caulis per ſe naſcens, habet effectus fortiores.

3 Mandragora inter medicinales plantas non vltimū habet locum, præſertim, quæ generandi facultatem roborat; ſed illud de ea ſpecialiter narrat D. Iſidorus Hiſpalenſis, quod tam dulcem ſoporem, cortex eius vino mixtus inducit, vt propterea potum detur iis, quibus aliquod membrum ſecandum eſt, vt dulciter ſoporati dolorem non ſentiant, *Mandragora dicta, quod habeat mala ſuaue olentia: cuius cortex vino mixtus datur ad bibendum iis, quorum corpus propter curam, ſecandum eſt, vt ſoporati dolorem non ſentiant. lib. 18. cap. 9. orig. pag. 152. col. 1. lit. B.* Vt mirum non ſit Sacram Sponſam virtutes ſuas præclaras ſub Mandragorarum odore expoſuiſſe: *Canticorum, cap. 7. verſ. 13. Mandragoræ dederunt odorem ſuum*; cum odor harum plantarum præſtantiſſimus ſit: vnde Lyranus adiungit. *Mandragoræ poma ſunt pulchra, & odorifera, & valde rara, & per hæc intelliguntur excellentes viri in Eccleſia, odorem famæ, per ſanctam vitam dantes.* Et propter hanc cauſam etiam Rachel poma Mandragoræ appetebat, vt habetur *Geneſis, cap. 30.* non ad medicandam ſterilitatem; nam ad hoc virtutem nullam habet, vt videre eſt apud herbarios. Neque ſola Mandragora ſoporem adducit, verum etiam Papauer ſomnum conciliat. vt tradit D. Iſidorus, *loc. cit. Papauer herba ſomnifera*, de qua Virgilius.

Lateo perfuſa papauera ſomno:

ſoporem enim languentibus facit. Tandē de Bugloſſo inter multas virtutes in primis celebratur, quod vino infuſa ad ſapientiam nutriendam valeat, ſpiritus namque, & ſubſtantiam præſtantem gignit; quod ex veterum traditione, docet idem Iſidorus, *loc. cit. col. 2. lit. F. Bugloſſos à Græcis dicta, eo quod folia aſperrima ad modum linguæ Bouis habeat. Quæ mirum in modum ad ſapientiam nutriendam, vino infundenda à veteribus memoratur.* Hęc eſt Plantarum, & ad eſum, & ad medicinam vtilitas, quę ſufficiant ne in immenſum opus excreſcat.

4 Cęterum, neque ad ſolum pabulum, aut medicamen, plantæ ſunt genitæ, ſed ad hominis quoque oblectamentum, vt videlicet ſua pulchritudine viſum attraherent, ſuo odore recrearent olfactum, ſua teneritudine tactum refrigerarent, ſi guſtum paſcerent ſuauitate: Ad hoc videtur reſpexiſſe Eccleſiam dum in hymno Feriæ tertiæ ad Veſperas (nam & hac die plantæ germinauerunt) canit Deo.

Pulſis aquę moleſtiis
Terram dediſti immobilem.
Vt germen aptum proferens.
Fuluis decora floribus,
Fœcunda fructu ſiſteret,
Paſtumque gratum redderet.

Imò tanta eſt agri herbis veſtiti, ac floribus condecorati pulchritudo, vt Deus ad declarandam propriæ excellentiam pulchritudinis, hac ſimilitudine vtatur, pulchritudinem agri in ſe continere teſtificans: *Pſalm 49. verſ. 11. Pulchritudo agri mecum eſt.* Quem agrorum decorē, nec non Dei ſententiam admiratus Diuus Ambroſius, ait. *lib. 3 cap. 8. Hexæm. tom. 1. pag. 26. lit. C. Quæ vero ſpecies pleni agri? qui odor? quæ voluptas agricolarum? Quid deſcribam purpuraſcentes violas, candida lilia, rutilantes roſas, depicta rura nunc aureis, nunc varijs, nunc luteis floribus, in quibus neſcias vtrum ſpecies amplius florum, an vis odora delectet? Paſcuntur oculi grato ſpectaculo, longè, lateque odor ſpargitur, viſus ſuauitate completur. Vnde dignè Dominus ait: Pulchritudo agri mecum eſt.* Patent igitur omnes cauſæ quare plantæ, & earum flores, ac fructus creata ſint, vt omnibus animantibus, & præcipuè homini, iucunditatem præberent, ſalutem, & nutrimentum.

§. II.

Vtrum ſolis oleribus, & fructibus ad eſcam vſi ſint homines ante diluuium.

1 ET *herbam ſeruituti hominum, ad educendum panem de terra*: Occaſio huius diſputationis petitur ex hoc, & ſequenti verſu, in quibus videntur ad eſcam homini aſſignari herbæ, triticum, vinum, & oleum. Deinde *ex Geneſi, cap. 1. verſ. 29.* Vbi Deus tam homini, quam cœteris beſtiis hanc ſolam aſſignat eſcam, dicens: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cœli, &c.* Quibus in verbis limitatur eis eſca ad ſolas plantas, plantarumque ſemina, ſeu fructus; non ergo videtur fuiſſe licitum interfectis animalibus veſci. Tertio, *ex Geneſi, cap. 9. verſicul. 3.* vbi legitur licentia data Noe, ac filiis, & nepotibus ſuis comedendi carnes: *Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quaſi*, (ſeu ex hebræo) *ſicut olera virentia tradidi vobis omnia.* Si ergo antea carnes comedi ſolitæ fuiſſent, fruſtratoria iſta conceſſio fieret in præſenti poſt diluuium. In contrarium autem faciunt aliqua, quod ſcilicet ante diluuium refert Beroſus Chaldeus, non ſolum carnes, ſed etiam humanas homines comediſſe: neque credibile eſt effrenatos illos viros, qui modo gigantes, modo caro nuncupantur, cum tot deliciis, & gulæ indulſiſſent, ab eſu carnium abſtinuiſſe. Legitur inſuper, *Geneſ. cap. 4. verſ. 3.* dicitur, quòd *Abel fuit paſtor ouium*; & quòd *obtulit de primogenitis gregis ſui, & adipibus eorum Deo*: Ergo oues, quas regebat comedebat, & earum adipe veſcebatur; ne Deo daret, quod ipſe non guſtabat: quod de iuſto dicendum non eſt. Hæc eſt ratio dubitandi, & huius quæſtionis occaſio.

2 Eſt ergo quo ad hoc opinio affirmans licitum fuiſſe eſum carnium, & conſequenter fuiſſe vſum eas comedendi; licet enim Deus ſolas herbas nominauerit, cum eſcam aſſignabat, nihilominus ex directo, & omnino abſoluto dominio, quod homini in reliqua animantia datum eſt, poterat iis etiam ad veſcendum vti: ita docet Doctiſſimus Caietanus, *in cap. 9. Geneſ. pag. 51. col. 1. Neceſſitas explicatur veſcendi carnibus. Hoc eſt, quod ante diluuium poterat quidem homo veſci carnibus, ſed non indigebat.* Huic ſententiæ videtur accedere Abbas Rupertus, *lib. 4. cap. 30. in Geneſ. tom. 1. pag. 63. colum. 2.* qui putat homini ante diluuium licitum fuiſſe, & etiam in vſu comedere carnes; poſt diluuium verò expreſſa licentia data, & poteſtas facta propter maiorem neceſſitatem. *Igitur & ſi ante hac abſque vlla Dei præcipientis authoritate hæc homo in cibum præſumpſit; iam nunc ex hoc poteſtate accepta, iure ſibi vendicat eadem in eſcam.* Confirmatur etiam ex authoritate D. Iuſtini Philoſophi, & Martyris; qui *ad quæſtionem. 119. Orthodoxorum, pag. 472. lit. A.* reſpondens; in qua quærebatur, cur cùm ante diluuium nec fruges comederentur, nec carnes, dicitur Cain, & Abel ea Domino obtuliſſe; hæc habet. *Beatus Apoſtolus Paulus Doctorum Pater, & veræ pietatis Doctor, ait: Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit? Pro eo, quod eſt, nullus. Quod ſi nullus perſpicuum certè fuerit, neq; Abelem ita pauiſſe gregem, vt non ederet lac gregis eius.* Ergo ſi comedebat lac, quod inter plantas, & fructus nō recēſetur, & hoc licitè

potuit

potuit etiam comedere, & de facto comedit etiam ouiũ carnes;ad quid enim tot greges ouium deſeruiret?

3 Eſt & alia huic oppoſita ſententia,quę negat ante diluuium vſum carnium ad menſas fuiſſe, ſed fructibus contentos fuiſſe; poſt diluuium vero indigentiam,libertatemque carnis comedendi extitiſſe;& rationem haud aſpernandam vtriuſque aſſignant. Nam ante Diluuium Terra in tota ſua fæcunditate conſiſtens, & adhuc continuo cultu non defatigata,fructus, & herbas optimi ſaporis, & præſtantioris ſubſtantiæ producebat; ita vt nulla eſſet neceſſitas, nec ad nutritionem, nec ad gulam comeſtione carnium: poſt diluuium vero Terra iam exfructata, nec non aqua marina ſalſa, & improba per annum cooperta, & ſterilis rēddita, fructus, & herbas longè inferioris bonitatis edidit; hinc etiam hominum complexio deterior effecta, alimento carnium neceſſe habuit. Hæc negatiua aſſertio, quæ ſuſtinet ante diluuium eſum carnium in vſum non fuiſſe, eſt primò Abulenſis, qui *in cap.9. Geneſ. pag.47. col.4. lit.K.* ait, *Hic dat hominibus poteſtatem comedendi carnes, & piſces; ante diluuium nec erat vſus vini, nec carnium, nec piſcium; ſed ſolis fructibus, & ſegetibus ſponte natis veſcebantur.* Et prius, *in cap.1. Geneſ. pag 9. col.4.* dixerat: *Vt ſint vobis in eſcam: Hic taxauit Deus cibos hominibus, ſcilicet, vt carnes non comederent; ſed ſolum fructibus arborum, & herbis veſcerentur; & obſeruata fuit iſta lex vſque ad diluuium.* De hoc Boetius, *de conſolat. lib.2.metr.5.*

Felix nimium prior ætas
Contenta dulcibus aruis,
Nec inerti perdita luxu:
Facilique ſera ſolebat
Ieiunia ſoluere glande;
Nec bacchica munera norant
Liquida confundere melle.

Idem ſentit Lyranus, *in cap. 9. Geneſ. Tunc enim conceſſit eis Deus, quod poſſint veſci piſcibus, & carnibus, duplici ratione. Vna quia terra per diluuium fuit peiorata, vt dictum eſt ſupra, & ideo terræ naſcentia non ſunt nutritiua ſicut ante: Secunda, quia natura humana facta eſt fragilior, & ideo conceſſus eſt eis cibus lautior; vnde ſequitur: Quaſi olera virentia dedi vobis omnia: Ideſt ſicuti primo homini conceſſi veſci omnibus terræ naſcentibus, ſic vobis concedo veſci piſcibus, & carnibus.* Hanc eamdem ſententiam, & propter eamdem rationem, tenet Cardinalis Hugo, *in cap.9.Geneſ. pag.13.col.1. Primo homini herba conceditur in cibum, nunc autem conceditur caro: eſus carnium conceſſus videtur poſt diluuium propter infæcunditatem terræ, & hominis fragilitatem.* Porrò ſufficientiam herbarum, & fructuum etiam ipſe Rupertus *loc.cit.* concedit ante diluuium; inquit namque. *Attamen felici adhuc, & infirmitatis experto homini tenuis ille victus ſufficientior extitit, quam infirmo nunc, & moribundo carnium eſus eſſe poſſit.* D. Theodoretus hanc negatiuam ſententiam ſecutus, alia tamen motus eſt ratione, *quæſt.55. in Geneſ. pag. 15. col. 2. tom.1.* ſcilicet, ne homines decepti animalia adorarent, reputando adoratione indignum, quod ipſi comedendo deuorarent. *Cur planè de carnibus edendis legem tulit? mox, vbi creaſſet hominem dedit illi terræ fructus, iubens illum veſci fructu ſeminum, & arborum, poſt diluuium autem pretioſiorem cibum illi confert, iubens occidere, & comedere volatilia, & natatilia, & terreſtria animalia, affectum affectu repellens, & leniori curans grauiorem. Prauidens enim Deus homines in extremam dementiam lapſos hæc omnia animalia pro Dijs habituros, permiſit illorum eſum, vt impietatem illam cohiberet.*

4 Cęterum hæc negatiua reſponſio confirmatur authoritate D. Ioannis Chriſoſtomi, dicentis, *hom.27. in Geneſ. to.1. col.165. lit.C. Omne reptile viuens erit vobis in cibum, vt olera herbarum vobis dedi omnia. Hic eſt initium edendarum carnium; non vt ipſas ad ventris ingluuiem paret, & inſtruat, ſed quia ex ipſis erat Noe ſacrificaturus, & Deo gratias acturus.* Idem docet D. Thomas in Epiſtola ad Romanos, *pag.43.cap.3 litt.G.* vbi Apoſtolos ieiunii, & parſimoniæ Prædicator ſolis infirmis olerum eſum concedit, dicens: *Qui infirmus eſt olus manducet, ad Roman.cap* 14. *verſ.*2. vbi Sanctus Doctor, *Terræ naſcentia fuerunt à principio conceſſa homini ad edendum ſecundum illud Geneſ.1. Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. ſed poſt diluuium primò legitur homini conceſſus vſus carnium. Vnde dicitur Geneſ.9. Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia: ſcilicet animalium genera.* Huic etiam aſſertioni fauet D. Iſidorus Hiſpalenſis, *lib.18.cap.10.Origin. pag.154. col.1. lit.C.* qui explicās etymologiam huius nominis, *olus*, putat ex eo deriuatum, quòd alat, nam ante diluuium erat omnium alimentum. *Olus ab alendo dicta, eo, quòd primum homines ab oleribus alerentur, antequam fruges, & carnes ederent. Tantum enim pomis arborum, & oleribus alebantur, ſicut animalia herbis.* His omnibus authoritatibus conuincitur ex ipſo Sacræ Scripturæ textu, ante diluuium vſum comedendi carnes nō extitiſſe, tum quia Deus negauerat; tum quia ab iis, quorum vſum non habemus edendi abhorret animus: vt ſi quis nobis in eſcam daret canes, ſerpentes, & his ſimilia. Quòd autem eſus carnis fuerit interdictus, ſic probatur, quia quando aſſignatur aliquid, quidquid non includitur in conceſſione videtur excluſum; & vt infinita omittam exempla: In Regula Ordinis Minorū S. P. Franciſci, vbi Fratrum amictus explicatur, conceduntur eis duæ tunicæ, cum vno caputio, &c. Hic omnes expoſitores, & Sūmi Pontifices declarant, omne illud, quod non eſt conceſſum, eſſe negatum, nec poſſe a fratribus in veſtis partem aſſumi: Igitur à ſimili, &c. Probatur ſecundò, *ex cap.9.* illa Dei præceptio ad Noe, filijſque comedendi carnes, vel fuit permiſſio, vel mandatum: non mandatum, vt optimè ſuſtinet Pererius, & alii apud ipſum, quia ſic peccaret, qui abſtineret à carnibus, quod falſum eſt; fuit igitur conceſſio, & permiſſio, ſed permiſſio non fit, niſi de re aliàs illicita, ne dicatur fruſtratoria, ergo ante diluuium eſus carnium extitit illicitus. Quare concludit Pererius, *in cap. 9. Geneſ. lib.14. num.7. pag.237. Hinc apparet ante diluuiū eſum carnium vel non fuiſſe licitum, vel non fuiſſe in more, atque vſu ſaltem apud probos, & pios viros, quos Moyſes Dei filios appellauit.*

5 Tandem ſatisfaciendum eſt rationibus, & authoritatibus pro parte affirmatiua relatis. Ad illud de ſacrificio Abelis dicitur greges iumentorū non ad ſolam eſcā nutriri: ſed etiam aliis de cauſis ad vtilitatem hominum; ſic equatum greges nutriuntur non ad eſum, ſed ad alia munera; neque obſtat ſacrificium Abelis factum de re, quam non edebat: dummodo erat de re ſibi vtili, nam, & de lana pecorum, & ouium, veſtes faciebant; & fortaſſe etiam lac, & caſeum comedebant; nam licet lac non ſit fructus herbæ: eſt tamen homini notum; nam ſicut paruuli humanum ſugebant lac ob neceſſitatem, ſic etiam licitum fuerat, etiam grandioribus, ouium lacte veſci; neque lac prohibitum videtur maioribus natu, qui minoribus concedebatur. Et hoc tantum probat authoritas D. Iuſtini, ſupra relata, qui Abelem lacte vſum fuiſſe ad veſcendum probat. Quod autem Scriptura dicit, *Geneſ. cap.4. verſ.4.* Abelem Deo obtuliſſe, *de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*; vnde videtur colligi ipſum agnos comediſſe, ad quid enim mactaret, vt ſumeret eorum adipem ad offerendum, & proiiceret carnes? Reſpondetur; holocauſtum Deo offerri etiam, cum totum comburitur Sacrificium, & cum Deo datum animal interficitur, ne aliis vſibus ſeruiat, quod Dei eſt; Ita habemus in Exodo de primogenito Aſini ſcriptum; cum Deus omnia primogenita ſibi offerri mandaſſet ab homine, vſque ad iumentum, *Exod. cap.34. ver.20. Primogenitum Aſini redimes oue, quod ſi nec pretium pro eo dederis, interficies.* De adipe vero dicendum eſt, eius nomine intellexiſſe lac, tum quia etiam farina

adeps frumenti vocatur; *Pſal. 14. ver. 14. & adipe frumenti ſatiat te*: vnde etiam lac dici poteſt adeps ouium: tum etiam quia verbum חלב in litera hæbraica poteſt ſignificare lac, & adipem, ſolis variatis punctis, nam חָלָב; *Halab* eſt lac, & חֵלֶב *Heleb* eſt adeps; cum ergo Propheta ſine punctis ſcripſerit, ita poteſt legi lac, ſicut adeps: & ego quidem puto omnino lac eſſe intelligendum, ſiue lac, ſiue adeps interpretemur. Ad authoritatem Beroſi Chaldei, neſcio qui ſibi reuelauerit ante diluuium comeſtos homines, cùm, & ipſe ante diluuium non extiterit: non negauerim tamen extitiſſe etiam in illa priori ætate, aut ſaltem reperiri potuiſſe, homines, qui vel neceſſitate, vel crapula carnes comederint; cùm & modo repertæ ſint gentes, homines, & canes, &c. comedentes; ſed cùm hoc non reperiatur ſcriptum, an fuerit ante diluuium, nec ne, incertum: illud verò certiſſimum eſſe debet, apud communem hominum vſum carnium eſum in more non extitiſſe, nec licitum fuiſſe. Obijciunt quidam apud Pererium, quid de carniuoris Beſtijs, & auibus dicendum ſit, an ante diluuium a carnibus abſtinuerint? nam herbæ, & ſemina videntur aſſignata in cibum omnibus Animalibus. Ad hoc dupliciter reſponderi poteſt; primò neque ipſa carnibus vſa fuiſſe propter eamdem rationem, præſertim cum in initio mundi pauca numerarentur animalia: 2. dicitur nomine beſtiarum intelligi maiorem partem earum, quę herbis, & ſeminibus veſcuntur; nam (vt optimè notat D. Ambroſius *lib. de Noe cap. 23. to. 1. pag. 155. lit. A.* licet omnes herbæ ante, & omnes beſtiæ poſt concedantur homini ad eſcam, non ſunt tamen omnes herbę, nec omnes beſtiæ aptæ ad eſum; ſed ly, *Omnis*, ſumitur pro maiori parte. *Sed quemadmodum*, (ait ille) *& olera non omnia ad eſcæ vſum habilia ſunt; ita etiam non omne reptile viuens accomodum ad eum epulandum*. Cum ergo dicitur herba in eſum dari omnibus beſtijs, intelligitur maiori parti. Concluditur ergo ex his, ante diluuium homines carnes nec licitè, nec communiter comediſſe.

§. III.

Homo Creaturarum Dominus, propter quem creatæ ſunt.

1 *SEruituti hominum*. Omnia viſibilia, & inuiſibilia quæ operatus eſt omnipotens Deus ad ſuam ipſius gloriam, tanquam finem vltimum deſtinauit: ſed præcipuè rationabiles creaturas, quibus ei ſeruiendi, & cognoſcendi tribuit poteſtatem. Vt autem homo Deo commodius ſeruire poſſet multas edidit in hoc terreno mundo creaturas, quæ ſolius hominis ſeruituti deputatæ ſunt. Primo namque conſiderare oportet Deum herbas, plantas, & fructus creaſſe ad hominis eſcam, vt vidimus ſupra. Neque his contentus, Maria ſpatioſa ſapidis repleuit piſcibus, lacus, flumina, & ſtagna natatilibus referta ſunt, vt hominum menſis delicias miniſtrarent, quot ruſpant in terris Gallinæ, quot in turribus nidificant columbæ, quot per aquas delicientur Anſeres, ſed & per aera perdices, coturnices, turdi, Alandæ, ficedulæ, aliæque innumeræ aues hominum vſui volitant; quot habent arua Boues, oues, Bubalos, capreas, quot nutriunt ſyluæ ceruos, cuniculos, Capreas, Apros, lepores, aliaque Animalia eſui humano apta? Hæc omnia in principio propter homines creata fuere, & pereunte mundo ſub aquis ideo ſeruata ſunt, vt poſſent hominibus inſeruire. Ideo dicitur Gen. *cap. 9. v. 3. Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt; & omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum*: Vbi aduertit Abbas Rupert. *lib. 4. c. 20. in exod. to. 1. pag. 63. col. 2. Porro hæc homini poteſtas ſuper omnia Animantia nunc iure accreſcitur; nam & tunc propter hominem condita, & nunc propter hominem reſeruata, duplici cauſa hoc homini debēt, quod ſunt*. Hanc etiam Animalium ſeruitutem declarat Pſaltes, dum ait; *Pſal. 8. ver. 7. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, Oues, & Boues vniuerſas, inſuper, & pecora campi: Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*. Prouidentia enim, ac benignitate diuina factum eſt vt homo dominaretur omnibus creaturis, ad ſui vtilitatem, inquit D. Theodoretus *in Pſal. 8. tom. 1. pag. 91. col. 1. Tuæ autem benignitatis, ac virtutis euidens ſignificatio, hæc eſt, cùm abiectam hominum naturam tanta ſapientia repleueris, vt non ſolum terreſtribus. Animalibus, verum etiam volatilibus, natantibus, atque ijs, quæ ſunt ambiguæ naturæ, dominetur, & quæ in profundo ſunt, arte, & ingenio aucupando capiat, vtque illa quæ aerem penetrant, & quæ aquis occultantur, ſubiecta teneat.*

2 Neque illis ad ſolum dominatur eſum, ſed ad multiplicem ſeruitutem, nam & vtitur ad itinerandum equis, & iumentis, iiſque, & camelis ad onera ferenda, tum etiam ad bellum, in quo & immania bellua elephantos arte ſubiecit, vtitur & ad muſicam, & ad aucupandum auibus, ad venationem canibus, & ad tutelam; Denique nullum eſt animal viuens, ex quo, vt ex iam dictis, & ex dicendis patet, aliqua vtilitate, ſuam non exigat ſeruitutem homo. Quæ cum ita ſint, mirari non debemus, ſi omnia Animalia ideo paſcit Deus, vt poſſint homini deſeruire. Vbi ordo rerum prouidentiſſimus Diuini Numinis obſeruandus eſt; nam pluuiæ cæleſtes, nec non fontes, & flumina ad irrigandam terram deſeruiunt, vt fæcundetur; terra fæcundatur, vt herbas alat, & producat; herbæ ad nutrienda Animalia deputantur, Animalia ad hominum ſeruitutem diriguntur; Homo tandem ad ipſius Diuinitatis obſequium deſtinatur. Idcirco optimè hic dictum eſt: *Pſal. 103. ver. 14. Producens fænum iumentis, & herbam ſeruituti hominum*: Quod ita explicat Hugo car. *Producens fænum iumentis; quaſi dicat; Ita vtilia facis terra naſcentia, quod non ſolum paſcis ex ea homines, ſed etiam iumenta, quæ dediſti in auxilium hominum: & ad quid dat illis eſcam? vt ſeruiant hominibus; vnde additur: ſeruituti hominum: ideſt, vt ſeruiant hominibus, quia & propter hoc facta fuerunt, & propter hoc ſuſtentantur a Domino.*

3 Neque terrena, aut aquea, ſiue aerea corpora, aut mortua, aut viuentia ſola homini ſeruiunt, ſed etiam Cælorum ſydera homini ſeruiunt; Nam & ad elementorum diſpoſitionem, mixtorum generationem, pluuiarum immiſſionem, terræ fæcundationem, animalium conſeruationem ſtellę concurrunt; & etiam ad ipſius humani corporis generationem ſtellæ deſeruiunt; vnde vulgatum illud apud Philoſophos axioma; *Deus, Sol, & Homo generant hominem*. Vnde Scotus *in 2. ſent. diſ. 14. quæſ. 3. in corpor. pag. 143. col. 3.* concludit. *Dico ad quæſtionem, quod ſtellæ habent actionem in hæc inferiora, in elementa, in mixta inanimata, & animata irrationabilia*. Quod probat exauthoritatę Geneſis. *Geneſis primo dicitur de ſtellis, quod poſitæ ſunt in firmamento cæli, vt ſint in ſigna, & tempora, & non ſolum aeris, & terræ*. Deſeruiunt inſuper ad temporis menſuram, dierum, noctiumque, menſium, & annorum diſtinctionibus, nam vt ait D. Gregorius *Hom. 10 in euang. tom. 3. pag. 23. lit. A. Non propter ſtellas homo, ſed ſtelle propter hominem factæ ſunt*. Et propheta inter alias creaturas, quas ad Dei prouocat laudem, ſtellas enumerat: inquiens, *Pſal. 148. ver. 3. Laudate eum Sol, & Luna Laudate eum omnes ſtellæ, & lumen*. Quaſi hominem erudiret, vt cum Deum laudat propter præſtita ſibi ab eo beneficia etiam ſtellas recenſeat, nam & illæ propter ipſum factæ ad eius ſeruitutem ſubiectæ ſunt; nam ita docet D. Hieronymus *in Pſalm. 148. pag. 423. lit. C. Grandem honorem habes humana Anima, Sol, & Luna, & Stellæ pro te currunt, pro te ſeruiunt*. Hinc eleemoſinas ſuaſurus Chriſoſtomus, in illa verba Pauli: *Ad Coloſſ. cap. 3. ver. 12. Induite ergo vos ſicut electi Dei ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ*: docet ſubuenire pauperibus Herculeum laborem eſſe; etenim ſi ille labanti Cœlo ſuppoſuit terga, animam

nam ſuſtentare, quæ Cœlo dignior, quæ ſtellis potentior, cui omnes ſeruiunt creaturæ plus eſt, quam regere Cælum. *Cui, quicquid vnquam æquale fuerit, & ad vtilitatis, & dignitatis rationem? Si enim tibi talem dediſſet poteſtatem, vt labens cælum ſuſtinere poſſes, nonne id opus honorem te multo maiorem exiſtimaſſes? En igitur maiore te dignum fecit honore, quod enim Cælis eſt dignius tibi reſouendum commiſit. Apud Deum enim viſibilium nil homini par: nam & Cælum, & Terram, & mare propter eum fecit, & in eo magis quam in Cælo delectatur inhabitare.* Hæc D. *Ioan. Chriſoſ. Hom. ad pop. Ant.* 35. *to.* 5. *col.* 234. *lit. C.* Omnium ergo Creaturarum Dominus Homo eſt, cui elementa, gramina, Animalia, ſtellæ ſeruiunt, ad eius genita ſeruitutem.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

DOminus noſter omnibus prouidet creaturis, *producens fœnum iumentis, et herbam ſeruituti hominum, ad educendum panem de terra.* Sed nec ſolum irrationabilia paſcit Bellua, verùm Iumentorum nomine, vel homines adhuc rudes intelligit, quibus proportionatam doctrinæ præparat eſcam, vel ſanctas Animas, quibus ſuæ carnis dat cibum; vel Animas aridas, quæ diuinarum conſolationum aquam expectant: vel pauperes, quibus debent diuites eſcam; Ideo autem adiungit; *ſeruituti hominum*, vt oſtendat Hominem omnium creaturarum Dominum eſſe, propter quem cętera creata fuerunt. De his ergo breuiter videndum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Homines iumenta, quibus Deus præparat eſcam ſuæ carnis.*
2 *Vnicuique ſecundum propriam neceſſitatem ſubuenit Deus.*
3 *Animæ aridæ in ſpiritu Deum ſitiunt.*
4 *Diuites eleemoſinam pauperibus debent.*
5 *Eleemoſina ſemen fructificans panem æternum.*

§. I.

Homines iumenta, quibus Deus præparat eſcam ſuæ carnis.

1 P*Roducens fænum iumentis*. Immenſa Dei liberalitas manum ſuæ adaperiens munificentiæ, & miſericordis omnipotentiæ, non ſolum Bruta animantia Hominis cauſa nutrit, verum etiam ipſius hominis animam, multories ipſis feris crudeliorem, & indigniorem diuina reficit eſca. Nonne Belluam dices hominem, qui brutalibus irretitus delicijs nullum habet rationis vſum, & feralibus furit motibus? Is Dei gratia ad meliorem vitæ rationem conuerſus, dum a mundialibus abhorrens illecebris ad Dei ſeruitium, in mentis puritate ſe ſubijcit, compoſitis paſſionibus manſueſcit, & ex fera Bellua, quæ in mundi deliteſcens ſylua Diabolici Leonis venatorijs cautelis patebat, fit manſuetum, fit ſanctum Iumentum Chriſti; Cui Dominus tanquam iumento ſuo fœnum præparat, non terrenarum eſcarum amarulenta Conuiuia, ſed propriæ carnis, & ſanguinis dulciſſimas epulas; fœnum, quod virens in vtero Virginis floruit, in cruce ſiccatum eſt, & deinde in Eccleſię Horreis congregatum in panem Angelorum excreuit. Hoc eſt quod dicit Pſaltes: *Producens fænum iumentis*: vt diſertè oſtendit Hugo Caren. Card. *in Pſal.* 103. *Per iumenta, & per ſeruitutem hominum intelliguntur fideles Dei ſeruitio mancipati; quibus Chriſtus produxit fænum carnis ſuæ. Hoc fænum exiccatum fuit in paſſionis feruore; tunc enim verè fuit fænum; ſed quaſi herba virens fuit in vtero B. Virginis, & etiam in præſepio; ſed hæc herba creuit in panem Angelorum.* Optimus Agricola Deus Verbum ſuum in mundum miſit, vt tanquam fœnum humana paſceret iumenta.

2 Maximam ingerit admirationem, quod omnipotens Dominus omnino immaterialis, & incorporeus, carnem noſtram aſſumpſerit; qui poſſet nos, ſine tali Deitatis reſtrictione, delicijs recreare cæleſtibus, & donis immortalibus ſatiare. Verum ita humanæ conditio naturæ exigebat. Si Princeps aliquis magnus iumentis equiſque ſuis, propter ſeruitutem optimè Domino præſtitam, vellet lautum apparare conuiuium; quid putas illis apponeret; forſitan tot ferculorum exculenta genera, ac varia eſcarum ſapida edulia, quæ crocus, & piper, ac orientale cinamomum, balſamumque condiret arabicum? aut Græco, Cretico, Falernoque ſpumantes cyatos? minimè id quidem; nam ea nec aſpicerent Iumenta; ſed probe exiccatum fœnum, viridantia gramina, hordeumque pingue, & e ſuis manantes fontibus limpidiſſimas vndas aquarum. Nonne per primi Parentis culpam totum genus humanum in iumentorum ferè ſpeciem mutatum eſt? quid appetit niſi terrena, de terra natus, & quid ſapiunt niſi carnalia carne compaginato? Ea quæ cæleſtia ſunt, quia oculus non cernit, nec capit mẽs, voluntas appetere non valet; Proh dolor! panis ille immortalis, qui ſolo intuitu cœleſtes recreat ciues, & angelicas paſcit mentes; vinum illud quod ſempiterna ſatiat fruitione, nauſeam mortalibus cauſat: Benè dicebat Propheta Deo: *Pſal.* 72. *v.* 22. *Vt Iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*: Quaſi diceret humana mea conditio, quæ nonniſi carnalia ſapit, cæleſtibus frui delicijs neſcit: ſi ergo tu Domine in hoc exilio exſaturare me vis, memento me Iumentum eſſe, pabulum terrenum expetere; veſtiaris ergo carne; vt ſic fœnũ mihi factum, in te delicias, quas poſſum, experiar. Hæc igitur cauſa fuit cur Deus caro ſit factum, vt hominum aptaretur guſtui: audiamus de hac re D. Bernardum *ſerm.* 3. *de circumciſ. col.* 70. *lit. F. Nolite, obſecro, fieri ſicut equus, & mulus, ſed ſicut pium iumentum, quod ait: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum: Talia enim iumenta cognoſcunt poſſeſſorem ſuum, & præſepe Domini ſui, in quo poſitum eſt eis piſſimum fænum, ipſe, qui panis eſt Angelorum: ipſe enim eſt panis viuus, de quo viuere debuit homo; ſed quia homo iumentum factus eſt; & panis factus eſt fænum, vt vel ſic viuat de eo. Et huius quidem mutationis ſacramentum die Natiuitatis celebratum eſt, quando Verbum caro factum eſt, cum ſit omnis caro fænum.* Tale iumentum talis eſca decebat.

3 Cum decreniſſet Vnigeniti ſui incarnationem Deus ad redimendum humanum genus, non ſolum carne amictus peccati apparuit, ſibi bene viſo tempore, neque tantummodo pauperem conditionem induit, omnibus ſe exponens temporum iniuriis, ac egeſtatis periculis, verum etiam in ipſo ſui natalis exordio in ſtabulo naſcens, aliud non habuit, niſi iumentorum obſequium, neque lectum in quo cubaret, niſi præſepe. Luc. *cap. 2. v. 6. Et reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio*. Cęlorum, terrarumque Dominus, qui omnia maieſtate adimplet, & immenſitate adæquat, locum, in quo quieſcat non habet. Sed cur tam propera egeſtas, cur vix nato deeſt locus; & ſi fas eſt dubitare, cur in præſepe potius, quam alibi collocatur? ſcilicet bene nouerat hominem iumentum eſſe, fęnum expectare, pabulum quærere: ipſe ergo, qui Angelorum panis cum ſit, caro, ideſt fęnum factum erat, vt ſe præberet edendum iumẽtis locum præſepe opportuniorem, in quo iumenta comederent, non inuenit. Quod Venerabilis Beda aſſeruit, *in cap. 2. Luc. tom. 5. col. 234.* dicens, *Qui panis eſt Angelorum in præſepio reclinatur, vt nos, quaſi ſancta animalia, carnis ſuæ frumento reficeret*. Gaudete, lætamini iumenta Chriſti, en Verbum Caro, Panis fęnum effectum eſt, vt vos diuina ſatietate repleret.

4 Madautenſis Philoſophus L. Apuleius, vt Platonicam doctrinam de mundi huius miſeriis, ſub fabularum cortice tutius proponeret; finxit ſe magicis artibus in Iumentum mutatum (*in ſuo Aſino aureo*) & roſarum commeſtione ad formam priſtinam reſtitutum. Dum autem ſub aſinina pelle delituit, non ſolum omnem iumentorum laborem ſuſtinuit, ſed & pabulum, nam nonniſi, quæ iumentis dantur, edebat, donec, roſarum vi, hominibus reſtitutus, denuo ad fercula rediit conſueta. Homo & ipſe rationale erat Animal, à Deo ita creatus, vt cœleſtibus frueretur deliciis, ſed iumentorum pabulo delectatus ipſe ſeipſum perdidit; ſic vt iumentum carnalibus reficiebatur eſcis, cęleſtia non appetebat. Vt ergo Sacerdos æternus rationi hominem reſtitueret ſe tanquam fœno in præſepe exhibuit; ſed inter roſas, Virginis Matris brachia, vt rationis vſum ammiſſum reſtitueret nobis. Hoc præuidens in ſpiritu, dixit Propheta Iſaias *cap. 1. verſ. 3. Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui*. Tunc etenim ratione vtens agnouit, cum in præſepe reclinatum diuinum fœnum, cęleſteſque roſas inuenit; tunc ratione carens iumentum, iterum rationabile factum eſt. Egregiè Niſſenus Gregor. *Orat. in Natiu. Dom. pag. 781. lit. B. Quod autem ratione præditum eſt Animal veſcitur pane; idcirco in præſepi, quod eſt animalium ratione carentium ſedes, è cœlo delapſus vitæ panis proponitur, vt & ea, quæ à ratione ſunt aliena animalia, rationis cibo nutriantur, atq; ita ratione decorentur*. Accedamus ergo ad Domini noſtri præſepe, vt in hac animali vita eius carnium fœno nutriti, tandem ad diuinum eius panem veſcendum, rationabiles redditi, ad Cęlum perueniamus.

§. II.

Vnicuique ſecundum propriam neceſſitatem ſubuenit Deus.

1 PRoducens *fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum*: Poterat vtique primarum opifex rerum vnam, eamdemque omnibus animantibus communem producere eſcam; non tamen illi ſic viſum eſt; quãdoquidem diuerſis, ſpecie, natura, temperamento, conditione, vita, cognitione, diuerſa etiam pabula debebantur. Iumentis, vtpote ſimplicioribus beſtiis herbam, fęnumque attribuit, quæ eis ſufficere viderentur; ſed ad nutriendas Aues inepta erant gramina, & ideo ſemina requirebantur: Porro homini rationis prædito cibi opus erat, qui non ſolum paſceret, & nutriret, verum etiam delectaret; Hinc ei olera data, & earum condimenta reuelata, fructus ſapidos, dulces fruges, poma redolentia, & panis pinguedinem; inſuper ad potum, Beſtijs aqua ſat eſt, at homo arte ſua, vinum, ſiceram, ceruiſiam, lac, & his ſimilia habet: qua de re illi paraſitici verſus circumferuntur.

Vina bibant homines, animalia cætera fontes,
Abſit ab humano pectore potus aqua.

Hinc colligere poſſumus Deum, nedum *in* corporeis, ſed & in ſpiritualibus hominis neceſſitatibus, *ſecundum* propriam vniuſcuiuſque indigentiam, & *virtutem* dona ſua tribuere; vt fatetur D. Hieronymus, *Producens fęnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum: vnicuique ſecundum propriam tribuens neceſſitatem*.

2 Princeps quidam peregrè profecturus, ſeruos vocauit ſuos, eiſque ſua bona diſtribuit, vt in *ipſa* operarentur, & ſibi cum augmento, & lucro ſuo tempore reſtituerent. Sed illud ponderatione dignum eſt, quod non æqualiter theſauros ſuos diſtribuit, ſed plus minuſue pro libito dediſſe videtur. Matth. *c. 25. v. 14. Homo quidam peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & diſtribuit illis bona ſua; & vni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero vnum*. Non videtur æqualitatem ſeruaſſe; nam inæqualiter bona diſtribuens, cui minus dedit, minus æſtimare ſe oſtendit. Enim vero non fuit in diſpenſatore perſonarum acceptio, ſed in ipſis recipientibus habilitatis diſparitas, & negotiationis peritia: & ideo ſubditur, *vnicuique ſecundum propriam virtutem*. Qui enim vaſa aliqua vacua aqua, vel liquore alio implere deſiderat, tantum *illius in* quodlibet illorum infundit, quanta eſt & illius capacitas; aliàs enim effunderetur. Ita miſericors, & miſerator Dominus hominum neceſſitatibus occurrens ſecundum perſonæ indigentiam, & capacitatem ſua dona diſtribuit; ne grauaminis quiſquam incuſare Deum poſſet, cum ſupra vires iugum accipere iuberetur. Quod etiam ex ipſo textu interlinearis Gloſſ colligit his verbis. *Diſtribuit illis bona ſua: Dedit Deus hominibus naturalia, & gratuita: & vni dedit quinque talenta: exteriorum ſcientiam quinque ſenſibus acquiſitam; alii autem duo: intellèctum, & operationem: alii vero vnum: intellectum. Vnicuique ſecundum propriam virtutem: Non pro largitate, vel parcitate alii plus, alii minus, ſed pro viribus accipientium*. Vt ſcilicet qui natura, & ingenio præpollebat, etiam in bonorum acceptione, cęteris anteferretur; quod & in lucro expreſſum eſt.

3 Huius prudentiſſimæ diſpoſitionis particeps, *Gentium* Apoſtolicus Doctor Paulus, etiam ipſe *non omnia* omnibus proferebat euangelica arcana, ſed pro audientium captu, ea prædicabat, quæ ad illorum conuerſionem opportuniora videbantur. Quid enim populo adhuc carnalia ſapienti, niſi carneo velamine inuolutã doctrinam daret? Hoc ipſe Corinthiis teſtatur, *1. Cor. c. 3. v. 1. & 2. Et ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis*. Paruulis lac debetur, grandiuſculis eſca; & hoc didicit Paulus ex Dei prouidentia, qui aliam eſcam iumentis præparat, aliam coruorum filiis, iuxta Pſalmũ 146. *verſ. 9. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*. Sic Paulus nouiter conuerſis declarabat ea, quæ ad ſalutem ſufficerent, non quæ altiora eos confunderẽt, & hoc lactis ſapiebat: in fide vero, & charitate iam confirmatis totius Diuinæ Sapientiæ, quæ didicerat, communicabat arcana; ſecundũ propriam virtutem audientium doctrinæ verba diſtribuens. Ita Dionyſius Carthuſianus, *in Pſalm. 149. pagin. 669. colum. 2. Qui dat iumentis, ideſt hominibus adhuc rudibus, atque carnalibus; eſcam ipſorum, ideſt ſpiritualem doctrinam; ſeu gratiam eis proportionatam. Quemadmodum Apoſtolus dicit: Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: Deus*

enim

Digitized by Google

enim vnicuique dat ſecundum propriam virtutem. Quiſnam Dei benignitatem non exaltabit? qui ne noſtræ ſuccumberent in eius ſeruitio vires; ea quæ poſſumus mandat, ea, quibus indigemus adiungit, ne vires excedat onus, neque neceſſaria deſiderentur.

§. III.

Animæ in ſpiritu aridæ Deum ſitiunt.

1 P*Roducens fænum &c.* Fœnũ vtique terra Dei ope germinat: producere autem ſine irrigatione non poteſt: propterea cum nimia ſiccitate areſcunt agri, herbam generare nequeunt; & ſiccis agris fame deficiunt animalia. Animæ ſanctæ opera virtutum exercere, & dignos producere ſanctitatis fructum deſiderãt; verum multoties aridæ ſpiritu reperiuntur, ita vt ceſſante diuinarum gratiarum irrigatione, & ſenſibilis deuotionis pluuia ad germinandum inutiles reperiantur. Tunc ergo, vt fænum iumentis producant, ideſt cordibus merita accreſcant, Deum, eiuſque gratiam ſitiunt; a cuius fauoribus fæcundatæ, non ſolum iumentis fœnum, ideſt corporis ſanitatem, ſed & herbam hominibus ideſt animabus meritum producant: vnde D.Petrus Damian. *lib.* 2. *epiſ.* 5. *to.* 1. *pag.* 75. *lit. C. Producens fænum iumentis: ſancti quique, ac iuſti, velut arida Deum ſitiunt, & tanquam ferax terra virentes bonorum operum fructus germinare contendunt.*

2 Nulla maior, & dignior occaſio plantus, quam terræ ſiccitas, nam cum imbribus impinguari non poteſt, areſcit terra, quæ deſiccata nec germina profert, nec Iumenta paſcit, nec nutrit hominem. Haud ſecus Anima cum in ſpiritus ariditatem incurrerit, diuinarum conſolationem imbribus deſtituta pęne deficit, & cum fructus edere bonorum operum non poteſt, flens, & eiulans lamentatur. Hoc ſub nomine Iudææ narrat de anima Ieremias *cap.* 14. *verſ.* 1. & 2. *Quod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam de ſermonibus ſiccitatis: luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt, & exiccatæ ſunt*: cum enim anima in ariditate ſpiritus reperitur, ei tribuitur luctus & plantus, nam plangere amiſſam gratiam debet, donec recuperet eam: ita ſentire videtur Ghislerius *in Ierem. tom.* 2. *pag.* 224. *col.* 2. *lit. E. Dum animæ, quæ in ſiccitate ariditatis ſpiritus conſtituta ſit, in ſumma & gratiæ Dei, & Diuini Verbi imbris penuria, is tribuitur luctus, quo lugere dicitur terra, quæ inanimis eſt, & inſenſibilis*. Ita terra ſicca langueſcit, ita anima in ſpiritu arida, Deum, eiuſque gratiam ſitit, vt germinare valeat virtutes.

§. IV.

Diuites eleemoſinam pauperibus debent.

1 P*Roducens fænum iumentis*: Liberalitatem Prouidentis Dei vidimus ſupra, qua in fouenda vtitur terra: illi enim cæleſtes donat imbres, & per eam flumina mittit, vt fæcundetur, & vireſcat. Porro hoc illi gratis non conceditur, ſed cum penſione producendi fœnum; nec ad ſolum ſui ornatum, ſed & ad iumentorum, hominumque eſcam. Terra ergo tot irrigata fluuijs, tot fœcundata imbribus iumentis, & hominibus olera, herbas, & fructus debet; vt ſic mirabili ſapientiæ ordine, & prouidentiæ regula diſpoſitæ creaturæ vna alteri inſeruiat, & omnes homini; qui ſolius Dei cauſa creatus eſt, vt obediat illi. Hæc autem ad chriſtianos mores componendos translata ſatis manifeſtè docent, idcirco Diuites bonis multis a Deo repletos, vt pauperibus ſubueniant; neque ſe multum aliquid facere exiſtimet, qui de multis ſibi affluentibus partem alendis pauperibus tribuit; nam hanc eleemoſinam erogare tenetur; cum ideo ſibi acceſſerint diuitiæ, vt tanquam diſpenſator earum, indigentibus e largiatur; ita docet Caſſiodorus *in Pſal.* 103. *Producens fænum iumentis: In hoc admonet Propheta, vt terra cæleſti imbre ſatiata, producat fænum, ideſt faciat eleemoſinas, iumentis, ideſt pauperibus.*

2 Cum ſapientiſſimus Præceptor noſter Ieſus, vellet nos ad eleemoſinam faciendam, ac noſtras diuitias vtiliter erogendas inſtruere, Villici cuiuſdam exemplum attulit, qui cum ſe apud Dominũ ſuum diſſamatum comperiſſet, quaſi domus diſſipatorem, & erubeſcens mendicare, de bonis Domini amicos ſibi conciliare decreuit *Luc. cap.* 16. *verſ.* 3. & 4. *Ait Villicus intra ſe: quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem: fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos ſuas.* Cur autem potius villici perſonam adduxit in medium, quam alteram? Vt admoneremur vtique, in omnibus, quæ Deo largiente, poſſidemus, non Dominos nos eſſe, ſed villicos, & aliquando a vilicatione expellendos, idcirco, de ipſa ſubſtantia, quam ſuam, non noſtram, Dominus credit nobis, amicos nobis facere debemus, pauperibus diſtribuendo; ne cum diuites in preſenti fuerimus vita; villicatione cum vita terminata, cogamur erubeſcentes in vltricibus flammis poſiti, aliorum ſubſidium mendicare; villicatio temporalis eſt, terminabilis ſæcularium bonorum poſſeſſio, ſciamus ergo benè diſtribuere, quod vel nolentes relinquere debemus, egregiè, vt adſolet, de hac re D. Petrus Chriſologus *ſerm.* 125. *pag.* 360. *col.* 2. *Mendicare erubeſco: & quis non erubeſcit in cæleſtibus mendicare? Miſer, quem temporalitas habuit diuitem, mendicum ſempiternitas poſſidebit; & habebit hunc mendicum tartarus, quem locupletem ſuſcipere cælum potuit & tenere. Præſens figura tendit ad populum: ſed bonum nobis, bonum nimis, ſi ad nos illa aptemus ſingula, ſi ad nos iſta referamus, qui in terra nos debemus villicos ſentire, Dominos non putare: prorogationis temporariæ miniſteriũ ſuſcepiſſe, non inueniſſe ius perpetuum poſſidendi.* Quid clarius dici potuit? diſcamus ex Dei bonis nobis amicos facere, vt terminata villicatione in æternis tabernaculis inueniamus hoſpitium.

3 Diues quidam purpura, & byſſo inſignis, epulis, ferculiſque ſatiatus, magis in ſe quam in pauperes crudelis, cum menſarum reliquias, quæ canibus patebant, pauperi denegaſſet, & minus habens inuentus, æterno eſſet deputatus ſupplicio: ibiq; inter flammarum vortices, ac pęnarum grumulos reperiretur, oculos ſubſtollens; vidit in ſinu Abrahæ pauperem a ſe ſpretum, receptum. *Luc. cap.* 16. *verſ.* 23. *Eleuans autem oculos ſuos, cũ eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius.* Sed cur potius in ſinu Abrahæ, quam alterius Sancti viſus eſt Lazarus? Cur Abraham in gloria Diuiti pęnanti apparuit? Idcirco factum eſſe iudico, vt errorẽ ſuum, non amplius redimendum, agnoſceret diues, qui cum viueret ſe Dominum diuitiarum, non miniſtrum æſtimans, eas diſpenſare neſciuit, & procuratione finita, ſe pauperem inuenit. Haud ita Patriarcha, ſed cum eſſet Diues valdè, ſciuit illas diſpenſare, & ſibi de eis amicos facere; ſemper enim peregrinos hoſpitabatur, pauperes reficiebat; & ideo poſt mortem ditior inuentus, denuo pauperes recipiebat, & beabat. Ingenioſè, Idem Chriſologus, *ſer.* 121. *pag.* 355. *col.* 2. *Non immerito fratres ſua nunc omnes Sanctos ſuſcipit in requie, & in ipſa cæleſti beatitudine fungitur diſpenſatoris officio: quia dum ſemper hic ſuſcepit peregrinos, & pauperes, ipſum cum Angelis ſuſcipere Deum, ipſum ſub tentorio ſuo videre hoſpitem meruit, quem ſemper habuit largitorem. Et reuera fratres parum ſe beatum credidit, ſi in ipſa ſuprema gloria ab hoſpitalitatis pio ceſſaret officio; & ſolus donis frueretur diuinis, qui hic humana bona, crudelem ſe credidit quicquam ſi negaret.* Ita oportuit facere diuitem euangelicum, ſed quia iſte neglexit alere pauperes, hoſpitari peregrinos, & ſiti moritur, & ab Abrahami hoſpitio remouetur.

4 Abſolutè concludendum eſt bona nobis collata, tan-

Digitized by Google

pluuias ipſas permanet infæcundus;de iſtarum rerum allegorijs agere verſus nos admonet; quod ſi declaratio ſermonum diuinorum illuminat, irrigabimur ſanè dum allegoricas irrigationes exponemus.

SVMMARIVM.

1 *De allegoricis irrigationibus.*
2 *Pluuiæ nobis nomine quid importetur.*
3 *De fructuum ſignificatione.*
4 *Opera Allegorica quæ ſint.*

§. I.

De allegoricis irrigationibus.

1 RIgare eſt per infuſam aquam madefacere terram. Et primò ſignificat gratiam Baptiſmi, per quam anima irrigatur ad producendas virtutes; de qua Ioel *c. 3. ver. 18. Fons de domo* Domini *egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Vbi Gloſſ. ord. *Egreditur fons Baptiſmatis, qui irrigat corda gentilium, quæ ſpinis vitiorum, & aculeis malarum cogitationum pungebantur, vt ibi oriantur flores virtutum.*

2 Irrigatio imbrium ſanctorum Patrum doctrina, ſeu Prædicatio eſt; de qua Iob. *cap. 24. ver. 8. Quos imbres montium rigant.* Et D. Gregorius Magnus *lib. 16. c. 22. Moral. pag. 680. lit. C. Imbres montium ſunt verba Doctorum. Hos itaque imbres montium rigant, quia ſanctorum Patrum fluenta ſatiant.*

3 Rigare eſt roborare; vnde irrigatio oſſium eſt roboratio animæ ad operationes virtutis; nam & de hac ſapiens. *Prouerb. c. 3. ver. 8. Sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum*; & addit Beda *cap. 3. in prouerb. to. 4. col. 644. Et fortia quæque tua acta, vnde amplius roborentur accipiunt.*

4 Rigare eſt cor ad pænitentiam emollire; vnde rigare lacrymis ſtratum ſuum eſt dolorem de peccatis commiſſis habere, quod faciebat Dauid: *Pſal. 6. ver. 6. Lacrymis meis ſtratum rigabo*: Vbi Magnus Gregorius *in Pſal. 6. to. 2. pag. 1129. lit. B. Rigat ergo lacrymis ſtratum ſuum, quia continuo luctu, & dolore carnis maculas diluit, & cordis duritiam imbre compunctionis emollit.*

5 Rigatio interna terræ, & plantarum penetrat, ideo rigare eſt ad interna penetrare; & conſequenter rigare ſtratum lacrymis, eſt dolorē ad intima cordis penetrare; ita in eumdem Pſalmum D. Auguſtinus *in Pſal. 6. to. 8. pag. 15. col. 1. lit. A. Rigabo amplius eſt aliquid, quam lauabo, quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lauari; rigatio vero ad interiora permanat, quod ſignificat fletum vſq; ad cordis intima.*

6 Irrigatio abundantiam ſignat: ideoque oſſa medullis irrigare, eſt rerum terrenarum abundantia ſaginari: Ita Iob *cap. 21. ver. 24. Et medullis oſſa illius irrigantur*: Vbi D. Gregorius *lib. 15. cap. 33. moral. pag. 658. lit. C. Quia ergo ſic iſte amator huius ſæculi exteriori poteſtate fulcitur, vt etiam interiori terrenæ domus abundantia ſaginetur, dicitur: & medullis oſſa illius irrigantur.*

7 Rigatio eſt benedictio diuina; ſic Anima diuinis benedictionibus plena dicitur Hortus irriguus: ita Hieremias *cap. 31. ver. 12. Eritque anima eorum ſicut hortus irriguus*: Et addit D. Hieronymus *in Ierem. pag. 391. lit. C. Vt autem ſciamus benedictiones has nequaquam ad corpus, ſed ad animam pertinere; ſequitur: Eritque Anima eorum ſicut hortus irriguus.*

§. II.

Pluuiæ nobis nomine quid importetur.

1 PLuuia eſt aqua lentè e nubibus in terras decidens; & primò ſignificat incarnationem Chriſti; de qua Pſalmus 71. *ver. 6. Deſcendet ſicut pluuia in vellus*: Et D. Hieronymus *in Pſal. 71. tom. 7. pag. 118. lit. E. Sicut enim in vellus Gedeonis pluuia deſcendens, cum terra arida deſecit: ita & hic illapſus eſt in vterum virginalem per infuſionem ſpiritus ſancti.*

2 Pluuia eſt ſapientia diuinorum, qua penetrantur Deitatis arcana; quæ negatur hæreticis. *Amos. cap. 4. ver. 7. Et plui ſuper ciuitatem vnam, & ſuper ciuitatem alteram non plui*: Et idem maximus Doctor *in Amos. to. 5. pag. 144. lit. F. Prohibet quoque, ſiue reprimit ab hæreticis Dominus pluuias ſpirituales, & omnem rorem diuinæ ſapientiæ, & mandat nubibus ſuis ne pluant ſuper eos imbrem, ante tres menſes meſſis, ſiue vindemiæ: vt ad fructus myſterij Trinitatis peruenire non poſſint.*

3 Pluuia verba euangelij, ſeu legis ſignificat: de qua dicebat Moyſes: *Deuter. cap. 32. ver. 2. Expectetur ſicut pluuia eloquium meum*: Et D. Iſidorus Hiſp. *in 1. lib. Reg. cap. 4. pag. 238. col. 2. lit. H. Pluuia enim in ſacris ſcripturis verba ſunt Euangelij, ſiue Legis; ſicut & Moyſes dixit: Expectetur ſicut pluuia eloquium meum.*

4 Pluuia eſt doctrina, ſeu prædicatio Apoſtolorum: De qua Pſalmus 146. *ver. 8. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam*: quò reſpexit D. Iſidorus, dicens *de nat. rer. cap. 33. pag. 256. col. 2. lit. F. Pluuia ergo nubium eloquia ſunt Apoſtolorum, qui quaſi guttatim, ideſt ſenſualiter veniunt, ſed abundantius doctrinæ fecunditatem infundunt.*

5 Pluuia diuina miſericordia eſt; & ideo Fulgura mutantur in pluuiam, cum diuina indignatio in miſericordiam conuertitur: hoc docet Pſalmus 134. *ver. 7. Fulgura in pluuiam fecit*: ſecundum expoſitionem D. Auguſtini *expoſ. myſt. in Pſal. 143. pag. 637. col. 1. lit. C. Fulgura in pluuiam fecit: minas ad miſericordiam flexit: &c. Quando tibi minatur Deus per prophetam, & per Apoſtolum, & times, nonne coruſcat & terruit te? ſed cum penitendo corrigeris, & agnoſcis hæc miſericordia fieri, in pluuiam vertitur fulguris terror.*

6 Pluuia eſt doctrina ſacra, quæ cum ab hæreticis malè intelligitur tunc Deus pluit ſuper eos laqueos; iuxta Prophetæ verba: *Pſal. 10. ver. 9. Pluet ſuper peccatores laqueos*: vbi D. Auguſtinus *in Pſal. 10. pag. 31. col. 1. lit. A. Sic ordinantur Pſeudoprophetæ a Domino Deo, vt de his laqueos ſuper peccatores pluat. Non enim quis in eos ſectandos incidit niſi peccator.*

7 Hinc etiam Pluuiam conuerti in ſanguinem, eſt aſpergi doctrinam dogmatibus Philoſophorum. Sic Pſaltes: *Pſalm. 77. ver. 44. Conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent*: Vbi D. Hieronymus *in Pſal. 77. pag. 131. lit. A. Vana Philoſophorum verba, quæ Eccleſiæ paruulos interimebant.*

8 Pluuia temporanea, & ſerotina, lex & Euangelium ſunt: de quibus Oſeas *cap. 6. ver. 3. Et veniet nobis, quaſi imber temporaneus, & ſerotinus terræ*: Vbi Abbas Rupertus *in cap. 6. Oſe. tom. 1. pag. 775. col. 1. Spiritualiter pluuiam ſiue imbrem vtrumque, videlicet temporaneum, & ſerotinum intelligi oportet; & ſancta prophetica, atque apoſtolica ſcriptura eſt.*

9 Pluuia gratia Dei eſt; in cuius ſenſu dicitur Iob *cap. 38. ver. 28. Quis eſt Pluuiæ pater, vel quis genuit ſtillas roris? Et gelu de Cœlo quis genuit?* Et D. Gregorius *lib. 29. cap. 15. in Iob. pag. 972. lit. E. Quid eſt ergo quod Dominus, prius quidem patrem ſe pluuiæ inſinuat, poſtmodum vero de ſuo egredi vtero glaciem narrat, ſeque gelu de Cœlo gignere pronunciat? niſi quod miro modo noſtri pectoris terram ad ſuſcipienda verbi ſemina prius per occultæ gratiæ pluuiam infundit; & poſtmodum ne in conceptis virtutibus immoderatius profluat, diſciplina intimæ diſpenſationis premit.*

10 Plu-

Digitized by Google

10 Pluuia eſt Idea ſenſus: nam in illa verba *Gen. cap. 2. verſ. 5. Non enim pluerat Dominus ſuper terram*: ait Philo Iudæus, *lib. 1. Alleg. pag. 62. tom. 1. Idea ſenſus, quæ figuratè pluuia dicitur, nullo alimento indiget.*

11 Pluuia inundans eſt hoſtium ſæuitia a Deo contra peccatores miſſa: de qua Ezechiel: *cap. 13. verſ. 11. Erit pluuia inundans*; & D. Hieronym. *in Ezech. pag. 478. lit. G. Immittam imbrem vehementiſſimum, hoſtes videlicet ſæuiſſimos: Babilonios autem, Chaldeoſque ſignificat.*

12 Pluere bellum ſuper Peccatorem Dominum, eſt eius opera punire: ita Iob, *cap. 20. ver. 23. Pluat ſuper illum bellum ſuum.* & D. Gregorius, *lib. 15. cap. 13. mor pagin. 627. lit. D. Super hunc hypocritam bellum ſuum Dominus pluit, cum iudiciorum ſuorum gladiis eius opera percutit. Bellum namque Deo pluere, eſt iniqui vindictam diſtrictis ſententiis deſuper ad interitum vrgere.*

13 Pluuiæ hyemales ſunt tribulationes: ita Iob, *capit. 37. ver. 6. Qui præcipit niui, vt deſcendat in terram, & hyemis pluuiis*, & D. Hieronymus, *in Iob, tom. 7. pag. 68. lit. F. Contra hanc gratiam Chriſti tribulationes perſecutiones futuras, in pluuiis hyemalibus voluit indicare, & propter graues preſſuras hyemales pluuias dixit.*

§. III.

De Fructuum ſignificatione.

1 FRuctus eſt id quod ex arbore vltimo naſcitur ad animantium nutritionem, & fructus dicitur à fruendo, eo quod animalia illo fruantur. Et primò fructus terræ eſt Chriſtus natus de Virgine. *Pſal 66. ver. 5. Terra dedit fructum ſuum*, & D Hieronymus, *in Pſal. 66. pag. 108. lit. E. Terra Sancta Maria: iſta terra dedit fructum ſuum, &c. Vultis ſcire quis iſte ſit fructus? Virgo de Virgine, Dominus de ancilla, Deus ex homine, filius ex matre, fructus ex terra.*

2 Chriſtus fructus vineæ dicitur, quia de ſynagoga natus eſt: vnde in canticis dicitur. Cant. *cap. 8 ver. 11 Vir affert pro fructu eius mille argenteos*: & D. Gregorius, *c. 8. cant. tom. 2. pag. 1230. lit. A. Hæc vinea fructum protulit, quia ex ſynagoga botrus ille magnus, qui de terra promiſſionis allatus eſt, Chriſtus videlicet Ieſus, per humanitatem proceſſit.*

3 Fructus vineæ eſt etiam eruditio Eccleſiæ per bonos Doctores, de qua dicitur Matth. *cap. 21. ver. 41. Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* & Magnus Gregorius *loc. cit. lit. C. De qua vinea iam bonis locata ipſe Pacificus dicit: Vinea mea coram me eſt; coram ipſo vinea ſua exiſtit, quia perditis malis agricolis Sanctam Eccleſiam per bonos Doctores reſpectu benigno erudit.*

4 Fructus ligni, ſunt dona Spiritus ſancti, quæ per Crucis Chriſti virtutem dantur nobis: vt dicitur Ioel, *caput. 2. ver. 41 Quoniam lignum attulit fructum ſuum*: Vbi D. Hieronym. *in Ioel, pag. 119. lit. A. Et lignum Crucis afferet fructum ſuum: Dona Spiritus ſancti dulciſſima, ſuam cunctis tribuerent largitatem.*

5 Fructus Chriſti eſt donum immortalitatis: de quo dicitur. *Pſal. 1. ver. 3. Fructum ſuum dabit in tempore ſuo*: vbi D. Hilarius, *in Pſal. 1. col. 628. litt. A. Hos ergo nobis fructus ſuos dabit, quos iam in eo, quem ſibi aſſumpſit, & qui ſignificatur in ligno, homine perfecit, quem in immortalitatis ſuæ naturam abſorpta mortalitate transfudit.*

6 Fructus iuſtitiæ eſt retributio ęterna: de qua ſapiẽs: *Prouerb. cap. 11 verſ. 30. Fructus iuſti lignum vitæ*: vbi Gloſ. ordin. *Viſio Chriſti, qui ſapientia*: & Lyranus. *Ideſt opus Iuſti deducit ad eſum lignum vitæ, qui eſt Chriſtus in beata fruitione.*

7 Fructus Prædicationis Apoſtolorum ſunt credentes: de quibus Ezechiel, *cap. 47. verſ 12. Orietur in ripis eius ex vtraque parte lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, nec deficiet fructus eius: per ſingulos menſes afferet primitiua.* Vbi D. Hieronym. *in Ezech. pag. 650. lit. H. Fructus eius in renouatione ſui primitiua dabit: vt omnes credentium fructus primitiæ ſint, & ſinguli menſes ſingulis Apoſtolis deputentur.*

8 Fructus oris eſt ſermo bonus: Dicente Salomone: *De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis. Prouerb. cap. 12. ver. 14.* vbi Gloſ. interlin *Ideſt ſermone bono; Qui enim malè loquitur non ore fructum generat, ſed damnum.*

9 Fructus oliuæ eſt miſericordia Dei: de qua Pſaltes *Pſal. 51. ver. 10. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia in æternum*, & aſſentitur D. Hilarius, *in Pſ. 51. col. 683. lit. A. Iuſtus, & Sanctus Propheta ſicut fructifera oliua conſiſtens, propria ſua viſus fructuoſa, pinguiq; radice, ſperauit in miſericordia Dei.*

10 Fructus terræ ſunt Animæ virtutes; de quo fructu dicitur: *Pſ. 66. ver. 5. Terra dedit fructum ſuum*: vt vult D. Hilarius, *in Pſal. 66. col. 790. lit B Cæterum qui iam cœleſti Adæ configuratur, habet innocentem terræ ſuæ fructum: primum Dei cognitione locupletem; dehinc caſtitatis, iuſtitiæ, miſericordiæ operibus glorioſum.*

§. IV.

Opera Allegorica quæ ſint.

1 OPus ſignificat primò ſalutem noſtram, quæ propriè opus manuum Dei dicitur, vt loquitur Dauid, *Pſal. 18. verſ. 1. Opera manuum eius annunciat firmamentum*: vbi D. Auguſtinus. *in Pſal. 18. pag. 39. col. 1. lit. A. Quæ ſunt opera manuum eius? Gloria Dei illa, qua ſalui facti ſumus, qua creati in bonis operibus ſumus.*

2 Opus iuſtitiæ eſt pax: vt dixit Iſaias. *cap. 32. verſ. 17. Et erit opus iuſtitiæ pax*: ideſt tempore aduentus Domini, qui eſt ſol Iuſtitiæ, tunc enim Angeli pacem annunciauerunt: ita Lyranus: *Pax quam nato Chriſto Angeli clamauerunt.*

3 Opera digitorum Dei eſt ſacra ſcriptura; de qua Pſaltes *Pſal. 8. verſ. 4. Quoniam videbo cęlos tuos, opera digitorum tuorum*, vbi D. Auguſtinus, *in Pſal. 8. pag 21. col. 2. lit. B. Quoniam videbo, inquit, cęlos, opera digitorũ tuorum; ideſt cernam, & intelligam ſcripturas, quas, operante Spiritu ſancto, per miniſtros tuos conſcripſiſti.*

4 Opus manuum Dei eſt Genus humanum, cui Deus dexteram ſuam in Dominica incarnatione porrexit; vt petebat Iob, *cap 14. ver. 15. Operi manuum tuarum porriges dexteram*; ſicut Magnus Gregorius exponit; *lib 12. cap. 11. moral. pag. 587 lit. E. Operi igitur manuum ſuarũ porrexit omnipotens Deus dexteram ſuam, quia, vt abiectum, & in infimis iacens genus humanum ad ſumma erigeret, incarnatum ad hoc vnigenitum miſit.*

5 Opera Dei, quę ignorantur ſunt eius iudicia ſecundum Iob, *c. 36. ver. 14. Memento, quod ignoras opus eius*, & D. Gregorius, *lib. 27. cap. 2. mor. pag. 909. lit. E. Occulta ſunt iudicia eius; & quanta obſcuritate nequeunt conſpici, tanta debent humilitate venerari. Dicat ergo: Memento, quod ignoras opus eius: ac ſi apertè diceret: De quo fortes quique locuti ſunt eius opera tuæ mentis oculis abſconduntur.*

6 Opus manuum figuli ſunt homines carnalibus deſideriis, & illecebris dediti; de quibus Ierem. *Thr. c. 4. v. 2. Filii Sion incliti, & amicti auro primo, quomodo computati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli*, & D. Hieronymus, *in Thren. pag 426. lit. F. Quòd filii Eccleſiæ, qui incliti fuerunt Chriſtiana Religione, & ornati ſapientiæ fulgore, & decore virtutum, nunc emolliti carnalibus deſideriis, & terrenis cupiditatibus tabefacti, vaſis teſteis comparentur.*

7 Operari opera Dei eſt credere in illum: ſic apud Ioannem, *cap. 6. ver. 29. Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille*, vbi D. Auguſtinus, *tract. 25. in Ioann: tom. 9. pag. 90. col. 1. lit. A. Hoc eſt ergo manducare cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducaſti.*

8 Operis finem expectare eſt conſiderare præmium

illius:

illius:vnde Iob,*cap.7.ver.2.Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui*, & D.Gregorius, *lib.8.cap.5.moral. pag.480.lit. D.Mercenarius cum laſſeſcentem animum ad conſiderandum operis præmium reuocat vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat: & quod graue perpendit ex opere, leue exiſtimat ex remuneratione.*

9 Operari in primogenito Bouis, eſt ſua bona coram hominibus agere, quod à Domino prohibetur: *Deut.cap.15.verſ.19.Non operaberis in primogenito Bouis*, vbi D. Gregorius, *loc.cit.cap.39.pag.503.litt.C. In primogenito quippe Bouis operari, eſt bonæ conuerſationis primordia in exercitio publicæ actionis oſtendere.*

10 Opera ſua Deum dicere filio eſt illi communicare omnipotentiam, ſimul cum eſſentia, nam omnia fiunt per ipſum, vnde *Pſalm.44.verſ.1. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi*, vbi D.Hieronymus, *in Pſal.44.pag.78.litt.E. Non de coniunctione corporea, ſed de corde protulit æquale ſibi verbum, per quod facta ſunt omnia: bonum eſt enim hoc verbum: quia quod factum eſt in eo vita eſt. Dico ego opera mea Regi: Loquor ipſi verbo Regi filio, & cuncta perficiuntur.*

11 Operarii Vineæ Domini, ſunt hominis cogitationes, & affectiones, de quibus dicitur Matth: *cap.20.verſ.1.Exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuã*, vbi Richardus à S.Victore, *de ſtat.int.hom.tract.1.cap.35.pag.38.col.1.lit.B.Vineæ cultores cogitationes, & affectiones. Huiuſmodi cultores in vinea cultura laborare habent, quia in conſcientiæ emundatione vtrique deſudare debent.*

Verſus Quartuſdecimus.

מַצְמִיחַ חָצִיר לַבְּהֵמָה וְעֵשֶׂב לַעֲבֹדַת הָאָדָם לְהוֹצִיא לֶחֶם מִן הָאָרֶץ׃

Verſio ex hebræo. *Germinare faciens fœnum Beſtiæ, et herbam miniſterio hominis, ad educendum panem de terra.*

Vulgata editio. *Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, vt educas panem de terra.*

D.Hieronymus. *Germinans herbam iumentis, & fœnum ſeruituti hominum, vt educat panem de terra.*

Pagninus. *Qui germinare facit herbam pro iumentis, & herbam ad obſequium hominum, vt educat panem de terra.*

VT hunc verſum faciliori intelligentia capiamus, aduertere oportet, herbam ab hebræis varijs nominibus appellari, quæ ſingulæ diuerſas ſpecies earum ſignificant; multoties tamen iſta nomina confunduntur, & vnum pro altero vſurpatur, vt puto in præſenti verſu factum. Verbum igitur עֵשֶׂב (quod hìc ſecundo loco poſitum eſt) herbam generaliter ſignificat, ſed herbam iam grandem, & ſeminificantem; nam herba tenera, quam nos germen, ipſi vocant דֶּשֶׁא; plautulam verò, ſeu virgultum שִׂיחַ dicunt: porro חָצִיר (quod in hoc verſu primo loco ponitur) fœnum, ſeu herbam fœnificã ſignificat, & tandem יֶרֶק ſeu ירוק. olus eſt, ſcilicet herba ad hominum eſcam accomoda. His notatis, nulli dubium eſt חציר primo loco poſitum, pro herba, quæ vel viridis, vel arida beſtiarum eſt pabulum, & cui propriè congruit nomen fœni, ſumi, vnde optimè expoſitum eſt: *Producens*, vel *germinare faciens fœnum iumentis*. De ſecundo verò עֵשֶׂב magis dubia interpretatio eſt, nam herba eſt generaliter dicta; poteſt tamen duplex ſenſus illi verſui tribui; vel enim ſeparatur a verſu ſequenti (ſcilicet, *vt educas panem*) & ſic ſolum herbas ſignificare videtur, quæ ad hominum cibum ſunt aptæ; & tunc poſitũ eſt עֵשֶׂב loco יֶרֶק vt ſignificet *olus*, quia olera dicuntur herbæ, quas comedunt homines: ſi verò (vt facit littera hebraica) coniungatur ly, *vt educas panem*, cum antecedanti verſu; facit ſenſum; produci fœnum, ideſt triticum, hordeum, milium, &c. vt deſtinetur hominum operi, qui ſuo labore de illis panẽ exire faciat; (nam hoc ſignificat הוצי, à radice יָצָא quod eſt *exire*) & tunc עֵשֶׂב co arctatur ad ſolam eam herbam, ex qua deſiccata panis conficitur: quare D. Hiero-

Digitized by Google

Hieronymus fœnum appellauit; nam herba deſiccata fœnum dicitur. Hac occaſione de herbarum productione, & vtilitate videndum eſt; & in ordine ad hominum eſcam, vtrum ante diluuium ſolis herbis, & fructibus vſi ſint homines.

SVMMARIVM.

1 *De Productione, & vtilitate Plantarum, & fructuum.*

2 *Vtrum ſolis fructibus, & oleribus ad eſcam vſi ſint homines ante diluuium.*

3 *Homo creaturarum Dominus, propter quem creata ſunt.*

§. I.

De Productione, & vtilitate Plantarum, & fructuum.

1 PRoducens *fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum:* Sapientiſſimus rerum opifex omnia cum ſapientia, & ſapienter producens, in ipſo mundi exordio, antequam ad Animalium creationem perueniret, quod ſexta die perſectum eſt, tertia die e terra omnia producere germina, Plantas, arboreſque voluit; vt ſcilicet ad eorum ex ortum ſtatim neceſſaria ad vitam pabula inuenirent. Ad hoc namque Arbores, & herbæ creatæ ſunt, vt eſſent cunctis animalibus in cibum. Neque enim ſolum hominem paſcere cura fuit, verum etiam irrationabilium Belluarum, quæ ad hominum famulatum producta fuere. Hoc declarat verſus iſte. *Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum:* Et exponit eminentiſſimus Hugo Caten. *Quaſi dicat: ita vtilia facis terræ naſcentia, quod non ſolum paſcis ex ea homines ſed etiam iumenta, quæ dediſti in auxilium hominum: & ad quid dat illis eſcam? Vt ſeruiant hominibus; vnde addit: Seruituti hominum: id eſt, vt ſeruiant hominibus, quia & propter hoc facta fuerunt, & propter hoc ſuſtentantur.* Hæc eſt prima Arborum, herbarumque vtilitas, vt cibum miniſtrent. Atque hinc colligere eſt diuinæ prouidentiæ ſapientiſſimam ortus rerum diſpoſitionem, vt nullo non tempore fructus arborum, oleraque deficiant, nam & vere germina iam nata creſcunt, & olera cibum præbent, recreant odoramine flores: & primitiui, ſeu temporanei leguntur fructus: Æſtate frumentariæ ſegetes, necnon legumina matureſcunt, & Cæpæ, Allia, Cucumeres, Pepones, Cucurbitæ, Nuces, & Auellanæ, Ceraſa, Pira; & cætera huiuſmodi: Autumno, omnes Arbores fructus ſuos edunt, & abundant vuæ, ficus, mala, &c. Hyeme non deſunt glandes, caſtaneæ, Rapæ, Porri, Apia, Radices &c. Sed de oleribus quid memorem? Vere namque germina ſeminifica Caulium, & aliarum olerum cibum miniſtrant; Æſtate lactucæ, endiuiæ, caules denſarum frondium, vulgò Caputij, Autumno Braſſica, & caules latarum frondium; hyeme vero Betæ, & Caules criſpi, qui vulgo nigri, & etiam, qui in Italia Bononienſes appellantur. Porro iumenta vere quidem teneri veſcuntur herba, alijs vero anni temporibus, iiſdem deſiccatis, ſcilicet fœno, paleis, & etiam auena, hordeo, &c. En quomodo Prouidentia æterna, ne Animalia alimentum deſiderarent, ſingulis anni temporibus, ſuas herbas, ſuoſque peculiares edidit fructus: & hoc diſpoſuit, cùm mandauit: *Gen. cap. 1. ver. 11. Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum facientem fructum iuxta genus ſuum.* Quibus ex verbis ſapientiæ increatæ prouidentiam colligit D. Ioan. Chriſoſ. *Hom. 11. in Geneſ. to. 1. col. 53. lit. B. Singulis temporibus, & Anni partibus, varia, & diuerſa nobis alimenta Dominus largitur. Terra enim, quaſi optima nutrix, dona ſua nobis profert, precepto dominico ſeruiens.* Hæc igitur extitit cauſa cur prius terram germina, fructuſque producere iuſſa eſt, quam creara Animalia fuerint, vt cibum paratum inuenirent.

2 Neque ad cibum tantummodo inſeruiunt Plantæ, ſed ad medicinam, tum hominum, tum Belluarum; quarum omnium virtutes referre longum eſſet, noſtræque breuitati incongruum; aliquas tamen ex ſanctis Patribus adducemus: ex his ad medicinam facientia hæc enumerat D. Ambroſius *lib. 3. cap. 8. Hex. to. 1. pag. 26. lit. E. Quid enumerem ſuccus herbarum ſalubres? Quid Virgultorum, ac foliorum remedia? Ceruus æger ramuſculos oleæ mandit, & ſanus fit. Locuſtas quoque folia oleæ araſa liberant ab ægritudine: Rubi folia ſuperiacta ſerpentis enecant. Culices non tangent te, ſi abſinthij herbam cum oleo coquas, & eo te perunxeris.* Multæ etiam herbæ ſunt, quæ purgandi aluum virtutem habent, inter quas Malua: de qua D. Iſidorus Hiſpal. *lib. 18. cap. 10. orig. pag. 154. col. 1. lit. C.* hæc habet: *Malua ex parte græco vocabulo appellatur, eo quòd molliendi aluum, ſoluendique naturam habet. Cuius ſucco ſi quis ſe, oleo mixto perunxerit, ab Apibus negatur feriri.* Hanc etiam virtutem purgandi aluum habet Hyſopus; & ideo Deus, qui ad inuiſibiles gratiæ ſuæ effectus vtitur creaturis ſimilitudinarijs, voluit in veteri teſtamento, vt ad ſignificandam gratiam ſanctificantem peccatores, hyſopo ſanguine aſperſo vterentur: cuius exoptabat effectum Rex pœnitens, cum dicebat: *Pſal. 50. ver. 8. Aſperges me Hyſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor:* & hanc rationem relatæ cæremoniæ dat citatus Iſidorus *loc. cit. lit. D. Hyſopus herba purgandis pulmonibus apta; vnde & in veteri teſtamento per hyſopi faſciculos aſpergebantur ſanguine, qui mundari volebant.*

3 Contra venena multæ herbæ medicamentum præbent; & multas ex illis refert D. Iſidorus cit. *l. E: Nam contra venena Radices, Nuces, Lupini, citrum, Apium proſunt; ſed contra futurum, non contra acceptum venenum. Vnde & apud veteres, ante alias epulas, hoc ſolebant menſis apponere:* & ſpecialiter de Apio paulo poſt ait. *Apij radices efficaciter pugnant contra inſidias venenorum.* Sed contra iam hauſtum venenum innumeræ iuuant herbæ, inter quas Diptamum ponit B. Albertus Magnus *Tract. 2. lib. 6. cap. 5. de plant. pag. 468. col. 2 Diptamus,* inquit, *eſt herba communis ſatis calida, & ſicca, quam, vt tradunt, Cerui iaculati toxicatis prodiderunt; extrahit venenum comeſta, & ſuperlinita.* His etiam adiungitur Gentiana, quæ contra morſum omnium venenatorum præſtantiſſimum medicamen eſt; de ea Idem Albertus *loc. cit. cap. 7 pag. 472. col. 2. Succus Gentianæ valet pleureticis, & eſt aperitiua oppilationum epatis, & ſplenis, frigiditatem cauſantibus; & vltima medicina contra morſum ſcorpionis, contra morſum omnium venenatorum, contra morſum canis rabidi, & contra morſum luporum, quando bibuntur ex eo duæ vnciæ cum vino.* Neque prætereundi ſunt Caules, qui & ad eſum, & ad medicamina aptiſſimi ſunt; & in tres ſpecies a Plinio diſtinguuntur; quod ſupra indicauimus; porro earum virtutes hæ ſunt ex Plinio, & alijs, vt refert Bartolomæus Anglicus *de proprietatibus rerum lib. 17. cap. 115. pag. 894. Plinius libr. 20. capit. 10. multis laudibus extollit caulem, quo ad vſum medicinæ, & dicit, quod eius triplex eſt ſpecies. Quædam eſt criſpa, vtilis ſtomacho, aluum modicè molliens: alia lata habens folia ſpiſſa, & iſta minus valet ad medicinam: tertia tenuia habet folia, & ſimplicia, & cæteris amarior, ſed vtilior medicinæ. Folia eius trita, & appoſita*

bus in die ſanant canum vulnera recentia, & inueterata mirè ſanant. Caulis parum coctus ſoluit, multum coctus ſtringit: vino, & ebrietati reſiſtit, neruos confortat, & ideo vtilis eſt paraliticis, & tremuloſis: lactis vbertatẽ tribuit puerperis; ſuccus eius valet contra venenũ: contra morſũ canis rabidi. Odorẽ ſeminis eius cocti fugiunt ſerpentes, &c. Brаctea ſylueſtris, id eſt caulis per ſe naſcens, habet effectus fortiores.

3 Mandragora inter medicinales plantas non vltimũ habet locum, præſertim, quæ generandi facultatem roborat; ſed illud de ea ſpecialiter narrat D. Iſidorus Hiſpalenſis, quod tam dulcem ſoporem, cortex eius vino mixtus inducit, vt propterea potum detur iis, quibus aliquod membrum ſecandum eſt, vt dulciter ſoporati dolorem non ſentiant, *Mandragora dicta, quod habeat mala ſuaue olentia: cuius cortex vino mixtus datur ad bibendum iis, quorum corpus propter curam, ſecandum eſt, vt ſoporati dolorem non ſentiant. lib. 18. cap. 9. orig. pag. 152. col. 1. lit. B.* Vt mirum non ſit Sacram Sponſam virtutes ſuas præclaras ſub Mandragorarum odore expoſuiſſe: *Canticorum, cap. 7. verſ. 13. Mandragoræ dederunt odorem ſuum*; cum odor harum plantarum præſtantiſſimus ſit: vnde Lyranus adiungit. *Mandragoræ poma ſunt pulchra, & odorifera, & valde rara, & per hæc intelliguntur excellentes viri in Eccleſia, odorem famæ, per ſanctam vitam dantes.* Et propter hanc cauſam etiam Rachel poma Mandragoræ appetebat, vt habetur *Geneſis, cap. 30.* non ad medicandam ſterilitatem; nam ad hoc virtutem nullam habet, vt videre eſt apud herbarios. Neque ſola Mandragora ſoporem adducit, verum etiam Papauer ſomnum conciliat. vt tradit D. Iſidorus, *loc. cit. Papauer herba ſomnifera*, de qua Virgilius.

Letheo perfuſa papauera ſomno:

ſoporem enim languentibus facit. Tandẽ de Bugloſſo inter multas virtutes in primis celebratur, quod vino infuſa ad ſapientiam nutriendam valeat, ſpiritus namque, & ſubſtantiam præſtantem gignit; quod ex veterum traditione, docet idem Iſidorus, *loc. cit. col. 2. lit. F. Bugloſſos à Græcis dicta, eo quod folia aſperrima ad modum linguæ Bouis habeat. Quæ mirum in modum ad ſapientiam nutriendam, vino infundenda à veteribus memoratur.* Hęc eſt Plantarum, & ad eſum, & ad medicinam vtilitas, quę ſufficiant ne in immenſum opus excreſcat.

4 Cęterum, neque ad ſolum pabulum, aut medicamen, plantæ ſunt genitæ, ſed ad hominis quoque oblectamentum, vt videlicet ſua pulchritudine viſum attraherent, ſuo odore recrearent olfactum, ſua teneritudine tactum refrigerarent, ſi guſtum paſcerent ſuauitate: Ad hoc videtur reſpexiſſe Eccleſiam dum in hymno Feriæ tertiæ ad Veſperas (nam & hac die plantæ germinauerunt) canit Deo.

Pulſis aquę moleſtiis
Terram dediſti immobilem.
Vt germen aptum proferens
Fuluis decora floribus,
Fœcunda fructu ſiſteret,
Paſtumque gratum redderet.

Imò tanta eſt agri herbis veſtiti, ac floribus condecorati pulchritudo, vt Deus ad declarandam propriæ excellentiam pulchritudinis, hac ſimilitudine vtatur, pulchritudinem agri in ſe continere teſtificans: *Pſalm 49. verſ. 11. Pulchritudo agri mecum eſt.* Quem agrorum decorẽ, nec non Dei ſententiam admiratus Diuus Ambroſius, ait. *lib. 3 cap. 8. Hexæm. tom. 1. pag. 26. lit. C. Quæ vero ſpecies pleni agri? qui odor? quæ voluptas agricolarum? Quid deſcribam purpuraſcentes violas, candida lilia, rutilantes roſas, depicta rura nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus neſcias vtrum ſpecies amplius florum, an vis odora delectet? Paſcuntur oculi grato ſpectaculo, longè, lateque odor ſpargitur, viſus ſuauitate completur. Vnde dignè Dominus ait: Pulchritudo agri mecum eſt.* Patent igitur omnes cauſæ quare plantæ, & earum flores, ac fructus creata ſint, vt omnibus animantibus, & præcipuè homini, iucunditatem præberent, ſalutem, & nutrimentum.

§. II.

Vtrum ſolis oleribus, & fructibus ad eſcam vſi ſint homines ante diluuium.

1 E*T herbam ſeruituti hominum, ad educendum panem de terra*: Occaſio huius diſputationis porrigitur ex hoc, & ſequenti verſu, in quibus videntur ad eſcam homini aſſignari herbæ, triticum, vinum, & oleum. Deinde *ex Geneſi, cap. 1. verſ. 29.* Vbi Deus tam homini, quam cœteris beſtiis hanc ſolam aſſignat eſcam, dicens: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cęli, &c.* Quibus in verbis limitatur eis eſca ad ſolas plantas, plantarumque ſemina, ſeu fructus; non ergo videtur fuiſſe licitum interfectis animalibus veſci. Tertio, *ex Geneſi, cap. 9. verſicul. 3.* vbi legitur licentia data Noe, ac filiis, & nepotibus ſuis comedendi carnes: *Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quaſi*, (ſeu ex hebræo) *ſicut olera virentia tradidi vobis omnia*. Si ergo antea carnes comedi ſolitæ fuiſſent, fruſtratoria illa conceſſio fieret in præſenti poſt diluuium. In contrarium autem faciunt aliqua, quod ſcilicet ante diluuium refert Beroſus Chaldeus, non ſolum carnes, ſed etiam humanas homines comediſſe: neque credibile eſt effrenatos illos viros, qui modo gigantes, modo caro nuncupantur, cum tot deliciis, & gulæ indulſiſſent, ab eſu carnium abſtinuiſſe. Legitur inſuper, *Geneſ. cap. 4. verſ. 3.* dicitur, quòd *Abel fuit paſtor ouium*; & quòd *obtulit de primogenitis gregis ſui, & adipibus eorum Deo*: Ergo oues, quas regebat comedebat, & earum adipe veſcebatur; ne Deo daret, quod ipſe non guſtabat: quod de iuſto dicendum non eſt. Hæc eſt ratio dubitandi, & huius quæſtionis occaſio.

2 Eſt ergo quo ad hoc opinio affirmans licitum fuiſſe eſum carnium, & conſequenter fuiſſe vſum eas comedendi; licet enim Deus ſolas herbas nominauerit, cum eſcam aſſignabat, nihilominus ex directo, & omnino abſoluto dominio, quod homini in reliqua animantia datum eſt, poterat iis etiam ad veſcendum vti: ita docet Doctiſſimus Caietanus, *in cap. 9. Geneſ. pag. 51. col. 1. Neceſſitas explicatur veſcendi carnibus. Hoc eſt, quod ante diluuium poterat quidem homo veſci carnibus, ſed non indigebat.* Huic ſententiæ videtur accedere Abbas Rupertus, *lib. 4. cap. 30. in Geneſ. tom. 1. pag. 63. colum. 2.* qui putat homini ante diluuium licitum fuiſſe, & etiam in vſu comedere carnes; poſt diluuium verò expreſſa licentia data, & poteſtas facta propter maiorem neceſſitatem. *Igitur & ſi ante hac abſque vlla Dei præcipientis authoritate hæc homo in cibum præſumpſit; iam nunc ex hoc poteſtate accepta, iure ſibi vendicat eadem in eſcam.* Confirmatur etiam ex authoritate D. Iuſtini Philoſophi, & Martyris; qui *ad quæſtionem. 119. Orthodoxorum, pag. 472. lit. A.* reſpondens; in qua quærebatur, cur cùm ante diluuium nec fruges comederentur, nec carnes, dicitur Cain, & Abel ea Domino obtuliſſe; hæc habet. *Beatus Apoſtolus Paulus Doctorum Pater, & veræ pietatis Doctor, ait: Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit? Pro eo, quod eſt, nullus. Quod ſi nullus perſpicuum certè fuerit, neq; Abelem ita paniſſe gregem, vt non ederet lac gregis eius.* Ergo ſi comedebat lac; quòd inter plantas, & fructus nõ recẽſetur, & hoc licitè

potuit

potuit etiam comedere, & de facto comedit etiam ouiū carnes;ad quid enim tot greges ouium deſeruirent?

3 Eſt & alia huic oppoſita ſententia,quę negat ante diluuium vſum carnium ad menſas fuiſſe, ſed fructibus contentos fuiſſe; poſt diluuium vero indigentiam,libertatemque carnis comedendi extitiſſe;& rationem haud aſpernandam vtriuſque aſſignant. Nam ante Diluuium Terra in tota ſua fæcunditate conſiſtens, & adhuc continuo cultu non defatigata,fructus, & herbas optimi ſaporis, & præſtantioris ſubſtantiæ producebat; itavt nulla eſſet neceſſitas, nec ad nutritionem, nec ad gulam comeſtione carnium: poſt diluuium vero Terra iam exfructata, nec non aqua marina ſalſa, & improba per annum cooperta, & ſterilis rēddita, fructus, & herbas longè inferioris bonitatis edidit; hinc etiam hominum complexio deterior effecta, alimento carnium neceſſe habuit. Hæc negatiua aſſertio, quæ ſuſtinet ante diluuium eſum carnium in vſum non fuiſſe, eſt primò Abulenſis, qui *in cap.9. Geneſ. pag.47. col.4. lit.K.* ait, *Hic dat hominibus poteſtatem comedendi carnes, & piſces; ante diluuium nec erat vſus vini,nec carnium, nec piſcium; ſed ſolis fructibus, & ſegetibus ſponte natis veſcebantur.* Et prius, *in cap.1. Geneſ. pag 9. col.4.* dixerat: *Vt ſint vobis in eſcam: Hic taxauit Deus cibos hominibus, ſcilicet, vt carnes non comederent; ſed ſolum fructibus arborum, & herbis veſcerentur; & obſeruata fuit iſta lex vſque ad diluuium.* De hoc Boetius, *de conſolat. lib.2.metr.5.*

Felix nimium prior ætas
Contenta dulcibus aruis,
Nec inerti perdita luxu:
Facilique ſera ſolebat
Ieiunia ſoluere glande;
Nec bacchica munera norant
Liquida confundere melle.

Idem ſentit Lyranus, *in cap. 9. Geneſ. Tunc enim conceſſit eis Deus, quod poſſint veſci piſcibus, & carnibus, duplici ratione. Vna quia terra per diluuium fuit peiorata, vt dictum eſt ſupra, & ideo terræ naſcentia non ſunt nutritiua ſicut ante: Secunda, quia natura humana facta eſt fragilior, & ideo conceſſus eſt eis cibus lautior; vnde ſequitur: Quaſi olera virentia dedi vobis omnia: Ideſt ſicuti primo homini conceſſi veſci omnibus terræ naſcentibus, ſic vobis concedo veſci piſcibus, & carnibus.* Hanc eamdem ſententiam, & propter eamdem rationem, tenet Cardinalis Hugo, *in cap.9. Geneſ. pag.13. col.1. Primo homini herba conceditur in cibum, nunc autem conceditur caro: eſus carnium conceſſus videtur poſt diluuium propter infœcunditatem terræ, & hominis fragilitatem.* Porrò ſufficientiam herbarum, & fructuum etiam ipſe Rupertus *loc.cit.* concedit ante diluuium; inquit namque. *Attamen felici adhuc, & infirmitatis experto homini tenuis ille victus ſufficientior extitit, quam infirmo nunc, & moribundo carnium eſus eſſe poſſit.* D. Theodoretus hanc negatiuam ſententiam ſecutus, alia tamen motus eſt ratione, *quæſt.55. in Geneſ. pag. 15. col. 2. tom.1.* ſcilicet,ne homines decepti animalia adorarent, reputando adoratione indignum, quod ipſi comedendo deuorarent. *Cur planè de carnibus edendis legem tulit? mox, vbi creaſſet hominem dedit illi terræ fructus, iubens illum veſci fructu ſeminum, & arborum, poſt diluuium autem pretioſiorem cibum illi confert, iubens occidere, & comedere volatilia, & natatilia, & terreſtria animalia, affectum affectu repellens, & leuiori curans grauiorem. Præuidens enim Deus homines in extremam dementiam lapſos hæc omnia animalia pro Dijs habituros, permiſit illorum eſum, vt impietatem illam cohiberet.*

4 Ceterum hæc negatiua reſponſio confirmatur authoritate D. Ioannis Chriſoſtomi, dicentis, *hom.27. in Geneſ. to.1. col.165. lit.C. Omne reptile viuens erit vobis in cibum, vt olera herbarum vobis dedi omnia.. Hic eſt initium edendarum carnium; non vt ipſas ad ventris ingluuiem paret, & inſtruat, ſed quia ex ipſis erat Noe ſacrificaturus, & Deo gratias acturus.* Idem docet D. Thomas in Epiſtola ad Romanos, *pag.43. cap.3 litt.G.* vbi Apoſtolos ieiunii, & parſimoniæ Prædicator ſolis infirmis oletum eſum concedit, dicens: *Qui infirmus eſt olus manducet, ad Roman. cap 14. verſ.2.* vbi Sanctus Doctor, *Terræ naſcentia fuerunt à principio conceſſa homini ad edendum ſecundum illud Geneſ.1. Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. ſed poſt diluuium primo legitur homini conceſſus vſus carnium. Vnde dicitur Geneſ.9. Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia: ſcilicet animalium genera.* Huic etiam aſſertioni fauet D. Iſidorus Hiſpalenſis, *lib.18. cap.10. Origin. pag.* 154. *col.1. lit.C.* qui explicās etymologiam huius nominis, *olus*, putat ex eo deriuatum, quòd alat, nam ante diluuium erat omnium alimentum. *Olus ab alendo dicta, eo, quòd primum homines ab oleribus alerentur, antequam fruges, & carnes ederent. Tantum enim pomis arborum, & oleribus alebantur, ſicut animalia herbis.* His omnibus authoritatibus conuincitur ex ipſo Sacræ Scripturæ textu, ante diluuium vſum comedendi carnes nō extitiſſe, tum quia Deus negauerat; tum quia ab iis, quorum vſum non habemus edendi abhorret animus: vt ſi quis nobis in eſcam daret canes, ſerpentes, & his ſimilia. Quòd autem eſus carnis fuerit interdictus, ſic probatur, quia quando aſſignatur aliquid, quidquid non includitur in conceſſione videtur excluſum; & vt infinita omittam exempla: In Regula Ordinis Minorū S. P. Franciſci, vbi Fratrum amictus explicatur, conceduntur eis duæ tunicæ, cum vno caputio, &c. Hic omnes expoſitores,& Sūmi Pontifices declarant, omne illud,quod non eſt conceſſum,eſſe negatum, nec poſſe a fratribus in veſtis partem aſſumi: Igitur à ſimili, &c. Probatur ſecundò, *ex cap.9.* illa Dei præceptio ad Noe, filijſque comedendi carnes, vel fuit permiſſio, vel mandatum: non mandatum, vt optimè ſuſtinet Pererius, & alii apud ipſum, quia ſic peccaret, qui abſtineret à carnibus, quod falſum eſt; fuit igitur conceſſio, & permiſſio, ſed permiſſio non fit, niſi de re aliàs illicita, ne dicatur fruſtratoria, ergo ante diluuium eſus carnium extitit illicitus. Quare concludit Pererius, *in cap. 9. Geneſ. lib.14. num.7. pag.237. Hinc apparet ante diluuiū eſum carnium vel non fuiſſe licitum, vel non fuiſſe in more, atque vſu ſaltem apud probos, & pios viros, quos Moyſes Dei filios appellauit.*

5 Tandem ſatisfaciendum eſt rationibus, & authoritatibus pro parte affirmatiua relatis. Ad illud de ſacrificio Abelis dicitur greges iumentorū non ad ſolam eſcā nutriri: ſed etiam aliis de cauſis ad vtilitatem hominum; ſic equarum greges nutriuntur non ad eſum, ſed ad alia munera; neque obſtat ſacrificium Abelis factum de re, quam non edebat: dummodo erat de re ſibi vtili, nam, & de lana pecorum, & ouium, veſtes faciebant; & fortaſſe etiam lac, & caſeum comedebant; nam licet lac non ſit fructus herbæ, eſt tamen homini notum; nam ſicut paruuli humanum ſugebant lac ob neceſſitatem, ſic etiam licitum fuerat, etiam grandioribus, ouium lacte veſci; neque lac prohibitum videtur maioribus natu, qui minoribus concedebatur. Et hoc tantum probat authoritas D. Iuſtini, ſupra relata, qui Abelem lacte vſum fuiſſe ad veſcendum probat. Quod autem Scriptura dicit, *Geneſ. cap.4. verſ.4.* Abelem Deo obtuliſſe, *de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum;* vnde videtur colligi ipſum agnos comediſſe, ad quid enim mactaret, vt ſumeret eorum adipem ad offerendum, & proiiceret carnes? Reſpondetur; holocauſtum Deo offerri etiam cum totum comburitur Sacrificium, & cum Deo datum animal interficitur, ne aliis vſibus ſeruiat, quod Dei eſt; Ita habemus in Exodo de primogenito Aſini ſcriptum; cum Deus omnia primogenita ſibi offerri mandaſſet ab homine, vſque ad iumentum, *Exod. cap.34. ver.20. Primogenitum Aſini redimes oue, quod ſi nec pretium pro eo dederis, interficies.* De adipe vero dicendum eſt, eius nomine intellexiſſe lac, tum quia etiam farina

Digitized by Google

adeps frumenti vocatur; *Pſal. 14. ver. 14. & adipe frumenti ſatiat te*; vnde etiam lac dici poteſt adeps ouium: tum etiam quia verbum חלב in litera hæbraica poteſt ſignificare lac, & adipem, ſolis variatis punctis, nam חָלָב; *Halab* eſt lac, & חֵלֶב *Heleb* eſt adeps; cum ergo Propheta ſine punctis ſcripſerit, ita poteſt legi lac, ſicut adeps: & ego quidem puto omnino lac eſſe intelligendum, ſiue lac, ſiue adeps interpretemur. Ad authoritatem Beroſi Chaldei, neſcio qui ſibi reuelauerit ante diluuium comeſtos homines, cùm, & ipſe ante diluuium non extiterit: non negauerim tamen extitiſſe etiam in illa priori ætate, aut ſaltem reperiri potuiſſe, homines, qui vel neceſſitate, vel crapula carnes comederint; cùm & modo repertæ ſint gentes, homines, & canes, &c. comedentes; ſed cùm hoc non reperiatur ſcriptum, an fuerit ante diluuium, nec ne, incertum: illud verò certiſſimum eſſe debet, apud communem hominum vſum carnium eſum in more non extitiſſe, nec licitum fuiſſe. Obijciunt quidam apud Peterium, quid de carniuoris Beſtijs, & auibus dicendum ſit, an ante diluuium a carnibus abſtinuerint? nam herbæ, & ſemina videntur aſſignata in cibum omnibus Animalibus. Ad hoc dupliciter reſponderi poteſt; primò neque ipſa carnibus vſa fuiſſe propter eamdem rationem, præſertim cum in initio mundi pauca numerarentur animalia: 2. dicitur nomine beſtiarum intelligi maiorem partem earum, quę herbis, & ſeminibus veſcuntur; nam (vt optimè notat D. Ambroſius *lib. de Noe cap. 23. to. 1. pag. 155. lit. A.* licet omnes herbæ ante, & omnes beſtiæ poſt concedantur homini ad eſcam, non ſunt tamen omnes herbę, nec omnes beſtiæ aptæ ad eſum; ſed ly, *Omnis*, ſumitur pro maiori parte. *Sed quemadmodum*, (ait ille) *& olera non omnia ad eſcæ vſum habilia ſunt; ita etiam non omne reptile viuens accomodum ad eum epulandum.* Cum ergo dicitur herba in eſum dari omnibus beſtijs, intelligitur maiori parti. Concluditur ergo ex his, ante diluuium homines carnes nec licitè, nec communiter comediſſe.

§. III.

Homo Creaturarum Dominus, propter quem creatæ ſunt.

1 S*Eruituti hominum*. Omnia viſibilia, & inuiſibilia quæ operatus eſt omnipotens Deus ad ſuam ipſius gloriam, tanquam finem vltimum deſtinauit: ſed præcipuè rationabiles creaturas, quibus ei ſeruiendi, & cognoſcendi tribuit poteſtatem. Vt autem homo Deo commodius ſeruire poſſet multas edidit in hoc terreno mundo creaturas, quæ ſolius hominis ſeruituti deputatæ ſunt. Primo namque conſiderare oportet Deum herbas, plantas, & fructus creaſſe ad hominis eſcam, vt vidimus ſupra. Neque his contentus, Maria ſpatioſa ſapidis repleuit piſcibus, lacus, flumina, & ſtagna natatilibus referta ſunt, vt hominum menſis delicias miniſtrarent. quot ruſpant in terris Gallinæ, quot in turribus nidificant columbæ, quot per aquas delicianttur Anſeres, ſed & per aera perdices, coturnices, turdi, Alaudæ, ficedulæ, aliæque innumeræ aues hominum vſui volitant: quot habent arua Boues, oues, Bubalos, capreas, quot nutriunt ſyluæ ceruos, cuniculos, Capreas, Apros, lepores, aliaque Animalia eſui humano apta? Hæc omnia in principio propter homines creata fuere, & pereunte mundo ſub aquis ideo ſeruata ſunt, vt poſſent hominibus inſeruire. Ideo dicitur Gen. *cap. 9. v. 3. Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt; & omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum*: Vbi aduertit Abbas Rupert. *lib. 4. c. 20. in exod. to. 1. pag. 63. col. 2. Porro hæc homini poteſtas ſuper omnia Animantia nunc iure accreſcitur; nam & tunc propter hominem condita, & nunc propter hominem reſeruata, duplici cauſa hoc homini debet, quod ſunt*. Hanc etiam Animalium ſeruitutem declarat Pſaltes, dum ait: *Pſal. 8. ver. 7. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, Oues, & Boues vniuerſas, inſuper, & pecora campi: Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*. Prouidentia enim, ac benignitate diuina factum eſt vt homo dominaretur omnibus creaturis, ad ſui vtilitatem, inquit D. Theodoretus *in Pſal. 8. tom. 1. pag. 91. col. 1. Tuæ autem benignitatis, ac virtutis euidens ſignificatio, hæc eſt, cùm abiectam hominum naturam tanta ſapientia repleueris, vt non ſolum terreſtribus Animalibus, verum etiam volatilibus, natantibus, atque ijs, quæ ſunt ambiguæ naturæ, dominetur, & quæ in profundo ſunt, arte, & ingenio aucupando capiat, vtque illa quæ aerem penetrant, & quæ aquis occultantur, ſubiecta teneat.*

2 Neque illis ad ſolum dominatur eſum, ſed ad multiplicem ſeruitutem, nam & vtitur ad itinerandum equis, & iumentis, ijſque, & camelis ad onera ferenda, tum etiam ad bellum, in quo & immania bellua elephantos arte ſubiecit, vtitur & ad muſicam, & ad aucupandum auibus, ad venationem canibus, & ad tutelam; Denique nullum eſt animal viuens, ex quo, vt ex iam dictis, & ex dicendis patet, aliqua vtilitate, ſuam non exigat ſeruitutem homo. Quæ cum ita ſint, mirari non debemus, ſi omnia Animalia ideo paſcit Deus, vt poſſint homini deſeruire. Vbi ordo rerum prouidentiſſimus Diuini Numinis obſeruandus eſt; nam pluuiæ cæleſtes, nec non fontes, & flumina ad irrigandam terram deſeruiunt, vt fæcundetur; terra fæcundatur, vt herbas alat, & producat; herbæ ad nutrienda Animalia deputantur, Animalia ad hominum ſeruitutem diriguntur; Homo tandem ad ipſius Diuinitatis obſequium deſtinatur. Idcirco optimè hic dictum eſt: *Pſal. 103. ver. 14 Producens fænum iumentis, & herbam ſeruituti hominum*: Quod ita explicat Hugo car. *Producens fænum iumentis; quaſi dicat; Ita vtilia facis terræ naſcentia, quod non ſolum paſcis ex ea homines, ſed etiam iumenta, quæ dediſti in auxilium hominum: & ad quid dat illis eſcam? vt ſeruiant hominibus; vnde additur: ſeruituti hominum: ideſt, vt ſeruiant hominibus, quia & propter hoc facta fuerunt, & propter hoc ſuſtentantur a Domino.*

3 Neque terrena, aut aquea, ſiue aerea corpora, aut mortua, aut viuentia ſola homini ſeruiunt, ſed etiam Cælorum ſydera homini ſeruiunt; Nam & ad elementorum diſpoſitionem, mixtorum generationem, pluuiarum immiſſionem, terræ fæcundationem, animalium conſeruationem ſtellæ concurrunt; & etiam ad ipſius humani corporis generationem ſtellæ deſeruiunt; vnde vulgatum illud apud Philoſophos axioma; *Deus, Sol, & Homo generant hominem*. Vnde Scotus *in 2. ſent. diſ. 14. quæſ. 3. in corpor. pag. 143. col. 3.* concludit. *Dico ad quæſtionem, quod ſtellæ habent actionem in hæc inferiora, in elementa, in mixta inanimata, & animata irrationabilia*. Quod probat ex authoritate Geneſis. *Geneſis primo dicitur de ſtellis, quod poſitæ ſunt in firmamento cæli, vt ſint in ſigna, & tempora, & non ſolum aeris, & terræ*. Deſeruiunt inſuper ad temporis menſuram, dierum, noctiumque, menſium, & annorum diſtinctionibus, nam vt ait D. Gregorius *Hom. 10 in euang. tom. 3. pag. 23. lit. A. Non propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter hominem factæ ſunt*. Et propheta inter alias creaturas, quas ad Dei prouocat laudem, ſtellas enumerat: inquiens. *Pſal. 148. ver. 3. Laudate eum Sol, & Luna Laudate eum omnes ſtellæ, & lumen*. Quaſi hominem erudiret, vt cum Deum laudat propter preſtita ſibi ab eo beneficia etiam ſtellas recenſeat, nam & illæ propter ipſum factæ ad eius ſeruitutem ſubiectæ ſunt; nam ita docet D. Hieronymus *in Pſalm. 148. pag. 423. lit. C. Grandem honorem habes humana Anima, Sol, & Luna, & Stellæ pro te currunt, pro te ſeruiunt*. Hinc eleemoſinas ſuaſurus Chriſoſtomus, in illa verba Pauli: *Ad Coloſſ. cap. 3. ver. 12. Induite ergo vos ſicut electi Dei ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ*: docet ſubuenire pauperibus Herculeum laborem eſſe; etenim ſi ille labanti Cœlo ſuppoſuit terga, ani-

mam

Digitized by Google

nam ſuſtentare, quæ Cœlo dignior, quæ ſtellis potentior, cui omnes ſeruiunt creaturæ plus eſt, quam regere Cælum. *Cui, quicquid vnquam æquale fuerit, & ad vtilitatis, & dignitatis rationem? Si enim tibi talem dediſſet poteſtatem, vt labens cælum ſuſtinere poſſes, nonne id opus honorem te multo maiorem exiſtimaſſes? En igitur maiore te dignum fecit honore, quod enim Cælis eſt dignius tibi refouendum commiſit. Apud Deum enim viſibilium nil hominis par: nam & Cælum, & Terram, & mare propter eum fecit, & in eo magis quam in Cælo delectatur inhabitare.* Hæc D. Ioan. Chriſoſ. *Hom. ad pop. Ant. 35. to. 5. col. 234. lit. C.* Omnium ergo Creaturarum Dominus Homo eſt, cui elementa, gramina, Animalia, ſtellæ ſeruiunt, ad eius genita ſeruitutem.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

DOminus noſter omnibus prouidet creaturis, *producens fœnum iumentis, et herbam ſeruituti hominum, ad educendum panem de terra.* Sed nec ſolum irrationabilia paſcit Bellua, verùm Iumentorum nomine, vel homines adhuc rudes intelligit, quibus proportionatam doctrinæ præparat eſcam, vel ſanctas Animas, quibus ſuæ carnis dat cibum; vel Animas aridas, quæ diuinarum conſolationum aquam expectant: vel pauperes, quibus debent diuites eſcam; Ideo autem adiungit; *ſeruituti hominum*, vt oſtendat Hominem omnium creaturarum Dominum eſſe, propter quem cętera creata fuerunt. De his ergo breuiter videndum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Homines iumenta, quibus Deus præparat eſcam ſuæ carnis.*
2 *Vnicuique ſecundum propriam neceſſitatem ſubuenit Deus.*
3 *Animæ aridæ in ſpiritu Deum ſitiunt.*
4 *Diuites eleemoſinam pauperibus debent.*
5 *Eleemoſina ſemen fructificans panem æternum.*

§. I.

Homines iumenta, quibus Deus præparat eſcam ſuæ carnis.

1 P*Roducens fœnum iumentis.* Immenſa Dei liberalitas manum ſuæ adaperiens munificentiæ, & miſericordis omnipotentiæ, non ſolum Bruta animantia Hominis cauſa nutrit, verum etiam ipſius hominis animam, multories ipſis feris crudeliorem, & indigniorem diuina reficit eſca. Nonne Belluam dices hominem, qui brutalibus irretitus delicijs nullum habet rationis vſum, & feralibus furit motibus? Is Dei gratia ad meliorem vitæ rationem conuerſus, dum a mundialibus abhorrens illecebris ad Dei ſeruitium, in mentis puritate ſe ſubijcit, compoſitis paſſionibus manſueſcit, & ex fera Bellua, quæ in mundi deliteſcens ſylua Diabolici Leonis venatorijs cautelis patebat, fit manſuetum, fit ſanctum Iumentum Chriſti; Cui Dominus tanquam iumento ſuo fœnum præparat, non terrenarum eſcarum amarulenta Conuiuia, ſed propriæ carnis, & ſanguinis dulciſſimas epulas; fœnum, quod virens in vtero Virginis floruit, in cruce ſiccatum eſt, & deinde in Eccleſię Horreis congregatum in panem Angelorum excreuit. Hoc eſt quod dicit Pſaltes: *Producens fœnum iumentis*: vt diſertè oſtendit Hugo Caren. Card. *in Pſal. 103. Per iumenta, & per ſeruitutem hominum intelliguntur fideles Dei ſeruitio mancipati; quibus Chriſtus produxit fœnum carnis ſuæ. Hoc fœnum exiccatum fuit in paſſionis feruore; tunc enim verè fuit fœnum; ſed quaſi herba virens fuit in vtero B. Virginis, & etiam in præſepio; ſed hæc herba creuit in panem Angelorum.* Optimus Agricola Deus Verbum ſuum in mundum miſit, vt tanquam fœnum humana paſceret iumenta.

Ian. de Mata.

2 Maximam ingerit admirationem, quod omnipotens Dominus omnino immaterialis, & incorporeus, carnem noſtram aſſumpſerit; qui poſſet nos, ſine tali Deitatis reſtrictione, delicijs recreare cæleſtibus, & donis immortalibus ſatiare. Verum ita humanæ conditio naturæ exigebat. Si Princeps aliquis magnus iumentis equiſque ſuis, propter ſeruitutem optimè Domino præſtitam, vellet lautum apparare conuiuium; quid putas illis apponeret; forſitan tot ferculorum exculenta genera, ac varia eſcarum ſapida edulia, quæ crocus, & piper, ac orientale cinamomum, balſamumque condiret arabicum? aut Græco, Cretico, Falernoque ſpumantes cyatos? minimè id quidem; nam ea nec aſpicerent Iumenta; ſed probe exiccatum fœnum, viridantia gramina, hordeumque pingue, & e ſuis manantes fontibus limpidiſſimas vndas aquarum. Nonne per primi Parentis culpam totum genus humanum in iumentorum ferè ſpeciem mutatum eſt? quid appetit niſi terrena, de terra natus, & quid ſapiunt niſi carnalia carne compaginato? Ea quæ cæleſtia ſunt, quia oculus non cernit, nec capit mēs, voluntas appetere non valet; Proh dolor! panis ille immortalis, qui ſolo intuitu cœleſtes recreat ciues, & angelicas paſcit mentes; vinum illud quod ſempiterna ſatiat fruitione, nauſeam mortalibus cauſat: Benè dicebat Propheta Deo: *Pſal. 72. v. 22. Vt Iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*: Quaſi diceret humana mea conditio, quæ nonniſi carnalia ſapit, cæleſtibus frui delicijs neſcit: ſi ergo tu Domine in hoc exilio exſaturare me vis, memento me Iumentum eſſe, pabulum terrenum expetere; veſtiaris ergo carne; vt ſic fœnū mihi factum, in te delicias, quas poſſum, experiar. Hæc igitur cauſa fuit cur Deus caro ſit factum, vt hominum aptaretur guſtui: audiamus de hac re D. Bernardum *ſerm. 3. de circumciſ. col. 70. lit. F. Nolite, obſecro, fieri ſicut equus, & mulus, ſed ſicut pium iumentum, quod ait: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum: Talia enim iumenta cognoſcunt poſſeſſorem ſuum, & præſepe Domini ſui, in quo poſitum eſt eis piſſimum fœnum, ipſe, qui panis eſt Angelorum: ipſe enim eſt panis viuus, de quo viuere debuit homo; ſed quia homo iumentum factus eſt; & panis factus eſt fœnum, vt vel ſic viuat de eo. Et huius quidem mutationis ſacramentum die Natiuitatis celebratum eſt, quando Verbum caro factum eſt, cum ſit omnis caro fœnum.* Tale iumentum talis eſca decebat.

Digitized by Google

3 Cum decreuiſſet Vnigeniti ſui incarnationem, Deus ad redimendum humanum genus, non ſolum carne amictus peccati apparuit, ſibi bene viſo tempore, neque tantummodo pauperem conditionem induit, omnibus ſe exponens temporum iniuriis, ac egeſtatis periculis, verum etiam in ipſo ſui natalis exordio in ſtabulo naſcens, aliud non habuit, niſi iumentorum obſequium, neque lectum in quo cubaret, niſi præſepe. Luc. *cap. 2. v. 6. Et reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio*. Cęlorum, terrarumque Dominus, qui omnia maieſtate adimplet, & immenſitate adæquat, locum, in quo quieſcat non habet. Sed cur tam propera egeſtas, cur vix nato deeſt locus; & ſi fas eſt dubitare, cur in præſepe potius, quam alibi collocatur? ſcilicet bene nouerat hominem iumentum eſſe, fęnum expectare, pabulum quærere: ipſe ergo, qui Angelorum panis cum ſit, caro, ideſt fęnum factum erat, vt ſe præberet edendum iumẽtis locum præſepe opportuniorem, in quo iumenta comederent, non inuenit. Quod Venerabilis Beda aſſeruit, *in cap. 2. Luc. tom. 5. col. 234.* dicens, *Qui panis eſt Angelorum in præſepio reclinatur, vt nos, quaſi ſancta animalia, carnis ſuæ frumento reficeret*. Gaudete, lætamini iumenta Chriſti, en Verbum Caro, Panis fęnum effectum eſt, vt vos diuina ſatietate repleret.

4 Madaurenſis Philoſophus L. Apuleius, vt Platonicam doctrinam de mundi huius miſeriis, ſub fabularum cortice tutius proponeret; finxit ſe magicis artibus in Iumentum mutatum (*in ſuo Aſino aureo*) & roſarum commeſtione ad formam priſtinam reſtitutum. Dum autem ſub aſinina pelle delituit, non ſolum omnem iumentorum laborem ſuſtinuit, ſed & pabulum, nam nonniſi, quæ iumentis dantur, edebat, donec, roſarum vi, hominibus reſtitutus, denuo ad fercula rediit conſueta. Homo & ipſe rationale erat Animal, à Deo ita creatus, vt cœleſtibus frueretur deliciis, ſed iumentorum pabulo delectatus ipſe ſeipſum perdidit; ſic vt iumentum carnalibus reficiebatur eſcis, cęleſtia non appetebat. Vt ergo Sacerdos æternus rationi hominem reſtitueret ſe tanquam fœno in præſepe exhibuit; ſed inter roſas, Virginis Matris brachia, vt rationis vſum ammiſſum reſtitueret nobis. Hoc præuidens in ſpiritu, dixit Propheta Iſaias. *cap. 1. verſ. 3. Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui*. Tunc etenim ratione vtens agnouit, cum in præſepe reclinatum diuinum fœnum, cęleſteſque roſas inuenit; tunc ratione carens iumentum, iterum rationabile factum eſt. Egregiè Niſſenus Gregor. *Orat. in Natiu. Dom. pag. 781. lit. B. Quod autem ratione præditum eſt Animal veſcitur pane; idcirco in præſepi, quod eſt animalium ratione carentium ſedes, è cœlo delapſus vitæ panis proponitur, vt & ea, quæ à ratione ſunt aliena animalia; rationis cibo nutriantur, atq; ita ratione decorentur*. Accedamus ergo ad Domini noſtri præſepe, vt in hac animali vita eius carnium fœno nutriti, tandem ad diuinum eius panem veſcendum, rationabiles redditi, ad Cęlum perueniamus.

§. II.

Vnicuique ſecundum propriam neceſſitatem ſubuenit Deus.

1 P*Roducens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum*: Poterat vtique primarum opifex rerum vnam, eamdemque omnibus animantibus communem producere eſcam; non tamen illi ſic viſum eſt; quãdoquidem diuerſis, ſpecie, natura, temperamento, conditione, vita, cognitione, diuerſa etiam pabula debebantur. Iumentis, vtpote ſimplicioribus beſtiis herbam, fęnumque attribuit, quæ eis ſufficere viderentur; ſed ad nutriendas Aues inepta erant gramina, & ideo ſemina requirebantur: Porro homini rationis prædito cibi opus erat, qui non ſolum paſceret, & nutriret, verum etiam delectaret; Hinc ei olera data, & earum condimenta tenelata, fructus ſapidos, dulces fruges, poma redolentia, & panis pinguedinem; inſuper ad potum, Beſtijs aqua ſat eſt, at homo arte ſua, vinum, ſiceram, ceruiſiam, lac, & his ſimilia habet: qua de re illi paraſitici verſus circumferuntur.

Vina bibant homines, animalia cætera fontes,
Abſit ab humano pectore potus aqua.

Hinc colligere poſſumus Deum, nedum in corporeis, ſed & in ſpiritualibus hominis neceſſitatibus, ſecundum propriam vniuſcuiuſque indigentiam, & virtutem dona ſua tribuere; vt fatetur D. Hieronymus, *Producens fęnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum: vnicuique ſecundum propriam tribuens neceſſitatem*.

2 Princeps quidam peregrè profecturus, ſeruos vocauit ſuos, eiſque ſua bona diſtribuit, vt in ipſa operarentur, & ſibi cum augmento, & lucro ſuo tempore reſtituerent. Sed illud ponderatione dignum eſt, quod non æqualiter theſauros ſuos diſtribuit, ſed plus minuſue pro libito dediſſe videtur. Matth. *c. 25. v. 14. Homo quidam peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & diſtribuit illis bona ſua; & vni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero vnum*. Non videtur æqualitatem ſeruaſſe; nam inæqualiter bona diſtribuens, cui minus dedit, minus æſtimare ſe oſtendit. Enim vero non fuit in diſpenſatore perſonarum acceptio, ſed in ipſis recipientibus habilitatis diſparitas, & negotiationis peritia: & ideo ſubditur, *vnicuique ſecundum propriam virtutem*. Qui enim vaſa aliqua vacua aqua, vel liquore alio implere deſiderat, tantum illius in quodlibet illorum infundit, quanta eſt & illius capacitas; aliàs enim effunderetur. Ita miſericors, & miſerator Dominus hominum neceſſitatibus occurrens ſecundum perſonæ indigentiam, & capacitatem ſua dona diſtribuit: ne grauaminis quiſquam incuſare Deum poſſet, cum ſupra vires iugum accipere iuberetur. Quod etiam ex ipſo textu interlinearis Gloſſ. colligit his verbis. *Diſtribuit illis bona ſua: Dedit Deus hominibus naturalia, & gratuita: & vni dedit quinque talenta: exteriorum ſcientiam quinque ſenſibus acquiſitam; alii autem duo: intellectum, & operationem: alii vero vnum: intellectum. Vnicuique ſecundum propriam virtutem: Non pro largitate, vel parcitate alii plus, alii minus, ſed pro viribus accipientium*. Vt ſcilicet qui natura, & ingenio præpollebat, etiam in bonorum acceptione, cęteris anteferretur; quod & in lucro expreſſum eſt.

3 Huius prudentiſſimæ diſpoſitionis particeps, Gentium Apoſtolicus Doctor Paulus, etiam ipſe non omnia omnibus proferebat euangelica arcana, ſed pro audientium captu, ea prædicabat, quæ ad illorum conuerſionem opportuniora videbantur. Quid enim populo adhuc carnalia ſapienti, niſi carneo velamine inuolutã doctrinam daret? Hoc ipſe Corinthiis teſtatur, *1. Cor. c. 3. v. 1. & 2. Et ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis*. Paruulis lac debetur, grandiuſculis eſca; & hoc didicit Paulus ex Dei prouidentia, qui aliam eſcam iumentis præparat, aliam coruorum filiis, iuxta Pſalmũ 146. *verſ. 9. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*. Sic Paulus nouiter conuerſis declarabat ea, quæ ad ſalutem ſufficerent, non quæ altiora eos confunderẽt, & hoc lactis ſapiebat: in fide vero, & charitate iam confirmatis totius Diuinæ Sapientiæ, quæ didicerat, communicabat arcana; ſecundũ propriam virtutem audientium doctrinæ verba diſtribuens. Ita Dionyſius Carthuſianus, *in Pſalm. 149. pagin. 669. colum. 2. Qui dat iumentis, ideſt hominibus adhuc rudibus, atque carnalibus; eſcam ipſorum, ideſt ſpiritualem doctrinam; ſeu gratiam eis proportionatam. Quemadmodum Apoſtolus dicit: Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: Deus*

enim

enim vnicuique dat ſecundum propriam virtutem. Quiſnam Dei benignitatem non exaltabit? qui ne noſtræ ſuccumberent in eius ſeruitio vires; ea quæ poſſumus mandat, ea, quibus indigemus adiungit, ne vires excedat onus, neque neceſſaria deſiderentur.

§. III.

Animæ in ſpiritu aridæ Deum ſitiunt.

1 PRoducens *fœnum &c.* Fœnũ vtique terra Dei ope germinat: producere autem ſine irrigatione non poteſt: propterea cum nimia ſiccitate areſcunt agri, herbam generare nequeunt; & ſiccis agris fame deficiunt animalia. Animæ ſanctæ opera virtutum exercere, & dignos producere ſanctitatis fructum deſiderãt; verum multoties aridæ ſpiritu reperiuntur, ita vt ceſſante diuinarum gratiarum irrigatione, & ſenſibilis deuotionis pluuia ad germinandum inutiles reperiantur. Tunc ergo, vt fænum iumentis producant, ideſt cordibus merita accreſcant, Deum, eiuſque gratiam ſitiunt; a cuius fauoribus fæcundatæ, non ſolum iumentis fœnum, ideſt corporis ſanitatem, ſed & herbam hominibus ideſt animabus meritum producant: vnde D. Petrus Damian. *lib. 2. epiſ. 5. to. 1. pag. 75. lit. C. Producens fœnum iumentis: ſancti quique, ac iuſti, velut arida Deum ſitiunt, & tanquam ferax terra virentes bonorum operum fructus germinare contendunt.*

2 Nulla maior, & dignior occaſio planctus, quam terræ ſiccitas, nam cum imbribus impinguari non poteſt, areſcit terra, quæ deſiccata nec germina profert, nec Iumenta paſcit, nec nutrit hominem. Haud ſecus Anima cum in ſpiritus ariditatem incurrerit, diuinarum conſolationem imbribus deſtituta pęne deficit, & cum fructus edere bonorum operum non poteſt, flens, & eiulans lamentatur. Hoc ſub nomine Iudææ narrat de anima Ieremias *cap. 14. verſ. 1. & 2. Quod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam de ſermonibus ſiccitatis: luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt, & exiccatæ ſunt:* cum enim anima in ariditate ſpiritus reperitur, ei tribuitur luctus & planctus, nam plangere amiſſam gratiam debet, donec recuperet eam: ita ſentire videtur Ghiſlerius *in Ierem. tom. 2. pag. 224. col. 2. lit. E. Dum animæ, quæ in ſiccitate ariditatis ſpiritus conſtituta ſit, in ſumma & gratiæ Dei, & Diuini Verbi imbris penuria, is tribuitur luctus, quo lugere dicitur terra, quæ inanimis eſt, & inſenſibilis.* Ita terra ſicca langueſcit, ita anima in ſpiritu arida, Deum, eiuſque gratiam ſitit, vt germinare valeat virtutes.

§. IV.

Diuites eleemoſinam pauperibus debent.

1 PRoducens *fœnum iumentis*: Liberalitatem Prouidentis Dei vidimus ſupra, qua in fouenda vtitur terra: illi enim cæleſtes donat imbres, & per eam flumina mittit, vt fæcundetur, & vireſcat. Porro hoc illi gratis non conceditur, ſed cum penſione producendi fœnum; nec ad ſolum ſui ornatum, ſed & ad iumentorum, hominumque eſcam. Terra ergo tot irrigata fluuijs, tot fœcundata imbribus iumentis, & hominibus olera, herbas, & fructus debet; vt ſic mirabili ſapientiæ ordine, & prouidentiæ regula diſpoſitæ creaturæ vna alteri inſeruiat, & omnes homini; qui ſolius Dei cauſa creatus eſt, vt obediat illi. Hæc autem ad chriſtianos mores componendos translata ſatis manifeſtè docent, idcirco Diuites bonis multis a Deo repletos, vt pauperibus ſubueniant; neque ſe multum aliquid facere exiſtimet, qui de multis ſibi affluentibus partem alendis pauperibus tribuit; nam hanc eleemoſinam erogare tenetur; cum ideo ſibi acceſſerint diuitiæ, vt tanquam diſpenſator earum, indigentibus e largiatur; ita docet Caſſiodorus *in Pſal. 103. Producens fenum iumentis: In hoc admonet Propheta, vt terra cæleſti imbre ſatiata, producat fenum, ideſt faciat eelemoſinas, iumentis, ideſt pauperibus.*

2 Cum ſapientiſſimus Præceptor noſter Ieſus, vellet nos ad eleemoſinam faciendam, ac noſtras diuitias vtiliter erogendas inſtruere, Villici cuiuſdam exemplum attulit, qui cum ſe apud Dominũ ſuum diffamatum comperiſſet, quaſi domus diſſipatorem, & erubeſcens mendicare, de bonis Domini amicos ſibi conciliare decreuit *Luc. cap. 16. verſ. 3. & 4. Ait Villicus intra ſe: quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem: fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos ſuas.* Cur autem potius villici perſonam adduxit in medium, quam alteram? Vt admoneremur vtique, in omnibus, quæ Deo largiente poſſidemus, non Dominos nos eſſe, ſed villicos, & aliquando a vilicatione expellendos, idcirco, de ipſa ſubiſtantia, quam ſuam, non noſtram, Dominus credit nobis, amicos nobis facere debemus, pauperibus diſtribuendo; ne cum diuites in preſenti fuerimus vita; villicatione cum vita terminata, cogamur erubeſcentes in vltricibus flammis poſiti, aliorum ſubſidium mendicare; villicatio temporalis eſt, terminabilis ſæcularium bonorum poſſeſſio, ſciamus ergo benè diſtribuere, quod vel nolentes relinquere debemus, egregiè, vt adſolet, de hac re D. Petrus Chriſologus *ſerm. 125. pag. 360. col. 2. Mendicare erubeſco: & quis non erubeſcit in cęleſtibus mendicare? Miſer, quem temporalitas habuit diuitem, mendicum ſempiternitas poſſidebit; & habebit hunc mendicum tartarus, quem locupletem ſuſcipere cælum potuit & tenere. Præſens figura tendit ad populum: ſed bonum nobis, bonum nimis, ſi ad nos illa aptemus ſingula, ſi ad nos iſta referamus, qui in terra nos debemus villicos ſentire, Dominos non putare: prorogationis temporariæ miniſteriũ ſuſcepiſſe, non inueniſſe ius perpetuum poſſidendi.* Quid clarius dici potuit? diſcamus ex Dei bonis nobis amicos facere, vt terminata villicatione in æternis tabernaculis inueniamus hoſpitium.

3 Diues quidam purpura, & byſſo inſignis, epulis, ferculiſque ſatiatus, magis in ſe quam in pauperes crudelis, cum menſarum reliquias, quæ canibus patebant, pauperi denegaſſet, & minus habens inuentus, æterno eſſet deputatus ſupplicio: ibiq; inter flammarum vortices, ac pęnarum grumulos reperiretur, oculos ſubſtollens; vidit in ſinu Abrahæ pauperem a ſe ſpretum, receptum. *Luc. cap. 16. verſ. 23. Eleuans autem oculos ſuos, cũ eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius.* Sed cur potius in ſinu Abrahæ, quam alterius Sancti viſus eſt Lazarus? Cur Abraham in gloria Diuiti pęnanti apparuit? Idcirco factum eſſe iudico, vt errorẽ ſuum, non amplius redimendum, agnoſceret diues, qui cum viueret ſe Dominum diuitiarum, non miniſtrum æſtimans, eas diſpenſare neſciuit, & procuratione finita, ſe pauperem inuenit. Haud ita Patriarcha, ſed cum eſſet Diues valdè, ſciuit illas diſpenſare, & ſibi de eis amicos facere; ſemper enim peregrinos hoſpitabatur, pauperes reficiebat; & ideo poſt mortem ditior inuentus, denuo pauperes recipiebat, & beabat. Ingenioſè, Idem Chriſologus, *ſer. 121. pag. 355. col. 2. Non immerito fratres ſua nunc omnes Sanctos ſuſcipit in requie, & in ipſa cęleſti beatitudine fungitur diſpenſatoris officio: quia dum ſemper hic ſuſcepit peregrinos, & pauperes, ipſum cum Angelis ſuſcipere Deum, ipſum ſub tentorio ſuo videre hoſpitem meruit, quem ſemper habuit largitorem. Et reuera fratres parum ſe beatum crederet, ſi in ipſa ſuprema gloria ab hoſpitalitatis pio ceſſaret officio; & ſolus donis frueretur diuinis, qui hic humana bona, crudelem ſe crederet quicquam ſi negaret.* Ita oportuit facere diuitem euangelicum, ſed quia iſte neglexit alere pauperes, hoſpitari peregrinos, & ſiti moritur, & ab Abrahami hoſpitio remouetur.

4 Abſolutè concludendum eſt bona nobis collata, tan-

tanquam diſpenſatoribus eſſe; nam quod vel ad regiam natus coronam, vel ad diuitem deuectus poſſeſſionem, vel ad felicem mercaturæ negotiationem quis,eſt induſtrius redditus, hoc diuina prouidentia fecit,ſed non in illius tantummodo, ſed omnium vtilitatem. Etenim cum Princeps aliquis vnum è ſuis ſeruis ſibi bene viſum, ſuæ domus procuratorem (vulgò *Maeſtro di caſa*) inſtituit, ei omnium ſuarum facultatum redditũum, expenſarum authoritatem attribuit; ſed hoc non ei ad propium dat commodum, verùm vt in familiæ vtilitatem cuncta diſpenſet. Ita pariformiter diuitibus facultates ſunt creditæ ad pauperum ſubuentionem. Suos diſcipulos alloquens Dominus, eis dicebat: *Luc.c.12. verſ.32. Nolite timere puſillus grex quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*: En ad Regni faſtigium ſuos eleuat amicos Chriſtus; ſed quomodo Regno vtendum ſit adiungit *verſ. 33. Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſinam*. En quomodo regiæ opes in alendis pauperibus impendendæ ſunt: regalis potentia in defendendo imbeciles eroganda eſt; ſit Refrigerium miſerorum, protectio oppreſſorum, viduarum, pupillorumque refugium purpureum paludamentum. In ijs Monarchijs, in quibus electio dat imperium, vſus euicit, vt electi bona, quæ in priuata fortuna poſſidebat, populi præda diripiantur, vt diſcat propria elargiri qui publicis potitur ſubſtantiis. Hæc omnia docet Chriſtus Dominus noſter loco citato; nam ita explicat D. Petrus Chriſologus *ſerm.23.pag.268.col.1. Eſt conſuetudinis, eſt animi felicis, vt adſcitus ad Regnum, quod ſuit proprium, quod priuatum, mox parentibus, mox propinquis, mox ciuibus indigentibus prorogare, ne ſit mendicus animo qui cenſo functus eſt, & honore &c. Ideo Chriſtus poſt regnum promiſſum dixit: Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſinam*. Erogemus noſtra, vt alienis fruamur.

5 Adſolent viri prudentes, cum per viam a latronibus obſitam incedere debent, ſi multum habeant auri, deponere, ne propter ipſum periculum mortis incurrant; ne autem amittant eam pecuniam in vrbe, vnde diſceſſuri ſunt mercatoribus numerant, commutationem faciendo, vt illam recipiant in loco, ad quem ire parant. Solus ſtultus hanc commutationem negligit; ſed dum poſtea latrones inter, pecunijs ſpoliatus, & in vitæ poſitus diſcrimine reperitur, pœnitentiam facti, ſed infructuoſam habet. Omnes diuites ad futuram vitam iter faciunt, ſciuntque mortis aditum a latrunculis infernalibus obſideri; quo ſi auro onuſti perueniant periculum æternæ mortis incurrunt: commutent igitur illud, dent Mercatoribus, dent pauperibus, vt per illorum manus ſecurum ſibi reponatur in Cœlum. Ita Mattheus a Domino admonitus fecit, vt Marcus enarrat *cap.2. v.7. Vidit leui Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum*. Quod expendens Chriſol. *ſer. 29. pag. 273.col.1.* inquit *Aurũ erogare bonum, reponere malum, contemnere validum, fugere perſecurum &c. Et quid plura? hoc eſt quod Apoſtolus dixit: Radix omnium malorum Auaritia. Eſt commutatio ſanè vna, ſi homo prudens illud ante mittat ad cœlum, quam mittatur ab illo, vt ſtultus, in tartarum. Mittat per manum pauperis, quia quidquid propter Deum pauperi dederit, ad cœlum ſine dilatione tranſmittit. Merito Mattheum Dominus talibus vinculis abſolui cupiens præpeditum, ſuſcitat, dicens: ſequere me*. Eleemoſinam ergo Diuites pauperibus debent, ne pereant: nam ſibi Diuitiæ ad diſpenſandum concreditę, non ad fruendum donatæ a Deo ſunt; ille benè ſeruabit, qui nouerit erogare.

§. V.

Eleemoſina ſemen eſt fructificans panem æternum.

1 VT *educas panem de terra*: Omnes iſtæ germinationes, quas ad hominis vtilitatem tellus irrigata producit, eo præcipuè terminantur, *ad educendum panem de terra*: nam inter omnes hominum eſcas panis preſtantiſſimus eſt, ipſa carne, & quocumque alio cibo vtilior, ac neceſſarius magis; ita & ante diluuium, ſine carne vixiſſe maiorem hominum partem, non ſine pane, ex dictis ſatis manifeſtum eſt. Vt autem panis educatur neceſſe eſt prius ſemina in terras proiicere, quæ inde multiplicata germinando in ſuis frumentis materiam panis ſubminiſtrant. Panis animarum noſtrarum Chriſtus eſt, cuius Diuinitate, reuelata facie, in cœlo ſatiantur electi, & nos exſaturari (Deo dante) debemus; vt autem frumentum ſufficiens ad diuinum hunc panem habeamus, debemus ſemina in terras ſpargere, ideſt bona noſtra pauperibus erogare; quod enim pauperibus datur, in fructum nobis vertitur æternitatis: teſtante Caſſiodoro. *Vt educas panem de terra: Panis enim noſter Chriſtus eſt, qui de terra producitur; quando aliquid indigentibus, eius conſideratione præſtatur*.

2 Hæc namque agriculturæ eſt vtilitas, vt ſemina, quæ terræ mandantur, licet videantur diſperſa fructum tamen reddant multiplicatum, & pro vno grano centum reddant. Hinc Dominus cum hortaretur diſcipulos ad temporalia pro eius amore ſpernenda, centumplum accepturos promittit. Sed & qui non relinquit, ſed terræ committit, ideſt pauperibus diſtribuit, idipſum ſe collecturum ſperet; nam huius generis hominibus prædicabat Oſeas, dicens *cap.10.verſ.12. Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ; innouate vobis nouale*. Seminat ergo in iuſtitia qui bona,quibus abundat,pauperibus impertitur; qui paſcit eſurientem, ſitientem potat, nudum operit, peregrinum hoſpitatur, egenos alit, oppreſſos tuetur; & hic metet in miſericordia; quia per Dei miſericordiam de erogatione temporali æternam recipiet retributionem. Agnoſca ſe homo Dei Miniſtrum, ac procuratorem diuitiarum eſſe, quas ſi benè diſpenſauerit ſuam mercedem conſequetur. Audiamus Baſilium *Hom. in Diteſcen. pag.151.lit.C. & F. Dei optimi Miniſter es, ſuorum diſpenſator ſeruorum. Ne puta omnia ventri tuo præparari; quæ in manibus habes, vt aliena exiſtima &c. & concludit: Dediſti eſurienti? tibi conſuluiſti. Quod dediſti ad te cum auctario reuertetur. Quemadmodum enim frumentum in terram cadens lucrum proiicienti parit: ſic & panis in eſurientem proiectus, multam in poſterum tibi reddet vtilitatem. Sit agriculturæ finis ſementis cœleſtis: ſeminate,inquit,vobis in iuſtitia*. Optima ſeminatio, quæ Angelorum panem producit.

3 Non eſt quod magis diteſcentes timeant, quam congregata ſudoribus, bona, diſperdere; inter vero diſpendia, quæ ipſis inutilia videntur, eſt eleemoſina: ita enim aurum, argentumque, & reliqua bona amant; vt nedum præferant æternæ ſaluti, ſed & ipſi mundanæ vitæ; non enim theſaurizant, vt habeant ad viuendum, ſed viuunt,vt illis ad theſaurizandum tempus ſuperſit; quod carpit Iuuenalis, Sat. 12.

Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet,
Argento præferre caput, rebuſq; ſalutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci, propter patrimonia viuunt.

Iſti homines diteſcere neſciunt, nam eis theſaurizandum eſſet, non in itinere, non in diuerſorio, ſed in patria; vt autem in Cœlo theſaurizetur in terra ſpargendum ſemen, vt fructificet æternitatem; nam ſeminator grana ſpargit, vt frumenti centuplicatam accipiat ſegetem: quod Iuſtum feciſſe ait Pſalmiſta: *Pſ.111.verſ.9. Diſperſit dedit pauperibus iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria*: En fructum diſperſionis, in ſæculum ſæculi Gloriam duraturam: Approbat Eutimius. *Diſperſionis vocabulo liberalitatem donantis expreſſit, quum etiam veluti ſemen, aut ſationem quamdam eſſe ſignificauit: ſpargere enim ſolent qui ſeminant, ſed nihil huiuſmodi ſatoribus deperit, etenim iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*. Bona,

quæ

Digitized by Google

quæ breuiter deperdenda ſunt, & in hoc exilio congregato ad patriam redeuntibus oneris ſunt, ſatius eſt terræ ſpargere ad fructificandum, quam inutiliter congregata ſeruare.

4 Illud præterea in germinatione mirabile, & notatu dignum ſine conſideratione prætereundum non eſt. Semina enim cum germinare incipiunt, nequaquam prius ſurſum aſſurgunt, ſed antea radices deorſum mittunt, quibus radicatis, ad Cœlum ſurſum eleuantur, ad debitam altitudinem excreſcendo. Idem & nos facere oportet, qui cæleſtis germen gloriæ fructificare ſatagimus; prius enim debemus mittere deorſum radices, eaſque ibi fundare, vt ad Cœlum vſque aſſurgere valeant. Quod & Iſaias Propheta memorat *cap. 37. v. 31.* dicens: *Mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum*. Quid eſt autem mittere deorſum radices? Dare pauperibus eleemoſinam, eorum miſerias conſiderare, compati ſubleuare; qui hæc preſtat, vtique radices mittit deorſum in terra, vt fructum ſurſum in æternitate recipiat: Id teſtatur Magnus Gregorius *lib. 12. cap. 22 moral. pag. 597. lit. C. Vnde & per Prophetam dicitur: Mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum: Cum enim cogitationem noſtram ad compatiendum indigenti proximo tendimus, quaſi radicem deorſum mittimus, vt retributionis fructum ſuperius faciamus*. Sed quid faciet erogata, diſperſa eleemoſina ſi tantum meditata fructificat? Neceſſe eſt vt fructum pariat æternitatis.

5 Tandem ad maturitatem perductis ſegetibus grana excutiuntur, quæ, vt poſſint diutius conſeruari, in Horreis congregantur, vbi, & a puluere, & a tineis, ſedulo labore ſeruantur immunia: Nos etiam dum ex virtutum germinibus merita eduximus ipſa in horreis congregare debemus. Porro Horrea tuta Diuitiarum noſtrarum, vbi ſeruantur a puluere vanitatis, & a tineis cupiditatum, ventres ſunt pauperum: ventres ergo pauperum, manus egenorum horrea ſunt, Arcæ ſunt, in quibus diuitiarum grana, & virtutum Theſauri in æternitate ſeruantur. De his enim horreis, dicebat Dominus *Luc. c. 3. v. 17. Triticum vero congregate in horreum meum*: Quidni Horrea Domini ſint pauperes, cum omnia, quæ in eorum ſalutem erogantur, ſibi erogata teſtetur? Quare fatetur Cœnomanenſis Epiſcopus Hildebertus *epiſt. 62. to. 3. Bibl. VV. PP. col. 230. lit. C. Illuc transferas ſanctitatem tuam pro quadrante talentum inuentura. Felix & fructuoſa translatio huiuſmodi; quam commiſſam manibus pauperum cum centeno recipies incremento. Nemo ſibi theſaurizat, niſi loculos in eorum manibus euacuet. Nemo benè metit niſi Horrea ſua ventres eorum efficiat*. Quiſquis ergo frumenta ſua, bona ſua in æternitate ſibi repoſita cupit, in horrea mittat diuina, ventribus pauperum diſtribuat; nam eleemoſina fructum germinat æternitatis.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Quartuſdecimus.

Produxit Chriſtum in vtero tanquam herbam iumentis peccatoribus, & hominibus iuſtis, & de eo eduxit Angelorum Panem.

NVlla eſt inter rationales tellus, nullus & campus, Mariæ Animam perfectione adæquans; quandoquidem in ſanctarum pluuiarum irrigatione, ideſt in gratiarum diuinarũ repletione omnes ſuperat puras Creaturas. Si ergo hanc irrigationem ideo Terra recipit, vt fœnum Iumentis, hominibuſque producat herbam: omnium nobiliſſimum fœnum, ſapidiſſimam herbam, ex qua Angelorum educeretur Panis, Hæc gratijs pleniſſima terra debuit. Quapropter Deuotiſſimus Beatæ Mariæ ſemper Virginis ſeruus Richardus *a S. Laur. lib. 8. de laud. Virg. col. 496. lit. E.* ſic de ipſa fatetur. *Maria Campus, quia ibi creuit fœnum Dominicæ carnis, quia omnis caro fœnum Iſai. 40. Fœnum videlicet, quod Maria producit iumentis, quo etiam ſaluantur Homines, & Iumenta; hoc eſt rationabiliter viuentes, & ſuorum deferentes onera mandatorum*. Quia vero licet ſapiant hominibus olera, panis tamen præcipuus, & magis proficuus eorum eſt cibus, ideo B. Virgo, non eſt contenta edere herbam, ſed ex ſe ipſa voluit educi angelicum panem habentem omnem ſaporem, & omne delectamentum: de quo Cardinalis Hugo *in Pſal. 103. Quaſi herba virens fuit in vtero B. Virginis, & etiam in præſepio; ſed hæc herba creuit in panem Angelorum; de quo addit: Vt educas panem de terra: ideſt de B. Virgine*. Sic igitur B. Virgo frumentum electorum, & Angelorum Panem eduxit.

Digitized by Google

Mariæ Vterus electorum Frumentum, & Angelorum Panem produxit.

1 **P***Roduxit Chriſtum &c.* Poſtquam Agricola indefeſſo labore terrã excoluit, ſemenq; in eam ſparſit, fructum expectat; ſtatim autem ac illum multiplicatum, ac ad perfectam maturitatem perductum videt, maximè lætatur, ac gaudio repletus, omnes amicos ad gratulationem lætabundus prouocat. Expectabat ſanctorum Patrum pietas ſuorum meritorum fructũ quibus Redemptor promittebatur Meſſias, qui tanquam diuinum frumentum, æterna eos ſatietate repleret: quem fructum iam ad meſſem album in ſpiritu cernens Dauid, nomine generationis illius felicis, quæ eum viſura, & acceptatura erat, totum orbem ad lætitiam prouocat dicens: *Pſ. 66. v. 3. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, Terra dedit fructum ſuum.* Hæc vtique terra Deipara eſt Virgo, quæ eum ſpiritu ſancto fouente Chriſti paruulum tanquam florem produxiſſet, tandem ex ipſo fructum maturum dedit in cruce; & ideo dedit, vt nos illum comederemus. Merito ergò eius nomine cantat Eccleſia: *Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cum eſſem paruula placui Altiſſimo, & de meis viſceribus genui Deum, & hominem.* Omnes enim ad gratulandum excitat, quia fructum iam exhibet ſuauiſſimum, iam ex ipſo confectum panem proponit. Ita D. Hieronymus *in Pſal. 66. to. 7. pag. 108. lit. E. Terra ſancta Maria dedit fructum ſuum; primum dedit florem, qui dicit in Cantic. Canticor: Ego flos campi, & lilium Conuallium: Iſte igitur Flos fructus factus eſt, vt nos illum comederemus, vt nos manducaremus carnes eius.* Benedicta illa terra ſit, quæ talem exhibuit fructum Diuinitatis.

2 Annonæ caritati futuræ frumentorum congregatione prouidetur; vt enim quæ in ſola meſſe colliguntur ſemina, per totum annum, & amplius ſi opus fuerit, ſufficiant, in Horreis coaceruantur. Ita feciſſe legitur Ioſeph in Ægipto, qui futuram famem prænoſcens, toti Ægipto, & Meſopotamiæ, alijſque regionibus ſuffecturum frumentum congregauit. Haud ſecus Maria; neque enim tantùmmodo electorum frumentum produxit, ſed & coaceruauit, ac mundi ſpiritualibus neceſſitatibus reſeruauit; vt quando diuinæ gratiæ indigentes ſe fideles agnoſcerent, huius frumenti pinguedine ſatiati, ſpiritualiter ſaginarentur. Quapropter Diuinus Sponſus, ſuæ Matris, ac ſponſæ laudes attexens, inter cætera ventrẽ laudat ab vbertate, eumque tritici aceruum appellat *Cantic. cap. 7. verſ. 2. Venter tuus ſicut aceruus tritici.* Aceruus eſt tritici vterus immaculatus Deiparæ, nam in eo frumentum electorum omnium bonorum compendium continetur; vt ait D. Antonius de Padua, eiuſdem Virginis deuotiſſimus Contemplator *ſerm. 2. Dom. 3. Quadrag. pag. 156. col. 1. Venter glorioſæ Virginis fuit ſicut aceruus tritici: Aceruus, quia in eo aceruatæ fuerunt omnes prærogatiuæ meritorum, & præmiorum: Tritici, quia in eo, quaſi in Cellario, induſtria veri Ioſeph, repoſitum fuit triticum ſcilicet Ieſus Chriſtus, ne tota Ægiptus fame periret.* O vos omnes qui fameſcitis Chriſtum, qui diuinis exſaturari epulis cupitis, qui dulcedine Diuinitatis feſtinatis repleri; Huc ad Virginem currite, properate; Aceruum tritici ſempiterni repoſitum habet, ac per ſe petentibus diſpenſabit.

3 Verum quomodo in Virginis aluo aceruum tritici conſeruatum dicimus, ſi in ipſo vnum tantum granum repoſitum eſt? etenim de ſeipſo Dominus dixit: *Ioan. cap. 12. verſ. 24. Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit:* Vbi D. Auguſtinus *Tract. 51. in Ioan. ap. Breu. Rom. Ipſe Dominus Ieſus erat granum mortificandum & multiplicandum.* Si ergo vnum eſt granum, quomodo Aceruus dici poteſt? Sed aduertendum eſt, quod granum iſtud malum punicum dicitur; *Cantic. cap. 4. v. 13. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum.* Porro Malum punicum ferè innumeros granos continet, ideoque a tot granis, etiam granatum dicitur: ſi vero (vt Plantarum cultores docent) in trunco Cydonii pomi ramus mali punici inſeratur, fructum quidem ſolitæ magnitudinis reddet, ſed vnum tantum continens granum, quod tamen magnitudine ſua tot granorum implet locum. Vnum erat granum Dei Verbum, ſed tantæ magnitudinis, vt ſolum pro infinitis ſufficeret granis, quippe, quo per tot ſæcula Angelis & hominibus paſtis, & in æternum paſturis, numquam deficiet, vel minorabitur; Bene ergo Aceruus dicitur, non numero, ſed quantitate, & virtute. Ita ſubtiliter concludit melliſluus Ambroſius *lib. de inſtit. Virg. cap. 14. pag 319. lit. C. tom. 4. Vnum granum frumenti fuit in vtero Virginis, Chriſtus Dominus; & tamen Aceruus tritici dicitur, quia granum hoc virtute continet omnes electos, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* En punicum in Cydonio inſertum malo, Deus in Virgine factus homo, vnum numero granum, infinitum virtute.

4 Ad panem tandem conficiendum frumentum deſeruit; eo enim in farinam redacto, & aqua coagulato, conficitur panis, qui in clibano coctus ad eſum aptus efficitur. Illud tamen aduertendum eſt, quòd iſte panis numquam erit ſapidus, neque proficuus, niſi fermentetur. Panis cœleſtis, qui nobis ex electorum frumento, in mariana terra germinato, conficitur, numquam nobis ſapidus, & proficuus eſſet, ſine fermento; quod autem eſſe fermentum putatis? Fides eſt; niſi credas in Deum, & eius potentia eſſe tranſubſtantiatum in panem, tibi Vitæ panis non erit. Quapropter D. Thomas *in offic. Corp. Chriſ.*

Quod non capis, quod non vides
Animoſa firmat fides.

At immaculata Dei Genitrix dum ipſa hunc panẽ conficeret, optimum fermentum adhibuit, fide firmiſſima coagulauit; nam & fide concepit, fide peperit, fide comedit. Hoc illud eſt fermentum, de quo Dominus apud Mattheum *cap. 3. v. 33. Simile eſt Regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Sata enim tria vnius farinæ sũt tres in vna Diuinitate Perſonę, quę ſemper ſimul incedentes ſub hoc pane reperiuntur; fermentum vero, quod mulier abſcondit, fides Deiparæ extitit. ita D. Bernardus *ſer. de trib. mixt. pag. 14. lit. L. Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius caſtis viſceribus ſuperueniente igne ſpiritus ſancti coctus eſt panis iſte, vt ſit panis Angelorum, quem manducet homo: felix inquam mulier, quæ in hæc tria ſata immiſit fidei ſuæ fermentum: ſiquidem fide concepit, & fide peperit.* En Virginis in homines beneficia; neque enim ſolum frumentum produxit, ſed & panem confecit.

5 Diuina Prouidentia in eo prælertim eluceſcit, quod vnicuiq; viuenti peculiarem ſuæ naturæ opportunam, & proficuam eſcam produxit; nam olera vel pinguedine terræ, vel aquarum humiditate nutriuntur; herbis contenta Iumenta, limoſis veſcuntur piſces eſcis: Homini autem tanquam ſuæ ſubſtantiæ magis conſentaneum panem dedit. Quibus myſticum attribuentes ſenſum, etiam pro varia hominum ætate videmus diuerſimodè panem cęleſtem attributum. In lege namq; naturæ rudibus adhuc hominibus, in mundi adhuc infantia, Deus tanquã frumentum adhuc in herba ſuam cognitionem exhibuit; ſub lege, & prophetis, adoleſcente iam mundo farinam dedit; nam quod tantummodo in fide parentum tanquam ſpica ſeruabatur, poſtea in lege varijs prophetijs adumbratum farina erat. Sed in lege Euangelica ſanguinis Chriſti paſſi hæc farina coagulata liquore, & eccleſiæ fide fermentata, panis confectus eſt, & igne Sancti ſpiritus in Mariæ clibano coctus. Huius figuræ varia veteris legis ſacrificia fuere; nam & ibi præceptum erat ſacrificium Animalium, & auium, & ſimilæ, & panis, & frugum; vt

quiſ-

quiſque id offerret quod poſſet. Nam in leuitico dicitur: *Leu. cap.8. verſ.3. Tollite hircum pro peccato, & vitulum, & agnum anniculos, & ſine macula in holocauſtum, bouem & arietem pro pacificis: & immolate eos coram Domino* & alibi: *Num.cap.5.verſ.16. Offeret oblationem pro illa decimam partem ſati farinæ*: & de Auibus: *Leu. cap.5.verſ. 7. Offerat duas turtures, aut duos pullos columbarum*. Quæ omnia perpendens D. Thomas, inquit 1. 2. *quæſt.102.art.3.ad 12. Lex in ſacrificijs prouidere voluit paupertati offerentium, vt qui non poſſet habere animal quadrupes, ſaltem offerret auem, quam qui habere non poſſet ſaltem offerret panem, & ſi hunc habere non poſſet ſaltem offerret farinam, vel ſpicas. Cauſa vero figuralis eſt, quia Panis ſignificat Chriſtum, qui eſt panis viuus, vt dicitur Ioan.6. qui quidem erat ſicut ſpica pro ſtatu legis naturæ in fide Patrum: erat autem ſicut ſimila in doctrina legis, & prophetarum: erat autem ſicut panis formatus poſt humanitatem aſſumptam, coctus igne, ideſt formatus ſpiritu ſancto in Clibano Vteri Virginalis*. Mirabilis vtique prouidentia; ſed nos felices, quibus Mariæ opera viuus panis exhibetur.

6 Quòd ſi panis ad comedendum commodius miniſtratur in menſa, etiam pro nobis Maria menſa eſt, vt ex eius gremio cæleſtem panem ſumamus, qui vitam tribuit immortalem. Huius figura extitit Menſa veteris Legis. Inter alia inſtrumenta quæ in templo Domini ad ſacrificiorum vſum ſeruabantur, Menſa erat, in qua panes propoſitionis Deo oblati, ſemper poni debebant. Sic enim erat imperatum: *Exod.cap.25.verſ.30. Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*. Hæc ergo Menſa Beatiſſima Virgo Maria eſt; quæ non ſolum frumentum germinauit, panem fermentauit, & coxit, verum etiam ſeipſam tanquam menſam exhibuit in qua ad noſtram ſalutem panis diuinus exponeretur. Ita Damaſcenus *orat. 4. de Dormit. Deip. pag 350.col.2. lit.B. Te Menſa, ac Virga Aaronis, quæ floruit, apertè præfigurarunt. Ex te enim illa Diuinitatis flamma, ille Patris terminus ac ratio, ſuauiſſimum illud, & cæleſte manna, ille panis vitæ, ac cæleſtis, ille nullis agricolæ manibus excultus fructus, corporeo modo pullularunt*.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

EScam corporalem abundè prouidit Deus animantibus cunctis, non tamen in nutriendo corpore, Animæ oblitus eſt, imò ei prætioſorē in hoc verſu propoſuit eſcam; innumeras enim allegorias, ſub fœni, iumenti, herbæ, ac præcipuè panis nomine abſcondit; ipſas nos breuiter, & ſi non omnes enumerare debemus; vt vitiorum, ac virtutum cognitis conditionibus, quod bonum eſt ſequamur, malum vero fugiamus.

SVMMARIVM.

1 *Fœni Significationes.*
2 *De iumentorum allegorijs.*
3 *De ſpiritualibus herbis.*
4 *De Panis multiplici acceptione.*

§. I.

Fœni ſignificationes.

1 FOenum eſt herba iam areſacta in Iumentorum eſcam ſeruata. Et primò fœnum ſignificat gloriam ſanctorum: de qua Pſalmus 71. *verſ.16. Florebunt de Ciuitate ſicut fœnum terræ*. vbi D. Hieronymus *in Pſal.71.tom 7.pag.118. lit. H. Eſt fœnum floridum & viridi coma perdurans, de quo ornantur coronæ ſanctorum, Sancti ergo per baptiſmum renati, florebunt de cæleſti Ieruſalem bonorum operum ornamento ſplendidi, ſicut fœnum terræ*.

2 Fœnum gloriam mundanam ſignificat; de qua Propheta *Iſaias cap.40.verſ.6. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ſicut flos agri*; & D. Auguſtinus *in Pſal. 71.pag.320.col.2. lit.B. Omnis claritas hominis ſecundum temporalem ſæculi celſitudinem fœno comparatur, quoniam a credentibus, & vitam æternam iam ſperantibus, contemnitur felicitas temporalis; vt impleatur quod ſcriptum eſt: Omnis caro fœnum & omnis claritas carnis, vt flos fœni*.

3 Fœnum Diuitum ſuperborum eleemoſina eſt, qui ſolū propter ſęculi gloriam de multis diuitiis a Deo receptis paululum quid pauperibus erogant: & ideò ſub nomine montium de eis dicitur: *Pſal. 146. verſ.8. Qui producit in montibus fœnum*: & Idem D. Auguſtinus *in Pſal.146.pag.697. col.2. lit. C. Quid dixit Dominus? ecce mons es, accipe pluuiam, & da fęnum. Quid enim daturus es, nonne fęnum? etenim iſta omnia, quæ Eccleſiæ neceſſitates ſeruientium Deo dantur a Diuitibus, quid ſunt niſi fęnum?*

4 Fœnum eſt caro noſtra; hinc diſcumbere ſuper fęnum, eſt carnem ſuam calcare, & mortificare: ita Matth. *cap. 14.verſ. 19. Cum iuſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fęnum*: vbi D. Hieronymus *in c. 14. Matth. tom 6 pag.38.lit.F. Diſcumbere iubentur ſupra fęnum, per quinquagenos, aut centenos: vt poſtquam calcauerint carnem ſuam, & omnes flores illius, & ſæculi voluptates, quaſi arens fęnum ſibi ſubiecerint; tunc per quinquagenarii numeri penitentiam ad perfectum centeſimi numeri culmen aſcendant*.

5 Fęnum ſignificat electos, quos comedere nititur diabolus: de quibus Iob. *cap. 40. verſ. 10. Fęnum ſicut bos comedet*: & D. Gregorius *lib.32.cap.10.moral. pag. 1048 lit.B. Equi namque fęnum quamlibet ſordidum comedunt, ſed aquam non niſi mundam bibunt. Boues autem aquam quamlibet ſordidam bibunt, ſed fęno nonniſi mundo veſcuntur. Quid eſt ergo, quod Boui, qui mundo fęno paſcitur, Behemoth iſte comparatur, niſi hoc, quod de iſto antiquo hoſte per prophetam alium dicitur: eſca eius electa? Fęnum ergo comedere ſicut Bos appetit; quia ſuggeſtionis ſua dente conterere mundam vitam ſpiritualium querit*.

6 Fęnum tecti peccatores ſignificat; ſecundum Pſalmum 128. *verſ.6. Fiant ſicut fęnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit*: dicente D. Hilario *in Pſ. 128.col.1029.lit.B. Qui carnalia ſeuerit, carnalia metet. Ergo qui ſæpè, & pridem a iuuentute impugnabant, qui ſuper dorſum fabricabant, qui prolongauerunt iniquitates, quorum conciderunt ceruices, qui oderunt Sion; Hi ſicut fęnum ædificiorum erunt inutiles*.

7 Fœnum eſt vana Doctrina: De qua Apoſtolus, 1. *Cor.cap.3.verſ.12. Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum* hoc, *ligna, fœnum, ſtipulam*, vbi D. Ambroſius, *in 1.*

ad

Digitized by Google

ad Corin.tom.3.pag.273 lit.B. Tria alia genera poſuit, ſed friuola. In his corrupta, & vana doctrina deſignata dignoſcitur.

8 Fœnum eſt peccatum, de quo Propheta Amos, *c.2. verſ.13. Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno*, & D.Hieronymus, *in Amos, pagin. 155.lit.D. Sicut plauſtrum ſtipulæ, vel fœni onere prægrauatum, ſtridore & ſonitu longe exululat: ſic ego peccata veſtra vltra non ſuſtinens.*

9 Fœnum ſignat populum Iudæorū, qui in ſola literæ ariditate permanſit ex oriente ex eis fructu vitæ, ita dicente Propheta Iſaia, *cap 40.verſ.7. Exſiccatum eſt fœnū, & cecidit flos: verbum autem Domini noſtri manet in æternum*, & D.Bernardus, *Hom.1.ſuper miſſ.eſt.pag.4.lit. K. Credo non ambigis, quin verbum fructus ſit, Verbum autem Chriſtus eſt. Bonus itaque fructus Chriſtus, qui manet in æternum. Sed vbi eſt fœnum, quod aruit? vbi eſt flos, qui decidit? Propheta reſpondet: Omnis caro fœnū: Si omnis caro fœnum, ergo carnalis ille populus Iudæorū fœnum fuit. At non fœnum aruit, cū idem populus ab omni ſpiritus pinguedine vacuus, ſiccæ literæ adhæſit?*

§. II.

De Iumentorum Allegoriis.

1 IVmentorum à iuuando, quaſi iuuamentum dicitur: & primo ſignificat humanitatem Chriſti; vt Luc.*cap.10.verſ.34. Et impoſuit illum in iumentum ſuū*; & D.Ambroſius, *in Luc.to 3.pag.103.lit.E. Homo enim iumentis ſimilis factus eſt: & ideo ſupra iumentum ſuum nos impoſuit, ne nos eſſemus ſicut equus, & mulus, vt per noſtri corporis aſſumptionem, infirmitates noſtræ carnis aboleret...*

2 Iumentum Chriſtum deferens eſt vir Religioſus, de quo Mattheus, *cap.21.verſ 7. Et adduxerunt Aſinā, & pullum, &c. & eum deſuper ſedere fecerunt*; & D.Bernardus ad ſuos Religioſos, *ſerm.1.in Domin.palm.pag. 32.lit.G. Iumentum, cui inſidet Chriſtus, nonne vos eſtis, iuxta præceptum Apoſtoli, glorificantes, & portantes Deum in corporibus veſtris?*

3 Iumenta ſunt ſenſu pigriores, de quibus Iob, *c.12. verſ.7. Interroga Iumenta, & docebunt te*: vbi D.Gregorius, *lib.11.cap.2.moral.pag.164.lit.C. Quid per iumenta niſi ſenſu pigriores. De iumentis ergo, id eſt ſenſu pigrioribus ſcriptum eſt; Animalia tua habitabunt in ea.*

4 Iumenta ſunt ſimplices in fide, de quibus Pſalmus 106.*verſ.38. Iumenta eorum non minorauit*, vbi D. Auguſtinus, *in Pſalm.106.pag.514.col.1.lit.C. Iumenta, et pecora dicuntur in Eccleſia ſimpliciter ambulantia, ſed vtilia non multum docta, ſed fide plena.*

5 Iumenta ſunt gentes ab Apoſtolis ad fidem conuerſæ, de quibus Propheta Mich *cap.5.verſ.8 Quaſi Leo in iumentis ſyluarum*, & D.Hieronymus, *in Mich. pagin. 220.lit.H. Dominus enim Ieſus (de quo in Geneſi prophetatur Catulus Leonis Iuda, &c.) Dedit & Apoſtolis ſuis, quibus dixerat: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vt quomodo Leoni nemo poteſt reſiſtere in iumentis, ita illi de manu Aſſirij, & de manu Diaboli liberati, raperent iumenta.*

6 Iumenta Auſtri, ſunt qui Deo derelicto confidunt in hominum auxilio, vt habetur apud Iſaiam, *cap.30.v. 6. Onus iumentorum auſtri. Nos iuxta tropologiam dicimus, omnes, qui Creatore deſerto, ſæculi erroribus ſe dederunt, eſſe iumenta Auſtri, ſeu quadrupeda in deſerto iſtius ſæculi, à quo fruſtra ſperent auxilium, cum vero Dei auxilium dereliquerint.* ſubdit D.Hieronymus, *in Iſai.pag.141.lit.D.*

7 Iumenta ſunt peccatores; & ideo Chriſtus Dominus quaſi iumentum factum eſt, cum peccata noſtra portauit; & ideo Deo dicebat, Pſalm. 72. *verſic.23 Vt iumentum factus ſum apud te*, & D. Hieronymus, *in Pſal.72 pag.129. lit.F. Vt iumentum factus ſum apud te portans in carne peccata populi tui.*

8 Iumenta terræ ſunt carnaliter viuentes, de quibus Iob, *cap.35.verſ.11. Qui docet nos ſuper iumenta terræ*, & Magnus Gregorius, *lib.26.cap.13.moral.pag.887.lit.D. Iumenta terræ ſunt, qui vſu vitæ carnalis ima appetunt, &c. qui enim carne labitur, iumentorum appetitu proſternitur.*

9 Iumenta putreſcentia in ſtercore ſuo, ſunt guloſi, de quibus Ioel. *c.1.v.17 Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo*, vbi D.Hier. *in Ioel, t.5.p.112.lit.H. Cōputreſcit in ſtercore ſuo, cuius Deus venter eſt; & qui dicit; manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.*

10 Iumenta ſunt nouiter ad fidem conuerſi, de quibus Pſalm.106.*verſ 38 Iumenta eorum non minorauit*, & D.Ioannes Chriſoſtomus, *in Pſalm.106.tom.1.col.1050. lit.D. Per iumenta autem Propheta eos intelligit, qui ab ipſis paſcuntur, & quos ipſe auxit, vim edendorum miraculorum tribuendo.*

11 Iumenta ſunt terrena amantes, & cœleſtia neſciētes, de quibus dicitur Pſal. 48.*verſ.13. Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus*, vbi idem Chriſoſtomus, *in Pſal. 48.tom.1.col. 686.lit.A. Brutorum enim vita præſentis vitæ limitibus concluditur: noſtra autem tendit ad aliam meliorem, & cuius non eſt finis. Sed hi, qui de futuris nihil ſciunt, ſunt brutis deteriores.*

§. III.

De ſpiritualibus herbis.

1 HErba dicitur planta, quæ partim ſupra terram aſſurgit, eſtque apta pabulo: quę primò ſignificat Æterni Verbi incarnationem, per quam homines diuina gratia ſunt ſatiati, de quo dicit Iob. *cap 6.ver.3. Numquid rugiet Onager cum habuerit herbam*, vbi D. Gregorius, *lib.7.cap.4.mor.pag.457. lit.C. Herba ergo Onagri eſt hæc ipſa Mediatoris incarnatio, per quam ſimul Gentilitas, & Iudæa ſatiatur, &c. Tunc ergo Onager herbam inuenit, cum gentilis populus gratiam diuinæ incarnationis accepit.*

2 Deus dicitur herba fullonum, quia mundat nos à delictis noſtris, de quo Propheta Malach. *cap.3. verſ.2. Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum.* vbi D.Hieronymus, *Ipſe his, qui peccant grauiter ignis, conflans eſt, atque conſumens: qui autem leuia peccata committunt herba fullonum, vt lotis munditiam reſtituat in Malach.p.386.lit.H.*

3 Herba viridis ſignificat Sanctam Doctrinam, qua veſcitur ſpiritualis homo, de qua prædictum eſt Geneſ. *cap.1.verſ.29. Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. vt ſint vobis in eſcam*, & D. Auguſtinus, *lib. 1. cap. 23. de Gen.contr. Manich.tom.1.pag.353.col.1. lit.A. Et ſicuti in illo die paſcitur homo, & animalia, quæ cum ipſo ſunt herbis ſeminalibus, & lignis fructiferis, & herbis viridibus: ſic iſta ætate ſpiritalis homo, quicumque miniſter eſt Chriſti, & eum bene, quantum poteſt imitatur, cum ipſo populo ſpiritualiter paſcitur ſanctarum ſcripturarum alimentis, & lege diuina.*

4 Herba eſt interna: ac ſpiritualis animæ refectio, de qua Dominus, Ioann.*cap.10.verſ.9. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet*, & D.Gregorius, *lib.7.cap.6.mor.pag.459.lit.D. Quia enim longe ab interna ſapientia poſiti, æternæ hæreditatis non cernimus viriditatem velut bruta Animalia à deſiderata herba ieiunamus. De qua nimirum herba Redemptoris voce dicitur: Per me ſi quis introierit ſaluabitur, & ingredietur, & paſcua inueniet.*

5 Herba ſignificat minima legis præcepta; & illi herbas mandunt, qui minima ſeruantes, maiora negligunt, de quibus ſcriptum eſt. Iob, *c.30.v.5. Qui ſedebant in ſolitudine, ſqualentes calamitate, & miſeria, & mandebāt herbas*, vbi idem Doctor Sanctus, *lib.20.c 11.pag.764.lit. C. Vel certè herbas mandere, eſt de Scriptura ſacra minima præcepta ſeruare, maiora contemnere.*

6 Her-

6 Herba ſignificat bonam operationem, quam animæ noſtræ terra germinat: de hac dictum eſt *Gen. c. 1. verſ. 11. Germinet terra herbam virentem*: Vbi D. Gregorius *lib. 29. cap. 14. moral. pag. 969. lit. B. Herba bona operatio ponitur, ſicut ſcriptum eſt: Germinet terra herbam virentem. Quod licet in conditione mundi ita hiſtoricè factum teneamus, terram autem Eccleſiam figuraſſe non inconuenienter accipimus, quæ in eo germinauit herbam virentem, in quo ad verbum Dei fæcunda miſericordiæ opera protulit.*

7 Herba eſt ſuſtentatio Prædicatorum; de qua dicitur: *Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum Pſal. 146. v. 8.* & idem Gregorius. *In montibus quippe fœnum, & ſeruituti hominum herba producitur, cum ſublimes huius ſæculi ad fidei cognitionem vocati, ſanctis prædicatoribus in huius vitæ itinere tranſitoria alimenta largiuntur.*

8 Herba ſignificat virorem gloriæ temporalis; vnde florere, & tranſire ſicut herba, eſt in gloria temporali deficere: de qua Pſalmus 89. *v. 6. Mane, ſicut herba tranſeat; mane floreat, & tranſeat*: Vbi idem Gregor. *loc. cit. lit. A. Viror namq; gloria temporalis accipitur, ſicut propheta ait: Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & per tranſeat: Mane namque ſicut herba florere, atque tranſire, eſt in proſperitate huius ſæculi temporalis gloriæ decus velociter areſcere.*

9 Herba ſignificat iniquitatem, qua paſcitur diabolus: de quo Iob; *cap. 40. verſ. 14. Huic montes herbas ferunt*: vbi idem D. Gregorius loc. cit. *Herba refectio diaboli accipitur, ſicut de illo a Domino dicitur: Huic montes herbas ferunt: ac ſi diceret: Superbi, ac tumidi, dum ſe illicitis cogitationibus, atque actionibus efferunt, ſuis illum iniquitatibus paſcunt.*

10 Per herbam intelligit Beda Iudæos, datos in eſcam Apoſtolis, vt ſcilicet eos comederent ad fidem conuertendo: vt dicitur Gen. 1. *verſ. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam*: & Beda: *in cap. 1. Gen. tom. 3. col. 26. In eo, quod dicit omnem herbam, ſignificat populum Iudæorum dandum eſſe Apoſtolis in fidem.*

11 Herba agreſtis, ſeu amara eſt prædicatio: de qua dicitur: 4. *Reg. cap. 4. verſ. 39. Egreſſus eſt vnus in agrum, vt colligeret herbas agreſtes*: vbi D. Bernardus *ſer. part. 61. pag. 113. lit. F. Hic talis ex debito ſui officii apponit ſub tectis ollam grandem herbas agreſtes continentem, ideſt admonitionem de grauibus differentem, acerbitate refertam, ſed tamen igne ſancti ſpiritus ſuccenſam.*

12 Herba, qua paſcit Dominus oues ſuas eſt æterna Beatitudo; vt dicitur Ezechiel. cap. 34. verſ. 14. *Ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael; ego Paſcam oues meas*: Vbi inquit D. Hieronymus *in Ezech. pag. 582. lit. H. Eſt infinita promiſſio, ſpeſque beatitudinis, quando ipſe Dominus pollicetur, dicens: Ego Paſcam oues meas.*

§. IV.

De Panis multiplici acceptione.

1 PAnis præcipuum eſt hominis elementum ex fermenti, ſeu etiam fructuum farina, & aqua compactum, ac igne coctum: Et primò ſignificat naturam diuinam: vt Iſaiæ 4. *verſ. 1. Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in illa die dicentes; panem noſtrum comedemus*: Vbi Origenes *Hom. 3. in Iſai de 7. mul. to. 1. pag. 352. col. 2. lit. M. Eſt quidam ſimiliter Intellectus, & aliorum ſpirituum, Quis eſt iſte cibus? Non timeo dicere, cibus alius extra iſtos: forte vt mens eſt cibus ſermo Dei, qui ait: ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, & vitam do mundo: ſic ſapientiæ cibus ipſe Pater. Propter hoc eſt: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui me miſit, vt conſummem opus eius. Nec putandum eſt aliquo indigere ſapientiam, & Intellectum, cæteroſque ſpiritus, quia alium cibum habeant, cum totius diſpenſationis vnus ſit cibus, natura diuina.*

2 Panis ſignificat Incarnationem Verbi Dei: de qua Anna: 1 *Reg. cap. 2. verſ. 5. Repleti prius pro panibus ſe locauerunt*, Vbi Romanus Gregorius *lib. 1. in 1. Reg. tom. 1. pag. 36. lit. D. Qui ergo repleti prius intelligendi ſunt alii, quam Iudæi, qui in fide Conditoris ferè ab ipſo fuerunt principio mundi eruditi? Ipſi quidem pro panibus ſe locauerunt. Quid enim panes hoc loco ſignificant, niſi myſteria diuinæ Incarnationis?*

3 Panis eſt Chriſtus; de quo Pſalmus 36. *verſ. 25. Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem*: & Origenes *Hom. 4. in Pſal. 36. to. 1. pag. 287. lit. F. Sed hoc eſt, quod ſuperius diximus: qui ſemen iuſti ſermo & doctrina eius eſt, qui ſermo ita paſcit, & reficit animas, vt negentur panibus indigere, quia Chriſtus panis eorum eſt.*

4 Panis ſignificat gratiam ſpiritualem: de qua Iſaias *cap. 33. verſ. 16. Munimenta ſaxorum ſublimitas eius; Panis ei datus eſt*: & Magnus Gregorius *lib. 23. c. 17. moral. pag. 839. lit. D. Munimenta ſaxorum ſublimitas eius: quia, qui obiecta deſideria terrenæ conuerſationis calcat, ad ſupernam patriam per præcedentium Patrum exempla ſe ſubleuat. Et quia per contemplationis donum gratia ſpiritali ſatiatur, aptè ſubiungitur: Panis ei datus eſt, ideſt refectionem ſpiritalis gratiæ percipit.*

5 Panis eſt eruditio diuinæ doctrinæ; De qua Iſaias *cap. 21. verſ. 14. Qui habitatis in terra Auſtri, cum panibus occurrite fugienti*: Vbi idem D. Gregorius loc. cit. *Qui ergo in terra Auſtri habitat, fugienti cum panibus occurrat, ideſt, is qui iam ſancto ſpiritu intra Eccleſiam plenus eſt, eum, qui mala ſua euadere nititur, eruditionis alloquio conſoletur. Fugienti ſcilicet cum pane occurrere, eſt metuenti æterna ſupplicia doctrinæ ſacræ eſcas offerre.*

6 Panis occultus ſignificat doctrinam hæreticorum; ad quem Hæreſis ſub mulieris nomine in prouerbijs inuitat, dicens; *Prouerb. cap. 9. verſ. 17. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior*. Vbi Diuus Gregorius *loc. cit. pag. 840. lit. A. Miſeris enim cordibus occulta hæreticorum verba eo magis ſapiunt, quo cum reliquis communiter non habentur.*

7 Panis eſt ſubſidium vitæ præſentis de qua Iacob: *Gen. cap. 28 verſ. 20. Si dederit mihi panem ad veſcendum*; & citatus Doctor. *Per panem ſubſidium præſentis vitæ accipitur; ſicut Iacob ad Laban tranſiens ait: Domine Deus, ſi dederis mihi panem ad manducandum.*

8 Panis eſt iucunditas vitæ huius, quam quærunt homines mundani; vt dicebat Propheta: *Thren. cap. 1. verſ. 11. Omnis populus eius gemens, & quærens panem*: Vbi D. Gregorius loc. cit. *Gemens enim populus quærit panem, dum praua hominum multitudo affligitur; quia non ad votum de præſentis vitæ iucunditate ſatiatur.*

9 Panes tres quos petere docet Dominus, eſt cognitio ſanctiſſimæ Trinitatis; vt habetur apud Lucam: *Amice commoda mihi tres panes: cap. 11. verſ. 5.* Vbi Gloſſa ordin. *Amicus ad quem nocte venitur, Deus eſt, qui corpus ſuum tradidit pro nobis: cui in nocte tribulationis ſupplicare; & tres panes, ideſt intelligentiam ſanctæ Trinitatis, qua in præſentis vitæ laboribus viuamus, efflagitare debemus.*

10 Panis ſubcinericius eſt dogma Chriſti, quod inuenit Elias: *3. Reg. cap. 19. verſ. 6. Et ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis*: & D. Benardus *ſerm. par. 64 pag. 113. lit. F. & ecce ſubcinericius panis, ideſt paſtus diuini dogmatis, forinſecus quidem rudis, ſed medullitus ineffabiliter confortatiuus, & dulcis.*

11 Panis eſt etiam charitas: de qua Dominus: *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?* Vbi D. Auguſt. *ſerm. 29. cap. 4. de verb. Dom. to. 10. pag. 44. col. 2. lit. A. Panem bene intelligimus charitatem. Propterea panis lapidem oppoſuit, quia duritia contraria eſt charitati.*

12 Panis ſignificat vitam æternam; quam pauperibus Deus promittit, dicens: *in Pſal.131. verſ.13. Pauperes eius ſaturabo panibus*: vbi D.Hilarius *in Pſal.131. col.1053. Lit.F. Saturat autem, & eos panibus, qui per humilitatem cordis, contemptumq; ſæculi, ſeipſos in paupertate conſtituunt, quos cibo vitæ perennis explevit.*

13 Panis doloris eſt adoratio Idolorum; de qua Pſalmus 136.v.3. *Surgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris.* Vbi D.Hieronymus *in Pſal.136. pag.213. lit.F. Pro dolore Theodotio, & quinta editio, idola interpretati ſunt. Senſus itaque iuxta ſimplicem intelligentiam iſte eſt: ſine cauſa diluculo ad templum curritis, & Deum adorare vos creditis, qui idola pariter adoratis, & immundo veſcimini pane.*

14 Panis lacrymarum eſt pœnitentia; de qua Pſal. 79. *verſ. 6. Cibabis nos pane lacrymarum*: & D. Hieronymus *in Pſal.79. pag 134. lit.E. Sæpè ob deſiderium Dei, ſiue recordationem peccati, lacrymæ nobis panis, potuſque ſiunt.*

15 Panis azymus denotat puritatem a vitijs; quare à contrario Apoſtolus dicebat: *1.Cor. c.5. verſ. 6. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* & Riccardus a Sancto Victore *ſerm. in die Paſch. pag 382. col.2. lit. B. Panis azymus abſque fermento eſt ſignificat ſinceritatem, ideſt puritatem a vitiis.*

16 Panis chriſtallinus eſt cœleſtis ſapientia, quæ quidem pulchra eſt, ſed etiam dura, quia non omnes eam capiunt: De qua dicitur. *Pſalm. 147. verſ. 17. Mittit Chriſtallum ſuam ſicut buccellas.* Vbi idem Richardus *in Pſal.80. tom.2. pag.58. col.1. lit. A. Quis eſt hic panis criſtallinus tam durus, tam purus? Pulcher quidem ad videndum, ſed fortis ad maſticandum. Hinc eſt quod cœleſtis panem ſapientiæ omnes penè concupiſcunt, ſed pauci admodum apprehendunt.*

17 Panis pollutus eſt ſacrificium, quod poſt Chriſtum Iudæi offerunt, quod diſplicet Deo; ideo dicit: *Malach. cap.1. verſ.7. Offertis ad Altare meum panem pollutum*: & Abbas Rupertus *in Malach. pag. 1061. col.2 Verè ex quo in feſtiuitate Azymorum interfeciſtis Chriſtum, ex eo, o vos Iudæi offertis panem pollutum. Ex tunc omnis, quem offertis, panis veſter pollutus eſt; omne quod offertis nō ſacrificium, ſed ſacrilegium.*

18 Panis ſubcinericius ſignificat intentionem curis ſæculi applicatam, & negligentē in rebus diuini; quod de Ephraim legitur Oſeæ *c. 7. v 8. Factus eſt Ephraim panis ſubcinericius, qui non reuerſatur: Panis autem ſubcinericius* (inquit D.Gregorius *lib.32. cap.7. moral. pag.1045. lit. D.*) *ex ea parte eſt mundior, quam inferius occultat, atque ex ea parte ſordidior, qua deſuper cinerem portat. Quiſquis ergo intentionem, qua Deum debuiſſet quærere, negligit, quaſi more panis ſubcinericii mundiorē partem inferius premit; & cū curas ſæculi libenter tolerat, quaſi cōgeſtū cinerem ſuperius portat.*

19 Panis arctus eſt Euangelicus ſermo; de quo Iſaias: *cap.30. verſ.20. Dabit vobis Dominus panem arctum*: Vbi D. Hieronymus *in Iſai pag. 144. lit.F. Panis arctus, & aqua breuis, iuxta Apoſtolum Paulum, & hunc eundem Eſaiam Prophetam, Euangelicus ſermo prædicitur, qui pro laciniosis legis obſeruationibus atque mandatis, in vno verbo recapitulauit omnia: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

20 Panis lugentium eſt ſacrificium hæreticorum, quem panem reſpuit Dominus: Oſeæ *cap.9. verſ.4. Sacrificia eorum quaſi panis lugentium*: & D. Hieronymus *in Oſeæ 10.5. pag.82. lit. E. Sacrificia hæreticorum; panis luctus, eſt, & lachrymarum; omnia enim, quæ faciunt vertuntur in fletum.*

21 Panis eſt ſatietas laudis tranſitoriæ: de qua Iob *cap.20. verſ 14. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum.* Et D.Gregorius *lib.15. cap.6. mor. pag 643. lit. A. Satietur nunc hypocrita illata laude, delectetur honorib. panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidū.*

22 Panis eſt opus bonum: hinc panem ſtercore operire, eſt opus bonum humilitate tegere: de quo Ezechiel *cap.4. verſ.12. Et ſtercore quod egreditur de homine operies illud*: Vbi Hugo *in Ezech. pag.22. col.2. Panes ſignificant opus pœnitentiæ. Debemus ergo operire panem noſtrum ſtercore, vt cum opera pœnitentiæ facimus, ſemper ſimus memores immunditiæ noſtræ, vt opera noſtra non videamus ad inanem gloriam.*

Verſus Quintuſdecimus.

וְיַיִן יְשַׂמַּח לְבַב אֱנוֹשׁ לְהַצְהִיל פָּנִים מִשָּׁמֶן וְלֶחֶם לְבַב אֱנוֹשׁ יִסְעָד׃

Verſio ex hebræo, *Et vinum: lætabitur cor hominis, ad nitere faciendum facies ab oleo, & panis cor hominis confortabit.*

Vulgata editio. *Et vinum lætificet cor hominis, vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.*

D.Hieronymus. *Et vinum lætificat cor hominis; ad exhilarandum faciem in oleo, panis autem cor hominis roborat.*

Pagninus. *Et vinum, quod lætificat cor hominis, vt illuſtret faciem ab oleo, & panem, qui cor hominis fulcit.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

CVm ſupra dixiſſet Propheta, Deum producere herbam, vt poſſit educere panem de terra, hic addit, *et vinum*: & vulgata editio addit; *Quod lætificat cor hominis*: Quia verò יְשַׂמַּח eſt futurum verbi kal שָׂמַח quod *lætari* ſigni-

Digitized by Google

ſignificat, puto conſtructionem verſus antecedentis eſſe ſic faciendam: Producens herbam de terra ad auxilium hominis, vt poſſit educere de terra panem, & vinum, & de hoc cor hominis lætabitur; & cauſa lætitiæ eſt abundantia; homo enim cum triticum, & vinum abundè colligit, lætatur; deinde etiam lætatur, vt poſſit nitere facere faciem ſuam; nam הַצְהִיל eſt participium conſtructionis Hiphil verbi צָהַל, quod cum ſignificet *nitere*, hæc conſtructio ſignificat, *facere nitere*: illud quod ſubditur *ab oleo* ſeu *in oleo*; ita eſt in textu, nam שֶׁמֶן ſeu שֶׁמֶן eſt oleum: nihilominus puto hic poni pro שָׁמֵן, quod eſt *pinguedo*; vt ſenſus ſit; lętabitur homo de abundantia panis, & vini, quia niteſcet eius facies præ pinguedine, cùm cibo fuerit confortatus, & ſaturatus; nam licet לֶחֶם ſit *panis*, ſumitur autem ſæpiſſimè in ſacra ſcriptura pro omni cibo, vt infra dicemus: vnde ſecundo loco poſitus eſt panis pro cibo. Scio equidem vſum Palęſtinorum vngendi facies cum oleo, vt eas nitidas redderent, nec ſolum apud fæminas, verùm etiam viros, vt habemus in ſacris literis: & non negauerim ad hunc ſenſum adaptari poſſe hunc verſum; ſed ſuperior ſenſus mihi intentioni Prophetæ, & modo loquendi videtur magis accomodatus. In hac igitur expoſitione literali agendum de Vino, Oleo, & Pane, & inſuper quare omnes hominis operationes ſoli Cordi tribuantur.

SVMMARIVM.

1 *De Vino, eius inuentione vſu, et vtilitate.*
2 *De Oleo, et Panis, ſeu frumenti inuentione, et vtilitate.*
3 *Vtrum cor ſit principalior ſedes Animæ rationalis.*

§. I.

De Vino, eius inuentione, vſu, et vtilitate:

1 ET *vinum*: Prima mundi ætate dum adhuc terra incorrupta ab aquis marinis priſtinū ſeruabat vigorem, ſicuti, nec eſus carnium fuit, ita nec vini libatio, ſed poſt inundationem cæpiſſe certiſſimum eſt. Neque de eius inuentione apud Chriſticolas dubitatur: (quidquid apud ethnicos fabulatum ſit) Noe namque huius liquoris inuentor extitit; cuius rei textis ſacra ſcriptura eſt, inquiens: *Gen. cap. 9. ver. 20. Cæpitque Noe vir Agricola exercere terram, & plantauit vineam.* Seu ex hebræo: *& cæpit Noe vir eſſe terræ, & plantauit vineam.* ex quo loco deducunt expoſitores ſacri Noe primum plantaſſe vineam, vinumque expreſſiſſe: ratio autem, quæ ad hoc ſtatuendum ipſos inducit, eſt quod ſequitur in textu: *ver. 21. Bibenſque de vino inebriatus eſt*; Etenim cum Noe vir iuſtus eſſet, ſi vini notitiam habuiſſet, nequaquam vinum vſque ad ebrietatem potaſſet, ſed quia neſciebat modum, aut menſuram bibendi in ebrietatem ignoranter incidit. ita D Baſilius Magnus *Hom. 1. de laud. Ieiun. pag. 129. col. 1. lit. B. C. Non erat in Paradiſo vinum, non erat pecudum mactatio, non carnium eſus. Poſt diluuium cæpit vinum, poſt diluuium cæptum eſt veſci quibuslibet, æquè, ac ante terræ frugibus. Porro tunc nullam fuiſſe vini experientiam argumentum eſt Noe, qui neſciebat vini vſum. Plantauit enim Noe vineam, bibitque de fructu eius, & inebriatus eſt; non quidem eo quod vinolentus eſſet, ſed quia ob imperitiam ignoraret modicè ſumendum eſſe.* Simili diſcurſu Philoſophatur D. Ioannes Chriſoſtomus *Hom. 29. in Geneſ. tom. 1. col. 78. lit. D.* inquiens. *Et cæpit Noe vir agricola terræ, & plantauit vineam: Iure ipſum quod inquit, cæpit, oſtendit quòd ipſe vini bibendi primus inuentor fuerit, & per ignorantiam, & neſciens vini menſuram in ebrietatem inciderit.* Aſſentitur etiam, & propter eamdem rationem D. Theodoretus *quæſt. 56. in Geneſ. pag. 15. col. 2. tom. 1. Ille primus ex hominibus compreſſo vitis fructu, ignorans non ſolum quantum eſſet bibendum, ſed etiam quomodo vtendum, incidit in ebrietatem.*

2 Inuentor ergo vini Noe: Sed hìc dubitare haud immerito aliquis poſſet; vtrum vites ante diluuium fuerint, an de nouo poſt diluuium creatæ. Ad quod dicendum videtur; omnes plantarum ſpecies, quæ ſimplices ſunt, neque arte humana ex pluribus inſitas, in principio a Deo creatas eſſe, & conſequenter optimè homines habuiſſe vites, & vuas, ſed vel ſilueſtres tantum, & non excultas, vel ad cibum tantummodo, vt nunc apud Turcas; vnde Noe non inuenit vites, quaſi nouam plantam, ſed ex eis primus exprimendi vinum author fuit. Hoc videtur inſinuare Caietanus *in cap. 9. Gen. pag. 54. col. 1.* dum dicit. *Et plantauit vineam: Non dicit, & plantauit vitem, ſed vineam; ad ſignificandum multitudinem vitium plantatarum in ordine ad faciendum vinum: ad differentiam vitium, quæ plantantur ad comedendam vuam.* Idem tenet Benedictus Peterius *lib. 14. in Geneſ. tom. 2. num. 123. pag. 269. Non eſt dubitandum, quin ante diluuium fuerint vites, & in exordio mundi inter alias ſtipitum ſpecies a Deo procreatæ ſint: ſed tunc non erant in vſum hominibus, niſi fortaſſe ad eſum vuarum, ad potum autem vini minimè. Vini autem ex vuis exprimendi, & ad potum accomodandi Princeps inuentor fuit Noe.* Hanc etiam difficultatem mouet, & ſimili modo ſoluit D. Ioannes Chriſoſtomus *loc. cit. col. 79. lit. B. Sed iure hic quæritur, an ipſe tunc plantam inuenerit, vel ante, & ab initio fuerit producta? Veriſimile eſt, quod antea, & ab initio fuerit in ſex illis diebus creata, quando vidit Deus omnia, quæ fecit, & erant valde bona (quieuit enim, dicente ſcriptura, Deus die ſe-*

Prima ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit) nec tamen vſum fructus ex illa manifeſtum fuiſſe. Nam ſi fuiſſet ab initio notus, omnino Abel inter oblatas beſtias, & vinum libaſſet. His adiungere etiam poſſumus D. Ambroſium, qui putat tempore primi veris poſt diluuium, ex veteribus radicibus vites exortas, ex quibus palmites ſumendo vineam plantauit Patriarcha: neque enim ſtatim ac exiuit de Arca vinum collegit, ſed ſuis temporibus euenerunt, quæ ſimul narrantur: ergo D. Ambr. *lib. de Noe cap.29. to.1. pag. 158. lit.C. Vnde autem Vinea poſt diluuium, corruptionemque terræ? Sed de hoc ſupra diximus, quia veris tempore etiam corruptarum radices vitium pullulare potuerunt.*

3 Ex his euidenter conuincitur falſum eſſe, quod apud gentiles authores de inuentoribus rerum traditur; nam Græci inuentionem vini Baccho, ſiue Dioniſio tribuunt, ſicuti frumenti dant Cereri; de quibus Virgilius lib.1. Georg.

.... Vos ò clariſſima mundi
Lumina, labentem Cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus,
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta,
Poculaq; inuentis Acheloia miſcuit vndis.

Sed & Ægiptij de ſuis tradunt Oſiride, & Iſide fuiſſe vini, & frumenti inuentores; ſed vt optimè adnotauit Euſebius Cæſarienſis, Liber, ſeu Bacchus, & Oſiris, Ceres vero & Iſis, iidem ſunt, ac ſolo nomine diſcriminantur. *Quod ergo* (inquit Euſebius *Pamphilus Epiſ. Cæſarienſ. De prep. Euang. lib.1. cap.3. tom.1. pag.56. lit.C.*) *Ceres apud græcos, id eſt Iſis apud Ægiptios: & rurſus Bona Dea, & Dyoniſius apud græcos, Iſis, & Oſiris apud Aegiptios.* Hos autem ex primis Noe nepotibus fuiſſe certum eſt; præſertim de Iſide quartam a Noe fuiſſe ferunt. Cæterum, vt apud Dictionarium Calepinum a Paſſaratio, & Cerda adauctum videre eſt, per Oſiridem, & Iſidem Solem ac Lunam intellexerunt Ægiptij; ſicuti Græci Solem *Ianum*, & Lunam *Ianam* primitus vocauere, & tandem, vna addita litera, Dianam dixere. Licet, vt idem Calepinus teſtatur, fuerit *Ianus antiquiſſimus Italiæ Rex*. Porrò Ianum eſſe Noe contendunt plurimi, & appellatum *Ianum a* יין *Iain*, ideſt *Vinum* apud hebræos, quod nomen ei dederunt filii ſui, & nepotes, quòd vinum inuenerit; quem itidem bifrontem dixerunt, eo quòd duas mundi facies, & ætates, ante, & poſt diluuium viderit, ſic de eo Ouidius lib. 1. Faſtor.

Iane bifrons anni, tacitè labentis, Imago,
Solus de ſuperis, qui tua terga vides.

Sicuti enim vidit Ianus duas ætates, ita terminus Anni vtrumque videt annum, vnum quem terminat, alterum quem principiat, & ideo Iano primus anni Dies dedicatus fuit apud Romanos. Quia verò non ſolus Noe, ſed etiam tres primi filii (virum autem alios genuerit poſt diluuium in trecentum quinquaginta annis quibus vixit, ſcriptura non memorat, ideoque nonnulli mordicus negãt; mihi verò, cũ pro certo habeã non omnes omnium filios nominari, imò nec primitiùs nominatos primogenitos eſſe, probabile videtur alios poſt diluuium, in tam longa vita, ac mundi neceſſitate genuiſſe) fuerunt ante diluuium; potuit etiam eſſe, vt non ipſe Noe, ſed alter ex filijs eius primis hoc nomen Iani bifrontis a propagatis nepotibus acceperit. Porro de Dioniſio, ſeu Baccho (quem multos fuiſſe conſtat) teſtatur Diodorus Siculus, *Rer. antiq. lib.5. cap 2. pag.97. lit.A.* ipſum inuentorem fuiſſe, non vini de vite, & vuis confecti, ſed alterius ex hordeo conficiendi in illis regionibus, quæ vitibus carebant, quem antiqui *Zythum* moderni *Ceruiſiam* dicunt, quæ ad noſtra vſque tempore in vſu eſt. *Ab Ioue Nyſaque Dioniſium dixerunt &c. Docuiſſe eos inſuper, quorum regio vites ferre non poſſet, potum ex hordeo conficere: quem nonnulli zythum dicunt, paulum a vini ſapore differentem.* Vinum etiam nigrum apud chios inuentum eſſe ait Rhodiginus *lib.26. pag.1021. Dignum item ſcitu, quod ex Theopompo accepimus, vinum primò nigrum apud chios eſſe inuentum.*

4 Sed iam ad vini vtilitates afferendas accedamus: Primus eius effectus eſt Cordis exhilaratio, nam *lætificat Cor hominis*, & etiam in prouerbijs *cap.31. v.6.7.* ſcripſit ſapiens *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo: bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.* Atque hanc cauſam vini inuentionis credidit D. Ioannes Chriſoſtomus. Etenim cum Noe videret ſe, vxorem, filios nuruſque magna detineri mæſtitia propter tantam hominum cladem, ad temperandam triſtitiam, vel diuinitus edoctus, vel caſu ab Hirco caprarum, vt nonnulli putant, iſtud potum inuenit: ita Chriſoſtomus *Hom.29. in Gen. loc. cit. Quia magna tenebatur triſtitia, & ſibi ipſi conſolationem inde excogitare volebat; ſicut & ſapiens quidam dicit: Date vinum his qui in triſtitia, & merum his, qui in dolore: monſtrans, quod nullum eſt tam præſens triſtitiæ remedium, atque vini vſus. Tantum vtilitatem eius ne perdat intemperantia.* Quod etiam teſtatur D. Ambroſius, loc. cit. ſcilicet non ad neceſſitatem, ſed ad voluptatem vinum conceſſum. *Vinum autem voluptatum, & cauſa delectationis datum.* Et Incognitus: *Vinum naturaliter eſt lætificatiuum, quia ſanguinem generat, complexio vero ſanguinea lætitiam parit.* Neque ad ſolam delectationem, verum etiam ad medicinam vinum eſt vtile, ſi tamen ad menſuram adhibeatur. Ideirco Apoſtolus diſcipulo ſuo Timotheo præcepit 1. *Timoth. cap.5. verſ.23. Non adhuc bibas aquam modico vino vtere propter ſtomachum tuum.* Quod expendens Chriſoſtomus, *Hom.1. ad pop. tom 5. col.5. lit.E.* ait. *Vinum medicina optima eſt quando commenſurationem habet optimã. Hic locus contra hæreticos vtilis eſt, Dei creaturam accuſantes; ſi enim de vetitis eſſet, non permiſiſſet Paulus, non vino vtendum dixiſſet.* Hoc autem intelligitur moderatè vtentibus vinum medicamen eſſe, nam vinoſis, & intemperatis, ſanitatis eſt detrimentum, & omnium malorum origo; teſtante D. Baſilio *Hom.14 in Ebriet. pag.186. col.1 lit.B. Vinum Dei donum, ad infirmitatis robur, ac ſuſtentationem ſapientibus conceſſum; nunc vero inſtrumentum incontinentiæ intemperantibus eſt factum.* Idcirco ne vinum excedens menſuram ex medicina venenum euaderet, optima fuit, & laude, memoriaque indelebili digna, inuentio Staphyli Sileni filij, qui primus aquam vino permiſcere docuit, vt tradit Plinius *lib. 7. cap.56. pag.149. Vinum aqua miſceri Staphylus Sileni filius inuenit.* Iſte Staphylus Bacchi coetaneus fuit, nam Silenus Nutricius fuit Dioniſii, ſeu Bacchi, & hic videns ſui patris ebrietatem remedium in aqua expertus eſt.

5 Tradit etiam Rhodiginus, *lib. 28. pag. 1101. lect. antiq.* inter alias vini vtilitates, ipſum contra cicutæ venenum antidotum eſſe, ſi poſt cicutam, non ſimul cum ipſa, potetur: *Dignum vero ſcitum quod a rerum peritis traditur, vini odorem præ omnibus ſeligendum: quoniam ſpiritum excellenter nutriat, exhalatus odor e natura; tum egregiè, ac velociter alente corpus, tum voluptate ſenſus deliniente. Siquidem venenis obluctantia cuncta fere vita ſalutaria cenſeantur; inter quæ vinum rectè adnumerabis: nam ſicut homini venenum eſt cicuta, ſimiliter & cicutæ vinum, non ſimul quidem, ſed hauſtum mox.* Tandem Barthol. Anglicus in ſuis proprietatibus rerũ, *lib.17. c.184. pag.957.* multas vini vtilitates recenſet, ex quibus hæ ſunt potiores, *Vinum dat bonũ nutrimentum corpori, ſanitatem reddit perditam, ac cuſtodit, calorẽ naturalẽ præ omnibus cibis, & potibus confortat, ſanguinẽ puriſſimũ generat, & turbidum purificat, & clarificat, venarum ora aperit, citius corporis membra corroborat: vini enim bonitatem actio animæ manifeſtat, facit in ea triſtitiæ, & doloris obliuionem, acuit intellectum, & facit eum docilem, & ſubtilem, animoſũ etiam, & audacem ipſum efficit.* Et paulo poſt

vini

Digitized by Google

vini colores enumerans ſubdit. *Color autem vini eſt quadruplex, ſcilicet, albus, niger, glaucus, citrinus, & roſeus, ſiue rufus*. Cæterum ad vulnerum curationem vinum optimum eſt: quare Samaritanus ille, qui viro vulnerato miſericordiam, & curationem exhibuit, *Luc. cap. 10. verſ. 33. Alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum*: quæ verba occaſionem dederunt Cornelio a Lapide *in Luc. pag. 128. col. 1. lit. C.* enumerandi vini effectus in vulneribus, inquiens. *Prius enim lauit vulnera vino: Vinum enim primò ſaniem abſtergit; ſecundò pituitoſos, bilioſosq; humores ad vulnus confluentes arrodit: tertiò, vulnera conſtringit, nè ſaniem, & ſanguinem vlterius emittant: quartò, neruos calefacit, & roborat, vt plagam excutiant*. Verum ſuper omnes vini qualitates ſupereminens eſt, exhilaratio cordis, & intellectus acuminatio ad Dei contemplanda myſteria, & ad orationem exercendam. Si quidem vinum moderatum reddit corpus valens, animum hilarem, mentem validam, cor deuotum; pigritiam expellit, ſollicitudinem inducit, amorem fouet. Ea propter ſapiens teſtatus eſt. *Eccl. cap. 31. verſ. 36. Exultatio animæ, & corporis vinum moderatè potatum*: ex quo D. Bernardus *de mod. ben. viuend. ſerm. 25. pag. 301. lit. L. Tu ergo ſoror in Chriſto amabilis, bibe vinum temperatum, & erit tibi ſanitas corporis, & lætitia mentis. Bibe vinum cum ſobrietate, & auferet à te pigritiam, atque deſidiam, & in Dei ſeruitio te faciet ſollicitam, atque deuotam. Quare? Quia vinum temperatè potatum facit hominem ad orationem ſollicitum, & in Dei ſeruitio acutum*. Hæc de vino enucleata ſint ſatis.

§. II.

De olei, & Panis ſeu frumenti inuentione, & vtilitate.

1 *VT exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmat*; Nomine olei in hoc verſu, omne ciborum condimentum intelligi debet; nam licet panis præcipuum hominis nutrimentum ſit nihilominus ſine aliquo condimento ægrè comeditur, ideo hic ſimul cum pane aſſignatur condimentum illius ſub nomine olei: ita fatetur eminentiſſimus Hugo. *Vt exhilaret faciem in oleo. Hoc dicit quia oleum eſt condimentum ciborum; & tunc gaudet homo in menſa, quando habet condimentum; & hæc condimenta faciunt panem comedi, qui roborat hominem; vnde ſubdit, & panem cor hominis confirmat*. Atque hinc etiam roborari poteſt noſtra expoſitio, quod ſcilicet, facies hominis præ pinguedine niteſcat; nam cum oleum ita dicatur *Scemen* à *Sciomen* ideſt, pingue, à pinguedine, tunc facies videtur nitere, & inſuper lætam eſſe, cum pinguis eſt; & è contra cum macie deprimitur triſtis apparet; quod obſeruauit Incognitus. *Hic agit de condimento ciborum, ſcilicet de oleo; per oleum enim, quod eſt principale ciborum condimentum, intelliguntur omnia condimenta; Oleum cum ſit quædam pinguedo condiendo cibos, illos facit pingues; cibi autem pingues magis comedentes impinguant, facies autem pinguis hilaris eſt, vel videtur, ſicut macilenta triſtis: & ſic quia oleum impinguat faciem, ipſam hilarem facit*. Elucet hic mirabiliter Diuina prouidentia, quæ ad hominum conſeruationem, non herbas, tantum, & poma, ſed & pomorum ſuccos ad delicias conceſſit; vt vel beneficijs moti, Deum celebrarent; eique libenter deſeruirent.

2 Hac occaſione de olei inuentione, & vtilitate videndum eſt. Athenienſium Ciuitas olei inuentione gloriatur, in eius enim aruis multo tempore floruiſſe oleum, antequam aliò aſportaretur, vt teſtatur Polidorus Virgilius *libro. 3. capite 3. pag. 206. Oleum prætereà longo tempore Athenis tantum reperiri*, teſtatur, *Herodotus*. Qui autem eius inuentor Athenis huius liquoris extiterit, duplex eſt opinio. Aliqui enim hanc adinuentionem Mineruæ attribuunt; ſic idem Polidorus ex Virgilio refert. *Oleum autem Minerua Athenis inuenit. Virgilius. Oleæque Minerua inuentrix*. Verum Ludouicus Cælius Rhodiginus *lect. antiq. lib. 6. pag. 191. to. 1* ex aliorum ſententia opinatur, Ariſtæum olei opificium, & mellis excogitaſſe; inquit enim. *Oleum denique opificium, & mellis faciendi rationem excogitaſſe Ariſtæum principem omnium tradunt* Dici tamen poteſt Mineruam Oleam arborem tantummodo inueniſſe, Ariſtæum opificium olei, ex oleæ baccis extrahendi; nam & illi olei inuentionem tribuit Plinius *lib. 7. c. 56. pag. 149. Oleum inuenit Ariſtæus Athenienſis, & mella*. Hanc autem inuentionem ita Athenienſium fuiſſe propriam, vt diutius ea regiones aliæ caruerint, & præſertim Italia, teſtatur Polidorus. Vnde colligitur, Mineruam, & Ariſtæum ſolos Athenienſes oleam, & olei opificium docuiſſe. *Ex quo credere conuenit Mineruam, & Ariſtæum in Græcia dumtaxat hæc primo monſtraſſe. In Italia omnino tardè peruenit*. Porro Ægipti olei inuentionem ſuo ter Magno Mercurio attribuunt Iſidis Ægiptiorum Reginæ ſecretario, & Theologiæ patenti; & hoc veriſimilius eſt, verum in Ægipto tantummodo; nam Iſis fuit filia nepotis Noe, quarta tantum generatione ab eo diſtans, vti etiam & Mercurius. De eo ita Diodorus *lib. 1. cap. 2. pag. 7. lit. B. Mercurius, & græcos docuit verborum interpretationem: vnde & ipſum Hermen, hoc eſt interpretem, appellarunt. Oleæ quoque plantam ab eo (non a Minerua quemadmodum græci dicunt) repertam*.

3 Olei vtilitates multæ ſunt, præſertim ad victum & medicinam, quas enumerat, Bartholomæus Anglicus. *Cuius natura eſt, vt cibos condiat, & fomentum luminum adminiſtret, & corpora feſſa recreet, & confortet, neruos contractos, & induratos ac ſpaſmatos remollit, & relaxat, apoſtemata dura mollificat, & maturat &c. & ideò ſecundum diuerſas cauſas morborum, ſunt adhibenda diuerſa genera oleorum*. Atque his de cauſis ſponſa cœleſtis, imò verius Spiritus ſanctus, nomen diuini ſponſi oleo comparat, inquiens: *Cantic. cap. 1. v. 3 Oleum effuſum nomen tuum*: Sicuti enim oleum cibus eſt ad nutritionem, eſca ad illuminationem, & medicina ad curationem; ita nomen Sanctiſſimum IESVS, *in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra*, eſt oleum, nam ſpiritum nutrit, illuminat mentem, cor ſanat: propterea D. Bernardus *ſerm. 15. Cantic. pag. 142. lit. M. Eſt procul dubio inter oleum, & nomen ſponſi ſimilitudo; nec otioſè Spiritus ſanctus alterutrum comparauit. Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei; quod lucet, paſcit, & vngit. Fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide nunc, & de ſponſi nomine. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, innocatum lenit, & vngit*. Prætereà etiam ethnici oleæ ramis coronabant Iouem ſuum in ſignum immortalitatis, nam olea ſemper viriditatem ſuam, & folia retinet; ita Rhodiginus *lib 12. pag. 459. to. 2 Olea coronari Iouem, ab veteribus proditum ſcio, perpetui viroris ratione*. Et ideo mirum non eſt ſi Columba noctica ramum virentem oliuæ poſt diluuium in Arcam detulit, nam ſeruauit ſua virentia folia etiam ſub aquis, vt D. Ioannes Chriſoſtomus *Hom. 26. in Geneſ. tom. 1. Sed dixerit fortaſſe aliquis: & vbi inuenit folium oliuæ? Totum hoc factum eſt diſpenſatione diuina, & quod Columba inuenit, & quod ore receptum ad iuſtum attulit. Alioquin arbor hæc ſemper virens eſt; & veriſimile eſt, quod cum aquæ redierunt, arbor hæc adhuc habuerit foliorum comam*. Iuſtè igitur in pacis, & victoriæ ſignum accipitur, quæ & inter aquarum, ac terrarum velitationes ſuum virorem minime amiſit. Tandem cognationem vitis, & oleæ, quæ hic con-

Digitized by Google

coniunguntur aduertere eſt; nam ſi trunco vitis oleæ ramus inſeratur, vuas ſimul, & oliuas huiuſmodi arbor edet, vti in Lybia eſſe dicitur: ſic tradit Rhodiginus. *Scribit vndecimo Georgicorum Florentinus, Viti inſitam Oleam non vuas tantum, ſed & oliuas ferre. Haberi quoque id genus arboris in Lybia, dicique gentium illarum vocabulo, Vbolima.*

4 Panis nunc occurrit, ſed de eo pauca attexam, licet multa dici poſſent, breuitatis ergo. Panis eſt cibus magis neceſſarius ad vitam; vnde & ab initio mundi aliquam Panis ſpeciem fuiſſe arbitror; nam dicit Chriſoſtomus *Hom. 29. in Gen. col. 180. lit. B. Principium vitæ hominis Panis, & Aqua*: Sine enim pane nullus cibus ſatiat, & cum quotidie cibi alii faſtidium, & nauſeam generent, numquam panis faſtidio eſt; & ideo D. Iſidorus *lib. 20. Orig. cap. 2 pag. 173. lit. A.* putat panem dici a verbo græco πᾶν, ideſt *Omne*, quia cum omni cibo apponatur, & ab omni animali appetatur. *Panis dicitur, quod cum omni cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetat πᾶν enim græcè, omne dicitur.* Ex quo ortum duxit Adagium.

Petere quid eſt Panis ſine quo cibus omnis inanis.

Neque tamen propterea ſequitur a principio mundi triticum cognitum fuiſſe, nam ex varijs rebus confici panem experientia teſtis eſt, nam in montanis agri Piſtorienſis, & Lucenſis, & in Inſula Corſicæ, ex farina Caſtanearum fit panis; & etiam, in nouo orbe panẽ ex ſuo Maiz cõficiunt, & nunc etiam in Italia, & Hiſpania ex eo fit, quod frumentum indicum vocitamus. Cæſar in ſuis Commentarijs *lib. 3. cap. 10. pag. 422.* ſcriptum reliquit, ſuos milites obſidentes Pompeium, ex quadam radicis genere quod *chara* vocabant, panes feciſſe: ait namque. *Eſt etiam genus radicis inuentum ab hijs, qui fuerant cum Valerio quod appellatur chara; quod admixtum lacte multum inopiam leuat, id ſimilitudinem panis efficiebat: cuius erat magna copia: ex hoc effectos panes.* Cæterum ex lupinorum, & aliorum leguminum farina paſſim panis conficitur; & certum eſt panes, quos in turbas diſperſit, & multiplicauit Dominus, hordeaceos fuiſſe, vt ſcribit D. Ioannes *cap. 6. verſ. 9. Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos.*

5 Tritici ergo inuentionẽ Cereri, in Sicilia tribuunt, & inde Iſis, ſiue ſit eadem cum Cerere, ſiue diuerſa, in Ægiptum aſportauit. Et hoc probatur, quia in ſola Sicilia ad aliquam notabilem quantitatem creſcunt ſponte enata tritici frumenta; ſicuti alibi, & preſertim in Thuſciæ parte, quæ patrimonium D. Petri nuncupatur, ego vidi abundare legumina ſponte exorta. Audiamus referentem Diodorum *ſer. antiq. lib. 6. cap. 1. pag. 132. lit. A. In Sicilia primo frumentũ terræ bonitate ortum; ſicut & clariſſimus teſtatur Poeta, inquiens. Omnia ibi ſua ſponte terram producere. In agro Leontino, multiſque preterea Siciliæ locis, etiam nunc triticum ſilueſtre oritur. Denique ſi queritur, ante frumenti vſum vbi primum id repertum ſit, meri:o eius rei laus Siciliæ tribuetur.* Huic reliqui hiſtoriatores conſentiunt. Remanet igitur tantum, vt cum D. Iſidoro loc. cit. panis viſualis ſpecies enumeremus; dicit ergo. *Cibarius eſt qui ad cibum ſeruis datur, nec delicatus. Fermentarius fermento confectus. Azymus, non fermentatus: Rubidus, recens, & rubefactus, ſubcinericius cinere coctus, & reuerſatus, ipſe eſt focatius. Clibanitius in teſta coctus. Placentæ ſunt, quæ fiunt ex farre, quas alii liba dicunt, eo quod libeant, & placeant. Laganum eſt latus, & tenuis panis, qui primum in aqua, poſtea in oleo frigitur.* Tanta autem eſt bonitas, & vtilitas panis, vt nõ ſolum manducatus, ſed etiam odoratus nutriat. De Democrito narrant aliqui aliquot dies prorogaſſe vitam ex euaporatione mellis; ſed alij, ex euaporatione panis id feciſſe volunt, ſi fidẽ Rhodigino adhibemus, *lib. 21. pag. 801. tom. 2.* dicenti. *Democritus dies aliquot vitam produxiſſe dicitur ſola mellis anaphora, hoc eſt euaporatione; quamquam alii Calentium panum odore id factum malunt.* Reliquas Panis vtilitates, quas in dies non experimini, apud alios authores requirite, nos dicendi finem hic faciemus.

§. III.

Vtrum Cor ſit principalior ſedes Animæ rationalis.

1 ET *vinum lætificet cor hominis*: Curioſam inueſtigationem videtur hic verſus ſuggerere ſpeculantibus: quare tum in diuina ſcriptura, tum etiam in communi vſu loquendi, omnes animæ rationalis operationes Cordi tribuantur? Siquidem cor dicitur velle, intelligere recordari; quando hæc munera capitis potius tribui deberent organo. Tres ſunt, vt aiunt, animi rationalis potentiæ, Intellectus, Voluntas, & Memoria; quod autem hæ in corde maneant, & operentur, ſacræ ſcripturæ authoritate demonſtremus. Prima potentia Intellectus eſt, cuius operatio eſt cogitatio, nam operatio intellectus prima eſt ſimplex, ſiue ſimplicium apprehenſio, ſiue ſimplex cogitatio; & hæc cordi tribuitur, cum dicitur: *Pſal. 76. verſ. 7. Meditatus ſum nocte cum corde meo*: & in Euangelio: *Matth. cap. 9. verſ. 4. Vt quid cogitatatis mala in cordibus veſtris*: Hinc vt oſtendatur Deus noſtras cogitationes cognoſcere, ſcrutator cordium nuncupatur: *Pſal. 7. verſ. 10. Scrutans corda & renes Deus*: & aduertit Sapientiæ oraculum Auguſtinus *in Pſal. 7. pag. 18. col. 2. lit. A. Scrutatur corda Deus videns omnium cogitationes, quæ nomine cordis ſignificatæ ſunt.* Secunda mentis, ſeu Intellectus operatio eſt iudicium, quo videlicet vnum de altero affirmamus, vel negamus, nihil diſcurrentes; huius operationis proprius eſt actus credendi, & habitus fidei, cui aſſentiri debemus tanquam certo, nihil diſputantes; & hæc fides in mente eſt, mens eſt operatio animæ; animæ tandem ſedes eſt Cor. Hac de cauſa dicebat Apoſtolus Paulus, Chriſtum per fidem in cordibus habitare, quod optabat Epheſiis: *cap. 3. verſ. 17. Det vobis &c. Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Quibus verbis pulcherrimum addidit diſcurſum D. Bernardus *ſerm. 3. de S. Andrea pag. 78. lit. K. Solum Cor hominis capax eſt rationis, & ſuſceptibile myſteriorum Dei, quod purgatum, atque politum ipſam Diuinitatis ſubſtantiam conſiderat: & ſi non comprehendit, tamen cor eſt in peccatore, Anima in corde, mens in anima, fides in mente, Chriſtus in fide: & hoc eſt, puto, quod dicit Apoſtolus; Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris.* Tertia mentis operatio diſcurſus, ſiue ſcientia eſt, quæ ex notis ignota deducendo ſcientiam acquirit; & hæc quoque cordi datur: ita ſapientiſſimus hominum loquitur: *Eccl. cap. 1. verſ. 17. Dedique cor meum, vt ſcirem prudentiam, atque doctrinam, erroreſque, & ſtultitiam*: nam eiuſdem facultatis eſt ſcientia, & error; veritas, & falſitas: Quapropter Diuus Iſidorus *lib. 11. cap. 1. Orig. pag. 97. col. 2. lit. G.* ait cordis nomen a ſcientiæ perceptione deriuari. *Cor a græca appellatione deriuatum, quod illi καρδίαν dicunt, ſeu a cura: in eo enim ſollicitudo, & ſcientiæ cauſa manet. Quod idea pulmoni vicinum eſt, vt cum ira accenditur pulmonis humore temperetur.* Cum igitur Sapientiæ acquiſitio, quæ tot rerum imaginum confectionem, ac receptionem inuoluit, in corde fiat, apparet profecto in eo Diuinæ ſapientiæ miraculum, quæ in tam paruo vaſculo tot ſpecies collocauit: quare Cor eſt receptaculum ſapientiæ, dicente Sirachite Ieſu *Eccl. cap. 51. verſ 19. & 20. Cum adhuc iunior eſſem antequam oberrarem, quæſiui ſapientiam palam in oratione mea; & lætatum eſt cor meum in ea.* Vbi ex D. Macario aduertit Cornelius a Lapide *pag. 528. col. 1. lit. A. Cor igitur ſapientiæ*

pientiæ ſedes, & typus; vaſculum quidem paruum, vt ait Macarius Homilia 43. Sed in quo recipiuntur omnia. Ex his conſtat omnes intellectus operationes in corde operari.

2 Altera Animæ potentia eſt Voluntas; cuius operatio eſt velle, & præcipuè amor, & odium, quæ cordi tribuuntur; nam de amore ſcriptum eſt; Marc. *cap.12. verſ.30. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* De odio, *Pſalm.104.verſ.25. Conuertit cor eorũ, vt odirent populum ſuum:* ſequuntur duæ aliæ operationes, lætitia, quæ ſequitur velle, & triſtitia, quæ ſequitur nolle, nam poſſeſſio boni voliti parit lætitiam. & aduentus mali noliti triſtitiam: & hæ in corde generantur, de prima ſcriptum eſt: Ioann. *cap. 16. verſ.22. Gaudebit cor veſtrum;* De ſecunda, *verſ. 6. Triſtitia impleuit cor veſtrum.* Voluntatis ergo eſt opus bonitas, & malitia operationum, non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè, quod inſinuat ſapiens. Eccl. *cap.37. v. 20. Verbum nequam immutabit cor; ex quo quatuor partes oriuntur, Bonum, & Malum, Vita, & Mors:* ex quibus verbis colligit Cornelius, *in cap.37. Eccl. pagin.275. col 2. lit. D.* Bonum, & malum à corde effectiuè procedere. *Actus boni, & mali oriuntur à corde phyſice, & effectiuè; Vita vero, & mors ethycè, ſiue meritoriè. Cor ergo ſicut in homine eſt primum viuens, et vltimum moriens, ſic pariter idem eſt fons, et origo, et cauſa omnium actionum vitalium, tum naturalium, tum moralium, tum ſupernaturalium: per cor intellige Animam.* Hac de cauſa omnes operationes bonæ, vel malæ tribuuntur cordi, & de eo exire perhibentur, vt ipſe Dominus Ieſus in Euangelio docere dignatus eſt Matth. *cap.15. verſ.9. De corde exeunt cogitationes malæ, Homicidia, Adulteria, Fornicationes, Furta, Falſa teſtimonia, Blaſphemiæ.* Quod ad boni, & mali principium applicat Eminentiſſimus Hugo, *in cap.37 Eccl. pag.243. col.1. De quo corde ſcilicet oriuntur, vt de fonte riuuli, vel radice ramuli, Bonum, & Malum, Conſilium, vel Conſenſus, vel Cogitatio, vel Opus: Matth. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, etc.* En quomodo Voluntas in corde quieſcit, ac ibidem operatur.

3 Tertia facultas animi memoria dicitur, quæ ſecundum Scoti ſententiam, & ipſam veritatem, ab intellectu, nec formaliter, nec realiter differt; nam intellectus ſpecie expreſſa formatus, dicitur memoria; & reminiſci, ſeu recordari eſt illam cogitare, ſeu intueri imaginem, quæ in ipſa mente fixa eſt. Sapientia ergo, quæ per operationem intellectus acquiritur, in ſpeciebus in eodem intellectu ſepoſitis conſeruatur, itaque appellatur memoria ſpecierum theſaurus: cum ergo operatur intellectus, eæ imagines ſibi facilius intelligendæ ſeſe offerunt, quæ in memoria conſeruantur; ideo dicebat Dominus. Luc. *cap.6. verſ.45. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona; & malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala.* Quem theſaurum eſſe ſcientiam, quæ in memoria ſeruatur ait Lyranus, *in cap.6. Luc. Qui theſaurus eſt ſcientia, & virtus.* Sic paſtorum verba, quæ Beata Virgo in corde ſuo conſeruaſſe dicitur, in animo ipſo ſeruata eſſe vult Toletus, *in Luc. pag.177. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo, Luc. cap.2. verſ.19.* Et citatus Doctor. *Quæ à paſtoribus dicta erant Virgo prudentiſſima, & deuotiſſima non obliuioni dedit, ſed in animo repoſuit, atque conſeruauit.* Quod ſi Theologorum ſubtiliſſimus Princeps Scotus putat filium in diuinis produci à memoria fœcunda genitoris; Hæc memoria cordi aſſimilatur; dicit enim Propheta ex nomine Patris diuini, *Pſalm.44. verſ.1. Eructauit cor meum Verbum bonum:* Quod de generatione Æterni Verbi: explicans D. Auguſtinus, *De Eſſent. Diuinit. tom.4. pag. 105. col.1. lit. B.* ipſum cor archanum Sapientiæ vocat; porrò Sapientia, quæ eſt habitus, memoria in nobis eſt. *Cor Dei Patris Arcanum Sapientiæ eius myſticè innuit; ex quo Verbum, id eſt Filium ſuum, ſine initio genuit; ipſo dicente per Prophetam: Eructauit cor meum Verbum bonum.* Omnes ergo Animæ operationes, & conſequenter Potentias in corde eſſe probauimus.

4 Hæc cum ita ſe habeant, quæritur; Cur Cordi, & non Capiti, vel alteri membro humani corporis iſtæ tribuuntur operationes, quæ omnino ſpirituales ſunt, & animæ propriæ? Ad quod dico: Corpus phyſicum à Philoſopho Organo, nec immerito, comparatur; & ita ſicut Muſicus toti organo immediatè non aſſiſtit, ſed in principaliori, vnde dirigens flatum per fiſtulas totum organum informat, & ſonorum reddit. Ita Anima rationalis, licet per potentias, & ſecundaria informatione in toto corpore fit, & omnibus partibus aſſiſtat, nihilominus primaria informatione cordi aſſiſtit, ibique, tanquam in natiuo igne, cibum concoquens, partes ſubſtantiæ deperditas reſtaurat; ibique, ex attracto aere ſpiritus procreat, quos per neruos, muſculos, venas, & arterias per totum corpus diffundens, ſecundum partis organi rationem. vitæ, & ſenſus operationes exercet; ſicut aer organi illum edit ſonum, ad quem formandum fiſtula facta eſt, & apta; ſic cum abſciſſum caput aliquid loquitur, vel manus præciſa mouetur, & palpitat, illa operatio non eſt ab anima, quæ abeſt, ſed à ſpiritibus, qui ſecundariò veluti animæ miniſtri, organa humani corporis informant. Idcirco omnes Animæ operationes tribuuntur cordi, quia ſedes principalis, & propria Animæ eſt Cor; ſic cor intelligit: *Pſalm. 76. v.7. Meditatus ſum nocte cũ corde meo:* Cor ſentit: *Eccli. c.17. v.6. Senſu impleuit cor illorũ:* Cor ambulat: *Eccl. cap.11. verſ.9. Ambula in viis cordis tui:* Cor audit, *Iſai.43. verſ.12. Audite me duro corde:* Cor loquitur, *Eccl. cap.1. verſ.16. Loquutus ſum in corde meo;* Igitur Anima, tanquam in ſuæ maieſtatis Regio Throno ſedet in corde; inde membris omnibus, vitam, ſenſum, & intelligentiam tribuens. Quæ omnia Cæſarius D. Gregorii Nazianzeni frater doctiſſimè probat, *Dialog.3. tom.11. Biblioth. PP. pag.661. lit. C.D. Paruum quidem, & rotundum, articuloque carens Cordis eſt Organum; in ipſo tamen de Deo, Angelis, & Archangelis, Cælo, Terra, Mari, & de omni in vniuerſum creatura deliberamus; veluti promus, aut cuſtos vitalis in nobis cauſæ, & roboris, ſit ſpiritus, qui circa cor eſt. Cor quidem certè fontem aliquem, & principiũ noſtræ vitæ eſſe putamus; à quo meatus fiſtulis conſimiles multipliciter alius per alium ductus vniuerſo corpori calidum, & igneum ſpiritum diffundunt.* Hoc etiam, & clarius, ſuſtinet Beatus Albertus Magnus, *lib. 2. de Anim. tractat. 1. cap. 7. pag. 54. colum. 2.* vbi euidentiſſimè docet, primariò Animam in ſolo corde eſſe, & ſecundaria informatione in aliis corporis partibus. *Dicimus, quod Anima eſt vna, & habet partes organicas, quæ omnes continuationem habent ad vnam, quæ eſt Cor, & tunc dicendum, quod anima eſt in corde; & inde influit poteſtates ſuas in totum corpus; & ſic non eſt tota in toto, ita quod in qualibet parte ſit tota, ſed in qualibet parte eſt ſecundum aliquam ſuarum potentiarum. Et licet eſſentia eius adſit cuilibet virtuti eius, non tamen virtute ſeparata, ſeparatur neceſſario eſſentia eius; quia virtus illa affixa eſt illi organo, & non eſſentia animæ; ſed potius illa eſt in corde, quod eſt organum eſſentiæ Animæ deputatum.* Cui ſententiæ libenter ſubſcribo, cum omnes allatæ authoritates Sacræ Scripturæ illam probare videantur. Concluſum ergo habemus, Cor eſſe Animæ primariam ſedem, quod primariò informat, per quod membra regit, & organici corporis Rempublicam per miniſtros ſpiritus gubernat.

RADIVS

RADIVS SECVNDVS; EXPOSITIO MORALIS.

AD vitam corporalem hominis conſeruandam tria præcipuè requiruntur, Panis, Vinum, & condimentum, quod olei nomine ſignatum eſt: & ſimiliter prorſus in vita ſpirituali conſeruanda tribus indigemus. Pane, vino, & oleo. Panis animæ roboratiuus Chriſtus eſt, qui vt Deus reuelata facie electos ſatiat, per verba communicatus mentem inſtruit, ſub panis ſpeciebus datus ad bonum firmat: Vinum vel eſt Amor diuinus inebrians, vel Chriſti paſſio lætificans, vel Gloria ſempiterna beatificans: Oleum tandem vel miſericordia Dei eſt, quæ nos ſaluat, vel opera miſericordiæ noſtra, quæ virtutes viuificant, vel hilaritas in operando, quæ ſeruitutem noſtram gratificant; eſt, & aliud, ſed fugiendum oleum marcidum, & inconditum, Adulatorum commendatio; hæc prædicabilibus conceptibus oſtendemus.

SVMMARIVM.

1 *Lætitia etiam ſpiritualis huius ſæculi eſt gutta reſpectu gloriæ.*
2 *Paſſio Chriſti Domini noſtra lætitiæ cauſa.*
3 *Amor Dei inebriat Animam.*
4 *Non opera noſtra, ſed miſericordia Dei nos ſaluat.*
5 *Miſericordia in pauperes ieiunium acceptabile Deo reddit.*
6 *Quidquid ad Dei, Sanctorumque honorem fit, hilariter faciendum.*
7 *Oleum peccatoris eſt falſa laus adulatoris.*
8 *Chriſtus Electorum Pabulum.*
9 *Eucharistia roborat ad proſequendum bonum, & malum vitandum.*
10 *Verba Dei Animam nutriunt.*

§. I.

Lætitia etiam ſpiritualis huius ſæculi gutta eſt, reſpectu Gloriæ.

1 ET *vinum lætificat cor hominis.* Tot ærumnis, ac temporum viciſſitudinibus, dum vita hac mortali viuit homo, circumdatur, tot premitur iacturis, tot iactatur miſeriis, vt omnis ei lætandi occaſio ſubripiatur. Quis ex animo gaudere poteſt quotidie mortem expectans? Aut quæ poteſt eſſe chara delectatio, quæ ita eſt cara? Supplicium eſt, non ſolatium, quod ad modicum parens in ictu oculi euaneſcit. De hoc quærebatur Seneca, *epiſt.* 49. *tom.* 2. *pagin.* 151. *Modo apud Sotionem ſedi philoſophum puer, modo cauſas agere cœpi, modo deſii velle agere, modo deſii poſſe. Infinita eſt velocitas temporis, quæ magis apparet reſpicientibus. Nam ad præſentia intentos fallit: adeo ad præcipitis fugæ tranſitus lenis eſt, &c. Punctum eſt quod viuimus, & adhuc puncto minus.* Illi felicius viuunt, qui mundialia non attendentes Diuini ſpiritus inebriantur amore. Verum nec iſta lætitia, quamuis ſpiritualis, & meritoria, ſatiat, cum & ipſa temporanea ſit; ſola eſt cæleſtis gloria, quæ animæ famem adimplet. Idcirco Pſaltes volens oſtendere differentiam inter lætitiam ſempiternam, & temporaneam etiam ſpiritualem, illam pani comparat, hanc vino; nam cibus diutius in ore guſtatur, & ſic repræſentat guſtum perpetuæ ſatietatis; vinum vero breui curriculo tranſit, & ideo huius vitæ ſpirituales guſtus explicat; qui licet temporanei, quia ſpirituales ſunt lætificare non renuunt Deo inſeruientium corda; & propterea dicitur: *Vinum lætificat cor hominis.* Sapienter id præmonet D. Hieronymus, *in cap.* 3. *Mich. tom.* 5. *pag.* 152. *litt. A. Spiritus ergo Dei, qui finem mendacio impoſuit in falſis prophetis, ipſe tibi ſtillabit vinum, & ebrietatem; Vinum quod lætificat cor hominis, & ebrietatem, de qua dicitur: Bibite amici, & inebriamini chariſſimi: Hæc autem omnis ebrietas, & lætitia ad comparationem ſapientiæ Dei, quæ velut fluuius cæleſtem irrigat Hieruſalem, ſtilla eſt, & gutta permodica.* Omnis ergo hæc lætitia, quam hic experimur, neque potus vini eſt, ſed gutta, quæ ſitim non explet, ſed excitat.

2 Adueniente Vere, vniuerſus lætatur orbis, & florũ odore, ac ſuauitate repletus exultat homo: quæ enim pulchritudo oculis, quæ fragrantia naribus, quæ delicies corpori, non ſe exhibet in floribus? ſic gaudēt mortales multiplici delectatione fruentes. Sed heu quam breuis, quã labilis terrena eſt voluptas, vix vna dies flos recreat, deinde marcidus elangueſcit, atq; deſiccatus decidit. Huius cauſa eſt, quia flores nõ propter ſe, ſed propter poma producuntur; & viſis floribus lætamur, non quaſi de floribus, ſed propter ſpem fructuum. Omnis ſpiritualis guſtus, qui in vita ſpirituali animã delectat, flos eſt, paruus eſt, breuis eſt, qui fructum æternæ beatitudinis indicat, tunc perfectum gaudium erit, cum fructum illum ſuauiſſimum poſſidebimus; interdum lætitia noſtra modica eſt, ſpes ſcilicet beatitudinis ęternę. De hac Apoſtolus dicebat *ad Rom.* 8. *ver.* 24. 25. *Spe enim ſalui facti ſumus; ſpes autem, quæ videtur non eſt ſpes: nam quod videt quis quid ſperat? Si autē quod non videmus, ſperamus; per patientiam expectamus.* Speramus enim quod nõ videmus, & conſolamur in ipſa ſpe, ſed ſpes iſta, adueniente viſione recedet; nam perditur gutta aſcendente Mari, & flos perit adueniente fructu. Ingenioſè Chriſologus, *ſer.* 62 *p.* 302. *col.* 2 *Cum res venerit, aduenerint, & promiſſa, ſpes deſinit, fides ceſſat. Dulcis eſt epiſtola, ſed vſq; dum veniat ipſe qui miſit. Neceſſarium chirographum, ſed vſq; ad debiti ſolutionē: grati flores, ſed vſq; dum deueniatur ad poma: ſed præſentia epiſtolam delet, rumpit ſolutio cautionem; flores conſumuntur à pomis.* Fructũ gloriæ in æternitatē colligere debemus, ſpirituales deliciæ in hac vita flores ſunt, qui fructum promittunt, hæc lætitia breuis, illa perpetua.

3 Animã contemplatiuã in hoc mũdo ſponſæ aſſimilauero, quæ à ſponſo longè remota eſt. Hęc abſentis viri imaginē aſſidue meditatur, ac dũ ipſam reſpicit ipſũ intueri amatũ æſtimat; ſed hęc lætitia breuis eſt, nã lineamenta videt, ipſũ non tenet, lætatur in aſpectu, ſed deficit amplexus, videt os, ſed verba nõ audit; ſed cũ ipſe redierit ſponſus, tunc vanitatē, & paucitatem ſuæ lætitiæ cognoſcit, imaginē proiicit, paruipendit, deridet, & in ipſius ſpõſi amplexus, & oſcula ruit. Talis anima noſtra in hoc ſæculo eſt, Deum meditãdo delectatur de eius pulchritudine, & bonitate per imaginem viſa, breue gaudium, & imperfectum; ſed adueniente Dei manifeſta viſione ad tantæ maieſtatis aſpectum omnis terrena delectatio,

lectatio, licet ſpiritualis, modica gutta Oceano comparata videbitur. Id demonſtrat Apoſtolus Corinthijs. *1.Cor. cap. 13. ver. 10. Cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt, &c. ver. 12. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Eo namque modo, quo res eſt, delectat; abſtractiuè lux imaginata lætificat, ſed parum admodum, viſa vero gaudio replet: nos nunc abſtractiuè Deum cognoſcimus per creaturas, ſed in Patria ſeruatur verum gaudium, vbi clarè ipſum intuebimur. Ita Lyranus. *Habetur de Deo triplex cognitio naturalis. Vno modo per eſſentiam ſuam, quæ ſoli Deo conuenit. Alio modo per ſimilitudinem immediatè a Deo deriuatam in cognoſcente, & hæc cognitio conuenit Angelo. Tertio a nobis cognoſcitur quaſi in ſpeculo, in quantum per creaturas a nobis cognitas, ſicut per ſpeculum ducimur in Dei cognitionem; ex ordine enim, & bonitate creaturarum venimus in cognitionem ſapientiæ, & bonitatis diuinæ. Ideo dicit: Videmus nunc; ſcilicet Deum: per ſpeculum in ænigmate; quia hæc ſimilitudo creaturarum ad Deum obſcura eſt valde; & per conſequens noſtra cognitio de Deo in via: Tunc autem; ideſt; in Patria: facie ad faciem; & clarè, & lucidè videbimus diuinam eſſentiam.* Ergo lætitia temporalis ſomnus eſt, æterna autem clariſſimus, & lætiſſimus Dies, in quo ſol ille qui nunc nubibus tectus cernitur, in ſua gloria rutilabit.

4 Exemplum huius in cęremonijs hebręorum habere poſſumus, qui magna cum lætitia ante Dominicum aduentum celebrabant paſchalem ſolemnitatem, agnum mactabant, eius ſanguine poſtes vngebant; ſed veri, & immaculati Agni, qui pro mundi redemptione ſanguinem fundere debebat, omnino ignorabant, & conſequenter imperfecta erat eorum lætitia, quia veram lætitiæ cauſam ignorabant; idcirco adueniente legis gratiæ myſterio, illa lætitia perijt, Apoſtolo teſtante *2. Cor. cap. 3. ver. 10. 11. Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam; ſi enim quod euacuatur in gloria eſt; multo magis quod manet in gloria eſt.* Si enim flos delectat, qui ſtatim marceſcet, quanto magis Ver æternum haud perituros habens flores? Et ſi ad horam in Theatro exornatus, de ſuo gaudet ornamento mimus, quid de poſſidente ſtolam immortalitatis dicendum eſt? audi Chriſoſtomum *Hom. 34. in 1. ad Corint. to. 4 col. 484. lit. E. Recordare eorum, qui nunc ſunt in lege, quando illuxit. Illa enim ante gratiam videbantur quędam magna, & admirabilia; ſed tamen audi quid de ipſis dicat Paulus poſt gratiam: Non glorificatum eſt, quod glorificatum fuit in hac parte, propter excellentem gloriam: Nam paſcha quidem peragebant etiam Iudæi: ita tamen peragebant tanquam in ſpeculo, & ænigmate. Arcana autem hæc myſteria, nec illis vmquam veniebant in mentem.* Eadem eſt inter temporalem, & æternam lætitiam differentia. Errat igitur quicumque in ſenſibili ſpiritualium delectatione, vim contemplationis ſuæ collocat; nam lætitia hæc paruula eſt gutta; & quid hæc ad gloriæ immenſitatem, quam expectamus?

§. II.

Paſſio Chriſti Domini noſtræ lætitiæ cauſa.

1 ET *vinum lætificet cor hominis.* Inter alias vini proprietates præcipua eſt cor hominis lætum reddere, ſpiritus lætos producens, & totum ſubleuantes corpus. Vinum autem tropologice ſaluatoris noſtri Ieſu ſanguinem vocemus; ſicut namque in torculari vina ex vuis exprimuntur, ſic ſanguis Chriſti in crucis torculari expreſſus eſt. Hic eſt ſanguis ille, quo redempti ſumus; hoc eſt vinum veram hominis lætitiam parans, hoc eſt poculum vitam ſubminiſtrans æternam. Cum enim homo nimia pomorum vel fructuum comeſtione ſtomacho grauatur, ne digeſtio vitietur, & languorem cauſet, vini potum adhibere debet, iuxta illud vulgi adagium: *Poſt crudum purum:* Hinc ſequitur, quod perſica poma vino infuſa amittere perniciem ſuam creduntur. Quodnam homini malum, niſi pomum contra diuinum præceptum editum? Ideo malum, quia tot malorum vnica cauſa; ergo poſt illius eſum, nil niſi vinum, ideſt Chriſti Domini ſanguis, eiuſque paſſio vitam reuocare valebat: & cum vitæ ſpe lætitia oritur; ideo dictum eſt; *Vinum lætificat cor hominis; Ideſt,* inquit Hugo, *ſanguis eius de vua corporis expreſſus in torculari crucis. Hoc vinum lætificat cor hominis, quia Chriſti paſſio cauſa eſt noſtræ lætitiæ æternæ.*

2 Tunc Pulchriores redduntur oculi, cum læti ſunt, nam ſpiritus illi ignei, & viuidi, oculos venuſtant, exhilarant, magnificant; e contra vero oculi dum meſtitia tenentur, quaſi obſtura tecti nube, non paruam venuſtatis partem amittunt. Idcirco ſponſa in canticis ſacris in cellam vinariam introduci poſtulabat, vt vino hauſto, cor lætificaret, venuſtaret oculos, pulchritudinem adaugeret. Hinc dicebat: *Introduxit me Rex in cellam vinariam:* ſeu, vt legit Damaſcenus: *Introducite me in domum vini:* quaſi diceret. Vt in conſpectu Regis mei ſponſi formoſior apparerem, introducite me in Cellarium, vt vinum bibens, lætum cor reddam, hilares oculos, formoſum aſpectum. Seu verius, ſi anima eſt, quæ loquitur introductionem in Eccleſiam petit, in qua pretioſiſſimi vini, ſanguinis videlicet Redemptoris, guſtato poculo, æternæ beatitudinis ſpem, & lætitiam hauriat, & gratijs cumulata cæleſtibus, in conſpectu æterni Regis pulcherrima videatur: Ita ſentire videtur D. Ioannes Damaſcenus *orat. 2. de Natiu. Virg. pag. 341. lit. B. Cuiuſnam porro oculi pulchri ſunt a vino, ſi Chriſtum exceperis, de quo rurſus anima Chriſto deſponſa, ait: Introducite me in domum vini? Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Introducite me in domum Eccleſiæ, in in qua poculum ſalutaris lætitiæ, agni ſanguine temperatum proponitur.* Optimum id eſt vinum, quod pulchritudinem immarceſcibilem facit, & lætitiam ſempiternam.

3 Quid ni alios lætificet Chriſti ſanguis, qui eius effuſione beatitudinem aſſequuntur perpetuam; cum etiã ipſum Dominum, non ſine acerrimis doloribus illum effundentem, lætificare valuit? Neque enim tantummodo ad mortem libenter, ſed & hilariter acceſſit, ipſum mortis ſuæ magnæ lætitiæ diem appellans. Neque id mirum, nam Amatis benefacere, Amantis lætitia eſt. In eiuſdem ſacri epithalamij verbis narratur, ſponſam omnes ad intuendum Regem Salomonem purpura, & auro indutum, ac gemmarum renitente Diademate coronatum, inuitare: *Cantic. cap. 3. ver. 11. Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Sed ſi Salomon Chriſtum refert, quando a matre ſua diademate fulgenti coronatus inceſſit? Dices forſitan matrem ſuam Iudæam fuiſſe, ac illum, non auri, & gemmarum, ſed ſpinarum pleno Diademate coronaſſe; ſed quomodo dies lætitiæ nuncupatur? ego ſanè diem luctus, & mæroris crederem illum, qui innocentiſſimum Dominum doloribus, & martyrijs ſatiauit. At ille, quia hoc vinum lætificans bibebat, ſuomet ſacro ſanguine madefactus, lætitiæ diem appellauit illum, qui vniuerſo orbi a ſe dilecto lætitiæ æternæ poculum præparabat. Ita D. Theodoretus *lib. 2. in Cantic. to. 1. pag. 330. col. 1. Sic ergo coronauit eum mater ſua; matrem appellat Iudæam, quantum pertinet ad eius humanitatem, quæ hanc illi iniuſta Coronam præbuit; ſpinis enim illum contemptus cauſa coronauit; ipſe vero per ſpinas ſuſcepit Diadema charitatis. Sponte enim ignominiam pertulit, atque vltra ad mortis cruciatus acceſſit. Quamobrem deſponſationis diem illum vocauit, & diem lætitiæ cordis eius, tunc enim nuptiarum communio facta eſt.* Amanti, amati commoda grata ſunt, & licet ipſe patiatur, dum amati præparatur gaudium, ipſe quoque lætatur.

3 Cum aliquis nimia vini potatione ebrius ſomno ſe tradit, ex illis fumoſis, & igneis halitibus phantaſia ſpecie-

cie us

Digitized by Google

ciebus excitatis lætis dulcia inſomnia videt; neque interim aduertit tumoris, vel apoſtematis inciſionem, quæ interim à medico fit, quia partim ſomno grauatus, partim ſomnio diſtractus dolorem non ſentit. Cum autem euigilat, operationem iam confectam perſpiciens, ſuamque ſalutem in tuto poſitam, maximo repletus gaudio, omnes iocosè, & feſtiuè ad gratulationem, & lætitiam prouocat, vt ſibi congratulentur de ſalute, quæ ſine ſui dolore ſeruata eſt. Chriſtus Dominus tumorem, & apoſtema ſuperbiæ humani generis incidere clauorum trãſfixione debebat, vt nos ſalutem deperditam reſtauraremus; ſed amoris poculum bibens, & ſuimet ſanguinis vino (ſi fas eſt dicere) ebrius ſoporatus eſt; & noſtram ſomnians libertatem moriendo obdormiuit; nam præ charitate tormenta non ſenſit; cum verò reſurgendo euigilaſſet, quaſi ab ebrietatis ſomno ſurgens, & peractum opus redemptionis animaduertens, omnes quos obuios habebat Apoſtolos, Diſcipulos, Mulieres ad lætitiam prouocabat. Hoc expreſsè docet Propheta, *Pſalm.77.verſ.65.* inquiens. *Et excitatus eſt tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino.* Quam Pſaltis ſentẽtiam gloſſans D. Damaſcenus, *loc.cit.litt.C.* ait: *De quo etiam magnus Dauid in pſalmis ait: Excitatus eſt tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino: Qui poſtquam à morte ad vitam rediit, mulieribus iis, quæ vnguenta ipſius cauſa emerant, dixit: Auete: lætitiæ videlicet efficientem ſalutem ipſis offerens, quæ prioris moleſtiæ acerbitatem diſcuteret. Atque etiam Apoſtolis præſtantiſſimis lætitiæ verbum profert, dicens: Confidite ego vici mundum.* Magna ſalus ex tam dulci ebrietate mundo facta eſt, & magnæ porrecta lætitiæ cauſa; lætentur ergo omnes, qui huius ſanguinis participant benedictionem.

4 Numquam dulcius requieſcit, quam cum generoſi vini libamine refectus eſt homo; tunc enim ſepoſitis curis totũ ſe ſoporationi committit: Neq; ſimiliter dulcior animabus quies, quam quę à Chriſti ſanguinis memoria generatur. Si homo ſua peccata conſiderat, eorum grauitate, & prauitate deiectus veniam deſperat; ſed cum Chriſtiani ſanguinis meminit, pro ſuo remedio effuſi, ſpes redit, lætitia viget, tunc quieſcit timor, tunc inquieti cordis tranquillatur tempeſtas; quomodo enim non ſperabit homo veniam, tanta ſibi promeritam paſſione, tanto redemptam ſanguinis pretio? Dum ad mortem damnatus Dominus variis cædebatur flagellis, eius ſanguinis venditor Iudas pœnitentia, ſed non vitali, ductus, prætium Iudæorum Principibus retulit: illi in proprios vſus erogare non auſi, diuino afflatu (neſcientes tamen ipſi quid facerent) Matth.*cap.27.verſ.7. Emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* O digna Chriſtiani ſanguinis prætio, deliberatio: Peregrinorum requiei applicatur illius ſanguinis prætium, qui hominũ perpetuę requiei prętium eſt; ſanguis à peccatorum tormentis nos quieſcere facit; meritò ergo eius prætium in requiem defunctorum erogatur. D. Ambroſii hæc eſt ſententia, *ſer.fer.2 Dom.Paſſionis, to.5.pag.53.lit.C. Iuſti enim ſanguinis pretium pertimeſcit iniquitas poſſidere: conſilia tamen ineunt Phariſæi, vt ex eo ager figuli comparetur, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quod quidem prouidentia factum puto, vt pretium Saluatoris, non peccatoribus ſumptum præbeat, ſed peregrinis requiem ſubminiſtret.* Vt requiem ſperantes homines ſempiternam, à tanti ſanguinis vino ſatiati lætentur.

§. III.

Amor Dei inebriat Animas.

1 ET *vinum lætificat cor hominis*. Cum homo inebriari incipit, primum ebrietatis ſignum, eſt hilaritas, & inſueta lætitia; hic ergo lætitiæ nomine ipſa ſignatur ebrietas; ſed non illa intemperantiæ filia, luxuriæ mater, mentis nubes, oculorum caligo, Animæ mors; verum ebrietas felix, voluptuoſa, ſobrietatis filia, Diuini mater amoris, Animæ ſolatium, ſpiritualium gaudiorũ eſca; quæ dum temporalium ſuggerit deſpectum, æternorum voluptatem augmentat. Hæc ebrietas à vino ſpiritus cauſatur, porrò hoc vinum bibitur orando, nam meditatio eſt poculum, in quod diuinarum conſolationum vinum effunditur, vt anima bibat ſuauiter, & fœliciter inebrietur. Rectè ergo de orante anima interpretatur. *Et vinum lætificat cor hominis*: de quo D. Bernardus, *ſerm.18 in Cantic, pagin.153.lit.F.* teſtatur. *Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem.*

2 Quod ſi credere reformidas, dic quæſo; obſeruaſti temulentum, quomodo nec oculos habeat ad videndũ, nec pedes ad ambulandum, nec iudicium ad diſcernendũ; itavt nec pedem in terra ſiſtere, nec os ad loquendũ aperire, nec ad ratiocinãdũ mẽtẽ aptare poteſt? Quid ergo tũc ille optat, quid amat, quid ſperat, quod eũ delectamẽtum allicit, quæ delicies rapit? omnia ſpernit, quia omnia pro nihilo penſat. Id valentius facit in corde Diuini amoris poculum, nã ſpiritu ebrius animus temporales voluptates contemnit, diuitias proiicit, honores calcat, terrena omnia faſtidit: Idcirco exclamat amore æſtuans, *Pſalm.22.verſ.7. Calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* Præclarus vtique eſt, qui mentem à terrenis remouet, ad cœleſtia ſubſtollit, qui alienat à ſenſibus carnis, & lætificat oculos charitatis; turbat mundi cognitionem, ſed cęleſtem contemplationem inducit: ſic homo, vino ſpiritus inebriatus, omnia, quæ mundus habet, vt ſtercora arbitratus, abiicit, & paruipendit: vt aduertit D. Petrus Damianus, *lib.7.epiſt.19.tom.1.pag.345.litt.E. Vinum vero, quod lætificat cor hominis, ſpiritus eius eſt; de quo iterum dicit: Poculum tuum inebrians quam præclarum eſt: Spiritus enim Dei hominum mentes inebriat, vt tamquam à ſuis ſenſibus alienati, diuitias huius mundi, honores, & gloriam reſpuant: ad ſubeunda vero pro Deo quæque dura, vel aſpera flammantibus deſideriis inardeſcant.* Sic ebrietate victus contemnit homo, quæ ſi ſobrietate mundana inſpiceret in ſui detrimentum amaret.

3 Seraphicus Pater noſter D. Franciſcus Minorum pauperum Patriarcha tantam mundi habuit obliuionẽ, & tantum mundialiũm bonorum contemptum, vt cum Apoſtolo omnia pro Chriſto ſtercora arbitraretur: Mũdi ſuperbiam minorica exiſtimatione deiecit, ſæculi inanem gloriam cinere ſepeliuit, diuitiarum pondera mendicatione compeſcuit, ſapientium arrogantiam, ſancta fatuitate ſtitit, Dynaſtarum faſtum, & pompam humili conuerſatione deriſit; Ingluuiei inſolentes delicias, ieiunii aſſiduitate corripuit, & carnis petulantiam ſpinarũ aculeis effuſo ſanguine macerauit. Nulla illi, vel cum vitiis familiaritas, vel cum auro neceſſitudo, vel cum honoribus patientia, vel cum egeſtate ſollicitudo; totum Dei amorem potans, diuina ebrius charitate, quæ Dei non eſſent, vniuerſa calcauit: Imò eo proceſſit ebrietas, ita à mundi cognitione inſenſibilem reddidit, vt nec patrem, quem in via ſpiritus ſibi obſiſtentem videbat, amplius cognoſceret patrem, ei legitimam renunciauit, veſtes proiecit; & vt adſolent ebrii veſtimentis abiectis nudi incedere; nudus, ſpiritu amoris inebriatus, remanſit. Egregiè id deſcripſit eius ſeraphicus Cronographus D. Bonauent. Cardin. *in legen. S. Franciſc. tom.7. cap.21. pagin.298. col.1 lit.B. Inſuper ex admirando feruore ſpiritu ebrius, reiectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem. Vſque nunc vocaui te patrem in terris: amodo autem ſecurè dicere poſſum: Pater noſter, qui es in cœlis: apud quem omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpei fiduciam collocaui.* Ad quid ergo Pater in terris, qui Deo patre gloriatur? Ille audeat dicere, Matth.*cap.6.verſ.10. Pater noſter, qui eſt in cælis*: qui Beatum Franciſcum ſequens carnales parentes, ſpiritui amoris contrarios, noſſe diſſimulat.

4 Hoc & in Martyribus cernitur; nam ſæpè ſæpius deſpectis parentibus, aut filiis, aut certè vxoribus, Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto nomen dabant; & quaſi non amplius carnales propinquos noſcerent,qui Patrem Deum,& ſanctos fratres habere cęperant;non illos à Chriſti amore parentum luctus, filiorum mortes,conſanguineorum vilipendium, vxorum lacrymæ,amicorum ſuaſiones minimè deterrebant;mortem ipſam,& corporis,& famæ apud ethnicos deſpiciebant. Cur ergo oculos,aut mentem ad propinquorum iacturam conſiderandam non admouebant? quia vino amoris Dei, & ſpiritu ebrii carnalem cognitionem perdiderant.Hic eſt ille calix,de quo Prophæta, *Pſalm. 74. verſ. 9. 10. Calix in manu Domini vini meri plenus mixto;& inclinauit ex hoc,in hoc*: Omnes namq; ex hoc calice,ex vno in alium deferens inebriauit Deus Martyres;vt ſic carnales coniunctos agnoſcere non valerent. Vt optimè adnorauit D.Ioannes Chriſoſtomus, *in Pſalm 24. tom.1. col.921. lit.B. Ipſe eſt calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hunc,&c.De iſto Calice bibit Eccleſia, inebriauit Martyres,vt nō agnoſcerent proximos carnis ſuæ nimio amore Chriſti: Neque Patres Filios,neque filij Parentes.Inebriauit vino ſanctitatis,non vino erroris. Non cognouerunt ſuos,& ſanguinem fuderunt.*Hæc eſt virorum ſpiritualium ebrietas,Amor Dei;etenim,qui verè, & ardenter amat,ſolum nouit amatum,reliquos paruipendit.

5 Vinum aliquando reperitur,ita validum,&potens, vt nedum potu verum etiam odore inebriat: nam inter optimi vini conditiones ea commendatur maximè, vt probum,& lætificantem animum habeat odorem. Neq; vino hoc ſpirituali,ac cœleſti deeſſe poterit,quod omne præbet delectamentum;tantam enim vim habet,vt ſolo odore inebriet mentes, & ab humanis, ſeu ſæcularibus curis remoueat.Huius vini odore delectabatur, Anima illa ſancta,quæ cæleſti ſponſo dicebat:*Cantic.cap.1.verſ. 3.Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum*;quippe,quæ interim adiungit, *verſ.4. exultabimus,& lætabimur in te,memores vberum tuorum ſuper vinum.*Quaſi diceret, tanta vis eſt in vino ſpiritualis amoris,vt ſola illius memoria,ſola communicatio odoris ad animam inebriandam ſufficiat,vt ſic inebriata, mundialia cuncta contemnat:Quò reſpexit D.Bernardus, *c. 1.de Paſſ.Dom.pag.241.lit.B.*inquiens.*Ille qui lucem habitat inacceſſibilem,in quem deſiderant Angeli proſpicere, cuius ſolus odor ſanctorum ſic mentes inebriat, vt & mundi præſentis,& ſui ipſarum obliti,totis viribus currant poſt ipſum.*Vinum optimum,& ſuaue Charitas eſt, quæ nos delectabiliter à mundo alienans, æternis recreat delectamentis.

6 Hæc porrò inter vinum cæleſte, & terrenum, hoc eſt,inter conſolationem diuinam,&humanam,differentia eſt;quòd huius ſæculi deliciæ,prout & vinū, in principio dulces videntur,at tandem in animæ amaritudinē vertuntur: nam cum ſana adhuc mente guſtatur vinum delectat, cum verò inebriauerit amplius eius ſuauitas non percipitur.Porrò vinum ſpiritualis amoris in principio quidem amarum videtur,ſed cum inebriauerit,tūc replet ſuauitate,nam *vinum* eſt,quod *lætificat cor hominis.*Vtriuſque vini differentiam Sapiens declarat,*Eccli. cap.31.verſ.37.*cum dicit: *Exultatio animæ,& cordis vinum moderatè potatum*;& paulò poſt,*verſ.39. Amaritudo animæ vinum multum potatum.* Sed & Incognitus apertiſſimè idipſum docet. *Per vinum accipe dilectionem Dei,qua Deus nos inebriat delectabiliter: Vbi notandum eſt,quod vinum mundanæ dilectionis in principio dulce videtur,ſed in fine amarum: è contrario autem vinum amoris Dei.*Neque ſpirituale poculum ſatietate nauſeat, ſed quantò amplius guſtatur magis delectat.

7 Hanc doctrinam ab ipſomet Dominico fonte deriuatam habemus; etenim cum Dominus ad Chananeas nuptias vocatus eſſet, deficiente vino, vinum exhibuit præcellentiſſimum:miratur Architriclinus,contra cōuiuiorum vſum bonum vinum vltimò ſeruatum eſſe, quod primò apponendum erat, qui ſcilicet myſterium ignorabat;& ideo dicebat. *Omnis homo primum bonum vinum ponit,& cum inebriati fuerint tunc id,quod deterius eſt: tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc. Ioann.cap.2 verſ.10.*Ideo autem hunc vini defectum permiſit Deus,vt nos manifeſtè cognoſceremus diuinæ cōſolationis dulcedinem mundanis delectationibus contrariam eſſe,nam mundus, vt alliciat bona prius oſtendit,vt in fine amaritudine perpetua momentum ſuauitatis compenſet;ſecus Deus,vt ſuos probet electos, illis amara dat initia, vt æterna repleat fœlicitate. Eleganter hoc totum explicat Eminentiſſimus Hugo Caren. *in Ioann.pag.291.col.3.Omnis namque homo carnalis ponit bonum vinum primò, quia in ſua dilectione primò quamdam falſam dulcedinem ſentit; ſed poſtquam fama deſiderijs mentem inebriauit, tunc, quod deterius eſt propinat, quia ſpina conſcientiæ ſuperueniens grauiter excruciat. Sed ſponſus noſter Chriſtus poſtremò bonum vinum porrigit:dum mentem, quam ſui amoris dulcedine replere diſponit, quadam prius tribulationum compaſſione amaricari ſinit, vt per guſtum amaritudinis auidius bibat ſuauiſſimum poculum charitatis.*Bibamus ergo libenter vinum hoc ſpiritale,vt eius guſtantes dulcedinem,ſpiritu ebrii, fallacem huius ſæculi delectationem fugiamus.

§. IV.

Non opera noſtra, ſed miſericordia Dei nos ſaluat.

1 VT *exhilaret faciem in oleo*. Facies hominis veluti ſpeculum eſt,in quo Cordis apparet ſtatus, & animæ temperies;etenim cum timore,odio,vel ira, ſeu quauis alia paſſione cor feruet, faciei liuor, vel rubor oſtendit: cum verò lætitia, & gaudio exultat,idipſum vultus candor,ac ſerenitas oſtendit. Faciei viri ſpiritualis hilaritas ſecuritatem conſcientiæ,& ſpem beatitudinis firmam demonſtrat;nam mens quæ ſe nullo peccatorum pondere grauatam ſentit,ſperat lætitiam æternam. Sed illud eſt aduertendum,quod licet faciei nitor à corde proueniat, non tamen perfectè fulget, niſi oleo vnctus; quia nimirum opera noſtra per ſe ſola inducere nequeunt lætitiam ſempiternam, niſi oleo diuinæ miſericordiæ aſpergantur, & illuſtrentur:ideo hic dicit; *Vt exhilaret faciem in oleo*: Et ſubdit Cardinalis Hugo. *Ideſt vt nos perducat ad lætitiam æternam, non noſtris meritis,ſed in oleo miſericordiæ ſuæ.Et benè in hoc oleo. Non enim ex operibus iuſtitiæ,quæ fecimus nos,ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, vt dicit Apoſtolus ad Tit.cap.3.*

2 Nihil eſt optabilius infirma, quam recuperare ſanitatem, hæc in victus, & potus obſeruantia præcipuè conſiſtit: ne noxia comedat, aut in potus nimietate mortem ebibat. Nihilominus, ita æger interno æſtuat ardore, vt mente turbatus, nec ſuæ memor ſalutis, in aquarum potum vltro ruat; quòd ſi non facit, ſuæ continentiæ imputare non debet, ſed Medici miſericordiæ, qui ne bibere pro ſuo libito poſſit, & obiurgatione corripit, & aquæ remotione, omnem prohibet occaſionem bibendi. Peccator infirmus eſt, & per pœnitentiam ſanatur; vt autem in poſterum à peccatis abſtineat, non ſibi, vitiatæque naturæ ſuæ, ſed Dei miſericordiæ debet,qui omnem peccandi occaſionem ſubſtollit. Probatur hoc ex Iſraelitarum exitu de Ægypto. Panes azymos comedere ad celebrandum Paſcha debebant, ipſi tamen hoc minimè ſeruaſſent, niſi cogentibus ad exeundum Ægiptiis, tempus fermentandi ſubſtuliſſent: ſic azymi, puri videlicet, & ſinceri de Aegipto huius mundi, & de tenebris peccatorum exire debemus, ſed niſi miſericordia Dei occaſionem nobis adimeret peccandi, puri minimè diſcederemus. Audi quid de illis Scriptura dicat: Exod. *cap. 12.verſ.39 Coxerunt farinam, quamdudum conſperſam de Ægipto tulerant, & fecerunt ſubcinericios panes azymos:*

Digitized by Google

zymos; neque enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram. Quod ad tropologicum reducens ſenſum, ait Rupertus Tuitienſis, *lib.2.cap.19.in Exod.tom.1.pagin.228.colum.1. Eiuſmodi dictio ſæpe dicto conſentit azymorum myſterio; quia videlicet, quod azymi, id eſt ſinceri, de tenebris peccatorum noſtrorum exiuimus, non hoc induſtriæ noſtræ, ſed diuinæ gratiæ debet aſcribi, quæ ſpirituales Ægyptios cum ſuo fermento citius obſiſtere compulit.* Vbi nunc ſuperborum gloriatio de mundi fuga, de virtutum ſequela, de perfectionis incremento? Dei pietas, ne caderemus, ſed proficeremus effecit.

3 Quia Dei veram excellentiam ineffabileſque perfectiones cognoſcere non valemus, nè aliquid de ipſo rerum omnium Conditore ſentiamus indignum, quæcumque in nobis laudabilia videntur, ea infinitate addita Deo tribuimus. Sic Sapientiam, Veritatem, Bonitatem, Iuſtitiam, Prouidentiam, Miſericordiam, Maieſtatem, Liberalitatem, & cętera huiuſmodi in Deo cognoſcimus immenſitate, & æternitate coniuncta. Quæ cum ita ſint admirari debemus, quòd Diuus Paulus Romanos ad ſanctam conuerſationem perducere ſatagens, ipſos per miſericordiam Dei obſecrauerit: dicens, *cap.12.verſ.1. Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Cur ergo per ſolam miſericordiam obſecrauit, qui per tot attributa id facere potuiſſet? omnia enim Deum aliquo modo oſtendunt. Sed ſolius pietatis meminit, qui optimè nouerat, nos nec peccatorum veniam, nec virtutum coronam poſſe ſine Dei miſericordia mereri; quod & in ſeipſo expertus fuerat, nam ex Eccleſiæ perſecutore Apoſtolus factus, id miſericordiæ debebat: vt obſeruauit Diuus Petrus Chriſologus, *ſerm.108.pag.344.colum.2. Nouum genus obſecrationis inducit: quare non per virtutem? quare non per maieſtatem, non per gloriam, ſed per miſericordiam? Quia per ipſam ſolam & Paulus crimen perſequutoris euaſit, & Apoſtolatus tantam adeptus eſt dignitatem; ſicut ipſe teſtatur, dicens: Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum.* Non gloriatur Paulus de ſua conuerſione, nec de ſua dignitate, quam effectum miſericordiæ Dei eſſe ſciebat.

4 Inclitus Iſraelitarum Monarca Dauid, ita virtutibus exornauerat animum, vt magis ſanctitate, quam purpura renitentem, Deus ſua dilectione dignum putaret; & virum eſſe ſuæ voluntati conſonum prædicaret. Hic bello deiecit hoſtes, ſed honeſtate morum vitia ſuperauit: Iuſtitiæ limites, vel in regendis populis, vel in paſſionibus edomandis, numquam tranſgreſſus eſt; Hominibus ita placuit, vt Deo non diſpliceret. Cum tandem inſtante iam morte, & quaſi præ foribus ſenectutis pulſante, æternam à Deo ſalutem poſceret, non tot merita numerauit; ſed quaſi vnus de vulgo, & de hominum mundanorum numero, qui ſenſibus ſeruierint, miſericordiam inuocauit. *Pſalm.108.verſ.26. Adiuua me Domine Deus meus, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.* Et vbi opera, vbi merita, vbi virtutes, vbi orationes, pęnitentiæ, lacrymæ? Aderant vtique, ſed quia hæc ſine gratia Dei informes, & nullius valoris fuiſſent, miſericordiam memorat, quæ gratis exhibita, virtutis actus, ſalutis meritorios reddidit; vt nos non noſtris operibus, ſed Dei pietati, quod viuimus, debeamus. Quod D. Auguſtinus docet, *in Pſalm.108 tom.8.pag.320.colum.2.lit.D. Potuit, & in eis dicere Deo; Adiuua me, & ſaluum me fac: in quibus & Saulo dixit: Quid me perſequeris? Quod autem addidit ſecundum miſericordiam tuā: gratuita gratia ſignificatur, non ex operum debito.* Nam quæcumque noſtra ſalus opus eſt miſericordiæ.

5 Ea eſſe ſolet peccatorum deprecatio, vt ſibi à Deo elongetur vita ad redimendum pœnitentia culpas; neque quid magis formidant, quam ad Dei præſentiam, peccatis haud ſolutis, ſe ſiſtere; Pſaltes tamen, confidenti animo Dei præſentiam expoſcit, dicens, *Pſalm.62.verſ.1. Deus, Deus meus ad te de luce vigilo: ſitiuit in te anima mea*: Quid ais Propheta? Dei præſentiam non erubeſcis, qui iuſtus eſt Iudex, cum à propria conſcientia condemneris? Cur vitam diuturniorem non poſtulas ad eam mundandam? Nequaquam reſpondet ipſe; ad quid mihi vita, ad quid pęnitentia deſeruiet in terra deſerta, & inaquoſa, ſine Dei miſericordia? ergo, *v.4. Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.* Nam ſi tu miſericorditer me reſpicis quodcumque parum præſtauero ad vitam mihi erit: Mandata Dei cuſtodire gratia non adiuuante difficile eſſet; Deus tamen diſtrictè præcipit mandatorum ſuorum obſeruantiam; quia nobiſcum ſimul miſericordia ſua operans, nos in perfectionis fiduciam inducit. Ita D.Bernardus, *ſerm.2.in Vig. Natiuit. Dom pag.10.lit.H. Propterea enim mandauit mandata ſua cuſtodiri nimis, vt videntes imperfectionem noſtram deficere, & non poſſe implere quod debet, fugiamus ad miſericordiam, & dicamus: Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.* Ipſa enim miſericordia nos ſaluat, & ſine illa merita nihil valerent.

6 Pietas diuina eſt, quæ homines ad ſanctitatem eligit, ad gloriam perducit: ſicuti enim teſta in manu figuli eſt, qui ex illa vaſa prout libet efficit, & quam vult materiam eligit, quam non vult reſpuit; ita homines in manu Dei ſunt, vt ex illis eligat, quos vult in ſanctos; Quis enim dicere ei audet, cur ita facis? Hùc reſpexit Pſaltes dum canebat, *Pſalm.134.verſic.6. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Vt ſic oſtenderet, neminem de ſuis meritis præſumere poſſe, cum ipſa gratia, & gloria omnino Dei miſericordiam parentem agnoſcant; cum per eam Dominus quæcumque vult operatur, quoſcumque vult eligit, & ſuos facit; dicente D.Fulgentio, *lib.2.cap.2.de remiſſ. peccat.pag.660 colum.2. Omnia quæcumque voluit fecit, quoſcumque voluit ad ſe gratuita iuſtificatione conuertit, præueniens ſcilicet ſuperabundantis gratiæ munere, quos poſſet vtique, ſi vellet, iuſtè damnare.* Rectè ergo oleo comparatur miſericordia Dei noſtri; ſicut enim illud exhilarat faciem optimo nutrimento, ita Dei miſericordia impinguando animum gratia, ipſum exhilarat ad ſpem æternæ beatitudinis ſubleuando.

§. V.

Miſericordia in pauperes ieiunium acceptabile Deo reddit.

1 VT *exhilaret faciem in oleo.* Miſericordiæ ſymbolum cum ſit oleum, non ſolum diuinam pietatem, ſed etiam humanam in proximos ſignat. Hinc eſt, quod ait Propheta oleum exhilarare faciem, quia ipſam nitidam reddit; quia illorum facies illuſtratur, qui iuſtitiæ opera exercentes, ſed præcipuè ieiunii ad delenda peccata, oleo ſe vngunt, id eſt miſericordiam in pauperes exercent. Nam & hoc præcipiebat Dominus cum dicebat, Matth. *cap.6.verſ.17. Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum.* Tunc enim caput vngimus, cum ieiunium noſtrū miſericordiæ operibus illuſtramus; quare ait Diuus Hieronymus. *Vt exhilaret faciem in oleo: exhilaratur enim oleo miſericordiæ iuſtorum facies coram Deo.*

2 Multis peccatis deturpatus Populus Iudæorum Deum placare ſatagebat; idcirco carnis maceratione aggreſſus ieiunio ſe affligebat, vt voluntatis errores, voluntaria punitione delerent. Cum autem macerabant carnem à cibis abſtinentes, nequaquam pauperum, ac miſerorum memoriam habuerunt. Sed ſperantes à Deo miſericordiam minimè impetrauere;

Digitized by Google

trauere;& rationem dedit Omnipotens per os Prophætarum ſuorum dicens, *Iſai. capit.58. verſicul.6. Nonne hoc magis eſt ieiunium, quod elegi? Frange eſurienti panem tuum*. Sicut namque facies non illuſtratur, niſi oleo vngatur, ita ieiunium Deo acceptabile non eſt, quod eleemoſina non illuſtrat: teſtante Magno Gregorio, *Homil 16. in Euangel. tom.3. pagin. 38. litt.D. Illud ergo ieiunium Dominus approbat, quod ad eius oculos manus eleemoſynarum leuat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo, quod tibi ſubtrahis, alteri largire, vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur*. Ieiunium Deo acceptabile fit, quando ea quæ noſtro ventri detrahimus ad pauperum ſaturitatem erogamus.

3 Frequenter aduertimus inſanũ, infructuoſum, imò & deridendum, hominum ieiunium, qui cum vel diuinis legibus adſtricti, vel pro expiandis culpis ab Animarum Medicis ad ieiunium impulſi, à cibis abſtinere iubentur; ieiunant quidẽ à vetitis abſtinentes eſcis, ſed eaſdẽ eſcas, quas tunc edere nequeunt, reponunt, & altera die, imò vix noctis medietate elapſa, ſe crapulæ vltro tradunt, vt nox epulis, ebrietatique tradita diei abſtinentiã reparet, Turcarum vtique more, qui cum tota die ieiunent, noctem totam commeſſationibus donant. Hoc autem ieiunium ridiculum eſt, nec Domino ieiunatur, ſed ſibi; ieiunium equidem nihil animæ profuturum. In lege veteri præceperat Deus quinto, & ſeptimo menſe ieiunãdum; cumque conſuleret Dominum Zaccharias Propheta, nũ ſibi flendum, & ieiunãdum eſſet quinto menſe; Hæc Dominus populo prædicanda retulit, *c.7.v.6. Cum ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & ſeptimo, per hos ſeptuaginta annos; numquid ieiunium ieiunaſtis mihi*? Cũ ergo ieiunauerunt? ſibi; nam ieiunij die tranſacto ſumptuosè epulabantur; & cibum vna dies conſumebat, quæ duob. ſatis eſſet: Non hoc ieiuniũ amat Dominus, ſed illud quo vngitur oleo facies, ideſt, cum ea, quæ nos non edimus, pauperibus damus; & noſtra ſobrietas fit pereuntiũ fame ſubſidium. Ita citatus Gregorius. *Sibi quiſq; ieiunat, ſi ea, quæ ad tempus ſibi ſubtrahit, nõ pauperibus tribuit, ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodit*. Heu nos miſeri, ad quos Iudæorum vitia tranſierunt; nomen ieiunantium habemus, ſed ieiunia noſtra crapulis ipſis deteriora cenſentur.

4 Multa ſunt præmio digna opera; multæ virtutum exercitationes, quæ pro Dei amore exercita, nos meritis cumulare poſſunt; & è contra infinita ferè ſunt vitia, quæ nos æternæ mortis gladio ſubiicere poſſunt. Nihilominus æternus Iudex cum rigoroſum examen de noſtris operibus habebit, ſolum de operibus miſericordiæ interrogabit: vt habetur Matthei *cap.25. verſic.35. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c.* Cur igitur ex omnibus operibus, ſola miſericordiæ vel impenſa, vel negata, digna, vel præmio, vel punitione cenſentur? quia ad Sanctorum facies illuſtrandas oleum miſericordiæ requiritur. Maximum ieiunium Virginitas eſt, qua abſtinetur à voluptuoſis carnis illecebris; & nomine Virginum in hoc eodem Matthei loco, omnes pœnitentes ſignificantur: ſed quæro; omnes pœnitentes finalem ſortientur benedictionẽ? minimè id quidem, ſed illi tantummodo qui pœnitentes, & præ ieiunio macie confectas facies oleo miſericordiæ perunxerunt Lege Scripturam, *verſicul 1. Tunc ſimile erit Regnum Cęlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ, &c. verſicul.3. Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis, &c.* Illæ ergo Virgines ad nuptias ingrediũtur, quæ oleum deferunt; illi pœnitentes ad æternam gloriã admittuntur, qui miſericordiæ in pauperes oleum habẽt nam, & hoc oleum ſignificare D. docet Chriſoſtomus, *Hom.79. in Matth. to 2. col.543. lit. B. Oleum verò benignitatem, miſericordiam, eleemoſynam, impenſum indigentibus auxilium appellat*. Qui ergo cęleſtes inter ciues adſcribi exoptat, oleum ſecum deferat miſericordiæ.

Ian. de Mata.

5 Cum in Dei miniſterio aliquid conſecratur, & ſanctificatur, hoc nonniſi oleo expletur. Tam enim in veteri, quam in nouo teſtamento, Sacerdotum, Regum, Altarium conſecratio, olei vnctione perficitur; vt legitur de Saule, Dauid, Aarone, Salomone, &c. Nos ergo cum ieiunamus, Deo noſtram abſtinentiam conſecrare debemus, vt ſacrum ſit, quod in Dei honorem offertur. Ne igitur diuina indignum maieſtate ieiunium eſſet, ſanctificandum Ioel prædicabat, *capit.2. verſicul.14 Sanctificate ieiunium*: Quomodo ergo ſanctificandum ieiunium? vt reliqua conſecrantur, oleo videlicet miſericordiæ, vt facies ieiunantium miſericordiæ operibus illuſtretur. De hac ſãctificatione Diuus Gregorius inquit, *Ieiunium ſanctificare eſt, adiunctis bonis alijs, dignam Deo abſtinentiam carnis oſtendere*: Cui etiam Cardinalis Hugo aſſentitur, *in capit. 1. Ioel, pagin.179. columu.4.* dicens. *Sanctificate ieiunium: orationibus, eleemoſynis, & bonis operibus exornate*. Exhilarat ergo faciem ieiunantis in pauperes pietas erogata.

§. VI.

Quidquid ad Dei, Sanctorumque honorem fit, hilariter faciendum.

1 VT *exhilaret faciem in oleo*. Oleum hilaritatem ſignificare, ex iam dictis colligitur, nam comeſtum impinguat, & vnctione illuſtrat: Facies porrò vel illuſtris, vel pinguis hilaris, & læti cordis eſt indicium. Hac ergo de cauſa pęnitentes viros, qui euangelica ſectantur inſtituta vngere facies ſuas iuſſum eſt; vt in Chriſti ſeruitute occupati, dum vitam ſuam in Dei obſequium impendunt hilaritatis habeant oleum. libenter, & cum gaudio ſeruiant: ſola enim mancipia, quæ nullam conſequi retributionem ſperant inuita, & triſti ſeruitute marceſcunt; ſed nos Chriſti gratia liberos, & voluntariè iugum portantes Domini, lætos eſſe oportet; vt Deo accepti ſimus qui lætos, & voluntarios diligit ſeruos, Apoſtolo prædicante: *Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus*. Vt ergo oleum habeamus lætitiæ, dicitur hic: *Vt exhilaret faciem in oleo*: Vt Diuus Iſidorus Hiſpalenſis Philoſophatur, *in Leuitici capit.5. pagin.466. columm.1. litt.E.* ex ſacrificijs veteris legis argumentum deducens, in quibus oleum offerebatur; ſic ergo inquit ille. *Quod verè in ſacrificio oleum offerebatur, ſignificat, vt quidquid ad cultum Chriſti, & deuotionem Sanctorum impendimus, totum cum hilaritate faciamus: nihil, vt ait Apoſtolus ex triſtitia, aut neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Oleum enim hilaritatem ſignificat, ſicut ſcriptum eſt. Vt exhilaret faciem in oleo*.

2 Non otiosè Pſalmus, cum de pane iam dixiſſet; *Vt educas panem de terra*; denuò replicat, *Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet*: Hæc enim duo panis, & oleum iungenda ſunt: per panem namque labor, & ſeruitus, & ſacrificium Deo oblatum ſignantur: multa enim pro pane lucrando, qui neceſſarius eſt ad vitam, ſeruitutis opera exercentur; & ipſum ſacrificium, quod Deo offertur, datur in ſignum ſeruitutis, quæ ipſi debetur, quia nos produxit, & paſcit. Quia verò hæc ſeruitus hilaris eſſe debet coniungitur oleum cum pane, hilaritas cum ſeruitute. Hoc ex ſacris litteris deducit Abbas Rupertus; nam in Hebręorum ſacrificijs non offerebatur ſine oleo panis, vt habetur in Leuitico, *capit. 7. verſicul.12. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma vncta oleo, & coctam ſimilam, & collyridas olei admixtione conſperſas*. Quas oblationes expendens Rupertus, ait, *lib.1. capit.35. in Leuitic. tom.1. pagin. 307. columm.2. Laganum panis in aqua coctus, & poſtea*

in oleo frixus, collyrida panis quadrus itidem cum oleo frixus. Et rectè panis offerendus oleo conſpergitur, per quod lætitia charitatis intelligitur; quia videlicet hilarem datorem diligit Deus. Cum gaudio, & lætitia Deo ſeruiendum, vt cum pane oleum iungamus.

3 Acceptiſſimum ſacrificium Deo eſt, Laus, & gratiarum actio; nam & Dominus ipſe per Prophetam dicebat; *Sacrificium laudis honorificabit me*: & alibi hortatur Regius Vates. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua.* Deus enim, qui intellectualis eſt, & cognitione rationali præpollet, magis delectatur de hominum laude, ac pro acceptis beneficijs gratiarum actione, quam Animalium occiſione; & deuoti cordis obſequium cuicumque ſeruitutis operationi præponit. Vt verò hoc laudis ſacrificium Deo ſit acceptum, non ſine oleo offerendum, ideſt cum hilaritate exhibendum: quod docere videtur Pſalmographus, dum ſuadet, *Pſal. 99. verſicul. 1. Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia.* Quæ ſit iſta iubilatio, ex Pſalmi titulo colligitur; qui talis eſt. *Pſalmus in confeſſione*: portò duplex eſt confeſſio laudis, & accuſationis, vt ibidem notat Incognitus; quia verò hæc laus, & iubilatio hilariter Deo offerri debet, adiungit: *Seruite Domino in lætitia*; vt bene idem Incognitus probat, *in Pſalter. in verſicul. 1696. Iubilate Deo omnis terra, ideſt omnes habitantes in terra: ſed quia perfecta laus Dei, vel exultatio de Deo non ſolum ſtat in corde, vel in voce, ſed multo fortius in bona operatione, ideo ſubdit: ſeruite Domino in lætitia: ideſt; Iubilate, Deoque gratias agite, non coactè, & neceſſitate, ſed charitate; qua liberati eſtis per Chriſtum. Et ideo ſeruite in lætitia, non murmurantes, vt Iudæi in deſerto. Hæc ſeruitus non eſt amaritudinis, & indignationis, ſed felicitatis, & libertatis.* Si ergo liberi ſumus, libera ſeruitute obſequamur Deo, hilariter ipſi ſacrificia laudis, & gratiarum actionis perpetuò offerentes.

§. VII.

Oleum peccatoris eſt falſa laus Adulatoris.

1 VT *exhilaret faciem in oleo.* Quia ſecundum Philoſophum contrariorum eadem eſt diſciplina, ſequitur vt oleum non ſolum veram miſericordiam, ſed etiam fictam ſignificans, nobis adulationis naturam conſiderandi præbeat occaſionem. Oleum igitur, vel eſt iuſti viri, vel peccatoris; iuſti quidem miſericordia eſt, peccatoris autem adulatio, quæ ſpeciem habet miſericordiæ, ſed ſæuitia eſt; quare vt ait Plutarchus, *Animal maximè noxium eſt, inter immitia Tyrannus, inter mitia Adulator.* Et Vates Regius Oleum peccatoris reſpuit, *Pſalm. 140. verſicul. 5.* dicens: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Oleo illuſtratur facies, ſic adulatio dum fictas exhibet laudes, videtur quidem hominem illuſtrare, ſed deturpat, nam cum laudes vel ſunt de rebus malis, vel de mendacijs, apud ipſum tantummodo ſplendet, apud alios verò neouaquam: Id benè nouit Incognitus, dum ait. *Vt exhilaret faciem in oleo: eſt oleum Adulationis, de quo Pſalm. 140. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Oleum peccatoris eſt falſa laus Adulatoris, & ſimulata dilectio, quæ mentem à rigore veritatis emollit ad noxia. Inde eſt, quod cum homines falſa laude aliquem irriſerint, dicunt; Vnxi caput illius.*

2 Cum proprium ſit olei emollire ad corruptionem viam parat; & ſpecie quidem leniendi corrumpit: Haud ſecus adulatio ſermones habet lenes, & quaſi oleo delinitos, quia toti in proximi laudibus effunduntur; Attamen, quia laudes illæ fictæ ſunt, non leniunt, feriunt; nam laudati homines veras illas laudes putantes, cum ſe virtutibus claros exiſtimant, vitia cauere negligunt, & apud ſemetipſos optimi cum videantur, quam malè apud bonos audiant, non cognoſcunt. En quomodo oleum factum eſt iaculum; nam ſub ſpecie honoris, famæ iacturam incurrere facit: de hoc Prophæta: *Pſalm. 54. verſicul. 22. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Hi ſermones molles, & oleati Adulantium verba ſunt, quæ dum emolliunt laudando vulnerant decipiendo. A quibus Diuus Hieronymus declinare Demetriadem docet, *epiſt. ad Demetriad. tom. 9. pagin. 19. litt. A. Adulatores, & inimicos caue, quorum ſermones ſuper oleum molles, & ipſi ſunt iacula, corrumpunt fictis laudibus leues animos, & malè credulis mentibus blandum vulnus infigunt.* Infernalis equidem aſtutia, ad denigrandam famam, famam proponere; & ſub ſpecie laudis vituperationem adducere.

3 Cum lethargico morbo laborat æger, nil tam ſibi noxium quam ſomnus, qui quietis facie mortem inducit. Vt autem mors ipſi præcaueatur, neceſſe eſt eum excitare, & à ſomno deturbare. *Si quis autem non ſolum dormitantem non excuteret, verum etiam ad hoc vt commodius ſoporaretur puluillum adaptaret capiti,* nonne hunc mortis eius cauſam dicemus? Vtique: nam ſi ſopor necat, necis eſt inductor quiſquis ſoporem allectat. Dormit, & mortifero ſoporatur ſomno mundanus homo, dum inter vitia poſitus, Animæ detrimentum non ſentit: hunc conſilijs, ſuaſione, correptione, minis à ſomno ſuo excitare debemus, ne ſoporatus in malis turpitudinem ſuam amet. Et hoc faciunt Prædicatores, Doctores, Prælati, Amici fideles: Adulantes autem, vt citius in æternam incidat mortem, & malè dulci ſomno oppreſſus, ſtatum ſuæ damnationis non videat puluillum addunt; falſas videlicet laudes, quil ulcum vitia laudant vigilantiam impediunt, mortemque accelerant ſempiternam. Hos damnat Ezechiel. *capit. 13. verſicul. 18. Væ, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas.* Animæ enim capiuntur ab adulatoribus, dum vitiorum laudes audiendo, ſe à malis corrigere non ſtudent, & pereunt; vt putat Diuus Gregorius, *lib. 18. capit. 4. moral. pagin. 705. litt. E. Ad hoc quippe puluillus ponitur, vt mollius quieſcatur: quiſquis ergo malè agentibus adulatur, puluillum ſub capite, vel ſub cubito iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea, fultus laudibus quieſcat.* Hęc eſt Magnatum huius ſæculi pernicies; paucos enim, vel potius nullos reprehenſores habent; aſſentatores autem plurimos; hinc eſt quod laudata creſcunt vitia, incuſatæ fugiunt virtutes, iuxta carmen Iuuenalis, *ſatyr. 2.*

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

En cauſa cur ſtultorum infinitus excreſcat numerus, & damnatorum.

4 Sed ne tantummodo Poetam ethnicum veritatis huius habeamus authorem, adeamus ſapientiſſimi officinam, qui ait: *Prouerb. capit. 27. verſicul. 6. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudolenta oſcula odientis:* Inimicus enim, & peximus eſt, qui decipiendo lenit, cum poſſet amando pungere; nam ſi corrigeret ſaluaret, laudando verò perdit. Dum aliquis vel apoſtemate laborat, vel nimio caleſcit ſanguine, Chirurgus vtiliter ſauciat, vt fracto apoſtemate, vel ſecta vena malignus egrediatur humor, & reddat perdito ſanitatem; ſed ſi ſolum leniret partem ægram languorem produceret, & multoties induceret mortem. Veri amici, qui eos corripiendo ſaluent, Principibus deſunt: Pauci ſunt qui cum hebraico Monarcha dicant: *Pſal. 140. verſicul. 5. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*: Plerique enim laudatores cupiunt, nedum rerum benè geſtarum, ſed Luxuriæ, Vanitatis, Crapulę, Iniuſtitiæ, Crudelitatis, Veſaniæ: qui hac labe infecti, hac tabe confecti, æternaliter pereunt. Ingenuè hoc fatetur Minorita Senenſis Diuus Bernardinus, *ſer. Sab. poſt 1. Dom. Quadrag. Art. 2. capit. 3. tom. 2. pagin. 103. column. 2. Melius eſt cum ſe-*

ueritate

Digitized by Google

veritate diligere, quam cum lenitate decipere. Hoc oleum abhorrebat Rex ſanctiſſimus David, cum dicebat: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum: ſimili labe corrumpuntur omnes Principes mundi, vt de genere dominantium reperiantur raro qui propter inſuetudinem audire ſuſtineant veritatem.

5 Rationem inquirebat a Domino Pſaltes, cur receſſiſſet a potentibus, nec in neceſſitatibus ferret auxilium: *Pſal. 9. ver. 22. Vt quid domine receſſiſti longe deſpicis in opportunitatibus in tribulatione?* Quaſi diceret: Cur potentibus vitiis irretitis ad ſurgendum non das auxilium, nec in tempore tribulationis extremæ ab æterna morte eos liberas? quæ cauſa eſt obſtinationis, & perditionis eorum? Et reſpondet Propheta ex Dei nomine: *ver. 24. Quoniam laudatur peccator in deſiderys animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*. Videlicet: Quomodo Principes, & Potentes a ſua peſsima conuerſatione conuerti poterint, ſi numquam intelligunt veritatem? Ille ſpernere vitia, & virtutes amare poteſt, qui vitia mala, virtutes bonas agnoſcit: Verum hac cognitione Magnates carent, quibus domeſtici adulantes malum pro bono, pro virtute vitium laudant, plaudentes peccatis, & maledicentes virtutibus: Hanc cauſam ex propheta loc. cit. Bernardinus aſſignat, dicens. *Solent enim Principibus magis Domeſtici frequentius adulari, virtutem conuertentes in vitium, & e contra: ab his, iuxta illud Pſalmi, laudatur peccator in deſiderys animæ ſuæ, & iniquus benedicitur; lingua adulantium alligant animas in peccatis*. Quis negabit pernicioſiores eſſe Potentibus Aſſentatorum linguæ, quam gladii inimicorum? Quandoquidem Hoſtium timor militarem virtutem excitat, ſed blandientium oleum ſomnum vitiorum conciliat.

6 Non immerito adulatorius ſermo Roſæ comparauerim: Roſa enim flos eſt longè, lateque odorem ſuum diffundens, ac blandus ad tactum, oculos, mentemque ad ſe conuertens: Cum hoc tamen ſtipitem habet pungentibus ſeptum ſpinis; quiſquis ergo ſpecie allectus, ſuauitate attractus, recreatus odore, ad eum florem tangendum adhibet dexteram, punctionibus vulneratam retrahet. Haud ſecus adulatores linguam blandientem, & laudibus odoratam exhibent, ſed ramos ſpinoſos, quibus animam vitiis ſauciant habent. Miniſtros Antichriſti deſcribens patientiſſimus eos oſſibus æreis comparat: *Iob. cap. 40. ver. 13. Oſſa eius fiſtulæ æris*: eos vero miniſtros intelligit, qui docendo, & prædicando dulcibus, ac ſuaſoriis verbis ad eius ſequelam populos adducent; ſicut enim oſſa continent carnes, ita iſti continebunt gentes in eius fide; oſſa tamen ærea perhibentur eſſe, quia more Roſarum, ſub verborum dulcedine, & lenitate, ſpinas vitiorum, & peccatorum, erroneam doctrinam docendo, abſcondent, vt quos dictis ſuauibus demulxerunt, æterna feriant damnatione: Hæc philoſophatur Diuus Gregorius Romanus *libr. 32. cap. 14. moral. pag. 1052. lit. C. In corpore oſſa ſunt, quæ continent membra &c. Quid itaque hi niſi Antichriſti membra ſunt, qui dum malos continendo multiplicant, in eius corpore carnes ponunt? Hi nonnumquam in decipiendis auditoribus exhibent linguæ dulcedines; quia & ſpinæ proferunt flores: & apparet quidem in eis quod oleat; ſed latet quod pungat*. Figura expreſſa Adulatoris, qui dulci ſermone demulcens, peſsima ſauciat fama; & eos quos blandientes decipiunt ſocios pœnarum ſortiuntur.

7 Initium omnium malorum ſuperbia eſt; nec aliam habet eſcam valentiorem ad ignem nutriendum æternum, quam propriæ excellentiæ famam. Hunc ignem Adulatores ſuccendunt, dum laudis ambitioſum animum etiam fictis extollunt encomiis, vt tota virtutis machina deſtruatur. Oliuæ ſpecioſæ pulchritudini comparauit Propheta populum Iſraeliticum; ſed eumdem ad adulantium vocem igne ſuccenſum deplorat: *Ierem. cap. 11. ver. 16. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius*: Arbor oliua ſpecioſior, & fœcundior non reperitur, quæ viriditatem ſuam ſemper conſeruat; ſed & hoc habet, quod ad ignem concipiendum aptiſſima ſit, nam rami eius etiam virentes ardent, & eius fructus oleo grauidi flammæ eſcam adminiſtrant. Vir humanæ laudis cupidus in virtutum actibus ſeſe exercens oliua eſt ſpecioſa, exemplo, ac doctrina in Dei Eccleſia refulgens; ſed cum facilè ſuperbiæ ignem concipiat ipſa virtus in humilitate minimè radicata, ad vocem loquelæ grandis, Adulatorum accedentibus laudibus, ſuccenditur ignis iniquus; & comburuntur fruteta, bona opera corrumpuntur: ita citatus Gregorius *Hom. 21. in Ezech. tom. 2. pag. 1383. lit. E. Vox enim loquelæ grandis eſt fauor Adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis, grandis exarſit ignis in ea, quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis*. Peſsimum oleum vtique quod Infernalis ignis flammam accendit.

8 In dubio vertitur quiſnam maior, & deterior Hominis inimicus, qui publicè impugnat, vel qui in ſecreto detrahit; vterque cauendus, ſed propter difficultatem cautionis ſecretò detrahens pernicioſior videtur. Vtroque tamen fraudolentior eſt adulator, & deterior; qui nec publicè impugnat, nec ſecretò inſidiatur, ſed falſa decipit amicitia, dum blandè loquens crudeliter ſauciat, & incognito morſu conſumit. Hos vulpecularum nomine ſignificauit ſapiens, dicens: *Cantic. cap. 2. ver. 15. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit*: Tunc eſt vulpecularum periculum cum floruerit vinea; nam cum aliquid in nobis rectè geſtum aduertimus, tunc adulatoribus occaſio porrigitur ad decipiendum, ſub vera videlicet laude multas fallacias abſcondendo. Idcirco eas capere monet ſpiritus ſanctus, ne vana laude ſuperbientes fructus, floreſque vineæ noſtræ perdamus: Quod concilium ſuadet D. Bernardus *ſer. 63. in Cantic. pag. 189. lit. H. Sapiens erit ſollicitus ſeruare vineam ſuam non minus, quam excolere; nec ſinet eam curare a vulpibus. Peſſima vulpes occultus detractor, ſed non minor nequam adulator blandus*. Securius enim vulnerat, qui amicitiæ ſpecies tutus accedit.

9 Peſti prophetarum quidam adulationem comparauit, dum ſermonem aſſentatorum cathedram dixit peſtilentiæ: *Pſal. 1. ver. 1. Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit*: vbi in hebraico textu loco peſtilentiæ poſitum eſt לצים ideſt *Deridentium, ſeu illudentium*; nam adulatores fictis blanditiis illudunt; & rectè etiam peſtilentia, dicuntur: In Peſte enim, quæ ex aeris corruptione procedit ipſa reſpiratione, qua ad vitam attrahimus auram, virus ſugimus mortis; & idcirco peſtilentiæ morbus ægre cauetur, niſi fugiendo, cùm ipſo halitu inficiat: ita pariformiter Adulatio ſermone mellito, quo auram plauſus communicat, virus doctrinæ lethalis diffundit: ſecundum Chriſologi ſententiam *ſerm. 44. in Pſal. 1. pag. 287. col. 1. Impietatem probat, qui facit, amat, non poteſt non docere: hinc eſt, quod docens impietatem peſtilentiæ reſidet in Cathedra; & ſermone mellito virus doctrinæ lethalis audientibus ſic diffundit*. Peſsimum oleum peccatoris eſt ficta laus Adulatoris.

§. VIII.

Chriſtus Electorum pabulum.

1 ET *panis cor hominis confirmet*: Cunctis Animalib. eſcam prouidens Deus, cuicumq; ſecundũ propriã

Digitized by Google

in oleo frixus, collyrida panis quadrus itidem cum oleo frixus. Et rectè panis offerendus oleo conſpergitur, per quod lætitia charitatis intelligitur; quia videlicet hilarem datorem diligit Deus. Cum gaudio, & lætitia Deo ſeruiendum, vt cum pane oleum iungamus.

3 Acceptiſſimum ſacrificium Deo eſt, Laus, & gratiarum actio; nam & Dominus ipſe per Prophetam dicebat; *Sacrificium laudis honorificabit me*: & alibi hortatur Regius Vates. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua.* Deus enim, qui intellectualis eſt, & cognitione rationali præpollet, magis delectatur de hominum laude, ac pro acceptis beneficijs gratiarum actione, quam Animalium occiſione; & deuoti cordis obſequium cuicumque ſeruitutis operationi præponit. Vt verò hoc laudis ſacrificium Deo ſit acceptum, non ſine oleo offerendum, ideſt cum hilaritate exhibendum: quod docere videtur Pſalmographus, dum ſuadet, *Pſal. 99. verſicul. 1. Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia.* Quæ ſit iſta iubilatio, ex Pſalmi titulo colligitur; qui talis eſt. *Pſalmus in confeſſione*: porrò duplex eſt confeſſio laudis, & accuſationis, vt ibidem notat Incognitus; quia verò hæc laus, & iubilatio hilariter Deo offerri debet, adiungit: *Seruite Domino in lætitia*; vt benè idem Incognitus probat, *in Pſalter. in verſicul. 1696. Iubilate Deo omnis terra, ideſt omnes habitantes in terra: ſed quia perfecta laus Dei, vel exultatio de Deo non ſolum ſtat in corde, vel in voce, ſed multò fortius in bona operatione, ideo ſubdit: ſeruite Domino in lætitia: ideſt; Iubilate, Deoque gratias agite, non coactè, & neceſſitate, ſed charitate; qua liberati eſtis per Chriſtum. Et ideo ſeruite in lætitia, non murmurantes, vt Iudæi in deſerto. Hæc ſeruitus non eſt amaritudinis, & indignationis, ſed felicitatis, & libertatis.* Si ergo liberi ſumus, libera ſeruitute obſequamur Deo, hilariter ipſi ſacrificia laudis, & gratiarum actionis perpetuò offerentes.

§. VII.

Oleum peccatoris eſt falſa laus Adulatoris.

1 VT *exhilaret faciem in oleo.* Quia ſecundum Philoſophum contrariorum eadem eſt diſciplina, ſequitur vt oleum non ſolum veram miſericordiam, ſed etiam fictam ſignificans, nobis adulationis naturam conſiderandi præbeat occaſionem. Oleum igitur, vel eſt iuſti viri, vel peccatoris; iuſti quidem miſericordia eſt, peccatoris autem adulatio, quæ ſpeciem habet miſericordiæ, ſed ſæuitia eſt; quare vt ait Plutarchus, *Animal maximè noxium eſt, inter immitia Tyrannus, inter mitia Adulator.* Et Vates Regius Oleum peccatoris reſpuit, *Pſalm. 140. verſicul. 5.* dicens: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Oleo illuſtratur facies, ſic adulatio dum fictas exhibet laudes, videtur quidem hominem illuſtrare, ſed deturpat, nam cum laudes vel ſunt de rebus malis, vel de mendacijs, apud ipſum tantummodo ſplendet, apud alios verò neouaquam: Id benè nouit Incognitus, dum ait. *Vt exhilaret faciem in oleo: eſt oleum Adulationis, de quo Pſalm. 140. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Oleum peccatoris eſt falſa laus Adulatoris, & ſimulata dilectio, quæ mentem à rigore veritatis emollit ad noxia. Inde eſt, quod cum homines falſa laude aliquem irriſerint, dicunt; Vnxi caput illius.*

2 Cum proprium ſit olei emollire ad corruptionem viam parat; & ſpecie quidem leniendi corrumpit: Haud ſecus adulatio ſermones habet lenes, & quaſi oleo deliniros, quia toti in proximi laudibus effunduntur; Attamen, quia laudes illæ fictæ ſunt, non leniunt, feriunt; nam laudati homines veras illas laudes putantes, cum ſe virtutibus claros exiſtimant, vitia cauere negligunt, & apud ſemetipſos optimi cum videantur, quam malè apud bonos audiant, non cognoſcunt. En quomodo oleum factum eſt iaculum; nam ſub ſpecie honoris, famæ iacturam incurrere facit: de hoc Prophæta: *Pſalm. 54. verſicul. 22. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Hi ſermones molles, & oleati Adulantium verba ſunt, quæ dum emolliunt laudando vulnerant decipiendo. A quibus Diuus Hieronymus declinare Demetriadem docet, *epiſt. ad Demetriad. tom. 9. pagin. 19. litt. A. Adulatores, & inimicos caue, quorum ſermones ſuper oleum molles, & ipſi ſunt iacula, corrumpunt fictis laudibus leues animos, & malè credulis mentibus blandum vulnus infigunt.* Infernalis equidem aſtutia, ad denigrandam famam, famam proponere; & ſub ſpecie laudis vituperationem adducere.

3 Cum lethargico morbo laborat æger, nil tam ſibi noxium, quam ſomnus, qui quietis facie mortem inducit. Vt autem mors ipſi præcaueatur, neceſſe eſt eum excitare, & à ſomno deturbare. *Si quis autem non ſolum dormitantem non excuteret, verum etiam ad hoc vt commodius ſoporaretur puluillum adaptaret capiti, nonne hunc mortis eius cauſam dicemus? Vtique: nam ſi ſopor necat, necis eſt inductor quiſquis ſoporem allectat.* Dormit, & mortifero ſoporatur ſomno mundanus homo, dum inter vitia poſitus, Animæ detrimentum non ſentit: hunc conſilijs, ſuaſione, correptione, minis à ſomno ſuo excitare debemus, ne ſoporatus in malis turpitudinem ſuam amet. Et hoc faciunt Prædicatores, Doctores, Prælati, Amici fideles: Adulantes autem, vt citius in æternam incidat mortem, & malè dulci ſomno oppreſſus, ſtatum ſuæ damnationis non videat puluillum addunt; falſas videlicet laudes, quia dum vitia laudant vigilantiam impediunt, mortemque accelerant ſempiternam. Hos damnat Ezechiel. *capit. 13. verſicul. 18. Væ, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas.* Animæ enim capiuntur ab adulatoribus, dum vitiorum laudes audiendo, ſe à malis corrigere non ſtudent, & pereunt; vt putat Diuus Gregorius, *lib. 18. capit. 4. moral. pagin. 705. litt. E. Ad hoc quippe puluillus ponitur, vt mollius quieſcatur: quiſquis ergo male agentibus adulatur, puluillum ſub capite, vel ſub cubito iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea, fultus laudibus quieſcat.* Hæc eſt Magnatum huius ſæculi pernicies; paucos enim, vel potius nullos reprehenſores habent; aſſentatores autem plurimos; hinc eſt quod laudata creſcunt vitia, incuſatæ fugiunt virtutes, iuxta carmen Iuuenalis, *ſatyr. 2.*

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

En cauſa cur ſtultorum infinitus excreſcat numerus, & damnatorum.

4 Sed ne tantummodo Poetam ethnicum veritatis huius habeamus authorem, adeamus ſapientiſſimi officinam, qui ait: *Prouerb. capit. 27. verſicul. 6. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudolenta oſcula odientis*: Inimicus enim, & peximus eſt, qui decipiendo lenit, cum poſſet amando pungere; nam ſi corrigeret ſaluaret, laudando verò perdit. Dum aliquis vel apoſtemate laborat, vel nimio caleſcit ſanguine, Chirurgus vtiliter ſauciat, vt fracto apoſtemate, vel ſecta vena malignus egrediatur humor, & reddat perdito ſanitatem; ſed ſi ſolum leniter partem ægram languorem produceret, & multoties induceret mortem. Veri amici, qui eos corripiendo ſaluent, Principibus deſunt: Pauci ſunt qui cum hebraico Monarcha dicant: *Pſal. 110. verſicul. 5. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*: Plerique enim laudatores cupiunt, nedum rerum benè geſtarum, ſed Luxuriæ, Vanitatis, Crapulę, Iniuſtitiæ, Crudelitatis, Veſaniæ: qui hac labe infecti, hac tabe confecti, æternaliter pereunt. Ingenuè hoc fatetur Minorita Senenſis Diuus Bernardinus, *fer. Sab. poſt 1. Dom. Quadrag. Art. 2. capit. 3. tom. 2. pagin. 103. columm. 2. Melius eſt cum ſe-*

ueritate

Digitized by Google

veritate diligere, quam cum lenitate decipere. Hoc oleum abhorrebat Rex ſanctiſſimus David, cum dicebat: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum: ſimili labe corrumpuntur omnes Principes mundi, ut de genere dominantium reperiantur raro qui propter inſuetudinem audire ſuſtineant veritatem.

5 Rationem inquirebat a Domino Pſaltes, cur receſſiſſet a potentibus, nec in neceſſitatibus ferret auxilium: *Pſal.9. ver.22. Vt quid domine receſſiſti longe deſpicis in opportunitatibus in tribulatione?* Quaſi diceret: Cur potentibus vitiis irretitis ad ſurgendum non das auxilium, nec in tempore tribulationis extremæ ab æterna morte eos liberas? quæ cauſa eſt obſtinationis, & perditionis eorum? Et reſpondet Propheta ex Dei nomine: *ver.24. Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Videlicet: Quomodo Principes, & Potentes a ſua peſſima converſatione converti poterint, ſi numquam intelligunt veritatem? Ille ſpernere vitia, & virtutes amare poteſt, qui vitia mala, virtutes bonas agnoſcit: Verum hac cognitione Magnates carent, quibus domeſtici adulantes malum pro bono, pro virtute vitium laudant, plaudentes peccatis, & maledicentes virtutibus: Hanc cauſam ex propheta loc.cit. Bernardinus aſſignat, dicens. *Solent enim Principibus magis Domeſtici frequentius adulari, virtutem convertentes in vitium, & e contra: ab his, iuxta illud Pſalmi, laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur; lingua adulantium alligant animas in peccatis.* Quis negabit pernicioſiores eſſe Potentibus Aſſentatorum linguæ, quam gladii inimicorum? Quandoquidem Hoſtium timor militarem virtutem excitat, ſed blandientium oleum ſomnum vitiorum conciliat.

6 Non immerito adulatorius ſermo Roſæ comparaverim: Roſa enim flos eſt longè, lateque odorem ſuum diffundens, ac blandus ad tactum, oculos, mentemque ad ſe convertens: Cum hoc tamen ſtipitem habet pungentibus ſeptum ſpinis; quiſquis ergo ſpecie allectus, ſuavitate attractus, recreatus odore, ad eum florem tangendum adhibet dexteram, punctionibus vulneratam retrahet. Haud ſecus adulatores linguam blandientem, & laudibus odoratam exhibent, ſed ramos ſpinoſos, quibus animam vitiis ſauciant habent. Miniſtros Antichriſti deſcribens patientiſſimus eos oſſibus æreis comparat: *Iob. cap.40. ver.13. Oſſa eius fiſtulæ æris*: eos vero miniſtros intelligit, qui docendo, & prædicando dulcibus, ac ſuaſoriis verbis ad eius ſequelam populos adducent; ſicut enim oſſa continent carnes, ita iſti continebunt gentes in eius fide; oſſa tamen ærea perhibentur eſſe, quia more Roſarum, ſub verborum dulcedine, & lenitate, ſpinas vitiorum, & peccatorum, erroneam doctrinam docendo, abſcondent, ut quos dictis ſuavibus demulxerunt, æterna feriant damnatione: Hæc philoſophatur Divus Gregorius Romanus *libr.32. cap.14. moral. pag.1052. lit. C. In corpore oſſa ſunt, quæ continent membra &c. Quid itaque hi niſi Antichriſti membra ſunt, qui dum malos continendo multiplicant, in eius corpore carnes ponunt? Hi nonnumquam in decipiendis auditoribus exhibent linguæ dulcedines; quia & ſpinæ proferunt flores: & apparet quidem in eis quod oleat; ſed latet quod pungat.* Figura expreſſa Adulatoris, qui dulci ſermone demulcens, peſſima ſauciat fama; & eos quos blandientes decipiunt ſocios pœnarum ſortiuntur.

7 Initium omnium malorum ſuperbia eſt; nec aliam habet eſcam valentiorem ad ignem nutriendum æternum, quam propriæ excellentiæ famam. Hunc ignem Adulatores ſuccendunt, dum laudis ambitioſum animum etiam fictis extollunt encomiis, ut tota virtutis machina deſtruatur. Olivæ ſpecioſæ pulchritudini comparavit Propheta populum Iſraeliticum; ſed eumdem ad adulantium vocem igne ſuccenſum deplorat: *Ierem. cap.11. ver.16. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius*: Arbor oliva ſpecioſior, & fæcundior non reperitur, quæ viriditatem ſuam ſemper conſervat; ſed & hoc habet, quod ad ignem concipiendum aptiſſima ſit, nam rami eius etiam virentes ardent, & eius fructus oleo gravidi flammæ eſcam adminiſtrant. Vir humanæ laudis cupidus in virtutum actibus ſeſe exercens oliva eſt ſpecioſa, exemplo, ac doctrina in Dei Eccleſia refulgens; ſed cum facilè ſuperbiæ ignem concipiat ipſa virtus in humilitate minimè radicata, ad vocem loquelæ grandis, Adulatorum accedentibus laudibus, ſuccenditur ignis iniquus; & comburuntur fruteta, bona opera corrumpuntur: ita citatus Gregorius *Hom.21. in Ezech. tom.2. pag.1383. lit. E. Vox enim loquelæ grandis eſt favor Adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis, grandis exarſit ignis in ea, quia in magnitudine favoris, flamma in corde accenditur de amore laudis.* Peſſimum oleum utique quod infernalis ignis flammam accendit.

8 In dubio vertitur quiſnam maior, & deterior Hominis inimicus, qui publicè impugnat, vel qui in ſecreto detrahit; uterque cavendus, ſed propter difficultatem cautionis ſecretò detrahens pernicioſior videtur. Utroque tamen fraudolentior eſt adulator, & deterior; qui nec publicè impugnat, nec ſecretò inſidiatur, ſed falſa decipit amicitia, dum blandè loquens crudeliter ſauciat, & incognito morſu conſumit. Hos vulpecularum nomine ſignificavit ſapiens, dicens: *Cantic. cap.2. ver.15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit*: Tunc eſt vulpecularum periculum cum floruerit vinea; nam cum aliquid in nobis rectè geſtum advertimus, tunc adulatoribus occaſio porrigitur ad decipiendum, ſub vera videlicet laude multas fallacias abſcondendo. Idcirco eas capere monet ſpiritus ſanctus, ne vana laude ſuperbientes fructus, floreſque vineæ noſtræ perdamus: Quod concilium ſuadet D. Bernardus *ſer.63. in Cantic. pag.189. lit. H. Sapiens erit ſollicitus ſervare vineam ſuam non minus, quam excolere; nec ſinet eam curare a vulpibus. Peſſima vulpes occultus detractor, ſed non minor nequam adulator blandus.* Securius enim vulnerat, qui amicitiæ ſpecies tutus accedit.

9 Peſti prophetarum quidam adulationem comparavit, dum ſermonem aſſentatorum cathedram dixit peſtilentiæ: *Pſal.1. ver.1. Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit*: ubi in hebraico textu loco peſtilentiæ poſitum eſt לצים ideſt *Deridentium, ſeu illudentium*; nam adulatores fictis blanditiis illudunt; & rectè etiam peſtilentia, dicuntur; In Peſte enim, quæ ex aeris corruptione procedit ipſa reſpiratione, qua ad vitam attrahimus auram, virus ſugimus mortis; & idcirco peſtilentiæ morbus ægre cavetur, niſi fugiendo, cùm ipſo halitu inficiat: ita pariformiter Adulatio ſermone mellito, quo auram plauſus communicat, virus doctrinæ lethalis diffundit: ſecundum Chriſologi ſententiam *ſerm.44. in Pſal.1. pag.287. col.1. Impietatem probat, qui facit, amat, non poteſt non docere: hinc eſt, quòd docens impietatem peſtilentiæ reſidet in Cathedra; & ſermone mellito virus doctrinæ lethalis audientibus ſic diffundit.* Peſſimum oleum peccatoris eſt ficta laus Adulatoris.

§. VIII.

Chriſtus Electorum pabulum.

1 ET *panis cor hominis confirmet*: Cunctis Animalib. eſcam providens Deus, cuicumq; ſecundũ propriã

naturam attribuit pabula, & pauca admodum reperiuntur, quæ multis conueniant. Homini autem, vtpote nobiliori, panem dedit, & vinum; neque ſatis Deo viſum eſt corpus hominis tantummodo cibare voluit, & animæ eſcam præſtantiorem, & diuiniorem præparare; vtpote ſe ipſum, corpus ſuum, ſanguinem ſuum, Diuinitatem ſuam, ſub panis, & vini accidentibus occultando, ad reficiendam animam electorum ſuorum. Neque enim otioſè dixit Propheta: *Panis cor hominis confirmat*, & non *corpus*; vt videlicet ex hoc innoteſceret, hic de Animarum eſca loqui, ac Chriſtum pabulum eſſe Electorum ſuorum; vt colligit Seraphicus Doctor Diuus Bonauentura. *Chriſtus hic dicitur Panis, Vinum, Oleum; Panis, quia confortat; Vinum, quia lætificat; Oleum, quia exhilarat.*

3 Cibus ideo datus eſt, vt Animalis ſubſtantia, quæ per continuas operationes deperditur, reſtauretur; & ille cibus præſtantiſſimus habendus eſt, non qui delectat magis, ſed qui meliorem gignit ſubſtantiam. Quia verò inter terrenas eſcas nulla reperitur, quæ naturam exæquet, perit tandem animal. Voluit tamen Deus ratione præditis viuentibus in immortalitatis eſcam ſeipſum præparare, vt quicumque ex ea manducaret æterna potiretur vita: de qua eſca dicebat: Ioann. *cap. 6. verſicul.* 52. *Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Liquet ergo ſuæ carnis pabulum Chriſtum electis tantummodo præparaſſe: qui ſcilicet, non carnaliter tantum, ſed ſpiritualiter manducaſſent, qui non dentibus frangerent, ſed mente contemplarentur, qui non corpora reficerent, ſed corda lætificarent. Quicumque ergo hoc cibo paſcuntur (niſi accedant indigni) ſperant æternaliter ſe victuros, nihil enim eis Deus negabit in Patria, quibus corpus ſuum credidit in exilio, vt ingenioſè ait Diuus Petrus Chriſologus, *ſerm. 95. pagin. 333. columm. 1. Chriſtiane, qui ſe tibi hic manducandum dedit: quid ſuum tibi denegare poterit in futurum? Et qui tantum tibi viaticum parauit ad vitam, quid in illa tibi manſione perpetuâ non parauit?* Chriſtus ergo electis ſuis factus eſt pabulum æternitatis.

3 Diligens Ouium Paſtor ita gregis ſui pabula prouidet, vt & intra ouile, & extra illud nil ſibi deſit; nam eo in loco iuxta anni tempora tabernacula figit, vbi ſiue per campeſtria vagentur oues, ſiue intra caulas detineantur, optima inueniant paſcua. Hoc de optimo Paſtore ipſe Dominus noſter enarrat, dicens: Ioann. *cap. 10. verſicul. 9. Ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Porrò quod de alijs prædicabat, iam in ſeipſo adimpleuerat; nam vt oues gregis ſui, fidelium ſcilicet animas, vndequaque paſceret carnem aſſumpſit: vt ſic pabulum homines; & ingrediendo, & egrediendo inuenirent. Intus namque hominis intellectus ingreditur cum Dei omnipotentis maieſtatem contemplatur, in qua æternæ beatitudinis eſcam, infinita ſuauitate plenam reperit; extra egreditur cum ſenſus eius Dei opera conſpicit; inter quæ Verbi ſanctiſſimam humanitatem omne delectamentum habentem, offendit; in cuius carne pabulum, pro ſæculi huius conditione ſapidiſſimum habet; quod ex Diuo Auguſtino Petrus Paludanus, *Dom. 1. Aduent. enarr. 6. pagin. 27. column. 1.* teſtatur, *Diuus Auguſtinus exponens illud Ioann. 10. Ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet: dicit. Propterea Deus homo factus eſt, vt totum hominem beatificaret: vt ſiue homo ingrederetur intus per intellectum, ſiue egrederetur extra per ſenſum, in Creatore ſuo paſcua inueniret. Paſcua intus in agnitione Deitatis, paſcua extra in carne Saluatoris.* Vt ſic in vno ſuppoſito Deitatem, & humanitatem fulcienti totus homo beatificaretur.

4 Et hæc præcipua cauſa mortis, & paſſionis Chriſti extitit cauſa; nam licet aliud medium ad mundi ſalutem adhiberi potuerit; noluit tamen ſine morte redemptionem perficere. Hoc autem ideo factum eſt, vt ſe verum pabulum, & verum frumentum electorum oſtenderet: dixerat namque Zacharias, *capit. 9. verſicul. 17. Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum?* Neque poterat niſi moriendo verum frumentum ſe oſtendere: Triticum enim, niſi in terra ſepultum moriatur, non creſcit, mortuum vere multiplicatum fructum affert; ita Chriſtus, vt nobis multiplicatum redderet Carnis ſuæ pabulum, pro nobis mortem ſubire dignatus eſt; vt ex eius morte carnis triticum ſanguine irrotatum in panem creſceret ad cor hominis confirmandum; quod eleganter Diuus Hierny mus approbat, *in cap. 9. Zacchar. tom. 5. pagin. 350. litt. F. Cæterum nos frumentum electorum, ſiue iuuenum intelligimus Dominum Saluatorem; qui loquitur in Euangelio; Niſi granum tritici mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſin autem moriatur maiores fructus affert: De hoc tritico efficitur ille panis, qui de Cælo deſcendit, & qui confirmat cor hominis.* Pabulum ergo electorum ſuorum Chriſtus eſt, qui roborat eos in hac vita gratiam ſubminiſtrans, & perpetua gloria in æternitate ſatiat.

§. IX.

Euchariſtia roborat ad proſequendum bonum, & malum vitandum.

1 ET *panis cor hominis confirmet.* Neceſſitatem alimenti ad duplicem effectum Phyſici arguunt; primus eſt, vt Animal, ſeu quodcumque aliud viuens non moriatur, nam ab igne natiuo humidum radicale, ſibi à natura pabulum congenitum, continuò conſumitur, ad cuius reparationem alimentum deſeruit: Alter effectus eſt, vt viuens ad debitam quantitatem excreſcat; nam in initio paruam conſequutus ſubſtantiam, paulatim ad conuenientem ſiei magnitudinem peruenire debet, & hoc mediante alimento, quod in nouam aliti ſubſtantiam vertitur. Ideo hic de pane dicitur (qui inter omnia alimenta principem habet locum) *Panis cor hominis confirmet*; confirmatur enim cor, tum quia igni in ipſo manenti nouum additur pabulum, & ſic ne pereat ſeruatur; tum etiam, quia ipſum cor nouam acquirens ſubſtantiam, excreſcit. Hæc ad literam; verum tropologicè per cor accipipitur Anima, cuius & in corde ſedes eſt; ipſaque per alimentum ſpirituale, panem inquam, qui corpus eſt Chriſti, hæc duo beneficia percipit, roboratur enim ne ruat in malum, & vt creſcat in bono, ac virtutibus repleatur: vt docet Cardinalis Hugo: *Panis Corporis Chriſti cor hominis confirmat ad malum vitandum, & bonum faciendum.*

2 Hoc docemur à Domino in ipſa oratione, qua orare nos iubet, in qua inter cęteras petitiones, eſt media panis cœleſtis petitio; dicitur namque Matthei, *cap. 6. verſicul. 11. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie:* Neque aliam video cauſam; niſi quia multa ibi petimus, & promittimus, quæ ad profectum ſpiritualem in bono, & ad cauendum malum pertinent: quæ omnia præſtare, ſine Panis ſuperſubſtantialis roboratione non poſſumus. Cum enim dicimus: *ſanctificetur nomen tuum*; noſtram ſanctitatem profitemur, nam ſanctitas noſtra Dei nomen Domini ſanctificat, nam cor iniquum qui Domini ſe iactat, nomen ipſius vituperat; cum ſubiungimus: *Adueniat regnum tuum*, vtique in nobis aduenire poſcimus, nam ipſe ab æternitate iam regnat: porrò in nobis ſine Dei gratia, & operibus noſtris aduenire non poteſt: quod ſequitur difficilius eſt: *Fiat voluntas tua*: eius voluntatem impleri, non vtcumque, ſed *ſicut in Cælo, & in terra*: Deinde peccatorum remiſſionem expoſtulantes,

Digitized by Google

tes, arduum aliquid retribuendum promittimus; quo à prauitate naturæ nil remotius, hoſtibus, & odientibus indulgere: *Dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: deinde remotionem à duplici malo cordis, & corporis duabus petitionibus reliquis petimus; *& ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos à malo*. Hæc ergo omnia, quæ inter petitiones diſtribuuntur, implere, quia difficile eſt, in medio ipſarum, quartò videlicet loco, veluti Sol in medio Planetarum collocatur Euchariſtici panis petitio, vt ab ipſo roborati, & bona proſequi, & mala vitare valeamus. Hoc contemplans Cardinalis Hugo, *loc. cit.* his verbis teſtatum reliquit. *Vnde, cum primò petamus: Fiat voluntas tua: ſtatim ſubiungimus; Panem noſtrum quotidianum, ſiue ſuperſubſtantialem da nobis hodie: quaſi dicamus; vt tuam poſſimus facere voluntatem, confirma corda noſtra pane tui Corporis.*

3 Optimè hoc nouerat Peregrinorum hoſpes Abrahamus, qui omne ſtudium in ipſorum exceptione, & reſtauratione impendebat: inter cætera verò ſemper apponebat eis panem; ſciebat namque panem cordis hominis roboratiuum eſſe; atque etiam animam in figura Panis cœleſtis confortari haud ignorabat, idcirco ſubcinericium panem, & vt plurimum azymum apponebat. Cum ergo quadam die Peregrinorum ſpecie tres Angeli in conualle Mambre ei apparuiſſent, illis etiam ad laxitudinem remouendam, panem propoſuit, dicens, Geneſ. *cap. 18. verſ. 5. Ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum.* Optimè namque callebat ad ſpiritualem etiam roborationem, panem, qui cœleſte ſignabat alimentum, deſeruire potuiſſe; cum iſte panis vitæ, & corpus, & cor, & animam ſimul confirmat; vt ait Diuus Bernardinus Senenſis, *ſerm. 12. de Sanctiſſ. Sacram. art. 1. cap. 4. tom. 4. pagin. 67. columm. 2. Roborat mentem, & quodammodo carnem hoc Sanctiſſimum Sacramentum: mentem vt perſiſtat in bono, carnem ne ruat in malum. Nam per hoc, quod mens coniungitur per gratiam ſacra communione Chriſto, ſpiritualis eius vita roboratur per cibum.* Licet porrò Angeli materiali cibo non indigerent, negandum tamen non eſt, ipſos ex panis cœleſtis memoria dulcedinem quamdam hauſiſſe, quæ ipſos aliquatenus roboraret; in hominum ſeruitute.

4 Indignatus Dominus Iſraeli, vt ſuæ vindictæ acerbitatem oſtenderet, ſe eis panem vitæ negaturum minatur, dicens: Ezechiel. *cap. 4. verſicul. 16. Ego conteram baculum panis in Ieruſalem:* vt ſic diuinis alimoniis deſtitutus, in vitia ruens, æternæ mortis iacturam incurreret. Ita & Principes ſæculares fame enecare conſueuere reos; atque etiam Prælati Eccleſiaſtici ſubditorum culpas ieiunio vindicare ſolent. Porrò inter omnes mortalium eſcas, ſicut nulla panis ſapore, & ſubſtantia æquiualet, ita panis ſubtractus cunctis periculoſior eſt ieiuniis. Ita & in ſpirituali hominis nutritione euenire perſpicuum eſt; Deus cum peccata caſtigat gratiam ſuam ſubtrahit, verum Pane vitæ, qui hominis roborat mentem, priuari, omnium ſuppliciorum acerbiſſimum eſt; ſed quia populi plerumque propriæ conditionis obliri Deum factorem ſuum vilipendunt, & aſpernantur, vt maximum crimen debita ſubſequatur pœna, nomine Ieruſalem Eccleſiam ſuam intelligens illi ſe vitæ panem ablaturum, niſi reſipiſcat, minatur, dicens: *Ego conteram baculum panis in Ieruſalem*; & rationem reddit huius Diuus Hieronymus, *in cap. 4. Ezechiel. tom. 5. pag. 695. litt. A. Baculumque, vel fortitudinem panis comedere non poterunt, qui lacte infantiæ indigent, nec valent accipere ſolidum cibum: nihilque ita creſcentis animum roborat, quomodo facit panis vitæ, de quo ſcriptum eſt; Et panis cor hominis confirmet.* Infirmabitur ſanè, qui talis panis auxilio deſtituitur.

5 Peccatum cum aliud non ſit, quam factum aliquid contra legem, ſequitur, vt is dicatur viuus legi, qui peccator eſt: Lex enim illis viuit, quibus errorum vindicationes, pœnas ſtatutas infligendo, ſentire facit: nam qui legem ſemper obſeruat, nec contra legem facit, legis ſeueritatem haud ſentit, quod autem non ſentitur, an viuat incertum eſt; ergo viuit legi, qui peccat, iuſtus verò Legi mortuus eſt, qui rigorem eius non ſentit. Porrò, vt tam exactè viuamus Deo, vt legem non ſentiamus, & iuſtitiæ viuentes pœnis mortui ſimus, panis cœleſtis efficit: ipſe namque cum nos firmet in bono, & a malo remoueat, mortificat legi, cuius pœnis non ſubiacent à criminibus alieni. Atque id puto docuiſſe Apoſtolum Romanos, dicens: *cap. 7. verſicul. 4. Et vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti.* Quia videlicet comedendo panem cœleſtem, qui Corpus eſt Chriſti, ita firmabantur in bono, vt à peccatis remoti, mortui eſſe legis viderentur; vt philoſophatur Chriſologus, *ſerm. 115. pagin. 350. columm. 2. Quia Lex Reum aſtringit, arctat obnoxium, punit, & interficit criminoſum; qui ergo per Corpus Chriſti ab omni crimine exemptus eſt, & eruditus feliciter moritur legi (cuius pœnis eximitur) vt innocentiæ viuat, & gratiæ.* Panis hic, Panis eſt vitæ, qui ita cor confortat, & roborat, vt viuat æternæ vitæ, & perpetuæ moriatur morti; vt viuat gloriæ, moriatur pœnæ, vt viuat gratiæ, & moriatur vindictæ.

§. X.

Verba Dei Animam nutriunt.

1 ET *panis cor hominis confirmet*: Phraſis eſt hebraica, vt omne quod ſit appelletur Verbum, vt apud ipſos confundantur iſta duo nomina Res, & Verbum: quare vt dicant poſt has res, dicunt, poſt hæc verba; vt legenti ſacras paginas ſæpius occurret. mirum ergo non eſt ſi dicamus verba Dei panem eſſe, & confortare cor; ſicut enim panis corpus hominis roborat, ita Verba Dei Animam nutriunt. Nonne Paſtores, qui Ieſum quærebant, in Bethlehèm, ideſt in domum panis iuerunt? & quid ibi niſi Verbum inuenire cupiebant? Dicebant namque, Luc. *cap. 2. verſicul. 15. Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus hoc Verbum* (ideſt hanc rem) *quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis*: Quòd ſi in domo Panis verba Dei collocantur, profecto dicendum eſt etiam verba Dei panem eſſe, hominemque reficere. Quam ſpeculationem à Diuo Bernardo accepimus, dicente: *ſermon. 6. in Vigil. Natiuit. pagin. 13. litt. I. Nunc verò redeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. Domus panis eſt, bonum eſt nos illic eſſe; vbi enim fuerit verbum Domini non deeſt vtique panis, qui confirmet cor, dicente Propheta: Confirma me in verbis tuis.* Non ſolus Panis cor fulcit, ſed & verba Dei; ſed & ipſi diuini ſermones panis ſunt cor hominis corroborantes.

2 Cum aliquis ex nimia laxitudine, vel ex ieiunio, vel alio quopiam labore defatigatus, ineptus ad operandum, & ad loquendum reperitur; panem quærit, illoque, vino etiam, ſi opus fuerit, adhibito, cibatus ſtatim vires reſumit, & fortis euadens, non ſolum ſtat, ſed ambulat, ſaltat, loquitur, canit. Anima etiam multoties laxatur nimia, vel penuria verbi Dei, vel peccatorum licentia; cum verò verba Dei audit, ſtatim in Dei ſeruitio confirmatur, & diuinas canit laudes diuino cibo repletus, & lætitia exultans: Quod & Dauid teſtatur, *Pſalm. 118. verſicul. 171.* inquiens: *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iuſtificationes tuas.* Audiendo enim Dei doctrinam, & ſermones Dei docentis ſuas iuſtificationes, ita cor firmatur, vt qui antea infirmus erat, modò dulciter moduletur; nam verba Dei panis animæ ſunt, ipſam confortantes; neque panis communis, ſed cœleſtis, ha-

Digitized by Google

bens omnem ſuauitatem, & epulas optimas ſubminiſtrans. Hanc doctrinam tradit Diuus Ambroſius, *ſer. 22. in Pſ. 118. tom. 2. pag. 507. lit. F.* recitatam prophætæ ſententiam diſcutiens, his verbis. *Dauid ante eructauit verbum bonum, nunc eructat hymnum. Bonum enim panem guſtauit, qui de Cœlo deſcendit. Bonum panem, quem ſi quis manducauerit non morietur in æternum. Habet verbum Dei epulas ſuas, alias fortiores, vt lex, & Euangelium, alias ſuauiores, vt ſunt Pſalmi.* Vires canendi habebat optimas, qui tam ſuauiter in Dei verbi epulis ſaturatus, cor confirmatum habebat.

3 Quod ſi panis in corpore omnium operationum vitalium, ac nutritionis, & augmentationis eſt cauſa; nam ſi cor cogitat, os loquitur, videt oculus, palpat manus, membra mouentur, & aures audiunt, panis eſt, qui ſe vel in ſanguinem ad vitam, vel in neruos ad motum, vel in cœterarum ſubſtantiam partium transfert, & mutat; eſt ergo panis, & cibus vitæ, & operationis fundamentum. Hoc quoque in Dei ſermone minimè deſideratur; verba enim Dei ſic nutriunt animam, vt omnium virtutum ſint principium, & fundamentum, ſi ſuſtinet fortitudo, ſi regulat prudentia, ſi pugnat caſtitas, ſi temperantia purgat, ſi fides creſcit, ſi charitas amat, ſi miſericordia iuuat, ſi renouat pœnitentia, nonniſi a Verbi diuini cibo vitam capiunt, & incrementum. Atque hæc fuit Ieremiæ comeſtio, cum ad virtutum exercitia roborari, & nutriri deſiderabat; vnde ait, *cap. 15. verſicul. 16. Inuenti ſunt in terra ſermonis tui, & comedi eos:* Nam cum Dei ſermo Animæ ſit cibus, id præſtat cordi ad operationem virtutum, quod panis ad corporis ſenſationem; Ita Diuus Hieronymus, *in cap. 15. Ierem. tom. 4. pag. 345. litt. G. Inuenti ſunt ſermones tui, quos meo ore loquebaris: & comedi eos: hoc eſt in cibum mihi verſi ſunt.* Cui etiam adſtipulatur Doctiſſimus Ghislerius, *tom. 1. in cap. 15. Ierem. pagin. 377. columm. 2. Inuenti itaque cum dicuntur ſermones Dei, haud dubium, quod à viris probis inuenti ſunt; à quibus ingenti ſtudio; & ſedulitate quæruntur, dignique cenſentur, qui omni quærantur conatu, quos nimirum, & ſemen reputant virtutum omnium.* Nam vice ſeminis cibus aggenerationem ſubſtantiæ, quæ in nutritione fit cauſat, & in productione virtutum ſemen eſt Verbum Dei.

4 Licet in multis ſermo Dei pani materiali hominis aſſimiletur, ea omnia menti, quæ panis corpori, ſubminiſtrans; nihilominus habet aliquid amplius, quod cęleſti tantummodo pani, Corpori videlicet Chriſti, conuenit; videlicet quod non confirmat ſolum corpus, vt terreus panis, ſed cor, & corpus, mentem, & ſenſum: quapropter qui Dei veſcitur verbis, terreno, & corporali cibo opus non habet. Non ergo ſtupeamus, cur ipſe Dominus, Moyſes, Elias, quadragenarium ieiunium ſine vllo cibo corporali peregiſſe, nam pane terreno non egebant, qui pane ſuauiſſimo Diuini colloquii fruebantur. Inſipiens ex his oſtenditur Diabolus, qui Chriſtum ieiunantem, & deinde exurientem videns, illum ad panis creationem excitauit, dicens, *Luc. cap. 4. ver 3. Dic lapidi huic vt panis fiat:* Sed rectè eius inſipientiam damnauit Dominus, reſpondens, *verſicul. 4. Scriptum eſt, quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.* Non eſt neceſſe vt miraculosè ſubueniat panis, quem Dei Verbum ſuſtentat, non indiget cibo materiali, qui ſpiritualiter ſatiatur: Talis cibus Dei ſermo eſt, vt animam fœcundet, & corpus nutriat; ieiunii rigorem non ſentit, qui verba cęleſtia contemplatur: Ita ſentit Diuus Ambroſius, *lib. 4. in capit. 4. Luc. tom. 3. pagin. 46. litt. C. Non enim, quaſi Deus, vtitur poteſtate: (quid enim mihi prodcrat?) ſed quaſi homo commune ſibi accerſcit auxilium, vt diuinæ pabulo lectioni intentus, famem corporis negligat, alimentum Verbi cęleſtis acquirat; Huic intentus Moyſes panem non deſiderauit. Huic intentus Elias famem prolixioris non ſenſit ieiunii. Non enim poteſt, qui verbum ſequitur, panem deſiderare terrenum.* Audite hoc delicatiores mortales, qui infirmæ complexionis prætextu ieiunia detrectatis; ſi verba Dei libenter audiretis, ſi Diuino frui optaretis colloquio, haud ſanè famis inædiam cognoſceretis ſed ideo fameſcitis, ideo inædia conſumamini, quia verus cibus, cœleſte alimentum, Verbum Dei vobis deeſt. Sed tandem reuocate pedem, & hoc quærite, quod vos impinguat alimentum.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Quintuſdecimus.

Vinum eſt ſummè poſt Chriſtum cor lætificans; eius Aluus crater tornatilis vino diuinæ Sapientiæ plenus.

PRouidentia omnipotentis Dei, vt hominem vndequaque cęleſtibus gratijs locupletaret, quæcumque, & quæ ad corpus, & quæ ad animam ei opus eſſe poterant, abundè largitus eſt; Panem, & vinum corpori dedit, corpus ſuum, & ſanguinem Animæ, & inſuper gratiam, & gloriam. Inter verò omnia dona, quæ humanæ naturæ dedit, nullum præſtantius Beata Virgine eſt; quæ veluti cœleſte Man in omnia vertitur, quæcumque deſideramus. Quandoquidem & in Conuiuio cœleſti ipſa Architriclinus, Pincerna ipſa eſt; nec Vinum humani cordis lætificatiuum, niſi per eam bibere vllus poteſt. Hæc ſeruis ſuis etiã in hac vita degentibus gratię vinum, cordis mundi lætitiã, impartitur, vt teſtatur D. Bernardus, *ſer. 4. ſup. Salu. Reg. pagin. 407. litt. F. Defecit vinum in cadis noſtris, vinum ſcilicet lætificans*

cor

Digitized by Google

cor hominis &c. Hoc a te, & per te ſperamus. Hæc ipſis beatis, qui huius ſæculi pelago enauigato, ad æternitatis portum feliciter appulere, vinum præteritarum tempeſtatum obliuionem faciens, & diuina inebrians dulcedine, porrigit vt fatetur Richardus *lib. 12. de laud. Virg. col. 765. lit. C. Maria eſt Pincerna Beatorum, vnde loquitur quaſi dicens ipſis Beatis: Bibite amici, & inebriamini chariſsimi.* Hæc Angelicis Choris æternitatis poculum, & gloriæ cibum ſubminiſtrare non ceſſat, vt per eam lætetur Angelus, eiuſque laudes decantet, vt ait D. Idelphonſus *ſer. de Natiuit. Virg. Maria nutrit Angelorum, & hominum cibum.* Hæc tandem ipſius æterni Verbi Pincerna eſt ipſum etiam Dei filium vino dulcedinis potat; ſed quid mirum ſi Deum potet, quæ Deum genuit, lactauit, nutriuit? Dei Genitrix eſt. Filij recreatio, & poculum lætificatiuum miniſtrare ei competit: ideo ſubdit Ricchardus *loc. cit. lit. B. Quòd B. Virgo ſit pincerna ipſius filij oſtendit in ipſo Canticorum* 8. *vbi promittit dilecto ſuo dicens: Dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.* Neque aliter intelligendum eſt vinum hoc, quam ipſam eſſe Virginem matrem; ipſa B. Maria eſt hoc vinum lætificatiuum Angeli, nutritiuum hominis, inebriatiuum Beati, ac ipſi Deo delectabile.

ſ. I.

B. Virgo Vinum maximè poſt Chriſtum lætificans Cor.

1 V*inum eſt* &c. Aquarum elementum puriſſimum, & vtiliſſimum eſt, non ſolum quia vniuerſa fæcundat germina, verum etiam, quia potum Animalibus ſubminiſtrat. Ipſe homo, qui ſæpe ſæpius fonte ſpreto generoſi Falerni deſpumantia pocula libat, hoc ipſum quod Vinum bibit, aquæ debet; nam niſi pluuialis aqua in vitis, & vitatum ſubſtantiam verteretur, nec ipſo frueremur vino. Idcirco Dominus vt vinum miraculosè produceret aquæ materia vti voluit, qui ex nihilo producere potuiſſet, vt aquæ oſtenderet excellentiam. Ita legitur in Cana Galileæ nuptijs peractum eſſe, nam deficiente vino, *Ioan. cap. 2. ver. 8. Dicit eis Ieſus implete hydrias aqua*: quod cum factum fuiſſet, ſtatim in vinum verſa eſt optimum, nam & *Architriclinus guſtauit aquam vinum factā. ver. 9.* Aqua puriſſima Deipara fuit, in qua nec peccati reatus; nec vitij macula, nec turpitudinis nota, nec virginitis iactura extitit; ſed tota pulchra, tota pura, tota cæleſtis. Hæc porro aqua, vt omnes cæleſti ſuauitate repleret in vinum verſa eſt; nam cum Dei fieret mater, Diuinitatis particeps effecta, in vinum cordis lætificatiuum tranſijt; vt diuinæ dulcedinis pocula omnibus miniſtraret: Eodem prorſus modo quo vinum in nuptijs factum fuit; nam prius plena virtutibus, & gratijs, repentè Diuinitate repleta fuit, Deum concipiens. Egregiè id explicat Ricchardus. *Sicut aqua in nuptijs conuerſa eſt in vinum Ioan. 2. vbi nec acceſſit vinum, nec receſſit aqua, ſed alterum factum eſt aliud, non ſucceſſionis vice, ſed immutationis origine: Sic Maria quaſi aqua puriſſima in Spiritus ſancti ſuperuentione, & filij Dei conceptione, quaſi conuerſa eſt in vinum, ſuper omnia poſt Chriſtum lætificans cor hominis.* Vinum ergo facta Deipara diuino nos ſatiat poculo; lætitiam ſempiternam adducens.

2 Rex magnus Artaxerſes, vt ſui potentiam Imperij regia munificentia demonſtraret, Omnibus Principibus, ac populis ſuis lautum in Horto præparari iuſſit Conuiuium; & licet fercula omnia, quæ apponebantur optima eſſent, ſolum tamen celebratur vinum: *Eſther cap. 1. ver. 7. Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur*: quaſi tota Conuiuij magnificentia in ſolo vino clauderetur. Neque id immerito, nam ſi vinum adponatur malum, nil fercula electiſſima delectabunt. Conuiuium Cælorum Imperator in Æternitatis aula ſuis parat Principus, & populis, Angelis, & hominibus; in quo Eſca illa prætioſiſſima, & ſapidiſſima Diuinitatis ſuæ lumine gloriæ præparata mentibus apponitur Beatorum; ſed vinum optimum Maria eſt; ſicuti enim ſine potu eſcam corporalem digerere non valet natiuus ignis, qui in humiditatem agit; ita ſine carnæ Virginis glorioſæ non poſſemus nos Diuinitatis beneficia per hypoſtaticam vnionem recipere; Rex ergo Magnus Deus eſt, Architriclinus Chriſtus, eſca Gloria, electum vinum Maria. Ab eodem audiamus Richardo de hac re ſententiam *lib. 12. col. 765. lit. A. Hoc eſt vinum præcipuum, & abundans, de quo legitur Eſther. 1. Et dicitur honoratum, quia Principibus, & potentibus honoris gratia præſentatur.* Vinum eſt Maria, nolentes ad bibendum haud coguntur, ſed quis non volet? nullum reperiri exiſtimo, qui tanto vino inebriari recuſabit.

3 Multæ apud veteres, & recentiores Vini ſpecies in prætio ſunt; illi falernum, cumanum prædicabant, apud hos bene audiunt Campanum, Siculum, Albanum; propter excellentiam Græcum, ex fortitudine hiſpanum, ex ſuauitate Gallum; mittamus reliqua: Gallum porro, quod Claretum dicunt, ſuauiſſimum æſtimatur; nam ſimplex, & naturale non eſt, ſed artificio aliquo adjutum. Etenim qui Claretum conficere volunt, Vinum optimum tollunt, & deinde per colatorium aliquod ipſum tranſire faciunt, in quo prætioſiſſimę aromatum ſpecies ſunt, vt dum colatur, illorum aromatum ſumat ſuauitatem; & ideo ſuauiſſimum efficitur. Non vulgare vinum Maria eſt, ſed ſapidiſſimum Claretum, ad quod componendum æternus Artifex rerum vinum ſumpſit optimum, ſanguinem videlicet Filij ſui Diuinitate clarum, & hoc vinum per duo colatoria tranſire fecit, videlicet per corpus Chriſti paſſione retortum, & per cor Mariæ doloribus cruciatum; bibitur autem hoc claretum, cum Filij paſſionem, & Matris dolorem magno con-

Digitized by Google

gno contemplamur affectu, vtrique compatientes. Hoc puto vinum eſſe, quod Sapiens ſolis mœrentibus, & his, qui amaro ſunt animo, dare iubet: *Prouerb.cap.31.ver. 6. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo*. Nam claretum illud prætioſiſſimum illis datur, qui præ compaſſione Chriſti patientis, & Matris afflictæ amaro ſunt animo: quod ex eodem Richardo accepimus *loc.cit.col.764. lit. C. Maria Claretum ſapidiſſimum Filij paſſionem, & ſuam compaſſionem deuotè recolentibus; & tam Filio, quam Matri ex toto affectu compatientibus. Conficitur autem Claretum ex prætioſiſſimis ſpeciebus, & vino optimo, quod ſtudioſè colatur per eas. Duo ad hoc colatoria dedit nobis Deus Pater, vnum fuit corpus Chriſti, aliud cor Mariæ. De quo vino Prouerb.21. Date vinum his, qui amara ſunt animo, ſcilicet ex compaſſione Chriſti patientis*. Benedictus ſit Omnipotens Deus, qui nobis tale vinum claretum ſapientiſſimè in Deipara præparauit.

§. II.

Venter Mariæ Crater Diuinitatis vino repletus.

1 Eius *Aluus Crater tornatilis*, &c. Inter Mare, & Mariam multam eſſe conuenientiam, vel ipſa nominis ſimilitudo teſtatur; ſed, vt reliqua omittam, conſideremus tantummodo plenitudinem oceani, quod vndequaque aquarum abundantia plenum, licet multã aquam in terrarum irrigatione deperdat, tum ex pluuiarum pinguedine, tum ex fluminum, fontiumque rigatione, cuius aquæ in terra colenda, animalium potu, ſyderumque, ſolis præcipuè, eſca, haud aſpernanda aquarum deperditur quantitas. His tamen minimè obſtantibus, numquam minuitur mare, Oceanum numquam decreſcit; quia vt ſuo loco viſum eſt, ex ſupercæleſtibus vndis impletur. Maria gratiarum eſt Mare, ex qua flumina deriuantur, & fontes gratiarum noſtrarum, quia vero ipſa a Deo infinita ferè gratiarum abundantia fuit repleta: idcirco nomine crateris aluus eius prætioſus Diuinitatis receptaculum exprimitur, in quo vinum puriſſimum, & ſuauiſſimum hominis Dei reconditur; ſed crater ille non exhauritur aliquando, quia infinitam plenitudinem habet; ideoque dicitur. *Cantic.cap.7. ver. 2. Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis*. Haud indiget poculis crater ille qui ſemper diuinitus impletur, qui numquam expletur, quem indeficiens vinum occupat. B. Ambroſium id docentem audiamus *De inſtit.Virg.cap.14. to.4.pag.319. lit. B. Verè Aluus ille Mariæ fuit crater tornatilis, in quo erat ſapientia, quæ miſcuit in cratere vinum ſuum, indeficientem cognitionis piæ gratiam, Diuinitatis ſuæ plenitudinem ſubminiſtrans*. Bibamus ergo Amici, bibamus diuinarum gratiarum, celeſtis dilectionis ſobriam ebrietatem; Aluus Virginis crater eſt, vinum habet optimum; indeficiens eſt, defectionis timorem propulſat: infinitus eſt, dulcedine recreat ſempiterna.

2 Cùm Beatiſſimæ Virginis laudes ab vniuerſo Mundo, & per omnes generationes concinendas, eiuſdem ſancta cognata Eliſabeth prophetico prædiceret afflatu, eam benedictam vocauit, ſed inſuper addidit cauſam, ſcilicet, ideo ipſam celebrandam, & benedicendam fore, quia benedictum fructum in aluo ſuo geſtaret; his verbis vſa: *Luc.cap.1. ver.42. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Quaſi diceret. Talis eſt gratia tua Virgo Dei genitrix, & tantam a te gratiæ, & gloriæ copiam mundus habebit, vt per omnia futura ſæcula, tuo nomini benedicent, tua encomia celebrabunt, ac tuas decantabunt laudes, omnes generationes in Cælo, & in terra; Nullus erit, qui ex tuo ſpiritu inebriatus, te corde non amet, te ore non celebret, te deuotis Dominam non fateatur obſequiis: Hæc autem ideo tibi exhibentur, quia aluus tuus puriſſimus Crater eſt, in quo vinum illud cœleſte, ſupernaturale, diuinum, hominis lætificans cor, Angeli colluſtrans mentem, continetur; quid ergo mirum ſi hoc vino feliciter inebriati, & Diuinitatis participes effecti, te canunt, colunt, adorant? Benedicta ergo es, quia benedictum produxiſti fructum, botrum æternitatis, lætitiæ poculum ſempiternæ. Hæc omnia proſpexiſſe Eliſabeth, ac diuinans inſinuaſſe piè credere poſſumus; quare Cretenſis Epiſcopus Andreas *ſer.de Annunc. to.12. Bibl.p. p. col.681.lit.D.* inquit. *Benedictus fructus ventris tui: Benedictus fructus ille, qui ex incorrupto Virginalis vteri ſurculo, veluti perfectus mirabiliter matureſcens botrus, enatus eſt. Benedictus fructus, ex quo ſcaturiunt aquæ in vitam ſalientes æternam: fructus, ex quo vitalis ille panis, corpus inquam Dominicum producitur, & immortalitatis calix, ſalutaris potio, exhibetur.*

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

ET *vinum lætificet cor hominis*. &c. Cordis lætificatiuum liquorem, oleumque condimentum ciborum tam literaliter, quam tropologicè iam ſe ad illuſtrandam hominum mentem exhibuerunt. Reſtat tantummodo, vt quæ ſub eorum vultu lateant allegoriæ pateſiant; & in ſuper quid facies ſit allegoricè, cum & ipſa, quæ perſonam aliquando induere ſolet, vt lateat, tunc viciſſim virtutes, & vitia perſonata demonſtret. Tandem Cor ipſum Animæ ſedes, & vitæ Fons haud aſpernanda docebit.

SVMMARIVM.

1 De *Vino, & acceptionibus eius.*
2 De *cordis allegorijs.*
3 *Quæ facies perſonata demonſtrat.*
4 *Quid olei nomine impertetur.*

§. I.

De *Vino, & acceptionibus eius.*

1 ET *vinum* &c. Vinum liquor eſt ex vuis expreſſus ad potum a Noe inuentus; Et primò, ſpiritum ſanctum ſignificat, de quo dicitur: *Prouerb.cap.31.ver. Noli Lamuel, noli Regibus dare vinum.* Vbi Abbas Rupertus *lib.2. de glorific.Trin.cap.13. to.2.pag.145. col.1. Vinum, quod dat iſte Lamuel, ſine dubio hic ſpiritus ſanctus eſt, qui cum datus eſſet Apoſtolis ab ipſo dicente: ego mittam promiſſum Patris mei in vos, & illi loquerentur linguis, ſtupentes qui audiebant, neſcientes quidem ipſi quid dicerent, ſed tamen verum dixerunt, quia muſto pleni ſunt iſti. Reges, quib. vinum hoc dare noliſt Lamuel, Diuites ſunt huius ſæculi.*

2 Vinum ſermo eſt ſapientiæ vt idem Rupertus ex eodem verſu colligit *lib.11.cap.4.de vict. verb. Dei to.2. pag.581.*

Digitized by Google

pag.581.col.1. Vinum iſtud ſermo ſapientiæ, vel ſermo ſcientiæ eſt: qui ſi detur Regibus, ideſt ſuperbis, in quibus vapor eleuatus, ideſt quos ſcientia inflat, peruertit iudicium.

3 Vinum eſt beatitudo, quam quia ante Chriſtum perdiderat homo, dicitur Ioan.*cap.2. verſ.3. Deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent:* & Abbas Rupertus *lib. 2. in Ioan. tomo 2. pagina 235. col.1. Vinum ergo deficit, quia collatæ gratiæ beatitudine priuata eſt miſerabilis natura hominum.*

4 Vinum nouum, eſt doctrina nouæ legis, quæ intelligi nequit a cordibus veteribus attendentes: quare dicitur *Matth.cap.9.verſ.17. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres:* Vbi D. Hilarius *can.9.in Matth. col.502. lit. F. Vt autem intelligerent, non poſſe ſibi in veteribus poſitis, perfecta hæc ſalutis ſacramenta committi, comparationis poſuit exemplum vinum nouum veteribus vtribus non infundi; Feruentis enim muſti calor vtres veteres abrumpit: infirmas videlicet vetuſtate peccatorum & animas, & corpora, nouæ gratiæ Sacramenta non capere.*

5 Vinum mixtum eſt ſacra ſcriptura literali, & ſpirituali ſenſu conſtans, de quo: *Prouerb. cap.9. v.1. Sapientia ædificauit ſibi Domum excidit columnas ſeptem: immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam:* & Magnus Greg. *lib 17. mor. pag. 698. lit. D. Immolauit enim Dominus victimam, ſeipſum offerendo pro nobis. Miſcuit vinum præceptorum ſuorum, poculum ex narratione hiſtorica & intelligentia ſpiritali contemperans.*

6 Poculum ex vino conditum, eſt Euangelium veteris legis authoritate munitum; quod ſponſa, ideſt Eccleſia Deo offert, dicens: *Cant.cap.8. verſ.2 Dabo tibi poculum ex vino condito;* vbi idem Gregorius *in cap.8. Cantic.tom.2.pag.1226.lit.D. Poculum ex vino conditum Eccleſia dabit: quia ipſi ſinagogæ nouum teſtamentum cum vetere prædicabit; & quaſi vino poculum condiet, quia dulcedinem Euangelij teſtimonijs legis, quæ aſpera eſt, vt robuſtius teneatur cinget.*

7 Muſtum malorum granatorum, ſunt fortium martyrum exempla ab Eccleſia propoſita: de quo loco citato. *Et muſtum malorum granatorum meorum.* Et Idem Doctor Sanctus. *Muſtum vero malorum granatorum ſuorum tribuet, quia fortium virorum, qui vnitatem Eccleſiæ etiam in matyrio tenuerunt, exempla apponet.*

8 Vinum felle mixtum eſt doctrina bona in homine malè viuente: Quod vinum dabant Phariſei Domino: *Matth. cap. 27. verſ. 34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum:* Vbi Origenes *tract.35. in Matth.to. 2. pag.129.col.2.lit.F. Et forſitan quanticumq; ſecundum Doctrinam quidem Eccleſiaſticam ſapiunt, viuunt autem malè; dant ei vinum bibere felle permixtum; quod non vult bibere Ieſus filius Dei.*

9 Vinum eſt lætitia, quæ remouetur a pœnitentibus; ideo dicebat Daniel. *cap. 10. verſ.2. Ego Daniel lugebam &c. Caro & vinum non introierunt in os meum:* Vbi D. Hieronymus *in Daniel. pag.692. lit. E. Qui in luctu eſt, & ſponſi luget abſentiam, non bibit vinum quod lætificat cor hominis.*

10 Vinum ſignificat lætitiam, & ſuauitatem æternam; quæ iuſtis promittitur. *Prouerb. cap.3. verſ. 10. Et vino torcularia redundabunt:* Vbi Beda *lib. 1. cap.3. in prouerb. tom.3 col.644. Redundabunt torcularia vino, quia interna ſuauitas æternorum, corda cunctorum fidelium, in laudem ſui conditoris accendit.*

11 Vinum ipſam Gloriæ cæleſtis incorruptionem denotat, quod vinum felle mixtum reſpuit Chriſtus, quia gloria æterna peccatorum amaritudinem ferre non poteſt: *Matth. cap.27. verſ.34. Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum; & cum guſtaſſet noluit bibere:* Vbi D. Hilarius *can. 33. in Matth. col.604. lit F. Oblatum quoq. vinũ fellis admixtũ bibere recuſauit; non enim æternæ gloriæ in corruptioni peccatorũ amaritudo miſcetur.*

12 Vinum perfectio eſt virorum ſpiritualium, quod cum lacte bibit Dominus cum perfectas animas transfert ad Gloriam: vnde dicitur: *Cant.cap.3. verſ.2. Bibi vinum meum cum lacte meo:* & Magnus Gregorius *in Cant.tom.2.pag.1214. lit.D. Vinum verò ſuum cum lacte bibit, quando & perfectione quorumdam ſe reficit, & innocentiam aliorum cum pietate diligens, vtroſque ad æternum conuiuium ingerit.*

13 Vinum rerum temporalium iucunditas eſt, quæ ſæculi amatores inebriat, ne cæleſtes agnoſcãt delicias, & ne lacte pietatis ab vberibus paſcatur diuinis: ſed Anima ſponſa inquit: *Cantic.cap.1.verſ.2. Meliora ſunt vbera tua vino;* Vbi idem Gregorius *loc. cit. in cap. 1. pag. 1198. lit. A. Vbera ſponſi dilectio Dei, & proximi. Ex his vberibus ſponſam ſuam lacte pietatis nutrit, & inter tentationum turbines his eam fouet, & nutrit, & vt perſiſtat, reficit. Quid autem per vinum, niſi cura temporalis exprimitur, a qua mens ſæcularis cuiuslibet inebriatur, vt ad inuiſibilia cognoſcenda, aut ex toto, aut pene inſenſibilis reddatur?*

14 Vinum eſt voluptas huius ſæculi, quæ ſapientiæ veræ adeptionem retardat; nam vbi in Eccleſiaſte legit vulgata editio *Eccl. cap.2. v.2. Cogitaui a vino abſtrahere carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam: Hebræa litera ait:* תרתי בלבי

למשך ביין את בשרי ולבי נהג בחכמה

ideſt: *Inueſtigaui in corde meo ad trahendum in vinum carnem meam, & cor meum ducens in ſapientiam:* vbi D. Hieronymus *in cap.2. Eccleſ. to.5. pag.8. lit.F. Volui vitam meam tradere delicijs, & carnẽ meã ab omnibus curis liberare, & quaſi vino ſic voluptate ſopire: ſed cogitatio mea, & ratio naturalis, (quam etiam peccatorib. Deus author inſeruit) retraxerunt me, & deduxerunt ad ſapientiam requirendam, ſtultitiamque calcandam.*

15 Vinum eſt Doctrina legis, & Prophetarum ante Chriſti aduentum; quo meliora ſunt vbera, ideſt Doctrina chriſti *Can.cap.1.verſ.2. Meliora ſunt vbera tua vino:* & Origenes *Hom. 1. in Cant.to.3. pag. 317. col. 1. lit.B. Bona ergo ſunt vbera ſponſi, quandoquidem theſauri ſunt in eis ſapientiæ & ſcientiæ reconditi. Vbera autem hæc vino comparat ſponſa, ſed ita comparat, vt præferat. Vinum autem illa intelligenda ſunt dogmata, & doctrinæ, quæ per legem, & Prophetas ante aduentum ſponſi ſumere ſponſa conſueuerat.*

16 Vinum iniquitatis eſt doctrina falſa, & pernicioſa: de qua Salomon *Prouerb.cap.4. verſ.17. Vinum iniquitatis bibunt:* Et Idem Origenes ſubdit: *Homil. 3. in Cant. pag.327. col.1. lit. A. Ita eſt contrarium vinum, cum iniquè inebriantur peccatores, & hi qui falſæ ſcientiæ dogmata pernicioſa ſuſcipiunt: De quibus Salomon in prouerbijs dicit: Hi autem edunt cibos impietatis, vino autem iniquo inebriantur.*

17 Vinum filiarum inebrians eſt gloria, & laus populorum Prælatis attributa: & hoc vinum Patri ſuo filiæ Loth, ideſt ſuperbi ſubditi propinant: dicuntque ad inuicem, *Gen.cap.19. verſ.32. Veni inebriamus eum vino, & dormiamus cum eo:* exponente Ruperto *lib. 6. cap.13. in Geneſ. tom.1. pag.87. col.1. Quid enim ſubiectæ illis plebiculæ, niſi quædam ſunt filiæ, quas deſpondere debuerant, non ſibimet, ſed vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto? At illi non Chriſti, ſed ſuam quærentes gloriam, dum quas amant laudes ab illius accipiunt, vinum bibunt filiarum; & inebriati ſubuerſione turbida adulterant verbum Dei.*

§. II.

De Cordis allegorijs.

1 COr hominis &c. Cor eſt ſedes Animæ & Principale Corporis organum; cum Deo tribuitur ſignat primò eius fæcundam memoriam, per quam ad

intra

Digitized by Google

intra generat Verbum diuinũ: De quo Propheta; *Pſ.42. verſ.1. Eructauit Cor meum verbum bonum*: Et D. Auguſtinus *De eſſent. Diu. tom.4. pag.105. col.1. lit.B. Cor Dei Patris Arcanum Sapientiæ eius myſterialiter innuit, ex quo Verbum, ideſt filium ſuum ſine initio genuit, ipſo dicente per Prophetam: Eructauit Cor meum verbum bonum.*

2 Cor Dei Iudicium ipſius in penſando hominis merita: de quo Iob *cap.7. verſ.4. Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Vbi D. Gregorius *lib. 8. cap.16 mor. pag. 492. lit. B. Erga eumdem magnificatum hominem cor ſuum Dominus apponit: quia poſt dona iudicium exerit, merita ſubtiliter penſat vitæ pondera vehementer examinat. Hinc Cor apponere eſt iudicare.*

3 Cor Chriſti eſt Eccleſia: de qua Dominus: *Pſ.21. verſ.15. Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens, in medio ventris mei*: Vbi D. Hieronymus *in Pſal 21. pag.37. lit.B. Cor Chriſti Eccleſia intelligitur, antequã Chriſtus aſcenderet in Cœlum, quæ dura videbatur eſſe, quia pauci pro nomine illius patiebantur.*

4 Cor Annæ eſt Eccleſia; quæ canit: *Exultauit cor meum in Domino 1. Reg. cap.2. verſ.1.* vbi Gloſſa ordin. *Dicat hoc Eccleſia gratia plena, prole fœcunda, quod de ſe ante prophetatum cognoſcit.*

5 Cor Dei eſt ſacra ſcriptura ſecundum cuius præcepta viuens Sacerdos, dicitur eſſe iuxta cor Dei: 1. *Reg. cap.2. verſ.2. Suſcitabo mihi Sacerdotẽ fidelem, iuxta cor & Animam meam*: Vbi D. Gregorius *lib. 2. in 1. Reg. to.1. pag.70. lit. A. Quid per cor, & animam Dei, niſi ſacram eius ſcripturam accipimus?*

6 Cor Annæ etiam ſignificat fidelem multitudinem in Eccleſia contentam: vt dicitur; *Anna loquebatur in corde ſuo*: & idem Gregor. *lib.1. pag.13. lit. E. Quid eſt aliud Cor ſanctæ Eccleſiæ, niſi ea, quæ intra ſe eſt, deuota, & erudita beatitudo fidelium?*

7 Cor ſponſi cœleſtis, ſunt eius amatores, & electi ad ipſum tendentes, qui dum ille quieſcit in gloria, vigilant in operibus bonis: vnde dicit: *Cantic. c.2. verſ.5. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vbi D. Gregorius *in cap.5 Cantic. tom.2. pag.1215. lit. A. Huiuſmodi quippe Electi cor ſponſi bene vocari poſſunt qui, quo amplius exteriora, quæ ſunt in mundo, fugiunt, eo ſecretius, quæ ſunt interiora ſponſi, cognoſcunt. Dormit ergo ſponſus, & cor eius vigilat; quia dum Chriſtus iam glorificatus eſt, in beatitudine quieſcit; quicumque eum perfecte diligit, vt ad ipſum perueniat laborat.*

8 Cor Animum ſignificat; ſic cor molleſcere eſt per timorem Diuinam vltionem cauere: cor vero firmari, eſt pertinaciter in malo obdureſcere: de quo Iob: *c.11. Tu autem firmaſti cor tuum*; Vbi citatus Doctor *lib.10. capite 10. moral. pag.552. lit.D Firmari cor non hoc loco per virtutem dicitur, ſed per inſenſibilitatem. Omnis namque Animus, qui diſtrictionis intimæ conſiderationi ſe ſubiicit, ex eius protinus timore molleſcit, cumque ſagitta diuinæ formidinis penetrat. Quiſquis autem pertinacia inſenſibilitatis obdureſcit, quaſi cor firmat, ne hoc iacula ſuperni timoris confodiant.*

9 Cor lapideum eſt Animus ſuperbus; de quo Dominus *Ezech cap.36. ver.26. Auferam a vobis Cor lapideum*: & Magnus Gregorius *loc. cit. lit. E. Cor quippe lapideum tollit cum a nobis ſuperbiæ duritiã ſubtrahit.*

10 Cor maris dicuntur gentiles; qui Apoſtolorum ſuſceperunt fidem; de quibus intelligitur: *Pſ.45. verſ.2 Transferentur Montes in cor Maris* Vbi D. Auguſtinus *in Pſal.45. pag. 171. col.1. lit. A. Tranſlati ſunt Montes in cor maris: verè enim gentes crediderunt montibus, vt in corde maris eſſent montes illi.*

11 Cor terræ dicitur ſepulchrum Chriſti, quod intra terram eſſet: de quo Dominus: *Matth. cap.12. Sic erit filius hominis in corde terræ.* & Gloſſ. interl. *In corde terræ, ideſt in Sepulchro.*

12 Cordis meditatio eſt Fides: vnde dicitur *Pſal.48. verſ.3. Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam*: Vbi D. Baſilius *in Pſal.48. pag.112. col.2. lit. C. Quoniam, vt ait Apoſtolus, corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem: & amborum efficientia perfectionem declarat. Idcirco vtraque hic ſermo in vnum complexus eſt; cùm efficacem oris rationem, tum cordis meditationem.*

13 De corde ſuo prophetare, eſt falſam expoſitionem ſacræ ſcripturæ adaptare, quod & hæretici faciunt, de quibus Dominus; *Dices prophetantibus de corde ſuo Ezech. cap. 13. v.2.* Vbi Origenes *Hom.3. in Ezech. tom.1. pag. 393. col.2. Si quis verò legens Euangelium proprium ſenſum aptas Euangelio, non ita intelligens, vt Dominus locutus eſt; iſte falſus propheta eſt, loquens de corde proprio, in Euangelio Et de Hæreticis quidem nihil abſurdum eſt hæc dicta intelligere.*

14 Corde maledicere eſt malis operibus fauere: vnde in Pſalmo 61. *verſ.5. Corde ſuo maledicebant*; & addit Baſilius *in Pſal.61. pag. 120. col.2. lit. D. Corde ſuo maledicebant; Multi namque ſunt, qui pro bonis, prauas comprobant actiones, & vitia virtutibus viciniâ honeſtate contendunt.*

§. III.

Quæ Facies perſonata demonſtret.

1 FAcies, ſeu vultus eſt hominis pars præcipua, per quam cognoſcitur: & primò Facies Dei eſt filius æternus: De quo Dauid: *Pſal. 79. verſ.4 Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*: vbi D. Hieronymus *Pſ.79. pag.233. D. Et oſtende faciem tuam, & ſalui erimus: oſtende filium tuum, vt ſaluemur.*

2 Facies Dei, quam videre mortalis non poteſt homo, eſt eius Diuinitas: & ideo dixit Moyſi; *Exod. cap. 33. verſ.20. Non poteris videre faciem meam*, & Diuus Auguſtinus *lib.3. cap.13. de Trinit. to.3. pag.102 col.1. lit. A. Facies autem eius, illa Dei forma, in qua non arbitratus rapinam eſſe æqualis Deo Patri; quam nemo vtique poteſt videre, & viuere.*

3 Facies Dei eſt ipſa lux ſeu reuelatio Diuinitatis, quæ peccatoribus, & inimicis denegatur: de cuius amiſſione quærebatur Iob *cap.13. verſ.2. Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Vbi Magnus Gregorius *lib.11. cap.21. moral. pag.578. lit. A. Quo videlicet deſiderio compunctus ſanctus vir clamat: Cur faciem tuã abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? Quia ſi vt amicum aſpiceres, tuæ me viſionis lumine non priuares.*

4 Faciem Dei videre eſt ipſum cognoſcere; quod ſibi euenisſe ait Iſrael: *Vidi Dominum facie ad faciem: Gen. capite 32.* Et citatus Doctor *lib. 24. cap.5. mor. pag.845. lit. E. Quia enim per faciem quemlibet agnoſcimus, non immerito cognitionem Dei, faciem eius vocamus. Vnde Iacob poſtquam cum Angelo luctatus eſt ait; Vidi Dominum facie ad faciem: Ac ſi diceret: cognoui Dominum, quia me cognoſcere ipſe dignatus eſt.*

5 Facies Dei eſt eius iudicium, vnde fugere a facie Dei, eſt eius iudicium declinare; quod impoſſibile cenſet Pſaltes dum ait: *Pſal.138. verſ.6. Quò a facie tua fugiam?* Vbi D. Hilarius *in Pſal.138. col.1109. lit.C. Sed quia ſecundum Prophetam, vultus Dei ſuper facientes mala: naturæ quoque humanæ eſt, iudicium, quod ſignificatur in vultu, fugere non poſſe.*

6 Facies Dei Prophetæ ſunt, qui cum dolent de alienis peccatis, facies Dei lacrymare dicitur; vnde Iob: *cap. 16. Facies mea intumuit a fletu*; & Diuus Hieronymus *in Iob to.8. pag.26 lit. F. Prophetæ facies Dei intelliguntur, eo quod ſciant futura: qui cum perditionem impiorum contemplantur in ſpiritu; gemitibus continuis eos fleuiſſe intelligamus.*

7 Facies Animalium Ezechielis cap. 1. verſ.10. Domini noſtri Ieſu Chriſti vitam ſignificat: nam dicitur: *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies Leonis a dextris ipſorum quatuor; facies autem*

Bouis

Digitized by Google

Bouis a ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor. Quod Chriſto tribuens D. Gregorius ait *Hom.4. in Ezech.tom.2. pag.1248.lit.E. Totum ergo ſimul nobis eſt, quia & naſcendo homo, & moriendo vitulus, & reſurgendo Leo, & ad Cælos aſcendendo Aquila factus eſt*.

8 Facies iſtæ etiam Euangeliſtas denotant, vt idem ibidem. *Quod autem quatuor hæc pennata Animalia ſanctos quatuor Euangeliſtas deſignent, ipſa vniuſcuiuſque libro Euangelici exordia teſtantur*.

9 Facies Animæ fides eſt, per quam ſicut corpus per faciem, anima cognoſcitur a Deo: & hanc faciem ſpõſæ Dominus videre cupiebat; quando dicebat: *Cantic. c.2.v.14. Oſtende mihi faciem tuam*: Vbi Idem Doctor ſanctus *in cap. 2.Cantic. tom.2 pag.1205. lit. A. Quid enim per faciem niſi fidem, qua a Deo cognoſcimur, accipimus?*

10 Facies ſignificat Cor; & ſic facies abyſſi eſt cor peccatoris; de qua dicitur: *Gen cap.1.verſ.2. Et Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*: Vbi Cardinalis Hugo *in Geneſ.pag.1.col.2. Tenebræ peccatorum, vel ignorantiæ erant ſuper cor peccatoris*.

11 Facies agri, in qua apparuit mel Ionathæ, eſt fauor ſæcularium, in quo lucet bonum religioſorũ exemplum: *1. Reg. cap.4. v.25. erat mel ſuper faciem agri*: Vbi D Gregorius *lib.5.in 1. Reg.tom.1. pag.241.lit. E. Quid ergo eſt, quod vulgus terræ venit in ſaltum, niſi quia religioſi, & ſimplices viri per exempla bonorum operum ſæpe ad notitiam ſecularium deducuntur? vbi mel in agro apparet: quia de exemplo boni operis apud ſæculares inueniunt, & deuotionis latitudinem, & fructum venerationis. Et quid eſt mel ſuper faciem agri, niſi dulcedo fauoris?*

12 In faciem ſuam cadere eſt humiliare ſe, quod fecit Ezechiel cap.2.verſ.1. *Et cecidi in faciem meam*: Vbi D. Hieronymus *in Ezech. pag.441. lit. A. Non eſt elatus viſionum magnitudine, ſed conſcientia fragilitatis humanæ corruit in faciem ſuam*.

§. IV.

Quid olei nomine importetur.

1 OLeum liquor eſt, ex oleæ fructibus expreſſus, ad cibos condiendos, & carnem decorandam aptiſſimus. Et primò ſignat Spiritum ſanctum; quo Chriſtus Dominus inunctus eſt *Pſal. 44. verſ. 7. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Vbi D. Hilarius *in Pſal.44.pag.106 col.1. F. Caro autem Domini vero chriſmate vncta eſt, nimirum ſuper eam adueniente Spiritu ſancto, quod quidem exultationis oleum vocatur*.

2 Oleum eſt gratia ſeu miſericordia diuina, quæ noſtras oblationes format; hinc eſt quod dicitur: *Leu.c.2. Simila erit eius oblatio; fundetq; ſuper eam oleum*: & Gloſſ. ord. *Offert tamen ſimilam oleo conſperſam: Omnis enim Anima indiget diuina miſericordia, vel gratia*.

3 Hinc deducitur, oleo ſimilam conſpergere, eſſe, bona opera noſtra Spiritui ſancto, & diuinæ gratiæ imputare; ita hic Gloſſa. interl. *Simila erit eius oblatio: Simila, quæ eſt delicatiſſima farina, ex qua fit panis optimus; hæc eſt ſapientia inter Dona Dei optima: Fundetque ſuper eam oleum: quidquid ſapit, gratiæ ſpiritus imputando*.

4 Oleum eſt charitas, quam Chriſtus in nos effundit: de quo ſponſa; *Cant. cap.1.verſ.2. Oleum effuſum nomen tuum*: & Magnus Gregorius *in 1. Cantic. to.2. pag.1198.lit. B. Nomen ſponſi Chriſtus eſt. Sed nomen ſponſi quaſi oleum effunditur, quia quicumque nomine chriſtiano in veritate cenſentur, charitate ſancta affluunt, qua molliuntur*.

5 Oleum effuſum incarnationem æterni Verbi ſignificat: ita Abbas Rupertus in eumdem verſum *to 1. pag. 1071. col.1. Oleum effuſum nomen tuum. Quomodo autem, vel in quo eſt effuſum hoc oleum? Nimirum in eo, quod a Deo proceſſit, & de inuiſibilibus ſuis ad noſtra viſibilia venit*.

6 Oleum lætitiæ eſt diuina pietas, qua noſtri miſertus Deus Redemptorem nobis filium ſuum miſit. Et ideo hic dicitur, *vt exhilaret faciem in oleo*: Quò reſpiciens, ait Rupertus *De oper. ſpir. ſanc. lib. 8 cap.1. tom.1.pag.725. col.2. In diebus illis Romæ, vt hiſtoriæ tradunt, fons olei largiſſimus de taberna meritoria per totum diem fluxit. Quo ſigno quid euidentius, quam pietatis, & miſericordiæ abundantia peccatoribus, Chriſto naſcente, de Cælo fluxiſſe declarata eſt?*

7 Oleum eſt primum donum Spiritus ſancti conceſſum ad poteſtatem remittendi peccata; quod lædi prohibetur Angelus: *Apocalipſ. capite 4. Vinum, & oleum ne læſeris*: Vbi idem Rupertus *lib.9.in Apoc.to 2. pag.386. col.2. Quod vinum, & quod oleum? Profectò geminum ſancti ſpiritus datum: primum quippe ſancti ſpiritus datum, oleum, quia ſic primo datum eſt, vt eſſet remiſſio peccatorum, dicente ipſo, qui dedit, ipſa die, qua reſurrexit a mortuis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.*

8 Oleum eſt humilitas, quæ lucernis noſtris, ideſt bonis operibus, quæ ad aliorum exemplum lucent apponi debet. De quo dicitur. *Matt.cap.25.verſ.4. Prudentes Virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus*: & D. Ambroſius *ſerm.14.in Pſal. 118. tom 2. pag.332. lit.C. Lumen lucernæ eſt; mitte oleum, ne deficiat tibi lumen lucernæ. Et oleum, non oleæ terreſtris, ſed illud oleum cæleſtis gratiæ, quo vngebantur prophetæ. Oleum tuum humilitas eſt, quo ceruicis noſtræ duræ molleſcunt*.

9 Oleum opera ſignat miſericordiæ, quod oleum ille Samaritanus, in curando homine fauciato erogauit: *Luc.cap.10. verſ 34. Samaritanus &c. videns eum miſericordia motus eſt; & appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum*: Et idem Ambroſius loc. citato. *Oleum tuum miſericordia tua eſt, quo etiam colliſa ſcopulis peccatorum fouentur corpora. Hoc oleum vulnerato illi a latronibus deſcendenti ex Hieruſalem, euangelicus ille Samaritanus infudit, qui videns eum miſericordia motus eſt, & alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum*.

10 Oleum lætitiæ eſt carentia peccati; quo oleo vnctus eſt Chriſtus: *Ad Hebr.cap.1.verſ.7. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*: Vbi D. Ambroſius *in cap.1.ad Hebr.to.3. pag.480. lit. F. Oleum lætitiæ eſt peccati maculam non habere; Vnde ſe conſcientia ſemper exhilarat, quando nulla recordationis aſperitate mordetur*.

11 Oleum peccatoris eſt Adulatio: *Pſal.141.verſ.5. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, & Abbas Rupertus *in Oſee cap. 12. tom.1. pag. 809 col. 2. Oleum namque interdum ſignificat adulationis ſuauitatem, vt illic; Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum; ideſt adulatio cuiuſquam non delectabit mentem meam*.

Verſus

Digitized by Google

Verſus Sextuſdecimus.

יִשְׂבְּעוּ עֲצֵי יְהוָה אַרְזֵי לְבָנוֹן אֲשֶׁר נָטָע׃

Verſio ex hebræo. *Satiabuntur ligna IEHOVAH, Cedri libani, quas plantauit.*

Vulgata editio. *Saturabuntur ligna Campi, Cedri libani, quas plantauit.*

D. Hieronymus. *Saturabuntur ligna, Domini, &c.*

Pagninus. *Saturabuntur Arbores excelſæ Domini, Cedri libanon, &c.*

Teſtus Arabicus; *Satiat omnes arbores campi, Cedri libani, quas plantaſti.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

NEſcio cur vulgatus Interpres ligna campi verterit, cum in textu hebraico nomen Dei Sanctiſſimum Tetragrammaton apponatur; vnde D. Hieronymus *ligna Domini* interpretatus eſt; præſertim cum arbores in campis non reperiantur, ſed in ſyluis, & montibus; & hoc colligitur ex eo, quod ſequitur *Cedri libani*, nam de arboribus montium ſermo habetur. Cur vero ſolis Arboribus apponatur nomen Domini יְהוָה ignoro; expoſitores aliqui putant, per arbores hic intelligi Paradiſum terreſtrem, quem ſpecialiter plantaſſe Dominus dicitur: alij volunt hic loqui de ijs lignis, quæ non hominum induſtria, ſed Domini beneficentia immediatè producuntur, & ideo ſpecialiter ei tribuuntur: Putant nonnulli loqui de arboribus fructiferis, quæ dicuntur Domini, quia ſpecialiter ſunt ab eo intentæ ad animalium nutrimentum; Singula hæc, & cedri quæ ſpecialiter nominantur, pertractanda erunt.

SVMMARIVM.

1 *De arborum vtilitate.*
2 *De Paradiſi terreſtris, creatione, loco, pulchritudine, & exiſtentia.*
3 *De Cedris Libani.*

§. I.

De Arborum vtilitate.

1 S*Aturabuntur ligna campi*. Nihil non à Creatoris prouidentia effectum eſt, quod ad hominis vtilitatem non cederet. Et inter cætera Arbores, quarum multiplex ad hominum, & Animalium commoditatem vſus. Primus quidem, & principalis, ad eſum; quædam enim Animalia, homo præſertim, fructibus arborum veſcuntur, alia ipſis ramis, vel etiam corticibus, & frondibus, vt quod vni miniſtratur ad eſcam, alteri minime ſubtrahatur. Quapropter Caietanus ideo dictum putat hic: *Saturabuntur ligna Domini*, vt demonſtretur de fructiferis arboribus ſermonem fieri; vt pote quæ primò a Deo ſint ad Animalium nutritionem intentæ. Etenim cum eſſe præcedat quamcumque operationem, prius conſeruatio ipſius eſſe, quam ſeruitutes, ac miniſteria reliqua, fuerat reſpicienda: Ita ille. *Per ligna Domini ligna fructifera intelligi poſſunt: ſpecialiter Domino attributa tamquam primaria intentione plantata, propter ſalutem Animalium*. Atque hanc eſſe primariam creationis Arborum cauſam, vel ex ipſo in exordio mundi terræ exornatu conſpicitur: etenim ibi ſolummodo pomiferorum Arborum mentio habetur, vt eſca ad Animalium victum illico preberetur; dicente ſcriptura *Gen. cap. 1. verſ. 11: Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum*, Quæ verba dum exponit Diuus Ambroſius *lib. 3. cap. 16. Hex: tom. 1. pag. 32. lit. F.* hæc omnia confirmat his verbis. *Properauerunt Arbores citò ſurgere, citò ſe in florem induere, victum hominibus, pecori pabulum miniſtrare. Fructus communis eſt omnibus, vſus quoque datus eſt omnibus. Simul vtrumque arbores germinarunt, aliud, quò veſceremur, aliud, quo refrigerante vmbra defenderemur a Sole. Cibus in fructibus, amænitas in folijs: tamen quia præſcierat prouidentia Creatoris, quod fructum ſibi maximè humana auiditas vindicaret, reliquis prouidit animantibus, vt ſpecialem his donaret alimoniam; itaque eſca eis non* medi-

Digitized by Google

mediocris in foliis eſt. Hæc ergo prima eſt Arborum ſeu Plantarum vtilitas, hominibus, pecudibuſque eſcam ſubminiſtrare.

2 Vt autem ad pleniorem Animantium nutritionem notum eſſet, non ſolum fructuum ad victum vtilitas, verum etiam ad valetudinem tuendam, ægritudinemque propulſandam, præſtantia, Natura, ipſiuſque Conditor Deus varias ſaporum differentias pomis Arborum, frondibuſque largitus eſt; vt ſic ex ſaporibus naturæ proprietates, vtilitateſq; ſingulorum innoteſcerent; atque quæ ſingulis temporibus, & hominis ſtatibus cōgruerent dignoſceremus. Hoc magni Albetti verbis tranſcribere libet; ait namque *de Plantis lib.3. Tract. 2. cap. 4. tom. 5. pag. 393. colum. 2. Operationes rerum habentium hos ſapores plurimū conferunt ad ſciendum naturam ipſorum. Dicimus igitur, quod frequentiores operationes Dulcis ſunt digeſtio, & lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, propter quod fortiter attrahitur ab eo, qui nutritur. Operationes Amari ſunt abſterſio, & exaſperatio, & fugit ipſum natura. Ponticū congruere exprimit quādo fortis eſt ponticitatis. Stipticum autem contrahit, inſpiſſat, indurat, & retinet. Vnctuoſum autem lenit, & lubricat, & aliquantulum digerit. Acutum vero reſoluit, & incidit, & putrefacit. Salſum etiam iterum abſtergit, & abluit, & exiccat, & prohibet putrefactionem. Acetoſum autem ſecundū ſuam naturam infrigidat, & incidit.* Sunt autem ſapores iſti ſimplices in vegetabilibus. Animalia ergo vel ratione diſcurrentia, ſeu naturæ inſtinctu, ipſa præcipuè rerū magiſtra experientia, hos ſapores, eorumque qualitates agnoſcendo, quæcumque ſibi optima & ad ſuum ſtatum conducentia nouerit, his vtitur, fruiturque.

3 Eſt & alia in primis maxima hominibus ex plantis ſiue pomiferis, ſiue ſterilibus vtilitas, nam cum ad operationes ſuos homo multis egeat inſtrumentis, ex varia arborū qualitate apta ſibi pro quoq; exercitio inſtrumenta ſeligit. Nam ex alijs trabes, ex aliis malleos, ex aliis naues, lectum, Arcas, ignem, carbones, & his ſimilia, imo & domos integras conſtruit. De qua lignorum vtilitate ait Theophraſtus *De Plantis lib.5.c.8. pag.113. Neo non ad inſtrumenta fabrilia digeſtio ſingulis fieri poteſt, vt Malleolus, & terebra ex oleaſtro optimè fiunt; quamquam & buxeis, vlmeis, fraxineiſque vtantur: mallas magnas expicea faciunt. Simili modo & reliquum cuique opus quoddam tribuitur.* Dein ad ſingularum rerum ſtructuram enumerans ligna cuicumque proprium attribuit, vt Cardines vlmis, lectulos Fraxino; Naues Abietibus, Pinis, Cedris, Teſtudinem Fraxo, moro, vlmoq; pictorias tabellas Abieti, Naues, Arcas, menſuraſque, & fores Tiliæ; lectos, iumentorumque iuga, carpinibus, aceribuſque, ſubſelia Taxo, axes plauſtrorum Buxo, & cætera huiſmodi.

4 Vt ſuperius cum D. Ambroſio inſinuauimus, non ſolum ad eſcam arbores procreati ſunt, verum etiam ad Animalium oblectamentum: Porro arbores ſua pulchritudine oculos lætificant, animum recreant, hinc orta viridaria, pomaria, ſyluæ, in quibus arbores variæ nimia, ſed diuerſa præſtantes pulchritudine conſpiciuntur, quæ vel fructu ſatient, vel vmbra tegant, vel aſpectu attrahant, vel magnitudine ingerant admirationem; quod citatus fatetur Ambroſius *loc. cit. c.13. pag. 30. lit. D. Quid ergo enumerem quanta varietas arborum, quam diuerſus in ſingulis, & pulcher ornatus, quam patulæ fagi, quam proceræ Abietes, quam comantes pinus, quam vmbroſæ Ilices, quam Pupuli ficolores, quam nemoroſa, & rediuiua caſtanea, &c.* Hinc ad ornatum ſimul, & oblectamentum publicæ, & priuatæ arboribus ſtipantur viæ, & vbi natura eſt indiga Ars nemora condit: laudat Theophraſtus campaneæ populos, & Corſicæ arbores, de quibus inquit *cap. 19. pag.115. Ligna autem mirificè procera, enodia, leuia, ſi d amplìſſima magnitudine arbores, magnoque diſcrimine cæteras excedentes, naſci in Corſica produnt.* Duas autem vtilitates maximas arbores, etiam quæ ſteriles videntur habent: etenim cum mortales nimio calore in æſtate, & nimio frigore impugnētur hyeme, ad vtrū q; frigus videlicet, caloremque propulſandum arbores deſeruiunt; nam igne ex ipſis conſtructo, & vmbra refrigerante, & a ſolis ardore, & frigoris vredine tutamur. Notat porrò Theophraſtus loco ſuperius citato, *pag.114.* quòd *Carbones optimos faciunt Artes, Robur, Arbuſtus, Quercus, Pinus: & ad ignem excipiendum optima ficus, oleaque.* En quantas nobis Deus vtilitates in lignorum productione exhibuit, & ideo ea ex pluuiarum redundantia ſatiat, vt hominum pareant ſeruituti.

§. II.

De Paradiſi terreſtris creatione, loco, pulchritudine, & exiſtentia.

2 *SAturabuntur ligna Domini*: Cum omnes creaturæ Domini ſint, ab eius videlicet creante potentia emanatæ, myſterio haud quaquam vacare puto, hic ſpecialiter ligna Domini appellari: nam licet Pagniuus legit arbores excelſas, & putat ita dici, quia arbores pulchriores recenſentur; nihilominus cum Lyrano, & Rabbi Salomone non ineptum erit intelligere ligna terreſtris Paradiſi, qui & omnium lignorum ſpeciebus, & pulchrioribus refertus creditur; iſta ante ligna ſpecialiter ſaturari dicuntur, quia perfectius saginantur: ait ergo Lyranus. *In hebræo autem, & in tranſlatione Hieronymi habetur ſic: ſaturabuntur ligna Domini; & ſecundū Rabbi Salomonē ligna Domini hic intelligūtur ligna Paradiſi terreſtris.* De quo Paradiſo illud in primis dubitatur an fuerit aliquid reale, & materiale: neque enim deſunt qui dicant per Paradyſum terram vniuerſam intelligi; ſed hinc eiectus quo iuit homo, qui de terra non exiuit? Alii contendunt fuiſſe Paradyſum cœleſte, ſed ex ipſa ſcriptura fuiſſe in terris conuincitur: ſunt etiam qui cenſeant hæc per allegoriam dici, neque Adam in Paradyſo aliquando fuiſſe, ſed beatitudinem ſibi promiſſam, cuius ſpecies eius menti impreſſæ, quam conſequendi cum per peccatum ſpem amiſiſſet, de Paradyſo eiectus dicitur. Sed his reiectis opinionibus, nam ſi hoc allegoricè dictum intelligeremus, veritati hyſtoricæ ſcripturæ detraheremus; dicendum eſt, Paradyſum a Deo plantatum, ideſt productum, fuiſſe reuera hortum quemdam deliciis abundantem, viſibilem corporeum, aptum, & conuenientem hominis habitationem: Ita ſentit Scotus *in 2. ſent. diſ.17. quæſt.2. in corp. Circa ſecundum, vtrum ſcilicet Paradyſus ſit locus conueniens habitationi humanæ? &c. Dico quod ſic: tam pro ſtatu naturæ lapſæ, quam innocentiæ: pro ſtatu naturæ lapſæ, patet Enoch, Eccleſ.44. & Geneſ. 5. & de Elia 4. Reg. cap. 2. pro ſtatu naturæ rectæ patet de Adam, & Eua.* Idipſum docet Diuus Thom. *p. p. quæſt. 102. art. 1. in Corp.* & clarius Diui Auguſtini verba referens. *Ea quæ in ſcriptura de Paradyſo dicuntur, per modum narrationis hiſtoricæ proponuntur. In omnibus autem, quæ ſic ſcriptura tradit, eſt pro fundamento tenenda veritas hyſtoriæ, & deſuper ſpirituales expoſitiones fabricandæ.* Huius veritatem hyſtoriæ ex ipſius ſacræ ſcripturæ verbis colligit D. Ioan. Chriſoſtomus, & Aduerſariorum deceptionem notat; *Hom.13. in Geneſ. to.1. pag.65. lit. A. Dicitur namque Geneſis c.2. verſ.5. Plantauerat autem Deus Paradyſum voluptatis*, vbi ille. *Et plantauit Deus Paradyſum in Edem ſecundum orientem, & poſuit illic hominem, quem formauit. Et idcirco nomen loci ſcripturis inſeruit Beatus Moyſes, vt non liceat nugari volentibus imponere ſimpliciorum auribus, & dicere nullum eſſe in terra Paradyſum, ſed in Cælo, & fabulas quaſdam eiuſmodi ſomniare &c. Et quando audis, dilecte, quod plantauit Deus hortum in Edem ſecundum orientem: hoc, quod dicit, plantauit, vt decet de Deo intelligas, nempe quod præcepit. At quod reliquum eſt, crede, quod & Paradyſus factus ſit, & in illo loco, vbi ſcriptura ſignificauit.*

2 Porrò non minoris difficultatis eſt, vbi Paradyſus

Digitized by Google

iſte fuerit productus, in qua ſcilicet terræ parte; & ratio eſt, quia quidam ſacram ſcripturam ad ſuum ſenſum trahentes, ipſum in loco, qui dicitur *eden*, & in orientali poſitum plaga, eſſe, vel fuiſſe contendunt. Vt autem hoc clarius ſolui poſſit, adducendus eſt hebraicus textus, qui hæc habet: ויטע יהוה אלהים גן-בעדן מקדם cuius vera interpretatio, vulgatæ editioni per omnia conſonans, hæc eſt. *Et plantauit Dominus Deus Hortum in voluptate, ab initio*. Huius autem verſionis ratio hæc eſt. Verbum *Gan*, ideſt Hortus, vnitur alteri Dictioni *Bengheden* per accentum maccaf, quod indubium eſt ſignificare coniunctionem, & ſecundam particulam eſſe veluti partem primæ, vt Verbi gratia Ben-iamin, ideſt Filius Dexteræ. Cum ergo *negheden*, ſeu *Heden*, propriè voluptatem ſignificet, & ſolum metaphoricè ſignificet aliquam regionem, quæ voluptuoſa ſit, ſicuti Sicilia aliquando dicta fuit Horreum Romanum, & Neapolitanus ager Campania felix, ſeu Terra laboris &c. minimè credendum eſt in primæua mundi origine nondum prouinciis nominibus datis *Heden* fuiſſe nomen loci, ſed voluptatis; quod verò dicitur: *in voluptate*: & non *voluptatis*: hebraica phraſis eſt ad ſignificandam maximam in eo voluptatis, & deliciarum fuiſſe; quē loquendi modum ſæpe ſcriptura vſurpat. Alterum Verbum difficultatem ingerens, eſt; מי קדם quod interpretantur, ſed malè *ad orientem*: Verbum ergo קדם *kedem*, ſignificat propriè initium, principium, Antea, & his ſimilia, quia verò pars orientalis eſt, in qua ſolaris apparitionis ſupra orizontem fit initium, idcirco etiam oriens dicitur *kedem*, ideſt *initium*. Sicuti etiam, quia Occidens eſt ex parte maris reſpectu terræ ſanctæ, ſæpe nomine ים hoc eſt Maris, Occidens exprimitur: Cum ergo dicatur *miKedem*, nec *ab oriente* faciat ſenſum ad propoſitum, *ab initio*, ſeu principio legendum eſt. Ex his omnibus manifeſtè concluditur ex ſacris literis nihil haberi ad determinandum locum, in quo Paradyſus a Deo creatus fuerit. Et licet Adam habitaſſe circa ipſum dicitur, hoc tantum in principio eiectionis fuit, nam poſtea orbem perambulaſſe credendum eſt, vnde neque ex hoc aliqua deducitur congruentia. Hinc fabuloſum eſt quidquid de loco Paradyſi vel in Hedēs meſopotamiæ, vel in Inſula Zeilan in India ad orientem ſita, vel ſub Æquinoctiali &c. dicūt vt optimè concludit Magiſter meus Scot. *l. cit. Quoad longitudinem dicunt ipſum ad orientem: vnde alia translatio habet; Paradyſus, quem plantauerat Deus ad orientem; vbi noſtra habet a principio. Quantum ad latitudinem, dicunt ipſum eſſe ſub æquinoctiali; & dicunt vltra, quod locus æquinoctialis eſt maximè habitabilis &c. Dico igitur ad quæſtionem, quod Paradyſus eſt locus conueniens habitationi humanæ, quia non oportet, quod ſit in tanta altitudine ſub æquinoctiali, ſed eſt in regione temperata, nec eſt neceſſarium quod ſit ad orientem*. Aduertendum autem neque Scotum, neque nos negare Paradyſum eſſe, vel fuiſſe in Oriente, vel ſub æquinoctiali (præſertim cum Zonam torridam antiquis inhabitabilem, noſtris temporibus habitatam, & optima aeris, ſoliq; temperie ornatam ſciamus) ſed tantūmodo id neque ex ſcriptura, neq; ratione, neque experientia aliqua certum eſſe, determinamus.

3 Sed iam tam celebris, tamque voluptuoſi viridarij, deſcriptio vocat, quæ ex ipſamet ſacra ſcriptura ſumenda eſt. Erat ergo Paradyſus floribus omnibus ornatus, arboribus pomiferis conſitus, vmbroſis Plantis refortus, fluuijs, fontibuſq; conſpicuus; cum florum verſicolor aſpectus, odoratus fragror, frondium mollities decorabat; fructuum ſapor ditabat, aquarum vbertas ſatiabat, mirus Plantarum proſpectus exornabat: Non illi quidquam ad deliciandum, aut ad viuendum deerat neceſſarium; Cœli ſaluber erat temperies, ſoli fertilitas copioſa, Aquarum dulces vndæ, ventorum ſuauis inſpiratio, Aurarū lenis ſuſurrus; Auicularum canorus concentus, & ipſarū Beſtiarum gratū obſequium Procul a deliciarum Pomario, aut ſpinarum aculeus, aut toxicorū venena, aut ventorū rabies, aut caloris æſtus, aut frigoris gelu: & vt vno omnia abſoluam verbo, Paradyſus erat deliciis omnibus cumulatus: nā de eo Moſes. *Gen. c. 2. v. 9. 10. Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignū pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, lignū etiā vitæ in medio Paradiſi, lignumq; ſcientiæ boni, & mali: & fluuius egrediebatur de Eden ad irrigandū Paradiſū*. Quod D. Io: Damaſc. *lib. 3. de Fid orthod. c. 11. pag. 192. col. 2.* declarans, inquit. *Atq; hic ille eſt diuinus Paradyſus, Dei manibus in Eden conſtitutus, voluptatis omnis, ac iucunditatis animi promptuarium (Eden .n. interpretatus delicias ſonat) in oriente ſupra vniuerſam terram ſitus, probeq; tēperatus, ac ſubtiliſſimo, ac puriſſimo aere vndiq; colluſtratus; plantis numquā non floridis vernans, ſuauiſſimo odore, ac lumine plenus, ſenſilis omnis elegantiam, ac pulchritudinis cogitationē ſuperans*. His ferè ſimi ia habet D. Chriſoſt. *Hom. 13. in Geneſ to. 1, col. 65. lit. F. Omne enim, inquit, lignū pulchrum ad viſionē, hoc eſt ad ſpectaculum, & bonum ad eſum; hoc eſt quæ poterant exhilarare aſpectu, & voluptatem præbere eſu: & quia erant tam multa, & copioſa, mirificā fruituro contuliſſent voluptatem. Omnium enim lignorum, quæcumq; dixeris prouentū fecit*. Quibus addamus etiam D. Iſidorū Hiſpalenſem hęc omnia & ipſe breuiter perſtringentē *lib. 14. cap. 13. orig. pag. 119. col. 1. lit. B. Paradyſus eſt locus in orientis partib. conſtitutus, cuius vocabulum ex græco vertitur Hortus: porro hebraicè Eden dicitur, quod in noſtra lingua deliciæ interpratatur. Quod vtique iſtū fecit hortum deliciarum: eſt enim omni genere ligni, & pomiferorum arborum ornatus habēs etiam lignum vitæ; non ibi frigus, non æſtus, ſed perpetua aeris temperies, e cuius medio fons prorumpens totum nemus irrigat, diuiditurq; in quatuor naſcentia flumina; cuius loci poſt peccatū hominis aditus intercluſus eſt*. Eādem deſcriptionē multò traditis copioſiorem habet D. Baſilius, quā vt prolixā dimitto: videatur apud ipſū ho. de Paradiſo. *pag. 59. col. 2 lit. B. & C.* nobis dicta ſufficiāt.

4 Porrò quantum temporis in hoc deliciarum loco permanſerint primi noſtri parentes, incertum eſt; nam putant quidam eadem die qua creati ſunt, cecidiſſe, ac ſe eiectos ploraſſe, & probant ex congruentiis, quia die eadem, ſexta videlicet feria, qua peccauit Adam, Chriſtus mortuus eſt, vt eius peccati pœnam lueret & reatum deleret: verum hæc opinio videtur nimis rigoroſa; ſolo ſex ferè horarū ſpatio Adæ in Paradiſo manſionem reſtringere; neque enim ſatis fuiſſet ad eas delicias experiendi; vt ex cognitione felicitatis infelicitatem ſui ſtatus poſt peccatum ęgrius ferrent: certè verba Euæ ad ſerpentem; *Gen. cap. 3. v. 3. Ex omni ligno Paradiſi veſcimur*: indicant eos in horto illo comediſſe; nō enim dixit, *veſci licet*, ſed *veſcimur*; ideſt iam periculū fecimus. Alij ex oppoſito annos multos ſomniant, quibus Adam in Paradyſo vixiſſe cenſent; ſed hæc opinio æque eſt abſurda; nam nec, in Paradyſo, neque in ſtatu innocentiæ Adam genuiſſe certum eſt; & annis a coitu abſtinuiſſe, poſt Dei præceptum, *creſcite, & multiplicamini*, vero abſimile eſt. Neque etiam Die ſequenti cecidiſſe propter Myſterium ſextæ diei conſonat. Sequitur ergo ex dictis hanc moram incertam eſſe: poteſt tamen dici probabiliter, per octo integros dies ibi fuiſſe, & Adam ab Heua, hanc verò a Serpente, non prima tentatione proſtratos, ſed in illorū dierum ſpacio pluries tentatos, tandem octaua die cecidiſſe. Hoc probari poteſt ex circumciſione, quæ ſecundum Catholicam Eccleſiam in remedium originalis culpæ fuit Sacramentum: Neque enim caſu præceptum a Deo fuit Abrahamo, deinde Moyſi, octauo die circumcidere infantes, ſed myſterium extitit, vt ſicut Adam octauo die ſuæ creationis cecidit, ita eius filij octauo ſuæ natiuitatis die a culpa mūdarentur. Ita apud noſtram Religionem tenetur Cuidam ex noſtris Beatis reuelatum ab Angelo, Primos Parētes per octo dies in Paradyſo vixiſſe. Hanc opinionem tenet Salianus *to. 1. An. p. 77. n. 1.* & docet Pererius *in Gen. lib. 6. pag. 507. lit. A. Si mihi fas ſit diuinare, dicam fuiſſe eos in Paradiſo per octo dies, & octauo die quam fuerant creati,*

qui

Digitized by Google

qui dies fuit feria ſexta, eiectos fuiſſe de Paradiſo: nam ſpatium octo dierum ſufficiens fuit experiendæ aliquantulum eius ſtatus felicitati. Ex verbis igitur Euæ ad Serpentem, ex mea de Circumciſione coniectura, ex reuelationis fama; & ex Pereriſ ratione probabiliter tenendum eſt Primos noſtros Parentes per octo dies in illo deliciarum Horto permanſiſſe.

5 Neque eſt minoris difficultatis determinare vtrum in præſentiarum Paradyſus, ſeu hortus ille deliciarum reperiatur, vel Diluuij aquis deſtructus ſit. Sed ab hac difficultate breuiter me expediam: Communis ſententia, non apud vulgum tantummodo, ſed apud viros doctos, eſt Paradyſum adhuc extare. Ita ſupponit D. Thomas, & Scotus loco citato. Et licet ad nihil videatur deſeruire, non tamen propterea cenſendum eſt non extare, ſecreta enim Iudiciorum Dei inſcrutabilia ſunt. Ibi tamen manere Enoch, & Elias dicuntur, quod & D. Thomas affirmat. *p. p. qu. 102. art. 2. ad 3. Ad tertium dicendum quod non propter hoc locus eſt fruſtra quia non eſt ibi hominum habitatio poſt peccatum: ſicut etiam non fruſtra fuit homini attributa immortalitas, quam conſeruaturus non erat. Per huiuſmodi enim oſtenditur Dei benignitas ad hominem, & quid homo peccando amiſerit: quamuis, vt dicitur, nunc Enoch & Elias habitent in illo Paradiſo.* Scotus etiam probat Paradiſum eſſe locum conuenientem habitationi hominum per Enoch, & Eliam ibi commorantes. His additur a Diuo Hippolyto Epiſcopo Portuenſi, & Martyre *orat. de conſumat. ſecul. Par. 3. Biblioth. p. p. col. pag. 141. lit. A.* & ab alijs quibuſdam, tertius comes D. Ioannes Euangeliſta: de quo citatus ſanctus Præſul ait. *Prior ipſius Aduentus Præcurſorem habuit Ioannem Baptiſtam. Poſterior vero, in quo venturus eſt in gloria, Enoch, & Eliam, & Ioannem Theologum exhibebit.* Idem ſentit Ioannes de Mayronis ſerm. de S. Ioan. & Simeon Metaphraſtes in eiuſdem vita. Pro hac etiam opinione Ioannes Stephanus Menochius lib. 1. Erudit. Enarrat. centuria ſecunda cap. 93 pag. 298. citat D. Ambroſium, D. Dorotheum Tyri Epiſcopum, Theophilatum, Eutimium, Catherinum &c. (licet ipſe Menochius contrariũ ſentiat.) His haud ſpernendis coniecturis adductis; prima ex illis verbis Angeli ad Ioannem exulantem in Pathmos. *Apocal. cap. 10. verſ. 11. Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Quæ Prophetia completa non eſt, nam D. Ioannes ex exilio dimiſſus, quib. prædicauerit Regibus, vel prophetauerit, non legitur, præſertim cùm eo tempore Romano Imperio Aſia ſubiecta eſſet. Eſt & altera congruentia, vt ſicut tres ſtatus ſunt naturæ lapſæ, ſcilicet naturæ, legis, & Euangelii, ſic tres ſint contra Antichriſtum teſtes, pro ſtatu legis naturæ Enoch, pro ſtatu legis moſaycę Elias, & pro ſtatu legis gratię Ioannes; de quo non moriturum niſi in fine mundi (martyrio videlicet conſumatum) in Euangelio legimus. D. etiam Iſidorus docet Enoch, & Eliam in Paradiſo eſſe dum ait *de vita ſanct. num. 3. pag. 359. col. 2. lit. A. Enoch meruit in eum locum transferri, vnde fuerat Protoplaſtus excluſus.* Et ſi etiam adhuc Ioannes viuit, ibidem eſſe oportet. Inſuper putat Diuus Iuſtinus martyr *Reſp. ad quæſt. 85. orthod. pag. 192. col. 2.* Sanctos illos, qui Chriſto moriente ſurrexerunt, vt dicitur *Matth. cap. 27. verſ. 52. Multa corpora ſanctorum, qui dormierant ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.* Non iterum occidiſſe, neque ſimul cum corpore in Cœli gloriam translatos, ſed vſque ad iudicij diem, comites datos Enoch ad Paradyſi deliciis fruendum. *Qua de cauſa reſuſcitati illi mortem denuo non oppetiere, ſed in immortalitate manẽt, ſicut Enoch, & Elias, cum quibus in Paradiſo ſunt; reſurrectionem Ieſu Chriſti expectantes.* Tandem ita ſentit D. Ireneus *lib. 5. c. 5. contr. hæreſes ap. Penc. in 2. ſent. Scot. to. 2. pag. 655. col. 1. Vbi ergo poſitus eſt homo, ſcilicet in Paradyſo, quod ſcriptura dicit: Et plãtauit Deus Paradiſũ in Edẽ circa orientẽ: Quapropter dicũt Presbyteri qui sũt Apoſtolorũ diſcipuli eos, qui trãslati sũt, illuc trãslatos eſſe.*

6 Contra Paradiſi exiſtentiam contrarium ſentientes obijciũt primò. Neceſſe eſt, vt ibi ſit Paradyſus, vbi sũt flumina, quæ de illo exeunt; ſed Tigris & Euphrates sũt in Meſopothamia, & ibi nullus eſt Paradiſus, ergo non extat. Reſpõdetur Deum occultaſſe fontes quatuor horum fluminũ, præſertim cũ aliorum fluminũ fontes in Meſopothamia nõ reperiantur, neq; ex hoc aliquid deducitur, nã Ganges, & Indus conuincerent ipſum eſſe in India. Neq; quod in Confirmationem adducitur firmum eſt; ibi fuiſſe Paradyſum, vbi quieuit Arca: cum ſimile vero nõ ſit in eodẽ loco, vbi confecta fuit, Arcam quieuiſſe, ſed iactatã fluctibus, per multas terrarũ, & Marium ſpatia cucurriſſe, donec in Armeniæ montibus requieuit. Obijciunt ſecundò Aquam diluuij, quæ cum omnes ſuperauerit montes, etiam Paradyſum operuit, ac deleuit. Sed Reſpondet Scotus loc. cit. *Nec valet Argumẽtum de diluuio; quia aquæ diluuii inundauerunt miraculosè ſic aſcendentes ad punitionem peccatorũ: vbi igitur non inundauerunt nõ eſt factum miraculum ibi. In Paradiſo autẽ, cũ non eſſent peccatores ibi, non debuerunt per miraculum inundari.* Cõfirmatur hoc, quia cum dicitur mõtes omnes aqua ſupergreſſa excipiendus eſt locus Paradyſi, nã in propoſitionibus vniuerſaliter veris moralibus, poteſt dari exceptio: ſicuti a pari, ait D. Paulus, nonniſi octo perſonas ſaluas a Diluuio permãſiſſe, omnes reliquos homines mortuos; hoc autem ita intelligendum eſt, vt tamen Enoch etiam, qui nonus erat, ſaluus ſit; ita & de Paradyſo ſentiendum concludimus.

§. III.

De Cedris Libani.

1 CEdri libani, *quas plantauit*. Inter tam multas Arbores, quæ in mundo conſpiciuntur, ſolummodò de cedris ſit mentio, quòd ſi eorum nomine omnes Arbores ſignificatas credimus cum D. Baſilio, qui *in Pſ. 103.* ait; *Libani autem tanquam inſignis montis, Cedrorumq; illius mentionem faciens, reliquas etiam montes, atque Arbores eorum ſignificauit.* Magna ſequitur eſſe Cedrorum præſtantiã, dum per antonomaſiam pro cunctis lignis explicantur. Hoc eis propter celſitudinẽ eorum, ac montis libani altitudinem conuenire inſinuat Pſaltes, dum ſupremam Hominis exaltationem Cedris Libani comparat: *Pſal. 36. Vidi impium ſuperexaltatũ, & eleuatũ, vt cedros libani.* Vbi D. Ambroſius *in Pſ. 36.* hæc habet. *Cedri & ipſæ altæ ſunt, & in monte ſunt altiſſimo.* Tanta ergo eſt Cedrorum pulchritudo, & magnitudo vt omnium arborum præſtantiſſimæ ſint, & quaſi Principes; ſed præſertim, quæ in Syria, & in monte libano reperiuntur, cæteris eminent, vt docet Theophraſtus *de Plant. lib. 5 cap. 19. pag. 115. Alibi Cedrus miranda aſſurgit, vt videre in Syria licet: illic enim Cedri in montibus cum longitudine, tum craſſitudine præſtantiſſimæ naſcuntur. Quippe adeo craſſeſcunt, vt ſint, quas vlnæ hominum quatuor nequeant amplecti:* Eiuſdem excellentiæ propalator eſt Magnus Baſilius, qui licet enumeret Cedros inter infrugiferas arbores, earum tamen pulchritudinem commendat, his verbis *in c. 2. Iſai pag. 673. lit. F. Cedri plantæ ſunt infrugiferæ, æſtimationis alioqui non contemnendæ, in proceram altitudinẽ, & ampliſſimam excreſcentes, proq; temporis progreſſu ſemper ſe ſublimitate ſuſtollit ea arbor.* Et hoc dicit capta occaſione ex ſententia Iſaiæ, qui Domini exaltationem ſuper omnia, & præcipuè ſuper cedros libani commemorat: *Iſai c. 2. v. 13. Et ſuper omnes cedros libani ſublimes, & erectas.* Huius arboris exactam deſcriptionem a B. Alberto Magno *lib. 6. de veget. & plant. trac. 6. cap. 11. pag. 435. col. 2.* habemus, qui de ea ſic ſcribit. *Cedrus, quæ vero, & proprio nomine Cedrus vocatur, valde quantitatis magnæ, & proceritatis eſt in partibus orientis, & eſt in monte Libano. Cedrorum etiam lignum exteriori tunicæ eſt quaſi denigratus ſanguis, & ſuccus eius ſicut ſanguis emanatus de venis Animalium,* inueni-

Digitized by Google

inuenitur autem fructus rariſſimus in hoc genere cedrorum: propter quod etiam quidam dixerunt eſſe arborem infrugiferam.]

2 Verſum hunc exponens Caietanus, quorũda refert opinionem, exiſtimantium, hic loqui de cedris etiam in prima parte; ita vt ſenſus ſit: *Saturabuntur ligna Domini*, ideſt, *Cedri libani, quas plantauit*: Quare autem Cedri ſpecialiter ligna Domini appellentur, reddit rationem, quia ligna cedrina incorruptibilia, & imputribilia ſunt, quapropter Dei immortalitatem ſignant. *Vt nonnullis placet, appoſitiuè explicantur ligna Domini per Cedros libani: appellata Domini, quia imputribilia.* Atque hac de cauſa Deorum Templa, ac Regum Palatia cedrorum lignis conſtruebantur; ſic habetur in Canticis *cap. 1. ver. 17. Tigna Domorum noſtrorum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina, ſeu abiegna*, (nam & inter cedrum, & Abietem haud multum intereſt) vt i ait Cardinalis Hugo *in cantic. pag. 112. col. 3. Hæc Tigna ad ſupportandum tectum eleuantur binatim colligata, vnde, & tigna dicuntur, quaſi tecto nexa, vel tectum tenentia. Cedrus vero arbor alta eſt, & imputribilis, cuius odor, & ſuccus ſerpentes extinguit, & ſemper creſcit, cùm aliæ arbores finem, vel terminum habeant ſui crementi.* Has ergo ob cauſas Domus Regum Iſrael ex cedro conſtructæ, & exornatæ erant, & etiam Templum Domini a Salomone excitatum laquearia, & tigna cedrina habebat, vt colligitur ex 2. Reg. cap. 7. & 3. Reg. cap. 6. & libris Paralipomenon: vt obſeruat Ghislerius *in cap. 1. ver. 17. Cant. expoſ. 1. literal. pag. 267. col. 2. lit. A. B. Alluditur autem ad antiquam Regum Iudæorum conſuetudinem, qui in domibus cedrinis habitabant, vt de ſemetipſo ait David ad Nathan Prophetam: Vides ne quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium? Sic & de præſtantiſſima illa Domo, quam ædificauit Rex Salomon, quamuis tota ex lapidibus pretioſis eſſet ædificata, cedris tamen eam totam exornatam legimus: ſic enim dicitur in 3. Regum: & tabulatis cedrinis veſtiuit totam cameram: &c.* Neque ſolum Domus, & Templa, ſed & ipſæ Deorum Imagines apud Gentes, vt diù ſeruarentur ex cedro fiebant: & quia cedrinum lignum humidum eſt, hinc legitur aliquando ſimulacra ſudaſſe; ita ait Theophraſtus *de plant. lib. 5. cap. 10. pag. 117. Cedri materies nata eſt humorem emittere; & in plenum omnes, quibus oleoſus eſt humor. Quamobrem Deorum ſtatuæ viſæ ſunt aliquando ſudaſſe; ex his enim eas condere conſueuerunt.* Hæc ille. Ego autem ſimili ſuaſus ratione vero haud abſimilem puto eorum opinionem, qui Deiparæ, & Chriſti Ieſu priſcas in Siria factas imagines ex cedrinis lignis cælatas iudicant. Nam illibatam Filii innocentiam, & immortalitatem; nec non Genitricis intactam virginitatem, & immaculatam conceptionem ipſa ſtatuarum imputribilis materia declarabat.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

QVotieſcumque e Cælo Diuinitatis gratiarum pluuiæ in mortalium corda diffunduntur, ſemper ligna Domini ſaturantur: ſiue mentes ſint, quæ ſupra ſeipſas elatæ in Dei præceptorum meditatione conſeneſcant, quæ laborum ſuorum fructum, in plena Trini Numinis cognitione reportant; ſiue Potentes homines, qui ex exuberante diuitiarum affluentia, pauperes alendo, virtutes proprias, ac merita nutriunt; neque minoris efficaciæ ad boni proſequutionem, Maiorum exemplum eſt; quorum vita ſubditis norma eſſe adſolet diſciplinæ.

SVMMARIVM.

1 *Qui Dei legem meditatur Diuina ſaturatur cognitione.*
2 *Potentes Dei ſeruos paſcentes in virtutibus creſcunt.*
3 *Subditi ſecundum Maiorum exempla viuere ſolent.*

§. I.

Qui Dei legem meditatur Diuina ſaturatur cognitione.

1 S*Aturabuntur ligna Domini*: Sapientiſſimus ille æternæ Maieſtatis Sol, ſic in ſuis operibus lucet, vt omnia illuſtratione ſua clarificet. Cum tamen ſolis naturam, & nomen habeat, & operandi modum illius habet. Sol oculis humanis nequit videri, ſed animo meditatus conſpicitur: temerè videns viſum amittit, curioſè contemplans mentem acuit. Ille ergo ſolis ſatiatur cognitione, qui leges eius motus, influxus, illuminationis penetrat. Vera Diuinitatis Imago, qui de Deo oculis humanis, ideſt naturalibus ductus indicijs, & ſenſualibus phantaſmatibus roboratus Dei eſſentiam cognoſcere præſumunt, ipſi cæcutientes decipiuntur; qui vero ſenſibus deſpectis legem tantummodo eius, reuelationeſque in ea contentas deuoto ſtudio meditantur, ipſi Dei cognitione ſaturantur: iſta ſunt *ligna Domini*, mentes deuotæ, ac fideles, quæ cum timore meditantes, & cum amore ſpeculantes, vera ſapientia replentur; vt docet apertiſſimè D. Ioannes Chriſoſtomus. *Saturabuntur ligna Domini: quanam autem re ſaturabuntur? Diuina videlicet cognitione. Quonam vero pacto ſaturabuntur? per legis meditationem: ac proinde etiam Domini ligna appellauit; quandoquidem qui diuinam legem die ac nocte meditātur lignum ſecus decurſum Aquarum appellatur.*

2 Volucrum nomine, quæ pennis in aera feruntur, ſapientiæ ſtudioſi ſignificantur, quandoquidem etiam ipſi ſpeculationis alis ad ſupernarum rerum cognitionẽ feruntur. Quia vero ſapiẽtia fluuio comparatur, poſſunt & eius amatores volucribus aſſimilari. Quædam repeRiuntur Volucres, vt ſunt Anſeres, & huius generis, quæ dum ad fluuium perueniunt in aquam ſe demittunt, & lutum commouentes aquam turbant, deturpant, conſpurcant. Alia e contra, vt columbæ in ipſa ripa ſtantes ipſam aquam aſſiduo ſpeculantur intuitu; Anſeres vel ſuperbos crede hæreticos vel infideles Philoſophos: hi eum ad diuinam legem accedunt meditandam, luto terrenarum rationum eam conſpurcantes veram ex ea ſapientiam, tanquam ex lutoſo fluuio, haurire nõ poſſunt: Columbæ vero, Animæ ſanctæ, quæ mente pura, & animo deuoto contemplantur Dei legem, aquam diuinæ cognitionis mirabiliter potantes, diuinis myſterijs ſatiantur. Idcirco autem Chriſti oculi, ſancti ſcilicet, Columbis comparantur: *Cant. cap. 5. ver. 11. Oculi eius ſicut columbæ iuxta riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxtà fluenta pleniſſima.* Hæc fluenta Diuinæ legis paginæ ſunt, oculi iſti columbarum Animæ ſanctæ, & puræ, quæ dum legem deuotè meditantur, Dei cognitione

Digitized by Google

tione ſaturantur; vt mellifluus teſtatur Bernard. *de mod. ben.viu.ſer.55.pag.307.lit. I. Oculi ſponſi ſancti viri ſunt, quia ſicut Columbæ in ſimplicitate viuunt &c. Quid perfluenta pleniſſima, iuxta quæ ſedent intelligimus, niſi ſacræ ſcripturæ profunda, & arcana dicta, quibus nos reficimus, dum ea legendo, vel audiendo haurimus?* Sic veritatem hauriunt, & bibendo ſatiantur:

3 Omnium viuentium vita in operatione conſiſtit, cumque operando conſumatur potentia, eſcis nouis ad reſtaurationem indiget. Quæ materialis eſt, carnalibus ſaturatur eſcis, Intellectualis vero nouis, & ſubtilibus cognitionibus expletur. Verum inter cæteras Dei cognitio præſtantiſſima eſt, qua cum eſcis ſactarum literarum meditando ſaturatur anima, delicijs inenarrabilibus fruitur: etenim illo cibo impletur, qui Deum ipſum paſcit. Qnod perſpiciens Patientiſſimus, inquit. *Iob cap. 22. verſ.26. Tunc ſuper Omnipotentem delicijs afflues; & eleuabis ad Deum faciem tuam.* Quaſi diceret: Sacram ſcripturam contemplando illa ſaginaberis eſca, qua paſcitur omnipotens ipſe Deus, ideſt diuina cognitione: Hæc porro vera eſt Ambroſia, hoc Nectar cœlicum, Hoc Dei beatificans epulum, ſuæmet cognitionis fruitio. Teſtatur id magnus Gregorius *lib. 16. cap.9.mor.pag.669. lit. A. Super omnipotentem delicijs affluere, eſt in amore illius ſacræ ſcripturæ epulis ſatiari: in cuius nimirum verbis tot delicias inuenimus, quot ad profectum noſtrum intelligentiæ diuerſitates accipimus.* Ex ſacra enim ſcriptura illa Dei hauritur cognitio, quæ philoſophicis ſpeculationibus conſequi impoſſibile eſt.

4 Hæc ergo Tentatoris deceptio fuit, qui Dominum ieiunantem, ac eſurientem offendens ad panis creationem, vt famem expleret hortatus eſt; neque enim conſiderabat, eum, licet famelicũ, meditantem; cùm enim ſacras contemplaretur ſcripturas, quo cibo indigere poterat, qui immenſo paſcebatur epulo? etenim diuinarum ſcripturarum eloquium eſcarum omnium ſapidiſſimum, maximè ad ſeruandam vitam, & in æternum ſtabiliendam deſeruit. Idcirco Diabolo panis procurationem ſuadenti, optimè reſpondit Dominus: *Luc. c.4. verſ.4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.* Pane non indiget, qui Verbo paſcitur; ſacra ſcriptura omni eſca præſtantior, mentem roborat, animam nutrit, cor ſatiat, & diuina cognitione impinguat; ſapienter id teſtatut D. Ambroſius *ſer.37.fer.6. Dom.1. Quadrag. tom.5. pag.43. lit. E. Quam bene ieiuniorum tempore Verbum Dei dixit eſſe, quod reficit, vt oſtenderet ieiunia noſtra non debere ſæculi actibus occupari, ſed ſacris literis exerceri. Negligit enim famem corporis, qui pabula lectionis intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœleſtis acquirit. Ipſa enim eſt refectio, quæ ſaginat animam, quæ impinguat viſcera, cum de diuinis ſcripturis cibum eloquij perennis accipimus: ipſa eſt eſca quæ vitam æternam tribuit.* Meditemur ergo legem diuinam, Verba ſacræ ſcripturæ, vt diuina ſatiemur cognitione.

§. II.

Potentes Dei ſeruos paſcentes in virtutibus creſcunt.

1 C*Edri libani, quas plantauit.* Diuinæ irroratione gratiæ omnia quidem ſaturantur ligna, omnes proficiunt Animę; veruntamen de Cedris libani fit ſingularis, & ſpecialis mentio; per ipſas namque Viri Diuites nobiles, & potentes ſignantur: iſti diuitijs, & amicitijs potentes, tamquam Cedri ramos ſuos extendunt, vt ibi aues nidificent, hoc eſt Dei ſeruos ſuis facultatib. cibãt; & ſic ipſi in virtutib. creſcunt, gratiam adaugent. Nonnè obſeruaſtis aliquando oues dum herbiferam depaſcũt terrã, eam ſuo fimo impinguare? Ita prorſus Magnates huius ſæculi, dum a Religioſis viris depaſcuntur eorũ merita impingnant: Ideo de Cedris ſpecialis eſt ſermo. Nõ minuitur aurũ, quod in Dei alendis pauperibus erogatur; paſſeres ſunt, qui in harũ cedrorum ſpe nidificantes, earum virtutem illuſtrant. Benè ergo dicitur: *Saturabuntur Cedri libani, quas plantauit:* & reddit rationem, quia, *Ibi paſſeres nidificant:* Diſcamus hoc ex Ruperto *lib.4. in Cant. tom.1. pag. 1092. col. 1. Nimirum ligna Libani ſunt quidem amica noſtra: amici illi, qui ſunt nuptiarum noſtrarum filii, ſiue domeſtici, nihilominus ſunt potentia ſæculi grandes, & excelſi, atque facultatibus dilatati: ita vt ex eleemoſinis eorum ſuſtententur paruuli noſtri, paruuli ſpiritualis propoſiti, quemadmodum in ramis lignorum libani nidificant paſſeres exigui: vnde eſt illud in Pſalmo ſcriptum: ſaturabuntur ligna campi, & cedri libani, quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt.* Nam ſic pauperes Dei famuli dum paſcuntur a potentibus, eorum charitatem oſtendunt.

2 Alibi cum de eleemoſina loqueremur, ipſam ſemini in terram diſperſo comparauimus, non enim perdit ſemen qui ſpargit, ſed multiplicatum colligit fructum: nunc vero in ipſa ſiſtimus metaphora: ipſa eleemoſinæ erogatio, non ſolum præmium promittit, ſed dat. Cum aliquis Diues, vel Principes ſuam potentiam, diuitiaſque oſtendere vult, ſpargit quandoque in populum nummos, vt ex hac liberalitate, nomen Diuitis, & gloriam munificentis aſſequatur. Hoc & ſæculi Magnates habent dum pauperes cibant, ex hoc coram omni populo ſuam iuſtitiam oſtenduut. Quod bene declarat Pſaltes, dum ait: *Pſal.111. verſ.8. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Dat egenti panem, & ſe ipſum gloria cibat, & ſuas virtutes illuſtrat, nam iuſtitiam ſuam eterno ſplendore decorat. Ita Generandus *in Pſal.111.pag.493. lit. D. Diſperſit, dedit pauperibus: Libenter, & liberaliter tribuit pecunias ſuas egentibus, omnibus prodeſſe ſtudet, larga veluti manus, vt qui ſemen ſpargit: Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi: Virtutis eius meritum erit perpetuum. Vnde repetitur hoc hemyſtichium e verſu tertio ad maiorem confirmationem.* Virtutis ergo Diuitis pauperum eſca eſt incrementum: paſcit Dei ſeruos, & interim ſeipſum ſpiritualiter nutrit.

3 Mirabile quoddam in Principum Domibus cernitur: ibi prætioſæ quæque ſuppellectiles auro, geminiſque exornatæ, ſerico intextæ, ne a pulueribus commaculentur, rudi, & vili tegmine operiuntur; ſic vnio orientalis, tyria purpura, ſericanus labor, prætioſa viſcera terræ ſacro cooperta teguntur. Domus Altiſſimi Eccleſia eſt; ſunt & ibi prætioſæ ſuppellectiles pauperum ſanctorum, ſed niſi ſacco tegantur, a ſuperbiæ, & aliorum vitiorum puluere deturpantur, ſaccus vero Diues eſt, qui ſuis eleemoſinis præcioſa conſeruat; hos ergo cũ paſcunt Diuites ſe a tinea peccatorũ pręſeruant. Huius figura extitere ſaga illa cilicina, quæ ad Domini tabernaculum operiendum facere iuſſus eſt Moyſes: *Exod. cap. 26. verſ. 7. Facies & ſaga cilicina vndecim ad operiendum tectum tabernaculi:* Tabernaculum, vt notat Rupertus, byſſo, purpura, hyacinto, auroque exornatum, cilicinis ſagis operitur: nam Diuites facultatibus ſuis Dei ſeruos nutriunt, vt ſepoſita cura conuerſationis ſæcularis ad victum comparandum, in ſua puritate conſeruentur: quod facientes ſaga locum habent in Tabernaculo, quia Diuites huiuſmodi pauperibus largiendo, propria delent peccata. Sed ipſum audiamus Rubertum ita loquentem *lib.4. c.11. in Exod. tom.1.pag.270.col.2. Poſſunt tamen per ſaga, quæ byſſum, & purpuram, hyacinthum & coccum, ne procellarum iniuriis pateant, ſubtegunt, ſæculares intelligi Diuites, qui in Eccleſia ſunt, qui ſanctis, vel in ſancto propoſito Deo ſeruientibus, ne vllam habeant neceſſitatem vagandi foris, quod non expedit animabus eorum, neceſſaria vitæ de facultatibus ſuis ſubminiſtrant, pro redemptione peccatorum ſuorum.* Tecti pauperes ſanctitatem ſeruant, tegentes Diuites peccata redimunt; illi virtutem roborant, iſti merentur.

§. III.

Subditi ſecundum maiorum exempla viuere ſolent.

1 ET *cedri libani, quas plantauit*. Arbores prægrandes a Deo ſatas, nutritaſque perſpicimus, & licet ſingularum vtilitates nequaquam cognoſcimus, non propterea caſu genitas dicendum eſt, ſed maxima prouidentia: In hoc verſu Cedrorum libani, & reliquarum Plantarum vna declaratur vtilitas, paſſerum videlicet nidificatio, quæ in ipſis fit: *Illic paſſeres nidificabunt*: Paſſeres in Eccleſia ſunt ſubditi, populares, plebei; hi in Cedris nidificant, hoc eſt in exemplis ſuperiorum, & maiorum proficiunt, nam ſolent vt plurimum ſubditi magis ad vitam, quam ad mandata maiorum reſpicere; Ideoque ligna Libani, ideſt Maiores in Eccleſia diuina gratia ſaturantur, vt ea ſcientes vti, per laudabilem conuerſationem Dei ciuitatem ædificent, & puſilli ſubditi, ceu cæleſtes Auiculæ, in ramis bonorum exemplorum nidificent. Hæc docet Incognitus. *Et cedri libani, quas plantauit: Per Cedros Prælatos intellige, in quibus paſſeres, ideſt ſubditi nidificare debent, ab ipſis exempla accipiendo.*

2 Cum primùm crearet omnipotens hominem, & cætera animantia terræ, vt ſacra docet ſcriptura, *maſculum, & fœminam fecit eos*. Sed illud ſine obſeruatione dimittendum non eſt, quòd homo prius creatus eſt, deinde ex coſta eius fœmina, vt videlicet viro ſubditam ſe cognoſceret, ex cuius carne viueret, & ad eius exemplum viueret, cuius participabat naturam. Fœminæ conditionem ſortiuntur ſubditi, in eo quod ſuperioribus, & Prælatis ſe conformare ſolent, & eorum veſtigia ſequi; Ipſi vero tanquam maſculi virtutum exemplis præire debent. In leuitico Peccantibus ſacrificia ad peccatorum expiationem deſignantur, & eiuſdem ſpeciei tam Prælatis, quam plebeis aſſignantur pecora, hoc duntaxat excepto, quod Princeps maſculum animal offerre debebat: *Leu. cap. 4. ver. 22. Si peccauerit Princeps, &c. offeret Hircum de capris immaculatum*: Plebeius vero fœminam offerre debebat: *ver. 29. Si peccauerit anima per ignorantiam de populo, &c. offeret capram immaculatam.* Cur autem Principi Hircus, & plebeio aſſignatur capra: Hæc, vt mihi videtur, cauſa eſt; nam ſicut grex caprarum hyrcum ſequitur, ita populares, & ſubditi vitam Principum imitantur; & ſicut fœmina niſi recepto a maſculo ſemine, non concipit, ita non peccat multoties popularis, niſi inſtigante malo ſuperioris exemplo: Quæ ſpeculatio eſt Abbatis Ruperti *lib. 1. cap. 19. in leuit. to. 1. pag. 298. col. 2. Eadem lex Plebei, & Principis, excepto, quod Princeps hyrcum maſculum, Plebeius capram fœminam offerre debet. Nam quemadmodum fœmina non a ſemetipſa concipit, ſed ex maſculo ſemen recipit: ſic plebeus, ſiue popularis ignem peccatorum non a ſemetipſo inuenit, ſed a præeunte maioris exemplo peccatum admittit*: Non enim malum putat quod a maioribus amplecti videt; & libenter ſequitur Superiorum exemplum.

3 In ſtatu illo innocentiæ ſi permanſiſſent homines, temperatæ Regionis fruentes deliciis, nequaquam veſtibus indiguiſſent: poterat nuda innocentia videri, neque frigus timebatur, nec calor. Poſt peccatum vero verecundia ſurrexit, & ad tegenda corpora veſtis inuenta. Longa tamen conſuetudine contumelia in honorem mutata, veſtium nunc pompa gloriamur. Qua in re difficile eſt dictu quot, quantaſque nouitates, veſtiumque modos vanitas mortalis inuenerit: neque ad hoc aliquod præceptum eſt neceſſarium, nam ſtatim ac maiores nouis amicti veſtibus incedunt, earum formam imitantur minores. Nuda per peccatum remanet Anima, nec meliorem amictum ad nuditatem tegendam inuenire poteſt, quam pœnitentiam, ac lacrymas, quæ peccatorum maculas tergunt; ſed cum in Prælatorum oculis lacrymarum pœnitentium erumpunt riuuli, etiam in ſubditorum facie lacrymoſus humor inundat. Aſpiciebat Propheta in maieſtate ſedentem Dominum Seraphim volantibus circumdatum, qui duabus alis facies, pedeſque velabant; quod cum deſcriberet, ait *Ezechiel. cap. 1. ver. 23. Vnumquodque duabus alis velabat caput ſuum, & alterum ſimiliter velabatur.* Sed ſi dixerat vniuerſaliter, *vnumquodque*, quod verbum omnes comprehendebat, quid neceſſe fuit addere, *& alterum ſimiliter velabatur?* Quia videlicet in his Seraphim Prælatos, & ſubditos in Eccleſia ſignabantur: Vt ergo oſtenderet ſubditos cum velatos ſuperiores vident, cum lacrymantes, & pœnitentes offendunt, ſtatim & ipſos propria peccata tergere lacrymis, ideo adiecit, *& alterum*: quia ſubditi confunduntur cùm maiores virtute præditos vident, & verecundantur illis diſſimiles apparere; vt apertiſſimè Romanus docet Gregorius *Hom. 7. in Ezech. to. 2. pag. 1269. lit. E. Poſtquam dictum eſt; vnumquodque: cur adycitur: alterum? cum in vnoquoque omnes comprehenduntur? Sed ſi & Perfectorum, & Proficientium merita diſtinguimus, & vnumquodque & alterum, non irrationabiliter poſitum videmus. Qui enim, & ſua deflent, & virtutum pennas ad proximum in exemplum tendunt procul dubio perfecti ſunt. Sunt autem pleriſque paruulorum, qui eorum lacrymas conſpiciunt, & imitantur: & qui nudi in ſuis prauitatibus eſſe potuiſſent, ſanctos, vigilantioreſque viros conſiderant, moxque ſuis prauitatibus irati, accenduntur, vt plangant, & inflammantur ad pœnitentiam.*

4 Dux ſtrenuiſſimus, ac ſanctiſſimus erat Dauid; neque ſibi ſat eſſe ad victoriam putabat, quod rectà imperabat; ſed quod omnium primus belli ſuſtineret labores, toleraretque penuriam: milites namque ægrè faciunt imperata Imperatore quieſcente; & vincuntur incòmodis, quæ deficiantes Duces non offendunt; & e contra prompto ſuſcipiunt animo, quæ Principe Duce aggrediuntur. Dauid ergo in hoſtium oculis caſtra firmauerat, quorum exercitus aditum ad Bethlehem intercludebat; ipſe vero dum ſiti laboraret, aquam de bethlehemitica deſiderauit ciſterna: *2. Reg. cap. 23. ver. 16. O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem*: Cumque tres fortiſſimi milites per medium hoſtium irrumpentes aquam aſportarent, eam Dauid *noluit bibere, ſed libauit eam Domino*: vt diſcerent milites ab Imperatoris temperantia ſitim, famem, ac cæteros perferre labores, videntes Regem magnum ſitientem, optatam aquam reſpuiſſe: Quis enim de ſiti quæri poterat, ſitiente Duce? eleganter D. Ambroſius *lib. 1. Apol. Dau. cap. 7. to. 4. pag. 360. lit. D. Vicit ergo naturam vt ſitiens non biberet: exemplum de ſe præbuit, quo omnis exercitus tolerare ſitim diſceret.* Nullus tam parui cordis miles reperietur, qui ſui Ducis inſequi detrectet veſtigia; nec vnquam dimicantem Principem, exercitus imitari, & ſequi cunctabit.

5 Hoc habent maioris pernicici Principum vitia, quod ad eorum exempla populi vitiis inuoluuntur, dum laudabile putant proſequi maiorem exempla: de quo Cicero *lib. 3. de legibus. Neque enim tantum malum eſt peccare Principes (quamquam eſt magnum hoc per ſeipſum malum) quantum illud quod permulti etiam imitatores Principum exiſtunt.* Quapropter ſapiens in ſuis Adagiis ſcriptum reliquit: *Eccl. cap. 10. ver. 2. Secundum Iudicem Populi, ſic & miniſtri eius; & qualis eſt Rector Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Mores ergo populi, & ciuium ſanctitas, Rectoris redolet perfectionem, & virtutem, & eorum diſſolutio Principis arguit improbitatem: ſub Rege armigero arma tractantur, ſub ſapiente, ſtudia amantur; ſub iuſto exulant iniuſtitiæ, ſub tyranno viget crudelitas, ſub Impio vitia debacchantur: nam Principis conuerſatio reliquis norma viuendi eſt; cùm ſoliti ſint minores ad maiorum exemplum viuere. Quod ſapientis dictum explicat Cardinalis Carenſis, *in cap. 10. Eccl. pag. 189 col. 2.* dicens: *Secundum Iudicem populi, ſic & miniſtri eius; & qualis eſt Rector Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea: Probat Author, quod bonus*

debet

Digitized by Google

debet eſſe, qui præeſt, quia moribus eius conformantur minores. Vnde Poeta:

Regis ad exemplum totus componitur orbis,
Et mobile ſemper mutatur cum Principe vulgus.

Vnde probabile argumentum, quòd Prælatus eſt bonus; cum familia eſt bona, & quod malus cum familia eſt mala. Tantum in ſimplicium cordibus ſpeculum vitæ maiorum pręualet, vt ex eius norma viuere haud erubeſcant,

6 Atque hoc erat Petri peccatum, quod prima facie leue videbatur, cum ſimulabat ſe a gentium conuerſatione abſtinere; verum graue erat, quia alijs ſimiliter ſimulandi occaſionem præbebat. Cum enim Petrus Caput eſſet, & Rector naſcentis Eccleſiæ, quæ ab ipſo fiebant, reliquæ turbæ erant documenta: Idcirco Paulus talem ſimulationem damnans reprehendit Petrum, dicens, *Ad Galat. cap. 2. verſ. 14. Si tu, cum Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non iudaice, quomodo cogis gentes iudaizare?* Iuſta quidem animaduerſio; ſed mihi videtur aliquantulum excedens; nam licet Petrus gentium conuerſationem deuitaret, & eſcas, non tamen hoc aut docebat, aut ſequi iubebat; cur ergo dicit: cogis? Quia videlicet aſpicientes eum Chriſtiani tanquam Eccleſiæ Principem, & Ducem; omnia; quæ ab illo fieri cernebant, ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſſe exiſtimabant: & eius incenſi exemplo cogebantur facere, quod is faciebat, vt ſaluarentur, vt optimè Angelicus Doctor docet, *lect. 3. in cap. 2 ad Galat. pag. 120. column. 2. litt. C. Quomodo cogis gentes; non quidem imperio, ſed tuæ conuerſationis exemplo, iudaizare? Et dicit: cogis: quia, ſecundum quod Leo Papa dicit, validiora ſunt exempla, quam verba:* Ergo ſi ad Superiorum exemplum ſubditi viuere adſolent. Principes, & Prælati magis ad iuſtitiam, & ad virtutum ſequelam tenentur, ne paruuli, & ſimplices eorum conuerſatione decepti, in animarum ſuarum perniciem, per vitia debacchentur. Eorumque ſcelerum rationem ipſi, qui præſunt, in extremo iudicio æterno Iudici ſunt reddituri.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Sextuſdecimus.

Satiata eſt ſicut Cedrus Libani, corruptionem neſciens peccatorum.

CÆlorum Regina ineffabilibus fulgens virtutibus, vt omnium ſpeciem oſtendat, varijs comparatur rebus; quæ varias eius excellentias demonſtrant; vt Lilium Virginitatem, Roſa ſuauitatem, Palma nobilitatem, Oliua miſericordiam, Platanus benignitatem, Sol pulchritudinem, Thronus maieſtatem, Arca maternitatem, Luna magnificentiam; Fons gratiarum abundantiam, & redundantiam, Speculum claritatem, Myrrha pietatem, & reliqua huiuſmodi. Hìc verò Cedro ſimilis dicitur; tum quia Cœlorum, & Terrarum eſt Regina, tum præſertim quia Cedrorum more, quæ Arbores imputribiles ſunt, ab omni peccatorum tinea extitit immunis, vt ſemper eſſet immaculata; quam comparationem tradit Petrus Bercorius, *Reduc. moral. lib. 12. cap. 22. pag. 511. column. 1. Cedrus propter ſuam altitudinem, & pulchritudinem arborum eſt Regina. Hæc enim numquam à vermibus corroditur, & gummi medicinale emittit, quo libri liniti, nec à tineis corrumpuntur, nec tempore antiquantur: & hæc facit fructum dulcem, & ſuauem, qui triplicis eſt ſaporis. Talis eſt per omnia Beata Virgo Maria; nam propter altitudinem contemplationis, & ſingularis dignitatis, propter fortitudinem conſtantiæ fidei, & firmitatis, et propter odorem ſuæ famoſiſſimæ Sanctitatis, Regina Angelorum ſcilicet, & hominum debet numcupari. Hæc enim numquam fuit à vermibus, ideſt à peccatis, & vitijs corroſa.* Cedrus ergo incorruptibilis Maria eſt, tineas peccatorum neſciens, & habens odoramenta virtutum.

Beata Maria Cedrus Libani à peccatorum tineis libera.

1 SAtiata eſt, &c. Mundus iſte corruptionibus obnoxius Diuinitatis nobis ingerere cognitionem haud valet; quę enim conuentio immortalitatis ad mortem, aut æternitatis ad tempus? Nihilominus quædam hic etiam reperiuntur, quæ imputribilia, & diuturna duratione conſpicua, aliqualiter immortalis, ſempiternique Numinis innuunt maieſtatem. Idcirco Dominus quæ ad ſui cultum elegit ex rebus imputribilibus fieri mandauit, vt Arca ſuæ Diuinitatis ſymbolum ex incorrupti-

rruptibilibus lignis facta eſt,& inſuper,vt oſtēderet mercem ſuam immortalitatis eſſe pharmacum, voluit Crucem eſſe Cedrinam, quæ arbor imputribilis eſt: de qua canit Eccleſia: *Inter omnia ligna Cedrorum tu ſola excelſior*. Decebat ergo tanti Numinis Genitricem immaculatam,& à peccatorum putredine omnino liberam eſſe; quæ puritas, & innocentia declarari melius non poterat niſi per Cedri ſimilitudinem, vnde dicitur, Cantic.*cap.5.verſ.15. Species eius vt Libani, electus vt Cedrus*: Quæ verba cum de ſponſo dicantur,ideſt Chriſto, etiam matris naturam demōſtrāt, cum eadem ſit vtriuſque caro:nam & de ea ait Sapiens, *Eccli.cap.24.ver.17. Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano*. Nam ſicut Libanus Mons eſt candidus,& Cedrus arbor incorruptibilis eſt, ita Dei Genitrix ab omni peccatorum macula libera,& omnium virtutum ſplendore candidata extitit: quod D.Bernardus docet,*ſerm.4.ſup.Salu.Reg.pag.307. lit.A. Libanus Mons,qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignat innocentiam tuam.Innocens fuiſti ab originalibus,& actualibus peccatis.Nemo ita præter te*. O Sanctiſſima Cedrus imputribilis, tinearum animæ neſcia,Libani ſanctitatis,& innocentiæ Incola;non eſt tibi ſimilis in filijs hominum merito Cedrus diceris, ex qua Arca Deifera facta eſt, vt ex matre omnino pura Deus ipſe naſceretur.

2 Tanta erat Chriſti Domini Sanctitas, & Innocentia,vt nulla in eo, vel leuiſſimæ maculæ ſuſpicio eſſe poſſet: quapropter ipſis inimicis, odientibuſque dicere eſt auſus, *Ioann.cap.8.verſ.46. Quis ex vobis arguet me de peccato*? quæ enim vel in Solis luce nebula, vel in niuis candore macula, vel in Deitatis imperio inobedientia eſſe poterat? Quomodo leges tranſgrederetur, qui condidit: quomodo à bono,qui eſſentialiter bonus eſt, declinaret? Quomodo terrenas ambiret Dignitates, qui in Cœlis imperabat? Quomodo mundanas delicias appeteret, qui Beatitudine fruebatur immenſa? Gulæ titillatio non vincebat, quem Verbi Diuinitas ſaturabat; nec habebat aliquid,quod inuideret,qui omnia poſſidebat. Non ergo contra legem peccare poterat Legiſlator. Idcirco de eo dictum eſt. 1.*Petr. capit.2. Qui peccatum non fecit,nec inuentus eſt dolus in ore eius*. Verum cum filij Parentibus ſimiles ſint,hæc eadem Domini impeccabilitas,Matris puritatem oſtendit:Impeccabilis per naturam filius,quia Deus; impeccabilis per gratiam Mater,quia Dei Genitrix;& puriſſimi hominis, ac Dei Mater, puriſſima & ipſa debuit eſſe, ne tanto fœtu videretur indigna:quo argumento vtitur Iſidorus Theſſalonicenſium Præſul,*orat.1.pagin.23. Qui ſolus, vtpote Deus,& Homo, peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Nullius autem criminis labe,nemo ſimilior Chriſto,quam Virgo puriſſima. Oportebat enim plus omnibus alijs aſſimilari filio Matrem: omnium hominum cognoſcitur candore puritatis excellentiſſima,quantum mente capi non poteſt Virgo immaculata*. Nonniſi ex Cedro domus,in qua habitaret Deus,Arca quæ clauderet Sanctitatem eſſe oportebat, vt nulla peccati tinea macularet mentem Diuinitate plenam.

3 Antequam mortalitatis noſtræ Verbum Dei indueret veſtem,futuram incarnationem varijs adumbrabat figuris,inter quas principem implebat locum Arca fœderis,quæ Dei Matrem figurabat,quæ fœderis ſempiterni in vtero geſtabat Authorem. Porrò Arca non ſolum ex lignis Sethim,hoc eſt incorruptibilibus eſt fabricata, verum ad maiorem puritatis oſtenſionem, & conſeruationem, operculo à Cherubim obumbrato, tecta eſt: *Exod.cap.25.verſ.20. Cherubim vnus ſit in latere vno, & alter in altero; vtrumque latus Propitiatorij tegant expandentes alas,& operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorio, quo operienda eſt Arca*. Tanta adhibita eſt diligentia, vt Arca per ſe imputribilis, diligenti cuſtodia à pulueribus vindicata, nullam vel intrinſecam, vel extrinſecam corruptionis cauſam haberet. Nec minori cura cuſtodita eſt Dei Mater,quæ intus Diuinitate repleta, dum Deum ipſum geſtat in vtero, & foris gratiarum munita præſidijs ſancto obumbrante Spiritu, nequaquam locus culpæ patebat;quare euidenter in Arca eius puritas eſt adumbrata, vt placet D.Idelphonſo, *ſer.1.de Aſſumpt.to.9.Biblioth. Patr.column.150.litt.C. Rectè Arca Sacramentorum Dei Virgo Maria fuit,ſupra quam ſanè Propitiatorium, & Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur: quia Mariæ nullum extrinſecum obtexit peccati contagium, ſed intus omnis cuſtodia legis, & Manna fuit; quod eſt mirabile Sacramentum, ac propitiationem humanæ ſalutis*. Sic tecta Virgo eſt,ſic Cedrus iſta per ſe imputribilis diligenti Angelorum, & gratiarum cuſtodia à culpæ tineis ſeruatur immunis.

4 Peroptimè in hoc eodem Pſalmo de Deo dicitur, quod nubes ponat currum ſuum: vt enim Omnipotentis celerem ad omnia concurſum oſtenderet, nubes poſuit,quæ velociter currunt: verum cum nubes expertes ſint grauitatis,& ſordium terræ,rectè vehiculum Dei eſſe poſſunt, qui ab omni macula alienus, nonniſi in immaculato ferculo apparere dignatur. Quapropter Propheta,cum Domini nunciaret aduentum nubem ei, & hanc leuem,pro curru aſſignauit, *Iſai.cap.19.ver.1. Ecce Dominus aſcendet nubem leuem,& ingredietur Ægyptum*. Hæc leuiſſima nubes,in qua fertur Dominus,vt ingrediatur Ægiptum,Beatiſſima Dei Mater, & Virgo eſt, quæ Dominum in ſuo vtero in huius mundi Ægiptum intulit:quæ nubes leuis deſcribitur,quia nil grauitatis,aut terreneitatis peccati in ipſa fuit; nubes quam puluis non grauat, pondus non deijcit, macula non deturpat, ventus non iactat,fulmen non frangit,pluuia nō conſumit;ſed nubes,quæ Diuini baiula Solis, varios veſtita gratiarum colores,tanquam æternæ pacis Iris innotuit mūdo;Eapropter, de ipſa ait Origenes, *Hom.3.in diuerſ.tom.2.pag.280.column.2 litt.L. Ecce Dominus ſedet in nube puſilla,carnalem animam non habente,nec aliquam peccati grauitatem*. Sic leui,& immaculata nube defertur, vt qui Cedrina delectatur domo, Matrem immaculatam haberet.

5 Habent hoc Cedri Libani ſingulare, quod, ſicuti aliæ plantæ,modum,& finem in creſcendo non habent, ſed continuo creſcunt;& ratio ea eſt,vti credo,quod cū Planta ſit incorruptibilis, eiuſque partes minimè computreſcant,noua eſca, quam ab immiſſis pluuijs haurit, non habet quid reficiat,ſed ſolum quod augeat; ſic ergo Cedrus ſemper augetur,& creſcit, quia decreſcit numquam. Simillima hæc eſt Virginis figura,quę cum numquam à gratia per peccatum defecerit; vnde cum omnibus alijs humanis plantis conuenit illud Pſalmi: *In peccatis concepit me mater mea*, vna Cedrus, vna Virginū excipitur Virgo à D.Bernardo dicente,*ſerm.13.de Cœn. Dom.pag.322.litt.A. Non eſt in filijs hominum magnus, vel paruus,qui non à peccatis fuerit conceptus,præter matrem immaculati peccatum non facientis, ſed peccata mundi tollentis: de qua cum de peccatis agitur nullam prorſus habere volo quæſtionem*. Ergo,cum nullam peccati defectionem habuerit Virgo,quam virtutibus repararet,ſemper creuit gratia in hoc ſæculo,ſemperque dilatat in Cœlo gloriam ſuam: ſicuti Cedrus celſiſſima Ideo de illa verificari poteſt,quod canitur:*Sicut Cedrus Libani multiplicabitur*; vti D.Idelphonſus approbat,*ſer.1.de Aſſumption.tom.1.Biblioth.PP.column.146.litt D. Hæc eſt, quæ vt Cedrus Libani, quotidie in terra multiplicabitur,dilatabiturque ramis, & in Cœlo radicibus, vt creſcat amplius ſolidatur*. Digna Deo Cedrus, quæ peccati tineæ neſcia,ſemper in gratia, & gloria creſcendo,æternitate firmatur.

6 Quidam reperiuntur fontes (ſi Plinio,cęteriſque Authoribus credimus) talis naturæ,vt quæ recipiunt ligna lapides reddant: vnde ſi in horum aquam Arboris truncus proijciatur,poſt aliquod temporis ſpatium lapideus extrahitur. Fons æternitatis eſt Chriſtus,idemque figuraliter de petra fluxit,quia & ipſe Dominus fons eſt, & petra;ſed cum fons ſit lapideus, arbores, homines videlicet,qui Arbores ſunt inuerſi,lapides facit,hoc eſt gra-

tia

Digitized by Google

tiã ſua firmat in bono, à malo præſeruat; quapropter Propheta Dei gratia in tentationibus ſolidatus,& fortis redditus, Deo canebat,2. *Reg.cap.*21.*verſ.*10. *Dominus petra mea*;hoc eſt,vt ait Lyranus,*Fundamentum me ſtabiliens contra multiplices incurſus*: ſiquidem,1.*Cor.cap.*10.*Petra autem erat Chriſtus*.Sed ſi Cedrus Virgo eſt, & in hunc diuinitatis fontem iniecta, quidni vt petra durueerit,vt eſſet peccatis impenetrabilis,gratiæ ſtabilis, in primo propoſito dura, in Æternorum affectu ſolida, ſancta mente,corpore incorrupta?Ita Abbas Guerricus diſcurrit,*ſer.*2.*in Ann.Si ergo Petra Chriſtus, non degenerat à Matre Filius, quando & ipſa Petra naturæ cenſetur:at non rectè petra vocatur, quæ, & in amorem integritatis propoſito firma,affectu ſolida, ſenſu quoque ipſo aduerſus illecebram peccati tota inſenſibilis erat, & lapidea*.Sic BeatiſſimaCedrus in aquamDiuinitatis proiecta lapis euaſit,vt eſſet in Cœleſti ædificio, poſt filium ſuum angularis lapis,totiuſque Regni Cęleſtis fulcrum, & ornamentum.

7 Domus ſupra petram fundata,ac Arbor firmis radicibus ob firmata,vento commoueri non poteſt, Cedrus præſertim,quæ corruptionem reſpuens,numquam conſeneſcit. Similiter,& Cedrus Deipara in Deo firmata, à peccatorum ventis commoueri non potuit, de qua ſcriptum eſt, *Pſ.*45.*verſic.*6.*Deus in medio eius non commouebitur*:Quod ſi Deum tangere culpam impoſſibile eſt, quid vbi Deus eſt culpę erit?nil prorſus:numquam ergo vel mortaliter,vel venialiter Virgo illa peccauit,quæ in ſui medio Deum tenuit.Quare concludit D.Vincentius *ſerm.de Natiu.B.Mariæ,pag.*289.*col.*2.*Numquam fuit aliquis Sanctus,nec Sancta,quin ceciderit,vel commotus fuerit,niſi Chriſtus,& Virgo Maria, quia Chriſtus iam in hac vita habuit priuilegium Sanctorum, qui ſunt in Cęlo,qui non poſſunt cadere, vel commoueri; ſic Virgo Maria,quæ numquam peccauit mortaliter, nec venialiter*. Cedrus Libani Virgo eſt; vt Cedrus ſatiata gratiarum pluuia, vt à peccatorum tineis libera, ac ſemper in virtutibus creſcens, in Æterni Pomarii ſolo firmaretur.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

PLuuijs de Cœlo cadentibus ligna ſaturantur camporum, & inter omnia Cedri Libani fouentur;ſic Spiritu ſancto illuſtrationem ſuam immittente,ſaturantur Scripturarum amatores cognitione cęleſtium,varias arborum, cedrorumque allegorias penetrando; quos nos imitando in hoc verſu lignorum,Cedrorum,ac Libani ſymbolicas acceptiones diſcutiemus.

SVMMARIVM.

1 *Lignorum acceptiones.*
2 *Quid Cedrorum ſignatum eſt nomine.*
3 *Quis,& quotuplex allegoricus Libanus.*

§. I.

Lignorum acceptiones.

1 LIgnum vniuerſaliter arborem ſiue frugiferum,ſiue non, ſignat.Et primo lignum vitæ eſt Sapientia æterna,de qua dicitur: Prouerb.*cap.*3.*v.*18. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam*, & D. Gregorius, *lib.*12.*cap.*4.*moral. pag* 584. *litt.A.Rurſum per lignum incarnata Dei Sapientia figuratur, ſicut de ea ſcriptum eſt: Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam.*

2 Lignum eſt Crux Chriſti: ſicut ait Ieremias, *cap.*11.*verſicul.*19. *Mittamus lignum in panem eius*, vbi idem Gregorius *loc.cit.pagin.*583. *litt.E. Crux etenim ligno ſignatur cum dicitur: Mittamus lignum in panem eius: Lignum quippe in panem mittere eſt Dominico corpori Crucem adhibere.*

3 Ligni nomine ſublimis, & humilis; iniuſtus homo, & iuſtus ſignificantur apud Ezechielem *capit.*17.*verſicul.*24. cum dicitur: *Ego Dominus humiliaui lignum ſublime, & exaltaui lignum humile*: ac idem Doctor *loc.cit. Ligni nomine vir iuſtus, aut etiam iniuſtus exprimitur; ſicut per Prophetam Dominus dicit: Ego Dominus humiliaui lignum ſublime, & exaltaui lignum humile.*

4 Ligna Paradiſi ſunt Sancti Eccleſiæ: quos ſignauit Scriptura dicens, Geneſ. *capit.*2.*verſicul.*9. *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum viſu*: vbi Abbas Rupertus *de oper.Spir.ſanct.lib.*1. *capit.*18. *tom.*1.*pagin.*647.*columm.*2. *Paradiſus quippe Sanctorum antiquorum, & Prophetarum erat Eccleſia, & in ea pulchrum lignum Abraham, pulchrum lignum Iſaac, pulchrum lignum Iacob, pulchra, & ſuauia ligna cęteri Patres ſancti, & iuſti.*

5 Ligna Syluarum ſunt Gentes antequam conuertantur ad Fidem; quæ ligna in ſua conuerſione exultatura ait Pſalmus 95. *verſicul.* 12. *Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum*, vbi D.Auguſtinus *in Pſal.*95. *pag.*441. *columm.*1. *litt. A. Ligna ſyluarum Pagani ſunt: quare nunc gaudent? quia præciſi ſunt de oleaſtro, & inſerti in oliuam.*

6 Lignum plantatum ſecus aquas, eſt Chriſtus Dominus de populis peccatoribus formans Eccleſiam, ſecũdum Pſ.1.*v.*3.*Erit tanquam lignum,quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*, vbi idem Diuus Auguſtinus *in Pſalm.* 1. *pag.*5.*colum* 1.*litt.D.Lignum ergo illud, ideſt Dominus noſter, de aquis decurrentibus, ideſt populis peccatoribus trahens eos in via in radices diſciplinæ ſuæ; fructum dabit hoc eſt conſtituet Eccleſias.*

7 Ligna Regionis ſunt Angeli, de quibus Propheta Ezech. *capit.*31. *verſic.*4. *Riuos ſuos emiſit ad omnia ligna Regionis*: & ibi Rupertus Abbas *lib.*1. *cap.*11.*de Victor.Verb.Dei,tom.*2. *pag.*491. *columm.*1. *Riuos namque ſuos emiſit ad vniuerſa ligna regionis; quia ſapientiam ſuam multam effundendo, vniuerſas Angelorum multitudines circumuenire, & in ſententiam ſuam deducere laborauit.*

8 Lignum viride Iudæum,lignum verò aridũ Gentilem ſignat apud Ezechielem *cap.* 17. *v.* 24. *Ego ſiccaui lignum viride,& frondere feci lignum aridũ*, & D.Hieronym.*in Ezech. pag.*504.*lit.E. Qui exſiccauit lignum viride Iudæorum florens, & germinans in lege, & Prophetis; & frondere fecit lignum aridum nationum; vt quod ſemper loquutus eſt,opere compleret.*

9 Ligna Libani ſunt Sancti, à quibus portatur Dominus, in cuius figuram dicitur, Cantic.*cap.*3.*verſic.*9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de Lignis Libani*: vbi Rupertus, *lib.*3.*in Cantic.tom.*1.*pag.*1085.*columm.*2. *Vnde Rex Salomon hoc ferculum fecit? De lignis Libani,ideſt de hominibus ſanctis,hominibus fidei imputribilibus.*

10 Ligna mutata in æs ſunt homines antea inutiles, vtiles redditi, quod facturum ſe promittit Dominus: *Iſai.*

Digitized by Google

Iſai.cap.60. ver.17. Afferam pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum; Vbi D.Hieronymus *in Iſai. pag. 262. lit. H. Ergo in inſtauratione ſpiritualis Hieruſalem ligna vertentur in æs, & lapides mutabuntur in ferrum, ideſt Bruti quondam, & inſenſibiles homines, in eas materias mutabuntur, quæ vtilitatem aliquam præbeant.*

11 Ligna quæ nutriunt ignem in Altari Domini, ſunt ſcripturæ teſtimonia, & ſanctorum exempla: de quibus dicit Dominus: *Leu.cap.6.ver.12. Ignis autem in Altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubyciens ligna mane per ſingulos dies*; & Magnus Gregorius *lib. 15. cap.7. moral. pag. 867. lit. A. Altare quippe Dei eſt Cor noſtrum, in quo iubetur ignis ſemper ardere, quia neceſſe eſt ex illo ad Dominum charitatis flammam indeſinenter accendere &c. Sacerdos ergo in Altari ignem nutriens, quotidie ligna ſubiciat, ideſt fidelis quiſque, ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde ſuo tam exempla præcedentium, quam ſacræ ſcripturæ teſtimonia congerere non deſiſtat.*

12 Lignea vaſa ſunt homines vitæ leuis, & mediocris: de quibus dicitur *Leuit. cap. 11. v.32. polluetur vas ligneum.* vbi Gloſſ. interlin. *Vas ligneum vita leuis, & mediocris.*

§. II.

Quid Cedrorum ſignatum eſt nomine.

1 C*Edri libani &c.* Quid cedrus eſſet ſatis ſupra explicatum eſt; nunc ad allegoricas ſignificationes accedendum eſt: Cedri ergo primo Angelos denotant; vt apud librum Numerorum Iſrael Cedris ideſt Angelis, comparatur: *Num.cap.24. ver.6. Quaſi Cedri, prope aquas.* Vbi Origenes *Hom.17. in Num. to.1. pag.151. col.1. lit.B. Incipe tantum, nec te perterreat (vt diximus) ſolitudo Deſerti. Cito in conſortium tuum etiam Angeli venient, quos ſub ſpecie Cedrorum arbitror indicatos.*

2 Cedri Dei cooperientes arbuſta Dei ſunt Apoſtoli, qui prius ſteriles, per fidem fæcundi facti ſunt: de quibus dicitur, *Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei.* Vbi D.Baſilius *in Pſal.28. pag. 78. col.2. lit. C. Cedri Dei ſunt illi, qui hactenus quidem ſteriles, & apti ad comburendum fuerunt, vbi vero ſub velamen, & tegumentum Chriſti venerunt, illumque veluti induti ſunt, per ipſius gratiam, propriæ vitæ ſterilitatem contegunt.*

3 Cedrus gloriam cæleſtem ſignat, de qua Vates: *Pſal.91. ver.12. Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur*: & D.Gregorius *lib.32. cap.12. moral. pag. 1049. lit. C. Cedri nomine cæleſtis gloriæ celſitudo exprimitur, ſicut Pſalmiſta teſtatur: Iuſtus vt palma florebit, ſicut Cedrus libani multiplicabitur.*

4 Cedrus ſuperbam prauorum potentiam denotat, quam frangit Deus: *Pſal. 28. ver.5. Et confringet Dominus Cedros libani*: & ibidem Gregorius. *Cedri nomine ſuperba prauorum potentia deſignatur, ſicut per eumdem Prophetam dicitur; vox Domini confringentis cedros.*

5 Cedrus Antichriſti ſymbolum eſt; de quo Iob *cap. 40. ver.12. Stringit caudam ſuam quaſi cedrum*: & idem ſanctus Doctor *loc.cit. lit. D. Recte voce Domini cauda illius cedro comparatur. Sicut enim Cedrus arbuſta cætera in altum creſcendo deſerit, ita tunc Antichriſtus mundi gloriam temporaliter obtinens, menſuras hominum & honoris culmine, & ſignorum poteſtate traſcendit.*

6 Cedrus cum odorata ſit Arbor ſignat exempla bona Iuſtorum in Eccleſia; quas Cedros dat Dominus: *Dabo in ſolitudine cedros: Iſai. cap. 41. ver. 19.* & D. Gregorius Magnus *Hom. 20. in Euang. to. 3. pag.55. lit. D. Cedri ſignantur nomine, hi qui virtutes, & ſigna exhibent in ſua operatione: qui dicere cum Paulo valent: Chriſti bonus odor ſumus.*

7. Cedrus Æternitatem figurat; propter incorruptibilitatem; ideoq; ex cedro Arca fœderis Domini confecta eſt: *Exod.cap.25. ver.10. Arcam de lignis Sethim compingite*: & Pierius Valerianus *Hierogliph to.1. pag.541. lit. B. Ante alias enim Arbores Cedrus Æternitatis Hieroglyphicum eſt, quia materia eius neque putreſcit, neque cariem patitur. Hinc Arca fœderis ex cedro fabrefacta eſt. Et cedro digna loqui, dicuntur illi, qui ea ſcribunt, quæ nulla temporum iniuria ſit abolitura: Et cedro digna locutus. Horat. de arte poetica.*

8 Cedri medulla, quam plantauit Dominus Chriſtus eſt: de qua dixit: *Ezech. cap. 17. ver. 22. Et ſumam ego de medulla cedri ſublimis, & ponam de vertice ramorum eius: tenerum diſtringam, & plantabo ſuper montem excelſum,* Vbi D Hieronymus *in Ezech. pag.508. lit. E. Dominus autem Deus Pater omnipotens, qui loquutus eſt ad Ezechielem, tollit de ſtirpe regia, & de ſemine Dauid, & plantat ſuper montem excelſum, & eminentem. Defecerat enim Princeps de Iuda, & Dux Iſrael, donec veniret, cui repoſitum eſt, & ipſe erat expectatio gentium.*

9 Cedrinum lignum, quod in expiationem lepræ offerebatur, Crux eſt Chriſti: *Leu.cap.14. v.2. Offerat pro ſe duos paſſeres viuos, quos veſci licitum eſt, & lignum cedrinum*: vbi Gloſſ.ord. *Lignum cedri, Crucem, quæ contra omnia fortis, & imputribilis.*

10 Cedrinum hoc lignum mentem in fide ſtabilem, & incorruptam, quæ Deo offerri debet, figurat; vt in citatum verſum Gloſ.interl. *Lignum cedrinum, incorruptam mentem, & ſtabilem fidem.*

§. III.

Quis, & quotuplex allegoricus Libanus.

1 E*T cedros libani* &c. Libanus mons Phæniciæ ſic dictus eſt a לבן *laban*, id, eſt candor, quaſi candidus, quia ſemper eius vertex niue conſperſus eſt; & primò ſignificat Chriſtum: de quo ſponſa ait *Cantic. cap.5. Species eius vt libani*: & D.Gregorius *in cap.5. Cant to. 2. pag.1219. lit.B. Bene ergo ſpecies eius vt libani exiſtit, quia per eum credentes dealbantur.*

2 Libanus ſignificat corpus puriſſimum Deiparę Virginis, de quo egreſſa venit de libano, cui dicitur: *Cantic. cap.4. ver.8. Veni de libano ſponſa mea, veni de libano, coronaberis, de capite amana, de vertice ſanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum.* Vbi Abbas Rupertus *lib.3. in Cantic to.4. pag.1089. col.1. Venies de libano, quod interpretatur candidatio, ideſt migrabis de corpore iſto, corpore candido, corpore virgineo & coronaberis de omnibus his.*

3 Libanus propter candorem etiam Baptiſmum ſignat; vt loco citato animæ Sanctæ dicitur; *Veni de libano, veni, coronaberis*; quia ſine baptiſmo ad cæleſtem coronam non peruenitur; vt ait D.Gregorius *in cap.4. Cant. to.2. pag.1211. lit. A.B. Libanus quippe dealbatio interpretatur. Quid ergo per libanum niſi Baptiſma intelligitur, in quo ſancta Eccleſia aqua abluitur, & a peccatorum nigredine per ſpiritum ſanctum, quem recipit, & per fidem Chriſti dealbatur? De libano ergo ſancta Eccleſia ad Coronam venit, quia in Chriſti baptiſmo fidem, ſub qua cum Chriſti gratia meretur, vt præmium recipere poſſit.*

4 Libanus Idololatriam ſignat, quia de cedris libani fiebant Idola; ideo dicitur; *Pſal.28. ver. 5. Confringet Dominus cedros libani*, & D.Baſilius *in Pſal.28. pag.78. col.2. lit. B. Non autem omnes cedros confringit Dominus, ſed libani tantum, quoniam libanus eſt idololatriæ locus.*

Verſus

Verſus Decimus ſeptimus,

אֲשֶׁר שָׁם צִפֳּרִים יְקַנֵּנוּ חֲסִידָה בְּרוֹשִׁים בֵּיתָהּ,

Verſio ex hebræo: *Vt ibi Paſſeres nidificent; Ciconia Abietes domus eius:*
Vulgata editio: *Illic Paſſeres nidificabunt; Herodij domus dux eſt eorum.*
D. Hieronymus: *Ibi Aues nidificabunt; Miluo Abies domus eius:*
D. Auguſtinus: *Illic Paſſeres nidificabunt: Fulice domus dux eſt eorum:*
Pagninus: *Vt ibi Aues nidificent; Miluo Abietes domus ſunt:*
Textus Arabicus: *Ibi nidificauerunt Aues: in apicibus eorum habitaculum Noctuarum.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

CEdros Libani, inter alias vtilitates, creatas aſſerit Pſaltes, vt in eis paſſeres nidificarent; & hæc prima pars huius verſus ab omnibus eodem ferè modo explicatur, & vertitur; eſt aliqua diuerſitas in expoſitione verbi יְקַנֵּנוּ, phraſis enim hebraica, quia præmittitur אֲשֶׁר שָׁם *vt ibi*, imperatiui modi videtur exigere verſionem; cęterum, cum vox ipſa ſit futuri temporis ab aliquibus in futuro, &, ab alijs in præterito ponitur, propter rationem alibi traditam: At in ſecunda parte magna eſt diſſenſio in voce חֲסִידָה, & בְּרֹאשׁ prima enim Abietem, & ſecunda Ciconiam hebræo vocabulo ſignificat; quomodo autem pro Herodio, Miluo, Fulice, Noctua, ſecunda vox reddita ſit, neſcio: primum autem verbum a vulgata pro Duce ſumitur, fortè ex Abietis excellentia ſumpta metaphora. Hìc ergo de Auium nidificatione erit ſermo, ſecundò de Herodio, ſeu Aquila, & præcipuè de Ciconia.

SVMMARIVM.

1 *De Auium nidificatione.*
2 *De Herodie, Aquila, Miluo, Vulture.*
3 *De mirabili Ciconiarum natura.*

§. I.

De Auium nidificatione.

1 *ILlic Paſſeres nidificabunt*: Naturæ optimus Inſtitutor, & Gubernator Deus, Creaturarum ſuarum, vel minimas, reſpicit: Neque enim tantummodo Auibus victum in dies ſuppeditat, verum eis in Arborum ramis ad nidificandum commodum domicilium præbet. Videmus namque Veris tempore multiplicis ſpeciei Aues in arborum ramis nidos conſtruere, oua ponere, pullos educere: atque ipſa docente natura commodiores arbores, ac ſalubrius ſeligere Cælum: Hac ergo de cauſa nutrit Deus tot arbores etiam infrugiferas, vt ex illis, & homines domos, & aues nidos componere poſſint, teſtante Chriſoſtomo. *Hæ porro Arbores hominibus quidem domos condunt, auium autem domicilia excipiunt.* Hic autem aduertendum eſt, vt cum dicitur. *Illic paſſeres nidificabunt*: nomine paſſerum, minimè intelligamus illam auium ſpeciem, quæ proprio nomine Paſſer dicitur; nam de his paſſeribus certum eſt non nidificare in arboribus, ſed in foraminibus parietū, & tectis domorum, ſicut etiam Hirundo, de quibus dicitur, *Pſ. 83. verſ. 4. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & Hirundo nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos, Altaria tua Domine virtutum*: nam in hebræo eſt דרור quod Hirundinem, non Turturem ſignificat. Et ſenſus Prophetæ eſt, ſuam conditionem propter peccatum deteriorem eſſe, quā paſſerum, & hirundinum, quibus patet ingreſſus ad templum, & Altare Domini, ad nidificandum, quò ſibi propter peccatum accedendi libertas non datur; ita Genebrardus, *in Pſalm. 87. pagin. 238. litt. A. Sum, inquit, deteriore conditione, quam Auiculę. Illis enim patet aditus ad Altaria tua, adeovt apud illa nidulentur, cum miki ad ea non liceat propter exilium accedere.* Cum ergo in hoc verſu dicitur, quòd paſſeres nidificant in Arboribus, ſumitur ſpecies pro genere, & nomine paſſerum intelliguntur omnes Auiculæ nidificantes in arboribus, quod aduertit Eminentiſſimus Hugo. *Illic paſſeres nidificabunt, ideſt Aues minores; ſumitur enim ibi ſpecies pro genere, quia paſſeres non nidificant in arboribus.*

2 Porrò

2 Porrò inter omnes Aues nulla viuipara eſt, ſed omnes ouiparæ; ſicuti, & ſerpentes, qui omnes ouiperi, præter vnam Viperam, quę parit ſetpunculos, ideo ſic dicta quaſi Viuipara: ſed nulla inter aues eſt, quæ oua non pariat; licet enim quædam vermipara cenſeantur, hoc non eſt, quia immediatè pariunt vermes, ſed quia ex earum ouis prius vermes cuduntur, qui tractu temporis in auiculas mutantur, vt Muſcæ, Apes, Cicadæ, Papiliones, imo, vt contendunt nõnulli, Phœnix, & Vultures. Bis ergo pariunt aues, primò cum oua ponunt, ſecundò cum ſui corporis calore ex ouis pullos excludũt, quæ ſecunda editio ipſis laborioſiſſima eſt, nec à multis ſine maris adiutorio perficitur; quare D. Iſidorus Hiſpalenſ. *lib. 12. cap. 7. orig. pag. 111. litt G.* inquit, *Omnium autem genera volucrum bis naſcuntur. Primum enim oua gignuntur, inde calore materni corporis formantur, & animantur.* Poteſt tamen hæc ſecunda editio ſine matribus fieri, ab aliquo ſcilicet extrinſeco calore fouęte; ſic multoties gallinacei pulli in ſterquilinio naſcuntur; & vt oculati teſtes tradunt in Ægipto temperato clibani calore naſcuntur pulli. Quæ verò vermes ſecundo fœtu naſcuntur, non ſine proprio naſcentis labore, tertiò in debita qualitate formantur.

3 Eſt autem omnibus animalibus (Hominem vnum ſi excipias) ſtatutum ad generandum tempus; vt tarò præter illud veneri vacent; & inſuper non pauca cum concepiſſe ſe agnoſcunt coitum reſpuunt; vt obſeruat D. Ambroſius, *ſerm. 19. in Pſ. 118. tom. 2. pag. 372. lit. A. Plerìſque animantibus tam ſobria partus cura ſeruandi, vt vbi conceptionis munus agnouerint, coitum non putent eſſe repetendum.* Exhibet etiam caſtitatis exemplum Turtur; hæc enim amiſſo compare totam ſe luctui donat, ſolitaria loca ſeligit, ſecundas deteſtatur nuptias; & quod tam arduum eſt hominibus maritale ſeruare thorum, id aues facillimè proſequuntur: vt idem Doctor *loc. cit pag. 371 lit. F.* dicit. *Vnde Turturi ſtudium pudicitiæ, quæ compare amiſſo, concubitui indulgere non nouit, quod homines ſeruare non poſſunt.* Nonnullæ autem auiculæ præſertim, quæ vermiparæ, ſine maris coitu cõcipiunt, ouaque pariunt, è quibus primò vermes, deinde pulli naſcuntur, ita Apis, de qua Virgilius. *Caſta facit prolem*: ita Phœnix, quæ ex ſuo cinere vermen, & ex eo filiam parit, vt ait D. Ambroſius *loc. cit. Phœnix coitus corporeos ignorat, libidinis neſcit illecebras, ſed de ſuo ſurgit rogo, ſibi auis ſuperſtes, ipſa & ſui hæres corporis, & cineris ſui fœtus.* Re vera tamen ego exiſtimo non eſſę eamdem auem, quæ ex rogo naſcitur, ſed alia prima extincta, quod ſimilius verò eſt, cum de priuatione ad formam naturalis regreſſus non detur; ſola enim virtus diuina idem compoſitum iam deſtructum ad eſſe, & vitam reuocare poteſt. Quod autem de Vulturibus idem narrat Ambroſius, *lib. 5. cap. 20. Hex. tom. 1. pag. 59. lit. F.* mirabilius videtur videlicet ſine concubitu, ac ſine copula longæuam generare prolem. *Negantur enim vultures indulgere concubitui, & coniugali quodam vſu, nuptialique copula ſorte miſceri; atque ita ſine vllo maſculorum concipere ſemine, & ſine coniunctione generare, natoſque ex his in multam longæuitatem procedere, vt vſque ad centum annos vita eorum producantur.* Poſſet doctrinæ traditę de ouipera auium generatione obſtare ſolius Veſpertilionis partus, qui non oua, ſed filios edit, de quo D. Baſilius, *Hom. 8. in Hex. pag. 40. col. 1. litt. A. Parit quidam animal, vt quadrupedia, ſed & animal media ferè ſpeciei inter aues, & animalia, atque incertum in quorum genere reponatur.*

4 Sunt autem, & aues in ſuorum nidulorum conſtructione Architectonices peritiſſimæ, & quarum induſtria non parum addiſcere homines poſſunt. Mirabile eſt vt in loci iniquitate ſeſe accomodent, quomodo paleas cum luto, cęmenti vice agglutinent, quomodo nonnullæ paruum os ſuæ fabricæ ne oua ab aliis eripiantur, relinquunt; ſed vt omittam Apum, & aliorum induſtrẽ fabricam; in ſola Hirundine cum D. Baſilio auium induſtriam contemplemur. *Nam illa*, inquit Baſilius, *loc. cit. pag. 39. colum. 1. lit. B. compingendo ſibi nidulo ſtramenta quidem ore legit, perfertque. Lucum autem cum deferre nequeat pedibus extremitates pennarum aqua primum madefacit, deinde tenuiſſimo puluere ſeſe inuoluens, hoc ſibi pacto commiſcitur, excogitatque luti vſum. Tum paulatim cum paruis inter ſeſe floccis, colligatiſque ſtramentis, interpoſito, perinde atque glutine quopiam, luto, in ipſo nidulo iam extructo, ſuos tandem excluſos, editis ouis, pullos nutrit.* Similis huic, & reliquis auibus ſolertia in nidificando eſt. Atque hæc de auium nidificatione prælibaſſe ſufficiat.

§. II.

De Herodio, ſeu Aquila, Miluio, Vulture.

1 H*Erodij domus, &c.* Herodius Dux Auium ad nidificandum dicitur, vel quia prius reliquis, vt vult Chriſoſtomus, vel quia altius, vt aliis placet nidificat, Genebrardo docente. *Herodij domus dux eſt eorũ. paſſerum, id eſt, Herodius præeſt paſſeribus, ducit auiculas ad illum locum, index eſt viæ. Vel iuxta Chryſoſtomum, & Eutimium viam ad nidulandum oſtendit: quia auium prima nidum ſtruit. Iuxta alios Ducem eſſe, eſt præcellere, vel anteire reliquas aues. Nidus Herodij eſt altior, & amplior alijs.* Quomodocumque intelligatur, dubium eſt quid nomine Herodil intelligatur: Prima opinio eſt Alberti Magni, qui regiam Aquilam eſſe putat, alii Miluum, vel Vulturem, qui aliqualiter ad Aquilarum genus reducuntur. Nos ergo Magni Alberti sẽtentiam ſequuti, qui *lib. 23. animal. pag. 611. columm. 1.* ait. *Omnis enim Aquila viget acumine viſus, maximè verò illa, quæ nobilis Aquila vocatur: & hæc Herodius latinè, quaſi Heros Auium, vocatur*: De ipſo Herodio, ſeu auium Imperatrice Aquila hoc §. videbimus.

2 Herodius, vti Reginam auium decet, nequaquam humi, vel in decliuis, humilibuſque nidulat locis; ſed altiſſimas, eaſque odoratas ſeligit arbores; nam ligna campi, cum & auiculis ſint communia, & ad nidulandum ſatis; in Cedris altiſſimis, nidum, vel domum dixer indubius, ponit Herodius; vt quæ præeſt reliquis in virtute, etiam in nidulando antecellat; Idcirco de ipſis teſtatur Mag. Albertus, *in Pſ. 103. Dicitur n. quod Herodii in maxima Cedro nidificant, & nidum maximum ibi faciunt.* Amplum vtique nidum conſtruunt, quia magnis pullis minor non ſufficeret. In hac tanta domo paruam excludit familiam; nam vt ait Aldrouandus duo oua tantum ponit, ex quibus tamen tres pullos educit, ſcilicet duo ex vno ouo, vnum ex reliquo: Beatus tamen Albertus *loc. cit.* ad minorem paucitatem reducit; nam vt ipſe ait: *Herodius vnum tantum ouum ponit, & ſi duo fecerit alterum putre deprehenditur.* Suos pullos adhuc ſolido cibo ineptos, ſanguine prædatorum animalium paſcit, donec validiores effecti, eſcam etiam validiorem vorare audeant: hoc indicatur in libro Iob, *cap 39. verſ. 33.* vbi ex Dei nomine dicitur: *Pulli eius*, id eſt aquilæ, *lambunt ſanguinem*; vbi D. Gregorius relatus à Bartholomeo Anglico, *de Proprietat. rer lib. 12. cap. 1. pagin. 517.* putat hoc fieri ab ipſa aquila in nutritione pullorum, & ab ea in eorum os ingeri ſanguis, *De Aquilis verò dicitur, vt tangit Gregorius ſuper Iob, quod quando eius pulliculi recenter nati ad capiendum groſſiorem cibum: & digerendum ſunt inualidi, ſanguinem, & liquidiorem humorem prædæ ſuæ in os attrahit, & ſugit, & attractum ſanguinem in ora pulliculorum vomit, & ita reficit eos cibo leniori, quouſque inualeſcant ad ſumendũ cibum fortiorem.* Nidum verò ſuum valenter tutatur hæc auis, ſed præſertim quadam naturali præſcientia, qua quidquid in nido agitur, licet longè poſita, præſentit, & incredibili velocitate accurrit, quapropter aues ad ipſũ accedere non audent: ita Aldrouandus aduertit, *lib. 2. de auib. pag. 125. verſ. 45. Herodius, ſeu Chriſaeton cum ferociſſima ſit, & cui præſciendi vim aliquam ineſſe exiſtimant, qua, etiam abſens, ſi quid aduerſum nido imminet, prænoſcit, itaque nulla auis eſt, quæ ad huius nidum, etiã*

absentis

Digitized by Google

abſentis accedere audeat. Ita ergo vti decet Principem, eam timent, & reuerentur Aues; & eius nidus ab inſidijs tutus eſt.

3 Herodius autem, ſicut & omnis Aquila, carniuora eſt Auis, & tum in terra ex beſtijs, tum in aere ex Auibus cibum ſibi parat. Inter omnia animantia acumine viſus, & volatus pernicitate eminet, nam de altiſſimis locis vnde contemplatur eſcam, vel minuta animalia videt, & ſtatim velut fulgur in ea deſcendit, rapitque; quod & ſacræ literæ teſtantur in Iob, *cap. 39. verſ. 31. 32. In petris manet, & in prærupcis ſilicibus commoratur; inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt*, Et conformiter ad hoc ſcribit Albertus Magnus, *loc. cit. pag. 612. columm. 2. Volat autem hæc Auis altiſſimè, propter prædæ contemplationem.* Narrat autem Plinius modum, quo Ceruum ſuperat his verbis. *Multum puluerem volitatu collectum, inſidens cornibus, excutit in oculos, pennis ora verberans donec præcipitet in rupes:* Quia verò vti diximus, Regina Auium eſt Aquila; & inter Aquilas ipſas Princeps Herodius, non ſine comitatu, & ſequela Auiũ incedit; nam cum maximè liberalis ſit, prædæ ſuæ participes ſectantes volucres facit, quæ hac de cauſa ipſam sẽper comitantur, tanquam Principis Aſſeclæ; quod ſi ſat omnibus præda nõ fuerit ex inſequentibus Auibus proximiorem ſibi rapit, eamque deplumatam in medium ad communem ponit vſum, tanquam Regina ſua vtens authoritate, ad publicam commoditatem. Ita Anglicus tradit, *loc. cit. pag. 513. Et ideo ſemper Aquilam aliæ Aues ſolent inſequi, ſperantes, quòd de ipſius præda eis debeat aliqua portio impartiri; ſed quando præda prius capta ſibi non ſufficit, tanquam Rex de Republica viuens auem ſibi proximiorem rapit, & in medio ponit illam.* Quòd autem hoc Herodiis maximè conueniat Magnus docet Albertus, *loc. cit. Hæc autem auis, quæ Heros auiũ eſt, ſicut nomine ſignificatur, valde prædam communicat alijs auibus; ſed ſi præda non ſuffecerit proximiorem ſibi auem deplumat, & deuorat.* Item Aldrouandus confirmat, *loc. cit. pag. 126. verſ. 32. Huic autem potiſſimum Aquilę præ cęteris laus liberalitatis debetur; nam prædam, niſi immodica fame coacta, ſola minimè abſumit, verum auibus quibuſdam ea ſpe ſeſe ſectantibus, portionem impertit regia quadam magnificentia.* Porrò neque ita carniuora eſt vt fructus, & fruges reſpuat, nam contra Ariſtotelem id docentem pugnat experientia; quam a ſe factam citatus tradit Aldrouandus, *loc. cit. Vt tamen carnibus victitat, ita nihil obſtat, quin aliquando fame, aut alia ratione inducta fructibus veſcatur, aut frugibus. Quin, carne alioqui abundè ſuppetente, panem manu mica exhibitum voraſſe eam meis mihi oculis viſum eſt; quæ experientia mea Ariſtotelem deceptum eſſe manifeſtè conuincit, dum fruges, etiam ſi in os ingeras, reſpuere aſſerit.* Ex quibus haud malè deducimus omnia animãtia tam terreſtria, quam volatilia, quam aquatilia fructus, fruges, panemque comedere; nam & de reptilibus, ſeu inſectis, vidi ego Lacertas fructus, & panem tanta promptitudine comedere, vt pro iis inter ſe contenderent, certarentque; & de piſcibus ſimile habemus experimentum.

5 Hæc Aquila pulcherrima eſt, atque Regios habet ornatus; nam de ea B. Albertus, *loc. cit. colum. 1.* dicit. *Hæc Aquila oculos habet ſupra modum ardentes, croceos, ita quod albugo oculi quaſi ſimilitudinem prætendit Topazii, & pupilla in oculo quaſi ſimilitudinem Saphiri nigri, perlucidi, conculcatæ nigredinis.* Nec illi vox terrifica, vt aliis Aquilis deeſt; de quibus Anglicus, *loc. cit. Vocem habet reboantem, & generaliter omnes aues terrificantem. In aſpectu enim Aquilæ, & auditu terrentur omnes aues alterius ſpeciei, etiam Aues prædæ.* Præterea Regiam aliam conditionem habet, partus enim ſuos ad Solis intuitum probat, ne degeneres nutriat; qui enim ex pullis imperturbato oculo Solem intuetur, vt dignus alitur: qui illius detrectauerit lucem ab vngue dimiſſus perit; ita Diuus Ambroſius, *ſermon. 19. in Iac. de Mata. Pſalm. 118. tom. 2. pagin. 372. liter. A. B. Aquila ne degeneres partus nutriat diligenti librat examine, & adhuc teneros fetus pia vngue ſuſpendit, Soliſque offert radiis; vt ſi fortè oculos ſuos vi fulgoris inflexerint, tanquam degeneres laxato in præceps vngue dimittit; ſin verò naturæ vigore conſtanti aduerſus radios Solis obtutum potuerint vindicare, dignæ indolem ſobolis onere grato reportat.* Cum autem pullos ſuos ſic probatos, dignoſque educatione repertos, aliò transferre neceſſe ſit, eos minimè in vnguis, ſed ſupra dorſum portat, amore instructa, vt ſi Venator eam inſequendo ſagittam emiſerit, ipſam potius quam pullos percutiat; dignus Matre affectus, vt quibus vitam dedit ſeruet incolumem: & ideo Dominus ſaluans populum ſuum Aquilæ ſe ſimilem dixit: *Exod. capit. 19. verſic. 4. Quomodo portauerim vos ſuper alas Aquilarum.* Quòd expendens Nicolaus de Lyra, in quit. *Dicit hic Rabbi Salomon, quod modus Aquilæ eſt, quando portat pullos de loco ad locum, quod portat eos ſuper dorſum, ita quod ſi proiiciatur ſagitta ab inferius, ipſa recipit ſagittam, & non pulli. Ideo Dominus comparat ſe aquilæ.* Et rectè id dicere poteſt Chriſtus Deus noſter, qui ſuper humeros ſuos nos deferens, ſęuiſſimos mortis cruciatus, ne nos læderemur ſuſtinuit, mortemque ſuſcepit.

§. III.

De admirabili Ciconiarum natura.

1 C*Iconiæ Abietes domus eius.* Ita eſt in hebraica litera; ſi ergo vulgatam editionem ſequentes, de Herodio ſermonem fecimus, etiam de Ciconiis agere hic debemus, cum חסידה Ciconia ſit. Ciconia autem paluſtris eſt auis ſerpentibus inimica; eaque, præcipuè nigra, in Abietibus nidulare quidam apud Aldrouandum, *libr. 3. de Auib. pagin. 310. verſic. 23.* cenſet: *Ornithologus ait Ciconiam nigram nidulari in arboribus, præcipuè in Abietibus.* Cum ergo ſupra de Cedris Libani facta ſit mentio, à quibus parum Abietes differunt, conſequenter hic Ciconias in Abietibus nidulantes memorauit. Primum quod in Ciconia obſeruatur, eſt aduentum eius ad noſtras regiones Veris eſſe initium, quod & in aliis auibus etiam cernitur: ſic citatus Vliſſes; *in Prolegom. libr. 1. de Auib. pagin. 5. verſic. 33. Qui tempora anni diſtinguere non norit, ab auibus quibuſdam id facilè edocebitur. Nam Hirundinis, Coturnicis, Ciconiæque aduentus, redeuntem annum demonſtrat.* Ciconiæ verò ſic dicuntur à ſtrepitu quem edunt, quem Diuus Iſidorus potius roſtri ſonum, quam oris vocem exiſtimat; vnde de Ciconiis ipſe ait, *libr. 12. capit. 7. origin. pagin. 109. lit. G. Ciconiæ vocatæ à ſono, quo crepitant, quaſi cicaniæ; quem ſonum oris potius eſſe conſtat, quam vocis, quia eum quatiente roſtro faciunt, &c. Hæ Veris nunciæ, ſocietatis comites, Serpentium hoſtes.*

2 Pietas deinde, & continentia Ciconiarum primas habet partes; nam niſi prolis amore, & hoc in ipſo nido coire non audent; maximo affectu pullos nutriunt. Quod ad maritalem continentiam attinet, mas, & fęmina ſibi inuicem fidem ſeruant, quod ſi aliquaudo mas præſenſerit fœminam alieno coitu vſam vel enecat, vel reiicit. Hæc Bartholomæus Anglicus, *loc. cit. capit. 8. pagin. 528.* enarrat. *Viuente fęmina mas cauſa coitus cum alia non ſe aſſociat, ſed quoad nidum, & generationis officium, fęmina fidem ſeruat; in qua ſi maſculus aliquo caſu adulterum concubitum præſenſerit, vltra ſecum non cohabitat, ſed ſi poteſt eam tranſ-*

uerberat, atque necat; Aliàs quam in nido mas fœminam non calcat. In Pullorum ortu multum laborat, quia mirum in modum eos diligit, plumaſque deponit; vt idem ſequitur. *Pullos ſuos miro affectu diligit, & cuſtodit, & ex aſſiduo cubitu ſuper eos plumas perdit*. Huius autem amoris, & beneuolentiæ haud immemores pulli, cum Parentes ſenuerint, & ipſi validi ſunt eos viciſſim paſcunt, & nutriunt: ſcribit enim Beatus Albertus Magnus, *lib.23.tract.vnico,pagin.618. columnn.1. De hac dicitur, quod ita diu nutrit Parentes, quamdiu nutrita eſt ab eis; & ideo pia auis ab antiquis eſt vocata*: De eadem Magnus itidem Baſilius, *Homil. 8.in Hexem.pagin.38.lit.F. columnn 1.* ſubſequens texit encomium. *Iam vero Pietas, & obſequium Ciconiarũ erga ſuos ſenio confectos Parentes ſatis profectò liberos noſtros beneuolos Parentibus, atque obſeruantiſſimos efficere poteſt. Illæ Genitorem per ſenium defluxu pennarum degenerantem ſuiſmet pennis circumdatum fouent, & abundè victum, lautèque ſubminiſtrantes, ſubſidium etiam ei quoad fieri poteſt in ipſo volatu præſtant*. A quo etiam multa cum hauſiſſet Diuus Ambroſius, hæc etiam de Ciconijs mutuaſſe videtur, dum ait, *lib.5. capit.16. Hex.pagin.57.lit.E. Non recuſant Aues paſcere Parentem, quod etiam præſcripta neceſſitate, vel tenore pœnarum plerique hominum recuſant: Aues non ſcripta, ſed nata lex ſtringit, &c. nam Romanorum vſu pia auis vocatur*. Ad verecundiam noſtram id exhibent parentibus Aues, quod homines detrectant.

3 Quòd ſi ad Ciconiarum mores reſpiciamus, ipſas quadam naturali prudentia præditas appellabimus, Nam & hanc oſtendunt, in victu, & in itinere, in medela, & in pugna. In primis ergo Ciconiæ Verno tempore ad calidas, temperataſque regiones accedunt ordinatè, & quaſi ſub Duce, & ſigno incedentes, agmine facto: de quo Ieremias, *capit. 8. verſic. 7.* ait; imò Deus per os illius Prophetæ: *Hirundo, & Ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: Populus autem meus non cognouit iudicium Domini*. Vt vel ſic prudentiores peccatoribus oſtenderet Aues: ex quibus motus Baſilius, *loc.cit. columnn. 2 lit. D.* ait. *Mores vero Ciconiarum haud longè dixeris à prudentia, rationeque diſtare: ita vno tempore omnes in noſtras prouincias, ſeu regiones veniunt; ita & ſub vno ſigno, quaſi militari quapiam teſſera hinc à nobis auolant*. Inimicitiam magno cum hoſte habet, ſcilicet Aquila, & cum ea pugnat, præſertim tempore nidulationis; nam, vt ait Aldrouandus, *loc cit.tom.1.lib.1.pagin.45.verſ.10. Aquila cum Ciconia frequenter dimicandi cauſam habet, quod vna comedat oua alterius*. Sed pugnæ modum, armaque ipſius, nec non exercitus conſtitutionem ex Magno diſcamus Alberto, *loc.cit. Hæc auis fortiſſimi eſt roſtri, & acerrimè pugnat pro nido; & cum pugnare vult, alam vnam ante crus deponit, quaſi pro ſcuto; & pugnant aliquando vſque ad mortem plurium. Aquilas etiam inſequitur pullorum tempore, & cætera rapacia; & ſi ſola non ſufficit aduocat alias, ita quod aliquando, quaſi in acie pugnatura conueniunt*. Cum verò ægritudine aliqua laborat, quæ ad medelam ſibi vtilia ſunt non ignorat; & ait Vliſſes Aldrouandus, *in Prolegom pagin.5. verſic. 19* quod origano ſibi medicamen parat: *Origano ſibi medetur Ciconia*. Cum autem nimio cibo repletam ſe ſentit, vel ob duritiem fœcum difficilem euacuationem habet, eo ſe medicamento curat, quod ab ipſa homines didicerunt; vt ſcribit Bartholomæus Anglicus, *loc.cit. Ciconia ſe ipſam purgat roſtro ſuo, quia quando ex ciborum multitudine ſentit ſe granatam, aquam marinam intra roſtrum recolligit, quam per anum ad interiora infundit, qua remolliendo cibi compacti duritiem, mordicando inteſtina ſuperflua eijcit, & emittit*. Hæc omnia Naturæ ſolertia, ſeu naturæ Conditor Deus ſua prouidentia in Ciconiarum natura repoſuit,

RADIVS SECVNDVS; EXPOSITIO MORALIS.

ARboribus in excelſis nidulantur Aues, ibi ſobolem nutrientes, vbi Creator Omnipotens eis parauerat locum; nam propterea & creatæ ſunt, & cœleſtibus irrigantur aquis. Rationales verò Aues etiam ipſæ in Arboribus nidum conſtruunt; nam vt virtutes pariant, nutriantque, in Plantis Scripturarum ſanctarum, Sanctorum, ac Veterum Patrum teſtimonijs, velut alis ductæ, nidulum cordis affectu Charitatis ſtruentes, merita, virtuteſque fouent. Tropologici ergo Paſſeres Animæ ſunt, quæ virtutum pennis, laqueos deuitant infernales; Herodius autem aliorum Duces in ſpiritu, & virtutibus ſignat: nam ex maiorum exemplo, ac Redemptoris imitatione, humiles Animæ proficientes requieſcunt.

SVMMARIVM.

1 *Animæ virtutibus volantes diabolicos euitant laqueos.*
2 *Sanctorum conuerſatio ſalutem parit.*
3 *Dei ſeruus Chriſtum imitatur, & ſequitur.*
4 *Aliquando maximi peccatores conuerſi ſunt Duces aliorum in ſpiritu.*
5 *Deſiderantes Cœlum hic patriam habere non debent.*
6 *Religioſi Duces ſunt Sæcularium ad expugnandum Diabolum.*
7 *Deus humilibus creaturis nos ſubijcit, vt humiliemur.*
8 *Seruus Dei mundana contemnat, vt à Deo exaltetur.*

§. I.

Animæ virtutibus volantes diabolicos euitant laqueos.

1 I*Llic Paſſeres nidificabunt*: Dei Creatoris Sapientia, licet in omnibus eluceat creaturis, præcipuè tamen in irrationabilium regimine, ac conſeruatione eluceſcit. Siquidem in illis, quibus deeſt rationalitas; maxima prouidentia apparet. Vt autem mittam reliqua, hoc vnum de nidulatione in præſentiarũ diſcutiendum occurrit. Ideo enim in arboribus nidificare paſſeres natura inſtruit

inſtruit, vt tempore generationis tuti ſint pulli, ac venatorum laqueos fugiant, dum pennis elati, in altitudine arborum nidos ponunt, quo noxia accedere non valent; ſicque auium ſpecies conſeruentur. Paſſeres, idest paruæ aues, Animæ ſpiritu humiles ſunt eæ infernalium venatorum inſidiis infeſtantur, ſed virtutum pennis in Cælum elatæ crudelium laqueorum conatus eludunt: nam tempore partus, ideſt meritorum, in arboribus, hoc eſt diuinis nidificant charitatis præceptis: idcirco de illis dicitur: *Illic paſſeres nidificabunt*. Cui opinioni fauet Conſtantinopolitanus Antiſtes. *Paſſeres autem appellat animas eas, quæ (pietatis cauſa à Diabolo, & iis, qui ipſius partibus fauent excogitantur) ipſius laqueos fugiunt.* Chriſ. *in Pſ.* 103.

2 Auium aucupationem obſeruaſſe aliquando vos credo; equidem vidiſtis hominem aucupandi cupidum, vel iuxta aquarum fluenta, vel vbi abundat eſca inſidioſè rete, laqueoſque tendere: Volitant interdum auiculæ, & per ramos arborum iocantes dulci modulamine aera replent, neque dum arbores tenent in inſidias cadunt; at cùm primum edendi, aut bibendi gratia in terram deſcendunt miſerabiliter inlaqueantur. Infernalium aucupum haud diſſimilis aſtutia, iuxta terrenas delicias mortales tendunt laqueos; animæ autem, quę beneficio arboris Crucis Chriſti in cœleſtium contemplatione ſiſtunt, nec terrena curant, eripiuntur à laqueis; quæ verò terrenis delectamentis inhiant mortifero rete capiuntur. Ab hoc laqueo ſe ereptam modulando Regia fatebatur Auis: *Pſalm.* 123. *verſic.* 7. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium:* Erepta vtique eſt per Chriſtum, qui in arborem Crucis nos aſcendere docuit, ne infernalibus laqueis caperemur, vt docet Genebrardus, *in Pſalm.* 123. *pagin.* 267. *litt. B. Inſidias impiorum Aucupum laqueis comparat; pios verò ſimplices, & imbecilles paſſeri, vel in genere, ex hebræo* צִפּוֹר, *auiculis: quæ tamen neque vi, neque dolo capiuntur. Sic Anima noſtra erepta per Chriſtum de laqueis Diaboli, Peccati, & mortis infernalium Aucupum.* Numquam Diaboli dolis cadere in peccatum videntur, qui in Crucis arbore conſiſtunt.

3 Duo dedit Natura auibus, quibus vitare venatorum inſidias poſſunt; primum eſt quoddam naturale inſtinctum, ſeu imperfecta quædam ratiocinatio, per quam pericula vident, nedum præſentia cognoſcentes, ſed etiam futura præſagientes; alterum eſt alarum beneficium, quibus in altum ſe ferentes inſidias fugiant, quas nouerunt. Fatuæ ergo, vel imbecilles ſunt illæ, quæ decipiuntur Auiculæ. Ideo Sapientiſſimus tradidit: *Prouerb. capit.* 1. *verſic.* 27. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum:* Et equidem fruſtra iaceretur ſi cognitione, & potentia ſua ſcirent vti; quia verò loca eminentia non ſemper tenent, ſed ſæpè edendi, & aliquando etiam deliciandi gratia, non ſemper laqueos fugiunt beneficio pennarum. Viri ergo ſpirituales, rationales Auiculæ, ſi Dæmonis fraudem eludere volunt, duo habeant neceſſe eſt, oculos, & pennas; oculos ſapientiæ, quibus laqueos detegant, alas virtutum, vt per eas ad Cęlos eleuentur; Ita cenſet Cardinalis Hugo, *in Prouerb. pagin.* 5. *column.* 2. *Iacitur rete deceptionis, vel rete mali exempli; vel rete dicuntur ſermones complexi, & compoſiti ad decipiendum. Hoc triplex rete fruſtra iacitur ante oculos pennatorum, ideſt ante oculatos viros, & pennatos, oculatos ſcientia, & pennatos virtutibus; & ideo non timent, quia oculo ſcientiæ vident laqueos, & pennis virtutum eleuati effugiunt.* Auiculæ laqueos vitant, oculati, & pennati homines Diabolum ſuperant.

4 Præſertim quæ arbores incolunt Aues ramis tectæ, & ab Altilium voracium roſtris, & à Beſtiarum ſeruantur vnguibus; vt vel ſic intelligerent Animæ, ſe à terra auolare, & in crucis ramis conſiſtere debere, vt ſic fugiant Vulturum infernalium, ideſt malignorum ſpirituum rapacitatem, nec non terreſtrium Beſtiarum, hoc eſt mundialium vitiorum crudelitatem.

Ian. de Mata.

Illud docere videtur Pſaltes dum ait, *Pſalm.* 67. *verſic.* 15. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora eius in pallore auri; dum diſcernit cœleſtis Reges ſuper eos niue dealbabuntur in Selmon:* Quia verò ſenſus valdè obſcurus eſt, ad hebraicam literam confugiamus. Nam vbi dicitur, inter cleros ex græco, ideſt inter ſortes, in hebræo habetur שְׁפַתַּיִם, ideſt *Tripodes:* litera ergo hebraica de verbo ad verbum hæc habet. *Si accubueritis inter tripodes* (eritis ſicut) *penna columbæ tecta argento, & alæ eius in flauo auro: In diſſipando Omnipotens Reges in ea albeſces vt nix in Salmon.* Quaſi diceret; etiam ſi inter medios tripodes, ollas, ac ſartagines, iam iam torrendus, ac tentationibus fatigandus iuſtus; ſi memoret ſe Auem eſſe, ſi aureæ, argenteæque Columbæ alas, ideſt cœleſtium contemplationem aſſumat, confringente Omnipotenti Deo hoſtes animarum, tutus erit, & à beſtiis vitiorum, & à volucribus ſpiritualibus. Acutè Sanctus Petrus Chriſologus, *ſermon.* 98. *pagin.* 336. *columa.* 1. *Et tu audi, ſi vis terrenas beſtias non timere, ſi vis euitare aues rapaces, voraces Vultures, hoc eſt aues aereas, quæ ſunt omnes nequitiæ ſpirituales, eleuare à terra, terrena deſere, ſume alas columbæ propheticæ deargentatas, ſume pennas Diuini Solis fulgore irradiatas, euola in ſpecie auri, vt in tantis, & talibus ramis, iam nullis laqueis attentanda, requieſcas ſemper; & de volatu tali valida, & de tanta manſione ſecura.* Alæ enim columbæ deargentatæ, quæ expectant Omnipotentis contra hoſtes auxilium, ad crucis ramos perducunt: ſic ſanctæ Auiculæ ſub tanti Arboris protectione rapacium ferarum inſidias deuitant.

§. II.

Sanctorum Conuerſatio ſalutem parit.

1 *Illic Paſſeres nidificabunt:* Errabundus Paſſer per amplum ſpatiatur aerem, per frugiferos fertur campos, fluentis irrigata incolit arua; hoc vnum ſibi ſtatuens, affluentibus deliciis vitam ducere. Vbi verò generationis ardor inualuerit; Ad arborum cacumina tendit, & ex conſortio nidulantium auium ſibi domum conſtruit, meliori potitur eſca; præſertim in Libano, vbi ipſa loci qualitate, ad pullificandum incitatur. Auis erratica peccatoris eſt anima, quæ per mundi illecebras debacchata, ſolum deliciari, non meritorum cudere pullos curabat: hæc cum ad Libani accedit arbores, hoc eſt, cùm ad Religioſorum domum, & Sanctorum conuerſationem accedit, ſtatim ad ſpiritualium amorem, & ad merita coaceruanda accenditur Ad hanc ſignificationem Prophetæ verba trahit Pierius *lib.* 1. *Hierog. pagin.* 208. *lit. F. Illic Paſſeres nidificabunt; & inuenit ſibi paſſer domum, qui ſcilicet prius erraticus, & vagabundus, modo his, modo illis illecebris auocatus. At vbi cæpit ſacras ædes frequentare, incolereque, domum eſt ſibi, victumque inuenire.* Vt videlicet innoteſceret mundo Sanctorum conuerſationem haud parum ad ſalutem conſequendam conferre.

2 Malorum conuerſatio Bonis obeſſe poteſt; at ſi mali animo pœnitendi ad bonos accedunt, multum ex eorum conuerſatione vtilitatis reportant. Exemplum poteſt eſſe in Sole, & luto: Radios Solis lutum excipit, & contingit; neque tamen Sol maculatur, verum lutum illuſtratur: ita pariformiter conuerſatio ciuis cum latrone pernicioſa eſt, ne in eius vitium, etiam nolens trahatur; ſi verò cum Iudice conuerſatio ſit, nequaquam eſt mala Iudici, ſed ipſi reo ſalutaris erit, ſi animo ſe corrigendi, ac ablata reſtituendi accedit. Ex his temeraria

 Phari-

Digitized by Google

Phariſei illius coniungitur ſententia, qui Magdalenam, olim peccatricem, ad pedes Domini prouolutam videns, ſtatim de ſpiritu prophetico Ieſu dubitauit; nam putauit fugiendū à iuſtis peccatricis conſortium: *Luc.capit. 27.ver.39. Hic ſi eſſet Propheta ſciret vtique quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum*: Qualis mulier fuiſſet ſciebat Phariſeus, at ignorabat qualis nunc eſſet, nam pœnitens, & deuota accedens ex conſortio Domini, ex peccatrice ſancta rediit; non maculabat Iudicem, quæ reatus fatebatur, non maculabat Solem Iuſtitiæ, quę eius radiis illuſtrata iuſta recedebat: ſic increpat Phariſeum Chriſologus, *ſerm.94.pag.332. columm.1. Cæterum Peccatrix fit bona, fit ſancta, fit innocens, cùm tetigerit veniæ Largitorem, Stercora contingunt, ſed non inquinant Solem; medicum, cùm tangit vulnera, putredo non polluit: Iudicem quamuis tangat Reus, non poteſt maculare cùm ſupplicat. Sic peccator cùm Dominum tangit, non Dominum ſordidat; ſed ipſe & peccato omni caret, & rapit ſubitò ſanctitatem.* Felix, fauſtumque conſortium opifex ſanctitatis.

3 Illud porrò in luto notandum eſt, quòd à Sole colluſtratum luceat; & quamdiu cum eius radiis manet refulget; nulla tamen ſui facta mutatione, imò in ſua turpitudine derelictum clarè demonſtrat, nil ſibi lucidum ineſſe, niſi ſolarium radiorum conſortium. Cùm malus ſacras ædes inhabitat, ac Sanctorum ſectatur cuneos, hoc boni aſſequitur, quòd bonus creditur, nec non ex aſſiduitate colloquii cœleſtis, verba quædam ſpiritualia, & ædificationem redolentia, ex eius ore progrediuntur: verum quia non animo pœnitendi illuc accedit, inde exiens, & ab illorum conuerſatione recedens, lutum remanet, tam vitioſum, quam prius cognoſcitur. Obſeruemus in Iſraelitarum Principe Saule; qui eum inter Prophetas eſſet, & ipſe prophetauit, ſed ex illorum conuerſatione nihilo melior effectus, ab eis recedendo in ſua prauitate remanſit. Ea enim quæ in eo laude digna, & ex prophætiæ loquutiones videbantur, non ſibi, ſed Sanctorum conuerſationi debebat. Ita ſcriptum eſt, *1. Reg.capit. 10. verſicul.10. Venerunt ad prædictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & inſiluit in eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum*: En Saulem inter Prophetas prophetantem, nam Sanctorum conuerſatio, aut ſalutem, aut bonam parit opinionem: quarę Cornelius à Lapide, *in 1.Reg.pagin.264.columm.1.lit.B.* ſic philoſophatur, *Diſce hic quam vtilis ſit ſocietas bonorum; hæc enim aliis ſuam bonitatem affricat. En tibi Saul in ſocietate prophetarum fit Propheta, & prophetat.* Numquam ſine vtilitate bonorum ſocietas eſſe poterit.

4 Curioſa, neque inofficioſa dubietas animum pulſat; quomodo homines, cęteraque animantia in Noetica Arca fuerint collocata. Nulli dubium quin Aues in ſublimiori parte extiterint, ibique homines ad Nauem, ſeu Arcam regendam; dubium ſolummodo eſt de Belluis, & iumentis, nam nomine Belluæ ferum, & immite animal capitur; Iumentum verò eſt manſuetum, & mite animal, hominis amans conſortium, eique in familiari vſu deſeruiens: cum ergo Arca illa tria haberet tabulata; in primo erant homines, in aliis Beſtiæ: ſed ſi ex ſacræ ſcripturæ verbis expiſcari licet, dicendum, immediatè poſt homines feras conſediſſe Belluas, in vltimo verò loco Iumenta: nam hoc ordine numerantur, *Geneſ.capit..8. verſic.1. Recordatus eſt autem Deus Noe, cunctorumque Animantium, & Iumentorum.* Hoc ergo ordine collocata fuerant, quo memorantur. Sed cur feras poſuit in medio? Vt ſcilicet inter homines, & iumenta, Animalia placida, & diſciplinabilia, poſitæ Feræ, feritatem deponerent, & manſueſcerent. Quæ ſpeculatio digna eſt, quæ mellifluum Ambroſium recognoſcat parentem. Qui *lib.de Noe, capit.16 tom.1.pagin.146. litt.E.* ait. *Nec illud otioſum, quòd primò dixit, quia memor fuit Dominus Noe, deinde Beſtiarum, poſtmodum Iumentorum.* Hæc eſt, *cur non animantia, quæ mitiora ſunt, poſt homines nominauit, ſed ferociora? In quo videtur illa eſſe ratio, vt ea, quæ ferociora erant, vtriuſque partis vicinitate manſueſcerent.* Enim verò, ſi ex belluarum manſuetudine doceri debemus, cognoſcemus profectò, ex ſocietate bonorum faciliter nos bona addiſcere; nam Sanctorum conuerſatio generat ſanctitatem.

§. III.

Dei ſeruus Chriſtum imitatur, & ſequitur.

1 Herodii domus dux eſt eorum; Plerique Authores Herodium ſumunt, non pro Aquila Auium omnium Regina, ſed pro ea Aue regia etiam, quæ vulgo Falco dicitur. Hæc inter rapaces aues locum obtinet, ſed valde diſciplinabilis eſt, nam ab hominib. edocta prędam, quā rapit ſuo domino defert. Inter alias porrò huius Herodii qualitates ea recenſetur, quod numquam à ſuo recedit Domino, ſed fideliter eum ſequitur. Talis Dei ſeruus eſſe debet, vt à Chriſti Domini ſequela, & imitatione numquam recedat. Hoc & fecit, & aliis ad exēplum dedit Eccleſiæ Princeps Petrus, qui etiam ſi ſciret Dominum ſuum ad mortem duci, nihilominus, *Luc.cap. 22.v.55. Sequebatur eum à longè*; ſed perfectè imitatus eſt, cum in Cruce conſumato martyrio vitā finiuit; quare D.Ioannes Chriſoſtomus ait. *Herodii domus dux eſt eorum: Herodium porrò ſi Petrum dixeris haudquaquam aberrabis, propterea quod Chriſtum ſequi numquam intermittebat: quemadmodum Herodium ferunt à dominis ſuis numquam ſeiungi velle: hic autem paſſeribus dux eſt.*

2 Hanc Chriſti imitationem, vt totalem, & perfectā haberet Petrus, etiam hoc nomine inſignitus eſt, vt Petra vocaretur & ipſe, qui lapidem illum angularem, & Eccleſiæ fundamētum referebat: de quo ſcribitur: *Petra autem erat Chriſtus.* Quicumq; ergo Chriſtum ſequi toto corde deſiderat in lapide caput ponat, ideſt Chriſtianam vitam pura mente imitetur; atque ita ad Ciuitatis illius viſionem, cuius lapis Chriſtus eſt fundamentum perueniet Hoc de Iacob in veteri inſtrumento legitur; qui diuinarum viſionum cupidus, Genet.c.28.v.11. *Tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo dormiuit*: ſtatim autem ac in lapide caput dormiēs poſuit, viſiones vidit cœleſtes: *Viditq; in ſomnis ſcalam.* Hęc autē ad noſtram doctrinam geſta ſunt; vt ſciremus viſionem beatā conſequi non poſſe, niſi Chriſtum imitantes; en ille videt qui in lapide caput ponit; ſed quid eſt in lapide caput ponere, niſi Chriſtum imitari? Ita Gloſſ. ord. fatetur. *Notādum autem, quòd ille dormiens Angelos conſpicit, qui in lapide caput ponit. In lapide enim ab exterioribus ceſſans interna penetrat, qui intenta mente imitationem Redemtoris obſeruat: quia caput ponit in lapide, qui Chriſto inhæret mente.* Numquā deſerit Dominum, qui Herodio duce angulari lapidi per vitę imitationē ſemper inhæret.

3 Verùm, licet omnes Dei ſeruos Chriſtum ſequi, ac imitari decet, hoc præſertim Prælatis conuenit; nam hi veluti Herodii Duces paſſerum, ideſt fidelium hominum Principes ſunt. Idcirco enim de Duce paſſerum hoc dicitur, vt paſſeres imitentur. Cùm Saul Rex per inobedientiam ſuam Dei gratiam, ac Regni ius perdidiſſet, nouus inaugurandus Rex erat: ad hoc delegatur Samuel, cui iuſſum eſt, vt Vitulum manu duceret ſacrificandum, dum ad vngendum Regem pergebat. *1.Reg.capit.16. verſic.2. Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices, ad imolandum Domino veni.* Sed quorſum hæc? cur Regem inauguraturus Vitulum geſtabat in manibus? quis iſte eſt Vitulus ſacrificandus. Equidem in lege veteri Vituli immolati cinere inquinati mundabantur; ergo Vitulus immolandus Dominus

minus noſter erat, qui nondum venerat, ſed venturus prænoſcebatur, huic ſimilis eſſe electus Princeps debebat, & ideo Vitulum habebat in manibus, qui nouiter electo Regi imitationem Chriſti Domini prædicabat; vt noſcant Prelati ſe per vitæ imitationem ſimiles Redemptori futuros: quod Gregorius Magnus alijs ſuadet, *lib.6. in lib.1. Reg. tom.1. pag.289. lit. A.* dicens. *Quid eſt, quòd vitulum in manu propheta tollit, & ſic ad vngendum Regem peruenit? ſed Vitulus quid eſt, niſi ſplendor imaginis Redemptoris? Quia enim eum, quem eligit conformem facere Redemptori ſtudet, quando formam ipſam Redemptoris prædicat, quaſi vitulum in manu portat.* Quicumque ergo Deo ſeruire ſtudet Chriſtum ſequatur, ac imitetur; Herodii, ſi nomen deſiderat, non deſpiciat qualitates.

§. IV.

Aliquando maximi peccatores conuerſi ſunt Duces aliorum in ſpiritu.

1 HErodii domus Dux eſt eorum: Admiratione ſatis dignam hanc Prophetæ ſententiam cenſeo, qui paſſerum, auicularum videlicet humilium, Herodiũ rapaciſſimam auem Ducem faciat: & quid nouit niſi rapere, perdere, vorare? Quomodo ergo paſſeres ducet, qui deuorat? & quomodo voracem inimicum amicabiliter ſequentur auiculæ? Verum latentem myſterium detegamus: tempore nidulationis exuit Herodius rapacitatem, vt qui maximè ſuper pullos infirmetur; & tunc depoſita feritate dux paſſerum eſſe poteſt. Ita aliquando in Eccleſia contingere videmus, nam multoties rapaces aues ad Deum conuerſi, ita in virtutibus profecerunt, vt in rebus ſpiritualibus, humilibus, & deuotis viris ducatum præberent. Nonne lupus rapax ante conuerſionem Paulus? nonne prædator Herodius Auguſtinus? ſed poſt conuerſionem Eccleſiæ luminaria extitere, ac Chriſtianorum præſtantiſſimi Duces. Audiatur de hac re Eminentiſſimi Prædicatoris ſententia. *Herodius eſt auis rapaciſſima omnium auium maior; qui & Aquilam vincit, per quem intelliguntur rapaces, & prædones. Eſt ergo ſenſus, Herodii domus; illi, qui fuerunt prius rapaces, & mali, Dux eſt eorum: id eſt ſpiritualium. Sicut apparet exemplum in Paulo, & Auguſtino, qui prius fuerunt Herodii ad prædandum aues Chriſti, id eſt Chriſtianos, & poſtea facti ſunt Duces Eccleſiæ.* Hugo *in Pſ.103.*

2 Cum gelidus flat Aquilo rigent omnia, ac duriſſimo concreta gelu latent aquæ, neque vlla ex illis vtilitas hauriri poteſt; at flante Auſtro ſoluitur gelu, ac fuſiſſimæ decurrunt aquæ, magnam vtilitatem aruis, animantibuſque allaturæ. Dum perſequutionis Aquilo vexabat Eccleſiam multi fuerunt Iudices, & Tyranni, qui obdurato corde Fidem deuaſtare conabantur; ſed Diuinæ gratiæ Auſtro ſuauiter in eorum corda inſufflando, dum fideles fecit, in largiſſimas vertit aquas, vt duces Chriſtianorum fierent, qui Chriſtum perſequebãtur, id in Chromatio præfecto, in Iudice Terentiano, in Imperatore Conſtantino, & permultis aliis poſſumus contemplari. In quo ſenſu loquutum fuiſſe patiẽtiſſimum, Romanus Gregorius author eſt, dum dicebat; *Iob, cap.37. verſic.10. Flante Deo concreſcit gelu, & rurſum latiſſimæ funduntur aquæ*: Gelidum erat perſequutorum pectus, dum Chriſtum neſciebant, & ſic ad Sanctorum prædicationem in lacrymas ſolui nequibant, ſed diuina aſpirante gratia, & ipſi Chriſtiani latiſſimas prædicationis vndas præbuere, vt qui rapaces fuerant, duces fierent aliorum: ita ille, *lib.27. c.18. mor. pag.926. lit. E. Aquæ de gelu currunt, quia plerique ex duris perſequutoribus magni prædicatores fiunt. Gelu igitur in aquã liquatur cum torpor interni frigoris ad irrigationem vertitur prædicationis.* Prius Herodij in prędando, poſtmodũ in ducendo fuere.

3 Neque difficilius eſt, quàm immites, feraſque Belluas diſciplinabiles facere; ſed quid humano reſiſtit Ingenio? Ipſas belluarum ferociſſimas manſuefecit induſtria; nec memoro diuino iuſſu manſuefactos leones, lupoſque, ſed quæ humana ſolertia vicit; Nõne Elephas maxima Beſtiarum homini ſeruit? nonne quadrigæ ſuæ Ceruos Aurelianus ligauit? nonne Magnus Pompeius Rhedæ ſuæ leones aptauit, & Scipio Elephantos? Sed verius dicito immanes eſſe belluas homines peccatores, ſuperbientes, ferocientes: hi dum conuertuntur ad Dominum, eius ſuauiſſimo aptantur iugo, vt qui velut Feræ ſæuiebant, nunc vt boues ad arandam Eccleſiam, ſemenque vitæ ſeminandum deſeruiant. Hoc optabat Iob, cũ dicebat, *c.39. v.3. Numquid alligabis Rhinocerotem ad arandum loro tuo?* Rhinoceros peccator ſuperbus, & durus eſt, qui gratia Dei conuerſus, & diſciplinę loro directus prædicationis ſemina iacit; vt citatus Gregorius fatetur, *lib.31. c.3. mor. pag.1007. lit. B. Lora ſunt Eccleſiæ præcepta diſciplinæ. Arare vero eſt per prædicationis ſtudium humani pectoris terram vomere linguæ proſcindere. Hic igitur Rhinoceros, quondam ſuperbus, ac rigidus, iam nunc loris fidei tenetur ligatus, atque à præſepi ad arandum ducitur, quia eam prædicationem, qua ipſe refectus eſt, innoteſcere, & aliis conatur.* Herodius ergo, qui peccando fuerat, nunc ſepoſita ſæuitia fidei Dux, & Magiſter prædicatur.

4 Hac fortaſſe ratione conuictus faſſus eſt ſapiens, meliorem eſſe iniquitatem viri, quam bonitatem mulieris. Nomine autem viri, ſpirituales, & ſapientes homines, nomine verò mulieris imperfectos, & inconſtantes homines intellexit: *Melior eſt iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Eccli. cap.42. verſicul.14.* Vir namque fortis, & perfectus, qui aliorum Dux eſſe poteſt, ſi labitur in peccatum, ſi iniquitatem ad tempus amplectitur, inde reſumit vires, nam cum ad Dominum redit, ad doctrinã regiminis præterita fragilitate ſua vtitur, & ſic prudenter iuſtitiam adminiſtrat. Secus autem Anima debilis, & fragilis, hæc in bonitate ſua confiſa, & vento ſuperbiæ deiecta ruit; neque apta ad regimen oſtenditur. Quam differentiam optimè Abbas Rupertus nouit, & docuit, *lib.1. cap.6. in Exod. tom.1. pag.200. col.1.* inquiẽs. *Vir namque pro virtute eſt is, qui præeſt, vel regere poteſt, &c. Porro eiuſmodi viro accidens iniquitas augendæ virtutis occaſio fit, ſicut Dauid. Mulieris autem huiuſmodi benefactum ſi claruerit coram hominibus, cito leuis ventus humanæ gloriæ tollit.* Ex dictis colligere poſſumus, quòd multoties Herodij olim peccatores, & rapaces, ad ducatum, & regimen aliorum euecti, optimi Duces euadunt.

§. V.

Deſiderantes Cœlum hic patriam habere non debent.

1 HErodii domus dux eſt eorum: Manentem, & perſeuerantem domum quo ſingulis cubet noctib. Herodius non habet, ſed ſolum cum nidulandi tempus eſt temporariam domum ad pullificandum conſtruit; reliquo vero anni tempore, vbi nox inuenerit, cubat. In quo exemplum paſſeribus tribuit, quorum Dux eſt; ſed nos inſtruit, vt qui aliam patriam, quam cœleſtem, nec aliam domum, quam æternam deſiderare debemus, nequaquam in hoc mundo niſi ad nidulandum Patriam habeamus; hoc eſt cognoſcentes nos aduenas, hic patriã non quæramus, mundi bonis vtentes quantum ad Deo ſeruiendum, ac bonorum operum germina producendũ, ſat eſſe iudicamus. Non enim qui cœleſtis eſt ciuis patriæ, humanam agnoſcere patriam, aut terrenam domũ propriam dicere debet; fatetur Albertus. *Per Herodium, qui domum non habet, pauperes intelliguntur, qui non habent hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquirunt.*

2 Inſignes tulit viros terra, qui virtutibus clari pietate nobiles, religione præclari extitere, ſed cum Dominus ſe Deũ nominat, omnibus prætermiſſis ſolum tãquã nobiliores memorat Abraham, Iſaac, & Iacob, ceu nullus

Digitized by Google

fuerit alius, qui cum his conferre poſſit; *Deus Abrahā, Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſit me ad vos; hoc nomen mihi eſt in æternum. Exod. cap. 3. verſ. 15.* Quæ autem inſignis virtus hos prætulit? nil equidem aliud, quam vixiſſe peregrinos in mundo; De Abraham enim legitur, iuſſu Dei è paterna domo exijſſe, ac multas peragraſſe prouincias, & in terra tumulatum non ſua: Iacob verò, vix adoleſcentior coactus peregrinare, vſque in ſenium peregrinatus, etiam poſt mortem, ex Ægypto corpus eius aliò delatū eſt: Porrò Iſaac ſimilis filio, & parenti, in terra domum, aut patriam nec agnoſcebat: Iſti ergo dum ad ſupernam patriam anhelant, in terra patriam non nouerunt, ideoque digni ſunt, quorum Deus ſpecialiter dicatur Deus; quia qui terrena non amant, inter cœleſtes reputantur. Quare ait Rupertus, *lib. 1. capit. 14. in Exod. tom. 1. pagin. 204. column. 2. Verum hic addit, quod illic non addiderat, hoc nomen mihi eſt in æternum: ſcilicet propter dignè nominandam fidem illorum, & obedientiam, in qua peregrinos, & hoſpites ſe eſſe confeſſi ſunt ſuper terram, meliorem expectantes patriam, id eſt cœleſtem.* Non conuenit cœleſtis Patriæ ciuibus terrena domus; illorum Domus eſt, qui nihili facientes mundana, ſolum Cœlum patriam agnouerunt.

3 Hoc vtebatur argumento Eccleſiæ Catholicæ Rector, ac Apoſtolorum Princeps Petrus; vt ſcilicet à carnis illecebris, & mundi gaudiis abſtinerent, memores ſe in mundo peregrinos eſſe, & non ciues, ad vnam Patriam iter habentes: *1. Petr. capit. 2. verſicul. 11. Obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam.* Dedecent enim deliciæ peregrinum: dum enim rectâ tendit ad Patriam immorari in via non expedit: expeditè ergo ambulat, nec curat ſibi in via ædes fundare, nec ab illa propter quamcumque rem declinare; ſi pulchras habeat poſſeſſiones, ſi decoras ſyluas, ſi prata amæna non curat, quæ ad Patriam, quò properat, deferre non poteſt: aliorum litibus non ſe immiſcet, ruentes pontes, & dilabentes parietes non inſtaurat, illud ſolum toto conatu intendit iter perficere, vt ad eã quanto citius perueniat; hæc igitur aſpernatur, quia peregrinus eſt. Nos ergo, qui in hoc mundo aduenæ ſumus, qui Cœlorum ciues exiſtimus, nequaquam in terris deliciari debemus, ſed ad ſempiternas aſpirare delicias; ad quod B. Petrus, referente Diuo Bernardo, *ſerm. 7. in Quadrageſ. pag. 117. lit. F.* nos prouocat. *Felices, qui ſe præſenti ſæculo nequam aduenas, & peregrinos exhibent, immaculatos ſe cuſtodientes ab eo; neque enim habemus hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus. Abſtineamus ergo à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, tanquam aduenæ, & peregrini. Peregrinus ſiquidem via regia incedit, non declinat ad dexteram, nec ad ſiniſtram: ſi fortè iurgantes viderit, non attendit, ſi nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quidpiam facientes; nihilominus tranſit, quia peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit.* Fatuus profectò eſt, qui peregrinus in alieno deliciatur ſolo, & Patriæ veras, & manſuras delicias non feſtinat inuenire.

4 Sed audio contradicentem Doctorem: Quomodo tu nos aduenas, peregrinoſque æſtimare contendis; dum Gentium Doctor contrarium ſuadere conatur? Is namque ait: *ad Epheſ. cap. 2. verſic. 19. Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Ergo non aduenæ, ſed ciues ſumus. Sed penſas quid Apoſtolus dicat? Ciues ſumus, ſed Sanctorum, ſed cœleſtis Patriæ, non huius mundi, non amatorum ſæculi, non Ciuitatis babilonicæ; nam qui in hac vita tranſitoria beatitudinem collocant, & ædificant domum, Sanctorum Ciues non erunt, neque domeſtici Dei: nam ſi Deus eſt in Cælo, ibi ineſſe familiares eius oportet. Hic igitur peregrinos eſſe oportet, ait Chriſoſtomus, *Hom. 36. ad Pop. tom. 5. column. 237. lit. A.* qui Hieruſalem æternam patriam ſuam agnoſcunt. *Eſtis Ciues Sanctorum, & Domeſtici Dei: Nam ſi Ciues hic fieri voluerimus, neque hic erimus, neque illic; ſi verò peregrini, ſicut ſumus, permaneamus, & ita degamus, ſicut peregrinum degere par eſt, ciuium, & hic, & illic capiemus fiduciam.* Peregrinemur in via, vt ciues ſimus in Patria, carnales fugiamus illecebras, vt æterna beatitudine perfruamur.

5 Iuuat quandoque hominem peregrinari, etenim cùm extraneorum locorum, & longi itineris incommoda patitur, patriæ deliciæ chariores vidētur; & tūc maximè laudibus effert ciuitatis ſuæ beneficia, cum externi ſoli penurias, ac indigentias ſentit. Nulla peregrino dulcis requies, nulla completa voluptas, nulla durabilis lætitia, dum enim patriam deſiderat, reliqua omnia amareſcunt. Homo iuſtitiæ cultor, ac veritatis ſpeculator, dum ſe peregrinum in mundo nouit, neque in hoc itinere perfectum reperiri gaudium, ad cæleſtis patriæ contemplationem, quo tendit, conuertitur; & illas immarceſcibiles lætitias, ſempiternaque gaudia mente reuoluens, in illorum laudes prorumpit; & tanto animo promptiore ſuperna concelebrat, quantò labiliora, & deteriora terrena nouit. Rex Sanctus, qui ſuam peregrinationem agnoſcebat fatebatur: *Pſ. 118. v. 54. Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Sciebat ſe peregrinum, patriam terrenam oderat, cæleſtem amabat, & ideo, dum eius laudes canebat, meritis, & virtutibus replebatur: Obſeruat autem hoc Incognitus, *in Pſalter. in verſum. 5137. Et notanter dicit: In loco peregrinationis meæ: ad denotandum, quod qui vult cantum ſuum prædictas habere virtutes, mundum iſtum pro peregrinatione habere debet, non pro patria ciuitate; quia ſcilicet mente in cælis conuerſari debet, non in mundo. Qui enim Domeſticus Dei eſt, exul eſt in mundo.* Cantemus ergo noua Cantica æternam ciuitatem concelebrantes; nil aliud laudare quam Patriam peregrinos decet, vt dū viatoria pericula ſubeunt, ſpe repetundæ patriæ ſubleuentur.

§. VI.

Religioſi Duces ſunt ſæcularium ad expugnandum Diabolum.

1 HErodii domus Dux eſt eorum: Herodium Magnus Albertus Regiam Aquilam vocat; ſed Diuus Hieronymus aliam auem, regiam quidem, ſed ab aquila diſtinctam, eaque maiorem, quæ aquilam ipſam vincit, & comedit: Porrò Herodii nomine, qui in Libano domū habet, Religioſus Domus Dei incola intelligitur, hic aquilam vincit, id eſt Diabolum, & eſt Dux pauperum, id eſt ſæcularium ad eum ſuperandum: etenim Viri Religioſi, qui in domo Dei manent, ſæculares inſtruere debent ad ſuperandas tentationes, ad aſpernandas malè dulces ſæculi illecebras, ad cauendum rapaces Inſidiatoris vngues, ad Deo ſeruiendum: nam Religioſi non tantum propter propriam ſalutem ad Clauſtra vocantur, ſed ad vniuerſale Eccleſiæ beneficium, quod ei in erudiendis ſimplicibus præſtant. Ita Diuus Hieronymus. *Herodius maior eſt omnibus volatilibus, qui & aquilam vincit, & comedit. Igitur talis homo, qui in domo Dei habitat, ducatum præbet ad conſumendum diabolum: quia aquila ſæpè pro diabolo ponitur.*

2 Terribilis eſt aquilæ in aues poteſtas; nam cum ipſa omnium ſit validiſſima, omnium ſuperat vires; nec non ipſa deſuper volante, volatilia cunctu etiam rapacia timendo ſilent. Sed cū tantæ ſit virtutis, ac omnibus formidabilis, cedit Herodio, & quæ omnibus cauſa timoris eſt, ſuo timore non caret. Aquilæ iam cū D. Hieronymo diabolum ſimilem diximus; qui cum poteſtatem habeat maximā, & quæ ab hominibus æquari nequit, Iob dicēte: *c. 41. v. 24. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret:* & ideo facili negotio ſimplices decipit, deuoratque; nihilominus tamen habet Herodiū, quē formidet, id eſt virū religioſum, ſacerdotē, Deo dicatū, cuius opera vincitur; & ex cuius ducatu ſimplices, & ſæculares ex eius eripiūtur imperio, nā & de eo

ibidem

Digitized by Google

ibidem dicitur *cap.40. verſ.28. Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur*. Nulla enim poteſtas eſt, quæ Deo non ſubiciatur, in cuius virtute Deo ſeruientes, diabolum ſuperant, credentes ſaluant; vt tradit Bernardinus Senenſis *ſer. ſer.3. Dom. 2. Quad. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, ſed maior eſt Sacerdotis poteſtas; nam quamuis dæmones toto ſtudio, & conamine nitantur per iniquitates peccatoribus claudere cœlum, Sacerdotes Sacramenta miniſtrando pœnitentiæ, plus poſſunt confitentibus, & pœnitentibus aperire, ad quod poteſtas clauium eis datur*. Herodius ergo Religioſus Sacerdos ſæcularibus ducatum præbet ad dæmones ſuperandos.

3 Hanc autem cauſam fuiſſe opinor, cur Chriſtus verbum Dei prædicans turbis, non ſolum ea, quæ ad Dei ſeruitutem, ac vitiorum fugam neceſſaria videbantur, ſuadebat, verùm etiam ſe ſcribis, & Phariſæis, in via ſalutis dirigendos committere monebat: *Matth. c.23. verſ.2. Super Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſei, quecumque dixerint vobis ſeruate, & facite*. Nonne ſufficiebat ipſius Verbi cœleſtis inſtructio, ipſius Filii diuini doctrina, ad iuſtè, ſanctèque viuendum? Quid Deo magiſtro deeſſe poterat, vt hominum indigerent doctrina? Sed hoc ideo geſtum eſt, vt ſæculares pro certo ſciant, habere ſe duces, & Magiſtros, Patreſq; ſpirituales, Religioſos viros, quibus animarum cura a Deo domandata eſt, quibus obedire debent, præſertim cum de peccatorũ abyſſo ad gratiam reſurgere volunt. *Via enim eſt*, inquit Bernardus, *ſine qua nemo venit ad patrem, quam qui perdidit, perdidit Deum. Cum enim de vitiorum abyſſo diſponis emergere, ad illum præcipuè ſit refugium tuum, cui tua Anima commiſſa eſt, quem impoſuit Deus ſuper caput tuum. Nec te moueat ſi illiteratus ſit atque indiſcretus, quia hoc ſignum humilitatis eſt, quæ generat Confeſſionem. Memento quia non eſt poteſtas niſi a Deo; ſuper Cathedram inquit Moyſi ſederunt ſcribæ*. Nemo ergo in rebus ſpiritualibus a religioſis, qui ſpiritus duces ſunt, recedat.

§. VII.

Deus vilibus creaturis nos ſubiicit, vt humiliemur.

1 F*Vlica domus dux eſt eorum*: Cùm in hebræo habeatur חסירה *Hhaſida*, quòd verbũ Ciconiam ſignificat; & quia Ciconiæ inter aquaticas numerantur aues ſeptuaginta Interpretes, quos ſequitur D. Auguſtinus, loco Ciconiæ Fulicam tranſtulerunt; quæ & ipſa aquatica eſt auis, cæterum vilis, & ignobilis. Quomodo ergo Auem tam vilem Ducẽ paſſeribus dat Dominus? Vt videlicet cognoſcerent Aues Deum ſibi imperantem, cuius nutu, etiam vilium creaturarum regimen eis ſalutem conferre poteſt Sed melius D. Auguſtinus *tract.1. in Ioan. to.9. pag.6. col.1. lit.C.* philoſophatur, hoc ideo contingere, vt intelligat homo, ideo ſe aliquando vilibus ſubiici creaturis, vt ſe, ſuamque humilitatem cognoſcat, ſicque deuitando ſuperbiam, ſalutis viam inueniat. *Fulicæ domus quomodo eſt dux paſſerum? Fulicæ ſunt aues maris, vel ſtagnorum. Cognoſce qui ſis; nam, vt noueritis fratres, propter ſuperbiam noſtram domandam creata iſta, quæ moleſta nobis eſſent*.

2 Si paſſeribus Deus generoſam Aquilam, vt alii exponunt, auibus dediſſet ducem, vtique ſub tanti Volatilis regnatu ſuperbirent, & omnes creaturas vilipenderent, quippe Regem, & Ducem venerarentur Herodium, qui omnes aues, cuncta animalia, & reptilia, imò & hominem ipſum prædatur: ſed ab hac ſuperbia abhorrens Omnipotens Fulicam Imperatricem dedit: ſimiliter cum homines a ſalutis via aberrantes corrigere decreuit, non validas, ſed viliſſimas creaturas ad eos humiliandos, delegit. Euidenter huius rei rationem ex Exodo colligemus; vbi Deus rebellem Ægipti Principem caſtigare ſatagens, per prophetam ſuum moyſem muſcas, ranas, ciniphes, & huiuſmodi viliſſima animalcula ad eius cruciatum adduxit *Pſal.104. verſ.30. & 31. Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum; Dixit, & venit cœnomyia, & ciniphes in omnibus finibus eorum*. Expende hic quid Pharaone potentius, magni Ægyptiorum Imperij florentiſſimo Rege? Et è contra, quid Ranis, cœnomyis, ac ciniphibus vilius? Et tamen vt tanti Principis ſuperbiam frangeret, ac potentiam humiliaret, his vilibus vſus eſt creaturis. Hanc doctrinam a citato Theologorum Magiſtro, Auguſtino hauriamus. *Populũ Pharaonis ſuperbum potuit Deus domare de Vrſis, de Leonibus, de Serpentibus: muſcas, & ranas immiſit, vt rebus viliſſimis ſuperbia domaretur*. Nil enim ad humiliandum aptius quam vilium Creaturarum imperium.

3 Homo Animalium omnium præſtantiſſimum, & Princeps eſt; neque ob aliud principatum ſibi vendicat niſi propter rationis vſum, cùm enim Animantia cætera rationabilitate careant, hominis ingenio cedunt, licet viribus præſtent. Nihilominus tamen cùm per ſuperbiam ſupra id quod eſt, extollitur homo, neque a Deo recognoſcit, quod habet rationis, Beſtiis deterior, & ignauior factus, ipſis Feris, imò & minimis, ad diſcendam prudentiam ſubijcitur. Teſtis eſt ſapientiſſimus hominum, qui pigrum alloquens hæc habet *Prouerb. cap.6. verſ.6. Vade ad Formicam, o piger & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam*. Ergo rationale Animal, quod intelligentiis ſimile ſortitus eſt ingeniũ, ad apprehendẽdam ſapientiam, tantillo animalculo ſubiicitur? Vtique: quandoquidem per ſuperbiam elatus, & veræ diſciplinæ ſtudium deſerens non ſolum beſtijs homo factus ſimilis eſt, dicente Pſalmo. 48. *v.13. Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*: ſed etiam ipſis belluis ignorantior, teſtante Iſaia: *c.1. verſ.3. Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognouit*. Nil igitur mirum ſi ad erudiendum hominem per humilitatem, qui per ſuperbiam deterior Beſtijs effectus eſt, ad Beſtias, & minimas mittitur. Per acutè philoſophatur D. Ioannes Chriſoſtomus *in Pſ.48. tom. 1. col. 687. lit.B. Dauid enim dicit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; ille autem dicit eos fuiſſe magis expertes ratione quam Bruta, illa enim, inquit, cognouerunt poſſeſſorem ſuum, Iſrael vero non cognouit. Iam vero alibi quoque quidam vir ſapiens, oſtendens, vel formicis eſſe deteriorem virum pigrum, & deſidem, & otio languentem, eum illuc mittit, vt diſcat eſſe laborius & induſtrius: Vade, dicens, ad formicam, & imitare vias eius*. En qui miratur fulicam ducem paſſerum eſſe, miretur potius Formicam ducem hominibus dari, & ad diſcendam prudentiam.

4 Sed inter viles Beſtias locum ipſum Peccatum habere poteſt; quid enim vilius, quid deterius peccato? Si ergo per peccatum in belluam vertitur homo, & ipſum omnium Belluarum maximam eſſe oportet. Et huic Belluæ Deus ſubiicit ſuperbos homines, vt alta deſinant ſapere, qui a vili vitio turpiter ſe deuictos vidẽt. Cæcus enim eſt qui cæleſtis luminis illuſtrationem non videt, qui vt illuminetur cadere permittitur, vt ſic a ſuomet caſu lumen æſtimare eruditus agnoſcat. In huius myſterium legitur de cæco nato ad diſcipulorum interrogationem: *Ioan. cap.9. ver. 2. Quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur*: reſpondiſſe Dominum: *Neque hic peccauit, neque parentes eius ſed, vt manifeſtentur opera Dei in illo*. Multoties enim permittit Deus cadere in peccatum, & excæcari ſuperbos, vt melius illuminentur; quod & in Numerorum habetur libro: *Num. cap.24. verſ.4. Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius*. En quomodo per caſum aperiuntur oculi, multi enim, niſi cecidiſſent, nequaquam illuminati fuiſſent, vt ait Petrus Cellenſis. *Viſum*

Digitized by Google

ſum non recipit qui non cadit, humilitas in caſu, in viſu intelligentia, &c. Eius vero, qui ita cadit aperiuntur oculi; non quomodo primis parentibus per prauaricationem, ſed quomodo cæco nato per illuminationem: Humiliatus audit ſermones Dei, illuminatus videt viſiones Dei. En quantam lucem caſus oſtendit: quantam vilibus ſubijci creaturis adfert nobis vtilitatem.

§. VIII.

Seruus Dei mundana contemnat, vt a Deo exaltetur.

1 CIconiæ *Abies domus eius*. Paluſtres inter Aues enumeratur Ciconia, quæ vt plurimũ in aquis, & iuxta aquam degit, & victitat. Cum vero prolificandi cupido inualuerit in ea, deſerit paludes, lacuſq; humiles terræ colles aſpernatur, & in libanum, ſimileſq; altos mõtes aduolat, & ibi odoratã Cedrũ, & præclaram abieté ad nidũ excipiendũ paratas offendit. Nos ſumus aquaticæ aues in huius ſæculi turbidis aquis collocati, vbi infelicem ducimus vitam; verum cum pullificare, cum opera vitæ in Dei ſeruitute occupari exercere volumus, terram, mundanaque relinquere debemus; non ſit in cordibus noſtris amor diuitiarum, aut illecebrarum mundi; abiiciamus Idola monſtruoſa vitiorum; & ita inueniemus æternitatis Abietes ad habitandum: ita D. Hieronymus *in Oſee. lib.3. to.5. pag.76. lit.B. O Ephraim, o omnis qui agis pœnitentiam, & qui meus eſſe capiſti: dimitte Idola, ſimulachra contemne; ego enim ſum, qui humiliaui te, & ego exaltabo te; ſiue ego exaudiam, & dirigam, & faciam eum tamquam abietem virentem; vt de illo iuxta hebræos dicatur in Pſalmo: Abies domus eius.*

2 Si Aues cum aliis animantibus conferamus, puſilli ſunt corporis: nulla enim tam magna reperitur: quæ minora perfectorum terreſtrium adæquet corpora; ſed pennis præditæ; ac ad vollandum validæ in altum plus omnibus eleuantur, & tunc ad Cælum magis accedunt, cum maximè recedunt a terra. Aues Dei ſeruos oportet eſſe, vt intelligant tunc ſe magis ad cœleſtia properare cum terrena deſerunt, deſpiciuntque. Inter omnes Ierichuntinos Zacchæus minimus fuiſſe deſcribitur; nam & *ſtatura puſillus erat: Luc c.19. v.2.* nec ſolũ corpore erat paruus, ſed virtute, & animo vilis; vt qui *Princeps erat publicanorũ, & ipſe Diues*: Cor enim illicitis pecuniarum lucrationibus deditum, nil virtutis habere poteſt. Cum verò ſuam puſillitatem indignatus, quæ Ieſu viſionem impediebat; *verſ.4. aſcendit in arborem ſycomorum:* ſeu potius, quia mundi amor, & pecuniarum cupiditas volatum ad cęlum retardabat, aurum adiecit, mundana bona deſpexit, eleemoſinæ, ac hoſpitalitatis alis in Cœlum aduectus eſt. *verſ. 8. Ecce dimidium bonorum meorũ Domine do pauperibus.* Hęc ergo via eſt conſtruendæ domus in cęlis, mundana deſpicere, vti cum Zachæo cæleſtia teneamus: de quo Chriſologus *ſer.54. pag.295. col.1. Satis hic animo magnus erat qui puſillus videbatur in corpore: nam mente tangebat Cælos, qui corpore homines non æquabat.* Auis erat puſilla, ſed quæ virtutum pennis perniciter volabat ad Cælum.

3 Neque myſterio vacat, quòd Apoſtoli, vt ſe ad ſancti Spiritus gratiam recipiendam præpararent, in domo a Domini aſcenſione vſque ad diem Pentecoſtes clauſi permanſere: hoc enim ideo factum eſt, vt omnibus perſpicuum eſſet, ijs tantum communicari dona Spiritus ſancti, qui a mundo remoti temporalia bona deſpiciunt. Hinc facile intelligitur, cur cùm tantus fragor, vehementiſſimuſque ſpiritus, in aduentu diuini Amoris factus fuerit, non niſi domus impleta eſt, & ſolum in ea degentes audierunt? ſcriptũ enim eſt: *Actor. cap.2. verſ.2. Factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes.* Sonus, & ſpiritus, & Ignis Domum repleuerunt, extra domum obſeruati nõ ſunt: Sed qui fieri potuit, vt tantus rumor aliis non inſonuerit? ea, vt mihi videtur cauſa eſt, (quod & nobis frequenter contingit) illi qui extra Domum erant, variis negotijs, & occupationibus diſtracti aduertere ſonitum, ſpiritumque cœleſtem non potuerunt; ſed illi, quia curis omnibus mundialibus liberi, intra Domum orabant, omnia audiere: vt enim ad cæleſtium donorum meritum exaltemur, mundana contemnere debemus: in quo ſenſu loquitur Magnus Gregorius *lib. 4. in 1. lib. Reg. tom.1. pag. 179. lit. C. Hi etiam repleri Spiritu ſancto, quaſi in domo poſſunt; quia illi percipiunt abundanter gratiarum eius dona, qui ad percipienda, ſe ex e, viſibilia contemnendo parauerunt.*

4 Et ideo valde a ratione aberrant, qui ſe diuina conſequi putant, cum adhuc mundana non dimiſerint: nec delicijs ſaturati terrenis cæleſtia ſapere didicerunt: verum nec poſſunt; nam vas plenum aqua putrida, & amara vlterius dulcibus repleri vndis non poterit; & ſi omnes riuuli gratiarum in cor gaudiis occupatum mundanis confluxerint, numquam locum inuenient; Sophar Naamathites Patientium optimi neſcio an amicus, vel reprehenſor, poſtqua dixiſſet: *Iob. cap.20. verſ.5. Quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ inſtar puncti*; & multa in hunc ſenſum coaceruaſſet, ſubdit tandem. *verſ.17. Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri*: Quid aliud ſunt iſti riuuli fluminis, niſi Spiritus diuini dona? Ille enim flumen indeficiens eſt, torrens eſt voluptatis in patria replens, & ſatians, omnem ibi dulcedinem, omnemque conſolationem affert, & voluptatis flumine mortalium ſitim explet: riuuli verò huius fluminis ſunt illæ gratiæ, & ſpiritualia dona, quæ hìc ſanctis communicarentur, vt incendant deſiderium æternorum, verum hos riuulos non agnoſcit, nec recipit qui aquis mundanis repletus eſt; ſic affirmante eodem Gregorio *lib.15. cap.10. mor. pag. 525. lit. B. Riuuli ergo fluminis ſunt dona Spiritus ſancti &c. Dum retinet Hypocrita, quæ videntur, ſpem negligit eorum, quæ non videntur. Riuulos ergo fluminis per deſiderium non videt, quia ſolis viſibilibus intendit.* Aſpernemus ergo tranſitoria bona, vt immortalia teneamus.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Decimuſſeptimus.

Diuina Ciconia domum habet in Abietibus, quia ſeruos ſuos honorificos reddit.

NVtrit Abietes Deus, & incorruptione donat, vt ibi nidificans Ciconia prætioſam inueniat domum: iuuat arborem ſeruitus, dum in proceram altitudinem, & eximiam ſpecioſitatem extollit, nam *Ciconiæ Abietes*

domus

Digitized by Google

domus ſunt. Diuina Ciconia Maria eſt, quæ in famulorum ſuorum abietibus domum conſtruens, dum ſibi ab illis ſeruitur, eos viciſſim honorat. Ad quod illud Apoſtoli Ad Rom, *cap.* 8. *verſ.* 21. aptari poteſt: *Ipſa creatura liberatur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*; *nam ita ſentit* B. Albertus Magnus *lib.* 10. *c.* 30. *de laudib. Virg. to.* 20. *pag.* 280. *col.* 2. *Sed ad hæc omnia fecit Deus Mariam, cuius fructu angelica natura repararetur, humana renouaretur, Inferior a ſeruitute liberaretur: vnde Rom.* 8. *Ipſa creatura liberatur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Seu potius Ciconiæ nomine ipſam increatam ſapientiam intelligamus, quæ in Maria ſemper Virgine regiam ſibi præparans domum, omneſque creaturas ad eius prouocans ſeruitutem, in eo ipſo quòd tanto Regi, in tanta domo ſeruiunt, maximum conſequuntur honorem. Etenim ſi homines illi, qui Principibus ſæculi famulantes, in regia habitant domo ſe maximè honoribus auctos exiſtimant, quanto magis qui in virginea domo Reginæ Cælorum deputantur ſeruitio, in eaque ſeruiunt Domo, quam inhabitat Deus? De hac domo dicebat Sapiens. *Sapientia ædificauit ſibi domum*. Domum Mariam ad inhabitandum ſibi ædificauit Diuina ſapientia; ſibi inquam ad inhabitandum, verum etiam omni creaturæ ſeruienti ad vtilitatem & gloriam, vt Idem Doctor adiungit *loc. cit. pag.* 281. *colum.* 1. *Ideo dicitur: ſapientia ædificauit ſibi domum: & numquid tantum ſibi? Verè domum ſibi ſoli, in qua habitaret; ſed tamen Angelis data eſt in reſtaurationem, hominibus, & naturæ noſtræ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem; vt omnes qui in hac ſeruiunt domo, debitæ a libertate decorentur. Sic Mariæ aſcribi familiæ honorificum eſt*.

B. Mariæ ſeruire vtile, & honorificum eſt.

1 Diuina Ciconia domum habet in Abietibus. Quod glorioſior, ac potentior eſt Monarca, cui obſequium præſtatur, eo ſeruorum honorificentior eſt ſeruitus; neque maximo Monarchæ niſi Magnates deſeruiunt. Regis Regum Domini noſtri figura Salomon extitit; cuius tãta erat, magnificentia, & gloria, vt Reginæ Sabę iudicio, omnes eius famuli Beati æſtimarentur; *3. Reg. c.* 10. *v.* 8. *Beati viri tui, & Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper.* Sed ſi Salomonis domus eius ſeruos beatos reddere poterat, quid de famuli veri Salomonis, quid de Mariæ cultorib. dicendũ erit? vtiq; beatiſſimos iudicabimus; quãdoquidẽ ſi Deo ſeruire regnare eſt, Mariæ obſequiũ præſtare ſummam gloriam, honoremque parit; ideo enim & Angeli agnoſcunt Reginam, & cæli ſentiunt Dominam, & ſydera Imperatricem coronant, & homines regnantem adorant; & Dęmones triumphantem timent; Sol quia veſtit gaudet; Luna quia ſubleuat, decoratur, Cæli quia retinent lætantur, Terra quia peperit exultat; omnes namque creaturæ, gloriam quam habent Mariæ debent, quia ex eius famulatu honorificantur; quare dicit Ricchardus à S. Laur. *lib.* 2. *de laud. Virg. col.* 78. *lit. C. Summus honor, ſumma gloria, & ſumma vtilitas eſt ſeruire Mariæ, & de eius eſſe familiæ: etenim ei ſeruire regnare eſt, ſicut dicit Boetius de Domino; & eius agi freno ſumma libertas eſt*. Quis tibi non ſeruiat, o Domina, quis tuæ aſcribi familiæ non feſtinet, dum tanta ſeruientibus tibi gloria præparatur? Neſcit vtique an viuat, qui tibi viuere recuſabit.

2 Sperare in Domino dum ſuadet Propheta, addit, eos hanc ſpei fiduciam habere poſſe, qui nomen ſuum cognouerunt; quodnam autem nomen eius niſi *Dominus*, nam Deus, Dominus, & Creator eſt noſter; cur ergo cauſam in eo ſperandi dominatum aſſignat? Etenim ait: *Pſal.* 9. *verſ.* 10. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis querentes te Domine*. Digna ſpes profecto quæ in ſuo Principe, in ſuo fundatur Domino: quandoquidem terreni Principis familiares omnia ad vitam neceſſaria habent, ab eo, cui ſeruiunt præparata, & inſuper ſub eius protectione tuti ſũt ab inimicis, eius veſtib. decorãtur, Domini equos, vt velocius ſuum exequantur munus aſcendunt; & in quacumque neceſſitate eum inuocant, ſperant ab eo adiutorium, quia eorum Dominus eſt; Rectè ergo ſperare in Deo iubentur qui eius nomen agnoſcunt, qui Dominum recognoſcunt. Verum temporalibus Regibus, ne Cælorum Reginam inferiorem teneas velim; imò tantò excellentiorem cogita, quanto Cælum terra ſublimius: ſperent, ſperent in Maria, qui nomen eius audierunt, qui Dominam fatentur, qui reuerentur Reginam: nihil ei ſeruientes deſiderabunt; gratia abundabit, merita cumulabuntur, adueniet gloria: Domina eſt, ſperemus; Regina eſt, accedamus; eam quærentes non deſpiciet, in eam ſperantes reſpiciet, clementiſſima eſt, vt audiat, potentiſſima, vt ſuccurat. Ad eam relatas Pſalmi rationes vertit D. Bernardus, vel quiſquis ille eſt, deuotus vtique, meditationis Author *in ſal. Reg. pag.* 408. *lit. C. Sperent ergo in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te, Domina; certè qui ſperant in te habebunt fortitudinem,*

nem, aſſument pennas vt Aquilæ, volabunt, & non deficient. Quis ergo, a quo es Regina noſtra, a tua reuerentia nos poterit ſeparare, vel impedire? Primo es Domina ſalutanda, vt per te gratia impetretur, ſecundo, vt per te ad gloriam veniatur. Ad Mariam ergo ſerui eius accurrite, & vt in veſtris neceſſitatibus ſubueniat, inuocate.

3 Tunc præſertim in Principe ponenda ſpes ſeruorum eſt, cùm nouerint ipſi ſe a Domino diligi: illi namque qui diliguntur a Rege, ipſi Domini ſunt, Princeps vero eorum ſeruus. Ad eorum namque nutum præmia largiuntur, officia diſtribuuntur, gratiæ donantur, opes diſpenſantur: quidquid diuitiarum, & honorum in Principe reperitur, Dilectorum eſt. Incaſſum ſperat a Domino, qui ſerno gratus non eſt. Haud diſſimiles Mariæ ſerui; nam qui eam diligunt, viciſſim ab ea diliguntur; & quod maius eſt, qui ei ſeruiunt, Virgo eis viciſſim ſeruit: neque enim ſatis amori ſuo videtur, ſi diligentibus ſe omnia ſua bona communicet, meritam, gratiam, gloriam ſuam eis participando; verum etiam eis famulatum præbere dignatur. Hoc ex Prouerbiorum ſententijs colligere licet; vbi ſapientiſſimus eius Atauus ſuo nomine inquit *Prouerb. cap. 2. verſ. 15. Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me inuenient me: mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* Quicumque Cælorum Reginam inquirunt, eique famulantur, ac ipſam digni ſunt inuenire, credant pro certo ſe omnia bona inueniſſe; nam omnes cęleſtium gratiarum theſauri in ea ſunt, ibi merces copioſa virtutum, ibi prætioſa margarita diuini verbi, ibi Adamas Virginitatis illibatæ, quæ mundanas inconcuſſa inter illecebras, agni Diuini ſanguine fœcundata, licet puriſſima eſſet virgo, Dei mater effecta eſt: ibi aurum perfectiſſimum Charitatis, quæ diuinis æſtuat ardoribus; & inſuper tanto extimulatur amore, vt non ſolum diligentes ſe diligat, ad huiuſmodi donorum participationem, ſed etiam ſeruientibus ſibi ſeruiat: Vnde admirabundus acutiſſimus Idiota relatus *à Laurent. Chriſozon. in mund. marian. Diſ. 5. num. 83. pag. 177. col. 2.* ſcripſit *Inuenta Maria inuenitur omne bonũ: ipſa enim diligentes ſe diligit, & ſeruientibus ſibi ſeruit.* Nulla hac gloria maior poterit inueniri, vt ſeruientem ſibi Reginam viliſſimus ſeruus experiatur.

4 Adſolent mulieres diſcriminare crines ſuos, eos pectere, lauare, victis denique ligare, & varijs decorare nodis, gemmis, floribuſque; ſic quæ ab omnibus exigit ſeruitutem, crinibus ſuis deſeruit; neque enim quæcumque magna ſit Domina, & multas habeat ancillantes mulieres, alijs hanc curam ita demandat, quin proprijs manibus, quæ ſpeculum conſulit exequatur. Omnes creaturæ, omnes Angeli Mariæ deſeruiunt: ipſa verò crinibus ſuis deſeruit, victaque ſalutifera vincit. Qui ſunt crines Mariæ niſi animæ iuſtæ amicorũ ſuorum? hos, ſi quid maculæ habent purgat, pectit, ac orationibus aſſiduis eos in bono confirmat, ne effluant in vitia. Probatur hoc euidenter ex canticorum libro, vbi Sponſus cæleſtis ſuæ ſponſæ pulchritudinẽ laudans, inter alia de labijs inquit: *Sicut victa cocinea labia tua.* Quòd purpurea dicantur labia, propter pulchritudinem, & decorem, intelligo, ſed cur victa? Quia ſicut mulier ſuos crines, ne effluant, victa ligat, & nectit; ſic B. Virgo crines ſuos, ſeruos ſuos, ne effluant, in peccata labantur, labijs ſuis, ideſt orationibus, tanquam victa continet. Ita Riccardus a S. Lau. *lib. 5. de laudibus Virg. col. 300. Crines, ideſt iuſtos, ne effluant capiti ſuo, & inuicem ſuis orationibus coniungit & adunat, ne per errores, & vitia diſpergantur;* Itaque ſic ſeruit Virgo ſeruientibus ſibi, quia deligit diligentes.

5 Hoc autem, licet excellentiæ ſit in Virgine, quod ita ſuos honotificet ſeruos; attamen non omnino liberalis hæc ſeruitus eſt: Cedri enim, & abietes, ideo tam magni, & imputribiles a Deo creati ſunt, vt in eis requiem, & nidificationem haberent aues: ita Beatiſſima Dei Genetrix idcirco ſancta, & immaculata, & a peccati ſordibus libera facta fuit, vt nobis ſuæ gratiæ dona impertiendo viam demonſtraret ſalutis. Id ni fallor Pſalmus 101. oſtendit; nam ait Propheta: *verſ. 20. 21. Dominus de cælo in terram aſpexit: vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret filios interemptorum.* Quaſi diceret, Idcirco Dominus in terram virgineam aſpexit, propterea & benedixit, ipſam exaltauit, vt nobis proficeret, vt noſtras miſerias repararet; quod egregiè docet Carthuſianorum Patriarca Bruno *in Pſ. 101. pag. 400. col. 2. lit. D. Dominus de Cælo in terrã aſpexit, dum de regalibus ſedibus in vterum Virginis venit. Hæc eſt enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus; ab omni propterea peccati contagione libera, per quam vitæ viam agnouimus, & promiſſam veritatem accepimus. Quæ quia digna fuit, Dominus de Cælo in terram aſpexit. Sed ad quid? Vt audiret, inquam, gemitus compeditorum, ideſt eorum, qui a Diabolo tenebantur compediti conſuetudine peccandi.* Sicut namque non parua venuſtas faciei, ex crinium pulchritudine adiungitur, ſic ex hominũ redemptione Mariæ multum acceſſit gratiæ; vnde reddit honorificos ſeruos, illa quæ propter eos Regina electa eſt; & ideo nectit, & purgat crines, ſuis famulis ſubueniendo ſeruit, vt ex eorum exaltatione, & gloria, ipſa glorioſior videatur.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

Lectionum varietas, quæ in transferendo hunc verſum inter expoſitores offenditur, varietatem etiam nobis allegoriarum ſubminiſtrabit. Primò igitur videndum eſt de Paſſeribus, deque eorum nido, ſeu nidificatione: in quibus nulla eſt controuerſia: Deinde de Herodio ſeu Aquila; & quia aliqui transferunt *Abietes domus eius*, & ſic reperitur in litera hebraica, etiam de Abietibus, ac domibus videndum eſt: Quod autem in hebræo legitur Ciconia, cum duobus tantum in locis nominetur in ſcripturis, non reperi de ea quid allegoricè dicam, cum in literali iam dixerim ſymbolum eſſe pietatis in parentes, necnon Veris allegoria, quæ poſſunt videri ſupra §. de Ciconia. Ea igitur prætermiſſa, ad alia properemus.

§ V Al-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *De Paſſeris ſignificationibus.*
2 *De Nido, & Nidificatione.*
3 *De Herodij, ſeu Aquilæ figuris.*
4 *Abietis ſymbola.*
5 *Domus allegoria.*

§. I.

De Paſſeris ſignificationibus.

1 IBi *Paſſeres nidificabunt:* Quid ſit Paſſer ſecundum literam iam ſuperius declaratum eſt; ſed allegoricè primò ſignificat Chriſtum: de quo Pſalmus 83. *v.* 4. *Etenim paſſer inuenit ſibi domum*: Vbi D. Auguſtinus *in Pſal.* 101. *pag.* 465. *col.* 2. *lit. C. Caput noſtrum paſſer eſt, corpus illius turtur: etenim paſſer inuenit ſibi domum: Quam domum? In cælo eſt, interpellat pro nobis.*

2 Paſſer ſolitarius eſt homo ſolitudinem habitans a mundo remotus, ac diuinam ſeruans legem; de quo Pſalmus 101. verſ. 8. *Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*: & D. Gregorius *in Pſal.* 101. *tom.* 2. *pag.* 1164. *lit. A. Cuſtodi ergo ne diripiant alieni laborem tuum: ne denuderis, & appareat ignominia tua: eſto ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Per paſſerem, quæ cauta & querula auis eſt, & in domibus nidificat, rectè homo intelligitur, qui in excelſis habitans, & ſolitudinem incolens, pro peccatis ſuis clamare non ceſſat.*

3 Paſſeres qui venduntur aſſe ſignificant homines qui ſe peccato Diabolo vendunt: vt ait Matthæus *c.* 10. *verſ.* 29. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt*, & D. Hilarius *can.* 10. *in Matth. col.* 512. *lit. A. Qui igitur duos paſſeres e aſſe veneunt, ſeipſos peccato minimo veneunt, natos ad volandum, & ad cælos pennis ſpiritualibus efferendos.*

4 Paſſer ſignificat animam in fide inſtabilem, quæ cito decipitur a Diabolo, vel hæreticis: de quibus ſe ereptum dicit Propheta: *Pſal.* 123. *verſ.* 7. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*: & D. Auguſt. *in Pſal.* 123. *pag.* 598. *col.* 1. *lit. A.* ait. *Anima noſtra ſicut paſſer eruta eſt de muſcipula venantium. Quare ſicut paſſer? quia incauta ceciderat ſicut paſſer, & poterat dicere poſtea, Ignoſce mihi Deus. O paſſer inſtabilis, fige potius fides pedes in petra, noli ire ad muſcipulam, capieris, conſumeris, obtereris.*

5 Paſſer prudentiam ſignificat: Pſalmus: 10. *verſ.* 1. *In domino confido, quomodo dicitis animæ meæ tranſmigra in montē ſicut paſſer*: Vbi D. Hieronymus *in Pſ.* 10. *tom.* 7. *pag.* 17. *lit. D. In domino eſt ſpes mea. Quomodo, inquit: ad veſtros montes, hoc eſt, ad veſtram ſuperbiam tranſmigrabo? Quod autem ait, ſicut paſſer, ſæpe paſſerem loco prudentis poni legimus. Ideo iſti dicūt; Tranſi ad nos ſicut prudens; cum eorum prudentia ſit ſtulta.*

6 Paſſeres quinque, qui veneunt dipondio, de quibus Dominus apud Lucam *cap.* 12. *v* 6. *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio*: ſignificant quinque corporis ſenſus, vt ait. D. Ambroſius *In cap.* 12. *Luc. lib.* 7. *tom.* 3. *pag.* 110. *lit. C. Videntur enim iſti quinque paſſeres, quinque eſſe corporis ſenſus, tactus, odoratus, guſtus, viſus, auditus; qui modo paſſerum, ſi terrenarum ſordium rimentur illuuiem, delictorum ſuorum laqueis occupati ad ſuperiorum operum fructus reuolare non poſſunt.*

7 Duos paſſeres oblatos ad mundandum Leproſum, quorum vnus mactabatur, alius in eius ſanguine tingebatur, vt dicitur in Leuitico *cap.* 14. *verſ.* 4. *Offerat pro ſe duos paſſeres viuos &c. & vnum de paſſeribus immolari iubebit; Alium autem viuum tinget in ſanguine paſſeris immolati*: & Rupertus *lib.* 2. *cap.* 24. *in Leu. tom.* 1. *pag.* 373. *col.* 2 ait ſignificare Diuinitatem, & humanitatem in Chriſto: *Nam in vmbra quidem, vel figura iſti duo paſſeres offeruntur, ſed in veritate eſſentiæ vnus eſt Chriſtus: vnus, inquam, idemque vna gemina perſona ſubſtantiæ; ex altero crucifixus, vt prædictum eſt, ex altero iam viuus, ex quo etiam iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.*

§. II.

De Nido, & Nidificatione.

1 I*Llic Paſſeres nidificabunt*: Nidus eſt Auium domicilium, quod ſibi ad prolificandum, pulloſque enutriendos componunt. Et primò eſt Eccleſiæ militantis ad fideles filios nutriendos: de qua Pſalmus 83. *verſ.* 4. *Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos, Altaria tua Domine virtutum*: & D. Auguſtinus *in Pſal.* 101. *pag.* 465. *col.* 2. *lit. C. Eccleſia Dei nidum de ligno crucis ipſius, vbi ponat pullos ſuos, paruulos ſuos.*

2 Nidus eſt quies illa fidei in qua Chriſtianus fidelis tranquillè moritur, propter ſpem ſalutis: de quo nido intelligebat Iob, cum dicebat *cap.* 29. *verſ.* 16. *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Vbi Magnus Gregorius *lib.* 19. *cap.* 16. *mor. pag.* 753. *lit. A. Quid hoc loco per nidi nomen exprimitur, niſi tranquilla quies fidei, qua vnuſquiſque infirmus nutritur?*

3 Nidus eſt ſpes æternorum quæ terrena deſpicere facit; hinc in arduis nidum ponere, eſt terrenis deſpectis ſpe cæleſtium nutriri: de qua Iob *cap.* 39. *ver.* 27. *Et in arduis ponet nidum ſuum*: Vbi idem Gregorius *lib.* 31. *cap.* 19. *mor. pag.* 1035. *lit. A. Quæ & in arduis nidum ponere dicitur: quia deſideria terrena deſpiciens, ſpe iam de cæleſtibus nutritur. In arduis nidum ponit; quia habitationem mentis ſuæ in abiecta, & infima conuerſatione non conſtruit.*

4 Nidus ſignificat corpus humanum a Deo ex luto compoſitum: In nido autem mori, eſt vitijs carnis non viuere: Ita Iob: *cap.* 29. *verſ.* 16. *In nidulo meo moriar*: & D. Hieronymus *in cap.* 29. *Iob tom.* 8. *pag.* 50. *lit. E. Nidus eius exterior homo eius intelligendus eſt, qui de fœno carnis illius compoſitus a Deo fuerat, & conſtructus. In hoc igitur nido ſemper ſe mori ſub teſtificatione dicebat; dum vitiis mundi, & eius concupiſcentiis non viuebat.*

5 Nidi Volucrum ſunt corda impiorum in quibus requieſcunt maligni Spiritus: de quibus Dominus apud Matthæum *cap.* 8. *v.* 20. *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos*: Vbi D. Hilarius *can.* 7. *in Matth. col.* 497. *lit. C. Dei ergo Filius exprobrat pſeudoprophetis eſſe foueas, & immundis ſpiritibus nidos quieſcendi: quod extra nauem relictis, ideſt, extra Eccleſiam poſitis, effecti ſunt incolatus pſeudoprophetarum, & habitatio Dæmonum.*

6 Nidus ſignificat impotentiam hominum ad reſiſtendum Potenti; ſic orbem inuenire vt nidum, eſt nullum eius potentiæ reſiſtentem inuenire, vt de ſe dicebat Aſſiriorum Monarcha *Iſai cap.* 10. *verſ.* 14 *Et inuenit quaſi nidum manus mea*: Et Lyranus *Ideſt ita faciliter eos debellaui, ſicut pulli exiſtentes in nido capiuntur.*

7 Nidificare in Cedris eſt per abundantiam bonorum ſuperbire, vt dicitur in Ieremia *cap.* 22. *verſ.* 23. *Quæ ſedes in libano & nidificas in Cedris.* Ita D. Hieronymus *in Ierem. pag.* 363. *lit. B. Arrogantiam ſuggillat, quæ de omnium rerum creuerat abundantia.*

8 Nidificare in Cedris, ait Lyranus, eſt diuitias malè congregare. *Et nidificas in Cedris diuitias malè congregando.*

9 Nidus Ciuitatem ſignificat, quę in excelſo ponitur dum diuitiæ congregantur. Quos redarguit Propheta, *Habac. cap.* 2. *ver.* 9. *dicens. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius.* Et addit Lyranus *Vt ſit in excelſo nidus eius, ideſt Ciuitas regia ſit potentiſſima, & fortiſſima.*

10 Nidificant in Cedro qui cæleſtia contemplantes in Chriſti paſſione fundantur: ita ſcriptum eſt: *Ezechiel. capit.* 17. *verſ.* 23. *Vniuerſum Volatile ſub vmbra*

bra

Digitized by Google

bra frondium eius nidificabit. Vbi D. Theodoretus *in Ezech. tom. 1. pag. 463 col. 1. Tales enim ſunt fides aiumm ad ſuperiora mentes tranſmittentes, & cœleſtia cogitantes, & ſub vmbra cedri maxima ſedentes, & cedrum Chriſtum vocauit ſecundum humanitatem.*

§. III.

De Herodii, & Aquilæ figuris.

1 HErodii domus &c. Herodius diuerſimodè interpretatur, quidam vulturem, alii paluſtrem auem, nos vero regiam diximus Aquilam, vnde vtriuſque nominis allegorias dabimus. Et primò Herodius ſignificat inimicos ſpirituales, vt Iob *cap. 39. verſ. 13. Penna Struthionis ſimilis eſt pennæ Herodii*: Vbi D. Hieronymus *tom. 8. pag. 84. lit. E. Sub hac figura inimici noſtri ſpirituales intelliguntur.*

2 Herodius iuſtum ſignificat, qui in virtute fortis, cùm ceciderit ſtatim per pœnitentiam ſubleuatur: de quo Iob loco citato; & D. Gregorius *lib. 31. cap. 5. mor. pag. 1010. lit. A. Bene ergo in Herodio electorum Perſona ſignatur, qui quamdiu in hac vita ſunt, ſine quantulocumque culpæ contagio eſſe non poſſunt; ſed cum eis parum quid ineſt, quod deprimit, multa virtus bonæ actionis ſuppetit, quæ illos in ſuperna ſuſtollit.*

3 Herodius ipſe Dominus Ieſus Chriſtus eſt, Dux, & Dominus, & Redẽptor noſter: nam de eo hic dicitur: *Herodii domus dux eſt eorum*: & Rupertus *lib. 6. de glor. fil. hom. in Matth. to. 2. pag. 56. col. 1. Magiſter enim veſter vnus eſt Chriſtus, & is tanquam Herodius, auis magna, & fortis ad deuincendum etiam Aquilam Reginam auium, (quamuis in Cœlum volauerit) nihilominus tamen vobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſeculi.*

De Aquila.

1 AQuila Deum ſignificat: etenim ſicut Aquila pullos ſuos probat ad intuitum ſolis bonum portat in humeris, malum deiicit, ita Deus probauit filios Iſrael in deſerto, bonos ſeruauit, murmuratores perdidit: ideo cecinit Moyſes *Deuter. cap. 32. ver. 11. Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper ipſos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eos, atque portauit in humeris ſuis.* Vbi citatus Doctor *lib. 2. cap. 7. in Deuter. tom. 1. pag. 434. col. 1. Igitur circumducendo, & docendo, ſic tentauit, ſic probauit, ſicut Aquila pullos ſuos: nam eos quidem qui murmurauerunt, qui tentauerunt, qui concupierunt in deſerto, proſtrauit, eos autem qui obedierunt, quaſi ſuper alas gratiæ aſſumpſit, atque portauit in humeris ſuis.*

2 Aquila Angelum figurat, propter celerem motum, & præclaram videndi facultatem, ideſt contemplandi: Idcirco ap. Ezechielem in facie Aquilæ Angelus apparuit, vt ait Ezechiel *cap. 1. verſ. 10. Facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Et reddit rationem D. Dioniſius *de Celeſti Hirarch. cap. 15. pag. 171. lit. D. At Aquilæ figura Regiam dignitatem, atque ſupera petentem, celeremque volatum, & ad cibum, qui vires reficiat capiendum, cùm agilitatem, tum curſum, tum facilitatem, tum virtutum robuſtis videndum facultatum intentionibus.*

3 Aquila figurat Ioannem Euangeliſtam propter eminentem ſuæ contemplationis volatum: de quo dictum eſt: *Apocalip. cap. 4. verſ. 7. Quartum Animal ſimile Aquilæ volanti*: & Magnus Gregorius *lib. 31. cap. 19. moral. pag. 1034. lit. E. Quartum proculdubio Animal Ioannem per Aquilam deſignans, qui volando terram deſeruit, quia per ſubtilem intelligentiam interna myſteria verbi videndo penetrauit.*

4 Aquila, vel ſubtilem intelligentiam ſignat: vnde Iob. *cap. 39. verſ. 27. Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila*: & idem Gregorius loc. cit. *Aquilæ vocabulo ſublimis ſanctorum intelligentia exprimitur.*

Vel 5 Aquila ſignat Aſcenſionem Domini in Cœlum, de qua Salomon. *Prou. cap. 30. v. 19. Viam Aquilæ in Cælo*: & ibidem Gregorius *Aquilæ vocabulo volatus Dominicæ Aſcenſionis exprimitur.*

6 Spiritus nequam Aquilæ dicuntur, quia veloces ad nos perſequendum æquate Ieremias: *Thren. c. 4. v. 19. Velociores fuerunt perſequutores noſtri Aquilis Cæli*: & loc. cit. D. Gregorius *Aquilarum nomine inſidiatores Spiritus exprimuntur, Ieremia atteſtante, qui ait. Velociores ſunt perſecutores noſtri Aquilis Cæli.*

7 Aquila ſignat potentiam terrenam, & ſic etiam potentiſſimum Babiloniæ Regem, qui propterea vocatur: *Ezech. c. 17. v. 3. Aquila grandis magnarum alarum*: vbi idẽ ſanctus Doctor l. cit. *Aquilæ etiam vocabulo poteſtas terrena figuratur; vnde per Ezechielem prophetam dicitur; Aquila grandis magnarum alarum &c. Qua Aquila quis alius quam Nabuchdonoſor Rex Babilonis deſignatur?*

8 Aquilæ Sancti dicuntur; de quibus dicitur *Matth. cap. 24. ver. 28. Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ*: & ibi D. Hilarius *can. 25. in Matth. col. 587. lit. B. Sanctos de volatu Spiritualis corporis Aquilas nuncupauit; quorum (congregantibus Angelis) conuentum futurum in loco paſſionis oſtendit.*

9 Aquilæ alæ ſunt ſuperbientis contemplatiui præſumptio, & præcipitatio: de quibus Daniel: *cap. 7. v. 4. Alas habebat Aquilæ.* Et Richardus *a S. Vict. p. 1. lib. 3. de erud. hom. cap. 5. pag. 111. col. 2. lit. E. Vultis & hoc breuiter audire quid ſentiam de huiuſmodi Beſtiæ alis? Videtur mihi vna eſſe præcipitationis, alia præſumptionis. Ecce alæ duæ & ambæ aquilinæ. Quis hoc de Aquila neſciat quòd ceteris pæne omnibus auibus celerius, vel celſius volare ſoleat. In præcipitatione attende volatus celeritatem. In præſumptione perpende volatus ſublimitatem.*

10 Aquilæ volantes ad eſcam ſunt Sancti Patres veteris teſtamenti, qui licet cœleſtia contemplarentur, tamen ad terram ad eſcam, ideſt ad futuram Chriſti incarnationem deſcendebant: de quibus ſcriptum eſt *Iob. cap. 9. verſ. 26. Sicut Aquila volans ad eſcam*: Vbi D. Gregorius *lib. 9. cap. 16. moral. pag. 523. lit. D. Moris quippe eſt Aquilæ, vt irreuerberata acie radios ſolis aſpiciat: ſed cum refectionis indigentia vrgetur ad reſpectũ cadaueris inclinat: & quamuis ad alta euolet, pro ſumendis tamen carnibus terram petit. Sic videlicet, ſic antiqui Patres fuerunt, qui in quantum humanitatis infirmitas admittebat, Creatoris lucem erecta mente contemplati ſunt: ſed incarnandum hunc in mundi fine præſcientes, quaſi a ſolis radiis ad terram oculos deflexerunt.*

11 Aquila volans ad eſcam primum hominem ſignat, qui contra Dei præceptum ad eſcam vetitam volans, corruit: ſic in eumdem verſum Idem D. Gregorius *loc. cit. pag. 524. lit. E. Aquila etenim alto valde volatu ſuſpenditur, & anniſu præpete ad æthera libratur, ſed per appetitum ventris terras petit, ſeſeque a ſublimibus repente deorſum fundit. Sic, ſit humanum Genus in Parente primò, ad ima de ſublimibus corruit. Quod nimirum conditionis ſuæ dignitas in rationis celſitudine quaſi in aeris libertate ſuſpenderat: ſed quia contra præceptum, cibum vetitum contigit, per ventris concupiſcentiam ad terras venit.*

12 Aquila decaluata ſignificat gentem Iudæorum, nunc Dei gratia, & antiqua gloria priuatam: de qua Propheta: *Mich. cap. 1. verſ. 16 Dilata caluitium tuum ſicut Aquila*: Vbi D. Hieronymus *in Mich. tom. 5. pag. 203. lit. D. Si autem voluerimus hoc ipſum, & de præſenti tempore iudaicæ euerſionis accipere: videbimus omnem gratiam, qua quondam apud Deum floruit, ab eis receſſiſſe.*

13 Hæc eadem Aquilæ decaluatio, animæ peccatricis pœnitentiam ſignat. Ita in eumdem verſum D Hieronymus *loc. cit. O Anima humana: o vrbs quondam Sanctorum Mater, quæ eras in Paradiſo, & habebas*

ſpecioſ-

Digitized by Google

ſpecioſiſſimam comam: nunc quia eiecta es de ſublimibus, & deducta in Babylonem, & veniſti in locum captiuitatis, & perdidiſti comam tuam: radere, & aſſume habitum pœnitentis.

14 Aquila volans per medium Cœli eſt ſacra Scriptura: de qua dicitur: *Apoc. cap. 8. verſ. 13. Audiui vocem vnius Aquilæ volantis per medium Cœli*: Vbi Rupertus *lib. 5. in Apoc. to. 2. pag. 401. col. 2. Aquila hæc volans, & prænuncia ſacra Scriptura eſt.*

15 Huius Aquilæ alæ datæ mulieri, ſunt duo teſtamenta, vt dicitur: *Apocalipſ. cap. 12. verſ. 14. Datæ ſunt mulieri duæ alæ Aquilæ magnæ*: & Rupertus *loco cit. lib. 7. pag. 431. col. 2. Magna namque Aquila, ſicut alio iam loco ſuperius diximus, ſacra eſt ſcriptura; & duæ alæ ſunt duo teſtamenta, quæ huic mulieri data, ideſt intelligibilia ſunt facta; vt habeat quo ſubleuet in Cælum cor ſuum.*

§. IV.

Abietis ſymbola.

1 Abies excelſa, & procera eſt arbor haud multum a cedro diſſimilis. Et primò ſignat contemplatiuos: de quibus ait Dominus *Iſai cap. 41. verſ. 19. Ponam in deſerto Abietem*: Vbi Gloſſa interl. *Ponam in deſerto Gentium Abietem; altiſſimos, quorum conuerſatio in Cælis eſt.*

2 Abies ſignificat potentem, & Regem vt Iſai c. 37. ver. 24. *Succidam excelſa cedrorum eius, & electas abietes illius*: Vbi Gloſſ. interlin. *Electas abietes, potentes Reges Iudæis parentes.*

3 Abies, & alij ligni libani, Eccleſiæ ſanctos Doctores ſignat: de quibus dicitur: Iſai *cap. 60. verſ. 13. Gloria libani ad te veniet, Abies, & buxus, & Pinus.* Vbi Sanctus Hieronymus *in Iſai pag. 262. lit. F. Vir ſanctus, & eloquentiſſimus martyr Ciprianus, & noſtri temporis confeſſor Hilarius, nonne tibi videntur excelſæ quondam in ſæculo Arbores, ædificaſſe Eccleſiam Dei?*

4 Abies eſt contemplatio: vnde dicitur: *Iſai cap. 55. verſ. 15. Pro ſaliuncula aſcendet Abies*: & D. Gregorius *lib. 18. cap. 12. mor. pag. 713. lit. A. Pro ſaliunca namque in ea aſcendit Abies, dum in ſanctorum corde pro abiectione terrenæ cogitationis, altitudo ſupernæ contemplationis exoritur.*

§. V.

Domus allegoriæ.

1 Domus eſt Ædificium ad habitandum conſtructum: Et primò Domus refugij Deus eſt: vnde Pſalmus 30. *verſ. 3. Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias*: & D. Hieronymus *in Pſal. 30. pag. 50. lit. H. Quia Eccleſia tempeſtate perſecutionis ad Deum habet refugium.*

2 Domus eburnea eſt charitas Chriſti: de qua Pſalmus 44. *v. 10. Myrrha, & gutta, & Caſſia a veſtimentis tuis a domibus eburneis.* Et magnus Baſilius *in Pſal. 44. pag. 106. col. 2. lit. F. Aromata verò hæc non vtique parua manu aſſerit, aſperſa eſſe veſtimentis Chriſti, ſed ab vniuerſis ampliſſimarum Ædium ſtructuris ipſa eidem offerri, &c. Per has equidem arbitror delineari prædiuitem illam, & mirè opulentem Chriſti erga mundum charitatem.*

3 Domus Herodij, (per quem intelligitur Chriſtus) eſt vita Apoſtolorum, cuius Artifex ipſe Chriſtus; quæ domus, ideſt vita Apoſtolorum eſt dux animarum fidelium; idcirco dicitur: *Herodij domus dux eſt eorum*: & Rupertus *de glor. fil. hom. in Matt. lib. 6. to. 2. pag. 56. col. 1. Domus huius Herodij vita eſt Apoſtolorum, quam ipſe magiſter veſter Chriſtus extruxit.*

4 Domus Dei eſt Eccleſia, in qua fideles inebriantur gratia ſpiritus ſancti, vt dicitur in Pſalmo 35. *verſ. 9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*: Vbi D. Hieronymus *in Pſal. 35. pag. 63. lit. D. Et inebriabuntur, ideſt ipſi filij: inebriabuntur quidem ab vbertate domus tuæ, a pinguedine gratiæ ſpiritus ſancti; Domus tuæ, ſanctæ Eccleſiæ.*

5 Domus ſapientiæ dicitur Beatiſſima Virgo, de qua ſcriptum eſt. *Prouerb. cap. 9. verſ. 1. Sapientia ædificauit ſibi domum*: & D. Bernardus *ſer. p. 9. pag. 106. lit. A. Hæc itaque ſapientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de ſinu patris ad nos veniens ædificauit ſibi domum, ipſam ſcilicet matrem ſuam Virginem Mariam.*

6 Domus videntis eſt bona conuerſatio Religioſorũ: de qua Saul: 1. *Reg. cap. 9. verſ. 18 Vbi eſt domus videntis.* & ibi Magnus Gregorius *in cap. 9. 1. Reg. tom. 1. pag. 166. lit. B. Quando igitur ab eis conuerſationis eius ſecreta ad imitandum requirimus, eos nimirum quaſi de propria domo interrogamus. Domus namque eorum conuerſatio eſt.*

7 Domus Domini eſt Patria cæleſtis, de qua canitur: *Pſal. 134. verſ. 2. Qui ſtatis in domo Domini*: Vbi D. Hilarius *Pſal. 134. col. 1061. lit. A. Standum ergo eſt in domo Domini quia benedictio ſtantium placeat: & ſtantium in domo illa ſancta, & cœleſti Hieruſalem, & Angelorum frequentium.*

8 Domus in ſolitudine, eſt alienatio a rerum temporalium cura. Sic dicitur: *Iob. cap. 39. ver. 6. Cui dedi in ſolitudine domum*: & D. Gregorius *lib. 30. cap. 12. mor. pag. 996. lit. E. Quia ergo remoti viri, ideſt a deſideriis carnalibus alieni, hoc ſilentium mentis inhabitat, huic Onagro domum in ſolitudine Dominus dedit, vt turba deſideriorum temporalium non prematur.*

9 Domus publicani eſt mens peccatoris: De qua dicitur *Matth. cap. 9. verſ. 10. Et factum eſt diſcumbente eo in domo*; Vbi D. Hilarius *Can. 9. in Matth. col. 501. lit. F. Ergo e Domo, ideſt ex peccatis corporis, Mattheum Dominus euocauit, in cuius mentem ingreſſus recumbit.*

10 Domus deſerta eſt Anima ſine gratia ſpiritus ſancti, in cuius figura dicitur: *Matth. cap. 23. verſ. 38. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*: & Lyranus. *Sicut enim corpus anima recedente, primo quidem frigeſcit, deinde putreſcit, & ſoluitur; ſic & templum noſtrum Dei Spiritu ſancto recedente, prius ſeductionibus, & indiſciplinationibus repletur, deinde venit ad ruinam.*

11 Domus lutea eſt carnis illecebra: de qua Iob: *cap. 4. verſ. 19 Qui habitant domos luteas*: & D. Gregorius *lib. 5. cap. 28. mor. pag. 426. lit. B. Domus autem luteas habitant, qui de illecebroſa hac vita carnis exultant.*

12 Domus eſt mens, ſiue cor; vnde dicitur *Marc. cap. 5. verſ. 19. Vade in domum tuam*; ideſt conſidera ſtatum tuum; & ait idem Gregorius *lib. 8. cap. 10. mor. pag. 487. lit. A. Solet etiam Domus inhabitatio cordis intelligi. Vnde ſanato cuidam dicitur: vade in domo tuam: quia nimirum dignum eſt vt peccatum poſt veniam ad mentem ſuam redeat; ne iterum quo iuſtè feriatur admittat.*

13 Domus ſaltus libani ſignificat Geneologiam Chriſti 1. *Reg cap. 7. verſ. 2. Ædificauit quoque domum ſaltus libani*, & Rupertus *Tuitien. lib. 3. cap. 14 in lib. Reg. tom. 1. pag. 478. col. 1. Quid hæc domus Salomonis, domus ſaltus libani, niſi domum generationis eiuſdem Ieſu Chriſti filii Dauid, filij Abraham figurat?*

14 Domus Iuda, eſt congregatio confitentium, & glorificantium Deum: de quibus Propheta Zaccar. *cap. 10. verſ. 6. Et confortabo domum Iuda*: Vbi Rupertus *lib. 4. in cap. 10. Zaccar tom. 1. pag. 1046. col. 1. De Domo quidem Iudæ iam ſupra dictum eſt, quod ipſi ſint confitentes, & Deum omnipotentem, vt Deum glorificantes, & gratias agentes.*

Digitized by Google

15 Domus Ioſeph eſt congregatio caſtitatem profitentium; de quibus loco citato *Zaccar*, dicitur *Et domum Ioſeph Saluabo*; & ibidem Rupertus *loco citato Domum ergo Ioſeph cunctos deſignare illos, qui pro caſtitate laborant, non dubium eſt*.

16 Domus matris ſponſæ eſt ſynagoga, in quam introducere ſponſum ſuum Chriſtum Eccleſia laborat: vnde dicitur *Cant.cap.3.verſ.4. Tenui eum nec dimittam, donec intraducam illum in domum matris meæ*: Vbi D. Gregor. *in Cant. cap.3. tom.2. pag. 1206. lit. E. Tenet ergo ſponſum Eccleſia donec in domum matris eum introducat: quia vſque ad finem mundi ab eius fide, & opere, & amore non recedit, donec ad fidem Iudæos adducat*.

17 Domus deſertæ ſunt prauæ cogitationes, quas impius habitare dicitur; vt apud Iob *cap.13. verſ.28. Habitauit in Ciuitatibus deſolatis, & in domibus deſertis*. Vbi D. Gregorius *lib.10. cap.22 mor. pag.597. lit. A. Domus verò deſertæ, ſunt cogitationes prauæ, quas iniquus iſte inhabitat: quia per omne quod agit iniquorum hominum placere cogitationibus appetit*.

Verſus Decimus octauus.

הָרִים הַגְּבֹהִים לַיְּעֵלִים סְלָעִים מַחְסֶה לַשְׁפַנִּים׃

Verſio ex hebræo. *Montes alti capreis ſilueſtribus: Petræ ſpes cuniculis.*
Vulgata editio. *Montes excelſi Ceruis: Petra refugium Herinacijs.*
Pagninus. *Montes excelſi Ibicibus: Petræ Hoſpitium leporibus.*
Teſtus Arabicus. *Montes excelſi Ceruis; & Cauernæ refugium leporũ:*
Quidam apud D.Hieron. *Montes &c. Petra refugium Chirogrillijs.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

VErbum יְעֵלִים propriè *Ibices* ſignat, penultima producta, quæ ſunt Capræ ſilueſtres miræ pernicitatis, quæ in excelſis montium ſibi caueam ſeligunt: quapropter vulgatus interpres pro ſimilitudine Ceruos poſuit: Deinde מַחְסֶה ſignificat ſpem, ſeu fiduciam, vnde haud ineptè refugium etiam interpretari poteſt. Hac occaſione de capreis, & ceruis agendum eſt: שְׁפַנִּים cuniculi ſunt, quibus affines lepores: ſed apud D. Hieronymum שָׁפָן eſt animal maius Hericio, frequens in Palæſtina: & hæc eſt cauſa cur editio vulgata habeat Hericium; ſeu Herinacium. Nos vero de his omnibus tractabimus, vt mori habemus.

SVMMARIVM.

1 *De Ceruis, eorumque natura.*
2 *De Capreis ſilueſtribus, ſeu Ibicibus.*
3 *De Hericiis, ſeu Herinaciis, leporibus, & Cuniculis.*

§. I.
De Ceruis, eorumque natura.

1 MOntes *excelſi Ceruis &c.* Ceruorum, Caprearumque genus affine eſt, ſuntque in natura, & proprietatibus haud multum diſſimilia: Ceruus vocatur a cornibus, quibus permaximè exornantur, & quibus præpollent: ita D. Iſidorus Hiſpalen. *lib.12. c.1. origin. pag.101. lit.C. Ceruus a κέρασιν grecè, idest cornu dicitur; Ceruı Serpentum ſunt inimici, qui cum ſe grauati aliqua infirmitate præſenſerint, ſpiritu narium eos extrahunt de cauernis, & ſuperata pernicie veneni, eorum pabulo reparantur. Diptamnum herbam ipſi primitus prodiderunt, nam eo paſto excutiunt ſagittas.* Hucuſque D. Iſidorus. Hæc eſt ergo Cerui natura vt curſu velociſſimus ſit, ac etiam auditu præſtans ſi quando erectis auribus audiat; ſed & illud mirabile eſt, quòd harmonia delectetur hoc animal, & præſertim fiſtularum ſonitu; cui multoties vt attendat, venatorum inſidias non aduertit. Vnde de Ceruis idem Doctor loc. cit. *Mirantur autem fiſtularum ſibilum, & in harmonia delectantur. Erectis auribus acutè audiunt, ſubmiſſis nihil.* Porro de eorumdem velocitate mira narrat Incognitus, quòd ſcilicet currendo, & ſaltando, terram ferè non contingat, quod ſi in via per quam currit, ſpineta ſint, ſpinas velocitate tranſiliens, eas non ſentit, nec læſionem incurrit. Quapropter de cæleſti ſponſo in ſacris canticis dicitur *cap. 2. verſ.8 Vox dilecti mei ecce iſte venit ſaliens in montibus tranſiliens colles; ſimilis eſt Dilectus meus Capreæ Hinnuloque Ceruorum.* Vnde meritò ait Incognitus *in Pſal. 103. Ceruus tantæ agilitatis eſt, quòd currendo, vel ſaltando, quaſi terram non tangit, & inter ſpinas ſaltando eas nõ ſentit.*

2 Cum Serpentibus bellum gerit Ceruus, eiſque in victum & medicinam vtitur; & huc Baſilius pertinere exiſtimat, quod dicitur in Pſalmo: 28. *v.9. Vox Domini præparantis Ceruos*: Ita enim, diſponente Domino, apta corporis temperie præparatus eſt Ceruus, vt minimè lædi a veneno poſſit, & quod alijs animantibus necem præſtaret, dat illi vitã, & incolumitatẽ. Teſtatur magnus Baſil. *in Pſ.28. pag.79. col.1. lit E. Vox Domini præparantis Ceruos: talem hoc Animal naturæ conſtitutionem ſortitus eſt, vt nullo ſerpentis veneno lædi queat; cui remedio eſt, ſiue purgationis, ſi fortè in id inciderit,*

vipera

vipera deuorata. Et propter omnia venenoſa animalia Cerui aut præſentiam, aut odorem ferre non poſſunt, ſiquidem deuorari metuunt; omnibus enim a ſuo contrario fugere dedit natura: quin etiam, ſi cornu ceruinum comburatur, ex eius ſuffumigatione omnia reptilia fugantur: ita ſubdit Baſilius *loc. cit. col. 2. lit. B. Vbi Cerui præſentia eſt, omnium ibi ſerpentium malitia fugatur: odorem Cerui nulla ferunt Animalia venenata, quando vel ad ſuffitum cornu ceruini ſecedunt Reptilia*. Cum ergo cerui ſerpentibus nutriantur, eos perſequuntur. Ex hac autem comeſtione duo in ceruo cauſantur: primum eſt Complexionis valetudo, nam hoc animalium genus a febribus immune prædicant; conſequenter eorum carnes ſalubres ſunt, & ſanæ, præſertim ſi ſolæ, comedantur; vt tradit Magnus Albertus *De Animalibus libro 22. tract. ſecundo, capite 1. pagin. 585. col. 1. Dicunt etiam hæc animalia vitam immunem a febribus habere; & ideo ſanas valde eſſe carnes ceruorum ſi mane ante omnes alios cibos comedantur per duas horas, in aliqua quantitate, quæ totum infundere poſſit corpus*. Secundò ex hoc ſerpentino cibo efficitur ceruus ſitibundus; & ideo dicitur maximè fontes appetere, cuius deſiderio amorem ſuum erga Deum comparabat Dau. Pſal. 43. v. 1. *Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*. Cuius rei dans rationem Chriſoſtomus ait *in Pſal. 43. tom. 1. col. 635. lit. D. Ceruus eſt quodammodo ſitibundus, & ideo frequenter currit ad fontes aquarum. Efficitur autem ſitibundus & a natura, & ex eo quòd ſerpentes comedat, & eorum alatur corporibus*.

3 Præterea Cerui libidine æſtuant, & præ zelo inter ſe mares pro fœminis pugnant, & ita incenduntur vt ferè inſanire videantur. Feminæ verò ſe ad partum multipliciter præparant; deinde concepto fætu a maribus ſecedunt. Hanc autem ad conceptum, & partum præparationem puto eſſe, quam indicat Propheta; cùm ait: *Pſ. 28. v. 9. Vox Domini præparãtis Ceruos*: ſed audiamus Albertum dicentem loc. cit. *Coeuntes ad coitum inſaniunt, & pugnant pro fœminis: & hoc facere dicuntur in fine Auguſti oriente Arcturi ſydere cum Sole: & tunc fœmina per eſum herbæ ſileſis vocatæ, vterum præparant, vt facilius concipiant*. Enim verò cum dicatur in Pſalmo hanc præparationẽ prouenire a Domini voce, aliter ſentit Genebrardus *in Pſal. 28. pag. 105. lit. D.* Putat namque Ceruas timidas eſſe, & propter dolorem partus, filium edere non audere, ac propterea, ex voce Domini, ideſt tonitru, præparantur, & adiuuantur; nam cum ex Tonitrui timore deliquio affectæ ſui compotes non ſint, natura officium ſuum exequente, fetus emittitur: ita ille. *Præparantis ceruas, ad partum ſcilicet; Parere facit Ceruas præ metu ſuo tonitru; quæ ſunt pauidæ, & vuluam habent anguſtam: vnde & eorum partus, vt & Caprearum, ſeu Ibicum eſt difficillimus; ac niſi tonitru præparentur, & adiuuentur, non modo non eniterentur fœtus ſuos, ſed & perirent, nimia difficultate, & torminibus*. Filios educant & ad currendum & ſaltandum edocent. Ætas Ceruorum longa eſt, & vltra centum annos protenditur, cognoſcitur annorum ſeries vſque ad ſeptimum annum per annos Cornuum, ſed vltrà ſprennium cognoſci nequeunt; deprehenditur tamen eorum ſenectus ex paruitate, vel carentia dentium; quod narrat Bartholomeus anglicus. *De Propriet. rer. lib. 18. cap. 29. pag. 1046. Deprehenditur Ceruorum ætas per cornuum ramos, quia annis ſingulis ſibi additis ad viuendum ſuperadduur vnum, vſque ad ſeptem annos, & ab eo tempore annis ſingulis ſimilia renaſcuntur, nec poteſt ætas diſcerni. Simili modo ſenecta dentibus declaratur, aut enim paucos aut nullos habent*. Alia permulta de Ceruis apud citatos Authores videantur.

Ian. de Mata.

§. II.

De Capreis Silueſtribus, ſeu Ibicibus.

1 **M**Ontes *excelſi Ibicibus*. Haud admodum a Ceruorum natura Ibices, ſeu ſilueſtres diſſident Capreæ: quas ſic vocitatas a carpendo cenſent nonnulli, inter quos D. Iſidorus; alij vero a crurium crepitu; Græci vero eas Dorcadas ab acumine viſus nominarunt; quia quamuis in excelſis morentur montibus de longinquo tamen vident properantes ad ipſas. *Capros, & capras*, ait D. Iſidorus *lib. 12. c. 1. orig. pag. 101. lit. D. a carpendis virgultis quidam dixerunt; Alii quod captent aſpera: Nonnulli a crepitu crurum, vnde eas capreas vocitatas: quas Græci, pro eo quod acutiſſimè vident, Dorcadas appellarunt. Morantur enim in excelſis montibus, & quamuis de longinquo, vident tamen omnes qui veniunt. Eædem autem Capræ, eædem Ibices*. Quia ergo in montibus, etiam imperuijs alijs, habitant, ideo hic dicitur, *Montes* alti Capreis, ſeu Ibicibus. Vnde ſacræ literæ, vt exagerarent Dauidis ſpeluncas in montibus, vbi latebat ob metum Saulis, & quibus in locis infeſtiſſimus Hoſtis eum impigro labore quæritabat, eas Ibicum vias, & latebras vocant 1. *Reg. cap. 24. verſ. 3. Perrexit ad inueſtigandum Dauid, & viros eius, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis Ibicibus peruiæ ſunt*. Vt pateret magis, & fugientis ſolertia, & perſequentis crudelitas; Vbi Abulenſis *in lib. 2. cap. 2. Reg. pag. 12. col 3 lit. A.* loquendo de Capreis ait. *Vocantur autem iſta Animalia Ibices, vt patet præcedente libro capitulo vigeſimoquarto, ſcilicet, quod Saul perſequebatur Dauid ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis Ibicibus peruiæ ſunt*.

2 Porrò Caprea ſimilis Ceruo eſt, minor quidem corpore, ſed velocitate pernicior; cornua recurua habet, eaque tantæ fortitudinis; vt ſi aliquando contingat de altiſſimis rupibus ſe demittere, in cornua ſe recipiens minime læſionem patiatur; nam moratur in altis rupibus, ad quas vlla alia Animalia accedere poſſunt; quod deſcribens Abulenſis, probat ex capite ſecundo ſecundi Regum, vbi loquens diuina Scriptura de velocitate curſus Aſaelis fratris Ioab ait: 2. *Reg. cap. 2. v. 18. Porro Aſael Curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de Capreis, quæ morantur in ſiluis*. Vbi citatus Doctor, *Eſt enim Caprea animal velociſſimum, quod aliquo modo pertinet ad ſimilitudinem Ceruorum, & ſæpe vocatur in ſcriptura Ceruus. Sunt enim iſta Animalia minora Ceruis, ſed velociora, habentia cornua valde recurua: graditur enim ſuper montes altiſſimos, vbi non poſſunt manere alia Quadrupedia: & interdũ de altiſſimis montibus ſe præcipitantes, ſuper cornua ſe illæſos recipiunt*. Quam Caprearum velocitatem etiam videtur indicare ſapiens in Canticis, dum nomine ſponſæ ad fugam ſponſum inuitans, ait: *Cant. cap. 8. verſ. 14. Fuge dilecte mi aſſimilare Capreæ, hinnuloque Ceruorum*. Circa partum, eam patiuntur difficultatem Capreæ, vt Ceruæ: in vno tantum differunt, quòd Ceruæ circa vias ab hominibus frequentatas pariunt, vt tutus ſit partus a Feris, quæ prope homines non accedunt: Capreæ vero, ſeu Ibices in montibus altis, & præruptis rupibus; dicente Iob: *capite 39. Numquid noſti partus Ibicum in Petris*: & Abulenſis de Caprearum interpretatur partu: *De his etiam Iob Capitulo trigeſimonono; ſcilicet: Numquid noſti partus Ibicum in petris; ideſt Caprearum*. Ipſa vero animalis conſtitutio, & natura montanam conuincit natiuitatem.

3 Habet enim quaſdam Ceruorum proprietates Caprea, præſertim ſerpentium & venenatorum inimicitiam, quam illi fugiunt. Quia vero velox eſt animal, conſequenter parem velocitati, timiditatem habet, & ratio eſt, quia armis carens (nam retorta cornua ad nihil profunt in bello; quam neque feminæ eorum, Damulæ dictæ, habent) totam vitæ defentionem in

Digitized by Google

pedum leuitate conſtituunt: vnde de Damis, quæ Capreæ ſunt, ait Magiſter de proprietatibus rerum *lib.* 18. *cap.* 34. *pag.* 1052. *Damula, ſiue Dama, Caprea eſt agreſtis; vt dicit Iſidorus lib.* 12. *Damula eſt vocata eo quod de manu effugiat; timidum enim eſt animal, & imbelle: vnde neſcit ſe defendere niſi fugiendo. Habent enim pro armis habilitatem membrorum, & ad fugam leuitatem. Vnde dicit Martialis,*

Dente tuetur Aper, defendunt Cornua Ceruum,
Imbelles Damæ quid niſi præda ſumus?

Damulam odiunt Serpentes & eius anhelitum fugiunt. Sunt etiam & Capreæ ſilueſtres, ſiue Damulæ ad medicinam vtiles; præſertim earum ſanguis, eſt autem eius caro optima; eo quia non niſi aromatica, & medicinalia gramina comedat; quare ex Plinio Idem ait. *Montoſa loca, & nemoroſa diligit, gramina aromatica, & medicinalia comedit; ſanguis eius eſt medicinalis ſecundum Plinium lib.* 28. *neruos enim contractos remollit, & articulorum dolores ſoluit, venenum excutit, & expellit.* Pro eadem igitur ſpecie numerantur capreæ, Ibices: Damulæ: de quibus hæc prælibaſſe ſufficiat.

§. III.

De Herinaciis, ſeu Hericiis, Leporibus, & Cuniculis.

1 PEtra Refugium Herinaciis. Quia verbum שפן variè interpretatur, nam alij dixerunt Herinacium, alij Hericium, Alij Chirogrillium, alii leporem, ſeu cuniculum, ego puto cum D. Hieronymo, quem refert Genebrardus, nullum eſſe horum animalium, ſed ſpeciem ab his omnibus diſtinctam, ait enim ille. *Hieronymus ſcribit* שפן *Saphan, animal eſſe maius ericio, habens ſimilitudinem muris, & Vrſi. Vnde in Palæſtina dici* ἀρκτομῦς, *magnamque eorum in illa regione eſſe abundantiam, ac ſemper in cauernis petrarum, & terræ foueis habitare. Alii cuniculum, Alii Chirogrillion, quem Heſychius* ἐχῖνον, *ideſt Herinaceum.* Iſta porro Animalia Hericium, Herinacium, & Cirogrillum parum inter ſe differre puto; nam omnia ſpinis circumdantur, & in cauernis petrarum habitant, & eumdem degendi, ac victitandi modum obſeruant; nec non ventos, ac tempeſtates præſagiunt: Ita ſentit Albertus *lib.* 22. *Tract.* 2. *c.* 1. *Anim. tom.* 6. *pag.* 597. *col.* 2. *Hericius, & Herinacius, & Cirogryllus ſunt idem animal. Totum autem hoc animal eſt ſpinoſum. Eſt autem habitans in Cauernis; præſagum animal ventorum, & ventos timens.* Anglicus verò putat Cirogrillum, & Herinacium idem eſſe, ſed differre ab Hericio, non alio, niſi ſola magnitudine, nam Herinacius Hericio maior eſt: Cæterum forma corporis, & proprietatibus inter ſe conueniunt; nimirum in volutando ſe ſuper poma, vt ſpinis infixa deferat ad domum ſuam, in voluendo ſe in modum pilæ, vt a venatoribus capi non poſſit; & etiam in emittendo ex ſe tabificam, & venenoſam vrinam, vt ſic deferatur, Ita Bartholom. Anglic. *lib.* 18. *cap.* 61. *de propriet. rer. pag.* 1079. *Herinacius, inquit Albertus, idem eſt quod Cirogryllus, animal paruum, & ſpinoſum, habitans in cauernis, ſimile Hericio, ſed dicitur eſſe maius. De quo Plinius lib.* 8. *cap.* 38. *Herinacii, inquit, more Hericii ſe volutant ſuper poma, quæ ſpinis infixa deferunt in arborum concauitates; & præter illa, quæ geſtat in dorſo, vnum ſemper geſtat in ore, quando venatur, in modum pilæ ſe voluit, ne quando poſſit comprehendi: quando autem poſſe euadere ſe deſperat, Herinacius ex ſe emittit vrinam tabificam, & venenoſam.* Cæterum Herinacius, & Hericius, demptis ſpinis, porcelli formam habet, eamque pinguem; non tamen eius caro in in prætio eſt; bene tamen pellis eius ſimul cum ſpinis, qua veſtes poliuntur. Cum autem hoc animal plenum ſit ſpinis neceſſe eſt, vt quando ad prolem generandam coit, mas & fœmina ſtent erecti, aliàs enim a ſpinis impedirentur, ne coirent: ita docet Albertus *loc. cit. pag.* 598. *col.* 1. *Eſt autem Hericius pinguis porcelli modum exprimens, quando excoriatur; Coit Hericius ſtans cum fæmina, & erectus propter ſpinas; dicitur autem hoc animal ad multa eſſe medicinale.* Hæc de his animalibus potui reperire. De Henricio marino vide infra in verſ. 25.

2 Cuniculorum, & leporum ſpecies eſſe ſimiles admodum, tum ipſa forma, tum experientia docet: nam egomet vidi in domo cuiuſdam Iuriſconſulti Romę fęminam cuniculum, ex mare lepore grauidam, duos catulos peperiſſe, qui vtriuſq; parentis in membris aliquid oſtendebant. Nam & de cuniculis ait Plinius *lib.* 8. *nat. hiſt. cap.* 55. *Leporum plura ſunt genera; nam in Alpibus ſunt quidam, & in ſyluis habitant quidam quantitatis maioris, groſſioris pili, & velocioris curſus, quam ipſi, qui cuniculi dicuntur. Nã cuniculi lepores ſunt parui, & imbecilles, qui vnguibus terram concauant, & foueas ſubterraneas, quas inhabitent.* Quod autem ad nomen attinet, lepus dicitur, quaſi leuipes, quia velociſſimum eſt animal, & inter alia, per hoc differt a cuniculis, qui tántam velocitatem non habent. Cuniculos vero dictos cenſet D. Iſidorus *lib.* 12. *cap.* 1. *orig. pag.* 102. *lit. B.* quaſi caniculi; eo quod a Canibus venentur; *Lepus, quaſi leuipes, quia velociter currit: velox eſt enim animal, & ſatis timidum. Cuniculi genus agreſtium animalium, dicti quaſi Caniculi, eo quod Canis indagine capiantur.* Habet hoc animal anteriora crura breuiora, vt ad velocitatem requiritur; vnde cum currit ad montana, & altiora loca velocius currit, quam per planitiem, & difficilè tunc inſectatur, ita Anglicus *loc. cit. cap.* 66. *pag.* 1067. *Pedes leporis ſunt ſubtus piloſi, quod in aliis animalibus rarius inuenitur: crura eius poſteriora ſunt anterioribus longiora, quod fuit neceſſarium ad facile corpus eius eleuandum in curſu quãdo fugeret contra montem; vnde difficilius capitur contra montem, quam contra vallem.* Quod autẽ dicitur lepores vtrumque ſexum habere, & ſine mare generare haud puto verũ, præſertim tot foramina habere, quot annos haud puto verum; nam de ipſis ait citatus Doctor. *Totidem enim ſunt illis partis corporis foramina, quot annorum curricula habuiſſe perhibentur; & ideo dicuntur gignere ſine mare, & habere vtrumque ſexum.* Nam quod ego expertus ſum, leporem cum Cuniculo coiſſe, & non leporem, ſed cuniculum peperiſſe contrarium oſtendit; ſunt tamen incredibilis fæcunditatis, quod non negauerim experientia teſte. Imò concludimus cum Anglico: *vtile eſt animal quoad eſum, & quoad veſtitum, & quoad multiplicem medicinam. Nam eius coagulum valet contra venenum, reſtringit ventris fluxum; ſanguis eius mitigat dolorem oculorum.* Plura apud citatos Authores quærere poteris.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

MOntium excelſa cacumina incolunt Cerui; neque reconditas eorum cauernas, qui ceruus, aut ſylueſter Caper non eſt, inuenire, & noſcere poteſt; quia ad montem, contemplationis, & Euangelicæ perfectionis, difficilè, qui contemplatiui non ſunt, perueniunt. Neque caſu Ceruo Virum perfe-

Digitized by Google

perfectum comparauimus; nam omnes Cerui conditiones habeat neceſſe eſt; montes colere, ideſt ſeparari a mundo, & cæleſtia tantum amare; ſpinas veloci curſu tranſilire, ideſt diuitias non æſtimare: Cum ſerpentibus bellum gerere, & comedere, ideſt Diabolum vincere: venenata fugare, ideſt peccata deuitare. Si autem non Ceruus, ſed Hericius ſit; ideſt non ſpiritualis, & perfectionis ſtudioſus, ſed peccator, ſpinis ſeptus vitiorum, debet in Petra refugium reperire, in Chriſto ſpem ponere, nec cauernas aptiores ad fugiendum diabolum, ſpinaſque contundendas, Chriſti vulneribus poterit reperire. Ad moralem ergo ſenſum hæc accomodando, haud paucos prædicabiles conceptus ſuppeditabunt.

SVMMARIVM.

1 *Contemplatiui ſacræ ſcripturæ intelligentiam aſſequuntur.*
2 *Qui aſpernantur diuitias magni fiunt apud Deum.*
3 *Sancti Cerui ſunt dum infernalem ſerpentem ſuperant.*
4 *Qui cæleſtia amat, mundana quaſi non tangit.*
5 *Chriſtus eſt Peccatorum refugium.*
6 *Vulnera Chriſti Animarum refugium.*
7 *De ſpinis tribulationum, per Chriſti mortem flores naſcuntur.*

§. I.

Contemplatiui ſacræ ſcripturæ intelligentiam aſſequuntur.

1 MOntes excelſi Ceruis. Sæpè ſæpius dixiſſe me memini, Montis nomine, altum perfectionis cacumen ſignificari; quia ergo ſacra ſcriptura tota myſticis repleta eſt ſenſibus, & ſub cortice literæ ſpirituales ſenſus occultat, difficulter poterunt naturali ſpeculatione eius myſteria indagari: neque aliunde tot hæreſum origines emanarunt, quam ex praua ſacrarum literarum intelligentia; Nam cùm ſuo fidentes ingenio, philoſophicis principiis fidei inueſtigarent arcana, miſerabiliter decepti periere: Neque enim ita ſcriptura intelligitur ſpeculando, ſed amando: contemplatio inuenit quòd argumentatio non attingit. En Philoſophorum Principes ignorarunt, quod apud nos ſimplices norunt: qui ergo ſacræ Scripturę intelligentiam aſſequi voluerit, Deum amet, contemplationis culmen attingat, inde oculo ceruino de longe myſteria tecta recognoſcet; vt optimè docet D. Petrus Damianus *lib. 7. Epiſ. 19. tom. 1. pag. 346. lit. E. Montes excelſi Ceruis: Quid enim hoc loco per montes, niſi altæ ſcripturarum intelligendæ ſunt difficultates? Hi nimirum qui iam dare contemplationis ſaltus nouerunt, altos diuinarum ſententiarum vertices, quaſi cacumina montana conſcendunt.*

2 Apud homines vſitatum eſt, vt ſi quando aliquis aliquam rem de longinquo proſpicere voluerit, altiora loca conſcendat; & quo altius collocatur, rectius videt. Hoc & in ipſo Ceruo experimur, qui cum acutiſſimum habeat oculum, ſua velocitate ad montium cacumina accurrit, vt inde ſpeculetur. Hinc autem puto illam eſſe Cerui præparationem, quam Propheta commemorat, inquiens; *Pſal. 28. verſ. 9. Vox Domini præparantis Ceruos*: Se enim & ad videndum dum tenet montes; & ad ſanitatem dum quærit fontes, & ad partum dum herbam ſileſim comedit, præparat. Hæc eadem ſcripturarum ſtudioſus facere debet; vt ſcilicet montem teneat contemplationis; fontem quærat Dominicæ paſſionis, & herbam comedat pænitentiam ſectando; ſic enim in terris viuendo, ſed in cæleſtibus conuerſando, & fructus bonorum operum pariet, & veram Theologiam, ideſt diuinorum ſcientiam habebit. Hæc ex Magno Baſilio excepimus: qui ait *in Pſal. 28 pag. 79. col. 1. lit. F. Vox Domini præparantis Ceruos: Neceſſarium eſt, vt ſi quando audiamus nomen Cerui in diuinis libris, id verbi in bonam trahamus ſimilitudinem. Nam & montes excelſi Ceruis; quando & iuſtus omnis in altiſſimis ſibi deligit conuerſationem, deſtinatum ſiue ſcopum proſequens, ad brauium ſupernæ vocationis, & ad potabiles fontes recurrit, prima Theologiæ principia requirens.* Beati Cerui, qui Cæleſtia requirentes, ita intelligunt ſcripturam, vt non decipiantur, quia Theologicæ principia diſciplinæ ex Diuinorum amore ſuſcipientes, ſpiritualiter ſapiunt, quia ſpiritualiter conuerſantur.

3 Argumentum huius rei euidentius nequit adduci, quam Diui Pauli exemplum. Erat Saulus legis moſaicæ ſtudioſiſſimus, & in eius ſpeculatione continuò verſabatur; eam tamen minimè intelligebat; nam ſi eius nouiſſet myſteria, numquam Dei Eccleſiam perſequutus fuiſſet, quia, vt fecit poſtea, ex ipſis ſcripturis Meſſiæ aduentum reperiſſet. At cum primum diuina luce excæcatus, & proiectus in terram contemplationi ſe dedit, & oculorum tenebras, mentis lumen ſuppleuit, raptus per contemplationem in Cœlum, ibi audiuit arcana verba, ſcripturarum intelligentiam accepit, & per legis teſtimonia confundebat Iudæos. Hoc niſi fallor docuit Pſaltes cùm canebat; *Pſal. 147. verſ. 8. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias, & Iudicia ſua Iſrael*: Iacob & Iſrael duo nomina ſunt eiuſdem perſonæ, & ſic fidelem ſignificant. Iacob, ideſt ſupplantator ſignat nouiter conuerſum ad fidem, cui dum per contemplationem reuelantur myſteria fidei, conuenit nomen Iſraelis, ideſt videntis Deum. Ita Paulus prius Iacob, deinde Iſrael, nam tunc ad tertium Cœlum eſt raptus, cum diuinitus excæcatus ad fidem venit. Incognitum in hunc ſenſum loquentem *in Pſalt. in v. 2577* adducamus. *Fideles enim conuerſi per Iacob, & Iſrael ſignificantur, quia tales ſupplantant vitia, & Deum per fidem ſpeculantur, & hoc notat dicens: Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael: quod facit quando conuerſis per fidem reuelat credenda; ſicut fecit Apoſtolo Paulo in triduo ſuæ excæcationis, quando vſq; ad tertium Cælum fuit raptus.* En quomodo ſoli fideles, & contemplatiui veram ſacrarum literarum Intelligentiam aſſequuntur; ea carebat Saulus dum magis ſtudebat, ſed cognouit perfectè dum cæleſtia contemplaretur.

§. II.

Qui aſpernantur diuitias magni ſiunt apud Deum.

1 MOntes excelſi Ceruis. Tanta eſt Ceruorum in currendo velocitas, vt per ſpineta tranſilientes, ſpinarum acu eos derideant, & contemnant; nam vt ad montes perueniant ad inueniendum refugium, non eis impedimento ſunt ſpinæ. Spinas ſignificare diuitias meum argumentum non eſt, ſed Domini Redemptoris, qui ſpinis diuitias comparauit; ſpineta ergo diuitiarum ad montem contemplationis currere non ſinunt, quia iter incommodant; vnde eas aſpernati, & tranſilire oportet, ne nos a virtutum itinere detineant. Hoc ſuadebat Seneca *Epiſ. 119. pag. 507. Excæcant populum, & in ſe conuertunt opes:* & paulo poſt ſequitur. *Nam quod ad illos pertinet, apud quos falſo diuitiarum nomine inuaſit occupata paupertas: ſic diuitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus: Febris illum tenet: eodem modo dicendum eſt: Diuitiæ illum tenent.* Ne igitur nos teneant diuitiæ, ac iter ad perfectionem impediant, aſpernandæ ſunt: nam illi in ſpiritu, & apud Deum magni euadunt, qui eas aſpernantur. Ceruos ergo imitemur, ſecundum hortamenta Prophetæ, & eminentiſſimi Hugonis. *Montes excelſi ſunt refugium Ceruis: Cerui qui ſpineta tranſiliunt ſunt magni ſpirituales, qui omnes ſpinas diuitiarum relinquendo tranſilierunt. Iſti habent refugium, & habitationẽ in montibus, ideſt in altitudine mandatorũ Dei.*

2 Diuitiarum initia a peccato hominis ortum duxere: in illo enim innocentiæ ſtatu, cum omnia omnibus fuiſſent communia, diuitiarum accumulatio ſuperflua extitiſſet. Si ergo peccatum diuitias collexit, vt expietur peccatum, & ad Dei gratiam redeatur, diuitias paruipendere, & derelinquere neceſſe eſt. Id colligitur ex diuinis legibus, vbi ſacrificium pro peccato offerendum deſcribitur; dicitur namq; *Leu. cap. 4. verſ. 32. Si autem de pecoribus obtulerit ſacrificium pro peccato, ouem ſcilicet immaculatam.* Vbi Rupertus legit, *ouem tonſam:* quaſi diceret: Pro peccato ouis tonſa offerenda eſt; ſicut enim ouis cum tondetur omnem ſui corporis ſuperfluitatem abiicit, ſic qui peccatum abolere, Chriſtum ſequi, & in Cælo magnus eſſe deſiderat, abiiciat Lanam, diuitias derelinquat, & tunc coram Deo pulcherrimus apparebit. *Qui autem nihil ſibi reſeruat, ſed omnia vendit, & dat pauperibus, & ita Chriſtum ſequitur, hic ouem tonſam immolat, qualium gregem in Santa Eccleſia Sponſus intuens dicit in Canticis: Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro Hæc Rup. Abb. Tuitien. lib. 1. cap. 20. in Leuit. tom. 1. pag. 335. col. 1.* Hæ victimæ Deo placent, harum celebrat pulchritudinem quæ tonſæ ſunt, ac diuitiarum vellera proiecerunt.

3 Rectè dicebat ſupra relatus Seneca, diuitias excæcare hominem; quænam enim hac maior cæcitas eſſe poteſt, quam in Domino non ſperare? Sperare autem in eo non poſſunt, qui eius potentiam, æternaſque diuitias non nouerunt: dum enim homo diuitiis abundat, in ipſis ſpem figit, nec in alio, quam in mundo, ſperare edoctus eſt; cùm autem primò diuitias aſpernatur, nec huius ſæculi voluptates optat, tunc incipit ſperare in Domino, eiuſque cognitionem habere. Qua de cauſa dicebat Propheta *Pſal. 9. verſ. 11. Sperent in te qui nouerunt nomen tuum.* Illi enim ſperare in Domino diſcunt, & poſſunt, qui in huius mundi diuitiis non ſperant; nam eo ipſo quod terrena deſpiciunt, Dei potentiam, & propriam egeſtatem agnoſcunt; & cognoſcentes ſe ſine Deo viuere non poſſe in ipſo collocant ſpem ſuam: vt ait D. Auguſtinus *in Pſal. 9. pag. 25. col. 2. lit. A. Et ſperent in te omnes, qui cognoſcunt nomen tuum, cum deſtiterint ſperare in diuitiis, & in aliis huius ſæculi blandimentis. Quærente quippe Anima, vbi figat ſpem, cum ab hoc mundo auellitur, opportune excipit cognitionem nominis Dei.* Et hi magni ſunt apud Deum, nam ſperantes in ſe adiuuat, & diligit Deus: vnde ſequitur in eodem verſu: *Quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.* Maxima autem eſt excellentia a Domino ſuſtentari.

4 Si huius mundi magnatum venerabilis eſt potentia, & admirabilis gloria; multò magis Paradiſi Ciues commendabiles erunt. Etenim ſi apud Reges terræ qui ſunt in honore, magni ab hominibus æſtimantur, pluris, qui apud Deum poſſunt erunt faciendi. Deus igitur pulcherrimam Ciuitatem extruxit, omni felicitate redundantem, quam ad habitandum diligentibus ſe præparauit. Verumtamen non introducentur in eam, niſi qui Ceruorum more, ſpinas diuitiarum tranſiliunt, & derelinquunt. Etenim ſi quæras a prophetico Rege, quis ſit habitaturus in ea viuentium terra, & Beatitudinis Regia? Reſpondebit vtiq; Deo. *Pſal. 67. verſ. 11. Animalia tua habitabunt in ea; paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Ergo Domus illa cæleſtis, omni decore exornata, omni gloria repleta, omnibus bonis referta, Animalium ſordibus, & pauperum eſt replenda miſeriis? Ciuitas munda eſt, ſordes non recipit; Beata eſt, ſordes non admittit. Verum hæc ſpiritualiter intelligenda ſunt: Animalia diuitias nõ amant, Pauperes diuitijs carent: Illi ergo qui ſpinas diuitiarum, vel relinquendo, vel non amando tranſiliunt, Ciues erunt cœleſtis illius Ciuitatis; quod D. Bernard. Sen. *ſerm. Dom. in oct. Paſ. tom. 1. pag. 344. col. 1.* docet. *Animalia tua, ideſt humanum genus: habitabunt in ea; ſcilicet terra: Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus, ideſt Paradiſum; quem ſolum eis, qui affectu terrenorum priuati ſunt, Dominus præparauit.* Ciuitas illa in montibus ſanctis fundata eſt, igitur Ceruum eſſe oportet; ſpinas haud ſentiens diuitiarum, qui in illa habitaculum præparare contendit.

§. III.

Sancti Cerui ſunt, dum infernalem Serpentem ſuperant.

1 MOntes excelſi Ceruis. Ceruorum genus magnam affert animantibus reliquis vtilitatem; ſiquidem venenata omnia fugat, ac ſerpentes deuorat, vt quod aliis mortem afferret, ipſi vitam ſuſtentet. Præſertim ſi aliquod ſubeat infirmitatis periculum, tunc enim vi ſpiritus ſui ex ipſis extrahit cauernis. Ceruos ergo Chriſti ſectatores oportet eſſe, vt ſua virtute cum Diabolo belligerantes, illius antiqui ſerpenti, venenum fugent. Quòd ſi Animæ immineat ægritudo ex ipſis cauernis extrahere ipſum debet; Cauernæ enim Diaboli, peccatorum ſunt Corda, ex quibus pænitentiæ viribus Draco infernalis extrahitur, ad deuorandum vtique; nam deuoratur, cum eiicitur, & de iam occupata domo deturbatur. Cuius rei D. Baſilius teſtis eſt *Ho. in Pſal. 28. pag. 79. col. 2. lit. A. Trahit Ceruus oris reſpiratione e Cauis animalia venenata latentia, quæ vi ſpiritus oris ſui, ex ipſis quoque luſtris extrahit. Itidem Sanctus Ceruus dicitur, quòd aduerſetur improbitati, & nequitiis.* Oris quippe reſpiratio ſacramentalis confeſſio dicitur, qua ſerpentes infernales extrahuntur.

2 Cum Diſcipulos ſuos armaret Dominus, vt mundum fortiter debellarent; præter alia eis virtutem dedit calcandi Dracones, & alia venenata, illis verbis: *Luc. cap. 10. verſ. 19. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Sed cur contra reptilia armauit, quos contra homines, Dæmoneſque mittebat? Satis fuiſſet eos virtutibus armatos oſtendere, & ad frangendam mundi gloriam humilitate, ac paupertate contentos. Vt quid ergo etiam ad venena pellenda idoneos reddidit? Certè vt ſe Ceruos eſſe noſcerent; vt ſicut illi cõtra ſerpentes pugnant, & cõtra omnia venenata ita Chriſti

Aſſeclæ

Digitized by Google

Aſseclæ cõtra ſpirituales ſerpentes, vitia ſcilicet, & iniquitates, decertent. Haud illis virus minus pernicioſum, quo Animas perdunt, & interficiunt. Hæc porrò deturbare venena, Chriſti diſcipulorum eſt: ita ſentit D. Ioan. Chriſoſtomus, *in Pſalm* 103. *Siquidem Ceruorum genus cum ſerpentibus bellum gerit. Huiuſmodi autem ſunt omnes Diſcipuli Chriſti, quippe qui aduerſus ſpiritales ſerpentes vim habeant; iuxta id quod à Chriſto dictum eſt, Luc.*10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Chriſti diſcipulus ille eſt, qui Ceruorum more vitia deteſtatur.

3 Montium incolæ Cerui ſerpẽtinis nutriuntur corporibus, vt ſic à febribus reddantur immunes, & ad curſum expeditiores reddantur: Ceruis ſimiles Religioſi ſunt, qui à mundi ſeparati deliciis, in montibus viuunt, quia perfectioni ſtudentes ad montem Domini aſcendere feſtinant. Porrò his ſerpentini debentur cibi, vt ſcilicet peccata, & vitia non perpetrando, ſed ſuperando deuorent, & hoc exonerati grauamine, & à peccatorum febribus ſint immunes, & citius perfectionis culmen attingant; Hoc apertè inſinuare videtur Pſaltes, dum ait, *Pſalm.73.verſ.16. Tu confregiſti capita Draconis, dediſti eum eſcam populis Æthiopum*: Vbi litera hebraica, pro *populis Æthiopum* habet: לעם לציים idest: *Populo ſolitudinum*: Populus autem ſolitudinis incola Religioſorum eſt cætus, qui à mundo remotus viuit; & huic ad conſumendum infernalis Draco in cibũ proponitur; dicente D. Auguſtino, *in Pſalm.73.pag.330.colum.1.lit. D Et quomodo iſti acceperunt in eſcam Draconem iſtũ? Puto quia magis Chriſtum acceperunt in eſcam; ſed Chriſtum quo ſe conſummarent; Diabolum, quem conſumerent.* Non nocebunt ſerpentes, vbi Cerui eos deuorant; nec ſæculares à vitiis vincuntur, ſi boni Religioſi ea pœnitentijs expellunt, & orationibus fugant.

§. IV.

Qui Cęleſtia amat, Mundana quaſi non tangit.

1 M*Ontes excelſi Ceruis.* De Ceruorum in curſu velocitate iam vidimus, ſic enim quaſi per aera ferũtur, vt terram tangere non videãtur. His ſimiles sũt ſpiritu pauperes, qui celeſtia toto conatu deſiderantes, terram quaſi non tangunt; dum omnia, quæ in mundo ſunt nihili faciunt, & contemnunt: Corpore quidem in mundo ſunt, ſed dum animus iam in Cœlis ſpem ſuã collocat, potius eſt ibi, quam ſuper terram. Saltat Ceruus, & ſic parum tangit terram, quantum ſcilicet ad ſe regendum ſufficiat; ſic huiuſmodi homo, quia mente ſcandit in Cęlum, ſolum in terra neceſſitas naturæ conſtringit. Quod docet Incognitus, *in Pſalm.*103. *Montes excelſi Ceruis: Ceruus tantæ agilitatis eſt quod currendo, vel ſaltando, quaſi terram non tangit; ſic & quilibet perfectus pauper voluntarius tantæ agilitatis eſt (quia totus mente cęleſtis) quod ſic hic habitat, quaſi terram, idest terrena non tangat.*

2 Cum æſtuantibus radiis Sol mundum percutit, nimio calore perterriti mortales ad Arborum vmbram confugiunt; vmbram namque per ſe amænam, cariorem facit æſtus; qui verò frigore torpent, vmbram negligentes ſolaribus ſe exponunt ignibus, eoſque celebrant. Ita euenit habitantibus in hoc mundo; qui enim Diuino Amore vruntur, mundani Solis deſpiciunt æſtuantem lucem, & ad vmbram Crucis Chriſti, vt cœleſtia meditentur, confugiunt: qui verò diuina priuati charitate, frigidi in ſpiritu ſunt, vmbram aſpernantur Chriſti, & vt caleſiant, ad mundanum Solem accedunt. Iſti terram tãgunt, illi ſaltando relinquunt. Sponſa cœleſtis, quæ cęleſtia tantum amabat, quę in ſolo Deo delectabatur, eius vmbram deſiderabat, & inuenta, ſub ea conſedit; nec terram tangebat, quæ terrena non diligebat. Vnde dicebat: Cantic *cap.2.verſ.3. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Illi namque ſapiunt æterna, qui temporalia per affectum non tangit; Et ſubdit D. Ambroſius, *lib. de Iſhac. cap.4. tom. 4. pag.222. lit. D. In vmbra, inquit, eius concupiui, & ſedi, & fructus eius dulcis faucibus meis. Qui enim terrena ſupergreditur, & cui mundana moriuntur (quomodo crucifigitur ei mundus, & ipſe mundo) omnia, quæ ſunt ſub Sole, refugit, & contemnit.* Sic ad Cœlum curritur, terrena videlicet non tangendo.

3 Omnibus Animalibus aereis, & terreſtribus pedes natura dedit; nec vllum reperitur, quod duos ſaltem pedes non habeat. Sed obſeruandum eſt, quod illud quod minores pedes habet, vt Homo, & Auis, minus tangunt terram. Quod ſi alicui homini aliquando contingat, quia claudus eſt, vno tantum pede ambulare parum terram tangit. Duos pedes ſpirituales homo habet, Animam, & Corpus, illa tangit cœlum, hoc terram. Si autem anima claudicet ſolam terram premit; ſi verò claudicet corpore, ſolum cęlum contingit. Sequitur hinc, quòd in hac lucta, quam cum inuiſibili gerimus hoſte, ſi voluptate deiicimur, pedem amittimus cœleſtem, ſi verò charitate vincimur, terrenus claudicat, quo claudicãte ſolum cęleſti innitimur, terram omnino non tangentes. Id Iacobo accidiſſe legimus, qui cum tota nocte cum incognito luctaretur hoſte, tandem claudus effectus eſt. Geneſ. *cap.32.verſ.31. Ipſe verò claudicabat pede*: ſed pedem terrenum amiſiſſe inde colligitur, quod ſtatim Diuina penetrauit arcana: tunc enim nomen *Iſrael* datum eſt ei, quod ſignificat, *Vir videns Deum*; ſic non amplius Iacob, ſed Iſrael Deum videndo, dum tenebat Angelum terrena tangere non potuit. Audiamus hoc ex Mag. Gregorii põderatione, *Hom.14. in Ezec. to.2. pag. 1329. lit. B. Si ergo tenemus Angelum, vno claudicamus pede: quia dum creſcit in nobis fortitudo amoris interni, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Omnis quippe, qui vno claudicat pede, ſoli illi pedi innititur, quem ſanũ habet.* Cum Ceruus velociſſimus ſit ob pedum leuitatem, quis vnquam crederet in tropologicis Ceruis claudicationem terrenam, cęleſtem curſum reddere velociorem? Et tamen ita eſt: dum affectio mundana claudicat, diuina charitas ſubleuatur.

§. V.

Chriſtus eſt Peccatorum Refugium.

1 P*Etra refugium Herinaciis.* Omnium Parens natura nullum, licet paruum Animal ſuo carere refugio patitur: Ideoque cum arbores auium nidulationi donaſſet, piſcibus apertis aquis, Ceruis, Capreiſque, reliquiſque Feris montium patefactis cauernis. Hericios minimè dereliquit, imò tutum eis refugium in petris dedit: quare dictum eſt: *Petra refugium Herinacijs.* Hericii animalia ſunt ſpinoſis aculeis pleni, iique peccatores referunt, qui peccatorum ſpinis ſunt pleni, nam ob peccati perniciem in mundi exordio exortæ ſpinæ, rectè in peccatorum ſignum aſſumuntur. Iſti ergo Hericii, iſti Peccatores, vbinam refugium inuenirent, vt ſpinas contundant? In Petra vtique, in Chriſto, qui lapis eſt angularis Ædificii cęleſtis: Qui ergo futurum Dei iudicium formidant, vitiis pleni, confugiunt ad petrã Chriſtum, vt per virtutem Sanguinis eius à culpis liberati, iam Iudicis faciem non horreſcant: *Per Hericium*, ait Caſſiodorus, *intelligitur Peccator, qui futurum Iudiciũ metuens, ad petram Chriſti refugit.*

2 Ex ſacris litteris iam patet Agnum, & Arietẽ Chriſti figuram exhibere. Nam Agnus (mite animal) hominis cauſa creatus, lanam ei tribuit, & partem lactis ſui, quem à matre ſugit, ei concedit, & tandem mortuus carnibus ſuis alit. Neque hoc contentus, in veteri lege in ſacrificium offerebatur ad expianda peccata, ſic innocẽs mactabatur Aries, vt hominis culpa deleretur. Eadem in nos Chriſtus exhibuit, nam infinita repletus gratia, ea fidelium veſtiuit Animas, ſui lactis partem, & in patrocinio

Digitized by Google

cinio Matris communicato, & in Patris Diuinitate participata, conceſſit, in auguſtiſſimo Altaris Sacramento ſua nos reficit carne, & tandem in Crucis Ara pro nobis ſe in holocauſtum offerens, à peccatis redemit. Erat Petra, Hericiis debebatur refugium, ſpinas cõtundere opus habebat, ideo ſacris cicatricibus huius petræ rimas aperuit ad peccatorum ſolatium: In veteri inſtrumento hæc figura legitur, vbi dicitur, Leuit. *cap. 5. verſ. 17. Anima ſi peccauerit, &c. offeret Arietem Immaculatum*: quod expendens Rupertus, *lib. 1. capit. 24. pagin. 337. columm. 1.* ait. *Tunc enim acceptabit Deus ſacrificium Iuſtitiæ rogante pro nobis Sacerdote: illo inquam Sacerdote, qui mortuus eſt, imò, qui & reſurrexit, qui eſt à dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis, non tam precum ſubmiſſione, ſed præſentatione cauſæ referendæ.* Sic ergo tutatur Hericius in Petra, in Chriſto peccator, optimum ſortitus patronum, refugiumque tutiſſimum.

3 Adſolent Principes, & Reſpublicæ vias publicas, vt commodiores ſint viatoribus, magnis lapidibus ſtrare: quod duo præſtant beneficia, primum, viam demonſtrãt, vt ab ea aberrari non poſſit, dum ex lapidum ductu ſciunt illinc itinerandum eſſe: ſecundum, commoditatem ambulandi, nã ſine pulueris, aut luti metu, æquabili graditur inceſſu. Via cęli, ante Chriſti aduentũ lapidibus ſtrata non erat, vnde ab ea aberrantes homines in infernum aut perpetuò cruciandi, aut ad tempus detinendi deſcenderunt; neque mirum, via non cognoſcebatur: ſed poſt Domini aduentum patefacta eſt, & lapidibus ſtrata via; audi dicentem Dominum ſuis diſcipulis: Ioann. *cap. 14. verſ. 4. 5. & 6. Et quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis. Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire? Dicit ei Ieſus: Ego ſum via.* Via erat, quia Petra erat, ſtrauerat iam viã, patens erat, facilis erat intuentibus manifeſta, itinerantibus accõmoda: ita Chriſologus, *ſerm. 175. pag. 398. colum. 1. Ego ſum, inquit via, vt omnis aditus excluderetur erroris, & viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris in caſſum diu ſudores pertulerat, & labores.* Cæcus erit, qui ſtratam ſaxis viam non videt; & ſolus Paradiſi nõ deſiderat viã, qui Chriſtum ignorat.

4 Docet nos ſapiens Medicum honorare, quia propter neceſſitatem à Deo factus eſt. Quorum ergo refugium eſt Medicus? Ægrorum ſanè; nam homines corpore ſani; viribuſque Medici opem dedignantur: cum vero Ægritudinis moleſtiæ anxium reddunt, ac in vitæ diſcrimen inducunt, tunc ad Medici auxilium recurrũt: Petra ergo cum Chriſtus ſit, petra medica eſt, ad quam ægri, non valentes accurrunt: nam Hericii imbecilles, & ſpinis grauati refugium quæritant in petra; ſic peccatores ægri, ſpinis obſiti vitiorum, ad Chriſtum recurrebant. Cum autem ſuperbi Phariſei ipſum in peccatorum conſortio viderent, murmurabant; quos redarguẽs Dominus dicebat, Matth. *cap. 9. verſ. 12. Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus.* Quid murmuratis Hipochrytæ? Quo recurrant ægri niſi ad Medicum? vbi refugium quærent Hericii, niſi in Petra? Vnde peccatoribus ſalus, niſi ex beneficio Saluatoris? Rectè ergo ad me veniunt, ad me properant, ad Medicum, ad Petram, ad refugium ſuum: egregiè hic Chriſologus, *ſerm. 34. pag. 295. column. 2. Quo Medicus niſi ad ægrũ? Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus: vbi anhelus paſtor, niſi ad ouem perditam? Quando ſe Rex hoſtibus immiſcet, niſi cum vult liberare captiuum?* Heu miſeros nos, Hericii ſumus, & ægri peccatis anguſtiati; recurramus ergo ad Medicum, & ad Petram, in qua eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra.

§. VI.

Vulnera Chriſti Animarum refugium.

1 P*Etra refugium Herinaciis*. Licet porrò Chriſtus totus, vt pote petra, peccatorum ſit refugium, ſpecialiter tamen prætioſa eius vulnera Animarum ſunt tutamen, & requies. Quid enim ad Hericiorum quietem, & ſecuritatem petræ conferrent, ſi foramina non haberent? Ita pariformiter vulnera illa Redemptoris animarum ſunt refugium; cum enim Hoſtium tumultu bello concuſſus, cũ caro concupiſcentiis inſectat, Mũdus põpis inuitat, Diabolus inſidiis decipit, caperetur Anima procul dubio, & deuicta periret, niſi ad vulnera ſacra confugeret; ibi enim mente ſe voluens, ab inimicorum oppreſſionibus liberatur: Nam de illis loquebatur Propheta, vt placet D. Bernardo, *ſerm. 61. in Cantic. pag. 178. lit. C.* cùm diceret: *Petra refugium Herinaciis*; & ſequitur: *Et reuera refugium: vbi enim tuta, firmaque infirmis ſecuritas, & requies niſi in vulneribus Saluatoris: tanto illic ſecurius habito, quanto ille potentior ad ſaluandum. Fremit mundus, premit corpus, inſidiatur Diabolus non cado; fundatus enim ſum ſupra firmam petram.*

2 Dum per aereos campos columba ſpatiatur, aut victum quæritans, aut prolis amore in eius cuſtodia vigilans; ſi de repente volantem viderit Accipitrem, ad prædam inhiantem, ſtatim timore correpta fugæ ſe donat; ſed cum hoſtis pernicior ſit Turris foramina inueniens in eis ſe collocat, vbi tuta Accipitrem volantem læta intuetur; nam nec in illis foraminibus Accipitri locus eſt. Columba Anima ſpiritualis eſt, quæ dum ad Cœlum contemplatione volat, infernalis accipitris inſidiis petitur, à quibus ſi euadere cupit, in Petræ foramina ſe recipiat oportet, ideſt in Chriſti Domini Sacratiſſima vulnera; hæc ſunt foramina vitæ, hęc animæ tutamenta, hæc cordis refugium, ad quę inuitat Dominus Animam ſibi fide, & charitate deſponſam, dicens: Cantic. *capit. 2. verſ. 14 Veni Columba mea in foraminibus petræ, in Cauerna maceriæ.* Nec defuit Chriſtianus Poeta, Ap. Franciſc. de Oſſuna, *Tract. de quinq. plag.* qui caneret.

Altiuum ſubter fugiens per inane Columba
Agmina maiorum, Turris in antra ſubit:
In me, dum ſtigii concurrant tela tyramni,
Vulnera erunt antrum, Vulnera turris erunt.

Neque enim tutiora contra Diabolũ loca, quam Chriſti vulnera, dum in ea per conſiderationem ingreditur anima tuta eſt, eam aggredi Aduerſarius nõ audebit. Quod fatetur etiam D. Bernardus, *loc. cit.* vtpote expertus. *Alius hunc locum ita expoſuit; Foramina Petræ Vulnera Chriſti interpretatus. Rectè omnino, nam Petra Chriſtus, &c. In his paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos: in his ſe Columba tutatur, & circumvolantem intrepida intuetur Accipitrem.* Impauida enim hoſtem videt, quæ in foraminibus poſita eius vngues non veretur.

3 Multis infernalium Auium inſidiis petitus, variis criminum aculeis torquebatur Propheta Rex; Ille enim quondam Bellicoſus, & Sactus vir, qui homines vincebat, vitia ſubiugabat; qui Deo charus Diaboli tela deſidebat, nunc nefando deuictus vitio, Adulterio, ac homicido, ingratitudinis, ac proditionis vitio redolentibus, inurebatur. Aſpiciebat ore aperto infernalem Aquilam ſibi inſidiantem, & quò confugeret non habebat; & ideo exclamabat, *Pſalm. 55. verſ. 6. Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo, & requieſcam?* Heu Dauidem miſerum, nondum Turris ſuæ Dauidicæ aperta foramina cernebantur; non dum ex Crucis nido ſanctæ Colũbæ filii plumeſcebant, vt in illa aduolans requieſceret; & ideo iſta clamabat. Nos autem, qui iam aperta contemplamur vulnera Saluatoris, volemus ad illa; & ſi columbinæ deſunt pennæ, petamus illas à Domino, eius Crucis ingrediamur nidũ, diſciplina ſua erudiamur, vt ſic pẽnati per contemplationem ad hæc volemus foramina, vt requieſcamus. Hoc faciebat D. Alredus, *lib. 1. ſpecul. cap. 5.* dum Deo dicebat. *Plumeſcat interim Domine Ieſu, plumeſcat quæſo Anima mea in nido diſciplinæ tuæ; pauſet in foraminibus petræ, in Cauerna maceriæ.* Vt ſic tutus ab infernalibus auibus eſſet, & ſpiritus quiete frueretur.

4 Tempore Rogerii Calabriæ Ducis ſimulacrum ſaxeum repertum eſt in Apulia, vt refert Platina, *in vita*

Leon.

Digitized by Google

Leon. IX apud Carthag. infr. cit. cum hac inſcriptione: *Idibus Martii exoriente Sole caput aureum habeo*: Ad hæc verba interpretanda multi ſapientes vocati, tandem in hanc ſententiam conſenſere; obſeruandam fore vmbram capitis Imaginis idibus Martii, ad exortum Solis (tunc enim ante Kalendarii Gregorianam correptionẽ, idibus Martii Sol primum Arietis gradum tenebat,) & vbi illa terminabat capitis vmbra, ibi, effoſſa humo, theſaurum reperiendum: quod rei euentus verum oſtendit. Mundiales homines, qui totam in mundo ſpem collocant, totum vitæ refugium in theſauro habent; illumque tutiſſimum, qui ditiſſimus eſt, cenſent: ideoque Petrea illa ſtatua theſaurum demonſtrãs, refugium Rogerio extitit. Nos verò, qui æterna appetimus, nec trãſitoria curamus, cœleſtis theſauri opus habemus, cuius ſe participem factam lætabatur ſponſa, dicens, Cantic. *c. 1. v. 4. Introduxit me Rex in theſaurum ſuum*: Nam ita legunt ſeptuaginta, vbi vulgata habet, *cellaria ſua*, Sed quomodo introduxit? per hoſtium vulnerum ſuorum; eodem prorſus modo, quo Rogerius theſaurum inuenit. Petra Chriſtus erat, ergo & petrea erat ſtatua; cum verò in Cruce mortuus eſt menſe Martii, Sol erat in initio Arietis, & illo inclinato capite, vmbra illius dextri lateris cicatricem oſtendens, diuinarum gratiarum theſaurum demonſtrabat: ſic placet doctiſſimo Ioanni de Carthagena, *lib. 12. hom. 3. de B. Virg. pag. 421. column. 2. Neminem ignorare arbitror Chriſtum mortuum in Cruce cùm Sol erat in Ariete; tunc autẽ cũ inclinato capite tradidit ſpiritũ, ſacrũ illud caput neceſse erat vmbrã facere in latere Chriſti, quaſi deſignans locum, vbi theſaurus Eccleſiæ deliteſcebat. Ad quod ſignificandũ, vbi ſponſa apud vulgatã noſtrã legit: Introduxit me Rex in Cellaria ſua; ſeptuaginta vertũt in Ærarium, ſiue theſaurum: locum autem huius Ærarii milite quodam lanceæ ligone effodiente, continuo inuentus eſt theſaurus infiniti valoris.*

5 De his diuinis theſauris D. Paulus loquebatur, cum ad Coloſſenſes, *cap. 2. ver. 3.* ſcribebat de Chriſto Domino: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi.* En quomodo Apoſtolus celeſtes theſauros in Chriſto opertos eſſe dicit: veruntamen 1. ad Corintios, *cap. 2. verſ. 10. 11.* contrarium videtur aſſerere, videlicet, nobis reuelatos eſſe huiuſmodi theſauros, dum ait; *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe: Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum.* ſed reſpondet D Bernardus, *loc. cit. lit. E.* theſauros Dei in Chriſto eſſe illis occultos, qui paſſionis Dominicæ ſacramenta non nouerunt; ſed qui in petræ foraminibus refugium quærunt, qui ſacra illa vulnera contemplantur, apertos, & reuelatos habent, & ad æternæ ſuauitatis gaudia introducuntur: *In te autem Domine, quid niſi pietatis theſauros, diuitias bonitatis? Hæ in foraminibus Petræ repoſita ſunt. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ in illis opertæ quidem, ſed his, qui pereunt: nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum; etiam & apertis foraminibus introduxit in Sancta: quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum.* Vide prætioſum refugium in vulneribus Redemptoris.

6 Dum in hac vita degimus itinerantes ad Cœlum ſumus; via eſt mandatorum diuinorum obſeruatio; Itinerarium verò, quo duce aberrare à ſalutis via non poſſumus, Dei voluntas eſt; ſicuti autem itinerãte homine ignotaſque calcante ſemitas, niſi legat itinerarium, errabit à via, legere autem ſine lumine non valet: Ita niſi diuinam voluntatem nouerit homo, in via ſalutis progredi nequit: ſed quomodo leget? quod erit lumen? quo pacto diuinam voluntatem ſcrutabitur? contemplando vulnera Saluatoris. Hoc nomine Religioſi Viri petebat Pſaltes, *Pſalm. 26. verſic. 7. & 8. Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: Vt videam voluntatem Domini*: Et paulo poſt vt nos doceret, quomodo Dei Voluntas eſt comprehendenda, ſubdit, *verſ. 10. In petra exaltauit me*: nam Petræ foramina, Chriſti vulnera, Dei voluntatem aperiunt; clauus namque vulnerans Chriſtum, clauis facta eſt reſerans Dei volũtatem: vt idem Bernardus probat, *loc. cit. At clauis reſerans clauus perforans factus eſt mihi, vt videam voluntatem Domini; quid ni videam per foramen? Clamat clauus, clamat vulnus, quòd verè Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Hoc lumine ducti cœleſtem viam inuenimus, vt in Patriã peruenietes in æternum gaudeamus.

7 Petra ideo Herinaciorum refugium dicitur, quia eos tegit, & protegit. Chriſtianus autem intra vulnera Saluatoris ſe collocans, gratia tanquam indumento, ſeu tegimento indutus, facilius mundi aduerſitatibus reſiſtit: nam ſicuti qui veſtibus tutatur, vniuerſas temporũ iniurias ſuperat; ſic etiam anima tegimento vulnerum Chriſti Domini munita, mundi deuinçit incommoda. Hoc videri poteſt in verbis ſponſi cœleſtis ad ſponſam ſuam: nam vbi vulgata editio habet; Cantic. *cap. 2. verſ. 14. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, Columba in foraminibus Petræ.* legit D. Ambroſius; *In tegimento petræ, lib. de Iſhac, cap. 4 tom. 1. pag 221. litt. A.* Et deinde addit; *Surge ſecura in tegimento petræ, ideſt tuta præſidio paſſionis meæ, & fidei veſtimento. Suxerat enim mel de petra, oleumque de firmiſſima petra. Hoc integimento animæ piorum indutæ, iamnon nudæ ſunt; & hæc illis eſt præmonitio.* Currat ergo Chriſtianus Hericius ad petræ foramina, ad Domini cicatrices, vt ibi refugiũ, & tutamen inueniat, ad infernalium hoſtium inſidias ſuperandas.

§. VII.

De ſpinis tribulationum per Chriſti mortem flores naſcuntur.

1 **P***Etra refugium Herinaciis.* Hericium ſpinis armatum quis crederet ex illis aliud, quam propriũ tutamen; ſed cum aliorum vulneribus elicere poſſe? Nihilominus tamen ad victum procurãdum vtitur ſpinis; nam (vt in literali expoſitione viſum eſt) Hericius volutans ſe ſuper poma, & vuas, infixa ſpinis ad ſuam caueã deferr; Itaque ſpinæ illæ, quæ vulnera dabant, poma deferunt; Hericii peccatores ſunt; nam ex peccato exortæ ſunt ſpinæ in terra, ac tribulationes in mundo. Spinæ ſunt feminis partus, nam in doloribus pariunt; poſt paſſionem verò Domini ſpinæ Hericii, quæ dolores dabant, flores, & fructus dedere, Caſtitatis videlicet, & Virginitatis virtutes; Ipſe enim Dominus in morte ſua aculeos ſenſit, vt nos de ſpinis flores colligeremus. Sic Petra Chriſtus refugium eſt Herinaciis, dum per virtutem ſui ſanguinis de ſpinis peccatorum vir tutum flores leguntur, vt D. Hieronymus, *ad Demetri ad. de Virgin. tom. 1. pag. 70. lit. B.* teſtatur Virgini, dicens, *Petra refugium Herinaciis, Herinacius animal paruum, & fugax ſpinarum ſentibus prægrauatum. Sed ideo Ieſus ſpinis coronatus eſt, & noſtra delicta portauit, & pro nobis doluit, vt de ſentibus, & tribulationibus feminarum (ad quas dicitur in anxietatibus, & doloribus tuis pariet mulier) Roſa virginitatis, & Lilia caſtitatis naſcerentur.*

2 Si Hiemis tempore per Roſaria quis graditur, dubium non est quin horroris cauſa ei ſint; videbit namque comis ſpoliata virgulta, ſentibus, ac ſpinis armata, oculis horridos proſpectus, manibus vulnera truculenta proponere; truncus ramis viduatus elanguet, frondibus rami deſtituti amænitate profligata ſolus rigor debacchatur. At cum redeunte Vere, ſemimortuæ reuiuiſcunt plantæ, redeunt virentium frondium ornamenta, flores, roſæque pulchritudinem explicant, rident omnia, ac animis deliciem, oculis delectamenta, manibus refrigerium exhibent. Ita in mundo contigit ante Chriſti aduentũ, vt ſolæ peccatorum, tribulationum, anguſtiarum ſpinæ apparerent, in horridi Hyemis imaginem; poſt eius verò aduentum, ex his virtutum flores enati, ſuauiſſimum dedere odorem. Idcirco poſt paſſionem ſuam Æternus Rex Sponſam ſuam vocans ait: Cantic. *cap. 2. Surge, propera*

Digitized by Google

propera amica mea,&c. Iam enim Hyems tranſijt, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra. Quod videns D. Ambroſius, *lib. de Iſhac, capit. 4. tom. 1. pagin. 221. lit. A.* his verbis confirmat. *Quaſſatio ante Chriſti aduentum Hyems eſt, poſt aduentum eius flores ſunt. Vnde ait: Flores viſi ſunt in terra: vbi ante ſpinæ, ibi nunc flores.* En tribulatio, quæ primitus ante Chriſtum horridum faciebat Hyemem; nunc eius ſanguine fęcundata, de ſpinis flores eduxit.

3 Hoc docere intendens Spiritus Sanctus, animam ſanctitatis amantem erudiens, dicebat, Cantic. *cap. 2. verſic. 2. Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: vbi ex hebraico שושנה vertitur etiam Roſa. Obſeruatum eſt autem, quòd ſi ſpinetum, vnde Roſæ oriuntur, ideſt Roſarium, humano mixta ſanguine plantatur in terra, pulchriores, ac frequentiores flores producit, vt ait Rupertus Holchot: *Roſarium plantatum in terra commixta cum humano ſanguine, &c. quolibet anni tempore producit Roſas*. O quot ſpinis humanæ vitæ Roſarium plenum eſt: ſpinæ peccatorum, tribulationum, proximorum iniquorum, falſorum fratrum, perſecutionum, ærumnarum, infirmitatum; neque ex ſua virtute, lilia, & flores, & roſas poteſt producere, ſed benè ſi humano miſceatur ſanguini, ideſt paſſionis Dominicæ irrigetur meritis. Aduertat ergo anima, quod ſi lilium, vel roſa eſt, ſi de ſpinis tribulationum virtutum colligit flores, hoc clementiſſimi Domini paſſioni, ac prætioſiſſimo debet ſanguini. Fusè quidem, ſed egregiè id proſequitur, & declarat D. Bernardus, *ſermon. 48. in Cantic. pag. 168. lit. K. Spina culpa eſt, ſpina pœna eſt, ſpina falſus frater, ſpina vicinus eſt malus: ſicut lilium inter ſpinas: ò candens lilium, ò tener, ò delicate flos, increduli, & peruerſores ſunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter ſpinas: plenus eſt mundus ſpinis, in terra ſunt, in aere ſunt, in carne tua ſunt; verſari in his, & minimè lædi diuinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ: ſed confidite, inquit, ego vici mundum. Et ſi igitur vndique tibi intendi proſpicias tribulationum, tamquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet, ſciens, quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Conſidera lilia agri, quomodo inter ſpinas vigent, & nitent.* Fortunatum Hericium, floribus, pomiſque refertas ſpinas habens.

4 Seraphicus meus Patriarca Franciſcus tentationibus carnis exagitatus, inter ſpinas volutatus eſt; vt ſic ſpinarum aculeis vulnerata caro concupiſcentiam abigeret: neque tantummodo tentationum flatus abiecit, ſed eius ſanguine madefactæ ſpinæ Roſas menſe Ianuario protulere: Siquidem humano, eodemque ſacro reſperſum ſanguine, Roſarium fęcundatum, etiam in Hyeme, requiuiſcens effloruit. Sed hoc tunc materialiter geſtum, quotidie in peccatoris conuerſione ſpiritaliter exhibetur. Etenim peccator, dum tentationibus iactatur, ſi aliqua ærumnoſa inſurgat tribulatio, ſtatim pœnitentiæ roſas producit: cum enim pœna pungitur, corde compungitur: iuxta Propheticum Oraculum, *Pſalm. 31. Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Pœnitentiæ virtutem non cognoſcebat, Roſam ignorabat charitatis, ſed dum inter ſpinas voluitur, dum tribulationibus agitatur, conuerſus ad Dominum, eius ſanguine irroratus, per ſacramentorum gratiam flores exhibet ſanctitatis: vt placet D. Bernardo, *loc. cit. Bene confixus, qui conuerſus exinde eſt. Benè pungeris, ſi compungeris: multi cum tenuerint pœnam, corrigunt culpam; & talis dicere poteſt: Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Etiam ſi Hericio ſimilis ſit homo, vel peccatorum ſpinis, vel tribulationum aculeis aggrauatus, ſi Ieſu Chriſti prætioſiſſimo ſanguine reſpergatur, fęcundatur, vt quaſi cęleſte Roſarium flores, & Roſas producat; vt ſic mereat, ad Æternitatis pomarium tranſplantari.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Decimus octauus,

Sedes Cælorum Beatis; Maria refugium Viatoribus.

PEtra Chriſtus eſt, non negamus; ſed ſi filius Mariæ eſt; ergo & Maria Petra eſt. Si ergo Chriſtus refugium noſtrum, & Maria ſimiliter. Verùm ſic dicamus. Chriſtum, lapidem quidem, ſed in montem altum excretum, eſſe Ceruorum, ideſt Beatorum refugium; in Patria eos beatifica recreās viſione. Beatiſſimam verò Virginem refugium Hericiorum; nam Hericius, ſeu Herinacius, animal paruum, ac ſpinis plenum, nos viatores ſignat, adhuc paruos ſpinis plenos tribulationum, & ęgeſtatum, qui in hac lacrymarum valle poſiti, ad ipſam inceſſanter clamamus, vt oculos ſuos miſericordia redundantes ad nos conuertat; vt in ea refugium inueniamus; cum ſcriptum ſit; *Petra refugium Herinacijs*. Et ſubdit Richardus à Sancto Laurentio, *lib. 2. de Laud. Virg. columm. 93. lit. F. In Maria inueniunt refugium, qui timentes Dei iuſtitiam, ad ipſum accedere reformidant, De hoc dicit Pſalmus: Petra, ideſt Maria refugium Herinacijs.*

Maria

Digitized by Google

Maria Virgo Viatorum hominum eſt Aduocata.

1 M*Aria refugium viatoribus*. Quò ſpinoſum ſe reciperet animal niſi ad petram? Ibi refugium inuenit, vbi tutum à Venatorum iaculis, ac Canum morſibus ſe præſeruat. Mundus deſertus eſt, vbi niſi peccatorum errores, ac perſecutionum inſidiæ non reperiuntur. Aqua non effiuit vitæ, plantæ non creſcunt virtutum, poma meritorum non maturantur. Neque pluuię gratiarum in terrà ſterili, & infœcunda aliquid efficere ad fœcunditatem poſſunt. Areſcit animus, torpent potentiæ, deficit virtus, ſola regnat otioſitas. In hoc deſerto rationalis Hericius collocatus, ille inquam, qui peccatorum ſpinis circumdatus, inde exire non valet, quid faciet, niſi currat ad Petram? Petra equidem non ſterilis, non infœcunda, non inaquoſa; ſed florens gratia, fœcunda merito, fluens auxilio; Petra ex qua mundi ſalus exorta eſt, ex quo fons indeficiens emanauit, ex qua mel effluxit Beatitudinis. In cuius myſterium Propheta dicebat, Iſai. *cap. 16. Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Hæc petra deſerti Maria eſt, quæ Viatorum, & peccatorum in huius mundi deſerto commorantium refu gium eſt, vt fatetur Hugo Cardinalis, *in Iſai. pag. 39. columm. 2. Eleganter autem dicitur Petra deſerti Beata Virgo, ideſt refugium peccatoris, qui deſertus eſt à mundo. De hac igitur petra dicit Propheta: Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti, de Virgine Maria peccatorum receptatrice*. Non enim poterat Hericiorum deeſſe refugio quæ petra erat.

2 Duos filios habens mater, ſi quando iratum maiorem in minorem conſpexerit, ſtatim ad eius deuitandum furorem, paruulo fert auxilium; Cum enim vtrumque ſuum agnoſcat, alteri deeſſe non poteſt. Virgo Maria, quæ mater eſt noſtra; & ad quam dicimus: *monſtra te eſſe matrem*: duos filios habet Deum, & hominem; cum ergo vtrumque tanquam natum agnoſcat, ſi quando Deum homini iratum viderit, pro homine exorat, ac illi placatum reddit; non enim ſine dolore poſſet aſpicere mater (ſi capax eſſet doloris) alterius filii iacturam. Supplicat ergo Deum filium, ſua merita interponit, ſuā maternam authoritatem adhibet, vt hominis fratris miſereatur; vt ob gratiam Genitricis pœnam filius euadere mereatur. In canticis canticorum Sponſus ſuæ ſponſæ pulchritudinem laudans, de eius vberibus dicit, Cantic. *cap. 7. verſic. 5. Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ*; Cur autem potius gemellis hinnulis, quam reb. aliis ſponſæ vbera comparauit? Quia cum duos filios habet mater ſingula ſingulis tribuit vbera, & cum alterum magis indigere ſentit, ſubtrahit vni, vt det alteri. Sunt ergo duo filii Mariæ Beatiſſimæ; primus Deus, qui aliquando ſua ſuxit vbera, at nunc nihili egenus; alter verò homo viator omnibus deſtitutus bonis; & huic mater amans lactem ſuæ gratiæ impertitur, & alterius filii, quaſi ſurripit miſericordiam, vt pateat iſti refugium; quod ex D. Bonauentura, *in ſpec. Virg. lect. 3. tom. 6. pag. 454. columm. 1. lit. C.* colligi poteſt, *Duo autem filii Mariæ ſunt, Homo Deus, & homo purus, vnius enim corporaliter, alterius ſpiritualiter mater eſt Maria, Vnde B. Bernardus ait. Tu mater Regis, tu mater exulis, tu mater Dei, tu mater Iudicis, & tu mater Dei, & Hominis, cum mater ſis vtriuſque diſcordiam inter filios tuos nequis ſuſtinere, ideo exclamans Anſelmus ait, O beata fiducia, ò tutum refugium, mater Dei, & mater noſtra.*

3 Vt ipſa Iuſtitia comitata clementia videatur, in omnibus Regnis aliquæ domus ſunt, in qua refugium delinquentes inueniunt, & in quibus à ſatellitum iniuria (niſi quibuſdam grauioribus perpetratis delictis) tuti ſunt, Ita ſunt apud nos Eccleſiæ, ac Legatorum Domus. In veteri autem lege mandauerat Deus Moyſi, vt quaſdam Ciuitates refugii conſtitueret, in quibus qui caſuale perpetraſſent homicidium tutos ſe reciperent. Regius verò Pſaltes, qui non caſuale, ſed proditorium commiſerat homicidium, neque tanto ſceleri inter homines refugium eſſet, ad ipſum confugit Deum, vt ſicut in Regia Perſidis domo, etiam hoc ſæculo, cuiuſcumque delicti Rei, immunes tutantur, ſic ipſe in Regia Dei domo refugium inueniret, *Pſalm. 30. verſ. 3. Eſto mihi Domine in Deum protectorem, & in domum refugii, vt ſaluum me facias*. Quænam autem erit hæc domus, Dei Omnipotentis Regia, niſi Immaculata Deipara? Ipſa domus refugii eſt, nedum caſualibus, verùm etiam voluntariis homicidis, commiſiſti peccatum, ò homo, ſpem retine, ad Mariam pœnitens accurre, ibi inuenies refugium tuum, ipſa Regia eſt Dei domus ad ſaluandos homines: vnde confidenter Richardus à S. Laurentio, *loc. cit. col. 94. lit. B. Illæ Ciuitates ſeparatæ erant illis refugium, qui nolentes perpetraſſent homicidium: ſed nunc dilatata eſt miſericordia Dei, & in Maria prouidit refugium etiam volūtariis homicidis, ipſa enim eſt domus refugii, vt ſaluos nos faciat: ſicut dicitur Pſalmo 30.* Adeamus ergo hanc regiam domum viatores, in ea tutum Herinaceis ſpinis delictorum onuſtis, refugium; ibi ſalus noſtra deliteſcit.

4 Omnium terribilium maximum extremum futurū iudicium omnes fatentur. In quo abiecta miſericordia ſolius Iuſtitiæ punitiuæ erit locus: nullus ibi aduocatus, nulla excuſatio, interceſſor nullus, vindictæ tempus, nō gratiæ, omnes trementes obmuteſcent, & cuncti de propria ſalute ſolliciti, aliorum curam abiicient. Sancti, & ipſi loqui non audebunt, nam & ipſi, licet de ſua gloria ſecuri, ſuo tamen timore haud carebunt; nam ſi virtutes Cœlorum, ideſt Angeli mouebuntur, quanto magis homines? Ergo in illa calamitatis, & amaritudinis die, nullum peccatori patefiet effugium? nequaquam; vbi Virgo eſt, deeſſe refugiū nō poteſt, nā ipsā Dominus in ſignū dedit, & in refugiū, vt qui diuini Iudicis iram effugere cupiunt, ad eam confugiant: De hoc enim Prophetæ ſententia exponenda eſt, quæ ait, *Pſalm. 59. verſ. 5. Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie Arcus; vt liberentur dilecti tui.* A facie ergo arcus, ideſt iudicii liberantur homines per ſignum magnum, ideſt Mariam, à Deo hominis in refugium conceſſum: ita concludit Richardus, *lib. 8. columm. 503. lit. B. Maria eſt refugium illorum, qui fugiunt à facie Arcus, ideſt diuini iudicij*. Fremat ergo tempeſtatibus mundus, & irati Dei oſtentet Cęlum prodigia, Herinacius in Petra tutabitur, Viator homo Mariam ſentiet aduocatam, ſub cuius tutiſſimo patrocinio, mundi huius inſidias deridebit.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALEGORICA.

M*Ontes excelſi Ceruis*. Non ſolum de Ceruis, verum etiam de proxima his Caprearum ſylueſtrium ſpecie literaliter egimus; ita & in allegorijs tradendis, de Ceruo, & Caprea videbimus: Quia verò de Leporibus, & Cuniculis parum in ſcriptura reperitur, de ſolis Herinacijs, ſeu Hericijs aliqua colligemus.

SVM-

Digitized by Google

S V M M A R I V M.

1 *De Ceruorum Allegorijs.*
2 *De Caprearum varijs acceptionibus.*
3 *Quid Herinacius, ſeu Hericius allegoricè ſignet.*

§. I.

De Ceruorum Allegoriis.

1 M*Ontes excelſi Ceruis.* Ceruus, cuius naturam iam explicuimus, allegoricè ſignificat primo Chriſtum; nam ſicut Ceruus ſerpentes, ita Chriſtus vitia fugauit: ſic vbi in titulo Pſal. 21. dicitur. *In fine pro aſſumptione matutina, pſalmus Dauid*: in hebræo, quibus eſt 22. legitur.

לַמְנַצֵּחַ עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר מִזְמוֹר לְדָוִד

ideſt: *Victori ſuper Ceruo matutino pſalmus Dauid.* Et addit D. Hieronymus, *in tit. Pſalm. 21. pagin. 36. lit. E. Hanc inſcriptionem Hebræi aliter habent: Pro ceruo matutino, &c. Sed nos Ceruum qui interficiat ſerpentes, & venena conſumat, nullum alium niſi Chriſtum intelligimus, ſicut totus Pſalmi contextus oſtendit.*

2 Cerui reptilia contemnentes ſunt Apoſtoli, quibus calcandi Dracones poteſtas data eſt, de quibus dicitur, *Pſalm. 28. verſ. 9. Vox Domini præparantis Ceruos*: vbi D. Baſilius, *ſcholiis Pſalm. 28. pagin. 910. column. 2. lit. B. Ceruis natura hæc ineſt, vt Animalia reptilia contemnant. Hanc vero poteſtatem Sanctis quoque Apoſtolis Dominus dedit.*

3 Cerui ſunt Magiſtri rerum ſpiritualium: ex quorum nomine dicitur, *Pſalm. 41. verſ. 1. Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*: nam ait D. Gregorius, *lib. 30. cap. 9. moral. pag. 991. lit. B. & C. In Ceruis Magiſtrorum ſpiritualium perſona ſignatur, &c. Ipſi more Ceruorum interemptis vitiis, quaſi extinctis ſerpentibus viuunt; & de ipſa extinctione vitiorum, ad fontem vitæ acrius inardeſcunt. Vnde Pſalmiſta ait. Sicut Ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

4 Ceruas parturientes obſeruare, eſt Magiſtrorum ſpiritualium labores conſiderare, de quibus patientiſſimus Iob, *cap. 39. verſ. 4. Numquid parturientes Ceruas obſeruaſti*, vbi idem Gregorius, *loc. cit. pag. 993. lit. B. Parturientes enim Ceruas obſeruare, eſt illos labores Patrũ, qui ſpiritales filios generant, cauta conſideratione penſare.*

5 Cerua eſt Eccleſia, de qua ait Sapiens, *Prouerb. cap. 5. verſ. 18. Cerua chariſſima*, vbi Gloſſ. *Ord. Cerua chariſſima, vel gratiſſima, vt quidam Codices habent, ſancta eſt Eccleſia, quæ ſerpentinam conterit doctrinam.*

6 Cerui deſiderantes fontes, ſunt Cathecumeni deſiderantes Baptiſmum, vnde Pſalm. 41. *verſ. 1. Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum*, vbi D. Auguſtinus, *in Pſalm. 41. pag. 151. colum. 1. lit. C. Et quidem non male intelligitur vox eſſe eorum, qui cum ſint Cathecumeni, ad gratiam ſancti lauacri feſtinant.*

7 Cerui ſunt ſuperatores peruerſarum linguarum, de quibus dicitur, *Pſalm. 28. verſ. 9. Vox Domini præparantis Ceruos*: vbi idem D Auguſtinus, *in Pſalm. 28. pagin. 59. column. 1. lit.* C. *Vox enim Domini primò perfecit ſuperatores, & repulſores venenoſarum linguarum.*

8 Cornua Cerui, quorum ſuffitus ſerpẽtes fugat, duo teſtamenta ſunt: Nam cum de Chriſto dicatur, Cantic. *cap. 2. verſ. 9. Similis eſt dilectus meus hynnulo Ceruorũ*: ait D. Ambroſius, *ſerm. 6 in Pſalm. 118. pagin. 273. lit. C. tom. 2. Idem ergo eſt Ceruus, & Serpens. Ceruus habens cornua Legis, & Gratiæ. Cornua eius ſunt duo teſtamenta; velox greſſu, impiger inceſſu, qui totum facilè orbẽ percurrat vno momento, vbique celebrabilis.*

9 Ceruæ incuruatæ ad partum ſunt Concionatores, qui ad humilem prædicationem deſcendunt, vt ad Audientium captum ſe accomodent, de quibus Iob, *cap. 39. verſ. 5. Incuruantur, vt pariant*, vbi Magnus Gregorius, *lib. 30. cap. 10. moral. pag. 994. lit.* C. *Notandum verò ſummopere eſt, quod iſtæ Ceruæ incuruantur, vt pariant: quia nimirum ſi erectæ ſtarent, parere non valerent. Niſi enim Prædicatores Sancti ab illa immenſitate contemplationis internæ, quam capiunt, ad infirmitatem noſtram humillima prædicatione, quaſi quadam incuruatione deſcenderent, numquam vtique in fide filios procrearent.*

§. II.

De Caprearum variis acceptionibus.

1 C*Aprea ſylueſtris multipliciter in ſenſu allegorico ſumitur; & primo ſignificat Chriſtum, qui tũ eius in Iudicio generali omnia ſcrutabitur, nam Caprea eſt acutiſſimi viſus, vnde dicitur, Cantic. *cap. 2. verſ. 17. Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi Capreæ*, vbi D. Bernardus, *ſerm. 73. in Cantic. pag. 188. lit. A. Vbi hoc quoque addi poteſt, quia ad diſcernendum alterutros à ſe, opus erit quodammodo illis luminibus Capreæ, quatenus videre, & diſcernere in tanta multitudine, & in tanta turbatione poſſit.*

2 Caprea poteſt dici ipſa humanitas Chriſti, ſeu Synagoga, vt ex eodem verſu colligit D. Gregorius Mag. *in cap. 2. Cant. tom. 2 pag. 1203. lit. D. Similis eſt o dilecte mi Capreæ: ſimilis Capreæ eſſe dicitur; quia ex Synagoga traxit carnem, quæ per Capream oſtenditur,*

3 Caprea ſuper montes Bethel eſt Eccleſia; ideo loco citato dicitur, *ſimilis eſt Dilecte mi Capreæ ſuper montes Bethel*, Et idem Gregorius, *loc. cit. pag. 1205. lit. E. Per Capream, quæ mundum eſt animal, Eccleſia deſignatur, quæ dum in cæleſtibus mente habitat, quaſi in montibus paſcitur.*

4 Grex Caprearum, eſt Congregatio ſanctarum animarum, de quibus ait Spiritus ſanctus Eccleſiæ, Cantic. *cap. 4 verſ. 2. Capilli tui ſicut greges Caprarum*, Et D. Ambroſius, *ſerm. 16. in Pſalm. 118. tom. 2. pag 352. lit. C. Denique audi, quæ de his ſanctus loquatur Spiritus: Capillamentum tuum, vt grex Caprarum. Vides quod in altis grex iſte paſcitur, audax in monte. Itaque vbi aliis præcipitia ibi capris nullum periculum: vbi aliis periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior, &c. & vt myſticè audias: capillamentũ verbi eſt altitudo, & eminentia quædam iuſtarum animarum.*

5 Capreæ, & Cerui, Angeli ſunt, & homines Beati, de quibus intelligitur illa ſponſæ coniuratio, *Cantic. cap 2. verſ. 6. Adiuro vos filiæ Ieruſalem per Capreas, Ceruoſq; camporum*, vbi D. Bernardus, *ſerm. 50. in Cant. pag. 171. lit. K. Non enim ſimpliciter, neque leui (vt aſſolet) commonitione prohibitæ ſunt, ſed omnino noua, & inſueta cõteſtatione, per Capreas ſcilicet, Ceruoſque camporum. Quo quidem genere Ferarum videntur mihi ſatis congruenter expreſſæ ſanctæ Animæ exutæ corporibus; ſimul & qui cum Deo ſunt Angeli, nimirum propter acumen viſus, & ſaltus celeritatem.*

6 Caprea ſignificat Diabolum, vel prauam doctrinã; ſic apud Prophetam Iſai. *capit. 13. verſ. 14. Et erit quaſi Damula fugiens*, vbi Gloſſ. ord. *Damula Diabolus eſt, vel praua doctrina, cuius magiſtri in Damula ſignificantur, quæ græcè dicitur Dorcas.* Quod idem eſt, quod Caprea.

§. III.

Quid Herinacius, ſeu Hericius allegoricè ſignet.

1 P*Etra refugium Herinaceis.* Vidimus in expoſitione morali Herinacium peccatorem, & tribulatum ſignare: Deinde primò ſignificat Chriſti pauperes, quare D. Auguſtinus, *in Pſalm. 103 Petra refugiũ Hericiis, & Leporib. quia factus eſt Dominus refugiũ pauperis,*

2 Heri-

Digitized by Google

2 Hericius malitioſos ſignificat, qui excuſationes in promptu habent, de quibus Propheta, *Iſai.c.34. Ibi habuit foueam Hericius*, Et D.Gregorius, *lib.33.c.24.mor. pag.1083.lit.D.Vnde benè per Prophetam contra Iudeā dicitur: Ibi habuit foueam Hericius: Per Hericium malitioſi quique, qui diuerſis ſe defenſionibus contegunt deſignantur*.

3 Hericius ſignat immundum ſpiritum, vt dicitur de mundo: *Et ponam eam in poſſeſſionem Hericij*, Iſai.c.14. v.23. vbi Gloſſ.ord. *Mundus quoque ab Hericijs prouidetur modo, hoc eſt ab immundis ſpiritibus*.

4 Hericius Diuitem ſignificat Diuitiarū ſpinis onuſtum, vt ait D.Hieronymus in eadem Iſaiæ verba, *pagin. 88.lit.H. Igitur iuxta doctrinam Domini Saluatoris, qui curas iſtius ſaeculi, & ſeductiones diuitiarum, ſpinas appellauit; Hericius mihi videtur, qui iuxta Apoſtolorum, gaudet in incerto diuitiarum: & armatum ſe non armatura Dei, ſed ſpinis, atque peccatis huius mundi eſſe confidit*. Atque hæc ſunt, quæ de Hericio ex ſacra ſcriptura colliguntur.

Verſus Decimus nonus.

עשה ירח למועדים שמש ידע מבואו ׃

Verſio ex hebræo:	*Fecit Lunam ad tempora; Sol cognouit regreſſum ſuū.*
Vulgata editio:	*Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occaſum ſuum.*
D. Hieronymus:	*Fecit Lunam per tēpora, Sol cognouit occubitum ſuū.*
Pagninus:	*Fecit Lunam in ſtata tempora, &c.*
Textus Arabicus:	*Creauit Lunam in momenta, & Sol ſcit occaſum ſuū.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

Litera ל *Lamed* apud Hebræos eſt articulus, qui in nominibus ſignum eſt Datiui; cum verò iungitur Participio explicatur per particulam *Ad*, Verbi gratia לַעֲשׂוֹת *Ad faciendum*: necnon cum futuro aliquando exponitur per: *Vt*: Verbi gratia: *Vt faceret*. Senſus ergo hìc eſt: Deum feciſſe Lunā ad vſum temporum, vt ſcilicet per eam tempora diſtinguerentur: nam hebræi per lunationes diſtinguunt menſes, מְבוֹא à radice בוא *Aduentum*, ſiue *Regreſſum* ſignificat; vnde videtur clarius explicatum per *Aduentum*, ſeu *Regreſſum*, quam per *Occaſum*. Dicit namque Propheta, Deum ita hoc magnum Luminare dirigere, quod tempus ſui Aduentus, & Regreſſus, in ſigna cœleſtia non variat; hoc eſt enim regreſſum ſuum cognoſcere, illum numquam variare.

SVMMARIVM.

1 *De Lunæ eſſentia, & proprietatibus.*
2 *De Tempore, quod ex Lunæ motu deriuatur.*
Appendix. An Mundus potuerit eſſe æternus.
3 *De Solis eſſentia, & proprietatibus.*
4 *De Luminarium effectibus in mundum ſublunarem.*

§. I.

De Lunæ eſſentia, & proprietatibus.

1 Fecit *Lunam, &c.* Cum multas prætererit creaturas Moyſes, quarum effectionem, & geneſim non recenſuit; De duobus iſtis maximis luminarib. per extenſum agit, dicens: Geneſ. *c.1.v.14. Fecit Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præeſſet diei, luminare minus, vt preeſſet nocti, & ſtellas*: eumque imitatus Rex ſanctus, inquit: *Fecit Lunam in tempore, Sol cognouit occaſum ſuum*. Quare autem de his luminaribas iſta ſpecialis mentio fiat, iudico, propter eorum excellentiā, noſtramque vtilitatem id factum. Etenim cū præſtantiſſima, ac pulcherrima ſint, ac innumera ſublunari mundo beneficia præbeant, facilè decepti mortales, tā illuſtria, tāq; benefica lumina colerēt, & impia pietate adorarent: quapropter, vt homines ab hoc errore deuiaret Omnipotens, non ſolum de eorum creatione ſermonem fieri, voluit, verum etiam, nonniſi quarta die naſcentis mūdi exordium agnouiſſe; vt multa ſine illis genita, ac nōnulli decurſu præteriti dies, Creaturas illas, non creatrices, prædicarent, vt apertè philoſophatur D.Ioannes Chriſoſtomus, *Hom.7.in Gen.tom.1 col.29. lit. A. Propter hoc quarta die Solem fecit, ne putes illum diei authorē. Nam quod de ſeminib. à nobis dictum eſt, & de die licet dicere, quod fuerunt tres dies ante Solis formationem. Voluit autem Dominus, & per hoc elementū clariorem Diei lucem fieri: id quod & de minori Luminari, hoc eſt de Luna dixerimus: factæ .n. ſunt tres noctes ante eius formationem.* Non ergo creator eſt Sol, neq; creatrix eſt Luna, cū ante illorum effectionem, maior eorum, quæ in mundo ſunt, portio creata fuerit. Agimus autem prius de luna cum Pſalmiſta, qui eam prius memorat, neq; id caſu effectum eſt, nam noctem, cui luna præeſt, die priorem, nedū natura, ſed & tempore eſſe, manifeſtū erit ex Verſ.ſeq. §.1.

2 Quod autem ad Lunæ nomen attinet, variè deriuatur Bartholomæus Anglicus, *lib.8.cap.9.de propr.rer.*

Digitized by Google

*pag.*410. ait; Lunam dici quaſi luminum vna; eo quod poſt Solem ſit maior: *Luna dicitur, quaſi luminum vna, ideſt principalis, & maxima, quia corpori ſolari in magnitudine, & pulchritudine eſt ſimillima.* Hoc autem intelligendum eſt in ordine ad terrenum orbem, cui talis apparet, & in quem maximè influit: Varro apud Martinengum in Gloſſa Magna, *tom.2.pag.973.* ait vocari Lunam, quaſi noctilucam, eo quod tantum luceat de nocte cum reuera, ideo à Deo ſit creata, vt noctem colluceat: *Luna, quod ſola nocte luceat, quamobrem eſt noctiluca.* Alii verò Lucinam per ſincopen dici exiſtimant; vnam, eamdemque apud veteres Lunam, & Lucinam eſſe; & hoc cenſent determinari ex eo quod proprium lumen non habeat, ſed acceptum à Sole; ita D. Iſidorus Hiſpalenſis, *lib.3.c.70.orig.pag.30.lit.E. Luna dicta, quaſi lucina, ablata media ſillaba; de qua Virgilius; Caſta faue lucina: ſumpſit autem nomen per deriuationem à Solis luce, eo quod ab eo lumen accipiat, acceptumque reddat.* Huic etiã ſententiæ ſubſcribitur D. Anſelmus, *lib 1 c.23. de Imag. mund pag.299.col.1.* his verbis. *Huius corpus eſt globoſũ, natura igneum, ſed aqua permixtum. Vnde & proprium lumen non habet, ſed in modum ſpeculi à Sole illuminatur; & ideo Luna, quaſi Lucina, ideſt à luce nata nominatur.* Porrò, quod Luna alieno luceat igne multi Doctores ſuſtinent, inter quos D. Thomas, *in 2. ſent. diſt.15.qu.1. Dicendum, quod ſicut Philoſophi probant, & etiam Dioniſius aſſerit in quarto capite de diuinis nominibus, a Sole illuminantur omnia corpora, & ſuperiora, & inferiora, & non tantum Luna.* Ad illud autem argumẽtum, quod obiici poſſet, nimirum Deum in principio duo luminaria magna creaſſe, ſcilicet Solem, & Lunam; hæc igitur lucem, & lumen à ſe habet; Reſpondet, & optimè Magnus Albertus, *par.1. ſum. de 4. coæu. quæſt.4. art.21. apud Aſc. Martineng. Gloſſ. Mag. tom.2. pagin.977.* cuius hæc ſunt verba. *Ad id, quod quæritur de Luna dicendum, quod cauſa illuminationis eius eſt Sol, & quod non habet lumen à ſe cuius ſignum eſt quod accenſio eius nõ eſt, niſi verſus Solem. Nec repugnat hoc, quod dicitur Geneſis primo, quod fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei; & luminare minus, vt præeſſet nocti; quia, ſicut dicit Damaſcenus, aliud eſt luminare, aliud lumen, aliud lux: luminare enim eſt receptaculum luminis transfundens ipſum ſuper alia corpora: lux autem eſt ipſa natura in ſe, lumen vero, eſt lucis diffuſio in aliquo, quod recipit lumen. Vnde luna benè luminare eſt, licet non habeat lumen à ſe.* His videtur etiam ſubſcribi D. Bonauentura, *in 2 ſent. diſt 14. par.2. in expoſ. text. pag.202. col.1. lit.B. tom.4.* qui cum de aliis ſtellis, dubitet, & meritò; vtrum à Sole illuminentur, nihilque de propria habeant luce; tamen de luna id tenendum docet. *Quidquid autem ſit de aliis ſtellis, tamen de luna ſatis planè apparet, quod per ſe non lucet.* Cęterũ ſupra relatus Ambroſius, *lib.3. in Hex. tom.1. ap. Barthol. Angl. loc. cit.* cum in Hexęmeron plures lunaris luminis laudes attexuiſſet, hanc ſibi maculam impinxit, lumen à ſe non habere. *Luna eſt decor noctis, totius mater roris, humoris miniſtra, dominatrix maris, temporum menſura, æmulatrix Solis, mutatrix aeris, lumen à ſe non habens, ſed à plenitudine Solis mutuans, & acquirens.* His Doctorib. alii permulti addi poſſent, nec põ cõmunis, aut ſaltẽ cõmunior Aſtronomorũ ſentẽtia.

3 Non deſunt tamen ſentientes lunam, eſſe lucẽ, hoc eſt proprio lumine fulgere. In hac præſertim annumerã tur ſententia omnes illi Authores, qui putant, ex primogenia luce Solem, lunã, & reliqua ſydera effecta, interq; alios D. Theodoretus, *qu.19. in Geneſ. tom.1. pag.4. col.2.* ait: *Lux verò diſtributa in parua, & magna luminaria, conuenientem oculis animalium ſplendorem reddit.* Cui aſſentitur D. Ioannes Damaſcenus, *libr.2. c.3. orthod. fid. pag.183. lit.D. His luminaribus primogeniam lucem Opifex indidit; non vt indigens alia luce, ſed ne otioſa illaborata lux illa maneret: luminare enim non eſt lux, ſed lucis ſuſceptaculum.* Cum verò æqualiter luminaribus datam lucem dicat, ſicuti Soli propria eſt, ita & Lunæ vtrumque enim luminare appellatur. Reliquas auctoritates collige ex §. de luce, quod eſt primum in expoſitione literali verſus ſecundi. Quidam Philoſophi, apud Diuum Iſidorum, *lib.3. cap.52. Origin. pag.29 columnn.2. lit.E.* in eam iuere ſententiam, quod Luna habeat quidem lucem propriam, ſed tantum in globi medietate, & hinc oriuntur lunares phaſiæ, quod non ſemper ad nos vertat lucidam partem: *Lunam quidam Philoſophi dicunt proprium lumen habere, globique eius vnam partem eſſe luciſluam, aliam verò obſcuram, & paulatim ſe vertendo varias formas efficere.* Idem ſed ex aliorum placito dicunt Diuus Auguſtinus, & Abbas Rupertus. Id tamen videtur confirmare Diuus Baſilius, *Hom.6. in Hexam. pag.2. columnn.1. lit.B.* qui licet abſolutè non dicat lunam habere proprium lumen, tamen de aduentitio negat. *Et noli mihi proferre lucem aduentitiam eſſe lunæ propterea, quod imminuitur quidem, cum Solem verſus motu cietur; accreſcit autem cum ab eo diſcedit.*

4 Quid autem in hac Authorum controuerſia ſtabiliendum ſit, nõ video; niſi inter haſce ſententias aſſerentium, & negantium proprium lunæ lumen, mediam, ac conciliatricem proferendo ſententiam, videlicet, lunam ſuo lumine congenito non carere, illud tamen ita eſſe debile, quod non ſufficiat ad tantam illuminationem; quanta ad ſublunares opus eſt influentias; quapropter maiorem ſui luminis ſplendorem à Sole mutuatum habet non omnem. Nam quòd ſolaribus illuſtretur radiis ex Eclipſi demonſtratur, Eclipſis enim eſt defectus luminis in luna, cum inter ipſam, & Solem terra intermediat; vnde ait Damaſcenus, *lib.2. cap.7. de Fid. Orth. loc. cit. Delignium vero lunæ ex obumbratione lunæ naſcitur, quando fuerit quintadecima luna, & inueniatur ex oppoſito ſecundum alium centrum; Sol quidem ſub terra, luna verò ſupra terram; vmbram enim facit terra, & non pertingit ſolare lumen, vt illuminet lunam.* Eſtque hæc ſententia, experientia approbante, omnibus Aſtrophilis communis. Neque ſimiliter negandum eſt nullum habere proprium lumen, ex ipſa Eclipſi, tunc enim luna ſolaribus radiis totaliter viduata, videtur tamen, necnon varii in ea obſeruantur colores: Eapropter Aſtronomorum Princeps Ptolomeus, *libr.2. cap 8. Quadripar. pag.134.* ait: *Obſeruandi ſunt in vniuerſalibus conſiderationibus colores in deliquiis, tum ipſorum luminum, tum eorum, quæ iuxta ſiunt, & exiſtunt.* Ad quod reduci poſſet authoritas Diui Baſilii dicentis, *Homil.6. in Hexam. pag.27. columnn.1. lit. A. Deficiens enim deliquio luna, decrementaque ſuſcipiens, non corpore toto abſumitur, ſed lumen, quod acceſſerat ipſa deponens, iterumque aſſumens, ſpeciem nobis incrementi, decrementique exhibet.* Et Ioſeph Blancanus in ſua ſphæra ſe expertum fuiſſe fatetur lunam nouam ex inſperato poſt aliquam turrim apparentem aliqualiter lucidam totam viſam, ſed debiliori lumine: putat tamen ipſe lumen illud eſſe lumen Solis à telluris globo ad lunam reflexum; ſed euidentius conuinci poteſt de congenita luce. Per totũ enim luna, imò etiam ad ſenſum, candida apparet, non ex accidenti, ſed ex propria natura; diximus autem §. cit. de luce in Verſ.2. proprium lucis, ſeu ignis colorem candidum eſſe. Lunæ etiam ſcimus poſt generale Iudicium ſplendorem ei, quem nunc Sol habet, perſimilem futurum, neque tamen, ex aucto lumine Solis id prouenire poterit, ſed aucta etiam luce ſua; magis enim accendetur tunc, & igneus globus, vt Sol eſt, efficietur. Quare concludit Martinengus, *tom.2 pagin.978. Qui lunam, ac ſydera à Sole lucem mutuare autumant, nonnihil etiam ſua natura illa emicare, haud grauatim concedent. Patres, vt Theodoretus, Athanaſius, Damaſcenus, qui lucẽ priſcam per aſtra diſpartitam, diſtributamque dixere, procul dubio exiguam lucis partem, vel portionem fuiſſe lunæ, ac ſyderibus collatam, hilari mente non abnuent.*

5 Luna cùm omnibus locis humidis, aqueiſque ſubſtantiis dominetur, habet pręcipuè in ipſum mare dominiũ, imò, vt ita dicam ſimpathiam quamdã, vt .n. polaris

ſtella

Digitized by Google

ſtella ad ſe magnetem attrahit, ita Luna Oceanum; dum enim eſt in oriente mare trabit ad littus, & è conuerſo, retrahit in occidente; vnde vt ait Blancanus in ſua ſphæra à Luna cauſatur æſtus, ac fluxus, refluxuſque maris, vtque adnotant nonnulli, ferè ſex horis cum dimidia mare fluit, & æquali temporis ſpatio refluit. Id docet præterea Seneca, *de Prouid. c. 1. pag. 221. Iam verò ſi quis obſeruauerit nudari littora pelago in ſe recedente, eademq; intra exiguum tempus operiri, credet cæca quadam volutatione modo contrahi vndas, & introrſum agi, modo eorumque, & magna curſu repetere ſedem ſuam: cum illæ interim portionibus creſcunt, & ad horam, ac diem ſubeunt ampliores, minoreſque, prout illas Lunare ſydus elicuit, ad cuius arbitrium Oceanus exundat.* Sed hoc, cũ modernis, tùm antiquis manifeſtum Philoſophis, nequaquam Doctiſſimum Baſilium latuit; qui *hom. 6. Hexam. pag. 31. col. 2. lit. C.* illa Geneſis verba expendens, *c. 1. verſ. 14. Fiant luminaria, &c. Et ſint in ſigna & tempora, & dies, & Annos:* De Luna, ait. *Occiduum autem Aequor affluxus, refluxuſque ſubit reciprocos; nunc abiens, nunc rediens. Rurſus idem reſtagnat, ac inundat, proinde quaſi Luna reſpirationibus quidem partes ad poſteras ſubtrahatur, rurſumque item expirationibus ad primam menſuram cogitur redire.* Quam opinionem tanquam Mathematicis, ac Phyſicis notiſſimam, amplius non cõfirmamus.

6 Libet etiam & hìc examinare iterum, quod alibi determinauimus; videlicet Solem, Lunam, ac reliqua Sydera, moueri quidem, ſed non in aliquo affixa Cœlo, imò proprijs orbibus; Nam cum ſcriptum ſit de omnibus collectiuè, *verſ. 16. Et poſuit eas in firmamento Cœli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras:* Et tamen non omnes Stellæ eo motu, qui fingitur eſſe in firmamento, moueantur, reliquum eſt, vt ipſi ignei ſtellarum globi proprio ferantur motu, Anima vel aſſiſtente, vel informante (ſi fas eſt dicere) ducente, non verò ab aliquo Cœlo, cui ſint infixi, moueri. Colligitur hoc ex ſacra ſcriptura, nam dicitur loco Geneſis citato: *Poſuit eas in firmamento Cœli:* ſeu melius, *in extenſione Cœlorum,* quod ſignificat hebraicũ, ברקיע השמים vbi D. Ioannes Chriſoſtomus, *Hom. 7. in Geneſ. tom. 1. column. 29. lit. B.* hæc habet: *Poſuit illas in firmamento Cœli: quid eſt poſuit? Numquid quaſi diceret aliquis, fixit? Abſit. Videmus enim ipſas vnico temporis momento magnum tranſire ſpatium, & numquam in eodem loco ſtare, ſed ſuum, quem illis Dominus præcepit, curſum perficere. Quid igitur eſt poſuit? ideſt imperauit, vt ipſæ eſſent in Cœlo. Etenim hoc ex proceſſu ſcripturæ licebit videre, quia alibi dicit: Poſuit Deus Adam in Paradiſo: non quod infixerit eum in Paradiſo, ſed quod præcepit, vt eſſet in Paradiſo. Similiter, & de Stellis quiſpiam dixerit, quod imperauit eis, vt ſint in firmamento Cœli.* Obiiciet fortaſſe aliquis. Eſto hoc de erraticis ſtellis dici poſſit, per proximum ſuis orbibus ferri Cœlum, ne in tot volutationibus multiplices ponere ſphæras cogamur; quodque ex eorum irregulariter regulari motu deducitur: Atqui non itidem de ſtellis firmamenti philoſophandum eſt; nam illæ eodem ſemper ſeruato inter ſe mouentur ordine, & ſi motus illarum ab Oriente in Occidens, vel trepidationis, vel etiam ab occaſu ad ortum, quem in multis ſæculis explere non poſſunt, cum ſingulis annis moueantur tantummodo ſecundis ferè quinquaginta conſideraueris, omnes iſti motus omnibus æqualiter conueniunt; Non igitur per ſe, ſed alicui confixæ Cœlo mouentur. Huic obiectioni facilis eſt reſponſio. Nonne aliquando ex ſcriptura intellexiſti, Stellarum congeriem, Dei exercitum, & Cœli militiam appellari? ſanè id habes multis in locis, & præſertim Deuteron cap. 17. 3. Eſai. cap. 24. 21. Ierem. cap. 19. 13. &c. Similiter, nonne aliquando obſeruaſti iter facientem militum manum? Vtique, & ſi non integrum exercitum, aliquã tamen cohortem itinerantem vidiſti. Inſuper nonne obſeruaſti, quomodo eodem ſemper, à Duce facto ſeruato ordine, incedant; quomodo ſemper eamdem inter ſe diſtantiam ſeruent, neque alicui ab ordine exire liceat, ſub pœna vltimi ſupplicii? ſi ſtandum eſt, dato ſigno ſimul ſtant omnes; ſi incedendum, mouentur omnes. Cum ergo Cœli militia ſint ſydera, quid mirum, ſi ordine ab æterno poſitum Imperatore ſeruent ſemper, dum mouentur? Audias quæſo quid dicat Spiritus Sanctus: Iudic. *c. 5. verſ. 20. Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Idipſum videtur indicare Iſaias, dum ait, *capit. 40. verſ. 26. Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc; qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat.* Quod fuſius interpretatur Diuus Hieronymus, *in Iſai. pagin. 296. liter. D. tom. 4. Qui educit in numero militiam eorum; ideſt Cœlorum: & omnes ex nomine vocat, ideſt ſtellas. De quibus in Pſalmis dicitur: Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Educit autem iuxta numerum Cœlorum militiam, quod ſcilicet Luna, & Aſtra cetera, quæ Aſtronomi vniuerſa non ponunt, illi numerata ſunt, & ſeruiunt officio delegato: dum eumdem Cœli curſum Sol vno Anno, Lucifer, Veſperque biennio, Luna ſingulis explet menſibus, omneſque ſtellæ ſuis temporibus peragrant.* Horum autem Caſtrorum Dux eſt Sol, a cuius motu omnium aſtrorum motus regulantur: Luna verò locum tenens, ſeu Vicaria Solis eſt, à qua tempora diſtinguuntur; Idcirco de Luna Sapiens dixit, Eccli. *capit. 43. verſ. 8. Vas Caſtrorum in excelſis in firmamento Cœli reſplendens glorioſè:* Quam ſententiam explicat Nicolaus Lyranus, dicens: *Sicut enim ordo ſtellarum nominatur militia Cœli in pluribus locis veteris teſtamenti, ita dicitur hic, Caſtra; in hoc autem ordine, ſiue Caſtris, Luna poſt Solem tenet locum principalem.* Eſt ergo Luna ex magnis luminaribus vnum, luce aliqua propria, ſed Solari maximè reſplendens, ac mundum luſtrans; temporum directrix, & ſublunarium generationum generale principium, parui ignis, maximi humoris, & magnæ lucis receptaculum. *Vide § 1. liter. in verſ. 25.*

§. II.

De Tempore, quod ex Lunæ motu deriuatur.

1 **F***Ecit Lunam in tempora, &c.* Creaturarum omnium Principem fecit hominem Deus; ad cuius ſeruitutem, nedum animantia terreſtria dedit, verùm etiam ipſa fulgentiſſima Cœli ſydera deſtinauit; ab his namque inter alia beneficia, quæ infra examinabimus, beneficium maximum habet, ſcilicet temporum diſtinctiones, quæ à luminaribus, & præcipuè à Luna oriuntur: quapropter Incognitus ait. *Hic agit de alternatione temporum, quæ requiritur ad conſeruationem Hominum, & animalium. Quantum ad primum notandum, quod nõ ſolum terreſtria Deus fecit propter conſeruãdam vitam hominum, & animalium, ſed etiam ipſa cæleſtia, ſicuti eſt Sol, Luna, & Stellæ: ſed quia inter omnia cæleſtia iſta duo ſcilicet Sol, & Luna nobis magis apparent, ideo iſta duo in ſingulari notauit dicens: Fecit Lunam in tempore, Sol cognouit occaſum ſuum.* Licet autem ambo hæc mũdi lumina ſint temporum principia, hic tamen de Luna ſola dicitur, quod propter tempora ſit facta, quia eius curſus notior eſt, & breuior; idcirco Hugo Cardin. docet. *Fecit Lunam in tempora, ideſt vt diſtinguat, & variet tempora, Solent enim abundare humores quando Luna eſt plena, & in ortu eius frigiditas eſſe in aere.* Quæ antea dixerat Chriſoſtomus, *Hom. 28. in Epiſt. ad Rom. mor. tom. 4. col. 225. lit. C. Quæ tibi neceſſitas Lunæ? Audi ipſum dicentem: Lunam fecit propter tempora.* Atque hanc rationem creationis Luminarium ad tempora diſtinguenda, quam hic Dauid aſſignat, etiam Moyſes in ipſorum creatione teſtatum reliquit, quando ſcripſit:

Geneſ.*c.*1.*v.*14. *Fiant luminaria in firmamento cęli, & diuidant diem, & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.* ex quib. verbis colligit Chriſoſtomus, precipuè luminaria ad temporum diſtinctiones creata, *Hom. 7. in Geneſ. col. 29. lit. D. Sunt enim, inquit, in ſigna, & tẽpora, & dies, & annos: Quid eſt in ſigna, & tempora, & dies, & annos? Docere nos vult Diuina ſcriptura, quod horum curſus ſcientiam concedit nobis temporũ, & viciſſitudines verſionum, numerum dierum anni, curriculum.*

2 Tria autem ſunt tempora, quæ à Lunæ luce deriuantur: primum eſt tempus noctis, quod licet nec à Luna oriatur, nec ſemper ab ipſa illuſtretur, dicitur tamen illi præeſſe Luna, quia maximè in ea ſplendet, operaturque; & ideo dicitur facta, *Vt praeſſet nocti.* ea propter cũ Pſaltes de Luna loqueretur, dixit; *Fecit Lunam in tempora*, quia aliquo tempore lucet, alio non, vt putat Rupertus, *libr. 1. capit. 44. in Geneſ. tom. 1. pagin. 16. column. 1. Fecit, inquit, Lunam in tempora: Non enim cunctis noctibus, nec toti nocti praeeſt, ſed pluribus noctibus, & plurimæ parti noctis deeſt. Creſcit quippe temporaliter, decreſcit nihilominus temporaliter.* Secũdum tempus, quod Lunæ proprium, ac ſpeciale eſt, Menſis dicitur, quod totaliter à Luna dependet ſecundũ antiquorum nationum vſum, Hebræorum, Caldeorum, Aegyptiorum. Neque de Menſibus Romanis aliquid eſt dicẽdum, nam Romulus Lunæ, Soliſque motus ignarus in decem menſes partitus eſt Annus, qui cum non correſponderent nec Lunari, nec Solari curſui, ſequentes Cõſules duos addiderunt Ianuarium, & Februarium, cum priùs à Martio inciperet annus, in Decembri terminans; quod in primo Faſtorum tradit Ouidius.

Tempora digereret cum conditor Vrbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.
Scilicet arma magis, quam ſydera, Romule noras,
Curaque finitimos vincere, maior erat, &c.
Martis erat primus menſis, Veneriſque ſecundus
Hæc generis Princeps, ipſius ille pater.
Tertius à ſenibus, Iuuenum de nomine quartus,
Quæ ſequitur numero turba vocata fuit.

Hebræi verò, quorũ computus antiquiſſimus eſt, vtpote ab initio mundi, menſes totidem cum lunationib. habẽt. Et hoc ex Chriſoſtomi ſententia intendit Pſalmiſta canens: Fecit lunam in tempora, ideſt ad menſes regulandos. *Poſteaquam terreſtria omnia recenſuit, atque inuiſibilium naturarum creationem oſtendit, ac Cælorum effectiones demõſtrauit, Luminarium etiam mentionẽ facit, quæ quarto die creata ſunt, atque Lunę creationem ob tẽporum doctrinam effectam eſſe. Nam ipſius mutationes hoc afferunt, vt tempus ſub menſuram cadat; etenim ipſa Menſis menſuram facit, vt quæ tot diebus augeatur, & imminuatur* Hac de cauſa apud hebræos omnes dies nouæ lunationis, quę menſium initia ſunt, ſunt feſtiui, & Paſcha azymorum in Vere, & feſtum Tabernaculorum in Autumno, in plenilunio celebrantur. Qua de cauſa per os ſapientis Sirachici, ſcriptũ reliquit Spiritus S. Eccli.*c.*43.*v.*6.7. & 8. *Et Lunam in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum Aeui. A Luna ſignum diei feſti, luminare, quod minuitur in conſummationem. Menſis ſecundum nomen eius eſt.* Quod ſic explicat Lyranus. *Oſtenſio temporis: Tempus .n. communiter magis mutatur ſecundum eius curſum. Vnde Nouilunium vulgariter dicitur tempus nouũ: Ideo dicitur: Signum Aeui: quia per eius motũ numerantur menſes apud hebræos* Tertium eſt tempus, quod luna metitur, Annus. Hebræi namq; necnõ Græcorũ antiquiſſimi, Annũ ex duodecim lunationib. conficiebãt, addita ſtatutis temporib. tertiadecima lunatione intercalari, vt ſolarib. annis æquentur. Quam obſeruationẽ D. Baſilius, *Hom. 6 in Hex. pag. 30. lit. C.* tradit. *Sed ad annos agendos Sol, atque Luna Principes ſunt conſtituti. Nam Luna cùm duodecies ſuum peregit curſũ effectrix eſt anni, excepto menſe intercalari, cuius egere perſæpè videtur ad exactiſſimum temporum agendũ concurſum: quemadmodũ Hebræi vetuſtiſſimo tẽpore, antiquiſſimique Græcorum olim annum metiebãtur.* Quã intercalarem lunationem Arabes, ac Turcæ ommittentes tot in ſuis annis variationes offendunt.

3 Cum ergo à Lunę motu, & curſu hebraicus dirigatũr annus, libet hic inquirere, num in ſua primæua creatione Luna fuerit coniuncta Soli, vel oppoſita, ideſt, in nouilunio, aut in plenilunio; & ſecundò quæ lunatio fuerit initium mundi, & temporis, num prima Veris aut prima Autumni, Vtrum Sol creatus ſit in primo Arietis, vel Libræ gradu. Celebres de hoc ſunt opiniones tum Sanctorum Patrum, tum Ethnicorum Philoſophorum, & Chriſtianorum quæ vtramque partem probabilem faciunt. Illud in primis tamquam certum ſtabiliendum eſt, luminaria in Aequatore creata, & ſic vel in Arietis, vel Libræ initio; deinde ſuo motu ad vnam acceſſiſſe, ab alia receſſiſſe mundi plaga, quibus Sol appropinquauit, Ver fecit, à quibus receſſit Autumnum. Quæſtio enim ſolum poteſt eſſe de ea regione, in qua Adam creatus eſt. Multi Patres tenẽt in Vere, vt D. Auguſtinus, D. Baſilius, D. Ambroſius, D. Leo Magnus, D. Theodoretus, Cirillus, Irenæus, & alii, quorum verba non refero breuitatis ergo, videantur hi Doctores præcipuè in Geneſim. Horum rationes tres ſunt: prima, quia eo tempore reparandus fuit homo, quo lapſus, cum ergo verno tempore Verbum incarnatum, ac paſſum fuerit, etiam eo tempore peccauit Adam: quod fuiſſe in mundi initio ſatis patet. Secunda Ratio eſt ſcriptura herbarum germinationem commemoraſſe, herbæ autem nonniſi Veris tempore oriuntur. Tertiò confirmatur ex communi Romanorum, & Aſtronomorum ſententia, qui primum Arietis gradum initium motus Solis decernunt; vno excepto Gerardo Mercatore, qui Solem in Leone creatum ſomniauit. His tamen minimè obſtantibus, ego cenſeo Mũdum creatum Sole poſito in Libræ initio. Multa id ſuadere videntur, præſertim ſupputatio Hebræorum. *Hi* enim ab ipſo mundi exordio numerant annos, ita vt præſens annus (quo hæc ſcribo) qui nobis à Natiuitate noſtri Diuini Reparatoris eſt, *Milleſimus, ſexcenteſimus, ſexageſimus tertius*; eſt illis à mundi conſtitutione, *Quinques milleſimus, ſexageſimus, vigeſimus tertius.* Incipiunt anni numerationem à Nouilunio Libræ, nam prima dies Lunæ Septembris, dicitur ipſis ראש השנה *Caput anni*, & tunc numerum annorum adaugent. Nam licet etiam menſe Martij, ideſt prima die illius Lunæ, incipiãt annũ, hoc eſt tantũmodo in memoriã exitus ab Aegipto, & ex Dei præcepto quoad ſacras ceremonias, tũc tamen Annũ non numerant nouum. Hoc probatur ex ſacris literis; nam dicitur factum diluuium ſecundo mẽſe, Geneſ.*c.*7.*v.*11. *Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt fõtes abyſſi magnæ, & cataractæ Cęli apertæ ſunt.* Quod clarius, & expreſſius tradit Ioſephus, *lib. 1. Antiquit.* lunationẽ Octobris fuiſſe, his verbis *Contigit vaſtitas diluuij anno ætatis Noe ſexcenteſimo, menſe ſecundo, qui Dius à Macedonibus dicitur, ab hebræis Marachat, ſeu Marheſuane, qui partim Octobri reſpondet, partim Nouembri, ſic .n. in Aegypto diſtinxerunt annum. Moſes autem Niſan, qui eſt Xanthicus Macedonib. menſem primũ in ſuis faſtis ordinauit, quòd per hunc Hebræos ex Aegypto eduxiſſet; eumdem, & omnium, quæ ad rem diuina pertinerent exordium fecit: alioqui quoad nũdinationes rerũ venaliũ, reliquarumq; diſpenſationũ anni attinet, nihil de priſtino ritu innouauit* Hæc Ioſephus. Quam porrò conſequẽtiam ex eius verbis elicere poſſumus, audiamus ex Pererio, *lib. 1. in Geneſ. pag. 87. lit. D. Ex cuius verbis duo nobis, quæ ad præſentẽ quæſtionem faciũt, notatu digna pernoteſcunt, &c Alterum eſt hebræos priuſquã Aegypto excederent, annum ab autumno inchoare conſueuiſſe, cuius conſuetudinis ab Adamo vſq; ad Moyſem perpetuo conſeruaſſe: non aliam fuiſſe cauſam, & originem exiſtimandum eſt, quam, quòd tempore Autumni mundum incæpiſſe priſcis illis hominibus perſuaſum eſſet.* Confirmatur hoc ex ipſo Dominico præcepto, quo mandatur primum menſem fore Martij lunationem. Exod *c. 12. verſ. 1 Dixit quoque Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra*

Aegipti:

Digitized by Google

Ægipti: Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus Anni. Ergo ſi erit, ante non erat; ſed ille Menſis hoc eſt decoratus honore, propter inſigne Dei beneficium Hebræis collatum: ita philoſophatur Lyranus, *in capit.7. Geneſ. Apud hebræos duo ſunt opiniones* (loquitur de Noetico diluuio) *circa hoc; quia Rabbi Eliezer, & ſui ſequaces dicunt, quod iſte ſecundus menſis eſt menſis Octobris, qui hebraicè nominatur* מרחשון *Mareſuan; dicunt enim, quod primus menſis Anni eſt* תשרי *Thiſri qui nobis eſt September, &c.* deinde oppoſitam opinionem adducit, & poſt concludit. *Prima tamen opinio communius tenetur apud hebræos, & rationabiliter, vt videtur: quia in aliquo genere aliquod bene computatur primum, non quia ſit primum ſimpliciter, ſed propter aliquem notabilem euentum. Ita etiam videtur dici de menſe Martio, quod tunc ſit nominatus primus menſis apud hebræos propter exitum eorum de terra Ægipti in illo menſe. Et hoc videtur litera ſonare Exod.12. Dixit quoque Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Ægipti: Menſis iſte vobis principium menſium: Ac ſi diceret; licet de præterito non fuerit primus nominatus, de cætero tamen erit ex cauſa iſta.* Hoc etiam confirmat Toſtatus: require ipſum in priori ſui Defenſorii parte. Nos verò in noſtræ confirmationem ſententiæ ſolius D.Hieronymi authoritatem adiiciemus; nam in rebus hiſtoricis, & in ſenſu literali D. Hieronymus omnibus eſt præferendus. Inquit ergo ille, *in cap.1. Ezech.tom.4 pag.435.lit.* A. *Apud orientales enim populos poſt collectionem frugum, & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus menſis, & Ianuarius quartus.*

4 Sed ne ſolis authoritatibus duci videamur, rationem à priori, ex ipſamet ſacra ſcriptura deſumptam, afferre debemus. Deus Optimus maximus Mundum producens, vt ordinem naturæ, ab ipſomet ortum oſtenderet, ab imperfectioribus ad perfectiora progrediens, hominem, quem primò intendebat, vltimò creauit; & quia omnium Dominum conſtituere volebat, antea ſubditas creaturas, quam Principem fecit hominem; in illis quæ perfectiora ſunt Animalia, paulò ante, ſed in eadem die cum ipſo homine produxit. Vt autem Homo mundi Monarcha omnia ad vitam, & victum neceſſaria, & ſibi, & Belluis, eius ſeruitio deputatis haberet; ornatum reperit luminibus Cœlum, piſcibus Maria, & pomis, ac maturis ſegetibus, & herbis, iam ſeminificantibus tellurem refertam; Igitur in ea Regione, in qua conditus Adam, & Animalia, Autumnus erat; In Vere enim vbi fruges, vbi fructus? Flores tunc abundans; ſed præter ſpecimen delectabile, nil vtilitatis habent; ea propter conſultò, in ſacris literis, nulla de florib. habetur mentio. Certè in deliciarum Horto Ficus frondibus exornati erant, ex quibus perizomata protoparentes conſuerunt. In oppoſitis verò regionibus, vbi tam citò Animalia excurrere non debebant, vel Ver, vel Aeſtas eſſe poterat. Quia ergo Dei perfecta ſunt opera, vt Homines, Iumenta, & Belluæ cibum haberent, Autumni tempore ea produxit, in quo poma omnia, & herbæ, & gramina, & vuę perfectum eſſe habent; vt ſic temporum viciſſitudine minimè immutata, omnia conſtituto ſpatio temporis naſcerentur. Hanc rationem confirmat doctiſſimus, ac moraliſſimus Iudęorum Philo, *de mund. opific. Deus omnem ſtirpium ſyluam è terra produxit perfectam, fructibus non inchoatis, ſed maturis refertam, ſine dilatione inuitantem ad fruendum affutura mox Animalia.* Inſuper coniecturaliter dici poteſt Autumno tempore factum hominem, duplici de cauſa: prima, vt eiectus de Paradiſo, ſtatim Hyeme properante temporis iniurias, quas culpa meruerat, experiretur: altera, vt damnatus ad parandum ſibi in ſudore vultus, ac labore victum; terram coleret pro ſequenti anno, quod Autumni tempore fieri, experientia docet. Ex his ad rationes facilè reſpondetur; Ad primam dicitur, Chriſti mortem non arguere illo tempore creatum mundum, cum multæ aliæ reddi poſſint cauſę; vel vt mors eius eſſet magis publica ex concurſu ad Paſchatis feſtum: velut pro nobis maiorem ſanguinis portionem offerret, cum in Vere ſanguis Animalium exundet; vel ob alias cauſas ignotas nobis, has duas nonnulli Sancti Doctores reddunt. Secunda ratio eſt magis pro nobis. Neque tertia vim habet, nam de Romanis ſupra vidimus: De Aſtronomis non eadem eſt ſententia, nā multi ab altero ęquinoctiorum, alii ab altero ſolſtitiorum computum initiati ſunt. Sanè Aegiptii, qui Mercurium ter maximum habuerunt magiſtrum, qui ex primis nepotibus Noe fuit, quem, ac filios eius ſuperſtites vidit, & à quibus diuinam edoctus eſt doctrinam de Sanctiſſima Triade, & aliis diuinis proprietatibus, quas in Aſclepio, & Pimandro ſcriptas reliquit; Annum ab Autumnali Aequinoctio incipiebant: quòd & fecerunt Græci antiqui, ab Aegiptiis accipiemus. Confirmatur hoc, quia ſicut homo non puer, ſed vir creatus fuit, ita mundus non in Veris initio, ſed in perfectione Autumnali.

5 Sequitur etiam ex declaratis huculque, quid ſit dicendnm de Luna, an in Nouilunio, vel Plenilunio creata fuerit, Conſequenter enim dicendum eſt, in Nouilunio creatam, nam tunc Hebraicus incipit annum ac tunc maximè eſt illuminata; nam cum globus ſit minor Sole, quantò illi propior eſt, tantò magis illuminatur.

APPENDIX.

An Mundus potuerit eſſe æternus.

1 ARiſtoteles veritatis inſufficiens Indagator, ſed potius famæ apud poſteros inſectator; in eo poſuit præcipuam doctrinæ ſuæ vim, vt Platonis, aliorū; veterum Philoſophorū placita penitus eneruaret, quod vt melius faceret, aliorum ſcripta, quantum potuit, aboleuit, atque bona erant pro ſuis venditans, quę verò impugnari poterant, ſuo modo, & propria declaratione tradidit deprauata. Inter hæc eſt de mundi principio diſceptatio: Etenim cùm Diuinus Plato, ab Aegiptiis Mercurii ſcholis eruditus, Mundum temporaneum feciſſet, vt qui aliquando inceperit, quod & alii Philoſophi etiam probabant: Ariſtoteles vt illis contradiceret, impiam, & Philoſopho indignam protulit ſententiam: Deum neceſſitate, non libertate agere, & neceſſariò Mundum ab æterno fuiſſe. Nec alias rationes adducit, niſi quæ ad aliorum opinionem reſſellendam ſufficiant, non quæ ad ſuā aſſertionem probandam conuincant, vt obſeruauit D. Thomas, *part.1.qu.46. art.1.in corp. Nec rationes, quas ad hoc Ariſtoteles inducit ſunt demōſtratiuæ ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſcilicet ad contradicendum rationib. Antiquorum ponentium mundum incipere, ſecūdum quoſdam modos in veritate impoſſibiles.* Hanc porrò ſententiam impiam eſſe, & nedum veritati fidei, ſed rationi alienam, non ex me, ſed ex Magno Baſilio audias, *Hom. 1. in Hexem. pag.3.col.1.lit.A.* inquit enim; *Etenim hæc, qui propenſiori ſtudio conſectati ſunt, iuſtoque operioſiorē operam in iſtis contriuerunt, eò demum ſunt prolapſi impietatis, vt conſpicuum hunc, ac viſibilem mundum decernerent vniuerſorum Opifici Deo coæternum; ad compartem Diuinæ Maieſtatis promouentes eum, qui certa lege circumſcriptus eſt, & principij, & finis.* Vbi Sanctus hic Doctor non ſolum Ariſtotelis placitum impium dicit, verum etiam cauſam à priori aſſignat, ſcilicet omne creatum eſſe limitatæ ſubſtantiæ, principio terminatum, & fine; cui ab intrinſeco repugnat ęternitas, vt infra oſtendetur.

2 Cęterum D.Thomas hanc concluſionem: mūdum habuiſſe initium, ſola fide teneri putat, nec a priori eſſe demonſtrabilem, & conſequenter potuiſſe eſſe ab æterno. Ratio eius hæc eſt, *loc.cit.art.2. Rat.in oppoſ. Articuli fidei demonſtrari non poſſunt, quia fides de non apparentibus eſt Hebr.11. Sed Deum eſſe Creatorem Mundi, ſic quod mūdus inceperit eſſe, eſt articulꝰ fidei. Dicimꝰ.n.*

Credo in vnum Deum Creatorem Cæli, & Terræ: igitur, &c. Quod autem neq; hoc demonſtrari poſſit, probat ratione, *loc. cit. in Corp.* quia neque ex parte mundi, nec ex parte Dei repugnat: non ex parte mundi, quia omne creatum ſecundum eſſe abſtrahit à tempore, nec ab illo dependet in eſſe; non ex parte Dei, quia cum ex eius voluntate pendeat, quæ illa ſit, ignoramus. *Nouitas mundi non poteſt demōſtrationem accipere ex parte ipſius mūdi. Demonſtrationis n. principium eſt quod quid eſt. Vnumquodq; autem ſecundum rationem ſuæ ſpeciei abſtrahit ab hic, & nunc; propter quod dicitur, quod vniuerſalia ſunt vbiquè, & ſemper. Similiter etiam neq; ex parte cauſæ agentis, quæ agit per voluntatem: voluntas n. Dei ratione inueſtigari non poteſt, niſi circa ea, quæ abſolutè neceſſe eſt Deum velle.* Arguitur etiam tertio ex quadā authoritate D. Auguſtini, *lib. 6. cap. 1. de Trinit. ap. Scot.* dicentis, *Si ignis eſſet æternus, ſplendor ab eo cauſatus ſibi eſſet coæternus.* Et eius cōſequētia videtur naturalis, quia ex hoc exemplo probat æternitatem Filii Diuini: ex hac authoritate multipliciter arguitur, ſed præcipuè ſic proponitur ex D. Thom. Scot. *in 2. diſt. 1 quæſt. 3. §. Hic dicitur. Nulla cōditio perfectionis in ſecunda cauſa reperitur, quacūq; poſitione facta, quæ cōditio non ſit in prima cauſa, vt cauſa. Sed perfectionis eſt in aliqua cauſa ſecunda habere effectum ſibi coæuū: & ex hoc ſi eſſet æternus; vel coæternus effectus ſuæ cauſæ. Igitur, &c.* Additur & his quarta ratio ex eodem, *loc. cit. Quidquid non repugnat limitationi, nō repugnat Creaturæ, ſi eſt aliqua entitas; ſed quantacumq; duratio non repugnat limitationi, quia non eſt perfectius, quod durat per decem annos, quam quod durat per vnam diem. Igitur videtur, quod infinita duratio non poneret maiorem perfectionem in creatura.* His, & ſimilibus rationibus ducti, Aſſeclæ D. Thomæ, mundi æternitatem ſibi poſſibilem ſuaſere.

3 Huic ſententiæ opponitur Gandauenſis Henricus, qui conatur oſtendere, & demonſtrare, Mundo (ſi creatus eſt) repugnare ab intrinſeco æternitatem. Scotus vtriuſque ſententiam declarat, ipſe verò problematicus remanet. Ego autem diuinis literis inhærendo duas concluſiones propono, Prima concluſio ſit. *Repugnat cuicumque Creaturæ ab intrinſeco, ideſt, ex eo quod quid eſt, æternitas durationis.* Secunda concluſio. *Deus creauit mundum in principio temporis, nec antea creabilis fuit.* Quæ concluſiones antequam probentur, aliqua ſupponere neceſſe eſt. Omnia ad extra Deum liberè, & contingenter producere, quia ſi liberè agere eſt perfectionis in nobis, ergo in Deo. Deinde menſuram durationis ſequi rerum naturam, & durationem, eique conformari; ens n. menſuratum, ad menſuram debet habere proportionem: & Res quæcumq; ſicuti ſe habet ad eſſe ſic ad operari, & cognoſci. Menſura autem duplex eſt, alia eſſentialis, alia accidentalis; ſicuti alia eſt duratio eſſentiæ in ſe, alia coexiſtentia ad aliquod extrinſecū. Duratio ergo intrinſeca eſt ſpatium, quo ens exiſtit, & habet eſſe in ſe, & hoc ſpatium eſt conforme ſubſtantiæ duranti, quæ ſi principio, fine, & limitatione careat, dicitur ſpatium immenſurabile; cui potius ad explicationē, quā ad menſuram, correſpondet *Æternitas*, quæ ſecundum Boetium, *eſt interminabilis vitæ tota ſimul ac perfecta poſſeſſio.* Et hoc modo viuit, & durat Deus, qui ab intrinſeco interminabilem vitam, ac durationem habet. Quòd ſi ſubſtantia durans finita ſit, & limitata, & ſicut habuit initium ſui eſſe, quia non à ſe, ſed ab alio, nec neceſſariò, ſed contingenter habuit eſſe; ſic etiam ei non repugnat terminabilitas, imò debetur, quia ens limitatum principium, & finem in eſſendo, & durando habet, hæc menſurari æternitate non poteſt, quia eius vita, ſeu duratio ab intrinſeco terminabilis, & finibilis eſt. Porrò hæc finita, & limitata ſubſtantia, finito modo ſibi correſpondenti durans; vel eſt permanens, vel ſucceſſiua; ſi permanens, menſuratur æuo, quæ menſura finita, & limitata, principium, & finem habet, ſed negat ſucceſſionem partis poſt partem. Differunt ergo Æuum, & Æternitas in aliquo, quia illud eſt terminabile, hæc non; conueniunt verò in negatione ſucceſſionis: Si verò ſit ſucceſſiua, & in ſua duratione admittat partes, & motum; ſpatium eius durationis poteſt menſurari menſura etiam ſucceſſiua extrinſeca, & ſecundum ſucceſſionem Rei menſurantis, ſpatium durationis rei menſurari; & talis menſura dicitur tempus; cuius partes ſunt, Horæ, Dies, Menſes, Anni, Sæcula, & ſimiles. Vt oſtendit ex illo Geneſis, *cap. 1. verſ. 14. Et ſint in ſigna, & tempora, & Dies, & Annos*: egregiè re, & nomine Magnus Baſilius, *aduer. Eun. lib. 1. pagin. 264. columm. 2. lit. B. Quis enim ſic omnino puer eſt mente, vt ignoret Dies, Menſes, Horas, Annos, menſuras temporis eſſe, non partes; Tempus autem, quod mundo coextenditur ſpatium, quo motus omnis, ſiue Stellarum, ſiue Animalium, cæterarumque rerum mobilium menſuratur: & quo velocius, ſiue tardius aliud alio dicimus.* Quia verò ſæpè apud ſacram ſcripturam, & Sanctos Patres, necnon Eccleſiaſticos Scriptores, tribuitur æternitas durationi quarumdam rerum de ſe defectibilium, ſed quæ numquam deficient: vt de igne infernali dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum*: & de Beatorum duratione in gloria, quæ appellatur *vita æterna*; & huiuſmodi locutiones: Aduertere oportet; quod ſicut Philoſophi duplex infinitum. Alterum, quod dicunt in actu, ſeu cathegorematicum: quod ſcilicet actu poſſidet, vel infinitam ſubſtantiam, vel quantitatem, vel partium numerum: Alterum verò quod nominant in potentia, ſeu ſincathegorematicum: quod ſcilicet in actu ſemper finitum eſt; ſed diuidendo numquam terminatur diuiſio, vt partes continui, quæ dicuntur infinitæ ſincathegorematicè, ſeu finitæ in infinitum: Ita dicendum de Æternitate, Cathegorematica Æternitas eſt duratio tota ſimul ſubſtantiæ de ſe interminabilis; & indefectibilis, Atqui ſincathegorematica Æternitas eſt duratio rei defectibilis, & terminabilis, quæ ſemper finita eſt, ſed numquam ad finem pertinget, quia à prima cauſa extrinſecè conſeruatur. Hæc tamen Æternitas eſſentialiter Aeuum eſt in rebus permanentibus, Tempus in ſucceſſiuis, ſed Aeternitas dicitur per comparationem ad tempus, & Aeuum deficiens vt Sæculum, &c.

4 His præmiſſis, Probatur Prima Concluſio, ſcilicet, *Repugnare ab intrinſeco Creaturæ æternitatem.* Cui repugnat infinitas in eſſendo, repugnat etiam in exiſtendo; ſed creaturæ repugnat infinitas in eſſendo, igitur in exiſtendo: ſubſumo; ſed quod exiſtit finito modo nequit menſurari menſura infinita, vt eſt æternitas; igitur creaturæ, vt ens creatum eſt, repugnat æternitas. Prima, ſeu maior propoſitio patet ex dictis: nam infinitas in eſſendo, ſeu in ſubſtantia conuincit eſſe à ſe, indefectibile, interminabile, & neceſſarium, quæ omnia creaturæ repugnant, & cui hæc repugnant, etiam exiſtere modo infinito repugnat; nam exiſtere modo infinito, eſt exiſtere ſine principio, fine, & defectibilitate. Prima autem minor de ſe eſt manifeſta, nam omne ens creatum cùm ſit finitum, debet finito modo etiam exiſtere. Hoc videtur indicare D. Auguſtinus, *de Geneſ. contr. Manich. libr. 1. cap. 2. tom. 1. pag. 345. colum. 1. lit. C.* explicans mundi Geneſim. *Non enim coæuum Deo mundum iſtum dicimus, quia non eius æternitatis eſt hic mundus, cuius æternitatis eſt Deus: Mundum quippe fecit Deus, & ſic cum ipſa creatura, quam Deus fecit tempora eſſe cœperunt.* Implicat namque dicere creaturam, & dici immenſam; quod autem Aeternitas menſurat, immenſum, & immenſurabile eſt. Atq; hoc argumento vſus eſt contra æternitatē mundi Ariſtotelicā S. Iuſtinus Martyr, *in euer. Dog. Ariſ. numer. 53. pagin. 151. lit. A.* dicens. *Quæ enim propterea ſunt, quod alia ſunt, genita ea ſunt, non perpetua. Si in res perpetuas cadit, vt in eis ſit, quod in rebus genitis eſt: neceſſe videlicet eſſe hoc ipſum eſſe, quandoquidem, & hoc ipſum ſit: nullum fuerit inter genita, & ingenita diſcrimen. Quod enim in rebus æternis poſſibile eſt, nihil ab eo, quod eſt, differt.* Iterum ergo oſtenditur, implicare Creaturæ æternitatem, quia quod æternum eſt neceſſe eſt eſſe, quod creaturæ repugnat.

Faci-

Digitized by Google

Facilius probatur Concluſio altera, videlicet: *Mundum eo, quo creatus eſt tempore, prius creari non potuiſſe.* Ante, & poſt ſunt differentiæ Temporis, ſed quando Mundum non erat, non erat tempus; igitur abſurde dicitur, mundus potuiſſe creari prius, vel ante: niſi concedamus tempus imaginarium, ſicuti imaginaria dant ſpatia; quæ a nihilo non differunt. Maior eſt euidens: minor probatur; quia ſi tempus eſt menſura motus, dum nullus motus erat, nec tempus concedendum. Præter quam quod ait ſacra Scriptura *Gen. cap. 1. v. 1. In principio creauit Deus Cælum, & terram*: ideſt ſecundum interpretes, in principio temporis. Neque mea eſt hæc ſpeculatio, ſed Theologiæ Magiſtri D. Auguſtini *loco cit. lit. B. Deus enim fecit & tempora. Et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo poſſumus dicere fuiſſe aliquod tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus, quod Deus non fecerat, cum omnium temporum ipſe ſit fabricator?* Si autem contenderet aliquis, potuiſſe mundum fieri ante, vel poſt, non abſolutè, ſed comparatiuè ad illam durationem ſex millium circiter annorum, quam de facto habet; hoc non negamus, ſed hæc, impropriiſſima loquutio, ad ſenſum noſtræ concluſionis haud pertinet.

5 Soluenda modo ſunt alterius opinionis argumenmenta. Ad quorum primum dicit, non ego, ſed D. Auguſtinus, propoſitionem de fide etiam poſſe demonſtrari, nec propterea tollitur fides, quia ſi credere quod ſuadet Perſona aliqua fide digna eſt actus fidei, tanto magis eſt fides credere quod nobis ipſa noſtra ratio ſuadet, nec experientia de morte, & reſurrectione Chriſti abſtulit fidem ab Apoſtolis, cum D. Thomæ dicatur: *Quia vidiſti me Thoma credidiſti*: Et inſuper etiam vnũ eſſe Deum eſt articulus fidei, & tamen multi Philoſophi naturali ratione vnum eſſe Deum probarunt, & ſaltem a poſteriori a multis demonſtratur. Sed audiamus ipſum D. Auguſtinum *lib. 11. cap. 3. de Ciuit. Dei to. 5. pag. 123. col. 2. lit. C. Profectò ea quæ remota ſunt a ſenſibus noſtris, quoniam noſtro teſtimonio ſcire non poſſumus, de his alios teſtes requirimus, eiſque credimus, a quorum ſenſibus remota eſſe, vel fuiſſe non credimus. Et ſicut eſt in ſenſu quod credimus alijs de his, quæ viderunt, ita de his, quæ animo & mente ſentiuntur, (quia & ipſe ſenſus mentis rectiſſimè ſenſus dicitur, vnde & ſententia vocabulum accepit)* Non igitur naturalis demonſtratio Articuli crediti fidem euacuabit. Ad ſecundum dicimus impoſſibilitatem eſſe ex parte Creaturæ, quæ cum finita ſit, modo infinito nequit exiſtere. Ad tertium ſimiliter Reſpondetur optimè arguere D. Auguſtinum ad probandam Filij æternitatem, ſed malè aſſumitur ad probandam coęternitatẽ creaturæ; tunc enim oſtenderet, & creaturam a Deo neceſſariò produci, vt ſplendor ab igne; & Deum ſine creatura eſſe non poſſe, ſicut nec Ignis ſine ſplendore, quę veriſſima de æterno, & coęterno Dei Verbo; Creaturæ repugnant. Ad id quod additur de perfectione in cauſa in productione effectus coęui, iam Deus hoc habet, quia ad intra producit coęternum filium: licet habere cauſam effectum ſibi coęuum nõ eſt perfectionis, ſed imperfectionis in creaturis; quia arguit cauſam, & neceſſariò agere, & ad ſuæ complemẽtum perfectionis indigere effectu producto, vt in exemplo de igne euidenter demonſtratur. Alij addunt aliud ineptiſſimũ exemplum de vmbra ſequente Corpus: ſed ex ſe deſtruitur, tum quia non ſemper reſultat vmbra, niſi corpore illuminato; tum quia vmbra eſt nihil, & non producitur. Ad quartum tandem, conceſſa maiori, minor negatur: licet enim quantacumque duratio finita, & limitata non arguit maiorem perfectionem, etiam ſi ſit infinita ſyncathegorematicè, ſeu extenſiuè; duratio tamen tota ſimul, & infinita cathegorematicè, & intenſiuè arguit ſimilẽ perfectionem in re durante; cum igitur æternitas ſit duratio tota ſimul, & infinita intenſiuè, quod ipſa metitur infinitum, & immenſum oportet eſſe intenſiuè, quod cuicumque creato repugnat. Sic igitur probatum eſt, quòd creatura, ex eo quod quideſt, ideſt, ex ſua quidditatiua, & eſſentiali ratione, qua finita, limitata, & defectibilis eſt, nõ poteſt coexiſtere Æternitati: & conſequenter produci, ſeu creari ab æterno Mundum, impoſſibile declaratur.

§. III.

De Solis eſſentia, & Proprietatibus.

1 *SOl cognouit occaſum ſuum*: Lunæ eſſentia, ac proprietatibus declaratis, Alterius luminaris, ac omnium luminum maximi eſſentiam declarare debemus. Quia verò in ſacra verſamur ſcientia, non aliundè ordiri debemus Solis declarationem, quam ex ſacris literis. Porro totam eius quidditatem, ac proprietates, exactiſſima deſcriptione Spiritus ſanctus in Eccleſiaſtico *c. 43. verſ. 2. 3. 4. & 5.* declarat, dicens. *Sol in aſpectu annunçians in exitu, vas admirabile opus excelſi. In meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris: tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exſufflans, & refulgens radijs ſuis excęcat oculos. Magnus Dominus, qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter.* Aliud ergo non eſt Sol niſi ignea Fornax, ſeu igneus globus; quod probatur ex Eccleſiæ, Sanctorum, Patrum, ac Philoſophorum placito. Eccleſia ergo, quæ in ſuis ſententijs a diuino regitur Spiritu, In Hymno feriæ quartæ ad Veſperas canit.

Cæli Deus Sanctiſſime,
Qui lucidas mundi plagas
Candore pinguis igneo,
Augens decoro lumine.
Quarto die qui flammeam
Dum Solis accendis rotam
Lunæ miniſtras ordinem
Vagoſque curſus ſyderum.

Et in Hymno Horæ ſextæ ait.

Splendore mane illuminas,
Et ignibus meridiem.

Et in Hymno Sabbati ad Veſperas.

Iam Sol recedit igneus.

En quomodo Eccleſiæ approbare videtur Solem igneum eſſe.

2 Idipſum ſancti Patres teſtantur; & in primis D. Ambroſius, cuius præfati hymni eſſe cenſentur; ait enim *lib. 4. cap. 3. Hexem. tom. 1. pag. 41. lit. B. At vero Sol non ſolum virtutem illuminãdi habet, ſed etiam vaporandi: igneus eſt enim: Ignis autem, & illuminat, & exurit.* Magiſtrum ſuum in fide fideliter ſequitur Diuus Auguſtinus *De Geneſ. ad lit. lib. 2. cap. 3. tom. 3. pag. 204. col. 2. lit. D. Itaque ſuper aerem purus ignis eſſe dicitur Cælum. Vnde etiam ſydera, atque luminaria facta conteſtant, illius videlicet igneæ lucis in eas formas, quas in Cælo cernimus, conglobata, diſpoſitaque natura.* Idque *lib. 11. cap 7 de Ciuit. Dei to. 5. pag. 125 col. 1. lit. B.* confirmat. *Sed qualis eſt illa lux, remotum eſt a ſenſibus noſtris &c. aut enim aliqua lux corporea eſt, ſiue in ſuperioribus mundi partibus longe a conſpectibus noſtris, ſiue vnde ſol poſtmodum accenſus eſt.* Sequitur, immò potius præiuit hos D. Baſilius *Hom 3. in Hexem. pag. 15. col. 1. lit. D.* qui Ariſtotelem dicentem Solem calidum non eſſe deridet, his verbis. *Oſtendant nobis, qui nihil non ſe ſcire promittunt viri graues, & tumidi; an non cuiuis liquet eam æſtuantiſſimo Solis calore in vaporem reſolutam conſumptam eſſe? Quamquam ne illi quidem concedunt Solem eſſe calidum. Tanta iſtis ſuperfluunt ad deliras, & aniles nugas copia temporis, &c. Quid hinc iſti procurant, aut elicere volunt commodi? Vt nihil abſumere humorum Sol credi poſſit. Ego proinde (quamquam hæc illorum ſententia vera non ſit) non tamen eam elidere velim, & improbare, quaſi eius euictione meam ipſius rationem confirmem. Nam ob humoris conſumptionem*

ptionem a caloris actione, neceſſariam eſſe copiam aquarum aſſerebamus. Sed quibuſdam ſæculis ante Baſilium eandem Peripatheticorum opinionem improbauerat D. Iuſtinus Martyr, ſimili ratione *in Dogm. Ariſt. Euer. num. 55. pag. 153. lit. A. Si id, quod mouetur, & calore ſuo aliud calefacit, niſi ante ipſum motu ſuo calefcat, alterum calorem afferre non poteſt; qui orbis & aſtra, quæ in eo inhærent, aera calefaciunt ſuo motu, cum ipſa non calefcant?* Cæterum Cœlum aqueæ eſſe naturæ ex ipſo nomine שמים, quod interpretatur *Ibi Aquæ*, colligitur; & contra, Solem eſſe igneum, nomen declarat, nam שמש dicitur, quaſi אש שם ideſt *Ibi Ignis*. Quò reſpexiſſe videtur D. Cirillus Hieroſolymitanus, *Catech. 9. pag. 416. lit. A* inquiens, *Aqua eſt Cœlum, & igneus in eo Sol, & Luna, & Sydera. Et quomodo ignea in aqua currunt? Quod ſi quis de hoc propter naturas contrarias dubitat, recordetur ignis illius in Aegipto tempore Moſis exurentis in grandine, & conſideret ſapientiſſimum Dei Opificium.* Neque D. Anaſtaſius Synaita ab his diſcedit; nam *ap. Iacob. Salian. tom. 1. Annal. Sacr. ad diem 4. num. 4. pag. 79.* ait. *Qui enim ex aquis firmauit Cælum, & ſuper aquas firmauit terram, poterat etiã ſine aqua indiſſolubile cuſtodire firmamentum, etiam ab igne ſolis.* Approbat etiam hanc ſententiam de Sole igneo D. Petrus Damianus *ſerm. de Annunc. tom. 2. pag. 28. lit. D. Obſcurantur ſtellarij ignes, Solem loquor, & Lunam, & ſtellas, & multa ſibi detracta luminis claritate, mulctantur.* Diuus etiã Chriſoſtomus Solem elementum appellans, ignis ipſi qualitates aſſignat *Hom. 6. in Geneſ. tomo primo. Nam non ſolum Sol calefacit, ſed areſacit; & non ſolum areſacit, ſed & adurit, multoſque alios, & varios nobis vſus præbet. Atque adeo magnum eſt miraculum elementum hoc, neque eſt qui laudes eius pro dignitate prædicauerit.* Hic calamum ab authoritatibus Sanctorum temperare volebam, verum Diui Anſelmi ſententiam præterire non poſſum: quandoquidem totam ſolis naturam explicat *de Imagin. mund. lib. 1. c. 23. pag. 299. col. 2. lit. C. Sol dictus eſt Sol, quod ſolus luceat cæteris ſtellis obſcuratis, vel quod ſit ſuper omnia lucens, forma ſphæricus, natura igneus, magnitudine octies terram vincens.* His addi poſſent aliqui antiqui Patres, vt Lactantius, Procopius, Philo, Iuuencus, Arnobius; ſed videte eos apud Salianum, Martinengum, Scheiner &c.

3 Eam philoſophiam, quæ ex ſacra elicitur ſcriptura, veræ philoſophiæ contrariam non eſſe, vel ex eo colligitur, quòd nec rationi aduerſatur, nec cum experientia pugnat, nec antiquis ſapientibus eſt ignota. Quòd Sol igneus ſit globus, imò ipſa principalior Ignis ſedes, vt ex diuinis literis elicitur, Patres relati approbant; & Veteres philoſophi omnes, vnum ſi demas Ariſtotelem, licet diuerſis poſitionibus, tamen in id conueniunt, Igneum eſſe. D. Theodoretus, varia antiquorum placita de Sole recenſet *lib. de Nat. & mundo. ap. Gloſſ. Mag. Aſcan. Martineng.* ſcilicet, Xenophanem Solem, & Lunam ignitos eſſe, docere: Anaxagoram, Democritum, ac Metrodorum, ferrum, aut lapidem ignitum: Anaximandrum compoſitum globum ex aere, & tandem ignitum, etiam flammas iaculari: &c. tandem de Diuino Platone dicit. *Plato autem quaſi prorſus eas*, ideſt ſtellas, *ex igne conſtare inquit, accedere autem, & aliorum quoque elementorum participatum*. M. Iullius Cicero inſignis Orator, ſed non inferior Philoſophus, quippe qui Athenis ſtuduerit, In eandem ſententiam libenter conſentit *lib. 2. de Nat. Deor. pag. 66. Atque ea quidem tota eſſe ignea duorum ſenſuum teſtimonio confirmari Cleanthes putat, tactus, & oculorum. Solis candor illuſtrior quã vllus ignis, quippe qui immenſo mundo longe, lateque colluceat: & is eius tactus eſt, non vt tepefaciat ſolum, ſed etiam ſæpè comburat; quorum neutrum faceret, niſi eſſet igneus. Ergo, inquit, cum Sol igneus ſit, Oceanique alatur humoribus, quia nullus ignis ſine paſtu aliquo poteſt permanere, neceſſe eſt aut ei ſimilis ſit igni, quem adhibemus ad vſum, atque ad victum, vel ei qui corporibus animantium continetur.* Habes hic multa probata: Solem eſſe ignem, ali humoribus vt vult D. Baſilius; & in animalium corporibus verum eſſe ignem, vt alibi probauimus. Cuius etiam ſententiæ eſt inſignis Phyſicus Galenus; neq; enim Solem ignorare poterat, qui omnium naturam ſcrutabatur. Is igitur de temperamentis loquens *lib. 3. c. 1. pag. 21. lit. H. primæ Claſſ.* ait *Veluti enim nec ignis ipſe augetur prius quam victa ab eo ligna ſint mutata, quod aliquo temporis ſpatio omnino fit: ita nec Animantium calor a medicamentis, niſi illa prius ab ipſo ſint mutata. Quippe alio genere calefit is, qui ab igne, vel Sole intepeſcit, alio is, qui a prædictorum quouis medicamentorum: Illa namque actu ſunt calida, medicamenta nequaquam. lib. 3. c. 10. de vſu par. 1. Claſſ. pag. 133. lit. F.* Et Solem in medio optimè collocari demonſtrat, non mundo propiorem, ne terram exureret, neque ab eo remotiorem, ne omnia gelu rigeſcerent. *Si enim inferius poſueris Solem, vbi nunc eſt Luna, ardebunt hic vniuerſa; ſi verò ſuperius ad Pyroentis, vel Phaetontis regionem, nulla terræ pars erit habitabilis propter vim frigoris.* Tandẽ rationes Chriſtophori Scheiner, *in Roſ. Vrſin. lib. 4. par. 2. cap. 14. pag. 616. pag. 2.* quæ Solẽ igneum perſuadent adducam. *Indicia autem ſunt iſta. Primò, quia tubus oſtendit colorem ſolaris Phænomeni condenſari, & rareſieri, hæc autem ſine calore non fiunt. Secundò oſtendit tubus intenſionem, & remiſſionem in Sole fieri, quæ ſine calore non fiunt. Tertiò quia Faculæ Solis augentur, minuuntur alterantur, de nouo oriuntur, intereunt, quæ caloris ſunt operationes, imò ipſæ faculæ flammas referunt. Igitur, Sol, ex ſe eſt calidus, & igneus.* Hæ ſunt eius ſuaſiones quas ab eo fuſius poſitas, contractas exhibeo. Neque ridiculæ illæ obiectiones obſtant; ſcilicet ſi Sol ignis eſſet oculos non læderet; poſſet impunè videri: minueretur; non poſſet diem efficere, quia nullus ignis hoc poteſt. Ad quæ Reſpondetur, ignem eſſe alium, alio acutiorem, vnde falſum eſt omnem ignem videri poſſe, nam (vt alibi vidimus cum Diuo Chriſoſtomo) ignis fulminis Sole acutior eſt; ſi eſſet minoris quãtitatis poſſet videri, & ſic etiam videtur ab Aquilis; de diminutione iam diximus ipſum aqueis nutriri humoribus; præterquamquod, Aurum igneſcit, nec minuitur: Quod autem nullus ignis efficiat diem, falſum eſt, ſi ſit eius quantitatis, vt Sol; atque de hoc experientiæ legantur, a præcitato authore adductæ. Sic ergo authoritate, & ratione patet concluſio. Propter has igitur authoritates, & rationes, minimè Ariſtoteli deferendum eſt, ſed veritati aſſentiendũ; vt Doctiſſimus Resta *Meteorolog. trac. 1. cap. 10. pag. 55 col. 2. Fortaſſe æquum erat, & ſi propterea Sancti Patres eo modo ſentirent, nonnihil ab Ariſtotele declinare, & Patribus adhærere. Vbi D. Baſilius, D. Ambroſius, D. Iuſtinus martyr Ariſtotelem ad diſputationem prouocant, nonne inconueniens eſt pro Ariſt. cõtra ſanctiſſimos viros ſtare? Certiſſimi ſumus ipſos zelo veritatis ad diſputandum adduci; non tam certi ſumus de Ariſtotelis intento, an vt Platoni, cæteriſq; Veteribus contradicat, ad quod ipſum reſpexiſſe plerique tradiderunt.*

5 Sed iam ad huius magni Luminaris præconia accedamus; Neque maior illa laude, qua ipſum celebrat Spiritus ſanctus, inueniri poteſt; dum ipſum admirabile opus Altiſſimi nuncupat *Eccl. cap. 43. v. 2. Sol in aſpectu annuncians in exitu, Vas admirabile opus Excelſi.* Rationem autem huius appellationis reddit Cornelius a lapide *in cap. 43. Eccl. pag. 382. col. 1. lit. B.* quia videlicet, eſt expreſſa Diuinitatis Imago; non ſolum quia lucem illam ineffabilem ſuo ſplendore demonſtrat, verũ etiam quia illum, in ea magnificentiæ liberalitate imitatur, qua omnibus creaturis ſuis ſua bona communicat; nã ſol ſuam lucem, ac influentiam ad vniuerſum orbem illuminandum, ac ditandum diffundit: *Eſt ergo Sol vas admirabile*, inquit Cornelius citatus, *opus excelſi, quia Deum non tantum clarè repræſentat, ſed Diuinitatis*

Digitized by Google

nitatis eius theſauros in omnes terræ creaturas effundit, & diſperſit. Enim vero hæc a D. Dioniſio Areopagita hauſiſſe Cornelium opinor: qui luculentam de eo orationem habet, vt ſequitur *lib. de Diu. Nom. cap. 4. pag. 232. Sic etiam, quæ clara, expreſſaque diuinæ bonitatis Imago eſt magnus hic Sol, totus lucens, ac ſemper ſplendidus, pro minima ipſius boni ſimilitudine; omnibus etiam, quæ eius lucem capere poſſunt, collucet, habetque lumen per omnia diffuſum; in omnem hunc mundum, quem cernimus, radiorum ſuorum ſplendorem explicans, & ſurſum, & deorſum: ac ſi quid eſt, quod eo non participet, id eius luminis diffuſi tenuitati, aut paruitati non eſt tribuendum, ſed iis, quæ, quia apta non ſunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. Itaque radius multis eorum, quæ eam vim non habent præteritis, ea, quæ ſequuntur illuſtrat, nec quicquam eſt eorum, quæ ſub cernendi ſenſum cadunt, quò non immenſa ſplendoris ſui magnitudine penetret. Quin etiam ad ortum eorum corporum, quæ ſenſu percipiuntur conducit: eaque & ad vitam excitant, & alit, & auget, & abſoluit, & purgat & renouat: ac lumen menſura eſt, atque numerus, horarum, dierum, totiuſque noſtri temporis*. Hæc Diuinus Dioniſius. Quem conciſiori methodo, ſed non minus decorè, in Sole concelebrando ſequitur D. Ambr. *to. 1. lib 4. c. 1. Hexem. pag. 25. lit. D.* dicens. *Sol eſt oculus mundi, iucunditas Diei, pulchritudo Cæli, menſura temporum, virtus & vigor omnium naſcentium, Dominus Planetarum, & Perfectio omnium Stellarum*. Quam ſententiam ferè immutatam adducit Alcuinus, ſeu Albinus Flaccus in definitione Solis *ap Cornel a lap. loc. cit. Quid eſt Sol? Splendor orbis, Cæli pulchritudo, Naturæ gratia, Honor diei, Horarum diſtributor* Verum hic præterire non poſſum, in huius maximæ lucis gloriam, Seraphici mei Protoparentis Franciſci ſtudium, quò maxime illum proſequebatur: Quippe qui in tantum eum æſtimaret, vt in honorem ipſius, & laudem Creatoris ſui, peculiare Canticum compoſuerit *apud Luc. Vvadding. tom. 1. Ann. min. ann. 1224. num. 32.* in quo inter alia hæc commemorat. *Lauderis Domine Deus meus propter omnes creaturas tuas, & ſpecialiter propter honorabilem fratrem noſtrum Solem; qui dieſcere facit, & nos illuminat per lucem; pulcher eſt, & radiatus, & magni ſplendoris; tuique Domine ſymbolum præfert*. His addamus Diuini Platonis encomium: dicit enim in Timeo. *Ingeniauit Deus rerum Conditor lucem clariſſimam, quam Solem vocamus, cuius ſplendore Cœlũ, & inferiora omnia illuſtrantur, vt numerus exiſteret omnium Animantium*. Obmureſcant igitur Manichæi, qui Chriſtum putabant eſſe in Sole, & Solem ad modum Nauis fingebant; pulchrum figmentum, ſi riſum, etiam fœminis, ne dũ Philoſophis excitaret; vnde ingenioſè eos D. Auguſtinus *lib. 20. cap. 6. con. Fauſ. tom. 6. pag. 151. col. 1. lit. D.* deridet. *Nauem quandam eſſe dicitis: ita non tantum, vt dicitur, toto Cælo erratis, ſed & natatis*. Non ergo Sol Deus, ſed eius expreſſa ſimilitudo; Neque mirum, ſi Deus ignis eſt, igneo in globo ſuam imaginem repoſuiſſe.

§. IV.

De Luminarium effectibus in mundum ſublunarem.

1 MVltiplex experitur in ſublunaribus effectibus luminarium effectus; ſed ad tria genera, omnes influentias reduci poſſunt. Primum eſt Temporum diſcretio; ſecundum eſt ad rerum generationem, & conſeruationem: Tertium genus eſt mutationum in Aaere, & Aqua, vnde oriuntur tempeſtates, ſerenitates, pluuiæ, venti, &c. Quod ad temporum diuiſionem attinet Annus a Solis curſu ortum habet; cum enim Sol ad id redit punctum, vnde diſceſſit, Annus Solaris completus dicitur. Vti docet Magnus Baſilius *Hom. 6. in Hexam. pag. 30. lit. C. Solaris autem Annus eſt, cum ad idem Sol punctum, ſiue ſignum, vnde profectus eſt, ſuapte motione redierit*. Hoc autem ſpatium Aſtronomi cenſent eſſe, trecentum ſexagintaquinque dierum, & ſex horarum, nonnullis demptis minutis: Cæterum quid ſint dies, Horæ, & Minuta, infra ſuo loco declarabitur. Vlterius quatuor anni tempora, ſcilicet Ver, Æſtas, Autumnus Hyems ex Solis motu oriuntur; nam vt de nobis Europeis loquar, cum Sol initium Arietis tenens ad æquilibium reducit dies, noctesque, ac deinde ad noſtrũ zenith appropiat, Ver conſtituit: cum vero eſt in noſtro zenith, Cancrũ ingreſſus, in quo eſt terminus ſuę aſcenſionis ſupra nos, Æſtatem format, hinc denuo in libra dum æquat tempus, atque ad auſtrum deinde pergit, Autumnum præſtat; & tandem hyemem producit cum in brumali ſolſtitio ad nos reditum parat. Atque hæc eſſe illa tempora, quæ ſacræ literæ commemorãt, propter quæ luminaria fecit Deus, vt eſſent; *In ſigna & tempora*: Author eſt citatus Baſilius *pag. 29. lit. D. vſq. 30. lit. B. Tempora autem exiſtimamus ſcripturam dicere quatuor viciſſitudines temporum, Hyemis inquam, Veris, Æſtatis, ac Autumni. Tunc enim fit Hyems cum Sol in auſtrinis regionibus morã trahit. At cum contra remeans Sol auſtrinis a finibus ad ipſum medium tendit, vt ex æquo partiatur Dies, Noctiſque tempus, quanto ſuper terram plus moræ trahit, tanto temperiem aeris pro portione maiorem reducit, atque Ver oritur. Iam vero Sol illinc Vrſam verſus aquilonariam, ad ſolſtitia pergens æſtiua, dies nobis maximos præbet. Hinc Autumni tempus deinceps vbi ſucceſſit, exuperãtem quidem vim æſtus infringit*. Hæc ſparſim Baſilius multis effectibus ſociata tempora commemorat. Neque tantummodo anni viciſſitudines Sol partitur, verum etiam ipſum diem, cuius Sol Author, nam quadrupliciter dies partitur, ideſt Mane, Dies, Meridies, & Veſpera, ſecundum diuerſas Solis illuminationes, lucet enim parum in diſceſſu Auroræ, deinde magis hora tertia, in Meridie addit feruorem, in Veſpere lucem, & calorem imminuit, hinc quatuor myſtici equi ab antiquis Currui Solis adiuncti ſunt, rubeus, candidus, Croceus, ater: quorum nomina, & ſignificata clarè explicat Venerabilis Beda *apud Barthol. Angl. De prop. rer. lib. 8. c. 28. pag. 408. Immutat etiam ipſos dies, quia Sol lucens ſuper terram diem facit. Et ſecundum diuerſam diſpoſitionem Solis, Dies diuerſam immutationem recipit. Nam primo rubet mane, deinde lucet in tempore horæ tertiæ, feruet in meridie, pallet in veſpere. Vnde & quatuor æquos fingitur habuiſſe, quorum primus fuit Eritheus, ideſt rubeus, ſecundus Arytheus, ideſt ſplendidus, tertius Lampas, ideſt ardens, quartus Philogeus, ideſt amans terram*. Hæc tempora Sol cauſat: de Lunæ tempore ſupra abundè dictum eſt.

2 Secundò Luminaria dicuntur temporum Duces, atq; generationis omnium rerum; ſunt namque cauſæ omnium rerum, poſt primam Deum, vniuerſaliſſimæ: nam, vt ait Philoſophus: *Deus, Sol, & Homo generant Hominem*: Per Solem Aſtra omnia, & per hominem omnia generabilia ſignificans. Quare de eo ſapiens ſcripſit: *Eccl. cap. 42. ver. 16. Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius*. Vbi Nicolaus de Lyra ſubdit. *Sol illuminans per omnia reſpexit, ideſt omnia viſibilia fecit; nam ab eo illuminantur omnia corpora cæleſtia, & terreſtria. Propter quod dicitur Pater virorum, Deorumque, 2. de Anim.* Vbi nomine Deorum Planetæ ſunt intelligendi, qui a Sole lumen recipiunt. Solis etiam effectus numerat Diuinus Areopag. *lib. de Diuin. Nom. c. 5. pag. 281.* ſic loquutus. *Sol hic, quẽ videmus, eorũ, quæ ſub ſenſum cadunt, eſſentias, & qualitates (quamquãmultæ ſunt, ac diſſimiles tamen ipſe, qui vnus eſt, æquabiliterque lumen fundit, renouat, alit, tuetur, perficit, diuidit coniungit, fouet, fæcunda reddit, auget, mutat, firmat, edit, mouet, vitaliaque facit omnia*. Sed neque in his beneficijs ſolus eſt Sol, ei adiutrix Luna data eſt, cum reliquis Aſtris. Siquidem de ipſa Pſaltes canit: *Fecit Lunam in tempora*: & hoc declarans D. Hieronymus docet. *Aiunt, quando creſcit Luna creſcere fructus omnes, & quando*

minu-

Digitized by Google

minuitur iterum fructus minui. Ergo benè dixit: Fecit Lunam in tempora. Id clatius proſequitur D. Baſilius *Ho.6. in Hex. pag.31.col.1.lit.F. Atqui corporibus Animalium conſtituendis, cæterarumque rerum, quæ e terra naſcuntur, non mediocriter Lunæ immutationes conducere reor. Nam alio modo corpora cùm ipſa decreſcit, alio cùm accreſcit afficiuntur: etenim nunc rara ſiunt, inaniaque, cùm imminuitur: nunc contrà Luna accreſcente, & ad luminis plenum properante orbem, corpora rurſus differciuntur, & implentur.* Tandem concludat aurea D. Ioann. Chriſoſt. *Hom.7. in Gen. col. 28. lit. E.* ſententia hanc materiam. *Similiter dico, quòd & cum labore Ruſtici conſpiret Solis, & Lunæ operatio, & cæli temperies: neque ſic vtilitas aliqua erit, niſi supernè illos dextera Domini adiuuerit.*

3 Tandem Luminaria temporibus principantur, quia temporum qualitatum præſagia ex eorum apparitione ſeligi poſſunt. Mitto quæ cæca Aſtrologorum Schola in genethliacis hominum, Regnorum poſituris, tanquam falſa, ſomniauit, & ea tantummodo, quæ vera ſunt referam, videlicet circa medicinam, agriculturam, & nauticam artem; quæ ab imperito ſyderum ægrè tractantur. Nec non quia aſtra influunt in humores, & temperaturam corporum, & animus, vt plurimum, niſi ratione compeſcatur, ſenſibus ſeruiat, quid parum etiam de moribus coniectari licet, non quales ſunt, ſed ad quos inclinaretur, ſi libertatem perderet operandi. Hoc videtur Spiritus ſanctus in ſcripturis ſubindicaſſe: Deus enim poſt generale Diluuium placatus holocauſthomate Noe, amplius ſe terræ non maledicturum promiſit, eo quòd homo ex ſua natura, ideſt ex ſua corporis temperie inclinetur ad malum. *Gen. cap.8. verſ.21. Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua;* Quæ ſententia dedit occaſionem meo Magiſtro Scoto *in 2. ſent. diſ.14. quæſt.3.* ponendi talem concluſionem. *Quartò dico quòd Planetæ, & ſtellæ habent actionem ſuper animata, alterando ſcilicet corpora, &c. nam organa ſenſuum, quæ ſunt corpora mixta poſſunt immutari, & alterari ad aliquem gradum conuenientem illis, vt nata ſunt eſſe organa ſenſuum, & etiā ad diſconuenientem ſenſui, & ita poſſet organum corrumpi, & lædi, & per conſequens poſſunt habere aliquam actionem, quoad intellectionem quodammodo, vt puta in phreneticis, & lunaticis, in quibus eſt imaginatio confuſa, & etiā quoad hoc poſſet eſſe deordinatio in voluntate. Ideo hoc modo inclinant voluntatem Planetæ, & alia corpora cæleſtia; in nullo tamen neceſſitatur abſolutè voluntas propter hoc, ſed ex ſua libertate poteſt contraire: & propter iſtam promitatem ad ſequendum appetitum ſenſitiuum contra dictamen rationis, quam cauſant corpora cæleſtia accidit frequenter Aſtrologos vera pronoſticare de moribus hominum, puta quod erunt luxurioſi, per huiuſmodi conſtellationes natiuitatis; non quod ita eueniat neceſſario, quod non poſſet aliter eſſe, de his quæ dependent a voluntate rationali, ſi homo vellet magis ſequi per voluntatem legem rationis, quam ſenſus: ſed cogitationes hominum pronæ ſunt ad malum Gen. 8. & Eccleſiaſtæ 1. Peruerſi difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus.* Circa vero Imbrium, Ventorum pluuiarum, ac tempeſtatum præſagia plurimum luminaria, ac Aſtra conferre colligit magnus Baſilius, ex illis ſcripturæ verbis, multoties relatis; *Et ſint in ſigna &c.* Ait namque *loc. cit. pag.27. col.2. lit. A. Neceſſariæ profectò ſunt luminarium in hominum vita ſignificationes. Namque ſi non vltra modum ſigna quiſpiam, quæ ab ipſis proficiſcuntur exploret vtiles ipſorum obſeruationes, eas inuenerit, quas experientia longa probauit: complura cuique ſanè de imbrium alluuione, complura de ſiccitatibus, complura de flatuum agitationibus, aut in parte, aut in vniuerſo, vehementioribus, ac lenioribus diſcere licet.* Vt autem id ex ſacris literis probet, eas obſeruationes; Iudæorum, quas Chriſtus Dominus adducit, refert. Dicitur namque Matthei cap.16. verſ.2. *Facto veſpere dicitis: ſerenum erit, rubicundum enim eſt cælum. Et mane; hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum.* Et ſubdit idem Doctor loc. cit. *Nam vnum quid eorum, quæ a Sole oſtenduntur, Dominus tradidit hiſce verbis: Quia tempeſtas erit, rutilat enim triſte Cælum. Cum enim per caliginē, nebulamve accenſus fuerit, Solis radii tum obfuſcantur; ipſe rutilus veluti pruina, coloreq; prope ſanguinis æmulus cernitur, aeris craſſitudine hanc in aſpectibus noſtris viſionem efficiente. Quod ſi non diffuſus a radijs, tum aer ille addenſatus, & in ſeſe coaleſcens, apertum eſt ob vaporum illorum effluentiam, e terra tunc aſcendentium ſuperari non potuiſſe: ſed ob humoris copiam tandem in eas regiones, in quibus ſe colligit, tempeſtatem allaturum.* Hæc omnia Nautæ, Agricolæq; præſcire neceſſe eſt, vt de futuris ſerenitatibus, & tempeſtatibus admoniti, quando operari, & quando deſiſtere, ac quieſcere debeant, non ignorent: quandoquidem, vt fatetur Chriſoſtomus *loc. cit. col.29. lit. E.* Nautæ, & Agricolæ ex cæleſtium luminum directione regulantur. *Ex his poſſumus dignoſcere omnia. Etenim Gubernator ad horum curſum ſpectans, & in Cælum intentus, diligenterque inſpiciens omnia, nauigare incipit, maria tranſit, & in denſiſſima nocte viſa ſtella dirigere, & ſua arte ſalutem nauigantibus dare ſolet. Sic & Agricola ex illis diſcit, & videt quando congruit, vt ſemina terræ committat, quando terram paſtinet, ac aret, quando falcem acuat, vt fruges demetat.* Hæc igitur animaduertentes, mortales, Deo optimo maximo Parenri optimo, tot bona nobis largienti, toto cordis affectu, oris reſonanti præconio innumeras gratias referamus.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

VT mundanam hanc machinam condecoraret Omnipotens duos illi præclaros addidit oculos Solem, ac Lunam, quæ tempora diſtinguerent, ac elementa colluſtrarent. Quia verò nec æternus eſt mundus, & tandem hominum generationes ceſſabunt, vt homo facilius Solem, Lunamq; inſpiciendo ad æterna gaudia properaret iter, non minus in eis ſpiritualis luminis poſuit; quam materialis; nec maxima illa lumina plus oculos corporis, quam animi mentem dilucidant. Quid Lunæ tam rapidus curſus, tot in dies mutationes, luminiſque deperditio, niſi caducitas, rerum terrenarum, ac breuis illarum duratio? Quid Sol Diuini Numinis Imago, niſi Solis Diuini indagandi neceſſitatem declarat? Hic ſi ſuum cognoſcit occaſum, & nos

tam corporis, quam animæ formidare docet interitum; & illa dum a modico lumine in plenum creſcit orbem, Eccleſiam de minimo creſcentem oſtendit.

SVMMARIVM.

1 *Rerum mortalium breuis duratio ipſas deſpicabiles facit.*
2 *Eccleſia Dei vt Luna creſcit.*
3 *Finem ſuum cognoſcens vitia deteſtatur.*
4 *Semper timere debemus ne deſeramus a Deo.*
5 *Illis Diuinus Sol occidit, qui ab ipſo recedunt.*
6 *Sol perfectam obedientium nos docet.*

§. I.

Rerum mortalium breuis duratio ipſas deſpicabiles facit.

1 F*Ecit Lunam in tempora*. Quæcumque vel pulchritudine inſignia, vel decora magnifica mundus hic alit, eius ſunt conditionis, vt nil certi habeant, nam continuæ mutationi abnoxia, quæ heri alliciebant animum præſtantia formæ, hodie deformitate auertunt. Sed miſſa faciamus alia, Lunam conſidera, quæ aliquando Soli oppoſita, ita refulget, vt omnium oculos ad ſe conuertat, nam maioris æmula Luminaris, ſic tenebras fugat, ſic illuminat mundum, vt Solis egere ſplendoribus haud videatur; ſed ſtatim ſequenti nocte minui incipiens eo infra paucos deuenit dies, vt ferè penitus nõ appareat. Ratio autem eſt, quia Deus *fecit illã in tempora*: vt aliquando creſceret, aliquando decreſceret; Homineſque ſua defectione erudiret; nequaquam in mundi huius bonis, honoribus, diuitijs, Fauoribus fidendum, cum enim in maximo ſunt auge, retrocedentes euaneſcunt. Quod optimè cernens eminentiſſimus Prædicator Hugo, hæc ſuadet. *Nec Prælati, nec Laici deberent tantum amare temporalia, propter duas cauſas principaliter; ſcilicet, & quia omnia citò tranſeunt, & quia, ſi illa etiam ſemper manerent, ipſi tamen citò morituri ſunt. De his duobus ſubdit: Fecit Dominus Lunam; idest temporalia, quæ ſicut Luna creſcunt, & decreſcunt; in tempora: quia finem habent, & tranſeunt*. Quis ergo diſpicere non addiſcet tam inſtabiles Creaturas?

2 Hæc temporalium breuis duratio, hic velociſſimus tranſitus omnem principatum, ac ſæculi poteſtatem vanam eſſe conuincit. Quid tibi videtur de potentiſſimo Rege, multorum regnorum Monarcha, delicijs abundante, diuitijs referto, armis præpotente, conſilio munito; cui nulla rerum copia deſit, nulla Maieſtatis deficiat pompa, nulla obſequentium Magnatum turba, nulla blandientium Adulatorum manus deſideretur? Hunc imperantem omnes obſeruant, pugnantem adiuuant, ægrotantem procurant, ambulantem ſtipant, ducentem ſequuntur; & eius gratiæ ſectatores, in eum ſe transformare laborant. Attamen quem viuentem omnes adorant, mortuum deſpicantur; Febris cruciat, Cœli intemperies angit, Ægritudo deijcit, Mors corrumpit; & tandem vermium, muriumque morſibus datur, qui tot populis tremendus apparebat. Nil ergo nouum ſi ſacræ literæ potentiſſimum Ægipti Regem, baculum arundineum vocant *Iſai.cap.36.v.5. Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægiptum*. Sicut enim arundineus baculus, facile frangitur, ſic regalis potentia, homini tam fragili innixa, iam iam ruitura cenſetur: quapropter D.Anton. *Patau. ſer. 1.de temp.pag 3.col.2.* teſtatur. *Abundantia mundi, & ſanitas corporis ſunt quaſi arundo, quæ radicem habet in luto, interius vacua, & exterius pulchra. Hæc arundo ſi ſuper eam homo innititur, in morte cõfringitur, confracta vulnerat animam, quæ vulnerata cadit in Gehennam*. Ne ergo rerum temporalium arundo nos vulneret, frangamus nos ipſam deſpiciendo: nam qui amat, mortem ſibi cauſare videtur.

3 Stultam ergo hanc Hominum tranſeuntem gloriam exiſtimare debemus; neq; tanta ei ſtabilitas, quantam experitur arundo, ei tribuenda eſt: quippe arundo in ſua permanet conſiſtentia aliquando, & licet fractioni propinqua, non deiicitur tamen, niſi ab aliena læſione commota. Regni autem, & quæuis alia mundi gloria, nunquam in eodem permanet ſtatu; idcirco Lunæ comparatio magis conueniens videtur, quæ in ſui luminis plenitudine numquam conſiſtens, aut creſcendo, aut decreſcendo ſemper mutationi ſubiacet. Huiuſmodi mundana felicitas eſt, ſemper deſcreſcit, dum eſt in ſummo, & tunc ei minimè credendum, cum maxima eſt. Sed ad Sapientis doctrinam: Hic de gloria mundani hominis loquens, eum Lunæ mutationibus comparat, quòd ad eius ſimilitudinem in continua ſit accretione vel [illegible]: *ſtultus*, inquit, *Eccl.c.27. v.21. ſicut Luna mutatur*: Nec mireris ſi quaſi de ſtulto ſermo ſit: Nam ſtulto hæ mutationes eueniunt. Sapiens namque, qui eam contemnit, mundana deficiente gloria nihil perdit. Ex Lunæ ergo defectionibus edocti tam lubrica bona paruipendamus, ne vt ſtulti eius defectibus ſubijciamur; vt Magn. monet Baſil. *Ho.6.in Hex.pag.31. col.1.lit.D. Nos igitur ex Lunæ contemplatione quam fluxa ſint noſtra perdiſcamus, atq; erudiamur: in mentemque celerrima rerum humanarum nobis mutatio veniat; ac nõ magnificè nobis ipſis, ob vitæ proſperitatẽ placeamus, non Poteſtatibus gloriemur, non ob immenſas, & inſtabiles diuitias efferamur. Verè enim (vt dicitur) ſtultus perinde ac Luna mutatur*. Quis tam fugaces inſectabitur delicias? quis in ijs cor firmabit, quæ firmitatem non agnoſcunt: præſtat cum ſapiente eas deſpicere, quam cum ſtulto eius mutationibus agitari.

4 Cum multas res pulchritudine ſpectabiles nutriat terra, eaſque omnes corruptioni ſubiectas, nil tamen ita humanæ gloriæ ſuperbiam frangit, vt flos campi, cuius pulchritudo ſublimis, pompa magnifica, odor mirificus, omnibus ferè ſenſibus ſuum peculiare miniſtrans oblectamentum: nam viſum colorum varietate oblectat, odore olfactum recreat, tactum mollitie mulcet, & guſtum ipſum ſuauitate replet: nec non contemplationi mentis haud paruam materiam portendit. Hæc tamen cum ita ſint, tam breui ſpatio flos decidit, marceſcit, & in fœnum abit exiccatum, vt ante pereat, quam teneatur: quod dedit occaſionem Poetæ canendi.

Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum naſcuntur conſenuiſſe roſas.

Idcirco ſanctus Propheta, vt hominum exprobraret inſaniæ; mundanum fauſtum, vitamque herbæ campi fœnoque comparauit, dicens. *Iſai. cap.40.verſ.6. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri: exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflauit in eum*. Neque enim aliqua in mundo eſt vel maieſtas, vel proſperitas, vel felicitas, quæ in floris more infra modicum tempus ex herba in fœnum nõ degeneret: Ingenioſè idẽ Baſilius *loc. cit. Hom.pag.21. col.2.lit.B. Primum itaque, vt herbam fœni conſpexeris, atque florem, in mentem tibi veniat humanæ naturæ, ac ſapientis Eſaiæ imaginariam ſimilitudinem in memoria habeto: omnis caro, dicentis, vt fœnum eſt, & gloria hominis veluti fœni flos eſt. Breuitas enim temporariæ iſtius, ac deciduæ vitæ, oblectamentumque proſperitatis humanæ, atque hylaritatis exiguo tempore ſubſiſtens, accomodatiſſimarum eſt apud Prophetam ſimilitudinum cauſa*. Expreſſius ſignificari non poterat gloriæ noſtræ ignominia, vt eam deſpiceremus.

5 Mirum profecto non eſt ſi mundana omnia tam citò tranſeunt, & pereunt, nam perituro homini in ſeruitutem addicta ipſo labente, ruunt omnia. Atque hæc eſt ratio a priori, vt ita dicam, rerum humanarum caducita-

Digitized by Google

ducitatis. Etenim, quia omnia propter hominem facta ſunt, iſque homo Aduena tantum, & incola datus eſt mundo, etiam & illa caduca eſſe debuerunt. Exemplum ſumere poſſumus ex itinerante peregrino, qui in locis illis, per quæ tranſit ad patriam rediturus, non permanentem emit domum, ſed ad datum tempus conducit, donec negotia terminentur: pariformiter huius mundi gaudia, lætitiæ, deliciæ, pompę, tranſitoriæ ſunt, quia tranſit homo ad æternam Patriam profecturus. Idcirco teſtatur Ioan. Apoſtolus *epiſ.1. cap.2. verſ.17. Mundus tranſit, & concupiſcentia eius*: Quaſi dicat, quia mundus propter hominem factus eſt, & omnia illius bona, homine ad interitum properante corruunt vniuerſa; ita ſentit D.Bernardus Abbas Clareu. *Serm.9. in Pſal.90. pag. 127. lit. H. Nempe, & mundus tranſit, & concupiſcentia eius: Nec ſatis vtiliter poſita, aut ſtabilita firmiter (vel cadente eo) quæ pro eo facta ſunt videbuntur. Vbi enim cauſa ipſa deficiet, quomodo non omnia quoque, quæ ei videbantur innixa, pariter euacuabuntur? Prudenter itaque, Dilectiſſimi, propter verba labiorũ eius, elegiſtis cuſtodire vias duras: illic ſeminantes, vbi nec minima quidem portio veſtri ſeminis valeat deperire.* Eum enim, qui ad æterna progreditur, peritura diligere, fatuitas exiſtimatur.

6 Vt autem clarius huius mundi Vanitatem intueamus, neceſſe eſt ad alterius Apoſtoli comparationem accedere. Nonne Artis miraculum in pictoria arte perſpectiua eſt, dũ in ſola ſuperficie, alicuius coloris, vmbræque beneficio, non ſolum trina corporum repræſentatur dimenſio, ſed & varia Ædificia, Montes, flumina, maria, Ciuitates, & in tabula quæ ante oculos ſiſtitur multa milliaria longitudinis perſpiciuntur? ita Artis induſtria deceptus oculus, ſe longinquas aſpicere regiones credit, nec recedit a loco ſuo. Hæc omnia autem ficta ſunt; nil ibi niſi tabula, colores, & vmbræ; apparentia, non ſubſtantia rerũ eſt. Huiuſmodi ergo mundana commoda ſunt, apparentiam ſolum, ſolam figuram habent, eſſe reale nullum, imò pictura deteriorem ſortiuntur conditionem, nam in momento pereunt. Hoc bene ſciebat Paulus Apoſtolorum maximus *1.Cor. cap.7.verſ.31.* & ideo dicebat: *Præterit enim figura huius mundi*: Quod ad noſtrum intellectum Doctiſſimus Theophilactus accomodat *in 1. ad Corin. pag.221. Præterit enim figura huius mundi, idest tranſit, & diſſoluitur. Quid ergo amore eius teneamur, quod diſſoluitur? Figuram autem appellauit, innuens huius mundi res oculos tantum attingere, ac leues eſſe, nullam ſtabilitatem, & ſubſiſtentiam habentes.* Similis Lunæ, & ſublunariũ continua mutatio; ne ergo in eis ſpem collocemus, ſed ad æternam felicitatem alacriter properemus.

7 Poterat proculdubio Faber omnipotens cùm Cælorum extendebat cortinam, in aliquo loco figere luminaria, ita vt in eodem ſemper ſtatu mundo apparerent. Cur ergo tot mutationibus obnoxia fecit? Si quidem iam & in Luna vidimus nullum eſſe momentũ, in quo non mutetur, & varietur; de Sole vero idipſum oculis comprobamus, veramque Sapientis agnoſcimus ſententiam *Eccleſ.cap.1.verſ.5. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Neque enim caſu tam varius curſus, tamque citò perſoluitur, etenim mortales admonet, ad menſuram pernicitatis illius, omnia euolare mundana, homo, ac vniuerſa eius commodum reſpicientia nedum tenentur, cum euolant; vt diſcamus non magnifacere, quæ ficta poſſeſſione decipiunt; vt ſentit Didymus *ap. Cornel. a lap. in Eccleſ. pag. 31. col. 1. lit. A. Hoc inquit ſibi vult huius vniuerſitatis naturam reſpiciens; ſiue quæ in Sole, ſiue quæ in mari, ſiue quæ in Cælo ſunt conſideres, tuam naturam intelliges: nam quemadmodum Solis huius, ſic & naturæ noſtræ ſuus eſt ortus, & occaſus.* Idipſum teſtatur D. Hieronymus *in Eccleſ. to.5. pag.4. lit.H. Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur Hoc autem. Idcirco dicit, vt doceat mutationibus temporum, & ortu occaſuque ſyderum humanam ætatem labi, & interire dum neſcit.* Quid ergo ad momentum interitum expectantes, labentia bona diligimus? Eia quæſo, ſi ſapimus, amemus æterna, quæ in occaſum numquam merguntur; atque temporalia iſta ſic labentia toto corde deſpiciamus.

§. II.

Eccleſia Dei, vt Luna, creſcit.

1 F*Ecit Lunã in tempora*. Non ſemper Lunæ ſignificatio in malã ſumitur partem; ſed aliquando in bonam: Etenim ſi Sol Chriſtus eſt, haud immeritò Lunæ nomine ſignificatur Eccleſia, alterum ſcilicet gratiæ luminare, quod in nocte ſæculi huius reſplendens, cæleſtia petentibus iter oſtendit. Sed & in hoc ſimillima Lunæ Eccleſia eſt, quòd hæc cum Soli iuncta eſt, minima videtur, ſed paulatim ab eo recedendo magis augeſcit, donec in magna remotione tota plena videatur; ita prorſus Eccleſia, nam dum temporaliter Chriſto vnita erat, illo adhuc in humanis verſante, peruula erat, lumen eius non ita apparebat, ſed *ipſo* in Cælum ſublato, creſcere ſtatim incepit, & tandem tota plena, tractu temporis viſa eſt, ita vt per vniuerſum iam orbem colluceat propagata. In tempora ergo etiam myſtica Luna facta eſt, quia paulatim per tẽpora ſuum habuit incrementum. Audiamus hoc ex D. Auguſtino. *Fecit Lunam in tempora: creſcentem de minimo Eccleſiam intellige; de qua dictum eſt: Vt ſagittent in obſcura Luna rectos corde: quando obſcura erat, nondum eminebat: nunc quam cæcus eſt, qui plena Luna errat.*

2 Certum eſt Lunam a Solem lumen accipere, eoq; fulgere; & etiam compertum eſt, ſemper ipſam eodem repleri lumine; quòd ſi nobis aliquando plena, aliquando obſcura, nunc creſcens, nunc decreſcens videatur; hoc non prouenit ex imminutione, vel accretione luminis (imò tunc magis illuminatur, cùm nobis apparet obſcura, quia Soli propinquior eſt) ſed quia non ſemper partem nobis illuminatam oſtendit: En tibi Eccleſiam; hæc a Iuſtitiæ Sole Chriſto lumen gratiæ accipit, quo deſtituitur numquam; videtur tamen tempore perſecutionum imminui, ac proſperitatis tempore creſcere; re vera tamen magnas tribulationes inter roboratur, nã tunc acceptiſſima Deo, ac gratiis pleniſſima eſt; in conſummatione creſcit, in tribulatione dilatatur: quod & de Luna affirmat quidam Sapiens *Eccl. cap.43. verſ.8. A Luna ſignũ diei Feſti, luminare quod minuitur in conſummatione; menſis ſecundum nomen eius eſt; creſcens mirabiliter in conſummatione.* Quibus ex verbis concludit Rhabanus *ap.Cornel. a lap. in Eccl. pag.389. col.1. lit.B. Luna Eccleſia eſt, quæ a Chriſto quaſi a Sole ſuum mutuatur lumen, & gratiam; quæ modo perſecutionibus videtur imminui, iterumque tranquillitate recepta clariſſimi luminis hilaritate completur; vnde dicitur quòd creſcat mirabiliter in conſummatione.* Creſcit ergo Eccleſia nobis, & decreſcit: ſed ipſa ſemper in gratia veri luminis claritate repletur.

3 Si globus ſolaris; vt terra noſtra hominibus habitabilis eſſet; ita vt quædam immortalia, & impaſſibilia ibi Animalia habitarent, illud certiſſimum eſt, nunquã Lunam minui illis, ſed ſemper plenam apparere. Solis Incolæ iuſti ſunt, qui in Sole iuſtitiæ ſpem reponentes, licet videantur nobiſcum eſſe, in Chriſto manent. Cum ergo minuitur Luna, decreſcit Eccleſia, habitantibus terram peccatoribus obſcuratur, non iuſtis, non habitantibus in Sole, nõ ſanctis. Hoc videtur ſentire Pſ.71. dum de Domini loquens aduentu verſ. 7. ait: *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Luna auferenda, cum qua iuſtitia huius ſæculi terminanda eſt, Eccleſia intelligitur, quæ quamdiù durat, permanet in terra Iuſtitia, & Pax, ſed Luna ſublata, pereunte finaliter mundo, & cum eo Eccleſia militantium, nullus erit in mundo, cui pax, & iuſtitia debea-

Digitized by Google

debeatur; ſed perpetua in Cæli tantum pax erit. Quia vero Eccleſia in peccatoribus obſcura eſt, in Sanctis verò, ac iuſtis clara, Lunæ nomine deſignatur; vt placet D. Chriſoſtomo *in Pſal. 71. tom. 1. col. 987. lit. B. Habemus aliam pacem abundantem in nobis, charitatem, quam hæreditariam donauit nobis, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hæc eſt abundantia pacis; ſed quandiu? Donec tollatur Luna: Quid eſt, donec tollatur Luna? Donec finiatur omnis prædicatio Eccleſiæ, & colligantur omnia, plicetur Cælum hoc vt Liber, & terra tranſeat. Luna enim dicta eſt Eccleſia, quæ creſcit in ſanctis, decreſcit in peccatoribus*. Qui ergo huius Lunæ lumine numquam deſtitui ſatagit, moretur in Sole, in Chriſto viuat.

§. III.

Finem ſuum cognoſcens vitia deteſtatur.

1 SOl *cognouit occaſum ſuum*: Sicuti Luna ſtultum ſignificat propter ſui inſtabilitatem, & continuam mutationem, & propterea etiam peccatorem, qui veluti Luna, nihil firmitatis habet; ita econuerſo Sol, qui numquam luminis mutationem incurrit, nec ab ecliptica curſum declinat, ſapientem ac iuſtum deſignare videtur. Dicitur ergo hic: *Sol cognouit occaſum ſuum*; quia vir iuſtus, & ſecundum Deum ſapiens, debet cognoſcere occaſum ſuum, ideſt horam mortis ſuæ cogitare: etenim tunc homo ſapiens euadit, cum vitiorum ſtultitiam abiicit, ille autem reiicit, & deteſtatur, qui rerum humanarum caducitatem, ac ſui incolatus finem agnoſcit: quare Prædicator eminentiſs. Hugo ait. *Sol, ideſt homo ſapiens, & ſanctus, qui per Solem ſignificatur; cognouit occaſum ſuum; quia ſcilicet oportet eum mori, licet horam mortis ignoret. Hi cognoſcunt occaſum ſuum, iuxta illud: memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. Sic qui finem ſuum cognoſcit, ideſt mortem ſuam meditatur, numquam vitia diligendo peccabit.

2 Philoſophicum eſt axioma, quòd oppoſita iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt: & per vnum oppoſitorum dignoſcitur alterum. Cogita ergo homines genere claros, potentia magnos, fauoribus elatos, diuitijs abundantes, qui in his mundialibus bonis ſpem collocantes, ſibi magnam in hoc mundo gloriam repromittunt, non vulgarem adepti excellentiam, ſed adhuc altiorem ſperantes; hi tanquam ſe numquam interituros formidantes, de vna ſpe in aliam decepti tranſeunt, & ſibi ſemper in craſtinum bonorum prætendunt incrementum. Enim vero ſe deceptos tunc ſentiunt; cum mors omnibus æqua, ſed omnibus ſæua, ex inſperato ipſum præmens, e mundo auellit: tunc quid illi gloria, quid potentia, quid opes iuuant? neglexiſſe mortem, finem ſuum non cogitaſſe quid parit? dolorem, triſtitiamque adauget, dum ſibi auferri voluptates, quod non præſenſerat videt, tunc vitia deteſtantur ſed ſero; quod ſi finem ſuum conſideraſſet, & ſe tandem moriturum vidiſſet, numquam huius bona mundi, ac eius vitia ſequutus fuiſſet, ſed potius deteſtatus fuiſſet. Idcirco monebat ſapientiſſimus Salomon: *Ne glorieris in craſtinum, ignoras enim quid ſuperuentura pariat dies*. Gloriari non poteſt, qui ſcit ſe ad interitus oſtia conſiſtere; nec huius ſæculi blandimentum, & vitia magnifaciet, qui incertitudinem vitæ certam ſentit. Quare ait D. Bernardus *de mod. ben. viu. ſerm. 69. pag. 311. lit. C. Salomon ait: Ne glorieris in craſtinum, ignoras enim quid ſuperuentura pariat dies: ſollicite ergo ſoror venerabilis debes viuere, & terminum vitæ tuæ conſiderare quotidie, vt huius ſæculi blandimenta poſſis deſpicere, & cæleſtia bona acquirere*. Talis elicitur ex cognitione ſui occaſus fructus, vt mundo deſpecto, cælum acquiratur.

3 Apud omnes generationes poſteritatis, magnæ fuit, & erit admirabilis ſantiſſimi Iob patientia, qui tot infortunijs iactatus, tot infirmitatibus afflictus, numquam vel impatientiæ tædio, vel murmurationis vitio maculatus eſt; corpus exagitari potuit, numquam tamen deiectus eſt animus; vt de ipſo dicatur: *Iob cap. 1. verſ. 22. In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt*. Libet porrò inueſtigare vnde tantam virtutem Iob hauriebat; quis inuincibilem, imò (vt ita dicam) impeccabilem reddebat? ſola ſui finis conſideratio: dicebat enim, & ſæpe recolebat: *cap. 13. verſ. 28. Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur a tinea*. Quid mihi prodeſt amplecti vitia, ſequi voluptates, vt tam citò me percunte, tranſeant? cur ego ægritudinem meam deteſtabor, qui mox a vermibus conſumendus ſum? melius eſt mihi vitia fugere, amplecti virtutes, quæ a temporis iniuria ſpiritum meum vindicare, meque in æternitatis gloria collocare poſſunt. Vnde loco citato, ſubdit Diuus Bernardus *Reduc etiam ad memoriam ea, quæ Iob de ſe locutus eſt dicens: Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea: memoriam tuæ mortis tibi obiice, Diem exitus tui tibi propone, dies mortis tuæ ſemper ſit in memoria tua, vt recordatione illius perfectè caueas peccata*. Quis peccare audeat, qui ſe vermibus parari cibum nouit? quis pro tam breui temporis ſpatio totius æternitatis gloriam deſpiciet? Cogita te moriturum, & non peccabis.

4 Nil eſt quod magis ſuperbiam frangat humanam, quam mors, mortiſque miſeria. Quis eſt potentiſſimus ille princeps, qui cùm multis dominetur prouinciis, aduerſoſque deiiciat hoſtes, Morti audea reſiſtere, & ſuum cadauer a vermium putredine liberare? Maximus erat Babiloniæ Monarcha, cui maxima orbis portio obedicbat; hic multa debellauerat regna, ſubegerat populos, deiecerat Principes: ac fama potentiæ eius, nec non formido virium illius per vniuerſum mundum fama ferebat: Dei vſurpabat cultum, ex eo quòd æqualem inter homines nō habebat. Cū autē eius potentiam deſideret. Proph. *Iſai c. 14. v. 11.* exprobrādo dicebat *Subter te ſternetur tinea, & operimentū tuum erunt vermes*. O Nabucdonoſor, o potētiſſimè Caldeorū Monarca, o Babiloniæ magnæ Princeps; cum te mors deprehender, quid te potentia, & magnificentia tua iuuabunt? non amplius veſtieris purpura, ſed vermes te cooperient; non eburneo ſedebis ſolio, ſed tinea te ſuſtinebit; non amplius formidabunt populi potentiam tuam, ſed omnes tranſeuntes puluerem tuum calcabunt. Huic nequaquam diſſimilis Adæ obiectio facta eſt, qui cum per ſuperbiam Diuinitatis ambiret ſimilitudinem, audiuit. *Gen. cap. 3. verſ. 19. Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Hæc dum ſapiens vir cogitat, ſuperbiæ vanitatem, & vitiorum deceptionem non amat: ſed ſuum conſiderans finem, mortem, ac mortem ſequentes miſerias penſans, nullas æſtimat mundanas delicias; quod vt faceret, quædam ſanctimonialis, monebat D. Bernardus *loc. cit. lit. C. Hac de cauſa te moneo ſoror, vt in rebus vanis huius mundi non læteris, quia ſine dubio morieris. Ne habeas ſpem in rebus temporalibus, quia per nullam ſortem poteris effuggere mortem. Caro miſera cur in terrenis lætatur, quæ ad manducandum vermibus præparatur? Honeſtiſſima ſoror ideo hoc dixi, vt numquam obliuiſcaris ordinem tuæ conditionis: memento quia cinis es, & in cinerem reuerteris: puluis es, & in puluerem ibis; ſic enim ait Dominus primo homini*. Hæc eadem prædicat nobis vir ſanctus, vt finem, mortemque noſtram meditantes, vitia deteſtemur.

§ IV.

Semper timere debemus ne deſeramur a Deo.

1 SOl *cognouit occaſum ſuum*: Cum Viator aliquis iter agreſſus ad aliquē properat locum, quem pro certo ſcit ſibi in nocte haud patere; tum quia ianuæ Ciuitatis illius clauduntur, nec aperiuntur in nocte, tum etiam quia via in tenebris non dignoſcitur, & faciliter a recto aberratur itinere, ſemper feſtinanter ambu-

ambulat, timetque ſemper ne ſibi occidat Sol, ex cuius occaſu nox, & tenebræ oriuntur. Omnes nos viatores ſumus, ad ſupernam Ciuitatem properamus, ad eam iter noſtrum dirigimus: ea propter idem obſeruandum, ac timendum nobis eſt; ideſt feſtinanter per opera bona, exercitationeſque virtutum incedere, ac in continuo timore verſari ne nobis occidat Sol Iuſtitiæ: vbi cœleſtis ille Sol non lucet, tenebræ ignorantiæ, ac peccati nox eſt: Ciuitas vero illa in peccati nocte non aperitur; & dominantibus ignorantiæ tenebris iter ad cœlum non reperitur. Hoc docet nos Sol, quia ſicut ille occidit, & nos moriemur; vnde timere oportet, ne Sol iuſtitiæ nos deſerat; vt monet D. Auguſtinus. *Sol cognouit occaſum ſuum: ſi Sol occidit, nos putamus ſempiternos eſſe? In hoc mirandum eſt: quomodo tantum lumen, & tanta claritas, quæ operit vniuerſum mundum, in momento occidit. Oremus autem, vt non nobis occidat Sol Iuſtitiæ.*

2 Autumni tempore cum maxime pluuioſum eſt cælum, & Tellus puluere maximè abundet lutum nimium oritur; & hoc eſt itinerantibus incommodum maximum: Solis vero radius inter multa beneficia hoc præſtat; vt exiccet lutum, ac commodum iter reddat: ſi verò Sol non oriatur, tunc in magna triſtitia iterfacientes ſunt, quia cum lutoſa ſit via, & ipſi lumen non habeant pedes in luto figentes, conſputcantur, ac detinentur. Iter habet ad Cælum homo, & hoc iter per viam corporis habetur, puluere conſperſa via hæc eſt, nam ex puluere compacti ſumus, & cum concupiſcentia peccati tanquam pluuia puluerem hunc madefacit, heu quam lutoſum cœnum in carne noſtra producitur. Hoc Sol exiccat iuſtitiæ radijs ſuæ gratiæ; & idcirco ſemper eius quærere lumen, ſemper eius occaſum timere debemus. Hac de cauſa timorem Domini virtutis parentem Iſaias vocat, dicens: *Iſai cap.26.verſ.18. A timore tuo Domine concepimus, & peperimus ſpiritum virtutis*: Quia qui timet Domini, ac eius gratiæ abſentiam, feſtinat iter, & virtutum acquiſitionem, vt ante ſolis occaſum ad requiem æternam perueniat: Audiamus de hac re D. Bernardum dicentem *ſerm. 2. poſt oct. epiph. pag.23. lit.G. Primus enim timor eſt ne cruciemur in Gehenna: ſecundus ne excluſi a viſione Dei priuemur tam ineſtimabili gloria. Tertius replet animā omni ſollicitudine timidā, ne forte deſeratur a gratia. Et quidem omnis timor Domini, ſicut aqua extinguit ignem, ſic extinguit peccati concupiſcentiam: ſed is maximè cum ad omnem tentationem ſtatim occurrit, ne forte contingat amittere gratiam, vt ſibi derelictus homo labatur quotidie de malo in peius.* A timore ergo concupiſcentiæ exiccatum lutum, faciliorem perfectionis viam reddit: non enim ſolis perdet lucem, qui eius continuò timet occaſum.

3 Sponſæ Sol ſponſus eſt: etenim ab eo lumen recipit, tum nobilitatis, tum diuitiarum, ac deliciarum. Cum autem ſponſa ſecum recogitat, omnia mala, quæ moriente eius ſponſo accidere poſſunt, ſemper eſt pauida, ſemper timet, ne occidat. Dei ſponſa anima eſt, cui ex ſponſi præſentia omne prouenit bonum; ac ex abſentia omne malum; quidni ergo ſemper eius occaſum timeat ſolis, qui eam lumine ditat, occaſu perdit? Id cognoſcens optimè Pſaltes, timorem Domini ſanctum vocabat *Pſal. 18. verſ.10. Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi*: Sanctus vtique hic timor eſt, quo timemus ſponſi noſtri abſentiam, Diuini Solis occaſum; & quia eum amittere peccando poteſt, peccatum vitat, ne perdat; & ſic Soli Charitatis aditus præparatur: qui enim frigus timet feneſtram adaperit, vt ſolis radij ingrediantur, Aquiloni vero claudit: ſic anima dū Deum timet peccato cor claudit, aperit charitati. Ita citatus Bernardus *de mod. ben. viu. ſerm.4.pag.295.lit.C. Huic initiali timori ſuccedit quartus timor, ſcilicet caſtus, per quem timemus ne ſponſus, ſcilicet Chriſtus tardet, ne diſcedat a nobis: ne eum offendamus, ne in eum peccemus, & ne eum perdamus. Timor iſte, ſcilicet caſtus, de amore deſcendit: Timor iſte de amore naſcitur. De hoc timore legitur in Pſalmo. Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum, ſeculi: In corde hominis prius venit timor, & quare venit? vt locum præparet charitati.* Timeamus ergo, quicumque charitatis radijs illuminari, ac ſuccendi deſideramus.

4 Princeps quicumque huius ſæculi reſpectu Dei, ſe habet fere, vt lux paruæ lucernæ ad Solem: nam tantummodo in huius vitæ nocte, inter tenebras peccatorum, lucent quidem, ſed ſplendore labili; in die vero ſplendere nequeunt; nam ad exortum Solis, Iuſtitiæ, & gratiæ, nulla caduca dignitas lucet. Sicut ergo illi amant lucernas, ac eas magnifaciunt, qui in tenebris operantur; Hi vero qui de die laborant, lucernas, nec æſtimant, nec aſpiciunt; nam Solis lux lucernas obſcurat. Ita peccatores, qui in nocte verſantur ſæculi, qui mundialia ſectantur gaudia, terrenos Principes amant, a quo diuitias, & dignitates expectant: ſed Dei ſerui, qui in conſpectu æterni Solis virtutem profitentur, lucernas Poteſtatum mundi nec curant, nec vident, illam tantum gratiæ intuentes lucem, cuius timent occaſum. En tibi Moyſen, qui cura educatus regia, & in ſpem Principatus euectus, omnia deſpexit, negauit ſe Regis nepotem, nec eius timuit iram, aut amauit fauorem: *Ad Heb.cap.11.verſ.24. Moyſes grādis factus negauit ſe eſſe filiū filiæ Paraonis*: neq; hoc cōtentus, ſpreuit Regis irā: *v.27. Fide reliquit Ægiptum non veritus animoſitatem Regis*, ſeu, vt legit Cardinalis Hugo, *iracundiam Regis*. Cur autem tantum Regem non timuit, nec Regni dilexit Lucem? quia *in conſpectu Solis diuini ſtabat*: *verſic. 29. Inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit*. Timebat Solis occaſum, paruifaciebat lucernam: ita D. Paterius *in ep. ad heb. to.6. op. D. Greg. mag. pag.310. lit. B. Peruerſum quippe terræ Principem, quaſi non vidit, quem ab oculis ſui cordis abiecit. Regem verò inuiſibilem tamquam videns ſuſtinuit, qui ab eius timoris intuitu mentis oculos non deflexit.* Neque paruulam deſpexiſſe lucem arbitrere, nam vaſtam Ægipti Monarchiam abiecit: nam cum ex Philoſophis Sacerdotes, & ex his Rex inauguraretur; ideo in Ægiptiorū doctrina eruditus eſt Moyſes, vt Regno idoneus eſſet: vnde optimè concludit Hugo Cardin. *in ep. ad Heb. pag. 268. col. 3. Negauit honorem Regni, quia negauit ſe eſſe filium Filiæ Pharaonis*. Ita, & nos timeamus Solis æterni a nobis, occaſum lucernas mundanas, quamuis regali honore fulgentes, deſpiciamus.

§. V.

Illis Diuinus Sol occidit, qui ab ipſo recedunt.

1 SOl cognouit occaſum ſuum: Neceſſitate naturæ, noſtrique Horizontis poſitu Sol nobis quotidie occidit; adeſt tamen ipſi proprietas, vt cum ſupra horizontem reperitur, omnibus lumen ſuum æqualiter diffundat, nec alicui deneget; illis tantummodo non reſplendet, qui ſe in Cauernis, vel montibus includunt; ita ipſi recedunt tunc a Sole, non Sol ab ipſis. Iuſtitiæ Sol Deus noſter numquam occidit alicui, quia vbique præſens eſt; ſed illis tantummodo non lucet, qui in cauernis peccatorum ſe condunt; illis occidit, qui non cognouit occaſum. Solem ſequi cum occidit, vanum eſt; Deum autem quærere cum ab eo receſſimus, ſalutare eſt; nam pænitentia lucem, quam abſtulit culpa reportabit. Hoc docet propheta dum dicit: *Sol cognouit occaſum ſuum*: Quia ſolum a noſtra voluntate dependet æterni Solis occaſus; vt D. Auguſtinus *tract. 34. in Ioan. tom.9. pag.110. col.2. lit. B.* obſeruauit. *Sequere illum Solem viſibilem, ſi ipſe tendis ad occidentem, quò & ille tendit; & ſi nolueris tu illum deſerere, ipſe te deſe-*

ret

Digitized by Google

ret in occaſu. Dominus Deus tuus vbique eſt totus; ſi non ab illo facis caſum, numquã a te ille faciet occaſum.

2 Qui ſe ſubtraxit a Sole, cum vel frigore agitatur, vel tenebris tegitur, non de Sole, ſed de ſeipſo quæri poteſt: vnde ſi vel tenebras fugare, vel calefieri deſiderat, ſufficit vt ad Solem redeat; qui ſemper radios emittit ad calefaciendum paratus, ſi ſubiecta inuenerit corpora, Peccator ſeipſum a Dei Lumine ſubtrahit, a gratia ſeparat, cùm vitium admittit, quòd ſi Diuini Solis radijs illuminari exoptat, ſufficit, vt per pœnitentiam ad Dominum reuertatur; etenim ille ſemper, & vbique ad miſerendum promptus reperitur: ea propter Propheta peccatoribus ſuadebat. *Venite reuertamur ad Dominum, quia ipſe cæpit, & ſaluabit nos; &c. Quaſi diluculum preparatus eſt egreſſus eius Oſee c.6.v.2.& 3.* Sol eſt Deus noſter, iuſtus, & miſericos eſt; quòd eius lumine gratiæ deſtituamur, non eius abſentia, ſed noſtra diſceſſio fecit: ſufficit igitur ad eum reuerti, vt ſaluemur: egregiè D. Auguſtinus *in Pſal 6.pag.14.col.2. lit. A. Nam perfecta noſtra conuerſio paratum inuenit Deum, ſicut Propheta dicit: tanquam diluculum paratum inueniemus eum: quoniam vt eum amitteremus, non eius abſentia, qui vbique eſt, ſed noſtra fecit auerſio.* Non mirum ſi multorum charitas refrigeſcit, quia diſceſſerunt a Sole; reuertantur ad ipſum qui incaleſcere ſatagunt.

3 In ipſo creationis exordio, ſtatim ac creauit Omnipotens Lucem, inter ipſam, & tenebras diuiſionem fecit, vt numquam aſſociari cum tenebris poſſit lumen: cum enim tenebræ luminis ſint priuatio, non poſſunt forma, & eius carentia ſimul ineſſe alicubi; ita occidente Sole in noſtro Horizonte oriuntur tenebræ; & ad illius exortum pereunt. In Sole cœleſti; qui ex ſe numquam occidit, nequaquam fieret occaſus, ſi non eſſet peccatum; quia ergo peccatum priuationem infert gratiæ, ſimul lux cum tenebris eſſe non poteſt; ſic diſcedentibus a Deo per culpam, tenebræ occurrunt. Atq; hæc eſt cauſa, cur peccatores tam facile in abyſſum miſeriarum labantur, nam ambulantes in tenebris, in mortis laqueum incidunt: De quodam peccante dicebat Dauid *Pſalm. 9. verſ. 26. Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Inquinatur enim qui præ tenebris viam diſcernere neſcit: quod perpendens Diuus Petrus Chriſologus, *ſerm.44 pagin. 287.* inquit. *Impius in Deum tendit, a Deo vadit cum delinquit: peccatores Deus contemnit, qui ante mandauerat non debere peccare: lucem tenebræ fugiunt; tenebræ luce redeunt abſcedente: vbi Deus peccatum nullum: vbi peccatum non ibi Deus.* Ergo peccans homo a Sole recedit; nam qui tenebras inducit abijcit lucem.

4 Cum malum aliquod machinantur iniqui, Solis lucem odio habent, tenebras amant; ſed dum a luce recedunt ſæpe ſæpius malum, quod moliuntur in ipſorum caput reuertitur, & dum alijs inſidiantur ſeipſos perdunt; nam hoc tenebrarum proprium eſt, pericula omnia tegere, ne vitentur. Hoc & peccatores faciunt, nam peccando elongantur a Deo; & ſine luce errantes, miſerabiliter pereunt, vt teſtatur Pſalmus 72. verſ. 27. *Quoniam ecce, qui elongant ſe a te peribunt.* Quæ enim pericula non incurrunt qui tenebris circumſepti perambulant? odio habent lucem ne ſua obſeruentur facinora, ſed ab illa elongati, nec ipſi ſua pericula vident: Vnde concludit Diuus Auguſt. *in Pſal.99.pag. 455. col. 2. lit. C. Illi longe, & ideo in tenebris; & ita ſauciatis oculis in tenebris, vt lumen non ſolum non deſiderent, ſed perhorreſcant.* Perire cupit qui ſe elongat a luce

5 Quicumque radiantibus gemmis ornatus lumen ex ſe diffundere conatur, tenebroſa quærit loca, aſpectum Solis effugit; nam præſente Sole gemmæ non lucent, quæ ipſo abſente ſplendorem acquirunt. *Ian.de Mate.* Gemmis hypocritas comparare poſſumus, qui lumen ſanctitatis in hominum præſentia, ad vanas captandas laudes, apparere cupiunt; quia vero in Dei præſentia ſi ſtarent, cognoſcerent vtique, quaſi pannum menſtruatæ ſuos eſſe iuſtitias, Dei conſpectum fugiunt, & ab eius conſiderationis lumine auertunt oculos; ne falſum gemmarum lumen vanum ſplendorem amittat: teſtatur hoc patientiſſimus, dicens: *Iob cap.13. verſ.15. Non enim veniet in conſpectu eius omnis hypocrita*: quomodo enim in conſpectu eius ſe ſiſtet, qui tenebras diligit? non amplius lucebit, ſi ad Solem accedet; dicit Magnus Gregorius *lib. 11. cap. 18. mor. pag.576.lit. B.* non amplius Hypocrita eſſet. ſi Dei præſentiam haberet. *Bene itaque dicitur: non veniet in conſpectu eius omnis Hypocrita: quia diſtrictionem Dei ante oculos non ponit; qui ſi mentem ſuam diſcutiens ſemetipſum in conſpectu Dei poneret, profecto iam hypocrita non eſſet.* Cognoſcere ſuas maculas, & conſequenter corrigere, non curat, qui conſpectum ſolis non amat.

6 Falſa extitit quorumdam opinio, (quam & nos ſupra impugnauimus, cum verſum quintum literaliter exponeremus; eaque cùm hæreſim ſapiat, & rationi aduerſetur, merito ab Eccleſia dãnata eſt) aſſerens Solem in centro vniuerſi immobiliter hærere; Terram, vero, & ſydera circa Solem reuolui; ita vt videatur nobis occidere Sol, ſed ipſe non mouetur, nam nos mouemur recedentes ab ipſo. Verum licet hoc de creato Sole ſit falſum, eſt tamen de increato Sole veriſſimum: Non enim ambulat, aut recedit Deus, ſed cum nos ab eo recedimus ille ambulare, & diſcedere dicitur. Hoc manifeſtè in mundi initio proſpicitur; ſtatim enim ac per peccatum a Dei lumine ſe ſubtraxit Adam, Deus ambulans deſcribitur: *Gen. cap.3 verſ 8. Cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo.* Primis noſtris Parentibus, quia ipſi recedebant a Deo, viſus eſt ambulare Deus; quia tunc a nobis moueri, & diſcedere dicitur ille, cum nos per peccatum ab eius gratia remouemur. Speculatio D. Hieronymi, tanto haud indigna Doctore. *Si verò,* inquit ille *in Pſal.81. pagin. 101. lit. G. prius ſancti fuerimus, & poſtea peccatores, iam non nobis ſtat Deus, ſed ambulat, hoc eſt, mouetur de loco ſuo, qui nobis antea ſteterat. Poſtquam nos moti fuerimus, & ipſe nobis pariter mouetur. Denique & Adam quamdiu in Paradiſo fuit, & mandatum ſeruauit, ſtabat ei Deus, poſtquam verò tranſgreſſus eſt, audiuit vocem Dei ambulantis in Paradiſo.* Terra inſtabilis cor hominis eſt, cum mouetur peccando Sol ei occidit diuimus.

7 Æterni Verbi glorioſam, ac liberalem munificentiam, ac beneficientiam explicaturus Ioannes, inter omnes res creatas nil aut beneficientius, aut illuſtrius Sole nactus, ipſi ſimile deſcripſit dicens: *Ioan. cap.1. verſ.9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed ſi omnem hæc lux illuminat hominem; cur tot cæci, obſcuri, & tenebroſi reperiuntur, peccatores, infideles, hæretici, qui in tenebris diuino gratiæ lumine deſtituti morantur? Quia ſcilicet Sol eſt, ac Solis ad inſtar clauſas non ingreditur domos: ſi tu domus tuæ feneſtras occludis, quæ culpa eſt in Sole, ſi eam non illuminat? Nulla prorſus: diffundit liberaliter ille radios, ſed ſi tu reiicis, non te illuſtrabit. Ita peccatores Diuino Soli Ianuam cordis claudentes, eius gratiæ lumen recipere non poſſunt; reſerandum eſt tanto Deo cordis oſtium non occludendum: vt prædicat melliſluus Ambroſius *in Pſalm. 118. octon.12. verſ.1. pag.318. lit.E. tom.2. Dilata cor tuum, occurre Soli lucis æternæ qui illuminat omnẽ hominem. Et illud quidem verum lumen omnibus lucet, ſed ſi quis feneſtras ſuas clauſerit, æterno lumine ſe ipſe fraudabit. Excluditur ergo & Chriſtus ſi tu mentis tuæ ianuam claudes: & ſi poſſit intrare, non vult tamen importunus irruere.* Aperiamus igitur Cordis oſtium, ne nobis occidat gratiæ Sol omnibus lucere paratus.

Digitized by Google

8 Hinc patet ſolutio obiectionis illius, quę fieri de Dei abſentia ſolet. Quomodo enim ab eſſe a peccatorib. poteſt, qui neceſſario vbique eſt: vt enim Diuus Paulus prædicabat; *Actor. cap. 17. verſ. 28. In ipſo viuimus mouemur, & ſumus*; ſi ergo non poſſumus exiſtere niſi in Deo, nec viuere ſine ipſo, quomodo dicitur Peccator ſine Deo eſſe? Quapropter licet peccando gratiam Dei perdat homo, præſentiam tamen non amittit. Verum Deo eſſe aut præſentem, aut propinquum non eſt loco ei approximare, ſed virtutibus aſſimilari; ille enim prope Deum eſt, qui amat, qui imitatur; ille longe recedit, qui peccando diſſimilis ei apparet; vnde Diuus Auguſtinus *in Pſal. 34. pagina 105. lit. B. col. 2.* ait. *In illo, inquit, mouemur, & ſumus, quaſi fratre, quaſi propinquo, quaſi amico. Neque enim fratres Deo, qui vbique eſt, aut per loca propinquamur, aut per loca remouemur. Propinquare illi eſt ſimilem illi fieri; recedere ab illo diſſimilem illi fieri. Nonne cum vides duas res prope ſimiles, dicis, propinquat hæc illi.* Satis remouetur a Deo, qui vitia ſectando, ab eius ſanctitate recedit.

9 Lubet tandem & aliam comparationem Soli haud diſſimilem proponere. De Aue Charadrio referunt, quòd cum ad conſpectum ægrotantis hominis ducitur, ſi ſanandus eſt, eum blandè intuetur; ſi verò morti proximus eſt, remouet ab eo faciem, nec intueri dignatur. Hanc Auem Chriſtum Dominum ſignificare ex Propheta Iſaia diſcere poſſumus dicente *cap. 46. verſ. 11. Vocans ab oriente Auem virum voluntatis meæ.* Chriſtus ergo Sol iuſtitiæ, & regia Auis, cum obſtinatos peccatores videbat, quos ad vitam haud ſurrecturos ſciebat, faciem ſuam ita ab eis auertebat, vt præſentem non viderent, & conſeruantem non ſentirent; quare incredulis Iudæis dicebat: *Ioan. capit. 8. verſ. 21. Quo ego vado vos non poteſtis venire*: Diſcipulis vero ſuis ſe ſemper proteſtatur præſentem; *Matth. cap. 28. verſ. 20. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*: ſciebat namque illos æterna morituros morte, hos vero reſurrecturos ad vitam: Hoc docet Ioannes de Carthagena *lib. 10. Hom. 9. de paſſion. Dom. tom. 1. col. 973. De Aue quadam nomine Caladrion, velut alij dicunt, Caradrio, addunt non contemnendæ authoritatis Doctores, quòd ſi conſpectui illius obiiciunt hominem, de cuius vita deſperandum ſit, quaſi hunc infelicem ſucceſſum præſagiens, oculos ab eo auertit. Chriſtum Dominum paterno ore auem vocatum Iſaias teſtatur in perſona Patris dicens; Vocans ab oriente auem, virum voluntatis meæ. Hæc igitur cæleſtis auis non ſecus ac illa, infirmis Phariſæis, obſtinationis morbo laborantibus, eius conſpectui ſe obiicientibus, terga vertebat dicens: Quo ego vado vos non poteſtis venire.* Etenim, vt Sol iuſtitiæ illis occaſum faciebat, quorum corda a ſua fide remota cognoſcebat.

§. VI.

Sol perfectam obedientiam nos docet.

1 SOl *cognouit occaſum ſuum*: Omnia quæcumq; Dominus Deus operatus eſt ad hominis ſeruitutem fecit, qui tandem ad Dei famulatum, ac fruitionem directus eſt. Ergo illi Sol ſplendet, currit Luna, rutilant Aſtra, tempora prætereunt. Neque tantummodo corporalia præſtant bona, ſed maximè ſpiritualia: Sol igitur, & ſydera reliqua, dum motum a Deo impoſitum, & curſum a Deo imperatum, minimè tranſgrediuntur, nobis perfectæ obedientiæ rationem oſtendunt; ideo dicitur de Sole *cognouit occaſum ſuum*: quia ita tempore ſtatuto, & locis determinatis occidit, oriturque, ac ſi reuera ratione vteretur, & liberè operaretur; vt ſcilicet diſceret homo Deo perfectè obedire; atque verecundetur, ab inſenſibili creatura in Dei obedientia ſuperari; & cuſtodire diuina præcepta, ſicuti Sol menſuram ſeruat occaſus ſui: quod ex D. Chriſoſtomo colligere poſſumus, dicente. *Sol cognouit occaſum ſuum: non quod animatus ſit, aut ratione vtatur; ſed quia iuxta diuinam regulam incedit; atque hoc modo diem efficit dum apparet, atq; item noctem dum ſecedit: vnumque curſum conficit, menſuramque ſibi attributam cuſtodit.*

2 Obedientia Deo exhibenda eius debet eſſe conditionis, vt ab obſeruatione mandatorum cœleſtium, nulla humana potentia deturbare ſit valida: En Sol ita Dominicis parens præceptis deprehenditur, vt nulla hominum ſolertia eius motum omnino comprehendere valeat; nec ei certas motus regulas aſſignare. Patet id experientia. Nam primus mauritanus Atlas, deinde græcus Hercules, Ægiptius Ptolomeus, Hiſpaniarum Rex Alphonſus, germanus Copernicus, Danus Tycho, batauus Lanſpergius, multa elaborati ſunt, vt Luminarium motus certis limitibus definirent, in quo parum profeciſſe poſtera probat experientia. Neque obiicias mihi Solem, Lunamque ad Ioſue imperium ſtetiſſe: *cap. 10. verſ. 13. Steteruntque Sol, & Luna*: nam ſtatim dicitur, Ioſue precibus Deum, non luminaria paruiſſe, ad cuius poſtea imperium ſteterunt illa: *v. 14. Stetit itaque Sol in medio Cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius Diei. Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, obediente Deo voci hominis.* Hanc Solis obedientiam adamuſſim imitati ſunt Apoſtoli, dum ab impijs Iudæorum ſenioribus iuſſi non prædicare in nomine Domini Ieſu, reſponderunt. *Actor. c. 5. v. 29. Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*; Quod commendans D. Bernardus *De uir. obed. pag. 400. lit. D.* ait. *Obedire oportet magis Deo quam hominibus: Hæc eſt ſpiritualis obedientia ad Deum, quæ numquam eſt hominum arbitrio temperanda, ſed incommutabili conſeruanda propoſito. Certam igitur regulam tene, vt nec imperio Prælatorum bona relinquas, & facias mala.* Sed potius imitare Solem, qui vni Deo obedientiam præſtat, eiuſque mandata cuſtodit.

3 Obſerua & aliam in Sole obedientiæ conditionem; cùm Dominus Soli præcepit tempore Ioſue per viginti quatuor horas noſtrum illuſtrare hemiſphærium, nec non tempore Ezechiæ Regis per decem horas retrocedere, vt per viginti horas dies excreſceret: Sol Deo non repugnauit, ſed promptus ad obedientiam, cum iuſſus eſt, ſtetit, ac retroceſſit. Quid tu apud temetipſum ſciolus, & ſapiens Deo reſpondiſſes? Sanè obieciſſes peruerti Aſtrorum motus, temporum curſus, dierum menſuras generabiliũ actiuitates, & illi forſitan obſtitiſſes; vel ſaltem cauſam poſtulaſſes. Nihil horum Sol, ſed obediuit: qui in quorumdam ſententia animatus, & rationalis eſt, nec oppoſitum eſt de fide. Solem imitatus eſt Abrahã tum in receſſu a patria, tũ in filij immolatione; de quo intelligitur illud Domini apud Pſalm: *In auditu auris obediuit mihi*: ſic exponente eodem D. Bern. *loc. cit. lit. F. Multos videmus poſt præcipientis imperium, multas facere quæſtiones: cur, quare, quamobrem, ſæpius interrogare: crebras ingeminare querelas: quærere quare hoc præcipitur, vnde hoc venit, qui hoc ad inuenit conſilium? Inde murmurationes, inde verba murmurationem, & indignationem ſonantia, & redolentia amaritudinem. Inde frequens excuſatio, ſimulatio impoſſibilitatis, aduocatio amicorum. Non ſic Abraham. Audi quid Dominus de ſimplice illo populo proteſtetur: In auditu, inquit auris obediuit mihi: vt oſtenderet vno eodemque momento proceſſiſſe & imperantis imperium, & obſequium obſequentis.* Illicitum eſt mandata Dei, ac Superiorum curioſa inueſtigatione penſare; ſed ſine mora obedire debemus.

4 Et vt ad praxim hoc reducamus, in ſubiecta probantes materia; ad dominicũ orandi præceptum accedamus. Præcipit nobis Dominus ſic ad Deum orare: *Matt. c. 6. v. 11. Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra.* Et quare obedientia intellectualis naturæ, humanæ ſcilicet, Cæleſti obedientiæ Solis, & aliorum ſyderum cõfirmãda eſt? Quia illa cæleſtia lumina a Diuinis mãda-

tis

Digitized by Google

ijs numquam declinant, nec præſcriptas operationum ſuarum leges transgrediuntur; quare eorum incorrupta obedientia in æternum perſeuerat; vt teſtatus Pſaltes: *In æternum Domine verbum tuum permanet in Cælo, &c. Pſal. 118. verſ. 89 ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi verſ. 91.* Illi obedientiæ ergo ſimilis noſtra eſſe debet, quod vt diſceremus, ſic exponit D. Ambroſius *in Pſal. 118. octon. 12. verſ. 1. tomo ſecundo, pag. 318. lit. B. Sol diem illuminat, ſtatuta tempora cuſtodiens; fulget ſplendoribus Luna nocturnis, & lux eius in tenebris micat; ſtellarum nitentium rutilus globus, ſolemnique ſtatione, & conuentione, ac demutatione fungitur. Lex vna diuerſis, conſtituit vnum ſemel vices curſuum cuſtodire, nec fines tranſire præſcriptos. Vna omnium obedientia, diſcretis muneribus, indiſcretam prædictæ conſtitutionis tenet concordiam. In Cælo ergo permanet verbum, quia inde eiectus eſt Diabolus &c* Sed hanc etiam in terris eſſe obedientiam, in ijs hominibus, qui Cœli ſunt, ideſt, qui ſemper animo, & conuerſatione in Cælis ſunt; idem proſequitur *loco cit. Sunt etiam in terris Cæli, qui enarrant gloriā Dei: iſti igitur ſunt Cæli, qui etiam in terris poſiti audent dicere: noſtra conuerſatio in Cælis eſt.* Pudeat ergo homines ſtellarū præeuntem obedientiam non imitari.

RADIVS TERTIVS; EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus decimus nonus.

Luna eſt propter diuinam maternitatem, propter quam Sol diuinus cognouit occaſum ſuum.

ITa ſplendet in firmamento Luna, vt alijs aſtris poſtpoſitis, ipſa ſola poſt Solem Luminaris cognomen ſortita ſit; licèt enim inferior corpore, tamen in terrarum orbe illuſtrando, & in terrenis generationibus addiuuandis, cunctis excellentius emicat. Beatiſſima Dei Genitrix Angelis, natura inferior eſt, ſed ob diuinam maternitatem ita gratiarum ſplendoribus illis eminet, vt Eccleſiæ cum militantis, tum triumphantis Luna cenſeatur. Luna Virgo eſt, quæ Cœlos illuſtrat, Angelos decorat, homines viuificat, purgatorij animas ſubleuat, Eccleſiam protegit, hæreſes interimit, peccatum trucidat; diabolum fugat, mortem præmit. In huius ſæculi nocte nequaquam a peccatorum tenebris excæcantur, qui diuinæ huius Lunæ radios excipiunt, qui eius fulgoribus, deuota ſeruitute ſe exponunt. Meritò ergo dictum de ea eſt: *Fecit Lunam in tempora:* nam ipſa Luna eſt Eccleſiaſtici firmamenti: Quare teſtatur Incognitus *in Pſal. 103. Per Lunam intellige glorioſam Virginem Mariam; & hoc multiplici ratione.* Inſpiciamus igitur tanti luminis claritatem.

Maria Virgo Luna eſt rutilans propter Dei conceptionem.

1 F*Ecit Lunam in tempora:* Nemo eſt qui neſciat Lunam alieno lumine fulgere; non enim lux eſt, vt Sol, ſed ſolare lumen reflectens, illo & ſe ipſam exornat, & mundum illuſtrat. Mirantur mortales eius pulchritudinem intuentes, ſed ſtatim illius authorem confitentur Solem, de cuius munere illius claritas deriuatur. Quod oſtendere videtur Apoſtolus dicens: 1. *Cor. cap. 15. verſ. 41. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum:* Stellæ namque, illæ præcipuè quæ in firmamento dicuntur eſſe, proprio, ſed exiguo fulgent lumine, Luna vero ipſo toto Solis ſplendore irradiata refulget. Sol igitur Chriſtus eſt totius luminis gratiæ fons & origo; ſancti exiguæ ſunt ſtellæ: Maria vero, quæ Deum concipere meruit, ipſam totam Chriſti gratiam in ſe recepit: quo decorata ſplendore, qua ditata gratia, ita Eccleſiaſtico ſplendet mundo, vt ipſum illuminet ſanctitate, ditet virtutibus, fœcundet meritis, decoret gloria: nullum eſt ſanctitatis germen, quod ſine huius Lunæ irroratione creſcat; nullus redolet caſtitatis flos, qui ab huius Lunæ pulchritudine incrementa non ſumat. Quapropter D. Bernardinus Senenſi ait. *in cap. 4. Apoc. to. 4. pag. 52. col 2. Accipiendo generaliùs in Scriptura, Luna, quæ eſt Solaris luminis ſuſceptiua; per conceptionem verbi poteſt dici Virgo glorioſa.* Sic ergo in Eccleſiæ firmamento myſtica hæc Luna reſplendet, vt omnes animæ ſanctæ eius lumine repleantur.

Ian de Mata.

2 Differentiam inter Mariæ Virginis gratiam, & aliorum Sanctorum, qui ante Domini aduentum extitere, ponit Apoſtolus dicens: *Ioann. cap. 1. verſ. 17. Lex per moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Mundus etenim ſine luminarium luce, & ſi ſydera reſplendeant, tenebris tamen circumdatur: tam enim exigua eſt lux ſtellarum, vt mundo vix, ſenſibilis videatur: Cum verò Sol de die ſplendet, maximè terrarum orbis illuminatur; & cum de nocte apparet Luna tenebræ nocturnæ diſſipantur. Quidni ergo ante Redemptoris aduentum, in tenebris verſaretur mundus, dum nondum cæleſtia effulſerant luminaria? Dedit ſiquidem legem moyſes, tanquam exiguum veritatis lumen, ſed quod adhuc tenebris tegeretur; quare ſancti illi in Eccleſia paruin, & rari effulſere, qui in veteri teſtamento apparuere, nondum enim lux gratiæ

aduenerat, quam Chriſtus detulit, ipſo verò aduen iente gratia plenus orbis eſt, ſed ipſo maximè effulſit Mater, debebatur magna Lunæ portio, vt non ſolum illuſtraretur, ſed etiam illuſtraret, vt alterum Eccleſiæ luminare: quo argumento angelicus vtitur Doctor 3. *p. q. 27. art. 5. in Corp* in oſtendenda magnitudine gratiæ Deiparæ. *Dicitur: Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt: Beata autẽ Virgo Maria propinquiſſima Chriſto fuit ſecundum humanitatem, qui ex ea accepit humanam naturam; & ideo præceteris maiorem debuit a Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere*. Gaudeamus ergo nos fratres, qui poſt tantorum luminarium apparitionem vitam ſortiri, eorum lumine ditari, & gratia repleri poſſumus; ac in virtutis germine fæcundati fructum ſanctitatis poſſumus producere pleniorem.

3 Luna æmula Solis eſt; nam cum pleno lumine fulget, eius radios ita fundit vt terram vniuerſam illuſtret: neque vmquam Solis ſplendor, Sole iam tumulato, magis in Luna admirabilis cernitur, niſi cum plenam ſeſe offert; tunc digniſſima ſyderum Regina proclamatur, laudaturque Sol, quod etiam poſt occaſum, per hoc illuſtre ſpeculum nobis ſuam communicet lucem. Cum vero parum nobis luminis impartitur deſpicabilis apparet. In Eccleſiæ Cœlo Luna eſt Deipara; ſed Luna, non ſolum ſemper omni Chriſti gratia plena, verum etiam ſemper nobis plena, ad animas noſtras decorandas apparet: de qua illud Eccleſiaſtici verificatur. *Quaſi Luna plena in diebus ſuis*: nam ſemper Deipara gratia extitit plena, ſemper nobis refulſit; nec lumen a Chriſto acceptum perdidit, nec Eccleſiam illuminandi finem fecit; vnde Seraphicus Doctor *in ſpec. Virg. lec. 7. tom. 6. pag. 462. col. 1. lit. E.* teſtatur. *Luna plenæ Maria bene comparata eſt, quæ lumine ſapientiæ, & veritatis a Sole æterno plenè illuminata eſt*. Vt nec, Eccleſia Chriſtiana ſuis luminaribus careret.

4 Si alicui ex ſyderibus Sol tenetur; maximam habet Lunæ obligationem: etenim Sol non poteſt ſimul, & eodem tempore vtrumque Hemiſpherium illuminare ſua præſentia; ſed per lumen Lunæ a ſe immiſſum, & ab illa reflexum, vnum Hemiſpherium per ſe, alterum per Lunæ reflexionem illuminat. Nulli Sanctorũ Chriſtus debet niſi Mariæ, a qua humanitatem accepit, & per quam in nocte peccati per Mariæ patrocinium fulgeret. Luna Diana dicta eſt, quaſi duana, vt ait Diuus Iſidorus, quia & nocte, & die lucet. Hac Diana melius Eccleſia gloriari poteſt, quam antiqua illa epheſiorum Ciuitas de ſua Diana gloriabatur: vt in Apoſtolorum geſtis deſcribitur: *Actor. capite 19. verſiculo 35. Qui eſt hominum qui neſciat epheſiorum Ciuitatem cultricem tricem eſſe magnæ Dianæ, Iouiſque prolis?* At hoc excellẽtius catholica cãtat Eccleſia de vera Diana, ſummi Dei nedum filia, ſed matre; quæ in nocte culpæ cum peccatorum tenebræ cor tegunt, ſua protectione refulget. Quod ſpeculans doctiſſimus Incognitus *in Pſalt. in verſ. 5773.* ait. *Luna enim hoc habet ſingulare, quod apparet tam de die, quam de nocte. Vnde ſecundum Iſidorum Luna dicitur Diana, quaſi duana, eo quod die, ac nocte apparet. Sic Beata Virgo tam iuſtis, quam peccatoribus præſto eſt, vt deipſa dicatur illud Act. 19. Magna Diana epheſiorum. Et illud: Quis eſt homo qui neſciat epheſiorum ciuitatum cultricem eſſe magnæ Dianæ, Iouiſque Prolis? Ciuitas epheſiorum eſt Eccleſia Chriſtianorum*. Ei ergo tenetur peccator, ei iuſtus debet, hic gloriam, ille gratiam, hic perſeuerantiam, ille veniam, nemo enim eſt qui eius luce non perfundatur.

5 Soli aſſimilare ſtellas non poſſumus, ad cuius aſpectum euaneſcunt, Lunæ verò aliqualiter comparantur, verũ illa veluti Regina inter reliquos fulget ignes: Zodiacum percurrunt omnes, ſed vbi ſimul cum Luna concurrunt obſcurantur, & quaſi victæ palleſcunt. Suum myſticum Zodiacum etiam Eccleſia nouit; præfert Arietem innocentia, Taurum fortitudo, Geminos charitas, Cancrum pœnitentia; Leonem magnanimitas, Virginem caſtitas, *Libram* Iuſtitia, *Scorpium* prudentia, Sagittarium prædicatio, Capricornum Prælatio, Aquarium Temperantia, Piſcem Abſtinentia. Currunt per hoc Zodiacum Planetæ, nam Saturnus eſt Patriarcharum grauitas, Iuppiter Apoſtolorum Dignitas, Mars Martyrum triumphus, Venus Confeſſorum Feruor, Mercurius Doctorum Sapientia. Verum veluti ſtellæ Lunæ comparari non poſſunt, ita nec Sanctorum quælibet celſitudo ad Mariæ excellentiam aliquid comparationis admittit. Quæ doctrina eius ſapientiæ eſt æqualis, quæ increatam ſapientiam alit? quis feruor charitati Deiparæ? quod martyrium Reginæ martyrum? quæ Dignitas Maternitati diuinæ? quæ grauitas omnium factorem ſuſtinenti? omnes igitur Sanctorum excellentias vna Virgo in infinitum fere ſuperat; ſicuti Deum peperiſſe omnes humanas vires excedit. Idcirco Spiritus ſanctus, vt eius clariſſimam ſanctitatem, omnibus ſupereminentem declararet, Lunæ pulchritudini cõparauit, dicens: *Pulchra vt Luna*; ſicut enim nullum aſtrum Luna eſt pulchrius, ita nullus Sanctus Maria ſublimior; ita D. Petrus Damianus *ſer. de Aſſumpt. tom. 2. pag. 112. lit. C. Quid Luna pulchrius quum ſtellis corruſcantibus in ſignifero limite reliquorum ſyderum ſplendorem excedit? ſic & Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros ſupereminens, & euecta, merita ſingulorum, & omnium titulos antecellit*. Hoc ergo Diuina maternitas Mariæ contulit, vt in Eccleſiaſtico Cœlo, ſuper omnes refulgens, luminare eſſet, & in empyrico Regno, tanquam Angelorum Regina veneraretur.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALEGORICA.

LVx Mundi decor, imò & anima nuncupari poteſt, ſine qua nulla in eo operatio exequi poſſet; & ideo Factor Omnipotens duo hæc Luminaria magna creauit Solem ſcilicet, & Lunam, quæ diu, noctuque lucentes lętificant homines: quibus obiecta clarificant, & tempora diſtinguunt. Verum multo magis allegorica ſignificatione animam illuſtrant, vt mala, bonaque diſtinguens in virtutum exercitatione roboretur.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *De Luna allegorijs.*
2 *De ſignificatone temporum.*
3 *De Solis Hieroglificis.*

§. I.

De Luna Allegorijs.

1 F*Ecit Lunam in tempora:* Luminare minus eſt Luna ſtatutis temporibus, ſed in nocte ſpecialius reſplendens. Et primò Luna dicitur B. Maria, de qua ſponſus, Cantic. *c* 6.*v*.9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna?* & Rupertus *in c.* 6.*Cant.tom.*1.*pag.*1107.*col.*1. *Pulchra inquam, non quomodocumque, ſed vt Luna: Sicut enim Luna lucet, & illuminat luce non ſua, ſed ex Sole concepta: ſic tu ò beatiſſima, hoc ipſum, quod tam lucida es, non ex te habes, ſed ex gratia diuina gratia plena.*

2 Luna dicitur Eccleſia, de qua Propheta Habac. *c.*3. *v.*17. *Tranſl.*70. *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo*, vbi D. Gregoius, *lib* 17.*c.*10.*mor.pag.*693.*lit.B.* *Quia enim ſancta Eccleſia Lunæ appellatione exprimitur, propheta teſtatur, dicens: Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo. Eleuato enim Sole, & Luna ſtatuitur in ordine ſuo; quia aſcendente ad Cœlos Domino, ſancta protinus Eccleſia in prædicationis auctoritate roboratur.*

3 Luna eſt Anima ſancta, quæ per bonum exemplum lucet, de qua illud Canticorum, *c.*6.*v.*9. *Pulchra vt Luna:* Magnus Gregorius, *in c.*6. *Cant.tom.*2. *pag.*1222 *lit. B.* interpretatur, *Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonſtrat. Sic nimirum quæq; Anima, quæ tenebras dimittit, ac in ſanctam operationem ſe extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quaſi lucem tenebreſcentibus oculis ſpargit.*

4 Luna eſt bona fama, quæ bonum opus conſequitur, de qua dicitur Iob, *c.*31. *v.*26. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè*, vbi citatus Gregorius, *lib.*22.*c.*5.*mor.pag.*805.*lit* *B* *Poſt præmiſſum Solem, aptè quoq; incedentem clarè Lunam ſubdidit: quia videlicet poſt opus bonum fama laudabilis ſequitur, per quam celebre nomen in hac præſentis vitæ nocte poſſidetur.*

5 Luna eſt Eccleſia, quæ ſub Mariæ pedibus cernitur, quia ipſa eſt Eccleſiæ aduocata apud Solem, ſcilicet Deū, de qua dicitur Apocalipſ. *c.*12.*v.*1. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius*, & D. Bernardus, *ſerm. in ſign. mag pag.*62. *lit. M.* *Iam ſi Eccleſia Lunæ magis intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex ſe ſplendeat, ſed ab eo, qui dicit; ſine me nihil poteſtis facere: Habes mediatricem, quam tibi paulo ante commendauimus, euidenter expreſſam; Mulier inquit amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius.*

6 Luna eſt ſuperba temeritas, quæ ſub pedibus teneri debet; vt in eumdem verſum D. Bernardinus Senenſis, *in c.*12. *Apoc.tom.*4.*pag.*103.*col.*1.*lit.B* inquit. *Luna ſub pedibus eius: Luna ſignificat temeritatem, quia inſtabilis* Et hinc Lunam tenere ſub pedibus, eſt temeritatem vitiorum ſuppeditare; vt Idē proſequitur. *Luna ergo dicitur eſſe ſub pedibus, quando vanitas ſuperbiæ, vilitas luxuriæ, cupiditas Auaritiæ ſenſibus ſuppeditatur.*

7 Luna dicitur ſtultitia, de qua Sapiens, Eccli *c.*27. *v.* 12. *Stultus, vt Luna mutatur*, & D Bernardus, *loc.cit.lit. L.* *Solet autem Luna non modo defectum corruptionis, ſed & ſtultitiam mentis deſignare, &c. Siquidem ſtultus, vt Luna mutatur.*

8 Luna Iuſtitiam ſignificat, quia lucet de nocte; vnde dicitur, Geneſ. *c.*1.*v.*16. *Luminare minus, vt præeſſet nocti?* vbi Lyranus, *Fecit duo Luminaria, per quæ virtutes morales poſſunt deſignari, &c. per Lunam, Iuſtitia.*

9 Luna plena, ſignat plenitudinem temporis, in qua facta fuit noſtra Redemptio: in cuius ſignum Paſcha celebrabatur: *quartadecima Luna primi menſis*, quādo Luna plena eſt, vt Rupertus ait, *lib.*11. *in Ioann. tom.*2.*pag.* 283.*col.*1. & 2. *Erat autem Luna primi menſis decimaquarta, quando Luna iam pleniſſima eſt, &c. Plena quippè Luna, plenitudinem temporis ſignificat, quoniam multiplicata per præteritas generationes Eccleſia, redemptionem de Cœlo mittendam, apud inferos expectabat.*

10 Luna mortaliratem ſignificat, vt dicitur in Pſalm. 71.*v.*5. *Permanebit cum Sole, & ante Lunam*, vbi D. Auguſtinus, *in Pſ.*71. *pag.*318. *col.*1. *lit. D.* *Ac per hoc quid melius intelligitur permanere ante lunā, niſi omnia mortalia immortalitate præcedere.*

11 Luna ſignificat Aduerſa, ſicut Sol Proſpera, vnde de Iuſto dicitur: Pſalm. 120.*v.*5. *Per diem Sol non vret te, neq; Luna per noctem*, & D. Hieronymus, *in Pſ.*120.*pag.* 205.*lit.B.* *Iuſtus nec in proſperis eleuari poteſt, nec in triſtibus deiici; quod in die, & nocte; hoc & in Sole ſignificatur, & luna.*

12 Luna Hæreticorum congregatio eſt, de qua dicitur Ezech. *c.*32. *Et Luna non dabit lumen ſuum*, vbi D. Hieronymus, *in Ezech. pag.*572. *lit.G.* *Cum autem Sol iniquitatis fuerit obſcuratus Luna (quam Hæreticorum ſentimus Eccleſiam, & quæ à Sole iniquitatis lumen putabatur accipere) non dabit lumen ſuum: nec decipiet credentes falſi nominis ſcientia.*

§. II.

De Significatione Temporum.

1 TEmpus quod ex Stellarum motibus deriuatur, variè accipitur; Et primo Tempus beneplacitum Deo, eſt tempus paſſionis Chriſti, ſeu Incarnationis, de qua Pſalm. 68. *verſ.*16. *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus*, vbi D. Hilarius, *in Pſ.* 68.*col.*823.*lit* *D.* *Et cùm Deus cuncta ſint placita, beneplacitum tamen hoc tempus eſt, quo Vnigenitus Deus in ſanguine corporis noſtri, tanquam inimica, ac diſſidentia reconciliaturus omnia in Cœlis, & in terra Deo eſſet.*

2 Tempus miſerendi eſt Aduentus Domini in carne, vt dicitur in Pſalm. 101 *verſ.*4. *Tu exurgens miſereberis Sion quoniam venit tempus miſerendi eius*, & D. Auguſtinus, *in Pſ.*101.*pag.*466.*col.*2.*lit.C.D.* *Quod tempus? Cum autem venit plenitudo temporis miſit Deum filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Et vbi Sion? vt eos, qui ſub lege erant redimeret.*

3 Tempus putationis, eſt reproborum damnatio in die Iudicii, de qua Sponſus, Cant. *c.*2.*v.*12. *Tempus putationis aduenit*, & Magnus Gregorius, *in c.*2.*Cant.to.* 2.*pag.*1204.*lit.C.* *Tempus putationis aduenit; quia quo āplior electorum numerus in Cœlo congregatur, eo celerius reprobi ab Eccleſia, tamquam ſarmenta inutilia amputantur, vt mundus citius finiatur.*

4 Tempus congregandi aceruum, eſt ſtatus contemplationis, de quo Iob, *c.*5.*ver.*26. *Sicut infertur aceruus in tempore ſuo*, & D. Gregorius, *lib.*6. *c.*17.*mor.pag.*452.*lit. D.* *Vnde & aptè ſubditur: ſicut infertur aceruus in tempore ſuo: Actionis namque primum tempus eſt, cōtemplationis extremum.*

5 Tempus belli eſt vita præſens, in qua præliandum eſt cum Animæ hoſtibus; tempus verò pacis eſt gloria æterna, quod docet Sapiens, Eccleſ. *c.*3.*v.*8. inquiens: *Tēpus Belli, & tempus Pacis*, vbi D. Hieronymus, *in Eccleſ. tom.*5. *pag.* 14. *lit.F.* *Quamdiu in præſenti ſæculo ſumus tempus eſt belli: cum autem migrauerimus ex hoc ſæculo, pacis tempus aduenit. In pace enim eſt locus Dei, & Ciuitas noſtra Hieruſalem, de pace ſortita vocabulū eſt. Nemo ergo ſe putet eſſe ſecurum in tempore belli, vbi certandum eſt.*

6 Tempori omni Deum bendicere eſt eum tam in proſperis, quam in aduerſis laudare: ſic faciebat Rex Sāctus, Pſalm. 33.*v.*1. *Benedicam Dominū in omni tempore*, vbi Magnus Baſilius, *in Pſ.*33.*pag.*91.*col.*2. *lit. E.* *Nihil minus Chriſtianum decet, quam vt rebus ſuis proſperè caden-*

den-

dentibus benedicat Deo, contra triſtiore quapiam calamitate afflictus laudes reticeat Dei: quando tunc quoque gratiæ vberiores agendæ ſunt. Quod expreſsè docet in Scholio eiuſdem Pſalmi, *pag. 913, col. 2. lit. C. Benedicam Domino in omni tempore: ſiue fugiã, inquit, ſiue perſequar, ſiue proſpere, ſiue adflicte agam, Dominum meum celebrabo.*

7 Tempus malum eſt cum propter munera Iudices iudicium peruertunt, vt ait Propheta Amos, *c. 5. verſ. 13. Tempus malum eſt*, & interl. Gloſſ. *Tempus malum eſt; quia nullus, qui velit audire recte iudicantem.*

8 Tempus eſt vita, & operationes creaturarum, vnde dicitur Iob, *cap. 24. Ab Omnipotente non ſunt abſcondita tempora*, & D. Gregorius, *lib. 16. c. 20. mor. pag. 678. lit. A. Nos itaque intra tempora voluimur, ex eo quod creaturæ ſumus. Ait ergo: Ab Omnipotente non ſunt abſcondita tẽpora, quia ipſe quidem noſtra comprahenſibiliter cõſpicit.*

9 Tempus tenebris ponere, eſt iniquis finem peccandi indicere, de quo Iob, *c. 28 v. 3. Tempus poſuit tenebris*, & idem Gregorius, *lib. 18. c. 17. pag. 717. lit. B. Ipſe poſuit tempus tenebris, iniquis videlicet modum, quo iniqui eſſe deſiſtant.*

10 Tempus ſtruthionis eleuandi alas, eſt opportunitas Hypocritæ ſua bona manifeſtandi, de quo idem Iob, *c. 39 Cum fuerit tempus in altum alas erigit*, & Gregorius, *lib 32. c. 9. pag. 1015. lit. A.* itidem. *Quid enim alas huius ſtruthionis accipimus, niſi præſſas hoc tempore, quaſi complicatas hypocritæ cogitationes? Quas cum tempus fuerit in altum eleuat, quia opportunitate cõperta, eas ſuperbiendo manifeſtat.*

§. III.

De Solis Hieroglificis.

1 SOl, vidimus iam, eſt ignea lux omnem illuminans mundum: Et primo ſignat claritatem Dei, de qua dicitur, Pſalm. 71. *verſ. 5. Et permanebit cum Sole*, ideſt Chriſtus, de quo loquitur Pſalmus, & D. Hieronymus, *in Pſ. 71. pag. 118. lit. E. Permanebit cum Sole, cum claritate paterna.*

2 Chriſtus eſt Sol, quo Eccleſia veſtitur, Apoc. *c. 12. v. 5. Mulier amicta Sole*, & D. Auguſtinus, *in Pſ. 141. pag. 674. col. 1. lit. A. Itaque & illa mulier Sole cooperiebatur, Sole ipſo Iuſtitiæ, quem non cognoſcunt impij.*

3 Significat Sol B. Mariam Virginem, in quo Deus poſuit tabernaculum ſuum, vt dicitur in Pſalm. 18. *v. 5. In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, vbi D. Hieronymus, *in Pſ. 18. pag. 32. lit. H. Deus in Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. In Sole, in vtero Sanctæ Mariæ Virginis.*

4 Sol Charitas eſt, quæ reliquas virtutes illuſtrat, vel etiam intellectus, Cantic. *c. 6. verſ. 9. Pulchra vt Luna, electa vt Sol*, ideo dicitur anima, & D. Bernardus, *ſerm. 27. in Cant. pag. 153. lit. L. Eſt ergo Cœlum ſancta aliqua anima habens Solem Intellectum, Lunam Fidem, Stellas Virtutes. Vel certe Sol Iuſtitia, Zelus, aut feruens Charitas, & Luna continentia; quomodo enim caritas, vt aiunt, Luna nonniſi à Sole eſt, ſic abſque Charitate, ſeu Iuſtitia continentiæ meritum nullum eſt.*

5 Sol, quo veſtitur Eccleſia, eſt illuſtratio veritatis, vnde de ea dicitur Apocal. *c. 12. v. 1. Mulier amicta Sole*, & Diuus Gregorius, *libr. 34 c. 12. moral. pagin. 1096. liter. E. In Sole verò illuſtratio veritatis accipitur: ſancta autem Eccleſia, quia superni luminis ſplendore protegitur, quaſi Sole veſtitur.*

6 Sol ſignat Sapientiam; vnde de viro ſapiente intelligitur: Apocalipſ. *c. 16. verſ. 8. Quartus Angelus effudit phialam ſuam in Sole*, & idem Gregorius, *loc. cit. pagin. 1093. liter A. Phialam videlicet in Solem effundere eſt perſecutionis ſupplicia viris ſapientiæ ſplendore fulgentibus irrogare.*

7 Sol eſt perſecutio: vt in Euangelio dicitur de ſemine Verbi Dei, Matth. *c. 13. verſ 5. Alia ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam, & exorto Sole aruerunt*, & Diuus Gregorius, *loc. cit. Sole perſecutio deſignatur, ſicut in Euangelio veritas dicit; quod nata ſine radicibus ſemina orto Sole aruerunt: quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia, superueniente perſecutionis ardore ſiccantur.*

8 Sol eſt proſperitas; de qua dicitur, Pſalm. 120. *verſ. 5. Per diem Sol non vret te*: vbi Diuus Hieronymus, *in Pſalm. 120. pagin. 215. lit. B. Iuſtus nec in proſperis eleuari poteſt.*

9 Sol eſt iniquitas: à qua defendit vmbra Chriſti: quod ſibi contigiſſe Sponſa teſtatur, Cantic. *c. 2. verſ. 3. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi*: & Diuus Ambroſius, *ſermon. 5. in Pſalm. 118. tom. 2. pagin. 264. liter. B. In vmbra, inquit, illius concupiui & ſedi; Bona vmbra, quæ nos ab iniquitatis Sole defendit.*

10 Sol eſt bonum opus; & Sol cum fulgore, eſt bonum opus in publico, de quo Iob, *c. 31. verſic. 26. Si vidi Solem cum fulgeret*: vbi Magnus Gregorius, *libr. 22. c. 4. moral. pagin. 804. liter. A. Sol quippe cum fulgore, eſt bonum opus in manifeſtatione. Bonum quippe opus dum in medio perfidorum lucet, Lucerna ardet in nocte; cum vero in Eccleſia reſplendet, Sol fulget in die.*

11 Sol eſt ardor concupiſcentiæ; idcirco pollutus in nocte, qui iubetur exire extra Caſtra, iubetur redire poſt Occaſum Solis: Deutoronom. *c. 23. Poſt Solis occaſum regredietur in Caſtra*, & idem Gregorius, *libr. 9. c. 31. moral. pagin. 535. liter. B. Poſt occaſum Solis ad Caſtra redeat, quia deferueſcente tentationis ardore, neceſſe eſt, vt iterum fiduciam erga ſocietatem bonorum ſumat.*

12 Sol eſt Prudentia, quæ omnes virtutes dirigit; & ideo dicitur Luminare maius, quia Aſtrorum eſt regula, de qua dicitur, Geneſ. *c. 1. ver. 16. Fecit Deus duo Luminaria Magna*: & Lyranus, *Fecit duo Luminaria, per quæ virtutes morales poſſunt deſignari. Per Solem quod eſt Luminare maius Prudentia, quę alios dirigit ſignatur.*

13 Sol eſt Satan, qui adurebat corda hominum, à quo vt defendantur fideles ſub vmbra Chriſti viuunt, de quibus prædictum eſt, Thren. *c. 4. verſic. 20. Sub vmbra tua viuemus in gentibus*: & Origenes, *Hom. 3. in Cantic. tom. 1. pagin. 326. column. 2. Sed hunc ardorem tenuiter quidem vmbra legis propellit; Chriſti vero vmbra, in qua nunc in gentibus viuimus, ideſt incarnationis eius fides, auertet penitus, & extinguet. Ille enim qui adurebat ambulantes ſub vmbra legis, tempore Paſſionis Chriſti ſicut fulgur viſus eſt cecidiſſe de Cęlo.*

14 Solis vſtio, eſt ſcandalum: de quo Pſalm. 120. *verſ. 6. Per diem Sol non vret te*: vbi Diuus Auguſtinus, *in Pſalm. 120. pag. 586. column. 1. lit. C. Quid eſt vſtio? ſcandalum.*

Verſus

Digitized by Google

Verſus Vigeſimus.

תָּשֶׁת חֹשֶׁךְ וִיהִי לָיְלָה בּוֹ תִרְמֹשׂ כָּל חַיְתוֹ יָעַר׃

Verſio ex hebræo; *Pones tenebram, & erit nox, in ipſa perrepent omnia Animalia ſyluæ.*

Vulgata editio: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.*

D. Hieronymus: *Poſuiſti, &c. In ipſa mouebuntur omnes beſtiæ ſyluæ.*

Pagninus, & Arias: *Pones tenebroſitatem, & nox fuit, in ipſa ambulabit omnis beſtia ſylueſtris.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

IN hoc verſu de tenebrarum, noctiſque neceſſitate peragitur. Vbi aduertendum eſt, duo illa verba תָּשֶׁת, & יְהִי eſſe futuri temporis; poſſe tamen pro præterito etiam ſumi ex ſuperioribus patet: hìc tamen in futuro ſumenda eſſe, tempora ſequentia ſatis indicant: verbum autem רָמַשׂ à quo futurum תרמוש *repere* ſignificant, quod propriè Animalibus de nocte incedentibus conuenire videtur. Perperam autem Arias Montanus, vertit *pones* in futuro; & deinde ſequutus Pagninum, *& fuit*, in præterito. De Beſtijs alibi abundè actum eſt; hìc ſolum de tenebris, & Nocte videndum eſt.

SVMMARIVM.

1 *De Tenebrarum, ac Noctis neceſſitate, & vtilitate.*

2 *An dies à nocte, vel à die, ideſt à tenebris, vel à luce exordiatur.*

§. I.

De tenebrarum, & noctis neceſſitate, & vtilitate.

1 P*Oſuiſti tenebras, & facta eſt nox*: Lucem, ac tenebras creauit Dominus ab initio tenebras autem ante lucem extitiſſe apertè in Geneſis initio legimus; Moyſem imitatus Dauid, hoc verſu tenerbrarum mentionem facit, de Solis vero exortu poſtmodum locuturus. Tenebre ergo nō ſunt aliqua poſitiua ſubſtātia, ſed, ſolū lucis carentia in aliquo corpore, quod propterea adumbratum cernitur; & hoc modo antequam ignea crearetur lux; *Tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi; Geneſ. c. 1. verſ. 2.* vt obſeruat D. Theodoretus, *queſtion 7. in Geneſ pag. 2. column. 2. tom. 1. Didicimus igitur tenebras eſſe neceſſarias. Quod autem non ſint ſubſtantia, ſed res quedam accidentaria, facile eſt intelligere, nempe quod ſunt Cæli, & terra adumbratio; quamobrem oriente lumine euaneſcunt tenebræ.* Verum obiicere aliquis poſſet: Quomodo tenebræ ſubſtantia non ſunt, dum & ipſis effectio conuenit, quæ Priuationi conuenire non poteſt? Nam præmiſſa ſententia Geneſis, in qua prædicatur earum exiſtentia, cum dicitur: *Tenebræ erant*: in hoc verſu clarius indicatur, nam ait Propheta: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox*: porrò *ponere* actionem ſignificat poſitiuam. Attamen obſeruandum eſt Tenebras non eſſe aut negationem, aut nihil purum; ſicuti erat negatio Lucis ab æterno, ante inceptam rerum creationem, ſed ſunt carentia Lucis in ſubiecto apto illam recipere: ita pariformiter, Animal luminibus captum dicitur cœcum, eo quod ei conueniat viſio, qua caret; non tamen plantæ cęcæ dici poſſunt, quia omnino eis viſio incompetens eſt; hoc igitur modo dicuntur fieri tenebræ, vt cęcitas; cum enim homo, vel aliud animal, cui ad ſui perfectionē viſus debetur, ſine illo eſt, dicitur effecta cęcitas; ſic in mundi exordio poſtquam tria elementa Lucis ſuſceptiua, & illuminabilia creata fuerunt, ſcilicet Terra, Aqua, & Aer, dicuntur effectæ tenebræ. Ita D. Bonauentura, *in 2. ſent. diſt. 12 in expoſit. text. pag. 168. column. 1. lit. C. Dicendum quod tenebræ ſemper accipiuntur priuatiuè; & quoniam priuatio requirit contrarium alicuius ſubiecti, Tenebra ſemper aliquid præſupponit in obliquo. Vnde tenebra non dicit tantum non exiſtentiam lucis; ſed etiam cum hoc addit aptitudinem corporis illuminabilis: quia ergo tenebra dicit priuationem lucis, ideo dicitur eſſe facta.*

2 Neque caſu dictum eſt à Propheta: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox*: Sed vt manifeſtè appareret, tenebrarum, ac noctis effectionem vtilem, ac neceſſariam mundo fuiſſe. Prima ergo noctis, & tenebrarum vtilitas eſt temporis diſcretio, nam per noctem, & diem integratur dies naturalis, ex quibus poſtea Menſes, & Anni diſtinguuntur. Ideoque Creator Dominus tenebras prius fecit, deinde lucem; diuiſit deinde inter lucem, & tenebras, aſſignando cuilibet ſuum ſpatium occupandi Hemiſphęrium; & tandem diſcretione peracta, impoſuit illis nomina: *& appellauit lucem diem, & tenebras noctem*: vbi nomine diei artificialis intelligitur, ideſt ſpatium, quod illuſtratur à Luce; quod quia nobilius eſt, toti diurno motui naturalis diei nomen dedit. Hanc rationem aſſignat D. Joannes Chriſoſtomus, *Hom. 3. in Geneſ. tom. 1 column. 11. lit. C. Et diſtinxit Deus inter lucem, & inter tenebras. Quid eſt diſtinxit? Vnicuique locum proprium diſtribuit, congruumq; tempus definiuit. Et poſt.*

Digitized by Google

Et poſtquam hoc factum eſt tunc cuique ſuum vocabulum
indidit : Vocauit enim, inquit, Deus lucem diem, & tene-
bras noctem . Per hanc ergo diſtinctionem tempora ſe-
cernuntur;& hæc eſt prima temporis diſcretio, nam mẽ-
ſis , & annus nonniſi quarta die cum Luminaribus , &
ſyderibus cępere . De horarum verò inuentione nil in-
nuit ſcriptura, ſanè in principio mundi an fuerint, incer-
tum eſt. Referunt nonnulli, *ap. Paul. Sherloz. in antiq.*
hebraic. lib. 2. diſſen. 1. ſect. 7. pag. 241. colum. 2. à Maximo
Mercurio in Ægypto horas repertas, dicunt enim , *Ho-*
rarum autem duodecim hæc eſſe origo memoratur: quodã
tempore Hermes Trimegiſtus , cum eſſet in Ægypto ſa-
crum quoddam animal Serapi dedicatum , quod in toto
die duodecies vrinam feciſſet pari ſemper interpoſito tẽ-
pore, per duodecim horas diem diuiſum eſſe coniecit ; &
exinde horarum numerus cuſtoditur . Sunt qui hanc fa-
bulam credant, nec deſunt , qui hanc proprietatem cui-
dam Animali (quod deſcribunt) putant naturaliter ineſſe
neque id mirum cum gallinaceum Gallum ſtatutis horis
canere, præſertim in meridie, media nocte , Aurora, &
Veſpere intueamur, ex quo prima dierum diuiſio inuẽta
eſt. Certè Hermetem, ſeu Mercuriũ Trimegiſtũ Autho-
rem amplector ; Sherlogus tamen loco citato decipitur
putans hunc Mercurium Moyſe poſteriorem fuiſſe; nam
per aliquot ſæcula ipſum præceſſit , quippe qui Noe, &
filijs eius conuixit, vt fusè alibi dictum eſt .

3 Altera ſpecialis noctis vtilitas eſt quorumdam Animalium, Hominis præſertim quies, & aliorum operatio , Nam dum dies illuceſcit, Homo, ac Iumenta operantur, & latitant Feræ, Veſpera verò adueniente excũt ad prædandũ Feræ, Homines, & Iumenta ſoporantur, & quieſcũt; idcirco dicitur: *In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*. Ideo ait Chriſoſt. *Hom. 11 in Geneſ. tom. 1. col. 52. lit. D. E. Noctem ſegregauit in requiem , & remiſſionem laborum, &c. Nam inſurgente Veſpere Lux abſcedit, & ſuccedentes tenebræ humanam naturam ſopiunt , & corpus, quod laborauerat quieſcere faciunt , ac ſenſus omnes remittunt : & quaſi Nutrix optima ſenſorijs omnibus quietem à laboribus, fatigationibuſque concedunt* . Hanc etiam rationem ſibi ipſi reddit Diuus Theodoretus ; cum enim cauſam veſtigaſſet creationis tenebrarum poſt Lucem, ideo factam putat, vt hominibus quies, Belluis verò operandi tempus aſſignetur . Multa enim ſunt terreſtria animalia, neque pauca volatilia, quę vel viſus debilitate , vel alijs de cauſis diurnam lucem haud ſuſtinent; iis ergo ad ſuas operationes præſtandas , tenebræ neceſſariæ erant : audiamus D. Theodoretum , *loquitur. Si Deus lumen creauit , quomodo ei tenebras addit, cum hæc inuicem aduerſentur ? Sunt quidem inter ſe contraria, ſed ambo neceſſaria ; illud enim hominum operibus, & laboribus confert, & apparere facit ea quæ videntur adhortaturque ad collaudandum eorum Authorem . Tenebræ verò quieſcere faciunt , & reparant hominem ſoluta laſſitudine, quam ex labore contraxit . Similiter homines domum cogunt , Beſtijs vero præbent occaſionem pabuli; & hoc apertè nos docet Dauid. Poſuiſti , inquit tenebras , & facta eſt nox ; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ Syluæ* .

4 Eſt & alia præſtantiſſima, ac maximè optabilis Noctis, ac tenebræ vtilitas . Nam cum per ſenſuum operationes diſtrahatur Animus, ſpeculationi , ac contemplationi ægrè vacare poteſt die illuceſcente: At occidente luce, & ſenſum operationibus interdictis, ac negotiantium ſopito tumultu; Animus in ſe relictus, facilius proprias ſuas operationes exequitur : itaque noctu magna cum facilitate, vel naturalia ſpeculatur , vel cœleſtia contemplatur : vnde nox ſapientiæ Nutrix nuncupari poteſt; tunc enim amoto ſtrepitu, ſepoſitis curis, addiſcitur Sapientia, Pſalmodia recitatur, fit oratio, Dei mirabilia reuerenti ſilentio reuoluentur; Doctrina hæc à Cirillo Hieroſolymitano traditur . *catech. 9. ap. Gloſſ. Magn. pagin. 910. Quid autem eſt ad ſapientiam nocte commodius ? In hac enim perſæpè de Deo cogitamus: in hac lectioni, & contemplationi diuinarum ſcripturarum vacamus. Quando autem magis in Pſalmodiam, & orationem mens noſtra componitur ? nunquid non noctu ? Et peccata perſæpè noſtra noctu in memoriam reuocamus* . Eapropter Diuina Sapientia de ſe ipſa loquens aiebat: *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie :* Vigiliæ enim in nocte fiunt; & ille beatus eſt , qui vigilat ſpeculando ſapiẽtiam, quia de facili addiſcet. Hoc feciſſe Nicodemum tradit Ioannes, *c. 3. v. 1. Erat autem homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum: hic venit ad Ieſum nocte* . Quo in loco quærit Abbas Rupertus, *in c. 3. Ioann. lib. 3. pag. 242. colum. 1. tom. 2. Quid verò gratiæ, quid bonæ , & prædicandæ indolis habet, quòd venit ad eum nocte ?* Et reſpondet. *Venit hic ipſe nocte , vt audiret Ieſum ſine turba* . Et poſt nonnulla addit. *Beatus homo , qui audit me , & qui vigilat ad fores meas quotidie. Hic enim ad fores ſapientiæ nocte vna vigilauit totis oculis, non minus animi quam corporis; nocte vna hic ad portas eius, humano dici clauſas vigilauit, &c. Beatus ergo eſt, quia & tenebrarum filios effugiens, lucem in nocte quæſiuit, & inuenit ; maximaque ab ore Sapientiæ habuit ſacramenta nocte ſoluta* . Tenebras ergo , & ex eis noctem ad maximam omnium viuentium creauit Deus. His poſſet addi quòd in maximis calorib. nox datur ad terræ refrigerium , & plantarum conſeruationem, ad roris immiſſionem, aliaque permulta, quæ cum ſenſibus pateant, ſuperfluum eſt enarrare ,

§. II.

An dies naturalis à nocte, vel à die ; hoc eſt à tenebris , vel à luce exordiatur .

1 P*Oſuiſti tenebras, &c.* Occaſionem huius quæſtionis dat Vates Regius in hoc verſu; nam cum opera à Deo facta commemorat, prius tenebras, & ex ea noctem factam dicit; & deinde verſu vigeſimoſecundo de exortu Solis, & Diei agit . Videtur autem Dauid ſequutus in hoc Moyſen, qui tenebrarum productionem , ſeu earum, exiſtentiam, ante Lucis creationem poſuit; & ex his duobus tanquam partibus naturalem diem compoſuit; Geneſ. *c. 1. v. 5. Appellauitque lucem diem; & tenebras noctem.* Item quotieſcumque naturales dies enumerat, exorditur à Nocte, & à Veſpere ; *v. 6. Factumque eſt Veſpere, & Mane Dies primus* . Ex quibus videtur cõcludendum noctem , & tenebras eſſe primam Diei naturalis partem, lucem verò, ſeu mane, ſeu diem, ſecundam .

2 Circa hoc eſt opinio multis Sanctis Patribus, aliiſq; Sacris Doctoribus ferè communis; ſcilicet , Diem à luce non à tenebris inchoaſſe ; nam veroſimilius eſt à perfectiori ſicuti & nomen, ita etiam, & principium diem sũpſiſſe. Probat hanc concluſionem Franciſcus Mendoza in ſuo Viridario, *libr. 4. de florib. Philoſoph. Problem. 36. pag. 105. col. 1.* ex Sacrorum Doctorum placito , ſic . *Vt bene D. Auguſtinus, D. Baſilius, & Caietanus aduertunt: Antequam in mundo detur lux, nulla poteſt eſſe , aut intelligi nox : alioqui propria nox vtrumque occuparet Hemiſphærium. Quo enim pacto dicunt Phiſici in Animali ante vigiliam non dari verum ſomnum , & ante viſum non dari propriam cęcitatem.* Ad illam obiectionem ex primo Geneſis reſpondent omnes pro Veſpere intelligi vltimã partẽ diei, & pro mane vltimã partẽ noctis, & ideo præponitur Veſper, quia prius terminatur dies per Veſper, & deinde nox per mane: inter eos autem ait D. Baſilius, *ſerm. 1. in Hexam. pag. 10. colum. 2. lit. D. Et factũ eſt veſpere; & mane. Sanè Veſpera, & Diei, & noctis terminus eſt vtrique communis: at mane per aquè eſt ad diẽ vicinitas. Vt igitur in ordine creationis prærogatiuam deferret diei, ipſius diei finem primo loco commemorat, dein ſubnectit quod vltimum eſt noctis , quando nox diẽ ſubſequitur.* Hæc Baſilius ; cuius expoſitio aliis eſt communis . Obiicit deinde in conformationem huius opinionis Benedictus Pererius; inter noctem , & veſperam eſſe differentiam; & ideo non eſt prępoſita Nox Diei, ſed

Veſper

Digitized by Google

Veſper Mane. Sed licet hæc explicatio loco, ex Geneſi ſatisfaciat, non tamen huic verſui noſtro congruit; nam hic abſolutè tenebra, & Nox præponitur Diei, non tamquam prior excellentia, ſed productione. Tandem in corroborationem opinionis adduci poteſt mos Chaldeorum, quæ antiquiſſima prædicatur Natio, & in qua natus Abraham; nam Babilone, quæ Chaldeorum eſt Regia, numeratio horarum incipit à Solis ortu.

3 His tamen minimè obſtantibus aliorum ſententia eſt, & præcipuè Abulenſis, quam libenter amplector, Diem naturalem à nocturno cœpiſſe tempore; à tenebris non à luce; ait igitur ille, *in c.1. Geneſ. pag. 3. calum. 2. ſlit. A. Sed fortè ſatis rationabiliter dici poteſt, quod Vepera præponitur, quia tempus tenebrarum fuit ante tempus lucis: ita quod poſtquam Deus creauit primordialem materiam, cum alijs coeuis, incepit eſſe tempus, quod menſurabat durationem rerum corporearum creatarum; & à creatione iſta vſque ad lucis creationem tranſierunt duodecim Horæ; id eſt tanta duratio, quanta eſt dum mouetur Sol ab oriente ad occidentem tempore equinoctiali*. Hæc etiam ſententia extitit antiquorum Philoſophorum, & præſertim Maximi Mercurij, cui in hoc magis credo; ita enim refert Pererius. *lib. 1. in Geneſ. pag. 42. lit. C. Porrò noctem, ſeu tenebras præceſſiſſe creationem mundi, præter Mercurium, & Heſiodum, etiam Thales Mileſius ſenſit: rogatus enim vtra prior fuiſſet Nox, an Dies; reſpondit, priorem fuiſſe noctem*. Probatur autem ex Hebræorum conſuetudine, non ex hominũ otta placito, ſed ex diuino mandato, Dies enim omnes, & conſequenter ſolemnitates à veſpera incipiunt; Præcipitur namque Exod. *c. 12. v. 18. Primo menſe quartadecima die Menſis ad Veſperam comedetis azyma, vſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam*. Quod exponens Perierius, *in c. 12. Exod. diſp. 9. pag. 384. num. 60.* inquit, *Neque enim in quartadecima die comedebant Hebrai azyma, ſed poſt Solis occaſum eius diei incipiebat quintuſdecimus dies, qui eſt primus Azymorum*. Hoc etiam colligitur ex Euangelio; nam cum Cœnæ Dominicæ tempus duo Euangeliſtæ Ioannes, ac Matthæus deſcribant, diſcordare videntur: nam ille ait, *c. 13. v. 1. Ante diẽ feſtum Paſcha, &c.* Matthæus autem, *c. 26. v. 17. Prima autem azymorum die acceſſerunt Diſcipuli, &c.* ſed concordat illos D. Thomas, *3. par. qu. 56. art. 9. ad primũ, pag. 154. col. 2.* nam Ioannes loquebatur ſecundum morem Græcorum, qui à mane diem incipiebant, Matthæus verò ſecundum Hebræos, qui incipiebant à veſpere. *Eamdem diem, quam Ioannes nominat ante diem feſtum Paſchæ propter diſtinctionem naturalem dierũ, Matthæus nominat primam diem azymorum; ſecundum ritum Iudaicæ feſtiuitatis, ſolemnitas incipiebat à veſpera præcedentis Diei*. Huic expoſitioni concordat etiam D. Ioannis Chriſoſtomi, *Hom 82. in Matth. ſo. 2. col 518. lit. A.* iudiciũ. *Primam azymorum eam diem vocat, quæ ante azyma erat; conſueuerunt enim à veſpera ſemper dies numerare, & eius mentionem facit in veſpere, cuius Paſcha erat imolandum*. Secundum ergo hebraicum ritum a veſpere dies incipit. Et confirmatur hoc alia ratione euidentiſſima. Certum eſt ea, quæ Moyſes de Mundi creatione tradit, hiſtoricè intelligenda eſſe; & re vera Deum, (qui alias in vnico inſtanti omnia producere potuiſſet) opus hoc ſex dierum tempore abſoluiſſe: & ſeptimo tandem requieuiſſe die, id eſt nihil in genere, aut ſpecie nouum produxiſſe: Inſuper ſupponendum eſt, eadem menſura dimenſum eiuſdem fuiſſe ſpatii ſeptimum diẽ, in quo quieuit Dominus, cum ſex reliquis; nec cępiſſe ſabbatum, niſi completis totaliter ſex aliis diebus. His ſuppoſitis ſic arguo Eadem eſt menſura omnium Dierũ & idem principium, & finis; ſed ſabbatum cœpit à veſpere, & finiuit in a io veſpere, igitur principium diei eſt nox, veſper, & tenebræ, & non lux, nec dies. Minor probatur (Maior enim ex ſuppoſitis patet) Idem fuit initiũ diei ſabbati ac eſt modo initium ſolemnitatis, quia in memoriam requiei Dominicæ, ſabbati eſt inſtituta requies; ſed feſtiuitas ſabbati incipiebat à veſpere vſque ad aliud veſper, igitur dies ſabbati incœpit à veſpere, ſeu nocte. Hæc ſecunda minor habetur in Leuitico, *c. 23. v. 32.* vbi præcipitur: *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*, vbi Lyranus, *Quia ſicut dictum eſt frequenter, dies ſolemnes Iudæorum incipiebant à veſpera præcedentis diei*. Confirmatur ſecundò ex eodem ſabbati præcepto. Rationem huius pręcepti aſſignans Moyſi Deus, Exod. *c. 20. v. 11.* ait: *Sex enim diebus fecit Dominus Cęlum, & Terram, & Mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo*. Atque ex his verbis colligit D. Theodoretus, *qu. 5. in Gen. pag. 2. col. 2.* Terrã, Cœlum, Aquam, & cœtera huiuſmodi quorum effectionem antea tacuerat Moyſes in particulari à Deo creata fuiſſe; quare ſubdit: *Vt ſit in aperto, quod quidquid in eis eſt, viſibile ſit, aut inuiſibile (excepta diuina ſubſtantia) naturam habere creationis participem*. Inſuper autem quæ Moyſes enumerat quaſi facta, ſed eius tacet effectionem, vt Abyſſum, ſeu aquam; ſpiritum, ſeu aerem, nec non his appendicem Tenebras, ad ſex dierum tempus pertinere: nam dicitur Geneſ. *c. 1. v. 1. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram: In principio temporis, ſeu creationis*, ait Lyranus. Ex his ſic arguo. Vt ait Dominus in citato Exodi verſu: Cęlum, Terra, Aqua, Aer, pertinent ad creationem ſex dierum, quia ſex diebus creata ſunt omnia, & inſuper ad primam diem: ſed creata ſunt ante lucis creationem: igitur prima dies non cœpit à luce, ſeu die artificiali, ſed à tenebris, & à nocte: ſtatim'.n. poſt creatam lucem, nil aliud creatum eſt: quare ante lucis creationem fluxiſſe durationis Cœli, & Terræ ſpatiũ duodecim horis menſurabile credendum eſt, vt rationi conſentaneum. A priori verò arguitur, quia Creatio, & Productio omnis tam Dei, quam naturalium Agentium ab imperfecto ſemper incipit, & priuatio ſaltem natura præcedit formam, vnde Deus prius terram informem, deinde res inanimes, deinde, plantas, poſtmodum Animalia, & vltimo loco formauit Hominem: ſecundum ergo naturæ ordinem, Dies naturalis à tenebris, & à nocte, vt ab imperfectiori, incipere debuit.

4 Soluendæ nunc ſunt rationes ſuprapoſitæ pro prima opinione. Ad primam, quod non poſſit intelligi, nec eſſe tenebra ante creationem lucis, de exiſtentia vera negatur, de cognitione perfecta conceditur, nam priuatio non poteſt perfectè cognoſci, niſi per formam, & per relationem ad formam, non tamen ex hac ſequitur non poſſe eſſe ſine forma: tunc ergo erat carentia lucis in ſubiecto apto habere illam, non tamen poterat cognoſci quid importaret iſta carentia, niſi luce producta: ſic etiã reſpondetur ad exempla, quod in homine à natiuitate capto oculis, vera eſt cęcitas, id eſt carentia viſus ſibi proportionati, & Talpa verè cæca eſt, licet in eius ſpecie nullum reperiatur indiuiduum videns, quia vt Animal eſt poteſt ei competere viſus: quòd ſi nullũ eſſet homo, aut animal videns, adhuc eſſent omnia animalia cęca, ſed non cognoſceretur à nobis quid eſſet cæcitas iſta. Quod autem in vtroque Emiſphœrio fuerit ſimul Nox, non adducit aliquod inconueniens, nam ſi omnino obſcuraretur Sol, vt factum fuit per tres horas tempore Paſſionis Dominicæ, in vtroque Emiſphœrio eſſent tenebræ, conſequenter vera nox, nam vt in hoc verſu dicitur, poſitio tenebrarum noctem efficit. Quòd ſi obiicies, tunc in vno Hemiſphœrio fuiſſe primam noctem duodecim horarum, ſcilicet in eo, in quo creatus eſt homo, & in oppoſito vigintiquatuor horarum: concedimus vltrò, neq. ex hoc aliquid abſurdum, nã tempore Ioſue fuit in noſtro Hemiſphœrio dies illuminatus vigintiquatuor horarum, & tempore Ezechiæ viginti horarum, neque hoc dicas ſolum in Iudæa contigiſſe, nam ex libro Paralipomenon. *c. 32. v. 31.* habemus nuncios miſſos ab Aſſiriorũ Rege ad inuiſendum Ezechiam, de hoc portento ſpecialiter ad inquirendum veniſſe: *In Legatione Principum Babilonis, qui miſſi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram*. Quodnam autem hoc portentum fuerit inquirentes Expoſitores concorditer dicunt, fuiſſe Solis retroceſſionem, ita Gloſſ. interlin.

Digitized by Google

lin.*Solis reditum ſignificat per decem lineas*,& Lyranus *De Portento,ideſt de ſigno ſibi dato de retroceſſione Solis,vt habetur quarto Regum.* Similia Abulenſis,Cornelius à Lapide,&c.Sicut ergo tunc in Aſſiria,&Iudæa fuit dies viginti horatū,ſic fuit in altero Hemiſphœrio Nox conſimilis;igitur etiam nox prima, &c. Ad id quod additur quod veſpera,& mane differunt à die,& nocte; verum eſt; ſed in citato loco Geneſis ponuntur veſpera, & mane loco noctis,& diei, ne in recenſione dierum, dies naturalis cum artificiali confunderetur. Præterea hoc vocabulum *Mane*, non ſignificat initium diei artificialis, ſed totum diem artificialem prout diſtinguitur à naturali:& idem ſignificat *Mane*, ac *Cras*:Quod colligitur ex ſcriptura,quod quando initium diei ſignificādum eſt, non dicitur tantum *Mane*,ſed *primo mane, ſummo mane,mane diluculo,&c.* ſicuti hyſpanicè *Mañana*, *por la mañanica*: & italicè, *dimani matino*: Non ergo *Mane* ſignificat diei artificialis initium,ſed totum ipſum diem. Babilonijs numerantibus diem ab ortu Solis,opponimus Italos,Bohemos,Hebræos numerantes ab occaſu.Eccleſia verò Latina incipit feſtos,& feriatos dies,nec non ieiunia,tam naturalia, quam moralia,à media nocte: In hoc enim ſe conformauit Eccleſia Romanis legibus; nā: *More Romano Dies à media nocte incipit, & ſequentis noctis media parte finitur,leg.8.ff.de Ferijs.* Orientales verò Eccleſiæ à veſpera incipiunt.Nox ergo diem duratione anteceſſit,& ideo hic prius de nocte tractat Propheta,quam de illuminatione diurna, & Solis exortu.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

TEnebrarum, & Noctis vtilitates vidimus; nunc ad ſpirituales tenebras, ac Beſtias ſermonem vertere neceſſe eſt. Vtiles ſunt illæ, pernicioſæ ſunt iſtæ, quandoquidem peccatorum fœditatem, & mentis cęcitatem cum ſignent,animæ timendas ſe præbent: quis veri Solis abſentiam non expaueſcet? quis ad rugitum infernalium Beſtiarum non pauebit? Sanè inter tenebras Cor inuolutum viam veritatis inuenire non poterit, & à Cœlo aberrabit. De his Tenebris, ac Beſtijs pertractabimus.

SVMMARIVM.

1 *Peccata cum in Animam veniunt terribiles cauſant tenebras.*

2 *Permittit Deus ad peccatorum pęnam cęcitatem mentis.*

3 *Abſente Chriſto Anima à ſpiritualibus Beſtijs deuoratur.*

4 *Propter Paſtorum negligentiam Grex Domini deuaſtatur.*

5 *Crudelis Beſtia Diabolus eſt.*

§. I.

Peccata cum in Animam veniunt terribiles cauſant tenebras.

1 P*Oſuiſti tenebras, & facta eſt nox.* Inter lucem, & tenebras diuiſio facta cum ſit, hoc eſt inter eas diſcrimen: quòd Lux omnia illuſtrat,omnia aperit, diſtinguit omnia, & cum in noſtro manet Hemiſphœrio cuncta decorantur,& demonſtrantur,patent præcipitia, reuelantur ruinæ,& bona omnia pateſiunt.E contra autem abſcedente luce fit nox, & exortæ tenebræ omnia obſcurant,turbant omnia,rerum ſpecies confunduntur, latent pericula, cognitiones deficiunt. Spiritus Dei lux eſt,quæ animam illuſtrat,ac decorat,ſed dum per peccatorum patrationem tenebris locus datur, omnia bona confunduntur,ac cæcitas mentis oborta noctem Animæ terribilem cauſat: ideo dicitur. *Poſuiſti tenebras*,ſcilicet peccatorum;*Et facta eſt nox*,cæcitatis mentis. Ita Bernardinus Senenſis, *tom.2.ſerm.21.c.7.pag.127.colum.2.* *Sicut ſeptiformis Spiritus Chriſti totus luciformis, & ſpirituali lumine illuſtratus,mentem ingrediens, illam totam illuminat,& illuſtrat:ita ſeptem ſpiritus nequam, omnino illi oppoſiti,cum in Animam intrant, horrendas tenebras afferunt,& terribilem cęcitatem. De tali cęcitate dicitur: Poſuiſti tenebras,& facta eſt nox.*

2 Verè nox cæcitas eſt mentis, quam noctem peccatorum tenebræ cauſant. Nonne in nocte ſi præcipitium immineat ignoratur? ita & peccator æternum præcipitium cauere non valet: Ego tamen peccatorem ebrioſo viro,qui aliunde cæcus eſt,comparauerim; qui cauere noxia neſcit. Videamus hoc manifeſtè in Sanctiſſimo Propheta. Dei ſeruus Ionas erat,& ita ab eius illuſtratus ſpiritu, vt futura prædicans inter Prophetas enumeraretur. At cū ſemel in peccatum, Deo inobediendo,cecidit,ita cæcus factus eſt,vt proprium naufragium,ac ruinam præcauere non potuerit:nam minimè penſans nullum eſſe locum, in quo Deus non ſit,ab eius facie fugere meditabatur. Ion. *c.1.v.3. Deſcendit in Ioppen,vt fugeret in Tarſis à facie Domini.* Quo enim fugeret, vbi Deus non eſſet? ſed in tenebris peccatorum, & nocte cæcitatis aberrans, veritatem conſpicere non valebat: quare egregiè ei improperat D.Ioannes Chriſoſtomus, *Hom.1.de Pænit.tom.1.col 716.lit.B. Quonam fugis homo? Numquid & alium audiſti Prophetam dicentem. Quo ibo à ſpiritu tuo,& quo a facie tua fugiam? Tale eſt peccatum,vt ad ignorantiā multam noſtrum redigat animum;& quemadmodum qui grauitate capitis,vel ebrietate tenentur,ſtulte,& ſimpliciterque feruntur, quamuis baratrum,quamuis præcipitium,vel quid ſimile ſubſit infra,concidunt incautè:ſic qui currunt in peccatum, veluti praua ebrietate, inſano deſiderio detenti, neſciunt quid faciunt.* Neque enim nequiores tenebræ,aut nox obſcurior excogitari poteſt: heu quantam culpa tenebroſitatem inducit.

3 Mirabar aliquando, cur opera creationis contemplans D.Auguſtinus,aliique Patres: nomine lucis bonos Angelos, tenebrarum verò vocabulo malos ſignificatos voluerint. Primò Deus informem formans mundum,cū tenebroſum videret, Lucem creauit: illam,inquam,ſplēdidiſſimam Creaturam,veram,& ſimillimam Creatoris imaginem,Mundi Oculum, Cœlorum Decus, Terræ Lampas,hominis gaudium,ac omnium generationum fontem:cumque optimam, atque pulcherrimam obſeruaret,cura ſpeciali à tenebris ſeparauit,Geneſ *c.1.ver.4.* *Vidit Deus Lucem quod eſſet bona,& diuiſit inter lucē,& inter tenebras.* ſed quorſū hæc ſeparatio? Nonne ad lucis exortum,etiam nolentes, euaneſcunt tenebræ? Non

ergo

Digitized by Google

ergo erat aliqua facienda diuiſio inter duo incompoſſibilia. Dicendum ergo cum D. Auguſtino, iſtam diuiſionem factam fuiſſe non inter lucem materialem, & tenebras, ſed inter bonos, & malos Angelos; inquit enim ille. *Inter illam verò lucem, quæ ſancta ſocietas Angelorū eſt, illuſtratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id eſt malorum Angelorum auerſorum à luce teterrimas mentes, ipſe diuidere potuit*. ita D. Aug. *lib. 11. c. 19. de Ciu. Dei to. 5. pag. 129. lit. B.* Quomodo autē tenebra, lux tam fulgida, vt natura eſt Angelica, fieri potuit? per peccatū: nam quocumq; peccata adueniunt terribiles tenebras adferunt: ita ſenſit Abbas Rupertus, *lib. 5. in Ioann. trac. 3. pag. 109. col. 2. tom. 2. Mali Angeli peccando tenebræ facti, à luce, id eſt à bonis Angelis diuiſi ſunt*. Quis non horret lethalem culpam tantarum tenebrarum originem? longè à corde ad diuinū inhians Solem, cæcitas peccatorum.

4 Et vtiq. fugiendum eſt ab huiuſmodi tenebris, quādoquidem, non ſunt eius ſpeciei, vt ſuperueniēte luce diſcedāt, & illuſtretur eorum ſubiectum: imò tales ſunt tenebræ, vt ipſū præſentem Solem ſuſtineant, atq. ottenebratum hominem, cæcum, ac lucis ſuſcipiendæ inhabilē reddunt. Audi quid de his tenebris dicat Apoſtolus euangelizās, Ioan. *c. 1. v. 4. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eā non comprehenderunt*: ſed quomodo hoc eſſe verum poterit, quòd inter tenebras ſplendeat lux, & tenebræ non illuſtrentur? Verū aliquæ ſunt tenebræ, quæ viſum lucis reddunt incapacem, vt eſt cæcitas; vnde Angelo dicebat Tob. *c. 5. v. 12. Quale gaudiū mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video?* Huiuſmodi ergo ſunt tenebræ peccatorum, cæcam animam reddunt, vt quo pergat ignoret, & lucem æternam gratiarū radiis fulgentē videre nō poſſit: ſicuti. n. homo cæcus ſi Soli exponatur, adhuc in tenebris manet, quia lucem videre non poteſt: ita peccator, illi præſens eſt Sapientiæ Sol, gratiæ lumen, & eum aſpicere nō poteſt. *Ergo fratres*, concludit D. Aug. *tract. 1. in Ioan. tom. 9. pag. 6. col. 2. lit. D. Quomodo homo poſitus in Sole cæcus, præſens eſt illi Sol, ſed ipſe Soli abſēs eſt, ſic omnis ſtultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus eſt corde: præſens eſt illi Sapientia, ſed cum cæco præſens eſt, oculis eius abſens eſt: non quia illa ipſi abſens eſt, ſed quia ipſe ab illa abſens eſt* Et vt verum fatear, tantò deterior eſt iſta cæcitas peccatoris, cæcitate corporis, quantò hæc patitur neceſſitate naturæ, illa verò voluntate: non eſt ōnino cæcus peccator, quòd Deus eum excæcauerit, ſed quòd ipſemet claudit oculos, videre reſpuit, poſſet vtiq; videre, ſed negligit, ipſemet amatis tenebris ſe circūdat.

5 Hæc cum ita ſe habeāt, facile eſt intellectu, quod de ſe ipſo Patientiſſimus teſtatur; loquens namq; de Domini aduentu, ait, Iob, *c. 9. v. 11. Si venerit ad me non videbo eum, & ſi abierit, non intelligā:* Et quare hoc contingit, ò Vir Dei, cur properantem Dominū videre nō poteris? cur diſcedentem non obſeruabis? Nunquid oculi tibi deſunt? nūquid caligine clauderis, nūquid tenebris cffuſcaris? Oculos equidem habes, cur non videbis? Mentē habes, cur non intelliges? Oculos vtiq; habebat homo (ex cuius nomine loquor) dum in innocentię ſtatu perſiſtēs, gratiæ diuinæ illuſtrabatur lumine, venientē Dominum cernebat, à cuius præſentiæ intuitu mentis oculos non auertebat; ſed poſt peccati perpatrationem, adueniente caligine, oculos perdidit mentis, & cęcus factus, ambulantem Dominum non vidit, ſed audiuit; ac tanta ſectus tenebra, etiam poſt pęnitentiam, quò eat ignorat; an ſit in gratia Dei non cognoſcit; Verum recta gradiatur via non percipit; quid mirum non videat qui oculis captus eſt? Accipe hanc Doctrinam ex Magno Gregorio *lib. 7. c. 12. mor. pag. 515. liter. D. Secluſum quippe ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa, mentis oculos perdidit: & quo meritorum ſuorum paſſibus gradiatur neſcit.* Redde nobis Domine cordis oculos, vt te tota mente contemplari, ac toto corde diligere valeamus.

6 Tā firmiter in hominū cordib. hęc propoſitio adheret, Animę tenebras à peccatorum cæcitate oriri, vt etiā eò deueniāt, quòd etiā oculorū corporis cæcitatem peccato tribuāt: etenim ſi humana infortunia, ac corporum vitia in peccatorum pœnā nonnunquā à Deo, mittuntur, quæ conuenientior cęcitate? digna prorſus delicto pœna, vt qui per culpā animā tenebris repleuit, ac diuino priuauit lumine, etiā oculorū lumen amittat. Colligitur hoc ex Euangelio; cum. n. per Ciuitatem ambularet Ieſus & cæcum offendiſſet, ſtatim diſcipuli, cuiusnā culpæ cæcitas illa eſſet pœna interrogauere, *Ioan. c. 9. v. 1. Prætereuns Ieſus vidit hominē cæcū à natiuitate: & interrogauerunt eū diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* Putabāt autem hominē illū antea mulctatū, quā natū, ſed incogruè: nā licet peccata cæcitatē faciant, qui nondū peccauerat cæcitatem mereri nō poterat. Cæterum huiuſmodi eſt peccatorum caligo, vt nō ſolum in anima, ſed & in corpore cæcitatē faciat: cum vides hominem oculis captū, certè, & firmiter tene, illud nō naturæ, ſed culpæ vitium eſſe, vt oſtendit D. Aſterius *in cæc. à natiu. pag. 836. col. 2. Neq. n. ille ſuorū criminū pœnā daret, qui nec dū in vitā proceſſiſſet, ſiquidē ita cæcus natus erat. Nemo ſiquidem nec dū natus peccator eſt. Ipſa quidē interrogatio nec valde probata eſt. Videamus verò, vt Veritas Dominus noſter percontantib. reſpōderit. Morbus iſte ò diſcipuli, minimè gentiū, peccatorū retributio eſt*. Mala ſed iuſta retibutio, cordis tenebris, oculorum etiam corporis cæcitatem adiungere, vt animo perturbato, caliget oculus.

7 Qui cæcitatis tenebras patitur nō ſolū obiecta externa intueri non poteſt, ſed neq. ſeipſū cognoſcere, neq; ſui corporis defectus deprehendere, aut corrigere. Haud ſecus cū peccatorū tenebræ mentē cōfundūt: nā ita caliginoſa tegitur ūbra, vt delicta ſua cognoſcere nō valeat: quotidie ſcelera cōmittit, inceſſāter diuina trāſgreditur; mādata, nūquā nō delinquit; & tamen ſe peccare nō videt: cumq; pęnitendi, ac cōfitendi accedit volūtas, culparū vix recordatur, neq. omnes apparent, nā maior eorū pars latet: cōſuetudo. n. peccādi tāquā licitas repræſētat culpas. Hāc ignorātiæ caliginē, vt vitaret Propheta Rex, poſtulabat à vero Dei lumine ſibi ſua cōmōſtrari delicta, ac incognita ſua pietate deleri, Pſ. 18. *ver. 13. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis mūda me, & ab alienis parce ſeruo tuo*. Neq; . n. Dei lumine frui poterat, qui in tenebris ambulabat, nec ſeipſum, ſuoſq. defectus cognoſcere, qui cæcutiebat in illis: quare ait D. Aug. *in pſ. 17. pag. 57. col. 2. lit. D. In deliciis qualis ſuauitas eſſe poteſt, vbi nō eſt intellectus? Quoniā delicta quis intelligit, quę ipſū oculum claudūt. cui ſuauis eſt veritas, cui deſiderabilia, & dulciora ſunt iudicia Dei? Et ſicut tenebræ oculos, ita delicta mentē claudūt; nec lucem ſinūt videre, nec ſe*. Profectò magna eſt culparum caligo, quæ ita mentem excæcat, vt non ſolum diuinæ gratiæ lumen, ſed neque ipſa ſua delicta cognoſcere non permittat.

7 Eadē prorſus cæcitate etiā patientiſſimus laborabat Princeps: ideoq. Deū rogabat. Iob, *c. 13. v. 23. Quātas habeo iniquitates, & peccata; ſcelera mea, & delicta oſtende mihi*. En puriſſimus, & Sāctiſſimus ille Iob, qui à lege Dei ſui, mandatiſq; diuinis, nec leuiter recedebat, nec ſibi de aliquo crimine conſcius erat, fatetur nunc re vera ignorare delicta, nec omnia poſſe intueri. Quid ergo ille dicturus eſt, qui inter delicias, voluptateſq. carnis cæcus excurrit? qui naturæ lapſæ, & iā per primæuā culpā excæcatæ tenebras delictorū adiungit? Certè: niſi tenebras, aliud nō deprehendet, & ſui ipſius inſcius, nec quid agat, nec quid ſit nouit. A Deo ergo hæc delicta declarari Sāctus popoſcit, quæ ſibi manifeſta eſſe nō poſſunt. Quare D. Greg cæcitatē humanæ mentis ex hoc colligit, dum ait, *lib. 11. c. 21. mor. pag. 577. lit. E. Sed inter hæc intueri neceſſe eſt, quāta peregrinationis noſtræ cura nos perculit, qui in eā cæcitatem venimus, vt noſipſos ignoremus. Perpetramus mala, nec tamen hæc celerius deprehendimus vel perpetrata: excluſa quippe mens à luce veritatis, nihil in ſe niſi tenebras inuenit*. Heu crudelis tenebrarum tyrannis, quæ hominem ſuiipſius ignorantem facit, & nihil apertis oculis intuentem.

Ian. de Mata.

9 Maximas patitur anguſtias, qui in tenebris operatur; ſic deambulans, vel in foueam cadit, vel in hoſtes incidit, vel à feris dilaniatur, vel à latronibus ſpoliautr; cauere enim ſibi ab iis, quæ non videat, non poteſt. Superbus peccatot, cum in tenebras incidit, quamdiu ab illis non recedit, in vlteriores, ac deteriores culpas continuò labitur; neque delictum eſt, in quod non ruat, neque infortunium, quod non incurrat. De huiuſmodi homine apud Iob, *cap.* 15. *à verſ.* 20. *vſque ad* 30. dicitur, quod ſemper terretur, ſemper inſidias ſuſpicatur, lucem nō ſperat, gladium timet, terret eum tribulatio, vallat anguſtia, Ciuitates deſertas, ac deſolatas domus habitat, nō ditatur, non creſcit, non gaudet, non proſperatur: & horum omnium ratio eſt, quia. *Non recedet de tenebris:* etenim ſi pœnitendo de peccatis, de tenebris recederet, miſerias omnes deuitaret, & diuina luce illuſtratus, omnibus occurreret bonis; nam Sole irradiatus Iuſtitiæ diem lætiſſimum haberet; ſicuti exponit D. Gregorius, *libr.* 12. *c.* 22. *moral. pag.* 597. *lit. D. Si ſuperbus iſte à culpa ad iuſtitiam redire voluiſſet, de tenebris recederet. Sed quia lucem Iuſtitiæ non quærit, de tenebris non recedit.* Illud deplorandum, quod tenebras ſuas amans lumen iuſtitię nō requirit.

10 Hominis proprium eſt diſtinctas rerum cognitiones habere; cum ergo Deus cognoſci ab illo perfectiſſimè poſſet, minimè credendum eſt primo homini in omnib. ſcientiis perfectiſſimo genito ſui cognitionem Deū negaſſe; cur ergo tanta in mundo eſt Dei ignorãtia? quia videlicet poſt peccatū humanus obtenebratus eſt intellectus, neq; Deū, vt antea diſtinctè videre poteſt, qui cęcus effectus, tenebras inhabitat. De hoc querebatur Propheta cum dicebat, Pſ. 37. *v.* 11. *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.* Excæcatus .n. Deum videre nō poterat: nam lux illa ineffabilis peccatorum tenebras nō illuſtrat; & idem eſt oculos non habere, quam habere in tenebris; loquitur autem Pſaltes, ex nomine primi Parētis, vt aduertit Incognitus. *in Pſ.* 37. *in verſ.* 618. *Sciendū, quòd homo ante peccatum claram, & diſtinctam Dei cognitionem habebat, perfectiorem ſcilicet, quam ſit illa, quæ nunc à fidelibus habetur, &c. Sed iſtam cognitionem peccando perdidit in ſe, & in ſuis poſteris. Quoniam peccata ſunt quædam tenebræ, quibus Intellectus Dei cognitione priuatur.* Vide quantas tenebras peccata in animam inducant, nam corporis, ac mentis excæcant oculos, ac iuſtitiæ lumine fugato mortis vmbram alliciunt.

§. II.

Permittit Deus ad peccatorum pœnam cæcitatem mentis.

1 P*Oſuiſti tenebras, & facta eſt nox:* Perniciosiſſimas ergo tenebras peccatum adfert, quæ mentem excæcantes, noctem ſpiritualem conſtituunt. Verū cur dictum eſt, *Poſuiſti tenebras?* priuatio .n. non fit, nec ponitur, cùm quid poſitiuum non ſit; Atq; difficultas creſcit, ſi nomine tenebrarum peccata intelligimus: Deus namque peccatorum cauſa nō eſt; ſed ipſe miſerabilis homo, qui à regulis veritatis diſcedens, ob rectitudinis defectū culpā admittit; actio .n. peccaminoſa, vt actio realis eſt, & a Deo tanquam prima cauſa dependet: vt carens iuſtitia debita, ab hominis praua voluntate procedit; non ergo Deus Peccatorum Tenebras poſuit. Sed aliqualiter iſtæ tenebræ à Deo procedunt, non quidem efficiendo, ſed permittēdo, ſicuti ſi aliquis de nocte ambulando reſpuat lumen, & incidit in foueam, qui lumen habet nō illuminando, permittit eius caſum, in pœnam ſpreti luminis: ſic peccatorem in pœnam obſtinatæ mētis, & gratiæ reſpuentem lumen, permittit Deus in mentis cæcitatem incurrere, vt inquit Eminentiſſimus Hugo, *Poſuiſti permittendo tenebras peccatorum in cordibus malorum, & facta eſt nox, id eſt cæcitas mētis, quæ non prævidet futura.*

2 Hoc & apud homines in vſu eſt etenim cum quis lucis indignum delictorum fœditate ſe oſtendit, aut veritatem fateri detrectat, in carcerem mittitur, vt ibi tenebris conſtipatus, nec diei lucem videre poſſit, qui veritatis lumen abiecit: & licet Sol oriatur, ac occidat, ſibi ſemper abſens eſt, qui parietibus clauſis eius radios excipere non poteſt. Huic intellectui aptari poteſt, quod patientiſſimus de Deo teſtatur, inquiens, Iob, *c.* 9. *v.* 7. *Qui præcipit Soli, & non oritur, & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo.* Vbi illud in memoriam venit, Diuinum Solem Dei doctrinam eſſe, ſtellas verò Prædicatores, per quorum eloquium diuinæ doctrinæ veritas innoteſcit. Has igitur ſtellas claudit Dominus ne cæca peccatorum illuminent corda, vt qui gratiam Dei deſpiciunt, neq; eius lumen aſpicere mereantur: quod affirmat D. Gregorius, *lib.* 9. *c.* 3. *mor. pag.* 511. *lit. D. Oriri quippe ei Solem noluit, à quo prædicantium animum diuertit: & quaſi ſub ſignaculo ſtellas clauſit qui dum Prædicatores ſuos per ſilentiū intra ſemetipſos retinuit, cæcis iniquorum mentibus cæleſte lumen abſcondit.* Digna cæcitati vltio, vt qui peccando gratiæ lumen amiſit, peccatorum tenebris mācipatus, miſericordiæ Solem haud valeat intueri.

3 Iſraeliticus populus chariſſimus Deo extitit, pro cuius amore multa edidit mirabilia; at noſtro tempore ab eo repulſus, ita in peccatorum tenebris errat, vt ad fidei illuſtrationem accedere perdurato corde non poſſit: mirum profectò, vt nationes omnes eius gaudeant Solis luce, qui ex eis ortus eſt, ipſi verò adhuc infidelitatis tenebris euoluantur; verum hoc in peccatorum pœnam effectum eſt, cum enim lucem in mundum venientem reſpuerint, & magis quam ipſam dilexerint tenebras, tenebris deputantur, vt videre non poſſint, quod aliquando ſpreuere. Huius cæcitatis Propheta meminit, dum canit. Pſ. 94. *v.* 10. *Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, & dixi ſemper hi errant corde. & iſti non cognouerunt vias meas.* Cognoſcere nequit viam qui libenter ab ea pererrat; ſic populus impudenter peccans impœnitentiæ ſuæ pœnas luit, à veritatis cognitione remotus, vt inter tenebras pereat: qui errauit in luce: egregiè D. Auguſtinus, *in Pſ.* 94. *tom.* 8. *pag.* 437. *columm.* 2. *lit. D. Ingrati ſunt illi: quibus diſplicuit miſericordia Dei, qui reſtiterunt Deo corde indurato: heu gentem oberrantem.* Non enim cæcitatis tenebras pateretur, ſi gratiæ lumen dilexiſſet.

4 Arbitrem ſuiipſius, ac in libera operandi facultate hominem creauit Omnipotens; nullus .n. nec ipſe Deus, humanam voluntatem cogit. Cum autem ita patens ſit vitæ via, ſicut perditionis iter; cur homines potius malū, quam bonum ſequuntur? cur præualet rationi ſenſus? cur mundana cœleſtibus præponuntur? quid ad malum impellit, quid viam veritatis occultat? Nil vtiq; niſi tenebræ ipſæ peccatorum, quæ in primi peccati pœnā animæ dominatur; ſtatim .n. ac primus peccauit Adam, imperium ſupra corpus amiſit anima; ratio tenebris detēra, veritatem nō agnoſcens, ſenſibus paret. Hoc illa deſignat Mulier, quæ Satanæ vinculis alligata, decem, & octo annis inclinata permanſit, erigere ſe ad conſpiciendum Cœlū inepta, de qua D. Lucas, *c.* 13. *v.* 11. *Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem, & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.* Hæc mulier anima eſt, ſeu voluntas humana, quæ poſt peccatum in Satanæ poteſtatem deuenit; atq; in tenebris conſtituta, ad malum inclinata, vim cognoſcendi bonum non habet, vti docet Seraphicus Doctor, *ſer.* 2. *Dom.* 2. *Adu. tom.* 3 *pag.* 8. *col.* 2. *lit. E. Mulier inclinata ad terram, quæ non poterat ſurſum reſpicere, ſignificat animam merito corruptionis originalis culpæ allectam ad terrena, propter pronitatem ad malum: Nec poteſt cæleſtia appetere propter difficultatem ad bonum. His ergo vinculis originalis culpæ, ſcilicet pronitatis ad malum, & difficultatis ad bonum, alligauit eam Satanas.* Deum ergo rogemus, vt noſtræ miſertus fragilitatis, has cæcitatis tenebras à nobis auertat, vt ſuum incomprehenſibile lumen reſpicere valeamus.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Abſente Chriſto Anima à ſpiritualibus beſtiis deuoratur.

1 *POſuiſti tenebras, & facta eſt nox; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*: Tempus diei, ac noctis ita diſtribuit orbis conditor Deus, vt lux homini, tenebræ feris deputarentur: cum autem homo de nocte per inuia, ac deſerta incedit loca, Ferarum occurſibus, ac morſibus patet. Haud ſecus Animæ contingit, cum in tenebris ambulat, idest cum Chriſti gratia deſtituta eſt: tunc enim tanta luce priuata infernalium beſtiarum dentibus patens, tentationum iactatur viribus, ac peccatorũ crudelitate proſtratur: & tũc Ferarũ infernaliũ faucibus deuoratur: ita ſentit D. Hieronymus, *in Pſalm. 103. Quando nobis occubuerit Sol Iuſtitiæ, omnia nobis tenebroſa ſunt; & tunc in nobis pertranſeunt beſtiæ, & Leo rugiens, volens rapere, & deuorare nos*. Tantum Animæ virium adimit cœleſtis Solis abſentia; nam oderunt Beſtiæ lucem, nec niſi in tenebris deprædantur.

2 Hoc præcipuè in Iudæis videre eſt, qui poſtquam Chriſto Domino reiecto, Sole Iuſtitiæ caruerunt, in ſpiritualium beſtiarum manus irreparabiliter ruunt; Feræ enim iſtæ, idest dæmones, de nocte ad rapiendum Animas circuunt, eaſque rapiunt, ſuper quas Sol gratiæ non ſplendet; cum ergo Iudæos à Deo derelictos inueniant, vtpote ſine veræ fidei lumine, eos rapiunt, mactant, diſperdunt, ac peccatorum, & ſuperſtitionis pleniſſimos ad caueam æternę obſcuritatis perducunt, vtique deuorandos. Hoc in ſpiritu præuidens Propheta, ne hoc eis accideret Dominum rogabat, dicens: *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*: quaſi diceret: optimè ego cerno poſt non multum temporis, populum hunc Dei in hoc tempore cultorem, ac gratiæ diuinæ illuſtratione nobilem, à Deo receſſurum, Solem Iuſtitiæ negaturum, ac in nocte infidelitatis relictum à beſtiis infernalibus vorandum fore; peto ergo à te Domine, ne hoc contingat, ne eos relinquas in tenebris crudelibus expoſitos Feris. Ita exponit Incognitus, *in Pſalm. 73. ad verſ. 1231. Videns ergo Pſaltes, quòd Iudæi quamdiu in ſecunda captiuitate manent ſunt alieni à fide Chriſti, & ſic morientes dæmonibus perpetuo cruciandi traduntur, orat, vt Deus ipſis miſereatur, ipſos ad fidem conuertendo, dicens; Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*. Reſpice Chriſtum, admitte Solem ò perfide, & indurate Iſraelita, ne beſtiis deuorandus derelinquaris.

3 Temeritatis igitur incurrit notam quicumque noctu per ſyluas, vbi latibula ſunt ferarum, incedit; & omnino mente laborat, qui iiſdem in locis nocturno tempore requieſcit; nam Belluæ, quæ diu latent, noctu excurrunt, & ſoporatum, nihilque metuentem inuadunt, rapiuntque. Haud equidem minoris inſaniæ ſignum, in hac vita, quæ ſine gratia nox eſt, Deum, increatum nempè Solem deſerere, nam ex eius abſentia, fit nox in Anima, & infernales Belluæ, quæ in gratiæ die parum audent, in nocte maximam animarum direptionem faciunt; Idcirco monebat Apoſtolus, omnes ſobrios, vigileſque perſiſtere, ac orationibus muniri, ne raperentur: *2. Petr. capit. 5. verſic. 9. Fratres ſobrii eſtote, & vigilate; quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide*; Dicit autem vigilate, vigilare enim nocti congruit; nam ſicut Leo nonniſi de nocte prædatur, ita Diabolus in nocte gratiæ, cum ſine Deo cor eſt, ipſum decipit. Teſtatur hoc D. Hieronymus, *in cap. 3 Nahum. tom 5. pag. 178. lit. B. Difficile Leo inuenitur in die, ſed ſemper in noctibus circuit, vt de Eccleſia Chriſti rapiat, vt eſcis, iuxta Habacuc ſaturetur electis. Iudas diſcipulus Chriſti fuit, & raptus à Leone ſuſpendio ſuffocatus eſt*. Quid faceret Iudas in nocte, Dei gratia deſtitutus, niſi in ſæuis Leonis fauces irruere? Time ò Chriſtiane ſine Solẽ ambulare, ſine Chiſto viuere, ne rapiaris.

Ian. de Mata.

§. IV.

Propter Paſtorum negligentiam Grex Domini deuaſtatur.

1 *IN ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*: Cum agreſtes Belluę noctu ad ſibi quærendam eſcam perambulabant, qui iumentorum domeſticorum, ac ouium præſertim curam habent, ſemper vigilare debent, ne quando dormientibus ipſis, feræ Gregem diſperdant. Ita prorſus Prælati, qui Dominico Gregi præſunt, ſemper ſuper ipſum vigiles oportet eſſe, ne infernalium Beſtiarum incurſu iacturam incurrat. Ideo namque monentur hic de nocte Feras incedere, vt moneantur latenter dæmones prædari, vt otio torpẽtes oues diſperdãt, ac Paſtores negligẽtię ſopori deditos decipiant: atq. ſic admoniti vigilent, neq; aut negligentia, aut exemplo peſſimo, gregem, vel deſerant, vel inficiant. De hoc D. Hieronymus, *lib. 11. in Ezech. tom. 4. pagin. 439. lit. F.* ait. *Diſperſus eſt Populus Dei, vel vitiis, vel errore hæreticorum; eo quod non eſſet Paſtor bonus, qui poneret animam ſuam pro ouibus, ſed omnes mercenarij, qui lucra tantum de gregibus, conſiderant, & cum lupum viderint fugiunt, quorum negligentia Grex Domini deuoratur à beſtiis agri; de quibus ſcriptum eſt: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.*

2 Inter omnes pecudes humano ſeruitio deputatas, vna eſt ouis, quæ omnium ſimpliciſſima, eaque Paſtoris ſui amantiſſima eſt; & quaſi ratione prædita, cum præ omnibus agnoſcit, vocem eius audit, ipſum præeuntum ſequitur. Quod ſi aliquando inſaniens Paſtor per inuia, & abrupta loca, ac præcipitio expoſita gradiatur, ſimplex grex ipſum fideliter ſequendo ad præcipitium currit. Sacerdotes, & Prælati, paſtores ſunt Dominici Gregis; & fideles ipſos ſequuntur, & imituntur: porrò ſi Prælati malè viuunt, & per vitia publicè excurrant, prauitate ſua oues perditioni exponunt; credentes enim ea ipſa ſibi licita, que maiores faciunt in æternam labuntur ruinã. Id obijciebat Iſraelitarum Sacerdotibus, ac Principibus Propheta Malach. *c. 2. v. 8.* dicens. *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum.* Quia namq; à Domini mandatis receſſerant, & ſuo exemplo aliis peccandi libertatẽ faciebant, pactũ Domini tranſgrediebantur: quare Lyranus ait: *Irritum feciſtis pactum Leui; ex veſtro modo viuendi. Cũ paſtor per abrupta graditur, conſequẽs eſt, vt ad præcipitium grex ſequatur.* Peccatũ Prælatorũ maximũ eſt; ſed ſi publicũ fiat, peſtilentiæ æquiparatur.

3 Eam habent analogiam ſubditi ad Prælatos ſuos, quam corporis membra ad caput: caput enim omnia alia dirigit membra, cœteriſque imperatur; cum autem caput optimè valet, reliqua benè ſe habent: at cum dolet illud, languent omnia; ſi Sacerdotes, Prælati, Principes, boni ſunt, virtutibus incumbentes, ac optimum præbentes exemplum; dum bona prædicant, & perfectiora exequuntur membra Chriſtiani corporis, oues Chriſti optimè valent; ſi autem è conuerſo ex eorum numero ſunt qui dicunt, & non faciunt, totus malignabitur populus, & conſequenter peribit. Hoc inſinuabat Propheta Iſai. *c. 1. v. 5.* cum dicebat: *Omne caput languidũ, & omne cor mærens*: quaſi diceret: Quia caput lãguet, idest Principes, & Sacerdotes populi mali ſunt, etiam cor, & reliqua mẽbra, vulgus ſcilicet à vitiis conculcantur, illorum exemplo: Approbat hoc Diuus Bernardus, *ſermon. ad Paſtor. in Synod. pagin. 404. lit. M. Dolor capitis in membra redundat; capita populi ſunt Sacerdotes; omne caput languidum, & omne cor mærens: languent Prælati Eccleſiæ in cupiditatibus ſuis: quia ergo languor eſt in capitibus mæror oboritur in cordibus.* Quæ ſanitas in membris erit languente capite? Sic nec Prælato peccante iuſtus populus inuenietur

4 Angulares lapides in Ædificiorum fundamentis ponuntur, vt domum fulciant; euertitur igitur domus, ſi illi eruantur: neque illinc ablati, & in capite platearum poſiti ad aliud deſeruiunt, niſi ad viam conſtruendam, ac ſtrandam; Lapides angulares diuinæ domus eſſe Prælatos manifeſtum eſt, qui in fundamentis ſunt poſiti; nam in eorum doctrina, & exemplis Fidelium ædificatio fundatur; Quòd ſi minimè in fundamentis virtutum permaneant, ſed in capitibus platearum diſtendantur, ideſt ſi per vitia ambulantes, viam latam perditionis faciliorem reddunt, omne Fidelium Chriſti Ædificium conſternitur. Suæ Ciuitatis exitium in ſpiritu plorans Ieremias, hoc memorabat: Thren. *cap.* 4. *verſicul.* 1. *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, in capite omnium platearum*; Quæ verba expendens Idem Melliſluus Doctor, ait. *Et verè in capitibus omnium platearum diſperſi ſunt lapides ſanctuarij: Plateæ latæ ſunt, & lata eſt via, quæ ducit ad mortem. Lapides ſanctuarij, ideſt Sacerdotes, ſunt in capitibus, ideſt in introitu viarum latarum: docent enim populos per praua exempla ingredi vias latas, quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum Inferni.* Væ, væ Paſtoribus negligentibus, qui ouium deuaſtationem ſua malitia, & negligentia cauſant; Quid Domino rationem officij ſui reddituri reſpondebunt? Heu miſeri, audient vtique ſe ad æternas tenebras damnatos cum impijs puniendos.

§. V.

Crudeles Beſtiæ Dæmones ſunt.

1 IN *ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ Syluæ*. Neque enim myſterio vacat, quod hic de Beſtijs fiat mentio, & hoc ſpeciali nomine vocentur ſylueſtres feræ, nam ſi nominis ethimologiam ſpectemus, Beſtia, quaſi Vaſtia à vaſtando dicitur, quia omnia vaſtat, iumenta, hominesque prædatur, arbores, plantasque euellit, montes ad Caueam extruendam effodit: cum igitur omnia vaſtet, vaſtia, ſeu beſtia dicitur. Simulacrum ergo, ad viuum Dæmones repræſentans, agreſtes Beſtiæ ſunt; omnium enim animarum bona vaſtare, & dilapidare non ceſſant, ipſam animam rapiunt, & maculant, corpus affligunt, Monaſteria ſpoliant, virtutes proſternunt: quapropter haud immeritò hic nomine Beſtiarum Dæmones intelliguntur; qui in nocte peccati per ſyluam animæ debacchantur: Vnde Incognitus ait. *In ipſa pertranſibunt omnes Beſtiæ Syluæ: Quid enim per beſtias Syluæ niſi Dæmones hic accipimus? Non enim immeritò beſtia dicitur Diabolus. Beſtia enim quaſi Vaſtia, à vaſtando dicitur, & Diabolus omnia vaſtare nititur bona, & corrumpere.*

2 Quædam Beſtiæ reperiuntur, quæ vel corporis pulchritudine, vel oris odore, vel blandienti vultu ſimplices decipiunt, dum enim formoſa ſpecie allecti, vel odoris ſuauitate delectati, fugere negligunt, ab illis beſtiis compræhenſi dilaniantur. Beſtiæ ſunt Dæmones, nam ſub ſpecie delectamenti, vel ſenſuales voluptates, vel honorum culmen, vel diuitiarum nitorem, vel Dignitatum faſtum proponunt, his humanus inlectus animus, & attractus, ſe vitiis tradens, in Beſtiarum crudelium incidit manus, quæ poſt poſſeſſionē ſecuram, ſequuta morte, ſæuiſſimè eam cruciant: Iuſtus autem, qui cauere nouit inſidias infernalium beſtiarum, ac mundialia bona paruifacere, has beſtias timere non poteſt; nam illi dictum eſt: Iob, *cap.* 5. *verſ.* 22. *Et beſtias terræ non formidabis*. Ita ex Diuo Gregorio colligit Incognitus, *loc. cit. in ver.* 1774. *Diabolum ratione ſuperbiæ beſtiam appellat ſcriptura, dicens cuilibet humili: Beſtiam terræ non formidabis: Quod exponit Gregorius, dicens: Callidus quippe aduerſarius beſtia terræ dicitur; quia ad capiendas mortis tempore animas ſuperbia crudelitatis effrenatur. Quos enim viuentes blandiens decipit, hos morientes ſæuiens rapit.* O ſæua ſupplantatoris aſtutia; ſed mirari deſine, crudelis Beſtia eſt.

3 Cum de Beſtiarum Principe Behemoth loqueretur Patientiſſimus, inter alia hæc habuit, Iob, *cap.* 40. *ver.* 15. *Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludunt ibi.* Beſtiæ cum in agrum florentem deuenerint, varios ibi ludos exercent præ lætitia optimi pabuli. Sed morales beſtiæ, hoc eſt dæmones, etiam ipſæ agris florentibus delectantur; Ager mundus eſt, qui tunc florere creditur, cùm mundani homines per ſuperbiam extolluntur: neque enim gratior eſca reperiri poteſt dæmoniis, quam ſuperborum elatio; tunc ludunt in agris beſtiæ iſtæ, cum animam ſuperbis operibus onuſtam offendunt: ita ſenſit Diuus Gregorius, *libr.* 33. *capit.* 2. *moral. pagin.* 1061. *liter. C. Ager autem eſt mundus: Agri ergo Beſtiæ in herbis ludunt, quia proiecta de ſuperioribus in hoc mundo Dæmonia prauis ſuperborum operibus delectantur. Beſtiæ in agris ludunt, cum reprobi ſpiritus humana corda in illicitas cogitationes pertrahunt.* Crudelis ſæuitia eſt de malis noſtris ludum facere, de perditione lætari.

4 Mos apud Romanam Rempublicam olim viguit, vt quorumdam criminum rei, in pœnam delictorum ſuorum beſtiis traderentur, vtique dilaniandi; quam pœnam nō pauci Martyres Sancti, licet immeritam, ſubiere. Hanc mulctam Dominus etiam, ac Rex noſter Deus imitatur; nam peccatores in ſuis ſceleribus obſtinatos decedentes, infernalibus beſtiis, ad cruciatum æternum tradit. Cuius ſupplicii mentio in Apocalipſi habetur: Cum enim mortis Angelo poteſtatem dediſſet Deus interfectionis in omnes homines magnæ, inter alia ſuppliciorum genera, beſtiæ numerantur: *capit.* 6. *verſicul.* 8. *Data eſt ei poteſtas ſuper quatuor partes terræ interficere gladio, fame, morte, & beſtiis terræ*: Per beſtias verò terræ Dæmones intellexiſſe Diuus Bernardinus Senenſis teſtis eſt; qui quibuſcumque feris ferociores, & crudeliores ſunt: eſtque extremum, ac nimis tremendum ſupplicium; poſt præſentis vitæ terminum, poſt mortis dolores, tradi cruciandos Dæmonibus, *ſer. fer.* 5. *Dom.* 1. *Quadrag. tom.* 1. *pagin.* 65. *columm.* 2. *Beſtiis terræ, ideſt Dæmonibus. De quo euadere ſuos Pſalmiſta orabat, dicens: Ne tradas beſtiis Animas confitentes tibi.* Beſtiæ igitur ſyluæ Dæmones ſunt, qui noctu, cum per peccatum in Anima tenebræ factæ ſunt, excurrunt, vt rapiant, crucient, dilanient. Heu fugite mortales crudelium beſtiarum incurſum, deuitate ſuperbiam; nam vt ait Diuus Gregorius Magnus, *loc. cit. Pro eo enim, quod ſuperbi quique nullum malum cogitando prætereunt, nulla eſt agri beſtia, quæ non horum montium herbis ſatietur.* Ne igitur efficiamini Montes, ſuperbiendo; non ſint herbæ florentes mundialium deliciarum in vobis, vt ſic pabulum infernalibus beſtiis eſſe fugiatis.

Radius

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimus.

Per ſuæ protectionis abſentiam tenebroſa fit Anima noſtra; accedit nox culpæ, & tranſitus Beſtiarum infernalium.

CVm Sol à nobis abeſt, non tamen omnino ſunt tenebræ, licet ſit nox, dummodo alterius Luminaris globus radijs plenis illuceſcat: non omnino rerũ cognitione priuatur homo, quia licet tã diſtinctas, vt de die non ſecernat, aliqualiter nihilominus cernit. Luminaria noſtra Chriſtus, & Maria ſunt; ſi nobis peccati nox accedit, & ſine Dei gratia inuenimur, in tenebris ſumus; ſed ſi Beatiſſimæ Virginis protectionem habemus, non omnino caligo ſpem opprimit. Quòd ſi (quod auertat Deus) etiam Mariano præſidio deſtituimur, ſpes nulla remanet, vndequaque infernalibus tenebris cingimur, neque poſt illas lucem expectare fas eſt: Idcirco dicitur, *Poſuiſti tenebras*, ideſt abſtuliſti Mariæ Virginis protectionem; *& facta eſt nox*, culpæ ſcilicet, deſperata gratiæ luce; Quare ad ipſam clamabat Diuus Anſelmus Epiſcop. Cantuarienſ. *apud D. Bonauent. in Pharetr. libr. 1. capit. 5. tom. 6. pagin. 110. columm. 1. liter. E. O Beatiſsima, omnis à te auerſus neceſſe eſt interire.* Nulla ſpes ſalutis, Vbi Virginis protectio deeſt.

Vbi Mariæ protectio non eſt, ibi tenebræ malorum.

1 PRouidentia ineffabilis Dei noſtri, cum Cælum diſtaret ad illuminandam terram, hæc duo præſtantiſſima lumina Solem, Lunamque creauit, vt tempus vllum eſſet, quod non ſua luce frueretur; neque horum, reliquorumque ſyderum lux aliquando deficiet, niſi cũ extremum Vniuerſo exitium imminet: tunc enim, *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de Cælo*: Tunc denſiſſimæ erunt tenebræ, neque aliquid omnino videri poterit. Hoc igitur ſignum interitionis mundi prognoſticon erit. Quod in mundi ex luminarium defectu contingit, id & in myſtico microcoſmo, ex myſticorum luminarium abſentia efficitur: dummodo tantum Sol deſideratur Iuſtitiæ, nox eſt, & tenebræ, cum Dei gratia deſit; verùm ſi Mariæ patrocinium ſplendet, quaſi Aurora diei reditum repromittit; ipſa verò etiam diſcedente, nulla ſpes ſalutis reſtat; audi quid dicat D. Bernardus, *ſerm. de Aquæduc. pagin. 273. lit. A. Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, quid niſi caligo inuoluens, vmbra mortis, & denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?* Tunc tenebræ graſſantur in anima, cum Mariæ fulgentiſſimum ſydus protectionis ſuæ radios in eã non mittit; neq; ſperanda lux vlla vbi non effulget Aurora.

2 Superius in expoſitione literali præcedentis verſus, viſum eſt, Solem, ac Lunam magnas terræ vtilitatem afferre; nam præter illuminationem influunt etiam ad rerum omnium generationem tanquam vniuerſaliſſimæ cauſæ: vnde terra ab eorum aſpectibus fœcundatur, neque ſine horum luminum adiutorio fieri poteſt, vt terra germinet: Ea igitur loca deſerta ſunt, quæ horum ſyderum radios excipere ſecundum menſuram nõ poſſunt: ſi redolent flores, ſi germinant herbæ, ſi creſcunt arbores, ſi renaſcuntur frondes, ſi matureſcunt fructus, ſi cadunt ſuo tempore pluuiæ, aut roris guttæ, ipſis debent, hæc ſuo motu producentes. Quæ cum ita ſe habeant, deſinat ille mirari, quiſquis is eſt, qui Canticum Canticorum percurrens offendit illa verba de Glorioſa, & Immaculata Deipara, *c. 8. v. 5. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* Vbi terram, ex qua ſeſſura in Cœlum aſcendit Maria, deſertum vocat, quo tamen minimè obſtante delicijs referta deſcribitur. Deſinat inquam ille mirari, nam ſi terra luminarium influxibus deſtituta, deſerta eſt; quidni in Cœlos aſcendente Maria, deſerta terra noſtra vocetur: ſiue ipſam terram intelligas, ſiue melius, & verius Animam, à qua etiam per protectionem recedit; quid illi aut boni eueniet, aut delectationis continget, aut gratum occurret; Cæci lumina deſpicit oculus, qui animæ lucem amiſit: iucunditates nauſeat mundanas, qui diuinum perdidit ſolatium. Huc reſpicere videtur Iſidorus, *Epiſ. Theſſalonic. orat. 4. pagin. 112.* dum in eius aſſumptione perorat. *Quid nobis in poſterum ſolatio erit? quis malorum ſubleuator? imò verò quis magiſter, & ſalutis author animam illuſtrans, cogitationes purgans, mentem illuminans, quæ nobis Domina præſtabas? Aſcenſio in Deum, & manu, & lingua ſapientiam docens? Quomodo Sol, vel quænis alia lucidiſſima res iucunda nobis videri poſſit, iucundiſſimo tuo aſpectu, & familiaritate orbatis?* Anima, cui tanta deſunt deſertũ eſt, à Virginea Luna deſerta.

3 Cum humanam vitam accuratè penſaret patientiſſimus Principum, concluſit vitam eius militiam eſſe, Iob, *c. 7. v. 1. Militia eſt vita hominum ſuper terram.* Et re vera militia eſt, nam tot cum hoſtibus congreditur miſerabilis homo, vt vix ei ad ſe defendendum, aut ſuppetant vires, aut ſufficiat tempus. Caro noſtra infirma, fragilis, caduca alliciendo decipit, delectando deiicit: Diabolus tentationibus vrget: Mundus tot anguſtiis præmit, tot neceſſitatibus angit, tot afflictionibus, & ia-

dentibus benedicat Deo, contra triſtiore quapiam calamitate afflictus laudes reticeat Dei: quando tunc quoque gratiæ vberiores agendæ ſunt. Quod expræſſè docet in in Scholio eiuſdem Pſalmi, *pag.* 013, *col.* 2. *lit. C. Benedicam Domino in omni tempore: ſiue fugiã, inquit, ſiue perſequar, ſiue proſperè, ſiue adflictè agam, Dominum meum celebrabo.*

7 Tempus malum eſt cum propter munera Iudices iudicium peruertunt, vt ait Propheta Amos, *c.* 5. *verſ.* 13. *Tempus malum eſt*, & interl. Gloſſ. *Tempus malum eſt; quia nullus, qui velit audire rectè iudicantem.*

8 Tempus eſt vita, & operationes creaturarum, vnde dicitur Iob, *cap.* 24. *Ab Omnipotente non ſunt abſcondita tempora*, & D. Gregorius, *lib.* 6. *c.* 20. *mor. pag.* 678. *lit. A. Nos itaque intra tempora voluimur, ex eo quod creatura ſumus. Ait ergo: Ab Omnipotente non ſunt abſcondita tẽpora, quia ipſe quidem noſtra comprehenſibiliter cõſpicit.*

9 Tempus tenebris ponere, eſt iniquis finem peccandi indicere, de quo Iob, *c.* 28 *v.* 3. *Tempus poſuit tenebris*, & Idem Gregorius, *lib.* 18. *c.* 17. *pag.* 717. *lit. B. Ipſe poſuit tempus tenebris, iniquis videlicet modum, quo iniqui eſſe deſiſtant.*

10 Tempus ſtruthionis eleuandi alas, eſt opportunitas Hypocritæ ſua bona manifeſtandi, de quo idem Iob, *c.* 39 *Cum fuerit tempus in altum alas erigit*, & Gregorius, *lib* 32. *c.* 9. *pag.* 1015. *lit. A.* itidem. *Quid enim alas huius ſtruthionis accipimus, niſi preſſas hoc tempore, quaſi complicatas hypocritæ cogitationes? Quas cum tempus fuerit in altum eleuat, quia opportunitate cõperta, eas ſuperbiendo manifeſtat.*

§. III.

De Solis Hieroglificis.

1 SOl, vidimus iam, eſt ignea lux omnem illuminans mundum: Et primo ſignat claritatem Dei, de qua dicitur, Pſalm. 71. *verſ.* 5. *Et permanebit cum Sole*, ideſt Chriſtus, de quo loquitur Pſalmus, & D. Hieronymus, *in Pſ.* 71. *pag.* 118. *lit. E. Permanebit cum Sole, cum claritate paterna.*

2 Chriſtus eſt Sol, quo Eccleſia veſtitur, Apoc. *c.* 12. *v.* 5. *Mulier amicta Sole*, & D. Auguſtinus, *in Pſ.* 141. *pag.* 674. *col.* 1. *lit. A. Itaque & illa mulier Sole cooperiebatur, Sole ipſo Iuſtitiæ, quem non cognoſcunt impij.*

3 Significat Sol B. Mariam Virginem, in quo Deus poſuit tabernaculum ſuum, vt dicitur in Pſalm. 18. *v.* 5. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, vbi D. Hieronymus, *in Pſ.* 18. *pag.* 32. *lit. H. Deus in Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. In Sole, in vtero Sanctæ Mariæ Virginis.*

4 Sol Charitas eſt, quæ reliquas virtutes illuſtrat, vel etiam intellectus, Cantic. *c.* 6. *verſ.* 9. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol*, ideo dicitur anima, & D. Bernardus, *ferm.* 27. *in Cant. pag.* 153. *lit. L. Eſt ergo Cœlum ſancta aliqua anima habens Solem Intellectum, Lunam Fidem, Stellas Virtutes. Vel certè Sol Iuſtitia, Zelus, aut feruens Charitas, & Luna continentia: quomodo enim caritas, vt aiunt, Lunæ nonniſi à Sole eſt, ſic abſque Charitate, ſeu Iuſtitia continentiæ meritum nullum eſt.*

5 Sol, quo veſtitur Eccleſia, eſt illuſtratio veritatis, vnde de ea dicitur Apocal. *c.* 12. *v.* 1. *Mulier amicta Sole*, & Diuus Gregorius, *libr.* 34 *c.* 12. *moral. pagin.* 1096. *liter. E. In Sole verò illuſtratio veritatis accipitur: ſancta autem Eccleſia, quia ſuperni luminis ſplendore protegitur, quaſi Sole veſtitur.*

6 Sol ſignat Sapientiam; vnde de viro ſapiente intelligitur: Apocalipſ. *c.* 16. *verſ.* 8. *Quartus Angelus effudit phialam ſuam in Sole*, & idem Gregorius, *loc. cit. pagin.* 1094. *liter A. Phialam videlicet in Solem effundere eſt perſecutionis ſupplicia viris ſapientiæ ſplendore fulgentibus irrogare.*

7 Sol eſt perſecutio: vt in Euangelio dicitur de ſemine Verbi Dei, Matth. *c.* 13. *verſ* 5. *Alia ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam, & exorto Sole aruerunt*, & Diuus Gregorius, *loc. cit. Sole perſecutio deſignatur, ſicut in Euangelio veritas dicit; quod nata ſine radicibus ſemina orto Sole aruerunt: quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia, ſuperueniente perſecutionis ardore ſiccantur.*

8 Sol eſt proſperitas; de quâ dicitur, Pſalm. 120. *verſ.* 5. *Per diem Sol non vret te*: vbi Diuus Hieronymus, *in Pſalm.* 120. *pagin.* 215. *lit. B. Iuſtus nec in proſperis eleuari poteſt.*

9 Sol eſt iniquitas: à qua defendit vmbra Chriſti: quod ſibi contigiſſe Sponſa teſtatur, Cantic. *c.* 2. *verſ.* 3. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi*: & Diuus Ambroſius, *ſermon.* 5. *in Pſalm.* 118. *tom.* 2. *pagin.* 264. *liter. B. In vmbra, inquit, illius concupiui & ſedi; Bona vmbra, quæ nos ab iniquitatis Sole defendit.*

10 Sol eſt bonum opus; & Sol cum fulgore, eſt bonum opus in publico, de quo Iob, *c.* 31. *verſic.* 26. *Si vidi Solem cum fulgeret*: vbi Magnus Gregorius, *libr.* 22. *c* 4. *moral. pagin.* 804. *liter. A. Sol quippe cum fulgore, eſt bonum opus in manifeſtatione. Bonum quippe opus dum in medio perfidorum lucet, Lucerna ardet in nocte: cum vero in Eccleſia reſplendet, Sol fulget in die.*

11 Sol eſt ardor concupiſcentiæ; idcirco pollutus in nocte, qui iubetur exire extra Caſtra, iubetur redire poſt Occaſum Solis: Deutoronom. *c.* 23. *Poſt Solis occaſum regredietur in Caſtra*, & idem Gregorius, *libr.* 9. *c.* 31. *moral. pagin.* 535. *liter. B. Poſt occaſum Solis ad Caſtra redeat, quia deferueſcente tentationis ardore, neceſſe eſt, vt iterum fiduciam erga ſocietatem bonorum ſumat.*

12 Sol eſt Prudentia, quæ omnes virtutes dirigit; & ideo dicitur Luminare maius, quia Aſtrorum eſt regula, de qua dicitur, Geneſ. *c.* 1. *ver.* 16. *Fecit Deus duo Luminaria Magna*: & Lyranus, *Fecit duo Luminaria, per quæ virtutes morales poſſunt deſignari. Per Solem quod eſt Luminare maius Prudentia, quæ alios dirigit ſignatur.*

13 Sol eſt Satan, qui adurebat corda hominum, à quo vt defendantur fideles ſub vmbra Chriſti viuunt, de quibus prædictum eſt, Thren. *c.* 4. *verſic.* 20. *Sub vmbra tua viuemus in gentibus*: & Origenes, *Hom.* 3. *in Cantic. tom.* 1. *pagin.* 326. *columm.* 2. *Sed hunc ardorem tenuiter quidem vmbra legis propellit; Chriſti vero vmbra, in qua nunc in gentibus viuimus, ideſt incarnationis eius fides, auertet penitus, & extinguet. Ille enim qui adurebat ambulantes ſub vmbra legis, tempore Paſſionis Chriſti ſicut fulgur viſus eſt cecidiſſe de Cœlo.*

14 Solis vſtio, eſt ſcandalum: de quo Pſalm. 120. *verſ.* 6. *Per diem Sol non vret te*: vbi Diuus Auguſtinus, *in Pſalm.* 120. *pag.* 586. *columm.* 1. *lit. C. Quid eſt vſtio? ſcandalum.*

Digitized by Google

Verſus Vigeſimus.

תָּשֶׁת חֹשֶׁךְ וִיהִי לָיְלָה בּוֹ תִרְמֹשׂ כָּל חַיְתוֹ יָעַר׃

Verſio ex hebræo; *Pones tenebram, & erit nox, in ipſa perrepent omnia Animalia ſyluæ.*

Vulgata editio: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.*

D. Hieronymus: *Poſuiſti, &c. In ipſa mouebuntur omnes beſtiæ ſyluæ.*

Pagninus, & Arias: *Pones tenebroſitatem, & nox fuit, in ipſa ambulabit omnis beſtia ſylueſtris.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

IN hoc verſu de tenebrarum, noctiſque neceſſitate peragitur. Vbi aduertendum eſt, duo illa verba תָּשֶׁת, & יְהִי eſſe futuri temporis; poſſe tamen pro præterito etiam ſumi ex ſuperioribus patet: hìc tamen in futuro ſumenda eſſe, tempora ſequentia ſatis indicant: verbum autem רמש à quo futurum תרמוש *repere* ſignificant, quod propriè Animalibus de nocte incedentibus conuenire videtur. Perperam autem Arias Montanus, vertit *pones* in futuro; & deinde ſequutus Pagninum, *& fuit*, in præterito. De Beſtijs alibi abundè actum eſt; hìc ſolum de tenebris, & Nocte videndum eſt.

SVMMARIVM.

1 *De Tenebrarum, ac Noctis neceſſitate, & vtilitate.*

2 *An dies à nocte, vel à die, ideſt à tenebris, vel à luce exordiatur.*

§. I.

De tenebrarum, & noctis neceſſitate, & vtilitate.

1 POſuiſti tenebras, & facta eſt nox*: Lucem, ac tenebras creauit Dominus ab initio tenebras autem ante lucem extitiſſe apertè in Geneſis initio legimus; Moyſem imitatus Dauid, hoc verſu tenerbrarum mentionem facit, de Solis vero exortu poſtmodum locuturus. Tenebrę ergo nō ſunt aliqua poſitiua ſubſtātia, ſed, ſolū lucis carentia in aliquo corpore, quod propterea adumbratum cernitur; & hoc modo antequam ignea crearetur lux; *Tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi; Geneſ. c. 1. verſ. 2.* vt obſeruat D. Theodoretus, *quæſtion 7. in Geneſ pag. 2. column. 2. tom. 1. Didicimus igitur tenebras eſſe neceſſarias. Quod autem non ſint ſubſtantia, ſed res quedam accidentaria, facile eſt intelligere, nempe quod ſunt Cęli, & terræ adumbratio; quamobrem oriente lumine euaneſcunt tenebræ.* Verum obiicere aliquis poſſet: Quomodo tenebræ ſubſtantia non ſunt, dum & ipſis effectio conuenit, quæ Priuationi conuenire non poteſt? Nam præmiſſa ſententia Geneſis, in qua prædicatur earum exiſtentia, cum dicitur: *Tenebræ erant*: in hoc verſu clarius indicatur, nam ait Propheta: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox*: portò *ponere* actionem ſignificat poſitiuam. Attamen obſeruandum eſt Tenebras non eſſe aut negationem, aut nihil purum; ſicuti erat negatio Lucis ab æterno, ante inceptam rerum creationem, ſed ſunt carentia Lucis in ſubiecto apto illam recipere: ita pariformiter, Animal luminibus captum dicitur cœcum, eo quod ei conueniat viſio, qua caret; non tamen plantæ cęcæ dici poſſunt, quia omnino eis viſio incompetens eſt; hoc igitur modo dicuntur fieri tenebræ, vt cęcitas; cum enim homo, vel aliud animal, cui ad ſui perfectionē viſus debetur, ſine illo eſt, dicitur effecta cęcitas; ſic in mundi exordio poſtquam tria elementa Lucis ſuſceptiua, & illuminabilia creata fuerunt, ſcilicet Terra, Aqua, & Aer, dicuntur effectæ tenebræ. Ita D. Bonauentura, *in 2. ſent. diſt. 12 in expoſit. text. pag. 168. column. 1. lit. C. Dicendum quod tenebræ ſemper accipiuntur priuatiuè; & quoniam priuatio requirit contrarium alicuius ſubiecti, Tenebra ſemper aliquid præſupponit in obliquo. Vnde tenebra non dicit tantum non exiſtentiam lucis; ſed etiam cum hoc addit aptitudinem corporis illuminabilis: quia ergo tenebra dicit priuationem lucis, ideo dicitur eſſe facta.*

2 Neque caſu dictum eſt à Propheta: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox*: Sed vt manifeſtè appareret, tenebrarum, ac noctis effectionem vtilem, ac neceſſariam mundo fuiſſe. Prima ergo noctis, & tenebrarum vtilitas eſt temporis diſcretio, nam per noctem, & diem integratur dies naturalis, ex quibus poſtea Menſes, & Anni diſtinguuntur. Ideoque Creator Dominus tenebras prius fecit, deinde lucem; diuiſit deinde inter lucem, & tenebras, aſſignando cuilibet ſuum ſpatium occupandi Hemiſphęrium; & tandem diſcretione peracta, impoſuit illis nomina: *& appellauit lucem diem, & tenebras noctem*: vbi nomine diei artificialis intelligitur, ideſt ſpatium, quod illuſtratur à Luce; quod quia nobilius eſt, toti diurno motui naturalis diei nomen dedit. Hanc rationem aſſignat D. Joannes Chriſoſtomus, *Hom. 3. in Geneſ. tom. 1 column. 11. lit. C. Et diſtinxit Deus inter lucem, & inter tenebras. Quid eſt diſtinxit? Vnicuique locum proprium diſtribuit, congruumq; tempus definiuit. Et poſt.*

Et poſtquam hoc factum eſt tunc cuique ſuum vocabulum indidit: Vocauit enim, inquit, Deus lucem diem, & tenebras noctem. Per hanc ergo diſtinctionem tempora ſecernuntur; & hæc eſt prima temporis diſcretio, uam mēſis, & annus nonniſi quarta die cum Luminaribus, & ſyderibus cępere. De horarum verò inuentione nil innuit ſcriptura, ſanè in principio mundi an fuerint, incertum eſt. Referunt nonnulli, *ap. Paul. Sherlog. in antiq. hebraic. lib. 2. diſſen. 1. ſect. 7. pag. 241. colum. 2.* à Maximo Mercurio in Ægypto horas repertas, dicunt enim, *Horarum autem duodecim hæc eſſe origo memoratur: quodā tempore Hermes Trimegiſtus, cum eſſet in Ægypto ſacrum quoddam animal Serapi dedicatum, quod in toto die duodecies vrinam feciſſet pari ſemper interpoſito tēpore, per duodecim horas diem diuiſum eſſe coniecit; & exinde horarum numerus cuſtoditur*. Sunt qui hanc fabulam credant, nec deſunt, qui hanc proprietatem cuidam Animali (quod deſcribunt) putant naturaliter ineſſe neque id mirum cum gallinaceum Gallum ſtatutis horis canere, præſertim in meridie, media nocte, Aurora, & Veſpere intueamur, ex quo prima dierum diuiſio inuēta eſt. Certè Hermetem, ſeu Mercuriū Trimegiſtū Authorem amplector; Sherlogus tamen loco citato decipitur putans hunc Mercurium Moyſe poſteriorem fuiſſe; nam per aliquot ſæcula ipſum præceſſit, quippe qui Noe, & filijs eius conuixit, vt fusè alibi dictum eſt.

3 Altera ſpecialis noctis vtilitas eſt quorumdam Animalium, Hominis præſertim quies, & aliorum operatio, Nam dum dies illuceſcit, Homo, ac Iumenta operantur, & latitant Feræ, Veſpera verò adueniente exeūt ad prædandū Feræ, Homines, & Iumenta ſoporantur, & quieſcūt; idcirco dicitur: *In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*. Ideo ait Chriſoſt. *Hom. 11. in Geneſ. tom. 1. col. 52. lit. D. E. Noctem ſegregauit in requiem, & remiſſionem laborum, &c. Nam inſurgente Veſpere Lux abſcedit, & ſuccedentes tenebræ humanam naturam ſopiunt, & corpus, quod laborauerat quieſcere faciunt, ac ſenſus omnes remittunt: & quaſi Nutrix optima ſenſorijs omnibus quietem à laboribus, fatigationibuſque concedunt*. Hanc etiam rationem ſibi ipſi reddit Diuus Theodoretus; cum enim cauſam veſtigaſſet creationis tenebrarum poſt Lucem, ideo factam putat, vt hominibus quies, Belluis verò operandi tempus aſſignetur. Multa enim ſunt terreſtria animalia, neque pauca volatilia, quę vel viſus debilitate, vel alijs de cauſis diurnam lucem haud ſuſtinent; iis ergo ad ſuas operationes præſtandas, tenebræ neceſſariæ erant: audiamus D. Theodoretum, *loc. cit. Si Deus lumen creauit, quomodo ei tenebras addit, cum hæc inuicem aduerſentur? Sunt quidem inter ſe contraria, ſed ambo neceſſaria: illud enim hominum operibus, & laboribus confert, & apparere facit ea quæ videntur adhortaturque ad collaudandum eorum Authorem. Tenebræ verò quieſcere faciunt, & reparant hominem ſoluta laſſitudine, quam ex labore contraxit. Similiter homines domum cogunt, Beſtijs vero præbent occaſionem pabuli; & hoc apertè nos docet Dauid. Poſuiſti, inquit tenebras, & facta eſt nox; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ Syluæ*.

4 Eſt & alia præſtantiſſima, ac maximè optabilis Noctis, ac tenebræ vtilitas. Nam cum per ſenſuum operationes diſtrahatur Animus, ſpeculationi, ac contemplationi ægrè vacare poteſt die illuceſcente: At occidente luce, & ſenſum operationibus interdictis, ac negotiantium ſopito tumultu; Animus in ſe relictus, facilius proprias ſuas operationes exequitur: itaque noctu magna cum facilitate, vel naturalia ſpeculatur, vel cœleſtia contemplatur: vnde nox ſapientiæ Nutrix nuncupari poteſt; tunc enim amoto ſtrepitu, ſepoſitis curis, addiſcitur Sapientia, Pſalmodia recitatur, fit oratio, Dei mirabilia reuerenti ſilentio reuoluentur; Doctrina hæc à Cirillo Hieroſolymitano traditur. *catech. 9. ap. Gloſſ. Magn. pagin. 910. Quid autem eſt ad ſapientiam nocte commodius? In hac enim perſæpè de Deo cogitamus: in hac lectioni, & contemplationi diuinarum ſcripturarum vacamus. Quando autem magis in Pſalmodiam, & orationem mens noſtra componitur? nunquid non noctu? Et peccata perſæpè noſtra noctu in memoriam reuocamus*. Ea propter Diuina Sapientia de ſe ipſa loquens aiebat: *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie:* Vigiliæ enim in nocte fiunt; & ille beatus eſt, qui vigilat ſpeculando ſapiētiam, quia de facili addiſcet. Hoc feciſſe Nicodemum tradit Ioannes, *c. 3. v. 1. Erat autem homo ex Phariſeis Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum: hic venit ad Ieſum nocte*. Quo in loco quærit Abbas Rupertus, *in c. 3. Ioann. lib. 3. pag. 242. colum. 1. tom. 2. Quid verò gratiæ, quid bonæ, & prædicandæ indolis habet, quòd venit ad eum nocte?* Et reſpondet. *Venit hic ipſe nocte, vt audiret Ieſum ſine turba*. Et poſt nonnulla addit. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. Hic enim ad fores ſapientiæ nocte vna vigilauit totis oculis, non minus animi quam corporis; nocte vna hic ad portas eius, humano dici clauſas vigilauit, &c. Beatus ergo eſt, quia & tenebrarum filios effugiens, lucem in nocte quæſiuit, & inuenit; maximaque ab ore Sapientiæ habuit ſacramenta nocte ſoluta*. Tenebras ergo, & ex eis noctem ad maximam omnium viuentium creauit Deus. His poſſet addi quòd in maximis calorib. nox datur ad terræ refrigerium, & plantarum conſeruationem, ad roris immiſſionem, aliaque permulta, quæ cum ſenſibus pateant, ſuperfluum eſt enarrare.

§. II.

An dies naturalis à nocte, vel à die; hoc eſt à tenebris, vel à luce exordiatur.

1 P*Oſuiſti tenebras, &c.* Occaſionem huius quæſtionis dat Vates Regius in hoc verſu; nam cum opera a Deo facta commemorat, prius tenebras, & ex ea noctem factam dicit; & deinde verſu vigeſimoſecundo de exortu Solis, & Diei agit. Videtur autem Dauid ſequutus in hoc Moyſen, qui tenebrarum productionem, ſeu m auis, exiſtentiam, ante Lucis creationem poſuit; & ex his duobus tanquam partibus naturalem diem compoſuit; Geneſ. c. 1. v. 5. *Appellauitque lucem diem; & tenebras noctem*. Item quotieſcumque naturales dies enumerat, exorditur à Nocte, & à Veſpere; *v. 6. Factumque eſt Veſpere, & Mane Dies primus*. Ex quibus videtur cō cludendum noctem, & tenebras eſſe primam Diei naturalis partem, lucem verò, ſeu mane, ſeu diem, ſecundam.

2 Circa hoc eſt opinio multis Sanctis Patribus, aliiſq; Sacris Doctoribus ferè communis; ſcilicet, Diem a luce non à tenebris inchoaſſe; nam veroſimilius eſt a perfectiori ſicuti & nomen, ita etiam, & principium diem ſūpſiſſe. Probat hanc concluſionem Franciſcus Mendoza in ſuo Viridario, *libr. 4. de florib. Philoſoph. Problem. 36. pag. 105. col. 1.* ex Sacrorum Doctorum placito, ſic. *Vt bene D. Auguſtinus, D. Baſilius, & Caietanus aduertunt: Antequam in mundo detur lux, nulla poteſt eſſe, aut intelligi nox: alioqui propria nox vtrumque occuparet Hemiſphærium. Quo enim pacto dicunt Phiſici in Animali ante vigiliam non dari verum ſomnum, & ante viſum non dari propriam cęcitatem*. Ad illam obiectionem ex primo Geneſis reſpondent omnes pro Veſpere intelligi vltimā partē diei, & pro mane vltimā partē noctis, & ideo præponitur Veſper, quia prius terminatur dies per Veſper, & deinde nox per mane: inter eos autem ait D. Baſilius, *ſerm. 1. in Hexam. pag. 10. colum. 2. lit. D. Et factū eſt veſpere; & mane. Sanè Veſpera, & Diei, & noctis terminus eſt vtrique communis: at mane per aquè eſt ad diē vicinitas. Vt igitur in ordine creationis prærogatiuam deferret diei, ipſius diei finem primo loco commemorat, dein ſubnectit quod vltimum eſt noctis, quando nox diē ſubſequitur*. Hæc Baſilius; cuius expoſitio aliis eſt communis. Obiicit deinde in conformationem huius opinionis Benedictus Pererius; inter noctem, & veſperam eſſe differentiam; & ideo non eſt prępoſita Nox Diei, ſed

Veſper

Digitized by Google

Veſper Mane. Sed licet hæc explicatio loco, ex Geneſi ſatisfaciat, non tamen huic verſui noſtro congruit; nam hic abſolutè tenebræ, & Nox præponitur Diei, non tamquam prior excellentia, ſed productione. Tandem in corroborationem opinionis adduci poteſt mos Chaldeorum, quæ antiquiſſima prædicatur Natio, & in qua natus Abraham; nam Babilone, quæ Chaldeorum eſt Regia, numeratio horarum incipit à Solis ortu.

3 His tamen minimè obſtantibus aliorum ſententia eſt, & præcipuè Abulenſis, quam libenter amplector, Diem naturalem à nocturno cœpiſſe tempore; à tenebris non à luce; ait igitur ille, *in c.1. Geneſ. pag. 3. colum. 2. ſlit. A. Sed fortè ſatis rationabiliter dici poteſt, quod Vespera præponitur, quia tempus tenebrarum fuit ante tempus lucis: ita quod poſtquam Deus creauit primordialem materiam, cum alijs coetus, incepit eſſe tempus, quod menſurabat durationem rerum corporearum creatarum; & à creatione iſta vſque ad lucis creationem tranſierunt duodecim Horæ; ideſt tanta duratio, quanta eſt dum mouetur Sol ab oriente ad occidentem tempore equinoctiali.* Hæc etiam ſententia extitit antiquorum Philoſophorum, & præſertim Maximi Mercurij, cui in hoc magis credo; ita enim refert Peretius. *lib. 1. in Geneſ. pag. 42. lit. C. Porrò noctem, ſeu tenebras præceſſiſſe creationem mundi, præter Mercurium, & Heſiodum, etiam Thales Mileſius ſenſit: rogatus enim vtra prior fuiſſet Nox, an Dies; reſpondit, priorem fuiſſe noctem.* Probatur autem ex Hebræorum conſuetudine, non ex hominū orta placito, ſed ex diuino mandato, Dies enim omnes, & conſequenter ſolemnitates à veſpera incipiunt; Præcipitur namque Exod. *c. 12. v. 18. Primo menſe quartadecima die Menſis ad Veſperam comedetis azyma, vſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam.* Quod exponens Pererius, *in c. 12. Exod. diſp. 9. pag. 384. num. 60.* inquit, *Neque enim in quartadecima die comedebant Hebræi azyma, ſed poſt Solis occaſum eius diei incipiebat quintuſdecimus dies, qui eſt primus Azymorum.* Hoc etiam colligitur ex Euangelio; nam cum Cœnæ Dominicæ tempus duo Euangeliſtæ Ioannes, ac Matthæus deſcribant, diſcordare videntur: nam ille ait, *c. 13. v. 1. Ante diē feſtum Paſcha, &c.* Matthæus autem, *c. 26. v. 17. Prima autem azymorum die acceſſerunt Diſcipuli, &c.* ſed concordat illos D. Thomas, *3. par. qu. 56. art. 9. ad primū, pag. 154. col. 2.* nam Ioannes loquebatur ſecundum morem Græcorum, qui à mane diem incipiebant, Matthæus verò ſecundum Hebræos, qui incipiebant à veſpere. *Eamdem diem, quam Ioannes nominat ante diem feſtum Paſchæ propter diſtinctionem naturalem dierū, Matthæus nominat primam diem azymorum; ſecundum ritum Iudaicæ feſtiuitatis, ſolemnitas incipiebat à veſpera præcedentis Diei.* Huic expoſitioni concordat etiam D. Ioannis Chriſoſtomi, *Hom 82. in Matth. to. 2. col 518. lit. A.* iudiciū. *Primam azymorum eam diem vocat, quæ ante azyma erat: conſueuerunt enim à veſpera ſemper dies numerare, & eius mentionem facit in veſpere, cuius Paſcha erat immolandum.* Secundum ergo hebraicum ritum a veſpere dies incipit. Et confirmatur hoc alia ratione euidentiſſima. Certum eſt ea, quæ Moyſes de Mundi creatione tradit, hiſtoricè intelligenda eſſe; & re vera Deum, (qui aliàs in vnico inſtanti omnia producere potuiſſet) opus hoc ſex dierum tempore abſoluiſſe: & ſeptimo tandem requieuiſſe die, ideſt nihil in genere, aut ſpecie nouum produxiſſe: Inſuper ſupponendum eſt, eadem menſura dimenſum eiuſdem fuiſſe ſpatii ſeptimum diē, in quo quieuit Dominus, cum ſex reliquis; nec cœpiſſe ſabbatum, niſi completis totaliter ſex aliis diebus. His ſuppoſitis ſic arguo Eadem eſt menſura omnium Dierū & idem principium, & finis; ſed ſabbatum cœpit à veſpere, & finiuit in alio veſpere, igitur principium diei eſt nox, veſper, & tenebræ, & non lux, nec dies. Minor probatur (Maior enim ex ſuppoſitis patet) Idem fuit initiū diei ſabbati ac eſt modo initium ſolemnitatis, quia in memoriam requiei Dominicæ, ſabbati eſt inſtituta requies; ſed feſtiuitas ſabbati incipiebat à veſpere vſque ad aliud veſper, igitur dies ſabbati incœpit à veſpere, ſeu nocte. Hæc ſecunda minor habetur in Leuitico, *c. 23. v. 32.* vbi præcipitur: *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*, vbi Lyranus, *Quia ſicut dictum eſt frequenter, dies ſolemnes Iudæorum incipiebant à veſpera præcedentis diei.* Confirmatur ſecundò ex eodem ſabbati præcepto. Rationem huius præcepti aſſignans Moyſi Deus, Exod. *c. 20. v. 11.* ait: *Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo.* Atque ex his verbis colligit D. Theodoretus, *qu. 5. in Gen. pag. 2. col. 2.* Terrā, Cœlum, Aquam, & cœtera huiuſmodi quorum effectionem antea tacuerat Moyſes in particulari à Deo creata fuiſſe; quare ſubdit: *Vt ſit in aperto, quod quidquid in eis eſt, viſibile ſit, aut inuiſibile (excepta diuina ſubſtantia) naturam habere creationis participem.* Inſuper autem, quæ Moyſes enumerat quaſi facta, ſed eius tacet effectionem, vt Abyſſum, ſeu aquam; ſpiritum, ſeu aerem, nec non his appendicem Tenebras, ad ſex dierum tempus pertinere: nam dicitur Geneſ. *c. 1. v. 1. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram: In principio temporis, ſeu creationis*, ait Lyranus. Ex his ſic arguo. Vt ait Dominus in citato Exodi verſu: Cœlum, Terra, Aqua, Aer, pertinent ad creationem ſex dierum, quia ſex diebus creata ſunt omnia, & inſuper ad primam diem: ſed creata ſunt ante lucis creationem: igitur prima dies non cœpit à luce, ſeu die artificiali, ſed à tenebris, & à nocte: ſtatim n. poſt creatam lucem, nil aliud creatum eſt: quare ante lucis creationem fluxiſſe durationis Cœli, & Terræ ſpatiū duodecim horis menſurabile credendum eſt, vt rationi conſentaneum. A priori verò arguitur, quia Creatio, & Productio omnis tam Dei, quam naturalium Agentium ab imperfecto ſemper incipit, & priuatio ſaltem natura præcedit formam, vnde Deus prius terram informem, deinde res inanimes, deinde, plantas, poſtmodum Animalia, & vltimo loco formauit Hominem: ſecundum ergo naturæ ordinem, Dies naturalis à tenebris, & à nocte, vt ab imperfectiori, incipere debuit.

4 Soluendæ nunc ſunt rationes ſuprapoſitæ pro prima opinione. Ad primam, quod non poſſit intelligi, nec eſſe tenebræ ante creationem lucis, de exiſtentia vera negatur, de cognitione perfecta conceditur, nam priuatio non poteſt perfectè cognoſci, niſi per formam, & per relationem ad formam, non tamen ex hac ſequitur non poſſe eſſe ſine forma: tunc ergo erat carentia lucis in ſubiecto apto habere illam, non tamen poterat cognoſci quid importaret iſta carentia, niſi luce producta: ſic etiā reſpondetur ad exempla, quod in homine à natiuitate capto oculis, vera eſt cæcitas, ideſt carentia viſus ſibi proportionati, & Talpa verè cæca eſt, licet in eius ſpecie nullum reperiatur indiuiduum videns, quia vt Animal eſt poteſt ei competere viſus: quòd ſi nullū eſſet homo, aut animal videns, adhuc eſſent omnia animalia cæca, ſed non cognoſceretur à nobis quid eſſet cæcitas iſta. Quod autem in vtroque Emiſphœrio fuerit ſimul Nox, non adducit aliquod inconueniens, nam ſi omnino obſcuraretur Sol, vt factum fuit per tres horas tempore Paſſionis Dominicæ, in vtroque Emiſphœrio eſſent tenebræ, conſequenter vera nox, nam vt in hoc verſu dicitur, poſitio tenebrarum noctem efficit. Quòd ſi obijcies, tunc in vno Hemiſphœrio fuiſſe primam noctem duodecim horarum, ſcilicet in eo, in quo creatus eſt homo, & in oppoſito vigintiquatuor horarum: concedimus vltrò, neque ex hoc aliquid abſurdum, nā tempore Ioſue fuit in noſtro Hemiſphœrio dies illuminatus vigintiquatuor horarum, & tempore Ezechiæ viginti horarum, neque hoc dicas ſolum in Iudæa contigiſſe, nam ex libro Paralipomenon. *c. 32. v. 31.* habemus nuncios miſſos ab Aſſiriorū Rege ad inuiſendum Ezechiam, de hoc portento ſpecialiter ad inquirendum veniſſe: *In Legatione Principum Babilonis, qui miſſi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram.* Quodnam autem hoc portentum fuerit inquirentes Expoſitores concorditer dicunt, fuiſſe Solis retroceſſionem, ita Gloſſ. interlin.

Digitized by Google

lin. *Solis reditum ſignificat per decem lineas*, & Lyranus *De Portento, ideſt de ſigno ſibi dato de retroceſſione Solis, vt habetur quarto Regum.* Similia Abulenſis, Cornelius à Lapide, &c. Sicut ergo tunc in Aſſiria, & Iudæa fuit dies viginti horatũ, ſic fuit in altero Hemiſphœrio Nox conſimilis; igitur etiam nox prima, &c. Ad id quod additur quod veſpera, & mane differunt à die, & nocte; verum eſt; ſed in citato loco Geneſis ponuntur veſpera, & mane loco noctis, & diei, ne in recenſione dierum, dies naturalis cum artificiali confunderetur. Præterea hoc vocabulum *Mane*, non ſignificat initium diei artificialis, ſed totum diem artificialem prout diſtinguitur à naturali: & idem ſignificat *Mane*, ac *Cras*: Quod colligitur ex ſcriptura, quod quando initium diei ſignificãdum eſt, non dicitur tantum *Mane*, ſed *primo mane, ſummo mane, mane diluculo, &c.* ſicuti hyſpanicè *Mañana, por la mañanica*: & italicè, *dimani matino*: Non ergo *Mane* ſignificat diei artificialis initium, ſed totum ipſum diem. Babilonijs numerantibus diem ab ortu Solis, opponimus Italos, Bohemos, Hebræos numerantes ab occaſu. Eccleſia verò Latina incipit feſtos, & feriatos dies, nec non ieiunia, tam naturalia, quam moralia, à media nocte: In hoc enim ſe conformauit Eccleſia Romanis legibus; nã: *More Romano Dies à media nocte incipit, & ſequentis noctis media parte finitur, leg. 8. ff. de Ferijs.* Orientales verò Eccleſiæ à veſpera incipiunt. Nox ergo diem duratione anteceſſit, & ideo hic prius de nocte tractat Propheta, quam de illuminatione diurna, & Solis exortu.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

TEnebrarum, & Noctis vtilitates vidimus; nunc ad ſpirituales tenebras, ac Beſtias ſermonem vertere neceſſe eſt. Vtiles ſunt illæ, pernicioſæ ſunt iſtæ, quandoquidem peccatorum fœditatem, & mentis cęcitatem cum ſignent, animæ timendas ſe præbent: quis veri Solis abſentiam non expaueſcet? quis ad rugitum infernalium Beſtiarum non pauebit? Sanè inter tenebras Cor inuolutum viam veritatis inuenire non poterit, & à Cœlo aberrabit. De his Tenebris, ac Beſtijs pertractabimus.

SVMMARIVM.

1 *Peccata cum in Animam veniunt terribiles cauſant tenebras.*
2 *Permittit Deus ad peccatorum pęnam cæcitatem mentis.*
3 *Abſente Chriſto Anima à ſpiritualibus Beſtijs deuoratur.*
4 *Propter Paſtorum negligentiam Grex Domini deuaſtatur.*
5 *Crudelis Beſtia Diabolus eſt.*

§. I.

Peccata cum in Animam veniunt terribiles cauſant tenebras.

1 POſuiſti tenebras, & facta eſt nox. Inter lucem, & tenebras diuiſio facta cum ſit, hoc eſt inter eas diſcrimen: quòd Lux omnia illuſtrat, omnia aperit, diſtinguit omnia, & cum in noſtro manet Hemiſphœrio cuncta decorantur, & demonſtrantur, patent præcipitia, reuelantur ruinæ, & bona omnia patefiunt. E contra autem abſcedente luce fit nox, & exortæ tenebræ omnia obſcurant, turbant omnia, rerum ſpecies confunduntur, latent pericula, cognitiones deficiunt. Spiritus Dei lux eſt, quæ animam illuſtrat, ac decorat, ſed dum per peccatorum patrationem tenebris locus datur, omnia bona confunduntur, ac cæcitas mentis oborta noctem Animæ terribilem cauſat: ideo dicitur. *Poſuiſti tenebras*, ſcilicet peccatorum; *Et facta eſt nox*, cæcitatis mentis. Ita Bernardinus Senenſis, *tom. 2. ſerm. 21. c. 7. pag. 127. colum. 2. Sicut ſeptiformis Spiritus Chriſti totus luciformis, & ſpiritualis lumine illuſtratus, mentem ingrediens, illam totam illuminat, & illuſtrat: ita ſeptem ſpiritus nequam, omnino illi oppoſiti, cum in Animam intrant, horrendas tenebras afferunt, & terribilem cæcitatem. De tali cæcitate dicitur: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox.*

2 Verè nox cæcitas eſt mentis, quam noctem peccatorum tenebræ cauſant. Nonne in nocte ſi præcipitium immineat ignoratur? ita & peccator æternum præcipitium cauere non valet: Ego tamen peccatorem ebrioſo viro, qui aliunde cæcus eſt, comparauerim; qui cauere noxia neſcit. Videamus hoc manifeſtè in Sanctiſſimo Propheta. Dei ſeruus Ionas erat, & ita ab eius illuſtratus ſpiritu, vt futura prædicans inter Prophetas enumeraretur. At cũ ſemel in peccatum, Deo inobediendo, cecidit, ita cæcus factus eſt, vt proprium naufragium, ac ruinam præcauere non potuerit: nam minimè penſans nullum eſſe locum, in quo Deus non ſit, ab eius facie fugere meditabatur. Ion. *c. 1. v. 3. Deſcendit in Ioppen, vt fugeret in Tarſis à facie Domini.* Quo enim fugeret, vbi Deus non eſſet? ſed in tenebris peccatorum, & nocte cæcitatis aberrans, veritatem conſpicere non valebat: quare egregiè ei improperat D. Ioannes Chriſoſtomus, *Hom. 1. de Pœnit. tom. 1. col. 716. lit. B. Quonam fugis homo? Numquid & alium audiſti Prophetam dicentem. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Tale eſt peccatum, vt ad ignorantiã multam noſtrum redigat animum; & quemadmodum qui grauitate capitis, vel ebrietate tenentur, ſtultè, & ſimpliciterque feruntur, quamuis baratrum, quamuis præcipitium, vel quid ſimile ſubſit infra, concidunt incautè: ſic qui currunt in peccatum, veluti praua ebrietate, inſano deſiderio detenti, neſciunt quid faciunt.* Neque enim nequiores tenebræ, aut nox obſcurior excogitari poteſt: heu quantam culpa tenebroſitatem inducit.

3 Mirabar aliquando, cur opera creationis contemplans D. Auguſtinus, aliique Patres: nomine lucis bonos Angelos, tenebrarum verò vocabulo malos ſignificatos voluerint. Primò Deus informem formans mundum, cũ tenebroſum videret, Lucem creauit: illam, inquam, ſplẽdidiſſimam Creaturam, veram, & ſimillimam Creatoris imaginem, Mundi Oculum, Cœlorum Decus, Terræ Lampas, hominis gaudium, ac omnium generationum fontem: cumque optimam, atque pulcherrimam obſeruaret, cura ſpeciali à tenebris ſeparauit, Geneſ *c. 1. ver. 4. Vidit Deus Lucem quod eſſet bona, & diuiſit inter lucẽ, & inter tenebras.* ſed quorſũ hæc ſeparatio? Nonne ad lucis exortum, etiam nolentes, euaneſcunt tenebræ? Non

ergo

Digitized by Google

ergo erat aliqua facienda diuiſio inter duo incompoſſibilia. Dicendum ergo cum D. Auguſtino, iſtam diuiſionem factam fuiſſe non inter lucem materialem, & tenebras, ſed inter bonos, & malos Angelos; inquit enim ille. *Inter illam verò lucem, quæ ſancta ſocietas Angelorũ eſt, illuſtratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, ideſt malorum Angelorum auerſorum à luce teterrimas mentes, ipſe diuidere potuit.* ita D. Aug. *lib. 11. c. 19. de Ciu. Dei to. 5. pag. 129. lit. B.* Quomodo autẽ tenebræ lux tam fulgida, vt natura eſt Angelica, fieri potuit? per peccatũ: nam quocumq; peccata adueniunt terribiles tenebras adferunt: ita ſenſit Abbas Rupertus, *lib. 5. in Ioann. trac. 3. pag. 109. col. 2. tom. 2. Mali Angeli peccando tenebræ facti, à luce, ideſt à bonis Angelis diuiſi ſunt.* Quis non horret lethalem culpam tantarum tenebrarum originem? longè à corde ad diuinũ inhians Solem, cæcitas peccatorum.

4 Et vtiq. fugiendum eſt ab huiuſmodi tenebris, quãdoquidem, non ſunt eius ſpeciei, vt superueniẽte luce diſcedãt, & illuſtretur eorum ſubiectum: imò tales ſunt tenebræ, vt ipſũ præſentem Solem ſuſtineant, atq. obtenebratum hominem, cæcum, ac lucis ſuſcipiendæ inhabilẽ reddunt. Audi quid de his tenebris dicat Apoſtolus euangelizãs, Ioan. *c. 1. v. 4. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eã non comprehenderunt*: ſed quomodo hoc eſſe verum poterit, quòd inter tenebras ſplendeat lux, & tenebræ non illuſtrentur? Verũ aliquæ ſunt tenebræ, quæ viſum lucis reddunt incapacem, vt eſt cæcitas; vnde Angelo dicebat Tob. *c. 5. v. 12. Quale gaudiũ mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cæli non video?* Huiuſmodi ergo ſunt tenebræ peccatorum, cæcam animam reddunt, vt quo pergat ignoret, & lucem æternam gratiarũ radiis fulgentẽ videre nõ poſſit: ſicuti .n. homo cæcus ſi Soli exponatur, adhuc in tenebris manet, quia lucem videre non poteſt: ita peccator, illi præſens eſt Sapientiæ Sol, gratiæ lumen, & eum aſpicere nõ poteſt. *Ergo fratres*, concludit D. Aug. *tract. 1. in Ioan. tom. 9. pag. 6. col. 2. lit. D. Quomodo homo poſitus in Sole cæcus, præſens eſt illi Sol, ſed ipſe Soli abſẽs eſt, ſic omnis ſtultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus eſt corde: præſens eſt illi Sapientia, ſed cum cæco præſens eſt, oculis eius abſens eſt: non quia illa ipſi abſens eſt, ſed quia ipſe ab illa abſens eſt* Et vt verum fatear, tantò deterior eſt iſta cæcitas peccatoris, cæcitate corporis, quantò hæc patitur neceſſitate naturæ, illa verò voluntate: non eſt õnino cæcus peccator, quòd Deus eum excæcauerit, ſed quòd ipſemet claudit oculos, videre reſpuit, poſſet vtiq; videre, ſed negligit, ipſemet amatis tenebris ſe circũdat.

5 Hæc cum ita ſe habeãt, facile eſt intellectu, quod de ſe ipſo Patientiſſimus teſtatur; loquens namq; de Domini aduentu, ait, Iob, *c. 9. v. 11. Si venerit ad me non videbo eum; & ſi abierit, non intelligã:* Et quare hoc continget, ò Vir Dei? cur properantem Dominũ videre nõ poteris? cur diſcedentem non obſeruabis? Nunquid oculi tibi deſunt? nũquid caligine clauderis, nũquid tenebris offuſcaris? Oculos equidem habes, cur non videbis? Mentẽ habes, cur non intelliges? Oculos vtiq; habebat homo (ex cuius nomine loquor) dum in innocentiæ ſtatu perſiſtẽs, gratiæ diuinæ illuſtrabatur lumine, venientẽ Dominum cernebat, à cuius præſentiæ intuitu mentis oculos non auertebat; ſed poſt peccati perpatrationem, adueniente caligine, oculos perdidit mentis, & cæcus factus, ambulantem Dominum non vidit, ſed audiuit; ac tanta ſectus tenebra, etiam poſt pœnitentiam, quò eat ignorat; an ſit in gratia Dei non cognoſcit; Vtrum recta gradiatur via non percipit; quid mirum non videat qui oculis captus eſt? Accipe hanc Doctrinam ex Magno Gregorio *lib. 7. c. 12. mor. pag. 515. liter. D. Secluſum quippe ab internis gaudijs genus humanum, exigente culpa, mentis oculos perdidit: & quo meritorum ſuorum paſſibus gradiatur neſcit.* Redde nobis Domine cordis oculos, vt te tota mente contemplari, ac toto corde diligere valeamus,

6 Tã firmiter in hominũ cordib. hæc propoſitio adheret, Animæ tenebras à peccatorum cæcitate oriri, vt etiã eò deueniãt, quòd etiã oculorũ corporis cæcitatem peccato tribuãt: etenim ſi humana infortunia, ac corporum vitia in peccatorum pœnã nonnunquã à Deo mittuntur, quæ conuenientior cæcitate? digna prorſus delicto pœna, vt qui per culpã animã tenebris repleuit, ac diuino priuauit lumine, etiã oculorũ lumen amittat. Colligitur hoc ex Euangelio; cum .n. per Ciuitatem ambularet Ieſus & cæcum offendiſſet, ſtatim diſcipuli, cuiusnã culpæ cæcitas illa eſſet pœna interrogauere, *Ioan. c. 9. v. 1. Præteriens Ieſus vidit hominẽ cæcũ à natiuitate: & interrogauerunt eũ diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* Putabãt autem hominẽ illũ antea mulctatũ, quã natũ, ſed incongruè: nã licet peccata cæcitatẽ faciant, qui nondũ peccauerat cæcitatem mereri nõ poterat. Cæterum huiuſmodi eſt peccatorum caligo, vt nõ ſolum in anima, ſed & in corpore cæcitatẽ faciat: cum vides hominem oculis captũ, certè, & firmiter tene, illud nõ naturæ, ſed culpæ vitium eſſe, vt oſtendit D. Aſterius *in cæc. à natiu. pag. 836. col. 2. Neq. .n. ille ſuorũ criminũ pœnã daret, qui nec dũ in vitã proceſſiſſet, ſiquidẽ ita cæcus natus erat. Nemo ſiquidem nec dũ natus peccator eſt. Ipſa quidẽ interrogatio nec valde probata eſt. Videamus verò, vt Veritas Dominus noſter percontantib. reſpõderit. Morbus iſte ò diſcipuli, minimè gentiũ, peccatorũ retributio eſt.* Mala ſed iuſta retributio, cordis tenebris, oculorum etiam corporis cæcitatem adiungere, vt animo perturbato, caliget oculus.

7 Qui cæcitatis tenebras patitur nõ ſolũ obiecta externa intueri non poteſt, ſed neq. ſeipsũ cognoſcere, neq; ſui corporis defectus deprehendere, aut corrigere. Haud ſecus cũ peccatorũ tenebræ mentẽ cõfundũt: nã ita caliginoſa tegitur ũbra, vt delicta ſua cognoſcere nõ valeat: quotidie ſcelera cõmittit, inceſſãter diuina trãſgreditur; mãdata, nũquã nõ delinquit; & tamen ſe peccare nõ videt: cumq; pœnitendi, ac cõfitendi accedit volũtas, culparũ vix recordatur, neq. omnes apparent, nã maior eorũ pars latet: cõſuetudo .n. peccãdi tãquã licitas repræſẽtat culpas. Hãc ignorãtiæ caliginẽ, vt vitaret Propheta Rex, poſtulabat à vero Dei lumine ſibi ſua cõmõſtrari delicta, ac incognita ſua pietate deleri, Pſ. 18. *ver. 13. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis mũda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Neq; .n. Dei lumine frui poterat, qui in tenebris ambulabat, nec ſeipsum, ſuoſq. defectus cognoſcere, qui cæcutiebat in illis: quare ait D. Aug. *in pſ 17. pag. 57. col. 2. lit. D. In delicijs qualis ſuauitas eſſe poteſt, vbi nõ eſt intellectus? Quoniã delicta quis intelligit, quæ ipsũ oculum claudũt. cui ſuauis eſt veritas, cui deſiderabilia, & dulciora ſunt iudicia Dei? Et ſicut tenebræ oculos, ita delicta mentẽ claudũt; nec lucem ſinũt videre, nec ſe.* Profectò magna eſt culparum caligo, quæ ita mentem excæcat, vt non ſolum diuinæ gratiæ lumen, ſed neque ipſa ſua delicta cognoſcere non permittat.

7 Eadẽ prorſus cæcitate etiã patientiſſimus laborabat Princeps: ideoq. Deũ rogabat. Iob, *c. 13. v. 23. Quãtas habeo iniquitates, & peccata; ſcelera mea, & delicta oſtende mihi.* En puriſſimus, & Sãctiſſimus ille Iob, qui à lege Dei ſui, mandatiſq; diuinis, nec leuiter recedebat, nec ſibi de aliquo crimine conſcius erat, fatetur nunc re vera ignorare delicta, nec omnia poſſe intueri. Quid ergo ille dicturus eſt, qui inter delicias, voluptateſq. carnis cæcus excurrit? qui naturæ lapſæ, & iã per primæuã culpã excæcatæ tenebras delictorũ adiungit? Certè: niſi tenebras, aliud nõ deprehendet, & ſui ipſius inſcius, nec quid agat, nec quid ſit nouit. A Deo ergo hæc delicta declarari Sãctus popoſcit, quæ ſibi manifeſta eſſe nõ poſſunt. Quare D. Greg cæcitatẽ humanæ mentis ex hoc colligit, dum ait, *lib. 11. c. 21. mor. pag. 577. lit. E. Sed inter hæc intueri neceſſe eſt, quãta peregrinationis noſtræ cura nos perculit, qui in eã cæcitatem venimus, vt noſipſos ignoremus. Perpetramus mala, nec tamen hæc celerius deprehendimus vel perpetrata: excluſa quippe mens à luce veritatis, nihil in ſe niſi tenebras inuenit.* Heu crudelis tenebrarum tyrannis, quæ hominem ſui ipſius ignorantem facit, & nihil apertis oculis intuentem.

9 Maximas patitur anguſtias, qui in tenebris operatur;ſic deambulans,vel in foueam cadit,vel in hoſtes incidit,vel à feris dilaniatur,vel à latronibus ſpoliautr;cauere enim ſibi ab iis,quæ non videat,non poteſt.Superbus peccator, cum in tenebras incidit, quamdiu ab illis non recedit,in vlteriores, ac deteriores culpas continuò labitur;neque delictum eſt,in quod non ruat, neque infortunium,quod non incurrat. De huiuſmodi homine apud Iob,*cap.15.à verſ.20.vſque ad 30.*dicitur,quod ſẽper terretur,ſemper inſidias ſuſpicatur,lucem nõ ſperat, gladium timet,terret eum tribulatio,vallat anguſtia,Ciuitates deſertas,ac deſolatas domus habitat, nõ ditatur, non creſcit,non gaudet,non proſperatur:& horum omnium ratio eſt,quia. *Non recedet de tenebris:* etenim ſi pœnitendo de peccatis, de tenebris recederet, miſeriias omnes deuitaret,& diuina luce illuſtratus,omnibus occurreret bonis; nam Sole irradiatus Iuſtitiæ diem lætiſſimum haberet;ſicuti exponit D.Gregorius, *libr.12.c.22.moral.pag.597.lit.D.Si ſuperbus iſte à culpa ad iuſtitiam redire voluiſſet,de tenebris recederet. Sed quia lucem Iuſtitiæ non quærit,de tenebris non recedit.*Illud deplorandum,quod tenebras ſuas amans lumen iuſtitię nõ requirit.

10 Hominis proprium eſt diſtinctas rerum cognitiones habere; cum ergo Deus cognoſci ab illo perfectiſſimè poſſet,minimè credendum eſt primo homini in omnib.ſcientiis perfectiſſimo genito ſui cognitionem Deũ negaſſe;cur ergo tanta in mundo eſt Dei ignorãtia?quia videlicet poſt peccatũ humanus obtenebratus eſt intellectus,neq Deũ, vt antea diſtinctè videre poteſt,qui cęcus effectus,tenebras inhabitat.De hoc querebatur Propheta cum dicebat,Pſ.37.v.11.*Cor meum conturbatum eſt,dereliquit me virtus mea,& lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.*Excæcatus .n. Deum videre nõ poterat:nam lux illa ineffabilis peccatorum tenebras nõ illuſtrat;& idem eſt oculos non habere, quam habere in tenebris;loquitur autem Pſaltes,ex nomine primi Parẽtis,vt aduertit Incognitus.*in Pſ.37.in verſ.618.Sciendũ, quòd homo ante peccatum claram, & diſtinctam Dei cognitionem habebat, perfectiorem ſcilicet, quam ſit illa, quæ nunc à fidelibus habetur,&c.Sed iſtam cognitionem peccando perdidit in ſe, & in ſuis poſteris. Quoniam peccata ſunt quædam tenebræ, quibus Intellectus Dei cognitione priuatur.* Vide quantas tenebras peccata in animam inducant,nam corporis, ac mentis excæcant oculos,ac iuſtitiæ lumine fugato mortis vmbram alliciunt.

§. II.

Permittit Deus ad peccatorum pœnam cæcitatem mentis.

1 P*Oſuiſti tenebras, & facta eſt nox:*Perniciosiſſimas ergo tenebras peccatum affert, quæ mentem excæcantes,noctem ſpiritualem conſtituunt. Verũ cur dictum eſt,*Poſuiſti tenebras?*priuatio .n.non fit,nec ponitur,cùm quid poſitiuum non ſit; Atq.difficultas creſcit, ſi nomine tenebrarum peccata intelligimus:Deus namque peccatorum cauſa nõ eſt;ſed ipſe miſerabilis homo, qui à regulis veritatis diſcedens,ob rectitudinis defectũ culpã admittit;actio .n. peccaminoſa,vt actio realis eſt, & a Deo tanquam prima cauſa dependet:vt carens iuſtitia debita,ab hominis praua voluntate procedit;non ergo Deus Peccatorum Tenebras poſuit. Sed aliqualiter iſtæ tenebræ à Deo procedunt, non quidem efficiendo, ſed permittẽdo, ſicuti ſi aliquis de nocte ambulando reſpuat lumen,& incidit in foueam,qui lumen habet nõ illuminando,permittit eius caſum,in pœnam ſpreti luminis:ſic peccatorem in pœnam obſtinatæ mẽtis,& gratiæ reſpuentem lumen,permittit Deus in mentis cæcitatem incurrere,vt inquit Eminentiſſimus Hugo.*Poſuiſti permittendo tenebras peccatorum in cordibus malorum, & facta eſt nox,id eſt cæcitas mẽtis,quæ non præuidet futura.*

2 Hoc & apud homines in vſu eſt etenim cum quis lucis indignum delictorum fœditate ſe oſtendit,aut veritatem fateri detrectat,in carcerem mittitur, vt ibi tenebris conſtipatus,nec diei lucem videre poſſit, qui veritatis lumen abiecit:& licet Sol oriatur,ac occidat,ſibi ſemper abſens eſt,qui parietibus clauſis eius radios excipere non poteſt.Huic intellectui aptari poteſt, quod patientiſſimus de Deo teſtatur,inquiens, Iob, *c.9.v.7. Qui præcipit Soli,& non oritur,& ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo.*Vbi illud in memoriam venit, Diuinum Solem Dei doctrinam eſſe, ſtellas verò Prædicatores, per quorum eloquium diuinæ doctrinæ veritas innoteſcit. Has igitur ſtellas claudit Dominus ne cæca peccatorum illuminent corda,vt qui gratiam Dei deſpiciunt, neq. eius lumen aſpicere mereantur:quod affirmat D.Gregorius, *lib.9.c.3.mor.pag.511.lit.D.Oriri quippe ei Solem noluit, à quo prędicantium animum diuertit:& quaſi ſub ſignaculo ſtellas clauſit qui dum Prędicatores ſuos per ſilentiũ intra ſemetipſos retinuit,cæcis iniquorum mentibus cæleſte lumen abſcondit.*Digna cæcitati vltio, vt qui peccando gratiæ lumen amiſit,peccatorum tenebris mãcipatus, miſericordiæ Solem haud valeat intueri.

3 Iſraeliticus populus chariſſimus Deo extitit, pro cuius amore multa edidit mirabilia; at noſtro tempore ab eo repulſus,ita in peccatorum tenebris errat, vt ad fidei illuſtrationem accedere perdurato corde non poſſit: mirum profectò, vt nationes omnes eius gaudeant Solis luce,qui ex eis ortus eſt, ipſi verò adhuc infidelitatis tenebris euoluantur;verum hoc in peccatorum pœnam effectum eſt, cum enim lucem in mundum venientem reſpuerint,& magis quam ipſam dilexerint tenebras,tenebris deputantur,vt videre non poſſint, quod aliquando ſpreuere.Huius cæcitatis Propheta meminit,dum canit.Pſ.94.v.10.*Quadraginta annis offenſus fui generationi illi,& dixi ſemper hi errant corde.& iſti non cognouerunt vias meas.* Cognoſcere nequit viam qui libenter ab ea pererrat;ſic populus impudenter peccans impœnitentiæ ſuæ pœnas luit,à veritatis cognitione remotus,vt inter tenebras pereat:qui errauit in luce:egregiè D.Auguſtinus,*in Pſ.94.tom.8.pag.437.columm.2.lit.D.Improbati ſunt illi:quibus diſplicuit miſericordia Dei,qui reſtiterunt Deo corde indurato:heu gentem oberrantem.* Non enim cæcitatis tenebras pateretur, ſi gratiæ lumen dilexiſſet.

4 Arbitrem ſuiipſius, ac in libera operandi facultate hominem creauit Omnipotens;nullus .n.nec ipſe Deus, humanam voluntatem cogit. Cum autem ita patens ſit vitæ via,ſicut perditionis iter;cur homines potius malũ, quam bonum ſequuntur?cur præualet rationi ſenſus?cur mundana cœleſtibus præponuntur? quid ad malum impellit,quid viam veritatis occultat?Nil vtiq;niſi tenebræ ipſæ peccatorum, quæ in primi peccati pœnã animæ dominatur;ſtatim .n. ac primus peccauit Adam,imperium ſupra corpus amiſit anima;ratio tenebris detẽta,veritatem nõ agnoſcens,ſenſibus paret.Hoc illa deſignat Mulier,quæ Satanæ vinculis alligata, decem, & octo annis inclinata permanſit, erigere ſe ad conſpiciendum Cœlũ inepta,de qua D.Lucas,*c.13.v.11.Et ecce mulier,quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem,& octo: & erat inclinata,nec omnino poterat ſurſum reſpicere.*Hæc mulier anima eſt,ſeu voluntas humana, quæ poſt peccatum in Satanæ poteſtatem deuenit; atq; in tenebris conſtituta, ad malum inclinata, vim cognoſcendi bonum non habet, vti docet Seraphicus Doctor, *ſer.2.Dom.2.Adu. tom.3 pag.8.col.2.lit.E.Mulier inclinata ad terram,quæ non poterat ſurſum reſpicere, ſignificat animam merito corruptionis originalis culpe allectam ad terrena,propter pronitatem ad malum: Nec poteſt cęleſtia appetere propter difficultatem ad bonum. His ergo vinculis originalis culpe,ſcilicet pronitatis ad malum,& difficultatis ad bonum,alligauit eam Satanas.*Deum ergo rogemus,vt noſtræ miſertus fragilitatis, has cæcitatis tenebras à nobis auertat,vt ſuum incompræhenſibile lumen reſpicere valeamus.

§ III.

§. III.

Abſente Chriſto Anima à ſpiritualibus beſtiis deuoratur.

1 P*Oſuiſti tenebras, & facta eſt nox; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*: Tempus diei, ac noctis ita diſtribuit orbis conditor Deus, vt lux homini, tenebræ feris deputarentur: cum autem homo de nocte per inuia, ac deſerta incedit loca, Ferarum occurſibus, ac morſibus patet. Haud ſecus Animæ contingit, cum in tenebris ambulat, ideſt cum Chriſti gratia deſtituta eſt: tunc enim tanta luce priuata infernalium beſtiarum dẽtibus patens, tentationum iactatur viribus, ac peccatorũ crudelitate proſtratur: & tũc Ferarũ infernaliũ faucibus deuoratur: ita ſentit D. Hieronymus, *in Pſalm.* 103. *Quando nobis occubuerit Sol Iuſtitiæ, omnia nobis tenebroſa ſunt; & tunc in nobis pertranſeunt beſtiæ, & Leo rugiens, volens rapere, & deuorare nos*. Tantum Animæ virium adimit cęleſtis Solis abſentia; nam oderunt Beſtiæ lucem, nec niſi in tenebris deprædantur.

2 Hoc præcipuè in Iudæis videre eſt, qui poſtquam Chriſto Domino reiecto, Sole Iuſtitiæ caruerunt, in ſpiritualium beſtiarum manus irreparabiliter ruunt; Feræ enim iſtæ, ideſt dœmones, de nocte ad rapiendum Animas circuunt, eaſque rapiunt, ſuper quas Sol gratiæ non ſplendet; cum ergo Iudæos à Deo derelictos inueniant, vtpote ſine veræ fidei lumine, eos rapiunt, mactant, diſperdunt, ac peccatorum, & ſuperſtitionis pleniſſimos ad caueam æternę obſcuritatis perducunt, vtique deuorandos. Hoc in ſpiritu præuidens Propheta, ne hoc eis accideret Dominum rogabat, dicens: *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*: quaſi diceret: optimè ego cerno poſt non multum temporis, populum hunc Dei in hoc tempore cultorem, ac gratiæ diuinæ illuſtratione nobilem, à Deo receſſurum, Solem Iuſtitiæ negaturum, ac in nocte infidelitatis relictum à beſtiis infernalibus vorandum fore; peto ergo à te Domine, ne hoc contingat, ne eos relinquas in tenebris crudelibus expoſitos Feris. Ita exponit Incognitus, *in Pſalm.* 73. *ad verſ.* 1231. *Videns ergo Pſaltes, quod Iudæi quamdiu in ſecunda captiuitate manent ſunt alieni à fide Chriſti, & ſic morientes dæmonibus perpetuo cruciandi traduntur, orat, vt Deus ipſis miſereatur, ipſos ad fidem conuertendo, dicens; Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*. Reſpice Chriſtum, admitte Solem ò perfide, & indurate Iſraelita, ne beſtiis deuorandus derelinquaris.

3 Temeritatis igitur incurrit notam quicumque noctu per ſyluas, vbi latibula ſunt ferarum, incedit; & omnino mente laborat, qui iiſdem in locis nocturno tempore requieſcit; nam Belluæ, quæ diu latent, noctu excurrunt, & ſoporatum, nihilque metuentem inuadunt, rapiuntque. Haud equidem minoris inſaniæ ſignum, in hac vita, quæ ſine gratia nox eſt, Deum, increatum nempè Solem deſerere, nam ex eius abſentia, fit nox in Anima, & infernales Belluæ, quæ in gratiæ die parum audent, in nocte maximam animarum direptionem faciunt; Idcirco monebat Apoſtolus, omnes ſobrios, vigileſque perſiſtere, ac orationibus muniri, ne raperentur: 2. *Petr. caput.* 5. *verſic.* 9. *Fratres ſobrii eſtote, & vigilate; quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide*; Dicit autem vigilate, vigilare enim nocti congruit; nam ſicut Leo nonniſi de nocte prædatur, ita Diabolus in nocte gratiæ, cum ſine Deo cor eſt, ipſum decipit. Teſtatur hoc D. Hieronymus, *in cap.* 3 *Nahum. tom* 5. *pag.* 178. *lit. B. Difficile Leo inuenitur in die, ſed ſemper in noctibus circuit, vt de Eccleſia Chriſti rapiat, vt eſcis, iuxta Habacuc ſaturetur electis. Iudas diaboli Chriſti fuit, & raptus à Leone ſuſpendio ſuffocatus eſt*. Quid faceret Iudas in nocte, Dei gratia deſtitutus, niſi in fæuas Leonis fauces irruere? Time ò Chriſtiane ſine Sole ambulare, ſine Chiſto viuere, ne rapiaris.

Ian. de Mata.

§. IV.

Propter Paſtorum negligentiam Grex Domini deuaſtatur.

1 I*N ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*: Cum agreſtes Belluę noctu ad ſibi quærendam eſcam perambulabant, qui iumentorum domeſticorum, ac ouium præſertim curam habent, ſemper vigilare debent, ne quando dormientibus ipſis, feræ Gregem diſperdant. Ita prorſus Prælati, qui Dominico Gregi præſunt, ſemper ſuper ipſum vigiles oportet eſſe, ne infernalium Beſtiarum incurſu iacturam incurrat. Ideo namque monentur hìc de nocte Feras incedere, vt moneantur latenter dæmones prædari, vt otio torpẽtes oues diſperdãt, ac Paſtores negligẽtię ſopori deditos decipiant: atq; ſic admoniti vigilent, neq; aut negligentia, aut exemplo peximo, gregem, vel deterant, vel inficiant. De hoc D. Hieronymus, *lib.* 11. *in Ezech. tom.* 4. *pagin.* 439. *lit. F* ait. *Diſperſus eſt Populus Dei, vel vitiis, vel errore hæreticorum; eo quod non eſſet Paſtor bonus, qui poneret animam ſuam pro ouibus, ſed omnes mercenarij, qui lucra tantum de gregibus conſiderant, & cum lupum viderint fugiunt, quorum negligentia Grex Domini deuoratur à beſtijs agri; de quibus ſcriptum eſt: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*.

2 Inter omnes pecudes humano ſeruitio deputatas, vna eſt ouis, quæ omnium ſimpliciſſima, eaque Paſtoris ſui amantiſſima eſt; & quaſi ratione prædita, eum præ omnibus agnoſcit, vocem eius audit, ipſum præeuntum ſequitur. Quod ſi aliquando inſaniens Paſtor per inuia, & abrupta loca, ac præcipitio expoſita gradiatur, ſimplex grex ipſum fideliter ſequendo ad præcipitium currit. Sacerdotes, & Prælati, paſtores ſunt Dominici Gregis; & fideles ipſos ſequuntur, & imituntur: porrò ſi Prælati malè viuunt, & per vitia publicè excurrant, prauitate ſua oues perditioni exponunt; credentes enim ea ipſa ſibi licita, quę maiores faciunt in æternam labuntur ruinã. Id obijciebat Iſraelitarum Sacerdotibus, ac Principibus Propheta Malach. *c.* 2. *v.* 8. dicens. *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum*. Quia namq; à Domini mandatis receſſerant, & ſuo exemplo aliis peccandi libertatẽ faciebant, pactũ Domini tranſgrediebantur: quare Lyranus ait: *Irritum feciſtis pactum Leui; ex veſtro modo viuendi. Cũ paſtor per abrupta graditur, conſequẽs eſt, vt ad præcipitium grex ſequatur*. Peccatũ Prælatorũ maximũ eſt; ſed ſi publicũ fiat, peſtilentiæ æquiparatur.

3 Eam habent analogiam ſubditi ad Prælatos ſuos, quam corporis membra ad caput: caput enim omnia alia dirigit membra, cœteriſque imperatur; cum autem caput optimè valet, reliqua benè ſe habent: at cum dolet illud, languent omnia; ſi Sacerdotes, Prælati, Principes, boni ſunt, virtutibus incumbentes, ac optimum præbentes exemplum; dum bona prædicant, & perfectiora exequuntur membra Chriſtiani corporis, oues Chriſti optimè valent; ſi autem è conuerſo ex eorum numero ſunt qui dicunt, & non faciunt, totus malignabitur populus, & conſequenter peribit. Hoc inſinuabat Propheta Iſai. *c.* 1. *v.* 5. cum dicebat: *Omne caput languidũ, & omne cor mœrens*: quaſi diceret: Quia caput lãguet, ideſt Principes, & Sacerdotes populi mali ſunt, etiam cor, & reliqua mẽbra, vulgus ſcilicet à vitiis conculcantur, illorum exemplo: Approbat hoc Diuus Bernardus, *ſermon. ad Paſtor. in Synod. pagin.* 404. *lit. M. Dolor capitis in membra redundat; capita populi ſunt Sacerdotes; omne caput languidum, & omne cor mœrens: languent Prælati Eccleſiæ in cupiditatibus ſuis: quia ergo languor eſt in capitibus mæror oboritur in cordibus*. Quæ ſanitas in membris erit languente capite? Sic nec Prælato peccante iuſtus populus inuenietur

4 Angulares lapides in Ædificiorum fundamentis ponuntur, vt domum fulciant; euertitur igitur domus, ſi illi eruantur: neque illinc ablati, & in capite platearum poſiti ad aliud deſeruiunt, niſi ad viam conſtruendam, ac ſtrandam: Lapides angulares diuinæ domus eſſe Prælatos manifeſtum eſt, qui in fundamentis ſunt poſiti; nam in eorum doctrina, & exemplis Fidelium ædificatio fundatur; Quòd ſi minimè in fundamentis virtutum permaneant, ſed in capitibus platearum diſtendantur, ideſt ſi per vitia ambulantes, viam latam perditionis faciliorem reddunt, omne Fidelium Chriſti Ædificium conſternitur. Suæ Ciuitatis exitium in ſpiritu plorans Ieremias, hoc memorabat: Thren. *cap. 4. verſicul. 1. Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, in capite omnium platearum*; Quæ verba expendens Idem Mellifluus Doctor, ait. *Et verè in capitibus omnium platearum diſperſi ſunt lapides ſanctuarij: Plateæ latæ ſunt, & lata eſt via, quæ ducit ad mortem. Lapides ſanctuarij, ideſt Sacerdotes, ſunt in capitibus, ideſt in introitu viarum latarum: docent enim populos per praua exempla ingredi vias latas, quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum Inferni.* Væ, væ Paſtoribus negligentibus, qui ouium deuaſtationem ſua malitia, & negligentia cauſant; Quid Domino rationem officij ſui redditurí reſpondebunt? Heu miſeri, audient vtique ſe ad æternas tenebras damnatos cum impijs puniendos.

§. V.

Crudeles Beſtiæ Dæmones ſunt.

1 IN *ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ Syluæ*. Neque enim myſterio vacat, quod hic de Beſtijs fiat mentio, & hoc ſpeciali nomine vocentur ſylueſtres feræ, nam ſi nominis ethimologiam ſpectemus, Beſtia, quaſi Vaſtia à vaſtando dicitur, quia omnia vaſtat, iumenta, hominesque prædatur, arbores, plantaſque euellit, montes ad Caueam extruendam effodit: cum igitur omnia vaſtet, vaſtia, ſeu beſtia dicitur. Simulacrum ergo, ad viuum Dæmones repræſentans, agreſtes Beſtiæ ſunt; omnium enim animarum bona vaſtare, & dilapidare non ceſſant, ipſam animam rapiunt, & maculant, corpus affligunt, Monaſteria ſpoliant, virtutes proſternunt: quapropter haud immeritò hic nomine Beſtiarum Dæmones intelliguntur; qui in nocte peccati per ſyluam animæ debacchantur: Vnde Incognitus ait. *In ipſa pertranſibunt omnes Beſtiæ Syluæ: Quid enim per beſtias Syluæ niſi Dæmones hic accipimus? Non enim immeritò beſtia dicitur Diabolus. Beſtia enim quaſi Vaſtia, à vaſtando dicitur, & Diabolus omnia vaſtare nititur bona, & corrumpere.*

2 Quædam Beſtiæ reperiuntur, quæ vel corporis pulchritudine, vel oris odore, vel blandienti vultu ſimplices decipiunt, dum enim formoſa ſpecie adlecti, vel odoris ſuauitate delectati, fugere negligunt, ab illis beſtiis compræhenſi dilaniantur. Beſtiæ ſunt Dæmones, nam ſub ſpecie delectamenti, vel ſenſuales voluptates, vel honorum culmen, vel diuitiarum nitorem, vel Dignitatum faſtum proponunt, his humanus illectus animus, & attractus, ſe vitiis tradens, in Beſtiarum crudelium incidit manus, quæ poſt poſſeſſionē ſecuram, ſequuta morte, ſæuiſſimè eam cruciant: Iuſtus autem, qui cauere nouit inſidias infernalium beſtiarum, ac mundialia bona paruifacere, has beſtias timere non poteſt; nam illi dictum eſt: Iob, *cap. 5. verſ. 22. Et beſtias terræ non formidabis*. Ita ex Diuo Gregorio colligit Incognitus, *loc. cit. in ver. 1774. Diabolum ratione ſuperbiæ beſtiam appellat ſcriptura, dicens cuilibet humili: Beſtiam terræ non formidabis: Quod exponit Gregorius, dicens: Callidus quippe aduerſarius beſtia terræ dicitur; quia ad capiendas mortis tempore animas ſuperbia crudelitatis effrenatur. Quos enim viuentes blandiens decipit, hos morientes ſæuiens rapit*. O ſæua ſupplantatoris aſtutia; ſed mirari deſine, crudelis Beſtia eſt.

3 Cum de Beſtiarum Principe Behemoth loqueretur Patientiſſimus, inter alia hæc habuit, Iob, *cap. 40. ver. 15. Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludunt ibi.* Beſtiæ cum in agrum florentem deuenerint, varios ibi ludos exercent præ lætitia optimi pabuli. Sed morales beſtiæ, hoc eſt dæmones, etiam ipſæ agris florentibus delectantur; Ager mundus eſt, qui tunc florere creditur, cùm mundani homines per ſuperbiam extolluntur: neque enim gratior eſca reperiri poteſt dæmoniis, quam ſuperborum elatio; tunc ludunt in agris beſtiæ iſtæ, cum animam ſuperbis operibus onuſtam offendunt: ita ſenſit Diuus Gregorius, *libr. 33. capit. 2. moral. pagin. 1061. liter. C. Ager autem eſt mundus: Agri ergo Beſtiæ in herbis ludunt, quia proiecta de ſuperioribus in hoc mundo Dæmonia prauis ſuperborum operibus delectantur. Beſtiæ in agris ludunt, cum reprobi ſpiritus humana corda in illicitas cogitationes pertrahunt*. Crudelis ſæuitia eſt de malis noſtris ludum facere, de perditione lætari.

4 Mos apud Romanam Rempublicam olim viguit, vt quorumdam criminum rei, in pœnam delictorum ſuorum beſtiis traderentur, vtique dilaniandi; quam pœnam nō pauci Martyres Sancti, licet immeritam, ſubiere. Hanc mulctam Dominus etiam, ac Rex noſter Deus imitatur; nam peccatores in ſuis ſceleribus obſtinatos decedentes, infernalibus beſtiis, ad cruciatum æternum tradit. Cuius ſupplicii mentio in Apocalipſi habetur: Cum enim mortis Angelo poteſtatem dediſſet Deus interfectionis in omnes homines magnæ, inter alia ſuppliciorum genera, beſtiæ numerantur: *capit. 6. verſicul. 8. Data eſt ei poteſtas ſuper quatuor partes terræ interficere gladio, fame, morte, & beſtiis terræ*: Per beſtias verò terræ Dæmones intellexiſſe Diuus Bernardinus Senenſis teſtis eſt; qui quibuſcumque feris ferociores, & crudeliores ſunt: eſtque extremum, ac nimis tremendum ſupplicium; poſt præſentis vitæ terminum, poſt mortis dolores, tradi cruciandos Dæmonibus, *ſer. fer. 5. Dom. 1. Quadrag. tom. 1. pagin. 65. column. 2. Beſtiis terræ, ideſt Dæmonibus. De quo euadere ſuos Pſalmiſta orabat, dicens: Ne tradas beſtiis Animas confitentes tibi*. Beſtiæ igitur ſyluæ Dæmones ſunt, qui noctu, cum per peccatum in Anima tenebræ factæ ſunt, excurrunt, vt rapiant, crucient, dilanient. Heu fugite mortales crudelium beſtiarum incurſum, deuitate ſuperbiam; nam vt ait Diuus Gregorius Magnus, *loc. cit. Pro eo enim, quod ſuperbi quique nullum malum cogitando prætereunt, nulla eſt agri beſtia, quæ non horum montium herbis ſatietur*. Ne igitur efficiamini Montes, ſuperbiendo; non ſint herbæ florentes mundialium deliciarum in vobis, vt ſic pabulum infernalibus beſtiis eſſe fugiatis.

Digitized by Google

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimus.

Per ſuæ protectionis abſentiam tenebroſa fit Anima noſtra; accedit nox culpæ, & tranſitus Beſtiarum infernalium.

CVm Sol à nobis abeſt, non tamen omnino ſunt tenebræ, licet ſit nox, dummodo alterius Luminaris globus radijs plenis illuceſcat: non omnino rerũ cognitione priuatur homo, quia licet tã diſtinctas, vt de die non ſecernat, aliqualiter nihilominus cernit. Luminaria noſtra Chriſtus, & Maria ſunt; ſi nobis peccati nox accedit, & ſine Dei gratia inuenimur, in tenebris ſumus; ſed ſi Beatiſſimæ Virginis protectionem habemus, non omnino caligo ſpem opprimit. Quòd ſi (quod auertat Deus) etiam Mariano præſidio deſtituimur, ſpes nulla remanet, vndequaque infernalibus tenebris cingimur, neque poſt illas lucem expectare fas eſt: Idcirco dicitur, *Poſuiſti tenebras*, ideſt abſtuliſti Mariæ Virginis protectionem; *& facta eſt nox*, culpæ ſcilicet, deſperata gratiæ luce; Quare ad ipſam clamabat Diuus Anſelmus Epiſcop. Cantuarienſ. *apud D. Bonauent. in Pharetr. libr. 1. capit. 5. tom. 6. pagin. 110. columnn. 1. liter. E. O Beatiſsima, omnis à te auerſus neceſſe eſt interire.* Nulla ſpes ſalutis, Vbi Virginis protectio deeſt.

Vbi Mariæ protectio non eſt, ibi tenebræ malorum.

1 PRouidentia ineffabilis Dei noſtri, cum Cœlum dictaret ad illuminandam terram, hæc duo præſtantiſſima lumina Solem, Lunamque creauit, vt tempus vllum eſſet, quod non ſua luce frueretur; neque horum, reliquorumque ſyderum lux aliquando deficiet, niſi cũ extremum Vniuerſo exitium imminet: tunc enim, *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de Cœlo*: Tunc denſiſſimæ erunt tenebræ, neque aliquid omnino videri poterit. Hoc igitur ſignum interitionis mundi prognoſticon erit. Quod in mundi ex luminarium defectu continget, id & in myſtico microcoſmo, ex myſticorum luminarium abſentia efficitur: dummodo tantum Sol deſideratur iuſtitiæ, nox eſt, & tenebræ, cum Dei gratia deſit; verùm ſi Mariæ patrocinium ſplendet, quaſi Aurora diei reditum repromittit; ipſa verò etiam diſcedente, nulla ſpes ſalutis reſtat; audi quid dicat D. Bernardus, *ſerm. de Aqueduc. pagin. 273. lit. A. Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, quid niſi caligo inuoluens, vmbra mortis, & denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?* Tunc tenebræ graſſantur in anima, cum Mariæ fulgentiſſimum ſydus protectionis ſuæ radios in eã non mittit; neq; ſperanda lux vlla vbi non effulget Aurora.

2 Superius in expoſitione literali præcedentis verſus, viſum eſt, Solem, ac Lunam magnas terræ vtilitatem afferre; nam præter illuminationem influunt etiam ad rerum omnium generationem tanquam vniuerſaliſſimæ cauſæ: vnde terra ab eorum aſpectibus fœcundatur, neque ſine horum luminum adiutorio fieri poteſt, vt terra germinet: Ea igitur loca deſerta ſunt, quæ horum ſyderum radios excipere ſecundum menſuram nõ poſſunt: ſi redolent flores, ſi germinant herbæ, ſi creſcunt arbores, ſi enaſcuntur frondes, ſi matureſcunt fructus, ſi cadunt ſuo tempore pluuiæ, aut roris guttæ, ipſis debent, hæc ſuo motu producentes. Quæ cum ita ſe habeant, deſinat ille mirari, quiſquis is eſt; qui Canticum Canticorum percurrens offendit illa verba de Glorioſa, & Immaculata Deipara, *c. 8. v. 5. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* Vbi terram, ex qua ſeſſura in Cœlum aſcendit Maria, deſertum vocat, quo tamen minimè obſtante delicijs referta deſcribitur. Deſinat inquam ille mirari, nam ſi terra luminarium influxibus deſtituta, deſerta eſt; quidni in Cœlos aſcendente Maria, deſerta terra noſtra vocetur: ſiue ipſam terram intelligas, ſiue melius, & verius Animam, à qua etiam per protectionem recedit; quid illi aut boni eueniet, aut delectationis continget, aut gratum occurret; Cœli lumina deſpicit oculus, qui animæ lucem amiſit: iucunditates nauſeat mundanas, qui diuinum perdidit ſolatium. Huc reſpicere videtur Iſidorus, *Epiſ. Theſſalonic. orat. 4. pagin. 112.* dum in eius aſſumptione perorat. *Quid nobis in poſterum ſolatio erit? quis malorum ſubleuator? imò verò quis magiſter, & ſalutis author animam illuſtrans, cogitationes purgans, mentem illuminans, quæ nobis Domina præſtabas? Aſcenſio in Deum, & manu, & lingua ſapientiam docens? Quomodo Sol, vel quæuis alia lucidiſſima res iucunda nobis videri poſſit, iucundiſſimo tuo aſpectu, & familiaritate orbatis?* Anima, cui tanta deſunt deſertũ eſt, à Virginea Luna deſerta.

3 Cum humanam vitam accuratè penſaret patientiſſimus Principum, concluſit vitam eius militiam eſſe, Iob, *c. 7. v. 1. Militia eſt vita hominum ſuper terram.* Et re vera militia eſt, nam tot cum hoſtibus congreditur miſerabilis homo, vt vix ei ad ſe defendendum, aut ſuppetant vires, aut ſufficiat tempus. Caro noſtra infirma, fragilis, caduca alliciendo decipit, delectando deiicit: Diabolus tentationibus vrget: Mundus tot anguſtiis premit, tot neceſſitatibus angit, tot afflictionibus, & ia-

ćturis exagitat, vt inter tribulationum agmina effugiẽdi modus deficiat: ſolum diuinum præſidium Dei, eiuſque Matris nos tuetur; quòd ſi obnubilato per noſtram culpam filio, etiam Mater recedat, ablato Sole, obſcuretur Luna, nulla ſupereſt ſpes ſalutis. Huius rei figuram habemus ex ſacris literis; vbi Ioſue fortiſſimus Dux pugnans contra Domini hoſtes ne luminatium deſtituere-tur auxilio petit, orans. Ioſ. c.10. v.12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Hayalon*. Idcirco autem, & Lunę mentionem fecit, vt Virginis notaretur præſidium, quo abſcedente ab inimicis oppreſſus homo conculcatur: vnde ait Incognitus, *in Pſ.103. Ideo poſtulauit Ioſue; Luna contra vallem Hayalon ne mouearis: Contra vallem Hayalon ipſam moueri, eſt ab afflictis, & oppreſſis ſe elongare, quod Deus auertat. Vnde Bernardus ſuper Miſſus eſt, ait. Ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, ſal⁹ deniq; vniuerſorum filiorum Adam*. Et quæ denſior tenebra, quam Mariæ abſentia, ſine qua, nec viuere valemus, nec vincere? Abſit à nobis tale infortunium, ſplendeat hæc Luna nobis, vindicet à tenebris peccatorum.

4 Experientia conſtat, Ciuitatem ex Principum præſentia augeri, nam vbi Rex, ibi Curia; è conuerſo, à Regibus derelictæ ferè deſertantur. Ita prorſus in Animæ contingit ciuitate; dum in Dei gratia permanet, habitat in ea Cęleſtis Imperator, habitat Cœlorum Regina, incolunt Angeli, Florent merita, nitent virtutes; cum autẽ Rex diſcedit, ſi remaneat Regina, licet non ita ſit populo plena, non tamen omnino deſerta eſt Ciuitas; ſed ipſa etiam egrediente Auguſta, ſolitudo ſuccedit: ita Deo cũ gratia perdito, ſi Mariæ præſidium durat, non totaliter perit anima; at cum Mariæ non ſeruiens, eius priuatur patrocinio, ſolitudine vaſtatur. Hoc ſignificauit Propheta Iſa. c.60. v.12. dicens: *Gens enim, & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit; & gentes ſolitudine vaſtabuntur*: Quam ſententiam ad Virginem Deiparam applicat Ricchardus à S. Laurentio, *lib 2 de laudib. Virg. col.178. lit. C. Vnde etiam dicitur ei à filio: Gens, & Regnum, quod non ſeruierit tibi peribit; & gentes ſolitudine vaſtabuntur; Bene dicit, ſolitudine: quia deſtitutæ tantæ Matris auxilio*. Arrige aures Anima mea, formida Reginæ tuæ, Aduocatæ tuæ clementiſſimæ abſentiam: deſolaberis ſine illa: Heu, heu, benigniſſima Domina, amantiſſima Mater, ne vmquam deſeras ſeruum tuum; tibi ſeruire profiteor, & licet omnium ſeruorum tuorum indigniſſimus, tuus tamen ſũ, reſpice me benignis oculis, foue inſpirationibus ſanctis, protege maieſtate fulgenti, vt infernalibus hoſtibus ſuperatis, tuas concinam laudes, gloriam, nomenque tuum dedicem Æternitati.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALEGORICA.

NOctem ignorantiæ peccatorum tenebræ pariunt; nam inter alias calamitates, quas defert ſecum gratiæ amiſſio, ac peccati malitia, pręcipua eſt ignorantia ſenſus ſcripturarum ſanctarum; verum Omnipotens ille, & amans Dominus, Deus, ex ipſis tenebris Lumen, ac ex ipſa noctis caligine ſuæ claritatis illuſtrationem educit; malæ tenebræ, noxia nox; ſed ex ipſis ad fugienda peccata, ad vitia deuitanda, haud inutiles eliciuntur allegoriæ; quapropter tenebrarum, ac noctis allegoricos ſenſus aperiemus.

SVMMARIVM.

1 *Tenebræ quid myſticè innuant.*
2 *Allegoricæ Noctis myſteria.*

§. I.

Tenebræ quid myſticè innuant.

1 P*Oſuiſti tenebras?* Tenebræ nihil ſunt, ſed tantũmodo carentia lucis in corpore apto illuminari. Et primò ſumuntur pro peccato, vt dicitur Gen. c.1. v.2. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, vbi Cardinalis Hugo, *pag. 1. columm. 2. Tenebræ peccatorum, & ignorantiæ erant ſuper cor peccatoris*.

2 Tenebra dici poteſt pœnitentia, quia occultat peccata, de quibus ſcriptum eſt, Pſalm.31. v.1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, & Iob, *capit. 3. verſicul.3. Dies ille vertatur in tenebras. Non requirat eum Deus deſuper, nec illuſtretur lumine*, vbi Diuus Gregorius Magnus, *libr.3. capit.16. moral. pagin.386. lit. E. Quaſi quædam tenebræ peccata pœnitentium abſconduntur, de quibus per Prophetam dicitur: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Quia ergo omne, quod tegitur, velut in tenebris occultatur, in die extremi Iudicij non illuſtratur lumine, quod non diſcutitur vltione*.

3 Tenebra eſt profunditas iudiciorum Dei, ac obſcura certitudo fidei noſtrę, quam exponit Pſaltes, Pſalm.17. v.12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum*: & D. Auguſtinus, *in Pſ.17. pag.35. columm.2. lit. A.B.* interprætatur, *Et poſuit obſcuritatem ſacramentorum Dei, & occultam ſpem in corde credentium, vbi lateret ipſe non eos deſerens. In his etiam tenebris, vbi per fidem adhuc ambulamus, non per ſpeciem, &c.*

4 Tenebroſa aqua in nubibus eſt obſcura prædicantium doctrina, vt ibidem dicitur, *Tenebroſa aqua in nubibus aeris*, & idem D Auguſtinus, *In Prophetis enim: & in omnibus diuini verbi prædicatoribus, obſcura doctrina eſt*.

5 Tenebræ ſepulchrum ſignant, vnde Iob, c.17. *In tenebris ſtraui lectulum meum*; & Lyranus, *Ille enim, qui ſepelitur, quaſi in ſtratu ſub terra ponitur, quæ eſt tenebroſa*.

6 In tenebris ſtrare lectulum eſt peccando à Dei gratia ſecedere, nam per peccatum mors intrauit in mundum: quare ait D. Gregorius *lib.13. c.16. moral. pag.612. lit. E. Tunc verò homo ſuum lectulum in tenebris ſtrauit, quando lucem Iuſtitiæ perſuaſori callido conſentiendo deſeruit*.

7 Tenebræ ſunt iniqui, de quibus Iob, c.28 *verſ.3.* ait. *Tempus poſuit tenebris*, vbi citatus Gregorius, *libr.18. c.17; moral. pag.717. lit. B. Ipſe poſuit tempus tenebris, iniquis videlicet modum, quo iniqui eſſe deſiſtant*.

8 Tenebræ ſunt calamitates, & tribulationes huius vitæ, de quibus dicitur Iob, c.22. v.10. *Putabas te tenebras non viſurum*, vbi D. Hieronymus, *tom.7. pag.35. lit. B. Quibus tenebris, miſeriæ vtique, & calamitatis, tanquam impetu aquarum inundantium, depreſſus es*.

9 Tenebras luci aſſimilare, eſt ita æquo animo ferre huius ſæculi calamitates, ſicut proſperitates, de quibus

Pſalm.

Pſalm.138.v.12.*Sicut tenebræ eius,ita & lumen eius*, & D.Auguſtinus,*in Pſ.*138.*pag.*654.*column.*2.*lit.A. Si ergo ſemper quando lucet nox iſta, & quando obſcura eſt nox iſta, quando arridet proſperitas, quando triſtis eſt aduerſitas,ſemper ſit laus eius in ore tuo:& fiet quod modo dictum eſt:ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

10 In tenebris fodere domum, eſt tempore aduerſitatis iuſtum decipere: vt ait Iob: *cap.* 24. *Perfodiunt in tenebris domos*: & addit D. Gregorius *lib.* 16. *cap.* 25. *mor. pag.* 683. *lit. D. Peruerſus quiſque cùm proſperitate vitæ præſentis iuſtos fulciri conſpicit, eis peruerſa ſuadere minimè præſumit: ſi qua vero illos procella aduerſitatis inuenerit, ad verba protinus peſtifera perſuaſionis erumpit: vnde & ſubditur: Perfodiunt in tenebris domos: In tenebris ergo domos perfodiunt, quia bonorũ mẽtes ex ipſa eorum corrumpere aduerſitate moliuntur.*

11 Tenebræ ſignificant tempus vitæ præſentis, in qua fidelis ſecurè ambulat fide Chriſti illuminatus: de quo dicit Iob *cap.*29. *Ad lumen eius ambulabam in tenebris*: & D. Gregorius *lib.*19.*capite* 8. *pagina*742. *lit. A. Nunc ad lumen in tenebris ambulat, quoniam ſancta vniuerſalis Eccleſia, & ſi aliena occulta cognitionis non penetrat, tamen ponit greſſus boni operis, directa lumine ſupernæ locutionis.*

12 Tenebræ ſignificant timorem ſic dicitur *Matth, cap.*10.*verſ.*27 *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*; Vbi Gloſſ. ordin. *Quod dico in tenebris, ideſt dum adhuc in timore eſtis; dicite in lumine,ideſt in fiducia veritatis.*

13 Tenebras pro myſtica locutione accipit Interlinearis loco citato: *Quod dico vobis in tenebris, ideſt in myſterio.*

14 Obſcurare tenebras, eſt occultare peccata: de quo Pſalmus 138. verſ. 12. *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te*:Vbi D. Auguſt.*in Pſ.*138 *pag.*654.*col.*1.*lit.B. Homines mali, Homines peruerſi: cum peccant vtique tenebræ ſunt: dum non confitentur peccata ſua, quæ fecerunt, ſed inſuper defendunt; tenebrant tenebras ſuas.*

§ II.

Allegoricæ Noctis Myſteria.

1 NOx eſt tempus, quo Sol ab vno emiſpherio abeſt: & primò allegorice ſignat tempus incarnationis Chriſti, nam iuſtitiæ ſole minimè exorto, nox erat; ſed cum ipſe iam genitus naſceretur, canebant Angeli finem noctis, vt cęleſtes Aues annunciantes, de hoc apud Iob *cap.*25.*verſ.*10. ait Heliu: *Qui dedit carmina in nocte*: Vbi Hieron. *in Iob to.*8.*pag.*64. *lit.G. Iuxta myſticos intellectus, noctem, ſecretum quoddam, ac diuinæ diſputationis remotum ſilentium intelligamus, quod aliis ſeculis, ſicut Apoſtolus ait, non fuit reuelatum filiis hominum, Quæ nox ſit in quatuor vigilias deſtributa, vt a principio mundi vſque ad Chriſtum Dominum noſtrum hanc noctem dicamus.*

2 Nox ſignat tribulationem, dies vero proſperitatem: de qua nocte dicitur: *Pſal.* 16 *verſ.* 3. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte*: & Idem D. Hieronymus loco citato. *Cum ergo iuſtos, & rectè viuentes à ſupradictis Deus tribulari permittat, conſolationem tamen eis in nocte tribulationum concedit. Nox enim ipſa tribulatio intelligitur, ſecundum illud Pſalmiſtæ: Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: ſicut & proſperitas aliquando dies dicitur, quoniam qui in proſperis eſt, quaſi quadam felicitate illuminatur.*

3 Nox eſt pœnitentia, quæ ſine carnis afflictione non eſt: in qua nocte cœleſtem ſponſum deſiderabat anima dicens; *Iſai. cap.* 26. *verſ.*9. *Anima mea deſiderauit te in nocte*: pœnitentiæ ſcilicet, vt ab eo conſolaretur, vt ait Idem Doctor ſanctus *in cap.* 36. *Iſai tomo* 4. *pag.*121.*lit.B. Ille autem dicere poteſt: Anima mea deſiderauit te in nocte, qui cum Pſalmiſta loquitur confidenter: lauabo per ſingulas noctes lectum meum.*

4 Cum Nox ſit tribulatio, ſeu aduerſitas Noctes laborioſas enumerare eſt de aduerſitatibus pro Deo patienter toleratis, prouentum acquirere: vnde dicebat Iob *cap.*7. *verſ.*3. *Noctes laborioſas enumeraui mihi*: & ibi D. Gregorius *lib.*8.*cap.*5.*moral pag.*481. *lit. B. Noctes vero laborioſas enumerat, quia aduerſitates ſibi præſentis temporis, ſeſe in virtutibus exercendo, coacernat.*

5 Nox eſt ignorantia; de qua idem Iob: *cap.*27.*verſ.* 20. *Nocte opprimet eum tempeſtas*: & citatus Doctor *lib.*18.*c.*12.*mor.pag.*712. *lit.C. Ipſa venturi exitus ignorantia nox vocatur.*

6 Nox ſignat humanitatem, ſicut dies Diuinitatem: *Pſal.*18.*verſ.*2. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*; Vbi Diuus Ioannes Chriſoſtomus *in Pſal.*96.*tom.*1.*col.*1005.*lit.E. Dies ipſe, & nox ipſe, enim Deus, & homo. Dies ſecundum deitatem,& nox ſecundum humanitatem;nam incomparatione Deitatis, nox eſt humanitas. Nox nocti indicat ſcientiam: Chriſtus ſecundum humanitatem, nocti, omni terræ, hoc eſt omni humanitati, annunciat ſcientiam, de Patre, de ipſo, & de ſpiritu ſancto.*

7 Nox malos deſignat, ſicut Dies bonos; vt in eumdem verſum ait D. Auguſtinus *in Pſal.*18 *pag.*39. *col.*1. *lit.C. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Quando Dominus Chriſtus loquebatur Apoſtolis, Dies Diei eructabat verbum: Quando Iudas Dominum Chriſtum prodidit Iudæis, nox nocti annunciabat ſcientiam.*

8 Nocturna viſio, eſt cognitio, ſeu contemplatio Dei in hac vita: de qua ſcribitur *Iob cap.*33. *Quia per ſomnium loquitur Deus; in viſione nocturna*: Vbi Diuus Gregorius *lib.*23.*cap.*12. *pag.* 835.*lit.E. Nocturna enim viſio apparere contemplationi mentis, ſub quibuſdam imaginibus ſolet. Et quia ſancti omnes quamdiu in hac vita ſunt; diuinæ naturæ ſecreta, quaſi ſub quadam imaginatione conſpiciunt, quia videlicet nec dum ſicut ſunt ea manifeſtius contemplantur, bene ſubdit: in viſione nocturna.*

9 Nocturnus timor, eſt tentatio occulta: ſic dicitur in Canticis *c.* 3. *v.* 8. *Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos*: & D. Gregorius *lib.* 20. *cap.* 5.*mor.pag.*759.*lit.A. Nocturni quippe timores ſunt inſidiæ tentationis occultæ.*

10 Nox ſignificat præuaricationem, & mortem: de qua Iob :*cap.*3 *verſ.*88. *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat &c. ex pectet lucem, & non videat.* Vbi Diuus Hieronymus *in Iob tom.*8.*pag.*7. *lit.D. Nec nox præuaricationis, & mortis, in qua diabolus regnum tenet, poteſt lumen Redemptoris Chriſti cognoſcere; neque illi, qui in ea naſcuntur, niſi eam per baptiſmum renati deſtruxerint.*

11 Nox ſignificat infidelitatem,& errorem ſectarum ignorantium Chriſtum, eius fide carentium,quæ ipſum inuenire nequeunt, vt ſibi accidiſſe quæritur ſponſa: *Cantic cap.*3. *verſ.*1. *In lectulo meo quæſiui per noctes, quem diligit anima mea; quæſiui illum, & non inueni*: additque D. Bernardus *ſer.*46.*in Cant. pag.*189. *lit. M. An non nox vbi non percipiuntur ea, quæ ſunt ſpiritus Dei? ſed & apud hæreticos, vel ſchiſmaticos, quot ſectæ, tot noctes: Fruſtra per has noctes Iuſtitiæ Solem, & lumen queritis veritatis, ideſt ſponſum; quia nulla ſocietas lucis ad tenebras.*

12 Nox eſt vita peccatoris: de qua ſcriptum eſt 1.*Reg. cap.*15. *verſ.*12. *Cumque de nocte ſurrexiſſet Samuel.* Vbi D.Gregorius *in lib.*1. *cap.*15.*Reg.tom.* 1.*pagin.*271. *lit.B. Quid autem eſt peccatoris vita niſi nox? & quid iuſti lux aliud quam dies? vnde & Paulus de conuerſis peccatoribus ait: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

13 Surgere de nocte, eſt ad conuertendum peccatorem animum inclinare, & opem ferre: vt ibidem Gregorius. *De nocte autem Prædicatori ſurgere eſt ab aliena*

Digitized by Google

ne culpæ ſuſceptione affectum mentis erigere.

14 Nox dicitur diabolus, qui cum Dies eſſet, in tenebras peccando ſe inuoluit, vt dicit Iob: *cap.3. verſ.6. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat*: & D. Gregorius *cap.11.mor. pag 381. lit. E. Tenebroſus ergo turbo hanc noctem poſſidet, quia apoſtatam ſpiritum à conſpectu diſtricti Iudicis ad æterna ſupplicia, pauenda illa tempeſtas rapit.*

15 Noctem ſolitariam non relinquere eſt peccatum ſuum excuſationibus tegere: nam dicit Iob. *cap. 3. v.8. Sit nox illa ſolitaria*, & Magnus Gregorius *loc.cit.cap. 19 pag.389.lit.B. Noctem illam ſolitariam nõ relinquit, qui culpæ ſuæ tenebris etiam patrocinia defenſionis adiungit.*

16 Noctem tenebroſum turbinem poſſidere, eſt peccatum pœnitentiam vindicare: vt ſupra dictum eſt: vbi D. Gregorius *loc.cit.pag.388. lit. D. cap.17. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, ideſt perpetrationem culpæ, non blandimenta ſecura quietis foueant, ſed piè ſæuiens amaritudo pœnitentiæ irrumpat.*

Verſus vigeſimus primus.

הַכְּפִירִים שֹׁאֲגִים לַטָּרֶף וּלְבַקֵּשׁ מֵאֵל אָכְלָם׃

Verſio ex hebræo: *Leunculi rugientes ad prædam, & ad quærendum a Deo eſcam ſuam.*

Vulgata editio: *Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant a Deo eſcam ſibi.*

D. Hieronymus: *Leones rugientes ad prædam, & quærentes a Deo eſcam ſibi.*

Pagninus. *Leunculi rugiunt ad prædam &c.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

EXpoſitores Nomen illud כְּפִירִים variè ſunt interprætati; ipſum vero non ſignificat Leones iam natu grandes, nam illi vocantur אַרְיֵה neque catulos, ideſt lactentes adhuc leunculos, nam tales dicuntur כְּפִיר; גּוּרִים ergo, ex quo כְּפִירִים ſignificat iuuenes Leones, quibus iam ſunt vires ad prædandum validæ טֶרֶף non eſt verbum, ſed nomen deriuatum a verbo טָרַף quod rapere ſignificat; & ideo propriè eſt animal raptum a beſtia maiori ad deuorandum, ſeu ad eſum, quod communiter dicitur præda. Aliud autem hìc nobis examinandum non occurrit, niſi Leonum natura; & proprietates. Et ſic erit.

§. Vnicum.

De natura, & proprietatibus Leonum.

1 C*Atuli Leonum &c.* Incipientes autem a nomine, hebraicè denominatur a fortitudine, nam dicitur אַרִי *Ari*, quòd interprætatur fortis: græcè autem dicitur Ysʹon, ideſt Rex, nam Princeps eſt omniũ beſtiarum, iuba aurea decoratus, & in libia coronatus. Animal eſt imperterritum, & magnanimum; cumque à venatoribus inſequitur & inſectatur, terram reſpicit, ne ex armorum conſpectu timor exoriatur: cum autem ambulat ne ex pedum veſtigijs inſequi, & capi poſſit, cauda veſtigia cooperit: De eo hæc ait D. Iſidorus hiſpal. *lib.12.cap.2. orig. pag. 103. lit. E. Leo autem grecè latinè Rex interpratatur, eo quod ſit princeps omnium beſtiarum. Septis a venatoribus terram contuentur, quo minus conſpectis venabulis terreantur. Cum ambulant cauda ſua cooperiunt veſtigia ſua, ne venator eos inueniat.* Cum homine Leones benigni ſunt, vt eos non lædant, niſi læſi; & niſi magna crucientur fame; & tunc a viris incipit, raró fæminas adoritur, & paruulos numquam: Atque etiam obſeruatum eſt, cum hominem cœperit, iſque ſe humiliter Leoni proſtrauerit, ei Leonem parcere: Idcirco ſuam vltionem iræ Leonis aſſimilat Dominus, dicens: *Oſee cap.13. verſ.8. Et conſumam eos ibi quaſi Leo: Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum:* vbi aduertit Abbas Rupertus *lib.6. in Oſee.tom.1. pag. 815. col. 2 Tradunt namque Phyſici Leonem proſtrato parcere homini.* Deus ergo perdit eos qui ſibi humiliari per penitentiam reſpuunt: hinc antiquum carmen inualuit

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni.

2 Leo inſuper omnium belluarum Princeps, omnibus etiam timorem incuſſit, ipſe vero nullum timet. Ideoque ſolus imperterritus ſoporatur; de quo D. Hilarius. *Leo terrori eſt feris omnibus, & veluti dominãs eſt cæterarum beſtiarum: & hic ſolus per confidentiam, & ſecuritatem dormit intrepidus. Terror omnium vigilans eſt, ipſe autem ſecurus in ſomno eſt.* Aliam autem haud ſpernendam proprietatem habet, imò Principibus maximè neceſſariam, nam oculis dormit apertis, per quod vigilantiæ denotatur virtus. Videant Reges quid maximè in Belluarum Principe commendetur, ſcilicet, Magnanimitas, quia hoſtes non timet. Clementia, nam proſtratis ignoſcit; Vigilantia, nam inclauſis dormit oculis. De hoc meminit D. Iſidorus *loc. cit.* dicens. *Cum dormierint, vigilant oculi.* Variæ de Leonum

vigi-

Digitized by Google

vigilantia feruntur hiſtoriæ, verum nobis alterius tantummodo ſufficiat meminiſſe: quam Theatrum vitæ humanæ *in vocab. Leo pag. 44. lit. F.* ita refert. *Tale aliquid noſtro tempore accidiſſe in Arce Neapolitana (quæ ad mare prope portum ſita eſt) refertur. Vſitatum enim longo tempore fuiſſe aiunt, vt Leones aliqui ibi, in loco, qui mare ſpectet, alantur. Quum autem aliquando hoſtes noctu nauibus appuliſſent, & hac in parte, occupaturi arcem, mœnia, ſcalis iam appoſitis, magno ſilentio traſcendiſſent, præter ſuam ſpem inciderunt in Leones, qui multos ex iis dilacerarunt, & ſuo rugitu vigiles excitarunt: ita vt non paucis deſideratis irrito conatu, diſcedere coacti fuerint.* Enim vero nec ſuperbia ei, principum comes, deeſt; nam aliarum ferarum ſe miſcere generibus dedignatur, nec eorum conſortium aut familiaritatem patitur; quin & heſterni cibi reliquias curare nefas putat; nec enim decet Regem ciborum reliquiis refici. Ita de eo D. Ambroſius *lib. 6. c. 3. ex Heb to. 1. pag. 67. lit. C. Leo naturæ ſuæ ſuperbus ferocia, aliarum Ferarum generibus miſcere ſe neſcit; ſed quaſi Rex quidam, plurimorum dedignatur conſortium. Qui etiam cibum faſtidit heſternum; & ipſas ſuæ eſcæ reliquias auerſatur.*

3 Nunc ad Leænarum conceptum ſermonem conuertere opus eſt. Nonnulli ſomniauere leænam vnum tantum parere catulum, & vna vice tantum, eo quod ille matris vterum vnguibus dilaniet, ſed huic figmento ipſa occurrit experientia; Plinius ait prima vice quinque catulos parere, ſecunda vice quatuor, & ſic ſemper minuendo tandem ſterileſcere; an re vera ita contingat pænes lectores eſto iudicium. *Plinius dixit*, ait Anglicus, *de prop rer lib. 18. cap. 63. pag. 1081. Leænam primo quinque catulos parere, deinde quatuor, & ſic per annos ſingulos ad minus vno ſterileſcere. Paritque informes catulos, & paruos magnitudine muſtelarum in principio; dicit etiam catulos ſex menſium vix poſſe naſci, & duorum menſium vix moueri.* Neque tantummodo informes, cæcoſque parit filios, ſed & ſomno ſopitos, ſicque tribus dieb. dormiunt, ac tandē ex matris rugientis voce excitantur; vt tradit D. Iſidorus *loc. cit. Cum genuerint catulum, tribus diebus, & tribus noctibus catulus dormire fertur, tunc deinde Patris fremitu, ſeu rugitu, veluti tremefactus cubilis locus, ſuſcitare dicitur catulum dormientem.* Rationem quare cæcos, & imperfectos pariat filios dat Anglicus, loc. cit. *pag.* 1083. ex Solino. *Cuius filii naſcuntur cæci, ſicut omnium animalium habentium dentes diuiſos. Propter ingluuiem naſcuntur filii imperfecti*, &, vt refert etiam Idem. *Solinus dicit Leonem timere quando videt, vel audit catulum verberari.* Sic Leo animalium præſtantiſſimus imperfectos gignit filios, vt paulatim, quod homini contingit etiam, perficiantur.

4 Quare autem hic dicatur; *Catuli Leonum rugientes vt rapiant;* breuiter expendendum eſt. Leones igitur cum ad prædandum exeunt, ſe in abditis ponunt, vt inde contemplantes prædam, ipſi perſpici non poſſint, deinde ex inſidijs irrumpentes rugitum maximū edunt, ex quo animalia territa gradum ſiſtunt, nec aliò ſe mouere audent, ſed ſuo parentes Regi, omnia quid ille velit pauida expectant, ex quibus ille præda ſibi bene viſa rapta, reliqua dimittit, imò, & rapacia ad partem ſuæ prædæ admittit; cum autem ipſe primò vbi ſunt Beſtiæ accedit, cauda ſua circulum ſignat in terra, quem circulum nulla beſtiarum tranſgredi audet: ſic ex Solino refert Anglicus *loc. cit. In altiſſimis montibus occultat ſe, & inde contemplatur prædam ſuam, quam cum viderit altè rugit; ad cuius vocem terrentur Animalia, & ſubitò figunt gradum, circa quæ cum cauda in orbem lineam ducit, & illius lineaturæ circulum tranſire quodlibet animal pertimeſcit, & ſtant animalia ſtupida, quaſi edictum expectantia Regis ſui.* Idcirco ergo ad prædandum exeuntes Leunculi rugiunt, vt prædam ſiſtant. Ex quo ſenſus Amos Prophetæ *cap. 3. verſ. 4.* facilè dilucidatur, dum ait: *Numquid rugiet Leo in ſaltu niſi habuerit prædam?* Scilicet quòd tunc rugiunt Leones cum prædam præſentem habent, vt rugitu terreant, & ſiſtant; vt D. Hieronymus *ap.* Gloſſ. obſeruat *Leo quando famem patitur, ſi videt prædam dat rugitum. qua voce audita Feræ ſtant, fixo gradu ſtupefactæ.* Sic ergo rugiunt prædaturi Leones, & obedientiam vti decet Reges a beſtijs exigunt: Vtinam & homines ſuperiorum ſuorum, & præſertim Dei, vocem audientes, in hoc Belluas imitarentur.

5 Hanc tamen authoritatem in hominem non habet Leo, imò eius ſubijcitur ingenio, ſi viribus non cedit; capitur enim varijs modis; Quapropter venanti Leoni dicere poſſumus *Iſai c. 33. verſ. 1. Væ, qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Quia & ipſe prædator Leo hominis ſolertia capitur; modum autem prædationis, & captionis ipſius, pulchrè deſcribit D. Gregorius magnus; *lib. 9. cap. 33. mor pag. 536. lit. B.* qui verba illa Iob *cap. 4. verſ. 10.* expendens; *Rugitus Leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum Leonū contriti ſunt*; hæc habet. *Leæna, cum eſcam catulis exquirit, inhianter in foueam captionis ruit. Sicut enim ex quibuſdam regionibus fertur, fit in eius itinere fouea, in quam pecus deponitur, vt illuc ſe eius appetitu proiicere leæna prouocetur; quæ anguſta ſimul, & alta præparatur, vt in eam ruere ambiendo valeat, ſed hanc ſaliendo nullo modo euadat. Alia quoque fouea, quæ priori cohæreat, effoditur; quæ tamen ei cui pecus eſt, extremæ partis apertione coniungitur: in qua nimirum Cauea ponitur, vt Leæna corruens, quia deſuper terroribus vrgetur, cum quaſi in ſecretiori parte occultare ſe appetit, caueam volens intret: cuius iam ſæuitia nequaquam pertimeſcitur, quia clauſa in cauea leuatur.* Parua etiam animalia quædam timet, ſed maximè galli gallinacei cantum, nec non rotarum ſtrepitum, ac ignem, vt ait D. Iſidorus *loc. cit. Rotarum timet ſtrepitum, ſed magis ignem*: Quin etiam propter nimium calorem febrem aſſiduē patitur, quod etiam eius audaciam, & furorem temperat, ſic Anglicus *loc. cit. Tantæ autem eſt caliditatis, quod febres ſemper quartanas patitur, & hunc morbum naturaliter ſuſtinet, vt eius feritas edometur.* Quin & Leo non caret ſuis vtilitatibus, & hominem iuuat maximè in medicina; nam vt Idem Author ex Plinio, & Dioſcoride refert. *Valet etiam in medicina multipliciter, cuius adeps venenis eſt contrarius, quo quicumque peruncti fuerit, aliorum animalium, vel reptilium morſus illo tempore non timebit: eius etiam adeps mixtus cum oleo roſaceo cutem faciei cuſtodit a vitiis; candoremque ſeruat, & ſanat aduſta; oculorum ſedat tumores. Fel eius aqua addita oculorum acuit claritatem. Valet etiam contra comitiales morbos, & caducos. Cor eius cibo ſumptum, ſoluit quartanam febrem.* Hæc de Leonibus retuliſſe ſufficiat, qui pleniorem de eorum natura notitiam deſiderat, præcitatos conſulat Authores, qui ex profeſſo de eis diſputant.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

LEonum naturam Beſtiarum omnium, quæ ſyluas, deſertaſque incolunt terras, præcipuam, explicantibus, occurrunt nobis iam morales Leones, ac tropologici catuli, ſcilicet ſub Diabolo duce ſuperborum, Iniquo-

quorumque turmæ; quæ ſub catulorum Leonum nomine exprimuntur. Etenim Leo Diabolus, eſt qui rugiendo ſuadet, tentando mordet; eius igitur inſidias, vt vitemus, aperiamus.

SVMMARIVM.

1 *Diabolus Leo, & Peccatores Catuli Leonum.*
2 *Diabolus ſuperborum Rex.*
3 *Diabolus homines ad tentandum poſcit.*
4 *Diabolus tentare non poteſt, niſi quantum Deus permittit.*
5 *Deus permittit tentationes, ad noſtram vtilitatem.*
6 *Potentes per vim bona pauperum, quæ Dei ſunt, rapiunt.*
7 *Potentes ſimulando ſanctitatem decipiunt.*

§. I.

Diabolus Leo, & Peccatores Catuli Leonum.

1 CAtuli Leonum rugientes, &c. Creationem rerum Propheta commemorans, de Leonibus diſſerendum putauit, vt pote Quadrupedum nobiliſſimis. Sed iam haud leuis dubitatio animum pulſat, cur catulos Leonum, non autem ipſos enumeret Leones? Neque enim cæterarum Belluarum, quarum meminit, catulos recenſuit, ſed ipſas Beſtias, vt patet declarata inuenti; rationiſque id expoſtulat ordo, vt perfecta animalia præmittantur. Enim vero animaduertendum eſt, Leunculos, vtpotè iuuenes, viribus fortiores, ac promptiores animo eſſe; ac propterea ad rapiendum audaciores, necnon crudeliores exiſtere. Leo Diabolus eſt, Dei, Iuſtorumque antiquus hoſtis; eius autem Catuli, peruerſi, ac impœnitentes ſunt peccatores; quia ergo ad homines decipiendos plus tribuunt membra Diaboli, quam ipſe infernalis Leo, ideo Catuli tantummodo memorantur, cum dicitur: *Catuli Leonum rugientes. vt rapiant.* Vbi magnus, ac beatus Albertus. *Leo Diabolus eſt; & catuli Leonum membra & Filii Diaboli.*

2 Non immerito ſi Diabolum Leonis nomine ſignamus, ac reprobos eius filios catulos dicimus, Leænam illius vxorem, horum matrem etiam inueſtigemus; neque enim ſine matre catuli gignuntur: Leænam igitur Babilioniam, ideſt mundanorum hominum congregationem dicamus, quæ diabolico fæcundata ſemine, reprobos gignit filios; per quorum rugitum, ideſt peruerſam doctrinam, ac deceptoriam illectionem, innocentium, iuſtorumque hominum animas rapit. Nonne Leunculi rugitus eſt ſuaſio ad fruendum præſentis vitæ illecebris, ad nihili faciendam cæleſtem patriam, ad decipiendum proximũ, ad fallaces diuitias comparandas ad libidinem ſectandam, Deumque deſerendum? Rugitus equidem, & peſſimus eſt, infernalis venena ſerpentis immixta retinens: hunc rugitum reprobi, qui Leonum ſunt Catuli, geniti ex Diabolo patre, ac ſceleſtorum ſynagoga genitrice, in innocentium animas emittunt; quem cum ſuperaſſet ſantiſſimus Iob *cap. 4. verſ.* 10. lætus dicebat: *Rugitus Leonis, & vox Leænæ, & dentes catulorum Leonum contriti ſunt.* Fregerat Vir ſanctus Leunculorum peruerſorum dentes, dum vanas ſuaſiones deuitans, ſurdum ſe ad tam impium rugitum præbuit. Quod autem ita hi gignentur catuli, audiamus ex magno Gregorio, *lib. 5. cap. 17. moral. to. 2. pag. 416. lit. A. Aliquando verò Leæna nomine, huius mundi ciuitas, id eſt Babilonia exprimitur; quæ contra vitam innocentium immanitate crudelitatis effrenatur; quæ antiquo hoſti, quaſi ſæuiſſimo Leoni ſociata, peruerſæ perſuaſionis eius ſemina concipit, & reprobos ex ſe filios ad ſimilitudinẽ illius, quaſi crudeles Catulos gignit. Catuli autem Leonum ſunt quilibet reprobi, ad iniquam vitam malignorum ſpirituum errore generati.* En peſſimorum Catulorum impium partum, dum ex Diabolo Leone Leunculi reprobi ſic naſcuntur.

3 Exprobrans Iſraeli, Ezechiel Propheta *cap. 19. verſiculo* 2. quod a Deo receſſiſſet, dicit: *Quare mater tua Leæna inter Leones cubauit, in medio Leunculorum nutriuit catulos ſuos?* Nam impietatis filius cum opera peruerſa exhiberet, dignum ſe Leonis infernalis catulum demonſtrabat. Imo huius peſſimæ Leænæ eo proceſſit audacia, vt & in ipſo Cælorum regno catulos ſuos parere, ac nutrire non vereatur. Rarò Leones ad Ciuitates veniunt vt prædentur, ſed Feris contenti, earum venationem in ſyluis exercent: cum autem ad Vrbes accedunt, magnam hominum occiſionem faciunt: En quid audeat Leæna ſæua ſuperbiæ, ipſam ſupernam ciuitatem ingreſſa, ac Leoni iuncta Lucifero, ex Angelorum choris, innumeros ferè leunculorum greges, peccato peperit, impænitentia educauit; idcirco Propheta ſub nomine Hieruſalem cæleſtem regiam intelligens, eius ciues quorum bella deſcribit, ſub catulorum Leonũ figura inducit; vt optimè obſeruauit D. Hieronymus, *in Ezechiel to. 4. lib. 6. pag. 387. lit. F.* inquiens. *Dum vniuerſa, quæ ſcripta ſunt, refert ad contrarias fortitudines; & in cæleſti Hieruſalem Leones, & bella deſcribit, Diabolum, & comites eius Leones appellare ſolet.* Reprobi igitur Leænæ impietatis filii, Diabolo patre geniti, Leonum catuli nuncupantur.

§. II.

Diabolus ſuperborum Rex.

1 CAtuli Leonum &c. & Mundum hunc efformans Omnipotens, ac viuentibus replens, vt homines ad politicè viuendum inſtrueret, varias animalibus dedit conuiuendi normam; Quædam aues reperiuntur, quæ turmatim incedentes, ſub ſuis ducibus ad bella ſe in acies diſponunt, vt Corui, Ciconiæ: Aliæ Rempublicam referunt, vt paſſeres Columbæ; aliæ regnum, vni parentes Principi, vt apes; aliæ ſolitariam vitam amantes, aliorum conſortium dedignantur, monachorum, ſeu Anachoretarum vitam deſignantes: ita ex Animalibus Cerui, Capreæ, ac Formicæ Rempublicam referunt, Alia vero Principem ſequuntur: omnium tamen terreſtrium Beſtiarum Princeps eſt Leo, qui natura dignior, viribus præſtantior, non tam maieſtate, quam potentia dominatur. Mirum ergo videri non debet, ſi Pſaltes de Leonibus tantummodo ſermonem habeat, cum omnes ſylueſtres Feræ de nocte ad prædandum egrediantur, ſatis enim eſt Principem memoraſſe. Si autem nomine ſyluæ hunc mundum intelligamus, per beſtias ſuperbos accipere haud incongruũ eſt, quarum beſtiarum ſæuiſſimus Imperator Diabolus eſt; ſicuti namque belluis Leo, ita ſuperbiæ filiis Lucifer dominatur: Quapropter ait Incognitus. *Non immeritò Diabolus beſtia dicitur; ſicut enim Leo Rex eſt Animalium, ſic & Diabolus omnium ſuperborum.*

2 Vt aliquis non caſſo nomine tantum, verum etiam & ipſa re, Rex poſſit nominari, & eſſe; neceſſe eſt vtique, vt populos habeat, in quibus regnet, quique eius ditioni, ac poteſtati ſubiiciantur: ſi ergo Rex eſt Diabolus, ſubditos ſibi ſuperbiæ filios facere debet. Atque hoc puto ipſum quæſiuiſſe, cum ſedem ponere in Aquilone tentauit; dixit namque: *Iſai cap. 14. v. 13. Sedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis, ſimilis ero Altiſſimo.* Sedere enim in regali volebat ſolio, ac aſſimilari Deo; vt ſicut Deus in ſanctis, & electis ſuis charitatis imperio dominatur, aurea gloriæ redimitus Corona; ita ille ſuper omnes reprobos imperaret, accipiendo

Digitized by Google

piendo ſedem poteſtatis in illos, flammeo pœnæ perpetuæ inſignitus diademate, & in eas crudelitate regnando; atque vt Deus bonitate præeſt obedientiæ filijs; e contra Diabolus ſuperbiæ filijs aſtutia malitioſa præficitur. Acutè id perſpexit mellifluus Bernardus. *de gradib. humil. gr. 1. ſuperb. pag. 243. lit. G. Puto autem per Aquilonem reprobandos homines fuiſſe deſignatos; per ſedem, poteſtatem in illos &c. Affectaſti ſuper illos dominium, vt quomodo Altiſſimus ſua ſapientia, & bonitate omnibus filiis obedientiæ praeerat: ita & tu ſuper omnes filios ſuperbiæ Rex conſtitutus, tua eos aſtuta malitia, ac malitioſa aſtutia regeres; per quod Altiſſimo ſimilis eſſes*. Neque id abſurdum putandum eſt, vel reprobos poteſtatem habere; nam de Cæſare Dictatore narrant hyſtoriæ, cum adhuc priuatus per quoddam oppidulum pertranſiret, & a ſocijs interrogaretur, vtrum ibi illę ambitioſæ contentiones reperirentur, quę Romæ videbantur, reſpondiſſe fertur: *Mallem hic primus eſſe, quam Romæ ſecundus*. Ita enim humanæ ſuperbiæ proprium eſt dominari, ac præeſſe, vt Dyoniſius regno ſpoliatus, ſcholam aperuerit, vt ſaltem diſcipulis imperaret, qui ſubditos non habebat.

3 Apud Romanos mos viguit, poſtquam Reges abiecere, vt cum bellum periculoſum inſtaret Dictatorem eligerent, qui maxima authoritate pollens, milites, ac populum ipſum, imperio ſuo formidabilis in officio contineret. Iratus cæleſtis Imperator mortalibus, vt aliquando peccatores exterminet, exercitum ſuum miſſurus eſt, locuſtarum videlicet terribile genus, cuius talis forma. *Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in prælium: & habebant capillos, ſicut capillos mulierum, & dentes earum ſicut Leonum erant: & habebant loricas ſicut loricas ferreas, & vox alarum earum, ſicut vox curruum equorum multorum*. Huic autem crudeli hoſti Regem, veluti Dictatorem dabit Dominus, nonquidem bonorum Angelorum aliquem, ſed ſuperborum Regem diabolum, qui omnis boni, ac miſericordiæ expertem animum occiſorum miſerijs ſaturabit; nam ita in Apocalipſi *cap. 9. verſ. 11.* ſcriptum eſt: *& habebunt ſuper ſe Regem Angelum Abyſſi*; ideſt Diabolum ſuperborum Principem, vt ſenenſis Bernardinus teſtatur *in cap. 9. Apoc. pag. 68 col. 2. lit. C. Angelum Regem Abyſſi Diabolum: qui eſt de abyſſo inferni, ſine byſſo, & candore omnis boni. Dicitur autem Diabolus Rex, quia regnat ſuper omnes filiot ſuperbiæ*. Væ, væ ſuperbis, qui locuſtarum more, omnes deprimere, ac omnia bona deuaſtare nouerunt; nam Principi tenebricoſo, ac ſæuiſſimo tyramno ſubiecti, perpetuam ſentient ſeruitutem.

4 Rex, ſed tyramnicus, Princeps, ſed barbarus, diabolus eſt; qui ſibi ſubiectos, non paſcere ſed vorare nouit: Vide quam bene Diaboli principatum Leoninæ dominationi ſimilem Pſalmiſta fecerit: nam Leonis maieſtas tunc eluceſcit in belluas, cum eas timore corripit, aſpectu terret, vnguibus lacerat, dentibus contundit; Rex, eſt, quia cæteris potentior, omnes feras prædatur. Ita pariformiter tenebrarum Angelus, ſuperborum eſt Princeps, ad eos perdendos, mactandos, & æternaliter cruciandos. Quapropter Deus cum aliquem propter peccata perdendum iudicat, Diaboli poteſtati ſubmittit, vt ab eo flagellatus debitas luat pœnas: de huiuſmodi patientiſſimus ait *Iob cap. 18. verſ. 14. Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius, & calcet ſuper eum quaſi Rex Interitus*. Porro obſerua nomen Regis infernalis, Interitus enim dicitur; nam cuicumque dominatur interire neceſſe eſt; Interitus dicitur, Mors numcupatur, nam ſimul cum corpore animam perdit, eleuat namque ſuos in ſuperbiæ montem, vt ſic præcipiter in infernum. Audi de hoc D. Hieronymum *in Iob tom. 8. pag. 49. lit. C. Hunc igitur interitum Diabolum eſſe dixit, qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Heu fuge chriſtiane crudelem Dominum, tyramni cum Regem, qui nonniſi perdere vaſſallos nouit, & pro pedagio vitam, animamque ipſam expoſcit.

5 Huius rei euidentiſſimum indicium eſt, quòd Diabolus ſuppreſſo nomine quandoq; in ſcripturis Superbus tantummodo dicitur. Etenim ſicuti cum Catholicus dicitur; intelligitur Rex hiſpaniæ, & Chriſtianiſſimus Rex Galliæ, vel etiam, cum dicitur Hiſpanus, aut Gallus abſq; alio addito intelligitur illius nationis Princeps; ita ſimiliter, cum ſuperbus dicitur, Diabolus intelligitur ſuperbiæ, ſuperborumque Rex. Id habetur apud Iob, vbi cum tenebrarum Principis percuſſio diuina virtute facta ſignatur, is ſub ſuperbi vocabulo inducitur, his verbis: *Iob capite 26. verſ. 12. Et prudentia eius percuſſit ſuperbum*. Ex quibus magnus Gregorius *lib. 17. cap. 18. moral. pag. 699. lit. B.* colligit, ideo ſuperbum ſine addito dici, quia ſuperborum Princeps eſt. *Quis hic ſuperbus alius appellatur, niſi ille qui dixit: Aſcendam ſuper altitudinem nubium ſimilis ero Altiſſimo? & de quo, voce Dei, dicitur: Qui factus eſt, vt nullum timeret, & ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Nemo ergo, qui ſapit, ſuperbire debet, ne tyramnico Diaboli ſubiugetur imperio.

§. III.

Diabolus homines ad tentandum poſcit.

1 C*Atuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.* Mirabilis profecto diuina Prouidentia eſt, quæ Leonum conſeruationi ſtudens, ex aliarum ferarum præda cibum indulſit; itaque rugiunt, vt rapiant Leones, & rugitu ſuo Creatorem laudant, qui eis prædam elargitur. Nam & ideo dictum eſt; *& quærant a Deo eſcam ſibi*, quia diuina prouidentia eorum conſentit rapinæ, ac venationem comprobat. Quòd ſi hucuſque per Leones Diabolos intelleximus, iſti etiam a Deo eſcam petere dicuntur: tànta enim eſt ſanctorum virorum iuſtitia, & gratia, vt dœmones ad eos tentandos accedere non audeant; ſed inuidia commoti, cum præualere ſuis fraudibus in eos non poſſint, a Deo ipſos ad tentationem poſcere non verentur, tanta eſt eorum audacia, & impudentia: quod animaduertens D. Ioan. Chriſoſtomus, inquit. *Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quærant a Deo eſcam ſibi. Rugiebant itaque, vt raperent: cum autem id minimè conſequuti eſſent, vt quærerent. Neque enim (quæ eorum impudentia eſt) iuſtos viros ad tentationem depoſcere verentur*.

2 Hoc euidenter colligitur ex Iobi hyſtoria; tanta enim vir iſte ſanctitate eminebat, tanta puritate enitebat, vt ipſe Deus, de tam iuſto famulo gloriaretur; atque aſſiſtenti diabolo eius laudes enarrare cæpit, vt ad tantæ ſanctitatis aſpectum, eius inuidia excitaretur, torquereturque. *Iob. cap. 1. verſ. 8. Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra?* dicebat Dominus. Torquebatur autem inimicus, & ad eius deiectionem anhelans, quia ex ſe attingere, nec in eum præualere valebat Dominum interpellat, vt ſibi poteſtatem faciat in eum ſæuiendi, illis nempe verbis: *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet verſ. 11.* Quaſi diceret. *Circuiui terram, & perambulaui eam*, & reperi vbique peccatores ex toto corde mihi ſeruientes, omnes meis iaculis victos, mea potentia proſtratos, quorum omnium Princeps effectus, meo iam imperio ſubiugaui; in terra quidem multos homines deuici, in aere, imò de cælo, multos deieci ſpiritus: verum vnum tantummodo cerno, meis illecebris irridentem, meis iaculis imperuium, meis machinamentis inſuperabilem Iobum: rugio equidem, vt Leo, vt & ipſum deuorem; ſed id exequi non valeo; ideo a te tentandũ depoſco, *extende paululum manum tuam*; nam tangendo cuncta, quæ poſſidet, proſtrabo. Ita eius verba apud Gloſſam ordinariam Dydimus interpræatur. *Spiritus enim terras tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cuius verborum hæc ſententia eſt: cum omnes terrenas, & aereas poteſtates ſubegerim, ſolus Iobus mihi aduerſatur, quem depoſco.*

Vide inuidiam, vide temeritatem; iuſtum virum quem ſuis viribus ſuperare non poteſt, Deo adiutore proſtrare temerè cupit, & expoſcit.

3 Heu nos miſeros, implacabili leoni obnoxios, atque ad tentandum ſubiectos, qui parcere cum neſciat, vorare nouit; ac rugitum contra nos emittere ceſſat numquam; cuius audax temeritas eo proceſſit, vt in ipſos Chriſti Redemptoris diſcipulos ſæuire popoſcerit. Iam ille properabat ad mortem, cumq; vltimam cœnam cum ſibi chariſſimis celebraret, inter non pauca monita, quibus diſcipulos, ac præſertim eorum Principem Petrum, inſtruxit: de Satanæ aduerſus eos petitione certiores reddidit; *Simon, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Luc. cap. 22. ver.* 31. Adierat ſanctiſſimæ Triadis ſolium more ſuo Satan, vt aliquem ad deuorandum iuſtum expoſceret; cumque Iudam dilaniaſſet, ea præda minimè contentus, in reliquos Apoſtolos deſæuire poſtulauerat; ac rei compos effectus, timebat ſuis Ieſus ab inſidijs vaferrimi Leonis, atque oratione firmatos, voluit, etiam præmonitione tutari: Erat autem pauoris occaſio mors, & abſentia Solis iuſtitiæ; cum enim per eius abſentiam nox fieret, ſciebat vtique illud Beſtijs, ac Leonibus debacchandi tempus eſſe: Ita D. Auguſtinus *in Pſal.* 118. *conc.* 15. *pag.* 559. *col.* 1. *lit. B.* ſentit *Dominus ait; Hac nocte poſtulauit Satanas vexare vos ſicut triticum; id eſt hac nocte, in qua pertranſeunt beſtiæ ſyluæ, tunc ille Leo magnus quæſiuit eſcam ſibi.* Licet autem vnum tantum perdendo vorauerit, vexauit tamen omnes, vel negatione, vel fuga, vel incredulitate, vt nullus omnino tutus ab eius euaſerit incurſu. Timeat ergo quicumque Chriſto ſeruit, de nocte exire, id eſt in peccatis conſiſtere, nam profectò deuorabitur.

4 Hic autem obiter obſeruandum eſt; Cum Diabolus ad tentationem fideles Chriſti depoſcit, dari vtique a Deo ſibi prædandi licentiam, ſed tantum in nocte, & in ſyluis, non vero in Ciuitate; ille ergo prædatur, qui de Domini ciuitate diſcedit. Nō ergo egrediatur Chriſtianus de Eccleſia, non a legis obſeruantia, non a Dei præceptis, qui enim peccando de Domini ciuitate recedit a Leone capietur. Hoc & Ieremias prædicabat *cap.* 5. *verſ.* 6. dicens. *Percuſſit eos Leo de ſylua, & Pardus vigilauit ſuper ciuitates eorum, omnes qui egredientur de eis capientur.* Quare admonet D. Hieronymus *in cap.* 3. *Nahum. tom.* 5. *pag.* 178. *lit. B. Hieremias quoque de peccatoribus loquitur: Percuſſit eos Leo de Sylua, & Pardus vigilauit ſuper Ciuitates eorum, omnes qui egrediuntur de eis capientur. In quo animaduerte, quòd nemo capiatur, niſi qui de ciuitatibus Dei fuerit egreſſus.*

§. IV.

Diabolus tentare non poteſt niſi quantum Deus permittit.

1 ET *quærant à Deo eſcam ſibi.* Mirari poſſet aliquis, Diabolum à Deo omnino auerſum, ac ſemper eius implacabilẽ hoſtẽ, quiq; ei ſubiacere numquam patitur, petere nihilominus ab eo homines ad tentandum, ac tentandi licentiam poſtulare: nonne inueterata in iuſtos inuidia ſatis eſt ad tentandum? fortaſſes vires ad tentandum deficiunt? nequaquam, nam bonum vtique proſequi neſcit, pro malo autem ſatis virium habet; nam, vt Seneca *epiſt.* 105. teſtatur, *Nulli non ad nocendum ſatis virium eſt.* Enim vero fatendum eſt prædari iniquitatis Leonẽ, ſed non de omnibus valere: Principes huius ſæculi adſolent quamdam ſyluarum partem ſibi reſeruari, in qua venari nulli fas ſit; Itaque Venatores ad prædam exeuntes omnem ſyluam excurrere poſſunt, præter eam partem, quam ſibi Dominus reſeruauit; in qua tamen de eius licentia aliquando prædari poſſunt. Sylua frementium Beſtiarum mundus eſt, in qua Leones infernales innumeras venantur animas Turcarum, Gentilium, Iudæorum, hæreticorum; ſed in Catholicos iuſtos nequaquam audendi, aut prædandi poteſtas eſt, nam hæc portio, cum pars Domini ſit, ei reſeruata eſt; hos tentare Satan nequit, niſi quando, & quantum permittit Deus; ideo de dæmonijs dicitur: *Et quærant a Deo eſcam ſibi*: quia, vt docet Incognitus *Neminem tentare poſſunt, niſi quantum Deus permittit.* Et Magnus Gregorius *lib.* 27. *cap.* 17. *moral. pag.* 925 *lit. A.* apertius fatetur. *Catuli Leonum rugiunt, quia nequiſſimarum, ſed tamen eminentium poteſtatum miniſtri, importunis tentationibus inſurgunt. Qui tamen a Deo eſcam expetunt; quia nimirum capere animas nequeunt: niſi iuſto iudicio preualere diuinitus permittantur.* Rugire ergo Leones ſine Deo poſſunt, non tamen ſine eo prædari.

2 Leo ne mordeat in cauea retinetur incluſus, vnde licet prope eum homines ambulant, eius terreantur rugitu, morſus timere non debent, nam clauſus eſt; quod ſi Dominus eius, qui caueæ clauem habet, reſerauerit eam, tunc dimiſſus ſæuiet. Haud ſecus Diabolus, poſt dominicam paſſionem in cauea duræ ſeruitutis, diu ino retinetur imperio; neque pro ſuo libito exire ad mordendum, & prædandum poteſt; ſed tunc cum Dominus Caueam infernalem reſerat; nam & carceris tartarei clauem apud ſe ſeruat. Quandoquidem ipſe ille Angelus eſt, Clauem retinens abyſſi, de quo Ioan. *Apoc. cap.* 20. *verſ.* 1. *Et vidi Angelum deſcendentem de Cælo habentem clauem abyſſi*: Ieſus namque hanc ſupra diabolum poteſtatem habet, vt ſoluat, & claudat pro ſuo placito; neque enim aliquem, niſi dimiſſus a Domino tentare poteſt: quare D. Bernardinus Senenſis *in cap.* 20. *Apoc. tom.* 4. *pag.* 124. *col.* 2. *ait. Et vidi Angelum; id eſt Chriſtum aſſumentem faſtigium, & ſolium æternæ maieſtatis &c. Habentem clauem abyſſi; id eſt poteſtatem ſuper diabolum ligandi, & ſoluendi eum, quantum voluit; nihil enim poteſt, niſi permiſſus.* Heu dolendam peccatorum dementiam, qui caueam Leonis infernalis ſua contumacia reſerare poſtulant, & hanc ei ſæuiendi occaſionem porrigunt: obmuteſcat qui Diaboli accuſat inſidias, ſe potius mulctet, qui intra caueam incluſum ad mordendum illexit.

3 Securus, & lætus Dauid Sanctus canebat: *Pſal.* 22. *v.* 4. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Nam cum Dominum itineris ſanctitatis ſocium haberet, Leonis iniqui morſus non formidabat. In dies experimur, quòd ad tutandum gregem ſuum & a Luporum præda, & ab hominum rapina, ſæuos canes, ac terribiles Paſtores nutriunt, qui erga domeſticos humaniſſimi, in incognitos magna crudelitate irruunt. Cum Paſtoris amicus ad gregem accedit, ne canum morſibus ſit obnoxius, ipſe Paſtor eum comitatur, nam verentur eum canes, nec ſine Domini iuſſu in aliquem ſæuire audent, quem ſecum vident. Dœmones quandoque canes Chriſti Paſtoris noſtri dici poſſunt, quia ſæpe, vel inuiti, gregem Domini ab infidelibus tutantur; hi in omnes, qui extra Dei gratiam ſunt deſæuiunt, in amicos figere morſus nequeũt: cum ergo aliquis aſſociatus a Domino vadit, horum incurſionem deuitat, nam, niſi iuſſi in Chriſticolas non inſurgunt. Hoc manifeſtè colligitur ex Euangelio; cum enim malignorum ſpirituum integra legio hominem occupaſſent, a quo diſcedere Dominus iubebat, ne quidem in porcos ingrediendi poteſtas erat, niſi Domino iubente, a quo petebant: *Matth. cap.* 8. *ver.* 31. *mitte nos in porcos*: ergo multo minus poſſent in homines qui nec in immunda animalia imperiũ obtinebant. Egregiè D. Bernardus *ſerm. in Pſal. Qui habitat. pag. Memento ſanè, quòd ad vnum Saluatoris imperium, ab obſeſſo iam, & diu poſſeſſo vnius hominis corpore dæmonum legio tota diſceſſit; & ne ipſos quidem auſa eſt, niſi ab eo iuſſa contingere porcos.* En quare Dauid Domino comitante, Infernalium beſtiarum inſidias haud verebatur.

4 Men-

Digitized by Google

4 Mentiri me minimè patitur diuina ſcriptura, præſertim libro primo regiæ hiſtoriæ. Statim namq; in peccata prolapſus eſt Rex Saul, ab eo receſſit Deus; nã neque cum tenebris habitare lux poteſt: abeunte autem Domino, poteſtas facta eſt Diabolo ingrediendi in Regem, qui eũ ſæuiſſimis cruciatibus extorquebat; ea propter quæſitus eſt Iuuenis pſallere doctus (is Dauid fuit) qui cum eum exagitatum a maligno cerneret ſpiritu, pſallendo citharam tormenta deliniret; ita textus: 1. *Reg. cap. 16. verſ. 16. Vt quando arripuerit te ſpiritu Domini malus, pſallat manu ſua, & leuius feras.* Cur autem Diabolus nequam, tenebricoſus, rebellis, qui iure merito malus numcupatur, cum omnis mali ſit origo, etiam Domini ſpiritus dicitur? Quia videlicet, quantalibet voluntate nocendi feratur, nocere hominibus, niſi a Deo iuſſus, non poteſt; & ideo malus dicitur, & Domini; malus, quia omne malum nobis adducit; Domini, quia niſi Domino permittente non nocet; vt obſeruat magnus Gregorius *lib. 2, cap. 6. moral. pag. 336. lit. A. Ecce vnus, idemque ſpiritus, & Domini appellatur, & malus; Domini videlicet per licentiam poteſtatis iuſtæ, malus autem per deſiderium voluntatis iniuſtæ. Formidari ergo non debet, qui nihil, niſi permiſſus, valet.* Nihil ergo poteſt qui tentare tantum prȩualet, quantum ei a Domino indulgetur.

5 Contra iuſtum Iobum magna inuidia, & ira efferueſcebat Satanas, quippe qui eum, vt maximis exagitaret tentationibus, a Deo popoſcit; inter autem plurimas calamitates, in quas deduxit, dicitur igne conſumptas eius oues, ac paſtores earum: *Iob. cap. 1. verſ. 16. Ignis Dei cecidit de Cælo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit:* Sed amabo, nonne Satanas ignem illum immiſit, qui eum torquebat? vtique: cur ergo ignis Dei numcupatur? Verum ſciendum eſt, per oues ſanctas animas, ac caſtas intelligi cogitationes, in quas ſæpe Diabolus flammam libidinis immittit, vt eas conſumat; quia vero hæc impudicitiæ iacula immittere, niſi Deo permittente non poteſt, ideo ignis ille qui Satanæ eſt Dei dicitur; Satanæ effectiuè, permiſſiuè a Deo, vt idem Gregorius *loc. cit. cap. 24. pag. 250. lit. C.* textis eſt. *Quia ergo ab aeris poteſtatibus contra cogitationum noſtrarum munditiam flamma liuoris irruit, de cœlo ignis ad oues venit. Sæpe enim mundas mentis noſtræ cogitationes ardore libidinis accendunt, & quaſi ignem oues concremant dum caſtos motus animi, luxuriæ tentatione perturbant. Qui ignis Dei dicitur: quia etſi non faciente Deo, tamen permittente generatur.* Hinc profectò apparet nihil poſſe diabolum, quòd ſi tentationibus nos conturbat; id Dei iuſſu facit; tantum enim poteſt, quantum ſibi a Deo permittitur.

§. V.

Deus permittit tentationes ad noſtram vtilitatem.

1 E*T quærant a Deo &c.* Permittente Deo tentationes accidunt nobis, vt vidimus: neque autem ſine magno myſterio nos in tentationem incidere permittit Deus, ſed ob noſtram magnam vtilitatem. Etenim ſi Rex aliquis magnus equitem aliquem egregium, quem maximè diligit, ad honores, ac Dignitates ſubuehere deſiderat, eum præficit exercitibus ſuis, ac bellorum periculis exponit, vt pacta tandem victoria digna ſibi eum exaltandi occaſio porrigatur; ſic ſtrenuus, ac generoſus Eques bello, ac laboribus proficit, ſegnis vero, proſtratur. Eodem modo Deus ſuos milites bellis infernalibus, ac tentationibus exponit, vt iuſti vincendo ditiorem coronam mereantur, ac pleniorem in Paradiſo gloriam aſſequantur; peccatores vero torqueantur amplius: ita Caſſiodorus. *Et quærant a Deo eſcam ſibi: nihil enim a quoquam fieri poteſt, niſi quod ſecreto iudicio, aut ad probationem, aut ad vindictam faciendum eſſe permiſerit.*

Ian. de Mata.

2 Cum poſceret Iobum Satanas, & Deus concederet affliggendum: ſi aliquis ſtulta ſibi applaudente ſapientia, id penſaret, diceret vtique; cur amicum ſibi chariſſimum, inimico ſæuiſſimo expoſcente cruciandum tradidit Deus? Certè tot eius prædicantur virtutes, tot merita, vt potius præmio, quam ſupplicio dignus videretur; & tamen loco coronæ tentationes, & dolores inuenit; nam poſcente diabolo *Iob. cap. 1. verſ. 11. Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet:* vltro obtinuit. Verum quiſquis ita cogitat fallitur; nonne Aurum amat homo? vtique; cur autem in ignem proiicit? certè vt purificetur. Iob ergo iuſtus erat, ſed quia numquam aduerſæ ſortis paſſus fuerat mala, & multis gaudebat bonis, illorum amore captus propriam, puſillitatem perfectè non nouerat; idcirco bonorum ſubitæ iacturam permittitur, vt ſuam debilitatem pernoſceret, & Deum vehementius amaret, quem omnium largitorem probaret; ac in eius fide, & ſpe ſolidaretur: audiamus magnum Gregorium *lib. 2. cap. 34. moral. pag. 349. lit. B. Bona noſtra antiquus hoſtis malitioſè attrectare appetit ſed hæc tentare Deus nonniſi benignè permittit; vt dum mens tentatione pulſante, in bonis, de quibus gaudebat, concutitur, imbecillitatis ſuæ debilitate cognita, in ſpe diuini amoris robuſtius ſolidetur.* Tot coronas meruit Iob, quot tentationes ſuſtinuit; & inde aucta eſt gloria, vnde virtus tentata eſt.

3 Cum Dominus Iobum argueret, interrogabat eum, dicens *Iob. cap. 39. verſ. 12. Numquid volet Rhinoceros ſeruire tibi?* Quaſi diceret: Iumenta quidem, quæ domeſtica ſunt animalia, hominum ſeruitio deputata ſunt, eique famulantur; Beſtiæ vero ſylueſtres, & indomitæ, inter quos Rhinoceros maximè enitet, nequaquam deſeruire mortalibus, ſed nocere videntur: cum ergo iſtæ Belluæ ſemper hominibus aduerſentur putas ne tu tibi aliquam earum ſeruire poſſe? equidem mortalium quiſque ſtatim reſpondebit; nequaquam; potius contrariabitur: Attamen Diuus Ambroſius, re maturius penſata, ſeruire poſſe reſpondet; quia dum oppugnare hominem non ceſſant, ipſum exercitatum tenent, eiuſque ingenium ad reſiſtendum excitantes, ſagaciorem hominem Belluæ reddunt. Quod vt euidentius capias, dicito mihi, nonne agricola plantarum ſuarum vtilitatem, incrementum, & fructificationem quærit? vtique, cur ergo putat, ramos detruncat, ſuperflua germina eradicat? vt inutilibus reiectis vberiorem fructum reddant. Ita Rhinoceros infernalis, Dei iuſſu volẽs nolẽs agricolȩ fungitur officio; quia dũ perſequitur tentando, obſequitur roborando; non enim caſum iuſtorum, vt optat conſequitur, ſed eorum virtutem, vel inuitus adauget: ita ſanctus ille Doctor *in Pſal 37. verſ. 2. tom. 2. pag. 70. lit. E. Tentat vt aduerſarius, defendit vt ſeruus; ſcriptum eſt enim: Numquid volet Vnicornius ſeruire tibi? ſeruit enim qui non ex voluntate ſua quod optat exequitur; ſed ex neceſſitate mandatis imperialibus inuitus obſequitur. Vide altitudinem Chriſti quemadmodum retorſit in diabolum malitiæ ſuæ pretium.* Seruit ergo iuſtis Satan, non nocet, dum tentat; nam Dei prouidentia pugna illa coronam parit.

4 Stellarum nomine in ſacris literis iuſti homines ſæpe ſignantur; quibus vtiles tentationes fore, vt oſtenderet Patientiſſimus dixit: *Iob capit. 3. ver. 9. Obtenebrentur ſtellæ caligine eius.* Cum enim ſtellæ noctis caligine, vt non reſplendeant, obtenebrantur, vtilȩ ipſis, vt ita loquar, eſt, nam & gratior earum lux eſt, & charior mortalibus poſt tenebras. Quòd ſi ſtellæ rationis compotes eſſent, cognoſcerent lucem ſuam tenebris obnoxiam, ac proinde propriam imbecillitatem nactȩ humiliarentur; hoc autem impoſſibile ipſis, rationalibus aſtris, hoc eſt iuſtis hominibus, accidit: Nam miſericors Deus, etiam cum maximis virtutibus ſplendent ſancti, eis aliquid culpæ obſcuritatis relinquit; vt dum ad inanis gloriæ præcipitium accedunt, propriæ fragilitatis admoniti, ſuſtineantur, ne in præceps

Digitized by Google

ruant. Nox igitur diabolus eſt, caligo peccatum, Tunc ergo obſcurat ſua caligine ſtellas hæc nox cum peccati ſuggerit tentando occaſionem, quam Iuſti deuitando clariores efficiuntur. Egregiè id docet magnus Gregorius *lib.4.cap.22.moral. pag.390.lit C. Stellæ quippe huius noctis caligine obtenebrantur, quando & hi, qui magnis iam virtutibus ſplendent adhuc de obſcuritate culpæ aliquid retinentes, ſuſtinent; vt etiam magna vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc ſicut dictum eſt agitur, vt mens proficiens ad virtutem iuſtitiæ, ſua melius infirmitate roboretur.* Vtilis ergo tentatio eſt quam Dominus ad roborandam virtutem permittit.

5 Tempore belli miles ſeligitur, ac ad præliandum deſtinatur; qui ſtatim ac ſtipendia Principis obtinent, etiam debitis armis exornatur, quibus vtique admonetur, ſibi ſemper expectandum hoſtem; ſuſtinenda aduerſariorum tela, eminus, cominuſque pugnandum, ſuſcipiendi labores, deuitandæ inſidiæ; ſic enim miles ſtipendia, præmia, & gloriam conſequi debet; nam qui pugnare detrectat, e militum Cathalogo expungitur, qui vero magna pericula, ac multos deuincit hoſtes, famam, ac præmium maximum conſequetur: Omnis, qui Deo ſeruire optat Chriſti militiam ingreditur armatur ſacramentis, ſed cum calidiſſimo hoſte pugnam ſuſcipere admonetur, vt ictus ſuſtineat, deuitet inſidias, fuget hoſtem; tentationes ſuperet, Diabolum confundat; & ſic æternitatis coronam promereat; Quapropter huiuſmodi viro dicitur: *Eccl.cap.2.verſ.1. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: Deus enim illum vult tentari, vt poſſit victorem coronare; vt idem ſubdit Gregorius *loc.cit. cap.21 lit.B. Quiſquis enim accingi in diuino ſeruitio properat, quid aliud quam ſe contra antiqui aduerſarij certamen parat, vt liber in certamine illius ſuſcipiat, qui quietus ſub tyranno in captiuitate ſeruiebat?* Sicuti enim militi luctuoſus eſt cum hoſte congreſſus, ita chriſtiano diabolicæ tentationes vtilitatem afferunt.

6 Nec acceptam militis comparationem deſeramus; cum ad pericula ſtrenuus miles mittitur, & ab hoſte vulneratur; a ſuo Duce vulnerari dicitur, qui eum miſit: & vere Princeps ad ſuſcipienda vulnera miſit, quem voluit de acceptis vulneribus præmiare. Haud ſecus chriſtianus miles cum Diabolo certans tentationum ſagittas ſuſtinet, & aliquando vulneratur, ſed non proſtratur, cum moleſtias tentationum patitur, ſed eis conſenſum nequaquam præbet; nihilominus iſtæ ſagittæ, quas Diabolus immittit, ſagittæ Dei ſunt; ſic eas vocat Dauid *Pſal 37. verſ.2. Etenim ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*; quia Dominus tentationes permiſit, vt Dauidis erga Deum charitas in illis probaretur: Quapropter D. Ambroſius *loc. cit.* ſubdit. *Cum Diabolus vulnerat Domini ſunt ſagittæ, qui vulnerandi permiſit Diabolo poteſtatem. Eſt & illa ratio, quia Dominus ideo dat tentatori poteſtatem, vt hominum in tentationibus probetur affectus. Ideo fit perſecutio, vt fides luceat, virtus excellat, mens interna omnibus manifeſtetur*. Ad noſtram vtilitatem ſic Dominus nos tentari permittit, non vtique permiſſurus ſi tentatio ſemper deijceret.

§. VI.

Potentes per vim bona pauperum, quæ Dei ſunt, rapiunt.

1 C*Atuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant a Deo eſcam ſibi*. Sæpe ſæpius honeſto vocabulo in ſcripturis ſanctis res turpes deſcribuntur, ne legentium aures turbentur. Quapropter verba huius verſus acutè penſanda ſunt; nam primo intuitu videtur contradictoria ponere; Si Leones quærunt eſcam a Domino, quomodo rapiunt? & ſi rapiunt, quomodo quærunt? Rapere namque eſt, rem alienam inuito Domino auferre; quærere vero eſt, ipſam amicabiliter petere: non igitur rapere poteſt qui quærit, vel e conuerſo. Verum hic quærere non eſt intelligendum pro petere a Deo, ſed pro inueſtigare; vt ſenſus ſit: Leunculi ſollicitè inquirunt, vbi ſit eſca Dei, vt rapiant illam. Quinam autem ſunt Leones niſi Diuites ac Præpotentes huius ſæculi viri; iſti licet diuitijs affluant, cum numquam ſatientur, ſemper contendunt rapere bona Dei, ideſt pauperum; nam bona pauperum Dei ſunt. Non ergo petunt a Deo humiliter eſcam, ſed inquirunt an aliquid in pauperibus habeat, quod furentur: audiamus Cardinalem Charenſem id confirmantem *Leo eſt homo potens, ſuperbus, & raptor per potentiam, vſuram, vel fraudem. Huius catuli ſunt eius filij, & imitatores. Et quærunt per exactionem a Deo eſcam ſibi: Iſti enim rapiunt bona Religionum, & pauperum quæ Dei ſunt*.

2 Quis non miratur Diuitum inclementiam, qui cum aliunde poſſent abundè lucrari diuitias, & augere bona, nihilominus in decipiendis pauperculis ſemper inuigilant; cum neceſſitas vrget aliqua, parcentes marſupijs, & gregibus ſuis, pauperes iniqua exactione conturbant, vſuris vexant, contractatione decipiunt, & miſerrimorum hominum labore, & gemitu ſuam induſtriam magnificant, vt eorum vocabulo vtar. Sed quid mirum Leones ſunt, & conſequenter leoninam imitantur venationem. Poſſet vtique Leo cum fameſcit multa animalia prædari, ſed onagrum rapit, ſylueſtrem ſcilicet Aſinum, Animal vile, timidum, deſpectum, imbecille; Ita Diuites, non venantur niſi onagros, non decipiunt niſi pauperrimos, & imbecilles. Docuit hoc Sapiens: *Eccl.cap.13. verſ.23. Venatio Leonis onager in eremo; ſic & paſcua Diuitum ſunt pauperes*. Et ſubdit Nicolaus de Lyra: *Venatio Leonis onager in eremo: quia in eo quærit onagrum ad deuorandum eum: ſic & paſcua Diuitum cupidorum ſunt pauperes, quorum bona rapiunt ſine cauſa*. Peſſimi Leones, qui aliorum interitum ſibi prouentum facere iniquiſſimè poſtulant.

3 Difficilis admodum captu ſeſe offert Pſallentis Regis ſententia, qui de Diuitibus loquens, ipſos ſummopere eguiſſe teſtatur, dicens: *Pſal.33.verſ.11. Diuites eguerunt, & eſurierunt*. Quomodo autem poſſibile eſt Diuites egere, cum omnia pecuniæ ſeruiant; & qui auro pollet cuncta deſiderata poſſideat? Neque tantummodo ad victum, ac veſtitum, domeſticaque negotia neceſſaria pecunia comparantur; ſed eo deuenit auri vis, hominumque auiditas, vt Dignitates magiſtratus, honores; & inſuper (heu dolendum, & indignum facinus) ipſa iuſtitia apud iniquos pretium habeat. Non igitur Diuites egere potuiſſent. Sed mens Prophetæ ſubtilius inueſtiganda eſt; ipſe enim ita hebraicè locutus eſt. כפירים רשו *Leunculi depauperati ſunt*, & ideo *eſurierunt*: Leones, eorumque catuli nonniſi rapina, prædaque diteſcunt, & ideo iuſto Dei iudicio depauperati eſurierunt; ideſt Diuites rapaces, qui ex rapinis pauperum diuitias congregant, aliquando depauperati egeni fiunt, vt & proprijs careant, qui aliena rapere feſtinabant; quod videtur inſinuare Acernenſis Præſul, *Ant. Agellius in Pſ.33.* inquiens *Diuites hoc loco non quicumque intelligendi ſunt, ſed qui ex prædis, & rapinis pauperum diuites ſunt, Ideo in hebræo eſt: Leones eguerunt*. Ita ex bonis pauperum diteſcunt, aliquando depauperati fameſcunt.

4 Nulla validior apud Deum cauſa derelinquendi hominem, quam pauperum perſecutio, ac de eorum bonis rapina: cũ enim ipſe dixerit: *quæ vni ex minoribus meis feciſtis, mihi feciſtis*: Deo rapinam fecit, qui pauperes ſpoliauit. Et hanc cauſam per os Ieremiæ indidit, quare Iudæorum gentem, olim ſibi chariſſimam dereliquerit; quia videlicet opprimebat pauperes, viduas, aduenas &c. *Reliqui hæreditatem meam*; & rationem reddens ſequitur *Ierem. capite 12. verſic. 7.8. Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi Leo in ſylua*. Sicut

cùt enim Leo alias minores Beſtias prædatur, mactat, deuorat; ita iſti pauperes conculcabant; vnde Lyranus; *Sicut Leo deuorans & conſumens, opprimenſque inferiores orphanos, viduas, & Aduenas.* Audite Potentes, pauperum bona ne rapiatis, imò potius eos nutrite, & fouete, vt a Deo in centuplum retributionem accipiatis.

§. VII.

Potentes ſimulando ſanctitatem quandoque decipiunt.

1 CAtuli Leonum &c. Naturalium rerũ veſtigatores illud de Leone obſeruatum reliquere: quòd cùm pertimeſcat a venatoribus inſequi, ambulans veſtigia pedum ſuorum cauda cooperit, & diſſipat, ne per ea à venatoribus iter eius dignoſcatur; ſicque capiatur: Id Diuus Iſidorus *libro 12. capite 2. Origin.* docet. *Leones cum ambulant, cauda ſua cooperiunt veſtigia ſua, ne eos venator inueniat.* Item de Leone vidimus cum de Animalium proprietatibus ageremus quòd ad vitandam febrem Simiam comedat; vnde Pierius *lib.1. Hierogl. pag.9. Leo Simiam comedit, vt febrem vitet.* Ex quibus apertè colligimus quorumdam Principum, Superiorum, Potentiorum conditionem; Hi namque ne mali, vti ſunt, habeantur, cauda veſtigia cooperiunt, Simiam comedunt; ideſt ſimulant ſanctitatem; imò & ipſam quam exercent, immanem in ſubiectos crudelitatem, Dei zelo, vel ſimili ſanctitatis fuco veſtiunt: cumque ſceleſtiſſimi ſint, Deicolæ videri volunt, & ita ſub pallio ſanctitatis tyramnidem cęlant.

2 Ipſe qui primus inter Adæ poſteros tyramnidem exercuit, primò noſtri axiomatis veritatem oſtendat. Is fuit Nembrot Chus filius, a quo Æthiopes fluxere; qui non contentus communi ſorte, cum præ potens viribus eſſet, cœpit alios ſibi ſubijcere, & ex fratribus, ſibique æqualibus ſubditos facere, & ciuitates conſtruere, in quibus imperitaret; Vt autem rem facilius aſſequeretur, cæpit ſe oſtendere pium, ac Dei cultorem, erga res diuinas propenſum, orationi aſſiduum, in æterni Numinis honore præcipuum, vt reliqui putarent, ſubiectionem illam, non ex imperandi luxuria, ſed ex cęleſti reuelatione ortum ducere, ac propterea ſine contradictione eius ſubderentur imperio. Clarè id colligitur ex ſacris literis, vbi ſcribitur: *Gen. cap. 10. verſ.8. Porro Chus genuit Nembroth: ipſe cœpit eſſe potens in terra; & erat robuſtus venator coram Domino.* Quomodo qui venabatur non capreas, ſed homines, ipſoſque ſuis viribus, & arte ſuperabat, coram Domino venari dicitur? Quia, vt putat Caietanus, ad decipiendos homines Deicolam ſe oſtendebat, vt nobiliori titulo faciliùs tyramnidem exerceret. *Et erat robuſtus venator coram Domino: ad ſignandum quod Nembroth hinc ſimulabat ſe eſſe Deicolam, inde autem exercebat tyramnidem: oportet autem ſecundum Philoſophorum documenta Principem eſſe deicolam, vt populus minus putet ſe pati iniuſtum.* Diabolica quidem aſtutia, ſanctitatis operculo tyramnidem occultare.

3 Sanctum, ac iuſtum Prophetam Ioannem odio proſequebatur Herodes, eo quod obiurgationes eius haud æquo animo tolerabat; cum tamen libenter audire ſimulabat, & ex eius ſuaſione nonnulla faciebat; attamen eius perditionem toto corde deſiderabat. Cum ergo opportunus accidiſſet ſui natalis dies, conſcius futuræ petitionis, iuramento ſe obſtrinxit puellæ ſaltanti, quidquid peteret daturum, vt Sacramenti ſub vmbra nefarium ſcelus obtegeretur: Cũ enim illa callidè edocta, Ioannis caput petiiſſet, triſtari ſe finxit: *Marc. cap. 6. verſ.26. Contriſtatus eſt Rex: Propter iusiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare.* Vt illa ſæuitia, non proprię tyramnidi, ſed iuramenti Sacracramento inuiolabili tribueretur. Similis huic alterum extitit iuramentum quadraginta Iudæorum, qui voto

ſe obſtrinxerunt, numquam ſe comeſturos, niſi Paulo Apoſtolo interfecto. *Act. cap. 23. verſ. 13. 14. Erant autem pluſquam quadraginta viri, qui hanc fecerant coniurationem; qui acceſſerunt ad Principes Sacerdotũ, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil guſtaturos donec occidamus Paulum.* O Præclara deuotio, quaſi in alieni capitis perniciem vota permittantur: ſed vtinã, ſeruato Paulo, compleuiſſent; vt fame perirent, qui iuſti ſanguinem fameſcebant. Vtriuſque iuramenti dolum aperit D. Chriſoſt. *Hom.49. in Act. tom.3. col 643. lit. D.* his verbis. *Conſidera autem quomodo illi neceſſitatem ſibi ipſis iniungant per anathematiſmum: ecce ieiunium homicidii mater: ſicut & Herodes etiam iuramento ſibi neceſſitatem iniunxerat, ita & illi. Tales ſunt venandi artes Diabolo, qui prætextu pietatis laqueos tegit. Hæc non ſunt Sacerdotum ſed Latronum: hæc non Principum, ſed facinoroſorum.* Dedecet equidem Principem hanc fictionem facere; ſed veri Principes ab ea abhorrent, tyramni diligunt.

4 Tyramnorum ergo iſtud eſt opus, & eorum qui regiam purpuram ſuorum vitiorum inficiunt maculis: Hi cum aliquem virum apud plebem benè audientem, de medio tollere ſatagũt, nonniſi ſub prætextu diuini cultus faciunt, vt quod propriæ paſſionis eſt opus, diuinæ maieſtatis offenſæ vltio credatur. Iezabelis Reginarũ turpiſſimæ, & ſceleſtiſſimæ hoc inuentum fuit ad perdendum Naboth, quem, vt eius vineam poſſideret occidi iuſſit: quia vero magnus, & potens vir ille erat, & quod præcipuum eſt, moribus optimus, ſub titulo Blaſphematoris perdendum curauit, vt ſacra narrat hyſtoria *3. Reg.21. verſ.9. Literarum autem hæc erat ſententia: Prædicate ieiunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi: & ſubmittite duos viros filios Belial contra eum, & falſum teſtimoniũ dicent: Benedixit Deum, & Regem; & educite eum, & lapidate, ſicque moriatur.* Neſcio equidem an vltro progredi potuerit inſanientis fœminæ ſacrilega impudentia, vt ſub nomine honoris Dei, ſcelus nefandum cohoneſtaret, & innocentis crudelem mortem ieiunio ſanctificaret: Quod licet per ſe pateat in ipſa ſacrarum literarum hyſtoria, nihilominus ex Abulenſi *quæſt.4. in cap.21. 3. Reg. pagina 192. col.1. lit. E.* idipſum referamus. *Quia iſta occiſio Naboth fuit iniquiſſima, cum eſſet vir iuſtus & bonus volebat autem Iezabel colorare eam, ideo iuſſit vt prædicaretur ieiunium prius, ad ſignificandum quod aliquã rem magnam facere volebant: & illam non faciebant ex aliqua paſſione, ſed ex magna maturitate, & zelo Dei, cum prius ieiunarent, quam inciperent illam.* Dignum Iezabele inuentum, vt quæ Idololatriæ addicta, Deo non crederet, Dei cultu fictè exhibito deſæuiret.

5 Porro huiuſmodi homines, qui ficta bonitate decipiunt Domino abominabiles eſſe, teſtatur Sapiens: *Prouerb. cap.11. verſ.1.* inquit namque: *Statera doloſa abominatio eſt Domino.* Nam, neque de ſtatera materiali, qua rerum pondus examinatur loquitur ille; ſed de homine qui bonitatem ſimulando proximum decipit. Illa vero ſimilitudine eſt vſus, quia valde inter ſe ſunt ſimiles ſtatera doloſa, & bonitas efficta: ſicuti enim ſtatera decipit pondus æquum demonſtrando; quod tamen deficiens, & iniquum eſt: ita pariformiter hypochritæ bonitatem, & ſanctitatem oſtendentes, cum iniquiſſimi ſint alijs illudunt: quod D. Ambr. *epiſt.19. tom.5. pag.110. lit. D.* acutè penetrauit: *Statera fallax improbabilis apud Deum: non illam ſtateram dico, quæ mercem appendit alienam (& in vilibus quidem rebus rarò conſtat fallacia) ſed ſtatera verborum ipſa apud Deum eſt execrabilis, quæ prætendit in pondus grauitatis ſobriæ, & ſubnectit verſutias fraudulentiæ. Hoc maxime condemnat Deus, ſi decipiat aliquis proximum ſuum promiſſorum benignitate, & ſubdola iniquitate defœneratum opprimat, nihil ſibi profuturus aſtutiæ ſuæ artibus.* Et rectè, quia qui Domino abominabilis eſt, nullam expectare mercedem, niſi æternarum pęnarum tormenta poterit.

6 Pennas Natura volatilibus dedit, vt in altiores cœli plagas ferantur. Hinc qui contemplatione cœleſtium, vel ſanctæ conuerſationis ſtudio, ſubleuatur, volare dicitur, quod ſancti, ac perfecti viri faciunt. Hypocritæ autem vt ab hominibus honorentur, ac ſimplices decipiant, ſanctitatem ſimulant, pennas exhibent, ſed quę alta petere fingant, ſed reuera attolli nequeant. Hos ſimiles Struthionibus dixit Patientiſſimus *Iob. cap. 39. verſ. 16. Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij, & Accipitris*: Pennas habet Herodius, pennas habet ſtruthio; ſed Herodius, ſicuti Accipiter perniciter ad alta feruntur; Struthio vero ſimilitudinem habens alarum, ſed non virium a terra eleuari nequit: ſic Bonus, & hypocrita bonitatem demonſtrant, ſed cum ille cælum petat, iſte ad infernum demergitur; audi magnum Gregorium *lib. 31. cap 5. moral. pag. 1009. lit. C. Quis Herodium, & Accipitrem neſciat aues reliquas quanta volatus ſui celeritate traſcendat? Struthio verò pennæ eorum ſimilitudinem habet ſed volatus eorum celeritatem non habet, a terra quippe eleuari non valet &c. Ita ſunt nimirum omnes hypocritæ, qui dum bonam vitam ſimulant, imitationem ſanctæ conuerſationis habent, ſed veritatem ſanctæ actionis non habent*: Atque hi quoque decipiunt, quia dum ſanctitatem oſtendunt incautos & ſimplices decipiunt, fallacemque doctrinam in eius cordibus paulatim infundendo, perdunt.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus vigeſimus primus,

Peccatores, vt Catuli Leonum rugientes per pœnitentiam, quærunt a Deo per eam veniam ſibi.

LEonem Diabolum eſſe tropologica expoſitione monſtrauimus; ac propterea Peccatores, ex eius malitioſa ſuggeſtione geniti, Catuli Leonum iure merito nuncupantur, ſed quamdiu in infernum æternaliter cruciandi proiecti non ſunt, Catuli adhuc ſunt, in Leonis malitia minimè confirmati: Ideoque & a Deo miſericordiæ eſcam quærere non deſperant; quia vero magnitudine iniquitatum ſuarum confuſi immediatè ad Iudicem accedere non audent, cum pœnitentes rugiunt, vt à Deo eſcam gratiæ conſequantur, ad Mariam confugiunt; neque enim eos ſpernit, quæ Peccatorum eſt Aduocata, ſed gloriatur maximis peccantibus veniam impetraſſe. Nullus eſt tam iniquus peccator in hac vita, cui Virginis immaculatæ inuocatio non ſubuenerit; vnde admirabundus, ac lætabundus beatus Bernardus *ſer. 4. de Aſſump. pag. 64. lit. K.* inquit. *Sileat miſericordiam tuam Virgo beata, ſi quis eſt, qui inuocatam te in neceſſitatibus ſuis meminerit defuiſſe.* Impoſſibile eſt enim, vt peccator Mariam imploret, & eius patrocinium ſalutare non experiatur.

Maria Virgo Peccatorum eſt Aduocata.

1 CAtuli Leonum, &c. Apud omnes Catholicos manifeſtum eſt Beatiſſimam, & puriſſimam Virginem Mariam numquam peccaſſe; & nihilominus inter peccata repetitur, quia aliena, quæ propria non nouit, vt deleantur laborat. Cum Dei Genitrix Cælum conſcenderet, mirabantur Angeli de eius fulgentiſſima pulchritudine, ac de ſanctitatis odore ſuauiſſimo, & præ gaudio lætantes canebant; *Cant. c. 3. verſ. 6. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Sed cur de deſerto aſcendere Virgo illa videtur; quæ Dei gratia pleniſſima, potius Paradiſus dicendus eſſet? Quod ſi Deſerti nomen a deſerendo deducitur, & locus ille nomen hoc meretur, qui ab hominibus deſertus, incultus remanet, peccator deſertus eſt, eius Cor eſt deſertum, nam per peccatum gratia diſcedente, a Deo derelictum eſt; & quia cultum virtutum, ac meritorum non habet, ſpinis, & ſentibus ſcatet, vitijs vtique, ac peccatis. Virgo vero ſpinæ neſcia, peccatorum labe libera, gratijs referta, virtutum redolens odoribus, nequaquam in deſerto eſſe potuit. Ita protſus eſt; ſed audi quid dicant Angeli; nequaquam dicunt Cor Virginis eſſe deſertū, ſed de deſerto aſcendere, quia peccatis caretus, tamen pecatorum miſeretur; nec abhorret deſertum, vt de ipſo cor eruat; in deſertum deſcendit ad ſubleuandum miſeros, ad reconciliandos peccatoris, vt cor, quod deſertum erat, per eius interceſſionem gratia mediante, Paradiſus efficiatur. Quod fatetur Seraphicus Doctor *D. Bonauent. in ſpec. V. lect. 12. to. 6. pag. 470. col. 2. lit. D. Deſertum eſt cor peccatoris, quod vtique deſertum eſt a gratia, & virtutibus Beata itaque Maria Virgo per deſertum quaſi virgula fumi aſcendit; quando ipſa ſuffragante cor peccatoris fructum ſpei veniæ ſuſcipit. Nullum piiſſima Virgo Maria deſertum abhorret, nullum peccatorem deſpicit, ſed quacumque pertranſierit ſuauiſſimum ſpei veniæ fructum reſpergit.* Equidem nos properanti medico ad ægrum, ne infirmitatis tetro inficiatur odore. Florum faſciculum, aut aliud quidpiam optimè redolens offerre ſolemus: haud ſecus ſuauiſſima Virgo, cęleſti medico, ne peccatorum fæditatē hauriat, tanquam fumi virgulam, odoramentis plenam ſe offert; ſicq; ægris ſuis ſanitatem, Leunculis rugientibus eſcam abundè prouidet.

2 Diuina Sapientia in creaturis ſuis ſemper mirabilis apparet; hoc præſertim in Roſario eniteſcit: videre eſt namque in eo pulcherrimum florem, folijs venuſtum odore fragrantem lenitate ſuauiſſimum, ita vt cum reliquis floribus comparata Roſa Agro-

rum

rum Regina cenſeatur; ipſe vero Roſæ flos ſpinis vndique ſeptus eſt, quæ horridæ viſu, tactu aſperæ properantem arcent, tangentem, vulnerant: Quid autem ſibi vult hæc connexio ſpinarum, & florum? Vt exiſtimo, idcirco a diuina prouidentia id factum eſt, vt Roſæ merito ſpinæ colerentur; nam homo qui aliàs ſpinas deteſtatur, ipſas tamen, tanquam Roſarum germina, & florum plantas nutrit, colit, fouet. Roſa redolens, ac pulcherrima Virgo eſt Deipara, quæ ſpinæ neſcia ſpinis adhæret; a peccatis immunis, peccatoribus per patrocinium hæret, vt ſcilicet peccatores a Deo & Angelis, ea intercedente, minimè deſpiciantur. Quapropter de ea dictum eſt. *Cantic. cap. 2. verſ. 2. Sicut lilium inter ſpinas*; ſeu, vt eſt in hæbræo, כשושנה *Sicut Roſa interſpinas, ſic amica mea interfilias.* Quia Beatiſſima Virgo Roſa ſine ſpinis, ſancta ſine peccatis, tamen ſpinis, ideſt peccatoribus adhæret, vt ſua interceſſione, & auxilio liberentur: quod obſeruauit Ricchardus a S. Laurentio *lib. 12. de laud Virg. col. 811. lit. E. Roſa ſpinis adhæret, licet omnino eis diſſimilis; & Maria peccatoribus, qui ſunt ſpinæ, pietate adhæret, & compaſſione, licet a peccato omnino immunis.* Roſam qui rore aſperſam comedit allum purgat: qui Mariam miſericordia, ac gratia plenam inuocat, peccatorum purgationem faciet, Roſa eſt namque peccatorum ſpinis benefaciens, veniamque tribuens.

3 Peccatores omnes huic Roſæ debent, quòd ſpinas exui poſſunt, ac inter roſas efflorеſcere. Neque id mirum videri debet, nam & ad hoc nata eſt. Principes ac magnates ſæculi, qui rectè ſapiunt, in ſuis domibus inter officiales vnū habēt qui eleemoſinis pręfectus: eſt ita apud Romanum Pontificem ad Prælaturam ad hunc titulum vnus euehitur, qui Pontificijs eleemoſinis præſit; eius curæ eſt pauperes omnes, qui a Pontifice petunt eleemoſinam, ſubleuare, eis pecuniam, victum, vel aliud ſimile prout indigentia erogare; & ad hoc ſui officij neceſſitate cogitur; ideo enim ad Prælaturam fuit euectus, & redditus annui aſſignati fuere.] Virgo Deipara, ideo ad dignitatem diuinæ Maternitatis fuit aſſumpta, vt peccatoribus miſericordiam & veniam impetraret; cum enim Chriſtus ideo venerit in mundum, vt peccatores ſaluos faceret, vt ait Apoſtolus: 1. *Timoth. cap. 1. verſ. 15. Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere*: conſequenter Beata Virgo ideo facta eſt Dei Mater, vt peccarorum ſaluti cooperaretur. Ergo ſuum eſt peccatores adiuuare, & ad Deum pro eis exercere aduocarionem: excellenter D. Anſelmus *De excell. Virg. cap. 1. tom. 3. pag. 240. col. 1. Si igitur ipſa propter peccatores, videlicet propter me, meique ſimiles facta eſt Mater Dei, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit deſperare veniam eorum, cum tam ineffabile bonum ſit factum ex ea propter curationem meam?* Sperare igitur oportet, non deſperare ſalutem tanta Virgine patrocinante.

4 Cum ad aliquid factu difficile homines, pueros præſertim, inducere volumus, rem illis gratam oſtendimus, vt illius illecti ſpecie, facilius ad nobis obtemperandum perducantur; ſicque res, quæ alias exoſa ipſis eſſet, ratione medij chara reddatur. Hoc iacto fundamento intelligemus iam Iſaiæ vaticinium *cap. 11. verſ. 8.* de Meſſia. *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit manum ſuam mittet.* Si enim per aſpidem, regulumque peccatores intelliguntur, vitiorū veneno infecti, quomodo Chriſtus Dominus in ipſis delectari poterit? ſed audi Prophetam, *Ab vbere*; inquit: Mater enim cum peccatoribus veniam impetrare deſiderat oſtendit Filio vbera ſua, vt ijs delectatus Dominus, gratum ſibi in peccatorum conuerſione ſpectaculum faciat. Ingenioſè id oſtendit Richardus *a S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. col. 88. lit. B. Delectabitur Infans ideſt Chriſtus, ab vbere, ideſt matris repræſentato: ſequitur ſuper foramine aſpidum &c. Chriſtus enim vt dictum eſt, delectatus ab vbere Matris, tendit manus gratiæ ad malos, qui prius fuerant foramina aſpidum, & cauerna reguli.* Eia ergo peccatores, quotquot infernalis aſpidis viru contaminati, cor in cauernam regulo dedimus, recurramus ad Aduocatam noſtram potentiſſimam, Mariam imploremus, vt ipſa Filium ſuum interpellando pro nobis, veniam, & gratiam nobis mereat, Deo reconciliet, & tandem ad Æterna Paradiſi gaudia, ſoluto corpore feliciter introducat.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALEGORICA.

IAm nobis ſeſe offert allegoricus Leo, qui cum ad multiformem ſignificationem à ſacris literis adaptetur, ita pariformiter, & varios edere rugitus neceſſe eſt; ſicque nonnulla ſignificat rapere, vltra literalem ſenſum: hæc omnia hìc declaranda ſuſcipimus; non tamen obliti eſcam, ſeu cibum, cuius hìc mentio habetur, ſuis allegorijs minimè carentem, quapropter, & de ipſis agendum erit.

SVMMARIVM.

1 *De Leone, Leæna, & Catulorum Leonis allegoriis.*
2 *Quid Rugire, ſeu rugitus ſit allegoricè.*
3 *De Raptus ſignificationibus.*
4 *Quid eſca, ſeu cibus innuat.*

§. I.
De Leone, Leæna, & catulorum Leonis allegoriis.

1 LEo notum eſt animal cuius fæmina Leæna, Filii Catuli dicuntur. Allegoricè vero primo Leo ſignificat Chriſtum; vt in Apocalipſi *cap. 5. v. 5. Vicit Leo de tribu Iuda*: & D. Gregor. *lib. 5. cap. 17. mor. pag. 416. lit. A. Hinc enim De Domino dicitur: vicit Leo de tribu Iuda.*

2 Catuli Leonum dicuntur Apoſtoli; de quibus Micheas *cap 5. verſ 8.* inquit; *Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorū quaſi Leo in iumentis ſyluarum, & quaſi catulus Leonis in gregibus pecorum* & D. Hieronym. *in Mich. to. 5. pag. 161. lit. F. Dominus enim Ieſus de quo in Geneſi prophetatur: Catulus Leonis Iuda; dedit & Apoſtolis ſuis, quibus dixerat: ite baptizate omnes gentes; vt quomodo Leoni nemo poteſt reſiſtere in iumentis, & Catulo Leonis in ouibus; ita illi de manu Aſſirii, & manu diaboli liberati raperent Iumenta & pecora: homines quippe, & iumenta ſaluos facit Dominus.*

3 Leæna dicitur Eccleſia: vt colligitur ex Iob *c. 28. verſ. 8. Non pertranſiuit per eam Leæna*: Vbi Magnus Gregorius *lib. 18. cap. 20. moral. pag. 720. lit. E. Rectè autem Eccleſia Leæna numcupatur, quia malè viuentes in vitiis ore ſanctæ prædicationis interficit.*

4 Leonis nomine accipitur vir iuſtus, & ſanctus; de quo ſapiens *Prouerb. cap. 28. v. 1. Iuſtus autem quaſi Leo confidens abſque terrore erit*: & Magnus Gregorius *Homilia 4. in Ezechiel. tomo 2 pagina 1248. Quia vero ipſa ſua ſpontanea mortificatione contra aduerſa omnia fortitudinē ſecuritatis habet, vnde dicitur.*

Iuſtus autẽ quaſi Leo confidens ſine terrore erit: Leo eſt.

5. Leones vocantur Doctores; ita apud Iob cap. 38. verſ. 39. Numquid capies Leenæ prædam, aut animam catulorum eius implebis, quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur: vbi citatus Doctor lib. 30. cap. 7. moral. pag. 983. lit. D. Benè ergo de his catulis dicitur: quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur: Doctores enim ſancti, quando & arguenda concipiunt, & tamen ſe per ſilentium in cogitationibus retinent, quaſi in ſpecubus latent.

6 Leones ſunt Diuites, & Potentes: de quibus Iſaias cap. 11. verſ. 6. Vitulus, & Leo, & ouis ſimul morabuntur: & D. Hieronymus lib. 4. in Iſai pag. 42. lit. A. Leo quoque prius ferociſſimus, & ouis, & Vitulus pariter morabuntur. Quod quotidie cernimus in Eccleſia, Diuites, & pauperes, potentes, & humiles, Reges, atque priuatos pariter commorari.

7 Leonem vocat Diabolum Apoſtolus Petrus; dicens: Aduerſarius veſter Diabolus: tanquã Leo rugiens. 1. Petr. cap. 5. verſ. 8. quod confirmat D. Gregorius lib. 5. cap. 17. mor. pag. 416, lit. A. Hinc de Diabolo ſcriptum eſt: Aduerſarius veſter diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.

8 Leo cubans eſt diabolus per carnis illecebras decipiens: cui aptari poteſt illud Numer. cap. 24. verſ. 9. Dormiens accubuit, vt Leo: Vnde ait Petrus Bleſenſis: ſerm. 2. de Aſſumpt. ap. Bibliothec. VV. PP. tomo 12. pag. 883. lit. B. Nunc ſiquidem Leo cubat, & dormit, quia mentibus carnalium nunc per delectationem carnis Diabolus blandum ſe ſimulans, nondum qualis futurus ſit oſtendit. Sed tunc vigilare incipiet, quando eos, quos illicitis nunc delectationibus ſeducens ſpontaneos tenet in culpa, poſt apertè ſæuiens inuitos trahet ad tormenta.

9 Hinc cubilia Leonum dici poſſunt carnis voluptates; a quibus ſponſa cæleſtis ſurgere iubetur Cant. cap. 4. verſ. 8. A cubilibus Leonum: & Idem Doctor loc. cit. Cubilia Leonum ſunt blandimenta carnalium voluptatum, quæ nunc quidem mollia videntur per experientiam, poſt vero crudelia ſentientur per pœnam.

10 Leones dicuntur Hæretici: apud Ieremiam cap. 2. verſ. 15. Super eum rugierunt Leones: Vbi D. Hieronymus in Ierem. lib. 1. pag. 234. lit. A. Leones intelligimus aduerſarias poteſtates, aut hæreticorum Principes, qui terram Eccleſiæ deſolantes, omnes illius vrbes heretico incendio vaſtauerunt.

11 Leones dicuntur Principes Iudæorum, & Catuli Leonum eorum populi: de quibus Pſalmus 56. verſ. 5. Eripuit animam meam de medio catulorum Leonum: Vbi D. Auguſtinus in Pſal. 56. pag. 227. col. 2. lit. A. Qui ſunt catuli Leonum? Populus ille minutus male deceptus, male ſeductus à Principibus Sacerdotum Iudæorum; vt illi Leones, iſti Catuli Leonum.

12 Leo eſt homo rapax ad prædam inhians: de quo Pſalmus 16 verſ. 12 ſicut Leo paratus ad prædam: dicente Chriſoſtomo hom. 13. in Gen. tom. 1. col. 64. lit. I. Homines interdum etiam Leones, & pardos vocat ob rapacitatem & habendi auiditatem.

13 Leo inſidians in cubili erit Antichriſtus: vnde Pſalmus 9. verſ. 30. Inſidiatur in abſcondito, quaſi Leo in cubili ſuo: Vbi D. Auguſtinus in Pſal. 9. pag 27. col. 2. lit. C. Tertia perſecutio ſupereſt per Antichriſtum ventura, qua nihil eſt perículoſius, quoniam & violentia, & fraudolentia erit. Vim habebit in imperio, dolum in miraculis. Ad vim relatum eſt, quod dictum eſt Leo; ad dolos, quod dictum eſt in cubili ſuo.

14 Leo occurrens Samſoni, eſt populus gentilis occurrens Chriſto; & fauus in ore eius, eſt Fides: ita in libro Iudicum c. 14. verſ. 5. Apparuit catulus Leonis ſæuus, & rugiẽs, & occurrit ei: & poſt pauca: v. 9. ecce examen apum erat in ore Leonis, & fauum mellis. Et D. Auguſtinus in Pſal. 80. pag. 366. col. 2. lit. B Quando fremuerunt gentes, tunc Leo ille viro forti Samſon venienti ad ducendam de alienigenis vxorem Chriſto ſcilicet deſcendenti ad habendam Eccleſiam de gentibus fremens ibat in obuiam. Sed quid egit? Accepit tenuit fregit, diſſipauit Leonem, factus eſt in manibus eius quaſi hædus caprarum. Quid enim fieret populus fremens, niſi languidus peccator? Occiſa autem illa feritate, iam non ſic fremit regia poteſtas, non ſic fremit populus gentium, non in obuiam Chriſto, immo vero in ipſo regno gentium inuenimus leges pro Eccleſia, quaſi fauum in ore Leonis.

15 Leo dicitur Febris, quæ vt Leo conterit: quare Ezechias apud Prophetam: Iſai cap. 39. verſ. 13. Quaſi Leo ſic contriuit omnia oſſa mea: Vbi Hieronymus lib. 11. in Iſai pag. 130. lit. A. Hoc verum eſſe nouit, qui magnis febribus æſtuat, cuius ignis internus in ſimilitudinem Leonis omnia oſſa conſumit.

§. II.

Quid Rugire, ſeu Rugitus ſit allegoricè.

1 RVgitus eſt vox propria Leonis, animalibus omnibus terribilis. Et primo Leo rugiens eſt Deus defendens populum. Sic Iſaiæ cap. 31. verſ. 4. Quomodo ſi rugiat Leo, & catulus Leonis ſuper prædam ſuam &c. ſic deſcendet Dominus exercituum, vt prælietur in monte Sion. & D Hieronymus in Iſai lib. 10. pag. 116. lit. B. Sicut Leo, & catulus Leonis eſuriens, ſi cernat ouium gregem nulla paſtorum voce terretur; ſic Dominus exercituũ præliabitur, nõ contra montẽ Sion, & collem eius; ſed ſuper montẽ Sion contra aduerſarios eius.

2 Rugitus ceruæ ad partum, eſt Prædicatorum exhortatio ad ſpiritum bonũ in auditorum cordibus producendum: vnde apud Iob cap. 39. verſ. 3. de Ceruis dicitur: Incuruantur ad fœtum, & pariunt & rugitus emittunt. Et de Prædicatoribus magnus Gregorius lib. 30. cap. 10 mor. pag. 994. lit. B. Rugiunt quippe, dum per incuruationem ſuam in conuerſatione lucis auditorum anima gignunt: quia ab æternis nos ſupplicijs remouere, niſi flendo, & dolendo non poſſunt. Prædicatores enim ſancti nunc in lacrymis ſeminant, vt ſegetem poſmodum gaudiorum metant.

3 Rugire cum gemitu, eſt patientiam cum pœnitentia coniungere: ita Dauid: Pſal. 37. verſ. 7. Rugiebam a gemitu cordis mei: & Gloſſa ord. Gemitus corde, rugitus voce, a ſimilitudine beſtiarum, quibus ſe comparat, vt fortior gemitus oſtendatur virtus patientiæ quod in gemitum, non in verba prorumpit. Et D. Gregorius in Pſal. 37. tom. 2. pag. 1140. lit. C. Rugitus gemitus eſt cordis, cum magno dolore: quia quanto vehementius pœnitentis animum concutit, tanto velocius ad aures diuinæ miſericordiæ conſcendit.

4 Rugitus onagri, eſt deſiderium populi gentilis cognoſcendi Chriſtum: de quo Iob cap. 6. verſ. 5. Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? Et citatus Gregorius lib. 7. cap. 4. mor. pag. 457. lit. E. Ac ſi apertè dicat: idcirco gentilitas gemit, quia eam nec dum Redemptoris ſui gratia reficit.

5 Rugitus catulorum Leonum, eſt tentatio malignorum ſpirituum: vt hic dicitur; Catuli Leonum rugientes vt rapiant: & Magnus Gregorius lib. 37. c. 17. pag. 925 lit. C. Catuli Leonum rugiunt; quia nequiſſimarum, ſed tamen eminentium poteſtatum miniſtri ſpiritus, tentationibus inſurgunt.

6 Rugire Deum, eſt oſtendere furorem iræ ſuæ: ſic Ieremiæ cap. 25 verſ. 30. dicitur. Et tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, & dices ad illos. Dominus de excelſo rugiet; vbi D. Hieron. in Ierem. libro 5. pag. 286. lit. C. Cunctis, inquit gentibus prophetabis, & dices, quod Dominus de excelſo rugiat hoc eſt, det ſui furoris indicium.

7 Rugitus vocatur clamor Iudæorum petentiũ Dominum crucifigi: de quo Pſalmus 21. v. 14. aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut Leo rapiens, & rugiens: Vbi Gloſſa interl. rapiens, in comprehenſione, rugiens, clamantes crucifige crucifige.

8 Rugire Iudæorum, eſt immaniter ſæuire in Chriſtianos quomodo valent: de quibus per os Prophetæ:

Iſai.

Digitized by Google

Iſai.c.19.v.11. Rugiemus quaſi vrſi omnes: Vbi D.Hieron. *vt & crudeles ſint pariter & miſeri, feri & immanes ad humiles, atque ſubiectos .lib.16.in Iſa pag.196.lit.B.*

9 Rugitus Leonum, eſt crudelitas Prælatorum: vt Ieremiæ, *c.51.ver.38.*dicitur: *Simul vt Leones rugient*, vbi Cardinalis Hugo, *in Ierem pag.279.col.4. In Leonũ rugitus deſignatur crudelitas Prælatorum.*

10 Rugitus Leoninus Aſſiriorum ſignat indignationem eorum poſtquam victi ſunt; vt in eamdem Ieremiæ ſententiam, idem Doctor, *loc.cit. Vt Leones rugient, vt dictum eſt de Chaldeis. Leo enim quando victus eſt à Leopardo rugit; ſic Babilonij.*

11 Rugitus Leonis, quem omnes timẽt, ſignat vocem Domini præcipientis apud Amos, *c.3 v.8. Leo rugiet quis non timebit? Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit?* & Hugo, *in Amos, pag.184.col.4.*ſubdit. *Quaſi diceret: nullus, vel rarus eſt qui tacere audeat iubente Domino, vt loquatur; cuius vocem Amos paſtor ſolitus timere Leonem, Leonis rugitui comparat.*

§. III.

De Rapere, & Raptus ſignificationibus.

1 RApere, eſt rem alienam inuito Domino per vim, & cum violentia tollere: Et primò Rapere dictus eſt Adam, qui à Deo auferre diuinitatem concupiuit: Chriſtus vero quæ non rapuit, ſoluit, quia pro homine vitam dedit; hinc per Pſalmiſtam dixit, Pſal,68 *v.5. Quæ non rapui tunc exoluebam*, vbi D. Auguſtinus, *in Pſ.68. pag.296.col.5.lit.B. Hoc eſt gratis, non rapui, & exoluebã; non peccaui, & pœnas dabam, &c. Omnino non rapuit. Sed quis rapuit? Adam. &c. rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem.*

2 Mentẽ rapi ad diuerſa, eſt varia cogitare, vt in Iob, *c.20.v.2.*dicitur: *Mens in diuerſa rapitur*, & D.Gregorius, *lib 15.c.1.mor pag 639.lit.D. Ac ſi ei apertè vocib. dicat: quia extremi iudicij terrorem conſidero idcirco cogitationum tumultibus in timore confundor.*

3 Rapere, ſeu arripere clypeum, eſt fide ſe munire aduerſus diabolum: vnde dicit Iſai.*c.21.v.5. Surgite Principes arripite clypeum.* & D Hieronymus, *lib.7.in Iſa.pag.82.lit.B. Arripiantque clypeum fidei de armatura Apoſtoli, in quo poſſint ignita diaboli iacula extinguere.*

4 Rapere fœtus vrſæ, eſt infideles ad fidẽ conuertere; de quo Sapiens, Prouerb.*c.17.v.12. Expedit vrſæ magis occurrere raptis fœtibus.* Vbi Beda, *in prouerb.to.3.colum. 679 Poteſt Vrſæ nomine, ipſa hoſtis antiqui malitia intelligi, cui fœtus rapimus, cum eos, qui erant filij Diaboli, cathechizando, & baptizando, filiorum Dei Societati adiũgimus,*

5 Raptus de incendio, eſt hæreticus conuerſus ad veram fidem, cui dicitur Amos, *c.4. Facti eſtis ſicut torrens raptus de incendio:* & D.Hieronymus, *in Amos, tom.5. pag.205.lit.G. Igitur, & Iſrael, & cuncti hæretici, quia habebant opera Sodomæ, & Gomorræ, ſubuertuntur vt Sodoma, & Gomorra: vt quaſi torris raptus de incendio liberentur.*

6 Rapere Regnum Cœlorum dicuntur gentes, cum ipſæ fidem ſuſcipiunt, Iudæis incredulis remanentibus: ſic Ieſus dixit, Matth.*c.11.v.12. A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, vbi D.Hilarius, *can. 11.in Matth.col,518. lit.F. Aliis Chriſtus prædicatur, & ab aliis agnoſcitur: a iis naſcitur, & ab aliis diligitur: ſui eum reſpuunt, alieni ſuſcipiunt; proprij inſectantur, complectuntur inimici. Hæreditatem adoptio expetit, familia reiicit. Teſtamentum filij repudiant, ſerui recognoſcunt Itaque vim Regnũ Cælorum patitur, inferenteſque diripiunt illud, quia gloria Iſrael Patribus debita, à Prophetis nunciata, à Chriſto oblata, fide gentium occupatur, & rapitur.*

7 Rapi ad tertium Cælum eſt hominem ſpiritualem fieri, de quo Paulus, 2. *Cor.c 12.v.2. Raptum huiuſmodi vſque ad tertium Cælum*, & D.Ambroſius, *lib. de Parad. c.11.tom.1.pag.61.lit.H. Et tu ſi à primo Cælo ad ſecundum, à ſecundo ad tertium mentis tuæ vigore rapiaris; hoc eſt, quod primum vnuſquiſque homo eſt corporalis, ſecundo animalis, tertio ſpiritalis (Animalis enim homo, quæ ſunt ſpiritus Dei neſcit, & ideo tertii Cæli aſcenſio tibi eſt neceſſaria, vt rapiaris in Paradiſum) rapieris iam ſine periculo, vt poſſis diiudicare omnia, quia ſpiritualis iudicat omnia, ipſe autem à nemine diiudicatur.*

8 Arripere thurſibulum ad offerendum ignem alienũ, eſt hæreticos prauas doctrinas, & peximos mores exhibere: vt in Leuit.*c.10.v.1. Arreptiſque Nadab, & Abiron thuribilis poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum.* vbi Gloſſ. interlin. *Hi hæreticos ſignificant, qui alienum ignem, cupiditatis ſcilicet, & prauæ doctrinæ in Eccleſia accendunt.*

9 Raptum vento folium, eſt homo tentationibus agitatum; vnde Iob, *c.13.v.25. Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam.* Vbi Gregorius, *lib.11.c.22.moral.pag.578. lit.B. Quid eſt enim homo niſi folium qui videlicet in paradiſo ab arbore cecidit? Quid eſt niſi folium, qui tentationis vento rapitur, & deſideriorum flatibus leuatur?*

10 Rapi dicitur homo de loco ſuo cum timore mortis ſeparatur à voluptatibus huius vitæ, quas amabat: vnde Iob, *c.21.*ait: *Velut turbo rapiet eũ de loco ſuo*, vbi citatus Gregorius, *lib.18.c.12.pag.713.lit.B. Locus peruerſorum eſt temporalis vitæ delectatio, & carnis voluptas. Quaſi turbine igitur vnuſquiſque de loco ſuo rapitur, cum à cunctis ſuis delectationibus, extremo territus die, ſeparatur.*

11 Rapina in holocauſto, eſt oblatio de rebus furto, vel malis artibus acquiſitis: quam Deo diſplicere tradit Propheta, Iſai.*c.61.v.8. Odio habens rapinam in holocauſto:* quæ oblatio Diuitum auarorum eſt, qui multa rapiunt, & parum Deo offerunt, Vnde D.Hieronymus, *lib. 17.in Iſai. pag.205.lit. E. Magis Deus iuſtorum diligit paupertatem, quam Diuitum munera, quæ de rapina ſunt, & iniquitate.*

12 Semitæ rapiẽtes animam auari ſunt cogitationes, quæ ſuam perditionem cauſant, iuxta Sapientis Oraculũ Prou.*c.1.v.19 Sic ſemitæ omnis Auari animas poſſidentium rapiunt*, vbi Beda, *libr.1. in prou. cap.1.tom.3. col. 637, Semitas Auari dicit ſubtiles eius cogitationes, quib, ſedulus inquirit, qualiter pecunias augeat. Taleſque ſemitæ rapiunt ad interitum animas poſſidentium, id eſt eorum qui poſſeſſionibus pecuniarum vltra rationem incumbunt.*

13 Rapere radicem de conuallibus, eſt hæreticos de humilibus dictis Patrum ſuperbè colligere, vtique ad decipiendum, de quibus Patiens Iob, *c 30.v.5. Qui de conuallibus iſta rapientes*, & ibi Romanus Gregorius, *lib.20.c.13 pag 765. lit.D. De conuallibus illa rapiunt, (Hæretici ſcilicet) quia hæc de humilibus dictis Patrum ſuperbo ſpiritu colligunt.*

14 Rapi ab armato, eſt vitam fidei per diaboli fraudẽ perdere, de quo apud Iob, *c.5 v 5 Et ipſum rapiet armatus:* vbi citatus Doctor, *pag.434.lit.C. Antiquus hoſtis iudaicum populum armatus rapuit, quia in eo vitam fidei fraudulenter ſuggeſtionis iaculis extinxit.*

§. IV.

Quid Eſca, aut Cibus innuat.

1 CIbus, Eſca, & Alimentum idem ſunt, & eſt illud, quod ad reparandam, ſubſtantiã viuentia, & præſertim Animalia, introſumunt, quod in loco apto alteratum, & æqualiter per partes corporis diſtributum in ſubſtantiam eorum tranſit. Allegoricè verò Primo ſignat Euchariſtiam Animarum alimentum: de qua Pſalm.64. *v.10. Paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio eius*, vbi Gloſſ. ordin. *Poſt potum Dei de cibo ſpirituali ſubdit hoc totum de ſacra communione, quando corpore eius paſcimur, ſanguine potamur.*

2 Eſca

2 Eſca ad quam volat Aquila eſt Dominica incarnatio, ad quam contemplandam ſancti aſcedunt, & deſcendunt, vnde Iob, *c.9.v.26. Sicut Aquila volans ad eſcam*, & D. Gregorius, *lib 9.c.16.mor.pag.523.lit.D.E. Moris quippe eſt Aquilæ, vt irreuerberata acie radios Solis aſpiciat: ſed cum refectionis indigentia vrgetur, eamdem oculorum aciem, quam radiis Solis infixerat ad reſpectum cadaueris inclinat: & quamuis ad alta volet, pro ſumendis tamen carnibus terram petit. Sic videlicet, ſic antiqui Patres fuerunt, qui in quantum humanitatis infirmitas admittebat, Creatoris lucem erecta mente contemplati ſunt: ſed incarnandum hunc in fine mundi præſcientes, quaſi à Solis radiis ad terram oculos deflexerunt. Et quaſi de ſummo ad ima veniunt, dum hunc Deum ſupra omnia, & hominem infra omnia agnoſcunt.*

3 Cibum parare in diem tertium, eſt Sacramentum Trinitatis agnoſcere, vt dicitur apud Ioſue, *c.1.v.11. Præparate vobis cibaria, quia poſt diem tertium tranſibitis Iordanem*, & D. Auguſtinus, *ſerm.106. de temp. Quid n. eſt aliud dicere: Parate vobis cibos in diem tertium, niſi Trinitatis ſuſcipite Sacramentum?*

4 Eſca eſt doctrina, hinc de Deo dicitur Iob, *c.36 ver. 31 Per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus*, Vbi D. Hieronymus, *in c 36. Iob, tom.8. pag. 47.lit.H. Statuit Deus pietatis ſuæ iudicio vniuerſis populis miſereri, & dare eſcas doctrinæ verbi ſui ſiue myſteriorum, cunctis mortalibus.*

5 Cibi duplices, neceſſaria animæ, & corporis ſignant; vt in Exod. *c.16.v.22. In die vero ſexta collegerunt cibos duplices*, & Gloſſ. ordin. *Neceſſaria ſcilicet Animæ, & Corporis; nam in ſeptima, quæ mortuorum ætas intelligitur, nullus erit operandi locus.*

6 Cibus hæreditatis Iacob, eſt æterna gloria, quæ promittitur à Domino Iſraeli, Iſai. *c.58.v.14. Et cibabo te hæreditate Iacob Patris tui*, vbi D. Hieronymus, *lib.16.in Iſai.pag.194 lit.D. Bona autem terræ, quæ in excelſis ſita eſt, quibus ſaturatur filius Iacob, illa accipienda ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt.*

7 Eſca Corui ſunt reprobi dati Diabolo in cibum, de quibus Iob, *c.38.v.41. Quis præparat Coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos?* vbi D. Hieronymus, *in c.38. Iob, pag. 57.lit.F. Arbitror, quod & hic Coruus aduerſariam partem ſignificet, ſicut & pulli eius: vt quemadmodum ſuperius leænam, & catulos eius intelleximus diabolum, & turbam perditorum eius; ita & hic Coruum eumdem cum pullis eius intelligamus. Quod ergo dicitur, vagantes; indicatur hoc verbo, quod quaſi quamdam famis rabiem patiantur circa hominum genus, vt perditionem portionis eius velut cibum ſumant.*

8 Eſca iumentis data à Deo, eſt ſacra ſcriptura rudib. explanata, hinc Dauid ait, Pſalm.146.*v.9. Qui dat iumẽtis eſcam ipſorum* & Magnus Gregorius, *lib.30.c.8.mor. pag.987. lit.E. Iumenta quippe eſcam accipiunt, dum ſacra ſcripturæ pabulo mentes dudum bruta ſatiantur.*

9 Cibus Ioannis ex locuſtis, ſignificat gentiles, qui à recta via, vt locuſtæ auolabant, poſtmodum per fidem facti ſunt eſca ſanctorum, vnde dicitur Matth. *c.3.v.4. Eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſylueſtre*, vbi D. Hilarius, *can 2.in Matth.col.470. lit.B. Nos ſcilicet, qui ab omni ſermone, & congreſſu prophetarum impiis quibuſdã corporum ſaltibus efferebamur, voluntate vagi, in operibus inutiles, in verbis queruli, ſede peregrini: nunc ſumus Sanctorum alimonia, & ſatietas Prophetarum, electi ſimul cum melle ſylueſtri, dulciſſimum ex nobis cibum, non ex aluearijs legis, ſed ex truncis ſylueſtrium arborum præbituri.*

10 Eſca hæc etiam Ioannis ex locuſtis, ſignificat peccatores ab eo conuerſos, & Eccleſiæ incorporatos, quare Cardinalis Hugo, *in c.3. Matth. pag. 110.col.4.* inquit. *Eſca autem eius erat locuſtæ: Peccatores, quos incorporat Eccleſiæ. Eſca Sanctorum colliſio eſt peccatorum.*

11 Cibus Iob, quem prius nolebat tangere, & poſtea comedit, ſcriptura eſt veteris legis, quã Gentiles deſpiciebant, & modo deſiderant, ex quorum nomine inquit ille, *cap.6. v.7. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt*, & Beatus Gregorius, *lib.7.c.6.mor.pag.458.lit.C. Quia nimirum amoris ſui æſtibus anxia cibum ſcripturæ veteris conuerſa gentilitas eſurit, quem dudum ſuperba deſpexit.*

12 Cibus, quo alitur Eccleſia eſt prædicatio Chriſti, vt dicitur in Apocalipſi, *c.12.v.14. Et datæ ſunt mulieri duæ alæ Aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, & ibi Gloſſ ordin. *Si Generalis Eccleſia accipitur, dicitur, per tempus, & tempora, & dimidium temporis, taliter, pro prædicatione Chriſti facta tribus annis cum dimidio, quia Chriſti prædicatione paſcitur Eccleſia quotidie.*

13 Cibus lætitiæ, quem non capit Eccleſia, eſſet conuerſio Iudæorum, in cuius ſignum dicitur, 1. *Reg.c.1.v.7. Porrò Anna flebat, & non capiebat cibum*, vbi Magnus Gregorius, *in 1.lib.Reg.tom.1.pag.11.lit.C. Cibum denique caperet, ſi de Iudeæ integra conuerſione lætitiæ refectionem habuiſſet. Quæ ergo fleuit cibum non accepit, quia quæ de pereunte Iudæa doluit, de eius ſalute gaudium non recepit.*

14 Cibus adepis, & ſanguinis vetitus in lege, ſignat voluptatem huius ſæculi, à qua abſtinendum eſt, vnde dicitur, Leuit. *c.7.v.25. Si quis adipem comederit peribit de populo ſuo*, & infra, *v.27. Omnis anima, quæ ediderit ſãguinem peribit de populis ſuis*, vbi Gloſſ. ordin. *Hæc omnia eo tendunt, vt in nobis voluptas, & humanæ rationis inſtituta, & delectamenta eradicentur.*

15 Sanguinem in cibum ſumere, eſt deſpicere animã pereuntis proximi: idcirco dicitur in Leuitico, *v.26. Sãguinem quoq; omnis animalis non ſumetis in cibo*, & ibi Gloſſ. Interlin. *Sanguinem, ideſt animam; quaſi nihil faciens proximi ſui mortem.*

16 Eſca quam ſequitur ira Dei, eſt poſſeſſio rei contra voluntatem diuinam appetitæ, de qua Pſalm.77. *ver.31. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*, & Romanus Gregorius, *lib.15.c.12. moral.pag.646.lit.D. Maioris quippe iracundiæ eſt cum hoc tribuitur, quod male deſideratur, atque inde repentina vltio ſequitur, quia hoc quoque obtinuit, quod, Deo iraſcẽte, concupiuit, vnde & per Pſalmiſtam dicitur: Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.*

17 Cibus Hypocritæ, de quo nihil remanet, ſunt bona quæ hic habuit, quæ in morte perdit, quare apud Iob, *c.20.v.21.* dicitur, *Non remanſit de cibo eius*, vbi citatus Doctor, *lit.E. Percuſſo Hypocrita, de cibo ſuo nil remanet: quia cum ipſe ad æterna ſupplicia ducitur, à cunctis bonis, quæ hic poſſidebat, alienatur.*

18 Cibare hoſtes carnibus ſuis, eſt diabolum relinquere in ſuis penis abſque fidelium caſu; & carnales homines relinquere in ſuis vitiis. Quod facturum ſe promittit Dominus per Prophetã Iſai. *c.49. v.26. Cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis*, vbi D. Hieronymus, *lib.13.in Iſai.pag. 159.lit.F.G. Aduerſarias poteſtates cibabit carnibus ſuis & inebriabit quaſi muſto; vt nequaquam aliorum nece, ſed ſua morte ſaturentur: & qui carnes ſunt (quia Dei ſpiritum perdiderunt) ſuis veſcantur carnibus.*

Verſus

Digitized by Google

Verſus Vigeſimusſecundus.

תִּזְרַח הַשֶּׁמֶשׁ יֵאָסֵפוּן וְאֶל מְעוֹנֹתָם יִרְבָּצוּן׃

Verſio ex hebræo: *Orietur Sol, retrahent ſe, & ad habitacula ſua cubabunt.*

Vulgata editio: *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubiculis ſuis collocabuntur.*

D. Hieronymus: *Oriente Sole recedent, & in ſpeluncis ſuis cubabunt.*

Pagninus: *Orietur Sol, congregabunt ſe, & in habitaculis ſuis accubabunt.*

Textus Arabicus: *Ad ortum Solis diſſipantur, & ad cubilia ſua reuertuntur.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

NVlli dubium eſſe poterit verbum תִּזְרַח futuri eſſe temporis, vnde de verbo ad verbum transferri debet, *Orietur*, ſicuti etiam יֵאָסֵפוּן quod à radice אָסַף, *Congregare*, *Auferre*, *Colligere*, *Retrahere ſe*, & *ſanare* ſignificat; Vulgata ambo in præterito transtulit, propter rationem ſuperius pluries traditam: מְעוֹנֹתָם eſt plurale nominis מָעוֹן quod à radice עוּן, (quæ eſt habitatio, ſeu locus) deductum habitaculum ſignificat, quod etiam cubile, & ſpecialiter Ferarum; ſpelunca etiam dici poteſt. Quod autem Diuus Hieronymus poſuit, *Oriente Sole*, & Arabicus, *Ad ortum Solis*, hoc ad loquutionis ornatum factum eſt, cum ità meliùs ſenſus Prophetæ explicetur: יִרְבָּצוּן futurum plurale eſt, à radice רָבַץ, quæ cubare, ad literam ſignificat. Hìc pauca de Solis exortu perſtringemus,

SVMMARIVM.

1 *De Ortu, & Occaſu Solis.*
2 *De huius ortus, & Occaſus vtilitate.*

§. I.

De Ortu, & Occaſu Solis.

1 O*Rtus eſt Sol.* Diei artificialis initium hic deſcribitur, qui vtique à Solis exortu vſque ad eiuſdem occaſum durat. Ortus igitur Solis eſt eius aſcenſio in Oriente ſupra alicuius Orizontis lineam: hic autem duplex ab Aſtronomis ſtatuitur, abſolutus videlicet, & reſpectiuus; de quibus Doctiſſimus Chriſtophorus Clauius ita loquitur. *Eſt autem duplex Oriens, atque occidens, abſolutum ſcilicet, & reſpectiuum Oriens abſolutum dicitur finis terræ habitabilis ex parte orientis, qualis eſt Ptolomæo Sinarum regio, quæ hodie Mangi dicitur, Regi Tartarorum olim ſubdita nunc autem Regi potentiſſimo Sinarum. Procedenti enim ab occaſu ad ortum poſt dictam regionem ſtatim occurrit Mare. Occidens abſolutum dicitur finis terræ ex parte occidenti, cuiuſmodi ſunt Inſulæ fortunatæ, quæ in occidente iacent poſt extrema Europæ, & Africæ littora. Oriens reſpectiuum, & occidens* [illegible] *cuiuſcumque habitationis particularis, ſeu Orizontis: quo pacto quælibet Ciuitas habere dicitur ſuum oriens, ſuumque occidens.* Hæc ille *comm. in ſphæram, in c. 2. pag. 282.* In ſacris autem literis aliquando ſumitur oriens, ac proinde occidens abſolutè, aliquando verò reſpectiuè. Abſolutè ſumuntur in Pſal. 103. *v.* 3. cum dicitur: *A Solis ortu, vſque ad occaſum laudabile nomen Domini.* Reſpectiuè verò ſumitur, Geneſ. *c.* 19. *v.* 23. cùm dicitur, *Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Loth ingreſſus eſt Segor*: nam loquitur de ortu Solis in regione Sodomorum. In præſenti verſu ſumitur Oriens reſpectiuè, dum Sol in peculiari quapiam regione exoriendo diem adfert.

2 Sequitur ex his, quòd cum terra orbis ſit, atque Sol circulariter moueatur, nonniſi medietatem ferè terræ illuminare, quapropter tempore eodem alijs oritur, aliis occidit, aliis diem inchoat, aliis mediat, ab aliis abeſt. Hinc Sapientiſſimus Salomon Solis ortum, & occaſum deſcribens, ait. Eccle. *c.* 1. *v.* 5 *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* In hebraica verò litera ſic habetur. וְזָרַח הַשֶּׁמֶשׁ וּבָא הַשָּׁמֶשׁ וְאֶל מְקוֹמוֹ שׁוֹאֵף זוֹרֵחַ הוּא שָׁם הוֹלֵךְ אֶל דָּרוֹם וְסוֹבֵב אֶל צָפוֹן סוֹבֵב סֹבֵב הוֹלֵךְ הָרוּחַ׃

Et ortus eſt Sol, & venit Sol, & ad locum ſuum anhelans oriens

oriens ipſe ibi: vadens ad Auſtrum, & circuiens ad Aquilonem: circuiens, circuiens vadens ſpiritus. Quibus indicat verbis ortum, & occaſum Solis ſupra Orizontem, & determinat motum ipſius diurnum: nam mane cum Sol oritur vſque ad meridiem declinat ad Boream, poſt meridiem verò ad Auſtrum; etenim de die nos illuminat, qui ſub Polo Septentrionali degimus, de nocte verò illuſtrat Americam ſub auſtrino ſitam polo; nam Sapiens Salomon de ortu ad ſuam regionem accommodatum exemplum proferebat. Hoc claré docet D. Gregor. Niſſ. in cuius tamen ſententia, aduertas velim, illum cum communiori Aſtronomorum placito partem mundi auſtralem appellare ſuperiorem, noſtram verò, ideſt borealem, inferiorem: Licet namque nos dicamus eſſe ſupra, & Antipodas Americos inferius; re vera tamen, nos ſumus in parte inferiori. Ergo ille, *Hom. 1. in Eccle. pag. 379. lit. D. Quomodo eſt, inquit, curſus Solis, vt qui oriens in ſuperiori parte terræ, in Auſtrali regione ingreditur. Quando autem eſt ſub terra, eam, quæ ex aduerſo ſita eſt, nēpe borealem, ſubit partem; & hoc modo ſemper creſcens, ſuum in orbem peragit curſum; & rurſus in orbem renaſcens circuitu. Gyrat, inquit, in orbem.* Cui ſententiæ ſubſcribit etiam Diuus Hieronymus, qui vlterius, ex Salomonis verbis colligit, motum Solis, non ſolum eſſe circularem, ſed ſpiralem. Cum enim, vt ſupra diximus, Sol moueatur immoto Cœlo, & quotidie vno ferè gradu minus, quam ſuperiora ſydera, currat, in eodem loco naſci nequit, & cum ſpiraliter currat, modò ad Auſtrum, modò ad boreā inclinatur, etiā in ipſo diurno motu; audiamus D. Hieronymum, *in Eccle. tom. 5. pag. 2. lit. C. Quod autem ait; gyrans gyrando vadit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur: &c. Non de annuo Solis curſu, ſed de quotidianis ſemitis eius loquitur. Obliqua enim, & fracta linea per auſtrum pergit ad boream, & ita ad orientem reuertitur.*

3 Porrò aliorum ſententia tenet in Salomonis verbis annuum Solis curſum notari, nam à Capricorno ad Cācrum ſemper verſus boream gyrando properat, à cancro verò ad Capricornum verſus Auſtrum appropiat: nam in primis verbis; *Oritur Sol, & occidit:* notatur motus diurnus; in illis verò; *gyrat per meridiem. &c.* curſus annuus deſcribitur, ita Cardinalis Caietanus, *in Eccle. pag. 600. col. 1. De motu itaque Solis qui appellatur diurnus, ſequendo primum mobile dicit. Et orietur Sol, & occidet Sol, & ad locum ſuum oriens ipſe ibi: (hoc eſt, in quo ipſe Sol oritur) deſiderat ab occaſu ire. De motu vero Solis in Zodiaco ſubiungit; Vadit ad meridiem, hoc eſt ad tropicum Capricorni; & circuit ad Aquilonem, hoc eſt ad tropicum Cancri: Modus verò ſubiungendo circuiens, circuiens, non enim per lineam rectam mouetur Sol in tropicum, ſed multiplicando circumitus per modum lineæ helicæ.* Seraphicus tamen Doctor D. Bonauentura Cardinalis, *in Eccle. tom. 1. pag. 313. col. 2. lit. E. F.* tam priora, quam poſteriora verba ad vtrumque Solis motum, tam diurnum, quam annuum accommodat; cuius hæc ſunt verba. *Iſtud exponi poteſt quantum ad motum diurnum, vel etiam annuum. Quantum ad diurnum dicit hic, oritur Sol quotidie quando humanis præſentatur aſpectibus. occidit quando deſcendens ad inferiores partes, oculis noſtris ſe ſubtrahit. Reuertitur ad locum ſuum, quando impellente eum volubilitate firmamenti ſubtus, rurſus ad locum ſuum reuertitur. Sed renaſcens gyrat per meridiē, quia obliquo ductu ab ortu ad lineam meridianam conſcendit; deinde flectitur ad Aquilonem, quia ad occaſum deſcendens rurſus obliqua progreſſione ad aquilonem inclinatur. Quantum ad motum annuum ſic. Oritur Sol, quando per vernale æquinoctium ad noſtrum polum conſurgit: occidit, quando autumnale æquinoctium exiens ad inferiora deſcendit. Gyrat per meridiem, quando in hyemalibus ſignis commoratur; flectitur ad Aquilonem, quādo in æſtiuis ſignis, quæ polo boreali viciniora ſunt circūfertur.* Ita Seraphicus Cardinalis. Ab vtroque tamē Cardinali Caietano, & Bonauentura, diſſidet alius Eminentiſſimus, Hugo Carenſis videlicet, qui primæ fauens opinioni de diurno motu explicat, & declarat manifeſtius ſpiralem Solis circulationem, *in Eccle. pag. 72. col. 3.* inquiens, *In circuitu pergit ſpiritus: In circuitu, ideſt in circulari peragratione, qua Zodiacum ſemel in anno peragrat: circulari dico; ideſt ſphærica: non enim circulum, ſed ſpheram, ſiue ſpiram facit Sol in qualibet die: Luſtrās vniuerſa in circuitu radios ſuos vbique ſpargendo; & ſic totum legitur de curſu Solis diurno.* Igitur ex hucuſque allatis concludendum remanet, Solis ortum, de quo in hoc verſu agit Pſaltes, eſſe apparitionem Solis ſupra Orizontem alicuius Ciuitatis, ſiue Prouinciæ, quam in diei artificialis initio, in vnoque naturali die exhibet, ſpirali circuitu progrediens.

§. II.

De huius Ortus, & Occaſu vtilitate.

1 O*Rtus eſt Sol, & congregati ſunt, &c.* Poſtquam noctem per tenebras, ac diei ſpatium per Solis exortum Propheta oſtendit: hoc à Deo conſultò factum eſſe indicat, non caſu; dum aſſignat in hoc, & ſequenti verſu vtriuſq; tēporis vtilitates; ne .n. vel belluę ſylueſtres homines ledererēt, vel è cōuerſo læderētur diuiſionē tēporis inter eos fecit, nocte beſtiis reſeruata, ad hominū operationem cōtulit diem; ita docet Cardin. Hugo, *in Pſalm. 103. Commendat illum à viciſſitudine diei, & noctis, &c. Poſtea oſtendit quaſdam vtilitates huius viciſſitudinis. Prima eſt, quia ſcilicet quædam Animalia quærunt ſibi, & catulis ſuis eſcam de nocte, quæ ita de die non auderent quærere. Secunda vtilitas eſt, quia iſta ferocia Animalia, in die abſconduntur, ne lædant homines; vnde dicit: Ortus eſt Sol, & congregati ſunt Catuli Leonum, & in cubilibus ſuis collocabuntur, in abſcondito ſyluarūm.* Hocque diuina prouidentia factum, nemo eſt qui ambigat. Etenim ſapientiſſimus Conditor dedit Feris ſylueſtribus quemdam naturalem lucis horrorem, vt ipſius intuitum minimè patiantur, hinc & ipſius ignis ſplendorem haud valent ſuſtinere.

2 Præcipua tamen diurnæ Solis illuminationis vtilitas ea eſt, vt homines in ſuis operationibus ſolamen accipiant, dum quæque laude digna præſtant; ne quaquam tenebrarum claudantur caligine, ſed in omnium oculis venientia, debitis nec præconibus careant; & inſuper pulchritudine vniuerſi, quæ propter homines creata eſt perfruantur; indeque diuinæ magnitudinis, ac creantis Maieſtatis ſpeciem intuentes, in ſupremi Numinis laudes, ora ſoluentes, Deum debitis encomiis proſequantur. Neque ad id præſtandum creatura Sole aptior reperitur, ſiquidem ille pulchritudine, & ſplendore omnibus antecellit. Haud fallor ſi id à Sapiente inſinuatum puto, dum ait: Eccli. *c. 42. v. 16. Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius*: quaſi diceret: Sol inter omnes creaturas, cum pulchritudine, & vtilitate præſtet, & hominum opera illuſtrat, & Dei magnificentiam oſtendens, ad eiuſdem laudes decantandas mentes excitat. Idipſum fatetur Cornelius à Lapide, *in Eccl. pag. 875. col. 2. lit. B. Indicat finem, & vſum Solis, Sol enim ad hoc inter alia creatus eſt à Deo, vt omnia eius opera hominibus faciat conſpicua, eorumque ſplendorem, & gloriā iis demonſtret, itaque eos excitet ad ingem Dei amorem, & laudem.* Quòd ſi tanta eſt Solis ſpecioſa maieſtas, vt hominibus diuina cognitione carentibus, tanquā Deus, viſus eſt, quantus nobis concipiendus eſt Deus verus, qui tam excellentem creaturam produxit? quare Eminētiſſimus Hugo Card. *in c. 42. Eccli. pag. 252. col. 4.* ait. *Sol illuminans per omnia reſpexit, ideſt, lumine ſuo omnia reſpicibilia fecit: & gloria Domini, ideſt immenſitate ſua glorioſa; Plenum eſt opus eius: ſicut enim opus Dei non poteſt fieri ſine Deo, ita non poteſt conſiſtere ſine eius præſentia. Loquitur Auctor comparatiuè, quaſi dicat; ſicut Sol illuminat totum mundum, ſpargens lumen ſuum per vniuerſa climata mundi, ita gloria Domini illuminat omnia opera eius.* Hoc ergo Diei eſt primum, ac maximū beneficium, oculorum, ac mentis illuminare aciem.

3 Multæ

Digitized by Google

3 Multæ inſuper, ac variæ Solis ſupra orizontem exortus, in mundum vtilitates adduci poſſent, ſed cum de Sole egimus ea omnia recenſuimus; tunc enim maximè operatur Sol cum ſupra Orizontem eſt; tunc enim nocturnas humiditates pellit, terram fœcundat, flores aperit, plantas veſtit, homines lætificat, dęmonum laruas propulſat, & vt vnico verbo diem, ſeu Solis exortum celebrem, omnia quæ prædicantur de Sole in eius illuminatione complentur; Quapropter iure merito dixit Sapiens: *Gloria Domini plenum eſt opus eius*; nam in Solis miris operibus maximè diuina potentia manifeſtatur; vnde motus Lyranus inquit. *Gloria Domini plenum eſt opus eius: nam potentia Dei glorioſa relucet in Solis operibus; quæ ſunt illuminare cætera corpora, renouare terrã herbis, & floribus, terræ naſcentia folijs, & fructibus; & ſic de alijs eius operibus.* His adde Apoſtolis, & mundo vniuerſo Solis exortum gaudium attuliſſe; nam Dominum de morte iam ereptum faucibus, ac in gloria rutilantem, Sol exortus oſtendit; vnde cantat Eccleſia, *in hymno Apoſt. temp. Paſch.*

Paſchale mundo gaudium
Sol nunciat formoſior,
Cum luce fulgentem noua
Ieſum vident Apoſtoli.

Atque hæc de Solis ortu ſufficiant prælibata.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

LIcet Sol ita appellatus ſit, quaſi Solus luceat, quia veteres opinabantur Aſtronomi, Aſtrum nullum à ſe lucem habere, ſed à Sole mutuari; re vera tamen aliter rem ſe habere iam vidimus. Verum quidquid ſit de materiali Sole, de myſtico, ſiue tropologico Sole aliter ſentiendum eſt. Ipſe enim Animarum, ac Eccleſiæ Sol vnicus Chriſtus eſt, qui modo per ſuam gratiam in nobis oriendo perficit diem, nunc verò propter peccata à nobis recedendo noctem relinquit; nunc in pietate ſplendet, nunc obnubilatur in ira. Caueamus ergo, ne virtutibus vacuos mortis tenebræ compræhendant.

SVMMARIVM.

1 *Sol Chriſtus Diem efficit in cordibus puris.*
2 *Chriſtus qui nunc oritur Sol miſericordiæ, orietur in Iudicio Sol Iuſtitiæ.*
3 *Impij Dei aſpectum ferre non poſſunt.*
4 *Qui cecidit ſperet, nam per pęnitentiam redibit ad gratiam.*

§. I.

Sol Chriſtus diem efficit in cordibus puris.

1 OPtimus, ac pulcherrimus Aſtrorum Princeps Sol dum ſupra Orizontem attollitur, tenebras ab illo emiſphęrio fugans, ac illuſtrationem impartiens, diem efficit. Neque, vt canit Pſaltes, vllus eſt, qui ſe abſcondat à calore eius, vel eius illuminationem ignoret. Nihilominus tamen, vbi in terræ Hyatibus Cauernæ dilatantur, ipſa obſiſtente terræ ſuperioris craſſitiæ, Sol non videtur, nec diei lumen percipitur. Haud tamen Solis culpa eſt, qui omnia perluſtrat, ipſi ſe lumine priuant, qui in antris abſconduntur: Sol Eccleſiæ Chriſtus, exoritur quidem per gratiam, ſuæq; beneficentię impartitur radios, ſed in terram patentem, in cor mundum, ſimplicem, purum, eos immittit; Cordi verò aut odio, aut alterius lethalis culpæ antro recluſa, nequaquã oritur. Idcirco hic dicitur, quod ad Solis exortum recedunt beſtiæ, & in antris recluduntur. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubiculis ſuis collocabuntur:* nam inimicus Feris Sol eſt, peccatoribus Iuſtitiæ Sol non naſcitur; ita ſentit D. Auguſtinus. *Ortus eſt Sol, &c. Et Sol iſte oritur, qui intelligit Chriſtum. Recedit autem ab intellectu eius Chriſtus, qui ſic iratus fuerit fratri ſuo, vt teneat odium.*

2 Manifeſtius hoc colligitur ſi alterius Pſalmi dicta pentamus etenim ait Propheta; *Pſ. 96. v. 12. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.* Sed hic mens ſtupore compreſſa ſiſtit. Nonne tanta eſt miſerentis Dei liberalitas, vt perſonarum exceptionem non faciat? imò vt homines ad benefaciendum inimicis traheret, eo vſus eſt diuinæ magnanimitatis exẽplo, vt qui bona mũdialia iniuſtis nõ detrahat, Matt. *c. 5. v. 45. ſed Solẽ ſuũ oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Sol ergo inter homines nõ diſcernit, magnis, ac paruulis, bonis, ac malis præſto eſt, omnib. ſplẽdet, omnes illuminat: Quomodo ergo oppoſitum docet Rex Sanctus, qui Solis lucem iuſtis tantummodo, ac rectis corde ortam teſtatur? Enim verò nequaquam de materiali Solis accipiendum eſt luce; ſed de ea, quę illuminat omnem hominem gratiarum radiis; Sol ergo diuinus gratiæ lucem emittendo in animabus oritur, ſed non omnibus; in illis enim tantummodo diem procreat, quæ rectum cor habent: audi Cardinalem Hugonem, *in Pſalm. 96. pagin. 254. col. 2. Lux orta eſt iuſto, ſcilicet lux gratiæ quam infundit Deus in corda hominum, quæ ipſos illuminat, & oſtendit eis peccati vilitatem, & Dei bonitatem: Et rectis corde lætitia, ideſt eis, qui habent cor rectum;* ſed clarius idem docet magnum Eccleſiæ lumen Auguſtinus, *in Pſalm. 96. Non iſta lux, quæ oritur ſuper bonos, & malos, &c. Eſt ergo alia lux, quæ oritur iuſtis: Lux orta eſt iuſto, & rectis corde iocunditas: Vis illam noſſe? eſto rectus corde. Quid eſt rectus corde? Noli toto corde eſſe ad Deum, reſiſtens voluntati ipſius, & volens illum curuare ad te, & non te dirigere ad illum, & ſenties iocunditatem, quam ſentiunt omnes, qui recto ſunt corde.* Etenim vbi deeſt rectitudo Iuſtitiæ, Sol gratiæ non inducit diem.

3 Hæc eadem docebat Sapiens, dum homines hortaretur ad ſeruiendum Deo in puritate cordis; nam licet Sol oriatur non tamen omnes illuminat, neque omnib. apparet, ſed tantummodo videntibus, nam luminibus captis licet præſens, non apparet tamen: ita prorſus Chriſtus, licet omnibus præſens ſit, vtpote Deus, non apparet niſi ſimplicium cordibus, qui in fide fundati, ac in virtutibus ſtabiles ad recipiendam illuſtrationem gratiæ idonei reperiuntur. Quapropter dicebat ille: *c. 1. v. 2. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite*

rite illum; quoniam inuenitur ab his qui non tentāt illum, & apparet eis, qui fidem habent in illum. Ergo Diuino exoriente Sole non in omnium hominum cordibus illuceſcit, neque diem facit, ſed vbi viget fides, vbi regnat ſimplicitas, vt optimè adnotat magnus Gregorius, *in Pſ. 101. tom. 2. p. 1161. lit. C.* inquiens. *Scriptum eſt: ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum; Cordis enim ſimplicitas dies eſt, quam fraus non obnubilat, non obtenebrat mendacium, non obſcurat inuidia, non obfuſcat dolus; quem lux veritatis illuminat, præſentiæ diuinæ claritas illuſtrat.* Beata mens, quæ puritatis, ac ſimplicitatis merito, Sole oriente Iuſtitiæ, dies efficitur.

4 Vidimus alibi, proprium lucis colorem albedinem eſſe, vnde ad lucem pingendam adhibetur, ſicuti è contra nigredo tenebram refert. Neque huius veritatis ſpernendum argumentum eſt illud, quod experientia ſuadet; etenim ſi lumen, ſeu Solis radius in aliqua re alba excipiatur, longè clarius in ea emicat, & fere eius illuſtratio augetur; è contra verò, ſi in nigrum impingat ſubiectum, radij quaſi emoriuntur, & ſplendorem ſuum, quaſi obducta caligine, minuit. Ita prorſus qui illuſtrantis gratiæ radium à Diuino Sole ſibi communicare deſiderat, album habeat cor, in die ipſum inuocet, adſit fides, non abſit puritas; tunc enim ſi vias ſuas Domino reuelauerit, tanquam in meridie luce clariſſima decorabitur. Benè id notat Propheta Rex, dum Domino canebat, *Pſ. 101. v. 3. In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me*: Non enim lumini diuinarum gratiarum ſupponebat noctem, aut tenebras peccatorum, ſed diem, claritatem, cordis puritatem; in qua ſcilicet diuinus radius effulgeret: Ita citatus Gregorius exponit: *In quacumque die inuocauero te: In die inuocat, qui in cordis puritate Deum exorat; cuius iuſtitia, cum vias ſuas Domino reuelauerit, ſicut dies educitur; & iudicium, ſicut ait Propheta, ſicut meridies illuminabitur*. Albedo addita lumini clarius reddit, puritas gratias diuinas illuſtriores efficit; dignum ſe ad vota conſequenda præbet, qui corde puro preces effundit.

5 Sol per omnes mundi plagas lumen ſuum diffundit non tamen ab ipſo illuminata corpora, æqualiter acceptum lumen reddunt; aer namq. & aqua, quæ diaphana ſunt corpora, acceptum lumen, vel nihil, vel parum reflectunt, alia verò pro ſuo temperamento plus, minuſue: ſed Planetarum corpora, quæ vel candidam, vel roſeam ſpeciem exhibent, ita ſplendent mutuato lumine, vt Solis filij, haud inconuenienter dicantur. In omnium cordibus Spiritus ſancti effunditur gratia, ſed leuia, & vana, ſeu ſuperba, quæ aerem referunt, & mollia, ſenſualia, quæ aquæ aſſimilantur, lumen cęleſte non reflectunt; corda verò sācta, corda mūda, ita in accepto lumine ſplēdēt, vt filii lucis diuinæ videātur. Ex quo datur intelligi, quid ſibi velit Apoſtolus prædicans, Ad Epheſ. c. 1. v. 9. *Eratis .n. aliquādo tenebræ, nūc autē lux in Domino, vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.* Optat namque omnes eas virtutes proſequi, & cum cordis munditia habere, quæ filios Dei deceat, qui lux cum ſit, tenebræ in eo non ſunt vllæ. Quod vidēs Card Hugo, *in ep ad Eph. pag 177. col. 2.* teſtatus eſt. *Vt filii lucis ambulate; ideſt mūdæ cōſcientiæ, vt filii Dei; omnes enim filii lucis eſtis, & filii Dei eſtis, non ſumus noctis, neque tenebrarum; ſcilicet in omni bonitate cordis, & iuſtitia operis, & veritate oris*. Quòd ſi nulla eſt conuentio lucis ad tenebras, qui exoptat, ex diuini Solis illuſtratione diem ſibi oriri, tenebras abiiciat peccatorum, ac cor mundum, & candidum cœleſtibus radiis exponat.

§. II.

Chriſtus, qui nunc oritur Sol miſericordiæ, orietur in iudicio Sol Iuſtitiæ.

1 O*Rtus eſt Sol, & congregati ſunt*. Vix orizontalem lineam rutilus aſcendit Sol, imo & eius extimi radii, cum feræ omnes ſylueſtres, eius aſpectum indignatæ, in ſpeluncas ſuas ſe reducunt, illius formidante aſpectum: Scilicet, quæ aliorum vitam inſectando, beſtiarum, imo & hominum ſanguine cruentantur, tot crudelitatibus fœda corpora Luci obiicere reformidant. Prauorum hominum hæc ſunt ſigna timoris, qui in hoc mundo laxatis habenis per vitia currentes, aliorum, vel cæde cruenti, vel facultatibus graues, vel adulterijs maculati in conſpectum Solis Iuſtitiæ deſcendere perhorreſcunt. Si quidem huius farinæ haud pauci homines, cū nunc diuinam ſentiunt miſericordiam, ea abutuntur, & ſenſibus indulgentes ſpe veniæ ſuſtentantur, ſed morte præuenti, miſericordiam obliti, iuſtitiæ rigorem timidi expectant. Iuſtus porrò hic timor eſt; nam diuinus Sol, qui nunc pietatis radijs nos illuſtrat, in extremo dierum ad iudicium properans, vt Sol Iuſtitiæ exorietur de cuius aduentu Pſaltes ait, *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt* Nam tunc beſtiæ, ideſt peccatores ad iudicium congregabuntur, ita Carenſis. *Ortus eſt Sol, ideſt orietur Sol Iuſtitiæ. In ſecundo aduentu orietur Chriſtus Sol Iuſtitiæ, qui in primo ortus eſt Sol miſericordiæ: & tunc congregati ſunt, ideſt congregabuntur iſtæ beſtiæ ad iudicium.*

2 Magna eſt inter ſacros Expoſitores contentio, num Dominus Iudex veniens, in die vel in nocte ſit iudicaturus, multa ſuadent vtramque partem: Pro nocte adducitur illud Matthæi, *c. 25. v. 6. Media nocte clamor factus eſt*; & ſimiles: pro die, illud Iſaiæ, *c. 13. v. 9. Ecce venit dies Domini crudelis, & indignatione plenus.* Certè, etiamſi Sol materialis abeſſet, Iudex ipſe, ac Sanctorum corpora Sole ſplendidiorem lucem emittent: Nihilominus lucidiſſimus ille dies nocti comparatur; quia ſcilicet Sol cū Iuſtitia exortus, ac ad iudicandum accedens impijs, & peruerſis hominibus, quibuslibet tenebris obſcurior eſt: præſertim autem nocti comparatur iudicium, quia ex inſperato adueniet. Hoc figurauit ille Ægyptiorum clades Angeli miniſterio facta, quæ in noctis medio facta dicitur. Exod. c. 12. v. 29. *Factum eſt autem in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti: à primogenito Pharaonis, qui ſedebat in ſolio eius, vſque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere.* Cū tale ſupplicium darent Ægyptii, nequaquam illud timebant, & ideo de nocte, ideſt repentè percuſſi ſunt. Erit vtique dies Iudicii luminoſus dies, & ſplendidus, in quo Beatorum corpora fulgebunt ſicut Sol, comparatur tamen nocti, quia impiis, & impœnitentibus repente adueniet. *Sic enim* (ait Tuitienſis Abbas Rupertus, *lib. 2. in Exod. c. 17. tom. 1. pag. 227. col. 1*) *& vniuerſale Iudicium duris corde, & impœnitentibus ex improuiſo ſuperueniet, tanquam fur. Idcirco Dominus aduentum ſuum, quo perdendi ſunt impii, mediæ nocti comparauit*. Sic miſeri reprobi ortum huius Solis Iuſtitiæ ſuſtinebunt, qui miſericordiæ radios neglexerunt.

3 Cum in hoc Pſalmo, quem præ manibus exponendo habemus, præmiſiſſet Propheta, *Pſ. 103. v. 2. Extendens Cælum ſicut pellem*: addidit, *ver. 3. Qui ponis nubem aſcenſum tuum*: Quæ inter ſe videntur nimis differre; etenim ea extenduntur, quæ rarefiunt; vnde Aer Æthereus, (quod Cælum vocamus ſtrictè ſumptum) rarus, & puriſſimus eſt, ſupernorum luminum radios nec tantillum impediens: è conuerſo, vt fiat nubes condenſari debet aer, & inſpiſſari: quapropter Solis ipſius, ne dum aliorum ſyderum lucem, cęlat nubes. Quò ergo reſpexit Vir Sanctus, dum hæc duo opera de Deo coniunxit? Puto equidem ad noſtram eruditionem id factum fuiſſe: vt ſcilicet noſceremus differentiam Solis diuini, dum oritur in miſericordia, & dum naſcetur in iuſtitia. Nunc enim, quia Sol eſt miſericordiæ corda hominum gratia illuſtrat, fide rarefacit, charitate dilatat, & inflammat: nam huius rei gratia, ſcripturæ diuinæ, quæ in paruo terræ angulo occultabantur, per vniuerſum orbem extentæ ſunt: ſed ſi minimè huius extenſionis beneficio vtimur ad virtutem, veniet conſpiſſatio, veniet nubes, & in ipſa Iudex, qui gloriam ſui vultus abſcondens, totam effundet vindictam: Teſtatur id D. Auguſtinus: *Ideo & nubes*

fecit

Digitized by Google

ſecit aſcenſum eius, & Cœlum tetendit ſicut pellem. Non eſt quod quæramus; Authoritas ſcripturarum extenta, eſt ſuper orbem terrarum: prædicatur verbum veritatis exponuntur omnia; quæ obſcura ſunt, vt corda veſtra aſcendant per nubem. Videte quomodo credatis, videte quid ſuſcipiatis: poſt Prædicatorem veniet Iudex, & poſt diſpenſatorem veniet exactor, qui ponit nubem aſcenſum ſuum. Mala impijs nubes, que Solis radios tollit, eiaculat tempeſtates; in quo Sol ille ad iuſtitiam feſtinat, qui miſericordiam extendebat.

4 Perſiſtẽdo in aſſumpta nubis, Solisq; metaphora, eſt & aliud obſeruandũ; cum .n. Sol per ſeptentrionalia ſigna diſcurrit præſertim Cancro, & Leone, ardentib. radiis exurit terram, hominesq. cruciat; quòd ſi nubes aliqua Solẽ tegat, tẽperãtur radii, vt non tã violenter torqueant. Illud ipsũ de diuino Sole dicẽdũ eſt. Sol Chriſtus eſt, ſed in præſenti vita nube tegitur carnis, maieſtatẽ occultat, miſericordiã largitur, vindictæ temperat ardorẽ; in die iudicii verò totã maieſtatẽ effundet, radios igneos eiaculabit, impios torquebit maximè, & ipſa infernali flãma crudeliùs cremabit. Dũ Iſraeliticus populus ex Ægypto fugiens ad promiſſionis properabat terrã, inquit diuina ſcriptura, quod in ſignum diuinæ præſẽtiæ in tabernaculo, quod Deo conſecratũ erat, videbatur de die ſuper illud nubes, quæ illud cooperiebat, de nocte verò, nõ nubes, ſed ignis apparebat; ita vt Dominus in die ſe nube oſtenderet amictũ, qui noctu, vt ignis rutilabat, Num. c. 9. v. 16. *Sic fiebat iugiter; Per diem operiebat illud nubes, & per noctem quaſi ſpecies ignis.* Iam memoria retinere vos credo in ſuperiorib. nos dixiſſe per diẽ præſentẽ vitã per noctẽ Iudicii tẽpus ſignari, Deus ergo, qui nũc carne velatus, velut in nube nobis apparet, quia placidus, & miſericors eſt; in die iudicii ignis erit, ac ad inſtar ignis lucebit, & exuret; Sanctis .n. ſplendorẽ, reprobis ardorem ſubminiſtrabit; vt obſeruat Gloſſ. ord. *Chriſti quoque Sacramentũ tanquã in die manifeſtũ eſt in carne, velut in nube: in iudicio verò tanquã in terrore nocturno, quia tũc erit tribulatio magna tanquã ignis, & lucebit iuſtis, & ardebit iniuſtis*, Nam ad Solẽ miſericordiæ pertinet fouere, ad Iuſtitiæ Solẽ cõburere: ò quã crudeliter ſẽtiẽt huius ignis ardorem, ii omnes, qui nunc nubis fauorem aſpernantur.

5 Patientiſſimus Princeps dum de futuro iudicio vaticinaretur, ac calamitatem impiorum in ſe ipſo deſcriberet, inquit Iob, *c. 7. v. 8. Nec aſpiciat me viſus hominis, oculi tui in me, & non ſubſiſtam.* Vbi quæri poteſt, quis iſte homo ſit, cuius inſpectione deſtitutum ſe plangit Propheta, cum præſertim ſe diuinis oculis obiectũ memoret: *oculi tui in me*: ſi .n. de puro loquatur homine, quid aduerſus Dei iram conferre poſſet homo? ſi autem de Chriſto homine pariter, & Deo intelligat, quomodo poteſt ſimul & ſemel ante oculos Dei eſſe, & ab illo non inſpici? Sed notandum, quod homo ponitur ad ſignandã miſericordiam Dei, nam ad noſtram redemptionẽ, gratiam, & gloriam Deus homo factus eſt; oculus ergo Dei iuſtitia eſt, viſus hominis miſericordia: verũ quia in die iudicii Deus peccatores videbit quidem ad eos damnandos, non videbit ad ſaluandos; oculi Dei aderunt, viſus hominis deſiderabitur. Acutè id perſpexit Incognitus, *in Pſ. 105. in v.* 1883. *Nec aſpiciet me viſus hominis: viſus hominis eſt miſericordia noſtri Redẽptoris; Quia nimirũ Redẽptoris gratia, quæ nunc non intuetur, vt corrigat, tunc non reſpiciet, vt ab interitu abſcondat. In iudicio quippe Dominus veniens, peccatorem videt, vt feriat; non videt, vt ad largiendam ſalutis gratiam reſpiciat.*

6 Id paulò aliter idem Doctor colligit ex Pſalm 105. nam cum in præſenti vita locus detur miſericordiæ omnis diuini cultus intuitus ad miſericordiam præſtandam dirigitur; ſed quia terminata vita, tempus etiam miſericordiæ terminatur, Deus nonniſi vt puniat peccatores inſpiciet? Sic de ſuis Iſraelitis loquitur Dauid, Pſalm. 105. v. 44. *Vidit cum tribularentur, & audiuit orationem eorum.* Iudex enim antequam ſententiam in reum dicat ipſum audit multoties, & vt poſſit ei præſtare aliquid miſericordiæ, ſed poſtquam ſententia lata eſt, non poteſt eum videre niſi vt corripiat; nam reuocare ſententiam ad iudicem minimè ſpectat, ſed ad Principem. Deus dũ viuit homo ſententiam ſuſpendit, & videt ipſum, vt cor eius emolliat, & ad pœnitentiam vocet, vt feciſſe cum hebræis relatus commemorat Pſalmus: ſed in iudicio lata ſententia, non videt illum niſi vt ad ſupplicia mittat. Ita relatus Doctor, *loc. cit. Aliter videt Deus peccatores in præſenti, & aliter in futuro. Nam videre Deum peccatorem in præſenti, eſt cor eius emollire; vt ſeipſum agnoſcat, & ſe corrigat: in futuro autem videt, vt puniat* Dum ergo nos Dominus per gratiam intuetur emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus; ne mortis præoccupati faucib. infandũ damnationis experiamur intuitum.

7 Diuino afflatus ſpiritu Diuinitatem in Chriſto agnouerat Petrus; cumque eum de futura paſſione diſſerentem audiret, durum ſibi videbatur Deum hominem impiis viris ad illudendum, & crucifigendum tradi; volebat fortaſſe eum in regia maieſtate fulgentem vindictam de malis, & incredulis ſumere: ſed reprehenſus à Domino eſt; nam huius Solis exortus confundebat, neque ortum iuſtitiæ ab ortu miſericordiæ ſeparabat: quapropter, vt eum erudiret, dixit Chriſtus, Matth. *c. 16. verſicul* 27. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius*: quaſi diceret. In hoc primo aduentu, vt Sol miſericordiæ ortus, nõ ad perdendum, ſed ad ſaluandum veni, ideoque labores, & crucem ſuſcepi, vt merito paſſionis meæ, malos non perderem, ſed de malis bonos facerem; in ſecundo verò Aduentu vt Iuſtitiæ Sol exoriar, & tunc in maieſtate fulgens, bonos à malis diuidens, his ſupplicia, illis præmia reddam: In hunc ſenſum Chriſti verba D. Fulgentius, *lib. 2. c. 10. de Remiſſ. pecc. pag. 664. col.* 1. ducit. *Ipſe enim noſter Saluator, & Iudex, qui nunc venit, vt ſaluet, tunc eſt venturus, vt iudicet: qui nunc venit, vt bonos ex malis pia remiſſione faciat; tunc autem venturus eſt, vt malos à bonis iuſta examinatione diſcernat.* Amplectamur ergo Saluatorem, ne Iudicem formidemus.

8 Quiſquis glaciem emollire deſiderat, & liquidam reddere Solis radiis exponit, qui placido calore ſoluens duritiem, priſtinam inducit mollitiem. Verumtamen ſi in tantum gelauerit, & in chryſtallum abierit, vt nulla ipſam emolliendi ſuperſit ſpes, non amplius Solis radiis obiicitur, ſed igne torquetur. Ideirco de Domino dicebat Dauid, *Pſ. 90. v 8. Verumtamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis*: Dominus enim vſque ad extremum diem ad emolliẽda corda noſtra gratiarum ſuarum radios mittit, quia dum viuit homo, correptioni patet, miſericordiam conſequi poteſt: ſed adueniente morte, tunc cum nulla conuerſionis ſit ſpes, neq; vlla eſt miſericordia, ſed iuſtitia ſuas exequitur partes; ſic in iudicio cum Dominus peccatores aſpicit, vtique puniendos agnoſcit: ita D. Bernardus, *ſer. 8. in Pſ. Qui hab. pag. 141. lit. D. Erit .n. iam tunc nõ miſericordiæ, ſed iuſtitiæ tempus. Neque vlla omnino credenda eſt erga impios futura miſeratio, vbi nec vlla ſperanda eſt correctio.* Ita enim indurat cor peccatoris mortis caſus, vt nulla emolliendi remaneat ſpes; & ideo nonniſi iudicium expectat, qui moritur ſine pœnitentia.

9 Alio in Pſalmo ſibi ipſi contrarius videtur Propheta: nam ſuauitatem Dei commendans æternã ei attribuit miſericordiam: & ſtatim eum iuſtum appellans, etiam iuſtitiam ſempiternam promulgat. *Laudate*, inquit, *Pſ. 99. v. 5. nomen eius, quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternum miſericordia eius, & vſque in generationem, & generationem veritas eius.* Semper Dominum laudare debemus, & quia miſericors, & quia iuſtus eſt, quæ ſententia ſpem inducit, & timorẽ ſuggerit. Quis eũ deſperabit propitiũ cuius miſericordia vſq. in æternum extenditur? ſed quis non timebit eum, cuius iuſtitia nec ſæculorum fine terminatur? Ergo ſimul & ſperare, & metuere debemus? Vtique ſed non pro eodem tẽpore, tempora diſtinguenda ſunt, dum in præſenti vita ſumus, quia miſericordiæ tẽpus eſt, ſemper ſperare debemus, in iudicio verò ſem-

per timendum eſt; nam qui in primo aduentu vt Sol miſericordiæ ortus eſt, in ſecundo, vt Iudex, iuſtitiæ Sol apparebit. Fauet Tuitienſis Abbas, *in Pſalm. 99. tom. 1. pag. 536. col. 2. Hic quoque Pſalmus ſpem ſimul atque metum prudentibus incutit auditoribus. Quoniam ſuauis eſt Dominus in æternum miſericordia eius, in hoc ſperandum eſt: & vſque in generationem, & generationem veritas eius; hic metuendum eſt, quia verax eſt. Quia in primo aduentu in multitudine miſericordiæ venit ſuauis, in ſecundo verax, & iuſtus apparebit.* Speremus ergo in hunc Solem, & dum dies eſt propitium nobis reddamus, ne eius iuſtitiam experiamur.

10 Apud veteres Iudices Radamantus tanquam iuſtitiæ cultor integerrimus celebratur; ea propter ab ethnicis in Inferno conſtitutus eſt Iudex; neque enim vllo aut fauore, aut iniuria à iuſtitiæ tramite flecti potuit: neque ſua allegoria vacat hæc fabula, vt ſignetur diuinus Iudex, qui in die Iudicii inflexibilis erit. Cuius firmitatē, & coniudicum Apoſtolorum declarans Pſalm. 140. *v. 6.* ait: *Abſorpti ſunt iuncti petræ Iudices eorum*. Nos enim per petram ſtabilitatem, & duritiem intelligimus: maximè ergo in iuſtitia immobiles permanebunt, qui lapidi comparantur, quod teſtatur D. Bernardus, *loc. ſup. cit. lit. E. Abſorpti ſunt iuncti petræ Iudices eorum; Abſorpti planè in affectum iuſtitiæ, & pæne ſoliditatem, cui iuncti ſūt, imitantes.* Habemus igitur Solem diuinum duos ortus habere, gratiæ, & iuſtitiæ: nobis oritur in miſericordia, ne ergo abutamur ea; impiis orietur in iuſtitia, Precemur eum obnixè, ne cum illorum ſorte deputemur ſuppliciis: amemus vt Patrem, ne Iudicem timeamus.

§. III.

Impij Dei aſpectum ferre non poſſunt.

1 O*Rtus eſt Sol, & congregati ſunt, &c.* Statim ac Sol formoſiſſimus oritur, ac ſuis radiis vniuerſum colluſtrat orbem, omnia noua luce decorantur, gaudendo vtique ſuam pulchritudinem à tenebris vindicatam fulgere: ſolæ autem Beſtiæ ſylueſtres deteſtantur lucem, oderunt Solem, & ad eius ortum abſconduntur; cum enim aliorum cæde fedatæ ſint illam oderunt lucē, quæ tantam redarguit crudelitatem. Haud ſecus impiis euenit: Hi cum diuinæ legis tranſgreſſores exiſtant, ac Dei contemptores, hominum calumniatores, bonorum raptores, adulteri, ac huiuſmodi criminibus fædati, venire in conſpectū diuini Solis non audent; & ſi detur fugiendi locus, eo viſo ſecedunt. Primi omnium maligni ſunt ſpiritus, qui ideo libentius in obſcuris degunt locis, ne diuinam videant lucem: hinc eſt, quod ad Chriſti ſeruatoris aſpectum fugiebant, ne de ſuis erroribus arguerentur; vt docet Ven. Ang. del Pas, *in ſymb. Apoſt. libr. 4. pag. 88. col. 1. Haud ſecus quam noctuæ, ac veſpertiliones Solis præſentiam, egrè ferebant maligni ſpiritus Chriſti præſentiam. Hinc dictum legimus: ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.*

2 Optima vtique comparatio veſpertilionis ad peccatorem, lucis enim aſpectum, nonniſi cæcutientes oculi deteſtari poterunt. Sæpè ſæpius contingere obſeruamus, quod ii, qui vel ex infirmitate, vel ex alio caſu oculos debiles habent, Solis fulgentem minimè patiuntur lucem, & ſi ſolares radii apparuerint, ſtatim aufugiunt, & ſe in abditiſſimis claudunt cubiculis; oculorum enim inualida acies, tanti luminis intuitu deficit, & langueſcit. Heu miſerrimos peccatores, qui mentis acie per prauam conſuetudinem deprauata, Solis diuini radios intueri non valent; ſicque in eius aſpectu permanere non poſſunt: vnde fatebatur Propheta, *Pſ. 5. v. 5. Neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos*: cuius rationem mox aſſignatam huius rei reddit D. Auguſtinus, *in Pſ. 5. pag. 11. col. 2. lit. B.* inquiens: *Quia oculi eorum, ideſt mens eorum reuerberatur luce veritatis propter tenebras peccatorum, quorum conſuetudine fulgorem rectæ intelligentiæ ſuſtinere non poſſunt.* Et quomodo ſuſtinebunt fulgentiſſimos Diuinitatis radios oculi deprauati? Equidem, ſanos oculos, rectam mentem habeat oportet, qui imperturbata acie Chriſtum intueri deſiderat.

3 Apud mulieres viget iam conſuetudo, faciem, ac pulchritudinem ſuam in ſpeculo contemplari; & quæ formoſæ ſunt propria forma delectatæ oculos ab illo amouere numquam vellent; aliæ verò vt eminentem pulchritudinem in publicum proferant ad ſpeculi conſilia confugiunt, vt eo maculas commonſtrante, emendēt ipſæ quod turpe videri poteſt. At quæ deformes omnino ſunt, quæ ſenectutis tabem amplius tegere non valent, ſpeculum deteſtantur, eiuſque intuitum deuitant, ne turpitudinem ſuam agnoſcant. Animæ pulchræ, quæ bonorum operum perfectione nitent, de Chriſti præſentia gaudent; nam in eo, veluti in quodam ſpeculo ſuarum virtutum imaginem vident. Pœnitentes licet aliquam habeāt turpitudinem, quærunt Chriſti ſpeculum, vt ſe corrigant, ad meliorem vitam conuerſæ. Quæ verò in malis ita ſenuerunt, vt ex praua conſuetudine ſurgere nolint, ſpeculum deteſtantur, à Chriſti luce abhorrent, ne ſcilicet praua opera à tanto lumine manifeſtata redarguantur. Hoc ipſemet Chriſtus docuit Nicodemum, dicens, Ioann. *c. 3. ver. 20. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Eleganter proſequitur Cardinalis Hugo, *in Ioann. pag. 299. column. 2. Quando enim venit homo peccator ad lucem, ideſt ad Chriſti doctrinam, vel conſiderationem, videt in ſpeculo ſuas fœditates, & ideo non venit ad lucem. Sicut dicitur de muliere turpi, quæ non ſe reſpicit in ſpeculo, quia moleſtum eſt ei ſe videre.* Non ergo ſpeculum amat, qui turpis eſt; Chriſti præſentiam impius non expectat.

4 Nil Sole lucidius mundus habet, cuius lumen omnia viſibilia reſpiciuntur: Nihilominus tamen, licet per Solem alia cognoſcamus, ipſum Solem intuitiuè non cognoſcimus, nam humanus oculus impar ad tantam lucem ipſum intueri nequit: videmus eius radios, lumen, & in confuſo eius globum, tamen ipſum intueri, vt alias res, minimè valemus. De ſola enim Aquila fertur, quòd Solem imperterrita intueatur. En humanæ cognitionis imperfectum experimentum: ipſum Solem, quem quotidie cernimus, adhuc intuitiuè non nouimus. Hoc iacto fundamento, facilem ſolutionem inueniemus, ad intelligenda Ioannis verba. Etenim ille de Domino loquens, lucem appellat: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*; & tamen ſubdit. *In mundo erat, & mundus eum non cognouit, cap. 1. verſ 9.* Quomodo ergo præſentem lucem agnoſcere mundus non potuit, ſi per lucem omnia cognoſcuntur? Quia ſcilicet nulla reperiebatur Aquila, nullus erat mundus oculus, qui tantum Solem reſpicere intuitiuè valeret, & cum immunditia oculum à viſione deturbet, immundus mundus præſentem Redemptorem non vidit, vt placet Diuo Auguſtino, *in Pſalm. 6 pagin. 14. column. 2. lit. A. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Si ergo in mundo erat, & mundus eum non cognouit, noſtra immunditia non fert eius aſpectum.* Sed poſtquam prædicata eſt Chriſti doctrina, & cęperunt homines rectè viuere, cognitus eſt Sol iſte, in Aquilarum ſimilitudinem roborata Sanctorum oculorum acie.

5 Ratio verò, cur homo Solem non intuetur, ea eſt, quia humanus oculus debilis excœcaretur, vt experientia docet, ſic eadem Solis lux Aquilam illuminat, excœcat hominem: haud ſecus Chriſti fulgens præſentia, bonos ac pios, velut Aquilas ad cœleſtia properantes illuminabat, impios verò, & incredulos excœcabat. Vt autē hoc manifeſtum ſit, Pharaonis interitum conſideremus. Fugientib. Iſraelitis, & eos perſequente Ægyptiorū Rege mare rubrū occurrit, tūc Deus vt Iſraelē defēderet, ac Ægyptios perderet, fecit, vt colūna illa, quæ præcedebat Dei populū retrocederet, & īter vtrūq. exercitū ſe collocaret,

Digitized by Google

caret, & aduertendum eſt, illam nubem appellari à diuina ſcriptura tenebroſam, & illuminantē Exod. c.14. v.20. *Et erat nubes tenebroſa illuminās noctē:* Sed ſi tenebroſa erat, quomodo illuminabat? ſi lucida, quomodo tenebroſa? lucida erat, ſed Iſraelitis lumē cōmunicabat, Ægyptios verò luminis abundantia excæcabat, & ideo tenebroſa dicitur, vt teſtatur Rupertus Abbas Tuitien. *lib.2. c.35. in Exod. tom 1. pag.236 col 1.* quia in Ægyptiorum oculos cœcitatis tenebras inducebat: *Sed quomodo vna eademque columna, & nubes tenebroſa, & noctem illuminans erat, niſi quia ſecundum diuerſa, imò contraria merita; vna, eademq; virtus, pijs lucebat; impios excæcabat?* Quicumque ergo Chriſti præſentiam ferre, ac tantæ lucis illuſtrari radijs optat mundet mentis oculum, & ſuperna contemplando aquilinum reddat, vt ſic & ipſe illuminatus effulgeat.

§. IV.

Qui cecidit ſperet, quia per pœnitentiam redibit ad gratiam.

1 ORtus eſt Sol, & congregati ſunt. Nigra tectus caligine mundus, noctis tenebras patitur; ac vltra laruarum terriculamenta, Ferarum patet occurſus homo; nec alia ſpes ſupereſt, niſi quòd ad Solis exortum; effugient tenebræ, laruę recedent, congregabunt ſe beſtię: de quibus dicitur: *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt.* Haud minorem incurrit noctem peccator, nam peccatorum tenebræ iniquorum cordibus dominantur; diabolicæ vigent illuſiones, infernales excurrunt beſtiæ, nec in tanta tenebroſitate, aut ſalutis, aut virtutis aditus patet: vnica tantum ſpes ſupereſt, Solis reditus: nam ſi facti pęnitens, ad Dominum peccator conuerſus fuerit, ſtatim illi Sol exoritur Iuſtitiæ, recuperat gratiæ lumen, abſcedūt peccatorum laruæ: ac infernales belluæ cor eius derelinquentes, in tartara fugiunt, ibique ſe coudunt. Non ergo deſperet qui peccando cecidit, nā ſi pœnitebit, ad gratiam redibit, lucem recuperabit: id ſuadet D. Hieronymus. *Nō triſtetur ille, qui cecidit, ſed pœnitentiam agat: oritur illi Sol Iuſtitiæ, & fugiunt ab eo beſtiæ, & peccata, & efficitur talis, qualis antea fuit.*

2 Spes igitur futuræ gratiæ in peccatoris corde radicari debet, qua immobiliter permanente, orietur ei procul dubio Sol diuinus; ſpes enim anchora eſt, quæ iuſtitię nauem ſecundis auris velitantem detinet. In Exodo iubetur ſummus Sacerdos ſemper ferre ſuperhumerale, & in eo rationale Iudicii, ſed obſeruandum eſt, quod ad illud retinendum non catenulæ tantum aureæ, ſed & vncini ex auro fabrefacti ſūt, Exod. c.28. v.13. *Facies & vncinos ex auro, & duas catenulas ex auro puriſſimo.* Nulli dubium eſt iuſtitiam diuinam in rationali iudicii adumbrari; de vncinis verò quærere poſſet aliquis quid in Sūmo Pontifice Chriſto ſignēt: ſed id ſoluet Rupertus, *lib. 4. c.23. in Exod. tom.1. pag.278. col.1.* Nil aliud .n. quam ſpem miſericordiæ vncinus in rationali ſignat; nam cū iuſtitia ad puniēdū currit peccatores, ſpes gratiæ in corde peccatoris poſita iuſtitiā detinet: ita ille. *Notandum quod in ſuperhumerali, non ſolum catenulæ, ſed & vncini ſunt, qui rationale Iudicij conſtringant; quia videlicet in miſericordia Redemptoris, noſtræ ſpei anchoræ ſunt, vt ſemper miſericordia ſuperexaltet iudicium.* Dulcis Anchora, quę noctis tempeſtates ſuſtinet, donec Sol oriatur.

3 Arbores, & Plantæ cum cultu carent ſylueſtres euadunt; & fructum vel nullum, vel agreſtem, & imperfectum reddunt; non tamen omnino reiiciendæ, excidēdæ ſunt, ſed ſpes ſupereſt, ſi ſcilicet in bonis inſertæ fuerint. Eodem prorſus modo, cum Adoleſcentuli carent duce, & præceptore, nemine corrigente, intemperati, & vitioſi euadunt; qui tamen deſperare non debent, nam inſerti per gratiam in Eccleſia, boni, at virtutibus prædi-ti euadere poſſunt. Gentiles omnes ſylueſtres Arbores erant, & velut oleaſtri amarū fructū reddebāt; è contra Iudæi oliuæ erant abundātes, ac fœcūdiſſimę fructificātes dulces meritorū fructus, ſed multi huius oliuę rami ſiccati ſunt, non credentes in Chriſtum, & tunc oleaſtri rami huic oliuæ inſerti, fidei fructum dedere: vt Paulus Romanis teſtatur, *c.11. v.17. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt; tu autem cùm oleaſter eſſes inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus.* Idipſū peccatoribus accidit, nam ſpem veniæ habentes per gratiam denuò inſeruntur Eccleſiaſticæ oliuæ, & amaritudine derelicta dulces meritorum fructus producunt: audi D. Bernardum, *lib. de ordin. vit. pag.280. lit. E. Nemo tamen poſitus in adoleſcentiæ, vel intemperantiæ lubrico, de ſui conuerſione deſperet. Oleaſter enim oliuæ inſertus, amiſſa amaritudine efficitur fructuoſus.* Nullam non habet ſperandi occaſionem, qui tot in dies ad ſanctitatem conuerſos intuetur.

4 Vetus ſpei ſymbolum Anchora eſt, dum ergo iactatur fluctibus Nauis Anchoram in arenam figit, & ita firmatur. Illud autem obſeruandum eſt parum iuuare Anchorā niſi in ſolido fundo firmetur; vt inde nos colligamus, ſpem noſtram, in mundanorum fluctuum tempeſtatibus, quæ vitæ noſtræ nauim iactant, in ſolida petra, ideſt in ipſo Deo ſtabiliendam fore: tunc enim liberati diuina ope cuncta nobis aduerſantia ſuperabimus: illū adiuuat Deus, qui in eum ſperat, deſperantem non reſpicit. Quod ipſemet per Prophetam teſtatur, Pſalm. 90. v.14. *Quoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum,* & paulo poſt, *v.15. cum ipſo ſum in tribulatione eripiam eum.* En firma ſpei Anchora, quæ in Deo ſtabilis ipſum adiuuantem, & cōpatientem facit, in quo miram Dei liberalitatem notat D Bernardus, *ſerm.15. in Pſ.90. pag.68. lit. K. Dulciſſima liberalitas in ſe ſperantibus non deeſſe. Hoc enim totum hominis meritum ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſaluum facit.* Anchora in tam firma petra fundata nauem humanam periclitari non permittet.

5 Sed ad aliam, haud hac ignobiliorem, ſimilitudinem tranſeamus. Mortuo ſimilem peccatorem, qui Deo iam periit, omnes fatentur: quia verò multoties homines re vera mortui non ſunt, licet exterius immobiles, & nullum ſenſuum vſum habeant; vt diſcernantur totaliter defuncti, ab his, qui adhuc viuentes, ſpem recuperandi ſanitatem habere poſſunt, cordis pars extima tangitur, quod ſi calor inibi reperiatur, viuens eſt, & adhuc ſalutis ſpem habet; ſi frigus ineſt, omnino mortuus eſt. Peccatores mortui reputantur: in quibus ſi calor eſt, ſi ſpes adeſt, adhuc recuperandi Dei gratiam indicium eſt, ſed ſi ſpe ſunt deſtituti tandem peribunt. De his loquebatur Ieremias, cum dicebat; *c.31. verſic.2. Hæc dicit Dominus: inuenit gratiam in deſerto populus, qui remanſerat à gladio: vadet ad requiem ſuam Iſrael.* Quia verò hæc verba obſcura ſunt, Septuaginta tranſlationem promamus. *Hæc dixit Dominus: Inueni calidum in deſeto cum iis, qui perierant gladio: ite, & nolite interficere Iſrael.* Quaſi diceret Dominus. In huius ſæculi deſerto multi ſunt peccatores à Diabolo tentationibus, & vitiis interfecti, & miſerabiliter iacent, ſed inter ipſos inueni aliquos calidos in corde, ideſt ſpem bonam in Deo ſuo habentes, qui vtique ad vitam, & gratiam priſtinam redibunt. In cuius confirmationem ait Gloſſ. Interlin. *Vadet ad requiem ſuam Iſrael quamdiù ſperauit.* Huiuſmodi autem inter infideles, ac iam mortuos Iſraelitas, Apoſtolos, ac Fideles extitiſſe, docet Diuus Hieronymus, *in Ierem. pag in 297. lit. E. Dominus inuenit calidos, atque viuentes Apoſtolos, & ſocios eorum in deſerto gentium, inter eos, qui infidelitate ſua interfecti fuerant, nec habebant calorem vitæ.* Non à communi gentium vitiis, & peccatis inuolutarum conditione maior Apoſtolorum pars diffidebat, ſed quia ſpem habebāt, ad vitam Chriſto prædicante reuerſi ſunt.

6 Sed quid plura? Nonne mortuus prodigus ille filius cenſebatur: dum qui luxurioſè viuendo, cra-

Digitized by Google

palis, & laſciuiis indulgendo paternam dilapidauit ſu- bſtantiam? vtique mortuus ſine gratia Dei, ſpoliatus vir- tutibus, à gregibus immundarum beſtiarum, hoc eſt vi- tiorum, ſeptus, in penuria ſpiritualis alimenti poſitus, e- ſuriebat, ſed nec humanis cibis, & terrenis expleri pote- rat, qui diuina deſpiciebat, Luc. *c.15.v.16. Cupiebat im- plere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Namque hæc eſt iniquiſſimi mundi conditio, vt multa temporalia bona promittat, vt deci- piat, nam allectum hominem vti promiſſis bonis non pa- titur. Hæc ſecum peccator ille optimè penſans ad Patrē ſuum Deum redire conſtituit, *v.18. Surgam, & redibo ad Patrem meum.* Et cum euentus ad votum contigiſſet paternæ gratiæ redditus; ac prioribus bonis ditatus eſt. Sed quæſo? Nōne hic peccando penè mortuus cenſeba- tur? quomodo ergò tam citò reuixit? Quia videlicet, om- nibus alijs virtutibus perditis, ſpes adhuc remanſerat; & quia in Deum ſuum firmiter ſperabat, meruit per pœni- tentiam eius gratiam recuperare, Ita Chriſologus, *ſerm. 2 de duob. fil. pag 248. col. 1. Surgam, & ibo ad Patrem meum: Qua ſpe, qua fiducia? Illa qua Pater eſt: ego perdi- di quod erat filij, ille quod Patris eſt non amiſit. Vrgentur Patris viſcera iterum Filium paritura per veniam.* En quomodo Sol Iuſtitiæ omnibus, qui ſperant in eum per pœnitentiam conſueuit oriri. Nos igitur, qui à pecca to- rum tenebris minimè elongamur, ſperemus lucem, & pœnitentiam agentibus ſtatim Iuſtitiæ Sol Orietur.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimusſecundus.

Orta eſt vt Sol illuminans, & congregati ſunt, vt illuminentur in cordibus ſuis.

GAudete, ò mortales; plaudite manibus omnes, qui diligitis Dominum; Sol enim lucidiſſimus ortus eſt nobis; Sol qui non nouit occaſum, qui tenebras peccatorum propellit, qui gratiæ radios diffundit, qui hominum corda lætificat, Sol hic diuinus, fulgentiſſimus, ſpecioſiſſimus MARIA eſt: Iterum ergo gaudete: nam quæ Mater miſericordiæ eſt, nulli ſuos denegat radios, interceſſionem abſcondit, Vnde mellifluo teſtatur ore, eius deuotiſſimus ſeruus Bernardus, *apud D. Bonauent. Cardin. in ſpec. lect. 3. tom. 6. pag. 455. columm. 1. lit. F. Mariæ præſentia totus illuſtratur Orbis; & ipſa iam Cæleſtis Patria clarius rutilat virgineæ Lampadis irradiata fulgore.* Quis non cupiat tantis adornari fulgoribus? Nox receſſit, appropinquauit dies, tenebræ diſparuere; nam Sol Marianus illuxit nobis.

Virgo Maria Sol eſt, vniuerſum Mundum illuminans.

1 ORta eſt, vt Sol illuminans: Sapientiſſimus Ieſus Sirachides, vt diuinæ maieſtatis contemplationē ſenſibus humanis obiiceret Solis comparatione vſus eſt. Quandoquidem, & nos in rebus mortalibus, vt Artificis alicuius induſtrem ſapiētiam demonſtremus, illius opus excellentiſſimum oſtendimus; quid nobis Zeuſis, Apel- lis, Praxitelis, & Phidię excellentiam memorat, niſi ope- ra, quæ diu duratura ſuperſunt, in quibus Artificum ſo- lertia ſplendet? Iure merito ergo Sapiens iſte, vt diuinam Sapientiam contemplaretur, opus Dei excellentiſſimum, nempè Solem propoſuit, dicens, Eccli. *c.42. v.16. Sol illu- minans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius.* Nil Deo Luce ſimilius: quæ eius maieſtatem in ſplendore, eius beneficentiam in illuminatione, eius pro- uidentiam in fœcundatione, eius gloriam in claritate, eius ordinem in motu, eius amorem in calore repræſen- tat: omnes illuminat, omnibus prodeſt, omnia fouet. Soli ſimillima Virgo mater eſt; nam ſicut ille inter opera na- turæ illuſtriſſimum apparet, ita hæc inter gratiæ prodi- gia excellentiſſimum iudicatur: Sol plenus eſt luce, Ma- ria gratia; ille in ſplendore fulget, hæc in gloria rutilat; il- le oculos clarificat, hæc ſanctificat animas; ille Stellas & terram lumine complet, hæc Angelos, & homines gloria replet: ille in Cœlo micat, hæc in Paradiſo rutilat. O Be- nedicta Deipara, ò Sol Diuinitatis ſpeculum, ò Lumina- re gratiarum pleniſſimum. Quapropter Seraphicus Bo- nauentura, *loc. cit.* vt gloriam Dei in Maria oſtenderet Eccleſiaſtici verbis vſus eſt. *Sol illuminans per omnia re- ſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius: Sol illumi- nans eſt Maria, quæ eſt pulchra vt Luna, electa vt Sol: pulchra vt Luna per gratiam, electa vt Sol per gloriam. Gloria enim Domini plenum eſt opus eius: opus enim Do- mini excellentiſſimum eſt Maria. Hoc opus ſicut fuit ple- num gratia in mundo, ſic plenum eſt gloria in Cœlo: ſic ergo illuminans Maria in gloria ſua rutilans per omnia reſpicit; quia per omnes Sanctos, per omnes Angelos glo- riam ſuæ illuminationis extendit.* Vt fateremur pul- cherrimum hunc Solem toti mundo illuxiſſe.

2 Stellarum lumen à Sole mutuatum eſſe, vetus ſententia eſt, & quamuis noſtro ſæculo in dubium vo- catum ſit, nullus tamen de Planetis: Luna præſertim, & Venere, hucuſque negauit. Solis ergo beneficium eſt non ſolum quidquid clari, & fulgentiſſimi luminis interdiu fruimur, verum etiam quidquid debilioris il- luſtrationis per Lunam, & Stellas de nocte haurimus. Etenim, vt ſe Sol mortalibus benificentiſſimum, ac liberaliſſimum oſtenderet, & de die per ſeip- ſum, & de nocte per reflexum ſui luminis omnia collu-

Digitized by Google

colluſtrat. Clariſſimum hoc ſymbolum Mariæ eſt, quæ gratiarum ſuarum radiis orbem illuminans, nedum in æternitatis die Beatis effulget, ſed & in hoc ſæculo ſpiritualibus viris, in iſta nocte præſentis vitæ ſuis auxiliis, & inſpirationibus lucet. Huius illuminationis typum nubea illa columna geſſit, quæ filios Iſrael ex Dei mandato ducens per noctem igneam ſe oſtendebat, vt non ſolum viam monſtraret, ſed & illuſtraret; ſicuti ſcriptum eſt. Exod. *c.13. v.21. Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*. Hæc columna Maria eſt, inquit Seraphicus Doctor, *loc.cit.pag.454.col.2.lit.F.* quæ in nocte huius ſæculi ſplendore igneo Sanctas colluſtrat Animas. *Maria eſt illuminatrix per beneficia lucis diuinæ miſericordiæ ſuæ, per quam in nocte huius ſæculi illuminati ſunt ſpirituales, ſicut quandoque Filij Iſrael per columnam ignis*. Neque enim ſatis erat fulgentiſſimo Soli, ſi Diem tantummodo redderet luminoſum, niſi & ipſam noctem, quantum eius fert conditio, ſuis radiis munificentiſſimis condecoraret.

3 Lux in viſibilibus Creaturis par non habet, præſertim ſi eius munificentiam ſpectemus, omnia enim illuminata lumen quod recipiunt reddunt, nec Auaritia illa, quæ mortalium pectora poſſidet, Lucem ſubmittere poteſt. Sic Lux alias luces gignendo nil de ſuo lumine perdit, & quæ Sol illuminat, ad hoc facit, vt & ipſa alia illuſtrent illuminata. Porrò obſeruatum eſt à modernis Aſtronomis (vt videre eſt apud Blancanum in ſua ſphera) etiam Terram noſtram lumen, quod accipit à Sole ad Lunam reflectere, ſicut Luna ad terram, aliquantulo tamen Luna debilius; nam corpus lunare, cum ſit candidum, ad reflectendos radios validius eſt. Hoc in nouilunio à multis, & à me quoque obſeruatum eſt, quod etiã Seneca obſeruaſſe ſe ait, licet non appellet lumen terrenum. Sol Chriſtus eſt, qui Terram ideſt Mariam gratiarum ſuarum lumine quam maximè colluſtrauit, quod lumen Virgo ad Lunam, ideſt Eccleſiam reflectens, illã ſuarum virtutum exemplis, morum honeſtate, beneficiorum largitione, præmiorum impetratione illuminauit. Reuocetur, quæſo, in memoriam Apocalipſica illa viſio, in qua Apoſtolo prophetanti viſus eſt Angelus fulgentiſſimus, qui de cælo deſcendens ſuæ gloriæ ſplẽdore terram vniuerſam illuminauit; *Vidi alterum Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem poteſtatem magnam, & Terra illuminata eſt à gloria eius.* Qui Angelus cum ſit Chriſtus, Terram, ideſt Matrem illuminauit, vt eſſet illuminata, & illuminatrix. Ita citatus Doctor *loc.cit. Filius Dei eſt magni conſilij Angelus: Terra verò illuſtrata à gloria eius eſt Maria; quæ ſicut illuminata fuit gratia eius in mundo, ita nunc illuminata eſt à gloria eius in Cœlo. Propter quod conſiderandum eſt; quòd Maria eſt illuminata illuminatrix, per exempla, per beneficia, per præmia*. Vt ſic omnes illuminaret.

4 Cum ortus Solis beneficia ſuperiùs recenſeremus, illud præ cæteris celebrauimus, quòd eius aduentus nocturnas tenebras pellat, ac mundi pulchritudinem manifeſtet: Quandoquidem, & in ipſo mundi exordio, ante lucis creationem, elementa reliqua, Terra præſertim inornata, vacua, & incompoſita cenſebatur: nulla enim vel forma decora, vel pulchritudo formoſa, vel pulcher ordo, deficiente lumine, apparet: quare primogenia viſibilium creaturarum lux extitit, vt opera poſteriora ad luminis examen expoſita pulchra, bonaque viderentur: Scriptum eſt autem, Geneſ. *c.1.v.2. & v.3. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, &c. Dixitque Deus fiat lux*. Qua effecta mundus totus à tenebris vindicatus eſt. Enim verò tenebræ illæ, à quibus ſolutus eſt mundus, materiales fuere; remanſerunt tamen crudeliores tenebræ, & denſiores, in hominum cordibus, ſcilicet peccata, à quibus liberatus eſt mundus ad alterius lucis exortum, ſcilicet ortum Mariæ, quæ omnes creaturas illuminando, peccatorum tenebras propulſauit: Quid ni fugerent tenebræ ad tam luminoſi Solis aduentum? nulla luci conuentio ad tenebras, nulla Mariæ cum peccato familiaritas. Eapropter ait Theſſalonicenſium Præſul Iſidorus, *orat.1.pagin.1. Terra inquit in principio nec videri poterat, nec erat ordine compoſita, & tenebræ ſuper abyſſum erant, donec lucis creatio tenebras diſſipauit. Ego vero etiam poſt natos homines, & multorum vitam annorum, aliud genus tenebrarum effuſum vniuerſo dixerim; donec tu puriſſima Beata Virgo lucida tua natiuitate effulſiſti terræ, cuius ſplendor deorſum quidem emicuit, ſed creaturam ſuperiorem, & inferiorem luce ſua impleuit.* Et benè omnia luce repleuit, quæ vt Sol, vel minimas tenebras effugauit.

5 Vt de nocte lumen excipiant, ac conſeruent homines, conſueuere aliquam parare lucernam, vas ſcilicet oleo, vel ſimili liquore plenum, quo conſeruetur ignis exceptus, totamque colluceat noctem: quare nec defuere, qui Soli etiam, eo quod illuminet diem, nomen lampadis, ſeu lucernæ dederint: vnde ait Vrigilius, *lib.5. Æneid.* de oculo Poliphemi gigantis in Sicilia, quòd eſſet;

Argolici clypei, aut Phebeæ lampadis inſtar.

Non immerito igitur & Deiparam Virginem Lucernã appellabimus, quæ gratiarum abundantia plena lumen ipſum diuinum recepit, & eo mundum vniuerſum illuſtrauit. Quò, ni fallor, reſpexiſſe videtur Pſaltes, dum ex nomine Dei loquens, inquit, Pſal.131.v.17. *Paraui Lucernam Chriſto meo*. Vt enim lumen illud æternum de diuino lumine manans ad illuminandum mundum viſibile fieret, neceſſe fuit incarnari, nunc in hac virginea exceptus Lucerna vniuerſo illuxit: quod Leo Auguſtus *orat.3.pag.49.* teſtatur. *Salue Lucerna, ex qua ſplendor Patris eluceſcens, cum mundum Genitori templum dedicaſſet, eumdem cognitionis ſuæ luce colluſtrauit*. Nobilis profectò Lucerna, quæ diuinum lumen excipiens mundo communicat.

6 Sed ne reputes hanc Lucernam peculiarem eſſe, ex his videlicet, quæ vel vni cubiculo, aut vni familiæ lucent; nam publica eſt, omnib. lumen expandens. Latere vos quidem non credo, quod in marinis portib. ædificari ſoleat Turris aliqua, in cuius ſummitate Lucerna collocatur, vt naues, quæ de nocte per mare ferũtur, viſo lumine, ad portum, dirigantur, ac viam facil iter inueniant: Hinc inuentionem Ægypti Regibus tribuunt, qui in turri quadam, quæ Pharos dicebatur, iuxta Alexandriã lucernam poſuere: & ideo hoc nomen Pharos etiam nũc Lucernæ, ſeu Turri in portu ſitæ, tribuitur. Hæc Pharos luminoſiſſima Maria eſt: ipſa namq; ſua claritate nobis ad ſalutis æternæ portũ, iter demonſtrat, à ſcopulis peccatorum liberat, à Pyratarum infernaliũ inſidiis ſaluat: Quapropter de ea dicere poſſumus, Pſalm.35. *verſ.10. In lumine tuo videbimus lumen*. Richardus verò à S. Laurentio propter exemplorum ſplendorem Pharos vocat, *lib.11. de laudib. Virg. col.650. lit. A.* inquiens, *Pharos luminoſa, luminoſitate exemplorum ſuorum monſtrans nobis viam rectam, & portum ſalutis æternæ; & conſeruans ſeruos ſuos à ſcopulis peccatorũ, ſi præuiderint Dominam in conſpectu ſuo ſemper.* O vos omnes, qui in nocte præſentis vitæ, mare ſæculi nauigatis, ſi perire nõ vultis, Lucernam hanc aſpicite; Lucerna eſt, illuminabit; Pharos eſt, portum monſtrabit; qui eam ſemper præ oculos habet, numquam periclitatur.

7 Obiiciet fortaſſe aliquis. Cur Solem dicitis Virginem, cum ex Prophetis habeamus ipſam vocari Stellã? Scriptum namque eſt, Num. *c.24. ver.17. Orietur Stella ex Iacob.* Si Stella eſt, Sol non erit. Quomodo ergo Soli comparatur? Sed hîc aduertendum eſt, duo nomina Planetas, & reliqua ſydera, habere, proprium, & commune; commune eſt nomen Stellæ, ſeu Sydetis, quod omnib conuenit, ſic Sol, Luna, Saturnus, Iuppiter, &c. Stellæ dicuntur; propria verò nomina ſunt illa, qua vna Stella dicitur Sol, alia Saturnus, alia Venus, &c. hinc Eccleſia, in hymno quodam, Solem lucis Stellam nuncupat.

Iam Lucis Orto Sydere.

Digitized by Google

Stella ergo Maria eſt, ſed ſtella lucis, cuius tantus eſt ſplendor, vt vniuerſum orbem illuminet; ſydus ſecum lucis fontem adiunctum habens, & illuminans tam cœleſtes intelligentias, quam terrenos homines: & ideo, vt vult D. Bernardus, *Hom. 2. ſup. miſſ. eſt. pag. 7. lit. C.* dicitur ſtella ex Iacob orta, *Ipſa eſt præclara, & eximia ſtella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat; cuius ſplendor etiam in ſupernis fulget, & inferos penetrat.* Viuat, viuat Maria, ſtella fulgida, Sol illuſtris, lucis ſydus, Pharos lucida Paradiſi.

RADIVS QVARTVS; EXPOSITIO ALEGORICA.

O*Rtus eſt SOL.* De Sole tum vero, tum allegorico multa in ſuperioribus tradita ſunt; hìc tantummodo de eius exortu egimus, vnde & de Ortus allegorijs eſt agendum; nec non & de congregandi ſimilitudinibus: quia vero in hebraica litera, loco *collocabuntur*, legitur, *cubabunt*, de cubare, & cubilibus, ſeu cubiculis aliqua colligenda ſunt.

SVMMARIVM.

1 *De Ortus allegoricis acceptionibus.*
2 *Congregare allegoricè quid importet.*
3 *De Cubare, Cubilis, & Cubiculi ſimilitudinibus.*

§. I.

De Ortus allegoricis acceptionibus.

1 O*Rtus eſt Sol.* Oriri idem eſt quòd naſci, & ortus natiuitas. Et primò oriens dicitur Chriſtus: de quo Euangelium, Luc *c. 1. v. 78. In quibus viſitauit nos oriens ex alto*, & D Hieronymus, *in c. 3. Zaccar. tom. 5. pag. 259. lit. G. In Euangelio quoque de Chriſto apertiſſime legimus: in quibus viſitauit nos oriens ex alto: qui oriens ipſe dicitur.*

2 Ire ad orientem eſt contemplari diuinam Maieſtatem, de quo Iob, *c. 23. v. 8. Si ad orientem iero*, & ibidem D. Gregorius Magnus, *lib. 16. c. 15. mor. pagin. 673. lit. D. Ad orientem quippe imus, cum mentem in conſideratione maieſtatis eius attollimus.*

3 Oriri veritatem de terra, eſt Chriſtum Dominum de Virgine naſci; vnde Pſalm. 84. *v. 12. Veritas de terra orta eſt*, vbi Lyranus, *Hic conſequenter deſcribit modum natiuitatis Chriſti, quia natus eſt de Virgine, & hoc eſt, quod dicitur Veritas, ideſt Chriſtus De terra orta eſt, ideſt de Virgine, quæ terra vocatur, illa enim quæ oriuntur de terra, non oriuntur ex commixtione maris, & fœminæ, & ſic Beata Virgo concepit, & peperit ſine viri conſortio.*

4 Oriri Solem eſt veritatem apparere, & Solem occidere eſt veritatem abſcondi; vnde dicitur Eccle. *c. 1. v. 5. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur*, & Richardus à S. Victore, *de ſtat. int. hom. c. 27 pag. 51. col. 2. lit. C. Oritur enim Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, quia veritatis intelligentia modo datur, modo ſubtrahitur, & poſt ſubtractionem, iterū eadem, quæ prius, gratia recuperatur.*

5 Oriens eſt Chriſtus, & omnes Chriſti fideles orientales dicuntur, vnde de Iob, *c. 1. v. 3.* dicitur; *Et erat vir ille magnus inter omnes orientales.* Vbi Magnus Greg. *lib. 1. c. 6. mor. pag. 322 lit. A. Quòd Redemptor noſter oriens dicitur, Propheta teſtante perhibetur: Et ecce vir oriens nomen eius: Omnes ergo, qui in hoc Oriente fide conſiſtunt, rectè orientales vocantur.*

6 Ortus Auroræ eſt reſurrectio Eccleſiæ ad gloriam in nouiſſimo die, de qua Iob, *c. 3. v. 9. Nec ortum ſurgentis Auroræ*, vbi citatus Doctor, *lib. 4. c. 23. mor. pag. 391. lit. C. Ortus verò Auroræ eſt illa noua natiuitas reſurrectionis, qua Sancta Eccleſia, etiam carne ſuſcitata oritur ad contemplandum lumen æternitatis. Si enim ipſa carnis noſtræ reſurrectio quaſi quædam natiuitas non eſſet, de ea Veritas non dixiſſet: In regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ.*

7 Oriens eſt falſa lux terrenæ proſperitatis, hinc de Philiſtiim legitur, 1. *Reg. c. 13. v. 5. Caſtrametati ſunt in Machmas ad Oriētem Bethauen*, & ibi idem Gregorius, *lib. 5. in 1. Reg. pag. 217. lit. E. tom. 1. Ab Oriente quidem lucem Solis oriri cernimus. Reproborum autem vita quã quam veritatem obſcuritatis habeat: qui hanc tamen pro ſæculi vana delectatione ſemper appetunt, nimirum velut falſæ lucis ſplendore falluntur.*

8 Oriens lux ſanitatem adducens, eſt lumen ſcientiæ, & veritatis fugans errores, & peccato, de quo Iſai. *c. 58. v. 8. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citò orietur*, vbi D Hieronymus, *libr. 16. in Iſai. pag. 192. lit. A. Sicut enim matutina lux ſoluit tenebras, ita lumen ſcientiæ, & veritatis omnes errores fugat. Et ſanitates, inquit, tuæ cito orientur: pro quo Aquila poſuit*: Et *cicatrix vulneris tui citò obducetur: vt ſcilicet vulnera peccatorum noſtrorum ad Ortum Solis iuſtitiæ citò obducta cicatrice claudantur.*

9 Terra, in qua oritur panis, eſt terra fertilis; & abundans, de qua Iob, *c. 28. v. 5. Terra de qua oriebatur panis, igne ſubuerſa eſt*, vbi citatus Hieronymus, *in c. 28. Iob, tom. 8. pag. 31. lit G. Proinde mihi videtur, quia hoc loco terram Sodomorum deſcribat, cuius abundantiam, & amenitatem cum admiratione collaudet.*

10 Oritur vt Lucifer Iuſtus, cum poſt tentationem in gratia firmatur, de quo Iob, *c. 11. v. 17. Cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer*, & ibi D. Gregorius, *lib. 10. c. 12. mor. pag. 555. Iuſtus ergo cum ſe conſumptum putauerit, vt Lucifer oritur; quia mox vt tenebreſcere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur, & in ſeipſo monſtrat diem iuſtitiæ.*

11 Oriri pro frumento tribulum, & pro hordeo ſpinam, eſt de bono opere murmurationem haurire, vnde Iob, *c. 31. v. 30. Si fructus eius ſine pecunia comedi, & animam agricolarum eius, afflixi; pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina*, Et citatus Gregorius, *lib. 22. c. 17. mor pag. 820. lit. A. Ac ſi apertè dicat*: *Si magna, quæ debui, ſollicitè non feci, punctionem murmuris à ſubiectis recipiam, etiam de bono, quod feci.*

12 Oriri ſpinas, & vrticas in domibus, eſt deſideria praua, & opera peccatorum in cordibus naſci, vnde Iſai. *c. 34. v. 13. Orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ.* Et idem Greg. *lib. 32. c. 5. mor. pag. 1064. lit. B. Quid namq; per vrticas niſi cogitationū prurigines: quid vero per ſpinas, niſi vitiorum punitiones accipimus? In domibus igitur Babilonis vrticæ, & ſpinæ pullulant, quia in confuſione mentis reprobæ, & deſideria cogitationum ſurgunt, quæ exaſperant, & operum peccata, quæ pungunt.*

13 Oriri

Digitized by Google

13 Oriri in terra, eſt terrenis cupiditatibus adherere: vt dicitur in Geneſi: *cap.2. verſ.5. In die quo fecit Dominus Cœlum, & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra.* Quia Anima a Deo bona creata eſt, ſed ipſa per ſuas cupiditates in terra orta eſt ideſt facta eſt peccatrix. Ita Beda *in cap.2. Gen. tom. 4. pag.28. Deinde, quod addit: Antequam oriretur in terra: intelligitur anima antequam peccaret. Terrenis enim cupiditatibus ſordidata, tanquam orta, vel ſuper terram nata eſſe dicitur rectè.*

§. II.

Congregare allegoricè quid importet.

1 CONgregare eſt multa ſimul vnire, & ſic dicuntur Beſtiæ congregari, quia omnes ad montes fugiunt. Primò ergo Congregare ſicut in vtre aquas maris eſt temperare iram: vnde Pſalmus 32. *verſ. 7. Congregans quaſi in vtre aquas maris.* Et D. Gregorius Romanus *lib.9 cap.5. mor. pag. 512. lit. D. Aquas etenim maris quaſi in vtre Dominus congregat, cum miro moderamine cuncta diſponens, in ſuis clauſas cordibus carnalium iras frenat.*

2 Congregare Maria, eſt corda diſcrepantia hominum in veræ fidei amore vnire: de quo Iob *cap.26. ver. 12. In fortitudine illius repente maria congregata ſunt;* Vbi Cardinalis Hugo *in Iob. pag. 429. col. 4. In fortitudine illius, ideſt in fide incarnationis eius; Maria, ideſt amara, & diſcrepantia corda hominum congregata ſunt; multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.*

3 Congregari aquas ſublunares in locum vnum vt appareat arida, eſt ceſſare infidelium perſecutio, vt Eccleſia exaltetur vnde dicitur: *Gen. cap. 1. verſ. 9. Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida:* Vbi Cardinalis Carenſis *in Gen. pag. 2. col. 1. Aquæ ſub Firmamento ſunt infideles ſub ſacra ſcriptura Aquæ iſtæ congregatæ ſunt in vnum, quando ceſſauit perſecutio, quæ inualuerat tantum in primitiua Eccleſia, & reddita eſt pax Eccleſiæ; & tunc apparuit arida, ideſt Eccleſia.*

4 Congregare aquas piſcinæ inferioris, eſt prauam doctrinam docere: de quo Iſaias *cap.22. ver.9. Et congregatis aquas piſcinæ inferioris.* Et ibidem D. Hieronymus *lib.7. in Iſai. pag. 85. lit. G. Congregatis aquas piſcinæ veſtræ, atque doctrinæ non ſuperioris, ſed inferioris, & domos Hieruſalem numeraſtis, ſiue deſtruxiſtis.*

5 Rhinocerotem aream congregare, eſt Principes qui olim Eccleſiam ſunt perſecuti, modo illam fouere: vnde Iob. *cap.39. verſ.15. Numquid credes ei* (Ideſt Rhinocerotì) *quod reddat ſementem tibi, & aream tuam congreget?* vbi D. Greg. *lib. 31. cap.4. pag. 1008. lit. E. Ecce modo pro Eccleſia leges promulgat, qui dudum contra eam per varia tormenta ſæuiebat. Ecce quaslibet gentes capere potuerit, ad fidei illius gratiam ſuadendo perducit, eiſque æternam vitam indicat, quibus captis præſentem ſeruat. Cur hoc? Quia videlicet aream nunc congregat, quam aliquando ſuperbo cornu diſpergendo ventilabat.*

6 Congregare frugum abundantiam pro futura penuria, eſt fidem ſeruare in ſanctis pro tempore perſecutionis Antichriſti: de hoc ſcriptum eſt *Gen. cap. 41. v. 47. In manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſicut in horrea Ægypti.* Vbi Venerabilis Beda *in Gen. to.4. pag. 72. Congregauit autem Ioſeph ſeptem annis omnium frugum abundantiam, ideſt frumenta fidei ſanctorum horreis condens. Per illa ſcilicet ſeptem chariſmata, quaſi per ſeptem annos; vt cum ſeptem anni reperint, ideſt, cum iniquitas illa occurreret ſeptem criminum capitalium ſub Antichriſto cum fames fidei fuerit, & ſalutis, tunc iuſti pariter & fideles habebunt copioſam iuſtitiæ frugem, ne fides illorum inopia attenuata deficiat.*

7 Congregari Principes populorum cum Deo, eſt Prædicatores illa prædicare, quæ Deus inſpirat: vnde Pſalmus 46. *verſ. 10. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham.* Et Magnus Gregorius *in cap. 5. lib. 1. Reg. tom. 1. pag. 108. lit. A. Qui certè populorum Principes cum Deo Abraham conuenerunt, quando ad ſalutem conuertendarum gentium, hoc Prædicatores ſonuerunt verbo, quod omnipotens Deus interno eis aſpirabat deſiderio.*

8 Pœnitentes congregari in Maſphat, eſt in Deo confidentes, ad contemplationem accedere; ideo mandauit Samuel; *1. Reg. cap.7. verſ.5. Congregate vniuerſum Iſrael in Maſphat, vt orem pro vobis ad Dominum.* Et ibi citatus Doctor *in cap.7. pag.127. lit. E. Maſphat dicitur ſpeculatio, ſeu contemplatio. Conuerſis verò peccatoribus in Maſphat conuenire, eſt per mentis intentionem de Dei omnipotentis miſeratione confidere.*

9 Congregare exercitum contra Amalech, eſt virtutes exercere, contra ſpiritum fornicationis; ſic de Saul dicitur; *1. Reg. cap. 14 verſ. 48. Congregatoq; exercitu percuſſit Amalec:* & Magnus Gregorius *in cap. 14. pag. 254. lit. D. Quid eſt quod exercitum congregauit, niſi quia ad extinguendum fornicationis ſpiritum virtus vna non ſufficit?*

10 Congregare mercedem in ſacculum pertuſum, eſt bona opera in peccato exercere: De quo ait Propheta; *Aggeus c. 5. ver. 6. Et qui mercedes congregauit, poſuit eas in ſacculum pertuſum;* Vbi D. Hieronymus *in Agg. pag. 224. lit. D. Qui autem poſt bona opera non ſemel, aut bis, ſed frequenter peccat, & præteritam charitatem ſequentibus vitiis obſcurat, & ſordidat, iſte in pertuſum ſacculum pecuniam congregat.*

§. III.

De Cubare, Cubilis, & Cubiculi ſimilitudinibus.

1 CVbare eſt iacere præcipuè ad dormiendum; hinc cubile dicitur materia ſtrata ad cubandum, & cubiculum locus, in quo cubile collocatur. Primò igitur Cubare in ſacco eſt pœnitentiam agere; quare ſcriptũ eſt: *Ioel. cap. 1. verſ. 13. Ingredimini, cubate in ſacco Miniſtri Dei mei:* Vbi D. Hieronymus *in Ioel. tom. 5. pag. 80. lit. C. Qui autem peccator eſt, & quem remordet propria conſcientia, cilicio accingatur, & ingrediatur Eccleſiam, de qua propter peccata fuerat egreſſus, & cubet, vel dormiat in ſacco; vt præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitæ auſteritate compenſet.*

2 Cubare in meridie, eſt æterna frui Paradiſi gloria; quam ſibi oſtendi petebat ſponſa: *Cant. cap. 1. verſ. 7. Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Et D. Bernardus *ſerm. 33. in cant. pag. 286. lit. A. O verè meridies, plenitudo feruoris, & lucis, ſolis ſtatio, vmbrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fœtorum depulſio. O perenne ſolſtitium, quando iam non inclinabitur dies, o lumen meridianum &c. Hunc locum, inquit, tantæ claritatis & pacis, indica mihi.*

3 Cubare iuſta puteum, eſt humiliter baptiſmum petere ad fidem inueniendam: vnde de Iacob dicitur *Gen. cap. 29. ver. 1. Vidit puteum in agro: treſque greges ouium accubantes iuxta eum:* Vbi Gloſſa ord. *Per puteum baptiſmus, per agrum mundus exprimitur; per tres greges iuxta puteum accubantes ſignantur illi, qui ad fidẽ Trinitatis capiendam pertinent, in humilitate expetentes baptiſmi gratiam.*

4 Cubantes Beſtiæ in medio Niniue ſunt vitia præualentes in Eccleſia: de quibus Propheta, *Sophon. cap. 2. verſ. 14. Et accubabunt in medio eius greges, omnes beſtiæ gentium, & onocrotalus, & hericius &c.* Vbi Cardinalis Hugo *in Sophon. pag. 209. col. 2. Hoc etiam exponit Hieroymus de Eccleſia moderna, in qua, heu multi ſunt greges ventri ſeruientes, multæ beſtiæ crudelitate ſæuientes, multi camaleontes vitiorum varietati inhærentes, multi hericii ſpinis murmurationem alios lacerantes &c.*

5 Cubant ſuper veſtimentis pignoratis ſub Altare Heretici,

retici, teſtimonijs ſcripturarum ſuam falſam doctrinam operientes: *De quib.* Amos *c. 2. v. 8. Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuere iuxta omne Altare.* Quod exponens D. Hieron. *in Amos to. 5. pag. 97. lit. E.* ait. *Quotquot enim in Chriſto baptizati ſunt, Chriſtũ induerũt, & veſtimenta ſua, que funibus peccatorum ligauerunt, opponunt oculis videntium, ne eorum cernantur flagitia: vt qui altare reſpicit, ſtuprum non ſuſpicetur. Hoc faciunt omnes Heretici, ſub Chriſtiano nomine fornicantes, & erroribus ſuis, atque mendacijs obtendentes teſtimonia ſcripturarum.*

6 Draco cubans in medio fluminum ſuorum eſt Diabolus quieſcens in hæreticis: cui dicitur: *Ezechiel cap. 29. verſ. 3. Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum*; & idem Hieronymus *libr. 9. in Ezech. pag. 422. lit. A. Iſte Draco eſt preuaricator, de quo Iob pleniſſime loquitur, &c. Sedet autem ſiue cubat in medio fluminum ſuorum; non vnius fluminis, ſed multorum; que in diuerſis hereſibus accipimus, per quas fluxit in Ægiptum ſeculi iſtius, & irrigauit animas ſeductorum.*

7 Cubans Pardus cum hædo, eſt ſuperbus viuens cum humili; de quo Propheta *Iſai cap. 11. v. 6. Pardus cum hedo accubabit* Vbi Gloſſ. interl. *ſuperbus cum humili peccatore in Eccleſia.*

8 Leæna inter Leones cubans: eſt Crudelis Princeps conſilio crudelium ſenatorum acquieſcens: ſic ait Ezechiel *cap. 19. verſ. 2. Mater tua leena inter Leones cubauit*: & Lyranus. *Mater tua ideſt domus regia; Leena, crudelis fallia. & rapax; inter Leones cubauit, ideſt conſilio crudelium, & impiorum acquieuit.*

Cubile Cubiculum.

9 CVbile Leonis eſt Cor Crudelis Hominis, de cuius conuerſione dicitur Eccleſiæ: *Cant. cap. 4. v. 8. Veni coronaberis de cubilibus Leonum:* Vbi D. Gregorius Magnus *in Cant. to. 2. pag. 1211. lit. E. Sed de cubilibus Leonum Eccleſia coronatur: quia dum per eius prædicationem crudeles ad pietatem conuertuntur, pro his omnibus premium percipiet, quod meretur;*

10 Cubile Patris aſcendere eſt, Iudæum Chriſtum crucifigere: vnde dicitur de Ruben *Gen. cap. 49. verſ. 4. Aſcendiſti cubile Patris tui:* Et D. Ambroſius *lib. de Benedic. Patriarch. cap. 2. to. 1. pag. 195. lit. A Ergo Patriarche ſibi congruit, & conſtat ſententia, qui videns perſequentibus Iudæi futuram Domini paſſionem; execratur immanem primogenitæ plebis audaciam, que incredula, nec Dei legi ſubdita, authorem vitæ, non ſolum ſcelere necis, ſed etiam ſacrilege inſultationis affecit iniuria: ſed agat pœnitentiam peccatorum, quoniam durus aſcendit populus cubile Patris, & torum polluit ſanctum, carnem Domini Ieſu Redemptoris noſtri patibulo affigens crucis.*

11 Cubilia Draconum Animæ ſunt Infidelium: de quorum conuerſione prophetarum eſt *Iſai. cap. 35. v. 7. In cubilibus, in quibus prius Dracones habitabant, orietur viror calami & iunci:* Vbi D. Hieronymus *lib. 10. in Iſai. pag. 123. lit. D In cubilibus Animarum gentilium in quibus prius Dracones habitabant; erunt calamus, & iuncus, quibus ſcribatur fides Domini.*

12 Cubiculum Dei, eſt quies contemplationis: de quo ſponſa: *Cant. cap. 1 ver 4. Introduxit me Rex in cubiculum ſuum*: & D. Bernardus *ſerm. 33. in Cant. pag. 268 lit. G. Sed eſt locus vbi verè quieſcens, & quietus cernitur Deus, locus omnino non iudicis, non magiſtri, ſed ſponſi; & qui mihi quidem (nam de aliis neſcio) plane cubiculum ſit, ſi quando in illum contigerit introduci; ſed heu rara hora, & parua mora.*

13 Cubiculum eſt ipſum cor hominis, vbi inhabitat Deus: De quo intelligendum Dominicum Præceptum: *Matth. cap. 6. verſ. 6. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum.* & D. Hilarius *can. 7. in Matth. col. 484. Clauſo quoque Cubiculi oſtio orare iubemur, atque in omni loco precem effundere edocemur &c. Ergo non occulta domus, ſed cordis noſtri Cubiculum ingredi, & clauſo mentis noſtre ſecreto, orare ad Deum, non multiloquio, ſed conſcientia, admonemur.*

Verſus vigeſimus tertius.

יֵצֵא אָדָם לְפָעֳלוֹ וְלַעֲבֹדָתוֹ עֲדֵי עָרֶב

Verſio ex hebræo, D. Hieronymus,	*Egredietur Homo ad opus ſuum, & ad ſeruitutem ſuam vſque ad veſperam.*
Vulgata editio,	*Exibit Homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.*
Textus Arabicus,	*Exit homo ad ſuum laborem, & opus ſuum &c.*
Pagninus,	*Egredietur &c. ad culturam ſuam &c.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

CVm Vox illa עֲבֹדָה æquiuoca ſit, ac tres habeat ſignificationes; nam & *operationem, & ſeruitutem, & culturam* ſignificat: deriuatur enim a radice עָבַד ideſt, *operatus eſt, ſeruiuit, coluit*: occaſionem dedit varijs interpretationibus; & inſuper, cùm hæc ſine labore non fiant, etiam pro labore aliqui vſurpauere: omnes tamen verſiones iſtæ optimè congruunt diurnæ hominis occupationi. Ex his opportuna ſeſe offert occaſio pertractandi hominis naturam, ſecundum ſupernaturalem, & naturales eius cauſas.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *De Principiis rerum naturalium in communi.*
2 *De Cauſa effectrice hominis, tum prima tum ſecunda.*
3 *De cauſa materiali, & compoſitione Corporis phiſici.*
4 *De forma Corporis cuiuſcumque animati, Hominis præcipuè.*
5 *De Fine, ad quem Homo directus eſt.*
6 *Ex dictis colligitur quid ſit Homo.*

§. I.

De Principiis rerum naturalium in communi.

1 E*Xibit homo*. Rectè quidem Ariſtoteles, cum rerum naturalium tractationem exordiretur, *lib. 1. Phyſ. text.* 1. docuit, ſine principiorum, cauſarumque cognitione rem aliquam cognoſci non poſſe. *Cum circa omnes doctrinas, quarum ſunt principia, vel Cauſæ, vel elementa, ex horum perceptione cognitio fiat, atque ſcientia: Tunc enim vnamquamque rem ſcire putamus, cum cauſas primas principiaque prima, & vſque ad elementa cognoſcimus*. Quamobrem nec de Hominis natura quid ſit cognoſcere poterimus niſi prius, principia, cauſaſque eius declarauerimus: quia vero multa ſunt Homini cum reliquis naturalibus entibus communia, generalius hæc omnia tractanda ſunt. In his tamen principijs, cauſiſque aſſignandis a Philoſopho diſſentire, ſacræ ſcripturæ, ſanctorumque Patrum authoritate, nec non ratione cogor. Nam ille in Gentilitatis nocte degens, multum pro ſtatus conditione luminis vidit; At ad exortum Iuſtitiæ ſolis, ad ſanctarum ſcripturarum ſplendorem, Philoſophica doctrina, tenebricoſa ac veritatis lumini auerſa deprehenſa eſt: Quapropter ſapientiſſimus Philoſophus, idemque ſanctiſſimus Martyr Iuſtinus *in lib. Ariſt. dogm. euerſ.* pagina 87. *lin.* 27. ait: *Inter eos vero, qui Prophetarum ſcriptis fidem non habuerunt, ac coniectura propria ducti, quod eis placitum eſſet, de Deo, & creatione definierunt; magnum eſt, & inter ipſos inuicem, & apud quemque eorum aduerſus ſeipſum de rebus, eorumque principiis iuxta ſubſtantiam, & numerum, & motum, & finem diſſidium. Id, quod ex Ariſtotelis (Præterquamquod is nihil veri de rebus, quas definiendas ſibi commentationibus ſuis ſtatuit, affert) libro primo de naturali auſcultatione, & aliis declaratur*. Hæc ille, qui multas fallacias, & contradictiones in doctrina Ariſtotelis deprehendit; ex quibus aliquas, quæ adpropoſitum facere videntur, oſtendemus.

2 Cum ignorato principio & effectum ignorari neceſſe ſit, liquidò apparet Ariſtotelem res naturales non cognouiſſe, quandoquidem, primum omnium rerum principium Deum neſciuit. Nam ſi naturalis productio per ſeminationē fit, & tandem deueniendum ad vnum primum animal, vel Plantam ſeminificantem; huius primi animalis ſeu Plantæ ſeminator quis fuerit in Phiſica non aſſignatur; qua propter D. Iuſtinus *loc. cit. pag.* 88. arguit. *Si principium eius quod ſatu fit, eſt Sator: is autem in commentatione naturalis auſcultationis denotatus, deſignatuſque non eſt: quanam de cauſa commentatio ea inſtituta eſt, cum primigenij Animalis & plantæ principium ignoretur? Ignorationem namque principij, eorum, quæ inde proueniunt, ignoratio conſequitur*. Rurſus, cum duo ſint generationis rerum modi, alter ſecundum naturam, alter vero nequaquam: de primo dicitur quòd fit per ſatum; de ſecundo vero nihil dicitur; ergo Philoſophi doctrina mutila eſt, præſertim cum in eius ſententia, contraria ad eamdem diſciplinam pertineant: Ita citatus Doctor. *Si Animal, quod ſatu gignitur iuxta naturam gignitur; videlicet ſi idem Animal gignitur quidem, ſed non iuxta naturam gignitur; dicant ergo Ariſtotelici, quomodo Animal gignitur, quod non natura, gignitur*. Non igitur exactam rerum naturalium naturam Ariſtoteles nouit.

3 Sed videamus vtrum ſaltem naturalia principia bene aſſignauerit, qui ſupernaturale non nouit. Tria ſunt apud ipſum principia. Subiectum, Forma, & priuatio; ſed nullum horum eſſe principium oſtendemus. Materia principum non eſt: probatur. Principium illud eſt, quod ipſum ab alio non principiat, ſed alia principiant ab ipſo, ſed materia vt ſit indiget forma, ſine qua naturaliter eſſe nequit (nam ipſa per ſe ſubſtantia non eſt, per Ariſtotelem) neque principiare; ergo ipſa non eſt principiū. Ita D Iuſtin. l. cit. *pag.* 90. *Si principium aliud habens principium non eſt, quomodo materia, vt ſit principium habens formam, poteſt eſſe principium?* Vlterius ſi ſubiectū quod mutatur de vno eſſe ad alterum nō eſt terminus aquo, vel ad quē, ergo neq; materia, quę eſt ſubiectum generationis poteſt eſſe principium, quod denotat terminum a quo. Atq; hoc eodem argumento oſtēditur quod forma non ſit principium, quia alias eſſet principium & finis eadem forma creata, quod implicat. Certum eſt porro formam eſſe terminum generationis. Ergo non eſt principium a quo: neque eſt principium ex quo, quia tunc forma eſſet ſubiectum. De priuatione verò probatur primo, quia nihil eſt, & Philoſophus ait quod ex nihilo nihil fieri poteſt; vnde arguit Iuſtinus *pag.* 94. priuationem eſſe aliquid ſi eſt principium ſi verò nihil eſt, principium non eſſe: *Informationem vero eſſe aliquid, inde ſatis liquet, quod eorum quæ fiunt poſita eſt principium eſſe*. Secundo ſequeretur eſſe quatuor principia, quia ſicut ex parte materiæ requiritur infirmitas, ideſt priuatio formæ, ita ex parte formæ requiritur immaterialitas, ideſt priuatio materiæ, igitur quatuor ſunt principia, materia, forma, Informitas, & immaterialitas, ita Iuſtinus, *pag.* 93. *Si quemadmodum materia eſt abſque forma, ita & forma abſque materia; at ſi materia, & informitas eius ſunt duo principia, forma quoque & immateriale eius duo erunt principia: quomodo cum quatuor ſint, tria dumtaxat poſita ſunt principia?* Præterea abſurdum videtur paſſiones entis aſſignari poſſe non enti; quod enim nihil eſt, neque perſe, neque per accidens de illo dici poteſt, quòd ſit, ergo priuatio cum ſit nihil non poterit nec eſſe, nec principiū eſſe. Iuſtinus *pag.* 95. *Si cum forma adeſt, tum priuatio non manet: nempe forma abſente priuatio manet. Qui ergo non poteſt eſſe abſurdum dicere, id quod manet non eſſe?* Nullum igitur horum trium poteſt eſſe principium, ſecundum Ariſtotelis expoſitionem.

3 Principium ergo multipliciter dicitur; neque ratio principii omnibus eſt eadem. Primum eſt Principium *Per quod*, ſecundum Principium *In quo*, tertium principium *Quod*, quartum eſt Principium *A quo*, Quintum eſt principum *ex quo*. Principium *Per quod* eſt illud, quod dat eſſe principiato, & cuius eſſe principiatum participat, & hoc reducitur ad cauſam effectricem, ſiue primam, ſiue ſecundam, non eſt tamen neceſſe, quod ſemper ſit cauſa, ſed aliquando eſt tantum principium, aliquando etiam cauſa. Hoc modo Deus omnium rerum Principum eſt; qui de ſeipſo inquit *Apocalip. cap.* 1. *verſ.* 8. *Ego ſum* A, & *ω Principium, & Finis, dicit Dominus Deus*. Vbi Gloſſa. *A antequam nullus, vel a quo omnia cœperunt: ω poſt quem nullus, vel in quo omnia terminantur*. Additque clarius Lyranus. *Dicitur autem Alpha, & Omega, nam Alpha eſt prima litera græcorum, & Omega vltima; & per hoc innuitur, quod Deus eſt principium omnium effectuum, & finis ad quem omnia ordinantur*. Sicut ergo Creator Deus omniū rerū naturaliū primum principium eſt, ita quodcumque creatum, quod vt alterum exiſtat cauſa eſt, illius ſecundum principium dicendum eſt. Principium, *Quo*, ſeu *In quo*, eſt illa virtus actiua, ſeu potentia, cuius ratione Principium poteſt eſſe principium: ſic in Deo dicitur eſſe ſapientia: vnde in hoc Pſalmo 103. *verſ.* 24. dicitur; *Omnia in ſapientia feciſti:*

&

Digitized by Google

que ſolo Dei iubentis imperio, vti reliqua, productus Homo eſt, verùm ante eius productionem magno Sanctiſſimæ Trinitatis conſilio deliberatum eſt de eius effectionis modo; ait enim Scriptura Deũ dixiſſe: *Gen. cap. 1. v. 23. Faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Quaſi diceret Omnipotens Conditor. Ea quæ hucuſque produximus bona vtique ſunt, ſed in Hominis comparatione, ad cuius vſum condita ſunt, nihil videntur, vilia ſunt: at Homo Creaturarum Princeps, noſtræ Diuinitatis Imago, Rationis particeps, nonniſi magna præcedente conſultatione producendus eſt: ſufficit aliis dixiſſe, vt eſſent; hoc tanto operi ſatis eſſe nolumus, ſed magno apparatu eius effectionem exordiri. Quæ Dei verba expendens D. Ambroſius *lib. 7. Hex. de dignit. Hom. cap. 1. pag. 52. lit. B.* inquit. *Tanta itaque dignitas humanæ conditionis eſſe cognoſcitur, vt non ſolo Iubentis ſermone, ſicut alia ſex dierum opera, ſed Conſilio ſanctæ Trinitatis, & opere Maieſtatis diuinæ, creatus ſit homo.* Quia verò ex duabus præcipue partibus conſtat Homo, Animo, ſcilicet & corpore; non eodem effectionis modo vtraque pars effecta eſt; ſed Animus, vtique nobilis, immaterialis, rationalis a Deo per creationem productus eſt, & corpori, ficto iam, vnitus: corpus vero quaſi artificiosè ex elementis compoſitum eſt; vnde græca verſio verbo illo *plaſmare* vſus eſt, quod idem eſt ac componere, ſeu fingere ex luſo: Quare de corpore dicit ſcriptura quod Deus illud formauit, ſeu plaſmauit, de animo vero, quod inſpirauit: *Gen. cap. 2. verſ. 7. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*; Formauit ergo corpus inſpirauit animam. Item Pſalmus 118. *verſ. 73. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me*; cui conſentit *Iob cap. 10. verſ. 8.* iiſdem verbis: Vt ſcilicet inter Animi corporiſque effectionem diſtinguerent; ille enim factus, ideſt creatus; iſtud formatum, ideſt plaſmatum: quod docet, & aduertit D. Gregorius Niſſenus *orat. 2. de Format. Hom. pag. 38. lit C. Manus tuæ fecerunt me, & formauerunt me: Fecit hominem interiorem, exteriorem formauit: formare enim congruit luto, facere autem imagini Dei: Quamobrem formata eſt caro, animus vero factus eſt.*

3 Neque ſatis viſum eſt Omnipotenti Artifici, quòd ipſe, abſque alia effectrice cauſa, primum conderet hominem, niſi proprijs manibus, & peculiari ſtudio corpus eius plaſmaſſet; Etenim Plaſmator, ac Fictor noſter ſua omnipotenti dextera Terram ſumpſit, aqua commiſcuit, corpus formauit; eo prorſus modo quo Figulus Vas aliquod, ſuæ artiſperitia, proprijs efformat manib. Hoc colligitur ex verbis quib. hominis creationẽ Scriptura narrat: dicitur enim. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*: Septuaginta verò interpretes expreſſius poſuerunt: *Accipiens Deus puluerem de terra formauit hominem.* Quorum verborum vim contemplatus D. Gregorius Niſſenus *loc cit. lit. A. B.* ait. *Quomodo locutus eſt Deus? Fiat inquit lux, & facta eſt lux. Perpende hominis, & lucis procreationem. Dixit, fiat Firmamentum, & magnum ſupra nos Cælum extenſum eſt, verbo Dei confectum. Et ſtellæ, & Sol, & Luna, & quaſcumque vel oculis cernimus, vel animo comprehendimus magnitudines, verbo, vt eſſent, aſſecutæ ſunt. Mare, & Terra, & ornatus eorum tam varia, tum Animalium, tum plantarum genera, verbo facta ſunt omnia. Homo quonam factus eſt modo? Non dixit fiat Homo, vt dixit fiat Firmamentum. Omnibus antecellit Hominis procreatio. Accepit Deus; manu propria dignatur corpus noſtrum formare, non iuſſit Angelo, non vt cicadas, ſponte ſua protulit hominem terra; ſed manu ſua benignus Artifex terram accepit Si illud, quod ſumptum eſt, aſpicias, quid homine vilius? ſi Artificem conſideras, quid Homine maius? Quemadmodum propter materiam eo nihil abiectius, ſic propter effectoris dignitatem præclarius nihil: In hiſtoria dicitur: Accepit Deus puluerem de terra, & formauit Hominem.* Deus igitur etſi omnium rerum Conditor, ſpecialior tamen effectrix cauſa Hominis eſt; & cum ad omnes phyſicas productiones immediatè concurrat; ad hominem nihilominus ſpecialius; animum enim ipſe ſolus producit, vnitque corpori. Et hinc ſumpſit argumentum melliſluus Ambroſius, vt ſuaderet homini probitatem, ac virtutem; quidquid enim in imagine vel ſtatua turpis reperitur, in Artificis dedecus ſcedit; ſi ergo homo Dei ſpecialius opus eſt, ab eo per bellè depictũ, tam formoſam picturam, vitijs maculare non debet: ſic ille *lib. 6. Hex. cap. 7. pag. 47. lit. A. Pictus es ergo o Homo, & pictus a Domino Deo tuo; bonum habes Artificem, atque pictorem, noli bonam delere picturam; non fuco, ſed veritate fulgentem; non cera expreſſam, ſed gratia.*

4 Hæc igitur cauſa effectrix eſt prima omnium rerum, hominis tamen ſpecialiter: nunc reſtat aliqua videre de cauſa effectrice creata, nempè de Indiuiduo producente aliud ad ſui ſimilitudinem: vbi difficultas maxima eſt, an Mater concurrat ſimul cum Patre actiuè, integrans vna cum illo totalem cauſam effectricem ſecundam. Circa quod opinio fuit Ariſtotelis, ſolos mares ſemen emittere, fœminas vero eius loco menſtrua emittere, quæ vt purum excrementum, vim actiuam non habent: eius ratio potiſſima eſt; non poſſe fœminas duas ſpecies excrementorum habere, ſed habent menſtrua, igitur ſemen non habent. Ita ille *lib. 1. de Gen. Animal. cap. 19. pag. 505. Sed cum menſtrua ſint, quod fœminis fiant, perinde vt maribus genitura, nec fieri poſſit, vt ſimul duæ ſecretiones ſeminales agantur, ideo ſemen a fœmina non conferri ad generationem apertum eſt.* Huic tamen opinioni aduerſatur Galenus libro de ſpermate, qui ex experientia anathomica probat fœminam vaſa ſeminalia habere, & per conſequens ipſum ſemen, cum Galeno omnes Phyſici, Anathomici præſertim ſentiunt; & etiam in hanc Galeni ſententiam inclinat Scotus *in 3. ſent. diſ. 4. qu. 1.* ait enim. *Poteſt dici, quòd ſi ad matrem pertinet agere tanquam ad cauſam minus principalem: Maria verè fuit mater, &c.* Cui ſententiæ etiam ex diuina ſcriptura teſtimonium ſumere poteſt. Author enim libri Sapientiæ, de ſua generatione loquens, *cap. 7. verſ. 1.* hæc habet. *Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prius factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conueniente.* Quæ verba exponens HRabanus Maurus *lib. 2. cap. 2. in ſap. to. 3. pag. 371. col. 1. lit. B.* ait. *Quod autem dicit decem menſium tempore ſe coagulatum ſanguine, & ſemine hominis, & delectamento ſomni conueniente, demonſtrat vtriuſq; ſexus differentiam. Nam, vt aiunt Phyſici, ſemen hominis eſt candidum, & ſemen mulieris ſanguinolentum. Eorum commixtio certis ſpaciis temporum corpus infantis facit formare, donec animatum ad tempus partus decimo menſe perueniat, quamuis non omnes ad decimum menſem pertingant.* Hæc ille. Quamuis autem poſſit fætus naſci ſeptimo, & nono menſe, volunt tamen Heroam decimo naſci menſe; cum igitur hic ſapiens Regem ſe iactet, decimo ſe menſe natum prædicat Confirmari poteſt hoc ex Reuelationibus D. Birgittæ: nam *lib. 6. cap. 67. pag. 416. col. 1.* Chriſtus Dominus ait Sponſæ. *Sic Antichriſtus naſcetur de maledicta fœmina, & de maledicto homine, de quorum ſeminibus, permiſſione mea, Diabolus formabit opus ſuum &c. 81. pag. 423. col. 1. Et licet puer de ſeminibus Patris, & Matris natus &c.* Igitur tam fœmina, quam Vir ſemen habet; & conſequenter vterque actiuè concurrit ad pueri generationem. Igitur concludendum eſt, in omnibus animatorum generationibus matrem, ac fœminam concurrere, licet ille principalior cauſa ſit; ſimul autem integrant vnam cauſam efficientem ſecundam.

5 Reſtat modo, vt fundamento Ariſtotelico ſatisfaciamus. Dicimus ergo in fœminis omnium Animalium

lium

lium reperiri ſemen, & menſtruum ſanguinem, neque propterea ſuperfluunt duæ ſecretiones ſeminales, quia ad diuerſa munera obeunda ſiunt: ſemen ad actiuam conceptionem pertinet, menſtruus verò ſanguis ad nutritionem fœti; ſic ſimul incipiunt, & deſinunt, vel cùm incipit pubertatem fęmina, vel cùm ſenectutem ingreditur. Neque hoc ſolum in viuiparis, vt ſunt Homines, & Animalia perfecta, ſed etiam in ouiparis cernitur. Quidam mihi amiciſſimus, iſque doctiſſimus Philoſophus, cùm in Ægipto moraretur, vbi ad temperatum Clibani calorem fouentur oua, ac pulli excluduntur; obſeruauit per continuos nouem dies effectus generationis pulli; quot die videlicet vnum ex ouis intra vas quoddam frangendo. Inter alia obſeruauit, tria in ouo eſſe, albuginem videlicet, vitellum rubrum, & ſemen pulli, ſeu Galli; ex albugine naſcitur pullus, vitellus verò ei cibus eſt, donec perficiatur. Sic eſt in viuiparis, ſemen fœminæ albuginem refert, menſtruus verò ſanguis vitellum oui; illud generat puerum, iſte nutrit; hinc eſt, quòd idem ſanguis menſtruus, aſcendit ad mammas, & lac effectus, natum iam puerum alit. Maſculo igitur vna ſeminis ſecretio ſufficit (eaque perfectior eſt fęminea) quia generare quidem, ſed non nutrire debet infantem: fęmina verò adhoc duplex munus, duas ſecretiones habet, ſeminis, & menſtrui; ſicque euidenter patet, alteram ſuperfluam, & fruſtratoriam non eſſe; ac propterea ratio Ariſtotelis, fundamento deſtructo, corruit.

§. III.

De Cauſa materiali, & compoſitione corporis phyſici.

1 ESſe aliquod generationis ſubiectum neceſſe eſt; quidem autem Philoſophi inter quos Ariſtoteles, adinuenerunt aliquod generationis ſubiectum, quod ex ſimilitudine appellauere materiam, quam ferè, & prope nihil faciunt, ingenerabilem, incorruptibilem, & hanc dicunt primum eſſe ſubiectum cuiuſcumque mutationis ſubſtantialis: Hanc materiam ſic deſcribit Ariſtoteles *lib. 1. Phyſ. tex. 83. cap. 9. Etenim materiam id dico, quod primum eſt vniuſcuiuſque ſubiectum, e quo quippiam eo ſit pacto, vt non per accidens inſit. Si corrumpitur ad hoc ſane vltimum proficiſcetur: quare erit corrupta antequã ſit corrupta.* Cuius Deſcriptionis ratio obſcurriſſima eſt, præſertim cum difficile ſit aſſignare, quid ſit illud quod inſit per ſe, & non per accidens; ideſt quæ ſit formam ſubſtantialis, & quæ accidentalis. Sed de hoc infra. Vlterius progreditur, & ipſam ingenerabilem, & incorruptibilem probat his verbis tex. 82. *Sed nec occidat nec oriatur neceſſe eſt: nam ſi gignitur, ſubiiciatur aliquid primum oportet, ex quo hoc pacto naſcetur, vt inſit in ipſa: hoc autem eſt ipſius natura: quare ſit vt ſit antequam ſit orta.* Cuius argumenti vis eſt talis. Si materia generaretur neceſſario deberet dari ſubiectum generationis eius, ſed hoc ſubiectũ eſſet materia, ergo materia iam eſſet, antequam generaretur. Ergo eſt ingenerabilis. Sed contra hanc doctrinam arguit D. Iuſtinus *loc. cit. pag. 96. Niſi Æs genitum eſſet, iuxta precedentem eius generationem, ſtatua facta non fuiſſet: quomodo ergo materia aut ex materia aliquid ſit cũ materia prius genita non fuerit?* Rurſus certum eſt differentiam eſſe quidditatiuam inter ſpiritus, & res materiales, corporeitatem: inſuper omne corporeum ſecundum hanc rationem, vt corporeum eſt ab incorporeo differt per corporeitatem, & idem ſonat materiale, ac corporeum, ſpiritus enim materiam non habent: Ergo ſi res materialis eſſentialiter eſt corpus, id debet habere vel a materia, vel a forma, ſed per Ariſtotelem nec materia, nec forma ſunt corporeæ, ergo non poſſunt eſſe partes corporis. Ita D. Iuſtinus *pag. 97. Si ex incorporeis corpus non efficitur, quomodo ex materia, & forma corpus eſt factum, quæ per ſe ipſa incorporea ſunt?*

Deinde de appetitu materiæ ait Ariſtoteles, ei innatum eſſe deſiderium ad formam, ſicuti fęmina appetit Marem, & turpe pulchrum: cum enim detur aliquod bonum, & appetibile, & aliquod hac priuatum bonitate, ſequitur vt hoc illud appetat: *Nam cum ſit*, inquit, *quoddam diuinum, & bonum, & appetibile, alterum ipſi contrarium eſſe dicimus, alterum ſuapte natura affectat, atque appetit ipſum &c. Sed hoc eſt materia perinde appetens illud, atque ſi fœmina marem, & turpe appetat pulchrum. Verum non eſt per ſe ſed per accidens turpe, nec per ſe fœmina, ſed per accidens.* Multa huic diſcurſui obiicit D. Iuſtinus, præſertim quia ſequerentur multa inconuenientia ſi bono aliquid contrarium eſſet; deinde, non poteſt aliquid appetere niſi animatum ſit; & tandem ait. *Si quemadmodum fœmina marem appetit, & turpe pulchrum, ſic materia concupiſcit bonum, & materia non eſt per ſe fœmina, & turpe, ſed per accidentiam: nimirum neque per ſe concupiſcit bonum, ſed accidentia: Quocirca & diuinum non erit per ſe bonum, & expetendum, ſed accidentia; quod ſane abſurdum eſt dicere.* Ex quibus omnibus liquet materiam, quam Ariſtoteles ſubiectum neceſſarium facit, vel nullã eſſe, vel prorſus inintelligibilem. Quo enim pacto materia nihil eſt eorum quæ ſunt, & tamen multa de ea affirmantur, quæ conuenite, niſi ijs quæ ſunt nequeunt: vnde ait citatus Iuſtinus. *Si ingenitum eſſe, & incorruptibile eorum eſt, quæ ſint, quomodo materia, & id quod ſit non eſt, & ingenita, incorruptibiliſq; eſt?*

2 Deinde ſi Materia verum & reale ſubiectum eſt, neceſſe eſt, quòd realiter aliquid ſit, & conſequenter propriam habeat exiſtentiam; nam in eorum ſententia, qui ponunt materiam ſolam eſſentiam habere, eamq; æternam, conuincuntur dicere eſſe nihil, cùm ab æterno ſolus Deus ſit, in cuius eſſentia, aliud eſſe non habent res producibiles, niſi eſſe Ideæ, ſiue eſſe cognitum, quod non dat eſſe reale rei extra cauſas, ſed tantum eſſe cognitum, quod ab actiua Dei cognitione non diſtinguitur: vnde optimè Scotus aliquid eſſe reale ineſſe materiæ, eamque realiter extra cauſas ponens, probat, *in 2. ſent. diſ. 12. quæſt. 1. §. Reſpondeo lit. C.* ſic. *Reſpondeo, quod materia dicit entitatem aliquam poſitiuam extra intellectum, & cauſam ſuam, ſecundum quam entitatem eſt capax formarum ſubſtantialium; quæ ſunt actus ſimpliciter. Vnde oportet, vel quod res generabilis, & corruptibilis ſit omnino ſimplex vt forma; vel componatur ex aliquo & nihilo, vel ſit compoſitum ex aliquo, & aliquo. Primum eſt abſurdum: ſecundum etiam eſt impoſſibile; igitur ſequitur neceſſario tertium, ſcilicet quod componitur ex aliquo, & aliquo, ſicut ex materia, & forma. Non eſt inconueniens quod in compoſito ſit aliquid, & aliquid ſicut non eſt inconueniens, quod aliquid ſit compoſitũ.* Qua ſuppoſitione facta ruit tota de materia opinio, vt vult Ariſtot. quod non ſit *nec quid, nec quale, nec quantum*. Etenim ſi ingenerabilis, & incorruptibilis a nobis Chriſtianis conceditur, conſequens eſt, vt creatam cõcedamus, ne incidamus in errorem Ariſtotelicum, qui vt probaret Deum ex nihilo creare non poſſe excogitauit materiam ingenitam, & coæternam Deo; cuius fatuitatem optimè redarguit D. Iuſtinus. *loc. cit. pag. 96. Si materia perinde eſt ingenita atq; Deus, & Deus ex ingenito, materia videlicet, facere aliquid poteſt: certum eſt etiam Deum ex eo etiam, quod ſimpliciter non ſit, ex nihilo, aliquid facere poſſe. Quam enim inhabile eſt id, quod non ſit, ad id vt inde aliquid fiat natura, & arte: tã inhabile eſt id quod perpetuò ſit ingenitum ad id, vt aliquid ex eo fiat natura & arte.* Redditque rationem ſanctus Philoſophus, cur veteres Philoſophi generationem negauerint, & corrector eorum Ariſtoteles, materiam ingenitam fecerit: quia ſcilicet non credebant Deum ex nihilo aliquid creare poſſe. *Sed enim aperta incredulitas, Deum aliquid, ex eo quod non ſit, creare poſſe, primos quidem Philoſophos ad eorum, quæ ſint ex materia, procreationis omnis negationem; eorum vero correctorem Ariſtotelem ad genera-*

tionis

Digitized by Google

tionis materie (quod ſcilicet eam creauerit Deus) impulit abrogationem. Vides ergo lector humaniſſime: non ob aliud excogitatam primam materiam, niſi ad ſubtrahendam Deo Creatori, creandi poteſtatẽ, quod a fidelium mentibus remouere neceſſe eſt. Non ergo datur iſta materia tam prope nihil, vt nihil ſit; ad ſophiſma de generatione ſubſtantiali inferius ſatisfaciemus.

3 Materia ergo creata a Deo eſt in initio creationis; neque alia eſt quam prima elementa paſſiua, Terra videlicet & aqua; quæ ideò appellantur informes, nõ quia formis proprijs caruerint, ſed quia rudis illa forma, & inornata apparebat, atq; erat apta ad vlteriorem pulchritudinem ſuſcipiendam. Et licet D. Auguſtinus putauerit, cùm dicitur Geneſis primo à Deo creatum Cęlum, & terram, non eſſe creatum Cœlum, nec terram, ſed eorum informem materiam, ait namque *lib. 1. de Gen. con. Manich. cap. 7. to. 1. pag. 347. col. 2. lit. A. Informis ergo illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata eſt primum Cœlum, & terra; & dictum eſt: In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, non quia iam hoc erat, ſed quia hoc eſſe poterat*. Huic tamen authoritati minimè fidendum, niſi explicetur, videtur enim eſſe contra literam ſacræ ſcripturæ; præterquamquod; ſi tam Cœlum, quam Terra informis erat materia, cur altera pars appellata Cęlum, & altera Terra, potius, quam res aliqua, cum omnia poterat eſſe? Si eadem erat materia, quomodo ad inuicem diſtincta erant Cœlum, & Terra? Dicendum eſt ergo, quod cùm ſola Terra appelletur inanis, & vacua, ſeu informis, & ſola aqua tenebroſa, nomine Terræ & Abyſſi ſignatam materiam, Terram & Aquam ſcilicet, in ſua prima rudi, & ferè informi creatione; nomine Cœli aerem (nam in ſacris literis Aerem vocari Cœlum ſupra probauimus, & patet de ſe) ſignatum; Nam elementa cum ſint quatuor, vidimus iam duo eſſe paſſiua, Terram, & Aquam, & duo actiua Ignem, & Aerem. Vt autem rerum generatio ſequeretur, miſcuit elementa Deus; nec modo reperiuntur elementa pura, ſed mixta omnia ſunt, vt ſint ad generationem rerum accomodata. Hoc totum colligitur ex illis verbis *Gen. cap. 1. verſ. 2. Terra autem erat inanis, & vacua & tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi*. Quæ verba declarans Venerabilis Beda, *in cap. 1. Gen. tom. 1. pag 1. lit. F.* ait. *Quibus verbis videtur ſignificare infirmitatem materiæ corporalis; Terra enim, & Aqua tractabiliora ſunt ceteris*. Non ergo datur hæc prima, & informis materia ſecundum ſenſum Ariſtotelis; & illi qui colligunt eam ex inanitate terræ longè aberrant à vero; ſicut teſtatur Auguſtinus Steuchus *ap. Gloſſ. mag. martinenghi. tom. 1. pag. 326. Qui ergo Thou, & Bohu, materiam primam interpraetantur; cum toto cælo, vt aiunt, a ſacris ſcripturis diſſentiant, audiant quid Ioannes induſtrius vir, non tam optimus Chriſtianus, quam ſapientiſſimus Philoſophus, contra Proclum vociferetur. Dicit enim. Quapropter fabula commentitia eſſe demonſtrata eſt, incorporea, & informis materia, cui innituntur, authoritas, etiamſi ſexcenti Platones, reliquuſque antiquorum cathalogus, huius opinionem inuexerint*. Cum ergo materia Ariſtotelica commentitia ſit, reliquum eſt, vt præter elementa prima, alia materia non detur.

4 Deus igitur optimus maximus, in principio temporis elementa prima ex nihilo creauit; deinde omnes alias creaturas, mixta videlicet, non immediatè de nihilo, ſed de elementorum commixtione produxit. Hoc clarè colligitur ex modo loquendi ſacræ ſcripturæ; nam cum de elementorum effectione loquitur; *Gen. cap. 1.* ait, verſ. 1. *Creauit Deus Cœlum; & Terram, verſ. 3. fiat lux; verſ. 14. ſint luminaria in firmamento*; ſit *extenſio inter aquas, &c.* cum verò ad mixta peruenit, ait verſ. 11. *germinet terra herbam virentem* & verſ. 20. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile: Producat terra iumenta* &c & cum dixiſſet, *terra producat; aquæ producant*; ſubdit poſtea; *Creauit Deus Cete grandia &c. Et fecit Deus Beſtias terræ* &c. Etenim ſi Terræ, & aquæ mandatum eſt, vt producerent, quid addit *Creauit Deus*, aut *fecit Deus*, quæ Terræ, & Aquæ tribuuntur? Quia videlicet Terra, & aqua non actiuè produxerunt viuentia, ſed tantum, vt materia; quæ licet ex omnibus elementis facta fuerint, quædam tamen tribuuntur aquæ, & quædam terræ, propter ſimilitudinem, vel maiorem participationem: Optimè quidem Lyranus. *Producant Aquæ reptile animæ viuentis, & volatile &c Non quia Aues, & Piſces de ſola aqua ſint formati, ſed de quatuor elementis; tamen aqua ſola exprimitur propter quamdam conuenientiam cum iſtis. Habet enim aqua humorem, & vaporem, per humorem conuenit cum piſcibus, per vaporem, qui ſurſum eleuatur in aere, cum auibus. Conſiderandũ etiam, quod Aues & Piſces non ſunt producti ex aqua actiuè, ſed a Deo; paſſiuè autem ex elementis, vt dictum eſt*. Ex quibus determinandum videtur, nõ aliud eſſe materiam rerum naturalium, niſi aggregatum, quoddam elementorum, ac qualitatum eorum, ex quibus corpora, eorumque qualitates oriuntur: quòd ſi a corpore aliqua materia concipitur diſtincta, hæc ſolum per intellectus conſiderationem a corpore diſtincta eſt. Id docet D. Gregorius Niſſenus *lib. de opiſic. hom. cap. 24. pag. 90. lit. B. Nõ enim ex earũ rerũ numero, quæ ratione ſunt inueſtigata, tollenda eſt hæc de materie ſententia, quæ ſola mentis intelligentia ortam eſſe tradit: omnis namque materies qualitatibus quibuſdam prædita eſt, eis ſi reipſa priuetur, non iam amplius ratione comprehendi poterit*. Et poſt pauca concludit ſic *lit. D. Ergo ſi comprehenditur a mente color, ſoliditas, quantitas, attributa huiuſmodi cætera; quæ ſingula ſi rei ſubiectæ adimantur, tota corporis ratio diſſoluitur; verò nimirum conſentaneum erit, earum rerum concurſum naturam ex materie conſtantem efficere; quæ res ſi abſint, corpus interire videamus. Nam vt corpus non eſt, quod colore, forma, ſoliditate, ſpatio, grauitate, attributis cæteris præditum non eſt; ſicut & hæc ſingula corpus non ſunt, cum a corpore ſeorſum conſiderata, diſtingui poſſunt: Sic è contrario, vbi ea, quæ recenſuimus, coeunt, corpus conſtitui neceſſe eſt*. Idem etiam docet idem Sanctus Doctor in Hexæmeron. *pag. 4. lit. E. Itaque cum omnia poſſit, ad rerum procreationem ſapienti, potentique voluntate ſimul omnia contulit, leuitatem, grauitatem, denſitatem raritatem, multitudinem, duritiam, humiditatem, ſiccitatem, frigiditatem, calorem, figuram, circumſcriptionem, interuallum; quæ quidem ſingulæ ſunt tenues quædam, nudæque rationes; nihil enim horum vnum per ſe materia eſt, ſed cunctis inter ſe concurrentibus materia fit*. Non igitur præter congeriem elementorum, & qualitatum, alia concedenda materies eſt.

5 Ex his ſequitur modus, quo Corpus phyſicum cõponitur; id namque ex varia elementorum commixtione, & qualitatum alteratione conſurgit: & quò mixtũ perfectius eſt, eò maiorem alterationem elementorum admittit: quòd ſi Ariſtoteles volebat materiam eſſe primum ſubiectum, & in corporis diſſolutione vltimum ſecedere; certè cùm omnia corpora mixta in terrã tandem reſoluantur, eius materiam præcipuè terram eſſe, manifeſtum eſt; terra ergo eſt vltimum, quod de corrupto ſupereſt corpore, nec in aliud ſimplicius reſolui poteſt; ergo ipſa materia eſt; inde Homo mixtorũ viuentium nobiliſſimum, ab humo Homo nuncupatur, & in humum tandem abit; cui dictum eſt: *Gen. cap. 3. verſ. 19. Puluis es, & in puluerem reuerteris*: Ea propter de humani corporis compoſitione B. Albertus Magnus *lib. 1. de Anima Tract. 2. cap. 1. to. 6. pag. 17. col. 1.* hæc docet. *Sic eſt etiam de complexione membrorum hominum: quoniam niſi optimè contemperata, & depurata ipſa elementa, & remota longè a fæce contrarietatis non ſuſciperent tam nobilium organorum figurationem, & compoſitionẽ. Adhuc autẽ homo magis eſt compoſitus ex diuerſis, quam aliquod aliorum animalium: non*

enim fingitur, & componitur eſſe ſuum, niſi ex diuerſitate magna organarum. Non ergo dantur illa pura potentia, & ille purus actus, qui faciant vnum per ſe, cui accidentia ſubiectantur: Sed reuera corpus organicum hetherogeneum eſt, ex diuerſis ſubſtantijs conflatum. Quomodo autem ex phiſico corpore, & Anima fiat vnum, videbimus infra §. De cauſa formali.

6 Hæc autem ratio Ariſtotelem mouit ad inuentionem huius materiæ ingenitæ; quia videlicet cum aliquid ex alio producitur, videtur aliquid remanere in producto, quod erat prius in corrupto, Verbi gratia: Cum ex ligno producitur ignis, perit tantummodo forma ligni, ſed eius materia remanet ſub forma ignis; debet igitur dari aliquod ſubiectum in quo facta ſit hæc mutatio; ſed omnes ferè pereunt formæ ſubſtantiales, & accidentales, ergo ſola remanet prima materia. Confirmatur ratio; quia non videtur ad alicuius entis corruptionem, quod totum pereat, & ſecundum formam, & ſecundum materiam, quia tunc agens naturale poſſet annihilare, quod falſum eſt, quia ſequeretur quod poſſet etiam creare; nam ſi reducit ad nihilum, poterit etiam ex nihilo producere.

7 Reſpondetur tamen; quotieſcumque producitur ex vno ente aliud per generationem eſſe materiam aliquam ſub vtroque, non tamen primam, ſed elementa, & quidem dum fit aliqua vera generatio, illa pars materialis, in qua eſt virtus naturalis agentis remanet, non pura materia, ſed ſimul cum ſua forma. Quod ſic oſtenditur. Nulla datur maior rei alicuius corruptio, ſeu deſtructio maior, quã ea, quæ fit per ignem, qui videtur corrumpere omnia, & in cinerem redigere, quæ Terra eſt omni pinguedine priuata, quæ ceſſit in cibum ignis, & pereunte igne perijt illa materia ſimul cum ſua forma. Nihilominus in illis cineribus tota vis materialis, & formalis rei combuſtæ reperitur: nam ſi Verbi gratia, lignum ſit, quod comburatur, ex eius cineribus arte chimica ſeparatur ſal quoddam, in quo eſt virtus tota Plantæ, quod ſatum plantam denuò gignit; & quidam Phiſicus mihi familiaritate coniunctus dum eſſem in eius Ciuitate, quæ Phanum Fortunæ in Carpinea dicitur, teſtatus eſt; ſe decem plantulas eiuſdem ſpeciei ſeminaſſe, quas quotidie irrigabat cum hac tamen differentia, quod vnam ex illis irrigabat aqua admixta ſale, ex cineribus eiuſdem ſpeciei plantæ eruto, alias vero nouem communi aqua: & intra paucos dies obſeruauit plantulam illam aqua, & ſale irrigatam duplò maiorem alijs nouem excreuiſſe. Non ergo ſola materia prima (quæ nihil eſt) ſed aliqua totius compoſiti integra remanet pars: & aliqua ſimul cum forma totaliter corrumpitur. Sed enim neque datur mutua elementorum ad inuicem integra tranſmutatio; neque enim ignis aerem in ſe mutat, ſed deſtruit; neque aer conuertitur in aquam, ſed cum aliqua pars aquæ aeri commixta ſit, illa calore ſeparatur, & nobis apparet, quod aer in aquam ſit verſus; Ignis vnctuoſis, humidiſque nutritur ſubſtantis, non aqua pura, & elementari; cæterum ignis virtus eſt, cum corrumpit miſta, elementa ab inuicem ſeparare.

8 Ad Confirmationem dicitur: quòd ſi nomine annihilationis, largo modo ſumptæ, accipiatur deſtructio alicuius partis rei, & ſecundum formam, & ſecundum materiam, concedimus poſſe Agens naturale hoc modo annihilare; non tamen propterea ſequitur, poſſe etiam creare; quia minor virtus ſufficere videtur ad deſtruendum, quam ad efficiendum: ego enim poſſum interimere hominem, nõ tamen viuificare; frãgere vas luteum, ſed non fingere; deſtruere æneam ſtatuam, non efformare, &c. Multa ergo entia, & ſecundum formam, & ſecundum materiam partialiter pereunt: non tamen eſt rigoroſa annihilatio, quia vna deſtructa parte altera permanet.

§. IV.

De Forma Corporis cuiuſcumquè animati, Hominis præcipuè.

1 NVlla ergo ſimplex, inter materiales, ſubſtantia reperitur, niſi tantummodo elementa prima, quæcumque illa ſint: & conſequenter forma phyſica cõpoſitorũ corporũ, non eſt niſi aliquod compoſitũ, ſeu reſultans ex vnione rerum componentium: neq; enim inter lapidem natura productũ, & laterem arte conflatum aliquam in modo eſſendi differentiam agnoſco: Ea propter mixta communia, quæ ſine anima ſunt, nonniſi maxima violentia diſſoluuntur; non ſic viuentia, ſeu animata, verùm quantò perfectiora ſunt in gradu vitæ, tanto diutius perdurant animata, & conſeruantur amiſſa anima: Quæ verò perfectam animam habent, ſtatim anima deperdita ad diſſolutionem diſponuntur. Dicitur ergo Anima forma Corporis, non quia det ei eſſe ſubſtantiale corporeum, (hoc enim iam habet) verùm quia dat corpori potentiam vitaliter operandi, & conſiſtentiam, ſeu cohærentiam partium: actus vitæ principales ſunt nutritio, & generatio; quorum prima ad conſeruationem indiuidui, altera ad propagationem ſpeciei pertinet. Nullum enim propriè viuens eſt, in quo virtus generandi ſibi ſimile non ineſt, in quo propriè viuens a non viuente diſtinguitur: addunt his actibus animalia ſenſationem, & homo ratiocinationem. Anima ergo in communi eſt, *Principium intrinſecum operationum vitalium Viuentis*. Conſiſtit namque vita in operatione, quod enim non operatur mortuum eſt; hinc eſt quod Anima Plantarum, & Brutorum moritur ſeparata a corpore, quia extra illud operari non poteſt. Vtrum verò Anima hæc plantarum, Brutorumque, diuiſibilis, & materialis ſit necne, determinare non audeo; non enim colligi poteſt, nec ex vnione cum corpore, neque ex operationibus cum illo, nam rationali Animæ, quæ immaterialis eſt, ea omnia conueniunt.

2 Hæc de mixtorum viuentium, & non viuentium formis ſatis ſint. De Homine verò paulo aliter philoſophandum eſt. Homo eſt compoſitum duplex eſſe habens, nempe corporeum, & rationale: Vt Corpus eſt, eius forma conſurgit, vt aliorum mixtorum, ex plurium rerum, ex quibus componitur, aggregatione: deinde diuinæ ſapientiæ arcano conſilio, huic corpori ſubſtantia quædã immaterialis, ſeu ſpiritualis vnita eſt, quæ ſit illi principium viuendi, non ſolum nutritionis, generationis, & ſenſationis, verum etiam ratiocinationis, & diſcurſus. Cuius definitionem §. 2. *lit. in primum verſum tradidimus*. Ita ſentit D. Gregor. Nazianz. *orat. 26. pag. 169. col. 1. Ordo ex mixtura, partim ratione prædita, partim rationis experte Hominem, ratione vtens Animal, conſtruxit; atque arcano modo, & qui nullis verbis explicari queat, terrã cum mente, mentem cum ſpiritu vinxit.* Quod ex Iob didicit, dicente. *Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & neruis compegiſti me; vitã & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meũ.* His etiam ſubſcribit D. Ioannes Chriſoſtomus *ſerm. De lapſ. prim. hom. to. 1. col. 724. lit. C.* cũ enim aliud homo non ſit, niſi quoddam ex anima & corpore compoſitum; vbi hæc duo vniuntur ſtatim homo conſurgit. *Nec enim aliud homo eſt, quam corporis, animique concretio. Hæc enim duo quantum definitionibus differunt, tantum hominem, dum iunguntur efficiciunt.* Neque ab hoc ſenſu abhorret Eccleſia dum canit.

Naſcente qui mundo Faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo iugaſti ſpiritum.

Anima ergo humana ſubſtantia quædam perfecta eſt, ac per ſe ſine vlla dependentia ad corpus operatiua, nam ratione, & intellectu, prædita eſt; & cum

Digitized by Google

cum ſeparata a corpore potens ſit viuere, & vitaliter operari, intelligendo videlicet; corruptionis expers cenſenda eſt, nec ad corporis diſſolutionem perire. Vtrum autem Creator Hominis Deus ex omnino nihilo creauerit, & modo ere & animas, an de aliqua aerea, vel ætherea ſubſtantia; cum ſcriptum ſit *Gen. cap. 2. verſ.7. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*: Non omnino certum eſt: quia verò etiam ipſa vocatur ſpiritus, ſicut Angelica Intelligentia, eodem modo de illis philoſophari licet: conſule ergo literalem expoſitionem *in Verſum* 4. §. 1. *num.* 3.

3 Hac ratione ſuffultus D. Gregorius Niſſenus duplicem agnoſcit hominem, corpus, & animam: imò putat hominem verum Animum eſſe, corpus autem ſolummodo Inſtrumentum illius; veluti cithara Muſici: ſic omnes ſenſus non ſunt Homo, ſed inſtrumenta hominis; ſiquidem Homo verus animus eſt: etenim cum dixerit Deus. *Gen. cap. 1. verſ. 26 Faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Ille cenſendus eſt Homo, cui ineſt Diuinitatis Imago; Porrò hanc in ſolo animo eſſe manifeſtum eſt. Ait igitur Niſſenus *Orat. De format. Hom. pag. 30. lit. D. Duplicem agnoſco hominem, vnum qui videtur, alterum abſconditum, quem ille ipſe qui videtur non cernit; Interiorem igitur habemus hominem, & duplices quodammodo ſumus. Ego enim ſum ille, qui intus eſt homo: quæ vero ſunt extrinſecus non ego illa ſum, ſed illa ſunt mea: neque enim ego ſum manus, ſed ratio, quæ in animo eſt: manus autem exterioris eſt hominis pars: Quamobrem Corpus eſt hominis inſtrumentum, eſt animi inſtrumentum: Siquidem Homo propriè animo cenſetur: Faciamus Hominem ad imaginem noſtrã: hoc eſt: illi rationis præſtantiam tribuamus.* Hinc perbellè D. Ambroſius ea, quæ De homine dici poſſunt, tripliciter diuidit. Quædam ſunt eſſentialia omninò, ſine quibus homo non eſt, & quibus propriè homo eſt, ac de illo prædicantur in recto; & huiuſmodi eſt Anima, mens, & eorum potentiæ. Quædam verò prædicantur eſſentialiter de Homine, ſed non in recto; non enim pertinent ad rationem, ſunt tamen eius neceſſaria Inſtrumenta; & huiuſmodi ſunt, corpus, & eius ſenſus. Quædam tandem ſunt omninò accidentalia, & per accidens omninò prædicantur, & huiuſmodi ſunt bona huius ſæculi, quæ videntur noſtra eſſe, ſed non ſunt, nam deficiente corpore, nobis & ipſa tolluntur: Ita D. Ambroſius *lib. 6. Hex. cap. 7. pag. 47 lit. A. Aliud enim ſumus nos, aliud ſunt noſtra, aliud quæ circa nos ſunt. Nos ſumus, hoc eſt Anima, & mens: noſtra ſunt corpora & ſenſus: circa nos pecunia eſt, ſerui ſunt, & vitæ iſtius apparatus.* Heu quantum decipitur Homo, cùm amat ea, quæ circa eum ſunt, vt verum hominem perdat.

§. V.

De Fine, ad quem Homo directus eſt.

1 E*Xibit Homo ad opus ſuum.* Cum Deus nihil fruſtra efficiat, conſequens eſt, vt omnia, quæ producit, ad aliquem dirigat finem: Animalibus igitur cum dedit ſenſus, necnon peculiaria inſtrumenta organica, ad peculiares fines conſequendos direxit; Auibus verò pennas dedit, vt volatu ſuo ſibi neceſſaria perquirerent. Pariformiter Hominem cùm nudum, & inermem creaſſet, ei tamen rationem largitus eſt, vt per eam perfectius operando, nobiliora ſibi inſtrumenta compararet. Ideirco de eo dicitur: *Exibit Homo ad opus ſuum*; quaſi proprium ſit ſuum operari. Certè ſi viuens eſt, vita nonniſi in operatione conſiſtit. Hoc benè nouerat, qui dixit: *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum*: *Iob. cap. 5. verſ. 7.* Et doctiſſimus Lyranus; ſubtiliter, & veraciter hæc exponens, ait. *Eo enim ipſo, quod natura dedit Aui plumas, & alas, per hoc oſtenditur, quod naſcitur, vt per volatum quærat ſibi victum: quia res naturales ſunt propter ſuas operationes: eodem modo, eo quod Homo naſcitur nudus tegumento, & armis; quia natura non dat ſibi veſtes, & arma, ad ſe veſtiendum, & ſe defendendum ſicut dat auibus plumas ad cooperiendum, roſtrum, & vngues ad ſe defendẽdum: oſtenditur quod Homo naſcitur, vt per laborem manuum ſuarum faciat ſibi veſtes, & fabricet arma.* D. Gregorius Romanus, conſiderans, quòd Deus homini dederit mentem, & rationem, operari ſuum in ſola ratiocinatione ſua conſiſtere docet; quapropter, ſi huius tranſitoriæ vitæ aduertit miſerias, cognoſcet vtique ſibi ad æternitatem euolare neceſſe eſſe, & ex infirmitate carnis animi fortitudinem dependere: ait namque *lib. 6. cap. 7. moral. pag. 437. lit. D. E. Ad laborem quippe naſcitur homo, quia nimirum is, qui accepta præditus eſt ratione, conſiderat, quod valdè ſibi ſit impoſſibile, vt hæc peregrinationis ſuæ tempora ſine gemitu euadant. Homo ergo ad laborem naſcitur, & Auis ad volatum, quia inde mens ad interiora euolat, vnde caro in infimis durius laborat.* Idipſum apertiſſimè docet ipſa hominis creatio; vix enim vitali ſpiritus decoratus Homo, ſtatim a Deo in deliciarum Hortum translatus eſt; neque ſolummodo vt eius delicijs frueretur, ſed, *Vt operaretur, & cuſtodiret illum Gen. cap. 2. verſ. 15.* En quomodo vix natus labori addictus eſt: & quamuis opus non fuiſſet tædioſum, moleſtum, & omnino laborioſum, opus tamen erat: vt videlicet cognoſceret, otio ſe non natum, ſed operi; quandoquidem ſine occupatione eſſe in ipſis ſummis delicijs non potuiſſet. *Voluit tum* (ait Chriſoſtomus) *Hom. 14. in Geneſ. col. 74. lit. C vt paruam quandam, ſibique congruam gereret curam, partim cuſtodiendo, partim operando. Erat tamen operatio tunc ſine labore. Dederat enim occupationem quandam, quæ neque dolorem, neque moleſtiam afferret.* Ad operationem ergo, laboremque homo natus eſt; ſed minimè cenſendum, eum laborem ſibi finem eſſe, qui ſenſus exerceat, hoc enim ad irrationalia pertinet; ſed inueſtigandus eſt labor, & operatio captanda, quæ rationi conueniat.

2 Hominis ratio, quam dedecet otioſitas, ad triplicem operationem a Deo creata eſt; atque ad triplicem finem ordinata. Quod colligitur ex eo quod ad Dei imaginem condita ſit, quæ imago non conſiſtit in potentijs, quæ in Deo duæ tantummodo ſunt, ſicut & in nobis, ſcilicet Intellectus, & Voluntas; nam memoria eſt ipſe intellectus ſpeciebus rerum repletus, vnde ab eo, nec formaliter differt. Itemque in Deo duę ſunt productiones, generatio per Intellectum, & ſpiratio per voluntatem; ex quibus tres perſonæ, realiter diſtinctæ oriuntur, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus ſanctus; Ita pariformiter in nobis, non in potentijs, ſed in operationibus potentiarum ponenda eſt Trinitatis Imago; vt bene docet Magiſter meus, *Scotus in 2. ſent. diſt. 16. quæſt. 1. lit. N.* & ſubtiliſſimè *Ex hoc dico ad formam Quæſtionis, quod Imago non conſiſtit in aliquibus tribus potentiis realiter diſtinctis, ſed conſiſtit in aliquibus realiter diſtinctis, puta in actibus.* Et poſt pauca. *Anima autem repræſentat totam Trinitatem. In quantum enim eſt vna eſſentia habens intellectum, & voluntatem, repræſentat diuinam eſſentiam; non ſic autem tres perſonas; quia eſſentia, & Intellectus, & Voluntas ſunt in qualibet Perſona. Repræſentat autem tres Perſonas, vt potentiæ ſuæ ſunt ſub actibus ſuis, quia vnus actus eſt ab alio per modum originis, ſicut Perſonæ inter ſe originantur.* Operationes, verò, ſeu actus, in quibus conſiſtit Imago, vt ipſemet Scotus ex Diuo Auguſtino *in 1. ſent. diſ. 27. q. 1 in corp. lit. D.* refert, ſunt. *Mens, Notitia, & Amor*, intelligẽdo pro mẽte operationẽ rationis. ait enim. *Eſt igitur quædã imago Trinitatis ipſa mens, & notitia eius, quæ eſt proles eius, ac de ſe ipſa verbum eius; & Amor tertius.* Hinc ſequitur quòd diuinis Perſonis appropriantur quædã ſpecialia attributa, nimirũ Potentia Patri, Sapiẽtia Filio, Amor Spiritui ſancto; &

Digitized by Google

in his oportet etiam in homine eſſe imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis. Tunc ergo operatur Homo, vt Dei Imago eſt, dum ſecundum Dei voluntatem in ſibi ſubdita dominium exercet; dum virtutes proſequitur, veramque ſectatur ſapientiam, dum Deum, ac Proximum diligit; ad hos enim actus, tanquam ad proprium finem creatus eſt. Id teſtatur Nicetas *in commen. orat. 39. D. Greg. Naz. nu. 18. Deus enim ob has tres cauſas nos creauit, vt bonorum operũ ſtudio incumbamus vt ad gloriam ipſius ſimus; vt ipſum pro viribus imitemur.*

3 Prima ergo Diuinæ Imaginis pars, quæ Patrem æternum referat, Potentia eſt; Et Deus primò creauit Hominem, vt eſſet omnium creaturarum, viuentium maximè, Princeps, & Dominus: & in hoc principatu Imaginem diuinam primò conſiſtere, colligitur ex ſacris literis; dum enim de hominis creatione in ſacro Trinitatis collegio, a Patre Concio haberetur, hæc propoſuit: *Gen. cap. 1 verſ. 26. Faciamus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus Maris, & volatilibus Cæli, & Beſtijs, vniuerſæque terræ.* En quomodo ad imperium Creaturarum Homo factus eſt, vt rationis conſilio illis imperans, ipſas regens, Dei potentiam imitaretur. Ita per optimè Rabanus *lib. 1. in Gen. c. 7. to. 2. pag. 10. lit. A. Quia nimirum in hoc maximè factus eſt homo ad imaginem Dei, in quo irrationabilibus Animantibus antecellit; capax videlicet rationis conditus: per quam & creata quæque in mundo, rectè gubernare, & eius qui cuncta creauit poſſet agnitione perfrui.* Sed & D. Gregorius Niſſenus idipſum teſtatur *orat. 1. de Form. Hom. pag. 31. lit. B.* dicens: *Faciamus hominem, & præſit: vbi eſt imperandi vis, illic & Imago Dei.* Notat autem Chriſoſtomus *Hom. 8. in Gen. tom. 1. col. 41. lit. A.* modum loquendi Dei; nam cum dixiſſet, *Faciamus Hominem*, ſtatim & abſque interuallo ſubdidit, *& præſit piſcibus maris* &c. Vt ſimul indicaret opus faciendum, & tanti operis finem, vt ſcilicet, iam creatarum rerum principatum aſſequeretur. *Neque enim cum dixit: Faciamus Hominem ſecundum imaginem noſtram, & ſecundum ſimilitudinem noſtram: hic ſermonem finiuit, ſed per ea, quæ adiungit manifeſtum nobis facit, quo ſenſu nomen imaginis poſuerit: Quid enim dicit? Et dominetur piſcibus maris, & Volatilibus &c. Imaginem ergo dixit de Principatu, de Dominio, non de aliquo alio.* Per creaturarum dominium ergo, quod ſecundum rationem exercet homo, Imaginem diuinam ſecundum potentiam repræſentat, & iſte eſt primus Finis, propter quem creatus eſt.

4 Secundus Finis, primo nobilior, & præſtantior, eſt veræ ſapientiæ, quæ in virtutum praxi conſiſtit, acquiſitio; Veterum enim Philoſophorum, ante Ariſtotelem, mos fuit ſapientiam ad motum compoſitionem inquirere, quare vnuſquiſque iuxta ſuæ ſectæ præſcripta viuebat: ex quibus deducere licet, veram ſapientiam in exercitatione virtutum conſiſtere, quando cò comparantur habitus, vt bona per eos opera exerceantur. Id docet apertè Dominus in Euangelio, dum ait: *Matth. cap. 11. verſ. 25. Confiteor tibi Pater Domine Cæli & terræ, quoniam abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentib. & reuelaſti ea paruulis:* ſapientes enim vocat, qui ſolum ſcire, nec operari ſatagunt: quare ait D. Ioan. Chriſoſtomus *Hom. in Matth. tom. 2. col. 747. lit. H. Sapientia quidem eſt, non eloquia Dei ſcire, ſed ſecundum eloquia Dei viuere.* Quam ſanctorum ſapientiam deſcribens D. Greg. Magnus *lib. 10. c. 16. mor. pag. 560. lit. A.* ait. *Sapientia iuſtorũ eſt, nil per oſtenſionẽ fingere, ſenſũ verbis aperire, vera vt ſunt diligere, falſa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quã facere, nullã iniuria vltionẽ quærere, pro veritate cõtumeliam lucrũ putare.* Hic igitur finis eſt, propter quẽ creauit Deus hominẽ, vt virtutibus operã daret, vt hanc verã ſapientiam labore impigro compararet; & ne a laborioſo ſtudio abhorreret, æterna præmia laborantibus repromiſit; vt quicumque virtutis iter ingrediuntur, ſpe præmij inlecti cœptum bonum proſequantur. Hanc cauſam ſui ſtudij reddebat Pſaltes, dum canebat: *Pſal. 118. verſ. 112. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Quò videtur reſpexiſſe Lactantius *Inſtit. Diu. lib. 5. cap. 14. tom. 3. Biblioth. VV. PP. pag. 284. lit. E.* dum docuit: *Deus enim, qui homines generat, & inſpirat, omnes æquos, ideſt pares eſſe voluit, eamdem conditionem viuendi omnibus poſuit, omnes ad ſapientiam genuit; omnibus immortalitatem ſpepondit.* Quibus ſimilia admodum docet paulò inferius *lib. 6. cap. 9. pag. 296. lit H. Si autem virtus (vt ab his rectiſſimè dicitur) capeſſenda eſt, quia conſtat ad eam naſci hominem; ſubeſſe debet ſpes aliqua maior, quæ malorum, & laborum, quos perferre virtutis eſt, magnum afferat præclarumque ſolatium.* Cognouit & hoc ipſe Cicero, qui de legibus diſferens, fatetur *Sed omnium, quæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profectò præſtabilius quam planè intelligi, nos ad iuſtitiam eſſe natos.* Finis ergo vltimus hominis, cum ſit æterna beatitudo Finis tamen mediatus, ob quem homo in hac ſæculi vita poſitus eſt, virtutis exercitatio eſt, vt per eam mereatur æternam felicitatem.

5 Tertius Finis præſtantiſſimus, ad quem naſcitur Homo, eſt Dei gloria, & laus, nam ad Deum celebrandum tenetur: & Deus hac de cauſa illum produxit: quod ſapientiſſimus teſtatur: *Prouerb. cap. 16. verſ. 4. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Vbi ly *propter ſemetipſum* vertit Rabbi Salomon, ad laudem ſuam, vt refert Cornelius a lapide *in Prou. pag. 391. col. 1. lit. C. Rabbi Salamon* למענהו *vertit ad ſuam laudem:* ענה *enim ſignificat canere, & laudare.* Etenim idcirco homines ſuam imaginem, vel pingere, vel cælare cupiunt, vt per eam laudentur; cum ipſa ſuum Artificem laudare minimè poſſit alijs tamen occaſionem porrigit, ſi pulchra ſit, celebrandi effictorem. Deus igitur ex limo humanam hanc ſui imaginem finxit, & rationis capacem fecit, vt ipſa ſuum effectorem laudibus concelebraret; vti docet Diuus Gregorius Niſſenus *orat. 2. de format. hom. pag. 38. lit. E. Tu es vas a Deo fictum, atque conſtatum, lauda effectorem tuum, neque enim aliam ob cauſam factus es, niſi vt ad Dei gloriam celebrandam eſſes inſtrumentum accomodatum.* Reddit huius rationem alter Gregorius, Nazianzenus ſcilicet; *orat. 39. pag. 238. col. 2.* nam ſicuti in Cœlo reperiebantur cœleſtes intelligentiæ, quæ ſuo cantu omnipotentem Creatorem laudabant, ita etiam congruum erat huiuſmodi laudatores etiam in terra reperiri. *Quæ cum ita ſe habeant, immo cum hoc ita ſe habeat: atque adorationem nequaquam ſupernis tantum ſpiritibus definitam, & circumſcriptam eſſe definiret; ſed & inferos quoſdam adoratores eſſe deceret, vt omnia Dei (quandoquidẽ omnia Dei ſunt) gloria implerentur; eam ob cauſam homo creatur, diuina manu, & imagine ornatus.* Sed cur ad rationẽ diuinæ Imaginis diuina laus, & gloria, ac cæleſtium contemplatio pertinet? Mitltum per omnem modum; Primò quidem, vt ſe in laude Dei opus ſuum ſe fateretur, ſecundò vt ſic ſimilior illi eſſet. Libet hic apponere ſubtiliſſimam Doctoris mei ſpeculationem. Ait enim, quòd licet ſemper in actibus humanis ſit Dei Imago, nihilominus tunc perfecta imago eſt cum de Deo cogitat, tunc enim non ſolum formaliter, verum etiam obiectiuè Trinitatem refert. Verbi gratia, ſi quis Ciuitatis cuiuſdam imaginem exprimere vult, poteſt eam in tabula coloribus exprimere, & erit vtique Imago, ſed non omnino perfecta, cum tabulam pro ſubiecto habeat; ſi autem ipſam lateribus, & lapidibus, ac gypſo effingeret, tunc eſſet perfecta Imago, quia non ſolum referret ſimilitudinem formæ, ſed etiã materiæ ciuitatis &c. Ita nos, cum ex mente notitiam, & ex vtraque amorem gignimus, in ſpeculando aliquam rem extra Deum, ſolum Trinitatis diuinæ aliquam ſimilitudinem exprimimus; ſed cum Deũ cogitamus, quia noſtra notitia, & amor noſter, ſunt

circa

Digitized by Google

circa idem ſubiectum, ideſt Deum, circa quod notitia diuina, diuinuſque amor ſunt, tunc expreſſiſſimam, & veram Dei Imaginem repræſentamus. Sed Scoti noſtri verba referamus *ex 2. ſent. diſt. 24. qu. 1. Ad prim. lit. D. Potentiæ autem animæ poſſunt conſiderari, vel reſpectu temporalium, vel reſpectu æternorum. Et vt reſpectu æternorum habent quandam ſpecialem ſimilitudinem, ratione qua eſt expeſſior imago in ipſis, quam vt ſub actibus reſpectu temporalium: minus enim repugnant memoria, intelligentia, & Voluntas creatæ, vt ſunt reſpectu æternorum, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto æternis; quam vt ſunt reſpectu lapidis, vel alterius obiecti temporalis*. Laudare ergo Deum finis Hominis eſt, nam ſi contemplando Deum in eius imaginem, vt fatetur Apoſtolus mutamur. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginẽ transformamur*. Qui Deum laudat, cum neceſſario contemplatur.

6 Hac de cauſa erectam homini faciem datam, & Ethnicus Poeta cognouit; cecinit namq; Ouidius *lib. 1. Metamorph.*

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terras,
Os homini ſublime dedit; Cœlumq; videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Vt ſcilicet, addit Lactantius *de opific. Dei. cap. 8. tom. 3. bibl. Vet. PP. pag 351. lit. A.* cognoſceret ſe diuina cogitare debere, cum diuinam habeat ſimilitudinem; cum omnia creatorem ſuum creata teſtentur, ſolus Homo, ad Cælum ſimul cum facie mentem erigendo, imagine ſimillima Creatorem ſuum demonſtrat. Ita ille. *Cum igitur ſtatuiſſet Deus, ex omnibus animalibus ſolum hominem facere cœleſtem, cætera vniuerſa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque coſtituit: ſcilicet, vt eadem ſpectaret, vnde illi origo eſt. Hominis itaque ſolius recta ratio, & ſublimis ſtatus, & vultus, Deo Patri communis, ac proximus, originem ſuam, Fictoremque teſtatur*. Finis ergo, ſeu cauſa finalis Hominis triplex eſt; vt creaturis imperet, vt per virtutum ſtudium ad gloriam æternitatis tendat, vt laudando, & contemplando Deum, in eiuſdem Imaginem transformetur.

§. VI.

Ex dictis colligitur quid ſit Homo.

1 EX omnibus quæ de Homine hucuſque probauimus, colligenda eſt eius eſſentia, & definitio. Non poteſt namque a priori aliqua res cognoſci, niſi antea cauſæ cognoſcantur; declaratis ergo Hominis Principijs, & cauſis, facilè cognoſcemus, quid ille ſit. Prima ergo Hominis cauſa effectiua eſt Deus, non ſolum vt cauſa vniuerſalis, ſed ſpecialis, nam ipſe ſolus Animam, quæ eſt principalior Hominis pars, ereat, & vnit corpori. Idcireo Iob *cap. 10. verſ.* 8. dicebat: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me*, & ibi Lyranus. *Manus tuæ, ideſt Potentia tua operatiua: fecerunt me; quantum ad animam, quæ fit per creationem: & plaſmauerunt me; quantum ad corpus, quo anima circumdatur, velut veſtimento quodammodo:* ſecunda verò cauſa ſunt Pater, & Mater, ideo homines ſæpe in ſcriptura appellantur filii hominum; & quod de Matre etiam intelligatur, patet in Chriſto Domino, qui cum ſe filium hominis vocet, per hominem matrem intelligit, quam veram cauſam effectiuam ſecundam ſuæ humanitatis habuit. Aduertit hic ex D. Auguſtino Cardinalis Hugo Chriſtum dici quidem natum de Spiritu ſancto, non vero filiũ Spiritus ſancti; e contra dicitur natus de Virgine, & Filius Hominis ideſt Virginis; quia Spiritus ſanctus fuit cauſa effectiua tantum prima, quæ communis tribus cauſalitas ſibi appropriatur: B. Virgo fuit vera cauſa ſecũda in ſui ſimilitudinem generans ſibi filium, Ieſum ſcilicet. Ait ergo ille *in c. 1. epiſt. ad Rom. to. 7. pag. 6. col. 4. Quod dicit Auguſtinus quod nullo modo eſt filius Spiritus ſancti, intelligit, quòd cum dicitur natus de Spiritu ſancto, innuit, quod, De, non tenetur materialiter, ſed effectiuè; quaſi dicat; nullo modo eſt filius, ſicut in his inferioribus dicitur filius, qui de ſubſtantia Patris, & Matris portionem accipit*. De immaculata verò Virgine paulo inferius ait. *Ex ſemine Dauid, ideſt, ex portione carnis, quæ fuit vice ſeminis. Filius Hominis, ideſt Beatæ Virginis, natus ſecundum veritatem naturæ.* Ergo cauſa prima effectiua Hominis Deus, Secunda Parentes.

2 Materialis vero cauſa prima elementa, ſed principaliter duo primaria Terra, & Aqua; quod inſinuat ſcriptura dicens: *Gen cap. 2. verſ. 7. Formauit igitur Dominus Deus Hominem de limo terræ*: quæ verba declarans doctiſſimus Pererius *lib 4. in Gen. pag. 522.* ait. *Noſter Interpres, non puluerẽ, ſed limum vertens, declarare voluit, materiam, ex qua formatum eſt corpus hominis non fuiſſe puluerem &c. ſed fuiſſe puluerem mixtũ cum aqua, vel terram limoſam, ac cœnoſam, quali nempe vti ſolent figuli*. Porro formalis cauſa duplex eſt, altera rationalis, quæ eſt Anima, & eſt ſubſtantia immaterialis dans corpori vitam, & intellectum; de qua D. Bernardus *ſer. 81. in Cantic. pag. 356. lit. A. Vita anima eſt, viuens quidem, ſed non aliunde, quam ſeipſa, ac per hoc non tam viuens, quam vita, vt propriè de ea loquamur. Inde eſt, quod infuſa corpori viuificat illud, vt ſit corpus de vitæ præſentia, non vita, ſed viuens*. Et fusè proſequitur, de ratione & libertate Animæ humanæ. Forma alia, corporis ſcilicet, non eſt ſimplex quid, ſed reſultans ex mixtione elementorum; vt ait idem mellifluus Doctor *loc. cit. Eſt pecorum, eſt & arborum vita, ſenſu altera vigens, altera carens; At neutri tamen idẽ eſſe, quod viuere eſt: cum (vt quidem multorum opinio eſt) ante in elementis, quam vel illa in membris, vel iſta in ramis extiterint. At ſecundum hoc, cum deſinunt viuificare ſimul viuere ceſſant ſed non & eſſe: ſoluuntur pariter, & diſſoluuntur, tanquam non allegatæ tantum, ſed colligatæ, neque enim vnum ſimplex eſt quæq; earum, ſed ex pluribus conſtans, & propterea non redigitur in nihilum, ſed diſſiliit in partes, vt & ad ſuum quodque recurrat principium: verbi cauſa aer ad aerem, ignis ad ignem, & reliqua in hunc modum*. Cauſa tandem finalis eſt iuſtitia, qualis decet Imaginem Dei; & idcirco anima numquam ſaturari, niſi in Deo poteſt, nam tunc perficitur Imago, cum vnitur prototypo. Idem Bernardus *ſer. de verb. Euang. dix. Sim. Petr. ad Ieſum. ſeu Declamat. pag. 626. lit. A.* hæc habet. *Panis namq; Animæ, Iuſtitia eſt, & ſoli beati, qui eſuriunt illum, quoniam ipſi ſaturabuntur. Nimirum ad imaginem Dei facta Anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt non implebit.*

3 Sic ergo breuiter Cauſis Hominis in memoriam reuocatis, ex ipſis debet elici Hominis definitio, quæ quidem Definitio optima erit, ſi omnes breuiter cauſas explicabit. D. Gregorius Niſſenus *orat. 1. de Format. Homin. pag. 322. lit. E.* & eius frater D. Baſilius *Hom. 10. in Hex. pag. 37. lit. A.* ſic definiunt Hominẽ. *Ex his, quæ de ipſo nouimus, & audiuimus, eum definiamus. Neque enim iam opus eſt, vt alienas definitiones numeremus, neque eas ab externa narratione ſumptas in oratione veritatis inſeramus. Homo eſt opus Dei ratione præditum, ad eius, a quo creatum eſt, imaginem factum.* Verum hæc definitio aliqualiter ſuppleri debet, nam deficit in cauſa materiali: ſic ergo a nobis definitur Homo. *Homo eſt opus Dei luteum, ratione præditum, ad ſui Conditoris imaginem, & gloriam factum*. Hæc Definitio ex hucuſque declaratis optima demonſtratur.

Digitized by Google

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

IAm Sol Diuinus exortus eſt, & in Eccleſia rutilans feliciſſimum adduxit diem; ſcilicet, ſub cuius clariſſimo lumine, veritas innoteſcit. Nox præceſſit erroris; tenebræ diffugere ignorantiæ, caligo deceptionis erupit; reſtat vt nos, vt homines ad opus egrediamur: vt per ſemitam Iuſtitiæ perueniamus ad gloriam. Rurſus nox ſuperuentura eſt, in qua operari non licebit; nunc ergo operemur, ne ſaltem æterna ſit nox illa, quæ mortem adducit.

SVMMARIVM.

1 *Tempus merendi, & benè operandi vita eſt præſens.*
2 *Operari bonum perſeueranter vſque ad mortem neceſſe eſt.*
3 *Homo omni temporis momento debet exercere virtutem.*
4 *Vita præſens tempus laboris, cui ſuccedit æterna requies.*
5 *Præmium futurum præſentem laborem minuit.*
6 *Exeundum de mundo eſt, vt vera acquiratur virtus.*
7 *Opus Chriſti proprium ſaluare eſt.*

§. I.
Tempus merendi, & bene operandi, vita eſt præſens.

1 E*Xibit Homo ad opus ſuum*: Nox homini requiem adfert, Belluis prædam; nocte enim laborant, vt eſcam ſibi viribus comparent. Vt vero formoſus Sol ſuos radios longè, latèque diffundens, diem efficit, ad ſuas ſpeluncas fugiunt, & ſe condunt Feræ: Homo autem, nocturnam remouens requiem, ad operandum egreditur. Eques ad paleſtram ſe exercet, Villicus ad rura contendit, ad paſcua gregem minat Paſtor, miles ad arma currit, gimnaſium ſtudioſi replent, Eccleſiam Sacerdotes: Artifices ſuis incumbunt operibus, frangitur Æquor remis; ad curiam purpurati conueniunt; omnisq; populus ad victum, & gloriam comparandam aſſiduo labore deſudat. Haud ſegnius Chriſtianis pro vera virtute comparanda operandum eſt: ſiquidem, veræ fidei lumen exortum ad virtutum, meritorumque acquiſitionem nos prouocat: ſermo Dei Sol eſt, ſupra Horizontem Apoſtolico labore iam ſplendet; receſſerunt belluæ infidelitatis, Idololatriæ, Dæmonum, operari oportet bonum dum dies eſt, & lux permanet; vita enim præſens dies eſt, in qua operari licet, antequam nox mortis ſupra nos expanſis aduolet alijs, ac lumen abſcondat. Hoc videtur nobis ſuadere Pſalmus, dum ait: *Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur: exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuum vſque ad veſperam.* Quaſi dicat: dum vita fruimur præſenti operari oportet, vſque ad veſperam mortis, tunc enim amplius merendi tempus non erit, ſed colligendi fructus, ſi quos ad vitam æternam ſeminauimus. Ita teſtatur D. Hieronymus *lib. 3. in epiſt. ad Galat. to. 6 pag. 157. lit. H. Ortus eſt nobis Dei ſermo, Sol verus; & congregatæ ſunt beſtiæ recedentes in cubilia ſua; procedamus, vt homines ad opus noſtrum, & vſq; ad veſperam laboremus; ſicuti myſticè cantatur in Pſalmo. Ortus eſt Sol, & congragati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur: exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.*

2 Merito quidem diurno tempori aſſimilatur vita præſens, cum laboribus ſit deputata, cui requies veluti nox ſuccedit. Poteſt etiam aſſimilari tempori ſementis; nam Hyemis tempore colonus valde laborat in arando, vel fodiendo terram, & in ſpargendo ſemina, cum verò Æſtatis tempus aduenerit, tunc cum lætitia fructus colligit, quos cum labore, & triſtitia ſeminauit. Quis neſciat Hyemem eſſe ſæculum iſtud? quandoquidem animæ de ipſo exeunti, & ad æternam vocatæ requiem; dicitur: *Cant. cap. 1. verſ. 11. Iam enim Hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, ſurge amica mea, & veni*: cum igitur Hyems ſit, tempus laborandi, & ſerendi eſt. hic ſemina virtutum, & meritorum iacienda ſunt, vt poſtea æternitatis legantur fructus: quiſquis enim dum ſementis tempus eſt non ſeminat, adueniente Æſtate mortis, nihil habens quod colligat, fame peribit. Hoc & de ſe ipſo teſtatus eſt Dominus Ieſus, inquiens *Ioan. cap. 9. verſ. 4 Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: veniet nox quando iam nullus poterit operari.* Quòd ſi Redemptor mortalium noctem laboribus ineptam pertimeſcebat, quid nobis faciendum putamus? operari ſcilicet ne timeamus: vti fatetur D. Hieronymus loc. cit. *Tempus ſementis (vt diximus) tempus eſt præſens, & vita, quam currimus: in hac licet nobis quod volumus ſeminare. Cum iſta vita tranſierit, operandi tempus aufertur. Vnde & Saluator ait: operamini dum dies eſt; veniet nox quando iam nullus poterit operari.* Diem habemus, fratres, ergo operemur, ne noctis tenebris inuoluti pereamus.

3 Sabbathi diem ſi gloriæ æternæ ſymbolum dixerimus, haud a vero elongabimur; nam ſicuti per ſex dies operando mundum creauit Omnipotens, & die ſeptima requieuit, ita per ſex millia annorum ſpatium putant nonnulli mundum duraturum, cui ſuccedet Æternitas. Sic vita præſens ſex diebus laboris comparatam, ſabbathum mortis expectat: Porro ſicuti filii Iſrael ſexta feria iubebantur parare cibos, quos ſabbatho comederent, in quo laborare nefas erat; ſic nos in feria ſexta vitæ huius debemus præparare bona, quibus in æternitate fruamur. Figuratum hoc habemus in man, quod pauit filios Iſrael in deſerto, quod colligebatur per ſingulos dies excepto ſabbatho: ſed duplum colligere antecedenti die debebant: ita Moyſes *Exod. capite 16. verſ. 5. Die autem ſexto parent, quod inferant, & ſit duplum, quam colligere ſolebant per ſingulos dies.* Hoc Sabbathum ait Rupertus, eſt æterna requies, in qua operari, & mereri non licet, nec colligere man meritorum poterimus; ſed vnuſquiſque, quæ in hoc ſæculo collegerit, comedet, iuxta huius vitæ merita, gloriam conſequetur. ait ergo ille *libro 3. capite 13. in exod. tomo 1. pagina 246 colum. 2. Si ergo verum Dei agnoſcimus ſabbathum, vbi requieſcente illo, & lætante in operibus ſuis, nunc depoſito carnis onere cum eo requieſcunt animæ Sanctorum: ſciamus & illud, quia Manna, quod nobis datum eſt, Sabbatho non inuenietur, vt colligatur, ſed quod ante collectum eſt, tunc manducabitur, quādo facie, ad faciem videbitur.* Hęc cum ita ſint, Sabbathi requiem non expectat, qui ſaluris opera negligit operari.

4 Qui-

4 Quibuſdam in locis, Reo in carceribus conſtituto, ac alicuius criminis accuſato, ſpatium quoddam aſſignatur vt poſſit defenſiones ſuas, ſi quas habet, excogitare, quo tranſacto, dicendi tantum tempus eſt, non amplius cogitandi. Nobis ergo datur ſpatium præſentis vitæ ad cogitandum quid Deo in iudicio reſpondeamus. Neq. efficacior apud ipſū probatio, quam de peccatis exhibita, ac ſuſcepta pœnitentia: hoc ſuadebat Ioannes. *Pœnitentiam agit, appropinquauit enim regnum Cœlorum, Mato c.3.v.2* Nam ſi pœnitentes ad iudicium properabimus, liberabimur vtique. Quid ergo morâmur? cur pœnitentiam non amplectimur: cur rationes validiores, quæ veniam impetrent, non excogitamus? Hora vna nobis ad dicendum aſſignata erat, en elapſa ferè, vt modicum reſtat tempus, ſi id pœnitentiæ non datur, reliquū pœnæ dabitur: Hæc hortatur D. Petrus Chriſologus, *ſer. 167. pag. 391. col. 2. Pœniteamus fratres, pœniteamus cito; quia nobis ſpatium temporis, iam negatur, iam nobis ipſa hora concluditur, Iudicij præſentia iam nobis ſatisfactionis locum excludit.* In Ianuis Iudiciū eſt, tempus præteriit mors feſtinat, operari pœnitentiam oportet, vt ſalui ſimus.

5 Antequam ad finalem ſententiam deueniatur, ſpes aliqua euadendi ſupplicium ſubeſt, & tunc vel Iudicem deprecari, vel rationibus ſatisfacere, vel muneribus placare poterit reus. Dum verò lata ſententia eſt, ſuppliciū tantum ſupereſt: nulla iuuat aut dicendi facundia, aut rationum congeries, aut humilis ſupplicatio, ſententia lata, moriendum eſt. Idcirco nos qui in durum venturi ſumus iudicium, in quo æternæ mortis ſupplicium formidamus, nunc indeſinenter operari debemus, vt per noſtra bona opera liberari mereamur; poſtquam enim dānati fuerimus, nec pœnitentia, nec vllum opus bonum iuuabit. Sapientis admonitio hæc eſt, Eccle. c.9. verſ. 10. *Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Quaſi diceret; niſi nūc Iudicem æternum operibus iuſtitiæ, & pœnitentiæ placare conaberis, pro certo habe, quod in morte data ſententia, tibi nec ratio, nec ſcientiam ad vitam iuuabunt; tempus illud veniæ clauſum, iuſtitiæ patet. *Tantum enim,* ait D. Bernardus, *de mod. ben. viuendi, ſer. 69. col. 1311. lit. L. in hac præſenti vita licitum eſt operari bonum. In futura namque vita, iam non expectatur operatio, ſed bonorum retributio.* Illius felix erit ſententia, cuius multa erunt merita; multum habebit gloriæ, qui benè operatus eſt.

6 Nonne videmus nos Formicam, puſillum quidem mole animal, ſolertia magnum: quæ, dum tempus congregandi frumenti eſt, ac Æſtatis vbertas, ac ſerenitas commoditatem exhibet, ſedulo labore congregat frumenta, aliaque nutrimenta, ac in viſceribus terræ elaboratis, & effectis Horreis, ea eſcis replet, vt habeat in hyeme quid manducet. Pudeat hominem à tantillo animalculo prudentia ſuperari, dum congregari cibos, quos in altera habeat vita, negligit: neque imitari dedignatur, quod erudire non poteſt: dic quæſo, quis formicam hoc docet? quæ ſapientia dirigit? quis Princeps mandat? quis Præceptor imbuit? quis Dux propoſito vrget præmio, vel terret ſupplicio? nullus equidem; ſufficit ſibi à Deo indita naturalis ſolertia, ipſe ſibi dux eſt, & præceptor: hunc ergo magiſtrum ſequatur homo: & dum viuit frumenta virtutū congreget, quibus in morte fruatur. Audiat Sapientis conſilium, Prou. c.6. v.6.7. & 8. *Vade ad formicam, o piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam. Quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat. Vſquequo piger dormies? quādo conſurges è ſomno tuo?* Digna Sapiētē exprobratio, cui addit Gloſſ. ord. *Si tantillum animal Principe carens, rationis expers, natura duce ſibi in poſterum prouidet: multò magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam eius gloriam vocatus, Doctorum tanto magiſterio adiutus, ipſum conditorem habens ducem, debes in præſenti fructum bonorum operum congregare, quibus in æternum viuas in futuro. Hæc vita meſſi comparatur, & æſtati, quia nunc inter ardores tentationū tempus eſt colligendi futurorū merita præmiorum.* Cum ergo vita præſens merendi, & bene operandi tempus ſit, vt de fructu laborum noſtrorum gaudeamus, bonum inceſſanter operemur.

§. II.

Operari bonum perſeueranter vſque ad mortem neceſſe eſt.

1 VSque ad veſperam. Sed enim neque ſatis eſt operari bonum quomodocumque, imò vſque ad mortem in bono continuare debemus: nam virtuti corona perſeuerantia eſt, & *Finis coronat opus*. Neque pauci reperiuntur, qui cum benè cœperint, in malum deſierunt: quia ſcilicet tædio affecti vſque ad finem operari noluerunt; Ideo dicitur: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad vaſperam.* Etenim cū dies præſens ſit vita, mors vero veſpera, niſi vſq; ad mortem bonum operemur, nihil a nobis effectum eſt. Cum enim Iudex ad rationem reddendam hominem euocabit, licet de vniuerſa vita interrogabit, iudicabit tamen ſecundum præſentem condititionem, neque qui in vltimo malus eſt lucrū aliquod ex anteactæ vitæ bonitate reportabit; & è contra ei, qui in ſanctitate decedit, nihil præterita peccata nocebunt. Perſeuerantia igitur ad præmium conſequendum requiritur. Fauet mihi Eminentiſſimus Hugo, eadem docens. *Exibit homo: de ſepulchro reſurgens: ad opus ſuum: id eſt, vt iudicetur, vel præmietur ſecundum opus ſuum: non quodcumque opus, ſed illud, in quo morietur Vnde addit: & ad operationem ſuā continuatam, vſque ad veſperam mortis: multi enim faciunt bona opera, ſed non perſeuerant in eis: & ſimiliter multi peccant; & per pœnitentiam reuertuntur.*

2 Hæc doctrina Sole ipſo lucidior effulget, nam in Athletarum certaminibus in diem cernitur. Etenim neque ſat eſt in arenam deſcendere, & certando vnum, vel alterum proſtrare, verum opus eſt vſque ad finem certaminis in campo permanere, & tunc corona promerita cingere frontem: qui .n. vel currendo, vel luctando curſum, aut victoriam non perficit, haud coronatur. Chriſtianus Athleta huiuſmodi eſt, per virtutis curſum, & in huius mundi arena cum vitijs, ac diabolo certat, quòd ſi aliquando victor euaſerit, non ſtatim ſe triomphaturum ſomnier, niſi vſque ad finem certaminis id eſt vitæ perſeuerauerit: nam ſi tunc victor diſcedit immarceſcibili laurea coronabitur. D. Paulus vt nos ad perſeuerantiam hortaretur, hoc vtebatur exemplo. 1. Timot. c.2. v.5. *Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit.* Legitimè autem is certat, ſecundum D. Auguſtini ſententiam, qui permanet vſque ad finem in campo; qui perſeuerat in virtutum exercitio vſque ad mortem: inchoare namque certamen, & curſum quiſque poteſt, ſed nonniſi perſeuerantia conſumate; quæ perfectorum eſt virtus. Ita ille *ſer. 8. ad Frat. in exem. to. 10. pag. 716. col. 2. lit. C. Nullus enim legitimè certat, niſi qui in campo vſque ad finem certat; & ſi certat vſque ad finem legitimè certat; ideo meritò coronatur. Non eſt igitur magnum bonū inchoare quod bonum eſt, ſed conſumare hoc ſolum perfectum eſt. Multi enim magna aggrediuntur, ſed deficiunt in via: multi exeunt in deſertum, ſed pauci perueniunt ad terram promiſſionis.* Perſeuantia laborem coronat; ſeipſum præmio priuat, qui curſum intermittit.

3 Inter omnes Iſraelis Patriarchæ filios, Ioſephum, tanquam iuſtum: & Prophetam, ſacræ literæ commendāt; quippe qui iuſtitiæ cultor, peccatorum reprehenſor, iniuriæ remiſſor, caſtitatis ſectator, plebis patronus, viſus fit. Hunc cum pater pluſquam reliquos diligeret filios, veſte etiā ſingulari amorem ſuum in eum teſtatum voluit. Geneſ. c.37. v.3. *Fecitque ei tunicam polymitam*; id eſt *ſericam*, vt quibuſdam Rabbinis placet; ſed illud aduertendum, quòd hæc tunica non ſolum ſerica erat, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam talaris, vſque ſcilicet ad talos protenſa; nam paulo poſt dicitur: v.23. *Nudauerunt eum tunica talari, & polymita*. Neq; fruſtra dicitur tunicam illam talarem fuiſſe; myſterio nō vacat tam exacta narratio. Tunica enim talaris, quæ totum corpus, vſque ad terram operit, perſeuerantiæ ſignum eſt. Ille talarem meretur tunicam, qui in cępto virtutis propoſito vſque ad finem perſeuerat. Hanc benè promeruit B. Ioſeph, qui vſque ad obitum ſuum iuſtitiam coluit: D. Gregorio Romano, *lib.1.c.20. mor. pag.330. lit.R.* teſtante. *Ioſeph qui inter fratres vſq; in finem iuſtus perſeueraſſe deſcribitur, ſolus talarem tunicam habuiſſe perhibetur. Nam quid eſt talaris tunica niſi actio cōſumata? Quaſi enim protenſa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos vſque ad vitæ terminum tegit.* Optima equidem tunica, quæ præmium, & mœretur, & elargitur.

4 Et vnde putamus tantam iuſtitiam, & ſanctitatem in Iob eueniſſe niſi ex perſeuerantia? Iuſtus erat, ſed in Iuſtitiæ cultu vſque ad vitæ exitum firmiter ſtetit; non perſecutionibus fractus, non doloribus tepefactus, non iniuriis prouocatus ſuam deſeruit patientiam, aut ſanctitatē Huius ſignum eſt quod de eo ſcribitur, quòd cū filii epularētur, ipſe interim offerebat holocauſta ad placandum Dominum pro illis, neque hoc vna, aut altera vice fecit, ſed ſemper, ſed aſſiduè, ſed quotidiè, per totā vitam hanc tenuit conſuetudinem, Iob, c.1 v.5. *Sic faciebat Iob cunctis diebus*: Quid ni coronaretur, qui vſque ad finem certans, tot victorias reportauit? Et nos his auditis putamus præmia conſequuturos in bono minimè perſiſtentes? decipimur equidem: fruſtra pro brauio capeſſendo currit, qui metam non attingit: Fruſtra laborat, qui vſque ad vitæ terminum in bono non perſiſtit; vt citatus Doctor monet. *Sic faciebat cunctis diebus vitæ ſuæ Vncaſſum quippe bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur: quia & fruſtra velociter currit, qui prius quam ad metam veniat, deficit.* Solus coronatur, qui metam perſeueranter attingit.

5 En tibi huius rei pauendum, & formidandum exēplum. Quis Iuda ſanctior, ac Deo homini charior illo, dum diſcipulatus munus obiuit? Verba vitæ ex ipſo vitæ fōte potabat, miracula faciebat, dæmones effugabat, peccatores cōuertebat, & baptizabat, Dei zelo rapiebatur ad vitia deteſtanda, virtutem amplexandā; ad Chriſti Redēptoris menſam admiſſus, in eius potabat calice, in eiuſdē edebat patina. Hæc omnia bonitatis haud communis indicia erant; omnes eum, vti decebat Apoſtolum, Sanctū putabant, inter primorum ſeraphinorum ſoliis ſeſſurum; & quidem veraciter, ni cecidiſſet. In bono enim non perſeuerans, Pecuniæ amator factus hinc proditor ſui Præceptoris, tandem ſui ipſius Carnifex deſperata ſalute ad baratra in æternum cruciandus deſcendit. Illam maledictionem, ſeu prædictionem in ſe compleuit Iudas, quam per os Ezech. Dominus prædicauit, c.3. v.20. *Sed & ſi conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, ipſe morietur*. Quiſquis ergo ad Deum conuerſus peccatorum veniam aſſequutus, iuſtus eſt, de ſua iuſtitia non præſumat; nam niſi in illa perſeuerauerit, peribit: acutè, & verè D. Fulgentius, *lib.2.c.9. de remiſſ. pecc. pag.663. col.2. Fruſtra igitur ſibi peccatorum remiſſionem vanis cogitationibus ſomniat, quiſquis non vſque in finem præſentis vitæ in mandatis Domini perſeuerat*. Peccauerat Iudas, ſed ad pœnitentiam vocatus à Domino, mundatus fuerat; ſed damnatus eſt, quia vſque ad vitæ finem iuſtitiam non cuſtodiuit. Bonum ergo, qui homo eſt, ſcilicet qui gloriam cœleſtem expectat, vſque ad veſperam mortis operetur.

§. III.

Omni temporis momento debet homo exercere virtutem.

1 EXibit homo, &c. *vſque ad veſperam*: Optimum eſt extremum vitæ terminum bonis operib. claudere, verumtamen melius eſt omnem vitam benè operando tranſigere: etenim cum dies mortis, ac genus omnino ignoretur, ita viuere debemus, vti mori deſideramus. Operarius, qui ſummo mane ad vineam excolendā vadit, non ſibi ſufficere putat, ſi tantum prima, vel duodecima laborauerit hora; nam niſi totam diem laborando conſumpſerit, à Domino vineæ mercedem non conſequetur. Nos igitur in Dei vinea colonos omni temporis momento, ab ortu Solis, vſque ad veſperam operari decet, vt æternitatis mercedem conſequamur. Hoc docet Pſaltes, dum ait: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam*. Quæ operatio cœpta in exitu Solis, ac per totum continuata diem in veſpera perficitur: vt ſic innoteſcat fidelibus omni temporis momento exercendam eſſe virtutem. Ita exponit Diuus Hieronymus: *Poſtquam ortus fuerit Sol iuſtitiæ, iterum eximus ad operationem noſtram, vſque ad veſperam; hoc eſt vſque ad conſumationem. Oportet ergo nos omni tempore operari iuſtitiam.*

2 Chriſtus Dominus noſter ſe aliquando homini ſerenti, aliquando ſe homini quærenti fructus aſſimilat: vti apud Lucam, c.13. v.6. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit*: Scio equidem hæc omnia ad ſpiritalem intellectum transferenda eſſe, vt vinea ſit Eccleſia, nos plantæ, ſemen ſatum Dei verbum. Sed hinc oritur haud ignobilis dubitatio: Chriſtus Dominus in primo aduentu ad ſeminandum, id eſt prædicandum venit; in ſecundo vero aduentu, cum ad iudicandum ſedebit, tunc quæret ſeminationis fructus; cur ergo etiam in primo aduentu dicitur fructum quæſiſſe; *venit quærens fructum in illa*? Puto ego ſemē diuini verbi (vti re vera eſt) illico fructificare; & poteſt aſſimilari Sali per chimicam artem à plantis ſegregato; quo ſi ſemen plantæ circumdatū fuerit dum ſeminatur, breuiſſimo tempore, & ferè ad ſenſum naſcitur, & creſcit. Ita ſemen Verbi diuini eſt, illico fructificat: nam ſi ſtatim ac ſanctificat animam, dat ei ſupernaturales habitus fidei, ſpei, & charitatis, ſtatim per illos, actus elicere meritorios poteſt, & ſic Deus ſtatim poſt ſationem exquirere fructus poteſt. Quæ cum ita re vera ſint, quis eſt, qui neſciat, ſemper nos operari debere, & exercere virtutem, quandoquidem ſemper fructus reddere tenemur Deo? Diſertiſſimè, & ingenioſè id perſpexit Venerabilis Angelus del Pas, *lib.14. c.6. in Luc. tom. 2. pag.77. col.1. Sed quomodo venit quærens fructum, ſi exijt ſeminare ſemen ſuum? Ergo, aut ſemen iuſtum illicò fructificat, aut tempore vno ſeminat, & fructum quærit alio. Vtrumque dici poteſt. Nam Gratia ſtatim iuſtitiam germinat; Fide illicò viuit Iuſtus, ſpes gaudium parit, &c. ergo quod exijt ſeminare ſemen in ipſo anno, an non in ipſo temporis momento centuplum fructum fert? Vnde ab eo vt ſeminatus eſt, fructus quæritur. Ergo ſiue paruulus, ſiue adultus exibit ad opus ſuum: ſiquidem ſingulis momentis venit quærere fructus.* Excuſationem non habet, qui fructu caret, nam ſemen illicò fructificans recipiens, ſtatim ad germinandum tenetur.

3 Bene hoc nouerat Dauid, qui cum multa à Deo accepiſſet beneficia, reddebat votorum ſuorum fructus quotidie, vt qui omni tempore beneficia ſentiebat diuina, omni momento bonorum operum fructus redderet. Idcirco canebat Domino, Pſalm.60. v.6. *Dies ſuper dies Regis adiicies: annos eius vſque in diem generationis, & generationis, &c. Sic Pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi, vt reddam vota mea de die in diem, verſ.8.* Quaſi diceret. Tu Domine omni tempore, omni die beneficia tua in me erogas, dum regis, dum conſeruas, dum protegis; nam & mihi ſalutem tribuis, vitam largiris, bona adaugis; necnō ab omnib. me aduerſitatibus liberas; & ego omni die, & omni momento, non tantum ſingulis annis, ſed diebus, imo & horis vota mea reddam tibi, vt fructum gratiarum tuarum in me reperias; D. Valerianus Cemelien. *Hom.4. pag.732. col.2.* id docet. *Numquid dixit de anno in annum? Sed dixit de die in diem: omni ergo die operandum eſt nobis dilectiſſimi: debitum*

autem

Digitized by Google

autem munus, & promiſſum Deo, non eſt tempore prolongandum. Nihil futuro iudicio debet, qui quotidie vota perſoluit. Sanctum Regem imitari debemus, qui eiuſmodi beneficia à Deo accepiſſe non ignoramus.

4 Licet autem omnes fideles ad ſemper bonum operandum teneantur: Illi tamen magis ad hoc tenentur, qui beneficia ſpecialiora accepiſſe ſciunt. Sacerdotes, & Religioſi, Deo dicati homines, qui ſegregati à multitudine peculiari priuilegio in ſortem Domini ſunt vocati; ſemper Deo ſine intermiſſione ſeruire iubentur. Hoc declarat Dominus, qui hæc Sacerdotibus præcipit, Leu. *c.6.v.20. Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die vnctionis ſuæ: Decimam partem Ephi offerent ſimilæ in ſacrificio ſempiterno, medium eius mane, & medium eius veſpere.* Vbi aduertendum eſt, hoc ſacrificium non vna vice tantum offerendũ fuiſſe, ſed quotidie; nam ideo dicitur, *ſacrificio ſempiterno*: vnde illud; *in die vnctionis ſuæ*, intelligitur à die vnctionis ſuæ; nam ab illo die vſque in ſempiternum ſacrificium ſuum mane, & veſpere offerre tenebantur. Vt ſcilicet Sacerdotes intelligerent ſe omni temporis momẽto obligatos ad exercenda virtutum opera, cum ſpecialiter ipſam virtutem profiteantur: Quod obſeruauit Abbas Rupertus Tuitien. *libr.2.c.31, in Leu. pag 304, col.1. Quod dicit: in die vnctionis ſuæ, id eſt ſecundum propoſitum, vel tenorem vocationis ſuæ. Nam ne putes hanc oblationem vno tantum die, quo & vncti ſunt ab illis debere offerri, continuo ſubiungit: Decimam partem Ephi offerent ſimilæ in ſacrificio ſempiterno: Et ſignificans totũ vitæ tempus à Sacerdotibus debere impendi orationi, & medium eius, inquit, mane, & medium veſpere. Si omni mane, & omni veſpere, ergo omni tempore.* Sic ergo decet Chriſti fideles omni temporis momento virtutum opera exercere, vt vſque ad veſperam mortis vtiliter operentur.

§.IV.

Vita præſens tempus laboris, cui ſuccedit æterna requies.

1 E*Xibit homo ad opus ſuum, &c. vſque ad veſperam*: Ad laborem natus homo, exoriente Sole ad ſuũ egreditur opus: ſed ne putares æternum futurum opus, addit: *vſque ad Veſperam*: in die enim laborat operarius, pondus ſuſtinet diei, & æſtus, ſed adueniente veſpera ad quietẽ pergit, finitur opus, labor ceſſat, ſuccedit nocturna requies. Homo ergo operatur ſemper bonum, virtutemque proſequitur, dum dies eſt, dum præſens vita perdurat, ſed illi, qui optimè operatus eſt, adueniente mortis nocte, pro breui laboris tẽpore æterna donatur requies: temporalis eſt labor, ęterna requies, breuis dies, nox perpetua, opus breue, ſed ſine fine præmium. Sic inuicem ſibi ſuccedunt opus, & quies, nam vt fert Adagium.

Quod caret alterna requie durabile non eſt.

illud enim inter noctis præconia, maximum eſt, quieti deputatam eſſe, & dum operarius in vineæ cultura deſudat, magno cum deſiderio nocturnam requiem expectat. Hæc vita dies eſt, operis, & laboris tempus, breue vtique, cui æterna gloriæ requies ſuccedit. Ita ſentit Seraphicus Doctor Bonauentura, *De don. Intell. c.6. tom. 6. pag. 266. lit. B. Poſt horam claræ, & feruidæ diei hora veſpertina ſuccedit, in qua labor quotidianus terminatur, ſomnus contẽplationis inchoatur, deliciæ nocturnales inchoantur, quare, & in Pſalmo dicitur, exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.*

2 Non niſi per tribulationes, & labores ad æternum Regnum poſſumus peruenire; neque, & in hac vita, & in altera perpetuus, & continuatus, aut labor, aut requies eſſe poteſt. Qui in hoc mundo lætari cupit, ac terreſtribus frui deliciis, æternam gloriã incaſſum ſperat; qui hic tribulationibus agitatur, in Cœlo conſolationem expectet. Idcirco namque Deus benedictus hanc vitam breuem fecit, quam ſpinis, & tribulis repleuit, alteram verò gaudiis refertam, æternam, vt modicum laborem infinita requies ſequeretur. Præcedit autem tribulatio, quia requiritur pugna ante coronam, & labor ante præmium quare Diuina ſcriptura ſemper triſtia dulcibus pręponit, vt cognoſcamus vitam præſentem labori, futuram gloriæ deputatam. Signat hoc Pſalm. *29. v.6. Ad veſperã demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Quaſi dicat, labor, anguſtia, & tribulatio, quæ hanc vitam excruciant, vſque ad veſperam mortis, ad ſummum perdurare poſſunt, ſed ad matutinum, ſcilicet in conſpectu diuinæ maieſtatis, lætitia, gaudium, & gloria per omne ſæculum durabit. En tibi Baſilium hæc declarantem, *in Pſalm. 29. pag. 84 col. 1. lit. E. F. Mos eſt ſacri eloquii, ſi qua triſtia; lætaque commemorat, triſtia lætis in ordine præponere, fruitio enim boni efficitur iucundior, triſtibus iam exaratis. Beneficium pœna eſt poſterius, &c. Ad veſperam demorabitur fletus: Veſpera ſæculum hoc dicitur, in quo qui ad ſuam beatitudinem plorauerint, aduenien̄te poſtea matutino, conſolabuntur.* Dulcior vtique eſt militi victoria, poſt ſuffertos labores, & de periculis, quæ ſuperauit lætus gloriatur: ſic & Sancti in Cœlo lætantur de tribulationibus, quas paſſi ſunt in mundo, quia per eas æternæ felicitatis præmia meruerunt.

3 Adamauerat Rachelem Iacob ardentiſſimo amore, neque pro ea labores ſuſcepti deterruerunt, imò dulces viſi ſunt. Dum tamen ad optatam ſeruitutis metam perueniſſet, lætus nuptias parabat, ſperans ſe nocte illa, deſiderato connubio fruiturum. Verum, vt res humanæ deceptoriæ ſunt, loco amatæ Rachelis, Liam accepit. Pater namque puellarum, Geneſ. *c.29. v.25. Veſpere Liã filiam ſuam introduxit ad eum*: Quærebatur de hoc Iacob; cui ſatisfecit ſocer adducendo loci conſuetudinem, non tradendi nuptui filias minores, ante maiores natu. Sed hæc prætereamus: quæro ego cur permiſit Deus Iacobum amicum ſuum, ac ſibi familiariſſimum decipi, vt deſiderata non potiretur vxore? Ad noſtram eruditionem; Iacob enim *Iſrael* appellatus poſtmodum fuit, c.32. v.28. id eſt *Vir videns Deum*: Omnis ergo, qui Deũ videre in ęterna beatitudine cupit, neceſſe eſt, vt laboret bonum operando, hoc eſt accipere Liam, id eſt in operibus actiuæ vitæ ſe exercere, vt poſſit poſtea Rachelem, hoc eſt cœleſtium contemplationem adipiſci, & deinde Iſrael, id eſt videns Deum, in Cœlo fieri; ad imitationem Iacobi, qui poſt Liam Rachelem accepit; & poſt luctam Iſrael vocatus eſt; Confirmat meam ſententiam Romanus Gregorius, *Hom. 14 in Ezech. tom. 2. pag. 1328. lit. B. Beatus autem Iacob Rachel quidem concupierat, ſed in nocte accepit Liam: quia videlicet omnis, qui ad Chriſtũ conuertitur contemplatiuam vitam deſiderat, quietem æternæ patriæ appetit: ſed prius neceſſe eſt, vt in nocte præſentis vitæ operetur bona, quæ poteſt, id eſt Liam accipiat, vt poſt ad videndum Principium in Rachel requieſcat.* Ergo vita præſens tempus laboris eſt, cui æterna ſuccedit requies; quicumque ergo in Deo requieſcere æternaliter cupit, in præſentis vitæ curſu labori non parcat.

4 Idipſum; & Pſaltes prædicabat, dum ad ſufferentiã laborum vitæ huius fidelem virum hortabatur: dicebat namque Pſalm. *26. v. 20. Expecta Dominũ viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Quaſi diceret; quid præſentem laborem times, qui modicum tẽpus duraturus eſt? Iſtæ moleſtiæ, tribulationes, anguſtiæ finientur tandem, & breui; ſuſtine ergo Dominum, expecta retributionem tuam, breuem laborem æterna ſequetur requies, ſine fine voluptas, ſine termino gloria: dedecet eum, qui tanta expectat ſegniter operari; ergo viriliter age, nam tempore menſuratur labor, æternitate requies, moleſtia breuis, longa voluptas, dolor modicus, ſine fine gaudium. Ita D. Auguſtinus exponit. *Quid eſt hoc ſuſtine Dominum? Ad tempus laboras, in æternum nõ laborabis. Breuis eſt moleſtia tua, æterna erit beatitudo tua. Ad modicum doles, ſine fine gaudebis.* En quomodo vita præſens laboris eſt tempus, quod tandẽ æterna requie aduenien̄te ceſſabit. Ita ille, *in Pſ. 36. pag. 113. lit. F.*

Digitized by Google

§. V.

Præmium futurum præſentem laborem minuit.

1 EXibit Homo, &c. Opus hominis proprium, quatenus Rationalis eſt, ſapere eſt: vnde neceſſaria ipſi ad virtutum aſſecutionem Sapientia eſt. Hucuſque experientia me docuit Sanctos ferè omnes Donum Sapientiæ à Deo obtinuiſſe; nec ſolum Sanctos Doctores memoro, qui proprio labore Sapiẽtiam parctam, à Deo augeri promeruerunt, ſed ſimplices, & indoctos viros, necnon & mulieres dico, quibus donum Sapientiæ Dominus dedit, ita vt perſonæ aliàs idiotæ, altiſſimè de reb, cœleſtibus loquerentur. Sapientia igitur neceſſaria eſt, quia declarat ea, quæ ad fidem pertinent, veritatem declarat, excitat charitatem; ſed ſuper omnia præſentis vitæ laborem voluptuoſum facit; dum enim præmium futurum, quod huiuſmodi labor expectat, declarat, operari cum gaudio facit: omnis enim libenter operatur, cum laboris, operiſque præmium propoſitum habet. Idcirco .n. dicitur Homo vſque ad veſperam ſponte laborare, quia poſt veſperam mortis, fructum operum ſuorum gloriæ æternitatem expectat. Sapienter id explicat Seraphicus Doctor D. Bonauentura, *de Don. Sap. c. 3. tom. 6. pag.* 252. *col. 1. lit. D.* inquiens. *Exibit enim homo mane ad operationem ſuam vſque ad veſperam, ait Pſalmiſta; Sic Donũ Scientiæ notificat homini, rectum iudicium circa credenda, & agenda; ipſum quietat, dum eum in veritate ſtabilitat. Sed & laborem minuit, & quaſi terminat, dum cum gaudio operari facit, quia fructum laboris quietem æternam ei pie oſtendit.*

2 Mirari non deſino dum Legiſlatoris Moyſi geſta recolo. Is ex exũdãtis fluuii gurgite ereptus, regiæ puellæ beneficio, inter regales delicias educatus eſt. Nam Filia Regis tanquam filium ſuum enutriri fecit; & ne ſpe fruſtraretur regnandi omni Ægyptiorum doctrina erudiri voluit: mos enim Ægyptiis erat, ex Philoſophis Sacerdotes, & ex his Regem inaugurare: quibus in ſtudiis præclarus iuuenis, haud indignus purpura cenſebatur. Hæc tamen omnia contempſit ille; vt enim ait Apoſtolus, Ad Hebr *c. 11. v. 25. & 26. Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium Filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Sed qua ſpe, qua fiducia tam præclara, tamque certa bona deſpiciebat? quæ eius loco meliora ſperabat: Non aliud equidem tantarum rerum contemptorem fecit, niſi ſpes præmii cœleſtis, quod non ignorans pro certo ſperabat: vnde ſequitur textus: *Aſpiciebat enim in remunerationem.* Quid ergo mirum ſi tranſitoria deſpiciebat bona, qui ſempiterna ſperabat? Paupertas, Labor, Tribulatio, quæ hanc Moyſis confeſſionem ſecuta ſunt, dulcia illi videbantur, nam quantũcumque pœnalia, finem præſto labantur, ſed præmium nullum finem habiturum comparabant. Quare addit Lyranus. *Reſpiciebat enim oculis cordis ad remunerationẽ æternæ Beatitudinis.* Quis ad modicum laborare detrectauerit, vt æternaliter delectetur.

3 Sed quid mirum, quod Moyſes hoc fecerit, vt pro Cœleſti gloria, mundanam deſpiceret, quando & ipſe Dominus tot tormenta, & ipſam ſuſtinuit crucem, quia præmium præ oculis habebat? Apoſtolus vt nos ad tolerandas paſſiones huius ſæculi fortiores, ac promptiores redderet, ipſum Dominum imitandum proponit, quandoquidem & ille, dum ad gloriam reſurrectionis, & retributionis inſpiceret, cruciatus deſpexit, mortem deriſit. Ad Hebr. *c. 12. v 2. Aſpicientes in Authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*: Sed quale gaudium ei deficere poterat, qui iam beatus erat? Sed actiones Redemptoris penſandæ ſunt, nam ad noſtram eruditionem multorum indigus apparere dignatus eſt, vt nobis aut patientiæ, aut alterius virtutis præberet exemplum. Beatus erat Ieſus, ſed noluit ipſam gloriam in corpore apparere niſi poſt reſurrectionem, vt nos ad tolerandas tribulationes, ſpe propoſita gloriæ, hortaretur. In quo ſenſu inquit D. Anſelmus, *in ep ad Hebr. tom. 2. pag. 570. col. 1. lit. A. Propoſuit ſibi in corde gaudium æternum, ad quod per paſſionem erat trãſiturus, & ſic libentiſſimè pertulit ſupplicia crucis.* Quis non verecundatur pro illo præmio non deſudare, pro quo tanta ipſe ſuſtinuit Ieſus?

4 Dum vel Athletæ in arena certant, vel currendo ad brauium capeſſendũ anhelant, ipſum brauium ſimul cũ victoriæ palma ante oculos certantium, vel in ipſo metæ termino pendet, vt eo viſo, vires currentis, aut decertantis creſcant: vnde & apud veteres, eos extimulabant dicentes, *Caput ſurſum, ſurſum oculos.* Hoc videtur, & Eccleſia facere; nam vt nos alliciat ad victoriam contra animæ hoſtes, dum Chriſti glorioſam transfiguratione nobis proponit, canit.

Quicumque Chriſtum quæritis
Oculos in altum tollite,
Illic licebit viſere
Signum perennis Gloriæ.

Ex quo clarè intelligimus cur profectus Sanctorum potius Palmæ comparetur, quam alteri Plantæ, cum dicitur, Pſalm. 91. *v.* 13. *Iuſtus, vt Palma florebit*: cur non oliuæ fœcundæ, cur non malo pulchro, cur non fico dulci, cur non Platano vmbroſo? Sed Palmæ tantum? Quia ſcilicet Palma victores coronat, & in ipſa pendebat apud veteres brauium; vt oſtenderet, ideo Sanctos tot ſuſtuliſſe labores alacriter, quia ad præmium retributionis æternæ leuabant oculos: Ita & nos ſi patienter, ſi vtiliter præſentes tribulationes volumus ſuſtinere, ſurſum oculos, mentemque leuemus ad palmam, ad brauium, ad Coronam: egregiè D Auguſtinus, *in Pſal. 36. tom 8. pag.* 113. *Si vis ſuſtinere laborem attende mercedẽ caput ſurſum, ſurſum oculos. Iſtud eſt, quod pedonibus currentibus præcipiunt. Surſum vbi Palma eſt ſuſcipe: ipſe palmæ conſpectus multam facit alacritatem.* Sed ſi hoc ſufficit pro vana corona acquirenda, æternum præmium illuc properantes magis ſubleuabit.

5 Hæc, meo iudicio, cauſa eſt, cur toties Paradiſi gloria excelſo præconio prædicata eſt; ac tot Sanctorum victoriæ, nec non, & coronæ diligentiſſimè in ſacris literis adnotatæ ſunt. Viderat Apoſtolus Prophetans, multos Cæli ciues glorioſa redimitos corona, immenſa circumdatos gloria; ſacro fulgore coruſcantes; qui omnes victores è mundo exeuntes, poſt mortem gloriam promeruerunt: cum repente vocem audiuit ſibi mandantem Apocalipſ. *c. 14. ver. 13. Audiui vocem de Cælo dicentem mihi; ſcribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* ſi iam gloriam eorum viderat, cur denuo tam iteratam ſcribendi mortuorum gloriam, viſionem audit? nonne ſufficiebat, eorum deſcripſiſſe triumphum, ad quid hæc noua deſcriptio? Omnia ad noſtram vtilitatem deſcripta ſunt; neque enim ſibi ſoli hanc viſionem videbat Ioannes, ſed nobis. Sicuti autem ſolemus nos, vt iuuenẽ ad ſtrenuè bellandum hortemur, illi Bellatorum egregiã virtutem, & præmium inde manatum ante oculos ponere; ſic Deus, vt fideles ſuos ad benè operandum exciter, & ad toleranda mala confirmet, tam exactè mortuorũ virtutem, & beatitudinem deſcribere iubet, Gloſſ. ord. atteſtante, *Spiritus dicit. Scribe amodo; tanquam attrahens eos, qui certant, promiſſione, quod ceſſabunt, quæ ipſis laborioſa ſunt; & aſſequentur bona, in quibus requieſcant Simul enim vt ſublati fuerint è medio labores, inducetur operum retributio*: Maximopere ad laborem excitat animum, dum pro modico ſudore, Dominus, requiem æternam elargitur.

6 Cellerarius, Cellæ ſcilicet vinariæ præpoſitus, adſolet, vt totum vinũ alacriter bibatur, ſi quod habet, quod amarum videtur, neque per ſe bibi poteſt, ex aliquo alio dulci, & optimo vino aliquam quantitatem vino illi amaro miſcere, vt ſic aliqualiter eius ſapore meliorato, bibatur ſine nauſea, imò delectabiliter, Id etiam Dominus

Deus

Digitized by Google

Deus noſter ſua maxima efficit prouidentia;habet enim in manu ſua duos calices,vnum tribulationibus plenum, quem in hac vita bibere oportet;alium dulcedine ſempiterna refertum,ſed hic in altera reſeruatur vita, ab electis bibendus:verum quia calix ille prior amarus eſt,nec illum libenter biberent homines,Deus miſcet illi aliquantulum de dulcedine Paradiſi, deſcribendo illam, ac pro tribulationum pręmio aſſignando,&ſic calix tribulationis dulcis effectus,libenter bibitur. Audi hoc à Dauide; Pſalm.74.*v*.7. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*: mixtum eſt vinum tribulationis, quia illud Dominus promiſſione gloriæ temperauit ac dulcem fecit. Nam libenter patitur tribulationes, qui pro eis inenarrabilem conſolationem expectat:vt obſeruauit Eminentiſſimus Hugo, *in Pſ.74. pag.192 col.2. Cum aliquis habet duo vaſa,vbi eſt vinum diuerſarum ſpecierum,ſi vult facere mixtionem,inclinat, & effundit de vno vaſe in aliud.Sic Dominus in calicem tribulationis inclinat calicem æternæ iucunditatis, quãdo homini in tribulatione poſito, conſolationem infundit de conſideratione retributionis. Et tunc homo melius poteſt bibere, quia dulcedo, quæ conſideratur temperat amaritudinem tribulationis, Conſideratio præmij mitigat vim flagelli*. Bona mixtio vini dulciſſimi, quæ laborum amaritudinem tollit, ac dulcem tribulationem reddit.

7 Nullus eſt, qui magnos labores ſuſcipiat aliquo nō propoſito præmio, idcircò Spiritus Sanctus, vt hominē à ſequela vitiorum deturbaret,& ad virtutum ſequelam prouocaret,præmium beatitudinis ſtatim in Pſalmorum initio propoſuit,dicens,Pſalm.1.*v*.1.& 2.*Beatus vir,qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit,& in cathedra peſtilentiæ non ſedit:ſed in lege Domini voluntas eius,& in lege eius meditabitur die,ac nocte*. Quaſi dicat:ſi quis eſt,qui vitia declinet, & in exequendis mandatis meis vigilare feſtinet,ſciat non incaſſum,ſe hoc facere, nam magna eum expectat æternæ beatitudinis retributio:Acutè,vt ſolet, D.Petrus Chriſologus,*ſer.44.in Pſ.1.pag.286 col.2.* id explicat. *Sicut dimicaturo cum beſtijs, & grauiſſimorum certaminum diſcrimina ſubituro,promittuntur ante Brauia, Præmia, Coronæ:Propheta Beatitudinem ſic præmittit, vt prouocaret hominem, totam (quam poſt enumerat) criminum vincere fœditatem*. Ne ergo otioſus ſedeat, cui tantum promittitur lucrum; dimicet valenter cum infernalibus Beſtiis,ſuperet vitiorum monſtra,amplectatur virtutum laboreſ;ſic coronabitur.

8 Si aliquis fortis Athleta otioſus ſederet in domo, quia ſibi aliquis fortitudinis non proponitur actus;& illi aliquis accederet, certioremque eum faceret de prætioſo aliquo brauio,quod in Ciuitatis Platea pendet, victoribus repromiſſum, ex cuius cognitione excitatus in Plateam veniens,ac in arenam deſcendens, victor euadens,brauium conſequeretur,nonne nuncianti ſibi maximam haberet obligationē,&gratias maximas deberet? Ita ſanè;nam niſi edoctus ab illo,nec certamen ſubiiſſet, nec præmium habuiſſet. Hanc eamdem obligationem Deo Chriſtianus omnis habet, qui de beatitudinis præmio per Ieſu fidem edoctus eſt;infiniti ferè homines reperiuntur,qui ab hac fide alieni, Beatitudinem ideo non comparant,quia ignorant: Quod ingrati animi vitium vt declinaret Dauid ſemper Domino benedicebat; ſed præſertim pro hoc peculiari beneficio, quia ſcilicet præmium æternum docuerat eum,ſemper ſine intermiſſione gratias agebat,Pſalm.15.*v*.6.& 7. *Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi:Benedicam Dominum,qui tribuit mihi intellectum:* Semper Domino gratias agere teneor nam ſi cognoſco hæreditatem æternam præclaram, & prætioſiſſimam eſſe,id ipſe me docuit, cum intellectum præſtitit:& ideo, *v*.8. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*:nam cum delectationes,& deliciæ huius mundi(quæ tranſitoriæ ſunt,& labiles)mihi occurrebāt, ſtatim memorato tam magnæ hæreditatis bono, omnia vileſcebant:Benedicam ergo Dominum ſemper,qui hāc mihi valdè proficuam cognitionem aperuit. Ab hoc ſēſu minimè abhorret Sapientiæ Cœleſtis oraculum D Auguſtinus,*in Pſ.15.pag.34.col.1 lit. A.B. Benedicam Dominum,qui tribuit mihi oculum,quo iſta hæreditas videri,& poſſideri poteſt, &c. Prouidebam Dominum, in conſpectu meo ſemper: ſed veniens in ea,quæ tranſeunt, non abſtuli oculum ab eo,qui ſemper manet, hoc prouidēs, vt in eum poſt temporalia peracta recurrerem*. Tantum Deo Chriſtiani omnes debemus, ne ergo otio vili torpeamus,ſed ei gratias agendo, quæ nobis promiſſa ſunt mereamur.

9 Stupebant Eccleſiæ perſecutores, & tyramni, dum Chriſti fideles tam fortiter ſuſtinere tormenta,ac lætanter mortem ſubire cernebant;ipſi enim omni ſpe melioris vitæ carentes, neque cauſam tantæ letitiæ ſcientes, prudentiſſimos martyres,ſtultos æſtimabant,verum ipſi ſtulti prorſus erant,qui æternæ gloriæ neſcii, inanem huius ſæculi voluptatem amabant.Sancti enim,vera ſpe æternæ retributionis firmati, non ſolum tribulationes mundanas deſpiciebant, ſed & gaudenter eas quæritabant, nam pro breui labore præmium æternum ſe aſſecuturos ſperabant:ex quorum omnium nomine dicebat Paulus,Ad Coloſſ.*c*.1. *v*.24. *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis*. ſciebat enim illas paſſiones, & afflictiones, quas in erudiendis fidelibus patiebatur,ſibi æternitatem gloriæ parituras: quod Aduertit D.Ioannes Chriſoſtomus,*Hom.4.in ep.ad Coloſſ. tom.4. colum.1162. lit.C. Ita credo,vt pro eo,& patiar,& non ſolum patiar,ſed & cū gaudio patiar ad futuram ſpem proſpiciens*. Nam futuri præmii ſpes certa,omnem paſſionis anguſtiam tollit, & gaudium in tribulatione largitur.

10 Dum memoriam ereptionis ab Ægyptiaca ſeruitute celebrare iubentur Hebræi, agni comeſtio demandatur,quæ propterea Phaſe,ideſt tranſitus dicitur; cuius comeſtionis cerimoniæ ſingulæ plenæ ſunt ſacramentis, ſed vnum tantummodo ad præſens penſandum eſt. Cur baculos tenentes in manibus illum comedere debebant? ſic enim dicitur,Exod.*c*.12.*v*.11.*Sic autem comedetis illum,&c.tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter*:ad quid tam feſtina comeſtio? ad quid occupatā manum in baculo ſuſtinendo? Quia populus peregrinus erat, & de Ægypto ad promiſſionis terram tranſire celeriter debebat.Sed hæc ad literam ſacientia derelinquamus;ad tropologicum intellectum recurramus; Omnes nos peregrini ſumus, & ad Paradiſi Patriā properamus; porrò via hæc ſpinis tribulationum, & aculeis tentationum plena eſt, & idcirco ne ruamus aliquo ſuſtentaculo,ſeu fulcimento indigemus, ſicuti itinerantes baculo innituntur ne cadant.Baculum autem noſtrum ſpes eſt, hoc in laboribus itineris huius ſuſtentamur: dum enim ſperamus poſt tot labores ineffabilis Gloriæ præmium ſpe, quaſi baculo in tribulationibus ſæculi ſuſtentamur Egregiè id exponit D.Gregorius Niſſenus,*de vit Moyſ. tom.1. pag.133. lit.C.D. Baculus verò, quo feras repellimus,& nonnunquam ſuſtentamur ſpes eſt.Hac enim ſola inducimur,vt labores ſimul,& dolores ſufferamus: hac feſſos animos recreamus*. Præmium enim futurum quēcumque dolorem mitigat, tribulationemque propellit

§. VI.

Exeundum de mundo eſt, vt vera acquiratur virtus.

1 EXibit Homo, &c. Homo ad operandum natus cum ſit,ſemper operari debet, vt viuat; vnde benè ei diurno tempore aſſignatur opus. Verum,cur dicitur, *exibit?* nonne operari poteſt,antequam exeat,nonne & domi operationes fiunt? vtique;cur ergo dicit,*exibit*?Enim verò Propheta hominem erudire, & excitare intendit,non ad opus materiale, ſed ad ſpirituale; ideſt ad veræ virtutis acquiſitionē;quæ inter Ciuitatum,Oppidorumque tumultus ægrè acquiri poteſt; & ideo exeundum ei de mundo eſt,qui benè, & ad ſalutem operari cupit. Non enim in mundo, vbi tot malorum occaſiones,

Digitized by Google

ſiones, cupiditatum inſidiæ, deliciarum retia, ambitionũ occurſus, diuitiarum blandimenta diſtrahunt animum, veræ virtuti operam dare poſſumus. Ergo exeundum de mundo, plus corde quam corpore, vt rectè operemur. Audi Beatum Albertum, *in Pſ. 103. Dum gratia lucet in corde, dum eſt tempus gratiæ, exeundum eſt de mũdo, & operationi bonæ intendendum. Exeundum autem propter officium; quia non poteſt bene fieri in mundo.*

2 Ipſi veteres mundanæ ſapientiæ amatores, vt perfectius ſpecularentur, ac ſubtilius naturæ contemplarentur arcana, ſolitaria loca seligebant: nam animus ibi, nullis tumultibus diſtrahitur, & ſic totum ſe contemplationi donat. Quantò igitur magis ad cœleſtium meditationem eleuandus ſpiritus loco remoto, & à mundo ſegregato indigebit? Hoc, ni fallor, docet Spiritus Sanctus in canticis, dum ſub ſponſæ nomine ad ſui contemplationem alliciens animam, ait, Cantic. *c. 2. v. 14 Surge amica mea, ſponſa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Quibus in verbis ſponſi diuini amor, & verecundia apparet. Solent enim mundani amatores allicere amatam ad colloquium; quia verò timent hominum præſentiam, ad ſecretum locum inuitant, vbi nullius conſpectibus pateant. Ita Dominus allicit ad cœleſte colloquium Animam, ſed de tumultu mundi huius exire eam vult, vt ſecretis fruatur amplexibus; & ideo dicit; *in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*; id eſt in loco ſolitario, & remoto à mundanis occupationibus. Egregiè D. Bernardus, *ſer. 61. in Cant. col. 748. lit. I. Amat, & pergit amatoriè loqui: Columbam denuo blãdiendo vocat, ſuam dicit, & ſibi aſſerit propriam: quodque ipſe rogari obnixius ab ipſa ſolebat, ipſius nunc verſa vice, & conſpectum poſtulat, & colloquium. Agit vt ſponſus, ſed vt verecundus, publicum erubeſcit, decernitque frui delicijs ſuis in loco ſequeſtri, vtique in foraminibus petræ in cauernis maceriæ.* Sponſus verecundus Spiritus eſt, odit tumultus, mundanas occupationes fugit: & ideo aſſequi inter hominum frequentias nunquam poterit.

3 Tantum eſt ſolitudinis bonum, vt non ſolum in ea Philoſophi, ac Sancti Viri beatitudinem inuenerint, ſed etiam ipſi orbis Monarchæ; hoc fecit, & Carolus V. qui tantorum Regnorum Rex, ac Romanorum Imperator, omnibus ſæculi pompis ſpretis, ac derelictis, in ſolitudinem ſecedens, illa nihil felicius expertus eſt; vnde & de eo Vir doctus teſtatur, *tom. 2. Annal. Soc. Ieſu, Carolus maior fuit in ſua eremo, quam in Imperio.* Sed quid mirum hominem, licet Principem, Chriſtianum tamen mundum pro Deo deſpexiſſe, cum ethnici eius anteceſſores Diocletianus, & Maximianus maiorem voluptatẽ in eremo, quam in Imperio quæſiere? Quòd ſi Principes exeundum ſibi de mundo, vt quieſcerẽt, ſenſerunt, quid ſpiritualis Anima iudicabit? Quærere ſolent Doctores cur Petrus Apoſtolus cum Chriſtum Dominum in Mõte Thabor transfiguratum videret, exclamauerit, Matth. *c. 17. v. 4. Domine bonum eſt nos hic eſſe*: Variæ de hoc feruntur ſententiæ; verum mihi liceat cum Andrea Cretenſe peregrinam reddere rationem. Veram animi tranquillitatem optabat Petrus, & illum beatitudinis ſtatum, quo in hac vita frui poſſumus Sed enim, quia cognoſcebat conuerſationem mortalium in hoc mundo plenam eſſe tumultibus, quæ diſtrahunt animum à contemplatione, oderat illam; cum ergo ſe videbat in loco ſolitario, extra mundi vexationes, longè poſitus à malorum deceptione, ſegregato ab occaſionibus, & vbi Deum liberè contemplari fas erat, illicò exclamauit: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*: Ita citatus Author, *ſerm. de Transfig. apud Surium, die 6. Auguſ. tom. 4. pag. 585. Quamobrem, Petre, bonum eſt nos hic eſſe? Vt a turbulenta inquit hominum vexatione liberati, & anima, & ſenſu per ſeparationem à turbis (quomodocumque ea intelligantur, aut dicantur) purgati, inexplebili tuæ Diuinitatis apparitione, hic fruamur ſine intermiſſione Domine.*

4 Neque id mirum, ſi Petrus in deſerto monte aliquantulo gloriæ cum frueretur; requiem ſe inueniſſe putauerit. Quandoquidem, & ipſa cœleſtis Patria ſi deſertum non eſſet, neque beatitudo eſſet. In Cœlo neque vllus reperitur tumultus, ſtrepitus ibi nullus, nulla diſſidio, nulla contentio, ſed pax, requies, quies; & cum tot ciuitas illa plena ſit populis, propter vnanimem in operando voluntatem, ſic omnia tumultu vacant, vt vnus ibi habitare tantummodo videatur. Credo ego à veſtra memoria minimè excidiſſe parabolam Saluatoris noſtri, quam Lucas refert: de Paſtore, qui cum centum haberet oues, & vnam ex eis perdidiſſet, *c. 15. v. 4. Dimiſit nonagintanouem in deſerto*, vt perditam quæreret. Non eſt, qui ambigat per ouem perditam peccatores, per alias Iuſtos ſignari, cum id Dominus ipſe explicare dignat⁹ ſit. Sed quæro quid Deſerti nomine intelligatur, vbi iuſti dimiſſi ſunt? Cœlum. Cœlum! & quæ conuentio Deſerti ad Paradiſũ, cũ hic gloria, illud horrore refertum ſit? Sed Deſertum dicitur Cœlum, quia ſequeſtratum eſt à mũdano tumultu, ac vera tranquillitate dotatum, vt placet Theophilato, *ap. Gloſſ. ord. Relictis nonaginta nouem in ſolitudine, hoc eſt in ſuperno cœleſti loco. Solitudo enim eſt Cœlum, & à mundano tumultu ſequeſtratum, plenumque omni tranquillitate, & pace.* Ergo ſolitudo Paradiſus eſt.

5 Ex quo errare conuincitur, qui animæ ſaluti ſtudens de medio mundanorum tumultuum exire cõtemnit. Quomodo enim tot ſæculi curis diſtractus animus tot deliciis infectus contemplationi cœleſtium vacare poterit? Idcirco Pſaltes inſtruendo Hominem perfectionis Chriſtianæ ſtudioſum, hæc habet, *Pſ. 33. ver. 13. Quis eſt homo, qui vult vitam diligit dies videre bonos?* & paulo poſt reſpondet, *v. 15. Inquire pacem, & perſequere eam:* Cum enim ad beatè viuendum neceſſarium ſit, *relinquere malum, & facere bonum*, vt hoc fiat ſolitudo requiritur, quæ pacis nomine ſignificatur. Derelinquendi tumultus, inanes occupationes, curæ ſuperuacaneæ, ſollicitudines anxiæ, quæ cor occupantes, à ſalutis curſu deuiant Quod benè perſpexit Magnus Baſilius, *in pſal. 33. pag. 96. col. 2. lit. A.* dicens, *Inquire pacem; nimirum ſolutionem à tumultuarijs mundi iſtius curis; para tibi mẽtem tranquillam, ſtatumque Animæ vnum aliquem inquire, qui ſit ab omni fluctuatione, ac turbela curarum ſeiunctus.* Hæc opus eſt obſeruet, qui Deo deſeruire in cordis ſimplicitate amat; de mundo exeat, qui ad Cœlum tendit:

6 Id ex nomine Animæ Sanctæ petebat Dauid, cum canebat, Pſalm. 26. *verſ. 7. Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Optimum deſiderium in domo Domini commorari; ſed dic amabo, quæ eſt iſta domus Domini? equidem de materiali domo, vbi ſacrificia offerebantur ipſũ non loqui manifeſtum eſt; nam in ipſa nõ morabatur: eſt igitur alia Domus, vbi Dauid morari poterat abſque eo quòd à regia diſcederet domo, ſolitudo videlicet, ſeu ſegregatio à mundanis tumultibus, à terrenis cupiditatib. à vitioſis occupationibus. In hoc deſerto, etiam in Regia Domo, habitabat Rex ille Sanctus, voti compos factus, quia negotiis Regni compoſitis, quod reliquum erat tẽporis in ſecretiori cubiculo Deo vacabat, nec à vanis cogitationibus obruebatur. Ita ergo in Domo Domini, hoc eſt in ſolitudine cordis omnibus diebus morabatur. Id docet Magnus Gregorius, *lib. 4. cap. 28. mor. pagin. 396. lit. C. An non cunctos à ſe cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? A frequentia quippe terrenorum deſideriorum fugerat, & magnam videlicet ſolitudinem ſemetipſum contulerat, vbi, eo tutius nihil extraneum conſpiceret, quò incompetens nihil amaret. A tumultu rerum temporalium magnum quemdam ſeceſſum petierat, quietam mẽtem; in qua tantò purius Deum cerneret, quanto hunc cum ſe ſolo ſolũ inueniret.* Sic exit de mundo animus, dum in medio mũdi habitat, & inter tot hominum millia ſolitariè viuit.

7 Anima Deo ſeruiens, non alia de cauſa contemplationis alas exoptat, niſi vt mente auolet à terrenis tumultibus ad optatam ſolitudinem cordis; & à mundo, à quo

Digitized by Google

quo corpore exire non poteſt, corde fugiat, cuius ſunt verba: Pſal.54. v.7. *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Et quo perges Anima ſancta? en tibi datæ contemplationis ſunt pennæ, optata aſſecuta es, quò volaſti? v.8. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Ad ſolitudinem cordis, vbi nullus eſt mũdanus tumultus, nullus terrenorum deſideriorum ſtrepitus, ſed cum ſilentio vox dilecti dulciſſimè modulantis auditur; ad Deſertum de quo dixit Victorinus Ricchardus, *in Pſalm.28.tom.2.pag.43.col.2. lit.D. Deſertũ eſt ſed bonum, vbi nullus ſtrepitus tumultuationis, ſed in ſilentio auditur vox turturis, & gemitus non ceſſat ex deſiderio diuini amoris.* Cui etiam aſſentitur Alexander de Hales, inquiens: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine, ideſt in locum ſecretum, ſpernendo mundi tumultũ: mundum namque debet fugere, qui vult inimicum vincere: vnde debet manere in ſolitudine, peccatum deteſtando, Deum contemplando, orationi vacando.* Audiſti quodnã ſit opus tuum, mundanas pompas deſpicere, Deum amare, & meditari; ad illud exeundum de mundo eſt, eius tumultus contemnendo, orationi vacando: ſic in deſertũ ibis, & excellentiſſimi operis æternam retributionem accipies.

§. VII.

Opus Chriſti proprium ſaluare eſt.

1 E*Xibit Homo ad opus ſuum*: Haud ſilentio prætereundum videtur, quod hìc Pſalmiſta commemorat, de hominis operatione; non enim ſimpliciter ait, *Exibit homo ad opus*, aut *ad operationem*, ſed ſignanter addit, *ad opus ſuum*: ergo aliquod eſt opus, quod Homini ita proprium eſt, vt reliquis non conueniat: neque hoc aliud eſt, quam ſaluare proximum ſuum, nam & hoc præcipuum ratiocinationis exemplum: vnde & apud Romanos conciuem à morte liberare, opus egregium putabatur, ac dignum diademate. In hoc ergo apparuit Saluatoris noſtri Dei vera noſtræ naturæ ſubſtantia, nam in mundum, *ad opus ſuum* exiens, illud ſaluare homines fuit. Cum enim caneret Doctor Angelicus, *ap. Breu. Rom.*

Verbum ſupernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus ſuum exiens
Venit ad vitæ Veſperam:

vt ſcitemus quale eſſet hòc opus, ſubdit:

In mortem à diſcipulo
Suis tradendus æmulis.

Cui aſſentitur Angelus alius minorita dum ait: *Exiuit ad opus ſuum; fuit autem Redemptionem facere populo ſuo, illumque penes ſe glorificare*, Venerabilis Angelus del Pas, *libr.25. in Luc. cap.13. tom.2. pag.696. columnn.2.* Et vterque id didicit ab Halenſe, illius Magiſtro, huius Doctore, dicente *in capit.6. Apocalipſ. pagin.104. colum. 2. lit. A. Exiuit ergo Chriſtus ad prædicandum, ad prœliandum, ad triumphandum: exiuit ad opus ſuum: exiuit virtute Diuinitatis, vt vinceret modum iniquitatis.*

2 Eſt ergo opus Chriſti Domini proprium homines ſaluare. Credimus, & ita eſt, Redemptorem noſtrum Ieſum Iudicem rationalium creaturarum eſſe; dum autem iudicium exercetur neceſſe eſt, vt innocentes, aut pœnitentes ſaluentur, & è contra impœnitentes, & peccatores damnentur: nam & Dominus ipſe Iudicium generale deſcribens, duas ſententias refert; primam ſalutis, Matth. *cap.25 verſicul 34. Venite Benedicti Patris mei, &c.* alteram damnationis, *verſ.41. Ite maledicti in ignem æternum, &c.* Quæ cum ita ſe habeant, non vulgarem dubietatis occaſionem ingerunt verba Regii Prophetæ, quibus idem iudicium narrans, ait: Pſalm.75. *verſ.10. Cum exurgeret in iudicium Deus, vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ.* Etenim ſi manſuetos ſaluat, etiam impios damnat, cur ergo nulla de illis fit mentio? Deinde, ſi Dominus quidem Ieſus Iuſtos ſaluat, iniquos damnat, cur Saluator iure merito dicitur, damnator verò non appellatur? Quia videlicet opus Chriſti proprium, & ſpeciale, ſaluare eſt, & quaſi præter voluntatem ſuam, & coactè damnat; id exigentibus culpis, & ideo cum Saluator ſit, eius proprium opus ſaluare eſt; vt optimè obſeruauit Cardinalis Hugo, *in Pſalm. 75. pagin.144. columm. 4. Dicit autem potius, vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ, quam, vt damnet reprobos, quia principalis eius intentio, & opera eſt ſaluare, vnde Saluator dicitur. Nunquam autem Damnator appellatur, quia damnare non eſt proprium eius.* Ideo ab ipſis incunabulis Saluatoris nomen ſibi imponi voluit, vt innoteſceret mundo, ſe non ad damnandum, ſed ad ſaluandum veniſſe.

Ioan. de Mata.

3 Cum igitur ad ſaluandum veniſſet, ſæpè cum peccatoribus, quibus ſalutem largiretur, morabatur; cum autem aliquando ad Zaccheum Publicanorum Principem veniſſet, Luc. *cap.19. verſ.7. Iudæi murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem deuertiſſet*: Sed decipiebantur à malitia ſua, peruersè cogitantes, & à veritate alieni. Etenim ſi Medicus aliquis famoſus, ac Doctus in Ciuitatem aliquam perueniret, vt oſtenderet ſuæ artis excellentiam, quò pergeret, ad ſanos homines, robuſtos, valenteſque? nequaquam, quia bene valentes illudunt Medico; ſed ad ægros, & malè valentes diuerteret, vt eis ſalutem afferendo, ſuæ ſcientiæ vim oſtenderet: haud ſecus Saluator, animarum cum eſſet Medicus, ad ægrum diuertit, ac illi reddita ſanitate, gloriabatur, dicens: *verſ. 9. 10. Hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ; venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat*: vbi ſe Filium Hominis dicit, vt oſtenderet ſe à genere pietatem hauſiſſe; nam & dixerat ethnicus in ſuis fabulis, Terentius: *Homo ſum humanum nihil à me alienum puto.* Quem ſenſum dominicis verbis dat Gloſſa ord. *Etiam murmurantibus ſua myſteria non dedignatur exponere, quòd propter pœnitentiam peccatorũ ſuſcipiendam maximè ipſe in terram venerit. Vbi & ſe appellat Filium Hominis, vt inſinuaret nobis diſpenſationem ſuæ pietatis.* A qua alienus eſſe non poteſt, qui ad ſaluandum venit.

4 Redemptorem noſtrum, cum miracula patrantem, ac dæmones eiicientem viderent perfidi Phariſei, quia opus calumniare non poterant, modum vituperabant, dicentes, Matt. *c.12. v.24. Hic non eiicit dæmones, niſi in Beelzebub Principe dæmoniorum.* Quam calumniam, vt exploderet Dominus, poſt alia, dixit, *verſ.30. Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non congregat mecum ſpargit.* Quomodo autem hæc reſponſio obiectioni ſatisfacere poſſit, penitus ignoro; illi enim eum Beelzebub ſectatorem mentiuntur, ipſe autem vt ab hac macula ſe Immunem oſtendat, ait ſe collectorem, non ſpargitorem eſſe. Quam difficultatem, vt explicemus ad aliam ſcripturam recurrendum eſt. De Redemptoris Meſſiæ aduẽtu vaticinans Iſaias, *c.11. v.12.* eius opus præcipuum declarat, ſcilicet eum in mundum fore venturum, vt colligat omnes credentes à quatuor mundi cardinib. *Congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Et ecce ſoluta eſt dubitatio. Quod opus proprium dæmoniorum eſt? diſpergere vtique, & fideles Chriſti in quator mundi plagas à via ſalutis diſtrahere: Nam prima pars eſt Oriens, quia in eo Sol oritur: & in hanc partem diſperguntur nobiles, de ſuorum natalium altitudine ſuperbientes; ſecunda pars eſt Occidens, vbi Sol occidit, & ad hanc pergunt, qui nimio mortis terrore bonũ operari deſiſtũt: tertia pars eſt Auſter, à qua calidi emittũtur flat⁹ & ideo proſperitates ſignat mũdanas, & ad hanc plurimi confugiunt: quarta pars eſt Aquilo, ſeu Septentrio, gelidis ventis potens, & ideo aduerſitati congruit, quæ non paucos, animo fractos, à Dei ſeruitute alienauit: en quomodo dæmon diſpergit, hos autem colligere opus eſt Chriſti: Non ergo poteſt familiaritas

Digitized by Google

eſſe inter Dæmonem cuius opus eſt diſperdere, & Dominum cuius opus eſt congregare: ille perdit, iſte ſaluat, ille vlcerat, iſte curat, ille occidit, iſte viuificat: & ideo optimè dictum congruit: Qui non congregat mecum ſpargit: *Quaſi diceret* (ait Cardinalis Hugo, *in Matth. tom. 6. pag. 46 col. 4.*) *Opera mea non poſſunt operibus Beelzebub comparari, quia ego congrego, ille diſpergit. Nota, opus Chriſti eſt congregare ad cultum vnius Dei, ad dilectionem Dei, & proximi; vnde Eſai. 11. Diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Diſperguntur quidam per nobilitatem, hic eſt oriens; quidam per timorem mortis, hic eſt occidens; Alij per proſperitatem, hic eſt Auſter; Alij per aduerſitatem, hic eſt Aquilo. Hos congregat Dominus.* Quæ conuentio Saluatoris ad perditorem? Ergo obmuteſcat impietas, opus Chriſti ſaluare cum ſit, cum diſpergitore amicitiam non habebit.

5 Quia verò magna Medici gloria eſt, multos oſtendere ſua arte ſaluti reſtitutos, quorum valetudinem præſtantem opus ſuū eſſe aſſerit; imò omnia quæcumq; operantur illi magnificum, & mirabile, opus Medici dici poteſt, qui illis, à languore curatos potentes ad operandum reddidit: Similiter maxima Redemptoris noſtri gloria eſt, oſtendere tot peccatores, qui ex Chriſti prædicatione ad Deum conuerſi, & ſanctè viuunt, & in aliorum conuerſione non pauca miracula operantur; cuiuſmodi ſunt Zaccheus, Mattheus, Paulus, Magdalena, & huius farinæ homines: quod prophetans Ieſſe natus dicebat. Pſalm. 110. *v. 2. & 3. Magna opera Domini*: Et quæ nam ſunt opera hæc magna? *Confeſſio, & magnificentia opus eius.* Hæc ſunt opera Dei magna tot peccatores ſaluare, & de eis Sanctos efficere, prout citatus Doctor oſtendit, *in Pſal. 110. pag. 290. col. 4. Magnum enim opus Dei fuit, quòd Paulus, & alij perſecutores Eccleſiæ conuerſi, confeſſi ſunt fidem Chriſti; & magnificè operati ſunt miracula facientes, & omnia aduerſa patientes. Hæc eſt confeſſio, & magnificentia, quæ ſunt opus Dei, quia Chriſtus operatus eſt ea in illis.* Et ideo victori Domino corona de ciuica miſeratione debetur, quia nec vnum conciuē, ſed innumeros ſaluos fecit, quam coronam per eam, quæ Arcæ ſuprapoſita eſt, ſignatam intelligit Rupertus, *libr. 4. c. 5. in Exod. tom. 1. pag. 266. col. 1. Facieſque ſupra coronā aureā per circuitū*, Exod. *c. 25. v. 12. Supra corona aurea circumdatur, quia Filio Dei quaſi diadema capitis eſt hic miſerationis ornatus*:

6 Imò tanta fuit miſerentis Domini ſaluandi cupiditas, vt cum in Cęlum reuerſus eſſet, ne mundus Aduocato careret, Spiritus Sancti miſſionem accelerauit; vt quemadmodum opus ſuum ſaluandi mundum impleuerat, ita Pater etiam impleret ſuum alium mittens aduocatum. Quod ex 58 Pſalmo colligit D. Chriſoſtomus, vbi dicitur, *v. 5. 6. Exurge in occurſum meum, & vide; & tu Domine Deus virtutū, Deus Iſrael intēde ad viſitādas omnes gentes.* Quaſi diceret Dominus: Tu Deus à mandaſti mihi, vt exirē ad opus meū, ideſt ad ſaluādas gētes, cum ſim Saluator, ego impleui opus meum, obediētiam compleui, ſaluaui mundum; ſed me diſcedente aduocato caret, ergo & tu imple opus tuum alium aduocatum dando, qui vel ſaluados cuſtodiat, vel etiam nondum ſaluti reſtitutos ſaluet: viſita ergo conſeruando, quos ego viſitaui ſaluando. Audiamus Chriſoſtomum, *ſer. in Pent. to. 3. col. 787. lit. D. Nunc autem ante paucos dies magni conſilij Angelus Chriſtus in Cęlos aſcendit; & Sanctum Spiritum omnibus dimiſit: vnde in Cęlum regreſſus ad Patrem ſuum clamabat: Surge in occurſum meum, & vide, & tu Domine virtutum intende, vt viſites omnes gentes: Ego viſitaui, inquit, & impleui tuam obedientiam; intende & tu, vt viſites gentes, amandans eis alium Paraclitum.* Qui ergo æternam optat ſalutem ad Chriſtum accedat, ad eum properet, cuius opus ſaluare eſt.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimuſtertius.

Exiuit vt Homo fortiſſimus ad orationem, & impetrare nobis gratiam opus ſuum.

EXiuit vt Homo, &c. Sæpè ſæpius in Euangelio ſe publicat filium hominis Ieſus Chriſtus Seruator noſter; & nonnulli interpræta ntur filium Adæ, *Adam* Hebræo vocabulo idem eſt ac Latinum *Homo*. Quare ergo de hac filiatione gloriatur? tantum eſt hominem, & Hominis Filium dici Filium Dei? Sed per Hominem Mariam Virginem, Matremque ſuam intellixiſſe æſtimo: quandoquidem cum in terris Patrem haud habuerit, Filius Hominis, aut Adæ, niſi per Matrem eſſe non potuit. Sed hæc ſolutio maiorem infert difficultatem; cur Mariam non mulierem ſed Hominem dixit? Vtique quia ipſa Virago imò Heroina extitit fortiſſima, quæ humili ſua Oratione Deum in terras trahere potuit. Hoc nempe huius Hominis opus eſt, flectere precibus Omnipotentem; quod mirificè declarat Angelus del Pas, *libr. 20. in Luc. cap. 11. tom. 2. pagin. 369. columm. 1. Quis eſt ille Filius Hominis? Filius Mariæ; quæ Hominem (non Fœminam, Mulierem ue) appellari promeruit, non ſolum natura, ſed etiam gra-*

tia;

tia; ob quam nedum fœmineum, ſed virilem ſexum, poſt Chriſtum, excelluit in multis. Hæc quippe eſt Homo Dei, & exuit ad opus ſuum tam magnificè, vt Deum traheret. Fortiſſimus Homo Virgo eſt, nam Orationibus ſuis Deum flectit, & cum ad opus ſuum exit, ideſt ad impetrandam nobis gratiam accedit, quæcumque poſcit, obtinet.

Maria Virgo per Orationem potentiſſima, vt impetret nobis gratiam.

1 AD Regni ſolium Regina euecta, ſtatim apud Regem ipſum potentiſſima apparet; potens enim eſt in Regia Domo, vbi à Rege imperat ſecunda, potens eſt etiam in Regno, nam ad impetrandum pro populo nullus eſt Regina validior; Rex enim, qui totum amorem ſuum in Regina poſuit, atque eam ardentiſſimo diligit affectu, nil ei denegare audet. Cœlorum Regina Maria eſt, ipſius Cęleſtis Imperatoris Mater, & Spōſa; quam cum maximè diligat Deus, eī dominium in Cęlo, & in Terra dedit, vt glorioſa inter Sanctos refulgeat, & potentiſſima per Orationem inter viatores homines appareat. Idcirco de ſeipſa prædicat, Eccli *c.24.v.15. In Hieruſalem poteſtas mea*: Nam hoc nomen Hieruſalem allegoricè Eccleſiam, anagogicè Paradiſum denotat: In vtraque ergo Hieruſalem potentiſſima Virgo Maria eſt; nam in Cœleſti regnat, in Eccleſiaſtica verò per ſuam interceſſionem exaltatur; nam Oratione ſua, qua hominibus diuinos fauores impetrat, ipſos homines ſibi deuincit: Atteſtante Seraphico Doctore Bonauentura, *in Spec. Virg. lect. 8. tom. 6. pag. 464. col. 2. lit. B. Quia Dominus potentiſſimus potentiſſime tecum eſt, & ideo & tu es potentiſſima ſecum potentiſſimo, & per ipſum, potentiſſima, & apud ipſum: ita vt verè dicere poſſis illud Eccli. In Hieruſalem poteſtas mea: Hieruſalem ſignat Eccleſiam triumphantem in Cęlis, ſignat etiam Eccleſiam militantem in terris: nam verè tam in Cælis, quam in Terris poteſtatem habet Mater potentiſſima Creatoris. Quā potentiſſimā cognoſcit Anſelmus, cum orans, ait. Exaudi pia, adeſto propitia, adiuua potentiſſima, vt mundentur ſordes mentis meæ, & illuminentur tenebræ meæ.* Tam potentiſſima Maria eſt, vt & Cœlum ſubiiciat, terram ſubleuet; inter cœlites regnans, inter homines pietate coruſcans

2 Solent acceſſuri ad Principem terrenum, vt aliquid ab eo impetrent, munera deferre grata; quibus Princeps conciliatus, & delinitus, facilius poſtulata concedat; & hoc ita apud ethnicos viget, vt accedere ad viſitandum Perſarum Regem (non ſolum antiquitus, verum etiam nunc) ſine muneribus nefas ſit. Neque apud homines tātum, ſed etiam ad Deum placandum Sacrificiorum munera adinuenta fuere, vel animalium immolationes, vel aromatum odorata ſuffumigamenta. Hoc innuit Rex Propheta, qui dum Dominum precaretur, optabat, ſuam Orationem ita acceptam Deo fore, ac ſi incenſi oblatio eſſet, Pſalm. 140. v. 2. *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Porrò Deiparæ Virginis Oratio, tam ſuauiſſima in conſpectu Domini eſt, vt nullum aroma Deo delectabilius inueniatur: quare haud incongruè illud Sapientiæ ſibi vſurpare poteſt, Eccli. *c. 24. v. 20. Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi; quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.* Quòd ſi Deiparæ Oratio ſicut myrrha, & ſicut thus aromatizat, quid mirum, ſi numquam inanis redit; ſed ſemper impetrat? Et hoc argumento Seraphicus vtitur Doctor, *in Pſalt. Virg. Pſalm. 83. tom. 6. pag. 508. col. 2. lit. A.* inquiens. *Super thus, & balſamum Oratio eius incenſum: preces eius non reuertuntur vacuæ, & inanes.* Quæ enim tot, tantaque munera defert, quidquid poſtulat impetrabit.

3 Mos viget in Regnis, & Rebuspublicis vt populi aliquem habeant apud Principem ex Magnatibus, aut Senatoribus Aduocatum, & Patronum, qui eos tueatur, & adiuuat in eorum neceſſitatib. ſic & apud Romanum Pontificem, Reges omnes, ac Principes, Religioſi, &c. habent aliquem ex Cardinalibus Protectorem, ac Patronum. Ille verò Princeps, aut Populus felicior cenſetur, qui potentiorem Protectorem habet. O nos felices, gaudeamus Chriſticolæ, Aduocatum, & Protectorem habemus, imò & duos, eoſque potentiſſimos: Ieſum, & Mariam: eapropter Apoſtolus, vt peccatores ad ſpem ſubleuaret miſericordiæ, dicebat, 1. Ioann. *cap. 2. verſic. 2. Aduocatū habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtū; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Addere autem poterat: Aduocatam apud Ieſum habemus Mariam Virginem. Cum enim Deus iratus eſt Maria ſeipſam holocauſtum odoris Deo Filio offert. Filius Patrem exorat, & ſic gratiæ mundo conceduntur, augentur dona, remittuntur peccata; vt autem facilius impetret Mater oſtendit Filio pectus, & vbera ex quibus lactem ſuxit; dein Filius Patri oſtendit latus, & vulnera; & ſic Deum placatum, & ad largiendum pronum reddunt, Optimè, & fusè id exponit Arnoldus Carnuten. Abb. Bonæuallis, *de Laudibus Mariæ, pagin. 436. liter. E. Securum acceſſum habet homo ad Deum, vbi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Chriſtus, nudato latere, Patri oſtendit latus, & vulnera: Maria, Chriſto Pectus, & Vbera; nec poteſt vllo modo eſſe repulſa, vbi concurrunt, & orant omni lingua diſertius hæc clementiæ monumenta, & claritatis inſignia. Diuidunt inter ſeſe coram Patre Mater, & Filius officia, & miris allegationibus muniunt Redemptionis humanæ negotium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ inuiolabile Sacramentum. Maria Chriſto ſeipſam immolat, & pro mundi ſalute obſecrat; Filius impetrat, Pater condonat.* Nemo ergo dona cœleſtia impetraturum ſe diffidat, ſi Mariam pro ſe tam validè orantem habebit

4 Parum equidem iuuaret clientulum, potentiſſimum, ac diſertiſſimum Patronum habere, ſi ille orare apud Principem in ſua cauſa non curaret, ſed ei gratias debet, qui ſecum ad Tribunal accedens, luculentiſſima Oratione, ac Maieſtate perſonæ eum à iudicio indemnem abire impetrat. Nos ergo, non ſolum Patronam potentiſſimam apud Deum Mariā habemus, ſed quæ ſemper oret pro nobis, ac ſuis deuotis orantibus aſſiſtens, eorum preces Deo ferat, & poſtulata obtineat. Aſcendens in Cœlum Dominus Ieſus, diſcipulis ſuis promiſit Spiritum Sanctum, cuius virtute confirmati, audacter Euangelium prædicarent: dum autem tantum donum, præſtolabantur, vt citius obtinerent Orationi vacabant: ſed notanda ſunt Verba Hiſtorici Sacri id recenſentis: ait enim: Actor. *cap. 1. verſic. 14. Hi omnes erant vnanimiter perſeuerantes in Oratione cum Maria Matre Ieſu*: Perſeuerabant Chriſti diſcipuli in Oratione, petebant Spiritum Sanctum, ſed aſtabat, tanquam Orator potentiſſimus, Deipara; vt ſua pro eis interceſſione ſperata obtinerent. Ex quo deducit Diuus Bonauentura, nunc etiam nobis orantibus Mariam aſſiſtere, & noſtram ſalutem curare, vt ſicut omnibus Sanctis potentior eſt, ſic etiam ad noſtram ſalutem promptior, ait ille, *in Specul. Virg lect. 4. to. 6. pag. 457. col. 1. lit. A. Si Maria tam ſedulè orauit in terris, quomodo nō ſedulè orabit pro nobi.*

in Cœlis. Quid tanta Mariæ potentia prodeſſet nobis, ſi ipſa nihil curaret de nobis? Propter hoc chariſſimi ſciamus indubitanter, & per hoc gratias agamus inceſſanter, quod ſicut ipſa apud Deum omnibus Sanctis eſt potentior, ita quoque pro nobis apud Deum omnibus Sanctis eſt ſollicitior. Aduocata eſt, potentiſſima eſt, facundiſſima eſt, ſed item amantiſſima eſt, ſemper pro ſuis deuotis ſollicita, vt potenti oratione eis cœleſtia dona promereat.

5 Orationi vim maximam tribuere orantis conditiones, nemo eſt qui ambigat; Princeps enim magis acceptabit orationem amici ſui, quam alieni, aut incogniti; & humiliantem ſe magis quam ſuperbum; quas conditiones in oratione potentiſſimas eſſe docent ſacræ literæ, iuſtitia ſcilicet, & humilitas, de prima dicitur in Prouer. *c.15.v.24. Dominus orationes iuſtorum exaudiet*, & de ſecunda in Eccle. *c.34.v.21. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit; & donec propinquet non conſolabitur: & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat.* Vnde & de Anima feruentiſſimè orante, ac cælos penetrante, dixiſſe Sapientem puto. *Prouerb. c.31.v.10. Mulierem fortem quis inueniet?* Nam difficile eſt inuenire animam ſanctiſſimam ſimul, & humillimam. Quanta autem ſit ſanctitas Virginis vniuerſo mundo eluceſcit, & quia ſanctiſſima, & iuſtiſſima eſt, propterea Deo amiciſſima eſt; De humilitate verò quid dicam de ea, quæ cum Dei Mater eſſet, indignam ſe, & humilem vocat ancillam? Sic igitur fortiſſima Virgo nubes, & Cœlum penetrans, pro nobis intercedendo gratia nos repleuit: De qua Mellifluus Bernardus, *ſerm. de Aqueduc. in Nat. B. Mariæ, col.272. lit. K.* hæc habet. *Mirabatur & Salomon, & veluti deſperanti ſimilis aiebat: Mulierem fortem quis inueniet? Nimirũ propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod nec dum intercederet is, de quo loquimur tam deſiderabilis Aquæductus. Sed quomodo noſter hic aquæductus fontem illum attingit tam ſublimem? Quomodo putas niſi vehementia deſiderij, niſi feruore deuotionis, niſi puritate orationis? ſicut ſcriptum eſt. Oratio iuſti penetrat Cælos; & quis iuſtus ſi non Maria iuſta, de qua Sol iuſtitiæ ortus eſt nobis? Quomodo ergo illam inacceſſã attigit Maieſtatem niſi pulſando, petendo, quærendo?* Gaudeamus ergo omnes de tam potentiſſima Protectrice.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALEGORICA.

E*Xibit Homo, &c.* De Diogene fertur in diei meditullio viſum eſſe in publica Athenienſium Platea accenſam Lucernam manibus geſtantem, ac aliquid quæritantem; & interogatum quid quæreret, reſpondiſſe: *Hominem*: Non enim omnes homines, re vera ſunt homines. Nos verò alio ſenſu dicimus non ſemper nomen hoc, *Homo*, in ſcripturis ſacris ſignificare hominem, ſed varias induere allegorias; ſicuti etiam alia nomina, quæ hìc notantur.

SVMMARIVM.

1 *De Vocis Exire, ſeu Egredi allegorijs.*
2 *De varia Hominis acceptione.*
3 *De operis Significationibus.*
4 *De Veſperæ multiplici allegoria.*

§. I.

De Vocis Exire, ſeu Egredi allegorijs.

1 E*Xibit Homo.* Verbum Exire, ſeu egredi, ſignificat de loco aliquo in alium magis patentem venire: Et primo exiens ſeminans ad ſeminandum ſemen ſuum eſt Verbum diuinum, aſſumpta carne, per incarnationẽ mundo apparere, vt dicitur Matth. *c.13.v.3. Exijt, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum*, & ibi D. Ioann. Chriſoſtomus, *Hom 45. in Matt. tom.2, col.345. lit. B. Vnde exiit, qui vbiq; præſens eſt, & omnia replet? aut qualiter nam exiit? certè non loco, ſed habitudine, atque incarnationis, diſpenſatione propinquior factus eſt nobis.*

2 Homo Pater familias exiens ad conducendos operarios, & ſingulis horis aliquos conducens, ſignat Deum vocantem ad pœnitentiam homines cuiuſcumq. ætatis, Matt. *c 20.v.1. Simile eſt Regnum Cælorum homini Patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam, &c.* & idem Chriſoſtom. *loc. cit. Hom.65. col. 470. lit. B. Ipſa parabola etiam denotanis dicẽs: mane ipſum ad conducendum exiuiſſe. Ita vndiq; aperitur, ætates nobis hominum hac parabola deſignari, quorum alij iuniores, alij ſeniores virtutem amplectuntur.*

3 Exire Dominum de loco ſuo, eſt cogi ad caſtigandũ peccatores; de quo dicitur, Iſai. *c.26.v.21. Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ.* Vbi D. Hieronymus, *lib.8. in Iſai. pag.97. lit. H. Siquidem egreditur Dominus de loco ſuo, quia miſericors, & miſeratur Dominus, & clementiſſimus Pater, filios negligentes ferire compellitur.*

4 Exiens Pater prodigi ad filium maiorem, eſt Chriſtus oſtendens per prædicationem Apoſtolorum rationabilem eſſe vocationem gentium, de quo in Euangelio Luc. *cap.15. ver.28. Pater ergo illius egreſſus cepit rogare illum*, & ibi Lyranus, *Quia Deus per Apoſtolos, & ſpecialiter per Paulum, oſtendit rationabiliter, & per ſcripturas, quod erant Gentiles non contemnendi, ſed ad communionem fidelium recipiendi.*

5 Exiens Chriſtus de Iordane ad Deſertum ſignat Adæ eiectionem de Paradiſo ad deſertum mundi, propter quam & ipſe venit in mundum; *Ieſus autem egreſſus eſt ab Iordane, & agebatur in ſpiritu in deſertum*, Luc. *cap.4. verſic.1.* & Diuus Ambroſius, *libr.4. in Luc. tom.3. pagin.28. liter. C. Conuenit recordari quemadmodum de Paradiſo in deſertum Adam primus eiectus ſit, vt aduertas quemadmodum de deſerto ad Paradiſum Adam ſecundus reuerterit.*

6 Egreſſus quaſi diluculum dicitur Dei Verbum, quia per ſuam temporalẽ natiuitatem lucẽ veritatis afferens, tenebras peccatorũ fugauit, de qua Propheta Oſ. *c.6.v.4. Quaſi diluculũ præparatus eſt egreſſus eius*, vbi Gloſſ. ord. *Diluculum initium Lucis, quo tenebræ fugantur: vnde ait Sicut reſurgente diluculo tenebræ noctis fugantur, ita Chriſto egreſſo de thalamo incorrupti vteri tenebræ peccatorum diſſipantur, & lux veritatis apparet.*

7 Egreſſio Iob nudi de Vtero matris ſignat Chriſti Natiuitatem ſine originali peccato. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ*, Iob, *cap 1. verſ.21.* vbi Diuus Hieronymus, *in Iob, tom.8. pagin.2. liter. B. Iob, id eſt Chriſtus, &c. Nudus egreſſus eſt de vtero matris ſuæ; nulla videlicet ſorde peccati originalis aſperſus.*

8 Egrediuntur iudicia Dei quaſi lux, cum eorum iuſtitia, & veritas apparet, de quibus dicitur, Oſeæ, *c.6.v.6. Iudicia tua quaſi lux egredientur*, & Gloſſ.interlin. *Hec omnia fecit, vt iudicij (quo te iudicatus ſum) veritas appareat; vt omnes ſciant te eſſe correptum, & non pœnitentem iuſtè punitum eſſe.*

9 Egreſſus Sacerdotis extra caſtra ad leproſum mundatum examinandum ſignificat catholicum Prælatum ſollicitè examinantem hæreticum reuertentem ad fidē, vnde dicitur, Num.*c.14.v.2. Adducetur ad Sacerdotem, qui egreſſus è caſtris, cum inuenerit lepram eſſe mundatā, &c.* vbi Lyranus, *Per quod deſignatur, quod Prælatus debet reuertentem ab hæreſi diligenter examinare de fide, & eccleſiaſticis Sacramentis.*

10 Exiens aqua de petra percuſſa, eſt ſanguis, & aqua egrediens de latere vulnerato Domini, de qua dicitur Exod.*c.17.v.6. Percutieſque petram, & exibit ex ea aqua*, & gloſſ.interlin. *Aperto latere Chriſti exiuit ſanguis, & aqua.*

11 Exiens cibus de comedente, eſt Chriſtus de morte reſurgens, de quo ſcriptum eſt, Iudic.*c.15.v.14. De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*, & D. Auguſtinus, *ſer.107.de Temp.tom.10.pag.275.lit.G. Nā quæſtio ipſa quæ continet; De edente exiuit cibus, & de forte egreſſa eſt dulcedo, quid aliud ſignificat quam Chriſtum à mortuis reſurgentem? De edente vtique, id eſt de morte, quæ cuncta deuorat, atque conſumit, exiuit cibus ille, qui dixit: Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi.*

12 Egrediens de Carcere, & de catenis ad Regnum Chriſtus eſt abiens in Cęlum, & regnans in mundo pulſo diabolo, De quo Sapiens, Eccle *c.4 verſ 14. Quòd de carcere, catenïſque egrediatur ad regnum, & alius natus in regno inopia conſumatur*, vbi D.Hieronymus, *in Eccle.tom.5.pag.13.lit.F. In illius itaque ſtulti ſenis regno, qui oſtendit ei omnia regna mundi, natus optimus puer, de domo vinculatorum proceſſit ad regnum, & abiit in regionem longinquam: & contra eos, qui ſuper ſe regnare nolebant, poſt aliquantum temporis, Rex reuerſus eſt.*

13 Exiens Abram de terra ſua, Chriſtus eſt relicta Iudæa ad gentes ſaluandas accedens, cui dictum eſt, Geneſ. *c.12 v.1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*, & Beda, *in Geneſ.tom.4.col.47. Chriſtus relicta terra ſua, & cognatione ſua, & domo Patris ſui, populo ſcilicet Iudæorum, apud exteros locupletatur, in populo gentium præpollens.*

14 Idem ſignat Chriſtianum Paradiſum deſiderantē, qui terrena aſpernari debet, vt cœleſtia conſequatur; vt Idem ibidem ſequitur: *Ad illius quoque exemplum nobis exeundum eſt de terra noſtra, id eſt de facultatibus huius mundi: & de cognatione noſtra, de cōuerſatione, moribus, vitiiſque prioribus, quæ nobis à natiuitate, velut conſanguinitate coniuncta ſunt: Et de domo Patris noſtri, id eſt de omni memoria mundi huius, velut gentilitate, vt renunciantes poſſimus dilatari in populum Dei, & in terrā repromiſſionis, quum aduenerit tempus, introduci.*

15 Non egredi Deum in virtutibus Iudæorum, eſt eis non amplius auxiliari, quia eos deſeruit, vt ait Pſalmus 59.v.12. *Non egredieris Deus in virtutibus noſtris*, Vbi D.Hilarius, *in Pſalm.59.colum.742.lit.A. Nunc autem deſerente eos cuſtodia Spiritus Sancti, nullum in virtutibus eorum, id eſt in exercitibus, diuinæ propugnationis auxilium eſt. Et ideo, quia deſtruxit, non egreditur in virtutibus eorum.*

16 Egredi per Chriſtum ad paſcua, eſt virtutum perfectionem inuenire: De quo dicitur, *Ioann.capit.10. verſicul.9. Ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet*, & Diuus Gregorius, *libr.6.in cap.16.Reg.tom.1, pagin.293. liter. A. De his certè paſcuis electorum a Domino dicitur: Ingredientur, & egredientur, & paſcua inuenient. Intus quippè habent paſcua contemplationis, foris paſcua boni operis. Intus mentem deuotionibus impinguant, foris ſe piis operibus ſatiant.*

Iav. de Mata.

17 Exire ad PſeudoChriſtū in deſerto, eſt diſcedere à fide ad doctrinam Philoſophorum, vnde ait Dominus Matth. *c.24. v.26. Si ergo dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire*, vbi gloſſ.interlin. *Chriſtus non moratur in deſerto gentilium Philoſophorum, nolite exire à fide ad doctrinam eorum.*

18 Fulgur exiens ab oriente, eſt Chriſtus manifeſtè ad iudicium veniens, vnde dicitur, Matth.*c.24.v.27. Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vſque in occidentem, ita erit Aduentus Filii Hominis*, vbi gloſſ.interlin. *Nec vno loco, nec occultus erit aduentus Chriſti, ſed in toto orbe manifeſtabitur.*

19 Fulgur de igne egrediens, eſt amor Dei, qui à Spiritu Sancto veniens, fidelium inflammat corda, vnde apud Ezechielem, *c.1.v.13.* dicitur, *Splendor ignis, & de igne fulgor egrediens*, & Romanus Gregorius, *Hom.5.in Ezech.tom 2.pag.1253. lit.E. Sanctus ergo Spiritus in medium animalium ſplendor ignis, & de igne fulgor egrediens diſcurrere dicitur, quia vniuerſam Eccleſiam replens, in Electorum cordibus, ex ſeipſo flammas amoris proiicit, vt corruſci more, per terrorem feriat, & ad amorem ſuum corda torpentia accendant.*

20 Exitum noſtrum Dominum cuſtodire, eſt in hora mortis à malis nos ſeparare, & ad æternam quietem ducere: de quo Pſalmus 120.*verſic 8. Dominus cuſtodiet exitum tuum ex hoc, nunc, & vſque in ſæculum*: & ibi Diuus Hilarius, *in Pſalm.120 columnn.979.liter.A. Cuſtodit ergo Dominus exitum: dum de corpore exeuntes, ſecreti, ab impiis interiecto chao, quieſcunt.*

21 Egredi Sponſum de cubili ſuo, eſt tempore ieiunii ab Vxoris amplexibus abſtinere, & caſtè Deum orare: quod ſuadet Ioel, *cap.2. verſ. 16. Egrediatur Sponſus de cubili ſuo, & Sponſa de thalamo ſuo*, & Diuus Hieronymus, *in Ioel, tom. 5. pagin.84. liter.A. Non ſeruiat Sponſus, & Sponſa operi nuptiali: Vnde & Apoſtolus recedendum parumper à coitu præcipit, vt vacemus orationi: Ergo qui in caſtigatione victus, & ieiunio, atque eleemoſyna dicit ſe agere pœnitentiam: fruſtra hoc ſermone promittit, niſi egrediatur de cubili ſuo, & Sanctū, puruṁq; ieiuniū pudica expleat pœnitentia.*

22 Exire populum quaſi vir vnus, eſt inter ſe pacem, & vnitatem ſeruare, de quo 1.Reg. *c.11.v.7. Inuaſit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt quaſi vir vnus*, & D Gregorius, *lib.5.in 1.Reg.to.1.pag.201.lit.B. Quaſi vir ergo vnus plures egredi non poſſunt, niſi qui ad pacem conſcendunt vnitatem dilectionis.*

23 Galaaditæ promittentes exire ad ſe tradendum Nahas ammonitę, ſed poſtea exeuntes ad eum expugnādum; ſunt Viri Sancti, qui promittendo in craſtinum gulæ ſaturitatem, ſed numquam dando, eam decipiunt, vnde dicitur, 1.*Reg.c.11.v.10. Mane exibimus ad vos*, & D. Greg.*loc.cit.pag.202, lit.E. Sancti viri gulæ illudūt: quia cum ab eius appetitu deſperare in perpetuū nequeūt, illud, quod promittunt, & non ſumunt, quaſi in futura luce delectationis repromittunt.*

24 Filii ceruarū exeuntes ad paſtum, & non redeuntes, ſunt Viri ſpirituales, qui ad culmen contemplationis peruenientes, non amplius indigent doctiſſimi Magiſtri, de quibus Iob, *c.39.v.7. Separantur filij earum* (ceruarū) *& pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas*, vbi citatus Gregorius, *lib.30.c.11.mor.to.2.pag.995. lit.B. Paſtum ſcriptura ſacra illud viriditatis æternæ pabulum vocat, &c. Pergunt ergo ad paſtum: quia de corporibus exeuntes, illa pabula æterna viriditatis inueniunt: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas: quia in illa ſuſcepti contemplatione gaudiorum; iam nullatenus indigent verba audire docentium.*

25 Seruum hebræum exire liberum poſt ſex annos ſeruitutis, eſt animam de actiua vita ad contemplatiuā tranſire: vnde dicitur, Exod.*c 21.v.2. Si emeris ſeruū hebræū, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis*, vbi idem Doctor, *Hom.3.in Ezech. tom.2. pag.1245.lit. E. Quid enim per ſenarium numerum, niſi actiua vitæ perfectio deſignatur? Quid per ſeptenarium, niſi*

niſi contemplatiua exprimitur? Sex ergo annis ſeruit, & ſeptima egreditur liber, qui per actiuam vitam, quã perfectè exhibuerit, ad contemplatiuæ vitæ libertatem tranſit.

26 Samuel egrediens obuiam Saul, ſignat Sacerdotes de ſecreto contemplationis, ad prædicandum Populo exeuntes: *Apparuit Samuel egrediens obuiam eis. 1. Reg. c. 9. v. 14* & ibi idem Gregorius, *in c. 9. 1. Reg. lib. 4. pag. 163. lit. A. Egrediuntur ergo Sacerdotes, quando à ſecreto meditationis ad prædicandum veniunt.*

27 Exire obuiam ſponſo accepta lampade, eſt per vitã contemplatiuam ſe præparare ad occurrendum Chriſto Iudici; vt dicitur in Euangelio, Matth. *c. 25. v. 1. Quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ:* Vbi Lyranus. *Lampades iſtæ ſunt opera vitæ contemplatiuæ, quæ ſunt bona de genere; exierunt, &c. Ad hoc debet ordinari exercitium vitæ contemplatiuæ, vt homo poſſit ſecurè obuiare Chriſto venienti ad iudicium.*

28 Exiens immundus ſpiritus ab homine, & in deſertum vadens, eſt poteſtas diaboli per legem diſcedens à populo hebræo, & ad gentes oberrans, de quo Mattheus, *c. 12. v. 43. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida,* & D. Hilarius, *can. 12. in Matth. col. 529. lit. A. Inſidentem plebis iſtius pectoribus immundum ſpiritũ, lex, quæ poſtea data eſt interuentu ſuo eiecit. Qui illinc exiens circum gentes deſertas, atque aridas oberrauit.*

29 De vtero egredi glaciem, eſt animam virtute præditam per vanam gloriam in charitate frigeſcere: ſic Iob ait, *c. 30. v. 18. De cuius vtero egreſſa eſt glacies,* vbi Diuus Gregorius, *lib. 29. c. 15. mor. pag. 971. lit. E. Quaſi enim de Dei vtero glacies egreditur, quando hi, qui iam intus incaluerant, ex virtutum dono frigeſcunt; & inde exteriorem gloriam torpentes appetunt, vnde ad interna diligenda ardentius flagrare debuerunt.*

30 Egreſſus ignis comburens ſpicas, eſt immoderata correptio, quæ correptum exaſperat, de qua dicitur, Exod. *c. 23. v. 6. Si egreſſus ignis inuenerit ſpicas, & comprehenderit aceruos frugum, &c.* vbi Gloſſ. ord. *Spicas teneros auditores, nondum ad maturitatem fructus pertingentes, quorum vitia, qui acerbè, & indiſcretè reprehendit, quaſi ignem in ſpicas immittit.*

31 De Humo non egreditur dolor, cum elementa propter peccata nos feriunt, quia pœna non de eis, ſed de nobis exigitur, vnde Iob, *c. 5. v. 6. De Humo non egredietur dolor,* & ibi Gloſſ. ord. *Humus, id eſt elementa mundi, in pœnam vertuntur delinquentium; ſed tamen de eis non egredietur dolor, quia pœna non naſcitur de his, quæ feriunt, ſed de his, qui peccando percuſſiones extorſerunt.*

32 Exire vaccas pingues per aperturas, eſt hæreticos proiici in Infernum, vnde Propheta Amos, *c. 5. v. 1 & 3. Audite verbum hoc vaccæ pingues, &c. & per aperturas exibitis,* & Gloß. interl. *Vaccæ pingues, hæretici ventri, & Gulæ ſeruientes; per aperturas exibitis, vt gehennæ ignibus exuramini.*

33 Egrediens ſtatio Philiſtinorũ, eſt malignorũ ſpirituũ turba ad tentandũ accedens, ſic dicitur, *1. Reg. c. 14. v. 1. Egreſſa eſt ſtatio Philiſtinorũ,* & D. Gregorius, *1. lib. Reg. tom. 2. pag. 228. lit. A. Philiſtinorum ſtatio egreditur, quando malignorum ſpirituum turba electis mentibus per ſuggeſtiones noxias demonſtratur.*

34 Egrediens tempeſtas ab interioribus, eſt contra Chriſtum, & ſuos orta ab ipſis Gentilibus ſuis Iudæis perſecutio; vnde dici poteſt, *Ab interioribus egreditur tẽpeſtas;* cum quis à ſuis conſanguineis, conciuibus, vel ſociis perſecutionem patitur, de hoc Iob, *c. 37. v. 9. Ab interioribus egredietur tempeſtas,* & ibidem Magnus Gregorius, *lib. 27. c. 18. mor. pag. 926. lit. B. Ac ſi apertè diceretur: A Iudæis ſurgit malitia perſequens.*

§. II.

De varia Hominis acceptione.

1 EXibit Homo. Hominem eſſe creaturam rationalem iam vidimus: allegoricè verò ſignat primò Pater familias Deum, vt apud Matth. *c. 20. v. 1. Simile eſt Regnum Cælorum Homini Patri familias,* vbi Gloſſ. ord. *Iſte Pater familias Conditor noſter eſt.*

2 Homo Pater familias ſignificat Chriſtum, vt in eodem loco ait Chriſoſtomus, vel Author, quiſquis ille ſit, eius operis imperfecti *in Matth. tom. 2.* Hom. 34. *colum. 830. lit. C. Homo Pater familias Chriſtus eſt, cui Cæli, & terra quaſi vna eſt domus, familia autem quaſi cæleſtium, & terreſtrium multitudo creaturarum.*

3 Homo in principio formatus vt præeſſet animalib. ſignat virum ſpiritualem ſenſibus dominantem: Geneſ. *c. 1. v. 26. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus maris, &c.* vbi Venerabilis Beda, *in c. 1. Gen. tom. 4. col. 26. Spiritualiter autem fecit Deus hominem ad imaginem ſuam, perfectum ſcilicet virum, qui non quemlibet Sanctorum, ſed ipſam veritatem imitando, operatur iuſtitiam. Ipſe etiam accipit poteſtatem piſcium, & volatilium, & omnium iumentorũ: quia ſpiritualis homo diiudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur.*

4 Homo ſignificat hominem paſſionibus non ſubiectum, carniſque voluptates deſpicientem, de quo Propheta Ezech. *c. 34. v. 31. Vos autem greges paſcuæ meæ homines eſtis.* & Romanus Gregorius, *lib. 24. c. 6. mor. pag. 846. lit. E. Nonnunquam Homines dicit eos, quos à beſtiis ratio diſtinguit, id eſt, quos non atteri beſtiali paſſionum motu demonſtrat. Quibus per Prophetam Dominus dicit. Vos autem greges paſcuæ meæ homines eſtis: quia illos nimirum Dominus paſcit, quos voluptas carnis iumentorũ more non afficit.*

5 Homo etiam aliquando carnales, & humana ſapiẽtes ſignat: ſic Paulus ait, *1. Cor. c. 3. v. 3. Cum enim ſint inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundũ hominẽ ambulatis? &c. Nonne homines eſtis?* & idem Gregorius, *loc. cit. Scriptura ſacra aliquãdo homines ponere ſolet humana ſapientes; ſicut ait Apoſtolus. Cum n. ſint inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis? & paulò poſt ſubiicit: Nonne homines eſtis?*

6 Homo in latrones incidens, & ab eis vulneratus, & ſpoliatus Adam eſt, de quo Dominus, Luc. *c. 10. verſ. 30. Homo quidam deſcendens ab Hieruſalem in Hiericho incidit in latrones, &c.* & Chriſoſtomus, *ſerm. de eo, qui incid. in latron. tom. 2. col. 1094. lit. C. Eſt igitur iſte homo quem diximus, Adam protoplaſtus.*

7 Homo Homo, bis replicatus, ſignat hominem interiorem exteriori correſpondentem, hoc eſt, hominem ſecundum rectam rationem operantem: de quo Ezech. *cap. 14. verſicul. 6. Homo homo de domo Iſrael.* & gloſ. ord. *Secundo homo, homo dicitur, vt interior, & exterior ſignificetur: multi enim corporalem hominis faciem habentes, diuerſarum beſtiarum aſſumunt imagines.*

8 Homo ſignat B. Virginem, cum Chriſtus dicit ſe filium hominis, vt vidimus in expoſitione Myſtica.

9 Hominis facies in animalibus Exechielis, Mattheũ Euangeliſtam ſignat, de quo ille, *c. 1. v. 10. Facies hominis à dextris ipſorũ quatuor.* & D. Hieronymus, *prolog. in Matth. tom. 6. pag. 1. Prima hominis facies Mattheum ſignificat, qui quaſi de homine exorſus eſt ſcribere; Liber generationis Ieſu Chriſti.*

10 Homo ſimpliciter ſine adiecto prонũciatus ignobilem hominem ſignat, vt Lucæ, *c. 22. v. 5. Homo amphoram aquæ portans,* & gloſſ. ord. *Sine nomine deſignatur, vt pauper, & ignobilis æſtimetur, qui à Domino eligitur.*

11 Homo delinquentem ſignificat; ſic talibus dicitur Pſalm. 81. *verſ. 7 Vos autem ſicut homines moriemini,* & D. Gregorius, *lib. 4. c. 15. mor. pag. 386. lit. A. Ac ſi apertè dicat: ſicut delinquentes obibitis.*

12 Secun-

Digitized by Google

12 Secundum hominem loqui, eſt vti exemplo humano ad probandas res cæleſtes: ita Paulus *Galat. cap. 3. verſ. 15. Secundum hominem dico*; & ibi Lyranus: *Ideſt per factum humanum oſtendo propoſitum*: & idem affirmat D. Hieronymus *in epiſ. ad Gal. tom. 8. pag. 285. lit. F. Secundum hominem dico: humano vtor exemplo. Comparari enim humana diuinis propter euidentiorem intellectum poſſunt, æquari non poſſunt.*

13 Homo ſignat Antichriſtum nec non Hæreticum, & paganum, qui Chriſto contrariantur: De quo intelligitur illud Pſalm. 9. v. 20. *Exurge Domine, non confortetur homo*, ſecundum D. Ioannem Chriſoſtomum *in Pſalm. 9. to. 1. col. 585. lit. B. Exurge Domine non preualeat Homo: Quis eſt iſte homo niſi Antichriſtus? Audite fratres dilectiſſimi, multi in ſæculo iſto caduco, & fœneo habitant Antichriſti: & audite qui ſunt iſti Antichriſti. Antichriſti dicuntur ficti Chriſtiani, Antichriſti dicuntur hæretici, & pagani.*

14 Homo inimicus ſeminans zizania inter triticum, eſt diabolus hæreſes inducens: de quo dicitur *Matth. cap. 13. verſ. 25. Cum autem dormirent homines venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania*: & Lyranus. *Poſt dormitionem Chriſti, & Apoſtolorum per mortem, hæreſes inter fideles ſeminauit Diabolus.*

§. III.

De Operis ſignificationibus.

1 AD *opus ſuum*: Opus eſt id quod laborando efficitur: Et primò opus Dei ſpecialiter eſt homo, vt patet ex expoſitione literali; & etiam per Apoſtolum *Ad Rom. cap. 14. verſ. 20. Noli propter eſcam diſſoluere opus Dei.* vbi D. Ambroſius ait, *in Ep. ad Rom. tom. 3. pag. 156. lit. A. Homo opus Dei eſt per creationẽ, & iterum opus eſt dum reformatur per regenerationem, &c. Ideo inquit, noli hoc opus Dei, quod præclarum eſt, diſſoluere propter id, quod humillimum eſt.*

2 Opera digitorum Dei ſacra ſcriptura, eſt; de qua Pſalmus 8. verſ. 4. *Quoniam videbo Cœlos tuos opera digitorum tuorum*: & Gloſſ. interl. *Intelligam ſcripturas, quæ ſpiritu Dei facta ſunt, cuius ſunt ſeptem dona, cum ſit vnus ſpiritus, ſicut plures digiti in vna manu.*

3 Opus Dei dicitur opus bonum, & virtuoſum; hinc opus Dei fraudulenter agere, eſt malitiam bonitate palliare: vnde Propheta. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*: *Ierem. cap. 48. verſ. 10.* & Lyranus. *Opus Dei fraudulenter facere, eſt opere bono de genere magnam malitiam palliare.*

4 Opus alienum a Deo eſt vindicta; de quo Iſaias *cap. 28. verſ. 24. Alienum eſt opus eius*: & Gloſſa interl. *Quia non eſt opus Dei perdere quos creauit.*

5 Opera Dei, quæ ignorantur, ſunt eius iudicia: quod monet Iob *cap. 36. verſ. 21. Memento, quòd ignoras opus eius*; & D. Gregorius *lib. 27. cap. 2. mor. pag. 909. lit. D. Opus eius ignoratur: quia nimirum iudicia illius ipſi etiam, qui hunc prædicant impenetrata venerantur. Et ſciunt ergo quem prædicant, & tamen eius opera ignorant.*

6 Operari opus Dei, eſt credere in eum: vnde interrogantibus Iudeis: *Ioan. cap. 6. verſ. 28. Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus & dixit eis. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille*: quod notauit Chriſoſtomus *Hom. 33. in Matth. tom. 2. col. 819. lit. H. Cum Dominus dixiſſet quibuſdam Iudæis: operamini, non cibum, qui perit, ſed qui permanet. Interrogantibus eis: Quid faciemus, vt operemur opus Dei? Reſpondit: Hoc eſt opus Dei credere in eum, quem miſit ille. Illi autem opus agnitionis Dei negligentes, quod eſt præcipuum Chriſtiani opus, ſemper ad diabolum tranſibant.*

7 Opus bonum eſt bona doctrina; vnde in illud Matthei *cap. 5. verſ. 16. Vt videant opera veſtra bona*: ait Cardinalis Hugo *in cap. 5. Matth. pag. 18. col. 2. Bonum enim Opus bona doctrina eſt.*

8 Opus oliuæ, eſt pietas, & miſericordia: vnde dicitur: *Habac cap 3 verſ. 17. Mentietur opus oliuæ*; vbi citatus Doctor *in Habac. pag. 195. col. 3. Mentietur opus oliuæ: ideſt opus pietatis, & miſericordiæ non erit in ſubditis.*

9 Opera Babylonis ſunt opera naturalis neceſſitatis, ſuper quæ conſtituuntur præfecti, Sidrach, Miſach, & Abdenago; ideſt circumſpectio, Diſcretio, & Prudentia: Ideo dicitur: *Daniel. cap. 2. ver. 49. Daniel autem poſtulauit a Rege, & conſtituit ſuper opera Prouinciæ Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago*, & Ricchardus *a S. Vict. De ſomn. Nabucdon. p. 1. lib. 1. ca. 43. tom. 1. col. 1. pag 124.* ait. *Debemus Itaque non ſolum in ſtudiis, & exercitijs ſpiritualibus; verum etiam in negotijs ſæcularibus, & neceſſitatis vſibus nihil incircumſpectè, nihil indiſcretè, nihil improuidè facere. Et hoc ſit Sidrach, Miſach, & Abdenago ſuper omnia opera Prouinciæ Babylonis conſtituiſſe.*

10 Opus in veritate, eſt operatio facta in fide Chriſti, extra vmbram legis, de qua Iſaias *cap. 61. verſ. 8. Dabo opus eorum in veritate*: vbi D. Hieronymus *lib. 17. in Iſai. pag. 205. lit. F. Vt nequaquam ſicut in Lege, vmbra veritatis, ſed ipſa ſit veritas.*

11 Opera manuum Populi Dei, ſunt credentes per prædicationem Apoſtolorum: de quibus idem Propheta *cap. 65. verſ. 22.* ait: *Opera manuum eorum veteraſcent electis meis*: Et idem Doctor *l. cit. lib. 18. pag. 220. lit. D. Hoc quoque iuxta hebraicum dici poteſt, quando opera populi, & in Chriſto credentium, fructus ſunt Apoſtolorum, ideſt electorum.*

12 Opus manuum figuli, ideſt vas teſtaceum, fit Chriſtianus per peccatum; de quo dicitur *Thren. cap. 4. verſ. 2. Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo facti ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* Vbi citatus Hieronymus *lib. 3. in Thren. pag. 324. lit. C. Filii Eccleſiæ, qui inclyti fuerunt Chriſtiana religione, & ornati ſapientiæ fulgore, & decore virtutum: nunc emolliti carnalibus deſideriis, & terrenis cupiditatibus tabefacti, vaſis teſteis comparantur.*

Vide alias allegorias Operis, expoſitione allegorica in Verſum XIII. §. IV.

§. IV.

De Veſpera multiplici allegoria.

1 VSque *ad Veſperam*: Veſper dicitur ſydus Veneris in Solis occaſu apparens, & ab eo, diei pars in qua apparet dicitur Veſpera, eſtq; finis diei artificialis, & noctis initium. Allegoricè autem primò ſignat vltimam mundi ætatem, in qua Verbum incarnatum eſt: de qua dicitur *Pſal. 89. verſ. 6. Mane floreat & tranſeat, veſpere decidat, induret & areſcat*; Vbi D. Bernardus *Hom. 1. ſup. miſſ. eſt. pag. 29. lit. I. Veſpere etenim, ideſt quando venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus vnigenitum ſuum factum ex muliere.*

2 Veſpertinum ſacrificium eſt Paſſio Chriſti: de qua Pſalmus 140. *verſ. 2. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Vbi D. Auguſtinus *in Pſal. 140. pag. 1036. col. 2. lit. B. Illud ergo eſt ſacrificium veſpertinum; Paſſio Chriſti, Crux Chriſti, oblatio victimæ ſalutaris, holocauſtum acceptum Deo.*

3 Veſpera tribulationem ſignificat: vnde Pſalm. 64. *verſ. 8. Exitus matutini, & veſpere delectabis.* Vbi citatus Auguſtinus *in Pſal. 64. pag. 440. col. 2. lit. C. Sunt exitus mane, ſunt exitus veſpere: Mane ſignificat proſperitatem ſæculi; veſpera ſignat tribulationem ſæculi.*

4 Veſpera ſignificat tempus poſterius: de quo Pſalmus 58. *verſ. 7. Conuertentur ad veſperam*: Et iterum D. Auguſtinus ait *in Pſal. 58. pag. 291. col. 2. lit. B. Neſcio quos dicit quondam operatores iniquitatis, & quondam tenebras, conuerti ad veſperum. Quid eſt ad veſperum? Poſtea. Ante enim debuerant, quam Chriſtum crucifigerent, medicum agnoſcere.*

5 Ve-

5 Veſpera ſignat ſenectutem: vnde in relato Pſalmo 89. *verſ. 6.* dicitur. *Mane floreat & tranſeat, Veſpere decidat, induret, & areſcat*: & D.Hieronymus *in Pſ.89. to.7. pag.114.lit. B. Floreſcimus in adoleſcentia; areſcimus in ſenectute.*

6 Veſpera tempus ſignat Pœnitentiæ: quare de peccatore quodam dicitur: *Leu. cap.11. verſ.24. Erit immundus vſque ad Veſperam*; & Gloſſa interl. addit: *Vſque dum agat pœnitentiam.*

7 Veſpera tentationem ſignat, de qua Iob. *c.7. v.4. Si dormiero, dicam quando conſurgam, & rurſum expectabo veſperam*: vbi D. Gregorius Magnus *lib. 8. cap. 6. mor. pag.483. lit. A. Poteſt veſperæ nomine etiam tentatio deſignari; quæ ſæpe tanto acrius mentem laceſſit; quanto, & eandē mentē ſpiritus ad ſuperna altius euehit.*

8 Veſpera eſt quies contemplationis; vt in eiuſdem verſus explicatione ait D. Bernardus *ſer. 57. in Cantic. pag.632. lit. L. Si dormiero dicam quando conſurgam, & rurſum expectabo veſperam: Hoc eſt: Quietus, neglecti operis, & occupatus nihilominus perturbatæ quietis me arguo. Vides virum ſanctum inter fructum operis, & ſomnium contemplationis grauiter æſtuare.*

9 Tempus Veſperæ extremum diem vel vitæ, vel Iudicij ſignat *Iſai cap.17. verſ.14.* Sicut dicitur. *In tempore veſperæ, & ecce turbatio:* Vbi D.Hieronymus *lib. 7. in Iſai pag.76. lit. D. Cumque dies conſummationis aduenerit, quod interpretatur Veſpera, tu erit turbatio ſua peccata noſcentis.*

10 Veſpera finis eſt mundi: quare ſcriptum eſt: *Exod. cap.18. verſ.13. A mane vſque ad veſperam*: & Gloſſa interl. *A principio vſque ad finem mundi.*

11 Veſpera deſignat terminum, & finem iniquitatis; dicente Iob *cap.4. verſ.20. De mane vſque ad veſperam ſuccidentur*: & ibi Romanus Gregorius *lib. 5. cap. 28. mor. pag.426. lit. D. A mane vſque ad veſperam peccator ſuccidītur, dum a vita exordio vſque ad terminum iniquitatis perpetratione vulneratur.*

Verſus vigeſimus quartus.

מָה רַבּוּ מַעֲשֶׂיךָ יְהוָה כֻּלָּם בְּחָכְמָה עָשִׂיתָ מָלְאָה הָאָרֶץ קִנְיָנֶךָ׃

Verſio ex hebræo. *Quam multa ſunt opera tua IEHOVA; & omnia in ſapientia feciſti, repleta eſt terra poſſeſſione tua:*

Vulgata editio. *Quam magnificata ſunt opera tua Domine; omnia in ſapiētia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua:*

Teſtus arabicus. *Quam magna ſunt opera tua Domine mi; omnia cum ſapientia feciſti, impleta eſt terra creatura tua.*

D.Hieron. in Iſai. *Impleta eſt terra creatione tua.*

D. Auguſtinus. *Repleta eſt terra creatura tua.*

RADIVS PRIMVS; EXPOSITIO LITERALIS.

MAgna concordia inter expoſitores reperitur in huius verſus expoſitione; nam *multa, magna, multiplicata, magnificata,* quæ omnia verbum illud רַבּוּ a radice ortū רָבָה ſignificat, idē ferè important: ſed קִנְיָנֶךָ a radice קָנָה poſſeſſionem ſignificat; quia verò homo eſt poſſeſſio Dei, & cum eo omnes creaturæ, ideo non ad literam, ſed ad ſenſum, D. Hieronymus in Iſaiam, & Arabicus textus, creaturam poſuerunt, aut creationem. Porrò ſapientia Dei, per quam omnia facta ſunt, Verbum Dei eſt, eius Vnigenitus filius, & ideo de Verbo diuino aliqua videbimus. Deinde, quia tunc omnis terra plena eſt creatura, ſeu poſſeſſione Dei; quando omnes mundi plagæ hominibus, & animalibus populatæ ſunt, de prima poſt diluuium populatione orbis terrarum nonnulla videbimus.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Diuina Sapientia, ac de æterna eius Geneſi.*
2 *Quomodo per Sapientiam Deus omnia creauit.*
3 *Quomodo poſt diluuium rationalibus, ac ſenſibilibus creaturis terra repleta eſt.*

§. I.

Quid ſit Diuina Sapientia, ac de æterna eius Geneſi.

1 OMnia in Sapientia feciſti. De æterna, beatiſſimaque Sapientia diſputationem habituri, a clarioribus nobis incipiendum eſt, videlicet de creata ſapien-

Digitized by Google

pientia, vt ſic faciliori methodo ad diuinam noſcendam accedamus. Vt autem a Definitione, quæ eſſentiæ manifeſtatiua eſt, exordiamur, dicimus cum ſancto Patre noſtro Baſilio *in princ. Prouerb. pag. 125. col. 1. lit. B. Eſt enim ſapientia diuinarum, humanarumque rerum, & eorum, quæ rerum ſunt cauſa, ſcientia*. Non enim cuiuslibet rei ſcientia, ſapientia eſt, ſed notitia ſublimium rerum, vt diuinæ ſunt, earumque cauſarum. Duplex autem intelligitur ſapientia, alia pro habitu, alia pro actu: habitualis eſt in memoria, ſcilicet rerum ſcitarum ſpecies, ſeu imagines, & hæc Sapientia hominem ſapientem facit. Alia eſt actualis, ſeu actus ſapientialis, quo vtimur noſtra ſapientia, & eſt actus manifeſtatiuus illius, & hæc reſidet in intellectu, ideſt in actuali intellectione, ex qua oritur Notitia quædam illarum rerum, quæ in memoria præerant, & hæc ſapientia gignitur a ſapientis mente. Id colligit D. Hilarius ex verbis Domini noſtri Ieſu apud Matthæum *cap. 11. verſ. 20.* dicentis *Et iuſtificata eſt Sapientia a filiis ſuis*. Quæ verba expendens *can. 11. in Matth. col. 519 lit. F. & 520. lit. A.* ait. *Et iuſtificata eſt ſapientia, non ex efficientis, ſed ex natura; Res enim omnis habet poteſtatem*: & poſt pauca. *Eſt enim Sapientiæ opus Fides, Charitas, Spes, Prudentia, ieiunium, continentia, Humilitas; ſed hæc naturæ ſunt opera, non Natura: & non in his, quæ fiunt, conſiſtit res ipſa, quæ facit.* Prima ergo ſapientia in nobis habitus eſt, ſecunda exercitium illius, & hæc declarat ſapientem; Licet namque ſapiens non conſtituatur in eſſe Sapientis per exercitium actuum ſapientialium, ſed per ipſum ſapientiæ habitum, nihilominus non cognoſcitur ſapiens, nec talis eſt in actu ſecundo, ſine huiuſmodi exercitio. In exercitio pariter notitia quædam, quæ dicitur ſermo, ſeu verbum, ſeu conceptus, quia eſt rei cognitæ imago quædam, & illius eſſe manifeſtatio.

2 Hæc omnia ad diuina transferri debent: Duplex ergo in Deo concipienda Sapientia eſt, altera eſſentialis, qua Deus ex natura ſua ſapiens eſt, & quæ reuera Deū in actu primo ſapientem facit; qua ſapientia omnes diuinæ Perſonæ, quæ eamdem diuinam, ac indiuiſam naturam habent, ſapientes ſunt, eſtque eſſentialis, ingenita, communis, indiuiſa. Præter hanc alia datur in Deo Sapientia actualis, ſeu (vt ita dicam) in actu ſecundo, quæ eſt quædam genita notitia illius eſſentialis ſapientiæ: nam cum in Deo eſſe, & ſapere idem ſit, quod declarat eſſentiam, & ſapientiam quoque manifeſtabit; ideo de hac ſapientia dicitur. *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt Omnipotentis Dei ſincera: & ideo nihil inquinatū in eam incurrit: candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius Sapient. cap. 7. verſ. 25. & 26.* Cum ergo per tres ſimilitudines hanc ſapientiam declaret Sapiens, *Lucis, Speculi, & Imaginis*. Per has omnes & nos illam elucidabimus. Prima ſimilitudo eſt de igne, ſeu, luce, eiuſque ſplendore; dicit enim: *Candor, eſt enim lucis æternæ*: lux ergo ſeu Ignis, eo ipſo quòd eſt, ſplendorem gignit, nec ante eſt ignis, quam ſplendorem habeat tempore, ſed tantum natura; ideſt, quia Ignis ſplendorem, non ſplendor ignem producit. Si autem Ignis aliquis æternus eſſet, etiam coæternium ſplendorem haberet, nam nec vllo vnquam tempore, vel ſplendor ſine igne, vel Ignis ſine ſplendore reperitur. Cum ergo Deus lux ſit; *Quoniam Deus, lux eſt; & tenebræ in eo non ſunt vllæ*; ſpecialiter Ignis dicatur: *Deus ignis conſumens eſt*: coæternum ſplendorem genitum a ſe habebit; & ſicut ſplendor ignem oſtendit, ita Filius Patrem declarat. Hoc exemplo contra Arrium vtitur D. Auguſtinus, *lib 6. de Trin. cap. 1. tom. 3. pag. 216. col. 2 lit. B.* vt Filij diuini æternitatem demonſtret. *Nam ipſe Arrius dixiſſe fertur; ſi filius eſt, natus eſt, ſi natus eſt, erat tempus, quando non erat filius: non intelligens etiam natum eſſe, Deo ſempiternum eſſe; vt ſit coæternus Patri filius, ſicut ſplendor qui gignitur ab igne, atque diffunditur coæuus eſt illi; & eſſet coæternus, ſi ignis eſſet æternus.* Quia verò ſplendor cauſatur ab igne, neque enim illi conſubſtantialis eſt; ideo debet ab exemplo omnis imperfectio remoueri; etenim ſi ſplendor eſſet conſubſtantialis Igni, & ab eo genitus, ſed nō cauſatus, adhuc ſibi coæuus, aut coæternus, eſſet: vt optimè declarat Scotus *in 1 ſent. diſ. 9. quæſ. vnica lit. B. Iſtud exemplum declaro ſic. Quandocumque concurrunt in aliquo ratio communioris, & minus communis, quidquid in illo ſequitur rationem communioris, ſequitur etiam eam vbi inuenitur abſque ratione minus communis. Hoc apparet in omnibus communibus habentibus proprias paſſiones, & eorum inferioribus. Igitur ſi in creatura concurrat ratio cauſantis naturaliter, & ratio producentis naturaliter, quidquid ſequitur creaturam ratione huius communioris, quod eſt producere naturaliter, ſequitur etiam vbi inuenitur ſine cauſatione naturaliter &c.* Cum ergo ſplendor naturaliter, ſeu neceſſariò ſequatur ignem, ſiue cauſetur, ſiue producatur tantum, ſemper ei coæuus erit.

3 Secundum exemplum eſt de Speculo; nam ſequitur. *Et ſpeculum ſine macula Dei Maieſtatis*. Speculum enim in ſe habet imaginem rei, illamque totaliter oſtendit ſicuti eſt, nec ſolum lineamenta, verum etiam omnes, & ſingulas operationes eius. Si autem aliquis homo V. G. ſimul cum ſpeculo aliquo produceretur, a quo auertere faciem nequiret, ſed neceſſariò ſe in illo inſpiceret, conſequens eſſet, vt coæuam ſibi, ac perpetuam gigneret Imaginem ſui. Cum ergo Deus coæternam habeat ſibi ſui viſionem, neceſſariò per eam ſui imaginem gignit. Dicitur ergo ſpeculum Dei, & Imago Filius, quia Patris eſſentiam, & omnia, & ſingula, quæ in ea ſunt, oſtendit: ſicut ait Cardinalis Hugo *in c. 7. ſap. pag. 152. col. 3. Nota, quod filius dicitur ſpeculū, & Imago Patris, cum tamen in rebus inferioribus imago ſit in ſpeculo, ad notandum quod idem eſt ſpeculum, & Imago. Et ſicut in rebus inferioribus in ſpeculo videtur Imago rei, & per imaginem res, ſic in Filio, & per Filium videtur Pater.* Imò ſicut in ſpeculo videntur omnes rei repræſentatæ operationes, ita omnes paternas operationes demonſtrat Filius: quare ait Origenes *apud Cornel. a Lapid. in cap. 7. ſap. pag. 166. col. 1. lit. B. C. Sicut enim in ſpeculo omnibus motibus, atque omnibus actibus, quibus is, qui ſpeculum intuetur, mouetur, vel agit, iiſdem ipſis etiam ea imago, quæ per ſpeculum deformatur, actibus, vel motibus commouetur, vel agit, in nullo prorſus declinans. Ita etiam Sapientia de ſe vult intelligi, cum ſpeculum immaculatum paternæ virtutis, inoperationiſque Dei nominatur: ſicut & Dominus Ieſus Chriſtus, qui Sapientia Dei eſt de ſemetipſo pronunciat, dicens: Quia opera quæ facit Pater, hæc etiam & Filius facit ſimiliter. Et iterum dicit; Quoniam non poteſt Filius a ſe metipſo facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* Sapientia igitur genita, Ingenitæ Imago eſt.

4 Tertium exemplum eſt de Imagine. *Et imago bonitatis illius*. Nam licet, ea, quæ in ſpeculo eſt, Imago ſit, nihilominus Ratio Imaginis vt ſic, aliquid vniuerſalius dicit. Eſt igitur Filius Imago Patris, ſeu manifeſtatio Patris, quia ſermo, ſiue Verbum eſt a Patre dictum. Etenim ſicut nos cum eſſentiam noſtram explicare volumus, nonniſi ſermone, & verbo hoc agimus, vnde dicuntur Verba Imagines earum rerum, quæ ſunt in anima, ſic Deus dicendo ſeipſum generat ſuum ſermonem, ſeu verbum, quod diuinam oſtendit eſſentiam: Cum ergo Deus ſe ipſum intelligit, generat notitiam ſuiipſius, quæ eſt actualis intellectio, & Verbum Patris, declarans, & manifeſtans eſſentiam diuinam: quod ex D Auguſtino ita docet Scotus *in 1. ſent. diſ. 26. q. 3. lit. F. Sequitur igitur per viam diuiſionis, quod Verbum eſt actualis Intellectio. Et hoc confirmatur ex D. Auguſtino 15. de Trinit. cap. 16. Cogitatio quippe noſtra perueniens ad illud quòd ſcimus, atque inde formata, Verbum noſtrum eſt. Et confirmatur iſtud per ſimile de Verbo vocali; & imaginabili; formatur enim verbum vocale*

ad

Digitized by Google

ad ſignificandum, & declarandum illud, quod intelligitur: ſed quod vox non ſtatim formatur ab intelligente in quantum intelligens, ſed per aliquam potentiã mediam, puta motiuam, hoc eſt imperfectionis in intellectu. Si igitur virtute eius ſtatim cauſaretur aliqua intellectio actualis, quæ genita exprimat, & declaret illud obiectum ſibi latens; verè eſt ibi verbum, quia expreſſiuum latentis, & genitum virtute eius ad exprimendum ipſum. Qui diſcurſus ſi ſeductis imperfectionibus Deo adaptemus, cognoſcemus vtique quomodo Filius eſt Patris Imago, quia ſcilicet Verbum eſt expreſſiuum ipſius. Verum aduertere neceſſe eſt, quòd licet Verbum ſit Imago Patris, non tamen declarat Patrem, vt Pater eſt, ideſt ſecundum notionalia, quæ ipſi propria ſunt, ſed eſſentiam Patris, quam & ipſe habet, in qua ei ſimilis eſt, & ad quam exprimendam gignitur. Hoc videtur declarare ipſe Dominus apud Matthæum *capit.* 11. *Nemo nouit Patrem niſi Filius; & cui voluerit Filius reuelare.* Quæ verba ita Diuus Auguſtinus declarat *lib. 7. de Trinit. cap 3. pag.223. lit. B. tom. 3. Si enim hoc verbum, quod nos proferimus temporale, & trãſitorium, & ſeipſum oſtendit, & illud, de quo loquimur: quanto magis Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia? quod ita oſtendit Patrem ſicuti eſt Pater, quia ipſum ita eſt, & hoc eſt quod Pater, ſecundum quod ſapientia eſt, & eſſentia: Nam ſecundum quod Verbum non hoc eſt quod Pater. Et ideo Chriſtus virtus, & ſapientia Dei, quia de Patre virtute, & ſapientia, etiam ipſe virtus, & ſapientia eſt.* Habemus ergo duplicem ſapientiam eſſentialem vnam omnibus diuinis Perſonis communem, quæ idem eſt cum eſſe Dei, de qua dicit Idem Auguſtinus *loc. cit. pag.222. lit. C. Ergo & Pater ipſa ſapientia eſt. Et ita dicitur filius ſapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, ideſt, vt quemadmodum lumen de lumine, & vtrumque vnum lumen, ſic intelligatur Sapientia, de Sapientia, & vtrumque vna ſapientia; ergo & vna eſſentia, quia hoc eſt ibi eſſe quod ſapere.* Et aliam ſapientiam notionalem illius manifeſtatiuam, de qua hucuſque locuti ſumus.

5 Reſtat, vt breuiter huius ſapientiæ genitę, ſeu ſermonis, aut Verbi diuini generationem explicemus. Quandoquidem ergo humani verbi conceptioni comparauimus diuini Filij productionem, ad eiuſdẽ etiam naſcendi normam ineffabilem natiuitatem illius deſcribemus. Intellectus creatus habens in ſe obiectum intelligibile præſens in ſe, vel in ſua ſpecie fit memoria; nil enim aliud memoria eſt, niſi intellectus ſpecie alicuius ſcibilis fœcundatus; cum ergo aliquid cogitamus, ſeu intelligimus, quod in memoria repoſitum eſt, tunc ex illa cogitatione naſcitur Verbum, ſeu notitia; nam cogitatio formata per ſpeciem rei intellectę, & cognitæ fit Verbum: eſtque Verbum tunc omnino ſimile, & Imago illius rei, quæ in memoria eſt: ita Verbi noſtri gignitionem D. Auguſtinus *lib.15. cap.10 de Trinit. tom.3. pag.300. col.2. lit. A.* declarat. *Neceſſe eſt cum Verbum loquimur, ideſt cum ſcimus loquimur, ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus naſcatur Verbum, quod eiuſmodi ſit omnino, cuiuſmodi eſt illa ſcientia, de qua naſcitur. Formata quippe cogitatio ab ea re, quam ſcimus, Verbum eſt, quod in corde dicimus.* Neque enim neceſſe eſt, vt locutio ore proferatur, vt ſit dictio, nam vt Idem Sanctus Doctor paulò ſuperius, ex Verbis Domini probat, etiam ipſa cordis cogitatio locutio eſt. *Quædam enim cogitationes locutiones ſunt cordis.* His præmiſſis, dicendum eſt: Filium dici a Patre & ideo Verbum eſt (ſeclusis imperfectionibus quæ in verbis noſtris ſunt) nam Deus ſuamet eſſentia, tanquam obiecto Intellectũ diuinum fœcundat, & ſic Memoria eſt, quam eſſentiam intelligendo notitiam gignit, & ſic habemus Parentẽ, & prolem. Cor ergo Dei Patris, (nam memoria cum ſit in Anima præcipue in corde reſidet) ex ſua Sapientia ingenita, aliam ſapientiam dicit, quæ eſt illius expreſſiua, & Imago: Quod per Prophetam docemur, dicentem in perſona diuini Patris: *Pſal.44. verſ. 1. Eructauit cor meum Verbum bonũ, dico ego opera mea Regi.* Quod ſic explicat D. Auguſtinus *de eſſentia Diuin. tom.4. pag. 105. col.1. lit. B. Cor Dei Patris arcanum ſapientiæ eius myſticè innuit: ex quo Verbum ideſt filium ſuum impaſſibiliter ſine initio genuit, ipſo dicente per Prophetam: Eructauit cor meum Verbum bonum. Et in Pſ. 44. pag. 131. col.1. Si enim Pater dicit opera ſua Filio ſuo Regi noſtro; quæ opera Pater dicturas eſt Filio, cum omnia opera Patris per Filium facta ſint? An forte: Dico opera mea Regi: ipſum Dico, generationem Filii ſignificat.* Porro, quòd non ſit neceſſe ad hoc vt dicatur Verbum, quod ore proferatur, ſed ſufficiat ad dicendum cogitatio cordis, colligitur ex ſacra ſcriptura: nam beatus Lucas *cap. 5. verſ. 21.* de quibuſdam Iudæis ait; *Et cœperunt cogitare ſcribæ, & Phariſæi dicentes &c. verſ. 22. Vt cognouit autem Ieſus cogitationes illorum &c.* Et quomodo cogitatio Dictio nominatur. Idem ex ſapiente colligitur, dicente. *Sap. cap. 2. verſ. 1. Dixerunt enim cogitantes apud ſe.* Ex quo etiam colligitur, cogitare in corde, & dicere idem eſſe. Quod confirmat citatus Auguſtinus *lib.15. cap.10. de Trinit. tom.3. pag. 259. lit. B. col.2. Lucas autem hoc idem ita narrat. Cœperunt cogitare ſcribæ, & Phariſæi dicentes, &c. Quale eſt in libro ſapientiæ: dixerunt cogitantes; tale hic eſt: cogitauerunt dicentes: Et illic enim, & hic oſtenditur, intra ſe, atque in corde ſuo dicere, ideſt cogitando dicere.* Et tandem poſt nonnulla, eodem capite, colligit ſimilitudinem productionis Diuini Verbi cum noſtro; ſi aliquis enim poſſet Verbum intelligere, antequam proferatur ab ore, imò etiam antequam ſpecies, ſeu Imagines eius cogitatione voluantur, aliquam ſimilitudinem æterni Verbi habebit: inquit ergo loc. cit. *Quiſquis igitur poteſt intelligere Verbum non ſolum antequam ſonet, verum etiam antequam ſonorum eius imagines cogitatione voluantur: Quiſquis inquam hoc intelligere poteſt, iam poteſt videre per hoc ſpeculum, atq; in hoc ænigmate aliquam Verbi illius ſimilitudinem, de quo dictum eſt: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Conſentit D. Auguſtino eius Aſſecla & filius Ricchardus *a S. Victore de Trinit. lib.6 cap. 12. part.1. pag.408. col.1. lit. A.* qui Sapientiæ genitæ ortum his verbis enunciat. *Ecce dicamus quod proferentis Verbum, ſenſus & Sapientia ipſius, a quo profertur, ſolet eſſe indicatiuum. Rectè ergo Verbum dicitur, per quem Patris, qui fons ſapientiæ eſt, notitia manifeſtatur*: & poſt pauca ſequitur; *lit. B. Verbum naſcitur de corde ſolo, & ipſo propalatur Proferentis intentio. Iure igitur ſolius Patris ſola genitura Verbum nominatur, per quod ipſe, qui principalis eſt ſapientia manifeſtatur.* Vt autem concludat, ad hoc vt Verbum verè ſit Verbũ, neceſſe minime fore, vt ore proferatur, ſed ſufficere ſi corde dicatur, pulchro vtitur exemplo: Nõ enim aliud eſt vox, quam vehiculum Verbi, quia enim nos interna mentis penetrare non poſſumus, neceſſe eſt, vt per ſenſus Mentis conceptus ad nos pateant: ſicuti etiam; nos cognoſcere nõ poſſumus hominẽ eſſe religioſũ, niſi religionis ſuæ indutũ habitu videamus; ſed reuera ita Religioſus eſt ſine habito, ſicut cum habitu, ſed talis non dignoſcitur. Quòd ſi aliquis eum ſine habitu videt, qui aliàs nouit eum religioſum vtique noſcit. Ita vox eſt quoddam indumentum Verbi, & ſi in nobis non cõgnoſcitur ſine voce, id ex noſtra imperfectione prouenit. Poteſt tamen diuinitus eſſe locutio, & Verborum mentis notitia ſine voce, vt contigiſſe B. Patri Egidio D. Franciſci ſocio, in meæ Religionis Annalibus legitur. Etenim cum eum Sanctus Francorum Rex Ludouicus inuiſeret, ſtatim ac in mutuos venere conſpectus, per quam familiariter amplexati ſunt, neutro aliquid proferente; & tandẽ taciti ſeparati ſunt: Cũ autem Fratres arguerent B. Ægidium quod nihil tanto Regi loquutus fuiſſet ita reſpondit. *Ne miremini, inquit, fratres mei nihil me cum illo Rege loquutum. Nam ſimul atque in mutuos amplexus, & oſculauimus, tanta diuinæ ſapientiæ luce perfuſi ſumus, vt alteri alterius pateret cor, &*

tacite

Digitized by Google

tacitè videremus quidquid inuicem ore prompturi eramus; idque longè melius, quam vel dicere, vel audire extrinſecus potuiſſemus Lucas Vvading. in Annal. Minor. tom. 2. anno 1262. num. 13. Ergo ad veram locutionem, Verborumque manifeſtationem, vocis inſtrumẽto abſolutè non indigemus. Idipſum docet ſupra relatus Ricchardus *lit. C. Quid eſt enim vox niſi verbi vehiculum, vel ſi magis placet, Verbi indumentum? Numquid eſt alius aliquis homo indutus, & alius aliquis cum fuerit exutus? Numquid quæſo Verbum, quod ore profers proferre potuiſſes, niſi ipſum prius per cogitationem in corde habuiſſes? &c. Ex his, vt credo, patenter intelligis quod idem Verbum eſt oris, quod cordis.* Concludimus igitur, Sapientiam ingenitam ex memoria fæcunda Patris ingeniti, Sapientiam genitam, ingenitæ, Imaginem, & declarationem, tanquam Verbum æternum ſempiterna generatione dixiſſe.

6 Per hanc eamdem Verbi, & vocis comparationem innoteſcit etiam æternitas diuini Verbi. Nam obiiceret aliquis id, quod ſibi ipſi obiicit Rauennates Agnellus; ſcilicet, ſi generationem id Deo concedimus, conſequens erit, vt etiam prioritatem concedamus: nam ſi verè aliqua Perſona generatur, ergo realiter Perſona gignens extitit antequam generaret, ſicut in nobis: in quibus prior eſt memoria, quam Verbum. Verum huic difficultati occurrit ille, ac ſoluit, non ſolum ex verbi cordis, ſed etiam oris natura: certum eſt enim ſermonem, Verbum ſcilicet vocale, Filium vocis eſſe, & a voce, & ſermone produci efficaciam, & tamen nec vox eſt prior ſermone, nec vtrumque prius efficacia tempore, ſed eodem prorſus tempore, in quo eſt vox, eſt ſermo, eiuſque efficacia. Datur tamen prioritas naturæ, quatenus Sermo producitur a voce, & ab vtroque efficacia, & non è contra. Sed audiamus Agnellum *epiſc. Rauen. ic. 3. Biblio. PP. col. 147. Si verè genuit, antequam generaret non fuit iſte qui genuit? Ad hæc reſpondendum eſt; multa eſſe in fragilitate humana, quæ ſic oriuntur ex ipſa fragilitate, vt ſimul incipiant Genitor, & Genitus: Nam vox hominis ſermonem parit, & non eſt ſermo, niſi vocis filius. Modo quia ſermo vocis eſt filius ex eo minor dicendus eſt ſermo, quia vocis eſt filius? Hoc penitus dici non poteſt. Quarè? quia ex quo vox, ex eo ſerme. Adde in ipſa ſermone efficaciã, & compleſti tertiam Perſonã, quæ penitus indiuidua perſeuerat. Vox ergo egreſſa ſermonem parit, & ſermo egreſſus efficaciam gignit,* &c. Sic ergo conſtat de æternitate Verbi a memoria fæcunda Patris ſemper geniti: nam nec Pater vmquam ſine ſuo Verbo, nec Verbum ſine Patre eſt: Idcirco ait Theologus *Ioan. c. 1. verſ. 1 In principio erat Verbum & Verbũ erat apud Deũ, & Deus erat Verbũ: Hoc erat in principio apud Deum:* Ex quibus D. Hilarius *lib. 2. de Trinitat. pag. 15. col 1 lit. C. D. Et Verbum erat apud Deum: Iam ſine principio eſt apud Deum, quod erat ante principium. Eſt ergo qui erat apud Deum; & qui abeſt a tempore, non abeſt ab Authore. Dices Verbum ſonus vocis eſt, & enunciatio negotiorum, & eloquutio cogitationum: hoc apud Deum erat, & in principio erat. In principio erat, quia ſermo cogitationis æternus eſt, cum qui cogitat ſit æternus.* Sic æternam Sapientiam, ab æterna Sapientia genitam, veneramur.

§. II.

Quomodo per Sapientiam Deus omnia creauit.

1 O*Mnia in Sapientia feciſti.* Per Sapientiam Dei Filium intelligere Prophetam, omnes fatentur expoſitores: Ait enim D. Hieronymus *in Pſal. 103. Omnia in Sapientia feciſti: in domino Ieſu Chriſto, ipſe enim eſt Sapientia, ſecundum Apoſtolum dicentẽ; quod in ipſo creata ſunt omnia* Et D. Ioannes Chriſoſtomus. *in Pſal 103 Sapientia in qua omnia effecit, Chriſtus eſt:* Idem ſenſit D. Auguſtinus, Hugo, Incognitus &c. Declarandum eſt igitur, quomodo intelligatur Deus per ſapientiam omnia creaſſe: & cum creare ſit operatio ad extra, ac propterea indiuiſa, quomodo ſapientiæ genitæ, ideſt Filio tribuatur. Primò genitæ ſapientiæ tribuitur rerum productio, vt ſciamus Deum omnia ſapienter diſpoſuiſſe: quia vero in nobis tunc aliqua ſapienter geſta dicuntur, dum ſecundum ſapientiæ normam facta ſunt, voluit Deus, vt ſapientia, quæ genita eſt, & quæ eſt Imago ſapientiæ ingenitæ, cuncta diſpoſuiſſe crederetur. Hinc de ſe ipſa per Salomonem dicebat. *Quando præparabat Cælos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarũ &c. cum eo eram cũcta cõponens. Prou. c. 8. v. 37.* Quæ verba meditatus Rupert. *in c. 5. Ioan. to. 2. pag. 180. col. 1.* hæc protulit. *Quid autẽ eſt Filius Patris, niſi eius Sapientia? Quæ (vt prædictum eſt) quando præparabat Cælos aderat cum eo cõponens omnia? Bene ergo, & laudabiliter Filio Pater demonſtrat omnia, quæ ipſe facit: quod profectò aliter intelligendum non eſt, quam illud, quod alibi in laudem eius ſcriptura dicit: Omnia in ſapientia feciſti;* Cum ergo in nobis per opus ſapienter factum oſtendatur Sapientia Facientis, & Filius, ſeu Verbũ ſit Imago oſtendens ipſam Dei ſapientiam eſſentialem, haud immeritò vt oſtendat Deus ſe ſapienter operatum, per ſapientiam genitam operatum eſſe pronunciat: quare ait Nyſſenus Gregorius *in Hexam. to. 1 pag. 6. lit. B. Illud nobis poſitum, conſtitutumque ſit, in Natura diuina cum voluntate diuina ita concurrere poteſtatem, vt Dei poteſtatis menſura ſit ipſa voluntas; voluntas autem eſt ſapientia: ſapientiæ vero eſt non ignorare quomodo vnumquodque fiat.* Hæc igitur prima expoſitio eſt, quomodo omnia per ſapientiam Deus creauit: videlicet, vt per opera ſapienter effecta, Dei ſapientia cognoſceretur.

2 Poteſt etiam aliter declarari, quomodo omnia per ſapientiam fecerit Deus. Quamuis nos ſapientes ſimus, non tamen noſtra cognoſcitur ſapientia, niſi per ſermonem, & verba aliis pateat. Cum ergo Sapientia Diuina in rerum creatione innoteſcat, & Filius ſit ſermo, ſeu Verbum Patris, de ſe principalis Sapientiæ Imago, & notitia, iure meritò per ipſum omnia facta prædicantur. Hæc illa ſapientia mundi eſt, per quam mundus debuerat Deum cognoſcere, ſed minimè agnouit, vt teſtatur D. Paulus 1. *Cor. cap. 1. verſ. 21. Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum:* &c. Quicumq; enim per contemplationem vniuerſi; & creaturarum effectionem, ac diſpoſitionem Deum cognoſcit, ipſe cognoſcit per mundi ſapientiam Deum, vt fatetur D. Baſilius *Hom. in princ. Prou. pag. 125. lit. B. Qui in mundi conſtitutione Conditorem conſiderat, nouit & ipſe, per mundi ſapientiam ipſum Deum.* Quibus ex verbis ſoluitur difficultas ex Sapientis verbis exorta; qui de ſapientia diuina loquens, modo ante ſęcula genitam, modo ab initio creatam dicit *Prouerb. cap 8. verſ. 22. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Initium viarum ſuarum ſapientia dicitur, quia genita eſt; neque ita genita eſt quaſi aliquando non fuerit, ſed dicitur initium viarum Dei; quia ſi alis creaturis in earum effectione diuinam ſapientiam oſtendit, id prius facit genita ſapientia, quæ de ſe eſt manifeſtatiua ſapientiæ Dei: & ſic in initio creaturarum genita eſt ſapientia, non ſibi, ſed mundo; nam tunc mundus Dei ſapientiam cognoſcere cœpit, cum rationales habuit creaturas; id videtur approbare D. Gregor. Nazianzenus *orat. 49. pag. 277. col 2. Hæc eſt illa ſapientia ineffabilis, quæ initio viarum Dei apud Salomonem, vel condita, vel genita, vel creata deſcribitur. Quam tamen ſic conditam dicit, vt ſemper cum Deo fuiſſe demonſtret. Non enim ita Deus ſapientiam ſuam condidit, quaſi aliquando ſine ſapientia fuerit, ſed cum initium viarum dicat, initium motus operis alicuius oſtendit: vt hoc initium habeat ſapientia Dei, quod de Deo proceſſit ad creanda omnia, tam cæleſtia, quam terrena, non quomodo cœpit eſſe, ita creata eſt ſapientia, immo genita. Non ſibi, quia ſemper erat, ſed his quæ ab ea fieri oportebant: vt quia qualis, &*

quanta

quanta eſſet ſciri non poterat, de effectu operum ſuorum, virtus eius, & potentia noſceretur. Decebat ergo, vt creatio rerum demonſtrantium diuinam Sapientiam, Verbo, ſeu Sermoni genito tribueretur, quæ Sapientia genita cum ſit, eſt initium declarandi innaſcibilem ſapientiam. Cui aſſertioni aſſentiri videtur alter Gregorius Niſſenus *in Hexamer. pag. 6. col. 2. lit. C.* dum ait. *Quod igitur dixit Deus, quando rationis imperantis ea vox eſt, non indignam, opinor, Deo cognationem ſuſcipiemus, ſi ad rationem res procreatæ inſitam, dictum retulerimus. Sic etiam Magnus Dauid has voces nobis expoſuit, omnia, inquiens, in Sapientia feciſti. Nam imperantia rerum conditarum verba, quæ a Moſe ex diuina voce deſcripta ſunt, Dauid ipſe conſpectam in rebus generatis Sapientiam appellat. Quocirca, Cælos etiam, ait, narrare gloriam Dei: Artificioſum nimirum, quod in ipſis ex conuerſionis concertu ſpectaculum viſitur, apud peritos munere fungitur orationis.* Obſerua hic quæſo diuinarum productionum ad intra, & ad extra cognationem, a Niſſeno hic inſinuatam. Nam generatio verbi Dictio dicitur, & dicere verbum ſuum Patrem æternum, eſt producere, ſeu generare Filium. Sic etiam cum rerum creationem Moyſes oſtenderet, per dictionem declarauit, dicens: *Gen. c. 1. Dixit Deus, Fiat lux: Dixit Deus fiat Firmamentum &c.* nam ſi Verbum eſt, quod dicitur, & Verbũ eſt manifeſtatiuum rei: optimè quidem tam generatio Verbi, quod eſt æterna Sapientiæ Imago, & Declaratio, quam creatio rerum mundanalium, quæ ſunt temporaria Veſtigia, & Imagines Deitatis, per *Dicere* exprimuntur. Sic ergo omnia creare Sapientia dicitur, quia omnia ſapientiæ Imaginem repræſentant.

3 Tertiam adhuc rationem, reliquis haud ſecundam, proferam, cur Sapientiæ genitæ creatio rerum tribuatur. Iam conſtat vnigenitum Dei Verbum Imaginem eſſe Deitatis: Imago autem omnia repræſentat, quæ in re, cuius Imago eſt, ſunt. In Deo ergo Ideæ ſunt omnium rerum creabilium, nam omnes res producibiles habent eſſe cognitum in Deo; ergo & in Filio diuino ſunt Imagines omnium rerum. Porro patet in nobis, quod cum Artifex aliquod opus arte ſua efficere vult aliquod inſpicit exemplare, quod imitetur; & ſi nullum extrat ſit, tamen in mente ſua ſpeciem rei faciendæ exprimit, & iuxta Ideam mente conceptam opus ad extra conficit; vnde Ariſtoteles ait *lib. 7. Metaph. cap. 5. Domus extra fit a domo in mente.* Ex his ergo deducitur ratio quare Deus dicatur per Sapientiam genitam, ideſt Verbum ſuum omnia creare; nam in eo ſunt omnium rerum creandarum Imagines, nam cum Deus omnia in ſuo ſimpliciſſimo eſſe res omnes virtualiter contineat, Verbum cum Imago ſit Patris, omnium etiam rerum Imago eſt. (Parcat mihi Scotus ſi magis inclino in illam opinionem, quæ aſſerit Verbum non ſolum ex cognitione Creatoris, ſed etiam creaturarum produci, puto enim eamdem eſſe indiuiſibilem vtriuſque cognitionem, ſcilicet Creatoris & creaturæ: nam cum cognitio creaturarum ſit eſſentialis, & tribus perſonis communis; omnia eſſencialia repræſentare debet, qui Dei eſt Imago) Id clarè oſtendit Theologus Euangeliſta dum ait *Ioan. cap. 1. verſ. 3. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factũ eſt in ipſo vita erat.* Quaſi diceret: omnia per Verbum facta ſunt, quia in eo relucent omnes ideæ creaturarum, quæ in ipſo omnes viuunt, quia identificantur cum ipſa vita, & creant illę res, ſic in Verbo cognitæ, res ad extra, quia cum ipſa vi creatrice identificantur. Ita ex D. Auguſtino docet Scotus *in 4. ſent. diſ. 1. quæſ. 1. lit. Domus extra fit a domo in mente &c. Lapis enim in mente diuina habet eſſe ſimpliciter verius, & perfectius, quam lapis extra: quia obiectum, vt cognitum dicitur habere illud eſſe, quod habet ipſa cognitio. Vnde ſecundum, Auguſtinum ſuper Illud Ioan. 1. Quod factum eſt in illo vita erat: Res cognita eſt in Verbo vita creatrix; quod enim de cognito dicitur obiectiuè, hoc in ipſa cognitione oportet inueniri realiter.* Poteſt ergo dici Sapientia genita, Verbum Dei, omnium rerum creandarum exemplar omnia ſpecialius per ipſam facta dicuntur. Id confirmat etiam D. Thomas de Villanoua; dum aſſerit *conc. 2. de S. Nicolao pag. 558. col. 1. Duo namque in quolibet Artifice neceſſaria ſunt, Ars ſcilicet, & exemplar, in quod operando Artifex inſpiciat; quod ſi foris aliquando non eſt, in animo Artificis ſemper eſt. Quæ duo etiam in hac orbis mirabili fabrica, cum crearetur, non vtique defuerunt: Ars Dei Sapientia eſt, teſte Propheta: Omnia in Sapientia feciſti: & exemplar eſt Verbum Dei, teſte Ioanne: omnia per ipſum facta ſunt.* Ergo illud: *Omnia in Sapientia feciſti*: intelligi poteſt, & debet, eſſentialiter, & notionaliter: eſſentialiter tanquam ex cauſa efficienti, notionaliter tanquã ex cauſa exemplari

4 Optimè hoc cognouit diuinus Plato, cum duos deſcriberet mundos, intelligibilem vnum ſenſibilem aliũ, illum rerum Idæis, hoc ipſis rebus plenum: Neq; enim Sapientiſſimus Philoſophorum aliud per intelligibilem mundum, quam Dei genitam ſapientiam intellexit. Nam ſi domus extra a domo in mente Artificis fit; & tam domus in mente, quam extra dicitur domus; ſed cum hac differentia, quia domus extra realis, & ſenſibilis; in mente vero dicitur domus cognita, ſeu in eſſe cognito. Ita prorſus in Deo concipiendum eſt: Neque enim dicendum eſt Deũ creare aliquid caſu, ſed conſulto, ideſt omnia noſſe, & ſic rationabilitor creaſſe: porro illa ratio rerum efficiendarum per diuinum Intellectum apprehenſa, ſeu cognita, ac in Verbo ſua imagine relucens, eſt mundus intelligibilis, ſeu in eſſe cognitio; mundus verò ad extra productus, mundus ſenſibilis eſt. Ita ſentit Diuus Auguſtinus de his mundis Platonicis diſſerens *lib. 1. cap. 5. Retractationum to. 1. pag. 18. col. 2. lit. A. Nec Plato quidem in hoc errauit quia eſſe mundũ intelligibilem dixit; ſi non vocabulum, quod Eccleſiaſtica conſuetudini in re illa non vſitatum eſt; Sed rem ipſam velimus attendere. Mundum quippe intelligibilem nuncupauit ipſam rationem ſempiternam, atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui eſſe negat, ſequitur, vt dicat, irrationabiliter Deum feciſſe quod fecit, aut cum faceret, vel antequam faceret, neſciſſe quid faceret, ſi apud eum ratio faciendi non erat. Si vero erat, ſicut erat, ipſam videtur Plato vocaſſe intelligibilem mundum.* Habemus ex hactenus declaratis quomodo Prophetæ dictum; *omnia in ſapientia feciſti*; de ipſa genita Sapientia intelligi poſſit, cum rerum omnium in ſe contineat rationes.

§. III.

Quomodo poſt diluuium rationalibus, & ſenſibilibus creaturis terra repleta eſt.

1 *Impleta eſt terra poſſeſſione tua.* Poſtquam Propheta hominis creationem, ac omnium Animantium in ſuperioribus recenſuit, hoc eſſe Sapientiæ opus declarat: vt autem non in creatione tantummodo, verum etiam in prouida orbis inhabitatione Dei Sapientia reluceret, addidit: *Impleta eſt terra poſſeſſione tua*; quod Arabicus, *creatura tua*, interpretatur, & cõſenſit Diuus Hieronymus in Eſaiam. Quo in loco ſignificatam video orbis totius poſt diluuium populationem. Noe ex diluuio liberatus ſimul cum tribus liberis Sem, Cham, & Iapher vniuerſum terrarum orbem Hominibus ac Animalibus repleuit. Hæc orbis populatio deſcribitur capite 10. Geneſis ſatis diffusè; quia verò nomina populorum, quæ ibi connumerantur immutata ſunt, & ex varijs accidentibus populi tranſmigrati ex vna in aliam prouinciam, difficile eſt admodũ expiſcare quibus modernis populis antiqua nomina adaptentur. Si Beroſus Caldeus lib. 4. pag. 10. vel quiſquis ille eſt, qui ſub hoc nomine tot fabularum ſuffaccinator, vera referret, facili negotio ex partitione orbis aliquid veritaris hauriretur: ait enim ille de Noe. *Adhortabatur autem homines famili-*

militarum Principes, vt nouas ſedes quærerent, conderentque ciuitates: deſignauitque tres orbis partes Aſiam, Africam, & Europam, vt ante diluuium viderat; & ſingulis Principibus familiarum partes ad quas irent, diſtribuit, &c. Arguit tamen Beroſum, & falſitatis conuincit noſtra ætas, in quo ad occidentalem plagam alia, & maxima orbis pars detecta eſt, quæ nec ad Europam, nec ad Aſiam, nec ad Africam pertinet: ſcilicet mexicana, Peruuiana, & Braſiliana regio, & aliæ inſulæ, & continentis tractus; quas regiones ante diluuium extitiſſe; & poſt a Noe filijs cultas, & populatas nemo negabit; non ergo incognitæ Noe, ac filijs erant, cur ergo in ſua diuiſione minimè recenſentur? Deinde illa etiam partitio orbis in tres illas partes, quam ex Ioſepho hauſtam tradit Salianus, etiam mihi improbatur, cum de America Moyſi minimè ignota, & alijs partibus longè maiori, mentionem non faciat. Ait itaque Iacobus Salianus *tom. 1. Annal. Eccleſ. Ann. mund. 1931. nu. 20. Hoc autem tempore, inducta confuſione linguarum, quo quemque ſors, & Deus tulit, eam terram familiarum Principes cum ſuis occuparunt, vt ait Ioſephus: Iaphet Europam, & quæ illi ex Aſia adiecta ſunt, Cham Africam, & Syriam; Sem reliquam Aſiam: iuxta generalem diſtributionem, quam eodem loco ex Ioſepho retulimus*. Vide hic nullam mexicanæ, Peruuianæ, ac Braſilianæ, cæterarumque occidentalium regionum, (quæ orbis maxima eſt pars) mentionem factam, quam Noe filijſque, imo & Moyſi ignotam haud fuiſſe certum eſſe debet. His adde Sacræ ſcripturæ incognitam eſſe hanc Europe, Aſiæ, & Africæ diſtintionem; nam in illa in quatuor partes ſemper ſecatur orbis, ideſt in orientalem, occidentalem, Borealem & Auſtralem, vt videre eſt Gen. c. 13. verſ. 14. *Leua oculos tuos & vide a loco, in quo nunc es. Aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem: omnem terram quam conſpicis tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum*. Dixiſſet enim tibi dabo Africam, Aſiam, & Europam, quarum maiorem partem Iſmaelitæ, qui ſemen ſunt Abrahæ, poſſiderunt, & poſſident; nam Reges Turcarum, Perſarum, Tartarorum, Mauritaniæ, & non pauci alii in Aſia ex Mahumeto, qui fuit de filijs Iſmahel, deſcendunt. Sic etiam Geneſ. cap. 28. Ioſue cap. 11. Iſai c. 43. &c. & has partes intelligi non abſolutè ſed reſpectu Ieruſalem, & Iudææ ſatis patet ex ſacris literis. Fuiſſe autem tractu temporis ab eadem familia diuerſas regiones occupatas, & hinc orta ſimilia nomina Ciuitatum, & prouinciarum, noſtri Æui exempla ſatis euincant. Ponam igitur breuiter hanc orbis populationem prout ex Authoribus collexi, & mihi vero ſimilius viſum eſt.

2 Trium ergo Filiorum Noe, primus cuius familiæ recenſentur cap. 10. Geneſis eſt *Iaphet*: qui fratribus ſuis familiam numeroſiorem reliquit. Primus eius filius fuit *Gomer*, a quo Gomeritæ, ideſt Galatæ, ſeu alii populi Aſiatici Iudeæ, ſeptentrionales. Secundus Iapheti filius eſt *Magog*, a quo magogei, quos Gothos, Getas, ſeu Meſſagetas, & Tartaros interprætantur. Tertius fuit *Madai*, a quo Medi Aſiæ populi; Quartus fuit *Iauan* a quo Iones, qui Ioniam, & vniuerſam Græciam impleuerunt. Quintus Filius Iapheti fuit *Thubal*, a quo Thubalei, ideſt Iberi, qui duplices ſunt, Alii in Aſia Perſis finitimi, alij in Europa, qui nunc Hiſpani vocantur: veriſimile enim eſt vtramque prouinciam Thubaleos populaſſe vnam, poſt alteram, vt alijs populis accidiſſe vidimus. Sextus Iapheti filius fuit *Moſoch*, a quo Moſochei, quos alij Moſcouitas, alij Cappadoces, alij populos Aſiæ, vel Syriæ dicunt. Septimus, & Poſtremus filiorum Iapheti fuit *Thiras*, a quo Thiraces ideſt Thraces: ita D. Hieronymus *in tradit. hebraic. in Geneſ. tom. 3. pag. 380. lit. H. Iaphet filio Noe nati ſunt ſeptem filij qui poſſederunt terram in Aſia ab Amano, & Thauro, Syriæ Cœles, & Ciliciæ montibus vſque ad fluuium Thanaim; in Europa vero vſque ad Gadira, &c. ſunt autem Gomer, Galatæ: Magog, Scitæ:*

Ian. de Mata.

Madai Medi: Iauan, Iones, qui & Græci vnde mare Ionium: Thubal Iberi, qui & hiſpani, a quibus Celtiberi: Moſoch Cappadoces, vnde vrbs hodie apud eos Mazaca dicitur: Thiras Thraces, quorum non ſatis immutatũ eſt vocabulum. Ex his Iapheti Filijs duo in alios populos diuiſi numerantur; primus *Aſchenez*, a quo Iudæi Germanos omnes ortos credunt, nam Germanos *Aſchanazim* vocant: ita etiam videtur Saliano *loc. cit. num. 22.* Secundus *Riphat*, a quo montes Riphei, & conterminarum terrarum accolæ; quos ſarmatas prius, nunc polonos nuncupatos ait Salianus. Tertius *Thogorma*, a quo vel Turcæ, vel Phriges orti ſunt: nam vt ait Salianus *loc. cit. num. 33. Denique hos Turcas eſſe exiſtimat* (Arias Montanus) *vnde Iudæi Turcarum Imperatorem Thogar, & Turciam Thogorma vocant*, &c. *Nos vel Turcas tenemus, vel propter Scriptorum authoritatem Phriges*. Hi ſunt Gomeritæ. Porro primus *Iauani* Filius fuit *Eliſa*, a quo Eliſæi ideſt Æoles; a quo omnes inſulæ Ionij maris inhabitatæ, inter quas & Siciliam numerant Pererius, & Salianus; & D. Hieronymus in cap. 27. Ezechielis, vbi Inſulas Eliſæ, Ionij Maris inſulas dicit: neque caret ratione, ſi Pater *Iauan* omnem Ioniam populauit, eius inſulas primogenito ſuo aſſignaſſe. Secundus Filius Iauani fuit Tharſis, a quo Tharſenſes ideſt Cilici deriuantur, ita teſtante ex Ioſepho D. Hieronymo *loc. cit. pag. 381. lit. A. Tharſis Ioſephus Cilicas arbitratur, θ aſpirationis literam vitioſè a poſteris in τ dicens a poſteris fuiſſe corruptam: vnde & metropolis eorum Ciuitas Tarſus appellatur, Paulo Apoſtolo glorioſa*. Nec meo Iudicio, qui Carthaginenſes exponunt, errant, cum ipſi ſint Ciliciæ coloni, ex Tyro ciliciæ Vrbe, ſeu Pheniciæ, in Africam deducti. Tertius Iauani filius *Cethim* plurali vocabulo ponitur, ex quo omnes macedones, & Itali, & Græciæ maritimæ portiones deducuntur, vt fuſius probat Pererius Ciprij præſertim apud D. Hieronymum quod fatetur etiam D. Epiphanius Iudęus genere, & cypriorũ Epiſcopus. Quartus eſt *Dodanim*, quem alium Rhodanim dici oportere putant; quod facilè colligitur ex harũ literarum ר *Res*, & ד *Daleth* affinitate, vnde potuit vna pro alia facile poni. Si igitur *Rhodanim* legatur D. Hieronymus intelligit Rhodios. Alii deducunt ex eis Gallos qui circa Rhodanum degunt; id tamen improbat Salianus, dicente ſcriptura: *Ab his diuiſæ ſunt Inſulæ gentium in regionibus ſuis*: Nam & Italiam inter Inſulas numerant Hebræi; & reuera peninſula eſt. Huchuſque *Iaphetis* progeniem eiuſque gentes recenſuimus.

3 Poſt familiam *Iaphetis* in ſacris literis, ſequitur familia *Cham*, ſeu *Hham*, qui quatuor genuit filios, *Chus*, *Meſraim*, *Phut*, & *Canaam*. Porro *Chus* Æthiopum genitor communi conſenſu dicitur; *Meſraim* populauit Ægiptum ſic ſemper a ſcriptura appellatum: *Phut* libicos, ac toto ferè Mauritanos genuit, ex cuius nomine in lybia fluuius adhuc vocitur; *Chanaam* totam illam regionem Syriæ, quæ poſtmodum Iſraelis Regnum fuit, ſua prole repleuit: ita tradit D. Hieronymus *loc. cit. lit. B. Chus hodie ab hebreis Æthiophia nuncupatur; Meſraim Ægiptus: Phut Libiæ; a quo & mauritaniæ fluuius vſque ad præſens Phut dicitur &c. Porro Chanaam obtinuit terram, quam Iudæi deinceps poſſederunt*. Hi ſunt generales Aphricæ, & Iudææ veteris populatores; nunc particolares populi ab eorum filiis denominati numerandi ſunt: vno excepto Phut, quorum liberi non recenſentur, vel quia ignobiles, vel quia paternum nomen retinuere. *Chus* ergo quinque filios procreauit; primus fuit *Saba* vnde Sabæi, ideſt felicis Arabiæ incolæ; ſecundus fuit *Heuilah*, a quo Heuilei, quos Salianus dicit Ichthiophagos prope Arabiam. Tertius fuit *Sabatha*, a quo Sabatheni, qui incolæ fuere partis felicis Arabiæ ad mare rubrum, vbi eſt Saubatha Ciuitas, ab his fortè ædificata. Quartus fuit *Regma*, & Quintus *Sabathaca*, quorum prouinciæ cum ignorentur non incongruum eſt alias Arabiæ partes populaſſe: videantur Pererius

Digitized by Google

& Salianus: Numerantur etiam duo filij Regmæ, *Saba* differens a Saba eius patruo etiam nomine, nam ille ſcribitus per ש *Sin*, hic vero per ס *Samech*, nihilominus alteram felicis Arabiæ partem incoluere; ſecundus eſt *Dedan*, a quo Dedanæi populi Idumeis finitimi. Poſt omnes filios, & nepotes *Cham*; ponit ſcriptura ſextum filium *Chus*, ſcilicet *Nembroth*, quem primum Regem fuiſſe, ex ſacris literis patet; hunc fuiſſe eumdem cum Belo Babiloniæ conditorem, ac Aſſiriorum Principem Nini Monarchæ Patrem ſuſtinent Pererius, & Salianus. Nunc alterius *Chami* filii nempe *Meſraim* numerandi ſunt populi, primus eſt *Ludim*, a quo Ludei, ſeu Lydii in Africa, de aliis filiis incerti ſunt populi vt ait D. Hieronymus præter *Labaim*, a quo ipſe Libyas deducit: ait enim *loc. cit. lit. D. Exceptis Labaim, a quo Libyes poſtea dicti, & Chasluim qui deinceps philiſtiim appellari ſunt; cæteræ ſex gentes ignotæ ſunt nobis*, putat tamen Salianus *Ananim* eſſe Numidas: Aliqui per *Nephtuim* intelligunt numidas, per *Phetruſim* petreos arabes. Sequitur *Chasluim*, ex quo *Philiſtiim*, & *Caphtoſim*, ideſt Paleſtini, & Cappadoces egreſſi ſunt: neque ſcrupulum poteſt eſſe confundendi filios Cham cum filijs Iaphet, nam hæc mundi in tres has partes diuiſio longo poſt tempore facta eſt, & populos ex vna in aliam regionem migraſſe conſtat. Nam Franci qui Gallia occupata Franciam a ſe dicunt, non ſunt populi Galliæ, ſed ſeptentrionales, ſic Britanni in Anglia, & Galliæ parte; ſic Normandi in alia parte Galliæ &c. Supereſt nunc familia *Chanaam* quarti filii Cham, qui habuit vndecim filios, qui incoluere terram promiſſionis, qui ab Iſraelitis pulſi ſunt, & ſunt: *Sidon, Hetheus, Iebuſeus, Amorrheus, Gergeſæus, Heueus, Araſceus Sinæus, Aradius, Samareus, & Amatheus*, qui populi noti in ſcriptura ſacra, ignoti alibi nam ab hebræis deſtructi ſunt: tantummodo eorum terminos hic apponemus; ait enim Moyſes *Gen. cap. 10. verſ. 19. Factique ſunt termini Chanaan venientibus à Sydone Geraram, vſque Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim vſque Leſa.*

4 Sem ex filiis Noe vltimò cum familiis ſuis recenſetur: eius filii ſunt. *Aelam, Aſſur, Arphaxad, Lud, & Aram*, qui partem Aſiæ totamque indiam impleuerunt. Primus eſt *Ælam*, a quo Ælamitę ideſt Perſæ; Secundus *Aſſur* Aſſiriæ Princeps, Tertius *Arphaxad* a quo Chaldei, & Suſiani; Quartus eſt Lud, a quo alij Lydios, alii medos deducunt; Quintus eſt *Aram*, a quo Aramei, ideſt Syri, Celeſyriæ incolæ in qua metropolis Damaſcus. Deinde *Arã*, quatuor filios habuit, ſcilicet *Hus* a quo Auritę ſeu Traconitides, & Idumei, prope Cęleſyriam, in quibus & Iob regnauit: *Hul*, a quo Hulitæ ideſt Armeni: *Gether*, a quo Bactriani, vel Acharnanij ex D. Hieronymo: *Meſſen Meſech*, a quo Mæones. *Iectan* autem genuit tredecim filios, quorum plurimos quibus populis conueniant ſe ignorare fatetur cum Ioſepho D. Hieronymus *loc. cit. lit. G. Iectan genuit Helmodad, & Saleph, & Aſamoth, & Iare, & Adara, & Vzal, & Decla, Ebal, Abimael, Seba, Ophir, Heuila, & Iobab. Harum gentium poſteriora nomina inuenire non potui; ſed vſque in præſens, quia procul a nobis ſunt, vel ita vocantur, vt primum, vel quæ immutata ſunt, ignorantur*. Nibilominus Salianus *loc. cit. num.* 103. ſatis conſequenter putat Indiæ orientalis, necnon & occidentalis Americæ incolas fuiſſe; ait namque: *Cæterum frequens eſt nunc opinio, & vt arbitror vera, hoſce filios Iectan non ſolum ad Arachoſiam, & Indiam, & gangem, ſed ad ſinas etiam, & Iapones, & Americam per fretum Anianum paulatim nauigiis perueniſſe, eoque colonias cum animalibus, & omnibus ad vitam neceſſariis duxiſſe*. Tandem videndum eſt quis fuerit Americæ, & mexicanæ regionis primus incola. Nam videtur ad filios *Iectan* pertinere; etenim cum tot ſint, & eorum populi ſint ignoti ad nouum hunc orbem populandum nauigaſſe conſequens eſt. Benedictus Arias montanus, Vatablus, & alii ſuſtinent *Ophir* populaſſe Americam, ſicut frater eius *Hauila* Indiam orientalem. Contra hos acriter pugnat Pererius, ſeu potius Ioſeph Acoſta, a quo Pererius mutuauit, contendentes Ophir eſſe Indiam orientalem, vel eius partem. Fundamentum, quo innituntur ex ſacris literis facile ſoluitur, vel dicendo quòd Claſſis Salomonis in Indiam, & ex india ad Americam tranſibat, vel quod Ophir primò partem Indiæ cum fratre Hauilath, deinde occidentalem plaga populauerit: locus vero ex cap. 25. Gen. vbi dicitur de Iſmaele. *Habitauit Iſmael ab Heuilath vſque Sur*: & primo Reg c. 15. *Percuſſit Saul Amalech ab Heuilath vſque Sur*: explicari debet de parte orientali, & meridionali, non de regione ipſa Heuilath; nam *Sur* meridiem ſignificat lingua hiſpanica, Batauа, Gallica, e germanica. Dicitur ergo *ab Heuilath vſque Sur, quæ reſpicit Ægyptum*; ideſt a parte orientali, vſque ad meridionalem terræ Ægipto oppoſitæ. Potuit ergo antiquitus appellari *Ophir* tam India, quam America, ſicuti hodie vtraque India dicitur, hæc occidentalis, ſcilicet Americas, altera vero orientalis. Sed de hac quæſtione inutili ſatis.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

HVcuſq; Diuinam Sapientiam in magno mundo per æternam generationem, ac temporalem rerum creationem, & creaturarum diſpoſitionem contemplati ſumus: Reliquum eſt, vt eius mirabilia etiam in mundo paruo, hoc eſt homine mirabilem, & potentiſſimam demonſtremus. E quidem ſapienter tot, tantaque entia creaſſe, & diſpoſuiſſe, magnum eſt, ſed profecto maius in homine compoſuiſſe paſſiones, vitia deturbaſſe, diſſidentes animi motus fraterno amore ſedaſſe. Neque mirum, cum hoc proprium Sapientiæ ſit opus vitia conculcare.

SVMMARIVM.

1 *Diuina Sapientia magnam ſe oſtendit dum peccatores ſaluat.*
2 *Opus Dei proprium miſereri ſemper, & parcere.*
3 *Diuiſio omnem maculat bonitatem.*

§. I.

Diuina Sapientia magnam ſe oſtendit dum peccatores ſaluat.

1 QVam *magnificata ſunt opera tua Domine omnia in Sapientia feciſti &c.* Diuina Sapientia ex eo mirabilis cognoſcitur, & prædicatur, quo Mundum

Digitized by Google

dum hunc vniuerſum ſapienter condiderit. Nam & Artificis præſtantia ex ſuis operibus datur intelligi. Quia verò genitæ Sapientiæ inſigne opus eſt redemiſſe mortales, & a diræ mortis imperio ereptos, vitæ reſtituiſſe, hoc toto conatu ſatagit, vt magnificentia ſua in peccatorum ſalute eniteat, ea propter ſe Paſtori aſſimilans, pro vna oue perdita, relictis reliquis, in mundum veniſſe, ac tot, tantaque tormenta ſuſtinuiſſe fatetur. Hanc miſericordiæ operam, hunc amoris exceſſum meditatus Propheta, ex hoc opere diuinam magnificat ſapientiam, dum ait. *Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti*: cui aſſentiens D. Auguſtinus *in Pſal.* 103. ita fatur. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Nonne accendit lucernam carnis ſuæ dum penderet in cruce, & quæſiuit perditam drachmam? Vicinis congratulantibus inuenta eſt drachma, Angelis lætantibus inuenta eſt Anima humana. Inuenta eſt, ergo gaudeat, & dicat: Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti.*

2 Reperiri nequit expreſſius Peccatoris emblema, quam Cadauer: etenim ſicut illud Anima priuatum turpe eſt, operatione caret, motu deſtituitur, ſenſibus vti nequit; ita peccator viuens mortuus eſt; nam neque gratiam habet, quæ iuſtum viuificat, nec meritoriè operari poteſt, nec audire Concionatorum ſuaſiones, nec ſpirituali vti ſenſu. Idem ergo, imò præclarius erit peccatorem conuertere, ac mortuum ſuſcitare. Hinc manifeſtè apparet, cum multa, ac mirabilia ſigna, & miracula Ieſus feciſſet, cur in ſola Filij Viduæ ſuſcitatione magnus ſit appellatus Luca referente: *Luc. cap. 7. verſ. 19. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: quia Propheta Magnus ſurrexit in nobis.* Nonne & reliqua Prophetam declarabant? nonne magnum oſtendebant? Cur ergo ex ſolo hoc miraculo, & Deus, & Chriſtus eius magnificantur? Scilicet: quia Filius huius viduæ peccatoris erat typus; & quia tunc maximè ſe magnam diuina oſtendit ſapientia, cum peccatorem aliquem, obſtinatum præſertim, ſaluat; ideo ex hac ſuſcitatione magnificatur. Peracutè quidem id explicat eminentiſſimus Hugo *in cap. 7. Luc. pag. 172. col. 3. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: Myſticè ſignificatur flentibus peccata vitam ſpiritualem reſtitui: & dedit illum matri ſuæ: Dato filij defuncti matri ſuæ; eſt reconciliatio pœnitentis Eccleſiæ. Suſcitauit Dominus filium viduæ qui cum multa frequentia populi portabatur: & quanto de eius vita deſperabatur, tanto amplius pro eius ſuſcitatione magnificabant: & quanto miraculum famoſius, tanto glorioſius. Similiter quanto magis deſperatur de conuerſione peccatoris, qui ab errore conuertitur, tanto pietas Domini maior intelligitur. Dicitur ergo: Accepit autem omnes timor admirationis, & magnificabant, id eſt magnum prædicabant, Deum, dicentes: quia Propheta Magnus ſurrexit in nobis; magnus ſapientia, potentia, clementia:* En quomodo incarnata ſapientia tum magna inter homines prædicatur, cum in ſaluandis peccatoribus eniteſcit.

3 Neque id admirationi eſſe poterit veritatem enucleanti. Nam ſi cuncta opera Domini inſpiciamus videbimus vtique in eis mirabilia non pauca, ſi ſyderum curſum, Solis iter, Lunæ defectum, Maris vaſtitatem, Animaliũ pulchritudinem, vtilitatemque, Altilium, Piſcium, ac Serpentum multitudinem, ac varietatem maximam, Arborum, ac Plantarum pulchritudinem in folijs; vbertatem in fructibus, ac in diuerſitate venuſtatem: hæc omnia inquam mirabilia ſunt. Sed enim, quia hæc omnia propter hominem facta ſunt, illo peccante, vitiata ſunt omnia, ac ſpoliata decore; Idcirco mirabilia Domini præcipuè declarantur in opere Incarnationis ſapientiæ genitæ, quia tunc hominem a peccatis liberando mirabilem ſapientiæ opus oſtendit. Hæc Dei mirabilia opera ſe enarrare pollicetur Propheta *Pſal. 9. verſ. 1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua*: Quaſi diceret Propheta; magna, & mirabilia omnia Dei opera ſunt, ſed hæc expreſſius in myſterio Incarnationis eluceſcunt, vbi ſe magnum prædicat Dei Sapientia hominem liberando. Fauet D. Ioannes Chriſoſtomus *in Pſal. 9. tom. 1. col. 583. lit. A. Fecit ergo Deus Cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis, cuncta Animantia quadrupedia, volatilia, ſerpentia, natantia, germina arborum, fructus, radices, ramos, folia, & cuncta ſunt creata, & preparata, Iſta omnia mirabiliter fecit: Fecit Hominem manu pietatis e limo terræ, dans ei præceptum, vt lege ſeruata non moreretur, præcepto tranſgreſſo morte moreretur. Peccante primo homine totus vitiatus eſt mundus, labes peccati tota inoleuit. Concupiſcentia in hominibus augmentata eſt, labiles facti ſumus, & infirmi: Medico indigebat generatio hominum; Ille è ſinu Patris miſſus, qui ſemper fuit, & non fuit quando non fuit, vnam cum Patre habens ſubſtantiam, & eſſentiam, ſanauit morbum, quem Protoplaſtus infuderat maſſæ hominum. De Aduentu autem Incarnationis eius, quid enarrem niſi mirabilia eius?* Omnia quippe mirabiliter ſapientia condiderat, ſed ſapientius per peccatorum redemptionem omnia reſtauraſſe mirabilius eſt.

4 Clariùs hoc, & apertius teſtatur D. Auguſtinus in eumdem Pſalmum: qui ibidem, hoc dubium mouet: quodnam maius miraculum a Domino factum extitit, vel Reſurrectio Lazari, vel conuerſio Pauli? Mortuus erat ille, & in monumento lapideo tumulatus, vitam, & ſpem viuendi perdiderat; ſiquidem quatriduanus, corruptioni obnoxius, iam fetebat. Hic gratiæ mortuus cenſebatur, qui vera fide deſtitutus, iam reſurgendi ſpe carebat; nam ita in ſua ſuperſtitione obduratus, ac excæcatus erat, vt chriſtianos perdere, Chriſtique fidem de medio tollere; acceptiſſimum Deo Sacrificium exiſtimaret. Vtrumque liberauit Dominus, & illum vitæ, iſtum reſtituit gratiæ; in quo ergo diuina Sapientia maior, ac mirabilior apparet? In hoc ſecundo certè; inquit D. Auguſtinus, nam mirabilia Dei, quæ in corporalibus incipiunt, in ſpiritualibus perficiuntur. Ille ergo enarrat *Omnia mirabilia Dei*, qui ea, quæ præclarè videntur geſta in rebus corporalibus, ad rerum ſpiritualium intelligentiam transfert: ſed ipſum Sanctũ Doctorẽ audiamus. *Narrabo omnia mirabilia tua: Narra omnia mirabilia Dei, qui ea non ſolum in corporibus palam, ſed in animis quidem inuiſibiliter, ſed longe ſublimius, & excellentius fieri videt. Nam terreni homines, & oculis dediti magis mirantur reſurrexiſſe in corpore mortuum Lazarum, quam reſurrexiſſe in anima perſecutorem Paulum. Sed quoniam viſibile miraculum ad illuminationem animam vocat, inuiſibile autem, eam quæ vocata venit, illuminat: omnia narrat mirabilia Dei qui credens viſibilibus ad intelligenda inuiſibilia tranſitum facit.* Mirabilius ergo cum ſit peccatores ſaluare, quam mortuos ſuſcitare, nil mirum erit ſi Dei ſapientia in peccatorum ſalute magnificatur

5 Bene hoc nouerat Pſalmiſta, qui peccatorum ſuorum veniam expoſtulans, ita precabatur: *Pſal. 50. verſ. 1. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*; Neque vacat myſterio, quod non ſimpliciter miſericordiam, ſed magnam implorat. In nobis enim in diem experimur, quòd cum aliquis vel eleemoſinam indigenti, vel fauorem periclitanti erogat ad rationem periculi, & neceſſitatis, beneficium penſatur, ſi mediocris eſt egeſtas, periculum leue, paruum cenſetur beneficium; ſi vero ex penuria, vel periculo vita in diſcrimen ponitur, magnum beneficium nuncupatur. Omnia Dei beneficia proficua nobis, & vtilia ſunt, attamen communem rationem, vtilitatemque ſubueniendi naturalem formam non excedunt. At ſaluare peccatorem, æternam vitam

Digitized by Google

reddere iam defuncto, hoc magnum beneficium eſt; id magnam Dei Sapientiam oſtendit: idcirco miſericordiam, quæ eum ſaluare debebat, magnam appellat Propheta. Ita D. Ioannes Chriſoſtomus *tom. 1. Hom. 2. in Pſal. 50. col. 611. lit. A. Miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam: Dixiſti magnam, edicito quantam. Quanta ſit neſcio, quod grandis ſit noui. Quantum autem non valeo apprehendere, neſcio magnitudinis quantitatem, non comprehenditur verbo. Niſi enim in immenſum extenderetur admodum pauci ſaluarentur.* Cum ergo ad ſaluandos peccatores immenſa clementia neceſſaria ſit, nonniſi ex hominum ſalute in immenſum Dei Sapientia grandeſcit.

§. II.

Opus Dei proprium miſereri ſemper, & parcere.

1 QVam magnificata ſunt opera tua &c. Cum ſaluat peccatores magnam ſe oſtendit Dei Sapientia; neque admirum, etenim miſereri ſemper, & parcere hoc proprium Dei eſt. Artifex tunc magnus in ſua arte apparet, cum aliquod artis ſuæ opus excellentiſſimum profert. Princeps cum punit iuſtus deprehenditur, magnus minimè; nam punire actus iuſtitiæ eſt, quæ communis eſt virtus; at cum ſaluat, cum a morte liberat, eos præſertim qui in eum peccauerunt, tunc magnificatur in populo. Multæ virtutes præclariſſimum Cæſarem reddiderunt, facundia in dicendo, ſapientia in regendo, fortitudo in ſuſtinendo, ferocitas in pugnando, celeritas in agendo; verum vna ad aſtra extollebat, & adhuc n[illegible]tiuum ad honoris euocat vitam, in hoſtes clementia. Merito igitur & ipſa æterna Sapientia tunc magnificatur cum parcit, tunc exaltatur cum vltra condignum remunerat; quia eius proprium opus eſt parcere: clementia enim regia, imo diuina virtus eſt. Ita fatetur eminentiſſimus Hugo. *Quam magnificata ſunt opera tua Domine: Opera Domini ſunt miſereri ſemper & parcere, & ſaluare; ſed damnare non eſt opus eius proprium. Hæc opera magnificata ſunt valde, quia remunerat ſupra meritum eos, quos ſaluat.*

2 De Alphonſo Aragonum, ac Neapolitanorum Rege ferunt Hiſtoriæ, ipſum quidem ſemper ad beneficandum promptum fuiſſe; cum vero aliqua ſententia capitalis ferenda erat moleſtè ferebat, & inuitus ad iuſtitiæ pęnam comprobandam veniebat; id enim a regia Maieſtate alienum iudicabat. Quod & Rex Regum Dominus clarè oſtendit ſemper enim vindictæ, ac punitioni terminum ponit, beneficijs nequaquam. Legimus namque exodi 34. quod miſericordia diuina cuſtodientibus legem in mille generationes extenditur; vindicta vero tranſgreſſoribus ad quartam reſtringitur: vt ait Moyſes: *Exod. cap. 34. verſ. 6. verſ. 7. Dominator Domine Deus miſericors, & clemens; patiens, & multæ miſerationis, & verax: qui cuſtodis miſericordiam in millia: qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem.* Vbi vides Dominum tripliciter miſericordem, imò multæ miſericordiæ appellatum: & cuſtodire miſericordiam in millia; ſemel vero verax, ſeu iuſtus in puniendo, nec punitionē quartā generationē excedere; cuius rei rationem reddit Abulēſis Præſul. *q. 4. in Deuteron. pag. 26. col. 1. lit. C. Sic datur differentia inter miſereri, & punire in Deo; quia enim miſereri Deo propriū eſt, vſq; ad mille generationes miſeretur: & quia punire non eſt ei proprium, ſolum vſque ad quartam generationem punit eos, qui oderunt eum.* Dei ergo proprium opus miſereri eſt.

3 Duo ſunt lucis effectus illuminatio, & exuſtio; prima res omnes lætificat, altera deſtruit. Hoc autem eſt inter duas operationes diſcrimen; quod illuminationem ex ſe producit, combuſtionem vero non niſi ei combuſtibilis præbeatur materia. Millies me dixiſſe memini Deum in ſacris literis ignem, lucemque appellari, illuminat enim omnes homines, impioſque comburit; hinc duæ illi præcipuè tribuuntur virtutes, Miſericordia, & Iuſtitia; illa fouet, iſta perdit; canente Propheta: *Pſal. 24. verſ. 10. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & Veritas.* Sed quia opus proprium illius miſereri eſt, ſemper illuminat, ſemper ſaluat: nec punit, niſi cum cogimus nos illum, peccaminoſam ei præbendo materiam, & iram per impęnitentiam ſuſcitando. Quod perſpiciens D. Bernardus Clareuallenſis Abbas *ſerm. 5. de Natiu. Dom. pag. 64 lit. C.* inquit, *Non minus iuſtus, quam miſericors eſt cui miſericordia, & Veritas decantatur: ſed quod miſeretur proprium illi eſt, ex ſe enim ſumit materiam, & veluti quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quod iudicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus; vt longe aliter de corde ipſius miſeratio, quam animaduerſio procedere videatur.* Ignis inanimis, ac neceſſarius eſt, loco moueri ad te comburendum non poteſt; ſed ſi tu te illi plus iuſto oleo delibutus approximas, tua culpa eſt ſi combureris.

4 Quæ cum ita ſe habeant nequaquam homo de ſalute deſperare debet, licet in profundum malorum demerſus ſit. Qui enim amicis comitantibus infoueam cadit. Sperat ſe liberaturum; & ideo ad eos clamat, qui eius voci accurrentes, ſtatim eripiunt. Homo numquam Dei ſocietate deſtituitur, quippe qui ſine illo nec eſſe, nec viuere poteſt: ergo ſi in peccatorum foueam, & in malorum profundum cadat, clamet ad Dominum, qui cum miſereri pro opere proprio recognoſcat, vix inuocatus miſeretur. In profundum peccatorum lapſus reperiebatur Dauid, ſcilicet adulterij, homicidij, ſuperbiæ; ſed minimè deſperans, ex Abyſſi illius profunditate ad Deum clamauit, vt ipſemet fatetur: *Pſal. 129. verſ. 1. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam:* Et qua fiducia clamans o Rex! quid ſcis auditurum, & exauditurū Dominum? *verſ. 4. Quia apud te propitiatio eſt:* Scio equidem Dei proprium eſſe miſereri, & ſalutem indigentibus ferre, nam cum ipſo propitiatio ſemper eſt. Hæc eſt eius inſeparabilis proprietas. Probat hoc D. Ioan. Damaſcenus *Parallel. lib. 3 cap. 21 pag. 114. col. 2. Deo proprium reuera, & congruens eſt propitium ſe præbere, ac miſereri, operibuſque ſuis ſalutem afferre, etiamſi ad interitus periculum ferantur. Apud eum enim (inquit ille) eſt propitiatio.* Optimè ergo ſperabat auxilium ab eo cui proprium eſt auxiliari.

5 Similem Deum credere poſſumus Principi magnanimo, & benefactori, qui ex ſe cum mitis, & patiens ſit, tamen vt iuſtitiam colat, *Miniſtros*, & *Iudices* deputat: Iudicum eſt ſecundum leges punire, ſed reum pęna damnatum abſoluere ſolius Regis eſt. ſolum ergo ad Principem ſaluare, & liberare pertinet, punire vero ad miniſtros, & Iudices. Sic opus Dei Cęlorum Imperatoris parcere, & miſereri eſt, damnatos vero punire miniſtrorum eius eſt. Hoc oſtendit Pſalt. *7. verſ. 12.* inquiens. *Deus Iudex iuſtus fortis, & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies.* Vbi legit D. Auguſtinus; *Non iram adducens per ſingulos dies;* & ſubdit, ſic melius ſignificari non eſſe in ipſo Deo iram, qua punit, ſed in eius iuſtitiæ miniſtris, Angelis videlicet malis; qui tamen exequutores ſunt diuinæ iuſtitiæ, non propter ipſam iuſtitiam, ſed quia odio habent homines. Ita ille *in Pſal. 7. tom. 8. pag. 19. col. 1. lit. C. Non iram adducens per ſingulos dies: ſignificantius fortaſſe dicitur, iram adducens, quam iraſcens. Et ita in exemplaribus græcis inuenimus; Vt non ſit in ipſo ira, qua punit, ſed in animis eorum miniſtrorum qui præceptis veritatis obtemperant: per quos iubetur etiā inferioribus miniſtris, qui vocantur Angeli iracundiæ, ad punienda peccata. Quos iram non propter iuſtitiam, qua non gaudent, ſed propter malitiam pæna humana delectat.* Dedecet Principem punire, eius proprium ſaluare eſt, & miſereri; multo magis id Deo debetur.

6 In

Digitized by Google

6 In vniuerſali Iudicio, vbi iam non miſericordiæ locus eſt, ſed vindictæ; ſedens in maieſtate ſua glorioſus Iudex iuſtus ſanctorum, & iniquorum: cum ſententiam daturus erit, vertet ſe ad iuſtos ad dexteram ſuam poſitos, & ad gloriam vocabit. *Matth. cap. 25. verſ. 34. Tunc dicet Rex his qui a dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Sed ſi in ignem æternum reprobi mittendi ſunt, cur non ab eorum damnatione incipit? cur prius dat iuſtis regnum, quam reis gehennam? Aduertere oportet, quod cum aliquid naturali motu fertur, citius, & promptius operatur; cum verò violenter ſerius, & ſegnius, quia contra naturæ inclinationem facit: Porro cum Dei natura miſereri ſit, ſtatim ad miſerendum mouetur; ad puniendum vero tardius, quia opus eius non eſt, imo naturæ ſuæ contrarium. Non mirum igitur; ſi inter præmiandos, & puniendos poſitus, prius ad præmium, quam ad pœnam mouetur: eleganter id docet D. Ioannes Chriſoſtomus *in oper. imperfect. Homil. 54. tom. 2. col. 967. lit. B. C. Tunc dicet illis, qui ad dexteram: & quare non illis ante qui ſunt ad ſiniſtram? Quia paratior eſt Deus ſemper ad benefaciendum, quam ad malefaciendum; nam bona bonis ſecundum propoſitum ſuum præſtat, quia bonus eſt: mala autem malis contra propoſitũ ſuum facit, quia Iudex eſt. Quidquid autem homo contra naturam ſuam agit, pigrius agit.* Deus cum ſit bonus ſolum benefacere nouit; & eius proprium opus eſt miſereri.

7 Ea propter vt Deum definiret Pſaltes, & eius Naturam clarè, & manifeſtè exprimeret, non aliam vltra Deitatem differentiam addidit, quam eſſe Deum Saluatorem. Idcirco autem ab eo omne auxilium expectabat, quem Deum Saluatorem ſciebat; ait namque: *Pſal. 67. verſ. 21. Proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum:* Et vnde id colligis? *verſ. 22. Deus noſter Deus Saluos faciendi,* inquit: quaſi diceret. Mea ſpes in Domino eſt, iter in eius nomine arripio ſecurus; nam neque mihi opitulari deſiſtet, qui Deus eſt Saluator, cuius propria differentia eſt ſaluos facere, qui eſſentialiter prius, ac miſericors eſt: confirmat hoc Bellarminus, *in Pſal. 67. pag. 473. Non ſine cauſa dixi Deũ proſperaturum iter nobis, & ſalutes multas allaturum: nam hoc eſt illi proprium, hæc eſt eius natura: ipſe enim Deus noſter, eſt Deus Saluans, Deus miſericors, Deus pius.* Patet ergo opus Dei proprium eſſe miſereri ſemper, & parcere, vt a ſuæ naturæ conditione deficiat numquam.

§. III.

Diuiſio omnem maculat Bonitatem.

1 O*Mnia in ſapientia feciſti.* Cum omnia ſapienter fecerit Deus; cum hic dicatur: *omnia in ſapientia feciſti:* ſequitur vt omnia quæ fecerit ſapienter, bona ſint. Cur ergo in principio temporis cum omnia Deus laudaſſet, quæ ſingulis diebus creabat, opera ſecundæ diei minimè bona pronunciauerit? Nonne illa in ſapientia fecerat? vtique. Nonne ſic facta ſapienter bona erant? conſequenter. Cur ergo bona non prædicantur? Bona indubitanter erant; ſed quia in illa die diuiſæ ſunt aquæ, quæ diſſidium, & diſcordiam inter bonos, prauoſque Agelos ſignificabat diuiſio; vt oſtenderetur quam ſit diuiſionis malitia, quæ omnem commaculat bonitatem; creaturæ illæ, quamuis bonæ, quia diuiſæ diuina laude priuantur: Id luculenter, & doctè proſequitur Abbas Rupertus *in cap. 5. Ioan. tomo 3. pagina 108. col. 2. Omnia in ſapientia feciſti: ſingula namque opera Deus primum ipſe facit, deinde ſingula videt, & de ſingulis iudicat, quod bonum eſt. Videlicet Pater in ſua perſona operatur; in Filio (vt pote qui eſt Sapientia) omnia videt: in bona voluntate ſua, ideſt in Spiritu ſancto delectatus dicit, quia bonum eſt. Cumque omnia Sapientiæ eius, ideſt Filio demonſtrata placeant, & ſingulorum facta dierum bona iudicentur, in ſolo ſecundæ diei opere tacetur &c. In hoc mundanæ fabricæ viſibili opere, cum diuideret Deus lucem a tenebris & aquas ab aquis damna inuiſibilis Patriæ reſpiciebat, vbi mali Angeli peccando tenebræ facti, a luce ideſt a bonis Angelis diuiſi ſunt: & multitudines aduerſæ a multitudine Angelorum in ſupernis perſiſtentium, velut iſtæ eleementares aquæ, æterno firmamento diuiſæ ſunt. Itaque cum cætera demonſtrata ſibi, quæ Paterfaciebat, bona iudicauerit Sapientia Dei, de hoc ſolo (vt prædictum eſt) diuiſionis opere tacuit, quia videlicet in diuiſione nulla erat cognitio boni.*

2 Et reuera ſicut vnio, & pax cuiuſcumque domus fulcimentum eſt, ita diuiſio quamlibet euertit. De quodam Leone Bizantino narrat Sixtus Senenſis *in Biblioth. ſanct. pag. 44. col. 1. lit. C.* qui cum pacem ſuaſurus Athenienſibus ſugeſtum aſcendiſſet, cum eſſet craſſiſſimus omnium riſum excitauit, quibus ille ſic perorare orſus eſt. *Ridetis, inquit? eſt mihi vxor me craſſior: & cum ad hæc populus maiorem riſum ſuſtuliſſet, protinus addidit: & tamen vnus lectulus nos tales capit concordes, diſcordes, ne tota quidem domus.* Neque de mundanis tantummodo viris id intelligas velim, ſed ipſis ſanctis, ac virtute præditis viris. Qui ſanctior ſuo ſæculo Abrahamo, & Loth eius nepote? Nullus plane: nihilominus tamen, vbi ab inuicem ſunt diuiſi, alter ab inimicis captus, alter bellis implicitus non ſine labore bona perdita recuperauit. Narrat enim ſacra ſcriptura, quod cum Loth diuiſus ab Abraham habitaret in Sodomis, victis populis ab inimicis, & ipſe Loth captiuus ductus eſt *Gen. cap. 14. ver. 12. Tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum & Gomorrhæ: Nec non & Loth, & ſubſtantiam eius filium fratris Abram.* Hoc autẽ propter diuiſionis perniciem ei eueniſſe putat Chriſoſtomus *Hom. 35. in Geneſ. tom. 1. col. 143. lit. B.* cum enim diuiſus, melius ſe habere, & copioſiori vbertate credebat abundare, ſtatim ſeruus omni re perdita factus eſt. *Ecce enim vt diuiſus eſt a Iuſto, & putabat ſe in maiori eſſe vbertate, & copia, & potiora eſſe aſſequutum, & abundare; repente factus eſt ſeruus, carens domo, carens & foco: vt diſcas quantum malum ſit diuiſio, & quantum bonum concordia.* Verum quia hæc diuiſio Corporum erat, non cordium, ſtatim a Patruo adiutus, rem perditam recuperauit. Væ diuiſis corde, quibus nulla ſpes ſupereſt infortunia fugiendi.

3 Quis non miretur in humani corporis conditione ſapientiam Conditoris? Corpus ex multis membris conflatur, quæ ſingula proprium ſortita officium, ita diſponuntur, vt alterum altero opus habeat: imò ſi quæ membra otioſa videntur, & alieno labore paſci, & enutriri, ſunt tamen illa honorabiliora, ſtomachus enim victum ab alijs membris recipiens vires elargitur; cor pro victu dat vitam, ſic ea quæ minus operari videntur Magis neceſſaria comprobantur; & ita inter ſe vnita ſunt, vt cum dolet vnum, ſtatim reliqua ad fouendum accurrunt. Ita homines Reipublicæ membra inter ſe concordes eſſe debent, vt viuat Reſpublica, & alteri alter ſubuenire. Hoc argumento vſus eſt Paulus, concordiam inter Corinthios fideles firmaret prædicans. *1. Corin. cap. 12. verſ. 25. 26. 27. Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non ſint ſchiſmata in corpore, ſed idipſum pro inuicem ſollicita ſint membra; & ſi quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra; ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Cum vero membrum aliquod ſeparatur a corpore ſtatim corrumpitur. Falluntur autem diuiſionis, & diſcordiæ amatores ſi putant ſe membra Chriſti eſſe, cum ſeparata ſunt; non enim mortua membra computantur in corpore; vti docet Diuus Baſilius Magnus *de Iudic. Dei pagina 244. lit. A. Apud quos vero non concordia, non vinculum pacis, non in ſpiritu lenitas conſeruatur: contraque diſſidium, æmulatio, obtrectatioque inuenitur, hos Chriſti membra appellare, & abeo dicere*

gubernari, magna enim vero audacia fuerit. Obſerua diuiſionis malum, a Chriſto alienum facit inter defunctos enumerat.

4 Tanta eſt Diuiſionis pernicies, vt nullum remaneat Chriſtiani viri veſtigium, vbi diſſentio locum habet. membra corporis ad inuicem vniuntur, & compaginantur: cum vero corporis ſeparata ſunt membra, amplius corpus eſſe non poterit. Corpus vero Chriſti vnitur, & compaginatur media charitate, cum vero charitas diſſoluitur Corpus Chriſti non erit. En quid facit peſſima diuiſio membra ſeparat corporis Chriſti myſtici, Fideles conſumit, nam ſi plenitudo legis eſt dilectio, vbi non eſt dilectio, nulla eſt lex, & vbi deficit lex Chriſti, nec Chriſtus eſt. Idcirco monebat Apoſtolus *Ad Gal.cap.5.verſ.15. Omnis enim lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum: quod ſi inuicem mordetis, videte ne ab inuicem conſumamini*. Cum enim membra Chriſti dilectione vniantur, hac deficiente, myſticum corpus diſſoluitur: quapropter D. Ambroſius *in cap. 5. ad Gal. tom.3. pag. 231. lit. B.* ait. *Manifeſtum eſt, quia diſſenſio fratrum inimica eſt dilectioni, ideo monet, vt pacifici ſint proficientes in bono: contentiones enim generant iurgium, cuius finis eſt vitæ conſumptio*. Fugiamus ergo diuiſionem, charitatem diligamus, vt Corpori Chriſti compaginati; cum ipſo in cœleſti regno coronari mereamur.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimuſquartus.

Quam magnificatæ ſunt opera Redemptionis, cum Diuina Sapientia Vterum Virginis ſua poſſeſſione repleuit.

MAgna quippe, & mirabilia ſunt quæ Diuina Sapientia in terrarum orbe operata eſt, ſingula, quæ videntur, è nihilo producens in lucem; verum illud mirabilius eſt, quòd ad mundi Redemptionem accedens, carnem, e mortalis Virginis ſanguine ſibi ſumere, & in eius vtero ſedem ſibi, Templumque erigere, haud exhorruit; de quo diuinus dixit ſpiritus per os ſapientis: *Sapientia ædificauit ſibi domum*: ſcilicet B. Virginem, omnibus ornatam virtutibus, & a tinea peccatorum prorſus libera: Quamobrem Angelicus Doctor 3.*p.q.*27.*art.*4.*in corp.* probans Deiparam nunquã peccaſſe, nec mortaliter, nec venialiter, ea ratione mouetur, quia Cœlum, & Sedes Diuinæ Sapientiæ extitit. *Quia Dei filius qui eſt Dei Sapientia, ſingulari modo in ipſa habitauit, non ſolum in anima, ſed etiam in vtero*. Dicitur autem *Sap.* 1. *In maleuolam Animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Sic ergo Diuinæ Sapientiæ Templum, & ſedes Maria eſt.

Beatiſſima Virgo Cœlum Dei, & Thronus Diuinæ extitit Sapientiæ.

1 MIrum fortaſſe alicui videri poſſet, quod ille Deus qui Cœlorum ſibi fabricauerat ſedem: *Pſal.*102. v.19.*Dominus in Cœlo parauit Sedẽ ſuam*: poſtmodũ in Virginis gremio, ceu ſpecioſiſſima ſede requieſcat; Altiſſimum Monarcham eminentia decent ſedilia: Vbi & purpura niteat, & gemmæ irradient, & fulgeat aurum. Sed ſtupor ſiſtat, admiratio abſcedat; Cœlum Virgo Parens eſt: etenim ſi Cœlum puritate ſubſtantiæ omnibus præſtat corporibus, ſi luminum claritate omnia colluſtrat ſubiecta, ſi loci ſublimitate vniuerſis eminet creaturis, ſi diuino conſeſſu, & gloria reliqua creata deſpicit; Mariæ typus eſt, illa has omnes præeminentias eminentius continet; pura eſt & corporis munditie, & animæ ſanctitate; reſplendet nõ tãpulchritudine vultus, quam virtutum fulgoribus: ſanctos ſuperat nedum dignitate reginali, verum etiam gratiarum abundantia; Dei Filio digna eſt Mater, quia virginitatis flore maternitatem decorauit; Cœlum eſt ipſo Cœlo præſtantius, dum eum continet, fouet, & nutrit, quem illud capere non ſufficiet. His omnibus de cauſis Cœlum eſt Virgo, Dei Thronus electus, ſedes maieſtatis æternæ. *Cœlum eſt Maria*, (inquit Seraphicus Bonau. *in ſpec. Virg. lect.5. tom 6.pag.458.col.1. lit.E. tum quia cœleſti puritate, cœleſti charitate, cœleſtibus virtutibus abundauit; tum quia ſedes Dei altiſſima fuit, teſte Propheta, qui dicit: Dominus in Cœlo parauit ſedem ſuam*. Hæc ſedes eſt Virgo, hoc Cœlum, quod ſolus Deus extendit, & tali pulchritudine decorauit, qualem Cœlorum Imperatorem decebat.

2 Incarnationis Sacramentum operaturus omnipotens in temporũ plenitudine Angelicos nuncios ad Virginem deſtinauit: *Luc.cap.1.verſ.26. Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem*. Cur autem huius annunciationis legatus eſt Angelus? non ſufficiebat, hoc myſterium per aliquem ex Prophetis ſuis nunciare, cuius vultũ nõ ita expaueſceret Virgo, cuius rationes melius intellexiſſet; & ſi ſolus requirebatur conſenſus, cuicumque datus ſufficiebat: quare ergo vnus inter primos Cœlorum eligitur Princenps ad hoc nuncium ferẽdum? Quia

Cœlum

Cœlum erat Beata Virgo; neque vulgare aliquod, ſed Cœlorum Cœlum, omniumque ſupremum, Dei electa ſedes, Habitaculum gloriæ, Beatitudinis domus, Deitatis regia, Sanctorum Regnum. Non igitur decebat tantum alloqui Cęlum, niſi Cęleſtis Aulæ Procerum vnus; quomodo noctua intueri potuiſſet ſupremam lucem, homo terrenus Cęlum alloqui diuinum? immo ipſe tremebat Angelus ad tantæ dignitatis aſpectum. Cōueniens idcirco fuit Cœlum Diuinitatis à Cęlorum incola nunciari. Ita Iſidorus Theſſalonicenſis, *orat. 3. pag. 66. Ipſa enim fuit Cęlum Cœli, Sors vni Domino congruens; idcirco cōſentaneum erat vt fieret, quod & factum eſt, vt primus à terra ſpirituum ordinis illam vnus alloqueretur.* Sic Cęleſtis Princeps Cœlorum Regem animato nunciauit Cęlo.

3 Cum Redemptor noſter è mundo diſceſſurus eſſet progreſſurus ad Patrem, vocato Apoſtolorum Principe Petro, illi Cœlorum tradidit claues, Regnique Beati conſtituit clauicularium; quod ante illi promiſerat, dicens, Matth. *cap. 16. verſ. 19. Tibi dabo claues Regni Cœlorum.* Petro claues, & Dilecto quid? Ille diſcipulus, quem dilexit, cui Matris cura commiſſa, honoris ad partem non vocatus, ſolius laboris eſt particeps? Ioanni cognatione propinquo, ſanctitate ſimili, dilectione chariſſimo, & ferè cum ipſo identificatus amore, dari clauis Regni debuerat, illum cœli ianitorem, Regni clauicularium conſtituere decentius videretur. At ſodes, non cōſtituit forſan? Nonne Ioannes & ipſe Cęli eſt clauicularius? eſt vtique, ſed Cœli ſublimioris, perfectionis Regni; nonne ei Mariæ cuſtodia eſt demandata? ergo Cœli pulcherrimi clauicularius effectus. Ille glorietur Petrus ſua ſoluendi, ligandique poteſtate, maiorem illo Ioannes habet, qui cœlo nobiliori imperat, qui gratiarum theſaurum hominibus ſoluit. D. Petrus Damianus, *ſerm. 1. de S. Ioann. tom. 2. pag. 183. lit. E.* meæ ſubſcribitur ſententiæ, his verbis. *Numquid & Beata Virgo, fratres mei Cęlum non fuit, in cuius vtero virginali nouem menſibus tota Diuinitatis plenitudo permanſit? Non ergo præſumptuè Venerabilis Virgo Maria Cęlum dicitur; atque ideo Beatum Ioannem Dominus quodammodo Cęli clauicularium eſſe conſtituit, cum Beatæ Genitricis ſuæ eum decreuit eſſe cuſtodem.* Maxima hæc Ioannis dignitas eſt, Cœlorum Cœli cuſtodire pulchritudinem, & Dei Thronum tueri.

4 Huius Cęli gloriam mūdo oſtendere cupiens Deus Prophetæ ſuo Iſaiæ in ſublimi ſolio viſus eſt: in ſolio erat non claris lucēte ſmaragdis, ſed gloriæ fulgoribus exornato, quod cœleſti coopertus erat amictu, Seraphico circumdatum obſequio; chryſtallum præſeferebat aqua, coruſcabant vndique fulmina, deſuper rutilantibus relucebat ſideribus Cœlum, lux purpuræ adimplebat locum, Iris conopæum referebat: Ipſe Dominus in ſua maieſtate venerabilis, in ſua gloria decorus tantam occupabat ſedem, & eius vultus ſic rutilabat, vt omnia lumine repleret. Iſai. c. 6. v. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum; & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum.* Nec aliud hoc ſolium ita ſublime eſſe puto niſi glorioſiſſimam Dei Genitricem, ſemperque Virginē Mariam, cuius cœleſtes perfectiones viſio illa adumbrabat. Ipſa Diuinitatis eſt Solium; in ea namque Dei omnipotentia tanquam in propria moratur ſede; in ea increata Sapientia doctrinæ ſuæ radios tanquam in habitu colligit; in ea infinita Miſericordia Dei noſtri, quaſi in propria ſphęra quieſcit; quidni quieſcat in Cœlo Deus? eras eius mens Maieſtatis ſedes, corpus Deitatis domus, cor habitaculum charitatis: tota plena, & in anima, & in corpore Diuinitatis plenitudine. Accipite Seraphici Doctoris teſtimonium, *in ſpecul. Virgin. lect. 7. tom. 6. pagin. 463. column. 1. lit. C. Domus illa, in cuius ſolio Dominus ſedit, eſt Beata Virgo in cuius mentis ſolio Dominus requieuit. In ſolio ergo Mariæ, in ſolio mentis eius Dominus ſedebat, & domus corporis eius maieſtate Verbi incarnati plena erat.* Felix Iſaias, cui talis ſoli; pulchritudo, ac Cœli maieſtas eſt reuelata, ille eius gloriam enarrare perfectius poteſt, qui eā dignè valuit cōtēplari.

5 Hoc & ipſe teſtatur Dauid, qui de Deo interrogatus vbi maneret, eſſe in templo, & Cęlo ſuo, id eſt in Maria reſpondit, Pſalm. 10. *verſ. 5. Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in Cœlo ſedes eius.* Difficile eſt alibi Regem quam in ſuo ſolio reperire; licet enim Rex in aliis locis aliquando videatur, non tamen in illis Populi audit petitiones, aut gratias impartitur; ſed quando in propria collocatur ſede, & in cubiculo ſedet, ad audientiam admittuntur, qui volunt, ſuas neceſſitates exponunt, Regis miſericordiam, pietatemque implorant. Ita Dominus cū in Maria eſt, in ſui Templi, ſeu potius Cęli ſede eſt, ibi noſtras orationes exaudit, ipſaque mediatrice Virgine quam inhabitat petentibus deſiderata concedit; hoc fortaſſe explicare contendebat Iſidorus Theſſalonicenſis, dum dixit, *orat. 1. pagin. 11. Si præterea Dei Templum eſt ac ſedes, omnino neceſſarium quoque eſt, & indubitatum de illa eſſe dictum: Dominus in Templo ſancto ſuo, Dominus in Cęlo ſedes eius. Quapropter Cęlum ſi quis Virginem appellet, ille, mea ſententia nō errabit.* Currite ergo mortales, in Solio ſuo ſedet Deus, in Cęlo quieſcit Altiſſimus, in Maria inhabitat Rex Cęlorum; accedite ad eum per eam, veſtras petitiones exponite, omnia prorſus, quæ concupiſcitis obtinebitis, non poteſt ex tali Solio gratias denegare; ipſa quam continet Virgo gratiarum ſoluet Abyſſum.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

QVatuor ſunt in hoc verſu voces, quarum allegorias tradere poſſumus, videlicet, *magnificare, opera, Sapientia, & Poſſeſſio.* Quia verò de duabus primis abundè iu ſuperioribus viſum eſt; remanent tantum duæ poſtremæ.

SVMMARIVM.

1 *Quid Sapientia allegoricè importet.*
2 *De Vocum poſſidere, & poſſeſſio allegoriis.*

§. I.

Quid Sapientia allegoricè importet.

1 OMnia in Sapientia feciſti: Sapientia eſt rerum Diuinarum, ac humanarum cognitio: ſapere autem eſt ſapientem eſſe. Primò ergo Sapientia Dei Filium ſignat, tum in hoc verſu, tum etiam in Prouerbiis, *cap. 3. verſ. 14 Dominus Sapientia fundauit terram*, vbi Diuus Hieronymus, *in Prouerb. tom. 8. pagin. 77. liter. G. Deus Pater per filium creauit omnia.*

2 Sapientia ædificans ſibi domum, eſt verbum æternum in incarnatione corpus ſibi formans, de quo dicitur, Prouerb. 9. *verſ. 1. Sapientia ædificauit ſibi domum*, & idem Doctor *loc. cit. in cap. 9. pagin. 84. lit. C. Sapientia ædificauit ſibi domum, quia hominem Filius Dei, quē in vnitate ſuæ perſonæ aſſumeret, ipſe creauit.*

3 Sapien-

Digitized by Google

3 Sapientia dicitur vita contemplatiua, ſicuti actiua diſciplina vocatur, quod inſinuat Sapiens, Prouerb. *c.* 1. *v.* 2. *Ad ſciendam Sapientiam, & diſciplinam*, vbi Eminentiſſimus Hugo, *in Prouerb. pag.* 4. *colum.* 3. *Ecce actiua, & contemplatiua vita. Sapientia enim ad contemplatiuam pertinet; diſciplina ad actiuam.*

4 Sapientię theſaurus dicitur timor Domini; nam inſtructio actiuæ vitæ, quæ ſignificatio eſt diſciplinæ pendet à timore Domini, vnde Sapiens Eccli. *c* 1. *v.* 31. *In theſauris Sapientiæ ſignificatio diſciplinæ*, & relatus Hugo, *in Pſalm.* 59. *pag.* 115. *columm.* 3. *Et quis eſt theſaurus ſapientiæ? Eſai.* 33. *Timor Domini ipſe eſt theſaurus eius. In theſauro ergo Sapientiæ eſt ſignificatio diſciplinæ, quia qui amat Deum faciet bona.*

5 Sapientia dicitur Beatitudo, ideſt clara Dei viſio, in cuius ſignum dicitur, Prouerb. *cap* 2. *verſ.* 3. *Si enim Sapientiam inuocaueris*, vbi Diuus Hieronymus *loc. cit. pag* 74. *lit D. Nullum inuocare, ideſt ad nos orando vocare, niſi Deum debemus: cum ergo Sapientiam inuocandam eſſe docet, oſtendit procul dubio, non quamlibet ſapientiam, ſed ipſam Deitatis cognitionem nobis ad ſequendum proponere: in huius namque perceptione ſapientiæ, ſumma eſt perceptio beatitudinis: ipſa atteſtante, quæ Patri pro nobis ſupplicans, ait: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum, & verum Deum.*

6 Sapientia eſt fides, de qua Salomon, Prouerb. *cap.* 1. *ver.* 1. *Ad ſciendam Sapientiam*, vbi Gloſſ. ordin. *Ideſt quomodo rectè credere, & viuere oporteat quemque.*

7 Hinc Sapiens mulier, quæ ædificat domum, eſt Anima fidelis, quæ per bona opera comparat Cęlum: ſic idem Salomon, *c.* 14. *verſ.* 1. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam*, & Gloſſ. interlin. *Anima fidelis ædificat bonis operibus domum ſuam in Cęlis.*

8 Sapientia dicitur vnctio Sancti Spiritus, quæ docet mentes virorum ſpiritualium, vnde de Doctoribus dicitur Ezech *c.* 1. *verſ.* 25. *Cum fieret vox ſuper Firmamentum ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas*, quia niſi à Deo doceantur homines nulla doctrina ad myſticam Sapientiam ſufficit, vnde ait Diuus Gregorius, *Homil.* 8. *in Ezech. tom.* 2. *pag.* 1274. *lit. E. Fortaſſe enim Doctores ſunt, ſed cum cœperint tacita mente cogitare quæ ſit ineffabilis Dei Sapientia, quæ mentes hominum ſine ſtrepitu verborum docet, & quomodo hæc eadem Sapientia ſi auditorum mentes non doceat, vox docentium vacuè laborat; ſua eis doctrina protinus vileſcit.*

9 Hæc autem Sapientia in viſceribus hominum ponitur, cum ad eius præſcriptum homines viuunt, vnde ait Patiens Iob, *c.* 38. *verſ.* 36. *Quis poſuit in viſceribus hominis Sapientiam*, & idem Gregorius, *libr.* 30. *c.* 3. *moral. pag.* 982. *lit. A. Notandum quòd Sapientia diuinitus inſpirata in viſceribus hominis ponitur; quia nimirū quantum ad electorum numerum ſpectat non in ſolis vocibus; ſed etiam in ſenſibus datur, vt iuxta quod loquitur lingua, viuat conſcientia.*

10 Sapientia eſt humilitas, ſeu ſuiipſius deſpectio; vnde paruulos ideſt humiles, & deſpectos vocat Sapientia ad ſe cum ait, Prouerb. *c.* 9. *verſ.* 3. *Si quis eſt paruulus veniat ad me*, & Diuus Gregorius, *libr.* 34. *c.* 17 *moral pag.* 1102. *lit. E. Hinc Salomon ad ſapientiam paruulos vocat dicens: Si quis eſt paruulus veniat ad me. Qui enim nec dum ſemetipſum deſpicit humilem Dei Sapientiam non apprehendit*, & Lyranus, *Si quis eſt paruulus, ideſt humilis, veniat ad me; quia talis eſt diſpoſitus ad ſapientiam diuinam.*

11 Sapientia aliquando prauorum hominum aſtutia dicitur, quare dicebat Pharao de filijs Iſrael, Exod *c.* 1. *v.* 3. *Venite ſapienter opprimamus eum*, vbi Lyranus. *Iſte eſt modus ſuperbi, quod aſtutiam ſerpentinam ſuam putet Sapientiam.*

12 Sapientia Babilonis eſt ſcientia ſæcularis, de quibus dicitur Daniel, *c.* 1. *verſic.* 13 *Et egreſſa ſententia ſapientes interficiebantur*, Et Ricchardus Victorinus, *De erudit. Hom. int. c.* 7 *part.* 1. *pag* 80. *columm.* 1. *lit. D. Quid igitur per Sapientes Babilonis niſi ſcientias ſæculares intelligimus.*

§. II.

De Vocum Poſſidere, & Poſſeſſio. allegorijs.

1 IMpleta eſt terra poſſeſſione tua: Poſſeſſio eſt proprietas, & vſus alicuius rei, & ſumitur aliquando, & præſertim in hoc verſu, pro ipſa re poſſeſſa, præcipuè immobili, ſumitur autem primò Poſſeſſor pro Deo, poſſeſſio verò pro populo Iſraelitico, vt dicitur Iſai. *c.* 1. *v.* 3. *cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael non cognouit, & populus meus non intellexit*, & Diuus Hieronymus, *libr,* 1. *in Iſai. pag.* 2. *lit. B. Poteſt hic locus, & de Deo Patre intelligi: ſed magis refertur ad filium, quòd non cognouerit eum neque ſuſceperit populus Iſrael.*

2 Poſſeſſor eſt Chriſtus, & poſſeſſio eius Eccleſia, de quo Hieremias, *c.* 9. *v.* 10. *Non audierunt vocem poſſidentis*, & idem Diuus Hieronymus, *lib.* 2. *in Ierem. pag.* 250. *lit. D. Nec auditur vox Domini Eccleſiā poſſidentis, per Sanctos, & Apoſtolicos viros.*

3 Poſſeſſio Iob ſeptem millia ouium, ſignificat innocentiam ſanctorum propter quam a Domino poſſidentur, cum dicitur Iob, *c.* 1. *v.* 4. *Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium*, vbi Diuus Gregorius, *libr.* 1. *c.* 6. *mor. pag.* 320. *lit. C. Quid enim aliud in ſeptem millibus ouium, niſi perfectam quorumdam innocētiam exprimit, quæ ad perceptionem gratiæ ex legis paſcuis venit.*

4 Poſſeſſio Amicorum Dei, eſt Beatitudo æterna, nā de ea dicitur Iob, *c.* 36. *v.* 32. *In manibus abſcondit lucem, &c. Annunciat de ea amico ſuo quod poſſeſſio eius ſit*, & idem Gregorius, *libr.* 27 *c.* 8. *mor. pag.* 917. *lit. A. De hac igitur luce æterna patria amico ſuo Deus annunciat, quod poſſeſſio eius ſit.*

5 Poſſidet Deus renes eorum, qui carnis laſciuias deteſtantur, ideo dicit Propheta, Pſalm. 138. *verſ.* 12. *Quia tu poſſedisti renes meos*, vbi Diuus Hilarius, *in Pſal.* 138. *col.* 1112. *lit. B. In renibus enim voluptatis eſt cauſa: ſed cuius renes à Deo poſſidentur, non exeunt in voluptates corporis incentiuæ laſciuiæ.*

6 Poſſidet etiam Deus eorum renes, qui mundi gaudia aſpernantur, & quibus indifferens eſt delectatio, vel aduerſitas. Quare Ibidem Pſaltes ait: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius: quia tu poſſediſti renes meos*, vbi Diuus Auguſtinus, *in Pſalm.* 138. *Ipſe tenet renes meos. Non noui delectari, niſi de luce Sapientiæ ipſius. Quid ergo? Non delectaris de proſperitate rerum, de felicitate temporum, de honoribus, de diuitijs, de familia? Non delector, inquit. Quare? Quia ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Vnde tibi iſta indifferentia, vt ſicut tenebræ eius; ſic ſit tibi, & lumen eius? Vnde? Quoniam tu poſſediſti renes meos Domine.*

7 Animam poſſidere, eſt perfectè viuere, & patienter ſuſtinere; vnde ait Dominus, Luc. *c.* 21. *v.* 19. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, & Magnus Gregorius, *lib.* 5. *c.* 13. *mor. pag.* 413. *lit. D. Quid eſt enim Animas poſſidere, niſi perfectè in omnibus viuere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet Animam poſſidet: quia inde contra aduerſa omnia fortis efficitur, vnde ſibi, & ſeipſum vincendo dominatur.*

8 Aurum, quod Principes poſſident, eſt Sapientia, quam habent Rectores Eccleſiæ, de quibus Iob, *c.* 3. *v.* 15. *Cum Principibus qui poſſident aurum*, vbi citatus Gregorius, *libr.* 4. *cap.* 28 *pagin.* 397. *lit. B. Quos alios Principes, niſi Sanctæ Eccleſiæ Rectores vocat? Quid vero aurum, niſi ſapientiam appellat?* Et poſt nonnulla concludit, *lit. E. Videat poſt hos eorum loco Rectores exurgere, qui & ſapienter viuendo aurum poſſideant.*

9 Poſſeſſio, qua paſcitur Agnus, & Tauri, eſt caſtitas Eccleſiæ, qua paſcitur Chriſtus, & Apoſtoli, de qua Propheta Iſai. *c.* 30. *ver* 23. *Paſcentur in poſſeſſione tua in die*

illa

Digitized by Google

illa Agnus ſpatiosè, & Tauri tui, & Lyranus. *Paſcentur in poſſeſſione tua; Agnus, ideſt Chriſtus, de quo dicitur ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: paſcitur ſpaciosè in dilatatione caſtitatis Eccleſiæ: & Tauri tui, ideſt Apoſtoli.*

10 Terra, & Mons, quæ eſt poſſeſſio Sanctorum, Sacram ſcripturam ſignat; Hinc Propheta ex Dei nomine inquit, Iſai. *c.* 57. *v.* 13. *Qui autem fiduciam habet mei hereditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum*, vbi D. Hieronymus, *lib.* 16. *in Iſai. pag.* 188. *lit. B. Poſſumus terram, & montem Domini, quem Sancti poſſeſſuri ſunt, & ſcripturas ſanctas intelligere.*

11 Poſſidere aurum in zonis, eſt miniſterium Eccleſiaſticũ habere venale: quod prohibetur Apoſtolis, Matth. *c.* 10. *v.* 9 *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*, vbi D. Hilarius, *can.* 10. *in Matth. col.* 506. *lit. F. Zona eſt miniſterii apparatus, & ad efficaciam operis præcinctio. Ergo ne quid in miniſterio noſtro venale ſit admonemur.*

12 Turbo poſſidet noctem, cum Diabolum æterna cruciat pęna, vt dicitur Iob, *c.* 3. *v.* 6. *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat*, vbi D. Gregorius, *lib.* 4. *c.* 11. *moral. pag.* 381 *lit. E. Tenebroſus ergo turbo hanc noctem poſſidet, quia apoſtatam ſpiritum à conſpectu diſtricti Iudicis ad æterna ſupplicia paſcenda illa tempeſtas rapit.*

Verſus vigeſimusquintus.

זה הים גדול ורחב ידים שם רמש ואין מספר חיות קטנות עם גדולות׃

Verſio ex hebræo. *Hoc Mare magnum, & latum manibus, ibi Reptile ſine numero Viuentia parua cum magnis.*

Vulgata editio. *Hoc Mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic Reptilia, quorum non eſt numerus, Animalia puſilla cum magnis.*

Pagninus. *Hoc Mare magnum, & Latum ſpacijs, ibi Reptilia, quorum non eſt numerus, Beſtiæ puſillæ cum magnis.*

D. Hieronymus. *Hoc Mare magnum, & Latum manibus, ibi Reptilia innumerabilia, Animalia parua cum grandibus.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

NVlla nobis in verſionibus difficultas occurrit, cum omnium vnus ſit ſenſus, cum hebraico textus concordans: vnde totus in Philoſophica expoſitione impendendus eſt labor. De Mari nonnulla diximus cum de aquis ageremus, nec multa ſuperſunt; de Reptilibus verò eius, ideſt de piſcibus aliquantò fuſiùs agendum eſt, ſcilicet de generatione, natura, quantitate, vtilitate, &c.

SVMMVRIVM.

1 *De Mari quid ſit, ac de eius motu.*
2 *De Natura, & Generibus Piſcium.*
3 *De Piſcium generatione, & Partu.*
4 *De quibuſdam Piſcium proprietatibus.*

§. I.

De Mari quid ſit, ac de eius motu.

1 HOc *Mare magnum, &c.* Si ab ipſa Maris definitione exordiendum putamus; aliud Mare non eſt, quam Aquarum collectio; Quam definitionem à Deo ipſo traditam, nemo ſanæ mentis reſpuere poteſt; nam & in Geneſi legimus, *cap.* 1. *verſicul.* 9. *Congregationeſque aquarum appellauit Maria.* Multæ tamen ex his verbis difficultates exurgunt; cum enim antea dictum fuerat: *Congregentur aquæ in locum vnum*; nunc verò congregationes, & Maria plurali numero nominentur, quæri poteſt primò, vtrum ab initio in tot diuiſiones Aqua diſperſa ſit; ſecundò vtrum hic omnes congregationes Aquarum Maria dicantur, vel tantummodo, quæ cum Oceano continuantur. Ad primum breuiter dici poteſt, conſequenter ad ea, quæ ſuperiùs probauimus, ante diluuium vnam tantum fuiſſe congregationem Aquarum, multimodè per terram ſerpens, quæ vtique Terra, tota continens, in Inſulas minimè diſſeccabatur, vt vidimus præſertim

Expoſi-


Expoſitione in Verſum ſextum, & nonum per totam, quas expoſitiones conſule, vt quæ de Mari, & reliquarum Aquarum proprietatibus dici poſſunt, ſcias: nec te prætereat verſus 10. in quo de Fontibus, & Fluminibus diſcurſus probat Mare omnium Fluminum, & Aquarum Fontem eſſe, ac ſalſedinis cauſam adducit. Cum igitur dictum eſt: *Congregentur aquæ in locum vnum*; quid factum ſit in creatione narratur; cum verò dicitur: *Congregationes aquarum appellauit Maria*: futuram diuiſionem præuidens Deus, nomen omnibus Aquarum collectionibus poſuit.

2 Ad ſecundum dubium opinio eſt Diui Baſilii exiſtimantis per Congregationes, & Maria appellari ſolum Oceano continuata, quæ pro vario ſitu varia ſortita ſunt nomina, vt Mediterraneum, Tyrrenum, Adriaticum, Ionicum, Rubium, Helleſpontium, Ægeum, Siculum, Sardonicum, Euxinum, &c. Hæc tamen, & reliqua Maria, vnum ſunt Mare, quia cum Oceano continuata, & tamen plura maria propter multa nomina. Ita ille, *Homil.4. in Hexem. pagin.14. liter. C. & 15. liter. D. Iam lacus, & ſi copioſas aquas habere nemo inficias ibit, non tamen maria quis conſentaneè nuncupauerit, &c. At quonam modo dicit aquarum aggregationes Deum maria nuncupaſſe? Quia confluxere quidem vnum in locum aquæ. Congregationes autem aquarum, ideſt ſitus, qui ſecundum propriam figuram à terra circumdante cincti ſunt, comprehenſique, Maria Deus appellauit; vt ſunt Aquilonium mare, auſtrinum mare, orientale mare. Multa quoque nomina propria, variaque marium extant: Euxinus, Pontus, Propontis, Hellſpontum, Ægeum, Ionium, Sardonicum, ſiculum, Tyrrhenum aliud, & mille alia nomina marium ſunt.* Quid autem de Caſpio Mari dicendum ſit, cum nullam habeat cum reliquis apparentem communicationem, & præterea magnum, & ſalſum ſit dubitat ille. Verum Sanctus hic Doctor modum loquendi ſacræ ſcripturæ non aduertit, quæ omnes aquarum collectiones maria nuncupat; & vt ommittam de Mari Galileæ Matth. *cap* 4. Vas æneũ, quod fecit Salomon ad continendum aquam in templo, *Mare fuſile decem cubitorum*, appellatur, *3. Reg. cap. 7. & 2. Paralip. cap. 4.* Ex quibus conſtat rectius nomine marium omnes aquarum aggregationes, ſiue dulces, ſiue ſalſas intelligi; vt etiam Venerabilis Beda exponit, *in Hexem. tom. 4. column. 6.* inquiens. *Congregationes aquarum appellantur maria, videlicet proxima ſui parte. Nam & apud hebræos cunctas aquarum congregationes, ſiue ſalſæ, ſiue ſint dulces appellari dicunt maria.*

3 Porrò Mare mouetur ſemper, & numquam quieſcit, cum verò fit motus eius ad vnam partem, tunc tempeſtas fit, quæ *eſt fluxus maris ad vnam partem*, vt ait Seneca, *libr. 5. cap. nat. quæſt. pag. 387.* Præterea alium motum mare habet fluxus, & reflexus, qui quidem à Luna cauſatur; nam quod dicunt Geographi aquas in Polum Aquilonium impetu currere per ſex horas, & deinde magno impetu recurrere; nam in voraginem quandam merguntur, & iterum exurgunt; fides ſit apud ipſos, nobis conſtat hunc motum à Luna regulari; nam fluxus, & refluxus non fit ſingulis ſex horis adamuſſim, ſed ſequitur curſum Lunæ, cuius diurnus motus cum ſit vigintique ferè horarum, per ſex horas, & quindecim minuta fluit, & per totidem refluit; & ideo non iiſdem horis diei Solaris, ſed diuerſis incipit, & deſinit fluxus. Libet autem Subtiliſſimi mei Doctoris Scoti, *in 2. ſent. diſt. 14. quæſt. 3. in corp. §. Dico ad quæſt lit. A. B.* verbis id explicare: Ait ergo ille. *Luna cauſat motum in mari, qui vocatur fluxus, & refluxus; ſuper quamcumque enim regionem eleuatur Luna aqua maris aſcendit directè, tanquam verſus cauſam ſuam, &c.* & paulo inferius. *Sed ſequendo viam illam, quæ vtrique eſt communis, ſcilicet, quòd tumor ille ſemper eſt in directo Lunæ, ſequitur quòd ille tumor circuit totam terram in tanto tempore, quanto Luna circuit totum orbem, ſcilicet viginti quinque ferè horis: quia Luna ab ortu eius, vſque ad iteratum ortum conſumit plus temporis, quam ſit dies naturalis habens viginti quatuor horas: per ſpatium temporis, in quo oriuntur treſdecim gradus Æquinoctialis: ſed eleuatio quindecim graduum Æquinoctialis facit vnam horam: ideo ferunt quod Luna percurrit orbem in vigintiquinque horis minus duobus gradibus.* Hæc Scotus.

4 Ex his obiter aduertendum, quod aliàs diximus Stellas inerrantes aliquantulo velocius Sole moueri, Sol verò ferè per vnam horam velocius Luna, quod patet ex ſubiecta figura. Cum enim Sol ad punctum Orientis, vnde diſceſſit, diurno reuertitur motu, iam inerrantia ſydera vltra curſum integrum, per vnum ferè gradum excurrerunt: dum vero Luna ad ſuam orientalem lineam peruenit, Aſtra per quatuordecim *gradus*, Sol per treſdecim excurrerunt. Eapropter nõ mouentur pluribus motibus Planetę, ſed vno: neque ipſi percurrunt ſigna cœleſtia, ſed ſignat ranſeunt ſuper Planetas. Hoc aduertere poſſumus in ſequenti Figura.

A. Globus



A. Globus terrenus immobilis, circa quem hic notata vertuntur Sydera. B. Globus Solaris, qui circa terram ab Oriente in Occaſum vſque ad punctum ſui orientis in horis 24. m.00. s.00. voluitur. C. Luna, quæ eumdem perficit curſum in Horis. 24. m.52. s.42. ter.20. D. Linea Horizontis. E. Stellæ inerrantes eumdem curſum perficientes in Horis. 23. m.56. s.3. ter.28. F. Zodiacum ſignat. H. Circulus Meridianus. In ſpatio ergo Horarum. 24. Sol percurrit Gradus Aequatoris. 360. m.00. s.00. Stellæ inerrantes. Grad. 360. m.59. s.8. Luna. Grad. 346. m. 49. s. 25.

Quæ cum ita ſe habeant, patet ratio adducta in Expoſitione literali in Verſum quintum. §.3. de Syderum motu, ſcilicet; nullum Cęlum moueri, neque terram, ſed tantum Stellas, & has non triplici, ſed vno tantum motu, ad ſpiram tamen, ab oriente ad occaſum: quia verò inerrantes ferè eumdem ſeruant motum, errantes verò ipſis tardius; euenit vt quæ heri V. G. oriebatur cum tali parte Cęli, & cum tali ſtella inerrante, hodie ſit cum alia, & ita non datur duplex motus in Planetis, alius iuxta, alius contra ſignorum ordinem. Zodiacus verò in ipſis Stellis, ſeu cum reſpectu ad aliquam Cęli, & Terræ partem, concipiendus eſt: quæ omnia in ſuprapoſita figura optimè, & clarè demonſtrantur, ſi quod in Stellis, Sole, & Luna ibi oſtendimus, aliis additis circulis, de reliquis Planetis oſtēdemus. Enim verò ne noſtra ſententia omnino noua, & imaginaria videatur, præter authoritates ſuo loco iam relatas, viſum eſt Doctiſſimi Viri ſententiam referre, videlicet Ioannis Antonii Delphini, qui cētum ab hinc annis, ideſt 1559. floruit; qui licet Cęlos diſtinctos Planetis aſſignet, de Motibus tamen nobiſcum ſentit: docet igitur, *lib. de Cæleſtibus Globis, §. De Cęlorum motu, pagin. 42. & 43. Nec enim ſydera octaui Cęli tribus motibus: nec duobus aguntur: ſed vno tantum: neq. Planetæ duobus feruntur motibus, verum vno dumtaxat. Vnus verò ille motus cuiuſlibet Cęli eſt diurnus ab ortu inquam per meridiem ad occaſum; qui ſpatio vigintiquatuor horarum minimè perficitur: vt quanto Cælum ſit altius, & ſublimius eò redeat in occaſum citius: quanto verò ſit inferius eò redeat ſerius, pro certis definitiſque Intelligentiarum viribus immediatè mouentium: tardius ergo Luna circumuoluitur Mercurio, & Mercurius Venere, & Venus Sole, & Sol Marte, & Mars Ioue, &* Iuppiter *Saturno, & Firmamento denique Saturnus. Velociſſimè omnium Aplane, tardiſſimè Luna circumagitur* Hanc opinionem (quæ magna ex parte ex Alpetragio ſumpta eſt) laudat Scotus, & ait per ipſam optimè ſaluari motus Planetarum, in longum, & latum, ſed non eleuationis, & depreſſionis, inquit enim Scotus, *in 2 ſent. quæ. 2. §. De ſecund. diſt. 14. Iſta traditio ſatis videtur conſonare cum principiis naturalibus ſi poſſent per eam ſaluari omnia apparentia ſecundum longitudinem, & latitudinē: forte .n. per eā poſsēt ſaluari ſtationes, & retrogradationes,*

tiones,& proceſſiones Planetarum: ſed tertiam differentiam,videlicet eleuationis,& depreſſionis, impoſſibile eſt ſaluare ponendo omnes Cœlos eſſe concentricos. Huic Subtilis Doctoris ſubtiliſſimæ obiectioni, vt occurreret Delphinus pro Alpetragio, negat hanc Planetarum depreſſionem, & eleuationem, *loc.cit pag.46.* his verbis *Verum enim verò Scotus immeritò diſſentit, recedítque ab Alpetragij homocentricis, ob futilem cauſam,& leuiſſimam rationem: nulla enim ſtella nunc eſt declinior, nūc ſublimior.* Verùm immeritò ipſe Delphinus carpit Scotum, imò totam Aſtronomicam obſeruationem, cum experientia, minimè reiicienda, compertum ſit, Venerē, Mercurium, & Martem, modo ſupra Solem, modo infra moueri. Si ergo tollantur tot Cœli (vt nos facimus) etiam, hic tertius motus ſaluatur: & videtur Scotus ab eo non diſceſſurus fuiſſe, ſi propoſitum eſſet. Cauſam verò cur motus ſtellarum, non poſſint exactè ab Aſtrophilis reperiri, & regulari, eamdem hic Author *loc. cit.* aſſignat, quam & nos dedimus, ſcilicet libertatem Mouentium, *Vnde*, inquit, *Aſtronomorum tanta oriri potuit diſſenſio circa motuum, ac temporum menſuras; vt eorum nullus adhuc præciſam anni Solaris menſuram, & Lunationis potuerit aſſignare?* Et reſpondet *Quia Cœlos conuertunt Angeli, quantum, & quando, & quomodo volunt pro diuina prouidentia.* Sic ergo noſtra de ſyderum motu ſententia ſuperius in verſum 5 §.3.&in ver.19.§.2.tradita, & probata, ex modo dictis confirmatur euidentiſſimè.

§. II.

De Natura, & Generibus Piſcium.

1 *ILlic Reptilia, quorum non eſt numerus.* Iam de Cœlo iterum ad Mare deſcendimus; vt tanti Elementi Incolas illuſtremus Ea, quæ in aquis viuunt Reptilia appellantur, (vt à nomine exordiamur) quia natando reptant; quocumque enim pergant, & moueantur, ſiue per ſummam aquam, ſiue per Oceani profundum, ſemper reptando excurrunt: rectè ergo Reptilium nomen ipſis conuenit, quod Pſaltes hic eis tribuit, vnde ait D.Iſidorus Hiſpalenſ. *lib.12.c.6.origin.pag.167.col.2.lit.C. Reptilia ideo dicuntur ea, quæ natant, eo quod reptandi habeāt ſpeciem, & naturam; quamuis ſe in profundum immergant, tamen in natando reptant, vnde & ait Dauid: Hoc Mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic Reptilia, quorum non eſt numerus.* D.Iſidoro aſſentitur D.Baſilius, qui vlterius, quod licet aliqua viuentia reperiantur in aquis quæ pedes habent, nihilominus etiam ipſa quandoque reptant; & ideo amphibiæ naturæ ſunt, vt Phocæ, Crocodili, &c, *Natatile quodcumque tandem illud eſt ſiue id ſummam aquæ ſuperficiem radat natando, ſiue innatans imam aquam ſecet in Reptilis naturæ cenſum tranſit, quando per aqua corpus ſe trahit: & ſi qua aquatilium pedum fulchris nituntur, & incedunt: horum pleraque ſunt amphibia maximè, ceu ſunt Phocæ, Crocodrili, Hippopotami, Ranæ, & Cancri: In his prærogatiua nominis gaudet, quod ſuapte natura natatile eſt.* D.Baſilius Magnus, *Hom.7.in Hexem.pag.24.lit.C.* Sub hoc autem nomine infinita propemodum Animantia continentur; neque quiſquam omnium piſcium ſpecies, nedum numerum indagare poteſt; vnde ait D.Hieronymus, *in Pſalm.*103. in Mari mirè eluceſcere diuinam Sapientiam, in tanta piſcium multitudine, & varietate, vbi tam magni, quam parui ita viuunt in aquis, & homines viuere ibi nō poſſunt, nec terreſtria animalia. *Nonne eſt hoc mira ſapientia quomodo in Mari ſunt Reptilia, quorum non eſt numerus? & piſces tam maiores, quam minores: quomodo ſint in profundo, & inde reſumant vitam, vbi ſi homo ceciderit moritur, & ipſi ſi venerint ad terram moriuntur?* De hac etiam numeroſitate piſcium ait D.Ambroſius, *in Hex. lib.5.c.2.tom.1.pag.30.lit.D. Aduerte, ò Homo, quanto plura in Mari, quam in terris ſint. Numera ſi potes omnium piſcium genera, vel minutorum, vel etiam maximorum* Peroptimè ergo dictum eſt Aquatilium numerum non reperiri, nam ab hominibus eorum ſpecies omnes nequeunt comprehendi.

2 Piſcium vniuerſale genus in duo diuiditur genera, videlicet in ouiparum, & viuiparum: viuiparæ eæ ſunt piſcium ſpecies, quæ catulos edunt, vt animalia terreſtria; & hæ ſunt caniculi, & omnes muſtelini, & chartilaginei generis; vt Phocæ, Delphini, Vituli marini, &c. de quibus D.Baſilius, *loc.cit. Procreant autem animal ea, quæ muſtelini ſunt generis, & caniculi; & ea omnia quæ chartilaginea nuncupantur, generiſque cetarij plurima ſunt viuipara, vt Delphini, Vituli marini, &c.* Ouiparæ verò reliquæ ſpecies omnes ſunt. Diuiduntur autem, & hæc genera in plures ſpecies, quas enumerantem, ac diuidentem Baſilium referre placet. *Atque aliud genus eſt eorum, quæ Oſtracoderma vocantur; qualia ſunt Conchæ, Pectines, Limaces Marini, Strombi, & oſtrearum diſcrimina numeroſa. Aliud eorum, quæ mala coſtrata vocantur, vt Locuſtæ, Canchri, cæteraque id genus finitima. Aliud præter hæc genus eorum eſt, quæ mollia nuncupantur, quorum caro mollis eſt, atque tenera eſt, vt Polypi, Sepiæ, cæteraque ſimilis generis. Prætereo Dracones, murenas, atq. anguillas, quæ limoſis in fluminibus, ſtagniſque naſcuntur.* Has omnes ſpecies refert Doctor hic Sanctus, quæ quidem non ad proprium Piſcium genus, ſed ad Reptilium reiiciēdæ ſunt, ſiquidem piſcis nomine intelliguntur ea natatilia, quæ ſquamas, & pinnulas habent, ouantque omnia: Neque horum inferiores, aut pauciores ſunt ſpecies, nam tot ſpecies piſcium numerantur in Mari, quot, & Tellus beſtias habet, iiſdem nominib. propter quamdam ſimilitudine inſignitæ.

3 Harum ſpecierum aliquas recenſet D.Ambroſius, *loc.cit.lit.D.E.F.* à quo meliùs quam à me deſcriptas accipietis, & ideo eius verba proferam. *Nec prætermittam Scorpios, Ranas, Teſtudines, Muſtellas quoque, & Canes, Vitulos, Cete immania, Delphinas, Phocas, Leones. Quid attexam etiam Merulas, Turdos, Pauos quoque, quorum etiam colores in auibus videmus expreſſos, &c. Quid loquar Coruorum, quid etiam Luporum teneritudines. Neſcit hos Lupos agnus timere. Quid etiam purpuras memorem, quæ ornant Regum conuiuia, amictus imbunt? Adde Porcos etiam Iudæis gratos* His addere poſſumus notiſſimas Piſcium ſpecies, ac ad cibum gratas, ſcilicet: Cephalos, Oxirinchos, Thymnos, Soleas, Salmones, Coriphos, ſeu Merulas, Salpas, Aſellos, Auratas, Plateas, ſeu Pelicanos, Lampretas, Stiluros, Sardas, Anguillas, Murænas, Capitones, Barbos, Mullos, Squalos, Turtures, ſeu Truttas, & alias innumeras ſpecies, quas breuitati ſtudentes ommittimus.

§. III.

De Piſcium Generatione, & Partu.

1 PIſcium partus duplex eſt, nam vt ſupra retulimus, quidam ſunt viuipari, quidam ouipari: ideo de modo generationis eorum diuerſimodè ſentiendum. De his, qui viuipari ſunt (quos recenſet D.Euſtathius, *in Hexem.pag.18. Quædam Animalia pariunt, veluti Vituli marini, Delphini, Torpedines.* Quibus addi debent Phocæ, Crocodrili, (Hippopotami) ſentiendum eſt etiā coire cum eorum fœminis, id tamen expreſsè apud Authores, quos legi, non reperi, niſi de ſolo Crocodrilo, qui cum fœmina coiturus eam ſuper arenam ſupinam ſternit: Et hoc ideo, quia in dorſo maximas habet ſquamas, duras, ac firmas: fœminamque in coitu brāchis complectitur. Quod ita citatus Author deſcribit, *pag.22. Crocodrilus Bellua eſt hominum vorax, tempore coitus emergēs è flumine feminam prope ripas aduerſam proijcit, hic nā*

que

Digitized by Google

que ſolus ſupinus complexu venereo iungitur: deinceps manibus eam ſuſtentatam rurſus conuertit. Aliquod huic ſimile de Piſcibus, ſeu marinis belluis viuiparis concipiendum eſt; nam de Murœna compertum eſt cum terreno ſerpente coire, & tempore coitus venenoſam eſſe. Cetus Crocodilo in coitu ſimilis eſt, vt ſuo loco videbimus.

2 De aliis verò ouiparis piſcibus duos modos generationis ponit B. Albertus, nam quidam confricant ſe ventribus, & in ea confricatione exeunt oua fęminæ, & lac maris ſuper ea funditur. Alii verò non ita, ſed præcedit fœmina oua emittens, & ſequitur mas ſuper ea lac effundens; & hæc eſt cauſa quod Piſces, qui ferè innumera pariunt oua non tamen creſcunt ad menſuram, nam maior ouorum pars lacte maſculi non aſperſa pereunt; adde quod cum à matre in petris derelinquantur (nam Piſces oua minimè fouent vt terreſtria ouipara) ab aliis piſcibus deuorantur: ſed audiamus ipſum Albertum dicentem, *de Animalib. lib. 24. Tract. vnic. pag. 645 col. 1. to. 6. Dum ouant confricant ſe ventribus; aut fæmina precedit ſpargens oua, & mas ſequitur fundens lac ſuper ea: propter quod & plurima pereunt, que vel in contactu confricationis non exeunt, aut deſcendunt, ita quod lac maſculi nō tangit ea. Et hac eſt cauſa, quod non eſt piſcium exuberās multitudo: cum tamen oua piſcium omnem videantur excedere multitudinem.* Obſeruat præterea idem Doctor quod omnes piſces marini libentius ouant in introitu fluminum, vbi dulces ſunt aquæ, tum quia dulcedine aquæ delectantur, tum etiam propter paſtus vbertatem, & ideo ſubdit. *Omnes tamen marini hoc habent, quod in introitu aquarum dulcium libentius ouant, propter paſtum affluentem, & aque dulcedinem.* Nec non & propter lapides, qui in fluminibus reperiuntur, in quibus ſe confricare commodius poſſunt, & in illis derelicta oua melius ſeruari: Neque enim piſces, volatilium inſtar, aut nidos conſtruunt, aut oua fouent: ſed cum ea ſparſerint derelinquunt, quæ lacte maſculi aſperſa, ipſa aqua fouente breuiſſimo tempore naſcuntur, id docet D. Ambroſius, *loc. cit. lit. H. Et qui oua generant, non nidos texunt, vt aues, non diuturni fotus laborem induunt non cum moleſtia ſui nutriunt. Cecidit ouum, quod aqua gremio quodam nature ſue, quaſi nutrix blanda ſuſcepit, & Animal celeri fotu reddidit. Continuo enim tactu parentis animatum ouum cecidit, & piſcis exiuit.*

3 Sed illud in primis in piſcibus magnæ eſt æſtimationis, quòd caſtitas coniugalis in eis pręualet, neque cū alterius ſpeciei piſcibus copulantur, & quæ ſingularem coniugem nouerunt, numquam eum alieno concubitu maculant: vnde ex D Baſilio excerptam doctrinam hanc D. Ambroſius tradit, *loc. cit. Tum deinde quam pura, & inuiolata ſucceſſio? Nullus alteri, ſed generi ſuo miſcetur: Thimallus Thimallo, Lupus Lupo. Scorpena quoque caſtitatem immaculati connubij generi ſuo ſeruat. Itaque habet pudicitiam generis ſui, ſed venenum generis ſui nō habet; non enim percutit Scorpena, ſed reficit. Neſciunt igitur alienigena piſces, aut adulterina connubia.* Verum vt omnis communis regula aliquam patitur exceptionem, ita & ex omni piſcium genere caſtitatem colentiū vnum excipere Crocodilum debemus; eius namque ſpeciei fœmina cum aliis congreditur: ſed cum id ex odore mas deprehendit, coire velle ſe ſimulans, cum ſupinam habet aluum vnguibus diſcerpens enecat, nam duriſſimū dorſum offendere nequaquam poſſet: Odore autem in quo ſenſu maximè pollet, id cognoſcit, vt de Leonibus etiam fertur: Scribit hoc D. Euſtathius ſupra relatus, *Crocodilus ſi cum alia eam cōcubuiſſe compererit, auidum ſe eſſe Veneris ſimulans, dum prius aduerſam odore deprehendit (eſt enim circa hoc acerrimi ſenſus) inceſto flagitio, & ſtupro pollutam: hanc vnguibus aluo diſiecta viſcera illius deuorat. In ventre enim mollis eſt tenuiſque cutis Crocodilo: dorſum eius maxima ſquamarum firmitate armatum eſt, ita vt et acutiſſimum ferrū adactum hebeſcens cute iniecta repercutiat.* Sic ergo Piſcium omnium generationem, ac partum declarauimus.

Ian. de Mata.

§. IV.

De quibuſdam Piſcium proprietatibus.

1 ILlud in primis omnibus fere aquatilibus commune eſt, vt extra aquam viuere nequeant, vnde ait D. Ambroſius, *loc. cit. c. 4. pag 31. lit. C. Viuere piſces ſine aqua non queunt, nec à ſui parentis conſortio ſeparari, neq. à ſua altricis diſcerni munere, et fit hoc natura quadam, vt ſeparati moriantur illicò.* Itidem commune omnibus piſcibus eſt apertis oculis ſomnum capere, neque enim palpebras habent: oculi tamen duros habent, vt minimè ab aquis lædi poſſint, mouent inſuper in dormienda caudam, & parum dormiunt; cum enim frigidiſſimæ ſint naturæ non multum vaporum habent, nam hi ad caput aſcendentes ſomnum conciliant: quod docet Magnus Albertus, *loc. cit. Ferè omnibus piſcibus conuenit modicū dormire apertis oculis, eo quod palpebras non habeant, ſed duros oculos, et in ſomno nonniſi parumper caudam mouere: et hoc contingit propter frigiditatem loci digeſtionis eorum, qui parum vaporat ad caput.* Sed enim, & illud mirabile eſt, quod Piſces, vt tutè, & commodè dormire poſſint, dorſum ſub aliquo ſaxo ponunt, & aquæ eos impellunt ſurſum, & ſaxum continent, ne aſcendant, & ita ſecurè quieſcunt.

2 Pabulum Piſces ex ipſa ſumunt aqua, in qua degūt, nec multo indigent cibo, nam ipſa eos nutrit aqua; ſunt tamē varii in victus ratione, nam quidam ipſo limo, vel alga veſcuntur; & ideo in puteis incluſi aquam purificāt nam enaſcentes immunditias deuorant, & ſic aquam purgant. Alii verò tenellas herbas comedunt. Maior nihilominus pars ſe inuicem deuorat, maior enim, & potentior inualidiorem venatur, & eo veſcitur, neque rarò euenit, vt dum Piſcis aliquis infirmiorem ceperit, ipſe viciſſim à potentiore captus, & ſe, & ſuam prædam Victori in eſcam præbeat; ita ex Philoſopho Diuus Baſilius Magnus, *loc. cit. Pabulum autem aliis aliud piſcibus per genera definitum eſt. Qidam enim limo, quidam alga veſcuntur; Alios alia in humore naſcentes herba delectant: maior pars piſcium liguriunt alter alterum, atque deuorant, & minor apud illos eſca maioris eſt; & ſi vmquam euenerit, vt ſi is, qui minorem ſuperauerat alterius preda fiat, ambo tunc ſimul deglutiūtur, & vnū vltimi piſcis immerſi ventrem ingrediuntur.* Sed Cancrorum piſcationem ſolertem deſcribere libet. Is Oſtrearum alitur carnibus; quarum tamen piſcatio nimis ei difficilis eſt, Oſtreæ enim intra duros cortices teneritudinem ſuam includunt, & ſepiūt, vt omnis occludatur inimico aquatili ingreſſus; at ille ſolerter obſeruat cum Oſtrea tranquillo mari in ſumma aqua Solaribus radiis ſe exponit, ac teſteas illas valuulas Solem exceptura reſerat; tùm Cancer clam abſconditus lapillum latētem in eam proiicit, tunc illam ſe contrahere minimè valentem deuorat; ita D: Euſtatius, *loc. cit. pag. 20. Cancri Oſtrearum aluntur carnibus, qui cum earum teſtas firmè contractas aperire non valeant, in earum plicas in locis, placidis, & Solis radijs patentes, calculum arreptum clam imponunt, eaſque fruſtra ſe contrahere tentantes, comedunt.* Perſimilis huic eſt Hydris aſtutia, qui vt Crocodilum magnum piſcem ipſe paruus apertè inuadere nequeat, clā, in dormientis os ingrediens, ventrem eius, & inteſtina deuorans enecat; ita idem Doctor, *Hydris in fluminibus viuit canina capite Crocodilo infenſa, quem & ſomno ſopitum interimit. Crocodilus .n. dormit hianti ore, & Hydrus luto; cęnoq; obuoluta in os inſilit, & interiorib. omnib. exeſis occidit.* Obſeruat tādē D. Albertus, quod piſcis marinus licet ſit in aqua ſalſa, dulci tamen veſcitur, ex ſalſa cui permiſta eſt, extracta; vnde etiā ſi ſalſa piſcis in aqua coquatur nū quā ei⁹ caro ſalſa erit: ita ille, *loc. cit. pag. 648. col. 1. Et hoc eſt mirabile, quod Piſcis marinus nutritur*

Digitized by Google

aqua dulci, quam ſugit ex ſalſa; & ſi coquatur in ſalſo non inuenietur ſalſus, quia caro eius nata eſt attrahere dulcem aquam.

3 Claudar hoc §. Diui Euſtathii ſermo quaſdam piſciũ proprietates enarrans, cuius verbis nihil immutare, vel addere viſum eſt. Ergo ille, *loc. cit. pag. 20. Echini ſæuitiã maris preſagiunt, lapilloſq; ſubeunt affixi, ne aquarum volutatione mobiles hinc inde trahantur. Polypus ad ſimilitudinem loci, quem attingit colorem mutat, adnatanteſq. piſciculos ad petram venatur. Eſt paruus admodum piſcis Echeneis appellatus ingentes naues plenas ventis adhærens moratur, ſtã vt immobiles ſtare videantur. pagin. 19. Serra piſcis alas habet oblongas, ſi nauem ſecundis ventis curſum tenentem ſuum viderit, alis in altum extenſis, nauis varios ingrediendo motus, atque figuras incitatur, & cum ipſis nauigantibus de curſu certat, qui vbi quadraginta ſtadiorum ſpatium expleuerit, labore fatigatus alis dimiſſis, ſumma aqua natans in proprium locum, retroactus, appellit.* Verum ex eodem, *pag. 22.* vulpinam malitiam in piſcem ex bellua mutuatam audiamus. *Vulpes marinæ,* inquit, *vbi Piſcatoris inſidias declinare non valent, hamo deuorato, exilientes, & excurrentes funem prærodunt, & abeunt.* Sed neque marinum Herinaceũ præterire fas eſt, de cuius natura, ac tempeſtatum præcognitione, hæc D. Baſilius, *Hom. 7. in Hex. pag. 26. lit. B. Audiui quemdam eorum, qui in maritimis regionibus verſãtur, æquoreum Herinaceum commemorantem, exiguam illam paruipendendamque beſtiolam tranquillitatis indicem, doctoremque ſæpè numero, tempeſtatiſque nauigantibus fieri. Qui cum ventorum perturbationem præſenſerit, calculum haud exiguum ſubit, ſub ipſo tanquam anchora ſeipſum ſtabiliẽs. Detinetur enim illius pondere, ne facilè fluctibus trahatur, ac agitetur.* Hæc pro noſtræ breuitatis inſtituto de Piſcium natura cenſuiſſe ſat erit; ipſos conſulat citatos à nobis Doctores, qui de illis luculentiorem doctrinam haurire deſiderat.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

MAre nobis iam ſpatioſum patet, non minus reptilibus, quam myſterijs pleniſſimum; ſua ipſa fluxibili, ac variabili natura mundanos redarguens, qui in huius vitæ ſolatijs beatitudinem ſuam collocant. Quid enim Mare eſt, ſi præſens deſignet ſæculum, niſi pœnarum Congeries, latus perditionis Iter, infructuoſæ doctrinæ Pelagus inſatiabilis auaritiæ Vorago, inter volubiles delicias inquietiſſima ſtatio, carnalis concupiſcentiæ abyſſus, Hominum vorax hiatus, ſuperbos ſcopulis atterens vertigo, ſordium peccatorum cloaca? Neque aliud commodi habet, niſi quod & humilibus ſe calcabile *præbet*, & noſtræ infirmitatis nos admonet.

SVMMVRIVM.

1 *Omnes pęnæ nobis debitæ in Chriſto congregatæ sũt.*
2 *Mundani ambulant vias latas ducentes ad mortem.*
3 *Doctrina Gentium infructuoſa, & noxia.*
4 *Auarus animus numquam diuitiis ſaturatur.*
5 *Rerum mundanarum ſtatus labilis eſt.*
6 *Peccator in hoc mundo numquam quieſcere poteſt.*
7 *Concupiſcentia carnis, velut mare, exagitat mentem, & perdit.*
8 *Iniqui, & peccatores non numerantur inter homines.*
9 *Humiles, & ſpirituales in Prælatos eligi debent.*

§. I.

Omnes pęnæ nobis debitæ in Chriſto congregatæ ſunt.

1 HOc *Mare magnum, &c.* Mare aliud non eſt niſi aquarum multarum congregatio, quæ ſimul in vnam coeuntes concauitatem mare conſtituunt; vt proinde apud hebræos quælibet licet parua aquarum adunatio mare eſt. Porrò aquarum nomine ſignatam tribulationem alibi obſeruauimus; vnde quæuis tribulatio, & pęnę inductiua paſſio aqua eſt; ſed enim iſtæ pœnarum, ac tribulationum vndæ cum multę in vnum hominem inuadunt, ac ſuarum afflictionum vndis exagitant, tunc in eo mare, & tempeſtuoſum efformatur. Omnium tamen quorumcumque tribulatorũ hominum pœnę, quantumlibet magnæ, ac multę, nonniſi paruæ ſunt congregationes aquarum, & mare paruulum, ſeu potius lacum conſtituunt. In Chriſto Domino autem diuini amoris incendium diuinæ vindictę in peccatores gelu ſoluens tot, tantaſque pœnarum nobis debitarum, ac maximarum tribulationum vndas adunauit, vt Oceanum, Mare magnum, & latum conſtituerit. Mare vtique proficuum nobis, nam in eo ſordes animarum abluuntur, ſed non ſine amantis Ieſu acutiſſimis doloribus, intenſiſſimis cruciatibus, terribilibuſque pęnis collectum, ita vt de eo cum veritate prædicari poſſit. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus.* Oceanus iſte eſt, in immenſum ferè tribulationum vndis dilatatus. Fatetur hoc. D. Bonauent. *in ſtim. Amor. c. 7. to. 7. pag. 214. col. 1. lit. D. E. In Chriſto exiſtente in Cruce congregatæ ſunt aquæ, quæ ſub Cęlo ſunt; quia Deus poſuit in eo omnes iniquitates noſtras, ideſt pęnas pro noſtris iniquitatibus debitas. Qui enim pro peccatis noſtris digni eramus inundatione omnis pœnæ, liberati ſumus merito paſſionis eius. Vnde verè ipſe fuit mare magnum, & ſpatioſum nimis.*

2 Cum nauis aliqua prope littora fertur tempeſtates haud multum timet, illico enim ſe ad portum colligere poteſt, & ſi Nauta à tempeſtate proiiciatur in aquas, *is* natando paruum emenſus iter poſt aliquantulum laboris ad littus perueniens, liberatur. At cum Nauis in medio Oceano, vel alio magno mari, à terra valde remoto, à tempeſtate quatitur, nulla ſpes ſupereſt ſalutis; etenim ad tantam diſtantiam enatandi vires non ſuppetunt. Nos in huius vitæ mari conſtituti prope littus ſumus, & ſi peccatorum, aut tribulationum fluctibus iactamur, tabulas habemus, quæ à naufragio nos ſaluant, Sacramenta ſcilicet, quæ vel primam gratiam dant es à peccato liberant, vel ſecundam, in pænis roborant. Hoc tamen ſolatium Chriſtus non habuit, qui ſibi ſolus in paſſione ſine humano, aut diuino derelictus auxilio, vt cruciatus atrocior eſſet, pœnarum ſuſtinuit haud numerabilem multitudinem. Qua propter quærebatur, dicens: Pſ. 68. *verſ. 3. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas*

Digitized by Google

demerſit me. Tanta enim fuit eius in Cruce pœna, & tot tormentorum cruciatus eſt paſſus, vt tandem demerſus ſit, ideſt crudeliter enecatus, quæ verba Eminentiſſimus Bellarminus expendens, *in Pſal.* 68. *pag.* 481. ait. *Veni in altitudinem maris; ideſt, non in paruum gurgitem demerſus ſum, ſed in mare magnum, & profundiſſimum, vt aquarum immenſa multitudo ſuper me ſit: & tempeſtas demerſit me: Ideſt, quia tempeſtas vehementiſſima ventorum, & flatuum demerſit me. In hac ſimilitudine per multitudinem aquarum vſque ad animam penetrantium intelliguntur pœnæ multæ, quas Chriſtus pertulit, quæ vſque ad Crucem ſæuierunt: non enim ſimplici morte defunctus eſt, ſed innumeras pœnas, doloreſq. ſuſtinuit.* Verè tempeſtatib. iact⁹ qui torměta innumerabilia paſſus ꝓnobis eſt.

3 Nullum Redemptoris noſtri ſymbolum expreſſiùs extitit Iona, cuius peregrinatio, & naufragium prædicationem, & paſſionem Domini figurauit. Is ergo à facie Domini fugiens nauim conſcendit; ſed maxima tempeſtate exorta, ita terribiles vndarum montes nauim vrgebant, ita immenſæ voragines aperiebantur, ita validus furebat ventus, vt nulla ſpes euadendi naufragium nauigantibus ſupereſſet; cauſa tandem tantæ tempeſtatis cognita, ipſo propalante Propheta, in mare proiectus eſt; & Domini prouidentia à Ceti exceptus ventre, incolumiſque ſeruatus, littori die tertia redditus eſt. Hæc autem omnia Ionas paſſus eſt, nō tam propter ſuam, quam propter Niniuitarum culpam, quibus ad prædicandum acceſſit. Chriſtus ergo in quibuſdam Ionæ ſimilis extitit; nam ipſe à Patre Deo per incarnationem diſcedens, & propter peccata aliena paſſus, dum pœnitentiam prædicabat in mare demerſus eſt: Mare enim paſſio ipſius eſt, in qua omnes pœnarum ſpecies, imò & genera, congregata fuere; & tandem deuoratus a Ceto, hoc eſt à morte, die tertia rediuiuus, ac incolumis reſurrexit. Eapropter Iudæis inſtanter ab eo ſignum petentibus, aliud quam Ionæ ſignum ſe haud daturum ſpopondit dicens, Matth. c. 16. v. 4. *Generatio mala, & Adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Aliud ſignum non promiſit, quia ſignificantius aliud non poterat reperiri, quod expreſſiùs ſignificaret mare ſuæ paſſionis tot, tantarumq. pęnarum tempeſtatibus turbatum, & pro alienis peccatis voluntarium ſuſceptum naufragium. Hanc huius reſponſionis rationem reddit D. Hilarius, *can.* 16. *in Matth. col.* 544. lit F. *Ionas ventis deſæuientibus proiectus de naui eſt, & deuoratus à Ceto, & poſt triduum viuus emiſſus, &c. Hoc ergo poteſtatis ſuæ ſignū conſtitutum eſſe demonſtrat ipſe remiſſionem peccatorum per pœnitentiam prædicans, de Hieruſalem, vel de Synagoga, immundorum ſpirituum dominante flatu eijciēdus, & Pilati poteſtati, ideſt ſæculari iudicio tradendus, & à morte, tanquam elementi eiuſdem monſtro, gluttiendus; & poſt triduum contra conditionem hominis, quem aſſumpſerat, non retentus, viuus, atque incorruptus emergens.* Viuat optimus, ac inuictus Ieſus, qui tantum naufragium pro nobis ſuſtinens, ſua morte vitam, & ſua tempeſtate mundo ſecuritatem tranquillitatis adduxit.

4 Dulcis equidem, ac iucunda nauigatio eſſet, ſi tempeſtatibus, & periculis obnoxia non eſſet: per eam namque noſtri maris accolæ magnum emenſi Oceanum, aurum, gemmaſq. prætioſiſſimas ex remotis regionibus ad nos deferunt: Sed .n. non ſine immenſis laborib. periculiſq. perficitur nauigatio, terrarum terret diſtantia, tēpeſtuoſæ aquarum vndæ minantur mortem, Pyratæ inſidiantes furtum promittunt; itavt ſemper ſit in diſcrimine vita & incertus mercium quæſtus celebratur tamen Nauis Victoria, quæ Duce Ferdinando Magellano ab Hiſpaniarum Rege miſſo, totum orbem nauigando, omnibus ſuperatis periculis in Hiſpaniam feliciter appulit Omnes homines naues ſunt per tribulationum mare ad mercē æternæ gloriæ nauigētes; enim verò Nauis Victoria Chriſtus fuit, qui immenſo paſſionis oceano tranſacto, & omnium pęnarum genera expertus, nobis gratiarum ditiſſimam attulit mercem. Vt autem ſignificaret ſe non ſine labore gloriam comparaſſe, ſponſam ſuam, ſiue

Ian. de Mata.

militantem, ſiue triumphantem mauis, Roſæ (ſeu Lilio, vt vulgata legit) cōparat, dicens, Cant. *c.* 2. *v.* 2. *Sicut Liliū inter ſpinas, ſic amica mea inter filias:* qui .n. legere Roſam ſpinis ſeptam cōtendit, non ſine ſpinarū pūcturis id perficere poteſt: ita & Chriſtus Eccleſiam ſuā de peccatorū ſpinis ſeligens, ſpinarū crudeliſſimos aculeos perpeſſus eſt: Hugone teſtante, *in Cant* . *to.* 3. *pag.* 113. *col.* 2. *Qui liliū inter ſpinas colligere vult, aculeos ſpinarū neceſſario patitur; quod liquidum eſt in ipſo ſponſo; nam iſtud lilium de medio reproborū colligens aculeos ſpinarum paſſus eſt.* Ipſi gratiarum ſempiterna actio, qui pro nobis mare enauigans paſſionis, aurum beatitudinis attulit.

§. II.

Mundani ambulant vias latas ducentes ad mortem.

1 HOc *Mare magnum, & ſpatioſum manibus.* Mare hoc habet peculiare, quod latū, & ſpatioſum eſt & vndequaq. patet planities, non deijciunt valles, non attollunt mōtes, ſed ſine ſpinarum ſentib. aut ſaxorum offendiculis ſe nauigandum præbet. Eſtq; præterea Mare omnium ſordium terrenarum congregatio, omnes .n. immunditię in mare proijciuntur. His ergo de cauſis mundum ſignat; nā mundana conuerſatio immunda eſt, & mundanis homninib. latè patet; etenim hi ſine perfectionis mōtib. ſine humilitatis vallib. ſine pęnitentiæ ſpinis, aut tribulationum offendiculis viuunt hilariter, omnem ſenſuum concupiſcentiam pro voto immundè exſaturātes: minimè tamen pendentes hęc itinera tam ſpatioſa ad terribile naufragium, ad æternę mortis voraginem ducere. Mundanis ergo mundus, *Mare magnum, & ſpatioſum* eſt: ſed mortis æternæ vehiculum: audiamus Magnū Albertum, *in Pſ.* 103. *Hoc Mare Mundus eſt, quia mare omnes ſordes recipit, & immundum eſt, & ſpumoſum: ſic & mundus, & propter hoc illum, qui eſt fons omnis munditiæ, à ſe expellit, Iob, 28. Mare loquitur non eſt mecū. Hoc eſt magnum, & ſpatioſum, homines .n. mundani, ambulāt vias latas, & ſpatioſas, quæ ducunt ad mortem.*

2 Et vtiq. non ita expeditum per terras iter eſt, ſicuti in Mari, nam vel montium cacumina, vel ſyluarum dēnſitates ita vias cælāt, vt eas reperire niſi expertus nō poteſt, quod aliis periculis, ac difficultatib. additum, terreſtre perturbant iter. Licet autem maiora lateant pericula, non videntur tamen, ſpatioſum patet; latum videtur, itinera ſunt aperta: verum qui ei credens patenti planitiei, vltro incautus in eam ingreditur, poſt aliquales delicias, littus amittens, & reditum ignorans, vt pereat neceſſe eſt. Mari ſimilis perditionis via eſt, lata, laboris expers, tribulationis inſcia, laborib. vacua: ſed qui eā deceptus ingreditur, nec diuini auxilii præſidium habet, in abyſſum ruit, & cum iam deſperatur remediū veritatem agnoſcit, flere iā defunctus, ſed non ad pœnitentiam poterit. Id ſignificauit Dominus noſter apud Mattheum, *c.* 7. *v.* 13. dicens. *Quam lata Porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt, qui intrant per eam.* Et quare tam multi ingrediuntur perditionis viam? Quia decepti eius latitudine, & deliciis, putant ſe per eam ad æterna gaudia peruenire poſſe; ſed per eam incōſideratè excurrentes in mortis foueam cadunt, in profundū malorum merſi. Ita ſentit D. Fulgent. Ruſp. Epiſ. *lib* 2. *c.* 4. *de Rem. pecc. pag.* 661. *col.* 2. *Cæterum fruſtra ſeipſum ſeducit quiſquis per latam, & ſpatioſam viam ſe perueturum arbitratur ad vitam, &c. Via noſtra præſens vita eſt, in qua ſi quis poſitus verbo Dei non conſenſerit, non accipiet remiſſionem peccatorum, ſed in fletu, et ſtridore dentium lugebit ſine fine ſupplicium* Eat nunc infelix Peccator, ſpatioſæ maris mundi ſe viæ committat, vt pereat, quod ſi interitū declinare deſiderat arctā Crucis Chriſti ingrediatur viam, hæc (vt infra videbimus) ducit ad vitam.

3 Adnatat quandoq. per fluctus Piſcis, ac in maternis aquis deliciatur: dumque per amplos maris ſpatiatur campos, caſu prope Polypum tranſit, neque ani-

Digitized by Google

maduertit, nam ille ſcopuli colorem indutus incautum decipit, atque branchis ſuis tenaciter vinciens ſibi in prędam parat, & eſcam: ſed vt ſunt huius ſæculi labiles felicitates, & ipſe à piſcatoribus captus Polypus, cum omni ſua præda in illius prædam cedit. Mundanorum hominũ ſymbolum hoc eſt apertiſſimum, dum enim ipſi per latam deliciarum, ac illecebrarum viam ambulant, Infernalis Draconis ſquamis illigati Diaboli præda fiunt; ſed & ipſe Diabolis Inferni præda deſtinatus, omnes ſibi adherentes peccatores in Barathri prædam ſecum adducit, vt ſimul cum ipſo perpetuis cruciatibus afficiantur. Hoc Diabolo minitatur Deus per Prophetam dicentem, Ezech. *c.29.v.4. Et agglutinabo piſces fluminum tuorũ ſquamis tuis*: Vt videlicet cum tu æterno cruciaris ſupplicio, habeas omnes, quos decepiſti in doloribus ſocios: quod oſtendens Eminentiſſimus Hugo. *in Ezech. pag. 100. col.* 4. inquit. *Squamæ enim Diaboli, quibus adhærent homines modo ſunt deliciæ, & diuitiæ, quæ nitentes, & argentei coloris ſunt ſicut ſquamæ Draconis. Sed per iſtas ſquamas, quibus adhærent, trahuntur ad pœnas æternas.* O fallaces voluptates, quæ animas vinciunt, & in profundum demergunt abyſſum, vtique cruciandas.

4 Nemo eſt ita mentis impos, vt putet ſe non rectè viuere, ſed vnuſquiſque ſecundum proprium commodũ iudicans, illud iuſtum putat, quod delectat, ſed delectatione deceptus dum diuitias, delicias, voluptates, cæteraque huius mundi Bona optima putat, & ad felicem vitã vtilia, mortem æternam incurrit. Quis crederet in placido mari, Cœli pulchritudinem imitante, tot iacturas abſcondi? Et tamen tantum abſunt à morte nauigantes, quanta eſt nauis craſſities. Ergo qui vias mundanas ambulant, creſcunt, vt minuantur, aſcendunt vt præcipitent, gaudent vt lugeant, viuunt vt pereant, & dum diuitiis augentur, in aurato calice venena ſugunt: De his memini me in Cantico, in meo Quadrageſimali poſito ita ceciniſſe, *Fer. 5. Dom. 2.*

Segue vn Riccon, che nel peccar proterue
Bene in Calice d'or fiamme d'Auerno.

Id Sapiens benè cognoſcens, monebat, Prouerb *c.14.v.12. Eſt via quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autẽ eius deducunt ad mortem*: quod melius ab hebræo exprimitur textu.

יש דרך ישר לפני איש ואחריתה דרכי מות

Eſt via recta ad faciem hominis: Et vltimum eius viæ mortis. Vbi acutè Lyranus. *Eſt via peccatorum, quæ videtur homini peccatori iuſta; quia vnuſquiſque iudicat ſecundum quod eſt affectatus: nouiſſima autem eius deducunt ad mortem culpæ, & Gehennnæ.* Breue enim ac exiguum huius vitę Delicium æternum parit interitum. Hæc omnia euidenter deteſtatur Euſebius Emiſſenus, ſeu, vt volunt alij, Gallicanus, *Homil. de S.S. Epiphodio & Alex. pag. 590. lit. H. In hoc itaque mundo præualente malitia, iniquitate dominante pauper affligitur, diues multiplicatur. An tu hunc potentem vocas, qui in mortem ſuam fortis eſt, cui præſentium fallax vmbra prouentuum æternorum congregat cauſas malorum? Quis beatam dixerit validam in iugulum ſuum dexteram? Quis probabiliter laudat velocem ad ardua præcipitiũ feſtinantem? Quis eius miretur aſcenſum, quem de ſummo proſpicit eſſe caſurum? Perinde eſt ſi aliquem mireris impia, & iniqua per opes, & diuitias operantem, ac ſi quempiam videas inaurato, atque gemmato ſibi poculo venena miſcentem.* Ne te decipiat latitudo Maris, proſperitas mundi, quæ dum vitam ſpondet mortem largitur.

5 Hinc apertè colligitur vanam eſſe mortalium inuidiam, dum aliquem vel deliciis affluentem, vel diuitiis refertum, vel honorib. cumulatum, vel dignitate fulgentem vident; liuore .n. tabefacti, & iniquo zelo ardentes inuident ei, nollentq; illi, ſed ſibi huiuſmodi bona largiri: ſed profectò decipiuntur: nam hominũ illorum, quibus inuident, potius miſereri oporteret, cum cęteris miſerabiliores ſint; nam per huiuſmodi latas vias ad perditionẽ feſtinant; quæ autem miſerabilior fortuna, quam quæ mortem inducit? Idcirco monebat Propheta, *Pſ.36. v.7. Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, in homine facıente iniuſtitias*: & rationem huius reddens, ſubdit: *Et adhuc puſillũ, & nõ erit peccator, & quæres locũ eius, & nõ inuenies, v.10.* Non ergo ſors illa inuidenda eſt, quæ ſub boni ſpecie malum propinat, & dum facilem oſtendit viã in præcipitium ducit. Huiuſmodi proſperitas peccatorũ eſt; & ideo illis inuidere nequaquam debemus; ita Lyranus. *Noli æmulari in eo, id eſt peccatore, qui non vadit per vias legis diuinæ, & rationis rectæ, ſed ſecundum impetum paſſionis ſuæ. Et talis in via ſua proſperatur, quãdo obtinet, quod intendit. Iſta tamẽ proſperitas magis eſt aduerſitas: quia etſi ſit alicuius boni temporalis additamentum, eſt tamen boni ſpiritualis detrimentum.* Male ergo optatur, quod malum eſt; latas Maris huius vias vtilius declinemus.

§. III.

Doctrina Gentium infructuoſa, & noxia.

1 HOc *Mare magnum.* Magna eſt amplitudo maris, nec minor eius vtilitas; nihilominus tamẽ, quia ſalſa eſt, & amara eius aqua inutilis cenſetur, & noxia; etenim cum tanta ſit aquarum marinarum copia ad terræ fertilitatem nihili facit; imo ei omnino aduerſa ſterilitatem inducit. Eapropter doctiſſimus Pierius putat in marinis aquis Doctrinam Gentilium ſignificari, quæ Chriſticolis infructuoſa, & pernicioſa eſt; nam plena cum ſit fabulis, & de Diis ſuis haud parua turpia contineat, facile ad turpia ſequenda animos inducit. Quod hic apertè docet Propheta, dum mare magnum, & ſpatioſum, ſed reptilib. omnigenis plenum deſcribit. Ita Pierius, *in Hierogl. lib.1. pag 402. lit. H. to.1. Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: Eiuſdẽ ſalſedinis, & amaritudinis cauſa aqua marina doctrinam gentium ſignificabat; propterea quod ſine fructu eſſet; propter rerum, quæ ſacris huiuſmodi adhibebantur, intractabilis; dum neq. quidem humanis hoſtiis abſtinebant, & alia dictu fæda faciebant; ſceleraque, & turpitudinem omnem Diis ſuis adſcribebant: quorum exemplo laſciuire, & mollia quæque ſectari mortales ſibi permittebant.*

2 Nullum genus eſt hominum, à quo magis deprauetur ſana doctrina, quam à Poetarum Claſſe; mitto, quod de eis fatetur Horatius, *lib.1. de Art Poet.*

Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas;

nec non & illud in principio:

Humano capiti ceruicem Pictor equinam
Fingere ſi velit, &c.

Sed dandum vtiq. Poetis eſſet; & eorum luſui indulgendum, ſi contenti humana peruertiſſe, in Diuinitatẽ impiũ calamum non vertiſſent, Pulchri nec Cœlum aliquid habet, nec pretioſi tellus, quod à Poetis, abuſu damnando, hominibus non tribuatur: ſed illud præſertim vituperandum, & puniendum eſt, quod Diuinitatis nominib. abutantur: dumq. dulci muſica, & delectabili cantu aures mulcent, & titillant ingenium, deceptã enecant animã. Huic malo occurrere cupiens Deus diſtrictè aſſeclis ſuis prohibet in ipſo legis initio, Exod. *c.20. v.7. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanũ.* Quod autem de Poetis intelligat, quorum doctrina vana, & pernicioſa in omnibus, in rebus diuinis pernicioſiſſima eſt, declarat Rupertus Abbas Tuitienſ. *lib.1. c.32. in Exod. to.1. pag.213. col. 2. Quinam ſunt vaniloqui iſti, qui nomen Dei in vanum aſſumunt, niſi maximè loquaces Poetæ: Hi planè aſſumunt nomen Dei in vanum, &c. Iſtæ autem vanæ, id eſt fabuloſi Poetæ, corporaliter aures lectitando, & oculos geſticulando delectaue runt, ſed animis exitiales extiterunt.* Poetarũ ſacrilegos auſus nullus reprimit; quia omnes delectãt ſed eorum doctrina probis viris fugienda eſt; licet .n. delectet aures, mentem peruertit.

3 Cui rei hanc vanam doctrinam comparẽ neſcio, niſi vaniſſimum aranearum laborem aſſumam. Nullis nõ tẽporib. ſuas telas aranea texere deſiſtit, & cum domũ omnẽ textura ſua repleuerit, nullam laboris ſui vtilitatem homo habet: nec enim telæ illæ aut ad veſtiendum, aut

ad ful-

Digitized by Google

ad fulciendum idoneę ſunt. Huiuſmodi vana Poetarum, ac Gentilium Philoſophorum doctrina eſt; nec Chriſtũ verſit, nec Chriſtianum fulcit: vanus eſt omnis labor, qui ad Dei amorem animum non extimulat. Id expreſsè docet Propheta, dum vanam quorumdam doctrinam reprehendit, inquiens, Iſai. *c.59.v.5.& 7. Telas araneę texuerunt, &c. Tela eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis; opera eorum opera inutilia.* Ita enim exponit D. Hieronymus, *in cap.59. Iſai. tom.4. pag.214. lit.C. Telas araneę texunt: exponit, quod telarũ iſtarum textura non proficiat; labor, inquit, eorum, & doctrina eorum, non Chriſti efficit veſtimentum, quo anima protegatur.* Totus aranearum labor inuenitur in capiendis muſcis; en qui in gentiliũ doctrinis explicãdis, & defendendis laborant, quid faciunt, telas texunt aranearũ, cuius vniuerſus labor, & induſtria in capiendis muſcis conſiſtit; ſed dum muſcas venantur, animas perdunt.

4 Nonniſi à Crucifixi ſtigmatibus, ac Euangelicis literis ſana doctrina deducitur: quidquid ſine Chriſto ſcimus, neſcire eſt. Non paucos in diem videmus libros euoluentes Philoſophorum, & labori plurimo minimè parcere, ſomnum decipere, Lucernas exhinanire, fatigare ingenium, & tandem poſt tot exantlatos labores, poſt corporis, animique conſumptionem, cum ſe ſcire aliquid putant, nihil veræ doctrinæ ſe aſſequutos oſtendere. Quare hoc? Quia vanis doctrinis vacantes telas araneæ texuerunt. Filio prodigo huiuſmodi homines aſſimilare congruum erit. Ille enim re familiari conſumpta, vt viuere poſſet porcorum præfecturam ſuſcepit, ſed dum illos ſiliquis paſcebat, ipſe minimè paſcebatur: nam Luc. *c.15.v.16. cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Sed quomodo quæ porcis patebant ei denegabantur? Equidem manducare poterat, ſed non impleri; nam ventrem non implet cibus malus. Siliquæ ergo, quas porci mandunt ſunt ſæculares doctrinæ; Prodigus eſt ſtudioſus, qui ad vanam Philoſophorum ſcientiam perdiſcendam laborat, & iſte ventrem ſuum implere, mentem vera ſapientia fœcundare non poteſt; nam hæc in ſiliquis, ideſt vanitatib. Gentilium, & Poetarum fabulis minimè reperitur. Experto cœdendum eſt, illiuſq. ſententiæ ſtandum. Nemo in Philoſophicis doctrinis D. Auguſtino diligentior, antequam Chriſtum indueret, ſed quid ille conuerſus dicat, *libr.2. quæſt. euangel. tom.4. pagin.117. lit.G.* attendamus. *Porci immundi ſpiritus ſunt. Siliquæ, quibus porcos paſcebat, ſæculares doctrinæ ſterili vanitate reſonantes: de quibus laudes idolorum, fabularumque ad Deos gentium pertinentium, vario ſermone, atque carminibus percrepant, quibus Dæmones delectant. Vnde cum iſte ſaturari cupiebat, aliquod ſolidum, & verum, quod ad beatamvitam pertineret inuenire volebat in talibus, & non poterat. Hoc.n. eſt quod ait: & nemo illi dabat.* Diſſipat ergo omnis, qui tam infeliciter ſapit, vt Deum neſciat, & ad Chriſti doctam ſtultitiam addiſcendam ſeverſat: ſat erit hoc vnum ſcire, Deũ omniũ bonorũ cauſã exiſtere, illũq. diligere.

5 Sed quid magnũ ſuadeo dum Gentiliũ doctrinã vanã attexo? quandoquidẽ & ipſa ſapiẽtia cęleſtis, ex ſacra Dei lege orta, inutilis ſine charitate deprehenditur: parũ refert ſi gladius aut hoſtis ſit, aut amici, dũmodo perimat noxius eſt. Scio vtiq. dicet aliquis, quod ſacra ſcriptura in hæreticorũ ore in pernicioſã doctrinã, perperã expoſita trãſit, ſed inter catholicos nihil timendũ. Errat quiſquis ita philoſophatur: in ipſis Apoſtolis ſciẽtia de diuina lege ſine charitate inutilis eſſet. Fatetur id Apoſtolorũ doctiſſimus Paulus ad Corinthios ſcribẽs, *c.8. ver.1. & 2. De iis autem, quæ idolis ſacrificãtur, ſcimus quia omnes ſcientiã habemus, ſcientia inflat, charitas ædificat. Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nõdum cognouit quomodo oporteat eũ ſcire. Si quis autẽ diligit Deũ, hic cognitus eſt ab eo.* Quæ verba ſatis expreſsè indicãt ipsã ex lege ſcientiã à charitate pfici, & ſine charitate inutilẽ eſſe, ſed ad maiorẽ rei declarationẽ D. Auguſt. ſẽtẽtiã, *lib.1. cont. Creſcon. Gram. to.7. pag.70. lit. E.* referamus. *Ipſe Apoſtolus ſcientiã quãdã ex lege, quã & ſe habere dicebat, & alios ſine charitate tamen inutilẽ dicit, & noxiã: De ſacrificiis, inquit, Idolorũ, ſcimus, quia ſcientiã habemus: ſciẽtia inflat, charitas ædificat. Proinde & iſta ſcientia, quamuis ad legẽ Dei pertineat, ſi in aliquo ſine charitate fuerit, inflat., & nocet.* Si autẽ diuina doctrina ſine charitate noxia eſt, ea quæ cõtra charitatem facit, & amoris diuini deſtruit regnum, quomodo vtilis erit? Noxiam ergo, nedum inutilem, Gentium doctrinam eſſe demonſtratum eſt.

§. IV.

Auarus animus numquam diuitijs ſaturatur.

1 HOc *Mare magnũ, &c.* Omniũ fontiũ, ac fluminũ origo mare eſt, vt alibi vidim' vnde quaſi *Princeps* omniũ aquarũ tributa recipit: neq. propterea vnquã excreſcit, ſed quãtò plus aquas ſuſcipit, tantò nouas ſitit, & nũquã ſatiatur. Maris nomine expreſsã video mũdanorũ hominũ auaritiã, qui quotidie augmẽtũ diuitiarũ faciũt, & bonis addere bona nõ ceſsẽt, nũquã nihilominus ſatiantur, inexplebilis eſt eorum cupiditas, nec ſaturatur diuitiis, licet omnes Indicarum gemmarum in eum confluerent copię, ſatietatẽ non facerent. Quare de eis verificatur id quod de mari prædicatur: Eccleſ. *capit.1. ver.7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*: vt oſtendit Olimpiodorus, *in capit.1. Eccl. tom.11. Bibl. PP. pagin.397. colu.1. lit.C. Mare autẽ intelligitur præſens vita, iuxta illud: Hoc Mare magnũ, & ſpatioſũ manib' Verũ hoc mare nõ impletur; omnes torrentes intrant in mare, & mare non redundat. Moraliter autẽ, quaſi propoſito exemplo, ſubinnuit eos homines, qui inexplebilis Auaritiæ morbo laborant. Inſatiabile namque eorum deſiderium non expletur, quamuis tanquã mare, torrentum vndique ad illos diuitiæ confluant.*

2 Æternitatis ſymbolũ circulum Ægyptii conſtruere, eo quod fine, pricipioq. careat, imò ibidẽ & principiũ, & finis ſit, vnde re vera aſſignari pricipiũ nequit. Sapiẽtes verò illi hujus ſymboli inuẽtores nondũ auari cordis naturã cõſiderauerãt, nã ſi cõſideraſſent ipsũ etiã ęternitatis figurã conſtituiſſent; etenim nũquã finẽ cupiditatis nouit: ſicut qui circulariter mouetur ſẽper mouetur, & nũquã ad finẽ venit, ſed ibidẽ & principiũ, & finẽ habet, ita cor auarũ nũquã in fine, ſed ſẽper in principio cupiditatis eſt. De his loquebatur Propheta, cũ dicebat Pſ.11. *v.8. In circuitu impii ambulãt*: quaſi diceret: Impii pecuniarũ amatores in circuitu currunt, cupiditatib. ſuis circulũ efformãt nũquã .n. deſiderãdi metã attigunt, ſed ſẽper ſunt in principio. Ingenioſè Eminentiſſimus Hugo id proſequitur, *in Pſ.11. pag.24. col.1. In circuitu impii ambulãt, ideſt in labore temporaliũ: ſicut .n. ille qui ambulat in circuitu ſemper eſt quaſi in principio motus ſui, & ſemper habet ad ambulãdũ: ſic iſti ſemper habent, quod negotientur.* O inſatiabile Oceanũ, ò peruerſum Æternitatis emblema, nullum finem cupiditatis agnoſcens.

3 Sapientiſſimus Salomon cũ varias mortaliũ vanitates notaret, illud præſertim inculcat, Auarum pecunia nũquã impleri Eccle. *c.5. v.9. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias fructũ nõ capiet ex eis, & hoc ergo vanitas.* Quomodo autem ille pecuniis non implebitur, qui earũdem amator continuò eas colligit, diſpergit nũquã? Hi ſanè nequeũt impleri, qui vel otio torpẽtes lucra faſtidiunt, vel vitiis inhiãtes malè cõſumũt. Verũ aduertamus oportet, Auaritiã morbũ eſſe animi perſimilẽ Hydropiſiæ, ſicut nãq. hydropiſia cũ corpus obſederit aqueis illud humorib. replet, nihilominus ardẽtem cauſat ſitim, cui cũ ampliora pocula miniſtrantur, tanto plus creſcit: Hydropicus .n. quanto plus bibit, tanto plus ſitit. Ita & Auaritia animũ ſitiẽtẽ facit, ſed nũquã replet, quanto .n. magis diteſcit tanto plus appetit. Quam ſimilitudinem à D. Bernardo, *de mod. ben. viuen. ſer.44. pag.1287. lit.G.* Accepimus; Ait namque ille. *Sicut Hydropicus quanto plus bibit, tanto plus ſitit: ita Auarus, quanto plus acquirit, tanto plus concupiſcit.* Quomodo poterit igitur pecunia impleri, qui numquã ad ſatietatem habet?

habet?certè ſemper indigebit, qui numquam explet cupiditatem.

4 Habemus in Euangello huius rei optimum exemplum in Diuite illo, cuius apud Lucam meminit Dòminus. Hic plus iuſto Diuitiis deditus, in hoc omnem impendebat operam, vt bonis omnibus abundaret: contigit autem aliquando eius votis propitiari Cœlum, & tantam ſuis aruis fertilitatem tribuere, vt quò collectas adunaret fruges non haberet; quapropter cogitabundus dicebāt, Luc. *c.*12.*v.*17. *Quid faciam, quod non habeo, quò congregem fructus meos?* Cui re vera diſtracto ſenſu illud adaptari potuiſſet: *Inopem me copia fecit*. En quomodo curis habendi exagitatus, ita plenus erat, vt locus vacuus non ſupereſſet, & tamen cupiditas expleta non erat, adhuc maiores, & ampliores diuitias ſomniabat, quum diceret, *v.*18. *Dextruam horrea mea, & maiora ædificabo*. Plena erant horrea, ſed vacuus adhuc animus; non erat in domo ad recipiendum locus, ſed maxima pars cordis cupiditati patebat: Eleganter Magnus Baſilius, *Hom. in Diteſcen. pagin.*150.*col.*2.*lit.E.* *Horrea multitudine fructuum grauata dirumpebātur, cor autem eius parcum, ac tenax minimè exaturatum eſt*. Nec ſolum ſaturum non erat Cor, ſed egebat, vt obſeruat Chriſologus, *ſerm.*104. *pag.*341.*col.*1. nam cum ſemper quæreret, ſemper egebat: ideo enim & ipſe fatetur: *Non habeo, quò congregem fructus meos*: & Sanctus Antiſtes, *Audiſtis quomodo non habet diues? ecce clamat: Non habeo: Verum eſt, quia non habet ſemper, qui quærit ſemper: & non habet, vbi congreget, qui vt congreget ſic requirit*. Omni ergo Oceano auidior eſt Auarus; & æquè inſatiabilis: fugiat eius inexauſtas vndas, qui portum quærit æternitatis.

5 Et re vera quomodo is ſatiari poterit, aut ſitiendi finem facere, qui numquam comedit, aut potat? talis eſt vir Auarus, qui in tantū pecunias, reliquāq. ſubſtantiā amat, vt ea vti nullatenus velit; hoc modo cū magis habet, minus habet, quia ad quid ei deſeruiunt opes, quibus nō gaudet? Tantum ergo pecuniarum Cuſtos dici poteſt, nō Dominus, & ideo propriè Diues non eſt, ſed egenus. Eapropter Sapientiſſimus Seneca, *epiſt.*108. docuit. *Deſunt inopiæ multa, Auaritiæ omnia: in nullum Auarus bonus eſt; in ſe peſſimus*. Nec non & Ouidius idipſum vituperās ait. *in Vxor.*

Quid mihi fortuna tantum, quid regna ſine vſu,
Quid, niſi poſſedi, Diues auarus, opes?
Sic aret medijs taciti vulgator in vndis,
Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.

Videntur autem hi ex Salomone didiciſſe, qui de huiuſmodi Auaro homine ſermonem habens; ait: Eccle. *c.*5.*v.*10 *Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis*: Quod expendens Eminentiſſimus Prædicator obſeruat, Tria concurrere in homine auaro, quæ ipſum non diuitem, ſed indigentem, & ſitientem conſtituunt, cum deficiat quartum, in quo abundantia vera conſiſtit. Ad rationem enim beatæ vitæ, quatuor videntur neceſſaria; deſiderium rei beatificantis, eiuſdem poſſeſſio, cognitio illius, & notitia poſſeſſionis, & quartum fruitio illius, in quo eſt vera ratio beatitudinis; porrò Auarus habet deſiderium, ſeu ſollicitudinem pro diuitiis, poſſidet illas, & ideo dicitur diues, quia diuitias habet, cognoſcit ſe eſſe diuitem, quia videt illas oculis ſuis; ſed illis nō fruitur, ergo credit ſe eſſe diuitem, ſed pauper eſt. Ita Hugo citatus, *in c.*5.*Eccle. pagin.*85.*col.*3.4. *Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis; quaſi dicat, nihil plus quam alij, niſi quod videt eas quando vult oculis ſuis, &c. Habet autem Auarus tria de diuitiis, propter quæ ſomniat ſe eſſe diuitem cum nihil habeat, ſcilicet ſollicitudinem, nomen, & viſum. Sed re vera nec ſollicitudo, nec nomen, nec viſum diuitiarum diuitem faciunt, ſed dominatio: Dominus enim diuitiarum diues eſt, non viſor, vel Cuſtos*. Qui amat, nec fruitur re amata, ſemper amet, & careat neceſſe eſt; perinde enim eſt ac ſi non haberet, qui eo, quod habet, non fruitur.

§. V.

Rerum mundanarum ſtatus labilis eſt.

1 HOc *Mare magnum*. De Mari ab omnibus dicitur, quòd elementorum omnium inſtabiliſſimum ſit, ac mutabile; nam præterquamquod in continuo fluxu ſit, eius etiam tranquillitati placidęque faciei minimè credendum eſt, minimèque fidendum. Cernimus namq. quotidie haud paucos, qui ſereno Cœlo, tranquilloque Mari à littore ſoluentes, modico elapſo tempore maximis tempeſtatibus iactari; ille ſecundis nauigat ventis; ſed breuiſſimè duraturis. Huiuſmodi humanam vitam dixerim, quæ ad Maris inſtar ſemper in motu eſt, eiuſq. ſecundæ res in eodem ſtatu non permanent, ſed elabuntur continuò. O hominum obnubilam, excœcatamque rationem, quæ mundi huius magnifacit potentiam, honores, diuitias, quorum laborioſa comparatio, incerta poſſeſſio eſt. Vt hoc argueret Propheta vitam noſtram mari comparat, dicens. *Hoc Mare magnum, & ſpatioſum manibus*: vti docet D. Ioannes Chriſoſtomus, *in Pſ.*103. *Mari itaque noſtro humanam vitam comparat, propter rerum, quæ in ipſa ſunt inconſtantiam, ac perpetuam agitationem*.

2 Rerum mundanarum pulchritudinem Lunari pulchritudini ſimilem dixerim: Luna namque ſemper mutatur, modo enim creſcit, modo decreſcit; & ita curſum Zodiacum pertranſit, vt vix in aliquo eius gradu conſiſtere viedatur: ita etiam rerum temporalium ſtatus Luna eſt ſemper aut minuitur, aut creſcit; neque ſibi quiſquam blandiri de bonorum poſſeſſione, aut quauis alia proſperitate poteſt, quam neſcit quouſque ſit duraturā. Vt hoc innuerent veteres duos verſus cōdidere, in quibus Lunæ, & Fortunæ ſimilitudines in inconſtantia exprimuntur, quos refert D. Antonius Patauinus, *ſermon. Dom.*2.*Paſſ. pag.*195.*col.*2. *Luna propter ſui mutabilitatem, huius miſeri ſtatus inſtabilitatem ſignificat, verſus.*

Ludus Fortunæ variatur Imagine Lunæ:
Creſcit, decreſcit, in eodem ſiſtere neſcit.

Sed & Spiritus Sanctus, vt nos ab amore mundialium vtiliter auerteret, mundum ſub mutabili Lunæ imagine propoſuit; nam Eccleſiam ſub mulieris ſpecie demonſtrans, ipſam Sole veſtitam induxit, calcantem Lunam: Apocalip. *c.*12.*verſ.*1. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius.* Eccleſia enim, quæ ſtellis coronari, & cœleſtis gloriæ Sole veſtiri ſatagit omnem mundanarum rerum ſtatum deſpicere debet; quid enim Lunam quęrit, qui Solem habet? ſi tanta gloria, eaque permanente frui poteſt, cur non deſpicit defectibilem Lunam? Quare ait D. Gregorius, *lib.*34.*c.*7.*mor. pag.*1096.*lit.E.* *In Sole enim illuſtratio veritatis; in Luna autem, quæ menſtruis ſupplementibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur.* Sub pedibus teneatur Luna, calcetur temporalitas; nemo in tam variabili curſu Cordis nauigium ſoluat.

3 Enumeratur inter mundanas felicitates Filiorum procreatio. Homo immortalitatis amator, cum ſe mortalem noſcat, gaudet ſe in longa poſteritatis ſuæ ſucceſſione, & nomen ſuum conſeruari. Idcirco, cum pater eſt, lætatur, & gaudet, & ſe in filiis ſuis perpetuari cernens, iubilat. Verum mundanorum gaudium tam breue, ac inconſtans eſt, vt numquam integrum habeatur; nam & modo filiorum timet mortem, modo vitia deteſtatur, modo inobedientiam luget, modo diſcordias patitur: ſi quando de vnius ſalute, vel recuperatione gaudet, de alterius caſu, vel fuga triſtatur. De quodam Patre Familias Euangelica narrat hiſtoria, qui duos habebat filios, eoſq; ſuæ ſenectutis ſolamen credebat; ſed ecce Adoleſcentior ex illis parte ſuæ ſubſtantię erepta potius, quam obtenta, Luc. *c.*15.*v.*13. *Abijt in regionem longinquam*: en de amiſſione luctus; ſolabatur de altero ſibi obtemperante; ſed paucis elapſis diebus Adoleſcentior diſſipata re familiari rediit: en ſtatim in paterna domo gaudium, & conuiuium pro filii reditu, *v.*23. *Adducite vitulum ſaginatum*

Digitized by Google

ginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur. Sed huic gaudio ſtatim noua ſucceſſit anguſtia ſenioris filii indignatio, qui de fratris reditu dolens, Patri ſe inobedientem præuebat; male accipiens paterna bona in perditi filii fulcimento erogari, v.28. *Indignatus eſt autem, & nolebat introire.* En inſtabilitas humanæ lætitiæ, gaudium de natiuitate filii, luctus de amiſſione, lætitia de reditu, de alterius indignatione triſtitia: Eleganter D. Petrus Chriſologus, *ſerm.4.pag.*250. *columm.*1. *Cor Patris anxium variis arctatur motibus filiorum, & inter diuerſos pignorum caſus pietas ſtupefacta diſcurrit; quia videt fratrem fratris reditu mox fugari, & ſalute alterius ſibi alterum mox perire, ac mærorem lōgum breui gaudio pēſatum inuidiæ liuore turbari.* Quam breuis humana voluptas eſt, quam incerta lætitia, ſibi gaudium, & dolor firma viciſſitudine ſuccedere haud intermittunt.

4 Aduenas, & peregrinos homines in mundo eſſe oportet, nam & mundus hoſpitium eſt: nonne ridiculum eſſet ſi aliquis ſe in diuerſorio, & hoſpitio tamquam in paterna domo conuerſaretur, ibi ſempiternam moram ducere cogitans? Ita ſtultum eſt in mundo vbi Proſperitas, Gaudium, Luctus, Poteſtas, Deliciæ, Diuitiæque peregrinantur, & hoſpitum more tranſeunt, homines ſe perpetuos exiſtimare. Hanc fatuitatem redarguens Sapiens, Damnatos inducit in Inferno de præterita vita dolentes, qui nunc cognoſcunt, quam labilis ſit humana proſperitas, eamque prætereunti hoſpiti ſimilem arbitrantur, Sap.*c.*5.*v.*16. *Quoniam ſpes impii tamquam memoria hoſpitis vnius diei prætereūtis.* Quaſi diceret omnis humana proſperitas citò præteriuit, ſicuti hoſpes, qui ad ſtatutum iter tendens, ſi hodie in loco aliquo moratur, inde mane diſcedit, nec per tantum ſpatii moratur, vt eius remaneat viuens recordatio, vt ait Hugo Cardinal. *in c.*5.*Sap.pag.* 146.*col.*4. *Sicut hoſpes hodie venit, & cras diſcedit; ita proſperitas temporalis modo venit, & modo recedit. Nam Rota Fortunæ voluitur, & qui in ea ſunt, cū ea tranſeunt.* Ergo homo qui hoſpites experitur voluptates, hoſpes ſit, & nequaquam his tranſitorijs illecebris ſe illaqueari permittat.

5 Verum Hæc mentio Rotæ Fortunæ, quam ex Hugone retulimus, in mentem ipſius Imaginem reuocat: ne ergo prætereamus eam indiſcuſſam. Rota ergo Fortunæ ſic pingitur, Stat Rota labili ſubnixa Fundamento, Aquæ ſcilicet fluctuanti, ac cuilibet mouenti peruia. In ſummitate illius coronatus Princeps in ſolio coruſcans apparet, in calce alter deiectus, ac conculcatus homo cernitur, ſubit alter à dextris, ſpeque ſibi regnandi propoſita iam iam optatam ſummitatem attingit; cui in ſiniſtro latere alter commenſuratur, qui præcipiti caſu ad ima fertur. Sed enim cum perpetuo motu vertatur Rota, neque qui culmen obtinet ſecurus eſt, ſed ſemper caſurū ſe pertimeſcit. Quis ergo ſe ad altum euectum fortunæ culmen: & coronatum aſpiciens ſuperbire poteſt, cum caſum formidet? Nemo ſanè niſi mentis impos. Ex his modum loquendi Ieremię clarè percipiemus. Qui populo talia prædicabat *c.*13.*v.*18. *Dic Regi, & Dominatrici: Humiliamini, ſedete: quoniam deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtræ.* Sed ſi alter Rex erat, & altera dominabatur, cur verè dici poteſt, de capite eorum cecidiſſe coronam? Reges erant, mandabant, regnabant, ſed quia prope erat interitus, tanquam ſi non eſſet reputabatur corona: nam qui in Fortunæ Rota coronatus eſt, illicò deiectus cernitur, neque momentum certum dominandi habet. Quod D Bonauentura meditatur, *ſerm.* 2. *De S. Barth. Apoſt. tom.*3.*pag* 298.*col.*2. *lit.C.* dicens. *Deſcendit de capite veſtro corona gloriæ; Hæc eſt illa corona, qua quis pingitur coronatus in Rota Fortunæ; nam quia ſemper voluitur, nec ad momentum ſtare permittitur dum ad ſummam peruenit, deſcendere cogitur;* Quis ergo non defleat tam labilem mundi lætitiam, tam certam rerum mutationem? nam & id flere docet Propheta, ſecūdum D. Theodoretum, *in Hierem. Hortatur Reges, & Principes, vt defleant rerum mutationes.* Sic perpetuo rotatu, & deiicimur, & ſubleuamur.

6 Quis ergo Rotæ tam inſtabili fidem habere poterit Dices forſan; ego ſemper felicitate vſus, proſperitate gaudens, ſanitate pollens, aduerſæ fortunæ, ſeu tribulationum aculeis numquam patui: & tibi magis timendū eſt: nam qui varios caſus expertus eſt, ſua ipſe varietate conuincitur; at tu qui adhuc in ſummitate permanes rotæ præcipitio magis proximus, cum minus caſum formides, maiori eloquentia opus eſt. Quærebat olim Seneca, *lib.6. de benefic.c.*33. vtrum Felici homini aliquid præſtare poſſemus, & quod maius illi beneficium conferre; & reſpondet, monendum eſſe, ne ſuæ fidat felicitati, nam cū ſub Sole ſtabilis hęc rota eſſe nequeat, ſine præcipitio, qui regnat omnino eſſe non poterit. *Quæris quid Felici præſtare poſſis, effice ne felicitati ſuę credat; vt ſciat illam multis, & fidis manibus continendam.* Hocque præſtat mortalibus omnibus Sapientiſſimus Salomon, dum prædicat, Prouerb.*c.*14.*v.*13. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat*, & addit Innocentius Papa III. *lib.*1. *de contempt. mund. c.*21. *Semper mundanæ lætitiæ triſtitia repentina ſuccedit, & quod incipit à gaudio, deſinit in mærorē: mundana quippe felicitas multis amaritudinibus reſperſa eſt.* Deſpiciatur ergo tam labilis, & incerta lætitia; abſcedat ab animo æternitatis ſtudioſo temporanea delectatio.

§. VI.

Peccator in hoc mundo numquam quieſcere poteſt.

1 H*Oc Mare magnum, &c.* Cum igitur Mundus Mare ſit ſemper fluens, ac refluens, nec in eodē permanens ſtatu, conſequens eſt, vt omnis qui in mundo eſt perpetuò agitetur: ſicuti enim omnes naues quæ in mari verſantur, fluctuum motibus ſemper agitantur; ita omnes peccatores, qui mundum diligunt, & cordis nauiculam, mediis in fluctibus, ideſt terrenis cupiditatibus ſtatuunt, mundanarum rerum labili fluxu rotantur. Ideo de mundo hic dicitur: *Hoc Mare magnum, & ſpatioſum manibus:* quia ſuo fluxu peccatores, amatoreſque ſuos rerum inconſtantia, ac labili felicitate contorquet, & in eodem ſtatu permanere numquam permittit, vnde Caſſiodorus ait. *Mare enim præſentem mundum ſignificat, vbi malitia dæmonum, velut quibuſdam fluctibus, voluntas Animarum inſtabilis commouetur: dictum Mare à meando, quòd ſemper eat, & redeat.*

2 Aeque difficile, imo impoſſibile eſt Mare, & peccatorem quieſcere: nam cum ſpatioſum ſit mare, cum vētis vndique pateat, cum fluminum aquam ſemper abſorbeat, cum Lunæ mutabili imperio pareat, quieſcere numquam poterit; & conſequenter Nauis in medio maris poſita neceſſe eſt, vt cum ipſo fluctuet, requie priuata. Haud abſimilis mundus eſt. ſpatioſas, ac latas perditionis ambulat vias, ventis tribulationum patet, flumina diuitiarum abſorbet, Lunæ variabili, ideſt labili Fortunæ ſubiacet, vnde vera Dei requie priuatus eſt. Quomodo ergo peccatoris Nauis ſpei cęleſtis anchora deſtituta Oceani huius tempeſtuoſi credita fluctibus, quieſcere vmquam poterit? Eapropter Euangelicus Propheta Iſai. *c.* 57.*v.*20. prædicabat: *Impii autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundāt fluctus eius in conculcationem, & lutum:* Fluxus namque maris lutum efficit, quod calcatur pedibus; ſimiliter Peccator ſuo reflexu lutum culpæ conficit, in Inferno dæmonum terendum pedibus, D. Hieronymo, *lib.*16. *in Iſai. pag.*414. *lit.E.* atteſtante. *Sicut igitur mare feruens quieſcere non poteſt; ſed redundant fluctus eius, & reuoluuntur ad littora, atq; iterum reſorbentur, & in ſe fracti lutum efficiunt, quod pedibus conculcatur. Sic impii æternæ cōculcationi ſubiacebunt, quorum nullum eſt gaudium, & qui nulla pace requieſcunt, in eo quod impii perſeuerant.* Heu inquietum mare,

Digitized by Google

mare, peccatorem exagitans, in quo cordis nauicula perpetuo agitata fluxu numquam quieſcit.

3 Hoc item euidenter deducitur ex eo quod ſupra de mundo diximus, nam eius proſperitatem Rotam Fortunæ eſſe diximus: porro qui in Rota eſt, ſemper cum ipſa rotatur, & fertur, & ſi Rota non quieſcit, neque, quæ in illa ſunt, requiem habebunt. Homines ergo iuſti, qui Deum timent, ac in ſolo littore beatitudinis ſiſtunt, in illa Diuinitatis immobili ſphæra verſantur, quieſcunt vtique, & in Deo requiem inueniunt: peccatores autem, qui Deo neglecto mundanam labilem rotam ſequuntur, ſemper fluctuant, nam ſemper celeri, & inquieta voluuntur rota. De his canebat Pſaltes: *Pſal.11.verſ.8. In circuitu impij ambulant*. Quaſi diceret Centrum mundanæ Fabricæ Deus eſt, neq; centrum mobile eſt, vnde iuſti in Deo manentes, & in centro poſiti non mouentur: & impij qui in extremitate rotæ ſunt collocati ſemper volutantur, ac miſeria, tempeſtate, anguſtia agitantur: ingenioſè Guarricus Abbas Igniacenſis *ſer.3.de Aſſumpt.tom.13.Biblioth. Colonien.pag.218. lit. H. Quomodo enim quieſcerent, quibus Deus immiſit rotam malorum quibus iurauit in ira ſua, ſi introibunt in requiem meam? extra illam non eſt niſi afflictio; & miſeria, & in circuitu eius tempeſtas valida: ſicut & in natura rerum fit, vt quidquid extra ſimplicitatem, & vnitatem puncti fuerit, in motu, & agitatione ſit: tamque concitatione quilibet circulus impetu rotetur, quanto ab immobilitate principij ſui ideſt a medietate centri receſſerit longius. Sanè in circuitu impij ambulant, quibus Deus immittit rotam malorum, ideoque in illam internam, & æternam requiem intrare non poſſunt*. Cum igitur extra requiem ſint aſſiduo labore voluuntur.

4 Et ſane dolenda, & miſeranda fluctuatio, quæ ita exagitat animum, vt a ſuo loco minimè deturbet: non enim per iſtam fluctuationem terrenarum viciſſitudinum, ac laborum proficit homo, nec ad vitium, nec ad virtutem, ſed otio miſerabili torpens in eodem loco, veluti in geſtatorio lectulo immotus ſemper mouetur. Huius ſimbolum eſſe poteſt oſtium, nam oſtium ſemper in cardine ſuo mouetur, ſed numquam a loco ſuo diſcedit; ſic mundanarum deliciarum amator, in lectulo voluptatis ſemper permanet, ſed cum ipſo ſuo lectulo ſemper rerum inconſtantia exagitatur: & licet quandoque remurmuret conſcientia eius, numquam tamen a peccatis recedit. Bene id nouit ſapientiſſimus Salomon; & ideo ſcriptum reliquit *Prouerb.cap.26.verſ.14. Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo*. Cuius verba exponens Cardinalis Hugo *in Prouerb. pag.58.col.2.* ſubdidit. *Sicut oſtium in cardine verſatum huc, & illuc murmurat, nec tamen exit a loco ſuo: ita piger, ideſt amator voluptatum, in lectulo voluptatis mouetur, & murmurat in conſcientia ſua, & tamen numquam exit a peccatis licet diſpliceant*. Illud eſt in mundialibus tempeſtatibus malum, quod licet turbent, agitent, ac in vitæ, & ſalutis diſcrimen ponant, amantur tamen, quia tempeſtas hæc dulcis eſt, & mare tempeſtuoſum eſt, ſed iucundum.

5 Quid ergo in hoc vaſto Oceano, in quo nulla ſecuritas, in quo nulla quies faciendum eſt, quid ſperandum? Sanè nihil; ſed potius timendum ſemper eſt ne his fluctibus abſorbeamur: qui in mari ſe labili poſitum, & rerum mundialium inconſtantia ſe fluctuari agnoſcit, ſemper æternam mortem timeat; vt ſic quidquid præter ſpem felicitatis eueniet iucundius habeatur. Canebat olim Poeta. *Virgil.lib.2. Æneid.*

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Quod etiam monet Sapiens, dum ait: *Pſal.17.verſ.24. Obſeruabo me ab iniquitate mea*: Qui enim timidus eſt ne ab iniquitate deliciatur, tandem ſecuritatem habebit; qui vero ſecurus eſt, felicitati fidens, ſæpe ruit. Nonne tam in ſacris, quam prophanis hiſtorijs legimus multoties victores ſecuritate perdidiſſe, vt qui victis hoſtibus ſecurè, & ſine timore manerent, ipſi viciſſim a victis profligati, ac cæſi ſunt. Mala ergo ſecuritas, timor optimus eſt; vt videtur Guarrico Abbati *ſerm.3. de Adu.Dom.tom.13. Bibliothec. Colonien. pag. 162 lit. B. Vna igitur ſecuritas eſt numquam eſſe ſecurum, quatenus timor ſe obſeruans, reddat ſemper paratum, donec ſecuritas ſuccedat timori, non timor ſecuritati: obſeruaba me, inquit ſapiens, ab iniquitate mea, quandoquidem non poſſum a morte mea*. Sic timor ſecundum rationem parit ſecuritatem; & in eo ipſo, quòd in mundano mari quieſcere peccator non poteſt; littus æternum, portumque beatum deſiderabit.

§. VII.

Concupiſcentia carnis velut mare exagitat mentem, & perdit.

1 HOc mare magnum: Monſtris, ac reptilibus Mare plenum eſt, quæ huc, illucque diſcurrunt; ſed ſi vitam beſtijs præbet, homini præcipitia, & voragines exhibet. Mari perſimilis eſt concupiſcentia carnis, quæ monſtra ideſt cogitationem peximas nutrit, delicias exhibet, tranquillitatem promittit: ſed mentem peruertit, animam maculat, & ad æternam voraginem mittit incautos: ideo dicit Propheta, *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus*; Et Cardinalis Hugo hæc exponens, ait. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum eſt concupiſcentia carnis; Reptilia, quorum non eſt numerus, ſunt monſtruoſæ cogitationes*.

2 Peregrinantibus in hoc ſæculo, vt ad æternum, beatumque perueniant Regnum, ſæpe ſæpius concupiſcentiæ occurrens mare, iter moratur; enauigare enim tam immane pelagus, & non demergi in profundum, paucis conceditur. Quæ nauis tam firma, quod corpus ita fedatum reperiri poterit, vt, niſi virga diuina mare rumpat, illud ſuperet? Sunt propemodum tempeſtates eius innumerę, Verba doloſa, occaſio prompta, titillatio ſenſus, indignatio, oblectatio, & his ſimiles paſſiones ſemper æſtuans hoc mare reddunt. Nonne recordaris, quod filiis Iſrael ex Ægipto fugientibus ad promiſſionis terram, mare occurrit? ita fugientibus a mundo, & ad Paradiſum currentibus obſtat concupiſcentia carnis; cui flagella minatur Dominus per Prophetam: *Iſai cap.10.verſ.26. Suſcitabit ſuper eum Dominus exercituum flagella iuxta plagam Madian in petra oreb, & virgam eius ſuper mare*: Virgam vindicationis, & Flagelli in mare deſcenſuram dicit, quia carnales mulctaturus eſt Dominus; nam mare concupiſcentia eſt, inquit D. Bernardus *ſerm. in Aduen. Dom. de 11. oneribus pag. 1364. lit. M. Virgam ſuam ſuper mare: An neſcitis? An non ſentitis? An non experimini? Feruet in carne æſtus concupiſcentiæ, aliquando in mente ita deſæuit, indignationis, & amaritudinis verba prorumpunt; vt ad inſtar maris, quod vehementer agitat ventus, omnia interiora hominis conturbentur*. En quomodo concupiſcentiæ mare hominem exagitat.

3 Illud autem in hoc mare nimis metuendum, & deplorandum, necnon & cauendum eſt, quod in initio non tempeſtatibus terret, aut vorticibus concutit, ſed male ſecura tranquillitate propoſita incautos decipit, & dum prope littus vagari procul a periculo putant homines, paulatim in altum ſe poſitum inſciens miratur: Nam reperiuntur non pauci, qui vitia deuitandi propoſitum habent, nihilominus otioſa, & turpia verba non declinant, imò prauis delectantur colloquijs; ſed paulatim verba illa animum a boni propoſiti littore remouentes, in altum concupiſcentiæ pelagus mergunt. Idcirco prædicabat Apoſtolus, rem non ſemel expertus: *1.Cor.cap. 15.verſ.33. Nolite ſeduci, corrumpunt bonos mores colloquia mala* ex quo D. Proſper Aquitanus *de vit. contempl.lib.3.cap.5.pag.71.litt.E. Sunt alii quorum vitam lingua turpis inflammat, aut turpem conſcientiam manifeſtat*;

Digitized by Google

niſeſtat; qui prius inuerecundos ſermones aut proferunt libenter, aut audiunt; ac deinde paulatim morbo creſcente ab honeſtate deficiunt, attritoque pudore viles effecti, dum indecenter elegantes videri volunt, paſſim iam turpibus verbis impudenter inſaniunt. Hoc enim loquuntur quique, quod diligunt, & delectabiliter audiunt, quod aſſiduis cogitationibus voluunt. Cogitatio quippe eſt, quæ mentem ſicut turpis inquinat, ita ſi fuerit honeſta perficit. Omnino ad littus non accedat, qui maris æſtus horret; in ipſo littore peribit, qui laſciuientes vndas recipit.

4 Parum eſt mare nuncupaſſe carnis concupiſcentiam, addamus, & marina in eo ſpatiari monſtra; ea præſertim, non quæ feris homines dentibus laniant, ſed quæ blandimentis decipiunt. Audiſtis aliquando ex Poetarum figmentis memoratas ſyrenes, quæ in ſuperiori corporis parte pulcherrimæ virgines, in turpem deſinebant piſcem; hæ ſiculum incolentes mare dulciſſimum reſonabant cantum, quem audientes, præ dulcedine ſomno oppreſſi, ab impijs monſtris necabantur. His monſtris carnis voluptates conparabimus, quæ blandiendo hominem demulcent, capiuntque, cumque ſomno, idest impœnitentia ſopitum viderint, enecant, ac ad tartara mittunt: de his loquebatur Propheta dicēs: *Iſai.cap.13.v.26. Et reſpondebunt ibi Vlulæ in ædibus eius, & ſyrenes in delubris voluptatis.* Quia verò eleganter id explicat Incognitus, *in Pſal. in verſ.657.* eius verba referam. *Quanta autem huius maris mundi ſint pericula figuraliter oſtenditur per illas tres ſyrenes, quæ in mari habitant. Narrant fabulæ, quòd tres fuerint in mare ſyrenes ex parte mulieres, & ex parte volucres; quæ ideo dicebantur ſyrenes, quaſi trahentes, eo quod per dulciſſimam cantus melodiam nauigātes per mare trahebant, dum tamen cantantes nauigantes audirent: vna illarum canebat voce humana, alia canebat lyra, tertia vero tibia. Myſticè autem iſtæ tres ſyrenes incantatrices hominum, ſunt tria peccatorum genera, quæ ſuo cantu mulcentes aures hominum, ipſos ad interitum ducunt. Prima cantat voce humana, hæc eſt Luxuria. Secunda cantat lyra, quæ grecè dicitur ſtultitia, hæc eſt ſuperbia. Tertia verò, quæ cantat tibia, hæc eſt Auaritia.* Vide concupiſcentiæ mare quam pericoloſum ſit, & quæ nutrit monſtra; monſtra ſpecioſa vtique, ſed noxia, trahunt enim animos incautos voluptatibus ſuis, vt ſecurius perdant.

5 Mare aliquando carceris loco deſeruit; nam ſi aliquis in Inſula relegatus eſt, vbi Nauem non habet, qua ad continentem ducatur terram, alijs vinculis non indiget, ſatis enim ab ipſo mare vinctus tenetur, & carceris loco vndam habet: ſic piſces ita clauduntur aqua, vt extra illam ſine vitæ diſcrimine eſſe non poſſint. Dic Mare concupiſcentiam carnis, in qua vinctus, ac relegatus homo, ſine naui ſpecialis auxilij Dei ad virtutis terram peruenire non poteſt. De hoc carnis carcere quærebatur Patientiſſimus, inquiens *Iob.cap.7.verſ.12. Numquid mare ſum ego, aut Cetus, quia concluſiſti me carcere?* Quod autem carceris nomine, & maris, carnis exprimatur conditio, docet D. Gregorius Magnus *lib.8.cap.12.Mor.pag.488.lit.C. Carcere homo circumdatur, quia plerumq; & virtutum profectu ad alta exurgere nititur, & tamen carnis ſuæ corruptione præpeditur. Quid vero appellatione maris niſi corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuoſa, exprimuntur?* eſt ergo mare carnis concupiſcentia, quæ mentem vitiat, ac hominem ſubmergit.

§. VIII.

Iniqui, & Peccatores non numerantur inter homines.

1 QVorum non eſt numerus. Incolas marini fluctus innumerabiles vocat Propheta; ſed cum infinitos minimè eſſe manifeſtum ſit, quæri poteſt, cur ſine numero eſſe dicantur: præſertim cum Deo omnia pateant, ei videlicet *Pſal.146.verſ.4. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Si ergo non numerantur, nec eorum apud Deum eſt numerus. Obſerua autem vbi iſta reptilia ſint, ſcilicet in mari; *Illic reptilia quorum non eſt numerus:* at in eodem mari Draco verſatur, nam paulo poſt dicitur: *Draco iſte, quem formaſti ad ludendum in eo.* Ergo ideo reptilia apud Deum non habent numerum, ideſt inter creaturas Deo acceptas, non recenſentur, quia cum Dracone habitant: vt hinc detur intelligi, quod Iniqui, & Peccatores non numerantur inter homines, quia cum infernali Dracone familiaritatem habent: Apertè id docet D. Hieronymus *in cap.1.Nahum to.5.pag.172.lit.B. In quibus parua natant Reptilia; quibus non eſt numerus: neque enim digna ſunt numero, quæ cum Dracone verſantur.*

2 Deus cum omnium ſit conditor, omnia cognoſcat neceſſe eſt, nec poteſt aliquid eſſe niſi a Deo fiat, nec aliquid fieri poteſt, quin ſit ab ipſo volitum; nil autē volitū quin præcognitū: iſta autem cognitio ita eſt Deo eſſentialis, vt ſine illa intelligi nequeat. Quomodo autem de quibuſdā peccatoribus per Prophetā dicit, eorū ſe memoriam non habiturum; *Pſal.15.v.5. Nec memor ero nominum eorum per labia mea?* Sed aduertendum eſt dupliciter memoriam intelligi poſſe; primò pro ſimpliciter recordari; & hoc modo Deus neceſſariò omnium recordatur, & habet memoriam; ſecundo modo recordari ad benefaciendum; vnde & apud nos dicitur cum Princeps, aut amicus dona, vel præmia largitus eſt, & nihil nobis dedit, quod memoriam noſtri non habuit, ideſt non eſt recordatus ad largiendum; ſic etiam de ipſo Domino aliquando dixit Pſalmus 108. verſ. 16. *Non eſt recordatus facere miſericordiam*; ideſt noluit facere miſericordiam. Diuites ergo, & peccatores, quorum crimina redarguuntur; vel pœnæ taxantur non numerantur a Deo inter homines, ideſt eorum nomina in ſacris literis non apponi: etenim cum duo teſtamenta labia ſint, quibus nobiſcum loquitur Deus, æquum non eſt ea pollui nominibus peccatorum; & ideo dictum eſt: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: ideſt eorum nomina in ſacris ſcripturis non ſcribentur. Ita hunc locum interpretatur D. Paulinus *Epiſc. Nolan. Epiſ. ad Alethicū Epiſc. pag.194 lit. C. Hoc enim ipſum conſiderare te volo, eorum Diuitum, quorum vel crimina, vel ſupplicia in ſcripturis ſignata ſunt, nomina ſignificata non eſſe. Quia ſine dubio indigni erant, vt ſermone diuino nominarentur, quos aut vitæ oblitterauit impietas, aut auaritia deleuit. Ideo prædixerat Dominus in Propheta de ipſis: Nec memoo ero nominum eorum per labia mea: Hoc eſt per immortalium duo teſtamenta verborum, quæ oris diuini labia benè dicuntur. Hæc ergo labia pollui noluit nominibus impiorum diuina Iuſtitia.*

3 Neque ergo digni ſunt impii, vt ab ore diuino nominentur, & inter iuſtos numerentur. Probat hoc etiam citatus Doctor alio ſacræ ſcripturæ teſtimonio. Cum Dominus ad turbas ſermonem haberet, quidam accedens ad eum dixit; *Matth. cap. 19. verſ.16. Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam*: eum Dominus in legis præceptis inſtruxit, quibus ſeruatis vitam haberet; ſed cum ille omnia ſe ſeruaſſe diceret, tandem ad temporalium deſpectum eum cohortatus eſt; *verſ.21. Si vis perfectus eſſe vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni ſequere me.* Ille autem id minimè acceptans; *verſ.22. abijt triſtis, erat enim habens multos poſſeſſiones.* Hic quæreret aliquis, quis iſte fuerit tam exactus cultor legi, ſed reſpondemus, neſcire nos, neque enim ſacræ literæ nomen indicant: Sed cur ſacræ literæ, quæ Mattheum, Zaccheum, Magdalenam, alioſque peccatores nominat, iuſtum hunc reticent? Vtique quia illi per pœnitentiam præteritæ vitæ maculas deleuere; hic autem, quia perfectionem amore pecuniarum aſſecutus.

Digitized by Google

mare, peccatorem exagitans, in quo cordis nauicula perpetuo agitata fluxu numquam quieſcit.

3 Hoc item euidenter deducitur ex eo quod ſupra de mundo diximus, nam eius proſperitatem Rotam Fortunæ eſſe diximus: porro qui in Rota eſt, ſemper cum ipſa rotatur, & fertur, & ſi Rota non quieſcit, neque, quæ in illa ſunt, requiem habebunt. Homines ergo iuſti, qui Deum timent, ac in ſolo littore beatitudinis ſiſtunt, in illa Diuinitatis immobili ſphæra verſantur, quieſcunt vtique, & in Deo requiem inueniunt: peccatores autem, qui Deo neglecto mundanam labilem rotam ſequuntur, ſemper fluctuant, nam ſemper celeri, & inquieta voluuntur rota. De his canebat Pſaltes: *Pſal.11.verſ.8. In circuitu impij ambulant*. Quaſi diceret Centrum mundanæ Fabricæ Deus eſt, neq; centrum mobile eſt, vnde iuſti in Deo manentes, & in centro poſiti non mouentur: & impii qui in extremitate rotæ ſunt collocati ſemper volutantur, ac miſeria, tempeſtate, anguſtia agitantur: ingenioſè Guarricus Abbas Igniacenſis *ſer.3.de Aſſumpt.tom.13.Biblioth. Colonien.pag.218. lit. H. Quomodo enim quieſcerent, quibus Deus immiſit rotam malorum quibus iurauit in ira ſua, ſi introibunt in requiem meam? extra illam non eſt niſi afflictio; & miſeria, & in circuitu eius tempeſtas valida: ſicut & in natura rerum fit, vt quidquid extra ſimplicitatem, & vnitatem puncti fuerit, in motu, & agitatione ſit: tamque concitatione quilibet circulus impetu rotetur, quanto ab immobilitate principij ſui ideſt a medietate centri receſſerit longius. Sanè in circuitu impij ambulant, quibus Deus immittit rotam malorum, ideoque in illam internam, & æternam requiem intrare non poſſunt*. Cum igitur extra requiem ſint aſſiduo labore voluuntur.

4 Et ſane dolenda, & miſeranda fluctuatio, quæ ita exagitat animum, vt a ſuo loco minimè deturbet: non enim per iſtam fluctuationem terrenarum viciſſitudinum, ac laborum proficit homo, nec ad vitium, nec ad virtutem, ſed otio miſerabili torpens in eodem loco, veluti in geſtatorio lectulo immotus ſemper mouetur. Huius ſimbolum eſſe poteſt oſtium, nam oſtium ſemper in cardine ſuo mouetur, ſed numquam a loco ſuo diſcedit; ſic mundanarum deliciarum amator, in lectulo voluptatis ſemper permanet, ſed cum ipſo ſuo lectulo ſemper rerum inconſtantia exagitatur: & licet quandoque remurmuret conſcientia eius, numquam tamen a peccatis recedit. Bene id nouit ſapientiſſimus Salomon; & ideo ſcriptum reliquit *Prouerb.cap.26.verſ.14. Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo*. Cuius verba exponens Cardinalis Hugo *in Prouerb. pag.58.col.2.* ſubdidit. *Sicut oſtium in cardine verſatum huc, & illuc murmurat, nec tamen exit a loco ſuo; ita piger, ideſt amator voluptatum, in lectulo voluptatis mouetur, & murmurat in conſcientia ſua, & tamen numquam exit a peccatis licet diſpliceant*. Illud eſt in mundialibus tempeſtatibus malum, quod licet turbent, agitent, ac in vitæ, & ſalutis diſcrimen ponant, amantur tamen, quia tempeſtas hæc dulcis eſt, & mare tempeſtuoſum eſt, ſed iucundum.

5 Quid ergo in hoc vaſto Oceano, in quo nulla ſecuritas, in quo nulla quies faciendum eſt, quid ſperandum? Sanè nihil; ſed potius timendum ſemper eſt ne his fluctibus abſorbeamur: qui in mari ſe labili poſitum, & rerum mundialium inconſtantia ſe fluctuari agnoſcit, ſemper æternam mortem timeat; vt ſic quidquid præter ſpem felicitatis eueniet iucundius habeatur. Canebat olim Poeta. *Virgil.lib.2. Æneid.*

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Quod etiam monet Sapiens, dum ait: *Pſal.17.verſ.24. Obſeruabo me ab iniquitate mea*: Qui enim timidus eſt ne ab iniquitate deliciatur, tandem ſecuritatem habebit; qui vero ſecurus eſt, felicitati fidens, ſœpe ruit. Nonne tam in ſacris, quam prophanis hiſtorijs legimus multoties victores ſecuritate perdidiſſe, vt qui victis hoſtibus ſecurè, & ſine timore manerent, ipſi viciſſim a victis profligati, ac cæſi ſunt. Mala ergo ſecuritas, timor optimus eſt; vt videtur Guarrico Abbati *ſerm.3. de Adu.Dom.tom.13. Bibliothec. Colonien. pag. 162 lit. B. Vna igitur ſecuritas eſt numquam eſſe ſecurum, quatenus timor ſe obſeruans, reddat ſemper paratum, donec ſecuritas ſuccedat timori, non timor ſecuritati: obſeruabo me, inquit ſapiens, ab iniquitate mea, quandoquidem non poſſum a morte mea*. Sic timor ſecundum rationem parit ſecuritatem; & in eo ipſo, quòd in mundano mari quieſcere peccator non poteſt; littus æternum, portumque beatum deſiderabit.

§. VII.

Concupiſcentia carnis velut mare exagitat mentem, & perdit.

1 HOc mare magnum: Monſtris, ac reptilibus Mare plenum eſt, quæ huc, illucque diſcurrunt; ſed ſi vitam beſtijs præbet, homini præcipitia, & voragines exhibet. Mari perſimilis eſt concupiſcentia carnis, quæ monſtra ideſt cogitationem peximas nutrit, delicias exhibet, tranquillitatem promittit: ſed mentem peruertit, animam maculat, & ad æternam voraginem mittit incautos: ideo dicit Propheta, *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus*; Et Cardinalis Hugo hæc exponens, ait. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum eſt concupiſcentia carnis; Reptilia, quorum non eſt numerus, ſunt monſtruoſæ cogitationes*.

2 Peregrinantibus in hoc ſæculo, vt ad æternum, beatumque perueniant Regnum, ſæpe ſæpius concupiſcentiæ occurrens mare, iter moratur; enauigare enim tam immane pelagus, & non demergi in profundum, paucis conceditur. Quæ nauis tam firma, quod corpus ita ſedatum reperiri poterit, vt, niſi virga diuina mare rumpat, illud ſuperet? Sunt propemodum tempeſtates eius innumeræ, Verba doloſa, occaſio prompta, titillatio ſenſus, indignatio, oblectatio, & his ſimiles paſſiones ſemper æſtuans hoc mare reddunt. Nonne recordaris, quod filiis Iſrael ex Ægipto fugientibus ad promiſſionis terram, mare occurrit? ita fugientibus a mundo, & ad Paradiſum currentibus obſtat concupiſcentia carnis; cui flagella minatur Dominus per Prophetam: *Iſai cap.10.verſ.26. Suſcitabit ſuper eum Dominus exercituum flagella iuxta plagam Madian in petra oreb, & virgam eius ſuper mare*: Virgam vindicationis, & Flagelli in mare deſcenſuram dicit, quia carnales mulctaturus eſt Dominus; nam mare concupiſcentia eſt, inquit D. Bernardus *ſerm. in Aduen. Dom. de 11. oneribus pag. 1364. lit. M. Virgam ſuam ſuper mare: An neſcitis? An non ſentitis? An non experimini? Feruet in carne æſtus concupiſcentiæ, aliquando in mente ita deſæuit, indignationis, & amaritudinis verba prorumpunt; vt ad inſtar maris, quod vehementer agitat ventus, omnia interiora hominis conturbentur*. En quomodo concupiſcentiæ mare hominem exagitat.

3 Illud autem in hoc mare nimis metuendum, & deplorandum, necnon & cauendum eſt, quod in initio non tempeſtatibus terret, aut vorticibus concutit, ſed male ſecura tranquillitate propoſita incautos decipit, & dum propelittus vagari procul a periculo putant homines, paulatim in altum ſe poſitum inſciens miratur: Nam reperiuntur non pauci, qui vitia deuitandi propoſitum habent, nihilominus otioſa, & turpia verba non declinant, imò prauis delectantur colloquijs; ſed paulatim verba illa animum a boni propoſiti littore remouentes, in altum concupiſcentiæ pelagus mergunt. Idcirco prædicabat Apoſtolus, rem non ſemel expertus: *1.Cor.cap. 15.verſ.33. Nolite ſeduci, corrumpunt bonos mores colloquia mala* ex quo D. Proſper Aquitanus *de vit. contempl.lib.3.cap.5.pag.71.litt.E. Sunt alii quorum vitam lingua turpis inflammat, aut turpem conſcientiam manifeſtat*;

Digitized by Google

nifeſtat; qui prius inuerecundos ſermones aut proferunt libenter, aut audiunt; ac deinde paulatim morbo creſcente ab honeſtate deficiunt, attritoque pudore viles effecti, dum indecenter elegantes videri volunt, paſſim iam turpibus verbis impudenter inſaniunt. Hoc enim loquuntur quique, quod diligunt, & delectabiliter audiunt, quod aſſiduis cogitationibus voluunt. Cogitatio quippe eſt, quæ mentem ſicut turpis inquinat, ita ſi fuerit honeſta perficit. Omnino ad littus non accedat, qui maris æſtus horret; in ipſo littore peribit, qui laſciuientes vndas recipit.

4 Parum eſt mare nuncupaſſe carnis concupiſcentiam, addamus, & marina in eo ſpatiari monſtra; ea præſertim, non quæ feris homines dentibus laniant, ſed quæ blandimentis decipiunt. Audiſtis aliquando ex Poetarum figmentis memoratas ſyrenes, quæ in ſuperiori corporis parte pulcherrimæ virgines, in turpem deſinebant piſcem; hæ ſiculum incolentes mare dulciſſimum reſonabant cantum, quem audientes, præ dulcedine ſomno oppreſſi, ab impijs monſtris necabantur. His monſtris carnis voluptates comparabimus, quæ blandiendo hominem demulcent, capiuntque, cumque ſomno, idest impœnitentia ſopitum viderint, enecant, ac ad tartara mittunt: de his loquebatur Propheta dicés: *Iſai. cap. 13. v. 26. Et reſpondebunt ibi Vlulæ in ædibus eius, & ſyrenes in delubris voluptatis.* Quia verò eleganter id explicat Incognitus, *in Pſal. in verſ. 657.* eius verba referam. *Quanta autem huius maris mundi ſint pericula figuraliter oſtenditur per illas tres ſyrenes, quæ in mari habitant. Narrant fabulæ, quòd tres fuerint in mare ſyrenes ex parte mulieres, & ex parte volucres; quæ ideo dicebantur ſyrenes, quaſi trahentes, eo quod per dulciſſimam cantus melodiam nauigátes per mare trahebant, dum tamen cantantes nauigantes audirent: vna illarum canebat voce humana, alia cánebat lyra, tertia vero tibia. Myſticè autem iſtæ tres ſyrenes incantatrices hominum, ſunt tria peccatorum genera, quæ ſuo cantu mulcentes aures hominum, ipſos ad interitum ducunt. Prima cantat voce humana, hæc eſt Luxuria. Secunda cantat lyra, quæ grecè dicitur ſtultitia, hæc eſt ſuperbia. Tertia verò, quæ cantat tibia, hæc eſt Auaritia.* Vide concupiſcentiæ mare quam pericoloſum ſit, & quæ nutrit monſtra; monſtra ſpecioſa vtique, ſed noxia, trahunt enim animos incautos voluptatibus ſuis, vt ſecurius perdant.

5 Mare aliquando carceris loco deſeruit; nam ſi aliquis in Inſula relegatus eſt, vbi Nauem non habet, qua ad continentem ducatur terram, alijs vinculis non indiget, ſatis enim ab ipſo mare vinctus tenetur, & carceris loco vndam habet: ſic piſces ita clauduntur aqua, vt extra illam ſine vitæ diſcrimine eſſe non poſſint. Dic Mare concupiſcentiam carnis, in qua vinctus, ac relegatus homo, ſine naui ſpecialis auxilij Dei ad virtutis terram peruenire non poteſt. De hoc carnis carcere quærebatur Patientiſſimus, inquiens *Iob. cap. 7. verſ. 12. Numquid mare ſum ego, aut Cetus, quia concluſiſti me carcere?* Quod autem carceris nomine, & maris, carnis exprimatur conditio, docet D. Gregorius Magnus. *lib. 8. cap. 12. Mor. pag. 488. lit. C. Carcere homo circumdatur, quia plerumq; & virtutum profectu ad alta exurgere nititur, & tamen carnis ſuæ corruptione præpeditur. Quid vero appellatione maris niſi corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuoſa, exprimuntur?* eſt ergo mare carnis concupiſcentia, quæ mentem vitiat, ac hominem ſubmergit.

§. VIII.

Iniqui, & Peccatores non numerantur inter homines.

1 QVorum non eſt numerus. Incolas marini fluctus innumerabiles vocat Propheta; ſed cum infinitos minimè eſſe manifeſtum ſit, quæri poteſt, cur ſine numero eſſe dicantur: præſertim cum Deo omnia pateant, ei videlicet *Pſal. 146. verſ. 4. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Si ergo non numerantur, nec eorum apud Deum eſt numerus. Obſerua autem vbi iſta reptilia ſint, ſcilicet in mari; *Illic reptilia quorum non eſt numerus:* at in eodem mari Draco verſatur, nam paulo poſt dicitur: *Draco iſte, quem formaſti ad ludendum in eo.* Ergo ideo reptilia apud Deum non habent numerum, ideſt inter creaturas Deo acceptas, non recenſentur, quia cum Dracone habitant: vt hinc detur intelligi, quod Iniqui, & Peccatores non numerantur inter homines, quia cum infernali Dracone familiaritatem habent: Apertè id docet D. Hieronymus *in cap. 1. Nahum to. 5. pag. 172. lit. B. In quibus parua natant Reptilia; quibus non eſt numerus: neque enim digna ſunt numero, quæ cum Dracone verſantur.*

2 Deus cum omnium ſit conditor, omnia cognoſcat neceſſe eſt, nec poteſt aliquid eſſe niſi a Deo fiat, nec aliquid fieri poteſt, quin ſit ab ipſo volitum; nil autè volitũ quin præcognitũ: iſta autem cognitio ita eſt Deo eſſentialis, vt ſine illa intelligi nequeat. Quomodo autem de quibuſdã peccatoribus per Prophetã dicit, eorũ ſe memoriam non habiturum; *Pſal. 15. v. 5. Nec memor ero nominum eorum per labia mea?* Sed aduertendum eſt dupliciter memoriam intelligi poſſe; primò pro ſimpliciter recordari; & hoc modo Deus neceſſariò omnium recordatur, & habet memoriam; ſecundo modo recordari ad benefaciendum; vnde & apud nos dicitur cum Princeps, aut amicus dona, vel præmia largitus eſt, & nihil nobis dedit, quod memoriam noſtri non habuit, ideſt non eſt recordatus ad largiendum; ſic etiam de ipſo Domino aliquando dixit Pſalmus 108. verſ. 16. *Non eſt recordatus facere miſericordiam;* ideſt noluit facere miſericordiam. Diuites ergo, & peccatores, quorum crimina redarguuntur; vel pœnæ taxantur non numerantur a Deo inter homines, ideſt eorum nomina in ſacris literis non apponi: etenim cum duo teſtamenta labia ſint, quibus nobiſcum loquitur Deus, æquum non eſt ea pollui nominibus peccatorum; & ideo dictum eſt: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea:* ideſt eorum nomina in ſacris ſcripturis non ſcribentur. Ita hunc locum interprætatur D. Paulinus *Epiſc. Nolan. Epiſ. ad Alethicũ Epiſc. pag. 194 lit. C. Hoc enim ipſum conſiderare te volo, eorum Diuitum, quorum vel crimina, vel ſupplicia in ſcripturis ſignata ſunt, nomina ſignificata non eſſe. Quia ſine dubio indigni erant, vt ſermone diuino nominarentur, quos aut vita obliterauit impietas, aut auaritia deleuit. Ideo prædixerat Dominus in Propheta de ipſis: Nec memoo ero nominum eorum per labia mea: Hoc eſt per immortalium duo teſtamenta verborum, quæ oris diuini labia benè dicuntur. Hæc ergo labia pollui noluit nominibus impiorum diuina Iuſtitia.*

3 Neque ergo digni ſunt impii, vt ab ore diuino nominentur, & inter iuſtos numerentur. Probat hoc etiam citatus Doctor alio ſacræ ſcripturæ teſtimonio. Cum Dominus ad turbas ſermonem haberet, quidam accedens ad eum dixit; *Matth. cap. 19. verſ. 16. Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam:* eum Dominus in legis præceptis inſtruxit, quibus ſeruatis vitam haberet; ſed cum ille omnia ſe ſeruaſſe diceret, tandem ad temporalium deſpectum eum cohortatus eſt; *verſ. 21. Si vis perfectus eſſe vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni ſequere me.* Ille autem id minimè acceptans; *verſ. 22. abijt triſtis, erat enim habens multos poſſeſſiones.* Hic quæreret aliquis, quis iſte fuerit tam exactus cultor legi, ſed reſpondemus, neſcire nos, neque enim ſacræ literæ nomen indicant: Sed cur ſacræ literæ, quæ Mattheum, Zaccheum, Magdalenam, alioſque peccatores nominat, iuſtum hunc reticent? Vtique quia illi per pœnitentiam præteritæ vitæ maculas deleuere; hic autem, quia perfectionem amore pecuniarum aſſecuturus

turus

Digitized by Google

turus non erat tamquam iniquus non nominatur; ipſum audiamus Paulinum ita dicentem *loc.cit. Illius quoque Diuitis, qui gloriatus in lege completa, conditionem adipiſcendæ perfectionis diuitiarũ ſuarum amore auerſatus eſt, cæcitatem legimus, vocabulum non tenemus; erat enim, inquit, habens multas poſſeſſiones*. Nomina enim omnia ad laudem ignorat Deus, quæ in libro vitæ non ſunt exarata.

3 Tanta eſt in hominibus immortalitatis cupiditas; tantum famæ deſiderium, vt non dubitauerint nonnulli etiam per ſceleta famam quærere; eamque aſſecuti ſunt; nulla humana induſtria eorum nomina ex hominum memoria expungere valente; quod & in Eroſthrato videre eſt, qui famæ cupidus epheſinum templum deſtruxit; & licet Rex eius nomen ſilentio tegendum mandaſſet, nihil profecit, ad nos enim peruenit, & adhuc in ore hominum voluitur. At non ita apud Deum res ſe habet, Spiritu enim ſancto aſpirante quę ſcripta eſt hiſtoria, vel ipſo Dei verbo docente, peccatorum nomina non recenſet. Apud Lucam narratur quædam Hiſtoria, omnibus nota de quodam Diuite ad flammas æternas damnatos, & de quodam paupere ad Cœli gaudia ſublimato; ſed hæc eſt vtriuſque differentia, quòd Diues tanquam fama indignus non nominatur: *Luc. cap.16. ver.19. Homo quidam erat Diues*: Pauper vero ex proprio nomine celebratur. *Erat quidam mendicus nomine Lazarus v.* 20. Hic enim nominatur ad gloriam, ille ſiletur ad mulctam. Vnde ait Titus Boſtrenſis *in cap.16. Luc. ap. Bibliothe. colon. to.4. pag.* 356. *lit. H. Hunc itaque durum, & in pauperem inhumanum Dominus anonymum, nominiſque expertem inducit*. Cadant ab hominum, Deique memoria nomina impiorum.

4 Magnum eſt beneuolentiæ, ac amoris indicium, cum Princeps aliquem ex proprio nouit, ac vocat nomine. De Alexandro Seuero Romanorum Imperatore, ac alijs belli Ducibus narratur omnes milites nominatim & nouiſſe, & nominaſſe, quæ res illis magnum militum amorem conciliauit. Ita Deus optimus maximus milites ſuos nominibus vocat proprijs, peccatores verò ex nomine non nouit, nec vocat, quia ad exercitum eius non pertinent. Manifeſtè id colligitur ex Geneſi. Ex domo ſoceris ſui fugiebat Iacob, eique non ſemel apparens Deus, non ſolum propriò vocauit nomine, ſed nomen alterum Iſraelis ei dedit: cum verò eum inſequeretur Laban ſocer eius, voluntate quidem in eum ſæuiendi, repreſſus eſt a Domino; qui in ſomnis ei, ne fureret in Iacob prohibuit; ſic enim dicitur: *Gen. cap 31. verſ.25. Viditque in ſomnis dicentem ſibi Deum, caue ne quidquam aſperi loquaris contra Iacob*. Vide hic Deum Labano in ſomnis loqui, non ei manifeſtè apparere, nec eum ex nomine vocare, vt fecerat Iacob; non enim niſi ſuos milites proprio nomine nouit Deus ad ſaluandum, & benefaciendum: ita Rupertus Abbas Tuitienſis *lib.* 33. *cap.43. in Geneſ. tom.* 1. *pag.155. col.1. Non audit hic Deum vocantem ſe ex nomine, vt vocare ſolitus erat Iacob: nec enim eius erat meriti, propter quod Deus noſſet eum ex nomine; ſed tantummodo vidit ſibi iratum, comminantemq; & dicentem: Caue ne quidquam aſperi loquaris contra Iacob.* Sic ergo digni non ſunt impii & peccatores, vt Dei vocabulo inter homines numerentur.

§. IX.

Humiles, & Spirituales in Prelatos eligi debent.

1 A*Nimalia puſilla cum magnis*. Ad oſtendendam Dei potentiam, & ſapientiam innumera ferè repentia marinis aquis iniecta viuunt: Si tamen tropologicè loquimur, ſatis clarè patet Mare Eccleſiam eſſe, piſces vero Fideles; ſed illud haud ſine myſterio in hac deſcriptione ordinatum videtur, quòd prius numerantur animalia puſilla, quam magna; oppoſitum enim faciendum fuiſſe videtur, vt prius Magni, vtpotè Principes recenſerentur. Attende hic canentis Prophetæ eruditiſſimam ſententiam: per Animalia puſilla intelliguntur humiles, & ſpirituales, per magna ſuperbi, & vanihomines; porro ad Eccleſiaſticas dignitates, non ſuperbi, ſed humiles eligendi ſunt, & ideo in Mari Eccleſiæ puſilla animalia magnis præponuntur, cum dicitur: *Animalia puſilla cum magnis*: Vnde Incognitus. *Animalia puſilla intelliguntur in mundo humiles, & per magna ſuperbi, quæ animalia puſilla dicuntur volucres.*

2 Notat autem Idem Doctor huius rei pulcherrimum Hieroglifhicum apud Danielem Prophetam, Caldeorum Imperatori ſomno dedito ſomnium myſticum diuinitus oſtenſum eſt, ſcilicet Arborem maximam, quæ cum terram ramis tegeret culmine tangebat Cœlum, eſca ad omnium viuentium vſum abundans, pulcherrimis decorata folijs eminebat; rami eius volucribus pleni erant, & ſub illius vmbra Animalia terreſtria, & Beſtiæ verſabantur: *Daniel. cap.4. verſ.7. 8.9. Videbam & ecce Arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia; magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens Cœlum; aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ: Folia eius pulcherrima; & fructus eius nimis, & eſca vniuerſorum in ea; ſubter eam habitabant Animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cœli:* Eccleſia Arbor iſta eſt, quæ in terra ſita, & per vniuerſas terræ regiones propagata, ad Cœlum pertingit, quo fideles ſuos perducit: folia pulcherrima habet, ſanctorum videlicet exempla, & fructibus virtutum, ac meritorum abundat. Verùm in hac arbore obſeruandum eſt, quod Volucres, quæ puſilla Animalia ſunt, in ramis reſident, Beſtiæ verò, quæ magna ſunt, in terra; quia ſcilicet ad regendam Eccleſiam illi in Prælatos ſunt eligendi, qui ſunt puſilli, ſeu humiles, & ſpirituales, non vani, & ſuperbi; mirificè id daclarat Incognitus, ſubdens. *De Arbore Danielis, qua ſignificatur Eccleſia, dicitur Danielis* 4. *quod ſubtus arborem habitabant Animalia, & Beſtiæ, & in ramis eius volucres Cœli conuerſabantur. Hic per Arborem vniuerſalem Eccleſiam intellige; In ramis eius conuerſantur volucres, ſcilicet Animalia puſilla per humilitatem, cœleſtia contemplantes, & vt Prælati alijs ſuper intendentes; ſed ſubtus Animalia, & Beſtiæ manent; quia terreni, & ſuperbi peccatores per humiles, & ſpirituales regi debent. Sed vt notant Doctores, hodie videtur mirabile, quia rectus ordo peruerſus videtur; ſic quòd Animalia, & Beſtiæ habitant in ramis Eccleſiæ, ſed volucres conuerſantur in terra, quia animales, & beſtiales ad prælationes altas eriguntur: ſed ſpirituales, & boni, & humiles ſubarbore in terra, & in abyſſo relinquuntur.* Sed vbi diuinæ charitatis ardor elucet, nonniſi humiles ad Prælationes eligi debent.

3 Supremi Eccleſiarum Paſtores, quibus electio Prælatorum incumbit, inter alias conditiones, quas in eligendis inquirere debent, prima omnium humilitas ſit, hæc enim viri verè ſpiritualis indicium eſt, non deſpiciatur prudentia, laudetur doctrina, bonitas exaltetur, ſed ſine humilitate, hæc omnia paruipendat. Mittitur a Deo ſapientiſſimus Propheta Samuel ad eligendũ Regem ſuper populum Domini, de filiis Ieſſe; & eum primum ſibi occurriſſet primogenitus Eliab, cœpit inquirere, vtrũ ad prælationẽ idoneus eſſet 1. *Reg. cap.16. v.6. Vidit Eliab, & ait: num coram Domino eſt Chriſtus eius?* Obſeruabat eius vitæ optimam conuerſationem, haud ſpernendam eruditionem, nec non formæ præſtantium; ſed adhuc de vlteriori perfectione ſollicitus, humilitatem requirebat; qua deficiente reprobatus eſt; *verſ.7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum*: Et rectè quidem ad noſtram doctrinam ſic ſcriptum eſt vt ſciremus, nullas virtutes in eligendis in Prælatos, alicuius eſſe meriti apud Deum, niſi adſit humilitas: vt notauit D. Gregorius Mag. *lib.6.*

in cap.16.

in cap.16.1.Reg.to.1.pag.291.lit.B. Quos ergo Eliab rectius quam bona agentes, & eruditos ſignificat, ſed arrogantes? Merito ergo repellitur, quia in ſpirituali culmine nonniſi humiles præferuntur. Subtiliter ergo Propheta de Vngendi perſona exquirit, dicens: Num coram Domino eſt Chriſtu s eius: Modo hoc ſit quando ſummus Doctor & vitam], & intelligentiam Eligendi cognoſcit, ſed adhuc de humilitatis virtute perquirit. Cum ad Eccleſiæ ramos nonniſi per humilitatem, puſilli ſubleuandi ſint.

4 Id autem minime ſeruant terreni Principes.& mundani Electores, non enim ſpirituales, & humiles, ſed malos, & ſibi ſimiles ſuperbos eligunt. De hoc quærebatur ſapientiſſimus Eccleſiaſtes, dum dicebat *cap. 10. verſic. 6. Vidi malum quod eſt ſub Sole, quaſi per errorem egrediens a facie Principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & Diuites ſedere deorſum.* Vbi nomine ſtulti ſuperbum intelligit: quæ enim ſtultitia maior iſta, aliquid ſe eſſe æſtimare hominem, cum nihil ſit; nomine verò Diuitis, non pecunijs, ſed virtutibus pollentes ſignificat; quibus deſpectis. & derelictis ſuperbos eleuatos eſſe conqueritur: vt fatetur Cardinalis Hugo *in cap. 10. Eccleſ. pag.98. col. 3. Vidi malum quod eſt ſub Sole quaſi per errorem egrediens a facie Principis, ideſt diaboli id procurantis, vel cuiuſlibet terreni Principis, qui malos exaltat, & bonos humiliat: Et quod eſt illud? ecce poſitum ſtultum in dignitate ſublimi ſæculari, vel Eccleſiaſtica, & diuites ſapientia, virtutibus, bonis operibus ſedere deorſum, quaſi viles, & abiectos.* Videant electores quid agant; ſi ſecundum Dei voluntatem, incedere ſatagunt, eique placere, humiles, & ſpirituales eligant.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimuſquintus.

Mare tunc fuit omnibus gratijs exundans, illic dona innumerabilia Spiritus ſancti.

VIrginis Deiparæ varijs ſymbolis declarantur encomia; nullum tamen ita explicat eius gratiarum affluentiam ſicuti Mare: neque enim numerabilis gratiæ, & menſurabilis fuit plena, ſed vaſtiſſimo gratiarum Oceano redundauit. Nam ad componendum mare non quæuis ſufficit aqua ſed requiritur immenſa aquarum abundantia; ſic ad Mariam ſanctificandam, quæ inter ſanctos quaſi Mare inter fontes eſt, immenſa gratia requirebatur. Ea propter haud immerito Maris nomine, & maris ſpatioſi, ac finibus latè patentis, ipſam ſignificatam dicimus; eamque nominamus *Mare magnum, & ſpatioſum manibus*; ſi loco reptilium, quæ illic ſunt, innumerabilia Spiritus ſancti dona accipianus; cum ferè inexplicabili exundet gratia: vnde ait Seraphicus Doctor Diuus Bonauentura Cardinalis *in ſpecul. Virg. lect.3.tom.6.pag.453.col.2.lit.F. Conſidera chariſſime, quòd Maria dicitur Mare propter affluentiam gratiarum, & copiam; vnde ſcriptum eſt: omnia flumina intrant in mare. Flumina ſunt chariſmata Spiritus ſancti; omnia flumina, ideſt omnes gratiæ, intrant in Mariam.* Igitur ſub nomine vaſtiſſimi Maris Mariæ gratiam conſiderare debemus.

Maria Virgo fuit Gratiarum Oceanus.

1 MAre &c. Cum in initio mundũ conderet æternus Faber elementa iuxta eorum naturam diſpoſuit, ita vt terram in centro poſitam immenſus aquarum Oceanus circumdaret; quia verò hoc ad viuentium generationem minimè conducebat, ſeparauit terram ab aquis, eamque viuentium deſtinauit incolatui; aquas verò hinc inde collectas, & congregatas mare nuncupauit: *Congregationeſque Aquarum appellauit Maria*: Terra arida, priuataque gratiarum vnda Maſſa humana peccatrix eſt; quæ cum in primo homine circumdata gratiarum aqua floreret, ſtatim ac in ſuperbiam elatus ille peccauit, tamquam arida tellus a gratiarum fonte ſeparatus fuit: Et licet pęnitentibus hæc aqua ex parte redierit nõ tamen tanta in eis concurrit aqua, vt mare poſſet appellari. At hoc in Maria completum eſt; omnes aquarum Congregationes, omnia gratiarum chariſmata in eam congregata vaſtiſſimum Mare conſtituerunt: nulla ei deeſt gratia, quę ipſius filij Dei Mater eſt; quòd ſi ad germinandum plantas requiritur in terra aquarũ irrigatio, quæ in Deipara terra aquarum ſuffeciſſet quantitas, n i immenſa fuiſſet, ad infinitum germen edendum? Matrem ergo Dei ſi verè prædicamus, dicamus omnes aquarum venas, ac gratiarum fontes in eam congregatas ſpatioſũ mare feciſſe: quod & relatus Doctor Seraphicus *loc. cit. lect.7.pag.462.col.1.lit.F.* oſtendit. *Tanta nempe inundatio gratiæ, tanta profunditas, & magnitudo in Maria fuit, vt ipſa bene mare plenum dici poſſit; iuxta illud: Tonet mare, & plenitudo eius: ſicut in Mari aquarum ſic in Maria ſunt congregationes gratiarum. Vnde ſcriptum eſt: congregationeſque aquarum appellauit maria.* Gratiarum ergo hoc mare pleniſſimum eſt.

2 Om-

2 Omnium fluminum, nec non & aquarum fons Mare eſt; omnes enim ab eo exeuntes Aquæ, in ipſum iteratò redeunt; quæ cauſa eſt cur mare, in quod tot exonerantur maxima flumina, numquam excreſcat, nam ad ſuum principium redeunt aquæ; ei terra debet fæcunditatem ſuam, cuiùs fontibus irrigatur; cum ergo ab eo accipiat vndas, ad ipsũ grati animi cauſa aquas immittit; de quo Sapientiſs. Salomon: *Eccl. c. 1. v. 7. Omnia flumina*, inqnit, *intrant in mare, & mare nõ redũdat; ad locũ, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterũ fluant*. Mare Maria eſt, in qua omnes gratiarum aquæ congregatæ fuerunt; at nunc ipſa ſanctis omnibus gratiam largitur, nec aliquid ſancti obtinent viri virtutis, aut meriti, quod ex deuotione Virginis Deiparæ originem non ducat; idcirco omnes Sancti Mariam colunt, celebrant, venerantur que, reddentes nimirum gratias pro acceptis gratijs, quaſi flumina ad fontem ſuũ Oceanum redeuntia; hoc fatetur ex omnium nomine Diuus Bernard. Senenſis *ſer. 5 de Nat. Virg. art. vnic. c. 8. 10. 4. pag. 119. col. 1. Non timeo dicere, quod in omnium gratiarum effluxus, quandam iuriſdictionem habuerit hæc Virgo, de cuius vtero, veluti è quodam Diuinitatis Oceano, riui, & flumina manabant omnium gratiarum*. Nam cum Virgo omnes in ſe gratiarum congregauerit fontes, omnibus gratiarum ſuarum munera impertitur.

3 Nonnulli reperiuntur homines, qui in peculiari ſyderum aſpectu nati, naturalem habent aptitudinem ad reperiendam aquam: hi baculum aliquem ex ſylueſtri auellana confectum in manibus tenentes, cum peruenerint ad locum, vbi latet aqua, ex baculi conuerſione ſtatim agnoſcunt, propterea Aquarii nuncupati ſunt. En nobiliſſimam inuentricem aquarum Virginem: intemeratam, corpore, ac mente impollutam; Hæc cum in ſe optimam haberet diſpoſitionem ad inueniendam gratiarum aquam, virgam Ieſſe manibus ſuis tenens, æternitatis fontem inuenit. Non audiſti aſſerentem Angelum: *Luc. capite 1, verſic. 30. Inueniſti gratiam apud Deum?* Inuenit gratiam, non riuulum, non fonticulum, ſed totius gratiæ abyſſum, cum diuinum fontem aqua viua pleniſſimum ſuo vtero excepit; ſicque virginitatis merito, tanto gratiarum fonte adinuento, Mare pleniſſimum facta eſt. Egregiè id proſequitur Damaſcenus *orat. 1. de Dormit. Deipa. pag. 350. lit. C. D. Sane gratiam ea inuenit, quæ gratiam merebatur. Inuenit gratiam, quæ gratiæ laborem exoluerat, ac copioſam gratiæ ſegetem collegerat. Gratiæ abyſſum inuenit, quæ duplicis Virginitatis nauim incolumem ſeruauerat, animamque non minus, quam corpus virginem cuſtodierat, vnde etiam corporis virginitas conſtabat*. Mare ergo meritò nuncupatur, quæ abyſſum gratiarum inuenit.

4 Atque ex his euidenter colligitur magnitudo gratiarum Virginis, ac immenſitas; nam alia debet eſſe aquarum affluentia ad componendum oceanum, quam ad fontem aliquem: licet enim in paruo vaſe aqua congregetur, non propterea Mare dicendum eſt, ſed illud propriè, & riguroſè mare eſt in quo omnes adunantur aquæ. Multis ſanctorum meritis gaudet Eccleſia ex quibus gratiis affluentibus aliqui riuuli ſunt, alii torrentes, alii fluuii, & hi quidam parui, maiores alii, nonnulli maximi, & veluti ingentes, vt Ieremias, & Ioannes, qui ex matris vtero gratia pleni iuuenti ſunt; at nullum flumen, licet maximum, cum Oceano comparari poteſt; fluuij ſunt alii, at Maria Mare, non ſolum maximam, ſed ferè immenſam, ideſt omnem gratiæ plenitudinem habet; quod Angelus indicauit, dicens *Luc. cap. 1. verſ. 28. Aue gratia plena*: quaſi diceret. Multi reperiuntur ſancti, qui Dei graria pleni ſunt, ſed ſunt tantum fluuii, habent tantummodo aliquam gratiæ partem, non totam; at tu ſola gratia plena, quia totam ſancti Spiritus, in te ſpecialiter superuenientis, gratiam coadunaſti. Ita mellifluus Bernardus *ſerm. 4. ſup. Salue Reg. pag. 1743. lit. k. Ieremias, & Ioannes, alter ſantificatus, alter ſpiritu ſancto repletus in vtero matris leguntur. Ergo & tu Maria Genitrix Dei: quæ ſola totam gratiam Spiritus ſancti poſſediſti, quam alij habuere per partes*. Ne aliquis dubitare vlterius poſſet gratiarum mare eſſe Mariam.

5 Magnitudinis lacus, nec non & fluuiorum differentiam, ex terræ vacuitate ortam eſſe inficiatur nemo: etenim quo maior eſt ſoli cauitas, & profunditas, maiorem colligit aqua; ſicuti Vaſa diuerſa ſi aqua ſint implenda illud maiorem excipiet vndam, quod maius eſt, & conſequẽter maiorem vacuitatem habet. Porro Mare idcirco vaſtiſſimum eſt, quia maximam terræ concauitatem replet. Vaſa ſpiritus ſancti omnes Animæ Iuſtorum ſunt; cum de quodam ipſe dixerit: *Act. cap. 9. verſ. 15. Vas electionis eſt mihi iſte*: Pro magnitudine vero vaſis maior, vel minor gratia recipitur: ſed aliarum animarum vaſa, paruæ concauitates ſunt; Maria vero vas eſt quoddam ampliſſimum; de quo illud Sapientis dici poteſt *Eccl. cap. 43. verſ. 2. Vas admirabile opus Excelſi*: Mirum ergo non eſt, ſi Sanctorum cæterorum animæ parui fontes, aut flumina ſunt, Maria verò vaſtimum mare; nam ad maximum replendum Vas, & immenſum, immenſa etiam gratiarum vnda requirebatur, teſte D. Bonau. Cardinal. *in ſpec. Virg. lect. 5. to. 6. pag. 458. col. 1. lit. C. Immenſa fuit certè gratia Mariæ, immenſum enim Vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit illud, quo eſt plenum. Maria autem Vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum, qui Cælo maior eſt, continere potuit*. Accurrant ergo, ò fideles, Deuotionis, & lacrymarum aquæ noſtræ ad hoc Oceanum; Mariam omnes meritis laudibus celebremus, vt ex eius pleniſſimo gratiarũ Oceano gratijs nos etiam repleamur; tantaque vnda fæcundati, fructum virtutum proferamus.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

HOc mare magnum, *&c.* Spatioſum mare eſt, & elementum quoddam afferens permultas commoditates hominibus, tum in facilitate nauigandi in remotas mundi plagas, tum in Reptilium, ſeu Natatilium innumera multitudine. At ſi ipſum allegoricè interprætatus fueris, haud minores vtilitate præſtabit.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *De Maris varies ſignificationibus.*
2 *De Reptilium, ſeu Piſcium multiplici allegoria.*
3 *De Numeri, & Numerare Hieroglīphicis.*

§. I.

De Maris varijs Significationibus.

1 DE Mari literaliter quid ſit, iam ſatis ex ſupradictis patet. Allegorice primo mundum ſignificat, in quo piſces homines, & Piſcatores Apoſtoli: nam de mundo dictum eſt: *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic Reptilia, quorum non eſt numerus.* Vbi Aſtenſis Bruno *De nou.mund. cap. 8. pag. 191. col.2. tom.2. Nouum igitur mare mundus eſt, quomodo ſuperius diximus: Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: Retia Euangelia, Piſces homines, Piſcatores vero Apoſtoli.*

2 Mare Baptiſma eſt, quia ſicut mare ducimur quò properamus, ita per Baptiſma aſcendimus in Cœlum: cuius figura extitit Æneũ Mare in tēplo poſitũ; *3.Reg.c.7 v.23. Fecit quoq; Mare fuſile decē cubitorũ &c.v.25 Et ſtabat ſuper duodecim Boues;* Et idem Bruno *de laud.Eccl. cap.4.tom.2.pag. 163.col.1. Mare æneum Baptiſma eſt; duodecim Boues duodecim Apoſtoli ſunt.*

3 Mare dicitur fęnerator, & auarus, qui inſtar Maris numquam expletur, de quo ſcsiptum eſt, Eccle.*capit.1. verſ.7. Omnia flumina intrano in mare, & mare non redundat,* & Diuus Ambroſius, *libr. de Tob.capit.13. Mare iſtud Fœnerator eſt, omnium patrimonia tamquā fluctus abſorbet, & ipſe neſcit expleri.*

4 Mare ſignificat Gentilem, & Idololatram Populum; & mare conuertitur in aridam, cum Gentiles conuertuntur ad fidem Chriſti, de hoc Pſalm.65.*verſ.5. Qui conuertit mare in aridam,* & ibi Signienſium Præſul D. Bruno Aſtenſ. *in Pſalm.6.5 pag.209.column.1. Per mare mundum, per aridam Eccleſiam intelligamus. Conuertitur autem mare in aridam, quando Gentiles, & Idololatræ ad Eccleſiam tranſeunt, & Chriſtianam fidem ſuſcipiunt.*

5 Mare Pœnitentia dicitur peccatores mundans, de qua dicit Ionas in perſona peccatoris, *cap.1.verſicul.12. Tollite me, & mittite in mare,* & Lyranus. *Dominus autem miſit ventum magnum, id eſt contritionis ſpiritum, quando talis Prædicator percipit defectum ſuum; & ſic peccatum ſuum recognoſcens mittitur in mare, id eſt in amaritudine pœnitentiæ.*

6 Mare eſt doctrina Philoſophorum, de qua Propheta Iſaia, *cap.51.verſ.10. Numquid non tu ſiccaſti mare?* & Gloſſ. interlin. *Id eſt Doctrinam Philoſophicam.*

7 Mare eſt amaritudo huius ſæculi, vnde Pſalmus 88. *verſ.26. Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.* & ibi Diuus Auguſtinus, *in Pſalm* 88. *pag.645.col.2.lit.D. Flumina currunt in mare, & cupidi homines in amaritudine huius ſeculi probantur.*

8 Per Mare intelliguntur homines peſtiferi, & mali, vt in relatum verſum ait Lyranus, *in Pſalm.88. Ponam in mari manum eius, ad reprimendum peſtiferos per Mare turbulentum ſignificatos:*

9 Mare eſt militans Eccleſia, de qua dicitur Apocalip. *capit.4. verſicul.6 Tanquam mare vitreum ſimile chriſtallo,* vbi Eminentiſſimus Hugo, *in Apocalipſ.pagin. 381.column.2. Per mare militans Eccleſia ſignificatur, quæ tribulationibus adhuc expoſita eſt.*

10 Mare viros contemplatiuos ſignat, vt in eumdē verſum, Gloſſa Interlin. *Tanquam mare vitreum ſimile chriſtallo, id eſt dedit contemplationi Cæleſtium.*

11 Mare lutuoſum, eſt doctrina ſæcularis ſordida, vnde Propheta Habac. *capit.3.verſicul. 15. Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum,* & Diuus Gregorius, *lib.34.cap.13.mor.pag.1097.lit.B. Ac ſi diceret; Aperuiſti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas huius ſæculi, ſordida, & terrena ſapientes.*

12 Mare, eſt mundi perſecutio in bonorum hominum vitam, de qua Pſalmus 92.*verſic.4. Mirabiles elationes maris,* & idem Gregorius, *lib.9.cap.5.moral.pag. 512.lit.E. Vnde benè per Pſalmiſtam dicitur: mirabiles elationes maris: quia contra electorum vitam ad perſecutionis vndas mundus ſe mirabiliter extulit.*

13 Mare eſt vita Infidelium, vnde dicitur Iſai. *cap. 23.verſicul.4. Erubeſce Sydon ait mare,* & citatus Doctor, *libr.1.capit.2.moral.pagin.309.liter.D. In Sydone quippe figuratur ſtabilitas in lege poſitorum: In mari autem vita Gentilium: Erubeſce ergo Sydon, ait mare: quia ex vita gentilium redarguitur vita ſub lege poſitorum.*

14 Mare eſt mens humana: vnde apud Iob, *cap.38.v. 16.* de Deo dicitur, *Numquid ingreſſus es profundum maris?* vbi Diuus Gregorius, *libr.29.capit.8. moral. pag. 961.lit.B. Mare quippe eſt mens humana, cuius profunda Deus ingreditur, quando per cognitionem ſuā ad lamenta pœnitentiæ ab intimis cogitationibus perturbatur.*

15 Mare eſt carnalis concupiſcentia, de qua Iob, *cap. 28. verſ.14. Mare loquitur non eſt mecum,* vbi Diuus Gregorius, *libr.8.cap.25.moral.pagin.725.liter.E. In his itaque inquietudinum fluctibus habitare Sapientiam non poſſe cognoſcens, ait: Mare loquitur non eſt mecum: Nullus quippe eam plenè recipit, niſi qui ab omni ſe abſtrahere actionum carnalium fluctuatione contendit.*

16 Mare lacrymæ ſunt, in quo peccata lauantur, & ideo ſcriptum eſt, Exod.*cap.38.verſ.8. Fecit, & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum,* & Diuus Bernardinus Senenſis, *tom.2.ſerm.52.art.3.cap.1.pagin.834. colum.1. In huius myſterium, Exod 38. dicitur, quòd mare æneum factum eſt de ſpeculis mulierum. Maculæ quidē in ſpeculis viſæ, in mari pœnitentiæ lacrymarum lauandæ ſunt.*

17 Mare ſignat malos Angelos, de quo Iob, *capit.38. verſ.8. Quis concluſit oſtijs mare?* & idem Bernardinus Senenſis, *ſerm.55.art.2.cap.3.tom.1.pag.373. column.1. Cæteri vero, ſuperbientes Angeli, Luciferi circumuentione attracti, naturæ inferiori ſubijci contendebant, & ob hoc incarnationi Chriſti nequiter inuidebant: propterea, & multitudo eorum denotatur per mare, eo quod à dulcedine Dei auerſi in ſeipſis amariſſimi facti ſunt, Hos ſiquidem Deus demum oſtiis concluſit cum eorum malitiam certis ſuæ diſpenſationis limitibus coarctauit.*

18 Mare ſunt Animæ iuſtæ, de quo Pſalmus 73. *verſ. 13 Tu confirmaſti in virtute tua mare,* & idem Sanctus Doctor, *tom.2.ſerm.33.art.3.cap.4.pagin.642. column.1. Quid per mare, niſi animæ iuſtæ? quibus oblocutiones detrahentes amaritudinis cauſas præbent, ſed virtute diuinæ gratia confirmantur, ne per impatientiā cōturbentur.*

19 Mare eſt ſtrictæ conſcientiæ vexatio, vnde in Apocalipſ.*cap.10.verſ.2.* dicitur de Angelo. *Poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare,* & itidem Diuus Bernardinus, *tom.2 ſerm.53.art.2.cap.3.pag.843. column.2. Hunc pedem poſuit Angelus ſuper mare. Mare enim agitatur per turbines, & procellas, & amarũ eſt cum potatur, & per id ſtrictæ conſcientiæ amaritudo, & vexatio ſumpta eſt.*

20 Mare amarum, & deſperatum cor vocatur, vnde dicitur Thren.*cap.2.verſ.13. Magna eſt velut mare contritio tua,* vbi citatus Bernardinus, *tom.1.ſerm.30.art.2. pag.171.col.1. Quid namque per mare procellis, et turbinibus compoſitum conuenientius deſignatur, niſi amaricatum cor, quaſi timore, et deſperatione confectum?*

21 Mare exprimit ſua latitudine Paradiſum; nam ante ſedem Dei vidit Ioannes, Apocalipſ. *cap.4.verſ.6. Tāquam mare vitreum ſimile chriſtallo,* & addit idem Bernardinus, *tom.1.ſerm.60.art.1 cap.1.pagin.403 column.1. Vidi tanquam mare: mare ſiquidem latum eſt, et latitudinem exprimit Paradiſi.*

22 Cor maris mortem deſignat: vnde dicitur: *Transferentur montes in cor Maris:* id eſt carnales homines

morti tradentur: ita Bernardinus tom.1. ſer.14. artic.1. cap.4.pag.74.col.1. *Transferentur montes, ſcilicet carnales ſenſus; in cor maris, ideſt in amaram mortem*,

§. II.
De Reptilium, & Piſcium multiplici Allegoria.

1 REptilia dicuntur Piſces, & ſerpentes, nam hi per terras, illi per aquas reptant; hic autem de Natatilibus ſermo eſt. Et primò Reptilia ſunt tentationes, vt in præſenti verſu dicitur. *Illic Reptilia quorum non eſt numerus*: Vbi D. Auguſtinus *in Pſal.103. Repentes autem tentationes quis numerat? Repunt, ſed caue ne ſurripiant*.

2 Reptilia ſunt cogitationes malæ, ſicuti volatilia, bonæ; de quibus dicitur: *Gen.cap.1.verſ.20. Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram*: & Beda *in c.1.Gen.tom.4 col.24. Si mens noſtra illuminata fuerit a Sole Chriſto, iubetur poſtmodum ex his, quæ in ea ſunt, aquis producere reptilia, & volatilia; ideſt cogitationes bonas, vel malas proferre in medium*.

3 Reptilia magna ſunt Principes, puſilla vero, *quorum non eſt numerus*, ſunt multitudines populorum: ita Aſtenſis Bruno *de nou.mund.cap.8.pag.191.col.2.tom.2. Tantum eſt hoc mare quantus & mundus: in quo animalia magna ſunt (& vt in Geneſi legitur Cete grandia) per quæ Reges, & Principes, cæterique maiores, & potentiores homines intelliguntur. Puſilla vero animalia, & reptilia, quorum non eſt numerus, cætera hominum multitudo infinita, vtriuſque ſexus, &c.*

4 Reptilia magna Perfecti ſunt, & Sapientes, puſilla vero imperfecti, & inſipientes: Ita Oddo Monacus Aſtenſis *in Pſal.103. Animalia tamen puſilla, & magna, Perfecti, & imperfecti; ſapientes & inſipientes intelligi poſſunt*.

5 Reptilia ſunt Incolæ inferni, cum & mare deſignet Infernum; vnde dicitur: *Pſal. 68. verſ. 35 Laudent illum cœli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis*. Vbi D. Hilarius *in Pſalm. 68. col. 831. liter. F. In his enim, quæ in mari repunt (cum tamen in aquatilibus natatus magis ſit ex natura, quam reptio) ea, quæ in inferis degunt, docentur: cum profundum maris ſedem intelligamus Inferni*.

6 Homines terrena cogitantes Reptilia dicuntur: vnde Propheta: *Habac.cap.1. verſ.14. Et facies homines quaſi reptile non habens Principem*: & Cornelius à Lapid. *in Habac.pag.523. col.1. Plerique homines, manibus, pedibus, totoque corpore, quin & mente repunt in terra: nam nil cogitant niſi terrena*.

7 Reptilia ſunt ipſæ cogitationes terrenæ apud Ezec. c.8.v.10. *Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium*: & magnus Gregorius *lib. 26. cap.5. mor. pag. 880. lit. E. In reptilibus cognitationes omnino terrenæ ſignantur &c. & Reptilia ſunt intra parietem, quando cogitationes voluuntur in mente, quæ a terrenis deſiderijs numquam leuantur*.

De Piſcibus.

1 PIſcis ſeruans Ionam Chriſtus eſt mundum ſaluans: *Ion.cap.2.verſ.1. Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam*; & ibi Lyranus moraliter. *Et piſcis ſuſcepit eum ne ſubmergeretur, ideſt Chriſtus per piſcem ſignificatus*.

2 Piſcis eſt gens Iudæorum, cuius cor B. Virgo Maria; *Tob.cap.6.verſ.2. Et ecce piſcis immanis exiuit*. Et D. Thomas *opuſ.58. cap. 21. Piſcis ille magnus gentem Iudæorum: cor piſcis tanquam membrum nobiliſſimum, & ex quo vita procedit Beatam Virginem ſignificat*.

3 Piſcis a Petro captus, in cuius ore ſtaterem inuenit, Beatus Stephanus eſt primus Martyr: de quo Dominus *Matth.cap.17.ver.26. Eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem*. Vbi D. Hilarius *can.17. in Matth.col.552. lit.B.C. Deſtinatus enim ad prædicationem Petrus, & piſcator hominum factus hamum miſit in hoc ſæculo. Huic adhæſit beatus ille primus martyr a Domino qui ore ſuo quadrigenum denarium continebat; ideſt Euangelici numeri vnitatem. Stephanus igitur primus aſcendit; Stephanus ſtaterem ore continuit*.

4 Duo Piſces, quibus ſaturatæ ſunt turbæ, Prophetarum, doctrina eſt: *Matth.cap.14.verſ.17. Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces*: & idem Hilarius *canon.14 col.536.lit.F. Sub quinque panibus quinque libri Moyſis continebant; & piſcium duorum Prophetarum, & Ioannis prædicationibus alebantur, &c. Plebs denique quinque panibus, & duobus piſcibus alitur, & expletur: Dei ſcilicet verbo, ex doctrina legis, & Prophetarum*.

5 Piſces poſt reſurrectionem Domini capti electos ſanctos ſignificant: *Ioan.capit.21. verſ.11. Traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus*: & Magnus Gregorius *Hom.24. in Euang. tom. 3.pag.68.lit. A. Poſt reſurrectionem ergo Domini miſſum rete dignum fuit, vt tot piſces caperet, quot ſolummodo electos ciues ſupernæ patriæ deſignarent*.

6 Piſces pennulas habentes ſunt contemplatiui; de quibus dicitur: *Deuter. cap.14. verſ.9. Hæc comedetis ex omnibus, quæ morantur in aquis; quæ habent pinnulas, & ſquamas comedite*, & Magnus Gregorius *lib 5. cap.8.mor.pag.408 lit.C. Piſces namque qui habent pennulas, ſaltus dare ſuper aquas ſolent. Soli ergo in electorum corpore quaſi piſces tranſeunt, qui in eo quod imis deſeruiunt, aliquando ad ſuperna conſcendere, mentis ſaltibus ſciunt*.

7 Piſces maris, qui ſemper in motu ſunt curioſos denotant: de quibus Pſalmus 8. *verſ. 9. Piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*. & citatus Doctor. *lib. 11. cap.2. mor. pag. 564.lit.C. Quid per piſces maris niſi curioſos huius ſæculi debemus accipere? De quibus Pſalmiſta ait; Piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*.

8 Piſces magni, qui paruos edunt, ſunt Potentes, qui inferiores opprimunt, qui hic per *Animalia puſilla, & magna* exprimuntur: vnde vulgatum ſumptum eſt Adagium ex Polybio: *Piſces maiores glutiunt minores*. Et D.Baſilius *Hom.4. Hex.pag.14.lit.C.* ait. *Maior pars piſcium liguriunt alter alterum, atque deuorant, & minor apud illos eſca maioris eſt, &c. Quid igitur nos homines; aliud agimus cum vim inferimus inferioribus?*

9 Piſces in genere homines generaliter ſignant: vnde dicitur *Matt.c.13. verſ.47. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium congreganti*: Et D. Ambroſius *lib.5. in Hex.cap. 6. pag. 31.lit.G. Piſcis ergo es, o homo: audi quia piſcis es: ſimile eſt regnum cœlorum reti miſſæ in mare, & ex omni genere piſciū congregāti, Matt.c.13. ſunt ergo boni, & mali piſces: boni conſeruantur ad pretium; mali ſtatim ardent*.

10 Quia Piſces aliqui optimè olent, vt de Thymallo ait idem Doctor; de homine qui gratiam redolet dicitur: *Aut piſcem olet aut florem*. Ait namque *cap. 2. pag. 30. lit.E. Neque te inhonoratum noſtra proſecutione Thymalle dimittam, cui a flore nomen inoleuit; ſeu Ticini te fluminis, ſeu amæni Atheſis vnda nutrierit, flos es. Denique ſermo teſtatur, quod de eo, qui gratiam redolet ſuauitatem dictum facetè ſit. Aut piſcem olet, aut florem*.

11 Piſces cupidos auaros denotāt: vnde Ezec.c.29.v.4. *Agglutinabo piſces fluminū tuorum ſquamis tuis*. Et Cardinalis Hugo *in Ezech. pag.100.col.4. Ideſt Diuites cupidos auaros, qui in præſenti vixerunt in fluminibus diuitiarum, & deliciarum, adhærere faciam ſquamis panarum tuarum*.

Digitized by Google

§. III.

De Numeri, & Numerare Hieroglìphicis.

1 NVmerus eſt partium, ſeu indiuiduorum eiuſdem ſpeciei ordinatio, & determinatio : & numerare eſt ordinare, ſeu determinare. Et primò numerare ſumitur pro minuere, ſeu ad paucos reducere : Ita Propheta : *Iſai cap. 10. verſ 19. Reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur*. Vbi Lyranus id applicans ſequacibus Antichriſti, ait. *In monte oliueti cum exercitu ſuo fulminabitur, paucis exceptis, de quibus ſubditur : Reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur; idest de facili, quia remanentes, detecta falſitate Antichriſti, firmiter adhærebunt.*

2 Numerari in gladio eſt æternis tradi ſupplicijs : ita Iſaias *cap. 65. verſ. 11. 12. Vos, qui dereliquiſtis Dominum &c. Nemerabo vos in gladio, & omnes in cædu corruetis* : & D. Hieronymus *in cap 65. Iſai pag. 217. lit. H. Iuxta tropologiam autem hoc dicendum eſt: quod omnes, qui Eccleſiam deſerunt &c. æternis tradentur ſupplicijs, ita vt nullus eam cædem, & ruinam poſſit euadere.*

3 Numerus determinatus militum Abrahæ, Fidelium electionem ſignat : vnde dicitur: *Gen. cap 14. verſ. 14. Numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo* : & D. Ambroſius *lib. 1. de Abrah. cap. 3. to. 1. pag. 106. lit. G. Quid eſt numerauit? elegit. Numerauit autem trecentos decem, & octo, vt ſcias, non quantitatem numeri, ſed meritum electionis expreſſum: eos enim adſciſcit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem crederent.*

4 Gens innumerabilis ſunt maligni ſpiritus : vnde apud Ioel *cap. 1. verſ. 6.* dicitur. *Gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis, & innumerabilis*; & ibi D. Hieronymus *in cap. 1. Ioel. tom. 5. pag. 79. lit. G. Aſcendit gens principum mundi huius & tenebrarum, & ſpiritualia nequitia in cæleſtibus, aduerſus quos nobis eſt lucta.*

5 Numerus inæſtimabilis annorum eſt Æternitas; vnde de Deo dicitur : *Iob. cap. 36. verſ. 26. Numerus annorum eius inæſtimabilis.* Vbi Magnus Gregor. *lib. 27. cap. 3. moral. pag 910. lit. E. Dicere vtcumque æternitatem voluit, & ipſos æternitatis longitudinem annos vocauit &c. Ideo annos ſine æſtimatione multiplicauit.*

6 Dinumerare menſes conceptus Ceruarũ, eſt Deum præmiare non ſolum exercitium bonorum operum, ſed etiam cogitationes de illis : vnde Iob *cap. 39. verſ. 2. Dinumeraſti menſes conceptus earum*: & Idem ſanctus Doctor *lib. 30. cap. 10. mor. pag. 993. lit. E. Deus vero ad retributionis gloriam non ſolum effectum conſiderat, ſed etiam momenta cogitationum ſignat : rectè ad B. Iob dicitur: Dinumeraſti menſes conceptus earum; ſubaudis, vt ego, qui in ſanctis Prædicatoribus, nõ ſolum fructus exercitium operum, ſed ipſas diutinas cogitationes numero, qui & eas ad retributionem ſeruo.*

7 Deum hominis dinumerare greſſus eſt ſingula opera bona ad retributionẽ ſignare: ſic Iob Deo dicebat *c. 14. verſ. 16. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti* : Vbi ſupra citatus Gregorius *lib. 12. cap. 12. mor. pag. 588. lit. B. Greſſus Deus dinumerat, cum ſingula quæque bona noſtra opera propter retributionem ſignat.*

8 Non numerari noctem in menſibus, eſt peccata in diuino iudicio non memerari ad vindictam : ſic Iob de nocte peccati *cap. 3 verſ. 5.* ait : *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, &c. Nec numeretur in menſibus* : & Idem Gregorius *lib. 4. cap. 18. mor. pag. 389. lit. A. Ac ſi diſtrictum Iudicem exoret, dicens : cum, expleto Sanctæ Eccleſiæ tempore extremo te examini manifeſtas; ſic dona, quæ contuliſti remunera, vt mala, quæ commiſimus non requiras.*

9 Numerum noſtrorum menſium eſſe apud Deum, eſt etiã labentia noſtra in Deo eſſe permanentia: ſic Iob *cap. 14. verſ. 5. Numerus menſium eius apud te eſt* : & Idem Doctor *lib. 12. c. 1. pag. 582. lit. D.* Quia verò apud omnipotentem Deum etiam labentia ſtant, apud eum eſſe numerum noſtrorum menſium perhibet.

Verſus Vigeſimus ſextus.

שָׁם אֳנִיּוֹת יְהַלֵּכוּן לִוְיָתָן זֶה יָצַרְתָּ לְשַׂחֶק בּוֹ׃

Verſio ex hebræo.	*Ibi Naues ibunt : Leuiathan iſtum formaſti ad lætandum in eo.*
Vulgata editio.	*Illic Naues pertranſibunt; Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.*
D. Hieronymus.	*Ibi Naues pertranſeunt : Leuiathan iſtum plaſmaſti; vt illuderet ei.*
Pagninus.	*Ibi Naues ambulabunt : Leuiathan iſte, quem formaſti, ad ludendum cum eo.*
Euthimius.	*Ipſum etiam Cete, quod creaſti, ad ſubſiliendum in mari.*

RADIVS PRIMVS : EXPOSITIO LITERALIS.

HIc nobis occurrit primò לִוְיָתָן quod Verbum vulgata legit *Draco* : magis ad ſenſum, quam ad literam vocabulum transferens; Ait autem D. Hieronymus *lib. 8. in Iſai. cap. 27. pag. 98. lit. B. Qui Draco propriè in hebraico ſermone appellatur* לִוְיָתָן *ipſe eſt, & magnus Cetus. Nam & ibi pro Ceto Leuiathan ponitur, & in Pſalmo : Draco iſte &c.* Cum ergo om-

Digitized by Google

nium reptilium terreſtrium maximum ſit Draco, Vulgatus interpres maximum aquatilium reptantium, Cetum ſcilicet, Draconem appellauit. Verbum לשחק a radice שחק, quæ ſignificat *Ridere ludere, lætari*, & quandoque etiam *deridere*, & *ſubſannare*, variæ interpretationi occaſionem dedit; Quidam enim volunt ipſum Cetum illudi; Alij ipſum illudere mari; Alij (& hoc videtur magis conſonum literæ) ipſum Cetum creatum, vt luderet, & lætaretur in mari; nam volatilia ludunt, & lætantur: in aere; Quadrupedia, & ſerpentia in terra: Piſces verò, quorum maximus Cetus eſt, in mari. Hìc ergo de Naui, & de Ceto ſermonem habebimus.

SVMMARIVM.

1 *De Nauium vtilitate, & inuentione.*
2 *De Draconis marini, ſeu Ceti natura, & proprietatibus.*

§. I.

De Nauium vtilitate, & inuentione.

1 ANte vniuerſale diluuium Naues minimè extitiſſe, conſequenter ad alibi determinata, ſentiendum videtur. Enim vero, cùm ante illud nec Inſulæ fuerint, nec tot fluminibus continens diſſita terra, nulla poſtulabat neceſſitas conſtruendi Naues laborem; poſtquam autē terra per diluuium in plures Inſulas diuiſa eſt, ac in varios ſinus diſſecta, maximè indigent nauibus mortales, vt in eis ex vna in alteram Regionem aſportantes res neceſſarias, humanæ vitæ inſeruiant: nec non mutuum commercium cum inſulanis, & maximè diſſitis gentibus, facilius aſſequantur; vnde Lyranus. *Illic Naues pertranſibunt: Vt bona in vna terra abundantia deportentur per Nauigium ad aliam talibus carentem*. Nonne noſtro ſæculo conſpicimus tam vaſtas noui orbis prouincias antiquis incognitas, nobis patere? Hiſpani ductu magni Chriſtophori Columbi, eas nauibus comperiere, nec ſine illis hoc potuiſſent. Quam Nauium vtilitatem præſciens, & contemplatus Seneca *in Medea in choro act.* 2. de hac incogniti hactenus orbis inuentione, ita vaticinatus eſt; & ipſe naturali coniectura vſus, tot ſæculis ante cecinit, quod Hiſpani, gentiles ſui, noſtro ſæculo, præſtiterunt:

Quælibet altum Cymba pererrat;
Terminus omnis motus, & vrbes
Muros terra poſuere nouos.
Nil qua fuerat ſede reliquit
Peruius orbis. Indus gelidum
Potat Araxem; Albin Perſæ,
Rhenumque bibunt. Venient annis
Sæcula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphyſque nouos
Detegat orbes, nec ſit terris
Vltima Thule.

Quo carmine eleganter Seneca Nauium vtilitates recenſuit. Nomen verò Nauis putat D. Iſidorus inde deriuatum, quia videlicet gnauum Gubernatorē m, requirit: ait enim *lib.* 1. *c.* 1. *orig. pag.* 453. *Nauim quidam perhibent dictam, eò quòd gnauum Rectorem quærat, ideſt peritum, ſapientem, ſtrenuum, qui continere & gubernare nouit propter maritima pericula, & caſus. Vnde eſt illud Salomonis. Intelligens Gubernacula poſſidebit.*

2 Porrò De primo Nauium Inuentore variæ certant nationes. Poetæ Theſſalis tribuunt, vnde Iaſon ſimul cum Hercule, Caſtore, & Polluce ad aurei Velleris raptum diſceſſerunt, quorum Nauis Argos dicta celeberrima eſt; de qua relatus Seneca.

Bene diſſepti fœdera mundi
Traxit in vnum Theſſala Pinus,
Iuſſitque pati verbera pontum,
Partemque metus fieri noſtri.
Mare ſepoſitum &c.

Verum quia ex vera conſtat Hiſtoria ante illam alias extitiſſe Rates, licet celebris Argos ſit, prima tamen minimè putanda eſt. Diuus Iſidorus *loc. cit.* hanc inuentionem lydijs tribuit, qui primi alienas terras nauigio peragrauerint. *Lydij autem primùm Nauim fabricauerunt, Pelagique incerta petentes, peruium mare vſibus humanis fecerunt.* Alij hanc inuentionem Athenienſibus dedere; ſed Elias cretenſis *in or.* 3 *D. Gregor. Naz. pag.* 179. Phænicis tribuit Nauium conſtructionem, Athenienſibus verò maritimæ claſſis apparatum; ait namque. *Iam verò Nauem Phænices primi conſtruxiſſe dicuntur, Triremes vero Semiramis Nam Athenienſes, non ædificandarum Nauium Authores, ſed naualis præfecturæ inuentores fuiſſe dicuntur.* Cæterum Franciſcus Alumnus, in libro, cui titulus eſt, *Fabrica del mondo*, italicè ſcriptum, Nauium inuentionem tribuit Danao Beli filio, Ratis vero Erithro maris rubri Regi, a quo mare illud Erithreum appellatum fuit: Rates verò nonniſi ligna ad inuicem compaginata, ſine aliqua Nauis vera forma fuere: ſic ille *De Aquis pag.* 142. *Danaus filius Beli primus Nauim inuenit, qua in Ægiptum, & Græciam nauigauit; & antea Ratibus vtebantur, ideſt multis trabibus ſimul compaginatis, quod inuentum fuit Erithri Regis in mari rubro, ab ipſo Erithreum nuncupatum.* Diodorus ſiculus *lib.* 5. *cap.* 15. *ap. Theatr. vit. hum. to.* 1. *pag.* 525 *lit. F.* nauigandi artem, ſeu potius claſſis maritimæ conſtrutionem Neptuno tribuit; & ea propter Maris Deum creditum fuiſſe, atque a poſteris thus litatum, ac ſacrificia decreta. *Saturni, & Rhea filius Neptunus, nauigandi arte inuenta, claſſem inſtituit, eiuſque Præfectus eſt a Saturno factus. Quapropter traditum eſt poſteris Neptunum imperaſſe mari ſacraque ei a Nauigantibus facta.* Idem de Minoe Iouis filio, ac Cretæ Rege tradit relatus Alumnus. *Minos Iouis, & Europæ filius regnauit in Inſula Creta, & fuit primus qui nauali prælio decertaret.* Primus verò apud Romanos nauim aſcendere ſuaſit Claudius, Duillius verò omnium primus de nauali victoria triumphū excitauit, vt refert Seneca *de Breu. vit. cap.* 13. *pag.* 372. *His diebus audiui quemdam Sapientē referentem, quòd primus nauali prælio Duillius vicit. Hoc quoque quærentibus remittamus quis Romanis primus perſuaſit nauem conſcendere: Claudius is fuit.*

3 Ego autem de hac re meam proferam de Nauium Inuentore ſententiam, ſacris conſonam literis. Primus Nauium Inuētor Danaus Beli Filius, ac Nini frater fuit. Belus enim fuit primus Aſſiriorum Monarchiæ Fundator, qui Babiloniam ædificauit; Ninus vero eius filius cæptum Regnum ad Monarchiam deuexit. Porrò Nembrod idē fuit cū Belo, vt ait Salianus *Annal. Eccl. tom.* 1.

Digitized by Google

*tom.1. Ann. mund.*1931. *num.*55. *Communis porro ſententia eſt, Membrodum eumdem eſſe cum Belo*. Et paulo inferius refert Euſebium dicentem. *Primus Aſſiriorum regnauit Belus annis 65. quem Aſſirii Deum nominauerunt Saturnum.* Fuit autem Nembrod filius Chus, Chus verò filius Cham filij Noe. Cum ergo Belus, Saturnus, & Nembrod idem Princeps Babiloniæ fuerit, a vero non recedit credere etiam Danaum, & Neptunum vnum eſſe, Beli, ſeu Saturni filium, qui Arcam Aui ſui Noe inſpiciens, ac diluuij hiſtoriam ab Auo accipiens, ad Arcæ ſimilitudinem Nauim primam efformauit. Hoc totum clarè colligitur ex relatis Authorum ſententijs.

4 Quia verò facilè eſt inuentis addere, alij aliorum generum Nauium, vt Triremium, Quinqueremium, ac cœterarum huiuſmodi Inuentores extitere. Sic etiam erat apud Phœnices magna Nauis ſpecies, quæ ab ipſis Trieris, a Græcis autem Dulconis dicebatur: Hanc memorat Iſaias *cap.*33 *verſ.*31. dicens: *Neq; Trieris magna tranſgredietur eum*. Et addit Diuus Iſidorus Hiſpal. *loc. cit. col.* 454. *Trieris Nauis magna, quam Graci Dulconem vocant: de qua in Iſai: Non tranſibit per eam Trieris magna*. Apud latinos vero hæc Nauis Triremis appellatur: quare Romanorum ad deuaſtandum Aſſiriorum Regnum aduentum prophetans Balaam, dixit *Num.cap.*24.*verſ.*24. *Venient in Trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſirios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt*. Cum enim maledictionem populo, quam Balac deſiderabat dare non poſſet, ſolatur eum eiuſdem deuaſtationem per Romanos, poſt multa ſæcula, Chriſto ſcilicet, nato (nam præmiſerat: *Orietur ſtella ex Iacob*) futuram; ita enim interprætatur eminentiſs. Hugo *in lib. Num.pag.*145. *col.*1. *Trieres ſunt Naues tres ordines remorum habentes; & Prophetat Balaam hic ad literam de Romanis, qui poſt aduentum Chriſti ſubiecerunt Aſſirios*. Prophetauit & hoc ſimiliter Daniel *cap.*11.*verſ.*30. dicens; *Et venient ſuper eum Trieres, & Romani, & percutient:* Vbi Cornelius à lapide *in Daniel. pag* 1379. *col.* 1. *Venient contra eos legati Romanorum vecti Triremibus*. Iſtud enim Nauigij genus ſolum in mediterraneo vtile eſt, vbi Phænicia, Iudæa, Pars Ægipti, Græcia, Italia, & aliqua portio Galliæ, & Hiſpaniæ continentur; nam in Oceano inutile eſt, idcirco huiuſmodi populis eius inuentio tribuenda eſt.

5 Sed Horum omnium qui aliquid ad Nauigandum vtile repererunt, facilè præclariſſimus cenſendus eſt Flauius Amalphitanus, hic enim acum, & pyxidem nauticam inuenit, qua tutiſſimè totus pernauigatur orbis: Nec ſine ipſa Hiſpani, & poſt eos alij populi, ad nouum orbem appellere potuiſſent. Atque hæc ſunt in cauſa, cur Romani, vel alijs ſolertes populi nouum hunc orbem inuenire non potuerunt, quia ſcilicet nautica pyxide carebant; & qui fretum Herculeum, quod Alcidem deterruit, tranſire auſus eſt, perijt, vt de Vlyſſe referunt, Vlyſſiponis vrbis in Oceano mari cõſtructore. Ita refert de Flauio Collenutius *ap Theatr vit. hum. to.* 1. *pag.* 525. *lit. H. Flauius Amalphitanus pyxidem nauticam inuenit: & hoc Inuento noui orbis inueſtigandi Inſtrumentum Hiſpanis dedit*. Idcirco Prouincia Principatus, in qua ortus eſt, Pyxidem nauticam pro Inſigne extollit; toti orbi pro ea celeberrima.

§. II.

De Draconis marini, ſeu Ceti, natura, & proprietatibus.

1 D*Raco iſte &c.* Eodem prorſus nomine hebræo ſermone vocari ſerpentia terræ, & aquatilia, ſatis clarè patet ex ſacris literis, nam in eis vtraque reptilia

Ian. de Mata.

dicuntur. Porro vox *Leuiathan*, quæ hic ponitur, & vox *Hatannim*, qua vſus eſt Moyſes c.1. Geneſis communes ſunt tam ſerpentibus, quam Piſcibus immanis magnitudinis, idcirco Interpretes aliquando cete, aliquando Dracones tranſtulere; ita ſentit Pererius *in Daniel. lib.*4. *pag.* 268. *&* 269. *Quos piſces ſeptuaginta Interpretes, vel Cete, vel Dracones appellant, eos ſcriptura hebraica duobus vocabulis nominare ſolet: quorum alterum eſt Hataninim, qua voce vſus eſt Moyſes* 1. *cap. Geneſeos, cum dixit: creauit Deus Cete grandia: pro Cete eſt Hataninim, quæ propriè ſignificat Dracones, ſeu ſerpentes tam marinos, quam terreſtres &c. Alterum vocabulum eſt Leuiathan cuius fit mentio apud Iob c.*3. *Et Pſal.*103. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Vox autem Leuiathan, non ſignificat vnam quamdam certam ſpeciem piſcis, ſed omne genus piſcium vaſto, & immani corpore præditum*. Nihilominus tamen per Draconem iſtum marinum, ſeu Cetum, vnam ſpeciem piſcis accipimus, qui Cetus dicitur cuius naturam, & proprietates explicandas ſuſcepimus.

2 Hugo Cardinalis *in Pſal.* 103. de hoc Dracone ait. *Draco eſt maximum Animal, quod eſt in mari*. Natura autẽ Ceti ſimilis Crocodilo fluuiali eſt, ac Delphino marino, ita vt vnumquodque eorum contra aliorum piſcium conditionem reſpirationem habeat, attrahit autem aerem per quamdam fiſtularem cannam, quæ ad capitis ſummitatem extollitur: ingens enim Beſtia eſt, & veluti maris Domina: De Ceto, hæc tradit B. Albertus *lib.*24. *De Animal. Tract. vnic. pag.*650. *col.*1. *Cetus eſt Piſcis maior, qui viſus eſt, cuius fœmina Balena vocatur; eſt autem hic piſcis multorum generum, neutrum autem habet branchos, eo quod quodlibet iſtorum ſpirat, ſicut & Delphinus: ſpirat autem per cannam fiſtularem*. Tantæ magnitudinis in Oceano deprehenditur Cetus, vt ſi quando dorſum ſupra mare erexerit, maxima credatur Inſula, non ſine nauigantium deceptione, qui aliquando decepti dum veram Inſulam crederent in eius dorſum de naui deſcendentes mouente ſe Ceto, & profunda petenti, ſubmerſi ſunt. De hanc Ceti magnitudine loquuntur Sancti Baſilius, & Theodoretus apud Pererium *lib.* 1. *in Gen. num.*76. *pag.*183. *Balenæ namque, vt Baſilius, & Theodoretus aiunt, cum ſuper aquas dorſum efferunt, ingentis Inſulæ ſpeciem exhibent*. Similia narrant moderni Oceani luſtratores. Iſtam tamen immanem corporis magnitudinem viſus debilitas compenſat: tam paruam enim aſſequitur viſus potentiam, vt ſe regulatè moueri ſine duce aliquo nequeat; quapropter cum piſciculo paruulo conſuetudinem, & ſocietatem habet, cuius ductu iter arripit; quòd ſi piſciculus ille tempeſtate quatiatur, vel alia de cauſa a Ceto remoueatur, Cetus de facile ad arenam appulſus occidit. Id narrat Ælianus *in Hiſt. Animal. lib.*2. *cap.*13. *Ferè Cetorum genus aliquo duce indiget ad ſuum motum regendum, & moderandum, cuius oculis, quaſi ducibus ipſum vtitur ad videndum. Is autem Dux, vt periti harũ rerum confirmant, piſcis eſt albo colore, prælongo capite, anguſta cauda &c. Cum autem ad nimiam pinguitudinẽ Ceti perueniunt amplius, nec videre, nec audire poſſunt carnium mole audiendi, videndique meatus obſtruente. Quòd ſi eo duce carerent, haud dubiè illis pereundum eſſet*. Ita Belluam vaſtam mole imperio magnam, viribus formidandam paruus piſciculus regit, vt & homines diſcant nullam reperiri ſub Cœlo potentiam, quæ aliquo non indigeat.

3 Cetus inſuper, ſicuti de Crocodilo ſupra retulimus, & de Delphino ſimiliter ſentiendum eſt, in coitu, & procreatione prolis, non ad inſtar piſcium, aut beſtiarum, ſed hominũ more ſe gerit; virgã enim, & teſtes habet mas, fœmina vero vuluam diſpoſitam vt mulieres; cum ergo coeundum eſt ſupponit ſe fœmina mari, eo prorſus modo, quo mulier viro, Delphina Delphino, & Crocodila Crocodilo, de quo vidimus ſupra; & tunc mas emiſſa virga, coit cum illa; modicum

Digitized by Google

tamen ſuper eam incumbit, quia velocis eſt coitus. Hęc ex B. Alberto accepimus, qui *loc. cit. pag. 650. col. 2.* ait. *Hic piſcis virgam habet, & teſticulos intus in corpore, ſicut Delphinus, & emittit eam tempore coitus: & fœmina habet vuluam ferè diſpoſitam, vt vuluam mulieris, Quando verò coit, fœmina ſupponit ſe mari, ſicut mulier viro, & Delphina Delphino, ſed velocis eſt coitus.* Neque tantummodo ſemen habent Cetus, ſed & prætioſiſſimum; ex eius namque ſpermate ambra conficitur; nam cum magnam habeat ſpermatis copiam, non totum intra fœminæ vuluam concipitur: quod ergo ſuperfluens cadit, in ambram dureſcit; eſtque prætioſum, & medicamen ad nonnullas iufirmitates, & præſertim guttam, paraliſim, imo & peſtilentiæ ipſi medetur; nam & ab ambra elicitur quoddam oleum ad medendam peſtem, aut peſtilentialem febrim potentiſſimum; vt & ego expertus ſum Romæ Anno 1656. De huius generatione tradit Idem Magnus Albertus. *Hoc quod reſoluitur de ſpermate (eo quod valde multi eſt ſpermatis, & non totum concipitur intra vuluam Balenæ) quæritur a medicis, & eſt quod ambra vocatur, prætioſum valde contra guttas, & Paraliſim.*

4 De hoc Ceto ſeu Dracone ait Pſaltes creatum eſſe, *vt illudatur ei*, mari ſcilicet; & licet ex textu hebraico, & D. Hieronymo, hæc videatur germana interpretatio, quam & Pererius *loc. cit.* amplexus eſt, inquiens. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei; ideſt, vt quaſi maris imperium tenens, in eo, ceu regno ſuo ludat, & ſecurus ſeipſum agitet, & voluteт, quacumque voluerit; ludibundus diſcurſans, & pro luſu, & ioco habens ceteros piſces venari, & prædari.* Nihilominus, etiam & ipſum a Piſcatoribus illudi, & decipi, præſertim ab Oceani maris conterminis Accolis, qui & eius pinguedine ad fouendas lucernas vtuntur. Hæc porro illuſio duplex eſt, altera ex hominum deceptione, altera ex ipſius Ceti incuria, dum nimio ardore prædandi piſces perſequcus, in arenam impingit. De prima illuſione hæc habet eminentiſſimus Hugo *in Pſal. 103. Licet ſit magnum, & forte tamen de facili illuditur ei cum gallina aſſata, quam ponunt in pertica, & ipſe inſequitur gallinam, & ipſi inſiliunt ſupra dorſum eius, & ſic capiunt eum.* Secundam vero illuſionem fusè deſcribit Incognitus *in Pſal. 103.* his verbis. *Quæ illuſio talis eſt. Nam Piſcis ille, ſiue Draco cum ſit magnus corpore, multo cibo indiget, propter quod alios piſces inſequitur, vt eos deuoret; propter quod alij piſces naturali inſtinctu videntes Cetum fugiunt abeo, & vadunt verſus littus maris, vbi Cetus Magnus vorare ipſos non poteſt propter paucitatem aquæ, & ſic volens eos vorare a piſcatoribus occiditur.* Hæc ergo magni huius Piſcis natura eſt, & taliter illuditur ei.

5 Sed & de ipſo Dracone, nominis capta occaſione, aliqua videamus. Nomen Draco commune omnibus ſerpentibus eſt, ſed in ſtricta acceptione pro immanibus, & alatis ſerpentibus; porro, vt ait Doctiſſimus Incognitus; *Serpens comedendo ſerpentes fit Draco*: nam in medio pingueſcens, craſſeſcit, & tandem ei naſcuntur alæ, quibus ſubſtolli in altum vt Aues nequit; ſed tamen velociſſimè currit, ac metam attinguit citiſſimè, vt ait D. Euſtathius *in Hexam. pag. 42. Feras omnes ſpiritu, & calore Draco ſuperat variaſque figurarum formas exprimit obliquus & tortuoſus; & dum iter ingreditur citiſſimè metam, quam ſibi proponit, attingit: ſatis diu viuit; non tantum enim ſenectam exuit, ſed & in dies ſingulos magnitudine corporis creſcit; ætate verò confectus per ſui reſolutionem deficit.* Niſi violenter necetur diutiſſimè viuit ſerpens, & aliquando fit Draco, & ipſo halitu enecat venenato. Sed & cum Elephantum aggreditur, cuius ſanguinem ſitit, ſæpe ſæpius ſe ipſum enecat, vti Idem ſanctus *pag 38.* deſcribit in India contingere. *Draco apud Indos in Elephantis terga ſalit, totumque ventrem circumflexo facilè ambit, & ex vena, quam inciderit, auidiſſimè abſque ſatietate ſanguinem captat violento ſpiritu hauriens, ingentique ſtrepitu. At Elephas exilit, proboſcideque latera verberat, quaſi Draconem proſtraturus, ſed ſanguine deficiente, cum ſaltare non poſſit, toto corpore tremit, nec multo poſt ruit cruribus debilitatis, vnaque ſecum obruit Draconē, qui vinculis, quibus eū præſtrinxerat, ſoluendis impar, Elephantis pondere preſſus, ſuffocatus eliditur.* Columbis etiam inſidiatur Draco, ſua allegoria nos admonens, ſemper Diabolum innocentiæ & ſanctitati inuidere, & inſidiari; ſed in India quædam Arbor eſt (Crucis typus) quæ dulces habet fructus, & Draconem terrificat, vt ad eam accedere metuat, & in hac arbore contutantur Columbæ. Ita Idem ſanctus *pag. 39. Arbor eſt in India regione, quam vocant Peridexion, dulces ferens fructus; hac Columbæ gaudent, & in ea commorantur Cæterum Draco columbis infenſus, metu declinat arborem.* Hæc pauca de Dracone tam marino, quam terreſtri dixiſſe ſit ſatis.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

NAuium, Cetorumque qualitatibus explanatis pro eruditione, adhuc nobis inquirendum eſt pro morum reformatione quid ſignent. Etenim ſi mare mundus eſt, & ibi tempeſtates, & Naues, & Dracones erunt. Tempeſtates cupiditates vocato, Nauim tempeſtatibus iactatam Animam Iuſti viri, Naues, in quibus ſaluari poſſunt mortales, Crux Chriſti, Eccleſia (præcipuè dum Eccleſiæ Nauclerus Chriſtus eſt) Charitas: Dracones vero Diabolus, Peccatum, Adulatio, Detractio, & huiuſmodi vitia. Hæc ergo explananda reſtant.

SVMMARIVM.

1 *Cupiditas tempeſtas eſt exagitans hominis vitam.*
2 *Anima Iuſti Nauis virtutibus onuſta.*
3 *Crux Chriſti Nauis a mundi naufragio liberans.*
4 *Eccleſia Nauis eſt ad regionem cæleſtem ducens.*
5 *Chriſtus Nauclerus Eccleſiæ eam ſaluat.*
6 *Charitas Nauis, quæ mundi tempeſtates ſuperat.*
7 *Diabolus eſt ludibrium Dei, & Angelorum.*
8 *Peccator per pænitentiam illudit Diabolo.*
9 *Diabolus auiditate nocendi, proficit nobis.*
10 *Adulatio cauda diaboli homines decipiens.*
11 *Prima peccati ſuggeſtio periculoſa, quia caput ſerpentis eſt.*
12 *Detractio Draco venenatus crudeliter ſaucians.*
13 *Diabolus habitum Angeli lucis ad decipiendum induit.*

§. I.

§. I.

Cupiditas tempeſtas eſt exagitans hominis vitam.

1 I*Llic Naues pertranſibunt*. Maximam vtilitatem hominibus Nauigia præbuere, dum remotas regiones luſtrando, mercimonia ſibi, ſuiſque neceſſaria deferunt. Verum eò ſe extulit humana cupiditas, vt moderatis lucris minimè contenta, immodica cupiditate iactatus homo, ſæpè ſæpius in his regionibus mortem incurrit, aut paupertatem vbi ſe ſperabat diteſcere. Agitantur ergo cupiditatibus homines, ſed illud periculoſius, quod in animæ perniciem malè comparatę diuitiæ cedunt; in iiſque cupiditatum vndis virtus naufragium facit, atque ad æternam mortem animam adducit: Cupidi ergo Naues ſunt, ſuis tempeſtatibus agitati, vt ait B. Albertus. *Illic Naues, &c. Sunt Naues, quæ periclitantur in Mari, Cupidi, hinc inde vento cupiditatis tempeſtuoſe agitati.*

2 Cum Nauis vento ducta per mare currit, ſi tempeſtate ſuborta quatiatur, eò magis periclitatur, quò plus fuerit mercimoniis onuſta. Quòd ſi Nautæ in tantam dementiam venerint, vt pondere illo minimè exonerari voluerint, vt Nauis alleuiata reſiſtere vndis poſſit, certam demerſionem incurrunt. Haud ſecus in humanæ vitæ curſu, contingit: Nam homines diuitiarum cupidi, iiſque pleni, ſi eas minimè deponant, in infernum finaliter demerguntur. Apoſtoli eſt hæc doctrina, dicentis, 1. *ad Timoth. c. 6. v. 9. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, quæ mergunt hominem in interitum.* Nota autem Pauli comparationem, qui æternam mortem, ex nimia diuitiarum cupiditate prouenientem, merſioni aſſimilat vt & hinc intelligi queat ipſas cupiditates tempeſtates eſſe, diuitias verò vndas, hoc vento exagitatas; vt optimè obſeruauit D. Ioan. Chriſoſtomus, *Hom. 17. in 1. ad Timot. to 4 col. 1393. lit. D. Benè ait, mergunt, adeovt emergere, & reſipiſcere nequeant; in interitum, & perditionem huius temporis, & futuri.* Timeat humana Nauis tam ſæuam tempeſtatem, quæ æternam minatur mortem.

3 Fugientibus ex Ægypto Iſraelitis Pharaonis tyrãnidem euadere cupientibus mare rubrum occurrit, quod nauigiis carentes transfretare non poterant: tunc timore perterriti, ex inſequentibus Ægyptiis, ad Cęlum exclamabant, Diuinum poſtulantes auxilium. Tunc diuino monitu Moyſes virga percutiens mare, diuiſit ipſum, & ſic ſicco veſtigio peruenerunt ad oppoſitum littus; ſed in ipſum cęco furore ſe proiiciẽtes Ægyptii omnes demerſi ſunt, & perierunt. Dicamus ergo Ægyptum hunc mũdum eſſe ignorantiæ caligine tectũ; Iſraelitas verò omnes qui agnita veritate ipſum aſpernari, & Deum ſequi feſtinant: Quibus mare occurrit rubrum, ſtimulus ſcilicet cupiditatum, qui mentem noſtram turbat, & à cæpto reuocat bono, ſuis procelloſis cogitationibus; ſed quid facere debent? Illud vtique, quod & Moyſes fecit: Exod. c. 14. v. 21. *Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi*: Debemus namque manum noſtram, in qua virga eſt; ideſt mentem noſtram, in qua virga eſt recti iudicii, ſuper mare extendere, ideſt expellere cupiditates à corde, vt liberemur Audiamus D. Bernardum id ſuadentem, *in ſentent. col. 495. lit. I. Viſitatum eſt ſatis, & tritum, ſæculum iſtud merito cæcitatis, & ignorantiæ ſuæ Ægypti vocabulo nuncupari: quod nimirum quoties mutatione voluntatis egredimur, nobis occurrit ſtimulus cupiditatum, qui velut mare rubrum ſenſum rationis noſtræ tumidis, & procelloſis vndis cogitationum inuoluit: & niſi virga diſcreti iudicii Aquæ ſuperiores ab inferioribus ſecernantur, ſubruit funditus, & demergit.* Peſſima, & periculoſa tempeſtas, quam qui fugiunt inuenient requiem.

4 Sed poſſet quibuſdam diuitiarum cupiditas, non tẽpeſtas, ſed tranquillitas apparere, præſertim cum earum poſſeſſio vtilis videatur. Qui verò rationabili diſcurſu eã penſet, fatebitur ſanè, ne dum cupiditatem, ſed ipſam diuitiarum ad votum poſſeſſionem, tempeſtatem, & maximam eſſe. Memini me aliquando audiuiſſe de paupere quodam Ædificatore, qui theſauro inuento totas noctes inſomnes ducebat, vexatus cogitationibus, quid de eo faceret, & quomodo partas diuitias diſtribueret; ſed vt erat parui, & vulgaris ingenii, vt totas proiiceret curas, proiecit, & aurum. Quoddam ſimile in Euangelio legimus, Luc. *c. 12. ver. 17. Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit; & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* En diuitem ipſa rerum copia inopem, & inquietum redditum, & variis cogitationibus agitatum, dum abundantia preſſus, conſilium quid faciat non inuenit; & eleganter hanc miſeriam deridet D. Baſilius, *in Diteſcen. pag 150. col. 2. lit. F. Quid faciam, inquit. Quis non miſereatur ſic miſerè curis obſeſſi? Ipſa fertilitate miſer erat, ac timidus. Miſerabilis præſentibus, & paratis bonis, miſerabilior ob ea, quæ adhuc expectabat.* Fateãtur ergo vna voce omnes Nauim humanæ vitæ cupiditatum fluctibus exagitari.

5 Nonnunquam contingere ſolet Nauclerum plus iuſto exoneratum Nauigiũm habens, cuius bona aliena ſuæ fidei commiſſa ſuſcepit, eorumque rationem reddere debet, iiſque amiſſis prætium eorum ſoluere, etiam oborta tempeſtate illa ſeruare, nec proiicere curantem, omnes naufragio exponere. Ita ſunt cupidi homines; hi enim cum amittere diuitias formident, eas aſpernari nequeunt, & ſic æternæ mortis periculo ſe exponunt: veniunt bonæ inſpirationes ex alto, quæ illarum deſpectũ, & proiectum ſuadent, ſed euincit cupiditas. Legimus in libro Ioſue, miſſos ab eo exploratores ad Vrbem Iericho, mulierem quamdam in domum ſuam recepiſſe, ac in ſolario contutaſſe, neq. inimicis tradere eos voluiſſe, *c. 2. v. 6. Ipſa autem aſcendere fecit viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini.* Illi ergo, qui Ieſu exploratores, ideſt bonas inſpirationes, in ſolario cordis condunt, ac diuina præcepta ſeruant, explodunt diuitias, & vitam pereunte Iericho, ideſt ſæculo, inueniunt: qui verò cupiditate preſſi mercimonia proiicere deteſtant, & exploratores inimicis tradunt, cum ipſo pereunt mundo. Ita ſentit D. Fulgentius, *lib. 1. c. 21. de Rem. pecc. pag. 657. col. 2. Hi enim dum terrenas diuitias aut perdere metuunt, aut acquirere concupiſcunt, præcepta Chriſti, hoc eſt exploratores Ieſu non abſcondunt in ſolario cordis, ſed tradunt perſequentibus inimicis.* Sic perit nauis humana cupiditatum tempeſtatibus agitata.

§. II.

Anima Iuſti Nauis eſt virtutibus onuſta.

1 I*Llic Naues, &c.* Cum Mundum mare vocamus, haud immerito Nauis nomine Animam noſtram intelligimus; hæc enim in mare, ideſt in hanc miſerabilẽ vitam, à Deo mittitur, vt inde onera prætioſa virtutum, & meritoria comparet: quæ commutet pro gloria in Patria cœleſti. Ideo inquit Pſaltes: *Illic Naues pertranſibũt*, ideſt Animæ iuſtæ; nam Naues mundanæ, quæ onuſtæ diuitiis, & voluptatibus nauigant, ad cœleſtem portum minimè perueniunt, eæque mare hoc non pertranſeunt, ſed in ipſum merguntur. Naues verò, quæ ad Paradiſum currunt, licet ex lutea materia confictæ ſint, portant tamen onera prætioſa virtutum, & meritorum, quibus ineffabilem gloriam conſequantur. Ita putat Magnus Albertus *in Pſal. 103. Sed nota, quòd in mari huius mundi ſunt Naues bonæ, quæ tandem veniunt ad portum ſalutis, ſcilicet viri iuſti; & benè Naui comparantur; quia fragiles portant prætioſa valde.*

2 Cum diuinæ vindex Iuſtitiæ Prouinciam aliquam, terribilis exagitat caritas; nulla, niſi in nauibus, ſpes aliqua reſtat, nam licet aurum, & alia prætioſa mercimonia ibi exuberent, vno deficiente pane, reliqua inutilia redduntur. Verũ Nauium beneficio ſua mercimonia prætioſa aliò deferentes, panem ad ſubleuandam famem domũ reportant. Huiuſmodi Naui Animã Sanctã ſimilem Sapiens

piens

Digitized by Google

ſpiens pronunciauit,dicens,Prouerb. *c.31.v.12 Facta eſt quaſi Nauis Inſtitoris de longè portans panem ſuum*. Ita pariformiter Anima viri iuſti ſcit profectò in altera vita caritatem eſſe meritorum, non enim amplius merendi tempus eſt;quapropter hic colligere merita, virtuteſque ſatagit,vt in illa comparet gloriam: hic virtutum diuitiis oneratur, vt æternę gloriæ ſuauiſſimum panem per eas acquirere poſſit. Hoc apertè docet Gloſſa ord. *Sicut ergo Inſtitoris Nauis onerata mercimonys,quæ in Patria ſua abundant per mare portat,vt venditis,quæ attulerat, cariora domum reportet. Sic Anima perfecta virtutum diuitiis gaudet onuſtari,quibus maiora diuinæ gratiæ dona mercetur.* Stultus eſt,qui ita negotiari renuit, nam in altera vita flammis vltricibus traditus ſempiterna famę peribit.

3 ModerniMercatores,alijs mercimoniis poſthabitis, in ſola auri,& argenti mercatura ſe exercent:neque Oceanum formidantes, per ipſum Naues ducunt, atque periculoſum iter emenſi auro,gemmiſque onuſti,ex India,Americaque conquiſitis,domum redeunt.Has merces nouus ille Orbis abundè ſuppeditat : auariſque Animis, quo repleantur quidem,minimè verò expleantur; communicat. Pericula tam longæ nauigationis aurum fuluo ſuo aſpectu offuſcat:& gemmarum nitor, tempeſtatum inſidias abſcondit. Id & Salomonem feciſſe, teſtis eſt Diuina ſcriptura;quæ de huiuſmodi nauigatione hæc refert,2.*Paralip.c.9 v.21.Naues Regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram ſemel in tribus annis; & deferebant inde Aurum,& Argentum, &c.* Quod expendens Eminentiſſimus Hugo, per Nauem intelligit Animam,& per aurum opus bonum,*in c 8.Matth 10.6.pag. 33.col.4.& pag.34.col.1.Per Nauem ſignificatur Anima, &c.Hæc eſt Nauis Salomonis, quæ afferebat de Tharſis Aurum,& Argentum. Aurum lucidum eſt, & ſignificat fulgorem bonorum operum*. Illæ ergo Animæ, vt Naues Salomonis auro onerantur, quæ operum bonorum copiam habent:Hæ mundi mare pertranſeunt, & gloriam æternam ſuis meritis adipiſcuntur.

§. III.

Crux Chriſti Nauis à Mundi naufragio liberans.

1 ILlic *Naues pertranſibunt*. Mare ſemper in motu eſt, quieſcitque numquam: cum autem ventorum impetu ad vnam trahitur partem eius curſu tempeſtas oritur;ergo ſine tempeſtatibus raro eſt, nam ventus raro intermittit.Omnes ergo quicumque per ipſum nauigāt ſe tempeſtatibus expoſitos norunt:Attamen eas non formidant,cum Naui valida,&benè compaginata feruntur. Sęculum hoc mare cum ſit,haud tempeſtatibus caret, in eo namque inſurgunt perſecutionum procellę,tentationum fluctus,quibus turbantur,quibus quatiuntur homines;Sed tutè pertranſibimus fluctus eius ſi Diuina vehimur Naue,ideſt ſi Crucis Dominicæ fidē amplectimur: hoc eſt ſalutis Lignum,quod tempeſtates deridet,fluctus frangit,procellas mitigat, & inter minaces ſæculi vndas ad Paradiſi portum tutiſſimè perducit.De qua Sanctiſſimæ Crucis Naui,hæc D. Auguſtinus tradit. *Hoc ſæculum adhuc tentationum fluctibus quatitur, adhuc tempeſtatibus turbatur. Minetur licet mare,tumeat, procellaſque parturiat, hac tamen itur; datum eſt nobis lignum, quo nauigamus.*

2 Cum in mediis fluctibus iactatus reperitur homo, vndis agitatus,ac timore perculſus, ſi prope Nauem intueatur,quæ velo valido fidens vndas incōcuſſa percurrit,ſtatim ad eam accedit,&in ipſam ingreditur,ac ſimul cum Naui à fluctuum tempeſtatibus liberatur.Ita prorſus in hoc ſæculo fluctuans Animus,ſi ad Crucis nauem acceſſerit,&in eam aſcenderit,à mundanis liberatur inſidiis.Huius exemplum accipe in Apoſtolis ad mare fluctuantibus,qui eum in Naui eſſent, ac ſecum Ieſum haberent,cum vento valido quaterentur timere cęperunt, vt ait Lucas,*c 8.v.22. Factum eſt autem in vna dierum, & ipſe aſcendit in Nauiculam*,& paulò poſt,*v.23.& deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur,v.24.& ſuſcitauerunt eum dicentes:Præceptor perimus.* Ieſus autem à ſomno ſurgens cum ventis imperaſſet,& mari, atque ceſſaſſet tempeſtas diſcipulos increpauit his verbis,*v.25.Vbi eſt fides veſtra?* Quaſi diceret:Nauis in qua eſtis Crux eſt,quæ cruciat quidem, ſed ſaluat;ego in hanc nauiculam aſcendi, in eamque aſcendere vos debetis,ſed timendum vobis non eſt, nam perire in ea non poteritis,imò hæc ad cœleſtem Patriam recto vos ducit itinere. Hæc expoſitio,& interpretatio Card.Hugonis eſt,qui ait,*in c.8.Luc.pagin.170.col.1.Et ipſe aſcendit in nauiculam,ideſt in Crucem. Mare mundum exprimit inter proſpera, & aduerſa fluctuantem. Nauis,qua diſcipuli ferūtur inter procellas maris,ſignificat Crucem,cuius triplici beneficio de huius mundi naufragio enauigat Eccleſia,ad Portum æternæ Beatitudinis:nam per paſſionem redimitur, per fidem Paſſionis fundatur, vexillo Crucis munitur.* Non ergo expaueſcere debet,qui inCrucis naui mundanum enauigat mare;neceſſe eſt enim,vt tempeſtatibus quatiatur,ſed per illas ad cœleſtem portum feliciter tandem perueniet, vbi glorioſus quieſcet.

3 Mirari non ceſſo,cum verba Domini Crucem ſuadentis audio,qui denegat ſequelam,ac ſocietatem ſuam hominibus Crucem non tollentibus, Matth.*c.10 v.38. Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me non eſt me dignus.* Quæ tanta eſt crucis amplexus neceſſitas? cur ad Patriam ſine ipſa peruenire non poſſumus? Sed huc reuocandum eſt,quod ſupra diximus,*in Verſ.25.§.7.* ſcilicet carnis concupiſcentias, & illecebras Syrenes quaſdā eſſe,quæ ſua voluptate decipientes homines, tandem enecant,& in barathrum mergunt.Fertur autem de Vliſſe,quòd cum mare Siculum,vbi Syrenes morabantur, tranſiret,voluit quidem earum cantum, ſed tutò, audire,quapropter remigum ſuæ Nauis aures cera obturauit ne cātum audire poſſent;ſeipſum verò malo Nauis ligari mandauit,vt etiam ſi vellet ad Syrenes meare nō poſſet,& ita factum eſt,vt periculum declinaret.Huius fabulæ meminit Iuuenalis,*ſatyr.9.*inquiens.

Affigit ceras illa de Naue peritas,
Quæ Siculos cantus effugit,remige ſurdo.

Id homini faciendum eſt,vel cantus Syrenum,ideſt mūdanas delicias,obturata aure,in eremo ſcilicet,declinare; vel malo Crucis ligari fortiter,ne ſubmergatur. Hęc ergo tollendæ Crucis neceſſitas eſt, vt illi alligatus homo mundani maris pericula deuitet. Peroptimè id docet D.Maximus,*Hom.1.De Paſſ.Dom.pag.212.col.1.Igitur cum Vliſſes incidiſſet in hoc dulce naufragium, & ſuauitatis illius vellet declinare periculum,dicitur inſerta cera auribus ſociorum,ſeipſum ad arborem nauigij religaſſe; quo & illi carerent pernicioſa auditus illecebra, & ſe de periculo nauigij curſus auferret.Si ergo de Vliſſe refert fabula,quod eum arboris religatio de periculo liberauerit quanto magis prædicandum eſt, quod hodie omne genus hominum(quod verè factum eſt)de mortis periculo Crucis arbor eripuit.* Crucem ergo Chriſtum ſequentes amplectamur,vt mundanum naufragium euitemus.

4 Expende Sancti Latronis exemplum: Is enim tota vita fluctibus huius mundi iactatus, iam de æterna deſperabat ſalute;& tandem in Crucem euectus, ac clauis in ea confixus Patientiam, & liberalitatem Domini agnoſcens ſe illi humiliter commendauit, audiuitque ex diuino illius ore mellifluum reſponſum, Luc.*c.23.v.43. Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quis ergo naufragium inter vndas vitiorum omnium hominum, ac ſpe prope iam deſtitutum, ad beatificum deuexit portum? Quis Latroni,eique ſicario, & graſſatori Paradiſi oſtium reſerauit?Nauis vtique,Virtus Crucis;hęc enim,poſt multos humanæ vitæ errores ſi nos ſuſceperit, tutò ad cœleſtem Patriam redire nos facit; nec aliter homo poſt primi hominis iacturam naufragus, ad patriam poteſt niſi per Crucem remeare.Id idem fatetur Sanctus Antiſtes,

Digitized by Google

ſtes, *loc.cit.* *Quòd autem Crux ad Patriam poſt multos errores redire nos faciat, Dominus declarat dicens Latroni in Cruce poſito: Hodie mecum eris in Paradiſo: Qui vtique Latro diu oberrans, ac naufragus, aliter ad Patriam Paradiſi, de qua primus homo exierat, redire non poterat niſi fuiſſet arbori religatus*. Quod ſi Latronem ſaluat Crucis Nauigium, nec alios perire ſuſtinebit.

5 Hominis ingeniũ in eo magnopere eniteſcit, quòd immenſos Oceani fluctus paruo premit ligno, ſuperatq; tempeſtates; & cum tumentes vndæ inſtar montium ſe extollunt, ſyderib. ipſis formidabiles, nihilominus tamen haud magnum lignum prudentis Naucleri iudicio directum tot furias mitigat, tempeſtateſque ſuperat. Neque diſſimile in Crucis ſigno reperitur: nam omnes ſæculi fluctus, Inferni tẽtationes, Principũ ſuperbiæ, Crucis vexillo deprimuntur; Crucem omnes timent, venerantur omnes; & cum maximè mundana pompa in ſuperbiam ſe attollit, Cruci ſe ſubmittat neceſſe eſt: Hoc & Dominus per Eſaiam oſtendit, cum ſe ſuper mare virgam ſuã eleuaturum dicit, Iſai. *c.*10. *v.*26. *Et ſuſcitabit Dominus, &c. virgam ſuam ſuper mare, & leuabit eam in via Aegypti.* Ideſt Crucem ſuam Dominus ſuper mare mundi huius eleuauit, & præſertim in via peccatorum carnaliter viuentium, quos Aegypti vocabulo ſignificauit, vt fatetur D Bernardus, *ſer. de* 11. *onerib. pag.*1364. *lit. L. Mare ſæculum, Virga Crux, Via Aegipti, via illa lata, & ſpatioſa, quæ ducit ad mortem. Gratias tibi Domine Ieſu, qui exaltaſti virgam tuam ſuper Mare, proſternens Cruci tuæ ſuperbiam ſæculi, & ſubijciens ei Principatus, & Poteſtates. Verè Domine Crux tua premit fluctus ſæculi, ſedat tempeſtates perſecutionum, & tentationum procellas mitigat*. Ergo naufragi mortales, qui mundanis iactamur fluctibus, ad Crucem aſcendere feſtinemus, vt ad Cœleſtem Portum perueniamus.

§. IV.

Eccleſia Nauis eſt ad Regionem Cæleſtem ducens.

1 *ILlic Naues, &c.* Non altera ſolummodo Nauis, ſed multæ ſunt, quæ Maris periculum faciunt, quæque peregrinos vel ad remotas regiones vehunt, vel ad Patriam reuehunt. Ita in mundano mari multę ſunt Naues, paruæ quidem Iuſtorum Animæ, quæ virtutibus oneratæ percurrunt; magnæ verò ipſæ Catholicę Eccleſiæ, quę vniuerſos Chriſtifideles ad nouam Regionem, ideſt Cęleſtem Patriam portant. Hæ Naues tutiſſimè per mundanum incedunt mare; & exagitari quidem perſecutionum tempeſtatibus poſſunt, ſed perire, & mergi non poſſunt: omnes qui in eas ingrediuntur, nec ab eis exeũt, viuunt; qui vel peccando, vel apoſtatando diſcedunt ab ipſis, merguntur, & pereunt: De his ergo Nauibus, ideſt Eccleſiis dicitur: *Illic Naues pertranſibunt*; vti docet Chriſoſtomus. *Eccleſiæ, quæ Nauium ſpeciem gerunt, ſpirituale hoc mare nauigantes, fideles quidem excipiunt; eos autem in Cęlorum Regnum, non ſecus ac in alteram quãdam Regionem deuehunt*.

2 Dum Nauis aliqua tempeſtatibus quaſſata, iam fracta eſt, & aquis cępta repleri merſionem minatur, quiſquis ſalutem, vitamque diligit, ad alteram Nauim, quæ integra eſt, relinquendo ſuam conſcendere feſtinat: neq; vitam amat, qui ſecus facit Tempore aduentus, ac prædicationis Saluatoris Noſtri Nauis Synagogæ Moſaicæ iam in obſeruatione Legis fracta erat, & mergi cęperat; ſaluari ergo nequibant, qui in ea permanebant, ſed neceſſe erat ad Nauim nouam, & firmam, Euangelium ſcilicet tranſire. Vt autem hoc melius capiamus, adeamus D. Marci Euangelium. Cum Dominus veniſſet Bethſaidam, nonnulli qui eius miracula optimè norant, *c.*8. *ver.*21. *Adducunt ei cęcum, & rogabant eum, vt illum tangeret*. Sciebãt enim, & fideliter credebant ad Ieſu tactum ſanitatem illicò ſecuturam. Sed quid fecit Ieſus? *ver.*22. *Apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum*: Sed quorſum hæc eductio? Nonne eum illuminare poterat ita in oppido, vti extra illum: certè: ſed cur ex eo educit? Quia cœcus ille infideles ſignificabat, qui educendi ſunt de Iudaiſmo, & Idololatria, vt in Eccleſia Lumen Fidei accipiant. Acutè D Chriſologus. *Educit eum foras, vt in Eccleſia lucem fidei videat per libertatem gratiæ, qui ſub legis velamine nil videbat*. Felix ille cœcus, qui Synagogæ Nauim iam laceram perditioni proximam cognoſcens, ad Eccleſiæ Chriſtianæ Nauim aſcendere feſtinauit.

3 Iam inſoleſcente mundo, & carnalem vitam profitente, ipſum diluuio mundare ſtatuit Dominus. Vt autẽ in iuſti Noe familia ſemen ſeruaretur humanum, arcam illi faciendam imperauit. Erant fortaſſis & illo tempore aliæ Naues in Mare, ſed adueniente diluuij tempeſtate, omnes præter Arcam, demerſæ sũt. Dicamus ergo, quòd in huius ſæculi Mari Arca ſit Catholica Eccleſia, aliæ verò ſectæ Naues: ſed aliæ omnes merguntur, & pereũt, ſoli qui in Arca Eccleſiæ manent, ſaluantur: Hinc doctrinam docet Apoſtolorum Princeps, inquiens, 1. *Pet. c.*3. *v.*20. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, ideſt octo Animæ ſaluæ factæ ſunt, per aquam, quod & vos nũc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma*. Sicuti enim prodeſſe ad vitam aqua non poterat iis, qui extra Arcam erant, ita nec prodeſt Baptiſmus iis, qui extra veram Eccleſiam reperiuntur, teſte D. Fulgentio, *de Rem. pecc. lib.*1. *c.*20. *pag.*656. *col.*2. *Cæterum ſi quis aut de Eccleſia baptizatus egreditur, aut extra Eccleſiã in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine baptizatus, ſi ante finem præſentis vitæ non fuerit Catholicæ reſtitutus Eccleſiæ, non carebit morte, ſed requie: quia tempore diluuij ſi quis in Arcam Noe non eſt ingreſſus, non eſt ſaluatus diluuio, ſed necatus; nec ſalutem inuenit in aqua, ſed mortem*. Ne ergo, quicumque ſaluari à mundi tempeſtatibus cupimus, à Catholica Eccleſia diſcedamus.

§. V.

Chriſtus Nauclerus Eccleſiæ eam ſaluat.

1 *ILlic Naues, &c.* Nauis omnis, quæ ſuper vndas graditur maris, ſpem ſuam in diligenti, & ſenſato Nauclero totam habet: ſi enim doctus, & expertus Nauclerus fuerit, optimè Nauis incedet, & per ipſas medias tẽpeſtates ſaluabitur; quòd ſi ineptus, & inexpertus fuerit, propriam deplorabit ruinam. Confidit ergo Nauis illa Catholicæ Eccleſiæ (de qua modo locuti ſumus) in ſuo expertiſſimo Nauclero, ſcilicet Chriſto; hic enim Eccleſiam ſuam gubernans, mergi, ac perire non permittit, ſed de mediis tempeſtatibus eam ſaluans, ad Portum Beatitudinis ipſam perducit. Quapropter ait D. Hieronymus, *in Pſ.*103. *Illic Naues pertranſibunt*: *Quis ex vobis eſt Nauis fortis, quę poſſit iſtud ſæculum vincere; & non ſubmergatur, vel offendat ad Petram? ſed habet ſenſum, qui eum gubernat, vt poſſit ſaluus fieri*. Quæ verba de Chriſto intelliguntur.

2 Tunc maximopere Naucleri eniteſcit Sapientia, cũ tempeſtatibus quatitur, nam tranquillo mari, ſecundiſq; ventis, vel ipſi pueri gubernacula Nauis ſuſcipiunt, ac iter moderantur: at intumeſcentibus vndis, periculiſque imminentibus, videre eſt in perito Nauclero induſtriã, qua vndas frangit, ventum ſequitur, tempeſtatẽ vincit. Omnes homines viuere virtuosè, & patienter ſecundis rebus poſſunt, at cum mundanum attollitur mare, cũ perſecutionum procellæ inſurgunt, omnis perit Nauis humana, quæ Chriſtum Gubernatorem non habet; quæ autem ab eo regitur, ſæculi poteſtates, & perſecutiones Potentum non timet. Apertè id inſinuat Pſaltes, dum canit, Pſalm. 92. *v.*4. *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum: mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*. Nam magna exurgente tẽpeſtate magnus Nauclerus neceſſarius eſt, ſine quo tempeſtas ſuperari non poteſt Quantumcumque ergo tempeſtas

Digitized by Google

2 Omnium fluminum, nec non & aquarum fons Mare eſt; omnes enim ab eo exeuntes Aquæ, in ipſum iteratò redeunt; quæ cauſa eſt cur mare, in quod tot exonerantur maxima flumina, numquam excreſcat, nam ad ſuum principium redeunt aquæ; ei terra debet fœcunditatem ſuam, cuiûs fontibus irrigatur; cum ergo ab eo accipiat vndas, ad ipsũ grati animi cauſa aquas immittit; de quo Sapientiſs. Salomon: *Eccl. c. 1. v. 7. Omnia flumina*, inquit, *intrant in mare, & mare nõ redũdat; ad locũ, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterũ fluant*. Mare Maria eſt, in qua omnes gratiarum aquæ congregatæ fuerunt; at nunc ipſa ſanctis omnibus gratiam largitur, nec aliquid ſancti obtinent viri virtutis, aut meriti, quod ex deuotione Virginis Deiparæ originem non ducat; idcirco omnes Sancti Mariam colunt, celebrant, venerantúrque, reddentes nimirum gratias pro acceptis gratijs, quaſi flumina ad fontem ſuũ Oceanum redeuntia; hoc fatetur ex omnium nomine Diuus Bernard. Senenſis *ſer. 5 de Nat. Virg. art. vnic. c. 8. to. 4. pag. 119. col. 1. Non timeo dicere, quod in omnium gratiarum effluxus, quandam iuriſdictionem habuerit hæc Virgo, de cuius vtero, veluti è quodam Diuinitatis Oceano, riui, & flumina manabant omnium gratiarum*. Nam cum Virgo omnes in ſe gratiarum congregauerit fontes, omnibus gratiarum ſuarum munera impertitur.

3 Nonnulli reperiuntur homines, qui in peculiari ſyderum aſpectu nati, naturalem habent aptitudinem ad reperiendam aquam: hi baculum aliquem ex ſylueſtri auellana confectum in manibus tenentes, cum peruenerint ad locum, vbi latet aqua, ex baculi conuerſione ſtatim agnoſcunt, propterea Aquarii nuncupati ſunt. En nobiliſſimam inuentricem aquarum Virginem: intemeratam, corpore, ac mente impollutam; Hæc cum in ſe optimam haberet diſpoſitionem ad inueniendam gratiarum aquam, virgam Ieſſe manibus ſuis tenens, æternitatis fontem inuenit. Non audiſti aſſerentem Angelum: *Luc. capite 1, verſic. 30. Inuenisti gratiam apud Deum?* Inuenit gratiam, non riuulum, non fonticulum, ſed totius gratiæ abyſſum, cum diuinum fontem aqua viua pleniſſimum ſuo vtero excepit; ſicque virginitatis merito, tanto gratiarum fonte adinuento, Mare pleniſſimum facta eſt. Egregiè id proſequitur Damaſcenus *orat. 1. de Dormit. Deipa. pag. 350. lit. C. D. Sane gratiam ea inuenit, quæ gratiam merebatur. Inuenit gratiam, quæ gratia laborem exolnerat, ac copioſam gratia ſegetem collegerat. Gratiæ abyſſum inuenit, quæ duplicis Virginitatis nauim incolumem ſeruauerat, animamque non minus, quam corpus virginem cuſtodierat, vnde etiam corporis virginitas conſtabat*. Mare ergo meritò nuncupatur, quæ abyſſum gratiarum inuenit.

4 Atque ex his euidenter colligitur magnitudo gratiarum Virginis, ac immenſitas; nam alia debet eſſe aquarum affluentia ad componendum oceanum, quam ad fontem aliquem: licet enim in paruo vaſe aqua congregetur, non propterea Mare dicendum eſt, ſed illud propriè, & riguroſè mare eſt in quo omnes adunantur aquæ. Multis ſanctorum meritis gaudet Eccleſia ex quibus gratiis affluentibus aliqui riuuli ſunt, alii torrentes, alii fluuii, & hi quidam parui, maiores alii, nonnulli maximi, & veluti ingentes, vt Ieremias, & Ioannes, qui ex matris vtero gratia pleni iuuenti ſunt; at nullum flumen, licet maximum, cum Oceano comparari poteſt; fluuij ſunt alii, at Maria Mare, non ſolum maximam, ſed ferè immenſam, ideſt omnem gratiæ plenitudinem habet; quod Angelus indicauit, dicens *Luc. cap. 1. verſ. 28. Aue gratia plena*: quaſi diceret. Multi reperiuntur ſancti, qui Dei gratia pleni ſunt, ſed ſunt tantum fluuii, habent tantummodo aliquam gratiæ partem, non totam; at tu ſola gratia plena, quia totam ſancti Spiritus, in te ſpecialiter ſuperuenientis, gratiam coadunaſti. Ita melliſluus Bernardus *ſerm. 4. ſup. Salue Reg. pag. 1743. lit. k. Ieremias, & Ioannes, alter ſantificatus, alter ſpiritu ſancto repletus in vtero matris leguntur. Ergo & tu Maria Genitrix Dei: quæ ſola totam gratiam Spiritus ſancti poſſediſti, quam alij habuere per partes*. Ne aliquis dubitare vlterius poſſet gratiarum mare eſſe Mariam.

5 Magnitudinis lacus, nec non & fluuiorum differentiam, ex terræ vacuitate ortam eſſe inficiatur nemo: etenim quo maior eſt ſoli cauitas, & profunditas, maiorem colligit aqua; ſicuti Vaſa diuerſa ſi aqua ſint implenda illud maiorem excipiet vndam, quod maius eſt, & conſequẽter maiorem vacuitatem habet. Porro Mare idcirco vaſtiſſimum eſt, quia maximam terræ concauitatem replet. Vaſa ſpiritus ſancti omnes Animæ Iuſtorum ſunt; cum de quodam ipſe dixerit: *Act. cap. 9. verſ. 15. Vas electionis eſt mihi iſte*: Pro magnitudine vero vaſis maior, vel minor gratia recipitur: ſed aliarum animarum vaſa, paruæ concauitates ſunt; Maria vero vas eſt quoddam ampliſſimum; de quo illud Sapientis dici poteſt *Eccl. cap. 43. verſ. 2. Vas admirabile opus Excelſi*: Mirum ergo non eſt, ſi Sanctorum cæterorum animæ parui fontes, aut flumina ſunt, Maria verò vaſtimum mare; nam ad maximum replendum Vas, & immenſum, immenſa etiam gratiarum vnda requirebatur, teſte D. Bonau. Cardinal. *in ſpec. Virg. lect. 5. to. 6. pag. 458. col. 1. lit. C. Immenſa fuit certè gratia Mariæ, immenſum enim Vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit illud, quo eſt plenum. Mariæ autem Vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum, qui Cœlo maior eſt, continere potuit*. Accurrant ergo, ò fideles, Deuotionis, & lacrymarum aquæ noſtræ ad hoc Oceanum; Mariam omnes meritis laudibus celebremus, vt ex eius pleniſſimo gratiarũ Oceano gratijs nos etiam repleamur; tantaque vnda fœcundati, fructum Virtutum proferamus.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

HOc mare magnum, &c. Spatioſum mare eſt, & elementum quoddam afferens permultas commoditates hominibus, tum in facilitate nauigandi in remotas mundi plagas, tum in Reptilium, ſeu Natatilium innumera multitudine. At ſi ipſum allegoricè interpretatus fueris, haud minonores vtilitate præſtabit.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *De Maris varijs ſignificationibus.*
2 *De Reptilium, ſeu Piſcium multiplici allegoria.*
3 *De Numeri, & Numerare Hieroglphicis.*

§. I.

De Maris varijs Significationibus,

1 DE Mari literaliter quid ſit, iam ſatis ex ſupradictis patet. Allegorice primo mundum ſignificat, in quo piſces homines, & Piſcatores Apoſtoli: nam de mundo dictum eſt: *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, ilic Riptilia, quorum non eſt numerus.* Vbi Aſtenſis Bruno *De nou. mund. cap. 8. pag. 191. col. 2. tom. 2. Nouum igitur mare mundus eſt, quomodo ſuperius diximus: Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: Retia Euangelia, Piſces homines, Piſcatores vero Apoſtoli.*

2 Mare Baptiſma eſt, quia ſicut mare ducimur quò properamus, ita per Baptiſma aſcendimus in Cœlum: cuius figura extitit Æneũ Mare in tẽplo poſitũ. *3. Reg. c. 7. v. 23. Fecit quoq; Mare fuſile decẽ cubitorũ & c. v. 25 Et ſtabat ſuper duodecim Boues;* Et idem Bruno *de laud. Eccl. cap. 4. tom. 2. pag. 163. col. 1. Mare æneum Baptiſma eſt; duodecim Boues duodecim Apoſtoli ſunt.*

3 Mare dicitur fęnerator, & auarus, qui inſtar Maris numquam expletur, de quo ſcriptum eſt, Eccle. *capit. 1. verſ. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat,* & Diuus Ambroſius, *libr. de Tob. capit. 13. Mare iſtud Fænerator eſt, omnium patrimonia tamquã fluctus abſorbet, & ipſe neſcit expleri.*

4 Mare ſignificat Gentilem, & Idololatram Populum; & mare conuertitur in aridam, cum Gentiles conuertuntur ad fidem Chriſti, de hoc Pſalm. 65. *verſ. 5. Qui conuertit mare in aridam,* & ibi Signienſium Præſul D. Bruno Aſtenſ. *in Pſalm. 65. pag. 209. column. 1. Per mare mundum, per aridam Eccleſiam intelligamus. Conuertitur autem mare in aridam, quando Gentiles, & Idololatræ ad Eccleſiam tranſeunt, & Chriſtianam fidem ſuſcipiunt.*

5 Mare Pœnitentia dicitur peccatores mundans, de qua dicit Ionas in perſona peccatoris, *cap. 1. verſicul. 12. Tollite me, & mittite in mare,* & Lyranus. *Dominus autem miſit ventum magnum, ideſt contritionis ſpiritum, quando talis Prædicator percipit defectum ſuum; & ſic peccatum ſuum recognoſcens mittitur in mare, ideſt in amaritudine pœnitentiæ.*

6 Mare eſt doctrina Philoſophorum, de qua Propheta Iſaia, *cap. 51. verſ. 10. Numquid non tu ſiccaſti mare?* & Gloſſ. interlin. *Ideſt Doctrinam Philoſophicam.*

7 Mare eſt amaritudo huius ſæculi, vnde Pſalmus 88. *verſ. 26. Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.* & ibi Diuus Auguſtinus, *in Pſalm 88. pag. 645. col. 2. lit. D. Flumina currunt in mare, & cupidi homines in amaritudine huius ſęculi probantur.*

8 Per Mare intelliguntur homines peſtiferi, & mali, vt in relatum verſum ait Lyranus, *in Pſalm. 88. Ponam in mari manum eius, ad reprimendum peſtiferos per Mare turbulentum ſignificatos:*

9 Mare eſt militans Eccleſia, de qua dicitur Apocalip. *capit. 4. verſicul. 6 Tanquam mare vitreum ſimile chriſtallo,* vbi Eminentiſſimus Hugo, *in Apocalipſ. pagin. 381. column. 2. Per mare militans Eccleſia ſignificatur, quæ tribulationibus adhuc expoſita eſt.*

10 Mare viros contemplatiuos ſignat, vt in eumdẽ verſum, Gloſſa Interlin. *Tanquam mare vitreum ſimile chriſtallo, ideſt dediti contemplationi Celeſtium.*

11 Mare lutuoſum, eſt doctrina ſæcularis ſordida, vnde Propheta Habac. *capit. 3. verſicul. 15. Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum,* & Diuus Gregorius, *lib. 34. cap. 13. mor. pag. 1097. lit. B. Ac ſi diceret; Aperuiſti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas huius ſæculi, ſordida, & terrena ſapientes.*

Ian. de Meta.

12 Mare, eſt mundi perſecutio in bonorum hominum vitam, de qua Pſalmus 92. *verſic. 4. Mirabiles elationes maris,* & idem Gregorius, *lib. 9. cap. 5. moral. pag. 512. lit. E. Vnde bene per Pſalmiſtam dicitur: mirabiles elationes maris: quia contra electorum vitam ad perſecutionis vndas mundus ſe mirabiliter extulit.*

13 Mare eſt vita Infidelium, vnde dicitur Iſai. *cap. 23. verſicul. 4. Erubeſce Sydon ait mare,* & citatus Doctor, *libr. 1. capit. 2. moral. pagin. 309. liter. D. In Sydone quippe figuratur ſtabilitas in lege poſitorum: In mari autem vita Gentilium: Erubeſce ergo Sydon, ait mare: quia ex vita gentilium redarguitur vita ſub lege poſitorum.*

14 Mare eſt mens humana: vnde apud Iob *cap. 38. v. 16.* de Deo dicitur, *Numquid ingreſſus es profundum maris?* vbi Diuus Gregorius, *libr. 29. capit. 8. moral. pag. 961. lit. B. Mare quippe eſt mens humana, cuius profunda Deus ingreditur, quando per cognitionem ſuã ad lamenta pęnitentiæ ab intimis cogitationibus perturbatur.*

15 Mare eſt carnalis concupiſcentia, de qua Iob, *cap. 28. verſ. 14. Mare loquitur non eſt mecum,* vbi Diuus Gregorius, *libr. 8. cap. 25. moral. pagin. 725. liter. E. In his itaque inquietudinum fluctibus habitare Sapientiam non poſſe cognoſcens, ait: Mare loquitur non eſt mecum: Nullus quippe eam plene recipit, niſi qui ab omni ſe abſtrahere actionum carnalium fluctuatione contendit.*

16 Mare lacrymæ ſunt, in quo peccata lauantur, & ideo ſcriptum eſt, Exod. *cap. 38. verſ. 8. Fecit, & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum,* & Diuus Bernardinus Senenſis, *tom. 2 ſerm. 52, art. 3. cap. 1. pagin. 834. colum. 1. In huius myſterium, Exod 38. dicitur, quod mare æneum factum eſt de ſpeculis mulierum. Maculæ quidẽ in ſpeculis viſæ, in mari pęnitentiæ lacrymarum lauandæ ſunt.*

17 Mare ſignat malos Angelos, de quo Iob, *capit. 38. verſ. 8. Quis concluſit oſtijs mare?* & idem Bernardinus Senenſis, *ſerm. 55. art. 2. cap. 3. tom. 1. pag. 373. column. 1. Cæteri vero, ſuperbientes Angeli, Luciferi circumuentione attracti, naturæ inferiori ſubijci contendebant, & ob hoc incarnationi Chriſti nequiter inuidebant: propterea, & multitudo eorum denotatur per mare, eo quod à dulcedine Dei auerſi in ſeipſis amariſſimi facti ſunt, Hos ſiquidem Deus demum oſtiis concluſit cum eorum malitiam certis ſuæ diſpenſationis limitibus coarctauit.*

18 Mare ſunt Animæ iuſtæ, de quo Pſalmus 73. *verſ. 13 Tu confirmaſti in virtute tua mare,* & idem Sanctus Doctor, *tom. 2. ſerm. 33. art. 3. cap. 4. pagin. 642. column. 1. Quid per mare, niſi animæ iuſtæ? quibus oblocutiones detrahentes amaritudinis cauſas præbent, ſed virtute diuinæ gratiæ confirmantur, ne per impatientiã cõturbentur.*

19 Mare eſt ſtrictæ conſcientiæ vexatio, vnde in Apocalipſ. *cap. 10. verſ. 2.* dicitur de Angelo. *Poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare,* & itidem Diuus Bernardinus, *tom. 2 ſerm. 53. art. 2. cap. 3. pag. 843. column. 2. Hunc pedem poſuit Angelus ſuper mare. Mare enim agitatur per turbines, & procellas, & amarũ eſt cum potatur, & per id ſtrictæ conſcientiæ amaritudo, & vexatio ſumpta eſt.*

20 Mare amarum, & deſperatum cor vocatur, vnde dicitur Thren. *cap. 2. verſ. 13. Magna eſt velut mare contritio tua,* vbi citatus Bernardinus, *tom. 1. ſerm. 30. art. 2. pag. 171. col. 1. Quid namque per mare procellis, et turbinibus compoſitum conuenientius deſignatur, niſi amaricatum cor, quaſi timore, et deſperatione confectum?*

21 Mare exprimit ſua latitudine Paradiſum; nam ante ſedem Dei vidit Ioannes, Apocalipſ. *cap. 4. verſ. 6. Tãquam mare vitreum ſimile chriſtallo,* & addit idem Bernardinus, *tom. 1. ſerm. 60. art. 1 cap. 1. pagin. 403 column. 1. Vidi tanquam mare: mare ſiquidem latum eſt, et latitudinem exprimit Paradiſi.*

22 Cor maris mortem deſignat: vnde dicitur: *Transferentur montes in cor Maris:* ideſt carnales homines

Pp morti

Digitized by Google

morti tradentur; ita Bernardinus *tom.1.ſer.14. artic.1. cap.4.pag.74.col.1. Transferentur montes, ſcilicet carnales ſenſus; in cor maris, ideſt in amaram mortem.*

§. II.

De Reptilium, & Piſcium multiplici Allegoria.

1 REptilia dicuntur Piſces, & ſerpentes, nam hi per terras, illi per aquas reptant; hic autem de Natatilibus ſermo eſt. Et primò Reptilia ſunt tentationes, vt in præſenti verſu dicitur. *Illic Reptilia quorum non eſt numerus*: Vbi D. Auguſtinus *in Pſal.103. Repentes autem tentationes quis numerat? Repunt, ſed caue ne ſurripiant.*

2 Reptilia ſunt cogitationes malæ, ſicuti volatilia, bonæ; de quibus dicitur: *Gen.cap.1.verſ.20. Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram*: & Beda *in c.1.Gen.tom.4 col.24. Si mens noſtra illuminata fuerit a Sole Chriſto, iubetur poſtmodum ex his, quæ in ea ſunt, aquis producere reptilia, & volatilia; ideſt cogitationes bonas, vel malas proferre in medium.*

3 Reptilia magna ſunt Principes, puſilla vero, *quorum non eſt numerus*, ſunt multitudines populorum: ita Aſtenſis Bruno *de nou.mund.cap.8.pag.191.col.2.tom.2. Tantum eſt hoc mare quantus & mundus: in quo animalia magna ſunt (& vt in Geneſi legitur Cete grandia) per quæ Reges, & Principes, cæterique maiores, & potentiores homines intelliguntur. Puſilla vero animalia, & reptilia, quorum non eſt numerus, cætera hominum multitudo infinita, vtriuſque ſexus, &c.*

4 Reptilia magna Perfecti ſunt, & Sapientes, puſilla vero imperfecti, & inſipientes: Ita Oddo Monacus Aſtenſis *in Pſal.103. Animalia tamen puſilla, & magna, Perfecti, & imperfecti; ſapientes & inſipientes intelligi poſſunt.*

5 Reptilia ſunt Incolæ inferni, cum & mare deſignet Infernum: vnde dicitur: *Pſal.68. verſ.35 Laudent illum cæli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis*. Vbi D. Hilarius *in Pſalm.68. col.831. liter. F. In his enim, quæ in mari repunt (cum tamen in aquatilibus natatus magis ſit ex natura, quam reptio) ea, quæ in inferis degunt, docentur: cum profundum maris ſedem intelligamus Inferni.*

6 Homines terrena cogitantes Reptilia dicuntur: vnde Propheta: *Habac.cap.1. verſ.14. Et facies homines quaſi reptile non habens Principem*: & Cornelius à Lapid. *in Habac.pag.523. col.1. Plerique homines, manibus, pedibus, totoque corpore, quin & mente repunt in terra: nam nil cogitant niſi terrena.*

7 Reptilia ſunt ipſæ cogitationes terrenæ apud Ezec. c.8.v.10. *Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium*: & magnus Gregorius *lib.26. cap.5. mor. pag. 880. lit. E. In reptilibus cognitationes omnino terrena ſignantur &c. & Reptilia ſunt intra parietem, quando cogitationes voluuntur in mente, quæ a terrenis deſiderijs numquam leuantur.*

De Piſcibus.

1 PIſcis ſeruans Ionam Chriſtus eſt mundum ſaluans: *Ion.cap.2.verſ.1. Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam*: & ibi Lyranus moraliter. *Et piſcis ſuſcepit eum ne ſubmergeretur, ideſt Chriſtus per piſcem ſignificatus.*

2 Piſcis eſt gens Iudæorum, cuius cor B. Virgo Maria; *Tob.cap.6.verſ.2. Et ecce piſcis immanis exiuit.* Et D. Thomas *opuſ.58. cap.21. Piſcis ille magnus gentem Iudæorum: cor piſcis tanquam membrum nobiliſſimum, & ex quo vita precedit Beatam Virginem ſignificat.*

3 Piſcis a Petro captus, in cuius ore ſtaterem inuenit, Beatus Stephanus eſt primus Martyr: de quo Dominus *Matth.cap.17.ver.26. Eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem.* Vbi D. Hilarius *can.17.in Matth.col.552. lit.B.C. Deſtinatus enim ad prædicationem Petrus, & piſcator hominum factus hamum miſit in hoc ſæculo. Huic adhæſit beatus ille primus martyr a Domino qui ore ſuo quadrigenium denarium continebat; ideſt Euangelici numeri vnitatem. Stephanus igitur primus aſcendit; Stephanus ſtaterem ore continuit.*

4 Duo Piſces, quibus ſaturatæ ſunt turbæ, Prophetarum, doctrina eſt: *Matth.cap.14.verſ.17. Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces*: & idem Hilarius *canon.14 col.536.lit.F. Sub quinque panibus quinque libri Moyſis continebant; & piſcium duorum Prophetarum, & Ioannis prædicationibus alebantur, &c. Plebs denique quinque panibus, & duobus piſcibus alitur, & expletur: Dei ſcilicet verbo, ex doctrina legis, & Prophetarum.*

5 Piſces poſt reſurrectionem Domini capti electos ſanctos ſignificant: *Ioan.capit.21. verſ.11. Traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus*: & Magnus Gregorius *Hom.24. in Euang. tom.3.pag.68.lit.A. Poſt reſurrectionem ergo Domini miſſum rete dignum fuit, vt tot piſces caperet, quot ſolummodo electos ciues ſupernæ patriæ deſignarent.*

6 Piſces pennulas habentes ſunt contemplatiui; de quibus dicitur: *Deuter. cap.14. verſ.9. Hæc comedetis ex omnibus, quæ morantur in aquis; quæ habent pinnulas, & ſquamas comedite*, & Magnus Gregorius *lib 5. cap.8.mor.pag.408 lit.C. Piſces namque qui habent pennulas, ſaltus dare ſuper aquas ſolent. Soli ergo in electorum corpore quaſi piſces tranſeunt, qui in eo quod imis deſeruiunt, aliquando ad ſuperna conſcendere, mentis ſaltibus ſciunt.*

7 Piſces maris, qui ſemper in motu ſunt curioſos denotant: de quibus Pſalmus 8. *verſ.9. Piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*. & citatus Doctor. *lib.11. cap.2. mor. pag.564.lit.C. Quid per piſces maris niſi curioſos huius ſæculi debemus accipere? De quibus Pſalmiſta ait: Piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.*

8 Piſces magni, qui paruos edunt, ſunt Potentes, qui inferiores opprimunt, qui hic per *Animalia puſilla, & magna* exprimuntur: vnde vulgatum ſumptum eſt Adagium ex Polybio: *Piſces maiores glutiunt minores.* Et D.Baſilius *Hom.4.Hex.pag.14.lit.C.* ait. *Maior pars piſcium liguriunt alter alterum, atque deuorant, & minor apud illos eſca maioris eſt, &c. Quid igitur nos homines aliud agimus cum vim inferimus inferioribus?*

9 Piſces in genere homines generaliter ſignant: vnde dicitur *Matt.c.13. verſ.47. Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium congreganti*: Et D. Ambroſius *lib.5.in Hex.cap.6. pag.31.lit.G. Piſcis ergo es, o homo: audi quia piſcis es: ſimile eſt regnum cælorum reti miſſæ in mare, & ex omni genere piſciū congregāti, Matt.c.13. ſunt ergo boni, & mali piſces: boni conſeruantur ad pretium; mali ſtatim ardent.*

10 Quia Piſces aliqui optimè olent, vt de Thymallo ait idem Doctor; de homine qui gratiam redolet dicitur: *Aut piſcem olet aut florem*. Ait namque *cap.2. pag.30. lit.E. Neque te inhonoratum noſtra proſecutione Thymalle dimittam, cui a flore nomen inoleuit; ſeu Ticini te fluminis, ſeu amæni Atheſis vnda nutrierit, flos es. Denique ſermo teſtatur, quod de eo, qui gratiam redolet ſuauitatem dictum facetè ſit. Aut piſcem olet, aut florem.*

11 Piſces cupidos auaros denotāt: vnde Ezec.*c.29.v.4. Agglutinabo piſces fluminū tuorum ſquamis tuis*: Et Cardinalis Hugo *in Ezech pag.100.col.4. Ideſt Diuites cupidos auaros, qui in præſenti vixerunt in fluminibus diuitiarum, & deliciarum, adhærere faciam ſquamis pænarum tuarum.*

§. III.

§. III.

De Numeri, & Numerare Hieroglificis.

1 NVmerus eſt partium, ſeu indiuiduorum eiuſdem ſpeciei ordinatio, & determinatio: & numerare eſt ordinare, ſeu determinare. Et primò numerare ſumitur pro minuere, ſeu ad paucos reducere: Ita Propheta: *Iſai cap. 10. verſ. 19. Reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur.* Vbi Lyranus id applicans ſequacibus Antichriſti, ait. *In monte oliueti cum exercitu ſuo fulminabitur, paucis exceptis, de quibus ſubditur: Reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur; ideſt de facili, quia remanentes, detecta falſitate Antichriſti, firmiter adhærebunt.*

2 Numerari in gladio eſt æternis tradi ſupplicijs: ita Iſaias *cap. 65. verſ. 11. 12. Vos, qui dereliquiſtis Dominum &c. Numerabo vos in gladio, & omnes in cædu corruetis:* & D. Hieronymus *in cap 65. Iſai pag. 217. lit. H. Iuxta tropologiam autem hoc dicendum eſt: quod omnes, qui Eccleſiam deſerunt &c. æternis tradentur ſupplicijs, ita vt nullus eam, cædem, & ruinam poſſit euadere.*

3 Numerus determinatus militum Abrahæ, Fidelium electionem ſignat: vnde dicitur: *Gen. cap. 14. verſ. 14. Numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo:* & D. Ambroſius *lib. 1. de Abrah. cap. 3. to. 1. pag. 106. lit. G. Quid eſt numerauit? elegit. Numerauit autem trecentos decem, & octo, vt ſcias, non quantitatem numeri, ſed meritum electionis expreſſum: eos enim adſciſcit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem crederent.*

4 Gens innumerabilis ſunt maligni ſpiritus: vnde apud Ioel *cap. 1. verſ. 6.* dicitur. *Gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis, & innumerabilis;* & ibi D. Hieronymus *in cap. 1. Ioel. tom. 5. pag. 79. lit. G. Aſcendit gens principum mundi huius & tenebrarum, & ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, aduerſus quos nobis eſt lucta.*

5 Numerus inæſtimabilis annorum eſt Æternitas; vnde de Deo dicitur: *Iob. cap. 36. verſ. 26. Numerus annorum eius inæſtimabilis.* Vbi Magnus Gregor. *lib. 27. cap. 3. moral. pag. 910. lit. E. Dicere vtcumque æternitatem voluit; & ipſos æternitatis longitudinem annos vocauit &c. Ideo annos ſine æſtimatione multiplicauit.*

6 Dinumerare menſes conceptus Ceruarũ, eſt Deum præmiare non ſolum exercitium bonorum operum, ſed etiam cogitationes de illis: vnde Iob *cap. 39. verſ. 2. Dinumeraſti menſes conceptus earum:* & Idem ſanctus Doctor *lib. 30. cap. 10. mor. pag. 993. lit. E. Deus vero ad retributionis gloriam non ſolum effectum conſiderat, ſed etiam momenta cogitationum ſignat: rectè ad B. Iob dicitur: Dinumeraſti menſes conceptus earum, ſubaudi, vt ego, qui in ſanctis Prædicatoribus, nõ ſolum fructus exercitium operum, ſed ipſas diutinas cogitationes numero, qui & eas ad retributionem ſeruo.*

7 Deum hominis dinumerare greſſus eſt ſingula opera bona ad retributionẽ ſignare: ſic Iob Deo dicebat *c. 14. verſ. 16. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti:* Vbi ſupra citatus Gregorius *lib. 12. cap. 12. mor. pag. 588. lit. B. Greſſus Deus dinumerat, cum ſingula quæque bona noſtra opera propter retributionem ſignat.*

8 Non numerari noctem in menſibus, eſt peccata in diuino iudicio non memorari ad vindictam: ſic Iob de nocte peccati *cap. 3 verſ. 5.* ait: *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, &c. Nec numeretur in menſibus;* & Idem Gregorius *lib. 4. cap. 18. mor. pag. 389. lit. A. Ac ſi diſtrictum Iudicem exoret, dicens: cum, expleto Sanctæ Eccleſiæ tempore extremo te examinis manifeſtas; ſic dona, quæ contuliſti remunera, vt mala, quæ commiſimus non requiras.*

9 Numerum noſtrorum menſium eſſe apud Deum, eſt etiã labentia noſtra in Deo eſſe permanentia: ſic Iob *cap. 14. verſ. 5. Numerus menſium eius apud te eſt:* & Idem Doctor *lib. 12. c. 1. pag. 582. lit. D.* Quia verò apud omnipotentem Deum etiam labentia ſtant, apud eum eſſe numerum noſtrorum menſium perhibet.

Verſus Vigeſimus ſextus.

שָׁם אֳנִיּוֹת יְהַלֵּכוּן לִוְיָתָן זֶה יָצַרְתָּ לְשַׂחֶק בּוֹ׃

Verſio ex hebræo. *Ibi Naues ibunt: Leuiathan iſtum formaſti ad lætandum in eo.*

Vulgata editio. *Illic Naues pertranſibunt; Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.*

D. Hieronymus. *Ibi Naues pertranſeunt: Leuiathan iſtum plaſmaſti; vt illuderet ei.*

Pagninus. *Ibi Naues ambulabunt: Leuiathan iſte, quem formaſti, ad ludendum cum eo.*

Euthimius. *Ipſum etiam Cete, quod creaſti, ad ſubſiliendum in mari.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

HIc nobis occurrit primò לִוְיָתָן quod Verbum vulgata legit *Draco:* magis ad ſenſum, quam ad literam vocabulum transferens; Ait autem D. Hieronymus *lib. 8. in Iſai. cap. 27. pag. 98. lit. B. Qui Draco propriè in hebraico ſermone appellatur* לִוְיָתָן *ipſe eſt, & magnus Cetus. Nam & ibi pro Ceto Leuiathan ponitur, & in Pſalmo: Draco iſte &c.* Cum ergo om-

Digitized by Google

nium reptilium terreſtrium maximum ſit Draco, Vulgatus interpres maximum aquatilium reptantium, Cetum ſcilicet, Draconem appellauit. Verbum לשחק a radice שחק, quæ ſignificat *Ridere ludere*, *lætari*, & quandoque etiam *deridere*, & *ſubſannare*, variæ interpretationi occaſionem dedit; Quidam enim volunt ipſum Cetum illudi; Alij ipſum illudere mari; Alij (& hoc videtur magis conſonum literæ) ipſum Cetum creatum, vt luderet, & lætaretur in mari; nam volatilia ludunt, & lætantur: in aere; Quadrupedia, & ſerpentia in terra: Piſces verò, quorum maximus Cetus eſt, in mari. Hìc ergo de Naui, & de Ceto ſermonem habebimus.

SVMMARIVM.

1 *De Nauium vtilitate, & inuentione.*
2 *De Draconis marini, ſeu Ceti natura, & proprietatibus.*

§. I.

De Nauium vtiliate, & inuentione.

1 ANte vniuerſale diluuium Naues minimè extitiſſe, conſequenter ad alibi determinata, ſentiendum videtur. Enim vero, cùm ante illud nec Inſulæ fuerint, nec tot fluminibus continens diſſita terra, nulla poſtulabat neceſſitas conſtruendi Naues laborem; poſtquam autē terra per diluuium in plures Inſulas diuiſa eſt, ac in varios ſinus diſſecta, maximè indigent nauibus mortales, vt in eis ex vna in alteram Regionem aſportantes res neceſſarias, humanæ vitæ inſeruiant: nec non mutuum commercium cum inſulanis, & maximè diſſitis gentibus, facilius aſſequantur; vnde Lyranus. *Illic Naues pertranſibunt: Vt bona in vna terra abundantia deportentur per Nauigium ad aliam talibus carentem.* Nonne noſtro ſæculo conſpicimus tam vaſtas noui orbis prouincias antiquis incognitas, nobis patere? Hiſpani ductu magni Chriſtophori columbi, eas nauibus comperiere, nec ſine illis hoc potuiſſent. Quam Nauium vtilitatem præſciens, & contemplatus Seneca *in Medea in choro act.*2. de hac incogniti hactenus orbis inuentione, ita vaticinatus eſt; & ipſe naturali coniectura vſus, tot ſæculis ante cecinit, quod Hiſpani, gentiles ſui, noſtro ſæculo, præſtiterunt:

Quælibet altum Cymba pererrat;
Terminus omnis motus, & vrbes
Muros terra poſuere nouos.
Nil qua fuerat ſede reliquit
Peruius orbis. Indus gelidum
Potat Araxem; Albin Perſa,
Rhenumque bibunt. Venient annis
Sæcula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphyſque nouos
Detegat orbes, nec ſit terris
Vltima Thule.

Quo carmine eleganter Seneca Nauium vtilitates recenſuit. Nomen verò Nauis putat D. Iſidorus inde deriuatum, quia videlicet gnauum Gubernatorēm, requirit: ait enim *lib.*1.*c.*1. *orig.pag.*453. *Nauim quidam perhibent dictam, eò quod gnauum Rectorem quærat, ideſt peritum, ſapientem, ſtrenuum, qui continere & gubernare nouit propter maritima pericula, & caſus. Vnde eſt illud Salomonis. Intelligens Gubernacula poſſidebit.*

2 Porrò De primo Nauium Inuentore variæ certant nationes. Poetæ Theſſalis tribuunt, vnde Iaſon ſimul cum Hercule, Caſtore, & Polluce ad aurei Velleris raptum diſceſſerunt, quorum Nauis Argos dicta celeberrima eſt; de qua relatus Seneca.

Bene diſſepti fædera mundi
Traxit in vnum Theſſala Pinus,
Iuſſitque pati verbera pontum,
Partemque metus fieri noſtri.
Mare ſepoſitum &c.

Verum quia ex vera conſtat Hiſtoria ante illam alias extitiſſe Rates, licet celebris Argos ſit, prima tamen minimè putanda eſt. Diuus Iſidorus *loc. cit.* hanc inuentionem lydijs tribuit, qui primi alienas terras nauigio peragrauerint. *Lydij autem primum Nauim fabricauerunt, Pelagique incerta petentes, peruium mare vſibus humanis fecerunt.* Alij hanc inuentionem Athenienſibus dedere; ſed Elias cretenſis *in or.*3 *D.Gregor. Naz.pag.*179. Phænicis tribuit Nauium conſtructionem, Athenienſibus verò maritimæ claſſis apparatum; ait namque. *Iam verò Nauem Phænices primi conſtruxiſſe dicuntur, Triremes vero Semiramis Nam Athenienſes, non ædificandarum Nauium Authores, ſed naualis præfecturæ inuentores fuiſſe dicuntur.* Cæterum Franciſcus Alumnus, in libro, cui titulus eſt, *Fabrica del mondo*, italicè ſcriptum, Nauium inuentionem tribuit Danao Beli filio, Ratis vero Erithro maris rubri Regi, a quo mare illud Erithreum appellatum fuit: Rates verò nonniſi ligna ad inuicem compaginata, ſine aliqua Nauis vera forma fuere: ſic ille *De Aquis pag.* 142. *Danaus filius Beli primus Nauim inuenit, qua in Ægiptum, & Græciam nauigauit; & antea Ratibus vtebantur, ideſt multis trabibus ſimul compaginatis, quod inuentum fuit Erithri Regis in mari rubro, ab ipſo Erithreum nuncupatum.* Diodorus ſiculus *lib.*5.*cap.*15.*ap. Theatr. vit. hum. to.*1. *pag.*525 *lit.F.* nauigandi artem, ſeu potius claſſis maritimæ conſtrutionem Neptuno tribuit; & ea propter Maris Deum creditum fuiſſe, atque a poſteris thus litatum, ac ſacrificia decreta. *Saturni, & Rhea filius Neptunus, nauigandi arte inuenta, claſſem inſtituit, eiuſque Præfectus eſt a Saturno factus. Quapropter traditum eſt poſteris Neptunum imperaſſe mari ſacraque ei a Nauigantibus facta.* Idem de Minoe Iouis filio, ac Cretæ Rege tradit relatus Alumnus. *Minos Iouis, & Europæ filius regnauit in Inſula Creta, & fuit primus qui naualí prælio decertaret.* Primus verò apud Romanos nauim aſcendere ſuaſit Claudius, Duillius verò omnium primus de nauali victoria triumphū excitauit, vt refert Seneca *de Breu.vit.cap.*13.*pag.*372. *His diebus audiui quemdam Sapientē referentem, quòd primus nauali prælio Duillius vicit. Hoc quoque quærentibus remittamus quis Romanis primus perſuaſit nauem conſcendere: Claudius is fuit.*

3 Ego autem de hac re meam proferam de Nauium Inuentore ſententiam, ſacris conſonam literis. Primus Nauium Inuētor Danaus Beli Filius, ac Nini frater fuit. Belus enim fuit primus Aſſiriorum Monarchiæ Fundator, qui Babiloniam ædificauit; Ninus vero eius filius cæptum Regnum ad Monarchiam deuexit. Porrò Nembrod idē fuit cū Belo, vt ait Salianus *Annal.Eccl. tom.*1.

Digitized by Google

tom. 1. *Ann. mund.* 1931. *num.* 55. *Communis porro ſententia eſt, Membrodum eumdem eſſe cum Belo*. Et paulo inferius refert Euſebium dicentem. *Primus Aſſiriorum regnauit Belus annis 65. quem Aſſirii Deum nominauerunt Saturnum.* Fuit autem Nembrod filius Chus, Chus verò filius Cham filij Noe. Cum ergo Belus, Saturnus, & Nembrod idem Princeps Babiloniæ fuerit, a vero non recedit credere etiam Danaum, & Neptunum vnum eſſe, Beli, ſeu Saturni filium, qui Arcam Aui ſui Noe inſpiciens, ac diluuij hiſtoriam ab Auo accipiens, ad Arcæ ſimilitudinem Nauim primam efformauit. Hoc totum clarè colligitur ex relatis Authorum ſententijs.

4 Quia verò facilè eſt inuentis addere, alij aliorum generum Nauium, vt Triremium, Quinqueremium, ac cœterarum huiuſmodi inuentores extitere. Sic etiam erat apud Phænices magna Nauis ſpecies, quæ ab ipſis Trieris, a Græcis autem Dulconis dicebatur: Hanc memorat Iſaias *cap.* 33 *verſ.* 31. dicens: *Neq; Trieris magna tranſgredietur eum*. Et addit Diuus Iſidorus Hiſpal. *loc. cit. col.* 454. *Trieris Nauis magna, quam Græci Dulconem vocant: de qua in Iſai: Non tranſibit per eam Trieris magna*. Apud latinos vero hæc Nauis Triremis appellatur: quare Romanorum ad deuaſtandum Aſſiriorum Regnum aduentum prophetans Balaam, dixit *Num. cap.* 24. *verſ.* 24. *Venient in Trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſirios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt*. Cum enim maledictionem populo, quam Balac deſiderabat dare non poſſet, ſolatur eum eiuſdem deuaſtationem per Romanos, poſt multa ſæcula, Chriſto ſcilicet, nato (nam præmiſerat: *Orietur ſtella ex Iacob*) futuram; ita enim interpretatur eminentiſs. Hugo *in lib. Num. pag.* 145. *col.* 1. *Trieres ſunt Naues tres ordines remorum habentes; & Prophetat Balaam hic ad literam de Romanis, qui poſt aduentum Chriſti ſubiecerunt Aſſirios*. Propherauit & hoc ſimiliter Daniel *cap.* 11. *verſ.* 30. dicens; *Et venient ſuper eum Trieres, & Romani, & percutient*: Vbi Cornelius à lapide *in Daniel. pag* 1379. *col.* 1. *Venient contra eos legati Romanorum vecti Triremibus*. Iſtud enim Nauigij genus ſolum in mediterraneo vtile eſt, vbi Phænicia, Iudæa, Pais Ægipti, Græcia, Italia, & aliqua portio Galliæ, & Hiſpaniæ continentur; nam in Oceano inutile eſt, idcirco huiuſmodi populis eius inuentio tribuenda eſt.

5 Sed Horum omnium qui aliquid ad Nauigandum vtile repererunt, facilè præclariſſimus cenſendus eſt Flauius Amalphitanus, hic enim acum, & pyxidem nauticam inuenit, qua tutiſſimè totus pernauigatur orbis: Nec ſine ipſa Hiſpani, & poſt eos alij populi, ad nouum orbem appellere potuiſſent. Atque hæc ſunt in cauſa, cur Romani, vel alijs ſolertes populi nouum hunc orbem inuenire non potuerunt, quia ſcilicet nautica pyxide carebant; & qui fretum Herculeum, quod Alcidem deterruit, tranſire auſus eſt, perijt, vt de Vlyſſe referunt, Vlyſſiponis vrbis in Oceano mari cōſtructore. Ita refert de Flauio Collenutius *ap Theatr vit. hum. to.* 1. *pag.* 525. *lit. H: Flauius Amalphitanus pyxidem nauticam inuenit: & hoc Inuento noui orbis inueſtigandi Inſtrumentum Hiſpanis dedit*. Idcirco Prouincia Principatus, in qua ortus eſt, Pyxidem nauticam pro Inſigne extollit; toti orbi pro ea celeberrima.

§. II.

De Draconis marini, ſeu Ceti, natura, & proprietatibus.

1 DRaco iſte &c. Eodem prorſus nomine hebræo ſermone vocari ſerpentia terræ, & aquatilia, ſatis clarè patet ex ſacris literis, nam in eis vtraque reptilia dicuntur. Porro vox *Leuiathan*, quæ hic ponitur, & vox *Hataninim*, qua vſus eſt Moyſes c. 1. Geneſis communes ſunt tam ſerpentibus, quam Piſcibus immanis magnitudinis, idcirco Interpretes aliquando cete, aliquando Dracones tranſtulere; ita ſentit Pererius *in Daniel. lib.* 4. *pag.* 268. *&* 269. *Quos piſces ſeptuaginta Interpretes, vel Cete, vel Dracones appellant, eos ſcriptura hebraica duobus vocabulis nominare ſolet: quorum alterum eſt Hataninim, qua voce vſus eſt Moyſes* 1. *cap. Geneſeos, cum dixit: creauit Deus Cete grandia: pro Cete eſt Hataninim, quæ propriè ſignificat Dracones, ſeu ſerpentes tam marinos, quam terreſtres &c. Alterum vocabulum eſt Leuiathan cuius fit mentio apud Iob c.* 3. *Et Pſal.* 103. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Vox autem Leuiathan, non ſignificat vnam quamdam certam ſpeciem piſcis, ſed omne genus piſcium vaſto, & immani corpore præditum*. Nihilominus tamen per Draconem iſtum marinum, ſeu Cetum, vnam ſpeciem piſcis accipimus, qui Cetus dicitur cuius naturam, & proprietates explicandas ſuſcepimus.

2 Hugo Cardinalis *in Pſal.* 103. de hoc Dracone ait. *Draco eſt maximum Animal, quod eſt in mari*. Natura autē Ceti ſimilis Crocodilo fluuiali eſt, ac Delphino marino, ita vt vnumquodque eorum contra aliorum piſcium conditionem reſpirationem habeat, attrahit autem aerem per quamdam fiſtularem cannam, quæ ad capitis ſummitatem extollitur: ingens enim Beſtia eſt, & veluti maris Domina: De Ceto, hæc tradit B. Albertus *lib.* 24. *De Animal. Tract. vnic. pag.* 650. *col.* 1. *Cetus eſt Piſcis maior, qui viſus eſt, cuius fœmina Balena vocatur; eſt autem hic piſcis multorum generum, neutrum autem habet branchos, eo quod quodlibet iſtorum ſpirat, ſicut & Delphinus: ſpirat autem per cannam fiſtularem*. Tantæ magnitudinis in Oceano deprehenditur Cetus, vt ſi quando dorſum ſupra mare erexerit, maxima credatur Inſula, non ſine nauigantium deceptione, qui aliquando decepti dum veram Inſulam crederent in eius dorſum de naui deſcendentes mouente ſe Ceto, & profunda petenti, ſubmerſi ſunt. De hanc Ceti magnitudine loquuntur Sancti Baſilius, & Theodoretus apud Pererium *lib.* 1. *in Gen. num.* 76. *pag.* 183. *Balenæ namque, vt Baſilius, & Theodoretus aiunt, cum ſuper aquas dorſum efferunt, ingentis Inſulæ ſpeciem exhibent*. Similia narrant moderni Oceani luſtratores. Iſtam tamen immanem corporis magnitudinem viſus debilitas compenſat: tam paruam enim aſſequitur viſus potentiam, vt ſe regulatè moueri ſine duce aliquo nequeat; quapropter cum piſciculo paruulo conſuetudinem, & ſocietatem habet, cuius ductu iter arripit; quòd ſi piſciculus ille tempeſtate quatiatur, vel alia de cauſa a Ceto remoueatur, Cetus de facile ad arenam appulſus occidit. Id narrat Ælianus *in Hiſt. Animal. lib.* 2. *cap.* 13. *Ferè Cetorum genus aliquo duce indiget ad ſuum motum regendum, & moderandum, cuius oculis, quaſi ducibus ipſum vtitur ad videndum. Is autem Dux, vt periti harū rerum confirmant, piſcis eſt albo colore, prælongo capite, anguſta cauda &c. Cum autem ad nimiam pinguitudinē Ceti perueniunt amplius, nec videre, nec audire poſſunt carnium mole auditendi, videndique meatus obſtruente. Quòd ſi eo duce carerent, haud dubiè illis pereundum eſſet*. Ita Belluam vaſtam mole imperio magnam, viribus formidandam paruus piſciculus regit, vt & homines diſcant nullam reperiri ſub Cęlo potentiam, quæ aliquo non indigeat.

3 Cetus inſuper, ſicuti de Crocodilo ſupra retulimus, & de Delphino ſimiliter ſentiendum eſt, in coitu, & procreatione prolis, non ad inſtar piſcium, aut beſtiarum, ſed hominū more ſe gerit; virgā enim, & teſtes habet mas, fęmina vero vuluam diſpoſitam vt mulieres; cum ergo coeundum eſt ſupponit ſe fęmina mari, eo prorſus modo, quo mulier viro, Delphina Delphino, & Crocodila Crocodilo, de quo vidimus ſupra; & tunc mas emiſſa virga, coit cum illa; modicùm

tamen ſuper eam incumbit, quia velocis eſt coitus. Hęc ex B. Alberto accepimus, qui *loc. cit. pag. 650. col. 2.* ait. *Hic piſcis virgam habet, & teſticulos intus in corpore, ſicut Delphinus, & emittit eam tempore coitus: & fæmina habet vuluam fere diſpoſitam, vt vuluam mulieris, Quando verò coit, fæmina ſupponit ſe mari, ſicut mulier viro, & Delphina Delphino, ſed velocis eſt coitus.* Neque tantummodo ſemen habent Cetus, ſed & prætioſiſſimum; ex eius namque ſpermate ambra conficitur; nam cum magnam habeat ſpermatis copiam, non totum intra fœminæ vuluam concipitur: quod ergo ſuperfluens cadit, in ambram dureſcit; eſtque prætioſum, & medicamen ad nonnullas iufirmitates, & præſertim guttam, paraliſim, imo & peſtilentiæ ipſi medetur; nam & ab ambra elicitur quoddam oleum ad medendam peſtem, aut peſtilentialem febrim potentiſſimum; vt & ego expertus ſum Romæ Anno 1656. De huius generatione tradit Idem Magnus Albertus. *Hoc quod reſoluitur de ſpermate (eo quod valde multi eſt ſpermatis, & non totum concipitur intra vuluam Balenæ) quæritur a medicis, & eſt quod ambra vocatur, pratioſum valde contra guttas, & Paraliſim.*

4 De hoc Ceto ſeu Dracone ait Pſaltes creatum eſſe, *vt illudatur ei*, mari ſcilicet; & licet ex textu hebraico, & D. Hieronymo, hæc videatur germana interpretatio, quam & Pererius *loc. cit.* amplexus eſt, inquiens. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei; ideſt, vt quaſi maris imperium tenens, in eo, ceu regno ſuo ludat, & ſecurus ſeipſum agitet, & volutet, quacumque voluerit; ludibundus diſcurſans, & pro luſu, & ioco habens cæteros piſces venari, & prædari.* Nihilominus, etiam & ipſum a Piſcatoribus illudi, & decipi, præſertim ab Oceani maris conterminis Accolis, qui & eius pinguedine ad fouendas lucernas vtuntur. Hæc porro illuſio duplex eſt, altera ex hominum deceptione, altera ex ipſius Ceti incuria, dum nimio ardore prædandi piſces perſequens, in arenam impingit. De prima illuſione hæc haber eminentiſſimus Hugo *in Pſal. 103. Licet ſit magnum, & forte tamen de facili illuditur ei cum gallina aſſata, quam ponunt in pertica, & ipſe inſequitur gallinam, & ipſi inſiliunt ſupra dorſum eius, & ſic capiunt eum.* Secundam vero illuſionem fusè deſcribit Incognitus *in Pſal. 103.* his verbis. *Quæ illuſio talis eſt. Nam Piſcis ille, ſiue Draco cum ſit magnus corpore, multo cibo indiget, propter quod alios piſces inſequitur, vt eos deuoret; propter quod alij piſces naturali inſtinctu videntes Cetum fugiunt abeo, & vadunt verſus littus maris, vbi Cetus Magnus vorare ipſos non poteſt propter paucitatem aquæ, & ſic volens eos vorare a piſcatoribus occiditur.* Hæc ergo magni huius Piſcis natura eſt, & taliter illuditur ei.

5 Sed & de ipſo Dracone, nominis capta occaſione, aliqua videamus. Nomen Draco commune omnibus ſerpentibus eſt, ſed in ſtricta acceptione pro immanibus, & alatis ſerpentibus; porro, vt ait Doctiſſimus Incognitus; *Serpens comedendo ſerpentes fit Draco*: nam in medio pingueſcens, craſſeſcit, & tandem ei naſcuntur alæ, quibus ſubſtolli in altum vt Aues nequit; ſed tamen velociſſimè currit, ac metam attinguit citiſſimè, vt ait D. Euſtathius *in Hexam. pag. 42. Feras omnes ſpiritu, & calore Draco ſuperat variaſque figurarum formas exprimit obliquus & tortuoſus; & dum iter ingreditur citiſſimè metam, quam ſibi proponit, attingit: ſatis diu viuit; non tantum enim ſenectam exuit, ſed & in dies ſingulos magnitudine corporis creſcit; ætate verò confectus per ſui reſolutionem deficit.* Niſi violenter necetur diutiſſimè viuit ſerpens, & aliquando fit Draco, & ipſo halitu enecat venenato. Sed & cum Elephantum aggreditur, cuius ſanguinem ſitit, ſæpe ſæpius ſe ipſum enecat, vti Idem ſanctus *pag 38.* deſcribit in India contingere. *Draco apud Indos in Elephantis terga ſalit, totumque ventrem circumflexo facilè ambit, & ex vena, quam inciderit, auidiſſimè abſque ſatietate ſanguinem captat violento ſpiritu hauriens, ingentique ſtrepitu. At Elephas exilit, proboſcideque latera verberat, quaſi Draconem proſtraturus, ſed ſanguine deficiente, cum ſaltare non poſſit, toto corpore tremit, nec multo poſt ruit cruribus debilitatis, vnaque ſecum obruit Draconē, qui vinculis, quibus eū præſtrinxerat, ſoluendis impar, Elephantis pondere preſſus, ſuffocatus eliditur.* Columbis etiam inſidiatur Draco, ſua allegoria nos admonens, ſemper Diabolum innocentiæ & ſanctitati inuidere, & inſidiari; ſed in India quædam Arbor eſt (Crucis typus) quæ dulces habet fructus, & Draconem terrificat, vt ad eam accedere metuat, & in hac arbore contutantur Columbæ. Ita Idem ſanctus *pag. 39. Arbor eſt in India regione, quam vocant Peridexion, dulces ferens fructus; hac Columbæ gaudent, & in ea commorantur Cæterum Draco columbis infenſus, metu declinat arborem.* Hæc pauca de Dracone tam marino, quam terreſtri dixiſſe ſit ſatis.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

NAuium, Cetorumque qualitatibus explanatis pro eruditione, adhuc nobis inquirendum eſt pro morum reformatione quid ſignent. Etenim ſi mare mundus eſt, & ibi tempeſtates, & Naues, & Dracones erunt. Tempeſtates cupiditates vocato, Nauim tempeſtatibus iactatam Animam Iuſti viri, Naues, in quibus ſaluari poſſunt mortales, Crux Chriſti, Eccleſia (præcipuè dum Eccleſiæ Nauclerus Chriſtus eſt) Charitas: Dracones vero Diabolus, Peccatum, Adulatio, Detractio, & huiuſmodi vitia. Hæc ergo explananda reſtant.

SVMMARIVM.

1 *Cupiditas tempeſtas eſt exagitans hominis vitam.*
2 *Anima Iuſti Nauis virtutibus onuſta.*
3 *Crux Chriſti Nauis a mundi naufragio liberans.*
4 *Eccleſia Nauis eſt ad regionem cæleſtem ducens.*
5 *Chriſtus Nauclerus Eccleſiæ eam ſaluat.*
6 *Charitas Nauis, quæ mundi tempeſtates ſuperat.*
7 *Diabolus eſt ludibrium Dei, & Angelorum.*
8 *Peccator per pænitentiam illudit Diabolo.*
9 *Diabolus auiditate nocendi, proficit nobis.*
10 *Adulatio cauda diaboli homines decipiens.*
11 *Prima peccati ſuggeſtio periculoſa, quia caput ſerpentis eſt.*
12 *Detractio Draco venenatus crudeliter ſaucians.*
13 *Diabolus habitum Angeli lucis ad decipiendum induit.*

§. I.

§. I.

Cupiditas tempeſtas eſt exagitans hominis vitam.

1 ILlic Naues pertranſibunt. Maximam vtilitatem hominibus Nauigia præbuere, dum remotas regiones luſtrando, mercimonia ſibi, ſuiſque neceſſaria deferunt. Verum eò ſe extulit humana cupiditas, vt moderatis lucris minimè contenta, immodica cupiditate iactatus homo, ſæpè ſæpius in his regionibus mortem incurrit, aut paupertatem vbi ſe ſperabat diteſcere. Agitantur ergo cupiditatibus homines, ſed illud periculoſius, quod in animæ perniciem malè comparatæ diuitiæ cedunt; in iiſque cupiditatum vndis virtus naufragium facit, atque ad æternam mortem animam adducit: Cupidi ergo Naues ſunt, ſuis tempeſtatibus agitati, vt ait B. Albertus. *Illic Naues, &c. Sunt Naues, quæ periclitantur in Mari, Cupidi, hinc inde vento cupiditatis tempeſtuoſe agitati.*

2 Cum Nauis vento ducta per mare currit, ſi tempeſtate ſuborta quatiatur, eò magis periclitatur, quò plus fuerit mercimoniis onuſta. Quòd ſi Nautæ in tantam dementiam venerint, vt pondere illo minimè exonerari voluerint, vt Nauis alleuiata reſiſtere vndis poſſit, certam demerſionem incurrunt. Haud ſecus in humanæ vitæ curſu contingit: Nam homines diuitiarum cupidi, iiſque pleni, ſi eas minimè deponant, in infernum finaliter demerguntur. Apoſtoli eſt hæc doctrina, dicentis, 1. *ad Timoth. c.6.v.9. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, quæ mergunt hominem in interitum.* Nota autem Pauli comparationem, qui æternam mortem, ex nimia diuitiarum cupiditate prouenientem, merſioni aſſimilat vt & hinc intelligi queat ipſas cupiditates tempeſtates eſſe, diuitias verò vndas, hoc vento exagitatas; vt optimè obſeruauit D. Ioan. Chriſoſtomus, *Hom.17. in 1. ad Timot. to 4 col. 1393. lit. D. Benè ait, mergunt, adeovt emergere, & reſipiſcere nequeant; in interitum, & perditionem huius temporis, & futuri.* Timeat humana Nauis tam ſæuam tempeſtatem, quæ æternam minatur mortem.

3 Fugientibus ex Ægypto Iſraelitis Pharaonis tyrānidem euadere cupiētibus mare rubrum occurrit, quod nauigiis carentes transfretare non poterant: tunc timore perterriti, ex inſequentibus Ægyptiis, ad Cęlum exclamabant, Diuinum poſtulantes auxilium. Tunc diuino monitu Moyſes virga percutiens mare, diuiſit ipſum, & ſic ſicco veſtigio peruenerunt ad oppoſitum littus; ſed in ipſum cęco furore ſe proiiciētes Ægyptii omnes demerſi ſunt, & perierunt. Dicamus ergo Ægyptum hunc mūdum eſſe ignorantiæ caligine tectū; Iſraelitas verò omnes qui agnita veritate ipſum aſpernari, & Deum ſequi feſtinant: Quibus mare occurrit rubrum, ſtimulus ſcilicet cupiditatum, qui mentem noſtram turbat, & à cæpto reuocat bono, ſuis procelloſis cogitationibus; ſed quid facere debent? Illud vtique, quod & Moyſes fecit: Exod. *c.14. v.21. Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi:* Debemus namque manum noſtram, in qua virga eſt; ideſt mentem noſtram, in qua virga eſt recti iudicii, ſuper mare extendere, ideſt expellere cupiditates à corde, vt libemur. Audiamus D. Bernardum id ſuadentem, *in ſentent. col.495. lit. I. Vſitatum eſt ſatis, & tritum, ſæculum iſtud merito cæcitatis, & ignorantiæ ſuæ Ægypti vocabulo nuncupari: quod nimirum quoties mutatione voluntatis egredimur, nobis occurrit ſtimulus cupiditatum, qui velut mare rubrum ſenſum rationis noſtræ tumidis, & procelloſis vndis cogitationum inuoluit: & niſi virga diſcreti iudicii Aquæ ſuperiores ab inferioribus ſecernantur, ſubruit funditus, & demergit.* Peſsima, & periculoſa tempeſtas, quam qui fugiunt inuenient requiem.

4 Sed poſſet quibuſdam diuitiarum cupiditas, non tēpeſtas, ſed tranquillitas apparere, præſertim cum earum poſſeſſio vtilis videatur. Qui verò rationabili diſcurſu cā penſet, fatebitur ſanè, ne dum cupiditatem, ſed ipſam diuitiarum ad votum poſſeſſionem, tempeſtatem, & maximam eſſe. Memini me aliquando audiuiſſe de paupere quodam Ædificatore, qui theſauro inuento totas noctes inſomnes ducebat, vexatus cogitationibus, quid de eo faceret, & quomodo partas diuitias diſtribueret; ſed vt erat parui, & vulgaris ingenii, vt totas proiiceret curas, proiecit, & aurum. Quoddam ſimile in Euangelio legimus, Luc. *c.12. ver.17. Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit; & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* En diuitem ipſa rerum copia inopem, & inquietum redditum, & variis cogitationibus agitatum, dum abundantia preſſus, conſilium quid faciat non inuenit; & eleganter hanc miſeriam deridet D. Baſilius, *in Diteſcen. pag 150. col.2. lit. F. Quid faciam, inquit. Quis non miſereatur ſic miſerè curis obſeſſi? Ipſa fertilitate miſer erat, ac timidus. Miſerabilis præſentibus, & paratis bonis, miſerabilior ob ea, quæ adhuc expectabat.* Fateātur ergo vna voce omnes Nauim humanæ vitæ cupiditatum fluctibus exagitari.

5 Nonnunquam contingere ſolet Nauclerum plus iuſto exoneratum Nauigium habens, cuius bona aliena ſuæ fidei commiſſa ſuſcepit, eorumque rationem reddere debet, iiſque amiſſis prætium eorum ſoluere, etiam oborta tempeſtate illa ſeruare, nec proiicere curantem, omnes naufragio exponere. Ita ſunt cupidi homines; hi enim cùm amittere diuitias formident, eas aſpernari nequeunt, & ſic æternæ mortis periculo ſe exponunt: veniunt bonæ inſpirationes ex alto, quæ illarum deſpectū, & proiectum ſuadent, ſed euincit cupiditas. Legimus in libro Ioſue, miſſos ab eo exploratores ad Vrbem Iericho, mulierem quamdam in domum ſuam recepiſſe, ac in ſolario contutaſſe, neq. inimicis tradere eos voluiſſe, *c.2. v.6. Ipſa autem aſcendere fecit viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini.* Illi ergo, qui Ieſu exploratores, ideſt bonas inſpirationes, in ſolario cordis condunt, ac diuina præcepta ſeruant, explodunt diuitias, & vitam pereunte Iericho, ideſt ſæculo, inueniunt: qui verò cupiditate preſſi mercimonia proiicere deteſtant, & exploratores inimicis tradunt, cum ipſo pereunt mundo. Ita ſentit D. Fulgentius, *lib.1. c.21. de Rem. pecc. pag.657. col. 2. Hi enim dum terrenas diuitias aut perdere metuunt aut acquirere concupiſcunt, præcepta Chriſti, hoc eſt exploratores Ieſu non abſcondunt in ſolario cordis, ſed tradunt perſequentibus inimicis.* Sic perit nauis humana cupiditatum tempeſtatibus agitata.

§. II.

Anima Iuſti Nauis eſt virtutibus onuſta.

1 ILlic Naues, &c. Cum Mundum mare vocamus, haud immerito Nauis nomine Animam noſtram intelligimus; hæc enim in mare, ideſt in hanc miſerabilē vitam, à Deo mittitur, vt inde onera prætioſa virtutum, & meritoria comparet: quæ commutet pro gloria in Patria cœleſti. Ideo inquit Pſaltes: *Illic Naues pertranſibūt,* ideſt Animæ iuſtæ; nam Naues mundanæ, quæ onuſtæ diuitiis, & voluptatibus nauigant, ad cœleſtem portum minimè perueniunt, eæque mare hoc non pertranſeunt, ſed in ipſum merguntur. Naues verò, quæ ad Paradiſum currunt, licet ex lutea materia confictæ ſint, portant tamen onera prætioſa virtutum, & meritorum, quibus ineffabilem gloriam conſequantur. Ita putat Magnus Albertus *in Pſal. 103. Sed nota, quòd in mari huius mundi ſunt Naues bonæ, quæ tandem veniunt ad portum ſalutis, ſcilicet viri iuſti; & benè Naui comparantur; quia fragiles portant prætioſa valde.*

2 Cum diuinæ vindex Iuſtitiæ Prouinciam aliquam, terribilis exagitat caritas; nulla, niſi in nauibus, ſpes aliqua reſtat, nam licet aurum, & alia prætioſa mercimonia ibi exuberent, vno deficiente pane, reliqua inutilia redduntur. Verū Nauium beneficio ſua mercimonia prætioſa aliò deferentes, panem ad ſubleuandam fāmem domū reportant. Huiuſmodi Naui Animā Sanctā ſimilem Sapiens

piens

Digitized by Google

piens pronunciauit,dicens,Prouerb.*c.31.v.12 Facta eſt quaſi Nauis Inſtitoris de longè portans panem ſuum*. Ita pariformiter Anima viri iuſti ſcit profectò in altera vita caritatem eſſe meritorum, non enim amplius merendi tempus eſt;quapropter hic colligere merita, virtuteſque ſatagit,vt in illa comparet gloriam: hic virtutum diuitiis oneratur, vt æternę gloriæ ſuauiſſimum panem per eas acquirere poſſit. Hoc apertè docet Gloſſa ord. *Sicut ergo Inſtitoris Nauis onerata mercimonÿs,quæ in Patria ſua abundant per mare portat,vt venditis,quæ attulerat, cariora domum reportet, Sic Anima perfecta virtutum diuitiis gaudet onuſtari,quibus maiora diuinæ gratiæ dona mercetur.* Stultus eſt,qui ita negotiari renuit, nam in altera vita flammis vltricibus traditus ſempiterna famę peribit.

3 Moderni Mercatores,alijs mercimoniis poſthabitis, in ſola auri,& argenti mercatura ſe exercent:neque Oceanum formidantes, per ipſum Naues ducunt, atque periculoſum iter emenſi auro,gemmiſque onuſti,ex India, Americaque conquiſitis,domum redeunt. Has merces nouus ille Orbis abundè ſuppeditat: auariſque Animis, quo repleantur quidem,minimè verò expleantur; communicat. Pericula tam longæ nauigationis aurum fuluo ſuo aſpectu offuſcat:& gemmarum nitor, tempeſtatum inſidias abſcondit. Id & Salomonem feciſſe, teſtis eſt Diuina ſcriptura;quæ de huiuſmodi nauigatione hæc refert,2.*Paralip.c.9 v.21. Naues Regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram ſemel in tribus annis; & deferebant inde Aurum,& Argentum, &c.* Quod expendens Eminentiſſimus Hugo, per Nauem intelligit Animam,& per aurum opus bonum,*in c 8. Matth to.6.pag. 33.col.4.& pag.34.col.1. Per Nauem ſignificatur Anima, &c. Hæc eſt Nauis Salomonis, quæ afferebat de Tharſis Aurum,& Argentum. Aurum lucidum eſt, & ſignificat fulgorem bonorum operum*. Illæ ergo Animæ, vt Naues Salomonis auro onerantur, quæ operum bonorum copiam habent: Illæ mundi mare pertranſeunt, & gloriam æternam ſuis meritis adipiſcuntur.

§. III.

Crux Chriſti Nauis à Mundi naufragio liberans.

1 *ILlic Naues pertranſibunt*. Mare ſemper in motu eſt, quieſcitque numquam: cum autem ventorum impetu ad vnam trahitur partem eius curſu tempeſtas oritur;ergo ſine tempeſtatibus raro eſt, nam ventus raro intermittit. Omnes ergo quicumque per ipſum nauigãt ſe tempeſtatibus expoſitos norunt: Attamen eas non formidant,cum Naui valida,& benè compaginata feruntur. Sęculum hoc mare cum ſit,haud tempeſtatibus caret, in eo namque inſurgunt perſecutionum procellę,tentationum fluctus,quibus turbantur,quibus quatiuntur homines;Sed tutè pertranſibimus fluctus eius ſi Diuina vehimur Naue,ideſt ſi Crucis Dominicæ fidẽ amplectimur: hoc eſt ſalutis Lignum,quod tempeſtates deridet,fluctus frangit,procellas mitigat, & inter minaces ſæculi vndas ad Paradiſi portum tutiſſimè perducit. De qua Sanctiſſimæ Crucis Naui,hæc D. Auguſtinus tradit. *Hoc ſæculum adhuc tentationum fluctibus quatitur, adhuc tempeſtatibus turbatur. Minetur licet mare,tumeat, procellaſque parturiat, hac tamen itur; datum eſt nobis lignum, quo nauigamus.*

2 Cum in mediis fluctibus iactatus reperitur homo, vndis agitatus,ac timore perculſus, ſi prope Nauem intueatur,quæ velo valido fidens vndas incõcuſſa percurrit,ſtatim ad eam accedit,& in ipſam ingreditur,ac ſimul cum Naui à fluctuum tempeſtatibus liberatur. Ita prorſus in hoc ſæculo fluctuans Animus,ſi ad Crucis nauem acceſſerit,& in eam aſcenderit,à mundanis liberatur inſidiis. Huius exemplum accipe in Apoſtolis ad mare fluctuantibus,qui cum in Naui eſſent, ac ſecum Ieſum haberent,cum vento valido quaterentur timere cęperunt, vt ait Lucas,*c 8.v.22. Factum eſt autem in vna dierum, & ipſe aſcendit in Nauiculam*,& paulò poſt,*v.23. & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur, v.24. & ſuſcitauerunt eum dicentes: Præceptor perimus.* Ieſus autem à ſomno ſurgens cum ventis imperaſſet,& mari, atque ceſſaſſet tempeſtas diſcipulos increpauit his verbis,*v.25. Vbi eſt fides veſtra?* Quaſi diceret: Nauis in qua eſtis Crux eſt,quæ cruciat quidem, ſed ſaluat;ego in hanc nauiculam aſcendi, in eamque aſcendere vos debetis,ſed timendum vobis non eſt, nam perire in ea non poteritis, imò hæc ad cœleſtem Patriam recto vos ducit itinere. Hæc expoſitio,& interpretatio Card. Hugonis eſt,qui ait,*in c.8. Luc.pagin.170.col.1. Et ipſe aſcendit in nauiculam,ideſt in Crucem. Mare mundum exprimit inter proſpera, & aduerſa fluctuantem. Nauis,qua diſcipuli feruntur inter procellas maris,ſignificat Crucem,cuius triplici beneficio de huius mundi naufragio enauigat Eccleſia, ad Portum æternæ Beatitudinis;nam per paſſionem redimitur, per fidem Paſſionis fundatur, vexillo Crucis munitur.* Non ergo expaueſcere debet,qui in Crucis naui mundanum enauigat mare;neceſſe eſt enim,vt tempeſtatibus quatiatur,ſed per illas ad cœleſtem portum feliciter tandem perueniet, vbi glorioſus quieſcet.

3 Mirari non ceſſo,cum verba Domini Crucem ſuadentis audio,qui denegat ſequelam,ac ſocietatem ſuam hominibus Crucem non tollentibus, Matth.*c.10 v.38. Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me non eſt me dignus.* Quæ tanta eſt crucis amplexus neceſſitas? cur ad Patriam ſine ipſa peruenire non poſſumus? Sed huc reuocandum eſt,quod ſupra diximus,*in Verſ.25.§.7.* ſcilicet carnis concupiſcentias, & illecebras Syrenes quaſdã eſſe,quæ ſua voluptate decipientes homines, tandem enecant,& in barathrum mergunt. Fertur autem de Vliſſe,quòd cum mare Siculum,vbi Syrenes morabantur, tranſiret,voluit quidem earum cantum, ſed tutò, audire,quapropter remigum ſuæ Nauis aures cera obturauit ne cãtum audire poſſent;ſeipſum verò malo Nauis ligari mandauit,vt etiam ſi vellet ad Syrenes meare nõ poſſet,& ita factum eſt,vt periculum declinaret. Huius fabulæ meminit Iuuenalis,*ſatyr.9.* inquiens.

Affigit ceras illa de Naue petitas,
Quæ Siculos cantus effugit,remige ſurdo.

Id homini faciendum eſt,vel cantus Syrenum,ideſt mũdanas delicias,obturata aure,in eremo ſcilicet,declinare; vel malo Crucis ligari fortiter,ne ſubmergatur. Hęc ergo tollendæ Crucis neceſſitas eſt, vt illi alligatus homo mundani maris pericula deuitet. Peroptimè id docet D. Maximus,*Hom.1. De Paſſ. Dom.pag.212.col.1. Igitur cum Vliſſes incidiſſet in hoc dulce naufragium, & ſuauitatis illius vellet declinare periculum,dicitur inſerta cera auribus ſociorum,ſeipſum ad arborem nauigÿ religaſſe; quo & illi carerent pernicioſa auditus illecebra, & ſe de periculo nauigÿ curſus auferret. Si ergo de Vliſſe refert fabula,quod eum arboris religatio de periculo liberauerit quanto magis prædicandum eſt, quod hodie omne genus hominum(quod verè factum eſt)de mortis periculo Crucis arbor eripuit.* Crucem ergo Chriſtum ſequentes amplectamur,vt mundanum naufragium euitemus.

4 Expende Sancti Latronis exemplum: Is enim tota vita fluctibus huius mundi iactatus, iam de æterna deſperabat ſalute;& tandem in Crucem euectus, ac clauis in ea confixus Patientiam, & liberalitatem Domini agnoſcens ſe illi humiliter commendauit, audiuitque ex diuino illius ore melliſluum reſponſum, Luc.*c.23.v.43. Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quis ergo naufragium inter vndas vitiorum omnium hominum, ac ſpe prope iam deſtitutum, ad beatificum deuexit portum? Quis Latroni,eique ſicario, & graſſatori Paradiſi oſtium reſerauit? Nauis vtique, Virtus Crucis;hęc enim,poſt multos humanæ vitæ errores ſi nos ſuſceperit, tutò ad cœleſtem Patriam redire nos facit; nec aliter homo poſt primi hominis iacturam naufragus, ad patriam poteſt niſi per Crucem remeare. Id idem fatetur Sanctus Anti-

ſtes,

Digitized by Google

ſtes, *loc. cit.* *Quòd autem Crux ad Patriam poſt multos errores redire nos faciat, Dominus declarat dicens Latroni in Cruce poſito: Hodie mecum eris in Paradiſo: Qui vtique Latro diu oberrans, ac naufragus, aliter ad Patriam Paradiſi, de qua primus homo exierat, redire non poterat niſi fuiſſet arbori religatus.* Quod ſi Latronem ſaluat Crucis Nauigium, nec alios perire ſuſtinebit.

5 Hominis ingeniũ in eo magnopere eniteſcit, quòd immenſos Oceani fluctus paruo premit ligno, ſuperatq; tempeſtates; & cum tumentes vndæ inſtar montium ſe extollunt, ſydcrib. ipſis formidabiles, nihilominus tamen haud magnum lignum prudentis Naucleri iudicio directum tot furias mitigat, tempeſtateſque ſuperat. Neque diſſimile in Crucis ſigno reperitur: nam omnes ſæculi fluctus, Inferni tẽtationes, Principũ ſuperbiæ, Crucis vexillo deprimuntur; Crucem omnes timent, venerantur omnes; & cum maximè mundana pompa in ſuperbiam ſe attollit, Cruci ſe ſubmittat neceſſe eſt: Hoc & Dominus per Eſaiam oſtendit, cum ſe ſuper mare virgam ſuã eleuaturum dicit, Iſai. c. 10. v. 26. *Et ſuſcitabit Dominus, &c. virgam ſuam ſuper mare, & leuabit eam in via Aegypti.* Ideſt Crucem ſuam Dominus ſuper mare mundi huius eleuauit, & præſertim in via peccatorum carnaliter viuentium, quos Aegypti vocabulo ſignificauit, vt fatetur D Bernardus, *ſer. de 11. onerib. pag. 1364. lit. L. Mare ſæculum, Virga Crux, Via Aegipti, via illa lata, & ſpatioſa, quæ ducit ad mortem. Gratias tibi Domine Ieſu, qui exaltaſti virgam tuam ſuper Mare, proſternens Cruci tuæ ſuperbiam ſæculi, & ſubijciens ei Principatus, & Poteſtates. Verè Domine Crux tua premit fluctus ſæculi, ſedat tempeſtates perſecutionum, & tentationum procellas mitigat.* Ergo naufragi mortales, qui mundanis iactamur fluctibus, ad Crucem aſcendere feſtinemus, vt ad Cœleſtem Portum perueniamus.

§. IV.

Eccleſia Nauis eſt ad Regionem Cæleſtem ducens.

1 ILlic *Naues, &c.* Non altera ſolummodo Nauis, ſed multæ ſunt, quæ Maris periculum faciunt, quæque peregrinos vel ad remotas regiones vehunt, vel ad Patriam reuehunt. Ita in mundano mari multę ſunt Naues, paruæ quidem Iuſtorum Animæ, quæ virtutibus oneratæ percurrunt; magnæ verò ipſæ Catholicę Eccleſiæ, quę vniuerſos Chriſtifideles ad nouam Regionem, ideſt Cęleſtem Patriam portant. Hæ Naues tutiſſimè per mundanum incedunt mare; & exagitari quidem perſecutionum tempeſtatibus poſſunt, ſed perire, & mergi non poſſunt: omnes qui in eas ingrediuntur, nec ab eis exeũt, viuunt; qui vel peccando, vel apoſtatando diſcedunt ab ipſis, merguntur, & pereunt: De his ergo Nauibus, ideſt Eccleſiis dicitur: *Illic Naues pertranſibunt*; vti docet Chriſoſtomus. *Eccleſiæ, quæ Nauium ſpeciem gerunt, ſpirituale hoc mare nauigantes, fideles quidem excipiunt; eos autem in Cęlorum Regnum, non ſecus ac in alteram quãdam Regionem deuehunt.*

2 Dum Nauis aliqua tempeſtatibus quaſſata, iam fracta eſt, & aquis cępta repleri merſionem minatur, quiſquis ſalutem, vitamque diligit, ad alteram Nauim, quæ integra eſt, relinquendo ſuam conſceudere feſtinat: neq; vitam amat, qui ſecus facit Tempore aduentus, ac prædicationis Saluatoris Noſtri Nauis Synagogæ Moſaicæ iam in obſeruatione Legis fracta erat, & mergi cęperat; ſaluari ergo nequibant, qui in ea permanebant, ſed neceſſe erat ad Nauim nouam, & firmam, Euangelium ſcilicet tranſire. Vt autem hoc melius capiamus, adeamus D. Marci Euangelium. Cum Dominus veniſſet Bethſaidam, nonnulli qui eius miracula optimè norant, *c. 8. ver. 21. Adducunt ei cęcum, & rogabant eum, vt illum tangeret.* Sciebãt enim, & fideliter credebant ad Ieſu tactum ſanitatem illicò ſecuturam. Sed quid fecit Ieſus? *ver. 22. Apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum*: Sed quorſum hæc eductio? Nonne eum illuminare poterat ita in oppido, vti extra illum? certè: ſed cur ex eo educit? Quia cœcus ille infideles ſignificabat, qui educendi ſunt de Iudaiſmo, & Idololatria, vt in Eccleſia Lumen Fidei accipiant. Acutè D Chriſologus. *Educit eum foras, vt in Eccleſia lucem fidei videat per libertatem gratiæ, qui ſub legis velamine nil videbat.* Felix ille cœcus, qui Synagogæ Nauim iam lacetam perditioni proximam cognoſcens, ad Eccleſiæ Chriſtianæ Nauim aſcendere feſtinauit.

3 Iam inſoleſcente mundo, & carnalem vitam profitente, ipſum diluuio mundare ſtatuit Dominus. Vt autẽ in iuſti Noe familia ſemen ſeruaretur humanum, arcam illi faciendam imperauit. Erant fortaſſis & illo tempore aliæ Naues in Mare, ſed adueniente diluuij tempeſtate, omnes præter Arcam, demerſæ sũt. Dicamus ergo, quòd in huius ſæculi Mari Arca ſit Catholica Eccleſia, aliæ verò ſectæ Naues: ſed aliæ omnes merguntur, & pereũt, ſoli qui in Arca Eccleſiæ manent, ſaluantur: Hinc doctrinam docet Apoſtolorum Princeps, inquiens, 1. *Pet. c. 3. v. 20. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, ideſt octo Animæ ſaluæ factæ ſunt, per aquam, quod & vos nũc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma.* Sicuti enim prodeſſe ad vitam aqua non poterat iis, qui extra Arcam erant, ita nec prodeſt Baptiſmus iis, qui extra veram Eccleſiam reperiuntur, teſte D. Fulgentio, *de Rem. pecc. lib. 1. c. 20. pag. 656. col. 2. Cæterum ſi quis aut de Eccleſia baptizatus egreditur, aut extra Eccleſiã in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine baptizatus, ſi ante finem præſentis vitæ non fuerit Catholicæ reſtitutus Eccleſiæ, non carebit morte, ſed requie: quia tempore diluuij ſi quis in Arcam Noe non eſt ingreſſus, non eſt ſaluatus diluuio, ſed necatus; nec ſalutem inuenit in aqua, ſed mortem.* Ne ergo, quicumque ſaluari à mundi tempeſtatibus cupimus, à Catholica Eccleſia diſcedamus.

§. V.

Chriſtus Nauclerus Eccleſiæ eam ſaluat.

1 ILlic *Naues, &c.* Nauis omnis, quæ ſuper vndas graditur maris, ſpem ſuam in diligenti, & ſenſato Nauclero totam habet: ſi enim doctus, & expertus Nauclerus fuerit, optimè Nauis incedet, & per ipſas medias tẽpeſtates ſaluabitur; quòd ſi ineptus, & inexpertus fuerit, propriam deplorabit ruinam. Confidit ergo Nauis illa Catholicæ Eccleſiæ (de qua modo locuti ſumus) in ſuo expertiſſimo Nauclero, ſcilicet Chriſto; hic enim Eccleſiam ſuam gubernans, mergi, ac perire non permittit, ſed de mediis tempeſtatibus eam ſaluans, ad Portum Beatitudinis ipſam perducit. Quapropter ait D. Hieronymus, *in Pſ. 103. Illic Naues pertranſibunt: Quis ex vobis eſt Nauis fortis, quæ poſſit iſtud ſæculum vincere; & non ſubmergatur, vel offendat ad Petram? ſed habet ſenſum, qui eum gubernat, vt poſſit ſaluus fieri.* Quæ verba de Chriſto intelliguntur.

2 Tunc maximopere Naucleri eniteſcit Sapientia, cũ tempeſtatibus quatitur, nam tranquillo mari, ſecundiſq; ventis, vel ipſi pueri gubernacula Nauis ſuſcipiunt, ac iter moderantur: at intumeſcentibus vndis, periculiſque imminentibus, videre eſt in perito Nauclero induſtriã, qua vndas frangit, ventum ſequitur, tempeſtatẽ vincit. Omnes homines viuere virtuoſè, & patienter ſecundis rebus poſſunt, at cum mundanum attollitur mare, cũ perſecutionum procellæ inſurgunt, omnis perit Nauis humana, quæ Chriſtum Gubernatorem non habet; quæ autem ab eo regitur, ſæculi poteſtates, & perſecutiones Potentum non timet. Apertè id inſinuat Pſaltes, dum canit, Pſalm. 92. v. 4. *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum: mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Nam magna exurgente tẽpeſtate magnus Nauclerus neceſſarius eſt, ſine quo tempeſtas ſuperari non poteſt Quantumcumque ergo tempeſtas

peſtas

Digitized by Google

peſtas in hoc ſeculum magna, & mirabilis extollatur Eccleſtiaſtica Nauis non timet, Chriſto moderante, quia ſi mirabilis perſecutio ſæculi, mirabilior eſt potentiſſimus Dominus. Audiamus Magnum Gregorium, *lib.9.cap.5. mor.pag.512.lit.E. Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelſis Dominus: Quia contra electorum vitam ad perſequutionis vndas mundus ſe mirabiliter extulit, ſed has ſupernorum Conditor, ſub eleuata virtute Predicantium, mirabilius ſtrauit: minimos enim ſuos plus oſtendit poſſe per miracula, quam Poteſtates terrenas, quæ tumuerant per iram.* Tutò ergo Nauis graditur, quam Chriſtus regit.

3 Hoc etiam demonſtrat Iob, cum ait de Deo, *c.9.v.8. Qui graditur ſuper fluctus maris.* Non enim timere poteſt tumentes vndas qui premit: cum ergo perſecutionũ tempeſtates à ventis ſæcularium Poteſtatum, in Eccleſiæ Nauem excitantur, non timet illa, quia cum Nauclerum habeat Chriſtum, qui ſuper fluctus graditur maris, humanas tempeſtates deridet. Quare idem Doctor Sanctus inquit, *loc.cit. Quid enim Maris nomine, niſi in Bonorũ nece ſæuiens mundi huius amaritudo ſignatur? Super fluctus ergo Dominus graditur, quia cum ſe procellæ perſecutionum erigunt, miraculorum eius obſtupefactione franguntur. Quis enim tumores humanæ veſaniæ mitigat, quaſi erectas in cumulo vndas calcat.*

4 Admiratione digna ſingula Redemptoris noſtri geſta videntur; quippe ea, quæ fecerit, ad noſtram ſalutẽ, & eruditionem direxerit omnia. Hinc dubium curioſè, inueſtigantis animum pulſat; Cur Dominus noſter Ieſus, qui ambulabat ſupra Mare, eius fluctus tanquam ſolum calcando, è conuerſo haud ſemel Nauigio opus habuerit, vel ſaltem vſus ſit? Legimus enim adud Mattheum, *c.9.v.1. Et aſcendit in Nauiculam, & transfretauit, & venit in Ciuitatem ſuam*; Certè legimus de nõnullis Sanctis, vt de S.Franciſco de Paula Ordinis Minimorum Parente, de S.Raymundo Ordinis Prędicatorũ, de B.Ioanne à Capiſtrano Ordinis Noſtri Minorum, & aliis, mare ſtrato pallio tranſiſſe: Nec non B Petrus de Alcantara Ordinis Noſtri, cum adhuc Iuuenis ſæcularis ad habitum ſuſcipiendum properaret, nec nauigium ad flumen quoddam tranſeundum haberet, repente ad alteram ripam diuinitus euectus eſt. Cur ergo & Chriſtus ſimiliter non fecit, ſed Naui vſus eſt? Verum aduertere opus eſt, quòd cum Nauclerus Nauim aſcendit, hoc non prouenit, quia ipſe indigeat Naui, ſed quia Nauis Gubernatore opus habet. Nauis ergo, in quam Chriſtus aſcendit, Eccleſia eſt, quæ ſine tali Rectore ad Portum Æternitatis peruenire non poteſt: Atque in eam aſcendit Dominus, non vt poſſeſſor, ſed vt regat. Ingenioſè, vt adſolet D.Petrus Chriſologus, *ſerm.50.pagin.292.col.1. Non Chriſtus indiget Naui, ſed Nauis indiget Chriſto: quia ſine Cęleſti Gubernatore Nauis Eccleſiæ per mundanum pelagus, tali, & tanto diſcrimine ad Cœleſtem portum non valet peruenire.* At quò non ibit Nauis hæc à tanto Gubernatore directa? Gaudeat Eccleſia, quæ quaſcumque tentationum vndas ſub tanto Nauclero validiſſimè ſuperabit.

5 Hoc euidentius ex D.Marco colligitur. Diſcipulorum Nauis in medio maris erat, ſine Chriſto, qui in terra remanſerat; laborabant autem in nauigando, quia exorta tempeſtate, *c.6.v.48. Erat enim ventus contrarius eis*, velo vti non poterant; miſertus eorum Dominus, *venit ad eos ambulans ſupra mare.* Et cum tandem ad eos propè acceſſiſſet, volens eos ſaluare à tempeſtate, *ver.51. Aſcendit ad eos in Nauim, & ceſſauit ventus.* Non ergo indigebat Nauigio, qui ſupra vndas incedebat, ſed ideo aſcendit in Nauiculam, vt quæ ſuo deſtituta Nauclero vndis, ventiſque iactata periclitabatur mergi, per illius aduentum liberaretur. Chriſto igitur indigebat Apoſtolorum Nauis, quia ceſſat omnis Eccleſiæ perſecutio eo Eccleſiam gubernante: Quare ait D.Hieronymus, *in c.6. Marc.tom.6 pag.167.lit.C. Tunc ceſſauit ventus, & procella Ieſu ſedente, id eſt regnãte in Mari, quæ eſt vniuerſalis Eccleſia.* Nauis ergo quæcumque Chriſtum expellit proprium periculum amat, propinquatq; ſubmerſioni.

6 Vidimus iam tempeſtas quid ſit, eſt enim fluxus maris ad vnã partẽ vehemẽtior, qui continuò mouetur, cũ verò à diuerſis partibus agitatur, ita vt diuerſis agitata ventis duo maria ſe inuicẽ collidant, tunc terribilis exurgit tempeſtas, & quam mortalium nullus euadat. Ante Chriſti aduentum magna erat in hoc ſæculo tempeſtas, nam amoris lege minimè propalata, vnuſquiſque in proximum ſuum exurgens, magnam fundabat, & excitabat procellam. Poſtquam autem Chriſtus in Naui Eccleſiæ apparuit, legem amoris promulgans, cum *multitudinis credentium eſſet cor vnum, & anima vna*, repente in mundano mari facta eſt tranquillitas magna: De hac dicebat Patientiſſimus Iob, *c.26.v.12. In fortitudine illius repente maria congregata ſunt*: pattocinante Romano Gregorio, *lib.17.c.18.mor.pag.699. lit.B. Quid aliud maris nomine, quam præſens ſæculum deſignatur, in quo corda hominum terrena quærentium, diuerſis cogitationũ fluctibus intumeſcunt: qui elatione ſuperbiæ concitati dũ alterna intentione ſe impetunt, quaſi aduerſante ſe vnda colliduntur? ſed iam in fortitudine illius maria congregata ſunt, quia incarnato Domino diſcordantia ſecularium corda concorditer credunt.* Chriſto ergo regente Eccleſiæ Nauim, omnes ea ſuperat tempeſtates.

§. VI.

Charitas Nauis eſt, quæ mundi tempeſtates ſuperat.

1 I*Llic Naues, &c.* Cum conſtruuntur Nauigia, in eorum cõſtructione pacis, ac charitatis ſymbolum enitеſcit: neque enim vndas tuta calcaret, niſi ligna, ex quibus componitur, inter ſe ſtrictè vnirentur, & glutine aliquo clauderentur omnino, vt nihil inter ea relinquatur diſſutum, & apertum. Quis ergo inficiabitur talem lignorum vnionem firmiſſimam charitatem ſignificare, & Amorem, quo vincuntur, & vniuntur Animi? Haud immeritò igitur Nauim dixerim charitatem, nil enim ad ſecurè trãſmeandas tempeſtuoſas huius ſæculi aquas reperiri poteſt, niſi charitas, quæ inſtar Nauis vehit ad Cœlum; vnit namque amoris vinculo animos in obſequium Chriſti, legiſque obſeruantiam, quod vtique vinculum Infernus non ſoluet. Quare ait Cardinalis Hugo. *Illic Naues pertranſibunt; Charitas Nauis eſt, quæ aquas tranſit.*

2 Tota Nauium fortitudo, & bonitas in exacta lignorum conglutinatione conſiſtit: etenim cum tempeſtas exurgit, vndiſque furentibus impetit illam, quouſq; integra ſeruatur, vndas non timet; at ſi aliqua ex parte diſſolui cæperit, ita vt aquæ ingrediendi in eam pateat aditus, mergitur Nauis, & perit. Charitas autem Nauis eſt, ſed ita benè conglutinata, vt aquas licet multas, & violentas non timeat: quapropter audacter pronunciauit Rex Sapiens. Cant. *c.8. ver.7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam*: Timere non poteſt naufragium, qui hac naui vehitur; nec non neceſſaria iſta Nauis eſt omnibus, qui viuentes in congregatione Fidelium aquas ſulcant ſæculi amaritudine plenas: vnde ait D Bernardus, *ſerm. ad Pat. de trib. ordin Eccleſ. pag.429. lit. D. Sed quæ poterit Nauis inueniri, quæ tam immanes ſuſtineat fluctus, & in tanto ſecura poſſit eſſe diſcrimine? Vtique fortis vt mors Dilectio, dura ſicut Infernus æmulatio, quia iuxta quod alibi habes: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: Neceſſaria eſt, & omnino neceſſaria Nauis iſta Prelatis.* Vide quam firma, quam tuta Charitatis ſit Nauis, quicumque ergo ad Paradiſi Portũ tendimus, in illam ingrediamur.

3 Pulchrum ſane eſt aliquam intueri Nauim deaurata puppi decoram, expanſis vexillis exornatam, & plenis ſecundo afflatu velis maria excurrentem formoſè. Omnes vtique in admirationem adducit, paruum lignum intumeſcentes vndas calcare, & modico gubernaculo

tutum

tutum, quocumque libeat, excurrere, ſine vel vndarum metu, vel itineris errore. Huiuſmodi Nauem dicito charitatem, quæ per mundanas excurrens vndas, ita incedit tuta virtutum auro decorata, vexillis gratiarum exornata, Spiritus Sancti afflatu plena, vt nec metuat perſecutionum vndas, nec peccatorum amaritudinem. Huius Nauis pulchritudinem celebrat Sapientiſſimus Iſraelitarum in amoris cantico: nam vbi vulgata legit, *c.7.v.6. Quam pulchra es, & quam decora Chariſſima in delicijs*. legit D. Ambroſius cum 70. Interpratibus. *Quam pulchra, & quam ſuauis facta es Charitas in delicijs tuis*, Eſtque translatio hæc magis conſona hebraico textui, vbi legitur: מַה יָּפִית וּמַה-נָּעַמְתְּ אַהֲבָה בַּתַּעֲנוּגִים

Quam pulchr uiſti, & quam iucundata es Charitas in delicijs; & ſubdit D. Ambroſius, *ſer.17.in Pſ.118.tom.2.pag.486.lit.H. Quam pulchra, & quam ſuauis facta es Charitas in delicijs tuis: pulchra decore virtutis, ſuauis iucũditate gratiæ, quam nulla vexat amaritudo peccati*. Pulchram ergo, tutamque Nauim habentes, ad Patriam properemus.

§. VII.

Diabolus eſt ludibrium Dei, & Angelorum.

1 D*Raco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*. Creator omnium Deus, ita mira prouidentia creaturarum naturam diſpoſuit, vt omnes ſe inuicem vel iuuarent, vel perſequerentur, vt nulla ſine neceſſaria ſibi eſca nec etiam ſine metu viueret. Piſces ergo ſe inuicem timent, quia maiores puſillos deuorant, ſed ipſi maiores ludibrio humanæ induſtriæ exponuntur; vidimus enim quomodo eſcę auiditate allecti decipiantur. Vt autem tropologicam illuſionem afferamus, Diabolus Draco eſt, qui vtique ſæpè eſcæ auiditate decipitur, dum .n. Chriſtum, ſuaque membra perſequitur, decipitur propriam adaugens rabiem: ideoque docet Lyranus. *Per illuſionem vero Ceti dictam intelligitur illuſio Dæmonis, quia credens Chriſtum ſe deuorare, & membra ſua in tẽporali perſecutione, per eum contra eos excitata, defraudatur ab intento, & remanet poſt iudicium ligatus in Inferno*.

2 Sed huius illuſionis modũ clarius exponamus. Nemo eſt qui neſciat piſcationis familiariſſimã ſpeciem, qua piſcibus illuditur, hamo ſcilicet. Excurrens per liquidas, ac delectabiles vndas piſcis eſcam ſibi requirit, id pręſentiẽs Piſcator hamum ſumit, in cuius aculeo, eſcam piſci, quẽ capere intendit, congruam ponit, ipſumque aculeum occultat; hinc filo alligatum hamum, eſcaque inſtructum in aquas demittit: accurrit ad eſcam piſcis, ſed dum auidè ipſam mandit, trahit filum Piſcator, & extractionis violentia hamus ori Piſcis infixus ipſum trahit ad terram. Simillima huic illuſio per Redemptorem noſtrum Diabolo facta eſt: etenim ille, vt Draconem iſtum deciperet, qui Diuinitatis hamum, ne ab ipſo transfigeretur timebat, noſtram humanitatem aſſumpſit, in eaque Diuinitatem occultauit: cucurrit ad eum tanquam hominem deuorandum Diabolus, ſed dum hominem enecat, Diuinitatis hamo, & ipſe transfixus, ac captus eſt. Cuius rei teſtis eſt Iob, qui ait, *c.40.v.19. In oculis eius, quaſi hamo capiet eum*: Loquitur enim de marino Dracone, ſeu Leuiathan: atque eius prædictionem illuſtrat ſuo commẽtario Magnus Gregorius, *lib.33.c.7.mor pag.1066.lit.E.* his verbis. *Quis neſciat, quod in hamo eſca oſtenditur, aculeus occultatur? eſca enim prouocat, vt aculeus pungat. Dominus itaque noſter ad humani generis redemptionem veniens, velut quemdam de ſe in necem Diaboli hamum fecit. In hamo ergo Incarnationis eius captus eſt, quia dũ in illo appetit eſcam corporis, transfixus eſt aculeo Diuinitatis, ibi quippe erat humanitas, quæ ad ſe deuorandum duceret, ibi Diuinitas, quæ perforaret*. Itaque qui immanis Piſcis vocabulo gaudet, ad eiuſdem modum deceptus eſt.

3 Adſolent homines, dum Lupercales ludos celebrant ruſticum aliquem veſte aliqua regia, eaque ridicula, induere, ſicque per Ciuitatis plateas, vicoſq. incedens omnes ad riſum excitat; nam illa Perſona, ideo efficta eſt, vt riſum moueat, & in ludicrum ciuibus ſit. Haud ſecus factus Draco ſacræ teſtantur literæ; nam & hìc dicitur: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*: & apud Iob, iuxta ſeptuaginta verſionem manifeſtius dicitur, *c.40.v.14. Hoc eſt principium Plaſmationis eius, factum vt illuderetur ab Angelis*. Quibus ex verbis ſatis colligitur Draconis nomine Satan intelligi, qui ideo factus eſt, ex quo peccauit, vt Angelorum ludicrum eſſet; vnde Gloſſ. ordin. *in Pſ.103* ait. *Dicitur in Iob illudi Satana ab Angelis*: & D. Hieronymus, *lib.8 in Iſa.pag.98.lit C.* vtriuſque textus verba pendens, ait. *Illudque notandum, quod & in Pſalmo, & in Iob propterea factus dicatur Draco, hoc eſt Leuiathan, vt illudatur ab Angelis. Vnde & Apoſtoli accipiunt poteſtatem, vt calcent ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici*. Nam nec ſolus ipſe Deus, verum omnes Cœleſtis Vrbis Ciues in ludicrum Draconem habent. Iuxta quidem vindicta, vt qui peccando habitum Angeli dimiſit, & perſonam Draconis induit, ab omnibus illudatur.

4 De Valeriano quondam Romanorum Imperatore capto à Rege Perſarum, & de Baiazetho Turcarũ Principe item capto à Magno Tartarorum Rege Tamberlane, legitur, quòd in quamdam ferream caueam incluſi in ludibrium, & deriſum Barbarorum detinebantur; nam & ſubtus Tyramnorum ſuorum menſas reliquias ciborum, canum more, cogebantur colligere, & cum Domini in equos aſcendere feſtinabant, in eorum dorſo pedẽ firmabant, non ſine ſpectantium deriſu. Similem calamitatem, ſed iuſtius, huius Mundi olim Princeps Diabolus perpeſſus eſt: nam Crucis virtute de ſuo dominio deturbatus, & in Inferni cauea ligatus in deriſum Seruorum Dei datus eſt: quod antea prædixerat Propheta de Chriſto loquens Habac. *c.1.v.10. Ipſe de Regibus triumphabit, & Tyramni ridiculi eius erunt*. Nomine autem Tyramnorum, vel ipſe Diabolus, vel etiam Principes Idololatræ, eius ſequaces intelliguntur; ait enim D. Hieronymus, *in Habac.to.5.pag.187.lit.H. Deliciæ Prudentiæ ſunt, & voluptas Sapientiæ, cum ſtultitia deſtruitur, & Tyramnorum quondam potentia ſuperata, atque deiecta, vertitur in deriſum*. Ita vidimus quomodo Diabolus ille, qui Mundi olim Princeps æſtimabatur, nunc ludibrium Dei, ac Angelorum fit. Nihilominus tamen nonnulli homines, eo dementiæ deuenerunt, vt nedum ei non illudant, ſed obſequãtur, in animarum ſuarum haud modicam perniciem. Nos ergo à tali deceptione liberati, Deo ſeruientes Diabolo illudamus.

§. VIII.

Peccator per pœnitentiam illudit Diabolo.

1 D*Raco iſte, &c.* Quòd ſi non parui reperiantur, qui peccatorum ergo in os Draconis iam iam deuorãdi reperiuntur, neque ipſi deſperare debent, ſed cultro euaginato eum perfodere; hoc autem fit cum per pœnitentiam peccata expurgantur; tunc Draconi illudimus. tunc qui eius erant præda, eum viciſſim capiunt, & victoria illius vertitur in deriſum: in quo ſenſu hìc dicitur: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*; nam vt ait Cardinalis Hugo, *in Pſ.103. Per pœnitentiam illuditur Diabolo*. Eique aſſentitur D. Bruno Aſtenſis, *De nou mund.c.8 pag.191.col.2.to.2. Omnes autem illi illudunt, quicumque eum fugiunt, & ad pænitentiam redeunt*.

2 Credo equidem pœnitenti homini contingere, vt olim Tobiæ iuueni contigit. Hic Angelo comite ad Tigris ripam accedens, veſtibus ſe exuens in flumen ad lauandum ſe intrauit: cumque natando per aquam excurreret, Piſcis quidam immanis eſca illa delectatus ad eum deuorandum cucurrit, Tob.*c.6.v.2. Et exiuit vt lauaret pedes ſuos, & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum*.

Digitized by Google

eum. Expauit illico Iuuenis, atque in auxilium ductorẽ ſuum inuocauit, cuius conſilio per branchias apprehenſo piſce, cum in ſiccum perductum, enecauit. Neque hoc contentus Angelus dixit ei, *v.5. Exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel, & Iecur repone tibi; ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter*. Tobiæ ſimilis Peccator eſt, qui ad flumen mundanum ad deliciandum, gratia exutus accedens, Diabolo ad deuorandum traditur; imò, & magni peccatores ad peccatum multos adducentes, piſcis interiora ſunt animas deuorantes; cum ergo iſti conuertuntur, & pœnitentiam agunt, exenteratur, piſcis, ideſt Diabolus, & tollitur ei cor, & ad medicamẽtum aptatur; nam per maximorum peccatorum conuerſionem, & ſanctitatem, multi ad Deum redeunt. Nonne Dœmonis cor Paulus erat dum fideles perſequens, omnes ad fidem Chriſti eneruandam hortabatur? Vtiq. Hic autem Dei voce proſtratus, & ad Deum conuerſus, vas electionis, & medicamen ſalutis effectus, vniuerſo orbi ſalutem detulit. Et fauet mihi citatus Bruno. *Quoniã bene Paulus ei illuſit; qui cum Eccleſiam perſequeretur, in ore eius, & intra illius dentes iã ſtringebatur; mox ad fidem conuerſus triſtem eum reliquit*. Eum imitentur peccatores, & eius exemplo pęnitentes Diabolo illudãt.

3 Symbolum pęnitentis hominis Ionas fuit; hic à Deo fugiens, eius voluntati aduerſatus, in Cetum deuorantẽ incidit, ac in os eius cadens, in ventre locum inuenit; ſed mox in deuorantis ſubſtantiam tranſiturus, pœnitentiæ memor, in lachrymas & orationes ruit, errorem ſuum deteſtatus, Ionæ *c.2.v 2. Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis*. Porrò ille haud ſuſtinens pęnitẽtis onus, Dei iuſſu incolumis ad littus eiectus eſt, *& dixit Dominus piſci: & euomuit Ionam in aridam*. Haud ſecus peccator quicumque in os infernalis Ceti peccando ingreditur, ab eo in damnatorum numerum redigẽdus; ſed ſi ille pęnitentiam agit illudit Draconi, e cuius ore Dei iuſſu eripitur. Nonne eſca nobilis inſatiabilis huius Draconis Peccatrix Magdalena extitit, quæ tanto tempore in eius ventre reſidens, iam in damnatam ſubſtantiam digerere ſperabat? ſed illuſus ab ea eſt, nam pœnitentiæ lachrymis proſternatus eam euomere coactus eſt. Id expendens D. Bruno, *loc. cit.* inquit. *Sic & Maria Magdalena eum decepit, quæ conuerſa ad Dominũ optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vno ſermone illuditur ei, & vno verbo iam deuorata, de ipſo eius ventre eijcitur præda: ſufficit peccatrici ſuam culpam dicere, & ab eo vlterius teneri non poteſt*. Digna ſanè illuſio, quam peccatores imitentur.

4 Haud inſuetum eſt Dracone eſca decipi; ita & Diabolo per pęnitentiã illudi. Erat Babilone Draco, hic tanquam Deus ab Aſſirijs colebatur, & Perſis. Hanc rem deteſtatus Propheta Daniel, ne Honor, ac Laus Deo debita Draconi daretur, ad eum enecandum accinctus eſt. *c.14.v.26. Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, fecitque maſſas, & dedit in os Draconis, & diruptus eſt Draco*. Draco iſte Diabolus eſt, offa iniecta in os Draconis pęnitens Peccator eſt, qui colligens res Draconi gratas, ſcilicet picẽ luxuriæ, adipẽ ſuperbiæ, & Auaritiæ pilos, igne pęnitẽtiæ, & charitatis decoquẽs, in os Diaboli immittit, eumque perdit; ac ſic illudit ei, vt olim Draconi Daniel. Id confirmat Eminentiſſimus Hugo, *in Pſ.103. Per picem intelligitur luxuria, per adipem Superbia, per pilos Auaritia. Hæc tria ſunt coquenda ſimul igne Pęnitentiæ, & Charitatis, & colliganda in maſſas confitendo, & ſic ponendum eſt in os Diaboli, quia ſic in caput eius reuertetur quidquid peccant homines, & ſic illuditur ei*. Igitur cum omnes peccatores ſimus, Danielem ad illudendum Draconi imitemur, eumque per pœnitentiam decipiamus.

§. IX.

Diabolus auiditate nocendi proficit nobis.

1 D*Raco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*. Haud abſimile ſuperiori argumentum altera Draconis illuſio nobis ſuggerit: etenim nec ſola eſca Cetus decipitur, verum etiam ſæpè auiditate deglutiendi piſces tanto ardore eos inſequitur littus verſus, vt in aridam impingens, arena retentus retrocedere nequeat, ſicque in hominum manus deuenit, & ſic piſcibus vt noceat, ſibi ipſi mortem parat, & piſcibus proficit ad vindictam, dum ſuã deceptionem lætantes aſpiciunt. Sic Diabolus Dum viros iuſtos, ac Sanctos perſequitur auiditate nocendi deceptus, proficit illis ad maiorem gratiam, & ſeipſum perdit. Quam rem apertiſſimè docet Tuitienſis Abbas Rupertus, *De vict. Verb. Dei, lib.12. c.10. to.2. pag.136. colum.1. Conſideremus Sacramenta, per quæ in ipſo, ſecundum promiſſiones, benedicendæ erant, & benedicentur omnes gentes, & in Draconem iſtum, ad laudem Dei, qui ad illudendum formauit, mirari poterimus magnitudinem illuſionis, quia dum aduerſari cupit, famulatur propoſito Dei*.

2 Omnes ſuperbi Diaboli typus ſunt, vt Sennacherib, Antiochus, Nabuchdonoſor, Nero, &c. Sed pręcipuè Ægyptius Tyramnus Pharao Diabolum apertiſſimè ſignat nam ſicuti ille Dei populum de Ægypto aufugere cupiẽtem perſequebatur, ita Diabolus ſpirituales viros à mundo abhortentes perdere tentat, ſed dum tentando, & tribulationes cauſando deiicere eos vult, magis in propoſito firmes reddit; quod & Pharao Iſraelitis præſtitit. Quid .n. cupiebant Iſraelitæ, niſi feſtinato itinere exire de Ægypto? ſed proficientib. mare rubrũ occurrit, pquod trãſire neceſſe erat nec naues erãt ad manus, vnde tã citò iter perficere non poterant; ſed perſequente Pharaone data occaſio eſt ſiccandi illud miraculosè, & ſic perſecutio accelerauit iter. Ideo Moyſes canebat, Exod. *c.15. v.2. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem*: quia currentibus ad vindictam Ægyptiis, *v.9. Dixit Inimicus perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea*: Deus eorum cęcam perſecutionem in ſalutem populi ſui vertit. Similiter & Diabolus dum Dei ſeruos ad Cęleſtem Patriam pergentes perſequitur eos iuuat, ac iter accelerat: vt teſtatur idem Rupertus, *lib.2 c.37. in Exod. to.1. pag.230. col.1 Nõ ergo timeat victorioſus populus Dei feſtinans ad hæreditatem quam promiſit Deus: etenim inimicus iſte dum perſequitur, dum occidit, propoſito magis illorum proficit, vt citius ad patriam perueniant peregrini. Inde fatuus eſſe conuincitur, quia dum pro ſe contra Deum, vel contra Dei populum agere nititur, contra ſe potius agit, & Dei propoſitum adiuuat, vt proficiatur*. Ita Sanctis tentando, & perſequendo, non nocet Diabolus, ſed famulatur.

3 Haud raro contigit ipſam calamitatem Homines ad ſublimes dignitates euexiſſe, ad quas aliter peruenire vix potuiſſent. Lamuſius Lõgobardus, & Caſtrucius Lucenſis ignotorum Parentum filii, à quibus vel ob delictũ, vel paupertatem, vel vtrumq. expoſiti, cum alter ad Regis, alter ad Nobilis Caſtracani manus perueniſſet, & liberaliter educatus: ille Rex Longobardorum, iſte Dux Lucenſis, & aliarum Vrbium, ac inſignis Belli Dux eſt effectus. Itemq. Matthias Coruinus, & Petrus Luſignanus à vinculis tranſierunt ad Regnum, ad quod ſanè, ſine huiuſmodi calamitate, non ita facilè perueniſſent. Quid ergo in probos viros facit calamitas? Virtutem, itẽque prœmium adauget. Hoc & Dæmon inuidia ſua nobis præſtitit, nam mortalem vitam truncando, æternæ ſpem vel nolens adduxit, & Legis claues per ſuos aſſeclas occultando, cęleſtes claues inueniendi occaſionem porrexit; qui ergo legit: *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum*, Sap. *c.2. v.24.* vel: *Tuliſtis clauẽ ſciẽtiæ; ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis*, Luc. *c.11. v.52.* legat etiam: *Appropinquauit enim Regnũ Cœlorum*: Matth. *cap.3. ver.2.* nec non: *Tibi dabo claues Regni Cęlorum*: Matth. *c.16. v.19.* eleganter Chriſologus, *ſer.172. pag.395. col.2. Sed quid valet Diabolus ad Deum? Inuidia quid valet ad Dominicam charitatem? Inuidit Diabolus terram, ſed donauit Cęlum Deus: claues ſcientiæ Legiſperitus ſuſtulit, ſed claues Regni Cęleſtis per Petrum largitus eſt Chriſtus: ac ſic inuidia ſuis commodis eſt nudata, & homo ditatus eſt ipſa neceſſitate damnorũ*.

4 Mira quippe Dei prouidentia bonis viris calamitates, &

tes, &

tes,& tentationes proficiunt, haud nocent. Quod, & Patientiſſimi exemplo oſtendit Dominus. Inuidebat ſanè Sathan Viro iuſtiſſimo virtutes, & perfectiones haud vulgares,& eas ſibi eripere cogitabat, quare ipſum à Deo tentandum petiit. Vt autem Dominus manifeſtè monſtraret Iobum ſuis afflictionibus minimè caſurũ,imò in virtutibus profecturum, his verbis petitioni ſathanicæ annuit, Iob, *c.*1.*v.*12. *Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt, tantum in eum ne extendas manum tuam*. Quibus ex verbis clarè colligere poterat Tentator ſe nihil profecturum, cum in Dei cuſtodia poſitum intelligeret hominem; quod & fatetur D Gregorius, *libr.*2.*c.*24. *mor.pag.*349.*lit.B. Fitque mira diſpenſatione pietatis; vt vnde malignus hoſtis cor tentat, vt interimat, inde miſericors Conditor hoc erudiat, vt viuat Vnde & benè ſubiungitur: ecce vniuerſa, quæ habet in manu tua ſunt, tantum in eum ne extendas manum tuam: Ac ſi apertè dicat Electi vniuſcuiuſque bona ſic tibi tentanda exterius tribuo, vt tamen ipſe noueris, quia perſeuerantem mihi illum in mentis radice conſeruo*. En quomodo contra nos nil poteſtatis habet Diabolus nobis inuitis, dum perſecutiones eius in noſtram vtilitatem cedunt; quandoquidem ille auiditate nocendi nobis magis proficiat.

§. X.

Adulatio cauda Diaboli homines decipiens.

1 DRaco iſte, &c. Draco calidiſſimum Animal, non ſolum viribus, ſed & aſtutia præſtat: vbi enim vires ſuppetunt in minoribus animalibus enecandis, viribus vtitur, vbi verò in magna deuenit animalia, aſtutia etiam, & calliditate vtitur. Cum ergo Elephantum maximam Beſtiarum deiicere cupit, vt eius veſcatur ſanguine, cauda ipſum circumdatum ad terram trahit. Draco ergo Diabolus eſt; hic homines paruos, ideſt carnales paruo negotio decipit; iuſtos verò, ac Sanctos quos apertis viribus inuadere non audet, cauda deiicit; cauda nãque ipſius Adulatores ſunt, hæc cauda non paucos viros probos in ſuperbiam elatos deiecit; vt obſeruat B. Albertus Magnus. *Draco cauda ſua Elephantem ligat, & ſic cadere facit, & occidit. Sic Diabolus per adulatores, Magnos, qui Iuſti ſunt, & magnæ vitæ, tanquam per caudam ligat, & in ſuperbiam inducit, & ſic occidit*.

2 Euangelicus Vates Angelicam narrans ruinam, ac Ciuium Cœleſtium tertiæ partis è Cœlo deturbatæ Luciferi fraude, ipſum Draconis nomine inducens, ait: Apocalipſ. *cap.*12. *verſicul.*4. *Et cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum Cœli*. Cur autem Draconis nomine Angelorum pulcherrimum induxit? ſed eſto id peccati ergo feciſſe, nec non ſolertia, & aſtutia, qua ad alios decipiendos eſt vſus; cur cauda potius traxiſſe eos dicit, & non flatu infeciſſe, ore deuoraſſe, dentibus contudiſſe, laniaſſe vnguibus? Quia videlicet non apertè malitiam ſuam oſtendit, ſed adulando; cum enim (vt Nonnullorum Sanctorum, Doctorumque opinio fert) hominis ad diuinam hypoſtaſim vnionem vituperaret, & hoc ſibi bonum optaret, Angelos ex propria excellentia collaudare cœpit; indignum ſuadens facinus Angelos pulcherrimos ſpiritus, creaturas nobiles, dignitate ſublimes, Cœlique Principes homunculo ex lutea compacto materia, cedere, & humiliari. Id non paucis arriſit, & deiecti ſunt. Similiter Sanctos viros adulando decipit, & in ſuperbiam attollere nititur, vt in malorum profundum deiiciat: Accipe Magni Gregorii de hac re ſententiam, *libr.*32. *capit.*12. *moral. pagin.*1050. *liter C. Vt enim eos, qui apertè iniqui ſunt, pertrahat, ſecularem potentiam oſtentat: vt verò Iuſtos etiam fallat, ſignis ſanctitatem ſimulat. Illis enim ſuadet elationem, iſtos decipit oſtenſione ſanctitatis. De hac verò Behemoth iſtius, vel Draconis ſpecie per Ioannem dicitur: Et cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum Cæli*. Sanctitatem ergo ſuam iuſtis oſtendit, vt hac adulatione

deceptí, ſuperbientes cadant.

3 Rectè equidem per Draconis caudam, qua Elephantem deiicit, Adulatio ſignatur; etenim Pauci mortalium reperirentur, eorum præſertim, qui virtutibus acquirendis incũbunt, qui in vitioſas operationes irrũperent, ſi Adulationis cauda de medio ſublata eſſet; enim verò decipiuntur ſpecie boni, nam eorum geſta, quæcumque illa ſint, ab Aſſentatoribus laudantur, & dum miſeri vitiorum laudes accipiunt, libentius, & libetius in ea ruunt; De his loquebatur Pſalmus 9. *verſicul.*23. *Comprehenduntur in conſilijs, quibus cogitant*: ab ipſis ſuis cogitationibus decipiuntur, & quomodo? *& verſicul.*24. *Quoniam (inquit) laudatur Peccator in deſideriis Animæ ſuæ*: En cauda Draconis Elephantum proſternens: cogitationes ſuas malas explicat, ſed quia nemo illas damnat, ſed multi concelebrant, Adulantium titillatione deceptus, eas proſequitur, & dum virtutibus ſtudet, vitiis repletur; Aſſentitur Diuus Auguſtinus, *in Pſalm.*9. *pagin.*27. *columnn.*1. *liter A. Comprehenduntur in cogitationibus ſuis, quibus cogitant, ideſt, malæ cogitationes eorum vincula illis fiunt; Sed quare fiunt vincula? Quoniam laudatur peccator (inquit) in deſideriis Animæ ſuæ. Adulantium linguæ alligant animas in peccatis: delectatur enim ea facere, in quibus non ſolum non inuenitur Reprehenſor, ſed Laudator auditur*. Qui publicè vitiis ſe tradit, & ſi non Dei amore, ſaltem verecundaretur in hominum conſpectu ea profiteri, ſi Adulatores non audiret, ſed dum laudatur quod facit, anſam ſumit liberius peccandi.

4 Hoc malum à populo ſuo auertere voluit Deus: Ideoque expreſsè vetuit Filiis Iſrael comeſtionem Adipis carnium: Leu. *cap.*7. *verſ.*33. *Adipem Bouis, & Ouis, & Capræ non comedetis*. Quare autem adipis horum animalium comeſtionem prohibuit Deus? Quia ſcilicet per ea Peccatores ſignantur, qui cum pingues ſunt, ideſt temporalium rerum abundantia vigent, facile in peccata labuntur: Adulatores verò ſunt, qui comedunt horum adipem, nam ad captandam eorum beneuolentiam, vel etiam vtilitatem, fouendo, & laudando vitia eorum, comedunt adipes, nam ſperata obtinent malis conſilijs: Teſtatur hoc Abbas Rupertus, *libr.*1. *capit.*37. *in Leuit. tom.*1. *pagin.*308. *columnn.*2. *Adipem quippe Bouis, & Ouis, & Capræ comedere, eſt eorum, quorum quaſi ex adipe prodit iniquitas, peccata fouere: & ita propter commodum, quaſi pingues ceruices adulando palpare*. Quia ergo Pingues ſunt, multos laudatores, & Adulatores habent, qui vt aliquid ab eis muneris, & vtilitatis accipiant, vitia illis laudare non erubeſcunt.

5 His Canes ſimillimi ſunt: Canes enim, qui in omnibus aſſimilantur Aſſentatoribus, maximam Adulationis ſpeciem, eamque peximam oſtendunt, dum Hominem vlceratum offendunt: nam relictis aliis corporis partibus, quæ integræ ſunt, ad vlceratam lambendam accedunt, ſic enim magis placere Domino ſatagunt, cum ſauciam carnem purificant. Ita Adulatores, ſi in aliquo Homine magno vitium aliquod obſeruant, illud magis efferunt tanquam optimum, laudant, ſuadentque: imò in eam plerique inſaniam ruunt, vt virtutes laudare erubeſcant, vitia lætanter promoueant. Vmbram huius rei etiam ex Euangelio habemus: Canes Epulonis diuitis, vt qui adulare docti erant, vt viderunt mèdicum Lazarum in Ianua, ſtatim ad eius vlcera lambenda accurrerunt: Luc. *cap.*16. *verſ.*21. *Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius*. Canes iſti Adulatores peximi ſunt, vt ait D. Gregorius, *Hom.*40. *in Euang. tom.*3. *pag.*136 *lit. E.* qui etiam mala illa, quæ nos in nobis tanquam vlcera cognoſcimus, & deteſtamur, ipſi è contra improbo fauore laudant. *Poteſt per linctionem canum, læta Adulantium lingua ſignari: Adulatoribus enim vlcera noſtra lingere eſt, quod plerique faciunt, etiam ipſa mala, quæ nos in nobis reprehẽdimus, improbo fauore laudare*. Fauor vtique, ſed blandientis Draconis cauda exhibitus, vt in infernum proiiciat.

6 Multimodis in iuſtitiam à mortalibus peccator exceſ-

Digitized by Google

exceſſibus,ſed omnibus eſt deteſtabilius,cum muneribus frangitur: nam oculi reſpicientes ad manus muneribus oneratas,à vero iudicio deflectunt: Quæri autem poteſt an in ſola nummorum, vel alterius rei pretioſæ, ac magnæ æſtimationis munera conſiſtant; an verò reperiatur aliquid muneribus illis æquiualens? Sed heu nos miſeros camaleontes effectos,qui ventis paſcimur,auras captamus. Inter munerum ſpecies haud vltimum tenet locum Adulatio;& vt laudem conſequantur, etiam cōtra ius,iudicare,homines non erubeſcunt:imò id lucrum maximum putant: De quo nouo, ac magis pernicioſo munere loquebatur Propheta cum canebat. Pſ.25.*ver*.8. *Dextera eorum repleta eſt muneribus*.Quæ verba expendens D.Auguſtinus,*in Pſ.25.pag.52.col.1.lit.C*.ait: *Quid eſt accipere munera? Propter munera laudare hominem, adulari homini,iudicare contra veritatem propter munera. Propter quæ munera? Non ſolum propter aurum, & argentum,& huiuſmodi aliquid:ſed etiam propter laudē, qui iudicat malè,munus accipit,& munus quo nihili inanius*. Adulatio ergo etiam omni munere potentior peruertit iuſtitiam, quid ſceleſtius inueniri poteſt? heu quā inſidiatrix hæc cauda Draconis eſt.

7 Neque hic ſiſto,ſed vlterius huius caudæ venenum aperire cogor; Nemo inficiatur Simoniam peccatum grauiſſimum eſſe,ſcilicèt pecunia emere rem ſpirituale, vti ſpiritualis eſt,vel ipſam vendere; ortum habēs à Mago Simone, cui; cum vellet emere poteſtatem tradendi Spiritum Sanctum,dictum fuit,Actor.*c.8.v.20*. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Portò Apoſtolica auctoritate declaratum eſt,non ſola pecunia,auro,argentoque, vel ſimili munere, verum etiam quacumque actione prætio æſtimabili Simoniam committi;vnde beneficialis confidentia damnata eſt. Sed quid dicendum de adulatione?Cum quis,vt gratiam Eccleſiaſtici Principis,à quo poteſtas Eccleſiaſtica conſerenda eſt,captet; eum adulatoriis laudibus extollit,blanditur,adulatur,demulcet, & non taró pro virtute vitium commendat, quale peccatum committit?Non audeo meam proferre in hac re ſētentiam, ſed à Sanctiſſimo Patriarca Ioanne Chriſoſtomo accipe Simoniam eſſe:Ergo ille, *Hom.3 in Act. Apoſtol.to.3.colum 397 lit.B. Cogita quid acciderit Simoni, Quid enim refert ſi non das pecuniam, ſed pecuniæ loco adularis? Pecunia tua tecum ſit in perditionem; ad illum dictum fuit:& his dicetur; Ambitio tua tecum ſit in perditionem; quoniam putaſti ambitu humano poſſidere donum Dei*.Quid vltra requiris? ſi ſapis adulationē deuita.

§. XI.

Prima Pecati ſuggeſtio periculoſa; quia caput Serpentis eſt.

1 D*Raco iſte, &c*. In ipſis mundi primordijs inter mulierem,& Draconem bellum indictum fuit;vt & hic calcaneum eius inſidiari non deſinat;illa verò caput Draconis conterere ſemper quærat. Verùm ſi Mulier Anima eſt, ſerpens Diabolus, quodnam caput eius dicendum eſt?Prima peccati ſuggeſtio:callidus enim hoſtis non curat in principio magni peccati conſenſum extorquere:ſed illi ſufficit,vt prima peccandi tentatio,quęcumque illa ſit,admittatur,illicò ad capitis ingreſſum, totum ſecuturum Draconem haud dubitans: Anima ergo ſemper inuigilet,vt has primas, etſi leues ſuggeſtiones,tamquam ſerpentis caput conterat, ne veneno inficiatur lethali: quod ita ſuadet D.Auguſtinus. *Draco iſte, quem finxiſti ad illudendum ei: Quid autem modo dictum eſt Eccleſiæ? Iam modo audite, intelligite, cauete:Ipſa tuum obſeruabit caput,& tu eius calcaneum. O Eccleſia caput ſerpentis obſerua Quid eſt caput Serpentis? Prima peccati ſuggeſtio. Venit tibi in mentem neſcio quid illicitum,noli ibi tenere mentem tuam, noli conſentire: Hoc quod tibi venit in mentem caput Serpentis eſt, calca caput,& euades cæteros motus*.

2 Sathan in Animabus oppugnandis bellico more ſe gerit:nam cum per peccatum intra Ciuitatem,ideſt Cor, nondum admiſſus eſt, forinſecus oppugnat, & tantummodo ſatis illi eſt ſi murū aliqua ex parte deiiciat,vt ingredi poſſit.& quia ſerpens eſt,paruum illi foramen ſufficit:nam ſi ſemel intus fuerit,perdere Animam non dubitat. Oppugnauit primò in Paradiſo hominum Parentem,nec aliquod magnum ſuggeſſit,ſed ſub ſpecie Diuinæ dignitatis aſſequendæ per mulierem ad inobedientiam duxit, per hanc autem ingreſſus humanum genus perdidit vniuerſum.Id etiam in Iob obſeruauit,nam per mulierem ad impatientiam, & deinde in Blaſphemiam inducere tentauit;Quæ ei ſuggeſſit: *Benedic Deo,& morere*.Iob,*c.2.v.9*.Sed non ei ex ſententia cum tanto viro contigit,nam ille validis parietibus innocentiæ, & diuinæ protectionis tutus locum foramini non dedit:ſed Dei celebrauit iudicia,quæ non capiebat, dicens: *v.10 Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es, ſi bona ſuſcepimus de manu Domini,mala quare non ſuſcipiamus?* In *omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis*. Cognouit namque Diaboli per vxorem ſuam ſuggeſtionem Serpentis caput eſſe,& repreſſit illam,teſte eodem D.Auguſtino, *in Pſal. 103.pag.947.col.1.lit.D.Repulſus eſt Tentator,obſeruatū eſt caput Serpentis. Muratam Ciuitatem forinſecus oppugnauit,ſed non expugnauit. Primo ſuggeſſit in Paradiſo,vt contemneretur Deus,modo vt blaſphemaretur Deus. Ille autem,qui caput obſeruabat Serpentis,repulit omnē ſuggeſtionem*. Sic Victor euadet cum Iob quicumque à mæniis cordis primam ſuggeſtionem repellet.

3 Nonne tritum eſt Prouerbium,*latet Anguis in herba?* Id & de Diaboli inſidiis intelligito. Armenta Domini ideſt Deo deſeruientes in huius mundi campo paſcunt, nam vice oris mente vtentes,ex rebus ſpecies attrahunt, vt cor paſcant,motus ergo Cordis meditantis Aſinis paſcentibus propter ſimplicitatem apprehenſionis comparantur,de quibus apud Iob,*c.1.v.14*. dicitur: *Boues arabant,& Aſinæ paſcebantur iuxta eos*.Sed Anguis callidus latet in herba in his cogitationibus ſeſe immiſcet, & ita ſubtiliter ſuggeſtiones ſuas hiſce ſimplicibus cogitationibus inuoluit,vt vix dignoſci poſſint. Diligenter ergo inuigilandum eſt, ne dum licitis intellectionibus paſcimur, Draconi latenti nos mordendi occaſionem præbeamus. Quod ſatis perſpicuè Romanus aduertit Gregorius Magnus, *lib.2.c.24.in Iob,pagin.349.lit.E. Quid paſcentes Aſinas,niſi ſimplices motus cordis? quod dum ſtudioſè à duplicitatis errore compeſcimus,quaſi in campo liberę puritatis nutrimus.Sed plerumque Hoſtis callidus dum motus Cordis ſimplices videt,ſubtilia inuentionum acumina oſtendit: vt dum laus de ſubtilitate quæritur,puritatis ſimplicitas amittatur*.Semper ergo in hoc campo mentem noſtram ita paſcere debemus, vt tamen latentis Draconis inſidias timeamus.

4 Percuſſurus Dominus Pharaonem plaga terribili, vt per eam correptus dimitteret populum ſuum, omne primogenitum hominum,& Iumentorū peremit:Exod. *c.12.v.29. Percuſſit Dominus omne primogenitum in Terra Aegypti,à primogenito Pharaonis, qui ſedebat in ſolio eius, vſque ad primogenitum captiuæ,quæ erat in carcere,& omne primogenitum Iumentorum*. Sed hinc exoritur dubium,cur ſolos primogenitos interfecerit?Quòd ſi homines peccauerant, cur primogenita Iumentorum periere? Neque ſatis eſt dicere, quòd per Iumentorum mortem voluit Dominus plectere; quia neq.ad hoc neceſſe erat in primogenita ſæuire, quandoquidem multa percuſſiſſe ſat erat.Sed Ægyptii Dæmones figurāt,quorum primogenita primæ ſuggeſtiones malorum,initiaq. peccandi ſunt,quæ interficere neceſſe eſt;non enim Dei famulus perfectè ex Ægypto fugiet, niſi primogenita occidat: niſi ergo initia peccandi deſtruerit Dæmonis haud vitabit ſeruitutem:Fauet D.Gregorius Niſſenus, *de vita Moyſ.to.1.pagin.131.lit.E.Quid ergo hac hiſtoriæ figura docemur? quod oportet primas cogitationes, & prima peccandi initia, & vias primas radicitus tollere. Nam qui principia deſtruxit, is totum nequaquam admiſit, &c. Sicut in occidendo Serpente*,

qui

Digitized by Google

qui caput oppreſſit, atque percuſſit, is totum, quod à capite trahitur corpus mortificauit.

5 Caput ergo Draconis prematur, hoc enim qui facere negligit, eius mortiferos morſus, ac venenatos afflatus ſentiet: meminiſſe te volo etiam inter phyſica pręcepta haberi, morbis in initio obſtandum eſſe, antequam morbi vis corpus poſſideat, cum enim malignitatem incurrit febris nulla remanet ſpes ſalutis. Qui paulatim diabolicas ſuaſiones admittit, quando vitia relinquere cupiet, difficulter poterit ab aſſuetis vitijs abſtinere. Hoc de ſe ipſo fatebatur Pſaltes: Pſal.37.v.4. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Quia peccatorum initia non fregerat, in tantam excreuerant molem, vt ea deponendi vim ferè nõ haberet. Hoc idem ad nos refert Magnus Gregorius, *in Pſ.3.pen.to.2.pag.1138.lit.D. Cum.n. diabolicis anima ſubeſſe ſuaſionibus cęperit, quanto ſe hoſti callido crebrius ſubycit, tantò eum ſibi intolerabiliorè facit: vt etiam in nullo reſiſtere valeat, cui in vno, ſui oblita, aſſenſum præſtat. Solerter itaque vigilandum eſt, vt cum pulſare mentem culpa inchoat, per actam culpam quis finis ſequitur attendat; ne ſi malæ perſuaſionis blãdimenta non perſpiciat, in nequiſſimæ tenebras perpetrationis neſciens ruat.* Caput ergo Draconis conterendum eſt, nõ fouendum, vt nobis ab eius morſibus caueamus.

§. XII.

Detractio Draco venenatus crudeliter ſaucians.

1 **D***Raco iſte, &c.* Sed ſi cauda Draconis peſſima eſt, & pernicioſa, quid de lingua, ſeu ore quo mordet, ac venena tranſmittit dicendum eſt? Quod lethalis illa ſit, & mortem irreparabiliter afferens dum crudeliter percutit. Linguę Draconis ſimillima eſt Detractoris Lingua, quę in nullo minus pernicioſa, dum in abſentia proximum carpit (ſerpentum vtiq. more, qui calcaneo inſidiantur) ei lethale venenum, famam, virtutemque enecãs immittit. Neque venenum hoc mortalitati necem generando inſidiatur, ſed immortalitati famam denigrando, detrahit. Quis Honos, quæ virtus, quale decus inuida Detractorum rabie non labefactatur? Heu crudele venenum, omni gladio, omniq; toxico deteſtabilius. De hoc peſtifero Dracone loquitur hic Propheta D. Bernardino affirmante, *ſer.30.to.2.pag.636.col.1. Pro eorũ quoq; ſolatio in Pſ 103. Propheta ait: Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: In quibus verbis tria circa detractionem conſideranda ſunt. Primum eſt Detractionis conditio; Draco iſte. Secundum eſt Detractionis permiſſio, quẽ formaſti; Tertium eſt Detractionis reparatio. ibi. ad illudendum ei.*

2 Quia vero Draconis, ſeu ſerpentis linguæ Detractorum linguam ſemel aſſimilauimus; eiuſmodi linguæ conditiones penſemus. Dauid Sanctiſſimus, cum ſe Detractorum lingua vulneratum acriter ſentiret, vt eius venenoſum ictum mortalibus explicaret, meliorem cõparationem ſe inuenire non putabat, quam ſerpentis linguam in medium afferre; ideoque dixit Pſalm.139. *verſ. 3. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Eſt autem lingua ſerpentis nigra quia veneno inſtructa eſt, coloreque ſuo funeſtam augurat necem: ſic Detractoris lingua atri coloris eſt, quia eius officium ſemper ad bona offuſcanda tendit; eſt in motu citiſſima, quid autem detractione velocius, quæ vno vix loquentis verbo expreſſa multorum inficit aures: bifurcata eſt illa, quia Detractio numquã fit coram, ſed clam: imo in præſentia laudat, quem in occulto vituperat. Neque cuiuſcumque ſerpentis figura contentus Pſaltes, addidit Detractoris linguam aſpidum venena ferre, Aſpidum enim vulnus eſt inſanabile, & Detractio ſemel in publicum iacta ferè immedicabilis eſt. Totum hoc claré explicat Doctiſſimus Petrus Bercorius, *in Diction. part.2. verb. lingua, pagin.411. col.1. Lingua Detractorum, ſeu Diffamatorum, eſt ſicut lingua Serpentis, quæ valde eſt venenoſa, vnde propter malitiam veneni nigra apparet; & ideo citò mouetur, quòd biſurcata eſſe videatur. Quia ſcilicet loquutio, & lingua Detractorum, quæ valde nigra eſt, & infamus, eſt illis, quos mordet, venenoſa, & mortiſera, & ad diffamationem aliorum diligens, & mobilis, & acuta: vnde in Pſal. Acuerunt linguas ſuas ſicut Serpentis, venenum Aſpidum ſub labiis eorum.* Draco crudelis iſte eſt, cuius lingua morſum impingit inſanabilem.

3 De Euridice Orphei vxore ſcribitur, quòd dum in prato curreret, incautè viperam preſſit, à qua viciſſim icta morſu animam expirauit. Hoc etenim Serpentum mos eſt latere inter herbas, & perrarò corã aggredi, ſed clam, occultè, & inſidioſè; latitat enim inter herbas, vel ſæpes, & ex improuiſo percutiens, prius ictum ſentis, quam Serpentem videas. Ipſum imitatur Detractor, nam clam, & inter flores laudum, ac Encomiorum, venenum detractionis immiſcet, vt laudis ſpecie occultata detractio, facilius audientium in aures ingrediatur. Hoc optimè noſcens Sapientiſſimus Salomon, inquit: Eccle.c.10.v.11. *Si mordeat Serpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit:* Cui aſſentitur D. Hieronymus, *in Eccleſ.c.10.tom.5.pag.27.lit.F. Serpens, & Detractor æquales ſunt; quomodo enim ille occultè mordens venenum inſerit, ſic iſte clam detrahens proximis ſuis virum infundit.* Quæ autem herbæ, & flores ſunt, niſi verba commendatoria, quæ præmittit Detractor, vt etiam cum illis inuoluta vituperatio fidem faciat? Obſeruabitis huiuſmodi perditum hominem ad detrahendum accedentem, his verbis exordiri ſermonem. Eſt ille Dominus amicus meus, mihique familiaritate coniunctiſſimus, cuius familiaritate per aliquos annos vſus per liberalis viſus eſt, optimis moribus, affabilis, gratus beneficientibus, memor Amicorum, virtutum inſectator; verum in eo hoc mihi diſplicet, quod nimium indulget ludo alearum, effertur in iram, peierat, blaſphemat, Deũ Sanctoſque taxat, domum conturbat. En tibi quale venenum inter tot latitet flores, nonne peſtiferum cenſes?

4 Verum vt euidentius veritatem huius rei cognoſcamus, exemplum huic orationi ſimillimum expendemus. Miſerat Dei iuſſu Moyſes duodecim Principes Iſraelitarum ad explorandam ſibi promiſſam terram, qui poſt quadraginta dies reuertentes, Terræ detraxerunt: ſed vt ea, quæ in terræ perniciem dicturi erant facilius crederẽtur, ab eius commendatione exorditi ſunt; nam, & vuæ racemum ita magnum, vt nonniſi à duobus hominibus haſta alligatũ portaretur, alioſque fructus optimos ſecum allatos in medium protulere, hinc orare ſic cęperunt. *Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ re vera fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognoſci poteſt. Sed cultores fortiſſimos habet.* Num. cap.13. *verſ.* 28. & poſt pauca, *verſ.33. Detraxeruntque terræ, quam inſpexerant apud filios Iſrael, dicentes: Terra, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos.* En Detractionis virus, en Detractorum malitiam, vt Terræ detraherent à commendatione cęperunt. Audi Lyranum, *in capit.13. Num. Inceperunt orationem ſuam à commendatione Terræ, vt magis crederet eis Populus poſtea in detrahendo de ea. Sicut Detractor aliquando incipit à commendatione Perſonæ, cui vult detrahere, vt per talem commendationem inclinet corda Audientium ad credendũ.* Cauete vobis mortales, in floribus abſconditur virus, latet anguis in herba.

5 Idem Lyranus Detractores Ciniphis aſſimilat; Hęc animalcula parua ſunt, & ferè viſu imperceptibilia, attamen morſu acutiſſimo pungunt hominem: qui cruciatus huiuſmodi ictum, vitare omnino non poteſt, nam viſibile cum non ſit feriens, ſenſibilis ſolũ ictus eſt; quis ergo cauere poteſt? Neque ab re erit credere, inter omnes eas plagas, quibus Ægyptium Tyrannum, eiuſque Populum afflixit Dominus, nullam hac, Ciniphum ſcilicet, importuniorem, & intolerabiliorem fuiſſe: Narratur autem in Exodo, capit.8. *verſicul.17. Et extendit Aaron manum virgam tenens, percuſſitque puluerem*

Digitized by Google

terra, & facti ſunt ſciniphes in hominibus, & in iumentis. Hi Sciniphes Detractores ſunt, ait Lyranus, qui ita ſubtiliter pungunt, cùm detrahunt, vt vix obſeruentur, ſed proximi ſui honorem lethali ictu ſauciant. *Secunda plaga eſt Ciniphum, quæ propter ſui ſubtilitatem, vix videri poſſunt, & tamen acriter pungunt; & ſignificant Detrahentes, qui vix poſſunt cognoſci, eo quod in præſentia vngunt, & in abſentia grauiter pungunt.* Hac inuiſibili, & inſatiabili plaga ſæpè homines vulnerantur.

6 Velox eſt etiam ſerpẽtis lingua ad venena communicanda. Sed nil Detractoris lingua velocius. Si Serpens aliquis venena ſua vel alicui herbæ, vel aquæ communicaret, nulli dubium eſt, quin omnes comedentes herbam, vel aquam potantes morerentur. Huiuſmodi Serpẽtina Detractoris lingua vnico verbo venena ſpargens omnibus audientibus venena communicat: Idcirco de his Detractoribus ſcriptum eſt, Pſ. 13. v. 6. *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem:* Hanc velocitatem, ac pronitatem nocendi obſeruauit D. Bernardus, inquiens, *ſer. 24. in Cant pag. 623. lit. A Propterea dicit de talibus propheticus ſpiritus: Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: Vtiq. tam veloces, quam velociter currit ſermo Vnus eſt Detractor, qui loquitur, & vnum verbum profert, & tamen illud vnum verbum, vno in momento multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit.* Patet igitur tanti veneni pernicies, qui tam perniciter ſerpit.

7 Inter omnia Chriſti Domini Mortis inſtrumenta, quæ eius diuiniſſimum corpus cruciauere, ſolum lãceæ ferrum crudelitate notatur: dulce appellatur lignum, dulces claui, flagella, &c. ſolus ille mucro, qui latus aperuit crudelis dicitur, vnde cantat Eccleſia.

Mucrone diro lanceæ.

Hoc autem ideo dicitur, quia iam mortuum hominem vulnerare, ac in cadauer ſæuire omnẽ feritatis modum excedit. At lingua Detractoris ipſo mucrone, quo latus Dominicum vulneratũ fuit crudelior eſt; quia nec mortuis, nec amicis parcit, & ſub laudis ſpecie vituperat: ea propter de his canitur Pſ. 56. v. 5. *Et lingua eorũ gladius acutus,* ſeu *anceps,* vt legit idẽ Bernard. *de triplic. cuſtod. pag. 385. lit. F. Lingua eorum gladius acutus, Gladius equidẽ anceps, imò triceps eſt lingua Detractoris. Nec verò eiuſmodi linguam ipſo etiam mucrone, quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis.* Draco ergo cum ſit, & veneno peximo ſaucians Detractio, nemo ſit, qui eam admittat, ab ea igitur fugiamus.

§. XIII.

Diabolus habitum Angelis Lucis ad decipiendum induit.

1 D*Raco iſte, &c.* Supra adnotauimus in Literali cõmentu, hanc Ceti, ſeu Draconis illuſionem, ſecundum quoſdam Interpretes, & textum hebraicum ſumi actiuè; ita vt ſenſus ſit. Draconem iſtum creatũ à Deo tam magnum, vt luderet in mari, ſeu vt illuderet mari. Tropologicè autem idipſum de Diabolo affirmari poteſt; ita enim callidus eſt, vt non paucis hominibus illudat, nec mundanis tantummodo, ſed etiam viris ipſis à mundo remotis, & ſpiritualibus: Illudit profectò Lucis Angeli effigiem, & perſonam induens, vt dum nimis creduli putant ſe à bonis Angelis inſtrui, in vafri tentationis laqueum incidunt. Quis D. Auguſtino doctior, aut Sanctior videri poterit? Et tamen eum Diabolus hoc modo ad decipiendum aggreſſus eſt, & niſi Diuina gratia illi afulſiſſet, vtique deceptus fuiſſet; vt ipſemet fatetur, *in ſoliloq. c. 16. tom. 9. pag. 377. col. 2. lit. D. Venit Tentator,* inquit, *transfiguratus in Angelum Lucis, & vt me non deciperet, tu eum increpaſti, & vt eum agnoſcerem, tu me illuminaſti. Ipſe enim eſt Draco ille magnus, & rufus, ſerpens antiquus, vocatus Diabolus, & Satan, habens capita ſeptem, & cornua decem, quem creaſti ad illudendum huic mari magno, & ſpatioſo.*

2 Nonnulli æſtimant in initio mundi, cum dictum eſt Gen. c. 1. v. 3. *Fiat lux:* Angelorum creationem aperiri; cum verò additur, *Diuiſit lucem à tenebris;* bonos Angelos à malis ſeparaſſe; ſed non parua pulſat animum difficultas; ſi lucis nomine bonos, & tenebræ malos ſignificauit; cur antequam ſeparatio illa fieret, probatur lux, & cum bona inuenitur, ſeparatur? ſcriptum eſt enim: *vidit lucem, quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris:* ſufficiebat namque diuidere lucem à tenebris, nam de ſe patet, lucis nomine nonniſi quod bonum eſt ſignari potuiſſe. Satis erat Deo, ſed non nobis; cum enim haud ratò, etiam malus Angelus in lucis forma compareat, nõ ſtatim ei credendum eſt, ſed more Dei probare an lux illa bona ſit; non omni ſpiritui credendum, ſed ſubtiliter probare, vtrum ex Deo ſit: ecce quid facit Supernus Cõditor, licet omnia nouerit, tamen ad eruditionem noſtrã prius inueſtigando Lucem repetit bonam, & deinde à tenebris diſtinguit: neque enim lux mala tenebris diſſimilis eſt. Perdoctè, & acutè id obſeruauit Hugo de S. Victore, *de Sacram. lib. 1. c. 12. tom. 3. pag. 356. col. 1. liter. A.* inquiens. *Ipſam quoque lucem vidit, quod eſſet bonum, & diuiſit lucem, & tenebras. Nam ipſe Angelus malus transfigurat ſe aliquando in Angelum Lucis, & ingerit ſe ad decipiendam mentem, quaſi lux vera. Sed hæc Lux non eſt diuidenda à tenebris, nec vocanda eſt dies, ſed nox quia ſpeciem quidem lucis habet, ſed tenebras veras. Propterea prius vidit Deus lucem an eſſet bona, vt non ſtatim credamus omni ſpiritui, ſed probemus ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Vide vafram illuſionem, hæc ipſis magnis contemplatiuis aliquando illuſit.

3 Id metuens Sanctiſſimus Dauid, vtpotè expertus, monet in Pſalmo, Dei ſeruum, virum ſpiritualem, ſemper in Dei adiutorio eſſe oportere, vt ſic diuino tutus auxilio, inimici illuſiones deuitare valeat; & idcirco bona, quæ ex diuina protectione ſequuntur, enumerat. Pſ. 90. verſ. 1. *Qui habitat,* ait ille, *in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei Cœli commorabitur,* & mox ſubdit, *verſic. 5. & 6. Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & Dæmonio meridiano.* Sed quare, Rex Sanctiſſime, in commemorando Diabolum ſolum de meridiano loqueris? An non omnis Dæmon animæ ſpirituali pernicioſus? vtique. Cur ergo ſolum meridianum reformidas? Reſponderet ille: omnem diabolicam tentationẽ noxiam eſſe, ſed cum vt talis cognoſcitur, nullo negotio expellitur; illa verò, quæ ſub boni ſpecie apparet, & cum ſit tartarea tenebra meridianam ſimulat lucem, pernicioſiſſima eſt; & magna cum difficultate hæc tentatio vincitur, niſi Cœlitus anima de hac fraude doceatur. Et ita reſpondet Mellifluus Bernardus, *ferm. 34. in Cant. columm. 671 lit. K. L. Quod quidem Dæmonium idcirco meridianum dictum exiſtimo, quia ſunt aliqui de numero malignorum, qui cum merito tenebroſæ, obſtinatæque voluntatis ſuæ, nox, & nox perpetua ſint, diem tamẽ ſe ad fallendum ſimulare nouerunt, nec modo diem, ſed meridiem. Itaq; niſi cordi illius, quem fortè aliquod eiuſdem dæmonium meridianum tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falſum conuincat, & prodat, non poterit omnino cauere: ſed tentabit, & ſupplãtabit ſine dubio ſub ſpecie boni.* Et quis non deciperetur, ad illas tenebras amplexandas, quas meridiem credit?

4 Nemo hominum eorum, qui virtutibus incumbunt, aliquo propoſito ſub propria forma deciperetur vitio, ſed ab eo abhorreret, idcirco nititur hoſtis antiquus ſpecie boni ipſum cohoneſtare, vt amplexetur. Hinc eſt, quod cum à B. Iob ſub nomine Behemoth deſcribitur; de eius ſternutatione dicitur c. 41. *verſ. 9. Sternutatio eius ſplendor ignis:* Sternutatio enim ſordium cerebri expurgatio eſt, & ideo vitiorum ſuggeſtionem ſignat, ſed Behemoth iſte verſipellis, vt tegat ſordes, ſternutationẽ vt

Solem

Digitized by Google

Solem illuceſcentem oſtendit : vt ſic Animæ ſimplices ſpe delectationis ſpiritualis inlectæ quod credunt bonũ ſequantur, & ſic in callidi Draconis poteſtatem deueniant. Hęc docet D. Hieronymus, vel quiſquis ille eſt, qui ea commentaria euulgauit, *in Iob, tom. 8. pag. 157. lit. B. Sternutatio eius ſplendor ignis, ſiue vt alii dixerunt: In ſternutamento eius illuceſcit Sol. Sternutatio ſordes cerebri egerit, & vitia ex interno concepta depurgat. Diabolus ergo, qui totus ſordidus, & fetidus eſt, in hoc lumine ſe videtur oſtendere, cum transfigurans ſe in Angelum Lucis, malitiæ ſuæ ſordes in perniciem hominum cum delectatione operit, & effundit.* Nullus autem ſplendorem intuens deceptionem expaueſcit, & ſic decipitur.

5 Quæri meritò poſſet, cur inimicus homo ille, qui ſegetem Patrisfamilias maculare volebat, inter bonam ſemen otem, zizania potius, quam aliud ſeminauerit? Matth. *cap. 13. verſ. 26. Cum autem dormirent homines venit inimicus homo, & superſeminauit zizania.* Ad hoc reſpõdet Diuus Cirillus Hieroſolymitanus *Cathech. 4. tom. 4. Bibliot. PP.* zizaniam tritico maximè ſimilem eſſe, & quaſi tritico ſe oſtendere, ſolo autem guſtu à tritico vero differre: Ita prorſus humanæ naturæ hoſtis, cum homines ſpirituales diuinarum conſolationum fameſcentes intuetur, eius tritici loco zizaniam offert, ideſt conſolationem ſuam pro cœleſti ingerit, ſed ſpeciem habet tritici, triticum non eſt, quia licet in principio delectabile ſit, guſtu cognoſcitur, cum talem modicam delectationem, vel ad minus ariditas ſpiritus, aut tentatio fortis, aut ſuperbiæ elatio ſequitur: ſed ipſum audiamus Cirillum. *Imitatur virtutẽ improbitas, zizania contendit triticum videri, quæ quidem ſpecie quadam tritico aſſimilatur, guſtu autem à ſentientibus facilè diſcernitur, quia Diabolus quoque transfigurat ſe in Angelum lucis.* Sic famelicus homo, dum ſaturari cupit, ſpecie tritici deceptus, à Dracone illuditur.

6 Omnes Iuſtorum hominum perſecutores, Diaboli miniſtros eſſe, eiuſque figuram iam vidimus ſupra de Pharaone: porrò Iacob à Labano fugiens ſignat Animam fugientem à mundo: hanc inſequitur dœmon, qui Labani nomine exprimitur; ſed *quæ conuentio Lucis ad Belial?* Quid atro Dæmoni Candidi nomen? (Laban enim Album, ſeu Candidum ſonat hebraicè) quia ſcilicet nigredinem ſuę tentationis ſub candidæ virtutis ſpecię tegit. Hoc videre eſt in ipſo Labano, qui vtique perſecutus eſt Iacobum, vt illum malè exciperet, vel ſaltim domum reduceret rebus ſpoliatum, ſed iuſſus in ſomnis à Deo, ne ipſum tangeret, ſpecie boni perſequutionem veſtiuit; dicens, Geneſ. *cap. 31. verſ. 27. Cur ignorante me fugere voluiſti; nec indicare mihi, vt proſequerer te cum gaudio, & canticis?* Certè ſi indicaſſet, vel vi retinuiſſet, vel rebus omnibus ſpoliatum dimiſiſſet; ſed vt deceptionem Diaboli habitum Candidi Angeli aſſumentis exprimeret, ita locutus eſt: vnde ait Diuus Ambroſius, *libr. 2. de Iacob, cap. 5. tom. 1 pagin. 238. lit. D. Illud myſticum, quòd venit ad eum Laban, hoc eſt dealbatus, quia & Satanas transfigurat ſe in Angelum Lucis.* Ita planè illuſioni locus datur, nemo enim ſub candido ſplendore maculas timet.

7 Sequitur autem vt Draco iſte callidus, non more aliorum dentibus feriat, ſed quaſi Scorpius blanditur ore, amplexatur branchiis, ſed cauda percutit; nam ſi Angelos decepit in Cœlo, cauda vulnerauit, Apocalipſ. *capit. 12. verſic. 4. Et cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum Cœli:* Et ſi modo homines trahit, fraude decipit, nam delectatione, vtilitateque propoſita, quaſi amplexaturus accedit, ſed tamen ſub blandientis corpore cauda latet, nam delectationem peccatum comitatur; neque enim, qui peccat aliud cogitat, niſi proprium commodum: docet hoc Abbas Rupertus, *libr. 6. de operib. Spir. S. de Fortitud. capit. 14. tom. 2. pagin. 811. columm. 2 Cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum Cœli, quia videlicet innumeram partem Angelorum, & hominum, dolo fallente, quaſi cauda deiecit. Cauda eius eſt pars cœca, pars immunda, ſuique velamine contegens immunda, ne pateant.* Caueant ſibi homines, ij præſertim, qui ſibi ſpiritualiores videntur; cum Dracone pugnatur, qui cauda ferit, qui ſuas tenebras Luce tegit, qui venena Lethifera aureis poculis propinat.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimus ſextus.

Stella Maris eſt nunc Naues hominum dirigens in mundanis fluctibus, vt infernali Draconi poſſint illudere.

I*Llic Naues pertranſibunt*: Amalphitanus Flauius nauticam pyxidem adinueniens, nauigandi artem quammaximè iuuit, ipſam faciliorem reddidit; eſt enim acui magneticæ quædam cum ſydere polari neceſſitas, vt ſemper illud aſpiciat, ac ad illud voluatur. Naues ergo hominum myſticæ, quæ per mare pœnitentiæ, aut innocentiæ ad Cœleſtem Patriam iter inſtituunt nautica indigent acu, hæc eſt deuotio Beatiſſimæ Virginis, quæ ſemper Mariam Maris Stellam præ oculis habet, eiuſque implorant auxilium; hoc ſydere ductæ Naues optato in littore tandem conſiſtunt; Seraphico teſtante Doctore, *in Specul. Virgin. lect. 3. tom. 6. pag. 454. columm. 1. lit. F. Legitur enim, & verum eſt, quod Nautarum mos eſt, vt cum in aliquam terram nauigare diſponunt, vnum Sydus eligunt, cuius ſigno, luce radiante, in eam, quam deſiderant partem, poſſint ſine errore adduci. Ta-*

le certè officium eſt Stella noſtra Maria, qua nauigantes per Mare mundi in Naui Innocentia, vel Pœnitentia, dirigit ad littus Patria Cœleſtis. Nec metuamus Naufragium, aut errorem ſub tanto Sydere nauigantes.

Maria virgo Maris eſt Stella ſaluans, & regens in mundanis fluctibus.

1 ANtequam cognati ſyderis ad magnetem propenſio cognoſceretur, nauigabant vtique homines, & per varia mundi littora ducebant, ſed vaſti Oceani immenſurabiles ſinus, nullus, qui euaderet, tentauit: & ſi quis tempeſtate iactatus, coactus in altum ſoluere, reuerſus fuit, is magis fortuiti caſus, quam artis beneficio ſeruatus eſt. Poſtquam autem nautica pyxis ſyderis beneficium demonſtrauit, non vltro imperuium Oceanum fuit, nec generoſorum audaciam Herculeæ columnæ fregerunt, ſed, Columba præeunte, Hiſpanis Regibus *plus vltra* excurrendi facultas facta, Columnarum Alcidis mutandi titulum gloriam præparauit. Fugiebant Ægyptum Iſraelitæ, & rubrum mare, niſi miraculo non tranſiſſent, & vt terram promiſſam tenerent, vagi, ac profugi, inuenire non poterant viam, tunc licet inimicus vero tamen ſpiritu afflatus, eos ſolatus eſt Balaam, prophetans, Num. c. 24. v. 17. *Orietur Stella ex Iacob*: ac ſi diceret: O vos omnes, qui in hoc vaſto mundi pelago nauigatis, & iter ad Cœlum inuenire non poteſtis, ſuſtinete pauliſper, orietur polare ſydus, inuenietur acus nautica, hoc per eam vos regeti, & ad Paradiſum vſque perducet. Hæc enim Stella Maria eſt; acus nautica eius deuotio, ipſa deuotorum ſuorum nauigia cœleſti in littore ſiſtit. Benè nouit hoc deuotus eius D. Bernardus, dum ſcripſit, *ſerm. 2. ſuper miſſus eſt, pag. 25. lit. C. Ipſa inquam eſt præclara, & eximia ſtella, ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſariò ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis te intelligis in huius ſæculi profluuio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quã per terram ambulare: ne auertas oculos à fulgore huius Syderis, ſi non vis obrui.* Neque enim ſine acu agnoſcitur iter, nec ſine ducatu Mariæ in Cœlum peruenitur.

2 Huius veritatis teſtes ſapientiſſimos, atque Sanctiſſimos Mathematicos aduoco; hi è remotis Orientis regionibus progreſſi, atque difficile, itemque longum iter emenſi, in Iudæam peruenerunt, cumque de nouo Monarca iam exorto inquirerent, nihil certi, vbi conſiſteret ſcire poterant; nec mirum ſi in incertum velitabant, cum à polari Stella pyxidem auerterant, ſed ſtatim ac extra regiam Vrbem fuerunt, Matth. c. 2. v. 9 *Ecce Stella, quã viderant in Oriente antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer.* Auerſi à Stella iter ignorabãt, exorta ea ad portum peruenerunt, nobis vtique demonſtrando, quòd Stella duce ad Deum peruenitur, Maria dirigit humanas naues ad Beatitudinis portum. Id probat ſupra relata D. Bernardi ſententia euidenter; ſed ei adiungamus Euſebium Emiſſen. *ſer. 4. Dom. 4. Aduen. to. 5. par. 2 Biblioth. PP. pag. 611. lit. C.* dicentem. *Dicitur n. Maria Stella Maris, huius vtique Maris, de quo ſcriptum eſt: Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic Reptilia, quorum non eſt numerus: Plures Stellas habet Cœlum, Mare vnam, quæ pro illis omnibus clarior, & melior eſt.* Ergo Maris potentiſſima Stella Maria eſt ad Chriſtum deducens.

3 Nonnulla Sydera reperiuntur, quæ ſuo exortu magnam tempeſtatem in mari cauſant, vt Pleiades, Syrius, Hyades, Delphin, &c. imò putant mendaces Genethliaci, quòd quicumque hæc ſydera, in Orientis, vel Occidẽtis cardine, vel cum luminaribus, Luna præſertim habuerit in ſuo ortu, tempeſtatibus, ac naufragijs expoſitus erit. E contra verò reperiuntur ſtellæ, quæ ſerenitatem adducunt, vt Regulus, & Acarnar exorientes cum Ioue. Mare eſt præſens ſæculum, Stellæ in eo tempeſtatem adducentes, ſunt illæ, quæ a Draconis cauda ad Tartara tractæ ſunt. Stella autem, quæ ſuo exortu ſerenitatem cauſat, Maria eſt, quæ ſua protectione mundanarum rerum tumultus compeſcit. Canebat de Deo Pſalm 92. v. 1. *Dominus regnauit decorem indutus eſt*: Et quid ex hac decoris induitione ſequutum ſit, attexuit, dicens. *ver. 4. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*: Quaſi diceret: mare mundi mirabiliter in tempeſtates exurgit, ſed Domini potentia ad illud compeſcendũ mirabilior eſt. Quæ omnia ad Stellam noſtram Mariã ſemper Virginem aptari poſſunt, quę maximo decore, ac mirabili induta fortitudine, ita ſe præcinxit ad tempeſtates mundi ſedandas, vt vel ſolo nutu, mare illud, tam mirabiliter elatum, ſerenet: & nauigantes fideles ad Paradiſi littus perducat; quod teſtatur D. Amedeus Lauſanenſis, *Hom. 8. de Laud. Mariæ pag. 820. columñ. 2. Maria, id eſt Maris Stella, prouido Dei conſilio vocata eſt, vt nomine declararet, quod re ipſa clarius manifeſtat. Nam ex quo Cœlum cum Filio ſuo regnatura conſcendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit ſe, mirabiles elationes maris ſolo nutu compeſcitura. Mare quippe præſentis ſæculi nauigantes, ſeque plena fide inuocantes, ab impetu procellæ, & ventorum rabie eruit, eoſque ſecum ouantes ad littus feliciſſimæ Patriæ perducit.* Proſpera ergo Deuotorum Virginis nauigatio erit, nam ſtella ducuntur, quæ adfert ſerenitatem.

4 Inter omnia Cęli ſydera, Luna Maris aquarumque omnium dominatum habet; & ex eius cum alijs ſtellis congreſſu, vel aſpectu, Aeris, Mariſque Facies, quã maximè mutatur. Obſeruant autem Aſtronomi rem nauticam moderantes Lunam Ioui copulatam ſerenitatem, & placiditatem magnam in vtroque elemento cauſare, pro ventis dat Zephiros, pro tempeſtatibus placidas pluuias. Stella eſt Maria, & Luna pleno ore ab Eccleſia prædicatur: nunc ergo cum ad Cęlos euecta, vero Ioui, id eſt Deo iuncta eſt, quid credimus in mari noſtro cauſaturã, niſi ſerenitatem tribulationum; Zephiros bonarum inſpirationum, dulces gratiarũ pluuias? Idcirco illi adaptari poteſt Sereniſſimi Aui eius cantus, Pſalm. 88. *ver. 10. Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Nam & ei applicat Doctiſſimus Incognitus aſſeresn, *in Pſ. 103. v. 20. Maria, quæ Stella maris dicitur, ſupra mare, id eſt amaritudinem vitæ præſentis dominatur: iuxta illud Pſalmi: Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Sequamur ergo omnes fulgentiſſimum iſtud Sydus, vt à ſæculi tẽpeſtatibus liberi Cęleſte Portum teneamus; vbi ouantes, ſemper regnaturi, exultemus.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

I*Llic Naues pertranſibunt: Draco iſte, &c.* Nauium & vtilitate, & inuentione aliquantiſper declarata, nec non Draconis natura patefacta, re-

ſtat vt

ſtat vt harum vocum ſimilitudines,ſeu allegorias exponamus: neque enim aliæ quam hæ duæ allegoricè tractandæ nobis occurrunt.

SVMMARIVM.

1 *De Nauium allegorijs.*
2 *Quid Draco allegoricè ſignet.*
3 *Illudere,ſeu deridere quid ſit allegoricè.*

§. I.

De Nauium Allegorijs.

1 I*Llic Naues*. Nauis eſt ligneum vehiculum ad ambulandum per aquas inuentum. Allegoricè autem primò ſignificat Crucem Domini; vnde Nauis via in medio mari, quam difficilem reputabat Salomon, Prouerb.*c.*30 *v.*19. *Viam Nauis in medio mari*, eſt Chriſti paſſio: ita Eminentiſſimus Hugo,*in Pſ.66.pag.*164.*col.*3. *Via nauis in medio mari eſt Chriſti paſſio. Crux enim fuit illi Nauis ad tranſeundum mare mundi.*

2 Mare eſt pœnitentia, Nauis verò, quæ hoc mare pertranſit eſt Religio, vnde dicitur de Pœnitentibus.Pſ. 106.*v.*23 *Qui deſcendunt mare in Nauibus*, vbi citatus Hugo,*in Pſal.*106.*pag.*282.*col.*1. *Mare eſt Pœnitentia: Nauis Religio,quam intrant multi,vt per mare penitentia tranſportent eos ad portum ſalutis; vnde poſtea concludit,dicens: Deduxit eos in portum voluntatis eorum.*

2 Nauis eſt Sacra Scriptura,de qua dicitur, Prouerb. *c.*31.*v.*14. *Facta eſt quaſi Nauis Inſtitoris de longe portans panem ſuum*,& Lyranus.*Sicut enim in Naui inſtitoris portantur diuerſa vita humanæ neceſſaria, ſic in Scriptura continentur omnia neceſſaria ad ſalutem:*

4 Nauis, de qua eiectus eſt Ionas, ſignificat Synagogam,de qua expulſus eſt Chriſtus,& morti traditus,ideo aliud ſignum dare, præter illud Ionæ renuit, Matth. *c.*16.*v.*4.*Signum non dabitur ei,niſi ſignum Ionæ Prophetæ*,v i D.Hilarius,*in Matth.can.*16.*col.*544.*lit F.Namque Ionas ventis deſæuientibus è mari eiectus eſt,&c. Hoc ergo poteſtatis ſuæ ſignum conſtitutum eſſe demonſtrat;ipſe remiſſionem peccatorum prædicans per pœnitentiam, de Hieruſalem, vel Synagoga, immundorum ſpirituum dominante ſtatu eijciendus.*

5 Nauis eſt myſterium Crucis,per quod homines vitæ reſtituuntur æternæ: vt dicitur apud Iob,*c.*9.*verſ.*26. *Pertranſierunt quaſi Naues poma portantes*, & D Gregorius Magnus,*lib.*9.*c.*16 *mor.pag.*524. *lit.D. Sed quia per Crucis myſterium ad ingenita naturæ bona reſtituimur,quaſi per lignum poma portamus.*

6 Nauis eſt humanum Genus,vt ex eodem verſu Iob deducit Idem Gregor. *loc cit. Naues etenim cùm poma portant ſuauitatem odoris habent, ſed grauitatem ponderis non habent: & humanum Genus à Paradiſi gaudiis expulſum vim contemplationis perdidit, robur conditæ fortitudinis amiſit: cumque ad ſuperna repetenda ſe erigit,fragrat quidem odore memoriæ,ſed dignè non excutit pondus vitæ.*

7 Nauis Tharſis ſuperbiam gentium ſignat,vnde dicitur Pſalm.47.*v.*5. *In ſpiritu vehementi conteres Naues Tharſis*,& Cardinalis Hugo,*in Pſ.*47 *pag.*124. *colum.*1. *Conteres Naues Tharſis,ideſt ſuperbiam gentium euertes,quæ gentes diſcurrunt explorantes gaudia mundi, & diuitias quærentes;ſicut Naues Tharſis.*

Tandem Nauis dicitur Eccleſia,Charitas, Anima Iuſti;vt patet ex Expoſitione Morali.

§. II.

Quid Draco allegoricè ſignet.

1 D*Raco iſte*:Draco maximum eſt Animal, quod in mari viuit: & primo ſignificat aliquem Diuitem potentem;cui poteſt aptari,quod dicitur Pharaoni ab Ezechiele,*c.*29.*v* 3.*Pharao Rex Ægypti, Draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum*,vbi CardinalisHugo,*in Ezech.pag.*100.*col.*2. *Draco magnus poteſt dici aliquis potens diues,qui cubat in fluminibus Aegypti, ideſt in delectabilibus huius mundi, & in ipſis ſubmergitur.*

2 Draco dicitur Diabolus, vt ex eodem Ezechielis verſu colligit D.Hieronymus,*lib.*9.*in Ezech.pag.*421.*lit. H.Draconem autem iuxta anagogen cōtrariam poteſtatem ſæpè legimus.Iſte Draco eſt Præuaricator,de quo pleniſſimè Iob,&c.Draco magnus ad differentiam minorum Draconum dicitur.*

3 Cum Draco Diabolus ſit ſeptem capita huius Draconis sūt ſeptē vitia capitalia,de quib.Deo dicitur,Pſ.73. *v.*13 *Cōtribulaſti capita Draconis in aquis*,vbi Eminentiſſimus Hugo,*in Pſ.*73.*pag.*189.*col.*3. *Contribulaſti capita Draconis in aquis: capita Draconis ſunt vitia capitalia. Apocalip.*13. *Vidi de mari aſcendentem beſtiā habentem capita ſeptem; ideſt Diabolum habentem ſecū ſeptem vitia capitalia,quæ hominibus offert,& ſuggerit;ſed Dominus ſua capita confregit.*

4 Draco, de cuius ore exeunt ſpiritus immundi, eſt Auaritia,de qua dicitur Apocalipſ. *c.*16.*v.*13. *Et vidi de ore Draconis, & de ore Pſeudo Prophetæ exire ſpiritus tres immundos*,& idem Hugo,*in c.*16.*Apoc.pag.*411.*col.* 4 *Per Draconem ſignatur Auaritia.*

5 Draco ibidem relatus eſt Antichriſtus, os eius doctrina, ſpiritus immundi ex eius ore exeuntes, diſcipuli eius.Ita Gloſſ.ord *Tres ſpiritus immundi deſignant diſcipulos Antichriſti. Qui de ore Antichriſti, & de ore pſeudo Prophetarum exiſſe viſi ſunt, quia per eorum doctrinam filii Diaboli efficientur.*

6 Draco,in quem conuerſa eſt virga Aaron eſt Sacra doctrina,de qua dicitur Exod *c.*7.*v.*10.*Tulitque Aaron virgam coram Pharaone,& ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum*,vbi Lyranus,*Quæ verſa eſt in colubrum, ſcilicet verum ſecundum Auguſtinum; & ideo, per hanc virgam ſignificatur Doctrina ſacra,quæ meram continet veritatem.*

7 Dracones, in quos verſæ ſunt Virgæ Maleficorum Pharaonis, ſunt Doctrinæ falſæ,& ſuperſtitioſæ, vnde ſequitur,*v.*12.*Proiecerunt que ſinguli virgas ſuas,quæ verſæ ſunt in Dracones*, & idem Lyranus. *Per virgas Magorum,quæ verſæ ſunt in Dracones,non veros,ſed apparentes:ſignantur Doctrinæ falſæ,& ſuperſtitioſæ.*

8 Draco eſt malitia,& eius cubile mens peruerſa, de qua Propheta Iſai. *c.*34.*v* 13. *Et erit cubile Draconum*, vbi Magnus Gregorius,*lib.*7.*c.*12.*mor.pagin.*466. *lit.C. Quid namque per Dracones,niſi malitia deſignatur? In peruerſa igitur mente Draco cubat, quia & latens malitia callidè tegitur.*

9 Dracones ſunt Perſecutores hominis iuſti; quare de his dicebat Patientiſſimus Iob,*c.*30.*ver.*29 *Frater fui Draconum*;&addit Lyranus,*Frater ſui Draconum,ideſt Perſequentium me.*

§. III.

Illuſor, Illudere, Deridere quid ſit allegoricè.

1 I Lluſio ergo primo eſt carnalis delectatio, de qua ait Pſ.37. *v.*7. *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, & Cardinalis Hugo,*in Pſ.*37.*pag.*98.*col.*3. *Illuſionibus, ideſt delectationibus carnalibus, quæ non vocandæ ſunt delectationes, ſed potius illuſiones, per duas cauſas: quia ſtatim poſt vellet homo non peccaſſe. Secundò quia per momētaneam delectationem æterno incendio obligatur Peccator.*

2 Illuſores ſunt mali Principes,Doctores,& Sacerdotes;de

les;de quibus Dominus ad Iſaiam,*c.66.v.4.* *Vnde & ego eligam illuſiones eorum*, vbi citatus Doctor, *in c.66.Iſai. Pag.710.col.2.* *Illuſiones poſuit pro eo,quod eſt illuſores: Illuſores autem duobus modis poſſumus intelligere, vel peßimos Principes, & Doctores, vt fuerunt Scribæ, & Phariſei: vel malos Sacerdotes, vt fuerunt Filij Heli.*

3 Illuſores ſunt mali Prælati, de quibus Apoſtolus, 2. *Petr.c.3.v.3.* *Venient in nouiſſimis diebus illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes*, & Hugo Cardinalis. *Similiter hodie multi illuſores ſunt in Eccleſia, ſcilicet Prælati, qui oculos intuentium deludunt, videntur .n. curam gerere animarum, cum curam gerant palearum; videntur dominari vitiis, & omnibus ſuccumbunt: videntur viuentia Animalia, & ſunt Idola mortua.*

4 Illuſor eſt peruerſus Magiſter, qui prauam doctrinam docendo diſcipulis illudit, de quo *Pſ.1.v.1.* *In cathedra Peſtilentiæ non ſedit*; ſed hebraicè dicitur: ובמושב לצים לא ישב *Et in conſeſſu illuſorū non ſedit*: Vnde D.Hieronymus, *in Pſ.1.to.7.pag.1.lit.F.* *Pro peſtilentibus in hebræo Deluſores habet, quòd ſcilicet omnes diſcipulos peruerſus doctor illudat.*

5 Illuſores Eccleſiæ ſunt Hęretici eius doctrinam deſpicientes; de quibus Iob, *c.30.v.1.* *Nunc autem derident me iuniores tempore*, & Magnus Gregorius, *libr.20.c.9. mor. pag.762. lit.E.* *Iuniores ergo tempore Sanctam Eccleſiam irrident, cum hi, qui ab ea egreßi ſunt, doctrinæ eius verba deſpiciunt.*

6 Illuſores dęmones deridere Sabbatha, eſt Feſtorum dierum vacationes ad malum trahere, de hoc Ieremias, Thren.*c.1.v.7.* *Viderunt eam Hoſtes, & deriſerunt Sabbata eius*, vbi idem Gregor. *lib.5.c.22.mor.pag.420.lit.D.* *Hoſtes ergo Sabbata irrident, cum maligni ſpiritus ipſa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt.*

7 Irridet Deus crucifixores Vnigeniti ſui, cum Deum agnoſcunt, quem vt hominem mactauerunt, vnde dicitur Pſ.2.v 4. *Qui habitat in Cęlis irridebit eos*, vbi D. Hilarius, *in Pſ.2.col.638.* *Irridetur impietas dum ad illicita nititur, dum inconceſſa expetit, dum quod obtinere ſe ſperat, amittit, dum Deum eſſe, quē tanquam hominem condemnat, agnoſcit.*

8 Irridet Diabolus vibrantem haſtam, cum pęnas ſuas deſpicit, de quo Iob.*c.41.ver.20.* *Et deridebit vibrantem haſtam*, & D.Gregorius, *lib.24.c.11.mor.pag.1096.lit.D.* *Apoſtata ſpiritus Authorem vitę etiam cum ſua morte deſpiciens, haſtam vibrantem deridet, quia ex diſtricto iudicio quidquid horribile eſſe præuidet, pati non metuit.*

9 Illuſit Deus Diabolo in paſſione quaſi Aui; quia oſtendit eſcam corporis, ſed laqueum Diuinitatis abſcondit. Quare dictum eſt Iob, *c.40.v.24.* *Numquid illudes ei, quaſi Aui?* & idem Doctor *loc.cit.lib.33.c.14.pag.1074. lit.B.* *Dicitur ergo: Numquid illudes ei, quaſi Aui? Quaſi Aui quippe Dominus illuſit, dum ei paſſione Vnigeniti Filij ſui oſtendit eſcam, ſed laqueum abſcondit.*

10 Illudi Chriſtianos, ac opprobrium gentium fieri, eſt cum propter peccatorum, & iniquorum hominum peccata, ipſi etiam contemnuntur, de quo quærebantur apud Pſalmum 78 *v.4.* *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt*, vbi D. Auguſtinus, *in Pſ.78.* *Hoc dicunt boni Filii Eccleſiæ, quia per peccatum aliorum, ſine ſuis meritis contemnuntur.*

11 Derident ſapientes ſimplices, dum putant fatuitatem veram, & puram virtutem, vnde Iob ait, *c.12.verſ.4.* *Deridetur Iuſti ſimplicitas*, & D.Gregorius Magnus, *libr.10.capit.16.moral.* *Sed hæc Iuſtorum ſimplicitas deridetur; quia ab huius mundi Sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur.*

Verſus vigeſimusſeptimus.

כֻּלָּם אֵלֶיךָ יְשַׂבֵּרוּן לָתֵת אָכְלָם בְּעִתּוֹ׃

Verſio ex hebræo.	*Omnia ea in te ſperabunt, ad dandum eſcam eorum in tempore ſuo.*
Vulgata editio.	*Omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore.*
D.Hieronymus.	*Omnia in te ſperant, vt des cibum eis in tempore ſuo.*
Pagninus.	*Vniuerſa ipſa ad te ſperant, vt des eſcam eorum in tempore ſuo.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

QVod ad Literalem attinet Verbum שָׂבַר à quo יְשַׂבֵּרוּן futuri temporis, *ſperare* ſignificat; quia verò aliquid à Deo ſperare, vel expectare idem eſt expoſitio parum variat: Tempus autem futurum eſt, ſed poſitum pro omni tempore (hebræis haud inſolitnm) ac ſi dicerent, omnia *ſperant, & ſperabunt*: præſertim cum hebræi careant præſenti; & eius loco participio vtantur. Cœterum cùm hic diuina prouidentia, creaturarum ſpei ſubueniens ſubindicetur, aliqua de Dei Prouidentia prælibabimus.

SVMMARIVM.

1 *De Dei Prouidentia an detur, & quid ſit.*

2 *De effectibus Diuinæ Prouidentiæ.*

3 *Obiectiones contra Diuinam Prouidētiam tolluntur.*

§.I.

Digitized by Google

§. I.

De Dei Prouidentia an detur, & quid ſit.

1 O*Mnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore*. Satis manifeſtè in hoc verſu redarguit Pſalmiſta ſtultam Epicureorum opinionem, quæ diuinam Prouidentiam, a Platone validè propugnatam, de medio tollebat. Etenim ſi omnia a Deo eſcam expectant, igitur Deus omnibus prouidet, datur deniq; Prouidentia. Quod Argumentum deſumit ſuam euidentiā primò ab ipſa Dei exiſtētia, nā ſi Deus, eſt neceſſariò ex ipſo ſequitur ipſum rebus prouidere, qui enim Prouidentiam tollunt, Deum negant. Hinc eſt quod Inſipientes, vt liberè vitijs incumbant abſque timore vindictæ, Deum eſſe negant, ſiquidem ad Dei Prouidentiam pertinet nulla mala ſine pœna, nullum ſine præmio bonum eſſe. Teſtatur hoc Pſaltes, dicens: *Pſal. 13. verſ. 1. Dixit Inſipiens in corde ſuo non eſt Deus:* & quid inde ſecutum ſit attexuit: *verſ 2. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum*. Quare peroptimè Nemeſius emiſſenus Epiſcopus diſcurrit, inquiens, *lib. de ani. facultatibus cap. 62. pag. 622. lit. C col. 1. Quod ſi tollatur Prouidentia permitti videtur iniuria iis, qui eam inferre poſſunt, tollitur erogatio in pauperes, Deique metus, & ſimul cum iſtis virtus, Religioque euertitur. Si enim Deus non prouidet, neq; punit, neque viris bonis præmia tribuit, neque propulſat iniuriam, ab ijs qui iniuſtè læduntur, quis Deum veneretur, qui nulla in re quicquam nobis ſit adiumento?* Deus ergo, qui nil poteſt, Deus, niſi nomine, non cenſetur.

2 Probatur ſecundò Argumentum ex eſſentia Dei, Deus enim eſſentialiter bonus eſt imò ipſum bonum vt fatetur termaximus Mercurius *Trimeg. in Pimandro. Deus enim ipſum bonum eſt, nec aliud quicquam præter Bonum*. Vnde & Saluator noſter in Euangelio ita bonitatem Deo attribuit, vt a creaturis omnibus remoueret. *Marc. cap. 10. verſ. 18. Nemo bonus niſi vnus Deus*. Quia verò proprium eſt Dei intelligere, & velle, non ſolam bonitatem, verum etiam Sapientiam habet, cuius ortum, & munera ſuo loco fusè explicuimus. Si ergo Deus bonus, & ſapiens eſt, creaturis prouidet; nam ſi noſtris neceſſitatibus non ſubueniret, hoc faceret, vel quia eas neſcit, vel quia non vult; ſed hoc eſt contra bonitatem, illud cōtra Sapientiam, igitur ſi bonus & ſapiens eſt, etiam prouidet. Quare ſapiens fatebatur *Sap. cap. 12. v. 13. Nec eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus*. Vbi Cornelius a Lapide *in Sap. pag. 235. lit. C. Oſtendit nullum alium eſſe Deum, ex eo quod nullus alius curam habeat omnium*. Verùm euidentius hanc proſequitur rationem D. Ioannes Damaſcenus *lib. 2. Orthod. fid. pag. 248. lit. D. Solus Deus natura bonus, ac ſapiens eſt. Quà igitur bonus prouidet (neque enim bonus eſt qui non prouidet) quà autem ſapiens ea, quæ ſunt optimè procurat*.

3 Probatur tertiò ex omnipotentia Dei, qua omnium rerum creabilium prima, & vniuerſaliſſima eſt cauſa. Sic autem procedit diſcurſus; Deus eſt cauſa rerum omnium, nec aliquid ſine Deo producitur, ſed cauſa debet continere in ſe eminenter, & perfectius omnia quę ſunt in effectu (nemo enim dat quòd non habet) Deus igitur continet in ſe omnium rerum, quas creauit, perfectiones. Atqui videmus Principes prudentes; optimos Patresfamilias, ſibi ſubiectis ſolerter, & ſollicitè prouidere, igitur & in Deo, qui illis dedit, Prouidentia eſt: vt ait D. Damaſcenus *lib. 3. Parallel. cap. 21. pag 189. lit. D. Quod in cognationibus ſunt Parentes erga liberos, hoc Rex erga Ciuitatem, & Deus erga mundum*. Antecedens huius Argumenti habetur ex Sacra ſcriptura, nam in Pſalmo 134. verſ 6. dicitur: *Omnia quecumque voluit Dominus fecit in Cælo, in Terra, in mari, & in omnibus Abyſſis*. Conſequentia verò eſt Angelici Doctoris, qui ita concludit. *1. p. q. 103. artic. 5. in corp. Sicut nihil poteſt eſſe, quod non ſit a Deo creatum, ita nihil poteſt eſſe, quod eius gubernationi non ſubdatur*. Fauetque D. Damaſcenus *lib. 2. orth Fid. pag. 348. lit. C. Quocirca Deus eſt qui procreauit, & qui procurat; atque & procreans, & conſeruans, & procurans ipſius potentia, nihil aliud eſt, quam bona eius voluntas. Omnia enim quecumque voluit Dominus fecit, nec voluntati eius qui reſiſtat vllus eſt*. Redarguit etiam Pſaltes proteruos, Dei Sapientiam, ac prouidentiam negantes, il is verbis: *Pſal. 93. verſ 8. 9. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite: Qui plantauit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum non conſiderat?* Quibus ex verbis Eminentiſſimus Hugo Carenſ. *in Pſ. 93. pag. 247. col. 3.* ſic arguit. *Et oſtendit per locum a cauſis, quod Dominus omnia audit, & conſiderat, & ſcit: & arguit eorum multiplicem blaſphemiam. Primò illam, qua dicunt Deum eſſe ſurdum, cum dicit: Qui plantauit aurem non audiet? quaſi dicat, immo audiet qui aliis dedit, vt poſſint audire. Secundò illam, qua dicunt Deum non videre, vel non curare noſtra, cum dicit; Aut qui finxit oculum non conſiderat? Immo conſidera. quæcumque fiunt. Non cognouit quoniam oculi Domini Lucidiores ſunt ſuper Solem circumſpicientes omnes vias hominum. Vnde abſurdum eſt dicere, quod ille qui alios facit audire, & videre, nec audiat, nec videat*.

4 Confirmatur tandem ex antiquorum, & Sapientiorū Philoſophorū placito. Plato enim ipsā Dei Prouidentiam agnouit, ac ipſam fusè explicat, vt teſtatur Nemeſius *loc. cit cap. 64 pag. 623. col. 1. lit. A. Plato & vniuerſas res, & ſingulas a Prouidentia gubernari vult*. Omneſque Philoſophi qui aliquantulum ſapuere eiuſdem fuere ſententiæ D. Ioa. Damaſceno referente: *loc. c. Omnia quidem in vniuerſum diuina Prouidentia orta eſſe, atque gubernari, vera pietate prædíti Sapientes tradunt*.

5 Tandem quid ſit Diuina Prouidentia, ex dictis colligendum eſt. Eſt ergo *Prouidentia actus Diuinæ voluntatis, qua res omnes creatas, aptè, congruèque diſponit, atque gubernat*. Colligitur hæc concluſio ex ſacra ſcriptura, nam in Pſalmo 29. *verſ. 6.* dicitur: *Vita in voluntate eius:* & paulò poſt: *verſ. 8. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem:* & in *Pſal. 50. verſ. 20. Benigne fac Domine in bona voluntate tua, vt ædificentur muri Ieruſalem:* & Dominus in Euangelio de Diuina Prouidentia loquutus ait: *Marc. cap. 11. verſ. 11. 12. 13. Quis autem ex vobis Patrem petit panem numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem, numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? ſi ergo vos cum ſitis mali noſtis bona dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Vbi ex voluntate, & bonitate oſtenditur Prouidentia. Deinde eam ſic definit D. Ioan. Damaſcenus *lib. 2. de Fid. orthod. pag. 348. lit. C. Prouidentia eſt Voluntas Dei, per quam res omnes aptè congruèque gubernantur. Quod ſi Prouidentia nihil aliud eſt quam Dei voluntas, omnia proculdubio, quæ Prouidentia fiunt recta ratione, pulcherrimèque, ac diuiniſſimè fieri neceſſe eſt; atque ita deniq; vt meliore modo exiſtere prorſus ne queant*. Eamdem concluſionem iiſdem ferè verbis tradit Nemeſius. *loc cit. cap 63. pag. 622. lit. H. Prouidentia eſt Dei Voluntas, per quam omnia quæ ſunt aptè gubernantur. Quòd ſi Dei Voluntas eſt Prouidentia, neceſſe eſt recta ratione, & optimè, & diuiniſſimè, & quæ ſola ratione rectè ſe habent, fieri quæ ſunt, neque melioris ordinis eſſe capacia:* Datur ergo Prouidentia, eſtque actus voluntatis diuinæ omnia creans, proſpiciens, & gubernans, vt concludit Nemeſius *loc. cit. Neceſſe eſt autem eumdem eſſe qui res efficiat, & effectis prouideat*.

§. II.

§. II.

De effectibus Diuinæ Prouidentiæ.

1 SVppoſita iam, & probata æterna Dei Prouidentia, oſtendendi ſunt eius effectus in mundo; ſcilicet qua ratione omnia a Deo expectant, nō cibum tantummodo, verum omnia ſibi neceſſaria. Incipiemus a Sacra Scriptura, ſed primò a doctrina ipſius Redemptoris, ac Domini noſtri IESV: Is etenim apud Mattheum inſtruens diſcipulos ſuos, docebat eos dicens. *Matth. cap. 6. verſ. 25. Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis Animæ veſtræ quid mãducetis, neque corpori veſtro quid induamini?* Et vt confirmaret ſuum Problema diuinæ Prouidentiæ argumentis, addidit: *verſ. 26. Reſpicite volatilia Cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa*: Quibus ex verbis euidentiſſimè conſtat Deum Auiculis cibum prouidere, nam cum homines vix cum magna ſollicitudine negotiantes, operantes, & congregantes ſibi neceſſaria habent, illa vero Animalcula, omnia ſperantes a Deo habent, quod penſat Interlinearis Gloſſa, interſerens. *Reſpicite Volatilia Cæli, quæ perpetuò non erunt, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, Dei Prouidentia aluntur abſque cura.* Et Nicolaus de Lyra. *Primum oſtendit per exemplum Auium, quæ non ſerunt, neque metunt, & tamen Dominus ſufficienter paſcit illas cum ſollicitudine conuenienti ſuæ naturæ.* Probata Dei prouidentia de cibo pergit Dominus ad oſtendendum de veſtimento; & licet loqui poſſet de pennis Pauonis, Aghironis, Carduelis, Pſittaci, & huiuſmodi pulcherrimarum Auium; vel Leonis, Pardi, Hienæ, Tigris &c. nihilominus ab inferioribus creaturis profert exempla, ſcilicet a floribus: Quis enim Rex, vel Salomon ipſe glorioſiſſimus Princeps, ita exornatus, purpuram, gemmaſve ſi addas, proceſſit, vt Roſa, vt Lilium, alijque flores? Optimè addidit Dominus: *verſ. 28. Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt. Non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quod neque Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Et ſubdit Gloſſa ordin. *Quæ purpura Regum, quæ pictura Textricum poteſt floribus comparari? Ipſe color dicitur operimentum florum.* Ex his tandem concludit multò magis Deum hominibus prouidere, qui irrationabilia nutrit, ac veſtit; *Si enim fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei?* & Gloſſ. Interl. *Procurabit in neceſſarijs.* Ea propter nimiam carpit ſollicitudinem, ne qui Deum Patrem, ac Prouidentem habent in corporis neceſſitatibus procurandis laborent, nam ſcit optimus Dominus etiam non quærentibus, ſed in eum ſperantibus prouidere: *Quærite ergo primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Et Gloſſa ordin *Quia omnia ſunt filiorum; & ideo hæc omnia adiicientur etiam non quærentibus.*

2 Hæc eſt ergo prima Diuinæ Prouidentiæ operatio, dare cibum in tempore ſuo, aliaque, ad vitæ conſeruationem neceſſaria, ſperantibus in ſe. Id autem congruum eſſe ex dictis in ſuperiori §. innoteſcit. Omnis enim cauſa, (cognoſcitiua præſertim) ad ſui effectus conſeruationem laborat, vt vitam alimento nutriat, quam viſceribus procreauit: Arbor, enim vt fructus nutriat, ſi nimia eorum quantitate præmatur, ita ſubſtantiam ſuam eis tranſmittit, vt aliquando deficiat. Vidi ego Romæ In Conuentu S. Franciſci Tranſtiberim Anno 1635. Arborem Malorum medicorum fructibus ita repletam, vt pœnè, vbi alij naſcerentur, locus deeſſet, quæ, vt fructus ſeruaret, omnes frondes abiecit, ita vt nudi rami cum fructibus remanerent; cùm alioqui Arbor illa numquam abijciat frondes, nec in Hyeme. Inſuper Vinipara lacte, Ouipara eſca proprio ore, vel labore quæſita fœtus ſuos enutriunt. Idcirco Dominus Auium, liliorumque, nec non Parentum eſt vſus exemplo; ſi enim ipſe Conditor noſter eſt, ergo & nutriet; proprium eſt enim Parentum prolem paſcere: ita diſcurrit Nemeſius *l. c. lit. H. Quidquid .n genuit, cibum quoque fætus procurat. Quæ vero non prouident ob imbecillitatem non prouident. Quare oſtenſum eſt Deum eſſe, qui prouideat.* In Deo autem omnium rerum Parente videre eſt miram diſpoſitionem Prouidentiæ; nam omnibus creaturis æqualiter prouidet, ſed in ipſa æqualitate eſt diſcrimen, & in ipſo diſcrimine æqualitas: de eo enim Sapiens ait. *Sap. cap. 6. verſ. 8. Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* Quod intelligendum eſt hoc modo: ſcilicet Deum omnibus proſpicere æqualiter, quia omnibus ſuæ naturæ conuenientia æquali proſpicientia deputat; quia vero res quibus prouideri debet, ſunt aliæ alijs excellentiores, maius eſt, & excellentius quod præſtantioribus datur; ſed cura de illis æqualis eſt, & in Deo curante, & in creaturis recipientibus, quia totum ſibi debitum habent, res vero quæ dantur inæquales ſunt; nam vt ſupra vidimus, Iumentis præparauit fœnum, hominibus panem, & vinum; Auibus frumenta, & carnes, Animalibus prædas, Piſcibus marina cibaria &c. Ita ſentit mecum Lyranus. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualis eſt illi cura de omnibus: Iſta cura idem eſt, quòd eius Prouidentia. Si vero accipiatur actus diuinæ Prouidentiæ prout eſt in mente diuina, ſic non eſt ibi aliqua diſtinctio, nam vnico actu prouidet omnibus creaturis. Si autem accipiatur effectus exterior ſic eſt ibi diſtinctio, tamen eſt ibi æqualitas proportionis, nam vnicuique rei prouidet ſecundum conuenientiam ſuæ naturæ.* Sic igitur Diuina Prouidentia æqualiter; ſapienterq; prouidet.

3 Secunda huius Prouidentiæ operatio exercetur in Iuſtorum hominum defenſione, iniquorumque malitia detegenda, ac propulſanda. Hoc colligitur primò ex generali diluuio; etenim cùm Dominus per ferè bis mille annos ſcelera filiorum Hominis ſuſtinuiſſet, tandem, iuſtitia præualente, puniuit; eripuitque quos iuſtitiæ merito communi pœna non ſubiacebant; cum ſcriptum ſit: *Gen. cap. 6. verſ. 8. Noe vero inuenit gratiam coram Domino*: vtriuſque autem actus, ſiue Iuſtitiæ punientis malos, ſiue Pietatis ſaluantis Iuſtos, ad Prouidentiam pertinet, vti docet D. Gaudentius Brixienſis *pag. 818. lit. E. Ipſius enim*, inquit, *nutu omnium rerum natura curſum ſuum, vel iuſſa peragit, vel prohibita ſubtrahit. Nam in diebus ſancti Noe ipſius Prouidentia pollutum varijs iniquitatibus mundum, vel cataclyſmo deleuit, vel poſt diluuium reparauit.* Item Suſannã falsò adulterij accuſatam diuina Prouidentia, e ſupplicio, Danielis ſolertia, eripuit; e contra graſſatores Ibyci Poetæ, & ſi gentilis. qui eum ad ſpoliandũ ſecretò necauerant, mirabiliter indicauit; vtriuſque factum ſic recitat Nemeſius *loc. cit. cap. 62. pag. 622. lit. A. Quin etiam pœna, quæ peccata inſequitur, imo peccatorum ipſorum detectio, quando, vt nemo ſit qui ea poſſit coarguere, quibuſdam circumſtantijs proferuntur, eſſe Prouidentiam declarat. Plenæ ſunt huiuſmodi hiſtorijs, & Hebræorum ſcripturæ, & Græcorum literæ. Nam eiuſmodi Suſannæ caſus literis ſanctis mandatus eſt; & apud græcos Poetæ Ibyci. Hic enim cum a quibuſdam interficeretur, neque vllum vel adiutorem, vel teſtem haberet iniuriæ, conſpicatus grues: Vos, inquit mortem meam vindicate. Poſtea quærentibus ciuibus quis cædem feciſſet, nec deprehendentibus, accidit, vt cùm Theatrum celebraretur, & populus ſpectandi cauſa conſideret; grues præteruolarent: quas cum vidiſſent qui cædis erant authores, riſerunt, & ecce, inquiunt, Ibyci vindices. Quod cùm quidam, qui proximè aſſidebat audiſſet, detulit ad Magiſtratum, illique comprehenſi de cæde confeſſi ſunt.* His addere poſſumus Abſalonem, Amanum, Ioabum, Seianum, Cronuelum, Aluarum de Luna, Volſeium, & huiuſmodi Principis charitiſſimos, ac Regnorum Arbitros, qui malè partum dominium turpi ſupplicio cohoneſtarunt; ſufficiat de Ruffino enarrare Arca-

dij

dij tutore, Imperijque Gubernatore in Oriente; cuius peximam tyrannidem boni quique deteſtabantur; querebanturque Deum illam permittere, ſed tandem, ſupplicio merito pœnam luens, Dei Prouidentiam exaltauit; de quo ita cecinit Claudianus *lib. 1. in Ruffin.*

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Abſoluitque Deos: iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror; tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant &c.

Et tandem Addere ad Dei Prouidentiæ oſtenſionem poſſumus; Deum, vt nos in bono firmaret, amoueretque a malo, ſanctorum nobis exempla propoſuiſſe, vt eorũ remunerationẽ aſpicientes, eorũ patientiam, imitemur. Sic in Iob, in Moyſe, in Dauide &c. & de Tobia hæc habet D. Auguſtinus *qu. 119. ex vtroq; teſtam. to. 4. Tanta Prouidentia eſt Domini Dei circa nos, vt errare nos nolens, & leges, & exempla bonorum operum daret, quibus modeſta, ac tranquilla agi poſſit vita cum Dei timore. Qui enim Author vitæ eſt, non vult opus ſuum morti eſſe obnoxiũ &c. Dei ergo famulus ſanctus Tobias poſt legem exemplum nobis datus eſt; vt quæ legimus quomodo fiant ſciamus.* Ex his omnibus Diuinæ Prouidentiæ effectus demonſtrantur.

§. III.

Obiectiones contra Diuinam Prouidentiam ſoluuntur.

Diuinæ prouidentiæ exiſtentia, eſſentia, ac effectibus declaratis; remanet nunc, vt argumenta, quæ contra illam Inſipientes faciunt, diſſoluamus. Igitur.

Obijcies primò ſi datur Prouidentia, eaque omnia reguntur; cur videmus malos proſperari, & nihil triſtè eis accidere? quare Iob *cap. 21. verſ. 7.* queritur dicens. *Quare ergo impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitijs, ſemen eorum permanet coram eis &c.* Et Ieremias *cap. 12. verſ. 1. Iuſtus quidem tu es Domine ſi diſputem tecum; verumtamen iuſta loquar ad te; quare via impiorum proſperatur; bene eſt omnibus, qui præuaricãtur, & iniq; agũt?* Itẽ Dauid: *Pſ. 72. v. 2. Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Igitur nulla eſt Prouidentia, nam hæc iniuſtos non foueret, ſed perderet.

Reſpondetur Iniquorum proſperitatem Prouidentiæ opus eſſe, nam illi quantumlibet mali, aliquid boni operis habent, & quia in æternum ſupplicio deputantur in altera vita, proſperantur in iſta: Deinde vt plurimum falluntur homines in iudicio, nam ignoramus vtrum illi qui videntur iniqui, ita ſint mali, vt nunquam ad dominum reuertantur: deinde proſperitas iniquorum ad exercitium bonorum permittitur; niſi enim Nero, Decius, Aurelianus, Domitianus, Diocletianus, & huius farinæ Principes proſperati fuiſſent, tot martyres non haberet Eccleſia: has duas cauſas tangit D. Auguſtinus *in Pſal. 54. in verſ. 1. tomo 8. Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideò viuit, vt per illum bonus exerceatur.* Et paulo poſt. *Tamen quamdiu ita ſunt, vt exerceant, non eos oderimus: nam in eo quod malus eſt quis eorum, vtrum vſque in finem perſeueraturus ſit ignoramus.* Quin & ipſe Seneca *Libro De Prouid.* putauit hominem proſperatum, & cui nihil in hoc mundo accidit aduerſi infelicẽ futurũ in alia vita, Deoque infenſum, & odibilem eſſe. *Nihil infelicius eo, cui nihil accidit aduerſi, quia malè iudicauerunt Dij de ipſo.*

Obijcies 2. Cur Deus Catholicorum imperium deprimit, Infidelium, Hereticorum, Turcarum, Barbarorum dominia extollit, dilatat, tuetur? Romanorum imperium ſub gentilibus Principibus floruit, ſub Chriſtianis pænè interiit, & in dies decreſcit; igitur non eſt Prouidentia.

Reſpondetur eodem modo huic argumento, ac ſuperiori ſatisfactum eſt, Infidelibus nullum ſupereſſe præmium poſt mortem, & quia Prouidentia nullum bonum ſine ſuo præmio vult eſſe, remunerat in huius mundi felicitate, moralia opera bona Infidelium. De Romano autem Imperio ſpecialiter locutus D. Auguſtinus, ait. *lib 5. de ciu. Dei cap. 15. tom. 5. Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis in Ciuitate ſua cœleſti, ſi neque hanc eis terrenam excellentiſſimi Imperij gloriam concederet, non redderetur præmium bonis artibus eorum, id eſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur.*

Obijcies 3. Si Prouidentia eſt, & iuſtè prouidet, cur videmus vt plurimum bonos viros; virtute præditos, moribus integros, ſanctitate præclaros, continua aduerſitate premi, ab iniquis ſuppeditari, & opprimi: de quo queritur Propheta, dicens. *Habac. cap. 1. verſ. 3. Quare reſpicis contemptores, & taces, conculcante impio iuſtiorem ſe?* igitur non eſt Prouidentia.

Reſpondetur Bonos, ac perfectos viros idcirco in hac vita tribulari, vt eorum præmium duplicetur in Cœlis; Nam Rex eos, quos diligit belli periculis exponit, vt legitimè habeat vnde remuneret. Loquebatur ergo Propheta loco citato Ignorantis nomine, qui hanc maximam Dei Prouidentiam neſcit; vt ait D. Remigius *ap. Gloſſ. ord. in Habac. Hæc dicebat præ anguſtia mentis turbatus: velut ignorans Sanctos tribulationibus probari, & proficere, ſicut Aurum in igne proficit ad claritatem.* Et D. Auguſtinus expreſſius *qu. 119. ex vtroq. teſtam. tom. 4. Deus enim noſter, qui iuſtus eſt, & perſonarum acceptio non eſt apud ipſum, tentari nos permittit, quia nos diligit, vt poſt laborem poſſit nobis dare præmia ampliſſima:* Et hoc excepit Sanctus Doctor ex verbis Ioannis, ex Dei nomine dicentis: *Apocalip. cap. 3. verſ. 19. Quos amo arguo, & caſtigo.* Ergo Iuſtorum infelicitas, & tribulatio in vita temporali glorioſſimam felicitatem parat æternam.

Obijcies 4. Apoſtolus ad Corinthios ſcribens *1. Corint. cap. 9. verſ. 10. 11.* ait. *Scriptum eſt enim in lege Moyſi; ne claudas os Bouis triturantis: Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtique hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe qui arat, arare; & qui triturat in ſpe fructus percipiendi.* Ergo ſaltem de Animalibus, vt docet Apoſtolus non eſt Prouidentia.

Reſpondetur duplicem eſſe Prouidentiam, alteram commodis corporum proſpicientem, alteram vero Animarum inſtructioni intendentem: prima omnia reſpicit, ſecunda homines tantum; nam belluæ ſeruari quidem poſſunt, & paſci, ſed ſoli homines mores optimos rationibus, & experientiis doceri: ita reſpondet Eminentiſſimus Hugo *in 1 ad Corint. pag. 95. col. 1. literal. Eſt vna Prouidentia generalis omnium, ſpecialis hominum, ſpecialius Fidelium, ſpecialiſſimè Sanctorum. Et eſt vna Inſtructionis, hæc tantum hominum.*

Obijcies 5. ex D. Hieronymo dicente *in Habac. Proph. cap. 1 tom. 5 pag. 189. lit. F. Abſurdum eſt ad hoc Dei deducere Maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula quot naſcantur culices, quotve moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit multitudo, quot piſces in aqua natent &c. Ne ſimus tam fatui Dei adulatores, vt dũ Potentiã eius etiã ad ima detrahimus in nos ipſos iniurioſi ſimus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium Prouidentiam eſſe dicentes.* Igitur ſecundum ipſum nulla eſt irrationabilium Prouidentia; præſertim cum ibidem derideat ponentes Angelos ad Animalium conſeruationem deputatos.

Reſpondetur cum Hugone Cardinali *in cap. 12. Sapien. pag. 160. col. 3.* D. Hieronymum loqui de Prouidentia Inſtructionis, non conſeruationis; & gubernationis. Verum aliquod ſcrupulum mihi in mentem venit, illa verba D Hieronymi non eſſe, ſed ab aliquo amanuenſi Hæretico inſerta, vt quæ manicheiſmũ ſapiant: nam ſi Deus ignorat ortum, conſeruationem, & interitum pulicum, muſcarum, & piſcium, ergo non eſt eorum cauſa prima, ergo ad eorum productionem &c. non concurrit. Quòd ſenſiſſe ſanctiſſimum Doctorem nefas eſt credere. Et nota fraudulentiam, a culice incipit,

Digitized by Google

cipit, & deſinit in piſces, quorum maximos reperiri certum eſt. Mihi quidem totum illud commentarium ſenſatè ponderanti, videntur verba illa nec ad antecedentia, nec ad ſequentia verba connecti, quæ aliàs benè inter ſe continuari poſſent. Reſpondeo igitur Deum ad omnia, quantumcumque minima, producenda, deficiendaque concurrere, vt patet ex verſu 29. huius Pſalmi, & ex 30 vbi dicitur. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur: emittes ſpiritum tuum, & creabuntur &c.* Et ſi omnia creat, & deſtruit; ergo omnia in indiuiduo nouit; & ſi nouit gubernat; nam hic ſine exceptione dicitur: *Omnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore.* Authoritati verò relatæ (cuiuſcumque illa ſit) opponimus D. Auguſtinum docentem apertiſſimè oppoſitum; & præſertim dicentem de Deo *lib. 5. de ciu. Dei. cap. 11. to. 5. pag. 43. lit. E. A quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, a quo eſt menſura; numerus, pondus: a quo eſt quidquid naturaliter eſt, cuiuſcumque generis eſt, cuiuſcumque æſtimationis eſt &c. Qui non ſolum Cœlum, & Terram, nec ſolum Angelum, & Hominem, ſed nec exigui, & contemptibilis animantis viſcera, nec auis pennulam, nec herbæ floſculum ſine ſuarum partiũ conuenientia dereliquit.* Addo deinde Angelici Doctoris placitum, qui ait 1. *p. q* 103. *artic. 6. in Corp. Reſpondeo dicendum, quod in gubernatione duo ſunt conſideranda, ſcilicet ratio gubernationis, quæ eſt ipſa Prouidentia, & executio. Quantum igitur ad rationem gubernationis Deus immediatè omnia gubernat; quantum autem pertinet ad executionem gubernationis Deus gubernat quædam mediantibus alijs, &c. Vnde oportet dicere, quod Deus omnium etiam minimorum particularium rationem gubernationis habeat.* Cæterùm alibi concedit D. Thomas Deum ad Animalium conſeruationem cuicumque ſpeciei Cuſtodem Angelum deputaſſe.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

CVm ex iam dictis conſtat Diuinam Prouidentiam dari, gubernarique ab ea omnia; neceſſariò ſequitur ab ea nos expectare debere neceſſaria; non ita tamen, vt nihil operemur nos, ſed vt operantes in Dei gratia, & beneficio ſpem habeamus: nam & irrationabilia, quæ Deus paſcit; ſua naturali vtuntur ſolertia ad conſequendam eſcam: Quòd ſi illis prouidet Deus, magis nobis neceſſaria ſubminiſtrabit; oſtendendum eſt ergo quantum errent illi, qui omnem ſpem ſuam in hominibus ponunt.

SVMMARIVM.

1 *Errat qui ſperat ab hominibus, & non a Deo.*
2 *Peccator eſt Diaboli cibus.*

§. I.

Errat qui ſperat ab hominibus, & non a Deo.

1 O*Mnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore.* Tanta eſt circa homines Diuina Prouidentia; vt docuerit Sapiens *Eccl. cap. 2. verſ. 11. Reſpicite filii nationes hominum, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Errant igitur quicumque a mundo, & a mundanis aliquid ſperant, etenim ſi omnia ſperant à Deo, conſequens eſt, vt qui a Deo non ſperat nihil ſit; quid autem deterius alicui contingere poteſt, quam nihil eſſe? Quid inſuper emolumenti accidere poteſt ei, qui eſſe perdidit, quod habebat? Omnes ergo, qui ſapiunt, in Deo ſpem collocant, ab eoque bona ſua expectant; ne de illis verificetur quod ait Eminentiſſimus Hugo. *Si omnia expectant, ergo qui non expectat nihil eſt. Ergo qui a mundo; vel ab homine, nihil ſunt, & ſocii eius, qui non eſt.*

2 Adſolent Homines ita in diuinam peccare Prouidentiam, vt confidere niſi in hominibus neſciant, verum quantum decipiantur experientia quotidiana edocemur; nam & mundus fallit, Deus ditat. Examinemus duas ſcripturæ ſacræ hiſtorias, ad huius rei veritatem eliciendam. Fame Syriam opprimente, quædam vidua mulier, nuper defuncto viro cum liberis paruulis relicta egeſtate conſumebatur, quippe viro parum diligente in rebus acquirendis, debita ſoluenda reliquerat. Hæc mulier vt habetur 4. *Reg. cap. 4. verſ. 1. &c.* in nullo hominum auxilio ſperans, Eliſeum Prophetam adiit, cuius conſilio haud pauca vaſa vacua ex modico repleuit oleo, Domini Prouidentia ad ſerui Dei preces accurrente. E contra verò *Matth. c. 25. verſ. 8.* quædam Virgines, quas meritò fatuas vocat Ieſus, cum ſperarent a ſocijs ſibi oleum datum iri, cum lampadibus vacuis remanſerunt; nam petentibus: *Date nobis de oleo veſtro*, negauerunt ſociæ: *Nequaquam: ne forte non ſufficiat.* Mundani enim ſemper de Dei Prouidentia deſperantes, etiam rerum, quibus abundant, inopiam timent. Colligit ex his Hugo de S. Victore *lib. 1. miſcel. tit. 51. tom. 3 pag. 78. col. 1. lit C.* Sperantibus in Domino, etiam de parua re oriri diuitias, & abundantiam; ſperantibus autem in mundo ipſam copiam deficere. *Habet Oleum Deus, habet Oleum, & mundus. Ad oleũ Dei vaſa deficiunt: oleum mundi in vaſis deficit. Oleum Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præſens; illa ſufficit, illa deficit.* Ergo oleo mundi deficiente, & eum, qui ſperabat in eo, deficere neceſſe eſt.

3 Premebatur obſidione Aſſiriorum Ciuitas Hieroſolymitana; interq; varias calamitates, quas paſſi ſunt habitatores illius Vrbis, vnam deplorat Hieremias maximam, Prophetas ſcilicet eius non inueniſſe reſponſum a Domino, ita prædicante illo deditionem tamquã a Deo mandatam, contradicebant iſti: *Thren. cap. 2. ver. 9. Prophetæ eius non inuenerunt viſionem a Domino.* Et quare nõ inuenerunt? Quia ipſi non ſperabant a Domino auxilium, ſed ſperabant a propriis viribus, non cogitabant æterna, ſed terrena, non Domini voluntati auſcultabant, ſed ſuis cupiditatibus ſeruiebant; ideoque non inuenerunt viſionem, ideſt effectum diuinæ Prouidentiæ non ſunt aſſecuti; vt docet Eminentiſſimus Hugo *in Thren. pag. 295 col. 2. Hi Prophetæ ſunt Prouidentiæ internæ, & quando animus habet Prouidentiam nimiam de terrenis, tunc non habet viſionem a Domino: ſed quando ſunt de bonis æternis, tunc habent viſionem a Domino.* Prophetæ ergo qui Regi & Principibus adulantes, diuina non curabant mandata, a Deo nequaquam illuſtrabantur.

4 Quotidie experimur in Principum Aulis vanitatem ſpei in hominibus collocatæ. Habent Aſſeclæ, Familiares, clientes magnam a Principe aliquo expectationem

nem auxilij, aut gratiæ, aut beneficii; die;noctuque ad ei obediendum, eiq; placendũ deſudant, inſomnes agũtur noctes, laboribus deſudant dies, inter pericula, & obſequia tranſeunt Anni: cum ecce tibi; dum iam, iam ferè tenetur præmium, cum iam prope portum eſt nauis, improuiſa morte ſublato Principe, omnia euaneſcunt; & vento diſperſi labores pereunt. Id deplorabat Ieremias de Populo Iudæ, cuius Maiores ſpem totam in ægiptiorum Rege collocabant, ſed illo in bello capto, & perempto,etiam,ipſi deuicti,ac captiui facti ſunt; vnde prædicabat *Ierem cap.22 verſ.22. Omnes Paſtores tuos paſcet ventus*. Ideſt, Maiores tui Principes, Sacerdotes Seniores vento veſcuntur, dum ſpetant in auxilio Regis terreni, qui cum nihil certitudinis de ſua vita, vel victoria habeat,cur ſpem aliorum poterit fulcire? ita Lyranus. *Omnes Paſtores tuos paſcet ventus; ideſt Reges, & Sacerdotes paſcet ventus, ideſt inanis fiducia, quam habent de Ægiptys*. Errabant igitur in homine confidentes,qui ſperantes in Domino auxilium paratum habebant. Non ita alter eorum Monarca Sanctus fecerat, qui gloria, & triumphis onuſtus obijt, eo quod in Domino ſolo ſperaſſet, agnoſcens vtique humani auxilij vanitatem; ideoque canebat *Pſal 59.v.13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis*. Redditque rationem Caſſiodorus *in Pſal. 59. apud.Cat. Putei.pag.96.col.3 Salutem præſtare non poteſt indignus ſalut is: ideoque ſperare in hominem non debet, qui proprys viribus probatur eſſe infirmus*. Quod ſi Iudæi feciſſent,'ac ſolum a Domino auxilium expectaſſent, babilonicam deuitaſſent captiuitatem.

5 Addamus exemplo iſti antiquo,ex nouo teſtamento recentiorem experientiam, Nato Domino in Bethlehem Iudæ, Magi quidam de eius exortu a radiante ſydere edocti, ad ipſum adorandum propero itinere acceſſerunt;& ex vltimis Orientis partibus Deo duce magnum iter emenſi, iam prope Dominum reperiebantur; cum cæperunt ducatum ſtellæ contemnere,& maiorem notitiam de nato Rege ſe habituros ſperantes, Ciuitatem regiam ingreſſi eam turbatione replerunt, cœterum de Rege nato modicum, & confuſam quamdam notitiam acceperunt;ac in multis verſabantur anguſtiis, nam illicò ac Ciuitatem ingreſſi, in hominum auxilio ſperantes quærere cœperunt; *Matth.cap.2 verſ.2. Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum*: ducem ſtellam perdiderunt; & merito vt qui in hominum ſperabant auxilio diuinum amitterent; vt ait Ludulphus *da ſaxon. de Vit.Chriſ.p.1.cap.11. Cum Magi Hieruſalem ad quærendum de Puero ingreſſi fuiſſent, ſtellæ ducatum amiſerunt; quoniam auxilium humanum requirentes, perdere diuinum meruerunt*. Errant ergo, ac fatuos ſe oſtendunt quicumque a Deo paratum auxilium habent, ad vaniſſimam,ac incertiſſimam hominum potentiam ſpem dirigunt ſuæ ſalutis.

6 Hinc damnare poſſumus nimiam quorumdam Pauperum ſollicitudinem in rebus, ad corporis victum, ac veſtitum neceſſarijs, perquirendis. Hi Dei ſeruituti, cum voluntaria paupertate, dicati, ita tamen abundare neceſſarijs volunt, vt paupertatem, quam profitentur, in nudo nomine experiantur:ita enim per vicos,plateas oppidaque ad quærendum importunè diſcurrunt, vt vitam totam, quam in oratione, ac in Proximorum ſalute impendere deberent, in quæſtu abſumant: nihil omnino in Deo ſperantes, a quo ſancti viri etiam præter naturæ ordinem, Prouidentiam liberalem experti ſunt, (vt æquum erat) in eum ſperantes. Non damno tamen moderatam ſollicitudinem, ſed nimiam, importunamque: quam etiam carpit Propheta cum dicit: *Ierem.cap. 14.verſ.10. Dilexit mouere pedes ſuos, & non quieuit, & Domino non placuit*: & addit Vatablo *in ſcholiis in Ierem. Dilexerunt huc,illucque diſcurſare,petendæ opis humanæ cauſa, neque abſtinent, & Dominus non voluit eos*. Diſce Lector, ſperantibus in domino modicam diligentiam magnum parere emolumentum: *Iacta ergo cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet*.

Ian. de Mata.

§. II.

Peccator eſt Diaboli cibus.

1 OMnia a te expectant, &c. Vulgatus Interpres hunc Verſum coniungit cum præcedenti hoc modo: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei, omnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore*. Fortaſſis innuere volens, nullam creaturarum, nec ipſum Draconem, a diuina Prouidentia deſeri, quin de eſca ſibi conuenienti eam paſcat: Verùm cùm tropologicè Iſte Draco Diabolus intelligatur,quæri poteſt, vtrum & ipſi Diabolo eſcam Deus prouideat? Et reſpondendum affirmatiuè eſt; nam & illi dat eſcam, nimirum homines peccatores, & malos, Hi enim ſunt cibus gratiſſimus hoſti peruerſo, qui nil aliud eſurit quam noſtram perditionem; vt optimè notat, & docet Magnus Albertus, *in Pſal.103*. inquiens. *Omnia a te expectant vt des illis cibum. Ipſi etiam Draconi prouidet in cibo, qui (ſicut dicitur) dat eſcam omni carni: Draconi etiam ſpirituali dat eſcam ſcilicet Diabolo*. Quidnam autem cedat in eſcam eius, probat ex Propheta D. Auguſtinus *ap.B. Alb.loc.cit*. eſſe peccatorem;ait enim Ieremias ex peccatoris nomine: *Abſorbuit me quaſi Draco, impleuit ventrem ſuum teneritudine mea*. Vbi D. Auguſtinus *Si benè vixeris Chriſtum cibum habebis, ſi malè Draconi cibus eris*.

2 Draconem Beſtiarum repentium maximam, minora, & maiora deuorare animalia compertum eſt, nimirum oues, canes, Lupos, hominesque. In hoc autem Draco, vera figura Diaboli eſt,In quo & Lupos deuorat; vt ſcilicet intelligamus illos homines infernalis Draconis in cibum cedere, qui Lupi fiunt; Lupi autem ij vocandi ſunt, qui alienas opes rapiunt,pauperumque, ac miſerabilium deuorant ſubſtantiam; dum enim alios deuorant, & ipſi viciſſim eſca Dæmonis effecti, ab eo deuorantur. Cum attentè legerem Pſalmum 82. vbi quorumdam Regum ab Iſraele proſtratorum nomina recenſentur, dubitare cœpi quid per *Zeb*, & *Zebee* verſ.12. ſeu, vt eſt in hebræo, זאב & זבח *Zeeb*, & *Zebahh*: ſignificaretur; & reperi apud D. Petrum Damianum *lib.5.epiſ.13.tom 1.pag.225.lit.A*. Zeeb interpretari *Lupum*, & Zebahh *Victimam*; ſed quæ eſt iſta coniunctio Luporũ, & victimarũ? optima, inquit ille, nã per hos Principes, Dei populi hoſtes, peccatores potentes notãtur, qui eo ipſo, quo Lupi minores deuaſtãdo fiunt ipſi Diabolo victima, & cibus deſtinantur. *Zeb dicitur Lupus, & Zebee victima. Reprobi namque, qui ſunt rapaces in ſeculo, & Lupi ſunt, & ipſi ſunt victima; quia dum infirmiores quoſque deuorare contendunt, & ipſi ſpiritualis Lupi, ideſt Diaboli dentibus exponuntur*. Huc fortaſſis referre poſſemus alterius Prophetæ verba *Iſai cap.33.verſ.1. Veh qui prædaris nonne, & ipſe prædaberis*? præda enim, & cibus Diaboli ſunt peccatores.

3 Licet porrò omnis peccator cibum, & eſcam præbeat Dæmoni, nihilominus tunc ſibi iucundiſſimũ epulum, & lautum paratur Conuiuium, cum Sanctorum virorum, & Deo charorum aliquis in turpem labitur culpam. Peccauerat Iſraelis Princeps Dauid Deo chariſſimus, & peccauerat grauiſſimo crimine, vt qui adulterio homicidiũ iunxerat: ad eum reprehendendũ Dei iuſſu Nathan Propheta accedens, exemplum cuiuſdam Diuitis propoſuit, qui vt opiparè paſceret peregrinum ad ſe venientem, pauperis viri ouem rapuit, ac in cibum dedit illi. *2 Reg.cap. 12. verſ.4. Cum autem Peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad ſe*. Sed quorſum hoc exemplum ad Dauidem? Quod ille rapuiſſet ouem, & quòd mactaſſet, cõueniunt hæc;nam rapuit vxorẽ Vriæ,eãq;peccato mactauit,eiuſq; virũ ferro, ſed cui peregrino ad ſe venienti conuiuium parauit? ego ſanè non inuenio. Sed inuenit Conuiuium iſtum ingenioſus Ru-

pertus Abb. Tuitien. *lib.2. in Leu.cap.44. to.1 pag.325. col.1.* nam Diabolus iurè dicitur Peregrinus, qui a cæleſti ſua patria exulat perpetuò, & huic peregrino conuiuium parauit Dauid per furtum vxoris Vriæ; *Peregrinus ergo, & ab omni ciuitate Dei profugus, imo & refuga Diabolus eſt, quem ſuperuenientem Dauid eo tempore excepit, & quaſi grandi conuiuio Nebulonem pauit, quando vxorem Vriæ adulterauit, ipſumque occidit gladio filiorum Ammon.*

4 Confirmari hoc itidem poteſt ex alia ſcriptura apud Iob; ibi dum ſub nomine Behemoth Diabolus deſcribitur, inter alia dicitur de eo: *cap.40.verſ.15. Huic montes herbam ferunt.* Sed cur de montibus tantum dixit, nonne, & prata,& colles herbas nutriunt? maximè, imò præſtantiorem: cur ſolos igitur montes herbam Draconi, Behemoth ferentes induxit? Quia videlicet, vt D. Bruno obſeruat, licet omnes peccatores Diaboli ſint eſca, illi tamen maxima conuiuia parant, qui montes ſunt, ideſt, vel magni virtute, vel peccatores maximi. ita ille *de nou. mund.cap.8. pag.191. col.2. tom. 2. Cibus Diaboli,& refectio eius peccatum eſt; qui plus peccat maxima ei cõuiuia parat.* Hoc fecit Dauid, tũ quia è magna cecidit ſanctitate, tum etiam, quia peccata patrauit maxima, quem cum in pœnitentia pauci ſequantur, in malo multi imitantur.

5 Cum in mundi exordio ſub Draconis ſpecie Diabolus humanum genus deieciſſet, ne tanti ſceleris impunitus abiret, vltra inimicitiam mulieris, etiam ad terram comedendam damnatus eſt: *Gen. cap. 3. verſ. 14. Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Sed ſi terræ comeſtio Draconis ſit naturæ conueniens, quomodo Diabolo aptatur? Et ipſi etiam terra in eſcam datur: quid enim terræ nomine, niſi peccator deſignatur? Terra peccator eſt, quia in ſolis terrenis rebus, & cupiditatibus verſatur, de ſolis terræ delicijs delectatur; & ideo terram Draco comedit, cum Diabolus peccatores deuorans ad infernum ducit. Quæ ſententia eſt Eminentiſſimi Hugonis *in Pſal 103. Cibus Draconis (cui dictum eſt Geneſis 3. Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ) eſt terra, ideſt terrena amantes, quia tales incorporat ſibi Diabolus.* Heu mortales miſeriam veſtram plorate, abhorrete a peccatis ne ſitis cibus Draconis, qui ſemper noſtram eſurit perditionem.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B.MARIA.

Verſus Vigeſimus ſeptimus.

Omnes expetunt ab ea, vt Mediatrix eorum ſit apud Deum.

EXpectant omnia a Domino ſalutem, a diuina Prouidentia cibum: enim verò cum moltoties in tantũ creſcant Hominũ culpæ, vt diuinã prouocent iram, loco Prouidentiæ, correſpondet Iuſtitia, loco cibi fames, loco auxilij pœna, & vitam comitatur interitus; Hinc eſt quòd mortales, vt expectent certius a Deo gratiam, expetunt a Domino auxilium, a Maria auuocationem, vt ea patrocinante, ac mediatrice gratias a Domino ſecurius expectemus; idcirco fatetur D. Anſelmus *de excell. Virg. cap. 6. tom. 3. pag. 245. col. 1. lit. B. Dum Chriſtus a quouis ſuo nomine inuocatus, non ſtatim exaudit, etſi profecto id iuſtè facit. Inuocatus autem nomine Matris, merita Inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, vt audiatur.* Eſt ipſe Aduocatus noſter, & mediator noſter; *Mediator Dei, & hominis homo Chriſtus Ieſus*: frequentior tamen Mariæ mediatio eſt: vnde iure merito expectent ab ea mortales, vt pro ipſis ad Dominum intercedat.

Maria Virgo inter Deum, & Homines Mediatrix eſt.

1 OMnes expetunt ab ea &c. In ſacris literis dĩ Virginis excellentiſſimę decantantur Encomia, Auroræ nomine decoratur, tum alijs in locis, tum præcipuè in Pſalmis, nam de ea ſereniſſimus eius Atauus canebat Deo: *Pſal.73. verſ.16. Tu fabricatus es Auroram, & Solem*; ſcilicet Auroram Mariam, Solem Ieſum. Cur autem Auroræ ſimilis Maria dicitur? Sed accipe. Auroræ munus, ipſa inter Diem, & noctem eſt media, mundum rore fæcundat, Auium ora ad cantum ſoluit, nocturnas amouet Laruas, Solem lumine indicat, lætificat Vniuerſum. Certè nox ſunt peccatores luce diuinæ gratiæ carentes, Maria ergo cum ſit Aurora, peccatum tollit, medians ſua interceſſione inter noctem peccatoris, & Diem gratiæ, inter hominem, & Deum; laruas Dæmonum fugat, rorem ſpargit gratiarum. lætificat Eccleſiam. Vide ergo quam rectè mediatricem noſtram, Auroræ mediatrici ſimilẽ prædicemus; vt docet Seraphicus Doctor *in ſpec. Virg. lec. 11. tom. 6. pag. 469. col. 2. lit. D. Tu fabricatus es Auroram, & Solem: Ideo benè Pſalmiſta in iſto verſu Auroram inter noctem, & Solem mediam ponit, quæ certè etiam ordine naturali media eſt. Aurora itaque eſt Beata Virgo Maria, quæ inter noctem, & Solem, inter hominem, & Deum, inter hominem iniuſtum, & Deum iuſtum eſt optima mediatrix.* Cum igitur mediatrix ſit, ſpem noſtræ ſubleuat mortalitatis.

2 Eadem de cauſa Lunæ comparata eſt Virgo Deipara. Nemo eſt qui neſciat Lunam mediatricem eſſe inter cæleſtia, & terrena; nam putabant Philoſophi veteres totũ, quod ſupra Lunam eſt, eſſe cæleſte, perpetuum incorruptibile; infra verò Lunam corruptibilia; & terrena omnia; vnde idem eſt apud illos dicere terrenũ, corruptibile, ac ſublunare. Luna ergo cũ ſit media inter ſydera, & terrã vtraq; cõnectit, ſic illa ſupralunaris Regio, hæc ſublunaris dicitur. Idem in Beatiſſima Virgine verificatur, nam de ea intelligi poteſt, quod ait Pſaltes in hoc Pſalmo: *verſ.20. Fecit Lunam in tempore:* nam ipſa in ſuo vtero, ſicut Luna in ſuo Cœlo, coniunxit Diuina, & humana; & inſuper ſicut per Lunæ orbem cæleſtes influentiæ ad terram tranſeunt, ſic per mediatricem

tricem

Digitized by Google

tricem Mariam diuinæ gratiæ ad nos perueniunt; Idcirco in tempore facta dicitur, vt ſcilicet in temporali hac vita data eſt Eccleſiæ in Protectricem: audiamus Incognitum *in Pſal.* 103 *Secundum Hipocratem Luna eſt coniungens cæleſtia cum terreſtribus: ſic & Beata Maria eſt aliud medium coniungens cæleſtia cum terreſtribus, ex quibus merito ipſa per Lunam ſignificatur: quam nobis Deus hic temporaliter viuentibus dedit Protectricem, quia fecit Lunam in tempore.* Non poteſt Luna nõ coniungere cæleſtia cum terrenis, quia in medio collocatur, ſic Maria nunquam pro nobis intercedere ceſſabit, quãdoquidem eam nobis Deus dederit Protectricem.

3 Quòd ſi Luna Maria eſt, pulchrè eam adumbratam in Apocalipſi legimus, vt ſe noſtram mediatricem oſtenderet. Vidit namq; Ioannes huiuſmodi viſionem. *Apocalip. cap. 12. verſ. 1. Signum magnum apparuit in Cęlo; Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius; & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Varias expoſitiones dant Doctores huic mulieri, vel ipſam Eccleſiam, vel B. Virginem, vel Animam credentes; licet omnes hæc expoſitiones optimę ſint; Dicamus nihilominus nos hãc mulierẽ Diuinitatẽ eſſe, quę Sole maieſtatis amicta, longè, latèq; rutilat Seraphicis coronata ſyderibus; Lunã autem Diuinitati proximã Mariam Deiparam eſſe, quæ omnes Sanctos, Angeloſque traſcẽdẽs Deo propinquiſſima ſedet. Sed cur ad pedes Diuinitatis conſiſtit? vt ſuum expleat officium inter Deum & hominem poſita; nonne cum aliquid Principem rogare volumus ad eius pedes prouoluimur oraturi? Sic & clemẽtiſſima Virgo ad pedes Diuinitatis adoratura videtur, vt pro nobis gratias facilius impetre. Egregiè id proſequitur D. Bernardus Abb. Clareu. *De B. Virg. ſup. ſign. mag. pag. 268. lit. G. Iam te Mater miſericordiæ per ipſum ſinceriſſimum tuæ mentis affectum, tuis iacens prouoluta pedibus Luna, mediatricem ſibi apud Solem iuſtitiæ conſtitutam deuotis ſupplicationibus interpellat, vt in lumine tuo videat lumen, & ſolis gratiam tuo mereatur obtentu.* Vel ſi mauis Mariam Mulierem, Solem Diuinitatem, Lunã Eccleſiã intelligere, etiam mediatricis cognoſces auxilium, quæ illius Solis, quo amicitur, lumen Lunæ ad pedes iacenti impartitur.

4 Sed ne tam cito Lunam de ſeruiſſe videamur, aliam eius dignitatem declaremus. Hoc haber Luna priuilegij, vt maxima Chriſtianorum ſolemnitas, Paſcha ſcilicet, ab eius motu dependeat; neq; enim celebratur niſi poſt diem quartamdecimam Lunam. Certum eſt autem tunc Lunam ſplendoribus pleniſſimam eſſe: porrò celebratur iſta ſolemnitas in memoriã Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu. Quòd ſi Lunam Mariam dicimus ipſa quoque maximæ feſtiuitatis noſtre Signum erit: hoc eſt noſtræ reſurrectionis de morte culpæ, ad vitam gratiæ, nam noſtra facilis ſurrectio, Diuinæque gratiæ liberalis largitio Lunam ſupponit quartamdecimam, hoc eſt Mariam Dei Verbo, ac diuina gratia vndequaque repletam: quare de ipſa intelligi poteſt, quod de Luna ſcriptum eſt: *Eccl. cap. 43. verſ. 7. A Luna Signum Diei feſti*: Vt optimè oſtendit Doctiſſimus Incognitus *in Pſalt. in Veſp. 1781. lit. B. Habet Luna hanc dignitatem, vt Feſtum Reſurrectionis ſecundũ ſuum curſum tardius, aut citius celebretur. Sic & reſurrectio ſpiritualis a morte culpæ ad vitã conſequitur motum voluntatis Mariæ. Quamuis enim Reſurrectio Dominica celebretur, & noſtra reſurrectio ſpiritualis ſit principaliter ex diuina gratia, tamen præſupponit diem quartamdecimam plenam, ideſt Mariam, tam lumine gratiæ, quam Dei Verbo repletam: vt merito, ſi reſurrectionem ſpiritualem celebrare volumus, ad ipſius gratiæ, plenitudinem recurramus.* Neque enim ſine tanta mediatrice hæc noſtra ſolemnitas celebraretur.

5 Cum è ſublimibus locis ad ima deſcendere, vel e contra ex infimis ad ſuperiora cõſcendere deſideramus, ſi loci altitudo obſiſtat, neq; per abrupta iter haberi poſſit ſcala aliqua opus eſt, per quam, qui cupiunt, vel deſcendant, vel aſcendant. Omnipotens rerum Conditor, ex excelſiſſima ſua gloria ad noſtram infirmitatem deſcendere quærebat, ſed ad hoc ſcala requirebatur; Maria ergo ſcala fuit, per quam Deus ad nos de Cœlo deſcendit, necnon & Angeli ad noſtrum veniunt auxilium; e conuerſo verò homines per hanc ſcalam ad cæleſtia aſcendunt participes Diuinitatis affecti: Cum enim ſcala Superioris, & inferioris loci coniungat extrema, mediatrix aſcenſionis, & deſcenſionis dici poteſt: ſic Beatiſſima Virgo mediatrix noſtra cœleſtibus terrena, coniungit. Huius myſterium in Geneſi legimus inuiſione Iſraelis Patriarchæ; *cap. 28. verſ. 12. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Quod autem hæc ſcala vmbra B. Mariæ fuerit fusè explicat Damaſcenus *orat. 1. de Dormit. Deip. pag. 350. col. 2 lit. C.* his verbis. *Parum affuit quin me Iacobi ſcala præteriret: Quid enim? An non cuiquam perſpicuum eſt te præſignaſſe, ac figuraſſe? Vt enim ille per extremas ſcalæ partes Cœlum cum terra copulatum, & Angelos per eam deſcendentes, eumque, qui verè fortis, & inſuperabilis robore præditus eſt typicè ſecum decertantem vidit: eodem modo tu quoque Mediatricis munere perfuncta, deſcenſuſq; Dei ſcala effecta (per quam ipſe infirmam noſtram maſſam aſſumpſit, ſibique ipſi coniunxit, ac copulauit) ea, quæ inter ſe dirempta erant, in vnum coegiſti. Hinc Angeli quidem ad eam deſcenderunt, vt videlicet Domino Deo inſeruirent Homines autem angelicæ vitæ ratione vſi in cœlum ſublimes rapiuntur.* Vide ſanctiſſimæ ſcalæ mediationem perfectam; fruſtra in Cęlum ſcandere nititur, qui per iſtam ſcalam non pergit.

6 Neque poterit, qui compos eſt mentis; tantam mediatricem non venerari. Quomodo enim nos Domini Dei, qui conſumens eſt Ignis præſentiam, ſine tanta Mediatrice ferre poſſemus? Et tamen, non ſolum Deum nobiſcum habemus, ſed in Venerabili Sacramento eo paſcimur, ac nutrimur. Quidni ergo forcipem appellemus Mariam, qua mediante Diuinum ignem accipimus? Cum Faber, vel quilibet alius candentes, ignitaſq; prunas accipere vult ferrea vtitur forcipe, quo inſtrumento ſine læſione ignem capit. Nos etiam vt Deum ignem immenſum caperemus forcipe Mariæ vſi ſumus, hæc Deum humanauit, ac nobis proportionatum reddidit. De ea enim vaticinans Propheta dixit. *Iſai cap. 6. verſ. 6. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de Altari.* Seraph propter amoris ſimilitudinem Spiritum denotat ſanctũ, calculus ignitus eſt Verbũ Dei; hunc ergo calculum Diuinitatis forcipe Mariæ Spiritus ſanctus accipiens ad nos purificandos detulit: Id teſtatur Leo Auguſt. *orat. 5. pag. 86. Enim vero propheticis olim oculis per ſymbola præmonſtrata ſunt, quæ fiunt, & in forcipe, & pruna erat ænigma; continente illo, hoc Prophetæ labia tangente, & propheticam inflammante mentem. Itaque quæ nunc ſunt res, ænigmata tunc erant: lacte nutriens, & Virgo manens, inacceſſibilis, & portatu: Puella tanquã forceps prunam Diuinitatis tenens, quam etiam manus Sacerdotis tangentes ſanctificantur, & os vaticinio Spiritus impletur.* O nos felices tanta forcipe gaudentes, qua ad nos Diuini amori ignem trahamus.

7 Cum Terra aliqua aquæ penuria laborat, ne ob eius defectum arida, & inculta remaneat, diligens eius Dominus ex alio loco, vbi aquarum eſt copia, per Aquæductum aquam in illam ducit, vt ſic Aquæductus beneficio Terræ ſuæ ſterilitati ſubueniat. Ante Dominicum Aduentum arebat terra, nam diuinarum gratiarum penuria laborantes Animæ, pauciſſimæ reperiebantur, quæ ad culmen pertingerent perfectionis: ſterile illud ſæculum magnos tulit ſanctos, ſed paucos; nec ita facilis erat diuinæ gratiæ deſcenſus. Vt autem hanc terram fæcundaret Dominus Aquæductum nobilem extruxit, per quam diuinæ gratiæ ad terram noſtram irrigandam accederent; Mariam ſcilicet; quæ in vtero ſuo ipſum fontem Diuinitatis con-

Ian. de Mata.

le certè officium eſt Stella noſtra Maria, quæ nauigantes per Mare mundi in Naui Innocentiæ, vel Pœnitentiæ, dirigit ad littus Patriæ Cœleſtis. Nec metuamus Naufragium, aut errorem ſub tanto Sydere nauigantes.

Maria virgo Maris eſt Stella ſaluans, & regens in mundanis fluctibus.

1 ANtequam cognati ſyderis ad magnetem propenſio cognoſceretur, nauigabant vtique homines, & per varia mundi littora docebant, ſed vaſti Oceani immenſurabiles ſinus, nullus, qui euaderet, tentauit: & ſi quis tempeſtate iactatus, coactus in altum ſoluere, reuerſus fuit, is magis fortuiti caſus, quam artis beneficio ſeruatus eſt. Poſtquam autem nautica pyxis ſyderis beneficium demonſtrauit, non vltro imperuium Oceanum fuit, nec generoſorum audaciam Herculeæ columnæ fregerunt, ſed, Columbo præeunte, Hiſpanis Regibus *plus vltra* excurrendi facultas facta, Columnarum Alcidis mutandi titulum gloriam præparauit. Fugiebant Ægyptum Iſraelitæ, & rubrum mare, niſi miraculo non tranſiſſent, & vt terram promiſſam tenerent, vagi, ac profugi, inuenire non poterant viam, tunc licet inimicus vero tamen ſpiritu afflatus, eos ſolatus eſt Balaam, prophetans, Num. c. 24. v. 17. *Orietur Stella ex Iacob*: ac ſi diceret: O vos omnes, qui in hoc vaſto mundi pelago nauigatis, & iter ad Cœlum inuenire non poteſtis, ſuſtinete pauliſper, orietur polare ſydus, inuenietur acus nautica, hoc per eam vos reget, & ad Paradiſum vſque perducet. Hæc enim Stella Maria eſt; acus nautica eius deuotio, ipſa deuotorum ſuorum nauigia cœleſti in littore ſiſtit. Benè nouit hoc deuotus eius D. Bernardus, dum ſcripſit, *ſerm. 2. ſuper miſſus eſt, pag. 25. lit. C. Ipſa inquam eſt præclara, & eximia Stella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſario ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exēplis. O quiſquis te intelligis in huius ſæculi profluuio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quā per terram ambulare: ne auertas oculos à fulgore huius Syderis, ſi non vis obrui.* Neque enim ſine acu agnoſcitur iter, nec ſine ducatu Mariæ in Cœlum peruenitur.

2 Huius veritatis teſtes ſapientiſſimos, atque Sanctiſſimos Mathematicos aduoco; hi è remotis Orientis regionibus progreſſi, atque difficile, item que longum iter emenſi, in Iudæam peruenerunt, cumque de nouo Monarca iam exorto inquirerent, nihil certi, vbi conſiſteret ſcire poterant; nec mirum ſi in incertum velitabant, cum à polari Stella pyxidem auerterant, ſed ſtatim ac extra regiam Vrbem fuerunt, Matth. c. 2. v. 9 *Ecce Stella, quā viderant in Oriente antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer.* Auerſi à Stella iter ignorabāt, exorta ea ad portum peruenerunt, nobis vtique demonſtrando, quòd Stella duce ad Deum perueniatur, Maria dirigit humanas naues ad Beatitudinis portum. Id probat ſupra relata D. Bernardi ſententia euidenter; ſed ei adiungamus Euſebium Emiſſen. *ſer. 4. Dom. 4. Aduen. to. 5. par. 2 Biblioth. P P. pag. 611. lit. C.* dicentem. *Dicitur. n. Maria Stella Maris, huius vtique Maris, de quo ſcriptum eſt: Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic Reptilia, quorum non eſt numerus: Plures Stellas habet Cœlum, Mare vnam, quæ pro illis omnibus clarior, & melior eſt.* Ergo Maris potentiſſima Stella Maria eſt ad Chriſtum deducens.

3 Nonnulla Sydera reperiuntur, quæ ſuo exortu magnam tempeſtatem in mari cauſant, vt Pleiades, Syrius, Hyades, Delphin, &c. imò putant mendaces Genethliaci, quòd quicumque hæc ſydera, in Orientis, vel Occidētis cardine, vel cum luminaribus, Luna præſertim habuerit in ſuo ortu, tempeſtatibus, ac naufragijs expoſitus erit. E contra verò reperiuntur ſtellæ, quæ ſerenitatem adducunt, vt Regulus, & Acarnar exorientes cum Ioue. Mare eſt præſens ſæculum, Stellæ in eo tempeſtatem adducentes, ſunt illæ, quæ à Draconis cauda ad Tartara tractæ ſunt. Stella autem, quæ ſuo exortu ſerenitatem cauſat, Maria eſt, quæ ſua protectione mundanarum rerum tumultus compeſcit. Canebat de Deo Pſalm 92. v. 1. *Dominus regnauit decorem indutus eſt*: Et quid ex hac decoris induitione ſequutum ſit, attexuit, dicens. *ver. 6. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*: Quaſi diceret: mare mundi mirabiliter in tempeſtates exurgit, ſed Domini potentia ad illud compeſcendū mirabilior eſt. Quæ omnia ad Stellam noſtram Mariā ſemper Virginem aptari poſſunt, quę maximo decore, ac mirabili induta fortitudine, ita ſe præcinxit ad tempeſtates mundi ſedandas, vt vel ſolo nutu, mare illud, tam mirabiliter elatum, ſerenet: & nauigantes fideles ad Paradiſi littus perducat; quod teſtatur D. Amedeus Lauſanenſis, *Hom. 8. de Laud. Mariæ. pag. 820. columm. 2. Maria, ideſt Maris Stella, prouido Dei conſilio vocata eſt, vt nomine declararet, quod re ipſa clarius manifeſtat. Nam ex quo Cœlum cum Filio ſuo regnatura conſcendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit ſe, mirabiles elationes maris ſolo nutu compeſcitura. Mare quippe præſentis ſæculi nauigantes, ſeque plena fide inuocantes, ab impetu procellæ, & ventorum rabie eruit, eoſque ſecum ouantes ad littus feliciſſimæ Patriæ perducit.* Proſpera ergo Deuotorum Virginis nauigatio erit, nam ſtella ducuntur, quæ adfert ſerenitatem.

4 Inter omnia Cęli ſydera, Luna Maris aquarumque omnium dominatum habet; & ex eius cum alijs ſtellis congreſſu, vel aſpectu, Aeris, Mariſque Facies, quā maximè mutatur. Obſeruant autem Aſtronomi rem nauticam moderantes Lunam Ioui copulatam ſerenitatem, & placiditatem magnam in vtroque elemento cauſare, pro ventis dat Zephiros, pro tempeſtatibus placidas pluuias. Stella eſt Maria, & Luna pleno ore ab Eccleſia prædicatur: nunc ergo cum ad Cęlos euecta, vero Ioui, ideſt Deo iuncta eſt, quid credimus in mari noſtro cauſaturā, niſi ſerenitatem tribulationum; Zephiros bonarum inſpirationum, dulces gratiarū pluuias? Idcirco illi adaptari poteſt Sereniſſimi Aui eius cantus, Pſalm. 88. *ver. 10. Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Nam & ei applicat Doctiſſimus Incognitus aſſerens, *in Pſ. 103. v. 20. Maria, quæ Stella maris dicitur, ſupra mare, ideſt amaritudinem vitæ præſentis dominatur: iuxta illud Pſalmi: Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Sequamur ergo omnes fulgentiſſimum iſtud Sydus, vt à ſæculi tēpeſtatibus liberi Cęleſte Portum teneamus; vbi ouantes, ſemper regnaturi, exultemus.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

ILlic Naues pertranſibunt: Draco iſte, &c. Nauium & vtilitate, & inuentione aliquantiſper declarata, nec non Draconis natura patefacta, reſtat vt

ſtat vt harum vocum ſimilitudines,ſeu allegorias exponamus: neque enim aliæ quam hæ duæ allegoricè tractandæ nobis occurrunt.

SVMMARIVM.

1 *De Nauium allegorijs.*
2 *Quid Draco allegoricè ſignet.*
3 *Illudere,ſeu deridere quid ſit allegoricè.*

§. I.

De Nauium Allegorijs.

1 *ILlic Naues*. Nauis eſt ligneum vehiculum ad ambulandum per aquas inuentum. Allegoricè autem primò ſignificat Crucem Domini; vnde Nauis via in medio mari, quam difficilem reputabat Salomon, Prouerb.*c.*30 *v.*19. *Viam Nauis in medio mari*, eſt Chriſti paſſio: ita Eminentiſſimus Hugo, *in Pſ.66.pag.164.col.3. Via nauis in medio maris eſt Chriſti paſſio. Crux enim fuit illi Nauis ad tranſeundum mare mundi.*

2 Mare eſt pœnitentia, Nauis verò, quæ hoc mare pertranſit eſt Religio, vnde dicitur de Pœnitentibus. Pſ. 106.*v.*23 *Qui deſcendunt mare in Nauibus*, vbi citatus Hugo, *in Pſal.106.pag.282.col.1. Mare eſt Pœnitentia: Nauis Religio, quam intrant multi, vt per mare penitentiæ tranſportent eos ad portum ſalutis; vnde poſtea concludit, dicens: Deduxit eos in portum voluntatis eorum.*

2 Nauis eſt Sacra Scriptura, de qua dicitur, Prouerb. *c.*31. *v.*14. *Facta eſt quaſi Nauis Inſtitoris de longe portans panem ſuum*, & Lyranus. *Sicut enim in Naui inſtitoris portantur diuerſa vitæ humanæ neceſſaria, ſic in Scriptura continentur omnia neceſſaria ad ſalutem:*

4 Nauis, de qua eiectus eſt Ionas, ſignificat Synagogam, de qua expulſus eſt Chriſtus, & morti traditus, ideo aliud ſignum dare, præter illud Ionæ renuit, Matth. *c.16.v.4. Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ*, vbi D. Hilarius, *in Matth.can.16.col.543.lit F. Namque Ionas ventis deſeuientibus è mari eiectus eſt, &c. Hoc ergo poteſtatis ſuæ ſignum conſtitutum eſſe demonſtrat; ipſe remiſſionem peccatorum prædicans per pœnitentiam, de Hieruſalem, vel Synagoga, immundorum ſpirituum dominante flatu eijciendus.*

5 Nauis eſt myſterium Crucis, per quod homines vitæ reſtituuntur æternæ: vt dicitur apud Iob, *c.9.verſ.26. Pertranſierunt quaſi Naues poma portantes*, & D. Gregorius Magnus, *lib.9.c.16 mor.pag.524. lit.D. Sed quia per Crucis myſterium ad ingenita naturæ bona reſtituimur, quaſi per lignum poma portamus.*

6 Nauis eſt humanum Genus, vt ex eodem verſu Iob deducit Idem Gregor. *loc cit. Naues etenim cum poma portant ſuauitatem odoris habent, ſed grauitatem ponderis non habent: & humanum Genus à Paradiſi gaudijs expulſum vim contemplationis perdidit, robur conditæ fortitudinis amiſit: cumque ad ſuperna repetenda ſe erigit, fragrat quidem odore memoriæ, ſed dignè non excutit pondus vitæ.*

7 Nauis Tharſis ſuperbiam gentium ſignat, vnde dicitur Pſalm.47.*v.*5. *In ſpiritu vehementi conteres Naues Tharſis*, & Cardinalis Hugo, *in Pſ.47 pag.124. colum.1. Conteres Naues Tharſis, ideſt ſuperbiam gentium euertes, quæ gentes diſcurrunt explorantes gaudia mundi, & diuitias quærentes; ſicut Naues Tharſis.*

Tandem Nauis dicitur Eccleſia, Charitas, Anima Iuſti; vt patet ex Expoſitione Morali.

§. II.

Quid Draco allegoricè ſignet.

1 DRaco iſte: Draco maximum eſt Animal, quod in mari viuit: & primo ſignificat aliquem Diuitem potentem; cui poteſt aptari, quod dicitur Pharaoni ab Ezechiele, *c.29.v 3. Pharao Rex Ægypti, Draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum*, vbi Cardinalis Hugo, *in Ezech.pag.100.col.2. Draco magnus poteſt dici aliquis potens diues, qui cubat in fluminibus Aegypti, ideſt in delectabilibus huius mundi, & in ipſis ſubmergitur.*

2 Draco dicitur Diabolus, vt ex eodem Ezechielis verſu colligit D. Hieronymus, *lib.9. in Ezech. pag.421.lit. H. Draconem autem iuxta anagogen cōtrariam poteſtatem ſæpè legimus. Iſte Draco eſt Præuaricator, de quo pleniſſimè Iob, &c. Draco magnus ad differentiam minorum Draconum dicitur.*

3 Cum Draco Diabolus ſit ſeptem capita huius Draconis sũt ſeptẽ vitia capitalia, de quib. Deo dicitur, Pſ.73. *v.*12 *Cōtribulaſti capita Draconis in aquis*, vbi Eminẽtiſſimus Hugo, *in Pſ.73.pag.189.col.3. Contribulaſti capita Draconis in aquis: capita Draconis ſunt vitia capitalia. Apocalip.13. Vidi de mari aſcendentem beſtiã habentem capita ſeptem; ideſt Diabolum habentem ſecũ ſeptem vitia capitalia, quæ hominibus offert, & ſuggerit; ſed Dominus ſua capita confregit.*

4 Draco, de cuius ore exeunt ſpiritus immundi, eſt Auaritia, de qua dicitur Apocalipſ. *c.16.v.13. Et vidi de ore Draconis, & de ore Pſeudo Prophetæ exire ſpiritus tres immundos*, & idem Hugo, *in c.16. Apoc.pag.411.col. 4 Per Draconem ſignatur Auaritia.*

5 Draco ibidem relatus eſt Antichriſtus, os eius doctrina, ſpiritus immundi ex eius ore exeuntes, diſcipuli eius. Ita Gloſſ.ord *Tres ſpiritus immundi deſignant diſcipulos Antichriſti. Qui de ore Antichriſti, & de ore pſeudo Prophetarum exiſſe viſi ſunt, quia per eorum doctrinam filij Diaboli efficientur.*

6 Draco, in quem conuerſa eſt virga Aaron eſt Sacra doctrina, de qua dicitur Exod *c.7.v.10. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum*, vbi Lyranus, *Quæ verſa eſt in colubrum, ſcilicet verum ſecundum Auguſtinum; & ideo, per hanc virgam ſignificatur Doctrina ſacra, quæ meram continet veritatem.*

7 Dracones, in quos verſæ ſunt Virgæ Maleficorum Pharaonis, ſunt Doctrinæ falſæ, & ſuperſtitioſæ, vnde ſequitur, *v.*12. *Proiecerunt que ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in Dracones*, & idem Lyranus. *Per virgas Magorum, quæ verſæ ſunt in Dracones, non veros, ſed apparẽtes: ſignantur Doctrinæ falſæ, & ſuperſtitioſæ.*

8 Draco eſt malitia, & eius cubile mens peruerſa, de qua Propheta Iſai. *c.34.v* 13. *Et erit cubile Draconum*, vbi Magnus Gregorius, *lib.7.c.12.mor.pagin.466. lit.C. Quid namque per Dracones, niſi malitia deſignatur? In peruerſa igitur mente Draco cubat, quia & latens malitia callidè tegitur.*

9 Dracones ſunt Perſecutores hominis iuſti; quare de his dicebat Patientiſſimus Iob, *c.30.ver.29 Frater fui Draconum*; & addit Lyranus, *Frater fui Draconum, ideſt Perſequentium me.*

§. III.

Illuſor, Illudere, Deridere quid ſit allegoricè.

1 ILluſio ergo primo eſt carnalis delectatio, de qua ait Pſ.37. *v.7. Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, & Cardinalis Hugo, *in Pſ.37.pag.98.col.3. Illuſionibus, ideſt delectationibus carnalibus, quæ non vocandæ ſunt delectationes, ſed potius illuſiones, per duas cauſas: quia ſtatim poſt vellet homo non peccaſſe. Secundò quia per momẽtaneam delectationem æterno incendio obligatur Peccator.*

2 Illuſores ſunt mali Principes, Doctores, & Sacerdotes; de

Digitized by Google

tes;de quibus Dominus ad Iſaiam,*c.66.v.4.* *Vnde & ego eligam illuſiones eorum*, vbi citatus Doctor, *in c.66.Iſai.* *Pag.710.col.2.* *Illuſiones poſuit pro eo,quod eſt illuſores: Illuſores autem duobus modis poſſumus intelligere, vel peximos Principes,& Doctores,vt fuerunt Scribæ,& Phariſei: vel malos Sacerdotes, vt fuerunt Filij Heli.*

3 Illuſores ſunt mali Prælati,de quibus Apoſtolus, 2. *Petr.c.3.v.3.* *Venient in nouiſſimis diebus illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes*, & Hugo Cardinalis. *Similiter hodie multi illuſores ſunt in Eccleſia, ſcilicet Prælati,qui oculos intuentium deludunt, videntur .n. curam gerere animarum,cum curam gerant palearum; videntur dominari vitiis,& omnibus ſuccumbunt: videntur iumenta Animalia, & ſunt Idola mortua.*

4 Illuſor eſt peruerſus Magiſter, qui prauam doctrinam docendo diſcipulis illudit,de quo Pſ.1.v.1. *In cathedra Peſtilentiæ non ſedit*; ſed hebraicè dicitur: ובמושב לצים לא ישב *Et in conſeſſu illuſorii non ſedit*: Vnde D.Hieronymus, *in Pſ.1.to.7.pag.1.lit.F.* *Pro peſtilentibus in hebræo Deluſores habet, quòd ſcilicet omnes diſcipulos peruerſus doctor illudat.*

5 Illuſores Eccleſiæ ſunt Hęretici eius doctrinam deſpicientes;de quibus Iob, *c.30.v.1.* *Nunc autem derident me iuniores tempore*, & Magnus Gregorius, *libr.20.c.9. mor. pag.762. lit.E.* *Iuniores ergo tempore Sanctam Eccleſiam irrident,cum hi, qui ab ea egreſſi ſunt, doctrinæ eius verba deſpiciunt.*

6 Illuſores dęmones deridere Sabbatha, eſt Feſtorum dierum vacationes ad malum trahere, de hoc Ieremias, Thren.*c.1.v.7.* *Viderunt eam Hoſtes,& deriſerunt Sabbata eius*, vbi idem Gregor. *lib.5.c.22.mor.pag.420.lit.D.* *Hoſtes ergo Sabbata irrident, cum maligni ſpiritus ipſa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt.*

7 Irridet Deus crucifixores Vnigeniti ſui, cum Deum agnoſcunt,quem vt hominem mactauerunt, vnde dicitur Pſ.2.v.4. *Qui habitat in Cęlis irridebit eos*, vbi D. Hilarius, *in Pſ.2.col.638.* *Irridetur impietas dum ad illicita nititur, dum inconceſſa expetit, dum quod obtinere ſe ſperat,amittit,dum Deum eſſe,quē tanquam hominem condemnat,agnoſcit.*

8 Irridet Diabolus vibrantem haſtam,cum pęnas ſuas deſpicit,de quo Iob.*c.41.ver.20.* *Et deridebit vibrantem haſtam*, & D.Gregorius, *lib.24.c.11.mor.pag.1096.lit.D.* *Apoſtata ſpiritus Authorem vitę etiam cum ſua morte deſpiciens,haſtam vibrantem deridet, quia ex diſtricto iudicio quidquid horribile eſſe præuidet,pati non metuit.*

9 Illuſit Deus Diabolo in paſſione quaſi Aui; quia oſtendit eſcam corporis,ſed laqueum Diuinitatis abſcondit. Quare dictum eſt Iob, *c.40.v.24.* *Numquid illudes ei, quaſi Aui?* & idem Doctor *loc.cit.lib.33.c.14. pag.1074. lit.B.* *Dicitur ergo: Numquid illudes ei,quaſi Aui? Quaſi Aui quippe Dominus illuſit,dum ei paſſione Vnigeniti Filij ſui oſtendit eſcam,ſed laqueum abſcondit.*

10 Illudi Chriſtianos,ac opprobrium gentium fieri, eſt cum propter peccatorum, & iniquorum hominum peccata,ipſi etiam contemnuntur, de quo quærebantur apud Pſalmum 78 *v.4.* *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris,ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt*, vbi D. Auguſtinus, *in Pſ.78.* *Hoc dicunt boni Filii Eccleſiæ,quia per peccatum aliorum,ſine ſuis meritis contemnuntur.*

11 Derident ſapientes ſimplices, dum putant fatuitatem veram,& puram virtutem, vnde Iob ait, *c.12.verſ.4.* *Deridetur Iuſti ſimplicitas*, & D.Gregorius Magnus, *libr.10.capit.16.moral.* *Sed hæc Iuſtorum ſimplicitas deridetur; quia ab huius mundi Sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur.*

Verſus vigeſimusſeptimus.

כֻּלָּם אֵלֶיךָ יְשַׂבֵּרוּן לָתֵת אָכְלָם בְּעִתּוֹ׃

Verſio ex hebræo. *Omnia ea in te ſperabunt, ad dandum eſcam eorum in tempore ſuo.*

Vulgata editio. *Omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore.*

D.Hieronymus. *Omnia in te ſperant, vt des cibum eis in tempore ſuo.*

Pagninus. *Vniuerſa ipſa ad te ſperant, vt des eſcam eorum in tempore ſuo.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

QVod ad Literalem attinet Verbum שָׂבַר à quo יְשַׂבֵּרוּן futuri temporis, *ſperare* ſignificat;quia verò aliquid à Deo ſperare, vel expectare idem eſt expoſitio parum variat: Tempus autem futurum eſt, ſed poſitum pro omni tempore (hebræis haud inſolitnm) ac ſi dicerent,omnia *ſperant*, & *ſperabunt*: præſertim cum hebræi careant præſenti; & eius loco participio vtantur. Cœterum cùm hic diuina prouidentia, creaturarum ſpei ſubueniens ſubindicetur, aliqua de Dei Prouidentia prælibabimus.

SVMMARIVM.

1 *De Dei Prouidentia an detur, & quid ſit.*

2 *De effectibus Diuinæ Prouidentiæ.*

3 *Obiectiones contra Diuinam Prouidētiam tolluntur.*

§.I.

Digitized by Google

§. I.

De Dei Prouidentia an detur, & quid ſit.

1 O*Mnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore.* Satis manifeſtè in hoc verſu redarguit Pſalmiſta ſtultam Epicureorum opinionem, quæ diuinam Prouidentiam, a Platone validè propugnatam, de medio tollebat. Etenim ſi omnia a Deo eſcam expectant, igitur Deus omnibus prouidet, datur deniq; Prouidentia. Quod Argumentum deſumit ſuam euidentiā primò ab ipſa Dei exiſtētia, nā ſi Deus eſt neceſſariò ex ipſo ſequitur ipſum rebus prouidere, qui enim Prouidentiam tollunt, Deum negant. Hinc eſt quod Inſipientes, vt liberè vitijs incumbant abſque timore vindictæ, Deum eſſe negant, ſiquidem ad Dei Prouidentiam pertinet nulla mala ſine pœna, nullum ſine prœmio bonum eſſe. Teſtatur hoc Pſaltes, dicens: *Pſal. 13. verſ. 1. Dixit Inſipiens in corde ſuo non eſt Deus:* & quid inde ſecutum ſit attexuit: *verſ. 2. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum.* Quare peroptimè Nemeſius emiſſenus Epiſcopus diſcurrit, inquiens, *lib. de ani. facultatibus cap. 62. pag. 622. lit. C col. 1. Quod ſi tollatur Prouidentia permitti videtur iniuria iis, qui eam inferre poſſunt, tollitur erogatio in pauperes, Deique metus, & ſimul cum iſtis virtus, Religioque euertitur. Si enim Deus non prouidet, neq; punit, neque viris bonis præmia tribuit, neque propulſat iniuriam, ab ijs qui iniuſtè læduntur, quis Deum veneretur, qui nulla in re quicquam nobis ſit adiumento?* Deus ergo, qui nil poteſt, Deus, niſi nomine, non cenſetur.

2 Probatur ſecundò Argumentum ex eſſentia Dei, Deus enim eſſentialiter bonus eſt imò ipſum bonum vt fatetur termaximus Mercurius *Trimeg. in Pimandro. Deus enim ipſum bonum eſt, nec aliud quicquam præter Bonum.* Vnde & Saluator noſter in Euangelio ita bonitatem Deo attribuit, vt a creaturis omnibus remoueret. *Marc. cap. 10. verſ. 18. Nemo bonus niſi vnus Deus.* Quia verò proprium eſt Dei intelligere, & velle, non ſolam bonitatem, verum etiam Sapientiam habet, cuius ortum, & munera ſuo loco fusè explicuimus. Si ergo Deus bonus, & ſapiens eſt, creaturis prouidet; nam ſi noſtris neceſſitatibus non ſubueniret, hoc faceret, vel quia eas neſcit, vel quia non vult; ſed hoc eſt contra bonitatem, illud cōtra Sapientiam, igitur ſi bonus & ſapiens eſt, etiam prouider. Quare ſapiens fatebatur *Sap. cap. 12. v. 13. Nec eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus.* Vbi Cornelius a Lapide *in Sap. pag. 235. lit. C. Oſtendit nullum alium eſſe Deum, ex eo quod nullus alius curam habeat omnium.* Verùm euidentius hanc proſequitur rationem D. Ioannes Damaſcenus *lib. 2. Orthod. fid. pag. 248. lit. D. Solus Deus natura bonus, ac ſapiens eſt. Quà igitur bonus prouidet (neque enim bonus eſt qui non prouidet) quà autem ſapiens ea, quæ ſunt optimè procurat.*

3 Probatur tertiò ex omnipotentia Dei, qua omnium rerum creabilium prima, & vniuerſaliſſima eſt cauſa. Sic autem procedit diſcurſus; Deus eſt cauſa rerum omnium, nec aliquid ſine Deo producitur, ſed cauſa debet continere in ſe eminenter, & perfectius omnia quę ſunt in effectu (nemo enim dat quòd non habet) Deus igitur continet in ſe omnium rerum, quas creauit, perfectiones. Atqui videmus Principes prudentes; optimos Patresfamilias, ſibi ſubiectis ſolerter, & ſollicitè prouidere, igitur & in Deo, qui illis dedit, Prouidentia eſt: vt ait D. Damaſcenus *lib. 3. Parallel. cap. 21. pag. 189. lit. D. Quod in cognationibus ſunt Parentes erga liberos, hoc Rex erga Ciuitatem, & Deus erga mundum.* Antecedens huius Argumenti habetur ex Sacra ſcriptura, nam in Pſalmo 134. *verſ. 6.* dicitur: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo, in Terra, in mari, & in omnibus Abyſſis.* Conſequentia verò eſt Angelici Doctoris, qui ita concludit. 1. p. q. 103. *artic. 5. in corp. Sicut nihil poteſt eſſe, quod non ſit a Deo creatum, ita nihil poteſt eſſe, quod eius gubernationi non ſubdatur.* Fauetque D. Damaſcenus *lib. 2. orth. Fid. pag. 348. lit. C. Quocirca Deus eſt qui procreauit, & qui procurat; atque & procreans, & conſeruans, & procurans ipſius potentia, nihil aliud eſt, quam bona eius voluntas. Omnia enim quæcumque voluit Dominus fecit, nec voluntati eius qui reſiſtat vllus eſt.* Redarguit etiam Pſaltes proteruos, Dei Sapientiam, ac prouidentiam negantes, il is verbis: *Pſal. 93. verſ. 8. 9. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite: Qui plantauit aurem non audiet; aut qui finxit oculum non conſiderat?* Quibus ex verbis Eminentiſſimus Hugo Carenſ. *in Pſ. 93. pag. 247. col. 3.* ſic arguit. *Et oſtendit per locum a cauſis, quod Dominus omnia audit, & conſiderat, & ſcit: & arguit eorum multiplicem blaſphemiam. Primò illam, qua dicunt Deum eſſe ſurdum, cum dicit: Qui plantauit aurem non audiet? quaſi dicat, immo audiet qui aliis dedit, vt poſſint audire. Secundò illam, qua dicunt Deum non videre, vel non curare noſtra, cum dicit: Aut qui finxit oculum non conſiderat? Immo conſidera- quæcumque fiunt. Non cognouit quoniam oculi Domini Lucidiores ſunt ſuper Solem circumſpicientes omnes vias hominum. Vnde abſurdum eſt dicere, quod ille qui alios facit audire, & videre, nec audiat, nec videat.*

4 Confirmatur tandem ex antiquorum, & Sapientiorū Philoſophorū placito. Plato enim ipsā Dei; Prouidentiam agnouit, ac ipſam fusè explicat, vt teſtatur Nemeſius *loc. cit. cap. 64. pag. 623. col. 1. lit. A. Plato & vniuerſas res, & ſingulas a Prouidentia gubernari vult.* Omneſque Philoſophi qui aliquantulum ſapuere eiuſdem fuere ſententiæ D. Ioa. Damaſceno referente: *loc. c. Omnia quidem in vniuerſum diuina Prouidentia orta eſſe, atque gubernari, vera pietate præditi Sapientes tradunt.*

5 Tandem quid ſit Diuina Prouidentia, ex dictis colligendum eſt. Eſt ergo *Prouidentia actus Diuinæ voluntatis, qua res omnes creatas, aptè, congruèque diſponit, atque gubernat.* Colligitur hæc concluſio ex ſacra ſcriptura, nam in Pſalmo 29. *verſ. 6.* dicitur: *Vita in voluntate eius:* & paulò poſt: *verſ. 8. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem:* & in *Pſal. 50. verſ. 20. Benigne fac Domine in bona voluntate tua, vt ædificentur muri Ieruſalem:* & Dominus in Euangelio de Diuina Prouidentia loquutus ait: *Marc. cap. 11. verſ. 11. 12. 13. Quis autem ex vobis Patrem petit panem numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem, numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? ſi ergo vos cum ſitis mali noſtis bona dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Vbi ex voluntate, & bonirate oſtenditur Prouidentia. Deinde eam ſic definit D. Ioan. Damaſcenus *lib. 2. de Fid. orthod. pag. 348. lit. C. Prouidentia eſt Voluntas Dei, per quam res omnes aptè congruèque gubernantur. Quod ſi Prouidentia nihil aliud eſt quam Dei voluntas, omnia proculdubio, quæ Prouidentia fiunt recta ratione, pulcherrimèque, ac diuiniſſimè fieri neceſſe eſt; atque ita deniq; vt meliore modo exiſtere prorſus ne queant.* Eamdem concluſionem ijſdem ferè verbis tradit Nemeſius. *loc. cit. cap. 63. pag. 622. lit. H. Prouidentia eſt Dei Voluntas, per quam omnia quæ ſunt aptè gubernantur. Quod ſi Dei Voluntas eſt Prouidentia, neceſſe eſt recta ratione, & optimè, & diuiniſſimè, & qu ſola ratione rectè ſe habent, fieri quæ ſunt, neque melioris ordinis eſſe capacia:* Datur ergo Prouidentia, eſtque actus voluntatis diuinæ omnia creans, proſpiciens, & gubernans, vt concludit Nemeſius *loc. cit. Neceſſe eſt autem eumdem eſſe qui res efficiat, & effectis prouideat.*

§. II.

§. II.

De effectibus Diuinæ Prouidentiæ.

1 SVppoſita iam, & probata æterna Dei Prouidentia, oſtendendi ſunt eius effectus in mundo; ſcilicet qua ratione omnia a Deo expectant, nō cibum tantummodo, verum omnia ſibi neceſſaria. Incipiemus a Sacra Scriptura, ſed primò a doctrina ipſius Redemptoris, ac Domini noſtri IESV: Is etenim apud Mattheum inſtruens diſcipulos ſuos, docebat eos dicens. *Matth. cap. 6. verſ. 25. Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis Animæ veſtræ quid māducetis, neque corpori veſtro quid induamini?* Et vt confirmaret ſuum Problema diuinæ Prouidentiæ argumentis, addidit: *verſ. 26. Reſpicite volatilia Cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa:* Quibus ex verbis euidentiſſimè conſtat Deum Auiculis cibum prouidere, nam cum homines vix cum magna ſollicitudine negotiantes, operantes, & congregantes ſibi neceſſaria habent, illa vero Animalcula, omnia ſperantes a Deo habent, quod penſat Interlinearis Gloſſa, interſerens. *Reſpicite Volatilia Cæli, quæ perpetuò non erunt, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, Dei Prouidentia aluntur abſque cura.* Et Nicolaus de Lyra. *Primum oſtendit per exemplum Auium, quæ non ſerunt, neque metunt, & tamen Dominus ſufficienter paſcit illas cum ſollicitudine conuenienti ſuæ naturæ.* Probata Dei prouidentia de cibo pergit Dominus ad oſtendendum de veſtimento; & licet loqui poſſet de pennis Pauonis, Aghironis, Carduelis, Pſittaci, & huiuſmodi pulcherrimarum Auium; vel Leonis, Pardi, Hienæ, Tigris &c. nihilominus ab inferioribus creaturis profert exempla, ſcilicet a floribus: Quis enim Rex, vel Salomon ipſe glorioſiſſimus Princeps, ita exornatus, purpuram, gemmaſve ſi addas, proceſſit, vt Roſa, vt Lilium, alijque flores? Optimè addidit Dominus: *verſ. 28. Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt. Non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quod neque Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Et ſubdit Gloſſa ordin. *Quæ purpura Regum, quæ pictura Textricum poteſt floribus comparari? Ipſe color dicitur operimentum florum.* Ex his tandem concludit multò magis Deum hominibus prouidere, qui irrationabilia nutrit, ac veſtit; *Si enim fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei?* & Gloſſ. Interl. *Procurabit in neceſſarijs.* Ea propter nimiam carpit ſollicitudinem, ne qui Deum Patrem, ac Prouidentem habent in corporis neceſſitatibus procurandis laborent, nam ſcit optimus Dominus etiam non quærentibus, ſed in eum ſperantibus prouidere: *Quærite ergo primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Et Gloſſa ordin *Quia omnia ſunt filiorum; & ideo hæc omnia adijcientur etiam non quærentibus.*

2 Hæc eſt ergo prima Diuinæ Prouidentiæ operatio, dare cibum in tempore ſuo, aliaque, ad vitæ conſeruationem neceſſaria, ſperantibus in ſe. Id autem congruum eſſe ex dictis in ſuperiori §. innoteſcit. Omnis enim cauſa, (cognoſcitiua præſertim) ad ſui effectus conſeruationem laborat, vt vitam alimento nutriat, quam viſceribus procreauit: Arbor, enim vt fructus nutriat, ſi nimia eorum quantitate prematur, ita ſubſtantiam ſuam eis tranſmittit, vt aliquando deficiat. Vidi ego Romæ In Conuentu S. Franciſci Tranſtiberim Anno 1635. Arborem Malorum medicorum fructibus ita repletam, vt pœnè, vbi alij naſcerentur, locus deeſſet, quæ, vt fructus ſeruaret, omnes frondes abiecit, ita vt nudi rami cum fructibus remanerent; cùm alioqui Arbor illa numquam abijciat frondes, nec in Hyeme. Inſuper Viuipara lacte, Ouipara eſca proprio ore, vel labore quæſita fœtus ſuos enutriunt. Idcirco Dominus Auium, liliorumque, nec non Parentum eſt vſus exemplo; ſi enim ipſe Conditor noſter eſt, ergo & nutriet; proprium eſt enim Parentum prolem paſcere: ita diſcurrit Nemeſius *l. c. lit. H. Quidquid n genuit, cibum quoque fætus procurat. Quæ vero non prouident ob imbecillitatem non prouident. Quare oſtenſum eſt Deum eſſe, qui prouideat.* In Deo autem omnium rerum Parente videre eſt miram diſpoſitionem Prouidentię; nam omnibus creaturis æqualiter prouidet, ſed in ipſa æqualitate eſt diſcrimen, & in ipſo diſcrimine æqualitas: de eo enim Sapiens ait. *Sap. cap. 6. verſ. 8. Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* Quod intelligendum eſt hoc modo: ſcilicet Deum omnibus proſpicere æqualiter, quia omnibus ſuæ naturæ conuenientia æquali proſpicientia deputat; quia vero res quibus prouideri debet, ſunt aliæ alijs excellentiores, maius eſt, & excellentius quod præſtantioribus datur; ſed cura de illis æqualis eſt, & in Deo curante, & in creaturis recipientibus, quia totum ſibi debitum habent, res vero quæ dantur inæquales ſunt; nam vt ſupra vidimus, Iumentis præparauit fœnum, hominibus panem, & vinum; Auibus frumenta, & carnes, Animalibus prædas, Piſcibus marina cibaria &c. Ita ſentit mecum Lyranus. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualis eſt illi cura de omnibus: Iſta cura idem eſt, quod eius Prouidentia. Si vero accipiatur actus diuinæ Prouidentiæ prout eſt in mente diuina, ſic non eſt ibi aliqua diſtinctio, nam vnico actu prouidet omnibus creaturis. Si autem accipiatur effectus exterior ſic eſt ibi diſtinctio, tamen eſt ibi æqualitas proportionis, nam vnicuique rei prouidet ſecundum conuenientiam ſuæ naturæ.* Sic igitur Diuina Prouidentia æqualiter; ſapienterq; prouidet.

3 Secunda huius Prouidentiæ operatio exercetur in Iuſtorum hominum defenſione, iniquorumque malitia detegenda, ac propulſanda. Hoc colligitur primò ex generali diluuio; etenim cùm Dominus per ferè bis mille annos ſcelera filiorum Hominis ſuſtinuiſſet, tandem, iuſtitia præualente, puniuit; eripuitque quos iuſtitiæ merito communi pœna non ſubiacebant; cum ſcriptum ſit: *Gen. cap. 6. verſ. 8. Noe vero inuenit gratiam coram Domino*: vtriuſque autem actus, ſiue Iuſtitiæ punientis malos, ſiue Pietatis ſaluantis Iuſtos, ad Prouidentiam pertinet, vti docet D. Gaudentius Brixienſis *pag. 818. lit. E. Ipſius enim*, inquit, *nutu omnium rerum natura curſum ſuum, vel iuſſa peragit, vel prohibita ſubtrahit. Nam in diebus ſancti Noe ipſius Prouidentia pollutum varijs iniquitatibus mundum, vel cataclyſmo deleuit, vel poſt diluuium reparauit.* Item Suſannā falsò adulterij accuſatam diuina Prouidentia, e ſupplicio, Danielis ſolertia, eripuit; e contra graſſatores Ibyci Poetæ, & ſi gentilis. qui cum ad ſpoliandū ſecretò necauerant, mirabiliter indicauit; vtriuſque factum ſic recitat Nemeſius *loc. cit. cap. 62. pag. 622. lit. A. Quin etiam pœna, quæ peccata inſequitur, imo peccatorum ipſorum detectio, quando, vt nemo ſit qui ea poſſit coarguere, quibuſdam circumſtantiis proferuntur, eſſe Prouidentiam declarat. Plenæ ſunt huiuſmodi hiſtoriis, & Hebræorum ſcripturę, & Græcorum literæ. Nam eiuſmodi Suſannæ caſus literis ſanctis mandatus eſt; & apud græcos Poetæ Ibyci. Hic enim cum a quibuſdam interficeretur, neque vllum vel adiutorem, vel teſtem haberet iniuriæ, conſpicatus grues: Vos, inquit mortem meam vindicate. Poſtea quærentibus ciuibus quis cædem feciſſet, nec deprehendentibus, accidit, vt cùm Theatrum celebraretur, & populus ſpectandi cauſa conſideret; grues præteruolarent: quas cum vidiſſent qui cædis erant authores, riſerunt, & ecce, inquiunt, Ibyci vindices. Quod cùm quidam, qui proximè aſſidebat audiſſet, detulit ad Magiſtratum, illique comprehenſi de cæde confeſſi ſunt.* His addere poſſumus Abſalonem, Amanum, Ioabum, Seianum, Cronuelum, Aluarunde Luna, Volſcium, & huiuſmodi Principis chariſſimos, ac Regnorum Arbitros, qui malè partum dominium turpi ſupplicio cohoneſtarunt; ſufficiat de Ruffino enarrare Arcadij

dij

Digitized by Google

dij tutore, Imperijque Gubernatore in Oriente; cuius peſſimam tyrannidem boni quique deteſtabantur; querebanturque Deum illam permittere, ſed tandem, ſupplicio merito pœnam luens, Dei Prouidentiam exaltauit; de quo ita cecinit Claudianus *lib. 1. in Ruffin.*

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Abſoluitque Deos: iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror; tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant &c.

Et tandem Addere ad Dei Prouidentiæ oſtenſionem poſſumus; Deum, vt nos in bono firmaret, amoueretque a malo, ſanctorum nobis exempla propoſuiſſe, vt eorũ remunerationẽ aſpicientes, eorũ patientiam, imitemur. Sic in Iob, in Moyſe, in Dauide &c. & de Tobia hæc habet D. Auguſtinus *qu. 119. ex vtroq; teſtam. to. 4. Tanta Prouidentia eſt Domini Dei circa nos, vt errare nos nolens, & leges, & exempla bonorum operum daret, quibus modeſta, ac tranquilla agi poſſit vita cum Dei timore. Qui enim Author vitæ eſt, non vult opus ſuum morti eſſe obnoxiũ &c. Dei ergo famulus ſanctus Tobias poſt legem exemplum nobis datus eſt; vt quæ legimus quomodo fiant ſciamus.* Ex his omnibus Diuinæ Prouidentiæ effectus demonſtrantur.

§. III.

Obiectiones contra Diuinam Prouidentiam ſoluuntur.

Diuinæ prouidentiæ exiſtentia, eſſentia, ac effectibus declaratis; remanet nunc, vt argumenta, quæ contra illam Inſipientes faciunt, diſſoluamus. Igitur.

Obijcies primò ſi datur Prouidentia, eaque omnia reguntur; cur videmus malos proſperari, & nihil triſtè eis accidere? quare Iob *cap. 21. verſ. 7.* queritur dicens. *Quare ergo impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitijs, ſemen eorum permanet coram eis &c.* Et Ieremias *cap. 12. verſ. 1. Iuſtus quidem tu es Domine ſi diſputem tecum; verumtamen iuſta loquar ad te; quare via impiorum proſperatur; bene eſt omnibus, qui præuaricãtur, & iniq; agũt?* Itẽ Dauid: *Pſ. 72. v. 2. Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Igitur nulla eſt Prouidentia, nam hæc iniuſtos non foueret, ſed perderet.

Reſpondetur Iniquorum proſperitatem Prouidentiæ opus eſſe, nam illi quantumlibet mali, aliquid boni operis habent, & quia in æternum ſupplicio deputantur in altera vita, proſperantur in iſta: Deinde vt plurimum falluntur homines in iudicio, nam ignoramus vtrum illi qui videntur iniqui, ita ſint mali, vt nunquam ad dominum reuertantur: deinde proſperitas iniquorum ad exercitium bonorum permittitur; niſi enim Nero, Decius, Aurelianus, Domitianus, Diocletianus, & huius farinæ Principes proſperati fuiſſent, tot martyres non haberet Eccleſia: has duas cauſas tangit D. Auguſtinus *in Pſal. 54. in verſ. 1. tomo 8. Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.* Et paulo poſt. *Tamen quamdiu ita ſunt, vt exerceant, non eos oderimus: nam in eo quod malus eſt quis eorum, vtrum vſque in finem perſeueraturus ſit ignoramus.* Quin & ipſe Seneca *Libro De Prouid.* putauit hominem proſperatum, & cui nihil in hoc mundo accidit aduerſi infelicẽ futurũ in alia vita, Deoque infenſum, & odibilem eſſe. *Nihil infelicius eo, cui nihil accidit aduerſi, quia malè iudicauerunt Dij de ipſo.*

Obijcies 2. Cur Deus Catholicorum imperium deprimit, Infidelium, Hæreticorum, Turcarum, Barbarorum dominia extollit, dilatat, tuetur? Romanorum imperium ſub gentilibus Principibus floruit, ſub Chriſtianis pænè interijt, & in dies decreſcit; igitur non eſt Prouidentia.

Reſpondetur eodem modo huic argumento, ac ſuperiori ſatisfactum eſt, Infidelibus nullum ſupereſſe præmium poſt mortem, & quia Prouidentia nullum bonum ſine ſuo præmio vult eſſe, remunerat in huius mundi felicitate, moralia opera bona Infidelium. De Romano autem Imperio ſpecialiter locutus D. Auguſtinus, ait. *lib. 5. de ciu. Dei cap. 15. tom. 5. Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis in Ciuitate ſua cœleſti, ſi neque hanc eis terrenam excellentiſſimi Imperij gloriam concederet, non redderetur præmium bonis artibus eorum, id eſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur.*

Obijcies 3. Si Prouidentia eſt, & iuſtè prouidet, cur videmus vt plurimum bonos viros; virtute præditos, moribus integros, ſanctitate præclaros, continua aduerſitate premi, ab iniquis ſuppeditari, & opprimi: de quo queritur Propheta, dicens. *Habac. cap. 1. verſ. 3. Quare reſpicis contemptores, & taces, conculcante impio iuſtiorem ſe?* igitur non eſt Prouidentia.

Reſpondetur Bonos, ac perfectos viros idcirco in hac vita tribulari, vt eorum præmium duplicetur in Cœlis; Nam Rex eos, quos diligit belli periculis exponit, vt legitimè habeat vnde remuneret. Loquebatur ergo Propheta loco citato Ignorantis nomine, qui hanc maximam Dei Prouidentiam neſcit; vt ait D. Remigius *ap. Gloſſ. ord. in Habac Hæc dicebat præ anguſtia mentis turbatus: velut ignorans Sanctos tribulationibus probari, & proficere, ſicut Aurum in igne proficit ad claritatem.* Et D. Auguſtinus expreſſius *qu. 119. ex vtroq. teſtam. tom. 4. Deus enim noſter, qui iuſtus eſt, & perſonarum acceptio non eſt apud ipſum, tentari nos permittit, quia nos diligit, vt poſt laborem poſſit nobis dare præmia ampliſſima:* Et hoc excepit Sanctus Doctor ex verbis Ioannis, ex Dei nomine dicentis: *Apocalip. cap. 3. verſ. 19. Quos amo arguo, & caſtigo.* Ergo Iuſtorum infelicitas, & tribulatio in vita temporali glorioſſimam felicitatem parat æternam.

Obijcies 4. Apoſtolus ad Corinthios ſcribens *1. Corint. cap. 9. verſ. 10. 11.* ait. *Scriptum eſt enim in lege Moyſi; ne claudas os Boui trituranti: Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtique hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe qui arat, arare; & qui triturat in ſpe fructus percipiendi.* Ergo ſaltem de Animalibus, vt docet Apoſtolus non eſt Prouidentia.

Reſpondetur duplicem eſſe Prouidentiam, alteram commodis corporum proſpicientem, alteram vero Animarum inſtructioni intendentem: prima omnia reſpicit, ſecunda homines tantum; nam belluæ ſeruari quidem poſſunt, & paſci, ſed ſoli homines mores optimos rationibus, & experientiis doceri: ita reſpondet Eminentiſſimus Hugo *in 1. ad Corint. pag. 95. col. 3. literal. Eſt vna Prouidentia generalis omnium, ſpecialis hominum, ſpecialius Fidelium, ſpecialiſſimè Sanctorum. Et eſt vna Inſtructionis, hæc tantum hominum.*

Obijcies 5. ex D. Hieronymo dicente *in Habac. Proph. cap. 1. tom. 5 pag. 189. lit. F. Abſurdum eſt ad hoc Dei deducere Maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula quot naſcantur culices, quotve moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit multitudo, quot piſces in aqua natent &c. Ne ſimus tam fatui Dei adulatores, vt dũ Potentiã eius etiã ad ima detrahimus in nos ipſos iniurioſi ſimus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium Prouidentiam eſſe dicentes.* Igitur ſecundum ipſum nulla eſt irrationabilium Prouidentia; præſertim cum ibidem derideat ponentes Angelos ad Animalium conſeruationem deputatos.

Reſpondetur cum Hugone Cardinali *in cap. 12. Sapien. pag. 160. col. 3.* D. Hieronymum loqui de Prouidentia Inſtructionis, non conſeruationis; & gubernationis. Verum aliquod ſcrupulum mihi in mentem venit, illa verba D. Hieronymi non eſſe, ſed ab aliquo amanuenſi Hæretico inſerta, vt quæ manicheiſmũ ſapiant: nam ſi Deus ignorat ortum, conſeruationem, & interitum pulicum, muſcarum, & piſcium, ergo non eſt eorum cauſa prima, ergo ad eorum productionem &c. non concurrit. Quòd ſenſiſſe ſanctiſſimum Doctorem nefas eſt credere. Et nota fraudulentiam, a culice incipit,

Digitized by Google

cipit, & deſinit in piſces, quorum maximes reperiri certum eſt. Mihi quidem totum illud commentarium ſenſatè ponderanti, videntur verba illa nec ad antecedentia, nec ad ſequentia verba connecti, quæ aliàs benè inter ſe continuari poſſent. Reſpondeo igitur Deum ad omnia, quantumcumque minima, producenda, deficiendaque concurrere, vt patet ex verſu 29. huius Pſalmi, & ex 30 vbi dicitur. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur: emittes ſpiritum tuum, & creabuntur &c.* Et ſi omnia creat, & deſtruit; ergo omnia in indiuiduo nouit; & ſi nouit gubernat; nam hic ſine exceptione dicitur: *Omnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore.* Authoritati verò relatæ (cuiuſcumque illa ſit) opponimus D. Auguſtinum docentem apertiſſimè oppoſitum; & præſertim dicentem de Deo *lib. 5. de ciu. Dei. cap. 11. to. 5. pag. 43. lit. E. A quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, a quo eſt menſura; numerus, pondus: a quo eſt quidquid naturaliter eſt, cuiuſcumque generis eſt, cuiuſcumque æſtimationis eſt &c. Qui non ſolum Cælum, & Terram, nec ſolum Angelum, & Hominem, ſed nec exigui, & contemptibilis animantis viſcera, nec auis pennulam, nec herbæ floſculum ſine ſuarum partiũ conuenientia dereliquit.* Addo deinde Angelici Doctoris placitum, qui ait 1. p. q 103. *artic. 6. in Corp. Reſpondeo dicendum, quod in gubernatione duo ſunt conſideranda, ſcilicet ratio gubernationis, quæ eſt ipſa Prouidentia, & executio. Quantum igitur ad rationem gubernationis Deus immediatè omnia gubernat; quantum autem pertinet ad executionem gubernationis Deus gubernat quædam mediantibus alijs, &c. Vnde oportet dicere, quod Deus omnium etiam minimorum particularium rationem gubernationis habeat.* Cæterùm alibi concedit D. Thomas Deum ad Animalium conſeruationem cuicumque ſpeciei Cuſtodem Angelum deputaſſe.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

CVm ex iam dictis conſtat Diuinam Prouidentiam dari, gubernarique ab ea omnia; neceſſariò ſequitur ab ea nos expectare debere neceſſaria; non ita tamen, vt nihil operemur nos, ſed vt operantes in Dei gratia, & beneficio ſpem habeamus: nam & irrationabilia, quæ Deus paſcit; ſua naturali vtuntur ſolertia ad conſequendam eſcam: Quòd ſi illis prouidet Deus, magis nobis neceſſaria ſubminiſtrabit; oſtendendum eſt ergo quantum errent illi, qui omnem ſpem ſuam in hominibus ponunt.

SVMMARIVM.

1 *Errat qui ſperat ab hominibus, & non a Deo.*
2 *Peccator eſt Diaboli cibus.*

§. I.

Errat qui ſperat ab hominibus, & non a Deo.

1 O*Mnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore.* Tanta eſt circa homines Diuina Prouidentia; vt docuerit Sapiens *Eccl. cap. 2. verſ. 11. Reſpicite filii nationes hominum, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Errant igitur quicumque a mundo, & a mundanis aliquid ſperant, etenim ſi omnia ſperant à Deo, conſequens eſt, vt qui a Deo non ſperat nihil ſit; quid autem deterius alicui contingere poteſt, quam nihil eſſe? Quid inſuper emolumenti accidere poteſt ei, qui eſſe perdidit, quod habebat? Omnes ergo, qui ſapiunt, in Deo ſpem collocant, ab eoque bona ſua expectant; ne de illis verificetur quod ait Eminentiſſimus Hugo. *Si omnia expectant, ergo qui non expectat nihil eſt. Ergo qui a mundo; vel ab homine, nihil ſunt, & ſocii eius, qui non eſt.*

2 Adſolent Homines ita in diuinam peccare Prouidentiam, vt confidere niſi in hominibus neſciant, verum quantum decipiantur experientia quotidiana edocemur; nam & mundus fallit, Deus ditat. Examinemus duas ſcripturæ ſacræ hiſtorias, ad huius rei veritatem eliciendam. Fame Syriam opprimente, quædam vidua mulier, nuper defuncto viro cum liberis paruulis relicta egeſtate conſumebatur, quippe viro parum diligente in rebus acquirendis, debita ſoluenda reliquerat. Hæc mulier vt habetur 4. *Reg. cap. 4. verſ. 1. &c.* in nullo hominum auxilio ſperans, Eliſeum Prophetam adiit, cuius conſilio haud pauca vaſa vacua ex modico repleuit oleo, Domini Prouidentia ad ſerui Dei preces accurrente. E contra verò *Matth. c. 25. verſ. 8.* quædam Virgines, quas meritò fatuas vocat Ieſus, cum ſperarent a ſocijs ſibi oleum datum iri, cum lampadibus vacuis remanſerunt; nam petentibus: *Date nobis de oleo veſtro*, negauerunt ſociæ: *Nequaquam: ne forte non ſufficiat.* Mundani enim ſemper de Dei Prouidentia deſperantes, etiam rerum, quibus abundant, inopiam timent, Colligit ex his Hugo de S. Victore *lib. 1. miſcel. tit. 51. tom. 3 pag. 78. col. 1. lit C* Sperantibus in Domino, etiam de parua re oriri diuitias, & abundantiam; ſperantibus autem in mundo ipſam copiam deficere. *Habet Oleum Deus, habet Oleum, & mundus. Ad oleũ Dei vaſa deficiunt: oleum mundi in vaſis deficit. Oleum Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præſens; illa ſufficit, iſta deficit.* Ergo oleo mundi deficiente, & eum, qui ſperabat in eo, deficere neceſſe eſt.

3 Premebatur obſidione Aſſiriorum Ciuitas Hieroſolymitana; interq; varias calamitates, quas paſſi ſunt habitatores illius Vrbis, vnam deplorat Hieremias maximam, Prophetas ſcilicet eius non inueniſſe reſponſum a Domino, ita prædicante illo deditionem tamquã a Deo mandatam, contradicebant iſti: *Thren. cap. 2. ver. 9. Prophetę eius non inuenerunt viſionem a Domino.* Et quare nõ inuenerunt? Quia ipſi non ſperabant a Domino auxilium, ſed ſperabant a propriis viribus, non cogitabant æternã, ſed terrena, non Domini voluntati auſcultabant, ſed ſuis cupiditatibus ſeruiebant; ideoque non inuenerunt viſionem, ideſt effectum diuinæ Prouidentiæ non ſunt aſſecuti; vt docet Eminentiſſimus Hugo *in Thren. pag. 295 col. 2. Hi Prophetæ ſunt Prouidentiæ interna, & quando animus habet Prouidentiam nimiam de terrenis, tunc non habet viſionem a Domino: ſed quando ſunt de bonis æternis, tunc habent viſionem a Domino.* Prophetæ ergo qui Regi & Principibus adulantes, diuina non curabant mandata, a Deo nequaquam illuſtrabantur.

4 Quotidie experimur in Principum Aulis vanitatem ſpei in hominibus collocatæ. Habent Aſſeclæ, Familiares, clientes magnam a Principe aliquo expectationem

Digitized by Google

nem auxilij, aut gratiæ, aut beneficii; die;noctuque ad ei obediendum, eiq; placendũ deſudant, inſomnes agũtur noctes, laboribus deſudant dies, inter pericula, & obſequia tranſeunt Anni: cum ecce tibi; dum iam, iam ferè tenetur præmium, cum iam prope portum eſt nauis, improuiſa morte ſublato Principe, omnia euaneſcunt; & vento diſperſi labores pereunt. Id deplorabat Ieremias de Populo Iudæ, cuius Maiores ſpem totam in ægiptiorum Rege collocabant, ſed illo in bello capto, & perempto, etiam, ipſi deuicti, ac captiui facti ſunt; vnde prædicabat *Ierem cap.22 verſ.22. Omnes Paſtores tuos paſcet ventus*. Ideſt, Maiores tui Principes, Sacerdotes Seniores vento veſcuntur, dum ſperant in auxilio Regis terreni, qui cum nihil certitudinis de ſua vita, vel victoria habeat, cur ſpem aliorum poterit fulcire? ita Lyranus. *Omnes Paſtores tuos paſcet ventus; ideſt Reges, & Sacerdotes paſcet ventus, ideſt inanis fiduciæ, quam habent de Ægiptijs*. Errabant igitur in homine confidentes, qui ſperantes in Domino auxilium paratum habebant. Non ita alter eorum Monarca Sanctus fecerat, qui gloria, & triumphis onuſtus obijt, eo quod in Domino ſolo ſperaſſet, agnoſcens vtique humani auxilij vanitatem; ideoque canebat *Pſal.59. v.13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis*. Redditque rationem Caſſiodorus *in Pſal. 59. apud. Cat. Putei. pag.96. col.3 Salutem præſtare non poteſt indignus ſaluti: ideoque ſperare in hominem non debet, qui proprijs viribus probatur eſſe infirmus*. Quod ſi Iudæi feciſſent, ac ſolum a Domino auxilium expectaſſent, babilonicam deuitaſſent captiuitatem.

5 Addamus exemplo iſti antiquo, ex nouo teſtamento recentiorem experientiam, Nato Domino in Bethlehem Iudæ, Magi quidam de eius exortu a radiante ſydere edocti, ad ipſum adorandum propero itinere acceſſerunt; & ex vltimis Orientis partibus Deo duce magnum iter emenſi, iam prope Dominum reperiebantur; cum cæperunt ducatum ſtellæ contemnere, & maiorem notitiam de nato Rege ſe habituros ſperantes, Ciuitatem regiam ingreſſi eam turbatione repleuerunt, cæterum de Rege nato modicum, & confuſam quamdam notitiam acceperunt; ac in multis verſabantur anguſtiis, nam illicò ac Ciuitatem ingreſſi, in hominum auxilio ſperantes quærere cœperunt; *Matth. cap.2 verſ.2. Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum*: ducem ſtellam perdiderunt; & merito vt qui in hominum ſperabant auxilio diuinum amitterent; vt ait Landulphus *da ſaxon. de Vit. Chriſ. p.1. cap.11. Cum Magi Hieruſalem ad quærendum de Puero ingreſſi fuiſſent, ſtellæ ducatum amiſerunt; quoniam auxilium humanum requirentes, perdere diuinum meruerunt*. Errant ergo, ac fatuos ſe oſtendunt quicumque a Deo paratum auxilium habent, ad vaniſſimam, ac incertiſſimam hominum potentiam ſpem dirigunt ſuæ ſalutis.

6 Hinc damnare poſſumus nimiam quorumdam Pauperum ſollicitudinem in rebus, ad corporis victum, ac veſtitum neceſſarijs, perquirendis. Hi Dei ſeruituti, cum voluntaria paupertate, dicati, ita tamen abundare neceſſarijs volunt, vt paupertatem, quam profitentur, in nudo nomine experiantur: ita enim per vicos, plateas oppidaque ad quærendum importunè diſcurrunt, vt vitam totam, quam in oratione, ac in Proximorum ſalute impendere deberent, in quæſtu abſumant: nihil omnino in Deo ſperantes, a quo ſancti viri etiam præter naturæ ordinem, Prouidentiam liberalem experti ſunt, (vt æquum erat) in eum ſperantes. Non damno tamen moderatam ſollicitudinem, ſed nimiam, importunamque: quam etiam carpit Propheta cum dicit: *Ierem. cap. 14. verſ.10. Dilexit mouere pedes ſuos, & non quieuit, & Domino non placuit*: & addit Vatablo *in ſcholiis in Ierem. Dilexerunt huc, illucque diſcurſare, petendæ opis humanæ cauſa, neque abſtinent, & Dominus non voluit eos*. Diſce Lector, ſperantibus in domino modicam diligentiam magnum parere emolumentum: *Iacta ergo cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet*.

Ian. de Mata.

§. II.

Peccator eſt Diaboli cibus.

1 OMnia a te expectant, &c. Vulgatus Interpres hunc Verſum coniungit cum præcedenti hoc modo: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei, omnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore*. Fortaſſis innuere volens, nullam creaturarum, nec ipſum Draconem, a diuina Prouidentia deſeri, quin de eſca ſibi conuenienti eam paſcat: Verùm cùm tropologicè Iſte Draco Diabolus intelligatur, quæri poteſt, vtrum & ipſi Diabolo eſcam Deus prouideat? Et reſpondendum affirmatiuè eſt; nam & illi dat eſcam, nimirum homines peccatores, & malos, Hi enim ſunt cibus gratiſſimus hoſti peruerſo, qui nil aliud eſurit quam noſtram perditionem; vt optimè notat, & docet Magnus Albertus, *in Pſal.103.* inquiens. *Omnia a te expectant vt des illis cibum. Ipſi etiam Draconi prouidet in cibo, qui (ſicut dicitur) dat eſcam omni carni: Draconi etiam ſpirituali dat eſcam ſcilicet Diabolo*. Quidnam autem cedat in eſcam eius, probat ex Propheta D. Auguſtinus *ap. B. Alb. loc. cit.* eſſe peccatorem; ait enim Ieremias ex peccatoris nomine: *Abſorbuit me quaſi Draco, impleuit ventrem ſuum teneritudine mea*. Vbi D. Auguſtinus *Si benè vixeris Chriſtum cibum habebis, ſi malè Draconi cibus eris*.

2 Draconem Beſtiarum repentium maximam, minora, & maiora deuorare animalia compertum eſt, nimirum oues, canes, Lupos, hominesque. In hoc autem Draco, vera figura Diaboli eſt, in quo & Lupos deuorat; vt ſcilicet intelligamus illos homines infernalis Draconis in cibum cedere, qui Lupi fiunt; Lupi autem iĵ vocandi ſunt, qui alienas opes rapiunt, pauperumque, ac miſerabilium deuorant ſubſtantiam; dum enim alios deuorant, & ipſi viciſſim eſca Dæmonis effecti, ab eo deuorantur. Cum attentè legerem Pſalmum 82. vbi quorumdam Regum ab Iſraele proſtratorum nomina recenſentur, dubitare cœpi quid per *Zeb*, & *Zebee* verſ.12. ſeu, vt eſt in hebræo, זאב & זבח *Zeeb*, & *Zebahh*: ſignificaretur; & reperi apud D. Petrum Damianum *lib.5. epiſ.13. tom 1. pag.225. lit. A.* Zeeb interpretari *Lupum*, & Zebahh *Victimam*; ſed quæ eſt iſta coniunctio Luporũ, & victimarũ? optima, inquit ille, nã per hos Principes, Dei populi hoſtes, peccatores potentes notãtur, qui eo ipſo, quo Lupi minores deuaſtãdo fiunt ipſi Diabolo victima, & cibus deſtinantur. *Zeb dicitur Lupus, & Zebee victima. Reprobi namque, qui ſunt rapaces in ſæculo, & Lupi ſunt, & ipſi ſunt victima; quia dum infirmiores quoſque deuorare contendunt, & ipſi ſpiritualis Lupi, ideſt Diaboli dentibus exponuntur*. Hùc fortaſſis referre poſſemus alterius Prophetæ verba *Iſai cap.33. verſ.1. Veh qui prædaris nonne, & ipſe prædaberis*? præda enim, & cibus Diaboli ſunt peccatores.

3 Licet porrò omnis peccator cibum, & eſcam præbeat Dæmoni, nihilominus tunc ſibi iucundiſſimũ epulum, & lautum paratur Conuiuium, cum Sanctorum virorum, & Deo charorum aliquis in turpem labitur culpam. Peccauerat Iſraelis Princeps Dauid Deo chariſſimus, & peccauerat grauiſſimo crimine, vt qui adulterio homicidiũ iunxerat: ad eum reprehendendũ Dei iuſſu Nathan Propheta accedens, exemplum cuiuſdam Diuitis propoſuit, qui vt opiparè paſceret peregrinum ad ſe venientem, pauperis viri ouem rapuit, ac in cibum dedit illi. 2 *Reg. cap. 12. verſ.4. Cum autem Peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad ſe*. Sed quorſum hoc exemplum ad Dauidem? Quod ille rapuiſſet ouem, & quòd mactaſſet, cõueniunt hæc; nam rapuit vxorẽ Vriæ, eãq; peccato mactauit, eiuſq; virũ ferro, ſed cui peregrino ad ſe venienti conuiuium parauit? ego ſanè non inuenio. Sed inuenit Conuiuam iſtum ingenioſus Ro-

tricem Mariam diuinæ gratiæ ad nos perueniunt; Idcirco in tempore facta dicitur, vt ſcilicet in temporali hac vita data eſt Eccleſiæ in Protectricem: audiamus Incognitum *in Pſal.* 103 *Secundum Hipocratem Luna eſt coniungens cæleſtia cum terreſtribus: ſic & Beata Maria eſt aliud medium coniungens cæleſtia cum terreſtribus, ex quibus meritò ipſa per Lunam ſignificatur: quam nobis Deus hic temporaliter viuentibus dedit Protectricem, quia fecit Lunam in tempore.* Non poteſt Luna nõ coniungere cæleſtia cum terrenis, quia in medio collocatur, ſic Maria nunquam pro nobis intercedere ceſſabit, quãdoquidem eam nobis Deus dederit Protectricem.

3 Quòd ſi Luna Maria eſt, pulchrè eam adumbratam in Apocalipſi legimus, vt ſe noſtram mediatricem oſtenderet. Vidit namq; Ioannes huiuſmodi viſionem. *Apocalip. cap.12. verſ.1. Signum magnum apparuit in Cęlo; Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius; & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Varias expoſitiones dant Doctores huic mulieri, vel ipſam Eccleſiam, vel B. Virginem, vel Animam credentes; licet omnes hæc expoſitiones optimę ſint; Dicamus nihilominus nos hãc mulierẽ Diuinitatẽ eſſe, quę Sole maieſtatis amicta, longè, latèq; rutilat Seraphicis coronata ſyderibus; Lunã autem Diuinitati proximã Mariam Deiparam eſſe, quæ omnes Sanctos, Angeloſque traſcẽdẽs Deo propinquiſſima ſedet. Sed cur ad pedes Diuinitatis conſiſtit? vt ſuum expleat officium inter Deum & hominem poſita; nonne cum aliquid Principem rogare volumus ad eius pedes prouoluimur oraturi? Sic & clemẽtiſſima Virgo ad pedes Diuinitatis adoratura videtur, vt pro nobis gratias facilius impetret. Egregiè id proſequitnr D. Bernardus Abb. Clareu. *De B. Virg. ſup. ſign. mag. pag. 268. lit. G. Iam te Mater miſericordiæ per ipſum ſinceriſſimum tuæ mentis affectum, tuis iacens prouoluta pedibus Luna, mediatricem ſibi apud Solem iuſtitiæ conſtitutam deuotis ſupplicationibus interpellat, vt in lumine tuo videat lumen, & ſolis gratiam tuo mereatur obtentu.* Vel ſi mauis Mariam Mulierem, Solem Diuinitatem, Lunã Eccleſiã intelligere, etiam mediatricis cognoſces auxilium, quæ illius Solis, quo amicitur, lumen Lunæ ad pedes iacenti impartitur.

4 Sed ne tam cito Lunam de ſeruiſſe videamur, aliam eius dignitatem declaremus. Hoc habet Luna priuilegij, vt maxima Chriſtianorum ſolemnitas, Paſcha ſcilicet, ab eius motu dependeat; neq; enim celebratur niſi poſt diem quartamdecimam Lunam. Certum eſt autem tunc Lunam ſplendoribus pleniſſimam eſſe: porrò celebratur iſta ſolemnitas in memoriã Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu. Quòd ſi Lunam Mariam dicimus ipſa quoque maximæ feſtiuitatis noſtre Signum erit: hoc eſt noſtræ reſurrectionis de morte culpæ, ad vitam gratiæ, nam noſtra facilis ſurrectio, Diuinæque gratiæ liberalis largitio Lunam ſupponit quartamdecimam, hoc eſt Mariam Dei Verbo, ac diuina gratia vndequaque repletam: quare de ipſa intelligi poteſt, quod de Luna ſcriptum eſt: *Eccl. cap.43. verſ.7. A Luna Signum Diei feſti*: Vt optimè oſtendit Doctiſſimus Incognitus *in Pſalt. in Veſp.* 1781. *lit. B. Habet Luna hanc dignitatem, vt Feſtum Reſurrectionis ſecundũ ſuum curſum tardius, aut citius celebretur. Sic & reſurrectio ſpiritualis a morte culpæ ad vitã conſequitur motum voluntatis Mariæ. Quamuis enim Reſurrectio Dominica celebretur, & noſtra reſurrectio ſpiritualis ſit principaliter ex diuina gratia, tamen præſupponit diem quartamdecimam plenam, ideſt Mariam, iam lumine gratiæ, quam Dei Verbo repletam: vt meritò, ſi reſurrectionem ſpiritualem celebrare volumus, ad ipſius gratiæ, plenitudinem recurramus.* Neque enim ſine tanta mediatrice hæc noſtra ſolemnitas celebraretur.

5 Cum è ſublimibus locis ad ima deſcendere, vel e contra ex infimis ad ſuperiora cõſcendere deſideramus, ſi loci altitudo obſiſtat, neq; per abrupta iter haberi poſſit ſcala aliqua opus eſt, per quam, qui cupiunt, vel deſcendant, vel aſcendant. Omnipotens rerum Conditor, ex excelſiſſima ſua gloria ad noſtram infirmitatem deſcendere quærebat, ſed ad hoc ſcala requirebatur; Maria ergo ſcala fuit, per quam Deus ad nos de Cœlo deſcendit, necnon & Angeli ad noſtrum veniunt auxilium; e conuerſo verò homines per hanc ſcalam ad cæleſtia aſcendunt participes Diuinitatis affecti: Cum enim ſcala Superioris, & inferioris loci coniungat extrema, mediatrix aſcenſionis, & deſcenſionis dici poteſt: ſic Beatiſſima Virgo mediatrix noſtra cœleſtibus terrena, coniungit. Huius myſterium in Geneſi legimus in uiſione Iſraelis Patriarchæ; *cap.28. verſ.12. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Quod autem hæc ſcala vmbra B. Mariæ fuerit fusè explicat Damaſcenus *orat. 1. de Dormit. Deip. pag. 350. col. 2 lit. C.* his verbis. *Parum affuit quin me Iacobi ſcala præteriret: Quid enim? An non cuiquam perſpicuum eſt te præſignaſſe, ac figuraſſe? Vt enim ille per extremas ſcalæ partes Cœlum cum terra copulatum, & Angelos per eam deſcendentes, eumque, qui verè fortis, & inſuperabilis robore præditus eſt typicè ſecum decertantem vidit: eodem modo tu quoque Mediatricis munere perfuncta, deſcenſuſq; Dei ſcala effecta (per quam ipſe infirmam noſtram maſſam aſſumpſit, ſibique ipſi coniunxit, ac copulauit) ea, quæ inter ſe dirempta erant, in vnum coegiſti. Hinc Angeli quidem ad eam deſcenderunt, vt videlicet Domino Deo inſeruirent Homines autem angelicæ vitæ ratione vſi in cœlum ſublimes rapiuntur.* Vide ſanctiſſimæ ſcalæ mediationem perfectam; fruſtra in Cęlum ſcandere nititur, qui per iſtam ſcalam non pergit.

6 Neque poterit, qui compos eſt mentis; tantam mediatricem non venerari. Quomodo enim nos Domini Dei, qui conſumens eſt Ignis præſentiam, ſine tanra Mediatrice ferre poſſemus? Et tamen, non ſolum Deum nobiſcum habemus, ſed in Venerabili Sacramento eo paſcimur, ac nutrimur. Quidni ergo forcipem appellemus Mariam, qua mediante Diuinum ignem accipimus? Cum Faber, vel quilibet alius candentes, ignitaſq; prunas accipere vult ferrea vtitur forcipe, quo inſtrumento ſine læſione ignem capit. Nos etiam vt Deum ignem immenſum capetemus forcipe Mariæ vſi ſumus, hæc Deum humanauit, ac nobis proportionatum reddidit. De ea enim vaticinans Propheta dixit. *Iſai cap.6. verſ.6. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de Altari.* Seraph propter amoris ſimilitudinem Spiritum denotat ſanctũ, calculus ignitus eſt Verbũ Dei; hunc ergo calculum Diuinitatis forcipe Mariæ Spiritus ſanctus accipiens ad nos purificandos detulit: Id teſtatur Leo Auguſt. *orat. 5. pag. 86. Enim vero propheticis olim oculis per ſymbola præmonſtrata ſunt, quæ fiunt, & in forcipe, & pruna erat ænigma; continente illo, hoc Prophetæ labia tangente, & propheticam inflammante mentem. Itaque quæ nunc ſunt res, ænigmata tunc erant: lacte nutriens, & Virgo manens, inacceſſibilis, & portatur: Puella tanquã forceps prunam Diuinitatis tenens, quam etiam manus Sacerdotis tangentes ſanctificantur, & os vaticinio Spiritus impletur.* O nos felices tanta forcipe gaudentes, qua ad nos Diuini amori ignem trahamus.

7 Cum Terra aliqua aquæ penuria laborat, ne ob eius defectum arida, & inculta remaneat, diligens eius Dominus ex alio loco, vbi aquarum eſt copia, per Aquæductum aquam in illam ducit, vt ſic Aquæductus beneficio Terræ ſuæ ſterilitati ſubueniat. Ante Dominicum Aduentum arebat terra, nam diuinarum gratiarum penuria laborantes Animæ, pauciſſimæ reperiebantur, quæ ad culmen pertingerent perfectionis: ſterile illud ſæculum magnos tulit ſanctos, ſed paucos; nec ita facilis erat diuinæ gratiæ deſcenſus. Vt autem hanc terram fæcundaret Dominus Aquæductum nobilem extruxit, per quam diuinæ gratiæ ad terram noſtram irrigandam accederent; Mariam ſcilicet; quæ in vtero ſuo ipſum fontem Diuinitatis con-

tinens, ex eo ſtillicidia tranſmiſit nobis: Vnde gloriatur dicens: *Eccl. cap.24.verſ.41. Sicut Aquaductus exiui de Paradiſo*. Quæ Verba Deuotiſſimus Virginis D. Bernardus Mariæ applicans, ait *ſer. de Aquad. in Nat. Virg. pag. 272. lit. H. Deſcendit per Aquaductum vena illa cæleſtis, non tamen fontis exhibens copiam, ſed ſtillicidia gratiæ arentibus cordibus infundens. Nimirum tanto tempore fluenta gratiæ defuerunt, quanto nondum intercederet is de qua loquimur, tam deſiderabilis Aquaductus*. Accedamus ergo cum fiducia ad noſtram Mediatricem, ipſamque in noſtris neceſſitatibus inuocemus; vt per ipſam Dei gratiam conſequamur.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

HIc Verſus paucas rerum allegorias ſubminiſtrat, nam pauca rerum nomina recenſentur. Ex quibus Tempus, & cibum ſupra reperies. ſolùm ergo remanet Verbum expectare, de quo mox agemus.

Quid expectare ſignificet.

1 O*Mnia a te expectant, &c.* Expectare igitur, eſt aliquid cum deſiderio ſperare ab alio: & primò expectare Chriſtum improperium, & miſeriam eſt deſiderare paſſionem; vnde dicit in Pſalmo 68. *verſ. 24. Improperium expectauit cor meum, & miſeriam*: & addit D. Hilarius *in Pſal.68.col.825.lit.A. Deſideratas ſibi eſſe huius temporis ſignificans paſſiones.*

2 Expectare Dominum, vt miſereatur, eſt iuſtam vindicationem coercere: de qua Propheta: *Iſai. c. 30. verſ.18. expectat Dominus, vt miſereatur veſtri*: & D. Hieronymus *lib.9. in Iſai pag. 112. lit. B. Grandis miſericordia Dei, vt expectet noſtram pœnitentiam: & donec nos a vitijs conuertamur, ille potentem contrahat manum, ne ferire cogatur.*

3 Expectare Iuſtos retributionem Chriſti; eſt Apoſtolos ex eius Reſurrectione roborari in fide: vnde Pſalmus 141. *verſ.8. Me expectant Iuſti donec retribuas mihi.* & D. Hilarius: *in Pſ. 141. col 1143 lit D. Omnium Apoſtolorum fides vſque ad reſurrectionis tempus fuit trepida, quam in Domino continentes expectationis ſuæ ſecuritate firmati ſunt.*

4 Expectare Lucem, & poni in tenebris, eſt in futuro Iudicio ſperare miſericordiam impœnitentes, & ad infernales tenebras deſtinari: quare ait Hieremias *cap. 13. verſ.16. Expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem*: & D. Hieronymus *lib.3. in Hierem. pag.260. lit. A. Prius ergo quā Iudicis tempus adueniat &c. agamus pœnitentiam; ne expectantes lucem noctis tenebris innoluamur.*

5 Expectare Veſperam, eſt viros Iuſtos, & contemplatiuos deſiderare tentationes, ne propter virtutum affluentiam in ſuperbiam cadant: vt ait Iob: *cap. 7. v.4. Et rurſum expectabo Veſperam*; Vbi D. Gregorius *lib.8. cap.6. mor. pag.482 lit. E. Electus quiſque tentari ſe præſentis vitæ aduerſitatibus poſt virtutes deſiderat, ne peius ex virtutum confidentia cadat.*

6 Terram promiſſionis expectare pluuiam de Cęlo, eſt Eccleſiam, ſeu Animam deſiderare, & petere diuinam gratiam: vnde dicitur: *Deuteron cap. 11. verſ.11. Terra enim, ad quam ingrediens poſſidendam &c. de cælo expectans pluuias*: & Lyranus. *Deſiderans, & poſtulans affluentiam diuinarum gratiarum.*

7 Expectare lucem, & non videre, eſt Iudæam prophetare Chriſtum venturum, ſed venientem non cognoſcere: cui applicari poteſt illud *Iob. cap.3. verſ 9. Expectet lucem, & non videat*: Et D. Gregorius *lib 4. cap. 14. mor. pag. 385. lit B. Iudæa quidem lucem expectauit, & non vidit; quæ humani generis Redemptorem venturum quidem prophetando ſuſtinuit, ſed venientem minime cognouit.*

8 Expectant Viri ſancti mortem & non venit, cum mortificari cupientes, honoribus extolluntur: de quibus Iob: *ibid. verſ 21. Qui expectant mortem: & non venit*: Et Idem D. Gregorius *lib. 5. cap.4. pag. 404. lit. C. Deſiderant quippe mortificare ſe funditus, atque ab omni vita gloriæ temporalis abſtinere: ſed occultis ſæpe Dei iudicijs, vel præeſſe in regimine, vel occupari iniunctis honoribus compelluntur.*

9 Expectant itidem Viri ſancti bona, & ſuſcipiunt mala, deſiderant lucem, & inueniunt tenebras, quia ad gaudia Paradiſi volare cupientes, hìc a Deo detinentur, & tribulationibus agitantur: Id ſignat. Iob *cap.30. verſ.26. expectabam bona, & venerunt mihi mala; præſtolabar Lucem, & eruperunt tenebræ*, & D. Gregorius *lib.20. cap.27. moral. pag.781. lit. E. Fidelis enim Populus expectat bona, ſed mala ſuſcipit: præſtolatur lucem, & tenebras incurrit; quia per remunerationis gratiam intereſſe iam iamque Angelorum gaudijs ſperat; & tamen hic diutius dilatus, manus perſequentium tolerat.*

10 Expectare Prædicatorem vt pluuiam, eſt per humilitatem ſuam ariditatem, & neceſſitatem irrigationis Verbi Dei cognoſcere: de quo Iob *cap. 29. verſ. 23. Expectabant me ſicut pluuiam*: & Ibidem D. Gregorius *lib.20. cap.2. pag.757. lit. E. Verba quippe ſancta prædicationis, ſicut pluuiam ſaſtinemus; cum vera humilitate ariditatem noſtri cordis agnoſcimus, vt potu ſanctæ prædicationis irrigemur.*

Verſus Vigeſimus octauus.

תִּתֵּן לָהֶם יִלְקֹטוּן תִּפְתַּח יָדְךָ יִשְׂבְּעוּן טוֹב׃

Verſio ex hebræo: *Dabis eis, colligent; aperies manum tuam, ſatiabuntur bono.*

Vulgata editio. *Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.*

D. Hieronymus. *Replebuntur bono.*

Teſtus Arabicus. *Et cum tu dederis viuent, & cum extenderis manum tuam ſaturabuntur.*

RADIVS

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

VErbum שׂבע *ſaturari*, *ſatiari*, *expleri*, *&* *repleri* ſignificat, quæ omnes ſignificationes optimè congruunt huic verſui, cùm ex liberali Dei Prouidentia omnia deſideratis bonis ad plenum ſatiari ſignificet: in reliquis nulla eſt verſionis varietas niſi in modo loquendi, qui ſenſum non variat. Quod autem ad literalem commentum attinet abundè de Diuina Prouidentia dictum eſt: Quia verò hìc ſpecialiter liberalitas Dei notatur, quòd aperiens manum ſuam omnes bonis repleat etiam indignos, & peccatores: de ea pauca ſubiungam.

Diuina Prouidentia tam bonos, quam malos paſcit.

1 D*Ante te illis colligent &c.* Obſeruat Incognitus, quòd Propheta hic declarat vniuerſalem Dei Prouidentiam, quæ omnibus ſiue bonis, ſiue malis æqualiter prouidet: *Per hoc vult oſtendere Pſaltes, quod omnes tam boni quam mali eſcas habent a Deo.* Cuius magnanimitatem volens nos imitari Chriſtus Dominus, cum Inimicis benefacere docuiſſet, Dei exemplum adduxit: *Matth. cap. 5. verſ. 45. Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in Cælis eſt: qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Quo etiam argumento & Seneca vſus eſt, dum ſuadens etiam ingratis, & iniurijs beneficia præſtare, a diuino id confirmat exemplo, inquiens *lib. de Benefi. cap. 25. Si Deos imitaris, da & ingratis beneficia, nam & ſceleſtis Sol oritur, & Pyratis patent maria.* Hùc etiam reuocari poteſt parabola de zizaniis, noluit enim illa Dominus euelli, ne cum eis eradicaretur triticum, ſed voluit illa vſque ad meſſem, ad debitum incrementum vna cum tritico peruenire: *Matth. cap. 13. verſ. 30. ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Quod quidem præſtantius eſſe docetur, etiam malis benefacere, ne bonis aliquid deſit, quam ſimul & malis, & bonis deeſſe; vt ait etiam Seneca *loc. cit. cap. 28. Satius eſt autem prodeſſe etiam malis propter bonos, quam bonis deeſſe propter malos.*

2 Ex hoc ergo magna Dei Prouidentis liberalitas oſtenditur, qua ita prouidet creaturis ſuis, vt nec ipſis malis, ſceleſtiſque hominibus neceſſaria deneget. Recole illius Diuitis Peccatoris vberes agrorum fructus, quos Lucas *cap. 12. verſ. 16.* memorat. *Hominis cuiuſdam Diuitis vberes fructus ager attulit.* Quod conſiderans magnus Baſilius *Hom. in Diteſcen. pag. 150. col. 2. lit. C.* non ſine admiratione inquirit, cur peccatoris hominis abundauerit ager? Reſpondetque, id factum eſſe ad Dei Prouidentis longanimitatem demonſtrandam, qui nec peccatoribus rerum abundantiam negat. *Cur igitur abundauit ager hominis, nihil boni ex copia facturi? Vt maior Dei longanimitas appareret, quando vſque ad tales quoq; eius bonitas extenderetur, qui pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.*

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

D*Ante te illis &c.* De Diuina Prouidentia his duobus verſibus agens Propheta, in primo materiam diſputabilem ſubminiſtrauit, cum de Creaturarum neceſſitate per eam reparata, meminit, in præſenti verò Diuinæ bonitatis haud oblitus, materiam magis moralem tangit, cùm dicit: *Aperiente te manum tuam omnia replebuntur bonitate.* Aperit namque manum Deus ad animas bonas efficiendas, cum ſcripturarum intelligentiam ad noſtram eruditionem exponi largitur. Dat inſuper liberalis Dominus nobis neceſſaria, etiam non petentibus; & aperuit manum ſuam in incarnatione Filij, vt ille in cruce manus ſuas ad nos ditandos aperiret.

SVMMARIVM.

1 *Deus ante petitionem noſtram nos beneficiis afficit.*
2 *Deus in Incarnatione Filii manum ſuam ad noſtram vtilitatem aperuit.*
3 *Chriſtus in Cruce manum aperuit, vt omnes repleret bonis.*
4 *Ex Creatoris præſentia omne bonum prouenit creaturis.*

§. I.

Deus ante petitionem noſtram nos beneficiis afficit.

1 D*Ante te illis colligent*. Prouidentis Patris familias, cui ſe ſimilem dixit Dominus, munus eſt, ita neceſſitatibus filiorum ſuorum proſpicere, vt omnia eis abundè ſuppeditentur, etiam antequam vel ea poſtulent, vel illis ſe indigere ſentiant: etenim ſi ipſam egeſtatem expectet, præterquamquod non ſemper ſibi liceat prouidere, quæ opportuno tantum tempore reperiuntur, etiam imprudentis viri calumniam audiet. Creator verò noſter, licet omnia in ſua poteſtate habeat, poſſitque pro libito prouidere, nihilominus tamen ſua ipſius charitate coactus, etiam quando minus ſperamus, etiam dum inopiam minimè ſentimus, omnia ſua bona miſericorditer elargitur. Quod indicans Pſaltes ait: *Dante te illis colligent*: & ſubdit *Ioan. Baptiſta Folengius in Pſal.* 103. *Dante verò Domino, cuncta, etiam præter ſpem, atq; expectatione prouenıunt bona.*

2 Obſequentes famuli iuſti, clementiſque Principis ſeruitio deputati, aliud ſub eorum ſollicitudine haud cadit, niſi quod ad Domini obſequium, ſeruitutemque pertinet; in hoc, vt decet, præſtando omnem adhibere diligentiam, omnem impendere laborem tenentur; cæterum de iis quæ ad victum, veſtitumque pertinent, ceteraque huiuſmodi, cogitare eos non cogit prouidentiſſimus Dominus, nam hæc omnia ſuis temporibus ſubminiſtrat. Errant ergo omnes Dei ſeruituti addicti, qui prouidentiſſimum, ac amantiſſimum cum habeant Dominum, nimis in his neceſſitatibus comparandis laborant: quam nimiam ſollicitudinem amouere a ſuorum ſeruorum cordibus ſatagens, vetuit eis. *Matth. cap.* 6. *verſ.* 32. *Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*: Et rationem reddit, quia aliud niſi ei deſeruire nobis cogitandum non eſt, nam ipſi cura de reliquis. *verſ.* 33. *Quærite ergo primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*. Quaſi diceret: Vnum vobis, o mei famuli, curandum eſt, vt iuſtitiam Regni mei adimpleatis, voluntati meæ obſequentes, mihique cum ſollicitudine, & amore ſeruientes; alia verò nec quærere, nec de iis cogitare oportet, nam etiam non quærentibus vobis abundè concedentur: quod intelligens D. Auguſtinus, *De ſer. Dom. in mon. lib.* 2. *cap.* 7. *to.* 4. *pag.* 349. *lit. B. Non ait vtique: Primum quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & deinde hæc quærite; ſed hæc omnia, inquit, apponentur, ſcilicet, vobis etiam non quærentibus*. Quam felix qui Deo ſeruit eſt, vnum ſi curet, Domino placere, reliqua omnia aſſequetur bona.

3 Multum licet laborent, operenturque Milites in certamine pugnantes fortiter; totā tamen eorum victoriam, gloriamque Duci debent; nam niſi ille prouidentiſſimè, fortia dediſſet arma, aptum ad præliandum delegiſſet locum, in ipſo prælio opportunitatem nactus quæ vtiliora eſſent imperaſſet, nec parta victoria, nec præmium conſequutum eſſet. Ad militem ergo ſolum gnauiter dimicare pertinet, reliqua prouidere Imperator debet, vnde ſi victor coronatur miles, Ducis eſt opus, & gloria. Nobis ſimiliter cum antiquo Dei hoſte pugnandum eſt, cæterum victoria, & corona noſtra Dei eſt, qui arma elargitus, coronam facilem reddidit: Idcirco, vt hanc fateretur veritatem canebat Rex Sanctus *Pſal.* 5. *v.* 15. *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*. Voluntas enim Dei præueniens voluntatem noſtram, ipſam gratia armat ad pænitentiam, quibus armis hoſtem euincens coronam comparat; vt optimè docet D. Auguſtinus *Pſal.* 5. *tom.* 8 *pag.* 13. *col.* 1. *lit. B. Bona enim Voluntas Dei præcedit voluntatem noſtrā, vt peccatores vocet ad pænitentiam: & ipſa ſunt arma, quibus expugnatur inimicus*. Ne ergo ſollicitus ſis de armis, nec de certaminis electione miles chriſtiane, nam ſub Prouidentiſſimo Duce mereris, qui tibi fortiter agenti omnia ſubminiſtrabit.

4 Exemplum huius videre eſt in Peccatorum maximo, ac publicanorum Principe Zacheo, hic dare nomē Chriſtianæ militiæ cupiebat, ſed inermem ſe ratus tantum hoſtem aggredi formidabat; ea propter vt hanc a Domino peteret gratiam, ſtatura parum adiuuante, in Arborem conſcendit, vt viſo Ieſu ab eo id impetrandi opportunitas ſeſe offerret. Sed quid prouidentiſſimus Dux, petitionem expectauit, ſe obnixè rogari permiſit, poſt pænitentiam expectauit? minimè id quidem, ſed nihil dicentem vocauit, ſua gratia præuenit, pænitentia armauit, ac ad vincendum diabolum ſtrenuum reddidit, dicens, *Luc. cap.* 19. *verſ.* 5. *Zachee feſtinans deſcende*: ecce vocationem: *quia hodie in domo tua oportet me manere*: ecce præueniens gratia: *verſ.* 8. *Dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus*; ecce pænitentiæ veræ arma impenetrabilia; quæ omnia diuinæ Prouidentiæ opera ſunt; audi Chriſoſtomum *in Luc. ſer. de Zacch. to.* 2. *col.* 1139 *lit. C. Qui cum deſideraſſet videre Dominum, & ob hoc in arborem aſcendiſſet, præueniente Domino, conſpicitur, & vocatur; & illico in domo eius ad conuiuandum ipſe declinaturum ſe eſſe promittit* Vide optimum Ducem, etiam non quærentes, ſtrenuos vocare, & armare milites.

5 Gaudent Principes potius aliquod eorum nomen glorioſum innoreſcere, quam proprium: quia per illud ſimul cum nomine, aliquid eius virtutis, vel fortitudinis innoteſcit. Ita Hiſpaniarum Monarca, magis Catholici gloriatur nomine quam Regis, ob pulſos infideles, puritatemque fidei quam profitetur: ſic magnus Alexander, pius Metellus, Auguſtus Octauius, &c. Sed Perſarum Monarca Artaxerſes Longimanus appellari maluit, potius ob liberalitatis ſtudium, quam propter dexteram longiorem; ita etiam Alphonſus VI. Rex Hiſpaniarū, qui Toletū a mauris eripuit perforatæ manus nomen obtinuit ob ſuam liberalitatem, non vt nonnulli fabulantur ob terebratam a mauro Rege dexterā. Deus optimus maximus Duo habet nomina, alterum Naturæ, alterum gratiæ; primum ei conuenit vt Deus eſt, ſecundum ex ipſa larga beneficientia in ſeruos ſuos. Primum nomen hebraico idiomate dicitur: יהוה *Iehouah*; quod græci tranſtulerunt ὤν, *On*; Latini verò, quia participium verbi ſubſtantiui non habent, tranſtulerunt, *Qui eſt*; ſed poſtmodum a logicis repertum, & fictum fuit hoc participium *Ens*. Nomen ergo Dei proprium eſt *Ens* nam ſic appellatur a ſacra ſcriptura, & etiam a Platone Philoſophorum maximo, ſolum in articulo differens a Moyſe, vt notat Sanctiſſimus Martyr, ac Philoſophus Iuſtinus *in Hortat. ad Græc. pag.* 16. *Hoc viri Græci an non qui intelligere, duo non poſſunt, videtur vnum & idem, cum ſolo articulo differat? Moſes ὁ ὤν, (id eſt, Qui eſt) dixit; Plato autem τὸ ὄν (id eſt Quod eſt) quorum vtrumque Deo conuenire conſtat.* Sed varietas non eſt in Moyſe, qui hebraicè, non græcè ſcripſit, ſed in tranſlatore. Hoc Dei nomen diſcere cupiebat Moſes, & ideo rogabat: *Exod. c.* 3. *verſ.* 14. *Quod eſt nomen tuum?* cui indicauit, dicens: *Ego ſum qui ſum &c. Qui eſt miſit me ad vos*. Sed hoc minimè contentus, addidit *verſ.* 15. *Deus Abraham, Deus Iſhac, & Deus Iacob miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum*. Cur autem minimè poſtulatus ſecundum hoc nomen vltrò protulit? Quia primum eſt nomen omnipotentis Maieſtatis, quæ ſolum verè eſſe, & a ſe, & per ſe exiſtere Deum monſtrat; ſecundum verò nomen, beneficii, pietatis, & gratiæ eſt, & quia magis de ipſo gloriatur Prouidentiſſimus Dominus, vt ſpem ſuæ ingereret Prouidentiæ, a ſe ſponte illud propalauit. Id fatetur Ruper-

Digitized by Google

Rupertus Abbas Tuitienſ. *lib. 1. c. 14. in Exod. to. 1. pag. 204. col. 2. Duo, inquam, nomina ſua deprompſit; quorum alterum, ſcilicet. Ego ſum qui ſum, natura eſt: alterum vero gratiæ, vel dignationis, videlicet, Deus Abrahã, Deus Iſhac, & Deus Iacob; quod nomen, inquit, mihi eſt in æternum, & hoc, quia gratiæ eſt, idcirco iam ſupra non interrogatus vltro protulerat.* Magis ergo gaudet Dominus titulo clementiſſimi, quam potentiſſimi, & in tantum, potentiam ſuam magnificauit, in quantum per eam nobis benefaciendi obtinet facultatem.

§. II.

Deus in Incarnatione Filij manum ſuam ad noſtram vtilitatem aperuit.

1 A*Periente te manum tuam omnia implebuntur bonitate:* Habet & Deus methaphoricè manum: eſtque hæc omnipotentia, qua cuncta operatur. Quia verò omnia in ſapientia, quæ Filius eius eſt, facit, vt ſuo loco vidimus, rectè Filius Dei manus appellari poteſt, ſed quando clauſa extitit, quando hęc manus aperta eſt? Vtique ante incarnationem clauſa erat, quia mũdo ignota: clauſum erat hominibus Cœlum, non ita ab illo gratiæ abundè deſcendebant: cum autem Diuinum *Verbum caro factum eſt*, aperta eſt hæc manus, notificatum mundo eſt Trinitatis myſterium, apertum eſt Cęlum, & ad noſtram vtilitatem gratiarum abyſſus reſerata eſt. Ita ſentire videtur Eminentiſſimus Hugo Caren. *in Pſal. 103. Manus Patris, per quam operatur, eſt Filius, quam aperuit, cum Filium in carne manifeſtauit, & tunc, quantum in ipſo fuit, omnia impleta ſunt bonitate, quia homines bonas vias docuit, & eos bonos fecit.*

2 Manifeſtum ſanè, eſt, quòd quantò plenior diuitiarum illa manus eſt, quæ ad largiendum liberaliter aperitur, tantò maiores vtilitates ex ea percipiunt ii, ad quorũ vtilitatem reſeratur. Quare cum homines ineffabilibus donis afficere, maximiſque gratiis donare vellet Omnipotens omnia bona ſua, omnemque gratiam in manu ſua per incarnationem nobis aperienda, congregauit. Vnde ait Apoſtolus de Chriſto, *ad Coloſſenſ. cap. 2. verſ. 9. Quia in ipſo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter:* & quare? vt nos repleremur, nam ſubdit: *& eſtis in illa repleti.* Itemque Euangeliſta Ioann. *cap. 1. ver. 14.* hanc pleuitudinem cum narraſſet: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis:* & ne otioſam hanc plenitudinem crederemus, ex ore prædicantis Baptiſtæ ſtatim ſubdidit, *verſ. 16. De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Vt apertè noſceret mundus omnes gratias, diuitias, virtutes, beneficia, glorias in hac Dei manu poſita, ad noſtram vtilitatem collata eſſe, vt nos repleremur, cum propter nos aperiretur: quod fusè ita demonſtrat D. Fulgentius Ruſp. Epiſc. *lib. 3 cap. 5. de Sacr. Dom. Paſſ. pagin. 467. col. 2. Quæ autem eſt Vnigeniti plenitudo, niſi permanens impaſſibilis, atque immortalis Diuinitas Chriſti? In quo mortalis homo plenus eſt gratiæ, & in quo perfectus Deus plenus eſt veritatis; quod procul dubio Plenitudinis nomẽ, vt Diuinitatis eſſe monſtraretur, Apoſtolum de Chriſto loquentem pariter audiamus: Quia in ipſo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Quæ autem ſit, quæ in Chriſto inhabitat plenitudo Diuinitatis, Ioannes oſtendat: Verbum, inquit, caro factum eſt, &c. De iſta plenitudine Baptiſta Ioannes nos aſſerit accepiſſe: De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quidni tanta gratiarũ abundantia, tam plena reſerata manu ditaremur?

3 Nec magna videtur nobis hæc Diuinitatis largitio, hæc Diuinę apertio Dexteræ? Magnam vtique fateamur: nam qui pauperes, debiles, miſeri in cęno culparum noſtrarum iacebamus, à noſtra cœleſti exulantes Patria, impotentes ad eam redeundi præ gratiarum inopia, inueniebamur: ſed pientiſſimus Dominus nobiſcũ fecit, vt facere adſolet Diues cum pauperem peregrinũ, & ægrum offendit; illi namque manum largè apetiens magnam Nummorum quantitatem largitur, quorum auxilio, & ſanitatem recuperare, & ad Patriam ſuam redire poſſit: ita Deus fecit nobis, qui eramus ſine gratia pauperes, per culpam ægri, à Paradiſo exules, & peregrini, aperuit manum ſuam Filium carne veſtiendo, quæ gratiis non repleuit, & ad infirmitatem culpæ abiiciendam, & ad redeundum in Cęlum. Quod beneficium recolens Pſalm. 117. *verſ.* 16. commendat dicens. *Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltauit me*, & acutiſſimus Chriſologus clarius exponit, dicens. *ſerm 33 pag. 277. columm. 1. Dextera Domini Chriſtus eſt (inſtrumentum Deo coniunctiſſimum) & verè exaltauit nos, quos de profundo extulit, & eleuauit in Cœlum* Benedicta ſit Dextera illa Diuinitatis, quæ ſic nos ditauit, & exaltauit.

4 Fatuitatis inſimularetur pauper aliquis, qui Diuitem manum ſuam aperire, ad illi benefaciendum volentem, probiberet, nam contra ſe ipſum ageret. Cum ergo Centurionis ſeruus ægrotaret, volentem Ieſum ad ipſum curandum accedere, Matth. *cap. 8. verſ. 7. Ego veniã. & curabo eum*, prohibuit, dicens: *verſ. 8. Domine non ſum dignus:* Humilis re vera reſponſio, ſed importuna, nam aperire volentem Dominum grariarum manum cohibebat, quid agis Centurio? ne manum apertam claudas, ideo namque incarnatum eſt Verbum, ideo hæc Diuinitatis aperta eſt manus, vt ſubueniret miſeris, leuaret iacentes, ſanaret ægros, & eos, qui ad ipſum accedere non poterant, ipſe veniens curaret, & liberaret; quare citatus Doctor ait, *ſerm. 15. pag 260. columm. 1. Centurio magis ſic ſentire, magis ſapere ſic docetur, quare ad ſeruum in ſeruo venerit Chriſtus, quare ad hominem venerit in homine Deus: vtique, vt leuaret iacentes, eliſos erigeret, ſolueret compeditos; & eos, quos afferre, vel offerre nemo poterat, ipſe operis ſui Vector clementiſſimus baiularet.* Ita manum ſuam in Filii ſui incarnatione aperiens Deus magnam nobis attulit vtilitatem.

§. III.

Chriſtus in Cruce manus aperuit, vt omnes repleret bonis.

1 A*Periente te manum tuam, &c.* Licet hęc manus in incarnatione Verbi aperta nobis fuerit, nondũ tamen extenſa; vt enim ex apertione manus Diuitis ditetur pauper, haud ſatis eſt vt ille manum aperiat, ſed neceſſe eſt inſuper, vt eam ſic apertam boniſque plenam ad pauperem extendat, En tibi illico manifeſta cauſa eſt, cur Dominus Crucis ſupplicium magis elegit, quam quodlibet aliud, vt videlicet manus ſuas extendendi occaſio porrigeretur, in Cruce ad nos hæc Diuinitatis manus extenta eſt, quandoquidem nonniſi per crucem eius gratiæ participes effecti, bonis omnibus replemur, miſericordiam, gratiam, ac meritorum copiam, ipſamque gloriam conſequimur: vnde ait Chriſoſtomus, *in Pſalm. 103. Facilitatem eam, qua Deus bona ſubminiſtrat, his verbis indicauit: quemadmodum enim digitos contractos extendere facile eſt, eodem quoque modo Deo bona omnia dono dare promptum, ac procliue eſt Quamquam etiam per manus apertionem Chriſti in Cruce extenſionem intelligere conuenit, per quam omnia impleta ſunt bonitate, hoc eſt humanitate, & miſericordia; ſiquidem omne peccati genus Crucis beneficio condonatum eſt.*

1 Sed audio Dominum apud Iſaiam de hac manuum ſuarum extenſione loquentem, & inſuper dolentem populum, ad quem extendit manus, ſua munera recuſaſſe, *capit. 65. verſicul. 2. Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non*

bona

Digitized by Google

bona poſt cogitationes ſuas. Fortè timent mortales ad Deum, etſi manu reſerata inuitantem ad munera, accedere, tum tantam veriti maieſtatem, tum etiam multitudinis peccatorum ſuorum conſcii, quæ confuſionem parit. Verum Filii hominum nolite timere, mementote & Patrem eſſe illum, quem Dominum formidatis; manus eſt, ſed per Paſſionem Crucis ad nos extenta; non enim ad propriam tantum pęnam, ſed ad noſtram vtilitatem Corpus eius ſanctiſſimum extenditur: Verbis Chriſologi, *ſermon.* 108. *pagin.* 344. *column.* 1. vos alloquor. *Nonne qui expandit manus ipſo habitu rogat? &c. videte, videte in me corpus veſtrum, membra veſtra: & ſi quod Dei eſt, timetis, quare, vel quod veſtrum eſt non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad Parentem? Sed forte vos Paſſionis meæ, quam feciſtis, magnitudo confundit? Nolite. Crux hæc, non meus, ſed, mortis eſt aculeus. Claui iſti non mihi infigunt dolorem, ſed veſtram mihi infigunt altius charitatem. Extenſio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam creſcit in pęnam.* Si ergo Deum auditis ad apertas, ac extentas manus miſericordiæ properate.

3 Si in aliquod sphęricum globũ nummos quis collocat, cum ibi illi conſiſtere nequeant, ſtatim in terram, vel in ſuppoſitam manum ruunt. Non ergo ſolum Diuinitatis manus in incarnatione aperta, & in crucis paſſione extenta eſt, verum etiam ſphęricæ figuræ eſt, cumque gratiis ſit vndequaque plena, eas in volentes, & amantes animas reliquum eſt decidere: Id benè callebat Cœleſtis Sponſa, cum Diuinum laudans Sponſum de eius manu dicebat Cantic. *cap.* 5. *verſ.* 14. *Manus illius tornatiles aureæ plenæ Hyacinthis*. Crux ergo quaſi Tornus Diuinam manum Chriſtum tornatilem fecit, poliuit, tornauit, vt cum plena ſit gratiarum hyacinthis, auroque meritorum, ex ipſo in omnes facilè cadant, & omnes illius vbertate ditentur. Quare ait Cardinalis Hugo, *in capit.* 5. *Cantic. pagin.* 131. *column.* 2. *Tornatiles, quia quaſi torno quodam artificioſè dona largitur; vnde ſubdit, Aurea, per Sapientiam ſcilicet; plenæ hyacinthis, ideſt ſpiritualibus donis; &c. Tornatiles contra tenacitatem; quod enim tornatile & rotundum eſt nihil curui de leui retinet: Tornatiles ergo ſunt in citò & hylariter tribuendo*. Sic ergo hæc manus diuina pro noſtra ſalute, & gratia aperta & extenſa eſt.

§. IV.

Ex Creatoris præſentia omne bonum prouenit creaturis.

1 O*Mnia implebuntur bonitate*: Deus vbique eſt, neque diſtingui, aut ſeparari loci differentiis poteſt; quidquid enim eſt, in Deo eſt, neque niſi in ipſo conſiſtere poſſet. Conſequens eſt igitur vt à nullo ſit abſens, nullique fieri denuo præſens poterit Deus. His tamen non obſtantibus dicitur Deus ſpecialiter in aliquo eſſe loco, cum ibi aliquid ſpeciale vltra communem conſeruationem operatur. Dicimus namque Deum eſſe in Cœlo, non quia ſolo Cęlorum ambitu contineatur, ſed quia ibi manifeſtat gloriam ſuam, Electiſque ſuis ſe conſpiciendum præbet, illoſque beatos reddit. Cum ergo Dominus aperit manum ſuam, vt nobis benefaciat, nobiſcum eſt, atque ex eius pręſentia omne deſiderabile bonum nobis & in anima, & in corpore percipiemus. Vnde ait Halenſis, *in capit.* 21. *Apocalipſ. pagin.* 404. *column.* 2. *Omne bonum tibi erit ex præſentia Diuinitatis, & Humanitatis: vnde Pſalm. Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: vnde implebitur rationalis plenitudine Lucis; iraſcibilis plenitudine pacis; concupiſcibilis plenitudine amoris*..

2 Solem Diuinæ Maieſtatis ſimulacrum eſſe ex multis patet, ſed illud pręſertim maximam parit ſimilitudinem, cum ex communicatione ſui luminis alia luminaria efficit, Lunam præcipuè, quæ nobis aliis ſyderibus magis collucet. Luna enim cum ex ſe corpus ſit candidum, & illuſtre, ac luminis recipiendi aptiſſimum, ita radios excipit Solis, vt & ipſa viciſſim communicet aliis corporibus: Sole ergo ei præſente Luna luminare eſt, ſed eo abſente lumine carens eclypſatur De horum luminarium effectibus aiebat Propheta Habac. *capit.* 3. *verſicul.* 11. *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo*. Sed magis fauet nobis Translatio Septuaginta: *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo*: neque enim ſine Solis præſentia Luna exiſteret luminoſa. Idem videre eſt in Anima ex diuini Solis præſentia, nam ita illuminatur, vt non ſolum ipſa ſpiritualis, ex Diuini Spiritus afflatu, fiat, ſed & lumen ſuæ gratiæ aliis etiam communicet, vt oſtendit Magnus Baſilius, *libr. de Spir. S. cap.* 9. *pagin.* 309. *lit. B. colum.* 1. *Quemadmodum corpora illuſtria, perlucidaque contacta radio Solis fiunt & ipſa ſupra modum ſplendida, & alium fulgorem ex ſeſe profundunt: ſic & animæ ſpiritu afflatæ, ac ſpiritu illuſtratæ fiunt, & ipſæ ſpirituales, & in alios gratiam emittunt*. Nam & ideo fortaſſe de quodam iuſto, ac ſancto Sacerdote ait Sapiens extitiſſe: Eccli. *capit.* 50 *verſicul.* 6. *Quaſi Luna plena in diebus ſuis*: numquam Dei præſentia, afflanteque ſpiritu deſtitutum.

3 Quamdiù Sol præſens eſt nullæ dominantur tenebræ, nox accedit nulla: quæque ex eius receſſu tenebræ exortæ fuerint, ad eius reditum diſſipantur. Noctis nomen Morti conuenit, quæ Somni germana nuncupatur, tenebra verò mortalis ægritudo haud ineptè vocatur: Domino ergo Ieſu Iuſtitiæ Sole abſente à Domo Petri febris ſocrum eius lethalis inuaſit, quæ horribilis tenebra noctem minabatur mortis; verum Domino denuo accedente, eamque ſua colluſtrante gratia receſſit febris, mors accedere non præſumpſit: nam Matth. *capit.* 8. *verſicul.* 15. *Tetigit manum eius, & dimiſit eam febris*: neque enim ingrediente Sole tenebra poterat permanere: teſtetur id D. Petr. Chriſolog. *ſerm.* 18. *pag.* 262. *col.* 2. *Videtis quomodo dimiſit febris, quem tenuerit Chriſtus: ibi nõ eſt infirmitas vbi Author ſalutis aſſiſtit: acceſſus illuc mortis nullus eſt, vbi viuificatoris ingreſſus eſt*. Nulla enim Lucis ad tenebras conuentio eſſe poteſt.

4 Vulgò iam dicitur, quod homines, quibus proſperitas ineſt, Deo ſint dilecti, ac eos benigne reſpicere; Deus enim, cuius oculis omnia aperta ſunt, nihil videt noui, niſi noua beneficia conferenda. Cum ergo Dominus ad ad filiam cuiuſdam principis ſuſcitandam properaret, in ipſo itinere mulier quædam, quæ ſanguinis patiebatur fluxum, magna cum fide ad eum acceſſit, ſperans ſanitatem ſi tantum fimbriam veſtis eius tangere poſſet: Ieſus autem volens eam ſanare, reſpexit illam, Matth. *capit.* 9. *verſicul.* 22. *At Ieſus conuerſus, & videns eam, dixit: confide filia fides tua te ſaluam fecit*: Sed dico; quid neceſſe erat eam videre? forte neſciebat quis eſſet, & cupiebat eam noſſe? Nequaquam, ſed viſio Domini, Dei aſpectus ſanitatem ſecum afferebat; ille felix eſt, quem Deus videt, vidit mulierem illam, & liberando ab ægritudine felicem reddidit: aſpexit illam, non vt noſceret, ſed vt ſanaret: audi citatum Chriſologum, *ſermon.* 34. *pagin.* 278. *column.* 1 *Vidit eam diuinis oculis, non humanis; vidit vt ſaluti redderet, non vt agnoſceret quam ſciebat: vidit eã; donatur bonis, malis caret quem viderit Deus. Hoc Vniuerſitas ſentit in vſu de felicibus, ſic dicendo; vidit illum Deus; Vidit ergo iſtam Deus, quam curando reddidit ſic felicem*. Omnis felicitas viget vbi præſens eſt Dominus.

5 De Topatio lapide ſcribitur, quod tantæ virtutis ſit, vt ſi immittatur in ebullientem aquam tepeſcere eam faciat, feruoribus omnino ſedatis; ita quod tutò intra eam aquam manus immitti poterit ad ipſum extrahendũ topazium; refert hoc Beatus Albertus magnus. *Expertum eſt in noſtro tempore, quod ſi Topazius in aquam ebullientem mittatur, ita deferueſcere facit, vt ſtatim*

manu

Digitized by Google

manu immiſſa extrahatur. Enim verò ſi huius prætioſi lapidis præſentia, ad motus componendos ebullientis aquæ valida reperitur; quid non prætioſiſſimæ Dei præſentiæ concedendum erit? Sane vbi in corda hominum, vel ira commota, vel ſuperbia tumida venerit, ſtatim quietat inordinatos motus, pacemque potentiis indicit malis paſſionibus deturbatis; neque erit niſi pax, vbi æterna Pax ſe contulerit. Præfiguratum hoc fuit in Nauicula illa, quæ maris tempeſtatib. agebatur; inquam ingrediente Domino ceſſauit tempeſtas, vt refert Matthe-us, *cap. 14. verſic. 32. Et cum aſcendiſſet in Nauiculam, ceſſauit ventus.* ex quibus verbis ita philoſophatur HRabanus Maurus, *lib. 5. in cap. 14. Matth. tom. 5. pag 92. lit. F. Nec mirandum, ſi aſcendente in naniculam Domino, ventus ceſſauit; in quocumque enim corde Dominus per gratiam ſui adeſt amoris, mox vniuerſa vitiorum, & aduerſantis mundi, ſiue ſpirituum malignorum bella compreſſa quieſcunt, quia cum ſit pax, pacem infert.* Aperi quæſo manum tuam Domine, mitte nobis manum tuã Ieſum omnibus refertam gratiis, vt ſedatis mundi tempeſtatibus, nocteque culparum propulſata, omnibus repleat bonis; illuſtrentur corda noſtra tanti luminis claritate.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimusoctauus.

Dante Deo colligent, aperiente manum ſuam Mariam omnes replebuntur bonis.

DAnte, &c. Qui maximè aqud Reges valent, quoſque illi ſummopere diligunt, non immeritò Principum manus nuncupabimus. Quidquid enim Rex agit, quidquid vel præmij largitur, vel gloriæ confert, per illos datur: nec ſatis eſt Regem beneuolum habere, qui in ſui Chariſſimi gratia non reperitur, Deus Optimus Maximus in Animarum gubernatione Mariam Miniſtram conſtituit, & quaſi manum ſuam fecit; nam omnes gratiæ per eam in nos deſcendunt, nec niſi per illam ad Deum conſcenditur: quare ait Diuus Bernardus Abb. Clareu. *ſermon. 3. in Vigilia Natiuitatis Domini, pagin. 45. liter. C. Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.*

Maria Virgo Dei Manus eſt, per quam omnia nobis elargitur.

1 QVæcumque ad Principis ſeruitium deputatæ ſunt fœminæ, eæ numquam cum eo familiariter loqui permittuntur, ſed vt aliquid habeant boni, vel gratiæ conſequantur Dominæ ſuæ placere ſtudent, per cuius manus beneficia à Domino conſequuntur. Omnes nos dum in hac miſerabili vita, ſeu verius, crudeli exilio viatores ſumus, adeo ſumus imbecilles, vt fortitudini Beatorum comparati, fęminæ videamur: ideoque in Dei Ancillarum numero cunctæ deuotæ Animæ referuntur. Has propter quotidianas culpas ad Deum accedere, gratiaſque petere, ſine mediatrice nefas eſt: Ea propter Clementiſſimus Dominus manum ſuam Mariam nobis Reginam, & Aduocatam dedit, per cuius manus ſua beneficia reciperemus. Nouit hoc Pſaltes; & ideo Ancillis nos comparat, canens, Pſalm. 122. *verſ. 3. Sicut oculi Ancillæ in manu Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum*: Sed fortaſse, cum dixit Dominum, Dominam dicere intelligebat, vide nos Ancillis perſimiles ad Dominæ noſtræ manus inſpicere debere, nam ſicut Ancillæ per Dominæ manus beneficia à Principe accipiunt, ſic nobis per Mariæ manus omnia bona ſua elargitur: ita exponit Pſalmiſtam Diuus Bonauentura Cardinalis, *in ſpecul. Virg. lect. 3. tom. 6. pag. 455. lit. D. Sicut oculi Ancillæ in manu Dominæ ſuæ: Oculi omnium noſtrum ad Mariæ manus ſemper debent aſpicere, vt per manus eius aliquid boni accipiamus, & per manus eius quidquid boni agimus, offeramus. Per manus enim illius Dominę habemus, quidquid boni poſſidemus.* Bona Domina eſt Maria, quæ ſemper manus ad noſtrum beneficium apertas habet.

2 Principes inſuper Magni manu ſua pauperibus erogare eleemoſinam dedignãtur; ea propter quemdam ſibi probatũ virum eleemoſinarium conſtituũt; accedentib. autem egenis, quidquid ei Princeps largitur, per eius Eleemoſinarii manus elargitur. Dicamus quæſo Deum nobis per manum ſuam Mariam nobis gratias impertiri, quam etiam ſuam, ad nos ſubleuandos, Eleemoſinariam fecit. Mulieris cuiuſdam Sanctę opera commendans Spiritus Sanctus, de Ipſa dicit Prouerb. *cap. 31. verſ. 20. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem*: Ergo non niſi in ſubueniendis pauperibus referatas manus hæc mulier habuit? Ita prorſus, nam Maria ea eſt, quæ cum Dei Eleemoſinaria ſit, Deique manus, ſemper ad pauperes animas ſubleuandas repetitur aperta; teſte Mauritio de Villa probat. *ap. Marracc. in notat. ad Orat. 3. Iſid. Theſſ. pag. 221. nu. 12. Fecit Mariam Deus ſuam Eleemoſinariam, per quam nobis pauperibus, & eſurientibus dedit panem cœleſtem illum, qui de Cęlo deſcendit.* Conuenit enim Eleemoſinarium ſemper eſſe paratum ad largiendum.

3 Cum aliquis vel Monarchiæ negotiis, vel Regiis eleemoſinis præfectus eſt, omnes, quicumque vel dignitates, vel munera cupiunt, ad illius Domum accurrunt, & famulantium, ſeu potius adulantium more, eius ianuæ aſſiſtunt, & maxima cum diligentia intempeſtiuè ſurgunt, vt cum reſerantur portæ primi ipſi deprehendãtur, ſicq; Miniſtri beneuolentiam captent. Eodem modo

Mariæ,

Digitized by Google

Mariæ,ſed cum cordis puritate, famulandum eſt;ipſa.n. Prima Dei Miniſtra eſt,ipſa Domini manus, ipſa Creatoris Eleemoſinaria,quòd ſi debitum ei præſtemus obſequium,procul dubio omne bonum,Deique benedictionem aſſequemur.Etenim de ea dicit Sapiens, Prouerb. *c.8.v.17 & 18.Ego diligentes me diligo,& qui mane vigilant ad me inuenient me:mecum ſunt Diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ,& iuſtitia*: & paulò poſt addidit,*v.34. Beatus homo,qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie,& obſeruat ad poſtes oſtij mei.*Cum enim omnia bona in ipſa contineantur, & per ipſam communicentur nobis,illi, qui ad ipſam laudandam vigilauerint diuinis benedictionibus replebuntur.*Verè enim*,ait Ricchardus à S.Laur.*lib.2.de laudib.Virg.col.*113. *lit.C. qui vigilauerint ad illam inuenient benedictionem. Quia per ipsā, & in ipſa,& ab ipſa habuit mundus,& habiturus eſt omne bonum*. Vigilemus fideles ad portas tantæ Miniſtræ, exaltemus eius limina laudibus,nam ſi eam diligemus, diligemur ab ea,ac diuinam benedictionem hauriemus.

4 Liceat etiam quam manum Dei dicimus Virginem Eccleſiæ collum nuncupare:nam collum nobis coniunctiſſimum membrum eſt,nam ſine collo cibum ad ſtomachum dirigere nequaquam poſſumus. Manus ergo dat capiti per os cibum, caput vero per collum ad totum corpus communicat, ſic Deus per Verbum ſuum, manum ſuam dat capiti Eccleſiæ Chriſto homini omnia ſua bona,Chriſtum verò per mariam collū vniuerſam replet Eccleſiam.Vnde in Canticis de Eccleſia dicitur, *c.7.v.4. Collum tuum ſicut Turris eburnea*:Collum EccleſiæMaria eſt,vti docet D.Bernardinus Senenſis,*ſer.10.in Dom. 1.Quadr.art.3.c.3.to.2.pag 483.col.2.lit.D In ſolemnitatibus etiam B.Virginis feriandum eſt propter ſummas perfectiones,quas in ſe habuit, & nobis Diuino Numine inſpirante participat, & confert. Nam omnium gratiarum,quæ humano generi deſcendunt, ſicut quod Deus eſt generalis Dator,& Chriſtus eſt generalis Mediator, ſic per glorioſiſſimam Virginem generaliter diſpenſantur. Nam ipſa eſt collum capitis noſtri, ideo Cant.7. de ipſa dicitur Collum tuum ſicut Turris eburnea.*Et manus Dei, & collum Eccleſiæ Beatiſſima Virgo eſt,per quam bona omnia nobis communicantur.

5 Hanc ſuam prærogatiuam bene nouit Virgo ipſa, cum ad Diuinę Maternitatis eligeretur officium:& ideo ſe ab omnibus gentibus celebrandam,adorandamq; prophetauit, dicens,Luc.*c.2.v.47.Ex hoc Beatam me dicent omnes generationes,quia fecit mihi magna,qui potens eſt.* Idcirco enim exaltata fuit, vt nobis ſua bona impartiretur: vnde omnium mortalium oculi ad ipſam aſpiciunt, vt ſibi liberalem experiantur:vt ex D. Bernardo colligitur,*ſer.3.die Pentec.pag.*213.*lit.I.Merito in te aſpiciunt oculi totius creaturæ,quia in te,& per te,& de te benigna manus Omnipotentis quidquid creauerat recreauit.*Neq; ceſſat quotidie augere gratijs,replere donis,gloria coronare.

6 Neque homines ſolummodo hanc Diuinitatis manum prodigam in gratiarum participatione ſentiunt,verum enim Angeli, nam cum per Mariæ dona Homines ad Cęlum ſcandunt, Angelorum reparantur ruinæ.Qua de cauſa,cum Virgo peperit Saluatorem,& Angeli lætati ſunt,& gratias Deo agentes cecinerunt, Luc. *c.2.ver.* 14.*Gloria in altiſſimis Deo*:Huius manus beneficentiam etiam & ipſi experti; nec temperabant à laudibus Saluatoris,qui ſalutem aſſecuti,etiam nouam de conſocijs lætitiam expectabant:quod affirmans D.Petrus Damianus inquit.*Homil.de Natiu.Virgin.tom.2. pagin.128.lit.E. Per hanc beatiſſimam Virginem amiſſa olim vita hominibus redditur, ſed etiam beatitudo angelicæ ſublimitatis augetur;quia dum homo ad ſuperna reducitur,illorum numerus,qui diminutus fuerat,reparatur: hoc enim multitudo illa Angelorum ſignauerat,quæ Paſtoribus audientibus in Redemptoris noſtri Natiuitate clamabat:Gloria in altiſſimis Deo*. Canamus nos etiam laudantes hanc benigniſſimam Omnipotentis manum, quæ tot gratiis nos ditauit.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

IAm ad huius Verſus Allegorias tranſeundum eſt. quas breuitati conſulentes ad duas reſtringimus, videlicet ad *Aperire*, & *Manum*, cum dicatur *Aperiente te manum tuam, &c.*

SVMMARIVM.

1 *De huius vocis, Aperire, ſignificatis.*
2 *Quę ſit Manus allegricè ſumpta.*

§. I.

De huius vocis, Aperire, ſignificatis.

1 A*Periente te manum tuam, &c.* Aperire eſt quid locum recluſum habeat oſtendere. Et primo Aperire Deum oculos eſt exercere iudicium,&ad puniendum videre,vnde Iob, *c.14.v.3. Dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos?* Vbi Magnus Gregorius, *lib.11.c.26.mor.pag.581.lit.E.Omnipotenti Deo oculos aperire eſt iudicia exercere,quę feriat videre. Nam quaſi clauſis oculis non vult aſpicere quem non vult ferire.*

2 Aperire os eſt cogitationes occultas detegere: vnde dicitur Iob,*c.3.verſ.1. Poſt hæc aperuit Iob os ſuum*:& Idem Gregorius,*lib.4.c.5.mor.pag.378.lit.D.Sanctorum corda, quæ clauſo ore occulta ſunt aperto ore deteguntur: & cum cogitationes detegunt,os aperire referuntur.*

3 Aperire oculos dormiendo eſt in morte cognoſcere mundi vanitatem:de quo Iob, *c.27.v.19. Diues cum dormierit aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet*, & ibi citatus Doctor,*lib.18.c.12.pag.711. lit. D.Dormit ergo Diues,& oculos aperit,quia cum carne moritur, eius anima videre cogitur quod præuidere contempſit;tunc profecto in vera cognitione euigilat.*

4 Aperire Iudici pulſanti,eſt exire de corpore, Luc.*c.12.v.36.Vt cum venerit,& pulſauerit,confeſtim aperiant ei*,& addit Gregorius, *Hom.13.in Euang.ap.Breu.Rom. Aperire Iudici pulſanti non vult, qui exire de corpore trepidat.*

5 Aperire os ad comedendum volumen Dei, eſt Dignum ſe præbere ad audiendos ſermones eius, qui eſt ſpiritualis cibus: vnde ait Dominus Ezech.*c.2.v.8.Aperi os tuum,& comede,quæ ego do tibi*,& D.Hieronymus, *lib.1.c.2.Ezech.pag.334.lit.B. Dignum te, inquit, præbe ſermonibus meis,& cibum ſuſcipe ſpiritualem.*

6 Aperiri os Ezechielis capta Hieruſalem, eſt Euangelium dilatari poſt Iudæorum euerſionem, vnde ait ille,*c.33.v.21.& 22.Venit ad me qui fugerat de Hieruſalem dicens vaſtata eſt Ciuitas,&c. Aperuitque os meum donec veniret ad me mane, & aperto oro meo non ſilui amplius*,& ibi D.Hieron.*lib.10. in Ezech.in c.33.pagin.437.lit.E.Capta ergo Hieruſalem, atque ſubuerſa aperitur os Domini per Apoſtolos, & Apoſtolicos viros.*

7 Aperire

Digitized by Google

7 Aperire os ad attrahendum ſpiritum, eſt cor inclinare ad deſiderium doctrinæ Cœleſtis, quare in Pſalm. 118.v.131. dicitur: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam*, & D. Hilarius, *in Pſalm. 118. col. 940. lit. A. Os Scriptura non laborum tantum, ſed & cordis ſolita eſt, nuncupare. Corde enim per fidem patente, & per deſiderium ad hauriendum hiante intelligentia Doctrinæ cœleſtis accipitur*.

8 Deum aperta Pharetra aliquem affligere, eſt punitionis ſuæ cauſam oſtendere, vnde ait Iob, c.30. verſ.11. *Pharetram ſuam aperuit, & afflixit me*, & Magnus Gregorius, *libr. 20. c. 17 mor. pag. 773 lit. B. Pharetra .n. clauſa eſt conſilium occultum. Sed aperta Pharetra affligimur, quando per id, quod poſt flagellum ſequitur, quo conſilio flagellamur videmus*.

9 Aperire portas mortis, eſt ſuperare dæmones, quare ait Iob, c.38. v.17. *Numquid apertæ ſunt tibi Portæ mortis?* & idem Gregorius, *lib. 29 c 7 pag. 960 lit. E. Portæ enim mortis ſunt poteſtates aduerſæ, quas deſcendens Dominus aperuit, quia eorum fortitudinem moriendo ſuperauit*.

10 Sponſam aperire Sponſo, eſt ipſum recipere in corde, & dæmonem expellere, vnde ait, Cantic. c. 5. v 2. *Aperi mihi ſoror mea Sponſa*. Vbi D. Ambroſius, *lib. de Iſib. c. 6. to. 1. pag. 138. lit. H. Aperi mihi, noli aperire aduerſario, neque locum des diabolo*.

11 Aperire Deum ianuas Cœli, eſt prædicationem mittere: de quo Pſalm 77 v.23. *Mandauit nubibus deſuper, & ianuas Cœli aperuit*, vbi D. Hieronymus, *in Pſ. 77. to. 7. pag. 96. lit. B. Modo in Eccleſia Prophetis, & Apoſtolis præcipitur, vt nobis verbum prædicationis, quo anima ſpiritualiter paſcatur annuncient*.

12 Portas vultus Leuiathan aperire, eſt cognoſcere errores ſub ſpecie ſanctitatis latentes, vnde dicitur apud Io ,c.41. v.5. *Portas vultus eius quis aperiet?* Et addit Gregorius, *lib. 33. c 23. pagin. 1081. lit. A. Portas ergo vultus eius quis aperiet? ſubaudis, niſi ego, qui electis meis magiſtros errorum ſub ſpecie ſanctitatis abſcõditos, perſpicua cognitione manifeſto*.

13 Aperire propoſitionem in Pſalterio eſt illud facere, quod docetur, vnde Pſalm. 77 v.4. *Aperiam in Pſalterio propoſitionem meam*, & D. Hieronymus, *in Pſ. 77. pag. 60. lit. D. Quod propoſui in corde prædicabo ſermone, & intelligam*.

14 Aperire Ciſternam eſt ſcripturæ arcana penetrare, de quo dicitur Exod. c.21. v 33. *Si quis aperuerit ciſternam*, & D. Gregorius Magnus, *lib. 17. c. 14. mor. pag. 696. lit. E. Quid eſt enim aperire ciſternam, niſi intellectu valido ſcripturæ ſacræ arcana penetrare*.

§. II.

Quæ ſit Manus allegoricè ſumpta.

1 M*Anum tuam, &c*. Manus eſt hominis inſtrumẽtum, & membrum in extremitate brachii poſitum Et primo Manus Dei Chriſtus eſt, de quo Propheta Pſalm. 118. ver. 137 *Fiat manus tua, vt ſaluet me*, vbi D. Ambroſius, *in Pſ. 118. octon. 22. to. 2. pag. 508. lit. C. Aduentum Domini videtur rogare, quia manus Dei Chriſtus eſt*.

2 Manus Dei eſt Sacerdos, de quo Iob, c.26. v.13. *Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus*, & D Antonius Patauinus, *Manus Domini eſt Sacerdos per quem educi debet coluber, ideſt vetus homo à peccatore*.

3 Manus Dei duæ ſunt Gloria æterna, & Proſperitas temporalis, vnde in Prouerbijs, c.3. v.16. *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra eius diuitiæ, & gloria*, & D. Bernardinus Senenſis. *Dom. 8. poſt. Pentec. art 3 c. 3. tom. 4. pag. 214. col 1. Duas enim Deus perhibetur habere manus, dexteram, videlicet. & ſiniſtrãm. Longitudo quidem dierum in dextera Æternitatis, gloriam merito preparatam demonſtrat. Siniſtra verò temporalis proſperitas deſignatur, quæ etiam iuſtis quandoque diſpenſatur à Deo*.

4 Facies manus Dei, eſt iuſtum eius iudicium, ideo aiebat Ieremias, c.15 v.17. *A facie manus tuæ ſolus ſedebam*, & Magnus Gregorius, *lib. 4. c. 28. mor. pag. 396. liter E. Facies quippe manus Dei eſt illa percuſſio iuſti iudicij, quæ ſuperbiam hominum à Paradiſo repulit*.

5 Manus Dei Filius eſt Dei, per quem omnia creauit, quare Iſai. c.66. ver. 2. *Omnia hæc manus mea fecit*, & D. Auguſt. *de Eſſent. Diu. to. 4. pag. 104. col. 2. lit. A. Manus Dei Patris Filius accipitur, pro eo, quod per ipſum facta ſunt omnia, ſicut eſt illud Eſaiæ: Omnia hæc manus mea fecit*.

6 Manus Dextera Dei, eſt Gloria ipſius, vnde ait Pater ad Filium, Pſalm, 109. v.1. *Sede à dextris meis*, & idẽ Auguſt. *loc. cit. Dextera Domini gloriam Patris ſignificat. De qua in Pſalmo ex Perſona Patris ad Filium: Sede à dextris meis*.

7 Manus Domini Flagellum eſt ipſius: quare per Prophetam Sophon. c. 1. v.4. ait: *Extendam manum meam, ſuper Iudam, & Hieruſalem*, & citatus Doctor. *Manus Domini Flagellum ipſius accipitur; de cuius percuſſione in Sophonia Propheta ſcriptum eſt: Et extendam manũ meam ſuper Iudam, & Hieruſalem*,

8 Manus Eccleſiæ ſunt eius bona opera, & virtutes, vnde ait Pſalm. 27. v.2. *Dum extollo manus meas ad tẽplum ſanctum tuum*, & Bruno Aſten. Epiſc. Sign. *in Pſal. 27. to. 1. pagin. 24. col. 1 Eccleſia autem Dominus exorans manus ſuas ad templum Dei eleuat, quia bona opera ſua ad Dominum mittit, vel quia ſeipſam gradibus virtutũ vſque ad templum Dei exaltat*.

9 Manus Eccleſiæ ſunt perfectiores fideles, de ea .n. dicitur Prou. c.31. v.19. *Manum ſuam miſit ad fortia*, & citatus Sanctus, *de laud. Eccle. c. 5. pagin. 163. col. 1. In hoc Eccleſiæ Sapientia manifeſtatur tam bene cuncta diſponit, manum ſuam, ideſt qui fortiores ſunt, & Sapientiores ad maiora negotia mittit*

10 Manũ iungere cũ impio eſt ipſum imitari; quod cauet Dominus Exod. c 23. v. 1. *Nec iunges manum tuã vt pro impio dicas falſum teſtimonium*, & Idem Bruno *c. 17. in Exod. to. 1. pag. 50. col. 1. Manum autem iungit impio, qui eum ſequitur*.

11 Manus Moyſi eſt Populus Hebræorum, cui dicitur Exod, c.4 verſ.6. *Mitte manum tuam in ſinum tuum*; vbi Bruno, *loc. cit. c. 4. pag. 3. colum. 1 Manus itaque Moyſis Hebræorum Populus intelligitur; ſinus eius terra promiſſionis: mitte, inquit, manum tuam in ſinum tuum, ideſt duc populum ad terram promiſſionis*.

12 Manus Dei eſt eius Poteſtas; vnde Pſalmus. 20. v. 9. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis*. vbi D. Hieron. *in Pſ. 20 pag. 23. lit. H. Inueniat poteſtas Dei illos, qui in humilitate noluerunt Chriſtum credere: inueniat illos in vindicta*.

13 Manus etiam Dei eſt eius clementia, vt ibidem ſequitur Pſalm. *Dextera tua inueniet omnes, qui te oderũt*, & idem D. Hieron. *loc. cit. Odiente ſe nimia Clementia Dei vult conuerti, cum etiam inimicos ſuos inuenire deſiderat*.

14 Manus Violenti fuit Gentilitas Chriſtum crucifigens ad ſuaſionem Iudæorum, de qua Iob, c. 5. v. 15. *Saluum faciet de manu violenti pauperem*, vbi D. Greg. *libr, 6. c. 13. mor. pag. 444. lit. B. Per violenti vero manum ipſa crucifigens Gentilitas exprimi poteſt, quæ in Redemptoris morte voces Hebræorum opere impleuit*.

15 Manus ſunt actiones, vnde macula in manibus, eſt culpa in actionibus, vt ait Iob, c.31. v.7. *Si manibus meis adhæſit macula*, & idem Greg. *lib. 21. c. 7. pag. 792. liter C. Macula in manibus, ideſt culpa in actionibus inhæret*.

16 Auferri abſque manu, eſt repentino exitu mori, idcirco ait Iob, c.34 v. 20. *Auferent violentum abſq; manu*, & idem Sanctus Doctor, *lib 25. c. 3. mor. pag. 863. lit. D. Abſque manu auferent; quia videlicet ſubito exitu vrgente inuiſibiliter rapitur*.

17 Manũ manui iũgere eſt otioſè viuere, quare Sapiens ait Prou. *cap. 11. ver. 1. Manus in manu non erit innocens malus*, & D. Gregorius, *loc. cit. pag. 864. lit. C. Manus .n. manus*

Digitized by Google

manus iungi ſolet quando quieſcit in otio.

18 Manum ſuper os ponere, eſt caſtigatè loqui, quod fecerat Iob. *c.39. verſ.34. Manum meam ponam ſuper os meũ*, & ait Magn. Greg. *lib.33.c.3. mor. pagin.*1040. *lit.B. Manum ergo ſuper os ponere*, *eſt virtute boni operis culpas tegere incautæ locutionis.*

19 Leuare manum ad Deum eſt terrena deſpicere, ut quod fecit Abraham, Geneſ. *cap 14. verſicul.22. Leuo ego manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem Cæli, & Terræ*, & Diuus Ambroſius, *libr.2. capit.8. de Abrah. tom.1. pag.325. lit.E. Delectationes mundi reijcit, quærens quæ ſupra mundum ſunt, hoc eſt extendere manus ad Dominum.*

Verſus Vigeſimusnonus.

תַּסְתִּיר פָּנֶיךָ יִבָּהֵלוּן תֹּסֵף רוּחָם יִגְוָעוּן וְאֶל עֲפָרָם יְשׁוּבוּן׃

Verſio ex hebræo: *Abſcondes faciem tuam, turbabuntur: appones ſpiritum eorum, & paulatim obibunt, & in puluerem ſuum redibunt.*

Vulgata editio. *Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur,*

D. Hieronymus. *Abſcondes vultum tuum, & turbabuntur, &c.*

Caietanus. *Abſcondes, &c. terrebuntur, conſumes ſpiritum eorum, obibunt.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

CIrca Verbum תּוֹסֵף aduertendum eſt ipſum eſſe futurnm Verbi יָסַף, quod *addere*, & *apponere*, & aliquando *ceſſare*, & *deficere* ſignificat, ſed non *auferre*, vt ſenſus noſtri Verſus expoſtulat; vnde puto per Antiphraſim poſitum eſſe *apponere* pro *auferre*. Radix גָּוַע à qua יִגְוָעוּן *paulatim obire*, ſeu *leniter mori*, ſignificat; ex quo colligitur, quòd omnia orta intereunt, & paulatim deficiunt ex ſui natura, niſi ſpecialius à Deo, quam vniuerſali conſeruatione, ſeruentur. Idcirco putat Cardinalis Hugo ex his verbis commendari Diuinam potentiam, eo quòd poſſit, cum libeat, ſubtrahendo ſuum concurſum Vniuerſa perdere. *Laudat illum à potentia, qua poteſt omnia diſſoluere, & ad nihilum redigere.*

De cauſis mortis Viuentium.

1 BReuiter hîc cauſas mortis tangemus, potius alibi dicta commemorando, quam noua promendo. Mortis cauſa duplex eſt, alia intrinſeca, extrinſeca alia. Intrinſeca eſt ipſa mixti compoſitio: etenim cum ex elementis, præſertim contrariis conſtet mixtum, illaque ſemper in inuicem agant, præualente altero, & reliquis deficientibus diſſoluitur totum; ſic ab intrinſeco omne compoſitum diſſolubile eſt. Hùc accedit, quod in ipſius Mixti viuentis operationibus conſumuntur partes; & hęc ſunt in cauſa cur mixta animata minus conſeruentur, quam anima priuata; nam V.G. Lapis, Aurum, Ferrum, &c. diutius permanent, quam Plantæ, & Animalia: Ipſaque Viuentia, quæ magis terrea, & minus aquea ſunt (nam hæc ſunt duo Elementa paſſiua, & propria materia mixtorum, vt ſuo loco oſtenſum eſt) viuunt, & permanent minus, quam magis humida, vt videre eſt in Draconibus, qui ſæcula tranſeunt. Habent igitur in ſe cauſã mortis Elementorum pugnam: cum ergo Humidum maximè excreſcit, calorem ſuffocat, quo deficiente moritur mixtum; & cum calor præualet, humidum vorat, quo deperdito, deficiente pabulo, & ipſe calor extinguitur, & ad interitum ducit: Hæ ſunt duæ cauſæ omnino intrinſecæ, à Phyſicis appellatæ, Mors ex defectu, & Mors ex exceſſu. His accedit tertia ſpecies, quæ partim eſt extrinſeca, partim intrinſeca: & hæc eſt diſſolutio cõtinuitatis partium, vel contuſio, vel putrefactio earumdem, ex cauſa extrinſeca ortum habens, vt ex vulnere, caſu, ſuffocatione, &c. & hæc partim eſt extrinſeca, quia à cauſa extra mixtum poſita prouenit; & partim intrinſeca: quia fundatur in diſſolubili partium compaginatione. Neque in his mortis generibus Hominis interitus à reliquis ſecernitur animantibus, nam & iiſdem caſib. expoſitus eſt. Quare Propheta humanam vitam flori haud abſimilem prædicat, dicens, Iſai. *cap.40. v.6. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos*: quod expendens Diuus Baſilius Magnus, *Oration.24 de Morte, pagin 622. liter.A.* ait.

Quid

Digitized by Google

Quid tandem ex his cunctis conſequitur? vna nox, vna febris; aut Pleuritis, aut pulmonis morbus, eum, qui ne cōmoueri poſſe videbatur, ſubito rapit. Apparet itaque omnem hominis magnificentiam ei flori, qui vnus ex omnib. vel maximè inſtabilis eſt, aptiſſime à Vate comparatam eſſe. Cum ergo mortales ſimus, & ex nobis ipſis mortis cauſam præbeamus, facilè quauis de cauſa perimus.

2 Cauſa verò alia omnino extrinſeca Viuenti, Dei voluntas eſt: licet enim de lege ordinaria, minimè viuentia moriantur, niſi ex naturali aliqua cauſa, nihilo minus tamen, ſola Dei voluntate, nulla naturali exigente cauſa, Viuentia, Homines præſertim, intereunt: Id videtur apertè docere Propheta hic, cum ait: *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Et citatus Doctor, *Schol. in Pſalm. 103. Te ſiquidem volente, anima & corpus ſeparantur; & corpus in patrium, ac primitiuum puluerem reſoluitur. Spiritum verò animam dicit.* Hoc idem docet Diuus Hieronymus, *in Pſal. 103. Auferes ſpiritum eorum, & deficient: Conſummationem mundi ſignificat: quando præcepto Dei omnia exterminantur: ſicut ſcriptum eſt: Terra es, & in terram ibis.* Hæc eſt cauſa cur ſæpè homines cauſam morbi minimè reperientes, mirentur, & vel Phyſicorum peritiam, vel naturæ diſpoſitionem damnantes, decipiantur, nam ad primam rerum cauſam, Deum ſcilicet, minimè reſpiciunt. Cum ſicut ille omnia producit, & etiam nulla alia concurrente cauſa, producere poteſt; ita, & ſimul cum cauſis naturalibus, & etiam ſine illis interficere valet: nec ſolum id, ſed etiam ſicuti in principio de nihilo creauit, ita in nihilum redigere poteſt: quod ex hoc verſu deducit Eminentiſſimus Hugo, *in Pſalm. 103. Auertente autem, &c. Laudat illum à potentia, qua poteſt omnia diſſoluere, & ad nihilum redigere.* Ad Dei tamen miſericordiam pertinet, quod numquam legimus, Deum aliquid in nihilum redigiſſe; non enim creauit, vt perderet, ſed vt ſaluaret.

3 Ex dictis oritur difficultas. Quomodo Homo ex peccato mortalis effectus dicitur, ſi etiam ante peccatum mortalis erat? nam eædem corruptionis cauſæ inerant, quas nunc habet. Ad quod dicendum eſt, hominem abſolutè conſideratum, & ex vi ſuæ mixtionis ſemper mortalem ab intrinſeco fuiſſe; numquam enim ex alimento partes in ea perfectione regenerantur, vt prius erant; & quando etiam elementorum paritas ſeruaretur, vt nec per defectum, nec per exceſſum perire poſſet, mori tamen violenter poterat. Quibus malis vt occurreret Deus, arborem ligni vitæ produxit, cuius vis tanta erat; vt ad æqualitatem alimenta perducere poſſet; vt teſtantur omnes, præſertim Abulenſium Præſul Alphonſus Toſt. *in Geneſ. to. 1. pag. 24. col. 1. liter. K. Ne ergo tanta deperditio fieret in corpore humano datum fuit lignum vitæ, quod habebat virtutem reducendi ad puritatem carnis primæ totam carnem alimentalem.* Circa verò extrinſecam cauſam, vel Deus hominem conſeruaſſet illæſum, & impaſſibilem, vel prohibuiſſet, & remouiſſet extrinſecam violentiam. Erat ergo immortalis Adam, non natura, ſed gratia. Ita Caietanus *ap. Salian. tom. 1. Ann. Sac. Die 6. Mund. num. 141. Non dicimus hominem ante peccatum fuiſſe immortalem, quoniam mors naturalis eſt homini ex neceſſitate materiæ; ſed dicimus fuiſſe ſeruandum à morte diuino dono.* Similia habet Nicolaus de Lyra, qui ſatis diffusè mortis cauſas recenſet.

4 Alterum ex hoc pullulat dubium: quomodo verè dictum ſit, Geneſ. c. 2. v. 17. *In quocumque die ex eo comederis morte morieris.* cum non ſtatim poſt peccatum mortuus ſit Adam, ſed per multa ſæcula vixerit? Ad quod dicimus, per ea verba non intelligi ſtatim ſecuturam mortem, ſed declarationem eſſe infallibilis mortalitatis; tunc enim ille, qui gratia immortalis erat, mortalis declaratus eſt, ita vt mortem nequaquam ſuo tempore effugeret. Vt ſi V. G. Princeps aliquem mortis reum, ab ipſa eriperet pœna ſub aliqua conditione, quam ſi ille non ſeruaret, ſtatim damnatur morti, quam effugerat: & licet non ſtatim ſententia executioni mandetur; mortuus tamen iam cenſetur, qui neceſſario eam ſubibit. Ita ſubtiliter D. Ioannes Chriſoſtomus. *Homil. 18. in Geneſ. tom. 1. column. 100. lit. C. Nam licet multos annos vixerint, attamen à quo tempore audierunt, terra es, & in terram abibis, & ſententiam acceperunt mortis, mortales fuerunt: & ex illo tempore fuerunt perinde ac ſi quis illos dicat mortuos fuiſſe. Hoc igitur & ſcriptura ſignificans, dixit: Quocumq; die comedetis morte moriemini: hoc eſt, ſententia accipietis mortis, mortales poſthac vos futuros. Sicut enim in humanis iudicijs, quando quis ſententia lata, vt capite mulctetur, iterum in carcerem conijcitur; & licet ibi multo tempore agat, nihil tamen melius habet defunctis, & mortuis, vtpote iam per ſententiam mortuus.*

5 Tandem Pſaltes materiam mixtorum declarat, cū ait; *& in puluerem ſuum reuertentur.* Cum enim compoſitum aliquod diſſoluitur, in eam tranſit materiam, ex qua confectum, & compoſitum eſt; cum ergo omnia viuentia ex puluere effecta ſint, in puluerem redire neceſſe eſt; vt dixit homini Deus, Geneſ. *cap. 3. ver. 19. Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vbi aduertendum eſt, omnia noſtra terrena eſſe (ſi corpus ſpectemus, nam Animæ nil commune cum terra) nam ex ipſa materiam corporis traximus, ab ipſa naſcendo excepti fuimus, in ipſa cōſiſtimus; ex eius fructibus veſcimur, & nutrimur; & ſi quod corporis oblectamentum eſt, terrenum eſt; ipſa nobis Patria eſt, ipſa domus, ipſa ſepulchrum: nam in ea, & ex ea naſcimur; & in ipſam finaliter conuertimur. Quod obſeruat D. Chriſoſtomus, *Hom. 9. in Geneſ. tom. 1. pag. 44. lit. C. Terra enim, & Mater, & Nutrix noſtra facta eſt, & ex ipſa paſcimur, & ſumus, & omnibus alijs fruimur, & ad ipſam redimus. Ipſa enim eſt nobis, & Patria, & Sepulchrum.* Sed cum terræ commendamus terram, & puluerem pulueri; ſpiritum quoque Cęlo dare ſtudeamus; qui cum terram principium non habeat, neque in illam reuerti debet.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

AVertente Domino faciem ſuam à creaturis, ipſas interire neceſſe eſt, cum ſit prima, & maxima omnium cauſa. Idipſum ſpiritualiter in Animabus Fidelium contingit; etenim cum per peccatum à nobis Dominus faciem ſuam auertit, Cœlo mortui ſumus. Quòd ſi tunc Homo ad puluerem reuertatur ſuum, ſe caducum, infirmum, ac fragilem conſiderando, facilè pœnitebit, ſicque ad gratiam renouabitur.

SVMMARIVM.

1 *Nulla virtus remanèt in homine recedente Deo.*
2 *Dominus nos flagellat, vt pæniteamus.*
3 *Homo renouatur ad gratiam per ſui cognitionem.*

§. I.

Nulla Virtus remanet in homine recedente Deo.

1 NIl periculoſius inuenitur, nil magis metuendum eſt, quam deſeri à Deo; nam remanet tunc homo gratia priuatus, viribus deſtitutus, virtutibus ſpoliatus. Nonne conſideraſti corpus ânima informatum, pulchrum, validum, conſiſtens, multaque fortitudinis opera exercens? Sed vbi recedente anima cadauer efficitur nihil virium habet, nec ſe mouere, aut aliquid operari poteſt; imò nec conſiſtere, nam ſi deſeratur, ſtatim cadit. His ſimilia, imò peiora eueniunt Animæ, quam Deus deſerit; quia cum omnia, quæ faciebat, Deo faceret Authore, eo recedente, veluti Cadauer inutile remanet, omnibus viribus deſtituta: Quam Animæ miſeriam deſcribit Pſaltes, dum ait. *Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient.* ex quibus verbis docet Incognitus *in Pſ. 103. Per hoc vult oſtendere Pſaltes, quod nulla virtus in homine remanere poteſt, niſi Deo efficiente: quia; ſtatim vt auertit faciem ſuæ gratiæ à nobis, cadimus, & nulla virtus in nobis conſeruari poteſt.*

2 Sæpè ſæpius vita noſtra Ægypto perſimilis, ſæpè terræ comparata deſcribitur. Vt autem huius diuinæ receſſionis mala euidentius agnoſcamus Ægyptiæ terræ animam comparabimus. Omnis eius fœcunditas ex aquis Nili dependet, qui fluuius ſtatutis temporibus exſudans, terram illam irrigat; & ad fruges ferendas fertilem facit. Quod ſi Præpotens aliquis Ægyptiorum Hoſtis, valida hominum manu, ac induſtria Aquas illas cohiberet, haud dubium eſt, quin terra illa, nec non omnia eius ſemina ſiccarentur, oriretur que ſterilitas in ea maxima. Sitit terra Animę ad Deum ſuum, à quo media aqua Diuinarum gratiarum irrigatur, & fœcundatur. Quòd ſi Dominus (id noſtris exigentibus culpis) gratiarum ſuarũ contineat aquas, ſiccabitur terra noſtra, fructum non afferet. Poterit quidem Colonus, id eſt Concionator fodere ipſam, verbi ſemina ſpargere, ſed deficientibus aquis, nullus fructus conſequetur labores. Patientiſſimus ille Princeps, optimè hoc nouerat, cùm dicebat, Iob, *c. 12. v. 15. Si continuerit aquas omnia ſiccabuntur.* Quod euidẽtius exponit Magnus Gregorius, addens, *lib. 11. c. 6 mor. pag. 567. lit. A. Si continuerit aquas omnia ſiccabuntur: quia ſi Sancti Spiritus gratia ab audientis mente ſubtrahitur, areſcit protinus intellectus, qui iam per ſpiritum reuireſcere in audiente videbatur.* Fons viuus Deus eſt, ergo eo recedente terra noſtra ſiccabitur, nullumq. fructum dare poterit.

3 Maxima eſt Hominis infelicitas, cum lumine captꝰ nil cognoſcere valet. Id autem dupliciter contingere poteſt, vel organo vitiato, vel Solis lumine recedente: nam ſine lumine oculus quicumque cęcus eſt: quique ſic incedit in præcipitia facili negotio ruit; quia quo figat pedem ignorat. Peccator autem cęcus eſt, quia lumen illud indeficiens ab eo receſſit; cumque quæ agenda ſint non videat, in mala indeſinenter ruit. Quærebat aliquando Rex Sanctus, quare quidam Peccator, in omnes ſe præcipitaret iniquitates; & tandem concludit, hoc à Dei receſſu euenire, cum enim Dei lumen ante oculos non haberet, vtpotè cęcus, quæ ageret nõ agnoſcebat; ac in omnibus viis ſuis errans inquinabatur. Pſalm. 9. *verſic. 26. Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Quid enim oculus ſine lumine videbit? quid ſine Deo boni cõſpiciet Animus? nil protinus; ergo eum errare facillimum eſt: quare ait Diuus Auguſtinus, *in Pſalm. 9. tom. 8. pag. 27. columna. liter. C. Qui nouit, vel quid gaudet, vel quid lętatur in Anima, nouit quantum malum ſit à luce deſeri veritatis. Cùm magnum malum homines putent oculorum corporalium cæcitatem, qua lux retrahitur: quantam ergo pęnam patitur, qui ſecundis rebus peccatorum ſuorum perducitur, vt non ſit Deus in conſpectu eius: & contaminantur viæ eius in omni tempore: id eſt cogitationes, & conſilia eius immunda ſunt.* Neque enim cęcus cauere poteſt, ne in fimum cadat: ideo & Eccleſia aliquando canebat, Breuiat. Roman. antiqu. *in Hymno Dominicæ primæ Quadrageſimæ.*

Te ſine tetro mergimur profundo,
Trahimur alta ſceleris ſub vnda:
Lumine tuo ducimur ad clara
Sydera Cęli.

4 Hoc in ſe ipſo Diuus Auguſtinus expertus eſt. Sicut enim Lumen omne à Luce gignitur, & ſine luce ſunt tenebræ, & qui ſine luce eſt, in tenebris viuat neceſſe eſt: ita cum Deus omnium ſit cauſa, omniaque effecerit; & ſine ipſo ſolum ſit nihil, Euangeliſta docente Ioann. *cap. 1. verſ. 3. Et ſine ipſo factum eſt nihil*: conſequens eſt, vt qui ſine Deo ſit, nihil ſit Quod etiam alius fatebatur Peccator, Pſalm. 72. *verſ 22. Ad nihilum redactus ſum, & neſciui.* Auguſtinus ergo à vera fide alienus, ſine lumine erat, ſine Deo inueniebatur; ergo in tenebris degebat, ergo nihil erat. Audi ipſum referentem, *in ſoliloqu. cap. 5. tom. 9 pagin. 374 columu. 1. lit. D. Ad nihilum deduxerunt me iniquitates meæ, quia tu es Verbum, & ego non eram tecum, per quem facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil. Et ideo ſine te factus ſum nihil, quia eſt nihil, quod ad nihilum ducit.*

5 Si Turris àliqua in montis alicuius cacumine fundaretur, illa vtique tamdiù ſalua conſiſteret, quàmdiu à monte ſuſtineretur; quòd ſi mons recederet, *Turris illa* in aere derelicta, rueret ſtatim: nec aliud ad eius caſum requiritur, quam fundamenti ſubtractio, nam ſtatim à ſe ipſa ruit. Homo ædificium conſtruit virtutibus compactis, ædificium vtique ſanctum, ac in perpetuum duraturum, quia in Deo fundatur. Attamen ſi Deus recedat, ædificium perit: neque ad eius deſtructionem aliud requiritur quam Dei receſſio; nam ſtatim ac Deo priuata ſibi dimittitur anima, ſibi ſufficit ad perditionem. Idcirco dicebat Iob, *cap. 12. verſ. 14. Si deſtruxerit, nemo eſt, qui ædificet*: Quam deſtructionem Magnus Gregorius ſic declarat, *libr. 11. capit. 8. moral. pagin. 566. liter. A. B. Omnipotens Deus humanum cor deſtruit cùm relinquit, ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando deſtruit, ſed recedendo: quia ad perditionem ſuam ſufficit ſibi dimiſſa.* Perire igitur ædificium ſuum vult, qui Deo recedendi porrigit occaſionem.

6 Acerbiſſima fuere ſupplicia, acerrimi cruciatus, quos in ſua paſſione pro nobis ſuſtinuit Dominus noſter, ac Redemptor Ieſus: caput namque ſanctiſſimum ſpinarum aculei pupugerunt, corpus cęcidere flagella, manus, pedeſq. claui perforarunt, oculos velauere lintei, alapæ percuſſere gènas; diſcipulus prodidit, Iudæus accuſauit, Pontifices illuſere, ſpreuit Herodes, damnauit Pilatus, blaſphemiis tranſeuntes affecerunt. Cum autem inter tot dolores, cruciatuſque morti proximus verſaretur, os aperiẽs, Patremque cęleſtem interpellans, de nullo horum quæritur: ſed ſolum quòd ab ipſo derelictus videretur, Matth. *c. 27 v. 46. Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me?* Sed cur de tot, tantiſque cruciatibus nõ quęritur, ſed de ſola Patris derelictione? Vt ſcilicet innoteſceret nobis nullam pęnam, nullum tormentum, infortunium nullum Dei abſentiæ comparandum, & ideo, vt hoc doceret Chriſtus de ſola Dei derelictione quæritur dum in Oceano malorum, dolorũq. verſatur; vt D. C pr. cognouit, *ſer. de Paſſ. Dom. pag. 315 tom. 2. Clauis ſacros pedes terebrãtib foſſiſq. manib. de vulnerũ anxietate non loqueris,*

loqueris, de ſpinis ſacrum caput pungentibus non quereris: ſatagis, vt innoteſcat poſteris, quare derelictus à Deo, videaris expoſitus contumelijs, & Iudæorum ludibrijs. Nulla ergo virtus in eo erit, à quo Deus receſſit.

§. II.

Dominus nos flagellat, vt pœniteamus.

1 A*Vertente autem te faciem turbabuntur.* Nemo eſt qui neſciat, amantem Genitorem, cum à Filio faciem auertit, ſeque illi iratum oſtendit, nec non flagellis cędit, non ex odio, ſed ex amore id efficere, vt videlicet ille prę timore errores corrigat ſuos, & dignum ſe paterna gratia oſtendat. Haud ſecus clementiſſimus Deus, auertit à nobis faciem ſuam, tribulationibus nos vexari permittit, vt turbati cognoſcamus errores noſtros, eoſque deteſtando pœnitentiam faciamus, vt per eam vultus illius pulcherrimi denuo mereamur intuitum. Non nos flagellat Dominus, vt pereamus, non nos deſerit, cũ iratum ſe oſtendit, ſed noſtram ſalutem deſiderans, per timorem vult nos corrigi, & ad eum reuerti. Ita Cardinalis Hugo. *in Pſ.* 103. *Auertente autem te faciem turbabuntur; Dominus auertit faciem ab homine flagellando, & tunc turbantur homines ad pęnitentiam.*

2 Mundi proſperitates ita decipiunt homines, vt magna virtutum geſta ſuſcipere reformident: & licet Deum non leuiter ſuis depratiatis moribus offendant; pęnitentiam, falſa deliciarum imagine ſeducti, detrectant. Sicuti in ciuitate aliqua contingere ſolet, in qua pax ſumma ad otium Ciues deducit, arduas armorum tractationes minimè amplexantes; at dum hoſtis ſæuientis rumor eos concutit, ſtatim ad armorum exercitationem animãtur. Sic otio torpentes animæ, dum Deum contra ſe iratum putant, ſtatim ad pœnitentiam, à qua abhorrebant, confugiunt; quod Propheta fatetur, dicens, Ierem. *c.* 31. *v.* 19. *Poſtquam enim conuertiſti me, egi pęnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meum, confuſus ſum, & erubui:* Oſtendit namque Dominus ſe iratum peccatori, & ſtatim, qui de pęnitentia nec cogitabat, percutit ſe dolore, ac pęnitentiam amplexatur: quare Cardinalis Hugo addit *loc. cit. Poſtquam oſtendiſti mihi, ſcilicet te iratum, percuſſi femur meum.*

3 Licet exemplum huius in Moyſe conſpicere. Hic Propheta maximus, cum reſtitiſſet Reginæ voluntati, vt ſe eius Filium diceret, propter Domini honorem, profugus in terram Madian venit; ibique ducta Sacerdotis filia in vxorem, ita in Dei præceptis cuſtodiendis ſegnis effectus eſt, vt filios circumcidere non curaret; ſemper .n. molles deliciæ obliuionem pariunt diuinorum; & licet aliquando diuinis inſpirationibus motus de eorum circumciſione cogitaret, obſiſtente eius vxore, magis timuit ſuas delicias contriſtare, quam Deum offendere. Dominus autem, qui hanc in ſuo Propheta culpam nolebat, quod per amorem non fecerat, per timorem obtinuit; nam proficiſcenti in Ægyptũ, Exod. *c.* 4. *v.* 24. *cum eſſet in itinere in diuerſorio apparuit ei Dominus, & volebat interficere eum.* Oſtendit ſe illi Dominus iratum, vt pœnitentiam ageret, neq. .n. perdere volebat quẽ ad prędicãdum mittebat, quod rei probauit euentus, nam *v.* 25. *tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circũcidit præputium filij ſui.* Quam diuinam erga Moyſem miſericordiam Rupertus Abbas agnoſcens, ait, *lib.* 1. *in Exod. c.* 20. *pag.* 207. *col.* 2. *tom.* 1. *Volebat occidere eum: quare? quia filios ſuos non circumciderat, verùm hoc obſiſtente vxore alienigena, in terra alienigena, facere non poterat in terra non ſua. Igitur vidente Sephora, quòd volebat Dominus occidere eum, vt quæ ratione noluerat adduci, præſentia periculi cognoſceret ſalutare eſſe ſemini Abrahæ omne maſculinum eius circumcidi.* Ita ergo Domini miſericordiam ſonat, non vindictam, dum ideo affligit, vt pœnitentia diligatur.

4 Cum filius aliquis graui culpa Parentem ſuum offendit, haud rarò contigit, iratum Patrem, ne cogatur plus æquo punire natum, ei terga vertere, ſeque ab eius intuitu declinare; ex cuius receſſu culpam ſuam agnoſcens filius, ſtatim eum pęnitentia placare ſtudet. Ita Deus terga vertit peccatori, ideſt eum temporaliter tribulari permittit, ne cogatur iuxta condignum eum punire, dũ ſibi in faciem peccantem videt. Turbis prędicabat Ieſus, ac cęleſtem proponebat doctrinam; illi verò ei minimè credentes, Ioann. *cap.* 8. *verſ.* 59. *tulerunt lapides, vt iacerent in eum; Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de Tẽplo.* Sed cur ſe abſcondet, cur fugit Ieſus? Forſitan timet? Nequaquam, quia ſolo nutu eos perdere poterat, ligare ſaltem manus eorum, præcipere ſaxis ne ferirent: cur ergo ſe abſcondit? vt ex ſui vultus ſubtractione cognoſcerent errorem ſuum, & pęniterent, & ne ipſe manus eorum ſaxis armatas intuens ad vindictam prouocaretur; vt monſtrat ingenioſus Chriſologus, *ſerm.* 131. *pag.* 365. *columu.* 1. *Ieſus autem abſcondit ſe, non timẽs, ſed ignoſcẽs: Deus peccatorem cum fugit parcit: Deus rebellem nõ vult perdere cum declinat.*

5 Idipſum alia ſcriptura demonſtrat. Iram Domini deſcribens Propheta ait, Pſalm. 17. *verſ* 8. *&* 9. *Commota eſt, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt; & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis: Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit.* Qui è ſilice ignem vult exardeſcere, ipſum percutit ferro, qui ſilex ſtatim ac percuſſus eſt, flammas excutit. Ita pariformiter cum Anima noſtra per ſuperbiæ montes eleuata in ſublime erigitur, nec diuini amoris ignem emittere curat, percutit illam Dominus, ſe iratum ei oſtendẽs, ſuique iudicii diſtrictionem per ſuos ei Prædicatores aperiens, quæ ſtatim tremebunda fumum pœnitentiæ, amoriſque flammas emittens, peccata cõburit, ſuperbiæ fundamenta deiicit; veritatem ſiquidem agnoſcens, quòd ſine Dei adiutorio nihil fit. Audiamus de hac re Rupertũ Abbatem, *lib.* 3. *cap.* 30. *in Exod. tom.* 1. *pag.* 245. *colum.* 2. *Terra quippe commonetur, & contremiſcit; Fundamenta quoque montium conturbantur, & fumigant exardeſcente igne à facie Domini, cùm audito per Prædicatorem futuro aduentu tremendi Iudicii, hi, qui prius terrã tantummodo nouerant, ſemetipſos pęnitendo diſcutiunt, & monſtruoſa ſuperbia deſcendente, fumus, ideſt lachrymoſa oratio aſcendit à timore irę Domini, & ignis doloris à facie eius, ideſt à cognitione veritatis, exardeſcens, peccata conſumit.* Sic ergo miſericorditer faciem auertit Dominus affligendo, vt pęnitentiam amplexentur.

§. III.

Homo renouatur ad gratiam per ſui cognitionem.

1 E*T in puluerem ſuum reuertentur.* Similis omnino eſt hominis ad gratiam renouatio, ſicuti & naturalis creatio: nam ſicut Deus cũm hominem producebat ex puluere, vt eſſet, effecit, ita cũ per peccatum mortuus eſt, & ad vitæ gratiam renouandus, hoc fit ex puluere, ideſt ex humili cognitione ſuiipſius, quod ex puluere cõpaginatus, iterũm in puluerem reducendus eſt. Cum .n. homo per ſuperbiam elatus ſe magnum putat, cum puluis ſit elationis vento diſpergitur; cum verò ſe nihil eſſe, & terram eſſe conſiderat, puluerem iterum colligit, vt renouetur. Idcirco, cum dixiſſet Propheta: *Auferes ſpiritũ eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur,* ſtatim adiunxit, *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur;* quaſi diceret: cum peccator per veram contemplationem ſuæ puſillitatis in puluerem ſuum reuertitur, tũc per Spiritum Sanctum creatur, ideſt renouatur ad gratiam: ita ſentit Cardinalis Hugo, *in Pſalm.* 103. *Auferes ſpiritum eorum, ſcilicet ſpiritum ſuperbiæ; & deficient, ſcilicet ab illo ſpiritu: & in puluerem ſuum reuertentur, ſcilicet ſe puluerem eſſe cognoſcent. Cum ſic reuerſi fuerint in puluerem, emittes ſpiritum tuum, ideſt gratiam*

Digitized by Google

Spiritus Sancti,& creabantur; ex nihilo humilitatis, & pulueris, & ſuperaddito ſpiritu viuent.

2 Omnia legis veteris Sacrificia, quæ ad peccatorum remiſſionem inſtitura fuere, Ieſus Chriſti Domini Noſtri paſſionem, ſcilicet ſacrificium pro peccatis mundi oblatum ſignificabant Inter hæc ergo Occurrit nobis Vaccæ ruſæ ſacrificium, quæ cum in Holocauſtum offerretur Deo, tota flammis abſorbebatur, vt legitur in Numerorum libro, *c.19.v.5. Combureique eam cunctis videntibus, tam pelle, quam carnibus eius, quam ſanguine, & fimo flammis traditis.* ſed expende illam particulam, *& fimo:* quare tanta cum diligentia inter Hoſtiæ carnem, & ſanguinem ſtercoris fit mentio? Abhorret animus, cum res ſacræ Deo offeruntur, etiam fimi miſcere vilitatem, Sed aduertendum eſt vaccam illam Chriſtum Dominũ ſignare, cuius partes nobiles, eius Diuinitatem, miracula, excellentiam præfigurabant; fimus verò ſignabat humanitatem, ignominiam, contumelias, paſſionem, opprobria, quibus exſaturatus eſt. Traditio autem flammis, ſeu combuſtio gloriam poſt mortem ſecutam demonſtrabat, nam flamma lux eſt, & omnia illuminat; Vt ergo noſcerent homines, illam etiam Domini humilitatem, qua verus extitit homo, qua *opprobrium factus eſt hominum & abiectio plebis*, qua *inter iniquos reputatus eſt*, qua vulneratus, & interfectus, mortuus, ac ſepultus, ſibi ad æternæ vitæ gloriam maxime profeciſſe, (nam *Hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*) tam peculiaris de Victimæ ſtercore fit mentio. Doctorum Catholicorum Princeps D. Auguſtinus id approbat, *quæſt.33.in lib.Num.tom.4. pagin.106. columnn.2.lit. B.*dicens. *Significatum eſt, quod non ſolum ſubſtantia mortalis corporis Chriſti, quæ commemoratione pellium, & carnium, & ſanguinis intimata eſt; verum etiam contumelia, & abiectio plebis, quam nomine ſtercoris ſignificatam puto, conuertantur in gloriam, quam combuſtionis flamma ſignificat.* En quomodo humilitas gloriam parit, & vilitatis cognitio ad vitam renouat ſempiternam.

3 Quia verò ſacri codices de ſtercore recordationem ingeſſere, ne ipſum ſubito deſeramus. Stercore nil vilius reperitur, ſed è conuerſo nil vtilius nam ad procreandas fruges aptiſſimum eſt, tantamque aruis vtilitatem affert, vt (teſte Diuo Auguſtino, *libr. 2. de moribus Manich.capit.8.tom.1. pagin.334. columnn.1.lit. D.*) ſtercorandi Iuuentori Stercutio (ex quo nomen accepit) Diuinos honores cæca Gentilitas tribuerit. *Quid ſtercore aſpernabilius? quid cinere abiectius? At hæc tantas agris vtilitates afferunt, vt eorum inuentori Stercutio (à quo etiam ſtercus nomen accepit) diuinos honores Romani deferendos putarent.* Cum ergo Animæ ager ſterilis eſt, nec germina virtutum profert, vel ſuperbiæ vento exiccatus, vel gratiæ irrigatione deſtitutus, fodiat homo agrum ſuum humiliter puluerem ſuum reuoluens, adhibeat ſtercora, ſordes videlicet Pœnitentiæ; & ſic renouabitur ad gratiam, germina proferet virtutum, & meritorum. Hoc docere voluit Dominus Ieſus in parabola illa de infructuoſa ficulnea, quam cum perdere vellet Dominus eius, obſtitit Agricola, dicens; Luc.*cap.13.verſ.8. Domine dimitte illam, & hoc anno vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora & ſiquidem fecerit fructum.* Fodere enim eſt per humilem conſiderationem quod puluis ſit homo cogitare, mittere verò ſtercora, eſt ad pœnitentiam, & ſordes illius accedere; vt docet citatus Doctor, *ſerm. 12. de verb. Dom in Matth.tom.10. pag.24.columnn.1. liter.D. Circumfoſſio Arboris eſt humilitas Pœnitentis: Omnis enim foſſa eſt humilis: Cophinus ſtercoris ſordes Pœnitentiæ. Quid enim ſtercore ſordidius? & tamen ſi benè vtaris quid fructuoſius?* Sic fœcundatur per ſtercora humus, ſic per ſui pulueris recordationem homo ad virtutum merita reuiuiſcit.

4 Ezechiel Propheta quoſdam ſupernos Spiritus Deo aſſiſtentes deſcribens, multas illi facies attribuit, ſed præcipuè Hominis faciem omnium primam ponit, *capit.1.verſicul.10. Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies Leonis à dextris ipſorum quatuor.* Cur autem prima omnium facies hominis eſt? Neque enim vacat myſterio, quod tam diligenter notatur. Verùm, vt huic dubitationi reſpondeamus, præmittendum eſt aliquid de Romanorum triumphis. Cum enim quidam eorum Imperator hoſtem deuicerat, ac profligauerat, maximo cum honore in Vrbem recipiebatur, aureo vectus curru, Laurea redimitus Corona, purpureo paludamento inſignitus, ac omnibus eius nomini acclamantibus, & victoriam celebrantibus. Verum ne Triumphator ob tantum honorem in ſuperbiam elatus, aliquid ſupra hominem ſe extimaret, vilis quidam ei comes adiungebatur, qui ſępè eum monendo diceret: *Heus tu, hominem eſſe memento te:* ex hac Romanorum celebri obſeruantia ſolutio pendet. Sancta illa Ezechielis Animalia Deo ſpecialiter deſeruientes notant; Hi faciem Leonis habent per ſua merita, & prædicationem contra Diabolum rugientes; faciem Bouis propter Sacerdotium, quo funguntur; faciem Aquilæ propter diuinorum altiſſimam contemplationem: Sed omnium prima eſt Hominis facies, vt cognoſcant ſuum puluerem, ſe homines eſſe ex luto compactos, ſe nihil ſine Deo poſſe, ne per alia dona ſuperbientes à Dei aſſiſtentia repellantur. Audiamus Ioannem de Carthagena dicentem, *Homil. 2. de Aſcenſ.tom.1. pagin.1496. Ex his formis omnium prima eſt hominis, quam aſſumere oportet fratres, confitendo nos eſſe homines ex puluere natos; non tamen ex quocumque, ſed ex inutili vos eſſe compactos mementote.*

5 Hoc euidentius probat Heliu apud Iob, qui ita loquitur, *capit. 34. verſicul. 15. Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.* Quaſi diceret: cum per ſuperbiam eleuatur homo peccatis mancipatur, ſicque in peccato poſitus ſuam vtilitatem non memorat; vt autem denuo ad gratiam redeat, & reuiuiſcat, deficiat neceſſe eſt, & ſic reuerti in puluerem, & cinerem, per conſiderationem vilitatis ſuæ; ac ſic humilis effectus, profligata ſuperbia, ſeruitio idoneus reperitur. Idcirco Pſaltes dum beneficia Dei commemorat, eorum cauſam aſſignans ait, Pſalm. 102. *verſic. 15. Recordatus eſt quoniam puluis ſumus:* Sed de hac re audiamus Diuum Gregorium, *libr.24.capit.12.mor. pagin.858.liter.E. Benè Heliu hoc loco ſubdidit: & homo in cinerem reuertetur? In peccato enim quiſque poſitus mortalitatis ſuæ obliuiſcitur, dum adhuc per ſuperbiam inflatur: poſt conuerſionis verò ſuæ gratiam, cum humilitatis ſpiritu tangitur, quid eſſe ſe aliud quam cinerem recordatur? Iam in cinerem Dauid reuerſus fuerat, cum dicebat: memento Domine, quòd puluis ſumus.* En quantum pulueris beneficium eſt; qui ad gratiam renouari deſiderat ad ſui pulueris conſiderationem mentem deflectat.

RADIVS

Digitized by Google

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Vigeſimusnonus.

Auertit Deus in Cruce faciem ſuam ab ea, & ſæuis doloribus cruciatus eſt Spiritus eius.

QVamquam Beatiſſima Virgo ſemper Deo pleniſſima fuerit, nec aliqua, vel leui, culpæ macula Dei præſentiam demeruerit: dicitur tamen hic de ea, quòd Deus auertit faciem ſuam ab ea, eo modo, quo de eius Filio legitur derelictum fuiſſe à Deo; Ideſt Diuinitas Chriſti carnis dolores non leuabat, ſed ita ipſam cruciari voluit, ac ſi puri hominis eſſet. Sic & Beata Virgo acerbiſſima Filij ſui morte cruciata, ad ſui coronam, ac Eccleſiæ vtilitatem, multis doloribus affligi permiſſa eſt, ſine ſupernaturali ſolatio ſenſibili, licet ita ſeruata ſit Dei gratia, vt mortem non incurreret, aliàs præ dolorum magnitudine moritura. Quare nullus Martyr ita ſæuiſſimè cruciatus eſt, ſicut Mariæ Spiritus, cuius martyrium explicans Diuus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, 4. *part. ſumm. tit.* 15. *capit.* 41. §. 1. ait: *Stabat iuxta Crucem Mater eius: Stabat a peccato non inclinata, non iacebat, non ſedebat, non curua erat, ſed ſtabat. Et tamen cum Beata Virgo fuerit immunis ab omni peccato, voluit Deus ipſam experiri tantam Paſsionem in morte Filij, quantam nullus vnquam Martyr ſuſtinuit in ſua paſsione.* Dulciſſimus enim Ieſus, Filius eius dulciſſimus, qui ſemper vt Deus cum Maria erat, vt homo moriens eam dereliquit, nec ſine maximo dolore tantum Filium amiſiſſe cernebat; mortuam videbat faciem, ſpirituque carentem, quæ eam lætificabat, ſicque cruciabatur.

Maria Virgo in Filij ſui paſſione quam maximè cruciata eſt.

1 A*Vertit Deus, &c.* Tantus extitit dolor Deiparæ Virginis in ſui Filii paſſione, vt explicari verbis nequeat: ſed quid mirum ſi nos ad eum explicandum impares ſumus, quando nec ipſa Maria ſuam explicare paſſionem potuerit? Recole Euangelium: nihil de ea legimus in paſſione Filii, aut dixiſſe, aut egiſſe: non lamenta, non lacrymas, non eiulatus emiſiſſe commemoratur: hoc vnum de ea ſcriptum eſt, iuxta Crucem ſtetiſſe, Ioan. *cap. 19. verſ. 25. Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius.* Tantus enim dolor eius dum Filium ſuum, Deum ſuum, Dilectum ſuum morientem videbat, extitit, vt ferè præ ſtupore ſteterit immobilis, vehementiam ſui cruciatus nullis externis ſignis explicare valens. Dolor namque communis eſt, qui aut verbis, aut factis valeat indicari: Heu Mater Sanctiſſima; quid vocem te, Mariam Deiparam, an Mare tribulationum, dolorumque? Sed vtrumque tibi conuenit, ideo dolens quia mater: quare ait Leo Auguſtus, *in Fragm. 3 orat. de Sanct. Paraſc. pagin.* 113. *At nunc Crucem conſpicatur, & in ea fixum Filium, & hoc cum latronibus. Quocirca neque nouiſſima effatura Verba, nec talia, qualia ſuper mortuo Filio Mater conſueuit; ſed ſtetit præ ſtupore velut ſolo affixa lacrymis vbertim manantibus vehementia doloris; non modo penitus eam rebus tam arctis abſorbuerat, ſed & ipſam vocem intercluſerat.* Non ergo clamabat, non lamentabatur Maria, ſed ſtabat; quia vehementiſſimis doloribus cruciata, nec ſuammet paſſionem explicare valebat.

Ian. de Mata.

2 Sed ne putes leuem hûc dolorem fuiſſe, audis quid de illo vetuſtus Sacerdos prophetauerit: Luc. *c. 2. v.* 35. *Tuam ipſius animam gladius pertranſibit:* Quæ verba conſiderans Lauſanenſium Præſul D. Amedeus. *Homil. 5. de Laudib. Mar. pag* 814. *col.* 2. clamat, *O Domine Ieſu terribilis in conſiliis ſuper Filios hominum, nec Matri tuæ pepercisti, cuius gladius animam ſuam pertrãſiret.* Sed hic non video quomodo, vel Textus Euangelici, vel Lauſanenſis commenti verba adimpleta fuerint, cum nullibi legamus Mariam materiali gladio tranſuerberatam fuiſſe. Vide quid dicis, negas materiali ferro vulneratam Virginem? erras: nam re vera clauis eſt perforatum cor eius, lancea percuſſum, flagellis cæſum. Vt hoc catholicè intelligas, aduertas velim Matrem extitiſſe Mariam; ſed Mater, quæ nõ ſeminali materia, aut menſtruo ſanguine, vt aliæ faciũt matres filiũ ſuũ genuerit; ſed quæ pio corpore illo ſanctiſſimo cõſtruẽdo particulã ſui cordis dederit; cũ ergo corpus Chriſti cor eſſet Virginis, quid mirũ ſi corpore perforato Chriſti, Cor Mariæ perforatum dicamus? Fateamur ergo, quod & ipſa Deipara faſſa eſt, eumdem dolorem fuiſſe in Matre, qui erat in Filio, eademque vulnera, quæ ille patiebatur in corpore, illa ſentiebat in corde, audi eius Verba, ad dilectam Birgittam, *lib. 1. Reuel. c. 35. pag. 60. lit. E. F. Ipſe quippe erat mihi quaſi cor meum: propterea cum naſceretur, ſenſi quod quaſi dimidium cor meum naſceretur, & exiret ex me: & cum*

ipſe pateretur, ſenſi, quòd quaſi cor meum pateretur: propterea audacter dico, quòd dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Hæc B. Virgo. Quibus rationibus motus Seraphicus Doctor D. Bonau. Card. *in ſtimul. Amor. c. 3. tom. 7. pag. 209. col. 2. lit. E.* omnia corporis Chriſti tormenta, cordi Virginis applicuit, dicens. *Ibi Domina lanceatum eſt cor tuum, ibi ſpinis coronatũ, ibi illuſum, exprobratum, & contumeliis plenum, aceto, & felle potatum: o Domina cur iuiſti immolari pro nobis? O amaritudine plena quid feciſti? Cur Vas ſanctitatis, feciſti Vas pœnalitatis? Vas tripudii, & amoris feciſti vas contumeliæ, & horroris?* Quid tantis doloribus addendũ putamus, cum immenſa ferè Chriſti tormenta fuerint?

3 Ioannes Apoſtolus ad alta myſteria contemplanda eleuatus, Mulierem pulcherrimam vidit, vtpotè, quę Sole veſtiebatur, coronabaturque ſyderibus, cuius figuram Virgini Deiparæ aptat Eccleſia: verùm vnum in illa eſt, quæ Mariæ cõuenire nequaquam poteſt, videlicet quòd illa *Clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret*, Apoc. *c. 12. v. 2.* hæc autem ſine dolore Filium ſuum peperit; quomodo ergo verificari poterit ratione ſui partus cruciatam fuiſſe? Bis peperit Chriſtum Maria in Præſepio, & in Cruce, nam cor ſuum, viſcera ſua cruciari cernens, & ipſa cruciabatur, & quia ille per Crucem naſcebatur ad gloriam, ipſa ſua compaſſione eum fouit; & eos dolores, quos in primo partu effugit, in ſecundo ſenſit, ſi Damaſceno, *de Fid. Orthod. lib. 4. c. 15. pag. 284. lit. D.* dicenti credimus. *Ipſa ſupra naturam donorum dignè effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit, ex materna compaſſione viſcerum lacerũ reparturiens, & quem Deum per Natiuitatem agnouit, illum vt maleficum interfectum videns, cogitationibus diſcerpitur.* Verè ergo Mater dolorum cruciabatur, vt pareret glorioſum in Cruce, quem ſine dolore pepererat in præſepio mortalem.

4 Crediderim tot tormenta Mariæ cor ſuſtinuiſſe iuxta Crucem, vt vix aliqua ſimilitudine poſſint declarari, niſi recurramus ad Mare, cuius nomen & ipſum eius amaritudinem demõſtrabat. Mare, vt ex ſacris literis habemus, eſt congregatio quædam vniuerſalis aquarum, nam ex ipſo exeunt flumina, & ad ipſum reuertuntur, quapropter Marè minimè redũdat; vt Sapiẽtiſſimus docet Salomon, Eccl. *c. 1. v. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur.* Dicamus igitur Chriſti tormẽta ſingula flumina eſſe, quæ omnia ex hoc mari, ex Maria ortũ duxere, nam neque paſſibile Verbum foret, niſi à Maria humanitatem paſſibilem accepiſſet; hæc ergo tormentorum flumina in Mariam intrabant, dum Filium torquentes cor Matris lacerabant; ſed Mare non redũdabat, per impatientiam, aut quærimoniam, quia patientiſſima Domina benè nouerat ad hoc à ſe genitum vt pateretur, & immolaretur pro nobis. Si ergo Virginis dolorem exponere ſatagimus, Mari comparemus, dicentes ei cum Propheta, Thren. *c. 2. ver. 13. Magna eſt velut mare contritio tua*, & fauet nobis D. Bernardinus, *ſerm. 3. de glor. nom. Mar. art. 3. cap 6. tom. 4 pag. 100. col. 2. Verum igitur amarum mare Maria, in quo tot fluctus, & flumina amariſſima intrauerunt; ſingula quidem circumſtantia paſſionis, quaſi flumen ſingulum eſt doloris. Propterea ad eam meritò dici poteſt illud Thren. 2. Magna eſt velut mare contritio tua; Et hoc mare per impatientiam non redundabat, ſed omnia flumina in ſe per patientiam abſorbebat; ſicuti Eccleſ. 1. myſticè ſcriptum eſt; Omnia flumina intrant in mare, id eſt Mariam, & mare non redundat, ſcilicet per impatientiam* Verè acerbiſſimus, & ferè ineffabilis dolor ille fuit, qui Oceano comparatur.

5 De Chriſto Domino dicitur, quod totam vitam in paſſione vixerat, quia ſemper futuros cruciatus præſentes habuit. Idipſum, & de Virgine dicẽdum eſt: quæ, quia benè nouerat, ideo Verbum incarnatum, vt moreretur, dum puerulum nutriebat, vel virum contemplabatur, membra illa ſanctiſſima, æquè, & chariſſima cruciata obiiciebãtur: numquam nudum corpus ſine vulneribus vidit, nunquam ſine ſacra cauerna latus eius inſpexit, nũquam ſine foraminibus ambulantes obſeruauit plantas, nec ſine cicatricibus obſeruauit manus: caput eius auro fuluius ac pulchrius, ob ſpinarum aculeos cruentatum ſæpè cernebat: tota ergo Mariæ vita cruciatibus fuit obnoxia. Hoc videtur indicare D. Lucas dum refert Virginem Paſtorum verba in corde ſuo conſeruaſſe; nam verò ſimile eſt illos Domini paſſionem commemoraſſe; ait ergo, *c. 2. ver. 19. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*, & D. Vincentius addit, *ſer. de Purific. pag: 38. to. 3 de Sanct. Quando in partu ipſa vidit mirabilia, quæ facta fuerunt, cogitabat ſuam paſſionem. Ideo dicit B. Lucas: Maria autẽ conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo: Quando vidit puerum Ieſũ natum, & nudum, cogitauit in corde ſuo dicens; O væ, ſic Filius meus erit nudus in Cruce: deinde pannis eum inuoluit cogitans, quòd ſic corpus eius inuolueretur ſyndone in ſepultura: Deinde poſuit eum in præſepio in medio duorum Animalium, cogitans, quòd ſic ſuſpenderetur in medio duorum Latronum.* Sic acerbiſſimè afflicta eſt Maria, quia ante Filii ſui glorioſam Reſurrectionem, ſemper cruciatum ipſum inſpexit.

6 Sed ſi eam dolorum acerbitatem, quam ſuſtinuit Filius, ſenſit & Mater, cur mortua non eſt, ſicut Chriſtus, ita & Maria? Ad hoc dicimus ſpecialiter à Deo ſeruatam fuiſſe ne moreretur: Chriſtus enim Dominus ſuę paſſionis acerbitatem, ac inde ortam mortem per os Prophetæ referens, ait, *Pſ. 68. ver. 3. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me:* quia vi tormentorum exanimatus occubuit. At Virgo venit quippe in altitudinem maris, ſed nequaquam demerſa eſt, Domino re, & voce eam ſeruante: ſed quæri poteſt Vtrum iſta à morte liberatio ad ſolatium, an ad martyrium ei permiſſa fuerit? Certè Mors finis dolorum eſt, & nonnulli vt tormentorum vim fugerent, mortem ſibi conſciuere: at Mariæ dolor, ex eo acerbior extitit, quòd continuò moriendo, nũquam moriebatur: ita D. Bernardus Abb. Clareu. *de Paſſ. Dom. c. 10. pag* 1182 *lit. D. E. Quoties ipſam præ immenſitate doloris credis potuiſſe deficere, quo ipſam ſummè miror etiam mortuam non fuiſſe. Moriebatur viuens, viuendo ferens dolorem morte crudeliorem. Sed ne moriendo deficeret à Filio pro ipſa mortalitate confortata eſt.* Cui etiam ſubſcribitur Arnoldus Carnutenſis. *de ſeptem verb. Dom. part. 2. tom. 12. Biblioth. pag. 425. lit. C. D. Veni in altitudinem maris, &c. Verum illa tantam procellarum ſalſuginem elibebat. Et (quod difficillimum eſt) moriebatur, & mori non poterat: & clauſo tanti doloris tormento intrinſecus alium vultum palam exhibebat, nec poterat ex facie colligi Crux illa, & patibulum ſpiritus, in quo erat hoſtia viua, beneplacens Deo, & medullatum Holocauſtum.* Tanta in faciei Chriſti auerſione per mortem Maria perpeſſa eſt.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

PRo noſtri inſtituti ratione allegoricus iam ſenſus attenditur, ſed nonnullæ allegoriæ aliundè petendæ ſunt. *Facies* eſt prima, de hac vide Verſ. 15. §. 3. deinde *Deficere*, pro hac vide Verſ. 35. §. 1. ſolum ergo veniunt examinandæ duæ voces *Spiritus*, & *Puluis*: de quibus ſtatim videbimus.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Spiritus, ſeu flatus allegoricè.*
2 *Quid Puluis allegoricè ſignat.*

§. I.

Quid ſit Spiritus, ſeu Flatus allegoricè.

1 Spiritus, qui etiam ventus, & flatus dicitur, ſumitur primò pro Deo; vnde in Euangelio: *Ioan. cap 4. verſ. 24. Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare*: Vbi Gloſſ. ord. *Cum Deus ſit ſpiritus non quærit corporeum locum montium, aut templum in quo oretur.*

2 Spiritus oris noſtri Chriſtus eſt, de quo Ieremias: *Thren. cap. 4. verſ. 20. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*: Vbi D. Hieronymus *in Thren. tom. 4 pag. 27. lit. G. Alii autem ſuper Ieſu Chriſto vero vniuerſorum Domino, ac vita Fidelium dictum intelligunt. Ipſe autem Spiritus oris noſtri eſt, in quo viuimus mouemur, & ſumus.*

3 Spiritus frequentiſſimè in ſacris literis pro Spiritu Sancto ponitur; ſufficiat pro nunc illud Pſ. 32. *v 6. Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*: & ibi D. Baſilius *in Pſal. 32 pag. 64. lit. A. Spiritu itaque ſancto firmata eſt omnis virtus cœleſtis.*

4 Spiritus ſumitur pro Angelo; ſic Pſalmus 103. *verſ. 4. Qui facis Angelos tuos ſpiritus*: Vbi Lyranus. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, ideſt ſpirituales ſubſtantias facis Angelos tuos, ideſt nuncios*

5 Spiritus procellarum eſt pœna inferni: vnde Pſalmus 10. *verſ. 7. Spiritus procellarum*: & D Hieronymus *in Pſal. 10. tom. 7. pag. 11. lit. E. Spiritus procellarum pœnam æterni iudicii, & verbera indicat peccatorum.*

6 Spiritus oris D i eſt ſententia diuini iudicij: vnde ait *Iob cap. 15. ver. 30. Ramos eius areſaciet flamma, & auferetur ſpiritu oris ſui*: & D Hieronymus *in Iob. to. 8. pag 1[illegible]. lit. G. In ſtirpe originem vitæ impij ſignificari exiſtimo, quam ſpiritus Dei ſententiam iudicis, vt incubans ventus percutit, vt velut arbor areſactus impius illico moriatur.*

7 Spiritus tranſiens eſt reuelatio cœleſtium in contemplatione; de qua dicitur: *Iob. cap 4. verſ. 15. Cum ſpiritus me præſente tranſiret* Vbi D. Gregorius. *Nobis præſentibus Spiritus tranſit; quando inuiſibilia cognoſcimus; & tamen hæc non ſolidè ſed raptim videmus; neque enim in ſuauitate contemplationis intima diu mens figitur. lib 5. cap. 23. mor. pag. 421. lit E.*

8 Spiritus ponitur pro anima, vt de Chriſto Domino dicitur *Ioan. cap. 19 verſ. 30. Inclinato capite tradidit ſpiritum*: & idem Gregorius *lib. 11 cap. 3. pag. 564. lit. A. Pro anima namque ſpiritus dicitur, ſicut de noſtro ipſo capite ſcriptum eſt: inclinato capite tradidit ſpiritum.*

9 Spiritus vitam ſpiritualem ſignat; vt dicit Pſalmus 103 *verſ 4. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*; & addit idem Doctor: *Omnipotens ergo Deus Angelos ſuos ſpiritus facit; quia Prædicatores ſuos ſpirituales efficit.*

10 Spiritus conterens eſt Pœnitentia, de qua Pſalmus: 47. *verſ. 6. In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis*: & D. Gregorius *lib 4. cap. 17. mor. pag. 388. lit. C. Tharſis quippe exploratio gaudii dicitur: &c. Spiritus ergo vehementis naues Tharſis conterit, cum vis compunctionis valida, mentes noſtras, huic mundo, quaſi mari, deditas, ſalubri terrore confundit.*

11 Spiritus eſt ſuperbia; vnde Iob ait *cap. 6. v. 4. Quarum indignatio ebibit Spiritum meum*, & D. Gregorius *lib. 7. cap. 3. mor. pag. 456. lit. E. Quid enim eſt ſpiritus hominis, niſi ſpiritus elationis?*

Plura vide ſupra de vento Verſ. 3. §. 4.

§. II.

Quid Puluis allegoricè ſignet.

1 Et *in puluerem ſuum reuertentur*. Puluis eſt minutiſſima terra, quæ facili negotio commouetur a vento: Et primò in tenuiſſimum puluerem aromata conterere, eſt diligenter examinare opera Virtutum, quod præcipitur in Exodo: *cap 30 verſ 36 Cumque in minutiſſimum puluerem vniuerſa aromata contuderis*: & Magnus Gregorius *lib. 1. cap. 19. mor. pag. 329 lit. E. In minutiſſimum puluerem aromata vniuerſa conterimus, cum bona noſtra quaſi in pilo cordis, occulta diſcuſſione tundimus.*

2 In puluerem deduci eſt deſeri a diuina gratia: vnde Iob: *cap. 10. verſ. 9. In puluerem deduces me*: & Idem Gregorius *lib. 9. cap. 29. pag 533. lit. E. Reduci ad puluerem dicitur; quia dimiſſus ſibi, cuiuslibet tentationis aura iactatur.*

3 Puluis Hominem terrenum, & mundanum ſignat in Pſalmo: 29. *verſ. 12. Numquid confitebitur tibi puluis*; Vbi D. Baſilius *in Pſal. 29. pag 62 lit. B. Quomodo terreſtris homo, aut carneus confitebitur ſibi Deo?*

4 Puluis denotat Impium: de quo Propheta *Pſal. 17. ver. 43. Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti* & D. Hilarius *in Pſal. 1. col. 629. lit. E. Quomodo enim nullus labor eſt vento puluerem diſſipare &c. ita pœnæ illi Inferni facile eſt impios delere, atque diſpergere.*

5 Puluis eſt vitiorum ſpecies Iob. *cap. 7. verſ. 5. Induta eſt caro mea ſordibus pulueris*. Vbi D. Gregorius *lib. 8. cap. 7. mor pag. 483. lit. C. D. Vitiorum verò Imagines in corde tolerando, ſordibus pulueris fœdantur.*

6 Puluis mala cogitatio excæcans mentē dicitur, de qua Propheta *Iſai cap. 47. verſ. 1. Deſcende ſede in puluere Virgo filia Babylon.* & Magnus Gregorius *lib. 14. cap 9. mor. pag. 620. lit. B. Vnde Filiæ Babylon dicitur: Deſcende, ſede in puluere Virgo filia Babylon: Quid ergo per puluerem niſi cogitationes debemus accipere? quæ dum importunè, & ſilenter in mentem euolant, eius oculos excæcant.*

7 Puluis Pigmentarij eſt virtus; de qua in Cantica. *cap. 3. verſ. 6. & vniuerſi pulueris pigmentarii*, & Pagninus *lib. 8. cap. 19. de myſtic. ſen. ſcrip. pag. 412. Puluis Pigmentarii eſt virtus benè operantis.*

8 Puluerem ſpargere ſuper caput eſt ſacra verba ſæculari intellectu corrumpere; Quod faciunt Hæretici ſignati per amicos Iob, qui *ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in Cœlum*: Vbi Sanctus Gregorius *lib. 3. cap. 14. mor. pag. 370. lit. A. Puluerem ergo ſuper caput in cœlum ſpargere, eſt ſecularis intellectu mentem corrumpere, & de verbis cœleſtibus terrena ſentire.*

9 Reuerti in puluerem, & humiliari: *Pſ. 103. v. 30. Et in puluerem ſuum reuertentur*: eſt Idem Gregorius *lib. 24. c 12. pag. 859. lit. A. Et reuertantur in puluerem, ideſt humilientur ex infirma conditione.*

10 Oſſa in puluere dormire, eſt peccatorem in vitijs permanere vſque ad mortem: vnde Iob *cap. 20. ver. 11. Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cum eo in puluere dormient* & D. Gregorius *lib. 15. cap. 5. pag. 642. lit. B. Quæ nimirum oſſa cum eo in puluere dormient quia uſque in eo iniquæ conſuetudines perdurant, quo hunc ad mortis puluerem pertrahant.*

Verſus

Digitized by Google

Verſus Trigeſimus.

תשלח רוחך יבראון ותחדש פני אדמה׃

Verſio ex hebræo. *Emittes Spiritum tuum, creabuntur, & renouabis facies terræ.*

Vulgata editio. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

D.Hieronymus. *Emittes &c. & inſtaurabis faciem terræ.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

TExtus clarus eſt, omneſque verſiones cum litera concordant. Agitur autem in hoc verſu de Diuino Spiritu; nam vt vidimus in Prologomenis, omnes tres Perſonæ diuinæ ſeparatim inducuntur; vt cum de rerum creatione agitur, Vnius, Triniquc Creatoris gloria manifeſtetur.

SVMMARIVM.

1 *De Spiritus ſancti Proceſſione, & Diuinitate.*
2 *De Spiritus ſancti effectibus, & appropriatis.*

§. I.

De Spiritus ſancti Proceſſione, & Diuinitate.

1 E*Mittes Spiritum tuum, & creabuntur:* Vim quamdam creatricem, producticem, nec non, & gubernatricem mundialium rerum in mundo eſſe, Ipſe Plato apertiſſimè docuit, quam & Animam mundi nuncupauit. Idipſum credidere Stoici, qui ex Platonis doctrina ortum duxere; nos vero vim creatricem voluntatem Dei dicimus, quæ quia in tribus Perſonis eſt, vt nullam a creationis potentiam excludat, ſupra adiutricem Sapientiam, hìc concreatorem oſtendit Spiritum: Quod autem de Spiritu diuino intelligendum ſit, ex eo colligitur quod creare dicitur; non enim creare niſi Deus poteſt, vt arguit D. Hieronymus: *in Pſal. 103. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: ſi Spiritus creat, ergo Deus eſt.* De hoc autem mundi Spiritu a Stoicis poſitus, & qui renera Spiritus ſanctus dici debet, agit fuſius: idem Doctor ſanctus in illa Iſaiæ verba *c.57. verſ.16. Spiritus enim a me egredietur, & flatus ego faciam:* ait namque *lib.16. in Iſai pag.188. lit. D. Quidam noſtrorum hunc aiunt eſſe Spiritum, quo omnis mundus inſpiratur, & regitur, & cuncta habent notitiam Dei: quem iuxta Stoicos inſignis Poeta diſcribens, ait*

Principio Cœlum, ac Terras campoſq; liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit, totaq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumq; genus, vitæq; volantum,
Et quæ marmorea fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus.

Et reliqua. Alij vero Sanctum Spiritum intelligunt, qui in principio ferebatur ſuper aquas, & viuificat omnia; Qui de Patre egreditur, & propter ſocietatem naturæ à Filio mittitur. Hæc D.Hieronymus. Habemus itaque Spiritus ſancti Diuinitatem ex creatione probatam. Cui ſententiæ ſubſcribit etiam D. Ambroſius. *in Hexam. tom.1. pag.9. lit. A. Spiritus enim Dei ſuperferebatur ſuper aquas: Ornando enim Polo cœli, & germinationis terris, pulchrè Spiritus ſuperferebatur, quia per ipſum habebant nouorum partuum ſemina germinare; ſecundum quod dixit Propheta: emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

2 Hęc diuina Perſona Spiritus ſanctus ſpecialiter vocatur, licet Deus, vt Deus Sanctus ſit, & Spiritus ſit, vnde etiam omnes Perſonæ ſanctæ ſunt, & Spiritus ſunt. Nihilominus tamen ex vi proceſſionis ſuæ hæc perſona ſpecialius Sanctus Spiritus dicitur, non enim ipſa gignitur, ſed procedit, non a mente fæcunda, ſed a voluntate; non eſt quid natum, ſed datum; non eſt genita notitia, ſed ſpiratus Amor: vnde ait D. Auguſtinus *lib.5. de Trin. cap.14. Spiritus ſanctus exit a Patre & Filio, non quomodo natus ſed quomodo datus.* Huius pulchrum exemplum profert Richardus, ait enim Spiritum hominis eſſe eius amoris affectum, qui de corde productus exit; & cum de multis cordibus concors exit facit omnia illa vnum, quòd ſi affectus ille ſanctitatem reſpiciat, Spiritus erit ſanctus procedens ſic affectus. Cum ergo perſona per Voluntatem eiuſdem prorſus amoris, & duabus Perſonis ſpirantibus procedat, quæque ſanctæ ſunt, & ipſe ſanctus Spiritus nuncupatur. *Quis eſt ille ſpiritus* (ait Richardus *à S. Victore lib.6. c.10. de Trinit. p. par. pag.406. lit. B.C.D.*) *qui de corde humano in alijs leuius, in alijs vehementius ſpirat; in his tepidius, in illis ardentius flagrat, niſi intimus animi affectus, & æſtuantis amoris impulſus?* & paulo poſt: *Hic ſane ſpiritus quando ſpirat de multorum cordibus facit in multis cor vnum, & Animam vnam. Ad huius itaque ſpiritus ſimilitudinem, qui procedit, & ſpirat de multorum cordibus, dictus eſt Spiritus ſanctus ille, qui in Trinitate Perſonarum procedit ex duobus. Quis enim dubitet (niſi ſumma inſania ductus) quòd in Patre, & Filio ſit idem pietatis affectus, & amor veraciter idem & vnus?*

3 Eſt igitur Spiritus hic ſanctus *ſpiratus Amor*, & conſequenter a Patre tantum procedere nequit, ſed a Filio etiam procedit. Ad hoc probandum ſufficeret nomen, quòd hucuſque declaratum duarum Perſonarum concordem, ſeu potius eamdem ſpirationem denotat; ſed operæ prætium erit etiam ex ſacris literis oſtendere. Iam conſtat ex illis a Patre procedere, cum doceat Dominus *Ioan. c.15. verſ.36. Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*: Quod autem procedat etiam a Filio docet Apoſtolus, dicens. *Gal. cap.4. verſ.6. Quoniam eſtis Filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra:* & alibi *Rom. cap.8. ver.9. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Et alter eius coapoſtolus Petrus de Prophetarum Spiritu (qui vtique Sanctus eſt) ait:

Digitized by Google

ait: *ep.1.c.1.v.11. Scrutantes, in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti*. Cũ igitur Apoſtolorũ Principes Sanctũ Spiritũ Chriſti Spiritum appellent, conſequens eſt, vt & a Filio procedat. Euidentius tamen colligitur ex ipſius Domini verbis. Nam de hoc Spiritu loquens apud Ioannẽ, *c.16.v.13.14.* ait: *Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatẽ, &c. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Quid autem Perſonæ diuinæ accipere ad intra poſſunt, niſi eſſentiã Deitatis? Nã quod perſonale eſt, proprium eſt, & ſola Deitas communis: cum ergo Spiritus accipiat de Filio, Diuinitatem accipit, & ſic procedit ab ipſo. Et ne ſola authoritate ipſius (licet maxima) moueremur, dignatus eſt clementiſſimus Dominus rationem huius proceſſionis exponere, dum ſubdit *verſ.15. Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt: Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Quaſi diceret Cum prius origine ego accipiam Diuinitatem a Patre, ſimul cum eſſentia, omnia, quæ in ea ſunt, accipio; & cum in ipſa ſit Voluntas fæcunda, quæ nondum ſpirauit ſpiritum ſuum, amorem ſuum, illam & ego accipio; vt ſic accipiendo ſpiritus eſſentiam, de meo accipit, cum & ego habeam illam cum tota fæcunditate ſpirandi. Explicat hæc Chriſti verba doctè, & acutè D. Hilarius *epiſ. lib.8. de Trinit. col.126. lit. D E. F. A Filio igitur accipit, qui & ab eo mittitur, & a Patre procedit. Et interrogo vtrum idipſum ſit à Filio accipere, quod a Patre procedere? Quod ſi nihil differre credetur inter accipere à Filio, & a Patre procedere, certè idipſum, atque vnum exiſtimabitur eſſe, a Filio accipere, quod ſit accipere a Patre. Ipſe enim Dominus ait; Quoniam de meo accipiet; & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, de meo accipiet & annunciabit vobis. Hoc, quod accipiet, ſiue poteſtas eſt, ſiue virtus, ſiue Doctrina eſt, Filius a ſe accipiendum eſſe dixit: & rurſum hoc ipſum ſignificat accipiendum eſſe a Patre*. Hucuſque D. Hilarius. Eſt igitur Spiritus ſanctus Amor a Patre, Filioque ſpiratus ad intra, vt eſſet donum etiam ad extra, ad creaturas renouandas, vt videbimus.

§. II.

De Spiritus ſancti effectibus, & appropriati.

1 ET *renouabis faciem terræ*. Creationem rerum ad extra exhibitam indiuiſim omnium Perſonarum diuinarum eſſe, manifeſtum eſt; tribuitur tamen in hoc ipſo Pſalmo Patri, & Filio, cum dicitur Deo: *Omnia in ſapientia feciſti*; & quomodo approprietur ſapientiæ, ideſt Filio, quod commune aliàs eſt, vidimus ibi: In hoc autem verſu tribuitur ipſi Spiritui Sancto creatio, nam dicitur: *emittes Spiritum tuum, & creabuntur*. Quomodo ergo ſi Deus creat, ſpecialius de Spiritu ſancto id affirmatur? Verũ animaduertendũ eſt, entia omnia intellectualia, quæ rationẽ, & voluntatem habent, numquam caſu operari, ſed conſulto, ex aliquo ſibi propoſito fine; hinc ortum philoſophicum illud principium; *Omne Agens agit propter finem*. Deus ergo cum ſit Intelligens, & Volens non fortuitò, non neceſſariò, vt ſomniauit Ariſtoteles, & docet eius Commentator Auerroes; ſed propter aliquem finem; Maieſtate, & ſapientia ſua dignum, mundum creauit. Diuinus Plato docet, Deum non ob aliud creaſſe mundum, & ea quæ in ipſo continentur entia, niſi propter ſuam bonitatem, vt ſcilicet aliis communicaret ſua bona, nam bonum eſt ſui communicatiuum. *Dicamus igitur*, ait Plato, *in Timæo, circa initium pag. 477. quam ob cauſam ille rerum Author generationem, & hoc Vniuerſum conſtituit. Bonus erat. Bonus autem nulla vmquam aliqua de re inuidia mouetur; ergo cum liuor ab eo alieniſſimus ſit, omnia ſibi quantum fieri poterant, ſimillima fieri voluit. Si quis hanc gignendi mundi cauſam præcipuam a prudentibus viris acceperit, rectiſſimè profectò accipiet*. Collige hinc, ideo Spiritui ſancto creationem attribui, quia Amor eſt; quia bonitas oppropriatur ei, & Deus Amore motus, vt ſuam communicaret Bonitatem, ad creationem acceſſit. Quòd ſic ex ſacris literis probari poteſt. Geneſis primò dicitur *verſiculo 2 Spiritus Domini ferebatur ſuper Aquas*: Quòd de Sancto ſpiritu exponit D. Auguſtinus *De Gen. imperfect. cap.4. Nullo modo hoc loco Spiritus Domini poteſt, niſi ſanctus, intelligi*. Deinde cum ſingula eius opera ad examen duceret Deus, eadem probabat, dicens: *Vidit Deus, quod eſſet bonum*. Cum autem certum ſit omnes tres Perſonas creaſſe, cur ſolus Spiritus memoratur? & cum in omnibus creaturis ſit Trinitatis veſtigium; nam *omne ens eſt vnum, verum, bonum*: Vnitas ſignificat Patrem, nam eſt initium omnis numerationis, & Pater eſt principium omnis productionis ad intra, & ad extra, dicente Apoſtolo; *Ad eph. cap.3. verſ.15. A quo omnis Paternitas in Cælis, & in terra nominatur*. Veritas ſignificat Filium, nam cum ſit ſapientia genita, ſapientiæ obiectum Veritas eſt; vnde cum de Patre dicatur *Pſal. 30. verſ.6. Deus Veritatis*, & de Spiritu ſancto, *Ioan. cap. 14. ver.17. Spiritus Veritatis*: Solus Filius de ſe ipſo dicit: *verſ 6. Ego ſum Veritas*: & alibi dicitur; *cap.1 v.17. Gratia, & Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: Quia in eo eſt Veritas incarnata. Bonitas tandem ſignificat Spiritum ſanctum: cur ſola bonitas examinatur, probaturque in creaturis, & non etiam vnitas, & Veritas? Reſpondet Doctiſſimus Ioannes Gerſon, ſermone, quẽ de Spiritu ſancto recitauit ad Patres Concilij Conſtantiẽſis *tom.2. pag.776. lit. C. D. Quamuis enim opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa; nihilominus completa formatio rerum modus, & ornatus earum appropriatur Spiritui ſancto pro quanto Diuina Bonitas, tanquam cauſa finalis, mouit ad rerum creationẽ, vt ſe in eis diffunderet: Bonum enim appropriatur Spiritui ſancto. Hoc vidit diuinus Dionyſius; qui ordinans nomina Dei per reſpectum ad creaturas, poſuit Bonum, quod appropriatur Spiritui ſancto, eſſe primum nomen Dei, & prius collocauit, quam hoc, ens*. Hoc itaque modo Spiritui ſancto Creatio appropriatur.

2 Secundus effectus Spiritui ſancto tributus, eſt Verbi Incarnatio; legimus namque: *Matth. cap.1. ver.21. Quod in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt*. Sed cur ſpiritui ſancto datur? Si ſpectemus effectricem potentiam, cum ſit operatio extra Deum, omnium Perſonarum eſt; ſi hypoſtaticæ vnionis terminum, is eſt Filius; non ergo Spiritus. Verum enim verò ob eamdem rationem Bonitatis diuinæ, quæ Incarnationis Dominicæ finis extitit, & Hominum ſãctificationis, quæ per merita Chriſti datur, ſed bonitati diuinæ tribuitur, Spiritus ſanctus id feciſſe prædicatur. Qua in re aduertere oportet numquam in veteri inſtrumento hoc nomen ſancti ſpiritus traditum fuiſſe, ſed vel Domini, vel Dei Spiritum appellatum; quia ante Incarnationem, vera & completa ſanctificatio non dabatur; quæ enim Animæ per præuiſa Chriſti merita ſanctificabantur, non omnino, nec completè ſanctificationem accipiebant, nam nec eis ad Cœli gloriam patebat aditus; ſed poſt Verbi in carne aduentum omnis in nos ſanctificatio diuina diffunditur. Quaptopter dicitur de ſapientia genita. *Eccl. cap.1. verſ.7. Ipſe creauit illum in Spiritu ſancto*: & explicat Cardinalis Hugo *in Eccl. pag.173. col.1. Ipſe creauit, ideſt incarnari fecit ſapientiam; in Spiritu ſancto, ideſt opere Spiritus ſancti*; & rationem reddit Abbas Rupertus *lib.1. cap.1. in Matth. tom.2. pag.7 Spiritus ſanctus maximè ex hoc facto ſuo ſic nominatur: quam ob cauſam? Niſi quia maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus eſt claruit Spiritu Domini, quòd verè ſanctus ſit. Quamuis enim Pater, & Filius Spiritus ſit, & ſanctus ſit, rectè tamen hæc ſola Perſona Spiritus ſanctus debuit nuncupari, cuius operatio propria ſanctificatio eſt. Huius ſanctificationis ſumma iſt id, quod in Maria natum eſt*. Sic ergo diuinus Amor omnia nobis Dona contulit, quibus nos Deus ditauit.

3 Quid.

Digitized by Google

3 Quidni autem Spiritui ſancto maximum Incarnationis Donum tribuatur, cum & ipſius ſapientiæ diuinæ effectus eidem adſcribantur? Certè Filius ſapientia eſt, ſapientis autem ſcire, & docere; & ideo conuenienter Meſſias ille qui non ſolum nos redimere, ſed docere debebat, Diuinæ Sapientiæ genitæ, in Perſonæ vnitate coniunctus eſt. Hoc tamen minime obſtante; ipſe Magiſter noſter Chriſtus, dixit de Spiritu ſancto *Ioan. cap.14.verſ.26. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* In cuius ſignum nunquam promulgata eſt lex Chriſtiana, niſi poſt aduentum illius Spiritus, qui idcirco venit in igneis linguis, vt daret ſcientiam, & charitatem, vt intellectum inſtueret ad docendum, & moueret voluntatem ad amandum; vnde cantat Eccleſia *in Hymn. Pentec.*

Ignis vibrante lumine
Lingua Figuram detulit,
Verbis vt eſſent proflui,
Et Charitate feruidi.

Dare bonum velle; Voluntatem ad amorem mouere, conuenit vtique Amori increato, ſed docere pertinet ad Verbum; & tamen Vtrumque effectum Euangelicus textus dat Spiritui ſancto. Cui etiam videtur adhærere Propheta, dum canit. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur; & renouabis faciem terræ.* Vtramq; ſcripturam exponit D. Antonius Patauinus *Dom. 1. poſt Trinit. pag.314.col.2. De quo Spiritu dicitur Ioan. 14 Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia. Pater miſit Paraclitum in nomine filii, id eſt in gloriam Filii, & ad gloriam filii manifeſtandam. Ille quidem vos docebit, vt ſciatis; ſuggeret, id eſt ſubminiſtrabit, vt velitis. Gratia enim Spiritusſancti dat ſcire & velle. Vnde cantatur in Pſal.103. emitte Spiritum tuum & creabuntur sua ſcientia, & renouabis faciem terræ bona voluntate.* Ratio autem a priori eſt, quia ſiue Deus creat, ſiue docet, ſiue inſtuit, ſiue ſanctificat, hoc agit propter ſuam bonitatem; & ideo omnia Dei Dona Spiritui Sancto tribuuntur; ſic ait Gloſſa ordin. *cap. 14. Io. In Scripturæ Spiritus ſanctus nomine Bonitatis deſignatur: per bonitatem ergo Deus ſua nobis tribuit. Vnde cum ipſe Filius ſit Doctrina Patris, de ſpiritu dicit: Ille vos docebit omnia; quia etſi Filius doceat nos, & reuelat Patrem, hoc tamen facit per ſuam bonitatem.*

4 Tandem haud vulgaris dubietas animum pulſat, quæſtionemq; ſuggerit. Cum hic Pſalmus opera Creationis memoret, ac Patrem Creatorem vbi inducit modo ipſi Filium, modo Spiritum ſanctum adiungat; magna cum diuerſitate loquendi, vtriuſque effectionem exponit: De Filio namque loquens, ait Deo Patri: *Omnia in Sapientia feciſti,* Quæ Verba in præterito tempore creationem a Padre in Filio, & per Filium iam factam indicant. De Spiritu vero loquitur in futuro, dicens: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur:* creationem non factam, ſed futuram oſtendens. Quod nedum in creatione externa, ſed in ipſa interna Perſonarum proceſſione, cum eadem diuerſitate proceditur; nam de ſe ipſo loquens Chriſtus, ſiue de æterna, ſiue de temporali natiuitate loquatur ſimiliter in præterito loquitur: *Ioan.c.8.verſ.42. Ego enim ex Deo proceſſi, & veni: neque enim a meipſo veni, ſed ille me miſit,* en proceſſio, & miſſio Filij in præterito ſignata tempore; iam proceſſit, iam venit. De Spiritu verò aliter loquitur, ait enim: *Ioan.cap.15.verſ.26. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit:* en proceſſio in præſenti, miſſio in futuro: ſed ſi vterque a Patre procedit, ſi vterque mittitur, ſi iam hæ proceſſiones, hæ miſſiones completæ ſunt; cur de Spiritu ſancto in futuro explicantur? Dicendum eſt autem in his locis non loqui abſoluiè de æterna proceſſione, ſed de miſſione viſibili vtriuſque Perſonæ; Chriſtus iam proceſſit, iam miſſus eſt, iam ſemel viſibiliter venit; ſuam miſſionem impleuit: Atqui Spiritus ſanctus ſemper mittitur, ſemper venit; nam cum eius ſit ſanctificatio, continuò ſanctificantur Animæ, ſemper adeſt aliqua per peccatum mortua, quæ per gratiam viuificetur; ſemper eſt aliqua per vitium deturpata animi facies, quę per Dona huius Spiritus renouetur: Accipe hanc doctrina ex doctiſſimo Ruperto Abbate *lib.1. de oper. Spir. ſanct. cap.4. tom.1. pag.642. col.1. Notandum quod de ſeipſo loquens præterito huius verbi tempore vſus eſt, ego enim, inquiens, ex Deo proceſſi, & veni: De iſto autem non in præterito, ſed præſenti tempore dixit; qui a Patre procedit. Etenim aliter ipſe a Deo proceſſit, naſcendo videlicet ante ſæcula de ſecreta ſubſtantia Patris, vt conderet mundum, quod ſemel factum eſt; ſiue aſſumendo carnem, vt qui inuiſibilis erat, viſibilis fieret, quod itidem ſemel factum eſt. Aliter Spiritus iſte procedit, cum ſubiectæ creaturæ gratiam impendit, quod toties fit, quoties viuificat ea, quæ mortua erant, & replet ea, quæ vacua fuerant.* Ex quibus colligitur quomodo Spiritus ſanctus faciem terræ noſtræ gratiam largiendo renouat.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

EFfectus Diuini Spiritus in Animabus Fidelium, eiuſque dona non recenſuimus; potius enim ad tropologiam, quam ad literam pertinere videntur, Inſuper Dona Spiritus ſancti, eiuſque fructus omnes norunt. In hac igitur morali expoſitione tres tantum eius effectus memorabimus; videlicet quomodo per iſtam creationem, ſeu recreationem Spiritus, Homines nouum viuendi ſtatum acquirunt, remouentur a malo, & in bono firmantur; & Imaginem Dei per peccatum amiſſam, per gratiam innouant.

SVMMARIVM.

1 *Gratia Spiritus ſancti ad nouam vitam generat.*
2 *Gratia Spiritus ſancti remouet a malo, & in bono perficit.*
3 *Gratia Spiritus ſancti Dei Imaginem renouat in nobis.*

§. I.

Gratia Spiritus ſancti ad nouam vitam generat.

1 EMitte *Spiritum tuum, & creabuntur:* Creatio, vt communis Sacrorum Sophorum fert ſententia, eſt productio alicuius rei ex nihilo, ita vt nil ſubſtantiæ, ſeu materiæ, nec accidentium, ſiue ſub ſua, ſiue aliena forma præfuerit. Benè igitur ſupra cum D. Augu-

Auguſtino dixit Peccator Domino: *Et ideo ſine te factus ſum nihil*. Recedente enim ab Anima Deo, non ſolum moraliter, moritur anima, ſed ad nihilum reducitur. Cum ergo nihil ſit, ſi per gratiam denuò ad eſſe reſtituitur, illa reſtitutio creatio dici poteſt. Hæc omnia benè nouerat Pſaltes, qui cum dixiſſet, *Auferes Spiritum eorum, & deficient*: id eſt peccante homine ſubtrahit ab eo Deus Spiritum ſanctũ, id eſt gratiam, quæ Spiritus ſancti donum eſt, & ſic deficit, ad nihilum gratiæ reductus; poſtea de eiuſdem renouatione Verba faciens creationem eam appellauit: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*; id eſt agente homine pœnitentiam, reddit ei gratiam, & renouatur in Spiritu, ſed cum iam nihil eſſet iſta renouatio creatio dicenda eſt: ſicuti probat doctiſſimus Incognitus his verbis *in Pſal. 103. Emittes Spiritum tuum, & creabuntur: Homo enim dum de ſtatu culpæ venit ad ſtatum gratiæ creari dicitur, & efficitur nouus homo, quia de non homine rationali fit rationalis, & de non grato gratus*. Sic de nihilo peccati ad ſtatum gratiæ redit.

2 Tantæ dignitatis eſt homo tantaque cum gratia donauit Creator ſuus, vt omnia quæ in mundo ſunt, ad eius vtilitatem creauerit, Cœlorũ ſydera, Ignium ſplendor; Aeris flatus, Aquarum vndæ, ac piſces. Terræ germina, Animalia, Volatilia, dierum viciſſitudo, pulchritudo Vniuerſi, ſuæ bonitatis ſinẽ hominem habent, quem a Deo datum Dominatorẽm agnoſcunt. Ideoq; & in initio cum peccaret homo, terra maledicta, & reliquæ creaturæ deterioratæ ſunt, vt quæ homini ſeruire debuerant, nunc ſteriles, & indomitæ redditæ eius labori miniſtrent. Hæc cum ita ſe habeant, facilè intelligemus Apoſtoli verba ad Romanos dicentis *capit. 6. verſic. 19. Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat*. Sed quorſum hæc? Paulò ante dixerat: *verſ. 11. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus vero viuit propter iuſtificationem: Quod ſi Spiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra*. Hæc igitur cum præmiſiſſet, ſubdidit: *Nam expectatio Creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat*: ac ſi diceret: iſta creatio quam denuo facit Spiritus ſanctus in homine iam mortuo per peccatum, non ſolum ipſum renouat, quia filium Dei reddit, ſed & omnes creaturas innouat, vt quæ peccante homine deteriores factæ ſunt, eo ad gratiam denuo creato, innouentur & illæ. Ita philoſophatur Rupertus Abbas. *Tuitienſ. lib. 10. cap 6. offic. to. 2. pag. 706. col. 1. Hoc enim Paraclito dato, hoc Spiritu emiſſo, creantur homines noui, & ſic renouatur facies terræ noſtræ, quæ maledicta eſt in peccato Adæ, & damnata, ſpinas, & tribulos, pullulante carnis luxuria germinat: renouatur inquam, & nouam profert creaturam; cuius expectatio (ſicut ait Apoſtolus) reuelationem filiorum Dei expectat*. Ea propter hoc emiſſo ſpiritu omnia creari dicuntur, quia ad gratiam recreato homine omnia meliorantur.

3 Neque id intelligas velim de ſola originali culpa, cum peccante Adamo, totum humanum genus mortuum, & eius cauſa terra maledicta eſt, ſed de quocumque peccato actuali intelligi debet; nam ita intelligebat Apoſtolus cum ſuadebat: *Induite vos nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt*: quod ex ipſis apoſtolicis verbis colligitur, in quibus Indumenti, & veſtis ſimilitudinem affert. Toties enim nouam veſtem induitur homo, quoties vetus dirupta eſt, & conſummata, ita vt tegere corpus nequeat: cum ergo homo baptizatur nouam veſtem induit; cum verò peccat, ſcinditur veſtis illa, & cum pœnitentiam agit nouam aliam veſtem induit gratiam, nam prima iam periit. Toties ergo creatur homo, quoties per peccatum ad nihilum redactus eſt, vt ait Caſſiodorus *ap. B. Albert. Magn. in Pſal. 103. Te toties Dominus creat, quoties te de vetuſtate peccati in nouum hominem inſtaurare dignatur*. Heu miſeri peccatores quid in obſoleta, ac diſciſſa veſte turpiter iacetis? eia Spiritum inuocate, pœnitentiam amplexamini, vt nouam, ſplendidamque gratiæ veſtem induentes, creari mereatis.

4 Huius figuram ex Ezechiele accipere poſſumus. Hic in magnum campum deductus maximæ aridorum oſſium multitudini prædicare iuſſus eſt. Voce ergo fortiter eleuata declamauit: *Ezechiel. cap 37. verſ. 4. Oſſa arida audite verbum Domini*. Ad cuius vocem illicò oſſa illa ad inuicem connexa ſunt *vnumquodque ad iuncturam ſuam*, nec non carne adducta, ac ſuper inducta cute, maxima iacebat cadauerum multitudo, nondum homines erant, quia adhuc animam non habebant. Tunc Prophetæ dictum eſt, vt clamaret denuo: *verſ. 9. Hæc dicit Dominus Deus: a quatuor ventis veni Spiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant*: quod ſtatim effectum eſt. Dicamus autem campum illud magnum mundum eſſe, in quo maxima aridorum oſſium multitudo eſt, quia multi in eo peccatores reperiuntur, qui vtique cum Deo mortui ſint, & ad merita inhabiles, oſſibus aridis meritò comparantur; his Prædicatores clamant, vt audiant verbum Domini, & ſic per pœnitentiam iungantur Eccleſiæ; ex quibus qui dictis eorum auſcultant, & pœnitentiam agunt, & confitentur, & per contritionem commouentur, recuperant carnem, & pellem; & per gratiam Spiritus ſancti reuiuiſcunt; qui per Spiritum a quatuor ventis flantem ſignificatus eſt. Optimè id declarat Incognitus *in Pſal. 103. in verſ. iſtum. Spiritus ſanctus eſt infuſio gratiæ viuificantis; Anima enim ſine gratia Spiritus ſancti mortua eſt. Figura Ezechiel. cap. 37. de campo pleno oſſibus, quæ Spiritum non habebant, quæ per Spiritum flantem a quatuor ventis viuificata fuerunt. Quid enim per oſſa arida non habentia vitam, niſi Animæ carentes vita gratiæ deſignantur? Sed per Spiritum ſanctum a quatuor ventis flantem viuificantur*. Sic ergo peccati mortem Vita gratiæ ſeparauit.

5 Cum de Corde in verſ. 15. literaliter loqueremur, ipſum animæ ſedem probauimus eſſe; cum ergo eſt peccatum in Anima cor ipſum fetidum dici poteſt, nam Dei Spiritu carens Anima fœdat cor, & immundum reddit. V. G. Cum homo moritur, eiuſque cadauer corrumpi incipit, fetorem magnum ex ſe emittit, ita vt cubiculum illud in quo degit inficiat, fetidumque reddat: Cum vero in demortua membra Spiritus redit, fetor euaneſcit, mundaturque cubiculum. Ita de anima philoſophandum cenſeo; cum ipſa per peccatum moritur fetet; quare dicebat Diuus Aguſt. *Tolerabilius fetet canis putridus hominibus, quam Anima peccatrix Deo, & Angelis*, & conſequenter cubiculum ſuum, id eſt cor, inficit, immundum, & fætidum reddit, ſed per pœnitentiam innouante cæleſti Spiritu Animam, mundatur, & cor: probat hoc Iſraelitarum Monarcha, qui cum animam ſuam mortuam per peccatum noſceret, vt eam innouaret ad gratiam, ac fetidum mundaret cor, hunc ſanctum ſibi Spiritum dari poſcebat: *Pſal. 50 verſ. 11. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis*. Nam cum Spiritum rectum faceret, cor mundabat; ait enim D. Fulgentius *contr. Arrian. ad 1. obiect. pag. 442 col. 1. Hoc eſſe ſignificans cor mundum in ſe creari, quod erat Spiritum rectum in eius viſceribus innouari*. Hæc igitur Spiritus ſancti creatio eſt Animam a peccatorum ſordibus liberare.

§. II.

Gratia Spiritus ſancti remouet a malo, & in bono perficit.

1 EMittes Spiritum tuum, &c. Cum minimè ad Viuentium vitam ſufficiat Geneſis, & ortus, niſi etiam ad conſeruationem eorum alimentum tribuatur, Sapienter vtique Rerum Artifex in prima mundi creatione prius de pabulo prouidit, quam viuentia produceret, nam terræ naſcentia, quæ ex humoribus viuunt, irrigatam magnis fluminibus terram inuenerunt, lumen-

Digitized by Google

Iumenta herbis florentem humum, ac fructus, & fruges, & ipſa animalia iam producta reperit Homo. homo per gratiam denuo viuens, per ipſam alitur, vt Idipſum in morali creatione obſeruatur; nam in virtutum bonis operibus creſcat; quia vero vtrumque hoc opus ad ſanctum pertinet Spiritum, ideo dicitur: *emittes Spiritum tuum & creabuntur*, animæ ſcilicet de nihilo peccati, ad vitam gratiæ: *& renouabis faciem terræ*, cor gratia in bono confirmando, & virtutibus augendo; vt docet magnus Albertus. *Hic oſtenditur diuina magnificentia in iis, quæ agit Spiritus ſanctus: & ſunt duo; primum eſt peccatoris conuerſio, quæ eſt quaſi creatio ipſius: ſecundum eſt conuerſi profectus, & ambulatio in bonum, & renouabis faciem terræ. Dicit ergo; Rogo ſic, vt Spiritum emittas, & creabuntur de nihilo ad fieri: & renouabis faciem terræ ipſas in melius promouendo.*

2 Haud immerito Spiritus ſanctus Igni comparatur, nam in ignem iniectum aurum purgatur quidem dum mundatur a ſcoria, ſed incenditur, & ſplendet; ita Spiritus ſanctus vt animam conuertat eam terret, & eius vitia dextruit, ſed diuino amore inflammat, & lucidiſſimam facit. In Ezechiele legimus ante Diuinæ Maieſtatis Thronum Ignem ſtetiſſe, e quo ſæpe Fulgura mittebantur: *capit. 1. verſic. 13 Et hæc erat viſio diſcurrens in medio Animalium, ſplendor Ignis, & de igne fulgur egrediens.* Sancta illa Animalia Euangelia ſignificare nullus ignorat; & ignita dicuntur, quia ad Dei amorem dirigunt: ſed cur etiam fulgura emittunt? duo ſunt Coruſci, ſeu Fulguris effectus, terrere, & inflammare, & hæc duo ad Peccatoris conuerſionem requiruntur; terror vt recedat a malo, pænitentiam amplexando; ignitio, vt creſcat in bono Deum amando: Quare Magnus Gregorius ait *Hom. 5. in Ezech. tom. 2. pag. 1253. lit. E. Creator noſter & ignis dicitur & conſumens. Sanctus ergo Spiritus in medio Animalium Splendor ignis, & de igne fulgur egrediens diſcurrere dicitur, quia vniuerſam Eccleſiam replens in electorum cordibus ex ſeipſo flammam amoris proiicit, vt Coruſci more, per terrorem feriat, & ad amorem ſuum corda torpentia accendat:* Sic peccatorum animæ per terrorem generantur, amore creſcunt, & nutriuntur.

3 Cum Iob Dei omnipotentiam prædicaret, præcipuè abſentiæ Dei Spiritus dona, ac eius præſentiæ bona commemorat, dicens: *Iob cap. 12. verſ. 15. Si continuerit aquas omnia ſiccabuntur; & ſi emiſerit eas ſubuertent terram.* Sed quorſum iſta ſubuerſio? Etenim ſi Aqua hæc ſancti Spiritus eſt gratia, nũquã bonum operabitur, nam contenta deſiccat, effuſa ſubuertit. Sed aduertas velim ad huius verſus intelligentiam terræ culturam ab Agricola exhibitam. Hic enim prius vomere ſubuertit terram, bidente ſcindit, ligone diuidit, & poſtea ſeminibus fæcundat ad fruges: ita pariformiter Sanctus Dei Spiritus, ſubuertit primo terram cor conterendo per pænitentiam, vitia eradicando, & poſtea per ſuam gratiam ſemina ſerit virtutum; vt non ſolum Anima ſuam frangat impænitentiæ duritiam, ſed etiam ad diuina mandata ſeruanda promptior euadat, & quæ antea ægrè inimicis parcebat, non ſolum nunc parcat, ſed diligat; & ſua largè diffundat, quæ aliena rapiebat. Audi eumdem Doctorem ſanctum *lib. 11. cap. 6. mor. pag. 167. lit. B. Si ſancti Spiritus gratia ſuperno munere iuxta vocem Prædicantis infunditur, ſtatim terra ſubuertitur: quia peccatricis mentis duritia ab immutabilitatis ſuæ obſtinatione permutatur, vt tantum ſe poſtmodum præceptis dominicis flendo ſubiiciat, quanto ſuperbiendo prius contra Dominum ceruicem cordis erigebat. Videas namque, quòd terra cordis humani aqua diuini muneris infuſa, poſt libenter iniurias tolerat, quas prius vehementer irrogabat: poſt etiam ſua tribuat, quæ prius aliena rapiebat: poſt etiã perſecutores diligit, quæ prius diligere etiam ſe amantes nolebat.* Vide cordis ſubuerſionem, vide fructum: hæc ſunt diuini Spiritus opera a malis remouere, & in bono firmare.

§ III.

Gratia Spiritus ſancti Dei Imaginem renouat in nobis.

1 ET *renouabis faciem terræ.* Licet omnia, vt Plato etiam docet, fides prædicat, & ratio ipſa ſuadet, quantum licuit ſibi ſimilia operatus ſit Deus; ac propterea Vnius, Trinique Numinis veſtigium in vnaquaque creatura reperiatur; attamen vera Dei Imago in Hominis Anima reperitur, quæ ſpecialius ad eius ſimilitudinem facta eſt. Hæc pulcherrima Diuinitatis Imago peccato adueniente deſtruitur; nam pereunte ſubiecto, & ipſa ruit forma; ita prorſus cum Anima moraliter moriatur per culpam, ſequitur, vt etiam Dei ſimilitudo pereat. Gratia ergo Diuini Spiritus, non ſolum denuò emortuam creat Animam, de quo dicitur: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur*, verùm etiam innouat Diuinam imaginem, ea propter ſubditur: *& renouabis faciem terræ:* Ita Cardinalis Hugo. *Peccatum in homine omnino deſtruit, & annihilat ſimilitudinem Dei, quæ eſt quoad gratuita: Imaginem verò Dei, quæ eſt quoad naturalia, licet non deſtruat, tamen diminuit, & deturpat. Gratia verò, quæ peccato opponitur, reſtituit quod peccatum abſtulerat. Vnde dicitur: Emitte Spiritum tuum, ideſt gratiam Spiritus ſancti; & renouabis faciem terræ, ideſt Animæ quantum ad imaginem quæ deturpata eſt.*

2 Optimè autem hæc diuinæ Imaginis inſtauratio Spiritui ſancto committitur: nam ſi aliqua excellentiſſima pictura periret, aut deturparetur, nullus meliùs inſtaurare poſſet, quam Pictor ipſe, qui antea pinxit: Imaginem autem Diuinitatis in Anima quis, niſi ſanctus delineauit Spiritus? etenim Dei gratia illam expreſſit. Hoc colligitur ex Geneſis primo, vbi cum dixiſſet Deus: *cap. 1. verſ. 26. Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ad ſimilitudinem noſtram*; & ſoletti cura ſuis manibus terram accipiens Corpus efformaſſet, cum ad animam creandam veniſſet, Spiritus ſancti ope ſpecialiter eſt vſus, quia ſibi gratam creauit; vnde ſcriptum eſt: *Gen. cap. 2. verſ. 7. Inſpirauit in faciem eius, ſpiraculum vitarum*, nam vox חיים pluralis eſt, nam dedit ei duplicem vitam, naturalem Spiritus, ſpiritualem gratiæ. Cum ergo hæc imago deperdita per Adæ peccatum eſſet, & in Chriſti aduentu renouanda eſſet, ipſe Spiritus, qui creauerat, ad renouandam acceſſit; In die enim Pentecoſtes quando dona gratiæ in Eccleſiam abundè diffuſa ſunt, Spiritus apparuit; nam *Act. cap. 2. verſ. 2. Factus eſt repentè de Cœlo ſonus aduenientis Spiritus vehementis.* Quare D. Antonius, de Padua dictus, appropians omnia opera ſex Dierum Spiritui ſancto, ideſt, quòd his ſimilia quæ Deus fecit in mundo, faciat ipſe in Anima de Hominis effectione hæc habet *Dom. Septuages. pag. 123. col. 2. Sexta die dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: Sextus articulus eſt Spiritus ſancti miſſio, in quam Imago Dei in homine deformata, & deturpata, per Spiritus ſancti miſſionem, qui inſpirauit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, reformatur, & illuminatur.* Pæniteamus igitur qui peccauimus, quia ad diuinam imaginem in nobis iſtaurandam Ipſe primarius Pictor accedit.

3 Ex hac eadem motus ratione Dauid ſuadebat peccatoribus pænitentiam, quia licet per peccatum imaginem Dei perdiderint, poſſunt eam recuperare per ſancti Spiritus gratiam; dicebat ergo ille: *Pſal. 4. verſ. 5. Iraſcimini, & nolite peccare*; ſed cum iam peccatum eſt, *quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*: Licet non debueratis peccare, ſi tamen peccaſtis, compungimini, pænitentiam agite, & ſic confitendo peccata veſtra, *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: v. 7.* Quia verò nõnulli incerti de effectu pænitentiæ ignorabant quid boni ex hoc ſequeretur; *multi dicunt, quis oſtendit nobis bona* per noſtram

pæni-

pænitentiam nobis donandam, dico vobis quòd diuina. Imago per peccatum deperdita redditur nobis: *verſ. 7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo*; nam diuinam ſimilitudinem recuperaſſe, maximam gignit lætitiam. Hæc Paraphraſis colligi poteſt ex D. Auguſtino; qui vtitur ſimilitudine denarij in quo cum imago ſit regia ſi ipſa deperditur, debet reſtitui, aliàs nihil valoris in illo eſt; quæ Imago ſicuti ſine igne non ſculpitur, ſic ſine eo nõ inſtauratur; quia ſicut noſtra Imago Diuinitatis per gratiam Spiritus ſancti formata eſt, ſic per eam renouatur: ait ergo D. Auguſtinus *in Pſal. 4. pag. 10. colum. 1. lit. C. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: Hoc lumen eſt totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, ſed mente conſpicitur: ſignatum autem dixit in nobis, tanquam Denarius ſignatur imagine Regis. Homo enim factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quam peccando corrumpit: bonum ergo eius eſt verum atque æternum, ſi renaſcendo ſignetur.*

4 Huiuſmodi etiam doctrinam ipſe Dominus docere dignatur ſponſam ſuam, cum ait: *Can. cap. 8. ver. 6 Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio*: quaſi diceret. Ne deſperes o Sponſa, ſi te in peccatum prolapſam vides, ac diuinam meam ſimilitudinem, quam in cogitatione, & opere ſemper habere debueras, amiſiſſe: nam *fortis eſt vt mors dilectio*; ſi potuit peccatum, quod mors eſt animæ, ipſam deſtruere, poterit & dilectio diuina, poterit Sanctus Amor ipſam reſtituere ſicut prius D. Bernardi iſta interpretatio eſt, dicentis: *opuſc. de charit. cap. 28. pag. 2356. lib. I. k. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum &c. Ac ſi dicat; pone me memoriale tuum in corde, & brachio, ideſt in cogitatione, & opere, vt depoſita imagine terreni hominis, cæleſtis imaginem portes. Et licet corpus, quod corrumpit aggrauet animam, & deprimat terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem, tamẽ peccato deformatos, nouum diligens Deum mandatum ad Dei ſimilitudinem nos reformat.* Hoc Sancto ſpiritui debemus, qui in cordibus noſtris diuinam innouat ſimilitudinem.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Trigeſimus.

Propter Spiritum ſanctum in eam miſſum totus mundus renouatus eſt.

SPiritus ſancti Habitaculum, cunctis acclamantibus, plaudentibuſque Eccleſijs Deipara Virgo denunciatur; Nam licet omnis anima iuſta aliquo modo Spiritus ſancti gratiam accipiendo, & ipſum in corde hoſpitatur Spiritum, Maria tamen non in ſola anima Spiritum habuit ſanctum, verum etiam in corpore inhabitantem. Ea propter Angelum dixiſſe reor: *Luc. c. 1. verſ. 35. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: ideſt ille Spiritus, qui iam habitat in anima tua, ſuperueniet etiam in corpore; quod textatur D. Gregorius Niſſenus *in Nat. Chriſ. tom. 2. pag. 780. lit. B. Spiritus ſanctus, inquit, ſuperueniet in te: O beatum vterum illum: Quæ bonitatis, ac puritatis præſtantia, ad ſe traxit animi bona? In reliquis enim vix animus purus Spiritus ſancti præſentiam capit, hìc autem caro fit Spiritus receptaculum*. Nec ibi otiatur ille Spiritus, ſed cum renouet mundum per primi hominis peccatum iam ſeneſcentẽ, Mariam ſuæ innouationis Miniſtram facit, vnde ait Andreas Hieroſymitanus Antiſtes *ap. Nouarin. inumb. Virg. excurſ. 33. num. 337. Senio quaſi confectus mundus, per Mariam peccatorum ſenectam exuit*. Hanc ergo mundi innouationem per Spiritum habitantem in Virgine conſideremus.

Maria Virgo per inhabitantem in ſe Spiritum ſanctum mundum renouauit.

1 DEi *perfecta ſunt opera* clamat Propheta; & ideo quæcumque ab eo facta ſunt optima ſunt: nihilominus tamen id intelligendum eſt de ijs operibus, quæ Deo ſolo Authore in lucem exeunt, neque liberæ voluntatis creatæ aſſenſum expectant, nam de his, quæ ſimul cum noſtra voluntate facienda ſunt, non ſemper quod Deus vellet contingit, deprauantur enim opera, ex parte noſtræ rebellis Voluntatis, quæ Factori ſuo non obſequitur. Nonne Deus hominem perfectiſſimum, & immortalem volebat, & ipſe inobedientia ſua mortem accerſiuit? Nonne Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fieri volebat; & tamen vix ex ſacris colligitur literis, ad imaginem quippe factus homo eſt, ad ſimilitudinem vero eius nequaquam: nam ante eius creationem dicitur: *Gen. c. 1. v. 26. Faciamus hominẽ ad imaginẽ noſtram ad ſimilitudinẽ noſtrã*; ſed peracta creatione dicitur; *Et creauit Deus hominẽ ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum*: *v. 27.* cur non addidit, ad ſimilitudinem ſuam, ſed bis poſuit Imaginem? Hæc, vt mihi videtur cauſa eſt, quia Imago deſignat ſpeciem corporis, ſimilitudo vero conuenientiam morum; Ille dicitur Imago Leonis qui Leoninam habet faciem; ille verò Leoni dicitur ſimilis qui

Ian. de Mata. Tr. virtu-

virtutes fortitudinis, magnanimitatis, & maieſtatis, Leoni proprias, imitatur. Homo igitur Dei eſt Imago cum in ſe Vnitatem, & Trinitatem eius in eſſentia, & Potentijs demonſtrat; & hoc quia opus naturæ eſt, vltrò habuit homo; ſimilis vero Deo eſt cum Dei bonitatem, ſanctitatem, perfectionem, quantum licet Imitatur; & quia hoc voluntatis humanæ liberæ eſt opus, non habuit hoc homo, quia vix genitus peccans, potius Diaboli ſuperbiam, quam Dei ſeruatoris humilitatem imitatus eſt. Hanc ſimilitudinem ſua gratia Spiritus ſanctus cum inducere vellet Ipſam Dei Imaginem, Verbum ſcilicet in Virgine collocauit, vt ſit per fructum vteri eius renouatus homo, ac Spiritu, qui eam repleuerat, formatus diuinæ ſimilitudinis compleret effigiem. Pulchrè id obſeruat Rupertus Abbas *lib. 1 cap. 11. de oper. Spir. S. pag. 725. col. 1. tom. 1. Non dixit, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creauit illum, ſed tantum, ad imaginem ſuam creauit, ad imaginem Dei creauit. Non ergo ſic omnino, vt diſpoſuerat Deus facere hominem, narrat ea ſcriptura factum eſſe hominem: factus eſt ad imaginem Dei, quia factus eſt rationalis; non peruenit ad ſimilitudinem Dei, quia non imitatus eſt donum Dei. Sed numquid vitium eius, propter quod a ſimilitudine Dei longius receſſit, antiquum Dei conſilium, vel propoſitum euacuare debuit? Memor igitur hic Spiritu ſanctus illius propoſiti, ecce venit ad partem ſuam operandam, ad facturam hominis perficiendam, vt perduceret hominem ad ſimilitudinem Dei, ad quam non peruenit homo, niſi participatione eius, ideſt Spiritus ſancti. Venit inquam ipſa ſimilitudo; venit Imago Dei inuiſibilis, & in illa B. Virgine obuiauerunt ſibi; in illa domo pudici pectoris oſculatæ ſunt.* En quomodo opus ſuum Spir. S. renouauit in Virgine, atque compleuit.

2 Temporis viciſſitudines ad vitam humanam commodè alendam, nunc æſtum nunc frigus, nunc temperiem adducunt: etenim frumenta æſtus deſiccat, Frigus ſemina conſtringit, & fæcundat. Quia ergo herbæ omnes vel nimio calore deſiccatæ, vel nimio frigore conſumptæ pereunt, ſolet induſtrius Agricola, ſemina plantarum, cum deſiccata ſunt, colligere, & ſeruare, vt ex ipſis opportuno tempore herbas renouet; & vſq; dum ſit opportunitas in capſella ea ſeruat. Æſtas erat in prima hominum ætate dum homines ira, & libidine excandeſcentes diuinam vindictam prouocabant: ſequi debebat Hiems diluuij, qui omnia conſumeret; vt ergo ſemina rerum remanerent, ex quibus tranſacto diluuio renouaretur tellus, & ipſe mundus, præcepit Noe fabricam Arcæ: *Gen. cap. 6. verſ. 14. Fac tibi Arcam de lignis leuigatis:* & eius ſtructuram cum docuiſſet eum, addidit cauſam conſtructionis illius; *cap. 7. verſ. 3. Vt ſaluetur ſemen ſuper faciem vniuerſæ terræ.* Sed iam ad myſticum ſenſum redeamus: Arcam beatiſſimam Virginem dicamus, ſemen Verbum æternum, Agricolam, ſeu Noe; Spiritum ſanctum. Ver erat antæ Adæ caſum, nam Paradiſi delicijs fruens homo, quæ ſua ſponte tellus exhibebat edebat: ver erat, in quo Dei gratia fæcundatus virtutum flores germinabat. Sed æſtu ſuperueniente peccati, virtutes exiccatæ ſunt, ac gratiæ vigor emortuus eſt; ſed ne vniuerſus periret orbis Deus Arcã opere Spiritus ſancti compoſuit, ideſt Mariam Virginem: in qua Noe ille iuſtitiæ parens, Agricola ille cœleſtis, ideſt Spiritus ſanctus ſemen diuinũ ſepoſuit, ideſt Verbum caro factum, ex quo vniuerſus renouaretur, ac repararetur orbis. Hoc inſinuare videtur Leo Auguſtus, dicens Virgini *orat. 3. pag. 48. Aue Arca, per quam ad melioris mundi reparationem, humano generi vndis obruto, ſemen ſalutis conſeruatum eſt.* Arca equidem beata, quæ non herbarum, non florum, ſed gratiarum, & virtutum ſemina conſeruabat.

3 Et vt ſuperius diximus, meritò hæc mundi renouatio Spiritui ſancto attributa eſt; quia ei bonitas appropriatur, cum ſit Amor ſpiratus; & ea de cauſa ipſe in Maria tanta mirabilia in Verbo incarnando operatus dicitur. Debebant enim vniuerſa Dei opera, quæ per peccatum periere, renouari, & talia fieri, qualia ab initio fuerant: Qualia autem fuere? vtique valde bona, dicente ſcriptura *Gen. c. 1. v. 31. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Bona omnia erant, ſed accedente malo culpæ omnia mala ſunt reddita, corrupta omnia, & deprauata; ſed Spiritu ſancto ſuperueniente in Virginẽ, eamq; Dei Matrem reddens, ſui mirabilis partus ineffabili bonitate, mundum innouauit, vniuerſa bona fecit, & in priſtinam pulchritudinẽ reduxit: vnde ait D Anſelmus. *ep. Cant. de excell. Virg. c. 11. to. 3. pag. 248. col. 2. lit. C. Cõſideremus qualiter omnis creatura ad vtilitatem hominis ſit creata, & quemadmodum eadem vtilitas per peccatum primi hominis quodammodo euanuerit; quoue pacto per Dei Genitricem Virginem Mariam ſuæ vtilitatis recuperauerit dignitatem:* & ſubdit: *pag 249. col. 1. lit. A. Cuncta quæ Deus bona, & vtiliter fecit, in eo ſtatu, in quo condita ſunt eſſe deſtiterunt, & per B. Virginem in ſtatum priſtinum reuocata ſunt.* Omnis ergo noſtrorum operum bonitas, ex Mariæ vtero effluxit.

4 Noluit Deus ſolum hominem mundi propagatorẽ eſſe, ſed illi comitem adiunxit Euam; vt ſicut Adam Pater eſſet omnium hominũ, ſic & Fœmina omnium Mater eſſet; idcirco vocauit eam Heuam, quòd hebraicè חוה dicitur, ideſt vita, eo quòd vitam vniuerſæ carni datura erat, vnde dicitur: *Gen. c. 3. v. 20. Et vocauit Adã nomen vxoris ſuæ Heuam eo quod mater eſſet cunctorum viuentium.* Sed re vera ſi corporibus vitam dedit caducam, animabus mortem etiã ſubminiſtrauit, quare etiam Mors appellari poſſet: Verum Mater vera viuentium Maria eſt; quæ æternam vitam peperit; & quis mortem ſtrauit, & vitam immortalitatis aperuit, nonne fructus Mariæ? Mater eſt omnium Virgo, quæ omnium peperit Saluatorem; & quid mirum ſi matrem dicamus hominum, quæ Deum peperit? ſi appellemus vitam, quæ vitæ Dominum generauit? Deuotè, & ſincerè D. Anſelmus ait *l. cit. pag. 242. col. 2. lit. D. Sicut enim Deus omnia creando Pater eſt, & Dominus rerum; ita B. Virgo ſuis meritis cuncta reparando mater eſt, & Domina rerum.* Vnde huius veritatis conſcia canit Eccleſia.

Monſtra te eſſe matrem
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.

O nos felices tantam ſortiti matrem, ne ei nos è contra indignos filios præbeamus.

5 Cum aliquis Rex magnus nouam ſponſam in Regnum ſuum introducere ſatagit, maxima cum diligentia curat, vt viæ exornatæ ſint, Ciuitas compoſita, Domus Regia prætioſiorib. pannis onuſta; Equites purpura gemmiſque inſignes, & omnium rerum apparatus talis, qualis Reginam, Regemque decet. Rex Regum omnipotens Deus, Mulierem vnã eligere debebat, quæ mater, & vxor ipſius eſſet; & vt decentius exciperetur in mundo, ipſum maximopere exornauit, tot ſtellas diſtinxit, tot flores produxit, pinxit Auroram, fabricatus eſt Solem, excoluit terram, extendit Cœlos, ſuſpendit Aquas, Auium ad cantum linguam aptauit, Beſtias multiformes creauit; hæc omnia producta, ornata, & perfecta ſunt ad Dei gloriam, ad Mariæ Matris eius, & omnium Reginæ honorem: & ſicut Palatium, licet maximè exornatum, non intelligitur quouſque Reges in ipſum ingrediãtur, ſic mundi ornatus ante Mariam perfectus non erat. Aduerte quod in Geneſi tunc dicitur - *c. 2. verſ. 1. Igitur perfecti ſunt Cœli, & Terra, & omnis ornatus eorum,* quãdo iam Adam & Heua creati erant, & Vniuerſi Domini declarati; vt ſciremus, quod verus ornatus mundi perfectus eſt, quando Chriſtus, & Maria in eo apparuerunt; vnde ait Iſidorus Theſſalonicenſis Antiſtes *orat. 1. pag. 4. Si quis attentè conſiderat nulla re creata indigebat Beata Virgo, vt ipſa fieret; imò omnis creatura indigebat ea, vt crearetur, & ornatum perficeretur. Reductio enim creaturarum in meliorem ſtatum, proculdubio cauſam habuit Virginem, quæ ſi futura non fuiſſet, non cogitaſſet Opifex de producendis planè creaturis.* Laudent vniuerſæ Mariam, & Spiritum illum ſanctiſſimum, qui per eam tot mirabilia operatus eſt.

RADIVS

Digitized by Google

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

QVas de Spiritu allegorias tradere poſſemus, præterito verſu vidimus; hìc autem de Creatione, nec non de renouatione, nam de facie, & de terra in 5. & 15. verſ. vidimus; nec aliquid addendum, occurrit.

SVMMARIVM.

1 *De allegorijs Creationis, ſeu creare.*
2 *Quid nouum, renouare, innouare allegoricè ſignet.*

§. I.

De allegoriis Creationis, ſeu creare.

1 ET *creabuntur*. Creatio eſt productio rei ex nihilo, ſic creare de nihilo producere. Et primò Creatio ponitur pro incarnatione; apud Ieremiam *cap. 31. verſ. 22. Creauit Dominus nouum ſuper terram*: Vbi D. Hieronymus *lib. 6. in Ierem. pag. 299. lit. H. Notandum, quod natiuitas Saluatoris, atque conceptus Dei creatio nuncupetur.*

2 Creare fructum labiorum pacem, eſt pacem prædicare vniuerſo mundo; quod prædixit Iſaias: *cap. 57. verſ. 19. Creaui fructũ labiorum pacem; pacem ei, qui longè eſt, & qui prope*; & idem Hieronymus *lib. 16. in Iſai. pag. 189. lit. F. Omnia tribus, quæ antea promiſeram. Quæ eſt autem Domini pollicitatio? Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Et hoc eſt quod nunc ait pacem ſuper pacem, non vni genti, ſed vniuerſo mundo.*

3 Creatio dicitur regeneratio ad gratiam: vt ex Pſal. 32. *verſ. 9. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* ait Magnus Baſilius *in Pſal. 32. pag. 64. lit. F. Quoniam vero in ſacris voluminibus creatio pro trãſmutatione in potiorem ſolet accipi partem: Forſam illud quidem, facta ſunt, dicitur de prima hominis productione ad eſſentiam: hoc vero, creata ſunt, de ſecunda per Chriſti gratiam regeneratione.*

4 Creare eſt mundare: de quo dicitur in Pſalmo 50. *verſ. 11. Cor mundum crea in me Deus* & D. Baſilius *lib. 4. adu. Eunomium pag. 206. lit. B. Non aliud petens, ſed id videlicet, quod erat, permundari.*

5 Creare mala, eſt de malis bona efficere: vnde dicitur: *Iſai cap. 45. verſ. 7. Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*: & Idem Baſilius *Hom. quod Deus non eſt Auth. mal. pag. 117. lit. E. Creat autem mala, hoc eſt tranſmutat ipſa, & in meliorem ſtatum, exitumq; deducit; vt iam mala eſſe deſinant, boniq; naturam accipiant.*

6 Creare Aquilonem, eſt Antichriſtum mittere: vnde Pſalmus 88. *verſ. 13. Aquilonem, & mare tu creaſti.* Vbi Diuus Hieronymus *in Pſ. 88. pag. 111. lit. H. Aquilo intelligitur Antichriſtus, de quo ait Dominus ad Hieremiam; ab aquilone pandetur malum ſuper cunctos habitatores terræ.*

§ II.

Quid nouum, renouare, innouare allegoricè ſignet.

1 ET *renouabis faciem terræ*. Illud dicitur nouum, quod recenter factum eſt; renouare autem, ſeu innouare, ad illam bonitatem reſtituere, quam res habebat recenter effecta. Et primò *Gloriam* innouari eſt vitijs relictis ad nouitatem virtutum redire: vnde Iob dicebat *cap. 29. verſ. 20. Gloria mea ſemper innouabitur*: Vbi Gregorius *lib. 19. cap. 15. mor. pag. 73. A. B. Cunctis vera ſcientibus liquet, quod ad vetuſtam vitam vitia pertinent, virtutes ad nouam, &c. Aqua tamen vetuſtate quotidie ſi ſtudio circumſpectionis inuigilamus, orando, legendo, bene viuendo renouamur: quia vita noſtra dum lacrymis lauatur, bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur ad nouitatem ſuam ſine ceſſatione reparatur.*

2 Nouum vinum eſt doctrina nondum deprauata, & vter nouus eſt homo nouiter conuerſus; ſic mittere vinum nouum in vtres nouos; de quo Dominus: *Matth. cap. 9. verſ. 17. Vinum nouum in vtres nouos mittunt*: eſt ſanam doctrinam docere nouiter conuerſos: vt ait D. Hilarius *in Pſal. 32. pag. 64. lit. E. Igitur in vtres nouos vinum nouum eſt mittendum. Vinum inſuper & ſpirituale nouum, vt quod Spiritu ſancto efferueſcit, nimirum veritatis intelligentiam, nondum exolentem vetuſtate erroris, mittere conuenit in hominem nouum.*

3 Nouæ lagunculæ ſunt corda ſpiritualia de quibus apud Iob *cap. 32. ver. 19. Muſtum, quod lagunculas nouas diſrumpit*: & ibi magnus Gregorius *lib. 23. cap. 5. moral. pag. 829. lit. A. Muſtũ ergo lagunculas nouas diſrumpit, quia feruoris eius potentia etiam ſpiritalia corda tranſcendit.*

4 Nouum nomen, quo ſuos electos decorat Dominus, eſt nomen Chriſtianorũ: de quo Apoſtolus: *Apoc. cap. 3. verſ. 12. Qui vicerit nomen nouum ſcribam ſuper eum*: & D. Hieronymus *in Pſal. 97. pag. 124. lit. C. Nomen nouum Chriſtianorum eſt.*

5 Innouare Regnum, eſt electum Præſulem cum per prædicationem, ſuam virtutem oſtendit, recenti deuotione a populo venerari. Sic dicitur de Saule: *1. Reg. c. 11. verſ. 14. Eamus in Galgala & innouemus ibi Regnũ*: Vbi D. Gregorius *lib. 5. in 1. Reg. tom. 1. pag. 206. lit. A. Regnum quippe innouatur, quia dum electus, Prædicator in magna virtute conſpicitur, ei nouo, & recenti deuotione auditorum corda ſubmittuntur.*

6 Dolorem renouari propter ſilentium a bonis, eſt peccatum creſcere dum in confeſſione non aperitur: ideo ait Rex pœnitens: *Pſal. 38. verſ. 3. Obmutui, & ſilui a bonis, & dolor meus renouatus eſt*: & ibi Lyranus: *Obmutui & ſilui a bonis, id eſt ab expreſſione pœnitentiæ meæ, & afflictionis grauiſſimæ: & dolor meus renouatus eſt, Nam augmentatur cum in corde clauſus tenetur.*

7 Nouellus Vitulus, eſt homo nouam vitam in ſpiritu viuere incipiens: de quo Pſalmus 68. *verſ. 32. Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas*: Vbi D. Auguſtinus *in Pſal. 68. pag. 245. lit. G. Qui bene inſtructus eſt, & laude Dei opulentus, & cornua debet habere, quibus aduerſarium ventilet, & vngulas quibus terram excitet. Nam ideo nouellus eſt propter vitam nouam.*

8 Renouatio iuuentutis noſtræ vt Aquilæ, eſt reſurrectio ad immortalitatem vnde Pſalmus 102. *verſ. 5. Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*: & idem Sanctus Doctor *in Pſal. 102. pag. 382. lit. B. Reſurrectionem enim quandam ſignificauit nobis; & quod renouatur iuuentus Aquilæ, ſed non ad immortalitatem. Data eſt enim ſimilitudo quantum de re mortali potuit trahi ad rem vtcumque ſignificandam immortalem.*

9 Innouare Spiritum eſt ita per gratiam animam a peccato mundare, vt adſit firmum propoſitum numquam in poſterum peccandi: id petebat Pſaltes a Deo, dicens: *Pſ. 50. verſ. 11. Spiritum rectum innoua in viſceribus meis*: & Gloſſa ordin. *Sic deſiderat expiari, vt videatur nil tale vltra velle committere.*

Verſus Trigeſimus primus.

יְהִי כְבוֹד יְהוָה לְעוֹלָם יִשְׂמַח יְהוָה בְּמַעֲשָׂיו׃

Verſio ex hebræo: *Sit Gloria IEHOVAH in ſæculum, lætabitur IEHOVAH in operibus ſuis.*
Vulgata editio. *Sit Gloria Domini in ſæculum; lætabitur Dominus in operibus ſuis.*
Caietanus. *Erit honor Domino:*
Pagninus. *Erit Gloria Domini in ſæculum, &c.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

PRæſens Verſus nullam nobis diſputationis materiam ſubminiſtrat; nam & omnes verſiones literæ reſpondent, & in eo contenta ferè omnia ad tropologiam pertinent: nam de æternitate Gloriæ Domini, Deque eiuſdem lætitia, quæ non conuenit Deo niſi allegoricè, & metaphoricè abundè videbimus in morali expoſitione. Solus Pagninus illud יְהִי vertit, *erit*, ſed hoc potius, vt concordet hoc verbum cum ſecundo, *lætabitur*, quam ad literam; cùm reuera ſine controuerſia ad modum imperatiuum pertineat. Quia verò nomine Gloriæ ipſa cœleſtium Incolarum Beatitudo ſignatur, de Beatitudine, tum eſſentiali, tum accidentali ſanctorum, breuiter agemus.

SVMMARIVM.

1 *In quo Sanctorum eſſentialis Beatitudo conſiſtat.*
2 *De Beatitudine Corporum, & loco Beatæ vitæ præparato.*

§. I.

In quo Sanctorum eſſentialis Beatitudo conſiſtat.

1 S*It Gloria Domini in Sæculum.* Dei omnipotentis Gloriam memorat in hoc verſu Pſaltes, & cum æternam Domino tribuit, proculdubio, de ipſa æterna Beatitudine loquitur. Hinc Bonum illud, quod Intellectualium Creaturarum finis eſt vltimus, ad ſui contemplationem animum, ad ſcriptionem calamum, diuina magnes, attrahit. Neque enim ſine delectatione ſtatum illum Intellectus recolit, in quo ſe ſperat ſine fine gaudere. Quid autem ipſa Beatitudo ſit, & in quo conſiſtat, haud facile eſt determinare; cum in varias Philoſophi, ac Theologi eant ſententias. Illud in primis tanquam certum præmittendum eſt, & determinandum, Beatitudinem aliam eſſe Animi, quæ eſſentialis, & formalis Beatitudo eſt; aliam corporis, quæ quaſi accidentaria eſt. De prima nunc agimus, de altera ſequenti §. tractaturi. Breuitati autem ſtudentes ommittimus Gandauenſis opinionem de illapſu, & erroneam Veterum Philoſophorum de hac re doctrinam, & tantummodo aliqua ad Beatitudinem neceſſaria recenſemus. Illud in primis certum eſt, Beatitudinem Gaudium eſſe; nam de ea dicit Dominus ſeruo fideli; *Matth. cap. 25. verſ. 22. Intra in Gaudium Domini tui.* Porro *Gaudium*, Vt ait D. Ioannes Chriſoſtomus; *eſt eorum, quæ deſiderat animus expletio, rerumque iucundarum fruitio, ac moleſtarum obliuio. Chriſoſt. Hom. 1. de Verb. Iſai tom. 1. pag. 166. lit. k.* Quibus ex verbis conſtat Duo requiri, ad gaudium, ſeu beatitudinem, ſcilicet amorem Boni conuenientis, & poſſeſſionem illius; vnde diuinus Plato *in conuiu. pag.* 249. docuit: *Poſſeſſione ſanè bonorum beati ſunt, quicumque beati.* Quid autem ſit amor, Idem Plato loc. cit. ſic ait. *Eſt igitur ſummatim Amor Appetitio, quo bonum ſibi ſemper adeſſe quis cupit.* Ex quo deducitur tertiò ad Beatitudinem requiri perpetuitatem poſſeſſionis; *Quapropter*, Diuus Auguſtinus ait, *quamuis non quidquid æternum, continuò beatum ſit; dicitur enim etiam pœnalis ignis æternus; tamen verè, perfectèque beata vita, nonniſi æterna eſt.* Diuus Auguſt. *lib. 11. de Ciuit. Dei c. 11. to. 5. pag. 96. lit. B.* & fortaſſe Platoni conſentit, qui *loc. cit.* docet *Immortalitatem vnà cum Bono appetere neceſſe eſt: ex illis, quæ ſupra conceſſimus, quandoquidem amor eſt appetitio, qua bonum ſibi quiſque ſemper adeſſe deſiderat: ex his concluditur amorem, immortalitatis quoque deſiderium eſſe.* Vnde & citatus D. Auguſtinus *lib. 14. de Ciu. cap. 16. pag. 124 lit. F.* ait. *Beata verò, eademque æterna vita, amorem habebit, & Gaudium, non ſolum verum, ſed etiam certum.* Ergo Beatus habet ſummum bonum, quod amat, perfectè poſſidet, eo ſecurè gaudet, & de eiuſdem perpetuitate certitudinem habet.

2 Ex his dictis euidenter patet, quæſtionem illam inter Theologos magni nominis diù exagitatam, an viſio, vel amor ſit formalis Beatitudo nullius eſſe momenti; nam Beatitudo formalis, non eſt videre Deum, nec amare Deum propter ſe, neque poſſidere Deum (licet hæc omnia requirantur) ſed eſt gaudium reſultans ex poſſeſſione infiniti Boni, per amorem quidem concupiti, & per poſſeſſionem, aut viſionem

nem

Digitized by Google

nem comprehenſi. Quid, enim ad beatam vitam conducit, maximum habere bonum, niſi eo gaudeat? Perinde eſt vtiq; ac ſi nō haberet. Fateor Beatitudinē requirere infinitū Obiectū, quod omnia contineat bona, & a quo omnia remoueantur mala: quare dixit Richardus. *Duo enim ſunt ex quib. conſtat gaudiū Beatitudinis, carere eo, ſcilicet quod nolis, & habere quod velis.* Rich. a S. Vict. *c.10. in Cāt. to.2. pag.163. col.1. lit. D.* & alibi apertiùs *Quid enim eſt Beatitudo, niſi bonorum omnium plenitudo, atque perfectio? conſtat itaque quia bono illi ſummo, vniuerſaliterque perfecto, nihil deſit, cuius adiectione meliorari poſſit. Idem lib.2. de Trin. cap.16. p.1. pag.354. lit. C.* Et idipſum D. Auguſtinus docuerat. *Beatus ergo non eſt, niſi qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult lib.13. cap.5. de Trin. tom.3. pag.135. lit. D.* Nec ab illis Theologorum Princeps Scotus diſſentit: ait enim. *Nulla Natura intellectualis vltimatè, & completè perficitur, niſi habendo ſummum appetibile, & hoc perfectè, ſecundum modum poſſibilem habendi illud. Scot. in 4. ſent. Diſ.49. q.1. concl.3.* Nihilominus tamen ipſa tanri boni poſſeſſio illicò beatum non reddit, niſi adſit gaudium de illa poſſeſſione; hoc eſt frui, gaudere. Etenim ſi frui, idem eſt, quod fructum capere, non ipſa fructuum poſſeſſio parit delectationem, ſed gaudium de poſſeſſione; & ſenſus guſtus tunc delectatur, cum ex comeſtione oritur delectatio. Concludimus ergo cum B. Auguſtino. *Ita ſe omnes beatos eſſe velle conſonant, quemadmodum conſonarent ſi hoc interrogarentur; ſe velle gaudere; atque ipſum gaudium vitam beatam vocant, &c. Abſit Domine, abſit a corde ſerui tui, qui confitetur tibi, abſit, vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium, quod non datur impiis, ſed eis, qui te gratis colunt, quod gaudium, tu ipſe es: & ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te, propter te; ipſa eſt, & non eſt altera. D. Aug. lib.10. cap.21. Confeſſ. pag.63. lit. B. tom.1.*

3 Vtrum autem hoc gaudium amor ſit, examinandum eſt. Plato apud D. Auguſtinum (nec ab eo S Doctor diſſentire videtur) æſtimat, Beatitudinem veram viri boni in amore ſummi boni ideſt Dei, conſiſtere; & quia Deus vera, & ſumma Sapientia eſt, ille dicendus eſt verus Philoſophus, ideſt amator Sapientię, qui Deum diligit; & qui ſummum, & verum bonum amat, ac eo fruitur, beatus exiſtimandus eſt. Ait igitur D. Auguſtinus. *Nunc ſatis ſit commemoraſſe, Platonem determinare finem boni eſſe ſecundum virtutem viuere; & ei ſoli euenire poſſe, qui notitiam Dei habeat, & imitationem; nec ob aliam cauſam beatum eſſe: ideoque non dubitat hoc eſſe Philoſophari, amare Deum, cuius natura ſit incorporalis: vnde vtique colligitur, tunc fore beatum ſtudioſum Sapientiæ (id enim eſt Philoſophus) cum Deo frui cœperit. Quamuis enim non continuò beatus ſit, qui eo fruitur, quod amat: multi enim amando ea, quæ amāda non ſunt, miſeri ſunt, & miſeriores cum fruuntur; nemo tamen beatus eſt, qui eo, quod amat, non fruitur. Quiſquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque, & ſummum bonum amat, quis eum beatum, niſi miſerrimus negat? Ipſum autem ſummum, ac verum bonum Plato dixit Deum. Hæc D. Aug. lib 8. cap. 9. de Ciu. tom.5. pag. 67. lit. C.* E contra autem videtur, quòd amor non ſit vita beata quia amor eſt deſiderium, vita verò beata eſt poſſeſſio, ſeu gaudium de poſſeſſione, quod autem poſſidetur, non deſideratur: aliud enim eſt deſiderare veritatem, aliud de veritate gaudere, vt ait alibi D. Auguſtinus. *Cum amat beatam vitam, quod non eſt aliud quam de veritate gaudium, vtique amat veritatem lib.10. cap.23. Confeſſ. pag.63. lit. C. to.1.*

4 Scotus, vt ſuſtineat partes amoris, probat in 4. ſent. diſt.49. q. 7. in corpore, & in reſponſ. ad prim. princip. quòd beatitudo neceſſariò debeat conſiſtere in operatione, & conſequenter in amore; non enim poteſt eſſentialis Beatitudo conſiſtere in paſſione, ſicuti eſt gaudium, & delectatio: & ad authoritatem D. Auguſtini (imò & Chriſti in Euangelio) de gaudio, reſpondet, intelligi debere cauſaliter; ideſt, quod amor Dei propter ſeipſum, quæ eſt eſſentialis beatitudo, cauſet gaudium, & delectationem. Sed pace tanti, & mihi ſemper venerabilis Præceptoris, rationem hanc inanem æſtimo, & nullius valoris: nam Auarus licet amet pecunias, licet poſſideat, ſi non gaudeat de eis, non beatus, ſed miſer eſt. Guſtus ſenſuum non in aliqua operatione, ſed in paſſione conſiſtit; nam licet ſenſus viſus V. G per operationem actiuam aſſaquatur obiectum, non per eam beatus eſt, præſertim, cum multoties per operationem virtus viſus hebetetur, ſed per paſſionem, ſcilicet per voluptatem, quæ in ſenſu viſus reſultat ex præſentia obiecti conuenientis: & pariformiter de alijs ſenſationibus dicendum eſt; vnde ſenſuales deliciæ voluptates nuncupantur. Ea propter de ſenſus ad animam tranſlata metaphora, etiam diuina Beatitudo Voluptas dicitur: in cuius ſignum de terreno Paradiſo dicitur: *Gen. cap.2. verſ.8. Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio*; & ſæpè locus voluptatis dicitur; qui certè Beatitudinis cæleſtis extitit vmbra: Similiter & Dauid deſiderium Beatitudinis oſtendens, aiebat: *Pſal.26. verſ.4. Vt videam voluptatem Domini*: Neque enim voluptas videtur; ſed ipſe deſiderabat voluptatem, ſeu gaudium ex Dei viſione proueniens. Quare ait Diuus Auguſtinus *Vt contempler delectationem Domini: eo fine ſcilicet, vt in fide perſeuranti appareat mihi ſpecies delectabilis, quam facie ad faciem contempler. D. Aug. in Pſal.26. tom.8. pag. 42. lit. L.* Similiter & in Pſal.35. *verſ.9.* de eadem Beatitudine dixit. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ*: vbi idem Doctor Sanctus. *Voluptas illa quæ eſt, quaſi torrens inebrians ſitientes? Quo ergo fonte irrigaberis? Et vnde currit tantus torrens voluptatis eius? Quoniam apud te eſt fons vitæ; Qui eſt iſte fons vitæ, niſi Chriſtus? in Pſal.35. to.8. pag.89. lit. I.* Hinc etiam in Die Aſcenſionis Dominicę, de ſuo ſponſo canit Eccleſia. *Ieſu voluptas cordium*. Ex quibus ſequitur in gaudio, quam habet anima de ſumma gloria illius Dei, quem amicitiæ amore ſummè diligit, nec nō de eius ſocietate, Beatitudinē eſſe. Sicuti mundanus, ſi amicum chariſſimum, & maximè dilectum ad regiam purpuram, imperatorias faſces, aut pontificias infulas, euectum videret, lætaretur, & gaudere ſe putaret.

5 Porrò D. Thomas, & eius aſeclæ, vt probent beatitudinem in actu viſionis Dei formaliter conſiſtere, adducunt ſententiam illam Saluatoris; *Ioanni c. 17. v.3. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Ex quo ſic arguit S. Doctor. *Dominus dixit Io.17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum vnum: vita æterna eſt vltimus finis, vt dictum eſt: ergo beatitudo hominis in cognitione Dei conſiſtit, quæ eſt actus intellectus*; Ita ille. *1.2. qu.3. ar.4. in corpore*. Deinde probat in corpore fuſius, beatitudinē eſſe cōſequutionē vltimi finis, vnde non poteſt eſſe delectatio, ſed viſio, quia per viſionem aſſequimur finem: delectatio autem conſequitur poſſeſſionem finis. Attamen, licet ego venerer tanti Doctoris Doctrinam, parcat mihi tamen, ſi dixerim, allatum argumentum peccare in maiori, minori, & conſequentia, in materia, & in forma. Quod ſic oſtenditur. Propoſitio illa Maioris ex Euangelio, mutila eſt, nam deſideratur altera pars: *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: & cum Ieſus Chriſtus ponatur, vt quid additum ad cognitionem Dei, ſequitur ſupponere pro humanitate Deitati iuncta, non pro ſola Diuinitate; & cum in viſione humanitatis Chriſti eſſentialis Beatitudo Spirituum non conſiſtat, conſequens eſt, ibi non loqui de Beatitudine, ſeu vita æterna formaliter, ſed cauſaliter, vt ſenſus ſit; non acquiritur vita æterna, niſi per fidem Dei, cuius cognitionem veram prædicauit, & docuit Dominus Ieſus Chriſtus. Deinde ad minorem, cùm dicit Vita æterna eſt beatitudo, materialiter iſta propoſitio poteſt eſſe vera, formaliter autē falſa eſt: nam etiam vita Damnatorum Angelorum, &

hominum æterna erit, ſed non beata: materialiter verò, quia non æſtimatur vita, niſi beata, poteſt ſumi pro vita æterna, quia gaudium cæleſte, non eſſet beatum; niſi eſſet æternum. Deinde datis, & vtcumque conceſſis præmiſſis, nego conſequentiam, eo modo, quo explicatur cognitio, per operationem intellectus. Etenim cùm cognitio ſit communis ad omnem operationem Potentiarum cognitiuarum, & ita accipiatur in maiori, in conſequenti reſtringitur ad ſolam cognitionem intellectualem: cognoſcere autem conuenit omnibus Potentiis Animæ, & omnibus ſenſibus externis, & internis; & tam oculus dicitur cognoſcere, ſicuti mens; vnde & de ipſa carnali copula, ex ſacra habemus ſcriptura, quod cognitio ſit; ſic & Bruta cognoſcunt. Ergo & cognitio, de qua loquitur Dominus ad voluntatis actum referri poteſt, & debet: & ne hæc expoſitio a me ficta credatur, Victorini Riechardi ſententiam adducam. *Pro his enim incomparabiliter eum amant, & in eius amore gaudent: habent enim quem amant, cognoſcunt, & vident, quod eorum vita æterna eſt. Idem eſt enim cum illo requieſcere, & cum illo gaudere; & illum habere; item amare noſſe eſt, quia amor notitia eſt, & noſſe videre eſt. Et hæc eſt vita æterna cognoſcere Patrem Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, hæc eſt illa Beatitudo, & hæ dotes Animæ, cognitio Dei, amor, & fruitio.* Hæc Riecchardus a S. Victore *cap. 10. in Cant. Cant. part. 2. pag. 163. lit. D. col. 2.*

6 Requiruntur ergo ad Beatitudinem, tanquam Cauſæ, obiectum, quod ſit ſummum bonum, ſummũ amabile, & conueniens Creaturæ rationali, eius viſio, cognitio, amor; ſed formalis Beatitudo eſt ipſa fruitio, ideſt gaudium, ſeu delectatio de illo obiecto. Sic ergo definiri formalis Beatitudo poterit. *Beatitudo eſt Gaudium de poſſeſſione ſummi Boni, per ſe ſummè dilecti, cum certitudine numquam ipſum amittendi.* Et hanc Definitionem probat diſcurſus D. Thomæ loc. cit. cum exemplo de pecunia ibi allato, qui diſcurſus, & exemplum, non pro viſione, ſed ad oppoſitum valent; nam Cupidum nummi; non poſſeſſio nummorum, & auri beatum facit, ſed gaudium de ipſa poſſeſſione: nam ſi aliquis Domi magnum theſaurum haberet, de quo vel non haberet notitiam, vel eo vti non poſſet, quia clauſum cuſtodiretur, certè de eo non gauderet, & nullam haberet beatitudinem; igitur non in poſſeſſione boni, ſed in gaudio de illo Beatitudo conſiſtit. Gaudet ergo beata Voluntas, quia illud, quod amat, & deſiderat, poſſidet; & illud item amat, & deſiderat, quod habet; quæ ineffabilem cauſant beatitudinem. Quod videtur probare illa magni Gregorij *lib. 18. cap. 29. mor. tom. 2. pag. 733. lit. C.* ſententia, qua docet. *Sed quia de Deo per primum Eccleſiæ Prædicatorem dicitur: In quem deſiderant Angeli proſpicere. 1. Pet. c. 1. & tamen dictum per veritatis ſententiam ſcimus, Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris. Matt. c. 18. &c. Vt ergo rectè ſibi vtraq; cõueniant, dicat Veritas; quia ſemper vident: dicat Prædicator egregius: quia ſemper videre deſiderant. Ne enim ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur: ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant. Et deſiderant igitur ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur; & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipſum fontem vitæ venerimus.* Faxit Deus, vt eius pulchritudinem, & bonitatem in præſenti vita ſic amemus, ita deſideremus, vt in futura, de eius poſſeſſione peterniter gaudeamus.

§. II.

De Beatitudine Corporum, & loco beatæ vitæ præparata.

1 DIuus Thom. 1. 2. q. 4. per ſingulos articulos probat, ad beatitudinem nec requiri corpus, nec Amicorum ſociatatẽ, nec rerum corporearum, ſeu ſenſualium voluptates. Cùm tamen haud credã Sanctum Doctorem Platonicorum quorumdam delirauẽta probare, qui putabant, Animam in corpore beatificari non poſſe, quæ ibi concludit, de ſola, & eſſentiali Animæ beatitudine intelligenda ſunt. Etenim, ſi de beatitudine hominis loquamur, cum homo non ſit ſola Anima, ſed neceſſariò includat corpus, vt homo ſit beatus, corpus requiritur: & licet voluptas, ſeu delectatio Animi redundans in corpus illi dulcedinem, & voluptatẽ afferat maximam, nihilominus Beatorum hominum corporibus, ea quæ humana ſunt, negare non debemus: nam caro illa, in qua reſurgemus, licet aliquantulum meliorata, caro tamen vera, & realis erit. Conueniens eſt igitur, vt adſit ſpecie corporali pulcherrima Ciuitas, omnibus referta deliciis, quæ licitè à corpore experi poſſunt: ſicut re vera datur infernus Carcer ad Damnatorum cruciatum, reali igne, realibuſque tormentis refertus. Breuiter ergo de ipſa Beatorum hominum Ciuitate, & deliciis aliqua prælibabimus. Antea verò aduertendum ducimus, duplicem eſſe paſſibilitatẽ, vna, quæ ad ſenſorias operationes pertinet, ſcilicet ad videndum, audiendum, guſtandum, loquendum, odorandum, tangendum, &c. & hæc immortalitati non opponitur, niſi per accidens: altera eſt paſſibilitas, quæ de ſe ad corruptionem tendit, vt imminutio ſpirituum, diſperſio partium, organorum contuſio, ſeu diſſipatio, virtutis defectus: & hæc immortalitati opponitur. Poſt generalem reſurrectionem autem, omnia corpora tam bonorum, quam malorum, immortalia, & ſempiterna erunt: cum iſta tamẽ immortalitate ſtat prima paſſibilitas, non ſecunda: ſicut ergo Damnati ſentiẽt videndo viſiones horribiles, audiendo ſonum diſſonum, guſtando amaritudinem, ſentiendo ignem, frigus, fætorem, &c. Ita è contrario beati videbunt Chriſtum alios Beatos, aliaque pulchra corpora, audient cęleſtes cantus, & ipſi cantabunt, loquentur, odores ſentient, guſtabunt dulcia, tangent voluptuoſa, ad inuicem ſocietatem amicitiæ habebunt, & cętera huiuſmodi: Hæc enim paſſibilitas immortalitati (ſaltem ſupernaturaliter) non repugnat.

2 Primò ergo de ipſo Beatitudinis loco, deinde de operationibus Beatorum in ipſo, determinandum eſt. Quantum ad primum, Ciuitas cœleſtis (quæ & Empyreum Cœlum, ideſt igneum, à Theologis vocatur) ſic deſcribitur à D. Ioanne Apoſtolo in ſua Apocalipſi, *c. 21. à ver. 10. vſq; ad finem capitis. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum, & altum, & oſtendit mihi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de Cęlo à Deo, habẽtem claritatem Dei, & lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi iaſpidis ſicut cryſtallum, &c. Et qui loquebatur mecum habebat menſuram arũdineam auream vt metiretur Ciuitatem, & portas eius, & murum; & Ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quãta & latitudo; & menſus eſt Ciuitatem de arundine aurea per ſtadia duodecim millia, & longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia ſunt, & menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum menſura hominis, quæ eſt Angeli. Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide, ipſa verò Ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo; & fundamentum muri Ciuitatis omni lapide pretioſo ornatum, &c. Et Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit illam, & Lucerna eius eſt Agnus, &c.* Hæc Ioannes, additque duodecim Portas ex totidem margaritis; fluuium, lignum vitæ; & plura huiuſmodi.

3 Ex dictis primò quæri poteſt, vtrum hæc deſcriptio ſit Myſtica, vel Literalis. Licet autem myſticis non careat ſenſibus, vt & reliquæ ſcripturæ, attamen literaliter accipiendam eſſe iudico: nam nec Apoſtolus tam accuratè deſcripſiſſet, & milliaria circuitus eius dinumeraſſet, ſi ſolum figura fuiſſet. Deinde, cum poſt reſurrectionem; corporum humanorum habitaculum debeat eſſe, vt materiale ſit, neceſſe eſt. Hinc Conimbricenſes, *libr. 2. de Cælo, qu. 1. art. 2.* De Empyreo Cęlo ſic determinarũt. *Licet verò illud intelligibile dici ſoleat, propterea quod aſpectum noſtrum effugiat, ac ſolo intellectu nunc à nobis percipia-*

percipiatur; re vera tamen incorporeum eſt, ſuam que habet formam, materiam, & quantitatem, cum debeat glorioſis corporibus, vti diximus, domicilium præbere. Quæ ratio etiam ſuadet domicilium illud Beatorum corporum ea materiæ prætioſitate compoſitum, vt corporis ſenſus maximopere delectet.

4 Secundò quæri poteſt, an re vera hæc Ciuitas erit ſupra Cęlum Stellarum, vel infra; ratio dubitandi eſt, quia hìc dicitur: *Vidi Ciuitatem Hieruſalem deſcendentem de Cęlo*, & paulo poſt dicit, Ciuitatem poſitam ſupra altiſſimum montum; *ſuſtulit me in ſpiritu, in montem magnum, & altum*. Ego autem (ſalua ſemper aliorum, & præcipuè Romanæ Eccleſiæ ſententia) æſtimo Ciuitatē hàc in inferiori Cęlo, ideſt aere, futurā, in cacumine magni montis, cuius ſummitas tantā planitiē habeat, quantus eſt Ciuitatis huius circuitus: & hoc mihi ſuadent primò verba Ioannis ſuperius relata: ſecundò verba Iſaiæ, *c.2.v.2.* dicentis, *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium*: purgato enim orbe, innouatiſque elementis, magnum aſſurgere montem poſſibile eſt, in quo Ciuitas hæc de Cœlo veniens conſiſtat. Nec obſtant ſcripturæ authoritates, quæ in Cęlo Beatorum ſedem eſſe aſſerunt, nam & aer (præſertim ad tantam altitudinem) appellatur Cęlū in ſcripturis, vt fuſe ſuo loco, & euidentiſſimè probatum eſt; *Expoſit. lit. in verſ.2.* § 3.

5 Tertiò quæri poteſt quanta enim huius Ciuitatis magnitudo. Licet namque Ioannem dicētem audiamus eam Angelum menſum eſſe per duodecim millia ſtadia, ideſt milliaria Italica 1500. & leuca Hyſpanica 500. Nihilominus dubium eſt, an hæc mēſura ſit ambitus totius Ciuitatis, vel vnius tantum partis; etenim cum quadrata deſcribatur, qui vnam partem metitur, metitur & reliquas. Qua in re duæ ſunt ſententiæ: Quidam, inter quos Cornelius à Lapide, putant ſpatium illud 1500. milliariorum eſſe ſpatium totius ambitus Ciuitatis, ita vt quælibet pars contineat ſtadia 3000. ſeu milliaria Italica 375. *Iam cum quadrata, & æquilatera ſit hæc Ciuitas, ſequitur quodlibet eius latus tam longitudinis, quam latitudinis, habuiſſe quartam huius numeri, & horum milliarium 150. partem, nimirum 375. Ergo hæc Ciuitas longa erat 375. milliaria Italica, & totidem lata. Eſt itaque tam longa, quam longum eſt iter, & diſtantia Neapoli Mediolanum, &c. Hoc eſt, quod ait Baruch. c. 3. v. 24. O Iſrael, quam magna eſt Domus Dei: & ingens locus poſſeſſionis eius: Hæc Cornelius, in c. 21. Apocalipſ. pag. 318. column.* 2. Oppoſitam ſententiam tuetur Alcaſar apud Tirinum; nam putat ſpatium 12. millia ſtadiorum ad vnum latus pertinere; totumque Ciuitatis ambitum continere ſtadia 48. millia, ſeu milliaria Italica 6000. ipſum referentē Tirinum (vt à Gloſſa maxima, *in Apocalipſ. c. 21. pagin. 964. col. 1. & 2.* adducitur) audiamus. *Tanta ergo longa eſt hæc Ciuitas, quam longa diſtantia ab Vrbe Hiſpali, ſeu finibus vltimis Hyſpaniæ, vſque Neapolim Campaniæ, inquit Alcaſar, additque, ad Vrbem tantæ longitudinis, & latitudinis requiri maiorem Ciuium multitudinem, quam quæ occupare poſſet vicies centena millia Vrbium Hiſpalim magnitudine æquantium; quæ ſi 100. m. incolarum contineat, continerentur in illa cæleſti Ciuitate pluſquam bis centena millia millionum Incolarum, &c. Etſi verò tantæ Ciuitatis capacitas pro ſymbolo hìc affertur ingentis, & quaſi innumeræ multitudinis ſaluandorum. Veriſimile nihilominus eſt, etiam ad literam vti ſonat, prorſus tantum ſpatij, quantum hic deſcribitur, à Sanctis in Empyreo Cęlo occupandum.* Hanc ſententiam, videtur ipſe Cornelius, *loc. cit.* probare, nam ait. *Alludit S. Ioannes ad Vrbis Hieroſolymæ ambitum, hic enim complectebatur quinquaginta ſtadia, quæ ſi in quatuor partes, ſeu, latera diuidas, habebis pro quolibet latere duodecim ſtadia cum dimidio. Hunc numerum Ioannes per mille multiplicauit; ait enim, quodlibet Ciuitatis huius cęleſtis latus, continere duodecim millia ſtadia.* Hæc cùm priùs dixiſſet, paulò poſt, contrarium, nullo niſus explicat fundamēto: Quare mihi ſentētia Alcaſar maximè probatur.

Cui etiam conſentit Nicolaus de Lyra, *in cap. 21. Apoc.* his verbis *Propter quod dicendum quod iſta 12. millia menſurant vnum latus huius Quadri, & per conſequens totum ſpatium continet duodecies 12. millia &c. & totus ambitus eius 48. millia ſtadia*.

6 Ex his oritur difficultas. Ioannes enim primò ait; *longitudo & altitudo eius æqualia ſunt*: ex quo ſignificatur mænia Ciuitatis tantam habere altitudinem, quāta eſt ciuitatis longitudo; deinde in numerandis menſuris, dat altitudinem iiſdem mænijs ſolùm 140. Cubitorum. Et reuera prior menſura difformis eſſet, vt eleuaretur murus per 12. millia ſtadia. Ad quam difficultatem optimè reſpondet Nicolaus de Lyra *loc. cit.* quòd murorum altitudo ſit tantum cubitorum 140. illa verò altitudo, quæ æqualis longitudini dicitur; ſcil. 12. millia ſtadiorum, ſit altitudo illius montis; in quo fundabitur illa Ciuitas; nam purgato terrarum orbe, & noua figura, melíorique forma decorato, hic mons in vertice conſurget montium. Ipſum audiamus. *Et menſus eſt murum eius centum quadraginta cubitorum. Hic accipitur menſura muri ſecundum eius altitudinem, quæ eſt multò minor, quam eius longitudo: & ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum: & ſecundum hoc altitudo montis, in quo deſcribitur hæc Ciuitas tanta eſt 12. millia ſtadiorum, ſicut longitudo ſpatij, & eius latitudo*. Altitudo ergo Ciuitatis, adnumerato monte eſt ſupra terram 12. millia ſtad. murus autem Ciuitatis ſine montę, 140. cubitorum ſolummodo.

7 Quartò, & vltimò quæri poteſt, Vtrum in illa cæleſti Ciuitate erunt vſus ſenſuum corporalium, Amicorum familiares conſuetudines, & reliqua huiuſmodi, quæ ad vitam humanam neceſſaria iudicantur. Quantum ad primum de Viſu, certum eſt oculorum vſum ibi futurum; nam ad quid donum claritatis deſeruiret ſi nullus eſſet oculorum vſus? vnde D. Auguſtinus *lib. 13. de Ciu. Dei tom. 5. cap. 22. pag. 241. lit. M. Durum eſt dicere quod ſancti talia corpora tunc habebunt, vt non poſſint oculos claudere, aut aperire cùm velint, &c.* & poſt nonnulla ſubdit, *ibid. lit. B. Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium ſuum, & in loco ſuo erunt, vtenturque illis Spiritus per ſpiritale corpus.* Cum ergo inter beati corporis dotes numeretur claritas, de qua Scotus *in 4. ſent. diſt. 49. quæſt. 15. in corp.* ait. *Claritas eſt quædam refulgentia, & addit ſupra lucem, & colorem manifeſtationem ſui: quomodo dicitur clara lux, clara veritas.* Quanta autem erit iſta claritas, poſſumus colligere ex *Mattheo cap. 13. verſ. 43. Tunc Iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*, quam claritatem oſtendit in ſuo corpore Dominus in eodem Mattheo *cap. 17. verſ. 2 Reſplenduit facies ſicut Sol*. Ex quibus concludit D. Anſelmus Cantuarien. *In elucidario. tom. 3. pag. 243. col. 1. lit. A. Porrò illorum ſpecioſitas erit vt Solis claritas, vt dicitur: Fulgebūt Iuſti ſicut Sol.* & poſt nonnulla ſequitur. *O Qualē voluptatem viſus ipſi habebunt, Quibus ſingula membra, vt oculus Solis erunt, qui Regem gloriæ in decore ſuo cernent &c. Idem col. 2. lit. C.* Ergo vſus viſus, & oculorum in Cœlis erit. De auditu autem habemus in Apocalipſi Ioannis. *cap. 5. ver. 8. Vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes, Citharas, & phialas aureas &c. & cantabant canticum nouum &c.* vbi Cornelius a Lapide. *in cap. 5. verſ 8. Apoc. pag. 109. col. 1. lit. C. Quintò ergò, & genuinè, & planè ad literam, per citharas primò per ſynedochen intelligere inſtrumenta muſica, puta organa, citharas, chelydes, tibias &c. quibus Sancti in corpore glorioſo pſallunt, & laudant Deum: hæc enim in Cælo forè inſinuat hic Ioannes, & cap. 14. verſ. 2. Corpora enim, & aures Beatorum, vti & reliqui ſenſus, ſuam in Cælo habebunt voluptatem, eamque ſummam*: Et addit D. Anſelmus loc. cit. *O qualis voluptas auditus illorum, quibus inceſſanter ſonent harmoniæ Cælorum, & concentus Angelorum, & organa omnium Sanctorum.* De guſtu autem ex comeſtione, & potu, hæc accipe ex D. Auguſtino *lib. 13. c. 22. de Ciuit. to 5. pag. 117. lit. M.*

Quo-

Digitized by Google

3 Quidni autem Spiritui ſancto maximum Incarnationis Donum tribuatur, cum & ipſius ſapientiæ diuinæ effectus eidem adſcribantur? Certè Filius ſapientia eſt, ſapientis autem ſcire, & docere; & ideo conuenienter Meſſias ille qui non ſolum nos redimere, ſed docere debebat, Diuinæ Sapientiæ genitæ, in Perſonæ vnitate coniunctus eſt. Hoc tamen minime obſtante; ipſe Magiſter noſter Chriſtus, dixit de Spiritu ſancto *Ioan. cap.14.verſ.26. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* In cuius ſignum nunquam promulgata eſt lex Chriſtiana, niſi poſt aduentum illius Spiritus, qui idcirco venit in igneis linguis, vt daret ſcientiam, & charitatem, vt intellectum inſtueret ad docendum, & moueret voluntatem ad amandum; vnde cantat Eccleſia *in Hymn. Pentec.*

Ignis vibrante lumine
Linguæ Figuram detulit,
Verbis vt eſſent proflui,
Et Charitate feruidi.

Dare bonum velle; Voluntatem ad amorem mouere, conuenit vtique Amori increato, ſed docere pertinet ad Verbum; & tamen Vtrumque effectum Euangelicus textus dat Spiritui ſancto. Cui etiam videtur adhærere Propheta, dum canit. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur; & renouabis faciem terræ.* Vtramq; ſcripturam exponit D. Antonius Patauinus *Dom. 1. poſt Trinit. pag.314.col.2. De quo Spiritu dicitur Ioan. 14 Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia. Pater miſit Paraclitum in nomine filii, ideſt in gloriam Filii, & ad gloriam filii manifeſtandam. Ille quidem vos docebit, vt ſciatis; ſuggeret, ideſt ſubminiſtrabit, vt velitis. Gratia enim Spiritusſancti dat ſcire & velle. Vnde cantatur in Pſal.103. emitte Spiritum tuum & creabuntur tua ſcientia, & renouabis faciem terræ bona voluntate.* Ratio autem a priori eſt, quia ſiue Deus creat, ſiue docet, ſiue inſtuit, ſiue ſanctificat, hoc agit propter ſuam bonitatem; & ideo omnia Dei Dona Spiritui Sancto tribuuntur; ſic ait Gloſſa ordin. *cap.14. Io. In Scriptura Spiritus ſanctus nomine Bonitatis deſignatur: per bonitatem ergo Deus ſua nobis tribuit. Vnde cum ipſe Filius ſit Doctrina Patris, de ſpiritu dicit: Ille vos docebit omnia; quia etſi Filius doceat nos, & reuelat Patrem, hoc tamen facit per ſuam bonitatem.*

4 Tandem haud vulgaris dubietas animum pulſat, quæſtionemq; ſuggerit. Cum hic Pſalmus opera Creationis memoret, ac Patrem Creatorem vbi inducit, modo ipſi Filium, modo Spiritum ſanctum adiungat; magna cum diuerſitate loquendi, vtriuſque effectionem exponit: De Filio namque loquens, ait Deo Patri: *Omnia in Sapientia feciſti,* Quæ Verba in præterito tempore creationem a Padre in Filio, & per Filium iam factam indicant. De Spiritu vero loquitur in futuro, dicens: *Emittes Spiritum tuum, & crebuntur:* creationem non factam, ſed futuram oſtendens. Quod nedum in creatione externa, ſed in ipſa interna Perſonarum proceſſione, cum eadem diuerſitate proceditur; nam de ſe ipſo loquens Chriſtus, ſiue de æterna, ſiue de temporali natiuitate loquatur ſimiliter in præterito loquitur: *Ioan.c.8.verſ.42. Ego enim ex Deo proceſſi, & veni: neque enim a meipſo veni, ſed ille me miſit,* en proceſſio, & miſſio Filij in præterito ſignata tempore; iam proceſſit, iam venit. De Spiritu verò aliter loquitur, ait enim: *Ioan.cap.15.verſ.26. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*: en proceſſio in præſenti, miſſio in futuro: ſed ſi vterque a Patre procedit, ſi vterque mittitur, ſi iam hæ proceſſiones, hæ miſſiones completæ ſunt; cur de Spiritu ſancto in futuro explicantur? Dicendum eſt autem in his locis non loqui abſolutè de æterna proceſſione, ſed de miſſione viſibili vtriuſque Perſonæ; Chriſtus iam proceſſit, iam miſſus eſt, iam ſemel viſibiliter venit; ſuam miſſionem impleuit: Atqui Spiritus ſanctus ſemper mittitur, ſemper venit; nam cum eius ſit ſanctificatio, continuò ſanctificantur Animæ, ſemper adeſt aliqua per peccatum mortua, quæ per gratiam viuificetur; ſemper eſt aliqua per vitium deturpata animi facies, quę per Dona huius Spiritus renouetur: Accipe hanc doctrina ex doctiſſimo Ruperto Abbate *lib.1.de oper.Spir.ſanct. cap.4.tom.1.pag.642.col.1. Notandum quod de ſe ipſo loquens præterito huius verbi tempore vſus eſt, ego enim, inquiens, ex Deo proceſſi, & veni: De iſto autem non in præterito, ſed præſenti tempore dixit; qui a Patre procedit. Etenim aliter ipſe a Deo proceſſit, naſcendo videlicet ante ſæcula de ſecreta ſubſtantia Patris, vt conderet mundum, quod ſemel factum eſt; ſiue aſſumendo carnem, vt qui inuiſibilis erat, viſibilis fieret, quod itidem ſemel factum eſt. Aliter Spiritus iſte procedit, cum ſubiectæ creaturæ gratiam impendit, quod toties fit, quoties viuificat ea, quæ mortua erant, & replet ea, quæ vacua fuerant.* Ex quibus colligitur quomodo Spiritus ſanctus faciem terræ noſtræ gratiam largiendo renouat.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

EFfectus Diuini Spiritus in Animabus Fidelium, eiuſque dona non recenſuimus; potius enim ad tropologiam, quam ad literam pertinere videntur, Inſuper Dona Spiritus ſancti, eiuſque fructus omnes norunt. In hac igitur morali expoſitione tres tantum eius effectus memorabimus; videlicet quomodo per iſtam creationem, ſeu recreationem Spiritus, Homines nouum viuendi ſtatum acquirunt, remouentur a malo, & in bono firmantur; & Imaginem Dei per peccatum ammiſſam, per gratiam innouant.

SVMMARIVM.

1. *Gratia Spiritus ſancti ad nouam vitam generat.*
2. *Gratia Spiritus ſancti remouet a malo, & in bono perficit.*
3. *Gratia Spiritus ſancti Dei Imaginem renouat in nobis.*

§. I.

Gratia Spiritus ſancti ad nouam vitam generat.

1 EMitte Spiritum tuum, & creabuntur: Creatio, vt communis Sacrorum Sophorum fert ſententia, eſt productio alicuius rei ex nihilo, ita vt nil ſubſtantiæ, ſeu materiæ, nec accidentium, ſiue ſub ſua, ſiue aliena forma præfuerit. Benè igitur ſupra eum D. Augu-

Auguſtino dixit Peccator Domino. *Et ideo ſine te factus ſum nihil*. Recedente enim ab Anima Deo, non ſolum moraliter, moritur anima, ſed ad nihilum reducitur. Cum ergo nihil ſit, ſi per gratiam denuò ad eſſe reſtituitur, illa reſtitutio creatio dici poteſt. Hæc omnia benè nouerat Pſaltes, qui cum dixiſſet, *Auferes Spiritum eorum, & deficient*: ideſt peccante homine ſubtrahit ab eo Deus Spiritum ſanctū, ideſt gratiam, quæ Spiritus ſancti donum eſt, & ſic deficit, ad nihilum gratiæ reductus; poſtea de eiuſdem renouatione Verba faciens creationem eam appellauit: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*; ideſt agente homine pœnitentiam, reddit ei gratiam, & renouatur in Spiritu, ſed cum iam nihil eſſet iſta renouatio creatio dicenda eſt: ſicuti probat doctiſſimus Incognitus his verbis *in Pſal.* 103. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur: Homo enim dum de ſtatu culpæ venit ad ſtatum gratiæ creari dicitur, & efficitur nouus homo, quia de non homine rationali fit rationalis, & de non grato gratus*. Sic de nihilo peccati ad ſtatum gratiæ redit.

2 Tantæ dignitatis eſt homo tantaque eum gratia donauit Creator ſuus, vt omnia quæ in mundo ſunt, ad eius vtilitatem creauerit, Cœlorū ſydera, Ignium ſplendor; Aeris flatus, Aquarum vndæ, ac piſces. Terræ germina, Animalia, Volatilia, dierum viciſſitudo, pulchritudo Vniuerſi, ſuæ bonitatis ſinē hominem habent, quem a Deo datum Dominatorem agnoſcunt. Ideoq; & in initio cum peccaret homo, terra maledicta, & reliquæ creaturæ deterioratæ ſunt, vt quæ homini ſeruire debuerant, nunc ſteriles, & indomitæ redditæ eius labori miniſtrent. Hæc cum ita ſe habeant, facilè intelligemus Apoſtoli verba ad Romanos dicentis *capit.* 6. *verſic.* 19. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat*. Sed quorſum hæc? Paulò ante dixerat: *verſ.* 11. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus vero viuit propter iuſtificationem: Quod ſi Spiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra*. Hæc igitur cum præmiſiſſet, ſubdidit: *Nam expectatio Creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat*: quaſi diceret: iſta creatio quam denuo facit Spiritus ſanctus in homine iam mortuo per peccatum, non ſolum ipſum renouat, quia filium Dei reddit, ſed & omnes creaturas innouat, vt quæ peccante homine deteriores factæ ſunt, eo ad gratiam denuo creato, innouentur & illæ. Ita philoſophatur Rupertus Abbas *Tuitienſ. lib.* 10. *cap* 6. *offic. to.* 2. *pag.* 706. *col.* 1. *Hoc enim Paraclito dato, hoc Spiritu emiſſo, creantur homines noui, & ſic renouatur facies terræ noſtræ, quæ maledicta eſt in peccato Adæ, & damnata, ſpinas, & tribulos. pullulante carnis luxuria germinat: renouatur inquam, & nouam proferi creaturam; cuius expectatio (ſicut ait Apoſtolus) reuelationem filiorum Dei expectat*. Ea propter hoc emiſſo ſpiritu omnia creari dicuntur, quia ad gratiam recreato homine omnia melloratur.

3 Neque id intelligas velim de ſola originali culpa, cum peccante Adamo, totum humanum genus mortuum, & eius cauſa terra maledicta eſt, ſed de quocumque peccato actuali intelligi debet; nam ita intelligebat Apoſtolus cum ſuadebat: *Induite vos nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt*: quod ex ipſis apoſtollicis verbis colligitur, in quibus Indumenti, & veſtis ſimilitudinem affert. Toties enim nouam veſtem induitur homo, quoties vetus diſrupta eſt, & conſummata, ita vt tegere corpus nequeat: cum ergo homo baptizatur nouam veſtem induit; cum verò peccat, ſcinditur veſtis illa, & cum pœnitentiam agit nouam aliam veſtem induit gratiam, nam prima iam periit. Toties ergo creatur homo, quoties per peccatum ad nihilum redactus eſt, vt ait Caſſiodorus *ap. B. Albert. Magn. in Pſal.* 103. *Te toties Dominus creat, quoties te de vetuſtate peccati in nouum hominem inſtaurare dignatur*. Heu miſeri peccatores quid in obſoleta, ac diſciſſa veſte turpiter iacetis? eia Spiritum inuocate, pœnitentiam amplexamini, vt nouam, ſplendidamque gratiæ veſtem induentes, creari mereatis.

4 Huius figuram ex Ezechiele accipere poſſumus. Hic in magnum campum deductus maximæ aridorum oſſium multitudini prædicare iuſſus eſt. Voce ergo fortiter eleuata declamauit: *Ezechiel. cap* 37. *verſ.* 4. *Oſſa arida audite verbum Domini*. Ad cuius vocem illicò oſſa illa ad inuicem connexa ſunt *vnumquodque ad iuncturam ſuam*, nec non carne adducta, ac ſuper inducta cute, maxima iacebat cadauerum multitudo, nondum homines erant, quia adhuc animam non habebant. Tunc Prophetæ dictum eſt, vt clamaret denuo: *verſ.* 9. *Hæc dicit Dominus Deus: a quatuor ventis veni Spiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant*: quod ſtatim effectum eſt. Dicamus autem campum illud magnum mundum eſſe, in quo maxima aridorum oſſium multitudo eſt, quia multi in eo peccatores reperiuntur, qui vtique cum Deo mortui ſint, & ad merita inhabiles, oſſibus aridis meritò comparantur; his Prædicatores clamant, vt audiant verbum Domini, & ſic per pœnitentiam iungantur Eccleſiæ; ex quibus qui dictis eorum auſcultant, & pœnitentiam agunt, & confitentur, & per contritionem commouentur, recuperant carnem, & pellem; & per gratiam Spiritus ſancti reuiuiſcunt; qui per Spiritum a quatuor ventis flantem ſignificatus eſt. Optimè id declarat Incognitus *in Pſal.* 103. *in verſ. iſtum*. *Spiritus ſanctus eſt infuſio gratiæ viuificantis; Anima enim ſine gratia Spiritus ſancti mortua eſt. Figura Ezechiel. cap.* 37. *de campo pleno oſſibus, quæ Spiritum non habebant, quæ per Spiritum flantem a quatuor ventis viuificata fuerunt. Quid enim per oſſa arida non habentia vitam, niſi Animæ carentes vita gratiæ deſignantur? Sed per Spiritum ſanctum a quatuor ventis flantem viuificantur*. Sic ergo peccati mortem Vita gratiæ reparauit.

5 Cum de Corde in verſ. 15. literaliter loqueremur, ipſum animæ ſedem probauimus eſſe; cum ergo eſt peccatum in Anima cor ipſum fetidum dici poteſt, nam Dei Spiritu carens Anima fœdat cor, & immundum reddit. V. G. Cum homo moritur, eiuſque cadauer corrumpi incipit, fetorem magnum ex ſe emittit, ita vt cubiculum illud in quo degit inficiat, fetidumque reddat: Cum vero in demortua membra Spiritus redit, fetor euaneſcit, mundaturque cubiculum. Ita de anima philoſophandum cenſeo; cum ipſa per peccatum moritur fetet; quare dicebat Diuus Auguſt. *Tolerabilius fetet canis putridus hominibus, quam Anima peccatrix Deo, & Angelis*, & conſequenter cubiculum ſuum, ideſt cor, inficit, immundum, & fætidum reddit, ſed per pœnitentiam innouante cæleſti Spiritu Animam, mundatur, & cor: probat hoc Iſraelitarum Monarcha, qui cum animam ſuam mortuam per peccatum noſceret, vt eam innouaret ad gratiam, ac fetidum mundaret cor, hunc ſanctum ſibi Spiritum dari poſcebat: *Pſal.* 50 *verſ.* 11. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis*. Nam cum Spiritum rectum faceret, cor mundabat; ait enim D. Fulgentius *contr. Arrian. ad* 1. *obiect. pag.* 442 *col.* 1. *Hoc eſſe ſignificans cor mundum in ſe creari, quod erat Spiritum rectum in eius viſceribus innouari*. Hæc igitur Spiritus ſancti creatio eſt Animam a peccatorum ſordibus liberare.

§. II.

Gratia Spiritus ſancti remouet a malo, & in bono perficit.

1 E*Mittes Spiritum tuum, &c.* Cum minimè ad Viuentium vitam ſufficiat Geneſis, & ortus, niſi etiam ad conſeruationem eorum alimentum tribuatur, Sapienter vtique Rerum Artifex in prima mundi creatione prius de pabulo prouidit, quam viuentia produceret, nam terræ naſcentia, quæ ex humoribus viuunt, irrigatam magnis fluminibus terram inuenerunt, lumen-

Digitized by Google

Iumenta herbis florentem humum, ac fructus, & fruges, & ipſa animalia iam producta reperit Homo. homo per gratiam denuo viuens, per ipſam alitur, vt Idipſum in morali creatione obſeruatur; nam in virtutum bonis operibus creſcat; quia vero vtrumque hoc opus ad ſanctum pertinet Spiritum, ideo dicitur: *emittes Spiritum tuum & creabuntur*, animæ ſcilicet de nihilo peccati, ad vitam gratiæ: *& renouabis faciem terræ*, cor gratia in bono confirmando, & virtutibus augendo; vt docet magnus Albertus. *Hic oſtenditur diuina magnificentia in iis, quæ agit Spiritus ſanctus: & ſunt duo; primum eſt peccatoris conuerſio, quæ eſt quaſi creatio ipſius: ſecundum eſt conuerſi profectus, & ambulatio in bonum, & renouabis faciem terræ. Dicit ergo; Rogo ſic, vt Spiritum emittas, & creabuntur de nihilo ad fieri: & renouabis faciem terræ ipſas in melius promouendo.*

2 Haud immerito Spiritus ſanctus Igni comparatur, nam in ignem iniectum aurum purgatur quidem dum mundatur a ſcoria, ſed incenditur, & ſplendet; ita Spiritus ſanctus vt animam conuertat eam terret, & eius vitia dextruit, ſed diuino amore inflammat, & lucidiſſimam facit. In Ezechiele legimus ante Diuinæ Maieſtatis Thronum Ignem ſtetiſſe, e quo ſæpe Fulgura mittebantur: *capit. 1. verſic. 13 Et hæc erat viſio diſcurrens in medio Animalium, ſplendor Ignis, & de igne fulgur egrediens*. Sancta illa Animalia Euangelia ſignificare nullus ignorat; & ignita dicuntur, quia ad Dei amorem dirigunt: ſed cur etiam fulgura emittunt? duo ſunt Coruſci, ſeu Fulguris effectus, terrere, & inflammare, & hæc duo ad Peccatoris conuerſionem requiruntur; terror vt recedat a malo, pænitentiam amplexando; ignitio, vt creſcat in bono Deum amando: Quare Magnus Gregorius ait *Hom. 5. in Ezech. tom. 2. pag. 1253. lit. E. Creator noſter & ignis dicitur & conſumens. Sanctus ergo Spiritus in medio Animalium Splendor ignis, & de igne fulgur egrediens diſcurrere dicitur, quia vniuerſam Eccleſiam replens in electorum cordibus ex ſeipſo flammam amoris proiicit, vt Coruſci more, per terrorem feriat, & ad amorem ſuum corda torpentia accendat:* Sic peccatorum animæ per terrorem generantur, amore creſcunt, & nutriuntur.

3 Cum Iob Dei omnipotentiam prædicaret, præcipuè abſentiæ Dei Spiritus dona, ac eius præſentiæ bona commemorat, dicens: *Iob cap. 12. verſ. 15. Si continuerit aquas omnia ſiccabuntur; & ſi emiſerit eas ſubuertent terram.* Sed quorſum iſta ſubuerſio? Etenim ſi Aqua hæc ſancti Spiritus eſt gratia, nũquã bonum operabitur, nam contenta deſiccat, effuſa ſubuertit. Sed aduertas velim ad huius verſus intelligentiam terræ culturam ab Agricola exhibitam. Hic enim prius vomere ſubuertit terram, bidente ſcindit, ligone diuidit, & poſtea ſeminibus fæcundat ad fruges: ita pariformiter Sanctus Dei Spiritus, ſubuertit primo terram cor conterendo per pænitentiam, vitia eradicando, & poſtea per ſuam gratiam ſemina ſerit virtutum; vt non ſolum Anima ſuam frangat impænitentiæ duritiam, ſed etiam ad diuina mandata ſeruanda promptior euadat, & quæ antea ægrè inimicis parcebat, non ſolum nunc parcat, ſed diligat; & ſua largè diffundat, quæ aliena rapiebat. Audi eundem Doctorem ſanctum *lib. 11. cap. 6. mor. pag. 167. lit. B. Si ſancti Spiritus gratia ſuperno munere iuxta vocem Prædicantis infunditur, ſtatim terra ſubuertitur: quia peccatricis mentis duritia ab immutabilitatis ſuæ obſtinatione permutatur, vt tantum ſe poſtmodum præceptis dominicis flendo ſubiiciat, quanto ſuperbiendo prius contra Dominum ceruicem cordis erigebat. Videas namque, quòd terra cordis humani aqua diuini muneris infuſa, poſt libenter iniurias tolerat, quas prius vehementer irrogabat: poſt etiam ſua tribuat, quæ prius aliena rapiebat: poſt etiã perſecutores diligit, quæ prius diligere etiam ſe amantes nolebat.* Vide cordis ſubuerſionem, vide fructum: hæc ſunt diuini Spiritus opera a malis remouere, & in bono firmare.

§ III.

Gratia Spiritus ſancti Dei Imaginem renouat in nobis.

1 ET *renouabis faciem terræ*. Licet omnia, vt Plato etiam docet, fides prædicat, & ratio ipſa ſuadet, quantum licuit ſibi ſimilia operatus ſit Deus; ac propterea Vnius, Trinique Numinis veſtigium in vnaquaque creatura reperiatur; attamen vera Dei Imago in Hominis Anima reperitur, quæ ſpecialius ad eius ſimilitudinem facta eſt. Hæc pulcherrima Diuinitatis Imago peccato adueniente deſtruitur; nam pereunte ſubiecto, & ipſa ruit forma; ita prorſus cum Anima moraliter moriatur per culpam, ſequitur, vt etiam Dei ſimilitudo pereat. Gratia ergo Diuini Spiritus, non ſolum denuò emortuam creat Animam, de quo dicitur: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur*; verùm etiam innouat Diuinam imaginem, ea propter ſubditur: *& renouabis faciem terræ:* Ita Cardinalis Hugo. *Peccatum in homine omnino deſtruit, & annihilat ſimilitudinem Dei, quæ eſt quoad gratuita: Imaginem verò Dei, quæ eſt quoad naturalia, licet non deſtruat, tamen diminuit, & deturpat. Gratia vero, quæ peccato opponitur, reſtituit quod peccatum abſtulerat. Vnde dicitur: Emitte Spiritum tuum, ideſt gratiam Spiritus ſancti; & renouabis faciem terræ, ideſt Animæ quantum ad imaginem quæ deturpata eſt.*

2 Optimè autem hæc diuinæ Imaginis inſtauratio Spiritui ſancto committitur: nam ſi aliqua excellentiſſima pictura periret, aut deturparetur, nullus meliùs inſtaurare poſſet, quam Pictor ipſe, qui antea pinxit: Imaginem autem Diuinitatis in Anima quis, niſi ſanctus delineauit Spiritus? etenim Dei gratia illam expreſſit. Hoc colligitur ex Geneſis primo, vbi cum dixiſſet Deus: *cap. 1. verſ. 26. Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ad ſimilitudinem noſtram*; & ſolerti cura ſuis manibus terram accipiens Corpus efformaſſet, cum ad animam creandam veniſſet, Spiritus ſancti ope ſpecialiter eſt vſus, quia ſibi gratam creauit; vnde ſcriptum eſt: *Gen. cap. 2. verſ. 7. Inſpirauit in faciem eius, ſpiraculum vitarum*, nam vox חיים pluralis eſt, nam dedit ei duplicem vitam, naturalem Spiritus, ſpiritualem gratiæ. Cum ergo hæc imago deperdita per Adæ peccatum eſſet, & in Chriſti aduentu renouanda eſſet, ipſe Spiritus, qui creauerat, ad renouandam acceſſit; In die enim Pentecoſtes quando dona gratiæ in Eccleſiam abundè diffuſa ſunt, Spiritus apparuit; nam *Act. cap. 2. verſ. 2. Factus eſt repentè de Cœlo ſonus aduenientis Spiritus vehementis*. Quare D. Antonius, de Padua dictus, appropians omnia opera ſex Dierum Spiritui ſancto, ideſt, quòd his ſimilia quæ Deus fecit in mundo, faciat ipſe in Anima de Hominis effectione hæc habet *Dom. Septuages. pag. 123. col. 2. Sexta die dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: Sextus articulus eſt Spiritus ſancti miſſio, in quam Imago Dei in homine deformata, & deturpata, per Spiritus ſancti miſſionem, qui inſpirauit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, reformatur, & illuminatur.* Pæniteamus igitur qui peccauimus, quia ad diuinam imaginem in nobis inſtaurandam Ipſe primarius Pictor accedit.

3 Ex hac eadem motus ratione Dauid ſuadebat peccatoribus pænitentiam, quia licet per peccatum imaginem Dei perdiderint, poſſunt eam recuperare per ſancti Spiritus gratiam; dicebat ergo ille: *Pſal. 4. verſ. 5. Iraſcimini, & nolite peccare*; ſed cum iam peccatum eſt, *quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*: Licet non debueratis peccare, ſi tamen peccaſtis, compungimini, pænitentiam agite, & ſic confitendo peccata veſtra, *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: v. 7.* Quia verò nõnulli incerti de effectu pænitentiæ ignorabant quid boni ex hoc ſequeretur; *multi dicunt, quis oſtendit nobis bona* per noſtram

pæni-

Digitized by Google

pænitentiam nobis donandam, dico vobis quòd diuina. Imago per peccatum deperdita redditur nobis: *verſ. 7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo*; nam diuinam ſimilitudinem recuperaſſe, maximam gignit lætitiam. Hæc Paraphraſis colligi poteſt ex D. Auguſtino; qui vtitur ſimilitudine denarij in quo cum Imago ſit regia ſi ipſa deperditur, debet reſtitui, aliàs nihil valoris in illo eſt; quæ Imago ſicuti ſine igne non ſculpitur, ſic ſine eo nõ inſtauratur; quia ſicut noſtra Imago Diuinitatis per gratiam Spiritus ſancti formata eſt, ſic per eam renouatur: ait ergo D. Auguſtinus *in Pſal. 4. pag. 10. colum. 1. lit. C. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: Hoc lumen eſt totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, ſed mente conſpicitur: ſignatum autem dixit in nobis, tanquam Denarius ſignatur imagine Regis. Homo enim factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quam peccando corrumpit: bonum ergo eius eſt verum atque æternum, ſi renaſcendo ſignetur.*

4 Huiuſmodi etiam doctrinam ipſe Dominus docere dignatur ſponſam ſuam, cum ait: *Can. cap. 8. ver. 6 Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio*: quaſi diceret. Ne deſperes o Sponſa, ſi te in peccatum prolapſam vides, ac diuinam meam ſimilitudinem, quam in cogitatione, & opere ſemper habere debueras, amiſiſſe: nam *fortis eſt vt mors dilectio*; ſi potuit peccatum, quod mors eſt animæ, ipſam deſtruere, poterit & dilectio diuina, poterit Sanctus Amor ipſam reſtituere ſicut prius D. Bernardi iſta interprætatio eſt, dicentis: *opuſc. de charit. cap. 28. pag. 2356. lib. I. k. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum &c. Ac ſi dicat; pone me memoriale tuum in corde, & brachio, ideſt in cogitatione, & opere, vt depoſita imagine terreni hominis, cæleſtis imaginem portes. Et licet corpus, quod corrumpit aggrauet animam, & deprimat terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem, tamẽ peccato deformatos, nouum diligens Deum mandatum ad Dei ſimilitudinem nos reformat.* Hoc Sancto ſpiritui debemus, qui in cordibus noſtris diuinam innouat ſimilitudinem.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Trigeſimus.

Propter Spiritum ſanctum in eam miſſum totus mundus renouatus eſt.

SPiritus ſancti Habitaculum, cunctis acclamantibus, plaudentibuſque Eccleſijs Deipara Virgo denunciatur; Nam licet omnis anima iuſta aliquo modo Spiritus ſancti gratiam accipiendo, & ipſum in corde hoſpitatur Spiritum, Maria tamen non in ſola anima Spiritum habuit ſanctum, verum etiam in corpore inhabitantem. Ea propter Angelum dixiſſe reor: *Luc. c. 1. verſ. 35. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: ideſt ille Spiritus, qui iam habitat in anima tua, ſuperueniet etiam in corpore; quod textatur D. Gregorius Niſſenus *in Nat. Chriſ. tom. 2. pag. 780. lit. B. Spiritus ſanctus, inquit, ſuperueniet in te: O beatum vterum illum: Quæ bonitatis, ac puritatis præſtantia, ad ſe traxit animi bona? In reliquis enim vix animus purus Spiritus ſancti præſentiam capit, hìc autem caro fit Spiritus receptaculum.* Nec ibi otiatur ille Spiritus, ſed cum renouet mundum per primi hominis peccatum iam ſeneſcentẽ, Mariam ſuæ innouationis Miniſtram facit, vnde ait Andreas Hieroſymitanus Antiſtes *ap. Nouarin. in umb. Virg. excurſ. 33. num. 337. Senio quaſi confectus mundus, per Mariam peccatorum ſenectam exuit*. Hanc ergo mundi innouationem per Spiritum habitantem in Virgine conſideremus.

Maria Virgo per inhabitantem in ſe Spiritum ſanctum mundum renouauit.

1 DEi perfecta ſunt opera clamat] Propheta; & ideo quæcumque ab eo facta ſunt optima ſunt: nihilominus tamen id intelligendum eſt de ijs operibus, quæ Deo ſolo Authore in lucem exeunt, neque liberæ voluntatis creatæ aſſenſum expectant, nam de his, quæ ſimul cum noſtra voluntate facienda ſunt, non ſemper quod Deus vellet contingit, deprauantur enim opera, ex parte noſtræ rebellis Voluntatis, quæ Factori ſuo non obſequitur. Nonne Deus hominem perfectiſſimum, & immortalem volebat, & ipſe inobedientia ſua mortem accerſiuit? Nonne Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fieri volebat; & tamen vt ex ſacris colligitur literis, ad imaginem quippe factus homo eſt, ad ſimilitudinem vero eius nequaquam: nam ante eius creationem dicitur: *Gen. c. 1. v. 26. Faciamus hominẽ ad imaginẽ noſtram ad ſimilitudinẽ noſtrã*; ſed peracta creatione dicitur; *Et creauit Deus hominẽ ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum*: *v. 27.* cur non addidit, ad ſimilitudinem ſuam, ſed bis poſuit Imaginem? Hæc, vt mihi videtur cauſa eſt, quia Imago deſignat ſpeciem corporis, ſimilitudo vero conuenientiam morum; Ille dicitur Imago Leonis qui Leoninam habet faciem; ille verò Leoni dicitur ſimilis qui

virtutes fortitudinis, magnanimitatis, & maieſtatis, Leoni proprias, imitatur. Homo igitur Dei eſt Imago cum in ſe Vnitatem, & Trinitatem eius in eſſentia, & Potentijs demonſtrar; & hoc quia opus naturæ eſt, vltrò habuit homo; ſimilis vero Deo eſt cum Dei bonitatem, ſanctitatem, perfectionem, quantum licet imitatur; & quia hoc voluntatis humanæ liberæ eſt opus, non habuit hoc homo, quia vix genitus peccans, potius Diaboli ſuperbiam, quam Dei ſeruatoris humilitatem imitatus eſt. Hanc ſimilitudinem ſua gratia Spiritus ſanctus cum inducere vellet Ipſam Dei Imaginem, Verbum ſcilicet in Virgine collocauit, vt ſit per fructum vteri eius renouatus homo, ac Spiritu, qui eam repleuerat, formatus diuinæ ſimilitudinis compleret effigiem. Pulchrè id obſeruat Rupertus Abbas *lib. 1 cap. 11. de oper. Spir. S. pag. 725. col. 1. tom. 1. Non dixit, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creauit illum, ſed tantum, ad imaginem ſuam creauit, ad imaginem Dei creauit. Non ergo ſic omnino, vt diſpoſuerat Deus facere hominem, narrat ea ſcriptura factum eſſe hominem: factus eſt ad imaginem Dei, quia factus eſt rationalis; non peruenit ad ſimilitudinem Dei, quia non imitatus eſt donum Dei. Sed numquid vitium eius, propter quod a ſimilitudine Dei longius receſſit, antiquum Dei conſilium, vel propoſitum euacuare debuit? Memor igitur hic Spiritu ſanctus illius propoſiti, ecce venit ad partem ſuam operandam, ad facturam hominis perficiendam, vt perduceret hominem ad ſimilitudinem Dei, ad quam non peruenit homo, niſi participatione eius, ideſt Spiritus ſancti. Venit inquam ipſa ſimilitudo; venit Imago Dei inuiſibilis, & in illa B. Virgine obuiauerunt ſibi; in illa domo pudici pectoris oſculatæ ſunt.* En quomodo opus ſuum Spir. S. renouauit in Virgine, atque compleuit.

2 Temporis viciſſitudines ad vitam humanam commodè alendam, nunc æſtum nunc frigus, nunc temperiem adducunt: etenim frumenta æſtus deſiccat, Frigus ſemina conſtringit, & fæcundat. Quia ergo herbæ omnes vel nimio calore deſiccatæ, vel nimio frigore conſumptæ pereunt, ſolet induſtrius Agricola, ſemina plantarum, cum deſiccata ſunt, colligere, & ſeruare, vt ex ipſis opportuno tempore herbas renouet; & vſq; dum ſit opportunitas in capſella ea ſeruat. Æſtas erat in prima hominum ætate dum homines ira, & libidine excandeſcentes diuinam vindictam prouocabant: ſequi debebat Hiems diluuij, qui omnia conſumeret; vt ergo ſemina rerum remanerent, ex quibus tranſacto diluuio renouaretur tellus, & ipſe mundus, præcepit Noe fabricam Arcæ: *Gen. cap. 6. verſ. 14. Fac tibi Arcam de lignis leuigatis:* & eius ſtructuram cum docuiſſet eum, addidit cauſam conſtructionis illius; *cap. 7. verſ. 3. Vt ſaluetur ſemen ſuper faciem vniuerſæ terræ.* Sed iam ad myſticum ſenſum redeamus: Arcam beatiſſimam Virginem dicamus, ſemen Verbum æternum, Agricolam, ſeu Noe; Spiritum ſanctum. Ver erat ante Adæ caſum, nam Paradiſi delicijs fruens homo, quæ ſua ſponte tellus exhibebat edebat: ver erat, in quo Dei gratia fæcundatus virtutum flores germinabat. Sed æſtu ſuperueniente peccati, virtutes exiccatæ ſunt, ac gratiæ vigor emortuus eſt; ſed ne vniuerſus periret orbis Deus Arcā opere Spiritus ſancti compoſuit, ideſt Mariam Virginem: in qua Noe ille iuſtitiæ parens, Agricola ille cœleſtis, ideſt Spiritus ſanctus ſemen diuinū ſepoſuit, ideſt Verbum caro factum, ex quo vniuerſus renouaretur, ac repararetur orbis. Hoc inſinuare videtur Leo Auguſtus, dicens Virgini *orat. 3. pag. 48. Aue Arca, per quam ad melioris mundi reparationem, humano generi vndis obruto, ſemen ſalutis conſeruatum eſt.* Arca equidem beata, quæ non herbarum, non florum, ſed gratiarum, & virtutum ſemina conſeruabat.

3 Et vt ſuperius diximus, meritò hæc mundi renouatio Spiritui ſancto attributa eſt; quia ei bonitas appropriatur, cum ſit Amor ſpiratus; & ea de cauſa ipſe in Maria tanta mirabilia in Verbo incarnando operatus dicitur. Debebant enim vniuerſa Dei opera, quæ per peccatum periere, renouari, & talia fieri, qualia ab initio fuerant: Qualia autem fuere? vtique valde bona, dicente ſcriptura *Gen. c. 1. v. 31. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Bona omnia erant, ſed accedente malo culpæ omnia mala ſunt reddita, corrupta omnia, & deprauata; ſed Spiritu ſancto ſuperueniente in Virginē, eamq; Dei Matrem reddens, ſui mirabilis partus ineffabili bonitate, mundum innouauit, vniuerſa bona fecit, & in priſtinam pulchritudinē reduxit: vnde ait D. Anſelmus. *ep. Cant. de excell. Virg. c. 11. to. 3. pag. 248. col. 2. lit. C. Cōſideremus qualiter omnis creatura ad vtilitatem hominis ſit creata, & quemadmodum eadem vtilitas per peccatum primi hominis quodammodo euanuerit; quoue pacto per Dei Genitricem Virginem Mariam ſuæ vtilitatis recuperauerit dignitatem:* & ſubdit: *pag. 249. col. 1. lit. A. Cuncta quæ Deus bona, & vtiliter fecit, in eo ſtatu, in quo condita ſunt eſſe deſtiterunt, & per B. Virginem in ſtatum priſtinum reuocata ſunt.* Omnis ergo noſtrorum operum bonitas, ex Mariæ vtero effluxit.

4 Noluit Deus ſolum hominem mundi propagatorē eſſe, ſed illi comitem adiunxit Euam; vt ſicut Adam Pater eſſet omnium hominū, ſic & Fœmina omnium Mater eſſet; idcirco vocauit eam Heuam, quòd hebraicè חוה dicitur, ideſt vita, eo quòd vitam vniuerſæ carni datura erat, vnde dicitur: *Gen. c. 3. v. 20. Et vocauit Adā nomen vxoris ſuæ Heuam eo quod mater eſſet cunctorum viuentium.* Sed re vera ſi corporibus vitam dedit caducam, animabus mortem etiā ſubminiſtrauit, quare etiam Mors appellari poſſet: Verum Mater vera viuentium Maria eſt; quæ æternam vitam peperit; & quis mortem ſtrauit, & vitam immortalitatis aperuit, nonne fructus Mariæ? Mater eſt omnium Virgo, quæ omnium peperit Saluatorem; & quid mirum ſi matrem dicamus hominum, quæ Deum peperit? ſi appellemus vitam, quæ vitæ Dominum generauit? Deuotè, & ſincerè D. Anſelmus ait *l. cit. pag. 242. col. 2. lit. D. Sicut enim Deus omnia creando Pater eſt, & Dominus rerum: ita B. Virgo ſuis meritis cuncta reparando mater eſt, & Domina rerum.* Vnde huius veritatis conſcia canit Eccleſia.

Monſtra te eſſe matrem
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.

O nos felices tantam ſortiti matrem, ne ei nos è contra indignos filios præbeamus.

5 Cum aliquis Rex magnus nouam ſponſam in Regnum ſuum introducere ſatagit, maxima cum diligentia curat, vt viæ exornatæ ſint, Ciuitas compoſita, Domus Regia prætioſiorib. pannis onuſta; Equites purpura gemmiſque inſignes, & omnium rerum apparatus talis, qualis Reginam, Regemque decet. Rex Regum omnipotens Deus, Mulierem vnā eligere debebat, quæ mater, & vxor ipſius eſſet; & vt decentius exciperetur in mundo, ipſum maximopere exornauit, tot ſtellas diſtinxit, tot flores produxit, pinxit Auroram, fabricatus eſt Solem, excoluit terram, extendit Cœlos, ſuſpendit Aquas, Auium ad cantum linguam aptauit, Beſtias multiformes creauit; hæc omnia producta, ornata, & perfecta ſunt ad Dei gloriam, ad Mariæ Matris eius, & omnium Reginæ honorem: & ſicut Palatium, licet maximè exornatum, non intelligitur quouſque Reges in ipſum ingrediātur, ſic mundi ornatus ante Mariam perfectus non erat. Aduerte quod in Geneſi tunc dicitur *c. 2. verſ. 1. Igitur perfecti ſunt Cœli, & Terra, & omnis ornatus eorum,* quādo iam Adam & Heua creati erant, & Vniuerſi Domini declarati; vt ſciremus, quod verus ornatus mundi perfectus eſt, quando Chriſtus, & Maria in eo apparuerunt; vnde ait Iſidorus Theſſalonicenſis Antiſtes *orat. 1. pag. 4. Si quis attentè conſiderat nulla re creata indigebat Beata Virgo, vt ipſa fieret; imò omnis creatura indigebat ea, vt crearetur, & ornatum perficeretur. Reductio enim creaturarum in meliorem ſtatum, proculdubio cauſam habuit Virginem, quæ ſi futura non fuiſſet, non cogitaſſet Opifex de producendis planè creaturis.* Laudent vniuerſæ Mariam, & Spiritum illum ſanctiſſimum, qui per eam tot mirabilia operatus eſt.

RADIVS

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

QVas de Spiritu allegorias tradere poſſemus, præterito verſu vidimus; hìc autem de Creatione, nec non de renouatione, nam de facie, & de terra in 5. & 15. verſ. vidimus; nec aliquid addendum, occurrit.

SVMMARIVM.

1 *De allegorijs Creationis, ſeu creare.*
2 *Quid nouum, renouare, innouare allegoricè ſignet.*

§. I.

De allegorijs Creationis, ſeu creare.

1 ET *creabuntur*. Creatio eſt productio rei ex nihilo, ſic creare de nihilo producere. Et primò Creatio ponitur pro incarnatione; apud Ieremiam *cap. 31. verſ. 22. Creauit Dominus nouum ſuper terram*: Vbi D. Hieronymus *lib. 6. in Ierem. pag. 299. lit. H. Notandum, quod natiuitas Saluatoris, atque conceptus Dei creatio nuncupetur.*

2 Creare fructum labiorum pacem, eſt pacem prædicare vniuerſo mundo; quod prædixit Iſaias: *cap. 57. verſ. 19. Creaui fructũ labiorum pacem; pacem ei, qui longè eſt, & qui prope*; & idem Hieronymus *lib. 16. in Iſai. pag. 189. lit. F. Omnia tribus, quæ antea promiſeram. Quæ eſt autem Domini pollicitatio? Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Et hoc eſt quod nunc ait pacem ſuper pacem, non vni genti, ſed vniuerſo mundo.*

3 Creatio dicitur regeneratio ad gratiam: vt ex Pſal. 32. *verſ. 9. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* ait Magnus Baſilius *in Pſal. 32. pag. 64. lit. F. Quoniam vero in ſacris voluminibus creatio pro tranſmutatione in potiorem ſolet accipi partem: Forſam illud quidem, facta ſunt, dicitur de prima hominis productione ad eſſentiam: hoc vero, creata ſunt, de ſecunda per Chriſti gratiam regeneratione.*

4 Creare eſt mundare: de quo dicitur in Pſalmo 50. *verſ. 11. Cor mundum crea in me Deus* & D. Baſilius *lib. 4. adu. Eunomium pag. 206. lit. B. Non aliud petens, ſed id videlicet, quod erat, permundari.*

5 Creare mala, eſt de malis bona efficere: vnde dicitur: *Iſai cap. 45. verſ. 7. Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*: & idem Baſilius *Hom. quod Deus non eſt Auth. mal. pag. 117. lit. E. Creat autem mala, hoc eſt tranſmutat ipſa, & in meliorem ſtatum, exitumq; deducit; vt iam mala eſſe deſinant, boniq; naturam accipiant.*

6 Creare Aquilonem, eſt Antichriſtum mittere: vnde Pſalmus 88. *verſ. 13. Aquilonem, & mare tu creaſti.* Vbi Diuus Hieronymus *in Pſ. 88. pag. 111. lit. H. Aquilo intelligitur Antichriſtus, de quo ait Dominus ad Hieremiam; ab aquilone pandetur malum ſuper cunctos habitatores terræ.*

§ II.

Quid nouum, renouare, innouare allegoricè ſignet.

1 ET *renouabis faciem terræ*. Illud dicitur nouum, quod recenter factum eſt; renouare autem, ſeu innouare, ad illam bonitatem reſtituere, quam res habebat recenter effecta. Et primò *Gloriam* innouari eſt vitijs relictis ad nouitatem virtutum redire: vnde Iob dicebat *cap. 29. verſ. 20. Gloria mea ſemper innouabitur*: Vbi Gregorius *lib. 19. cap. 15. mor. pag. 73. A. B. Cunctis vera ſcientibus liquet, quod ad vetuſtam vitam vitia pertinent, virtutes ad nouam, &c. Aqua tamen vetuſtate quotidie ſi ſtudio circumſpectionis inuigilamus, orando, legendo, bene viuendo renouamur: quia vita noſtra dum lacrymis lauatur, bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur ad nouitatem ſuam ſine ceſſatione reparatur.*

2 Nouum vinum eſt doctrina nondum deprauata, & vter nouus eſt homo nouiter conuerſus; ſic mittere vinum nouum in vtres nouos; de quo Dominus: *Matth. cap. 9. verſ. 17. Vinum nouum in vtres nouos mittunt*: eſt ſanam doctrinam docere nouiter conuerſos: vt ait D. Hilarius *in Pſal. 32. pag. 64. lit. E. Igitur in vtres nouos vinum nouum eſt mittendum. Vinum inſuper & ſpirituale nouum, vt quod Spiritu ſancto efferueſcit, nimirum veritatis intelligentiam, nondum exolentem vetuſtate erroris, mittere conuenit in hominem nouum.*

3 Nouæ lagunculæ ſunt corda ſpiritualia de quibus apud Iob *cap. 32. ver. 19. Muſtum, quod lagunculas nouas diſrumpit*: & ibi magnus Gregorius *lib. 23. cap. 5. moral. pag. 829. lit. A. Muſtũ ergo lagunculas nouas diſrumpit, quia ferueris eius potentia etiam ſpiritalia corda tranſcendit.*

4 Nouum nomen, quo ſuos electos decorat Dominus, eſt nomen Chriſtianorũ: de quo Apoſtolus: *Apoc. cap. 3. verſ. 12. Qui vicerit nomen nouum ſcribam ſuper eum*: & D. Hieronymus *in Pſal. 97. pag. 124. lit. C. Nomen nouum Chriſtianorum eſt.*

5 Innouare Regnum, eſt electum Præſulem cum per prædicationem, ſuam virtutem oſtendit, recenti deuotione a populo venerari. Sic dicitur de Saule: 1. *Reg. c. 11. verſ. 14. Eamus in Galgala & innouemus ibi Regnũ*: Vbi D. Gregorius *lib. 5. in 1. Reg. tom. 1. pag. 206. lit. A. Regnum quippe innouatur, quia dum electus, Prædicator in magna virtute conſpicitur, ei nouo, & recenti deuotione auditorum corda ſubmittuntur.*

6 Dolorem renouari propter ſilentium a bonis, eſt peccatum creſcere dum in confeſſione non aperitur: ideo ait Rex pœnitens: *Pſal. 38. verſ. 3. Obmutui, & ſilui a bonis, & dolor meus renouatus eſt*: & ibi Lyranus: *Obmutui & ſilui a bonis, id eſt ab expreſſione pœnitentiæ meæ, & afflictionis grauiſſimæ: & dolor meus renouatus eſt, Nam augmentatur cum in corde clauſus tenetur.*

7 Nouellus Vitulus, eſt homo nouam vitam in ſpiritu viuere incipiens: de quo Pſalmus 68. *verſ. 32. Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas*: Vbi D. Auguſtinus *in Pſal. 68. pag. 245. lit. G. Qui bene inſtructus eſt, & laude Dei opulentus, & cornua debet habere, quibus aduerſarium ventilet, & vngulas quibus terram excitet. Nam ideo nouellus eſt propter vitam nouam.*

8 Renouatio iuuenturis noſtræ vt Aquilæ, eſt reſurrectio ad immortalitatem vnde Pſalmus 102. *verſ. 5. Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*: & idem Sanctus Doctor *in Pſal. 102. pag. 382. lit. B. Reſurrectionem enim quandam ſignificauit nobis; & quod renouatur iuuentus Aquilæ, ſed non ad immortalitatem. Data eſt enim ſimilitudo quantum de re mortali potuit trahi ad rem vtcumque ſignificandam immortalem.*

9 Innouare Spiritum eſt ita per gratiam animam a peccato mundare, vt adſit firmum propoſitum numquam in poſterum peccandi: id petebat Pſaltes a Deo, dicens: *Pſ. 50. verſ. 11. Spiritum rectum innoua in viſceribus meis*: & Gloſſa ordin. *Sic deſiderat expiari, vt videatur nil tale vltra velle committere.*

Digitized by Google

Verſus Trigeſimus primus.

יְהִי כְבוֹד יְהוָה לְעוֹלָם יִשְׂמַח יְהוָה בְּמַעֲשָׂיו׃

Verſio ex hebræo: *Sit Gloria IEHOVAH in ſæculum, lætabitur IEHOVAH in operibus ſuis.*

Vulgata editio. *Sit Gloria Domini in ſæculum; lætabitur Dominus in operibus ſuis.*

Caietanus. *Erit honor Domino:*

Pagninus. *Erit Gloria Domini in ſæculum, &c.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

PRæſens Verſus nullam nobis diſputationis materiam ſubminiſtrat; nam & omnes verſiones literæ reſpondent, & in eo contenta ferè omnia ad tropologiam pertinent: nam de æternitate Gloriæ Domini, Deque eiuſdem lætitia, quæ non conuenit Deo niſi allegoricè, & metaphoricè abundè videbimus in morali expoſitione. Solus Pagninus illud יְהִי vertit, *erit*, ſed hoc potius, vt concordet hoc verbum cum ſecundo, *lætabitur*, quam ad literam; cùm reuera ſine controuerſia ad modum imperatiuum pertineat. Quia verò nomine Gloriæ ipſa cœleſtium Incolarum Beatitudo ſignatur, de Beatitudine, tum eſſentiali, tum accidentali ſanctorum, breuiter agemus.

SVMMARIVM.

1 *In quo Sanctorum eſſentialis Beatitudo conſiſtat.*
2 *De Beatitudine Corporum, & loco Beatæ vitæ præparato.*

§. I.

In quo Sanctorum eſſentialis Beatitudo conſiſtat.

1 S*It Gloria Domini in Seculum.* Dei omnipotentis Gloriam memorat in hoc verſu Pſaltes, & cum æternam Domino tribuit, proculdubio, de ipſa æterna Beatitudine loquitur. Hinc Bonum illud, quod Intellectualium Creaturarum finis eſt vltimus, ad ſui contemplationem animum, ad ſcriptionem calamum, diuina magnes, attrahit. Neque enim ſine delectatione ſtatum illum Intellectus recolit, in quo ſe ſperat ſine fine gaudere. Quid autem ipſa Beatitudo ſit, & in quo conſiſtat, haud facile eſt determinare; cum in varias Philoſophi, ac Theologi eant ſententias. Illud in primis tanquam certum præmittendum eſt, & determinandum, Beatitudinem aliam eſſe Animi, quæ eſſentialis, & formalis Beatitudo eſt; aliam corporis, quæ quaſi accidentaria eſt. De prima nunc agimus, de altera ſequenti §. tractaturi. Breuitati autem ſtudentes ommittimus Gandauenſis opinionem de illapſu, & erroneam Veterum Philoſophorum de hac re doctrinam, & tantummodo aliqua ad Beatitudinem neceſſaria recenſemus. Illud in primis certum eſt, Beatitudinem Gaudium eſſe; nam de ea dicit Dominus ſeruo fideli; *Matth. cap.25.verſ.22. Intra in Gaudium Domini tui.* Porro *Gaudium*, Vt ait D. Ioannes Chriſoſtomus; *eſt eorum, quæ deſiderat animus expletio, rerumque iucundarum fruitio, ac moleſtarum obliuio. Chriſoſt. Hom. 1. de Verb. Iſai tom.3.pag. 166. lit.k.* Quibus ex verbis conſtat Duo requiri, ad gaudium, ſeu beatitudinem, ſcilicet amorem Boni conuenientis, & poſſeſſionem illius; vnde diuinus Plato *in conuiu. pag.* 249. docuit: *Poſſeſſione ſanè bonorum beati ſunt, quicumque beati.* Quid autem ſit amor, Idem Plato loc. cit. ſic ait. *Eſt igitur ſummatim Amor Appetitio, quo bonum ſibi ſemper adeſſe quis cupit.* Ex quo deducitur tertiò ad Beatitudinem requiri perpetuitatem poſſeſſionis; *Quapropter*, Diuus Auguſtinus ait, *quamuis non quidquid æternum, continuò beatum ſit; dicitur enim etiam pœnalis ignis æternus; tamen verè, perfectèque beata vita, nonniſi æterna eſt.* Diuus Auguſt. *lib. 11. de Ciuit. Dei c. 11. to.5.pag.96 lit.B.* & fortaſſe Platoni conſentit, qui *loc.cit.* docet *Immortalitatem vnà cum Bono appetere neceſſe eſt: ex illis, quæ ſupra conceſſimus, quandoquidem amor eſt appetitio, qua bonum ſibi quiſque ſemper adeſſe deſiderat: ex his concluditur amorem, immortalitatis quoque deſiderium eſſe.* Vnde & citatus D. Auguſtinus *lib.14. de Ciu. cap. 16. pag.124 lit.F.* ait. *Beata verò, eademque æterna vita, amorem habebit, & Gaudium, non ſolum verum, ſed etiam certum.* Ergo Beatus habet ſummum bonum, quod amat, perfectè poſſidet, eo ſecurè gaudet, & de eiuſdem perpetuitate certitudinem habet.

2 Ex his dictis euidenter patet, quæſtionem illam inter Theologos magni nominis diù exagitatam, an viſio, vel amor ſit formalis Beatitudo nullius eſſe momenti; nam Beatitudo formalis, non eſt videre Deum, nec amare Deum propter ſe, neque poſſidere Deum (licet hæc omnia requirantur) ſed eſt gaudium reſultans ex poſſeſſione infiniti Boni, per amorem quidem concupiti, & per poſſeſſionem, aut viſionem

Digitized by Google

nem comprehenſi. Quid, enim ad beatam vitam conducit, maximum habere bonum, niſi eo gaudeat? Perinde eſt vtiq; ac ſi nõ haberet. Fateor Beatitudinẽ requirere infinitũ Obiectũ, quod omnia contineat bona, & a quo omnia remoueantur mala: quare dixit Richardus. *Duo enim ſunt ex quib. conſtat gaudiũ Beatitudinis, carere eo, ſcilicet quod nolis, & habere quod velis*. Rich. a S. Vict. *c.10. in Cãt. to.2. pag.163. col.1. lit. D.* & alibi apertiùs *Quid enim eſt Beatitudo, niſi bonorum omnium plenitudo, atque perfectio? conſtat itaque quia bono illi ſummo, vniuerſaliterque perfecto, nihil deſit, cuius adiectione meliorari poſſit. Idem lib.2. de Trin. cap.16. p.1. pag.354. lit. C.* Et idipſum D. Auguſtinus docuerat. *Beatus ergo non eſt, niſi qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult lib.13. cap.5. de Trin. tom.3. pag.135. lit. D.* Nec ab illis Theologorum Princeps Scotus diſſentit: ait enim. *Nulla Natura intellectualis vltimatè, & completè perficitur, niſi habendo ſummum appetibile, & hoc perfectè, ſecundum modum poſſibilem habendi illud. Scot. in 4. ſent. Diſ.49. q.1. concl.3.* Nihilominus tamen ipſa tanti boni poſſeſſio illicò beatum non reddit, niſi adſit gaudium de illa poſſeſſione; hoc eſt frui, gaudere. Etenim ſfrui, idem eſt, quod fructum capere, non ipſa fructuum poſſeſſio parit delectationem, ſed gaudium de poſſeſſione; & ſenſus guſtus tunc delectatur, cum ex comeſtione oritur delectatio. Concludimus ergo cum B. Auguſtino. *Ita ſe omnes beatos eſſe velle conſonant, quemadmodum conſonarent ſi hoc interrogarentur; ſe velle gaudere; atque ipſum gaudium vitam beatam vocant, &c. Abſit Domine, abſit a corde ſerui tui, qui confitetur tibi, abſit, vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium, quod non datur impiis, ſed eis, qui te gratis colunt, quod gaudium, tu ipſe es: & ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te, propter te; ipſa eſt, & non eſt altera. D. Aug. lib.10. cap.21. Confeſſ. pag.63. lit. B. tom.1.*

3 Vtrum autem hoc gaudium amor ſit, examinandum eſt. Plato apud D. Auguſtinum (nec ab eo S Doctor diſſentire videtur) æſtimat, Beatitudinem veram viri boni in amore ſummi boni ideſt Dei, conſiſtere; & quia Deus vera, & ſumma Sapientia eſt, ille dicendus eſt verus Philoſophus, ideſt amator Sapientię, qui Deum diligit; & qui ſummum, & verum bonum amat, ac eo fruitur, beatus exiſtimandus eſt. Ait igitur D. Auguſtinus. *Nunc ſatis ſit commemoraſſe, Platonem determinare finem boni eſſe ſecundum virtutem viuere; & ei ſoli euenire poſſe, qui notitiam Dei habeat, & imitationem; nec ob aliam cauſam beatum eſſe: ideoque non dubitat hoc eſſe Philoſophari, amare Deum, cuius natura ſit incorporalis: vnde vtique colligitur, tunc fore beatum ſtudioſum Sapientiæ (id enim eſt Philoſophus) cum Deo frui cœperit. Quamuis enim non continuò beatus ſit, qui eo fruitur, quod amat: multi enim amando ea, quæ amãda non ſunt, miſeri ſunt, & miſeriores cum fruuntur; nemo tamen beatus eſt, qui eo, quod amat, non fruitur. Quiſquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque, & ſummum bonum amat, quis eum beatum, niſi miſerrimus negat? Ipſum autem ſummum, ac verum bonum Plato dixit Deum. Hæc D. Aug. lib 8. cap. 9. de Ciu. tom.5. pag. 67. lit. C.* E contra autem videtur, quòd amor non ſit vita beata quia amor eſt deſiderium, vita verò beata eſt poſſeſſio, ſeu gaudium de poſſeſſione, quod autem poſſidetur, non deſideratur: aliud enim eſt deſiderare veritatem, aliud de veritate gaudere, vt ait alibi D. Auguſtinus. *Cum amat beatam vitam, quod non eſt aliud quam de veritate gaudium, vtique amat veritatem lib.10. cap.23. Confeſſ. pag.63. lit. C. to.1.*

4 Scotus, vt ſuſtineat partes amoris, probat in 4. ſent. diſt.49. q.7. in corpore, & in reſponſ. ad prim. princip. quòd beatitudo neceſſariò debeat conſiſtere in operatione, & conſequenter in amore; non enim poteſt eſſentialis Beatitudo conſiſtere in paſſione, ſicuti eſt gaudium, & delectatio: & ad authoritatem D. Auguſtini (imò & Chriſti in Euangelio) de gaudio, reſpondet, intelligi debere cauſaliter; ideſt, quod amor Dei propter ſeipſum, quæ eſt eſſentialis beatitudo, cauſet gaudium, & delectationem. Sed pace tanti, & mihi ſemper venerabilis Præceptoris, rationem hanc inanem æſtimo, & nullius valoris: nam Auarus licet amet pecunias, licet poſſideat, ſi non gaudeat de eis, non beatus, ſed miſer eſt. Guſtus ſenſuum non in aliqua operatione, ſed in paſſione conſiſtit; nam licet ſenſus viſus V. G per operationem actiuam aſſaquatur obiectum, non per eam beatus eſt, præſertim, cum multoties per operationem virtus viſus hebetetur, ſed per paſſionem, ſcilicet per voluptatem, quæ in ſenſu viſus reſultat ex præſentia obiecti conuenientis: & pariformiter de alijs ſenſationibus dicendum eſt; vnde ſenſuales deliciæ voluptates nuncupantur. Ea propter de ſenſus ad animam tranſlata metaphora, etiam diuina Beatitudo Voluptas dicitur: in cuius ſignum de terreno Paradiſo dicitur: *Gen. cap.2. verſ.8. Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio*; & ſæpè locus voluptatis dicitur; qui certè Beatitudinis cæleſtis extitit vmbra: Similiter & Dauid deſiderium Beatitudinis oſtendens, aiebat: *Pſal.26. verſ.4. Vt videam voluptatem Domini*: Neque enim voluptas videtur; ſed ipſe deſiderabat voluptatem, ſeu gaudium ex Dei viſione prouenienſ. Quare ait Diuus Auguſtinus *Vt contempler delectationem Domini: eo fine ſcilicet, vt in fide perſeueranti appareat mihi ſpecies delectabilis, quam facie ad faciem contempler. D. Aug. in Pſal.26. tom.8. pag.42. lit. L.* Similiter & in Pſal.35. *verſ.9.* de eadem Beatitudine dixit. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ*: vbi idem Doctor Sanctus. *Voluptas illa quæ eſt, quaſi torrens inebrians ſitientes? Quo ergo fonte irrigaberis? Et vnde currit tantus torrens voluptatis eius? Quoniam apud te eſt fons vitæ; Quis eſt iſte fons vitæ, niſi Chriſtus? in Pſal.35. to.8. pag.89. lit. I.* Hinc etiam in Die Aſcenſionis Dominicę, de ſuo ſponſo canit Eccleſia. *Ieſu voluptas cordium*. Exquibus ſequitur in gaudio, quam habet anima de ſumma gloria illius Dei, quem amicitiæ amore ſummè diligit, nec nõ de eius ſocietate, Beatitudinẽ eſſe. Sicuti mundanus, ſi amicum chariſſimum, & maximè dilectum ad regiam purpuram, imperatorias faſces, aut pontificias infulas, euectum videret, lætaretur, & gaudere ſe putaret.

5 Porrò D. Thomas, & eius aſeclæ, vt probent beatitudinem in actu viſionis Dei formaliter conſiſtere, adducunt ſententiam illam Saluatoris; *Ioanni c. 17. v.3. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Ex quo ſic arguit S. Doctor. *Dominus dixit Io.17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum vnum: vita æterna eſt vltimus finis, vt dictum eſt: ergo beatitudo hominis in cognitione Dei conſiſtit, quæ eſt actus intellectus*; Ita ille. *1.2. qu.3. ar.4. in corpore*. Deinde probat in corpore fuſius, beatitudinẽ eſſe cõſequutionẽ vltimi finis, vnde non poteſt eſſe delectatio, ſed viſio, quia per viſionem aſſequimur finem: delectatio autem conſequitur poſſeſſionem finis. Attamen, licet ego venerer tanti Doctoris Doctrinam, parcat mihi tamen, ſi dixerim, allatum argumentum peccare in maiori, minori, & conſequentia, in materia, & in forma. Quod ſic oſtenditur. Propoſitio illa Maioris ex Euangelio, mutila eſt, nam deſideratur altera pars: *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: & cum Ieſus Chriſtus ponatur, vt quid additum ad cognitionem Dei, ſequitur ſupponere pro humanitate Deitati iuncta, non pro ſola Diuinitate; & cum in viſione humanitatis Chriſti eſſentialis Beatitudo Spirituum non conſiſtat, conſequens eſt, ibi non loqui de Beatitudine, ſeu vita æterna formaliter, ſed cauſaliter, vt ſenſus ſit; non acquiritur vita æterna, niſi per fidem Dei, cuius cognitionem veram prædicauit, & docuit Dominus Ieſus Chriſtus. Deinde ad minorem, cùm dicit Vita æterna eſt beatitudo, materialiter iſta propoſitio poteſt eſſe vera, formaliter autẽ falſa eſt: nam etiam vita Damnatorum Angelorum, &

hominum æterna erit, ſed non beata: materialiter verò, quia non æſtimatur vita, niſi beata, poteſt ſumi pro vita æterna, quia gaudium cæleſte, non eſſet beatum; niſi eſſet æternum. Deinde datis, & vtcumque conceſſis præmiſſis, nego conſequentiam, eo modo, quo explicatur cognitio, per operationem intellectus. Etenim cùm cognitio ſit communis ad omnem operationem Potentiarum cognitiuarum, & ita accipiatur in maiori, in conſequenti reſtringitur ad ſolam cognitionem intellectualem: cognoſcere autem conuenit omnibus Potentiis Animæ, & omnibus ſenſibus externis, & internis; & tam oculus dicitur cognoſcere, ſicuti mens; vnde & de ipſa carnali copula, ex ſacra habemus ſcriptura, quod cognitio ſit; ſic & Bruta cognoſcunt. Ergo & cognitio, de qua loquitur Dominus ad voluntatis actum referri poteſt, & debet: & ne hæc expoſitio a me ficta credatur, Victorini Ricchardi ſententiam adducam. *Pro his enim incomparabiliter eum amant, & in eius amore gaudent: habent enim quem amant, cognoſcunt, & vident, quod eorum vita æterna eſt. Idem eſt enim cum illo requieſcere, & cum illo gaudere; & illum habere; item amare noſſe eſt, quia amor notitia eſt, & noſſe videre eſt. Et hæc eſt vita æterna cognoſcere Patrem Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, hæc eſt illa Beatitudo, & hæ dotes Animæ, cognitio Dei, amor, & fruitio.* Hæc Ricchardus a S. Victore *cap.10. in Cant. Cant. part.2. pag.163. lit. D. col.2.*

6 Requiruntur ergo ad Beatitudinem, tanquam Cauſæ, obiectum, quod ſit ſummum bonum, ſummũ amabile, & conueniens Creaturæ rationali, eius viſio, cognitio, amor; ſed formalis Beatitudo eſt ipſa fruitio, ideſt gaudium, ſeu delectatio de illo obiecto. Sic ergo definiri formalis Beatitudo poterit. *Beatitudo eſt Gaudium de poſſeſſione ſummi Boni, per ſe ſummè dilecti, cum certitudine numquam ipſum amittendi.* Et hanc Definitionem probat diſcurſus D. Thomæ loc. cit. cum exemplo de pecunia ibi allato, qui diſcurſus, & exemplum, non pro viſione, ſed ad oppoſitum valent; nam Cupidum nummi; non poſſeſſio nummorum, & auri beatum facit, ſed gaudium de ipſa poſſeſſione: nam ſi aliquis Domi magnum theſaurum haberet, de quo vel non haberet notitiam, vel eo vti non poſſet, quia clauſum cuſtodiretur, certè de eo non gauderet, & nullam haberet beatitudinem; igitur non in poſſeſſione boni, ſed in gaudio de illo Beatitudo conſiſtit. Gaudet ergo beata Voluntas, quia illud, quod amat, & deſiderat, poſſidet; & illud item amat, & deſiderat, quod habet; quæ ineffabilem cauſant beatitudinem. Quod videtur probare illa magni Gregorij *lib.18. cap.29. mor. tom.2. pag.733. lit. C.* ſententia, qua docet. *Sed quia de Deo per primum Eccleſiæ Prædicatorem dicitur: In quem deſiderant Angeli proſpicere. 1. Pet. c.1. & tamen dictum per veritatis ſententiam ſcimus, Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris. Matt. c.18. &c. Vt ergo rectè ſibi vtraq; cõueniant, dicat Veritas; quia ſemper vident: dicat Prædicator egregius: quia ſemper videre deſiderant. Ne enim ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur: ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant. Et deſiderant igitur ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur; & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipſum fontem vitæ venerimus.* Faxit Deus, vt eius pulchritudinem, & bonitatem in præſenti vita ſic amemus, ita deſideremus, vt in futura, de eius poſſeſſione perenniter gaudeamus.

§. II.

De Beatitudine Corporum, & loco beatæ vitæ præparato.

1 Diuus Thom. 1.2.q.4. per ſingulos articulos probat, ad beatitudinem nec requiri corpus, nec Amicorum ſociatatẽ, nec rerum corporearum, ſeu ſenſualium voluptates. Cùm tamen haud credã Sanctum Doctorem Platonicorum quorumdam deliramẽta probare, qui putabant, Animam in corpore beatificari non poſſe, quæ ibi concludit, de ſola, & eſſentiali Animæ beatitudine intelligenda ſunt. Etenim, ſi de beatitudine hominis loquamur, cum homo non ſit ſola Anima, ſed neceſſariò includat corpus, vt homo ſit beatus, corpus requiritur: & licet voluptas, ſeu delectatio Animi redundans in corpus illi dulcedinem, & voluptatẽ afferat maximam, nihilominus Beatorum hominum corporibus, ea quæ humana ſunt, negare non debemus: nam caro illa, in qua reſurgemus, licet aliquantulum meliorata, caro tamen vera, & realis erit. Conueniens eſt igitur, vt adſit ſpecie corporali pulcherrima Ciuitas, omnibus referta deliciis, quæ licitè à corpore expeti poſſunt: ſicut re vera datur infernus Carcer ad Damnatorum cruciatum, reali igne, realibuſque tormentis refertus. Breuiter ergo de ipſa Beatorum hominum Ciuitate, & deliciis aliqua prælibabimus. Antea verò aduertendum ducimus, duplicem eſſe paſſibilitatẽ, vna, quæ ad ſenſorias operationes pertinet, ſcilicet ad videndum, audiendum, guſtandum, loquendum, odorandum, tangendum, &c. & hæc immortalitati non opponitur, niſi per accidens: altera eſt paſſibilitas, quæ de ſe ad corruptionem tendit, vt imminutio ſpirituum, diſperſio partium, organorum contuſio, ſeu diſſipatio, virtutis defectus: & hæc immortalitati opponitur. Poſt generalem reſurrectionem autem, omnia corpora tam bonorum, quam malorum, immortalia, & ſempiterna erunt: cum iſta tamẽ immortalitate ſtat prima paſſibilitas, non ſecunda: ſicut ergo Damnati ſentiẽt videndo viſiones horribiles, audiendo ſonum diſſonum, guſtando amaritudinem, ſentiendo ignem, frigus, fætorem, &c. Ita è contrario beati videbunt Chriſtum alios Beatos, aliaque pulchra corpora, audient cęleſtes cantus, & ipſi cantabunt, loquentur, odores ſentient, guſtabunt dulcia, tangent voluptuoſa, ad inuicem ſocietatem amicitiæ habebunt, & cętera huiuſmodi: Hæc enim paſſibilitas immortalitati (ſaltem ſupernaturaliter) non repugnat.

2 Primò ergo de ipſo Beatitudinis loco, deinde de operationibus Beatorum in ipſo, determinandum eſt. Quantum ad primum, Ciuitas cœleſtis (quæ & Empyreum Cœlum, ideſt igneum, à Theologis vocatur) ſic deſcribitur à D. Ioanne Apoſtolo in ſua Apocalipſi, *c.21. à ver.10. vſq; ad finem capitis. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum, & altum, & oſtendit mihi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de Cęlo à Deo, habẽtem claritatem Dei, & lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi iaſpidis ſicut cryſtallum, &c. Et qui loquebatur mecum habebat menſuram arũdineam auream vt metiretur Ciuitatem, & portas eius, & murum; & Ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quãta & latitudo; & menſus eſt Ciuitatem de arundine aurea per ſtadia duodecim millia, & longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia ſunt, & menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum menſura hominis, quæ eſt Angeli. Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide, ipſa verò Ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo; & fundamentum muri Ciuitatis omni lapide pretioſo ornatum, &c. Et Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit illam, & Lucerna eius eſt Agnus, &c.* Hæc Ioannes, additque duodecim Portas ex totidem margaritis; fluuium, lignum vitæ; & plura huiuſmodi.

3 Ex dictis primò quæri poteſt, vtrum hæc deſcriptio ſit Myſtica, vel Literalis. Licet autem myſticis non careat ſenſibus, vt & reliquæ ſcripturæ, attamen literaliter accipiendam eſſe iudico: nam nec Apoſtolus tam accuratè deſcripſiſſet, & milliaria circuitus eius dinumeraſſet, ſi ſolum figura fuiſſet. Deinde, cum poſt reſurrectionem; corporum humanorum habitaculum debeat eſſe, vt materiale ſit, neceſſe eſt. Hinc Conimbricenſes, *libr.2. de Cœlo, qu.1. art.2.* De Empyreo Cęlo ſic determinarũt. *Licet verò illud intelligibile dici ſoleat, propterea quod aſpectum noſtrum effugiat, ac ſolo intellectu nunc à nobis percipia-*

percipiatur; re vera tamen incorporeum eſt. ſuam que habet formam, materiam, & quantitatem, cum debeat glorioſis corporibus, vti diximus, domicilium præbere. Quæ ratio etiam ſuadet domicilium illud Beatorum corporum ea materiæ prætioſitate compoſitum, vt corporis ſenſus maximopere delectet.

4 Secundò quæri poteſt, an re vera hæc Ciuitas erit ſupra Cęlum Stellarum, vel infra; ratio dubitandi eſt, quia hic dicitur: *Vidi Ciuitatem Hieruſalem deſcendentem de Cęlo*, & paulo poſt dicit, Ciuitatem poſitam ſupra altiſſimum montum; *ſuſtulit me in ſpiritu, in montem magnum, & altum*. Ego autem (ſalua ſemper aliorum, & præcipuè Romanæ Eccleſiæ ſententia) æſtimo Ciuitatē hāc in inferiori Cęlo, id eſt aere, futurā, in cacumine magni montis, cuius ſummitas tantā planiriē habeat, quantus eſt Ciuitatis huius circuitus: & hoc mihi ſuadent primò verba Ioannis ſuperius relata: ſecundò verba Iſaiæ, *c.2.v.2.* dicentis, *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium*: purgato enim orbe, innouatiſque elementis, magnum aſſurgere montem poſſibile eſt, in quo Ciuitas hæc de Cœlo veniens conſiſtat. Nec obſtant ſcripturæ authoritates, quæ in Cęlo Beatorum ſedem eſſe aſſerunt, nam & aer (præſertim ad tantam altitudinem) appellatur Cęlū in ſcripturis, vt fuse ſuo loco, & euidentiſſimè probatum eſt; *Expoſit. lit. in verſ.2.§ 3.*

5 Tertiò quæri poteſt quanta enim huius Ciuitatis magnitudo. Licet namque Ioannem dicētem audiamus eam Angelum menſum eſſe per duodecim millia ſtadia, id eſt milliaria Italica 1500. & leuca Hyſpanica 500. Nihilominus dubium eſt, an hæc mēſura ſit ambitus totius Ciuitatis, vel vnius tantum partis; etenim cum quadrata deſcribatur, qui vnam partem metitur, metitur & reliquas. Qua in re duæ ſunt ſententiæ: Quidam, inter quos Cornelius à Lapide, putant ſpatium illud 1500. milliariorum eſſe ſpatium totius ambitus Ciuitatis, ita vt quælibet pars contineat ſtadia 3000. ſeu milliaria Italica 375. *Iam cum quadrata, & æquilatera ſit hæc Ciuitas, ſequitur quodlibet eius latus tam longitudinis, quam latitudinis, habuiſſe quartam huius numeri, & horum milliarium* 150. *partem, nimirum* 375. *Ergo hæc Ciuitas longa erat* 375. *milliaria Italica, & totidem lata. Eſt itaque tam longa, quam longum eſt iter, & diſtantia Neapoli Mediolanum, &c. Hoc eſt, quod ait Baruch. c. 3. v. 24. O Iſrael, quam magna eſt Domus Dei: & ingens locus poſſeſſionis eius: Hæc Cornelius, in c.21. Apocalipſ. pag.318. column.* 2. Oppoſitam ſententiam tuetur Alcaſar apud Tirinum; nam putat ſpatium 12. millia ſtadiorum ad vnum latus pertinere; totumque Ciuitatis ambitum continere ſtadia 48. millia, ſeu milliaria Italica 6000. ipſum referentē Tirinum (vt à Gloſſa maxima, *in Apocalipſ. c.21. pagin. 964. col.1. & 2.* adducitur) audiamus. *Tanta ergo longa eſt hæc Ciuitas, quam longa diſtantia ab Vrbe Hiſpali, ſeu finibus vltimis Hyſpaniæ, vſque Neapolim Campaniæ, inquit Alcaſar, additque, ad Vrbem tantæ longitudinis, & latitudinis requiri maiorem Ciuium multitudinem, quam quæ occupare poſſet vicies centena millia Vrbium Hiſpalim magnitudine æquantium; quæ ſi* 100. *m. incolarum contineat, continerentur in illa cæleſti Ciuitate pluſquam bis centena millia millionum Incolarum, &c. Etſi verò tantæ Ciuitatis capacitas pro ſymbolo hic aſſeritur ingentis, & quaſi innumeræ multitudinis ſaluandorum. Veriſimile nihilominus eſt, etiam ad literam vti ſonat, prorſus tantum ſpatij, quantum hic deſcribitur, à Sanctis in Empyreo Cęlo occupandum.* Hanc ſententiam, videtur ipſe Cornelius, *loc. cit.* probare, nam ait. *Alludit S. Ioannes ad Vrbis Hieroſolymæ ambitum, hic enim complectebatur quinquaginta ſtadia, quæ ſi in quatuor partes, ſeu latera diuidas, habebis pro quolibet latere duodecim ſtadia cum dimidio. Hunc numerum Ioannes per mille multiplicauit; ait enim, quodlibet Ciuitatis huius cęleſtis latus, continere duodecim millia ſtadia.* Hæc cùm priùs dixiſſet, paulò poſt, contrarium, nullo niſus explicat fundamēto: Quare mihi ſententia Alcaſar maximè probatur.

Cui etiam conſentit Nicolaus de Lyra, *in cap.21. Apoc.* his verbis *Propter quod dicendum quod iſta* 12. *millia menſurant vnum latus huius Quadri, & per conſequens totum ſpatium continet duodecies* 12. *millia &c. & totus ambitus eius* 48. *millia ſtadia*.

6 Ex his oritur difficultas. Ioannes enim primò ait; *longitudo & altitudo eius æqualia ſunt*: ex quo ſignificatur mænia Ciuitatis tantam habere altitudinem, quāta eſt ciuitatis longitudo; deinde in numerandis menſuris, dat altitudinem iiſdem mænijs ſolùm 140. Cubitorum. Et reuera prior menſura diſformis eſſet, vt eleuaretur murus per 12. millia ſtadia. Ad quam difficultatem optimè reſpondet Nicolaus de Lyra *loc. cit.* quòd murorum altitudo ſit tantum cubitorum 140. illa verò altitudo, quæ æqualis longitudini dicitur; ſcil. 12. millia ſtadiorum, ſit altitudo illius montis; in quo fundabitur illa Ciuitas; nam purgato terrarum orbe, & noua figura, meliorique forma decorato, hic mons in vertice conſurget montium. Ipſum audiamus. *Et menſus eſt murum eius centum quadraginta cubitorum. Hic accipitur menſura muri ſecundum eius altitudinem, quæ eſt multò minor, quam eius longitudo: & ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum: & ſecundum hoc altitudo montis, in quo deſcribitur hæc Ciuitas tanta eſt* 12. *millia ſtadiorum, ſicut longitudo ſpatii, & eius latitudo*. Altitudo ergo Ciuitatis, adnumerato monte eſt ſupra terram 12. millia ſtad. murus autem Ciuitatis ſine monte, 140. cubitorum ſolummodo.

7 Quartò, & vltimò quæri poteſt, Vtrum in illa cæleſti Ciuitate erunt vſus ſenſuum corporalium, Amicorum familiares conſuetudines, & reliqua huiuſmodi, quæ ad vitam humanam neceſſaria iudicantur. Quantum ad primum de Viſu, certum eſt oculorum vſum ibi futurum; nam ad quid donum claritatis deſeruiret ſi nullus eſſet oculorum vſus? vnde D. Auguſtinus *lib.13. de Ciu. Dei tom.5. cap.22. pag. 241. lit M. Durum eſt dicere quod ſancti talia corpora tunc habebunt, vt non poſſint oculos claudere, aut aperire cùm velint, &c.* & poſt nonnulla ſubditi, *ibid. lit. B. Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium ſuum, & in loco ſuo erunt, vt enturque illis Spiritus per ſpiritale corpus.* Cum ergo inter beati corporis dotes numeretur claritas, de qua Scotus *in 4. ſent. diſt.49. quæſt.15. in corp.* ait. *Claritas eſt quædam refulgentia, & addit ſupra lucem, & colorem manifeſtationem ſui: quomodo dicitur clara lux, clara veritas*. Quanta autem erit iſta claritas, poſſumus colligere ex *Mattheo cap. 13. verſ.43. Tunc Iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*, quam claritatem oſtendit in ſuo corpore Dominus in eodem Mattheo *cap.17. verſ.2 Reſplenduit facies ſicut Sol*. Ex quibus concludit D. Anſelmus Cantuarien. *In elucidario. tom.3. pag.243. col.1. lit. A. Porrò illorum ſpecioſitas erit vt Solis claritas, vt dicitur: Fulgebūt Iuſti ſicut Sol*. & poſt nonnulla ſequitur. *O Qualē voluptatem viſus ipſi habebunt, Quibus ſingula membra, vt oculus Solis erunt, qui Regem gloriæ in decore ſuo cernent &c. Idem col. 2. lit. C.* Ergo vſus viſus, & oculorum in Cœlis erit. De auditu autem habemus in Apocalipſi Ioannis. *cap.5. ver.* 8. *Vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes, Citharas, & phialas aureas &c. & cantabant canticum nouum &c.* vbi Cornelius a Lapide. *in cap.5. verſ 8. Apoc. pag. 109. col. 1. lit. C. Quintò ergo, & genuinè, & plane ad literam, per citharas primo per ſynedochen intelligere inſtrumenta muſica, puta organa, citharas, chelydes, tibias &c. quibus Sancti in corpore glorioſo pſallunt, & laudant Deum: hæc enim in Cælo forè inſinuat hic Ioannes, & cap.14. verſ.2. Corpora enim, & aures Beatorum, vti & reliqui ſenſus, ſuam in Cælo habebunt voluptatem, eamque ſummam*: Et addit D. Anſelmus loc. cit. *O qualis voluptas auditus illorum, quibus inceſſanter ſonent harmoniæ Cælorum, & concentus Angelorum, & organa omnium Sanctorum*. De guſtu autem ex comeſtione, & potu, hæc accipe ex D. Auguſtino *lib.13. c.22. de Ciuit. to 5. pag.117. lit. M.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam certo, & omnino inuiolabili munere immortalitatis induentur, vt non niſi velint, poſſibilitate, non neceſſitate veſcantur. Quod Angeli quoque viſibiliter apparentes, non quia indigebant, ſed quia volebant, & poterãt, vt hominibus congruerẽt ſuis miniſterijs, quadam humanitate, fecerunt. Neque enim in Phantaſmate Angelos ediſſe credendum eſt, &c. Sed ſi forte de Angelis aliud credibilius diſputari poteſt: certe fides Chriſtiana de ipſo Saluatore non dubitat, quod etiam poſt reſurrectionem, iam quidem in ſpiritali carne, ſed tamen vera, cibum, ac potum cum diſcipulis ſumpſit. Non enim poteſtas, ſed egeſtas edendi, ac bibendi, talibus corporibus aufertur. Hucuſque D. Auguſtin. Simul autem, & cum guſtu, olfactus quoque oblectamenta habebit; vt ſicut in inferno fætor erit intolerabilis, ita & in Cęlo ſuauiſſimus odor: de vtroq; ſenſu ita D. Anſelmus. *loc. cit. lit. C. Olfactio qualis, vbi ſuauiſſimum odorem de ipſo ſuauitatis haurient, & odorem de Angelis, & omnibus Sanctis percipient. Eia qualis voluptas guſtus, vbi epulantur, & exultant in conſpectu Dei.* & addit de tactu. *Voluptas tactus qualis, vbi omnia aſpera, & dura aberunt, & omnia blanda, & ſuauia arridebunt.* Tandem de motu inquit D. Auguſtinus. *loc. cit. c. 30 pagin. 241. lit. K. Qui motus illic talium corporum ſint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo, Tamen, & motus, & ſtatus, ſicut ipſa ſpecies, decens erit, vbi quod non decebit, non erit. Certè vbi volent ſpiritus, ibi protinus erit corpus.* Ergo, & vera erit illa Ciuitas, murum ex prætioſo lapide, domus aureas, portas margaritinas habebit, non ex ſublunaribus, aut ſubterraneis mixtis, ſed ad Dei præceptum de nihilo aſſurgens. Nam & ibi realia oblectamenta eſſe oportet, vbi realia erunt corpora, realem ſenſuum exercitium habentia. Nam & quod etiam naturaliter detur lapis ſicuti vitrum tranſparens, narrat Plinius *ap Cornel à Lap. loc. cit. Nerone Principe repertus eſt lapis in Cappadocia duritie marmoris, atque tranſlucens, etiam qua parte fuluæ inciderant venæ, ex argumento ſplengites appellatus.* Atque tandem ex huiuſmodi lapide columna reperitur, ad hunc vſque diem, Romæ in Eccleſia S. Mariæ in porticu. Hæc de æterna noſtra Patria, quam per Dei miſericordiam conſequi ſperamus, dixiſſe, ſit ſatis!

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

SIcuti in huius operis initio præfati ſumus, Intentio Prophetæ fuit laudem Diuini Numinis texere, ſumens encomii materiam ex rerum creatione; cum igitur, omnia Dei opera, vt vidimus commemoraſſet, vltimam partem Pſalmi, ideſt vltimos quinque, qui reſidui ſunt, verſus totos in Dei laudem impendit, excepto enim Verſu ſequenti, in quo terremotum tangit, in alijs nullus remanet Literalis ſenſus, qui Moralis etiam non ſit. In præſenti ergo deſiderium ſuum oſtendit, vt ab omnibus laudetur Deus, vt eius Æterna Gloria noſcatur, ametur, eique placere ſtudeant omnes; de quibus infra.

SVMMARIVM.

1 *Gloria Dei æterna; mundi vana, & tranſitoria.*
2 *Gloria bonorum operum Deo tribuenda eſt.*
3 *Opera noſtra bona ſunt per Dei gratiam; mala per noſtram malitiam.*
4 *Deus de Hominum ſalute lætatur.*

§. I.
Gloria Dei Æterna, Mundi vana, & tranſitoria.

1 S*It gloria Domini in ſaeculum.* Optimè Propheta ad laudandum Deum accdens, ab ipſius gloria exordium ducit, eamque ob id amandam eſſe commonſtrat, quia æterna eſt: quaſi dicat: Omnes Populi Principi ſuo vitam, opes, & gloriam optant, & votis ſuis petunt, putantes quidquid glorioſum eſt ſuo Domino, in propriã cedere dignitatem; ſi autem vitam tam breuem, opes tam labiles, gloriamque in ictu oculi pereuntem Homini mortali tã ardenter deſiderãt eius ſubditi, vt illius & ipſi ſint participes: quanto magis non Deo noſtro æterno, immortali, & omnipotenti, gloriam æteram deſiderare debemus, ideſt de ſua gloria lætari; præſertim cum illius gloriæ ſempiternæ cõparticipes nos fore ſperamus? ideo ex omnium voce Propheta ait. *Sit gloria Domini in ſaeculum;* non ametur mundi gloria, quæ cito tranſit, ſed illa Dei, quæ in æternum manet. quare ait Cardinalis Hugo *in Pſalm.* 103. *Bene enim dicit: Sit gloria Domini in ſaeculum, ideſt in æternum; ad differẽtiam gloriæ hominum, quæ cito tranſit.*

2 Domus illa magis duratura creditur, quæ firmius habet fundamentum; & quæ ſupra inſtabile fundamentum eſt collocata diuturna eſſe nullatenus poteſt. Omnis hominum vita, nec non & gloria, nihil aliud eſt quam paſtorale tabernaculum, dicente, & teſtante hoc potentiſſimo Rege (Ezechia videlicet Iudæorum Principe) Iſa. *c. 38. verſ. 12. Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum?* Porrò paſtorale tabernaculum ex paleis fit ligneumque fundamentum habet, ideoque facili negotio ruit. E contra verò Domus Dei glorioſa firmiter fundata eſt, vt quæ montes pro fundamentis habeat: *Fundamenta eius in montibus Sanctis:* Ea propter dum hæc Dei glorioſa Domus fundatur omnes exultant, Pſalm. 47. *verſ. 2. Fundatur exultat ione vniuerſæ terræ mons Sion:* quia gaudium huius Domus erit æternum, ſicuti è contra Mundi lætitia temporalis. Quare D. Ambroſius ait, *in Pſ. 47 to. 2. pag. 199. lit. F. Bene radicata exultatione lætamur, qui exultamus in Chriſto; ſaeculi enim lætitia temporalis eſt: perpetua autem lætitia eius, qui gaudet in Domino.* Æternam ergo Dei gloriam quæramus, deſpiciamus mundanam.

3 Hæc eſt mortalium omnium lachrymabilis ignorantia, vt æternitatis obliti, terrenam gloriam comparare numquam deſiſtant. Videmus namque hominem nulli labori parcere, inſomnes ducere noctes, Maria immẽſa metiri, pericula ſubire maxima, fame ſiti, nuditate, labore, vigilijs, anguſtiis, timoribus, anxietatibus corpus, Animamque vexare, vt magnam nummorum copiam congreget; quam congregatam vna die erogat, vt vel nobilitatem, vel titulum Principatus, vel quid ſimile emat; vnde de tot ſubſtantijs igne ambitionis exuſtis, ſolũ

ipſe

ipſe fumum haurit:& cum Dominus æternum proferat Regnum, de quo Angelus, Luc.*c.*1.*v.*33. *Regni eius non erit finis*, viliori equidem prætio comparandum, nemo eſt, qui vnum nummulum pro eo offerat, magis tranſitoria amant, quam ſempiterna. Hanc Mortalium dementiam, D.Petrus Chriſolog.*ſerm.*144.*pag.*303 *colum.* 1. ita deplorat. (nam dementia eſt credere Dei gloriã, & eam deſpicere.) *Qui eius Aduentum credis, gaude, quia Regnũ ſine fine promiſit; vbi eſt ſine ſucceſſione militia, vbi ſunt perpetuæ dignitates. Sed quid eſt, quòd permanſura non ambiunt, qui ambiunt tranſitura? Quod caducos honores auro comparant, & nolunt gratis accipere ſempiternos?* Expergiſce miſer, cum vitam tuam extremus clauſerit dies, quem venturum optimè noſti, nulla tecum nobilitas, nulla veniet Dignitas, nulla remanebit gloria, quam amaſti, niſi bonis operibus æternam gloriam comparaueris.

4 Æternum Deum, quem nulla tempora mutãt, quia per illa non tranſit, ſed in ſua perfectiſſima duratione perpetuò ſtat, vidimus in fine ſæculorum tranſitorium factum, temporis viciſſitudini ſubiectari, vnde de eo dicitur: *Pertanſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo.* Quare ergo ille, qui in ſua Diuinitate æternus ſtat, in noſtra humanitate temporalis tranſit? Vtique, vt nos eius Æternitatem, & temporalitatem contemplantes, ac vtriuſque differentiam deprehendentes, ad hanc deſpiciendam, illamque amandam facilius moueremur. Id, ni fallor, expreſsè demonſtratur apud Mattheum, nam tranſeunte Domino quibuſdam cęcis innotuit, *cap.*20. *verſ.*30. *Audierunt quòd Ieſus tranſiret, & clamauerunt dicentes: Domine miſerere noſtri Fili Dauid.* Quorum fidem intuens, ac eos illuminare volens, *verſ.*32. *Stetit Ieſus & vocauit eos.* Vbi aduertere oportet, quod tranſire ad Humanitatem pertinet, illuminare cęcos ad Diuinitatem, & ideo dum eos illuminat ſtat, vt tranſitu, ſtationeque penſatis, cognoſcamus Æternam gloriam amãdam, quę ſtat perpetuò, terrenam deſpiciendam eſſe, quę raptim tranſit: quæ ſpeculatio Sancti Patris Auguſtini eſt. *lib.*2. *qu. euang qu.*28. *tom.*4. *pag.*143. *col* 1. *Quia fides incarnationis temporalis ad æterna intelligenda nos præparat, tranſeunte Ieſu admoniti ſunt vt illuminarentur, at ſtante illuminati ſunt: temporalia enim tranſeunt, æterna ſtant.* Stare ergo non poterit, qui ſtantia non amat.

5 Ea propter de Chriſto loquentes homines, variaque de eius perſona ſentientes, errabant; nam temporalem redemptionem, ac terreni Regni gloriam expectantes, nil niſi humanum de Meſſia cogitabant, Matth. *cap.*16. *verſ.*14. *Aly Eliam, alii Ieremiam, aut vnum ex Prophetis*, Ieſum credentes: Benè homines vocati, qui tantum humana ſapiebant. Sed Dominus, vt innoteſceret quid ipſi Diſcipuli eius crederent, quidue ſperarent, æterna, vel temporalia; interrogauit, *verſic.*15. *Vos autem quem me eſſe dicitis? verſ.*16. *Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Quaſi diceret Petrus, vt Sanctus Leo Papa interpręṭatur. Caduca gaudia mundi, ac temporalis gloria decipit turbas, quæ æternitatem non amant, & ideo te ſolum hominem credunt, à quo temporalia ſperant; nos verò, qui tui diſcipuli ſumus (vt Religioſos decet) æternam gloriam tantũ concupiſcimus. *Breuia, & caduca ſunt*, ait ille, *ſer.*2. *de Annis pagin.*2. *column.*2. *terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos, à ſemitis vitæ conantur auertere. Fidelis ergo, & Religioſus animus ea, quæ ſunt Cæleſtia, concupiſcat.* Ne ergo decepti pereamus, amemus æterna, caduca deſpiciamus.

§. II.

Gloria bonorum operum Deo tribuenda eſt.

1 *Sit Gloria Domini in ſæculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis.* Nos omnes, qui virtutibus incumbendo boni aliquid operamur, nil aliud quam Dei inſtrumentum ſumus, ſine cuius gratia, vt ipſemet docet, nihil facere poſſumus. Porrò ſicut Artifex aliquis cum optimum ſuæ artis inſtrumentum conſtruxerit, & operi ad votum correſpondere experitur, lętatur de ſui bonitate inſtrumenti; ita Deus cùm noſtra bona intuetur opera de illis lętatur. Verum ſi inſtrumentum illud diceret, iactando ſe: ego bonitatem meam à meipſo habeo, nihil Artifici debeo; non lætaretur Artifex, imò triſtaretur, quòd debita ſibi gloria à vili inſtrumento ſubriperetur: ita cum nos de bonis operibus noſtris Deo gloriam non tribuimus, non lætatur Deus, qui alteri ſuam gloriam dari non patitur; vt ait Cardinalis Hugo, *in Pſal.* 103. *Niſi enim Deo detur gloria, non lætatur Dominus in operibus quantumcumque bonis.* Vt ergo Deo lætitiæ cauſam præbeamus, ei gloriam, quę ſua eſt, demus, cum Propheta dicentes: *Sit gloria Domini in ſæculum.*

2 Gloriabatur Dominus de ſeruo ſuo Iob, quem ſanctiſſimum eſſe, & patientiſſimum in tribulatione ſtetiſſe noſcebat; & ideo lætabundus Aduerſario dicebat: *capit.*2. *verſ.*3. *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Sed cum tandem timeret Dominus, ne poſt tot victorias, & iniurias fortiter toleratas, ſuperbiret Iob, quaſi fortitudine ſua id feciſſet, nec Deo gloriam daret, ipſum exemplo erudire voluit, dicens: *cap.*38. *ver.* 35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi; Adſumus?* Sed quæ iſta ſunt fulgura rationaliter operantes, quæ poſt Dei mandata ſeruata ipſi denuo ſe ſiſtere ſciunt? Certè de materialibus fulguris intelligendum non eſt, ſed de ſpiritualibus: Fulgura ergo Sancti Prædicatores ſunt, qui ad inſtar Fulgurum, & voce tonant, & miraculis coruſcant; ſed ad Deum iterum reuertuntur, quia & Prædicationis energiam, & miraculorum ſplendorem, non ſibi, ſed Deo omnium bonorum Authori tribuunt: vt interpræṭatur D.Gregorius Magnus, *lib.*30. *cap.*2. *moral pag.*980. *lit. A. Vadunt enim Fulgura, cum Prædicatores miraculis coruſcant, & ſuperna reuerentia auditorum corda transfigunt. Reuertentia verò dicunt; Adſumus, cum non ſibi, ſed Dei viribus tribuunt, quidquid ſe fortiter egiſſe cognoſcunt. Reuertentes igitur Prædicatores Sanctos dicere, adſumus, eſt illi laudem tribuere gratiæ, à quo ſe acepiſſe ſentiunt victoriam pugnæ.* Quia verò Iob haud ſine Dei auxilio vicerat Sathan, Fulguri aſſimilari iuſſus eſt, ei gloriam victoriæ ſuæ tribuendo.

3 Anima illa verè ſancta, & Deo digna, quæ in Deum referre ſuarum virtutum merita nouit; quæque cum ab ipſo laudatur in eum laudem retorquet, vt de operibus ſuis ille lætetur, qui incrementum dedit. In ſacris Canticis ſcriptum eſt, quòd Sponſus Cęleſtis de Animæ ſanctæ virtutibus delectatus, ipſam laudauit vbera ſua, potentias ſcilicet, vnguentis ſuauiter fragrantibus comparando, *cap.*1. *verſ.*1. *Meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis:* quaſi diceret. Ita redolent virtutum tuorum merita, vt vnguenta ipſa fragrantiſſima, & ſuaueolentia ſuperent. Sed Sponſa illa Cęleſtis, quæ optimè nouerat illas virtutes, ſine Deo adiutore minimè ſe comparaſſe, in ipſum eorum gloriam refundens, reſpondit, *v.*2. *Oleum effuſum nomen tuum, ideo Adoleſcentulæ dilexerunt te.* Quid mirum ſi Animæ Sanctæ virtutibus redolere videantur, cum tu ſuauitatem tuam velut oleum ſpargens eorum corda repleuiſti? odor iſte,

quo

quo delectaris ex te eſt, opera de quibus lætaris, tua ſunt; tibi gratias agimus, te laudamus, qui nos dignas feciſti Sancti Nominis tui portare ſuauitatem. Eleganter id proſequitur D. Bernardus, *ſerm. 14. in Cant. pag. 595. lit. H. Non recordamini in Sponſæ vberibus extremam commendatam eſſe ſuaueolentiam vnguentorum? Quid ergo conſequentius, quam vt eamdem fragrantiam Sponſa, ne ſibi arrogare putetur, de Sponſi beneficio recognoſcat? Quod vbera, inquit, mea ſic redolent, & ſic placent, nec ſtudiis nec meritis adſcribo meis; ſed tuæ, o Sponſe, tribuo largitati, de oleo vtique effuſo nomine tuo.* Solus ergo Deus de ſua gloria lætari debet, cuius omnia fiunt potentia; nos verò de ſua, non de noſtra gaudentes gloria, beatitudinem conſequemur.

4 Exemplum huius in Leuitico habemus. Præcepit Dominus, quod omne ſacrificium Domino oblatum de ſimila Sacerdotis offerentis eſſet, his verbis, *c. 7. ver. 9. Et omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in Clibano, & quidquid in craticula, vel ſartagine præparatur, eius erit Sacerdotis à quo offertur.* Quare autem ſacrificium, quod à Populo offerebatur Sacerdoti manebat, cur non ille comedebat, qui dederat? Vt cauſam inueſtigemus obſeruandum eſt, quod ſacrificium perficiebatur à Sacerdote: nam oblatio illa ſimilæ à Laico facta, non erat ſacrificium, nec Deo grata, & acceptabilis; meritò ergo, in illius cedebat vſum, qui ei vltimam dabat formam. Omnis noſtra bona operatio ſine gratia Dei meritoria non eſt, nec laude digna, & ideo ait Rupertus, in Dei gloriam cedere, & eius tribui laudi debet, cuius fauore perficitur, *lib. 1. cap. 34. in Leuit, tom. 1. pagin. 307. columm. 1. Quia videlicet iuſtum eſt apud Dominum, vt qualecumque opus bonum quis fecerit, ſiue in clibano coniugali, ſiue in craticula viduali, ſiue in ſartagine virginalis propoſiti, eius gloriæ ſit, cuius inſtinctu, vel commonitione hoc egit.*

5 In hoc autem Victima, ſeu ſacrificium commune ab Holocauſto differens erat. Quod victima partim ab offerentibus, partim à Sacerdotibus comedebatur: Holocauſtum verò totum Deo oblatum igne abſumebatur, ita vt nil eius remaneret. Victimam ergo offert; qui bona quæ agit partim Deo, partim ſuo labori adſcribit: at ille Holocauſtum offert, qui totum opus, Diuino amore conſumptum, Deo tribuit: quatenus ſe nihil poſſe cognoſcens, virtutum ſuarum merita Dei gratiæ cooperanti donat: nam hæ leges erant Holocauſti, vt totum conſumeretur igne Leu. *c. 6. v. 10. & 11. Hæc eſt lex Holocauſti: cremabitur in Altari tota nocte, &c. vſque ad fauillam conſumi faciet*: ex quibus colligit Rupertus, *loc. cit. c. 30. pag. 304. col. 2. Optimum eſt modo ſupradicto facere holocauſtum, quod dicitur totum incenſum; id eſt opus bonum in amoris igne probatum, non ſibi ſed Deo tribuere totum; fugere ventum gloriæ popularis.* Porrò cum Deus de hoc Holocauſto maximè delectetur, ipſum ſemper offeramus.

6 Euangelicus ille familiæ Pater cum in longinquam regionem proficiſceretur, ſeruis ſuis diſtribuit nummos ſuos, vt in ipſis lucrarentur, vnicuique ſecundum propriam virtutem talẽtorum numerum tribuens, vel quinque, vel duo, vel vnum. Peracto autem itinere, ac ad ſua reuerſo Domino, qui boni ſerui erant, non ſolum ipſam pecuniam, ſed & lucrum ex ea proueniens Domino fideliter tradiderunt: vnde eos laudans ille dixit ſingulis, Matth. *c. 25. v. 21. Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Attentè autem conſiderandum eſt, in quo conſiſtat iſta bonitas, iſta fidelitas à Domino ſic commendata; non equidem in alio, quam in eo, quòd totum lucrum deputauerunt ei, & tribuerunt eius talentis, non propriæ induſtriæ, quidquid lucrati ſunt; nam cum ipſa induſtria prætio æſtimabilis ſit, diceret fortaſſe ſuperbus lucrum iſtud mea induſtria partum eſt, eius particeps eſſe debeo. Quicumque autẽ fidelis, & bonus eſt, nil ſibi, ſed totam lucri gloriam Domino tribuit, & iſte laudatur à Domno; quia operum noſtrorum gloria Dei eſt, eique debetur; quod monet D. Valerianus Cemelienſis Epiſcopus, *Hom. 11. pagin. 741. columm. 2. Ita Dominus laudatur in ſeruo bono: ſeruus bonus prædicatur in Domino. Vnde cauendum eſt, ne quando quod ad gloriam boni operis pertinet noſtris virtutibus adſcribamus: ſcientes, quod non per iactantiam victoria corona componitur, ſed per fidem, & confeſſionem Dominicæ paſſionis, quibus reſpondent bonorum operum ſtudia.* Fruſtra laborat qui non Domino, ſed ſibi laborat; cum ille ſeruus remuneretur, qui totum lucrum Domini talentis attribuit.

§. III.

Opera noſtra bona ſunt per Dei gratiam, mala autem per noſtram malitiam.

1 *LÆtabitur Dominus in operibus ſuis.* Hucuſque cauſam inſinuauimus quare bonorum operum gloria Deo debeatur, videlicet, quia per eius gratiam bona ſunt, nec ſine Deo bona inueniuntur. Nunc autem hoc manifeſtius exponendum eſt, & oſtendendum quomodo mala à nobis ſunt, noſtramque iniquitatem cauſam agnoſcunt, bona verò à Dei gratia proficiſcuntur. Et in primis apertè id docet Propheta in hoc verſu, dum ait; *Lætabitur Dominus in operibus ſuis*: obſerua loquendi modum: non dixit in operibus noſtris, ſed ſuis, quia à nobis mala tantummodo procedunt, bona verò à Dei gratia bonitatem habent; nam habitus charitatis, qui à Deo creatur in Anima, non datur tam ad ſubſtantiam actus, quam ad bonitatem actus, qui non procedens à charitate nec bonus, nec meritorius eſt. Aſſentitur Caſſiodorus, *in Pſal. 103. Non autem dixit in operibus tuis ſed ſuis. Nam opera tua, ſi mala ſunt, per iniquitatem tuã mala ſunt: ſi verò bona per gratiam Dei; Ideo dicitur: Lætabitur Dominus in operibus ſuis.*

2 Exemplum huius ex calamo petamus: dignum eſt enim, vt dum illo vtimur ad ſcribendum, etiam de illo diſcamus. Calamus ergo dum à manu ſuſtinetur, & dirigitur ſcripturam facit, ac ſcientiæ famulatur æternitati, quanta enim ſcimus ab aliis inuenta, vel quæ ipſi inuenientes aliis tradimus ope calami exequimur, ſed totum bonum quod operatur calamus à dirigente habet dextera: ſi enim ab illa derelinquatur inutiliter iacet, & ſi attramento delinitus ſit, omnia conſpurcat, & deturpat. Sic omnis noſtra iuſtitia ex Dei manu, nos protegente, ac dirigente dependet, ſed ab eo derelicti nonniſi peccare valemus. Hanc veritatem edoctus canebat Pſaltes, Pſalm. *7. ver. 18. Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius*, nõ dixit iuſtitiam meam: ſed eius; quia omnis iuſtitia ex Deo eſt, iniuſtitia ſolum ex nobis; audiamus D. Auguſtinum dicentem, *in Pſ. 7. pag. 20. col. 1. lit. C. Verè Domine iuſtus es, quoniam, & Iuſtos ſic protegis, vt nõ per teipſum eos illumines: & peccatores ſic ordinas, vt nõ tua, ſed ſua malitia puniantur.* præmium non ſine Deo meremur, ſed pęnam noſtra malitia prouocamus.

3 Militiam vitam hominis Iob vocauit, & re vera militia eſt, in qua contra Hoſtem tartareum perpetuò pugnamus ſub inuicto Duce noſtro Ieſu. Porrò in militia obſeruatur, quòd ſi fortiter dimicante milite, & Duce optimè dirigente Victoria parta eſt, tota eius gloria Duci adſcribitur, ſine cuius directione militum labor nullus fuiſſet; quod ſi miles aliquis mandata Ducis trãſgrediens extra commilitum manum inuentus interficitur propria perit culpa. Ita nos dum aduerſarium vincimus ſub Deo Duce pugnantes gloriam Deo debemus, qui *ſemper triumphat nos in Chriſto*: ſed ſi noſtra malitia, à mandatorum ipſius obſeruantia declinamus, noſtra culpa perimus. Idcirco Rex Sanctus cum de ſuorum operum bonitate loqueretur, Deo adſcribebat, dicens, Pſalm 118. *verſicul. 65. Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine*: De malitia autem peccatoris verba faciens,

illius

illius malitiæ deputabat, dicens, Pſalm.13. *verſicul.1. Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus: corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt:* quia videlicet ſine Deo pugnantes, in hoſtium inſidias eecidere. Quam loquendi diuerſitatem D.Valerianus obſeruans, ait, *loc.cit.pagin.740.columm.2. Omnia itaque laborum inſignia ad Deum referenda ſunt, ne Sancti Spiritus dona reſcindat. Nimiæ autem præſumptionis eſt vitium Imperatore pugnante, militem ſolum palmam velle reportare victoriæ. Sanè ſi vultis, poteſtis cognoſcere, cui bona, cui mala debeant imputari, Propheta dicente. Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine: Item alibi: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. Videtis ergo, quod bona noſtra Diuinitati debemus adſcribere: mala autem humanis moribus imputare.* Ipſe ſe perimit, qui ſine Imperatoris iuſſu, ac directione, pugnare præſumit.

4 De hac ſui appetitus contumacia quærebatur Apoſtolus, dicens, *Rom.cap.7. verſic.19. Non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago.* Scilicet Quamuis bona proſequi velim à me ipſo ſolo ſine Deo bonum operari non poſſum; ſed malum etiam animo nolente rebellis ſequitur appetitus: nam bonum nobiſcum ſimul operatur Deus, malum verò ex noſtra malitia, prauaque conſuetudine deriuatur; Quod fatetur D. Athanaſius, *in Epiſt.ad Rom.pag.14. Quis igitur malum hoc operatur? Praua certè, & peccatis aſſueta voluntas: quam non ex Deo eſſe opifice conſtat, ſed ex noſtri animi motu quodam & impetu. Nam aliquid velle ſimpliciter eſt Dei opus; velle autem mala noſtræ mentis eſt vitium.* Peccatores facti ſumus aſſiduitate peccandi; & ita appetitus noſter deprauatus eſt, vt ſine auxilio Dei in omnem turpitudinem labitur, caditque frequentiſſimè.

5 Cum multa bona opera, à ſe facta recenſuiſſet Pſaltes, concludit tandem, Pſalm.25. *verſ.7. Vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua:* Quid eſt autem audire vocem laudis? Ergo & Sanctus Propheta ſibi tribuere gloriam bonorum operum volebat, deſiderans eorum laudes celebri encomio decantatis audire? Nequaquam hac dementia capiebatur vir rectus, ſed audire cupiebat vocem laudis non alieni cordis, ſed proprii, volebat enim ſuum cor vera ſentire, ſcilicet, ſe ſolius peccati parentem eſſe, bonorum verò Deum, & propterea ſoli Deo laudes canere, ipſumquæ commendare. Qui ſenſus D.Auguſtini eſt, *in Pſalm.25.enarr.2.pag.51.lit. A.colum.2. Ergo quid eſt audire vocem laudis? Audire vocem laudis eſt intelligere intus, quia quidquid in te mali eſt in peccatis, tuum eſt: quidquid boni in iuſtificationibus Dei eſt: ita audis vocem laudis, vt non te laudes quando bonus es.*

§. IV.

Deus de hominum ſalute lætatur.

1 L*Ætabitur Dominus in operibus ſuis:* Ex dictis facilè deducitur cauſa lætitiæ Dei; nam cum opus Dei nos ſimus, & noſtrarum virtutum ipſe ſit Author, cum nos ab errore ſolutos, & gratiæ reſtitutos videt, lætatur vtiq; Perderat namque crudelis hoſtis humanum genus, à Deo alieni viuebant homines, ſpes Gloriæ euanuerat, nonniſi malorum æternitas homines expectabat; poſtquam autem peccatum Chriſti nece deletum eſt, lætatur Dominus, non tam de ſua adoratione cupidus, quã de noſtra ſalute ſollicitus, vt monet Diuus Ioannes Chriſoſtomus, *in Pſalm.103. Cum homines eo errore, quo omnes implicati erant, liberati ſunt, ac Dei cognitionem ſuſceperunt, Deus oblectatur, non quia adoratur, ſed quia homines ſalutem conſequi videt.*

2 Præcipua verò Dei lætitia inde oritur, quòd ſalutem noſtram ipſe operatus eſt, noſtra conuerſio eius opus, qui vt nos glorificaret humiliatus eſt, vt nos ſaluaret eſt paſſus. Si ſtrenuus aliquis Imperator hoſtibus pulſis Ciuitatem ſuam paci reſtituit, cum videt Ciues ſuos pace frui, tutò incedere, beatè viuere, lætatur & ipſe, & cum pax illa, quieſque celebratur, gaudet, quia opus ſuũ laudatur. Deus autem, & Dominus noſter pacem mundo attulit, gratiam dedit, gloriæ portas aperuit, ſed non ſine magno labore, & induſtria; cum ergo homines ſaluos videt, gaudet: & cum eius me moratur triumphus, quaſi ſacrificium laudis ſibi gratiſſimum accipit; quare Propheta hanc Deo gratam Hoſtiam laudis ſcilicet propter opera ſalutis noſtræ offerre non negligebat, Pſalm. 26. *verſic.11. ſecund.70. Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius Hoſtiam iubilationis.* Quæ iubilationis Hoſtia nil aliud eſt, quam laudatio operum Dei commemorando ſalutem noſtram, eius labore, & ſanguine comparatam; Eapropter D. Auguſtinus ait, *in Pſalm.26.pagin.53. columm.1.lit.C. Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis; id eſt, conſideraui orbem credentem in Chriſtum, & in eo quod pro nobis temporaliter humiliatus eſt Deus, gaudens laudaui eum; tali enim Hoſtia delectatur.* Gratus ergo Deus eſt, quicumque ſalutem noſtram commemorans, Deumque laudans, cauſam præbet ei lætitiæ.

3 Hæc lætitiæ diuinæ magnitudo ex oppoſito melius cognoſcetur; tanta enim eſt lætitia de recuperatione rei perditę, quanta illius æſtimatio eſt, ac perditionis triſtitia. Cum charum aliquid perditur, triſtatur homo, & ſi famulum, vel filium perdidit indignatur illi, minas euomit, pęnas meditatur, eum ſi inueniat punire, perdere, iram ſuam in eum effundere minatur: at hæc omnia in eius recuperatione euaneſcunt: abit ira, recedit dolor, obliuio dantur pœnæ, vindicta nec memoratur, omnia hæc lætitia recuperationis conſumit. Perdit nos Deus cum peccamus, dumque ab eo alieni ſumus, æterno deſtinamur incendio, ira Dei in nos dentibus ſtridet, vt puniat, vt perdat: nam peccati reatus ſecundum Scoti doctrinam aliud non eſt, niſi ordinatio paſſiua ad pęnam æternam: ſed cum per pęnitentiam peccator redit ad Deum, omnia illi condonat præ lætitia clementiſſimus Dominus: nonne legimus in Euangelio, Luc.cap.15.v.1. *Erant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores vt audirent illum:* Quos murmurantibus licet Phariſeis, & Scribis, admittebat, mundabat, lætabatur, nec inferebat pęnam, ſed gratiam, qui de eorũ recuperatione gaudebat. Acutè id vidit Chriſologus, dicens, *ſermon 168. pag.392.col.1. Donat culpas, iram vertit in gaudium, dolorem mutat in gratiam; quicumque inuenit, quod amiſit. Recipit peccatores Deus, ſed peccatores non ſinit: Peccator Deum non violat appropinquans; Deus peccatores purificat cum propinquat, &c. Iucundius eſt nobis inueniſſe perdita, quam non perdidiſſe ſeruata.*

4 Id præcipuè in Matthei conuerſione patuit, in cuius domo, poſtquam ad Deum conuerſus eſt, ipſi Chriſto, & peccatoribus multis conuiuium paratum eſt: *Ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu:* Sed quodnam erat conuiuium Ieſu, quo paſcebatur cibo? Illud vtique [illegible] delectabat, ille paſcebat cibus, qui Patrem in reditu filii epulantem delectat: obſerua in tali caſu epulantem, videbis conuiuas omnes haud ſegniter cibos conſumere, auidèque potare; ſed ipſe Parens in Filium oculos figens, non aliud epulum quam de eius reditu lætitiam capit; ipſum gaudium ei cibus eſt. Ita Ieſus ſedebat quidem ad menſam, ſed cibis terrenis non veſcebatur, ſatis illi ad paſtum erat Peccatoris conuerſio; en tibi eiuſdem Chriſologi ſenſum, *ſerm.29.pagin.273.columm 2. Diſcumbebat Ieſus plus in Matthei mente, quam ſignante, & epulabatur non cibis, ſed reditu peccatoris.*

5 Et quid erat cantus ille, illa ſimphonia, illa exultatio, quæ epulante in filii reditu Patre prodigi, exhibita eſt, niſi vox exultantis Eccleſiæ, omneſque Chriſti Fideles ad Dei laudem excitantis in peccatorum conuerſione? Certè per os Pſalmiſtæ canit Eccleſia, Pſalm.99. *ver.*

1. Iubi.

Digitized by Google

1.*Iubilate Deo omnis terra*:vt de tot hominum ſalute,de tot perditorum filiorum reditu, de tot peccatorum conuerſione lætetur Deus,ipſomet teſtante Chriſologo,*ſer. 6.pag.251.col.2 Quoniam redeunte Filio iuniore familia tota choros egit,cœleſtem cecinit ſimphoniam, conuenit & nos hodie Pſalmum canere,dare timpanum, ponere organum, citharam tangere, & ad tantum Dei Patris gaudium melodiam Dauidicam perſonare: Iubilate, inquit, Deo omnis terra.* Quãdoquidem tota cæleſtis curia gaudet,Angeli canunt, Sancti iubilant, Deus ipſe lætatur; gaudeamus & nos, & perſonantibus organis cantemus: *Iubilate Deo omnis terra.*

6 Cum accepto vulnere lethali decumbit quidam, & dum deſperata ſalute, potius de funere cogitat, quam de vita,Expertus adueniret Chirurgus,qui ſuæ ſcientiæ periculum faciens,cum à morte liberaret,ſanitatique reſtitueret:teneretur,recuperata,& firmata valetudine,æger ille ſuum exponere periculum,vt ex morbi,vulneriſque peximo ſtatu, Chirurgi ſanantis virtus magis eluceſcat; Quòd ſi ille,vel vulnus negaret,vel minueret periculũ, nonne totum id quod ęgritudini tolleret,detraheret Medico?equidem ita eſt,nam dum leuis ſit morbus, Medici virtus minoratur. Quicumque ergo à peccatis maximis ad Deum conuerſus eſt, debet eorum grauitatem cunctis aperire,vt ſciant diuinæ miſericordiæ magnitudiné, qui ſicut Chirurgus dum acerbitatem morbi, & ſuam curam commendare audit,gaudet,ſic Deus, cum noſtrã infirmitatem publicamus,lætatur.Id diligenter obſeruabat D.Paulus Apoſtolus(cuius hac ipſa die,qua hęc ſcribo Conuerſionem Eccleſia celebrat) qui publicè prædicabat:1.*Tim.c.1.v.13. Qui prius fui blaſphemus, & perſecutor,& contumelioſus.* Quod vt etiam alia ex ſcriptura oſtendatur,Pſaltes accedat,qui canit, Pſalm.75.*v.10. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Cogitatio hominis quæ confitetur,patet quòd ſit confeſſio: ſed quæ eſt iſta cogitationis reliquia,que tantam Deo celebrat ſolemnitatem?Nil aliud niſi continua ſui peccati, à quo liberatus eſt,manifeſtatio,vt faciebat Paulus,vt lætetur Medicus Cęleſtis,dum virtutem ſuam in noſtra ſalute impenſam audit commemorari.*Quæ eſt cogitatio*(ait D.Auguſtinus,*in Pſ.75.pag.340 col 2.lit.C.D.)quæ confitebitur? quæ damnat vitam priorem, cui diſplicet quod erat, vt ſit quod non erat;hæc eſt prima cogitatio. Sed quia ſic debes recedere à peccato prima cogitatione confeſſus Deo, vt non tibi recedat de memoria,quia peccator fuiſti; per hoc,quod peccator fuiſti,ſolemnia celebras Deo. Sed ſi oblitus fueris,à quibus peccatis liberatus ſis, non agis gratias liberatori, & non celebras ſolemnia Deo tuo. Ecce prima cogitatio confitens Sauli Apoſtoli,iam Pauli: Domine ait quid me iubes facere? Nõ deleatur de memoria tua cogitatio qua primo confeſſus es, ſint reliquiæ cogitationis in memoria,& quemadmodum repetit,quod ſibi donatum eſt Idem Paulus Apoſtolus alio loco: Qui prius,inquit, fui blaſphemus,& perſecutor,& iniurioſus*, & poſt pauca concludit Sanctus Doctor,*lit.E.F. Sint reliquiæ cogitationis,ne excidat à memoria qui ſanauit: vulnus te habuiſſe ſi oblitus fueris;non tibi erunt reliquiæ cogitationis.* Recolamus ergo peccata noſtra,& de noſtræ confeſſione ſalutis,*Lætetur Dominus in operibus ſuis.*

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Trigeſimuſprimus.

Dominus Gloriæ lætatur de MARIA, opere ſuo excellentiſſimo, in quo ſuauiter quieſcit.

LIcet perfectus Artifex de omnibus operibus ſuis, cùm ad votum Ideæ reſpondent, lætetur quam maximè, in opere ſuo tamen, quod perfectiſſimum, & excellentiſſimum agnoſcit, & maximopere gaudet, & in eo quieſcit; quod ſuæ Artis complementum putat. Hoc in Maria Virgine ab omnium Opifice rerum factum agnoſcimus, qui poſtquam propemodum infinita creaſſet opera, in nullo eorum quieuiſſe dicitur, ſed tantum in Sabbato, nam Sabbatum, quod interpretatur requies, Mariam ſignificabat, quam ſibi Dominus Reclinatorium, perfecta ſanctitate aureum, ad quieſcendum creauit; ſola Maria inter omnes creaturas Deo pleniſſima fuit, in ea Deus lætanter gloriatur, ſuauiter quieſcit, Diuo Bernardo referente,*ſer. 2.de Natiuitate Domini, pagin.1669.liter.D.Cum enim fecerit Deus opera omnia ſua valde bona, hoc melius fecit,conſecrans ſibi in ea reclinatorium aureum; in qua ſola ſe poſt tumultus Angelorum, & Hominum reclinaret, & requiem inueniret.* Eſt ergo Virgo Beata pulcherrimum Dei opus, de quo lætatur maximè, & in quo requieſcit.

Maria

Digitized by Google

Maria Virgo Opus magnum, in quo quieſcit Deus.

1 SOlent magni Principes, vt aliquando requiem habeant à Regni maximis occupationib., aliquem deliciarum locum conſtruere, in quo, & pomaria, & viridaria, & lacus, & pulcherrimi proſpectus adſint; In eum ſtatutis temporibus ſecedit Princeps, ac ſemotis ad tempus negotiis voluptati ſeruit, deliciis gaudet, & à laboribus quieſcit. Inſuper quum ipſe Princeps illum voluptatum locum fūdauerit, magis gaudet, & plenius quieſcit, tamquam in induſtriæ ſuę opere pulcherrimo, ſeque ipſe blanditur, oblectaturque. Idem (ablato quod imperfectum eſt) de Deo dicimus; cum ipſe tot, tantaſque creaturas creaſſet, in earum nulla lætari; ac plenè gaudere potuit, quia & in Angelis reperit prauitatem; & homo in peccatū lapſus eſt; neque aliæ irrationales creaturæ huic negotio aptæ fuiſſent: quid igitur fecit? Gen. c. 2. v. 8. *Plātauit Dominus Deus Paradiſum voluptatis*, ideſt Mariā, in qua omnes cœleſtes voluptates, omnes ſpirituales deliciæ repoſitæ ſunt, vt in ea requiem ſuam Dominus inueniret, quam in aliis creaturis minimè reperiſſet; & tāta fuit in hac Virgine deliciarum affluentia, vt Spiritus Sanctus, vt eam explicaret, vt admirabundus locutus eſt. Cantic c. 8. v 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* Quod in Virginis laudē dictū tradit D Bernard. *loc. cit. Hic locum voluptatis vterum Mariæ intelligo: in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus; de cuius deliciis Spiritus Sanctus admiratorio ſermone in amoris Cantico eructat: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens? Numquid in Angelis voluntatem habet Deus, in quibus ipſe reperit prauitatem; Numquid in conſtellatione, & ſcintillatione Stellarum, quarum aliæ conuertuntur in ſanguinem, aliæ cadunt de Cęlo, aliæ in tenebras obſcuranur? &c. Non eſt locus voluptatis niſi vterus Mariæ.* Nulla tantæ puritatis eſt Creatura, quæ Dei requies eſſe mereatur, niſi Maria.

2 Quòd ſi aliquando contingat Principem non cogitare de eundo, & requieſcendo in deliciarum loco, extimulant illum Aulici, vt ſepoſitis curis, & anxietatibus negotiorum, oblectetur aliquantulum; Sed neque tanta diligentia in ipſius Principis requiem tendit, ſed etiam propriam reſpicit, nam in Principis requie, quieſcūt & ipſi. Videbat Regius Pſaltes *Spiritum Domini ferri ſuper aquas*, ſeu, vt ex hebræo vertitur, *agitari ſuper aquas*; quia cum multas creaturas produxiſſet, in qua requieſceret non inueniebat; quare hortabatur ipſum, vt in locum deliciarum, vt in Mariam veniret, Pſalm. 131. *verſ. 8. Surge Domine in requiem tuam*: quaſi diceret veni iam Spiritus diuine, Incarnationem operare, requieſce in Maria: hoc autē, qui dicebat benè nouerat quantū quietis ſibi iſta Dei requies attuliſſet. Huc reſpexit Chriſippus dicens, *ap. Celad. in Iudith. fig. §. 14. num. 132 Surge Domine in requiem tuam; tua enim requies eſt Virgo, & Vterus tua requies*. Vere in Maria Spiritus Domini requieuit, qui Sanctitatis opifex, opus ſibi Sanctiſſimum ad quieſcendum fecit.

3 Hunc Dei in Virginis vterum deſcenſum deſcribens Propheta, ait Pſal. 71. v. 6. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*. Quid ergo nobis in hac figura niſi Dei requiem oſtendit? pluuia enim in vellus molliter cadit, & ſtillicidia ſtillantia, leniter ſuauiterque terram attingunt, vt ergo demōſtraret Dominum in Virginis vterum, tanquam ad deliciarum locum ad quieſcendum veniſſe, pluuiæ ſupra lanā, & ſtillicidio ſupra terram molliter cadenti aſſimilauit. Non erat in Virgineo vellere nodus peccati, qui cadentē Diuinitatis pluuiam arceret; non erat in mariana terra imperfectionum, aut vitiorum durities, quæ cęleſte ſtillicidium expelleret, ſed mollis erat per gratiam, delectabilis per ſanctitatem, voluptuoſa per virtutum delicias, aptus vtique locus ad Dei quietem. Peroptimè Richardus Victorinus, *in Pſ 71. Part. 2. pag. 128. colum. 1. lit. B. Verè ſingularis gloria Mariæ; deſcendet, ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram; haud dubium quod Chriſtus Ieſus. Ecce quis venit, ecce vnde venit, ecce quo requieuit, &c. Quomodo inquam deſcendit pluuia in lanam, ſtillicidia ſuper terram? Quomodo (Quæſo) niſi placidè, & quietè, vtiliter, & fructuoſe? Deſcendit ergo ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram: placidè in placidam, quietè in quietam ſuauiter in ſuauem, benignè in benignam, iucundè in iucundam.* Quia ad quieſcendum veniebat.

4 Sed ne aſſumptam loci deliciarum parabolam dereliquiſſe videamur, tandem obſeruandum putamus, quod cum quis locum voluptuoſum quærens, illum inuenit, maximè gaudet, & locum ipſum, quaſi mentis compotē, gratulatoriis, & affabilibus ſalutat verbis: ſalue diù deſideratum palatium, iucundum pomarium, voluptuoſum delicium: verè in te omnia inuenio, quæ ardenti concupieram deſiderio. Haud aliter, Maria inuenta, egit Deus. hoc indicat illa per Angelum ſuum ſalutatio, Luc. c. 1. v. 28. *Aue gratia plena*: Ac ſi diceret: Aue diù deſiderata, & ſollicitè quæſita Virgo, verè in te ſunt omnes illę gratię, omnes deliciæ, quę ad Deum lætificandum requiruntur. Iſidori Theſſalonicenſium Præſulis hæc ſpeculatio eſt, dicentis, *orat. 3. pag. 55. Nunc verò vbi vaſtiſſimum, & vires naturę ſuperans, apparuit Receptaculum, Virgo inquā, non intermiſſis celeberrima laudibus: nunciatur ei Aue: & ſalutatione hac ferè oſtenditur, naturā reperiſſe quod cupiebat. Quemadmodum & nos hac ſalutatione vtimur cū incidimus in amicos. Hæc verò vox rebus antea creatis quamdam nouam adiunxit naturam, hoc eſt gaudium. Propterea Creator gaudium creans, hodie gaudet.* Gaudet equidem ſe reperiſſe, ac produxiſſe opus illud ſuum excellentiſſimum, ſemper Virginem Deiparam, de qua lætaretur, in qua quieſceret. Gaudeamus ergo & nos, qui tanti gaudii participes ſumus; nam ex noſtra fragili humanitate tantum opus deſumptum eſt.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

HIs vtcumque de Dei Gloria, Lætitiaque viſis, iam nos allegoricus ſenſus vocat, vt ipſam Gloriam, & Lætitiam varias exhibentes figuras exhibeamus: De ſæculo hìc non agimus, ſed ad §. 3. Verſ. 5. remittimus Lectorem, ſic etiam de opere abundè ſupra dictum eſt; nunc harum duarum vocum hierogliphica, & ſymbola explicemus.

S V M M A R I V M.

1 *Quas res ſignet Gloria,& Glorificare.*
2 *De Lætitia,& lætari,ſeu gaudere allegoricè.*

§. I.

Quas res ſignet Gloria, & Glorificare.

1 SIt gloria Domini in ſæculum. Gloria eſt fama cum laude;& primò;Gloria interna ſponſæ,eſt opus factum ad Dei gloriam,non propriam: vnde Pſalm.44. v. 15. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*, vbi D.Baſilius, *in Pſ.44.pag.78.lit.C. Qui enim ſe probè adornat, & eũ orat;nihilque non molitur boni operis,non vt ſpectetur ab hominibus,ſed vt ſolius Dei oculis mereatur innoteſcere: hic gloriam omnem perinde ac filia Regis condidit intus.*

2 Gloria Sanctorum eſt Crux, vnde Pſalmus 149. v. 5. *Exultabunt Sancti in gloria*, & D.Hieronymus, *in Pſ.149.pag.180.lit.B. In qua gloria? Hoc ergo dico; exultabunt Sancti in Cruce.*

3 Gloria Dei ſunt opera noſtra bona, per quæ Deus glorificatur;ad quod faciendum inuitat Pſalmus 28. v.2. *Afferte Domino gloriam, & honorem*, & D.Baſilius inquit, *in Pſ.28.pag.55.lit.E. Quomodo autem nos, qui terra, & cinis exiſtimus, magno Domino gloriam offerimus? Gloriam quidem per bona opera, cum opera noſtra ſplendore probitatis irradiarint hominum oculis, ſi vt perſpectis operibus noſtris, homines glorificent Patrem noſtrũ, qui in Cælis eſt.*

4 Gloriam in puluerem deduci, eſt gloriari de rebus terrenis, vnde Pſalm.7. v.5. *Gloriam meam in puluerem deducas*, & D Baſilius, *in Pſ.7.pag.481.lit.F. Terrenorũ vero, & ſecundum carnem viuentium gloria in puluerem deduci dicitur: Qui enim ob terrenas diuitias gloriatur, &c. Is profecto gloriam ſibi conciliat, non quæ ad Cælum aſpiret, ſed in puluere permanentem.*

5 Gloria narium equi eſt Prædicatoris terror, qui peccatores conuertit, de quo Iob, c. 39. v.20. *Gloria narium eius terror.* & Magnus Gregorius, *libr.31.capit.12. moral. pagin. 1022. liter. C. Vnde, & hoc loco equi huius naribus Prædicatoris Sancti præſcientia, ac præſtolatio deſignatur. Sed gloria narium eius terror eſt, quia viſionem diſtricti Iudicis, quam iuſtus vehementer expectat, iniuſtus venire formidat.*

6 Gloria, quæ exurgit cum Pſalterio, & Cithara, eſt Chriſti caro reſurgens à mortuis, cuius paſſiones, & miracula prædicantur, de qua Pſalmus 56. v.9. *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium, & Cithara.* Et Gloſſa ex D. Auguſtino, *Ad gratulandum carnem alloquitur, dicens exurge gloria mea: exurge Pſalterium, caro diuina operans: exurge Cithara, caro humana patiens.*

7 Gloria Domini in nube, eſt Diuinitas humanata, de qua dictum eſt Exod. c.16. v.10. *Gloria Domini apparuit in nube*, vbi Gloſſ.interl. *In humana natura.*

8 Gloria eſt Iuſtitia, de qua intelligebat Iob, cum diceba t, c.19. v.9. *Spoliauit me gloria mea*, & D.Gregorius, *lib.14.c.16.mor.pag.627.lit.A. Spoliauit me gloria mea, ideſt iuſtitia ab infirmis ablata eſt, quæ ab eis auferri non poſſet, ſi medullitus inhæſiſſet: ſed idcirco tolli potuit, quia more veſtimenti exterius adhæſit.*

9 Glorioſus indigens pane, eſt vir doctus ſine Charitate, de quo Sapiens Prouerb. c.12. v.9. *Melior eſt pauper, & ſufficiens ſibi, quam glorioſus, & indigens pane*, vbi Beda, *in c.12. Prouerb.to.4.col.664. Melior eſt idiota, & ſimplex frater; qui bona, quæ nouit operans vitam meretur in Cælis, quam qui clarus eruditione ſcripturarum, vel etiam Doctoris functus officio, indiget pane dilectionis.*

10 Glorificare Dominum eſt patienter ferre perſecutionem; quod hortatur Propheta Iſai. c 66. v 5. *Glorificetur Dominus*, vbi D.Hieronymus, *lib.18 in Iſai pag.222. lit. D. Glorificatur autem nomen Domini, quando viderint homines perſecutorum ferociam noſtra frangi patientia.*

§. II.

De Lætitia, Lætari, & Gaudere allegoricè.

1 LÆtabitur Dominus, &c. Lætari, & Lætitia, notæ ſunt voces;& primò, millia lætantium ſub curru Chriſti, ſunt Sancti, & fideles in hac vita expectantes cæleſtem retributionem, de quibus Pſalm.67. v.18. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis in Sina in Sancto*, & D.Auguſtinus, *in Pſal.67. pag.234.lit.E. Ingentem itaque multitudinem Sanctorũ, atque Fidelium, qui portando Deum fiunt quodammodo currus Dei, ſignificauit hoc nomine, &c. millia lætantium. Spe enim ſunt gaudentes, donec perducantur in finem, quæ nunc expectant per patientiam. Mirificè autem cum dixiſſet millia lætantium, continuò ſubiecit; Dominus in illis. Ne miremur, quod lætentur, Dominus in illis.*

2 Sicut lætantes, vocantur Iuſti in hac vita, non lætãtes, quia in hac vita non datur vera lætitia, vnde de Eccleſia ait Propheta, Pſ.86 v.7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*, vbi D.Hieron. *in Pſ.86.pag.110.lit.B. Quare non dixit lætantium omnium habitatio eſt in te: ſed dixit ſicut lætantium? Quoniam in præſenti ſæculo quamuis aliquis Sanctus ſit, quamuis renunciet ſæculo, non habet perfectam victoriam.*

3 Gaudium Pharaonis de recognitione fratrum Ioſeph, eſt lætitia Eccleſiæ de conuerſione Hebræorũ, vnde cum dicitur, Gen. c.45. v.17. *Venerunt fratres Ioſeph, & gauiſus eſt Pharao, atq; omnis familia eius.* ſubdit D. Ambroſ. *lib de Ioſeph, c.13.to.1.pag.191. lit.D. Vnde hæc humanitas Barbaro, niſi vt illud oſtenderetur magnum myſterium, quoniam non inuidet Eccleſia cum redimuntur Iudæi, & Populus Chriſtianus hac adiũctione lætatur.*

4 Lætari manſuetos de laude Dei per os Dauid, eſt Proficientes, ex Profectorum victoria ſpem proficiendi augere, nam dicẽte Propheta, Pſ.33. v.2. *In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur*, ait D. Baſilius, *in Pſ.33.pag.67.lit.B. Quoniam ſine bello, inquit mea ſalus parta eſt, ex ſola oris mutatione, diuino auxilio deceptis inimicis, audiant manſueti, quoniam poſſibile, & ius eſt, qui ſunt quieti trophæum excitare.*

5 Lætitia ſalutaris Dei, eſt Aduentus in carne Filii Dei: quem petebat Dauid, canens, Pſ.50. v.13. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*, & D.Greg. *in Pſ.50.to.2.pag.1153. lit. A.B. Salutaris quis eſt niſi Dei, hominumq; mediator? &c. Huius ergo ſalutaris ſibi reddi lætitiam Dauid poſtulat, in quo omnis, ante aduentũ ipſius electus ſperabat.*

6 Gaudium, & lætitiã, quas ſibi Deum daturum dicit Dauid, eſt duplex beatitudo Sanctorum, videlicet corporis, & Animæ, v 9 *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam*, vbi citatus Greg. *loc.cit.pag.1150.lit.D. In eo autẽ, quod ait: Gaudium, & lætitiam; duplicem Sanctorum venerationẽ intellige, qui viſione claritatis in illa die, quãtũ cogitare nõ poſſumus illuſtrati, ſicut animarũ perfruentur beatitudine, ita etiã corporis veſtietur in corruptione.*

7 Lætari de munere Regis Babilonis, eſt de adulatorũ laude in vanã gloriã extolli; vt fecit Ezechias, Iſai. c.39. v.1. & 2. *Miſit Merodach Balam, filius Baladam Rex Babylonis libros, & munera ad Ezechiam. Lætatus eſt autem ſuper iis Ezechias*, & Lyranus *Per illum Regem Babylonis, qui miſit nuncios, & literas ad Ezechiam; ex qua miſſione Ezechias, licet eſſet bonus, & Sanctus lætatus fuit; & in vanam gloriam eleuatus; ſignatur Diabolus qui mittit adulatores ad hominem virtuoſum, ex quorum adulatione in gloriam erigitur.*

8 Lętari ſicut in meſſe, eſt bonos exultare de conuerſione malorum, vnde Iſaias, c.9. v.3. *Lætabuntur coram te ſicut, qui lætantur in meſſe*, & idem Lyranus. *Lætabuntur*

Digitized by Google

buntur coram te ſpirituali deuotione,ſicut qui lætantur in meſſe ex bonorum fructuum collectione.

9 Lætantes in meſſe ſunt Apoſtoli gaudentes de cõuerſione Gentium, vt in eumdem verſum Gloſſa *Apoſtoli lætabuntur coram te,ſicut qui lætantur in meſſe gentis,quam ad fidem colligunt.*

10 Exultatio oſſium humiliatorum, eſt poſſeſſio virtutum in Patria, ſine pugna vitiorum, de quibus Pſalm 50.*verſ.9. Et exultabunt oſſa humiliata: Animarum noſtrarum oſſa virtutes ſunt, quæ nimirum in hac vita humiliantur, quia aſſiduis tentationum impugnationibus turbantur. In æterna autem vita non ſolum inuictæ poteſtatis accipient fortitudinem,ſed etiam nullam vitiorum aduerſantium ſentient impugnationem,*ſubdit Idem Gregorius,*loc.cit.pag.*1151.*lit.A.*

11 Lætitiæ dies,in qua coronatus eſt Salomon à matre ſua,eſt dies incarnationis Æterni Verbi, Cantic.*cap.* 3.*v.*11.*Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius,& die lætitiæ cordis eius*,vbi D. Gregorius,*in cap* 3 *Cantic.tom.*2.*pag.*1209.*lit.A. Mater Chriſti Beata Maria eſſe creditur, quæ coronauit eum diademate; quia humanitatem noſtram ex ea ipſe aſſumpſit,ſicut in Euangelio recitatur; & hoc in die deſponſationis eius,& in die lætitiæ cordis eius factum eſſe dicitur,&c. In qua cum doloribus pro tempore viuens, de Redemptione noſtra vehemenetr exultauit.*

12 Lætitia, quæ eſt expectatio Sanctorum eſt Beatitudo æterna,de qua Sapiens,Prouerb.*cap* 10. *verſic.*28. *Expectatio Iuſtorum Lætitia*, vbi Nicolaus de Lyra, *Expectatio Iuſtorum lætitia,ideſt Beatitudo æterna,quæ habet annexam lætitiam.*

Verſus Trigeſimusſecundus.

הַמַּבִּיט לָאָרֶץ וַתִּרְעָד יִגַּע בֶּהָרִים וְיֶעֱשָׁנוּ׃

Verſio ex hebræo.	*Aſpiciens ad terram, & tremet; tangens in montes, & fumabunt.*
Vulgata editio.	*Qui reſpicit terram, & facit eam tremere; qui tangit montes, & fumigant.*
D.Hieronymus.	*Qui reſpicit terram, & tremet; tangit montes, & fumabunt.*
Nicetas.	*Qui deſpicit terram, & concutit eam, &c.*
Pagninus.	*Qui aſpicit terram, et tremit, tangit montes, & fumant.*
Verſio Syriaca.	*Increpat montes, ac fumant.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

NVlla eſt Tranſlationum diſcordia, verum ne literalis ſenſus inexpenſus tranſiret curioſam nobis, & vtilem de Terræmotu tractationem ſubminiſtrat. Cum autem hic terram Domino aſpiciente concuti, non de motu diurno ſecundum orbem ſuum, quem ſomniarunt cœcutientes, & indocti quidam Aſtronomi, quorum falſam opinionem reiecimus ſupra exponentes Verſum quintum; ſed de motu eius ſecundum partem, quo aliquæ partes eius agitantur, & tremunt accipiendum ſit, de huius motus cauſis, & effectibus agendum eſt.

SVMMARIVM.

1 *A quibus cauſis hic Terræmotus excitetur.*
2 *De variis effectibus Terræmotus.*
3 *De Terræmotibus totaliter ſupernaturalibus.*

§. I.

A quibus cauſis hic Terræmotus excitetur.

1 QVi *reſpicit terram,& facit eam tremere.* Verſu quinto iam explicato Terram immobilem fundatam docuit Pſaltes. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Hoc autem verſu,eam mobilem aſſerere videtur, vt quæ ad Dei aſpectum tremet,& commoueatur. Verum hæ duæ ſententiæ haud abſimiles ſunt; primo enim loco agitur de motu terræ totali, qui cum ſyderibus à ſacris literis tribuatur, omninò remouetur à terra: quidquid perperã philoſophãtes,nec Stellarũ mirabile artificiũ cõprehẽdẽtes,ſẽſerint quidã Aſtrologaſtri,nõ ſolum cõtra ſacras literas,ſed cõtra naturalẽ rationẽ. In hoc autẽ loco agitur de quodã terræ tremore,qui nõ toti terrę, ſed aliquib.eius partib.tota immota manẽte cõuenit; & cũ hũc motũ cõcedat,illũ neget Pſaltes;erroris cõuincũtur aliter ſẽtiẽtes. Fauet huic expoſitioni D.Iſidorus Peluſiota,inquiens.*lib.*4.*cp.*107.*pag.*476. *Quoniam id quod de terra dictum eſt: Nõ mouebitur in ſæculum ſæculi,cõferens cum illo: Qui reſpicit terram,& facit eam tremere putantur hæc duo loca contrarium ſignificare;ſcire debes,*

Terram concuſſum quidem iri, attamen non mouendam. Concutietur quidem, vt oſtendat timorem, quo Creatorem metuit, non autem mouebitur, vt oſtendat terminum, qui eſt fixus, ac ſtabilis.

2 Porro huius Terræmotus, ſeu concuſſionis duplex aſſignatur cauſa, Prima, & Secunda; Prima, & Vniuerſalis Deus, qui tamen ita medijs ſecundis cauſis concutit terram, vt etiam, non ſolum poſſit, ſed etiam quandoque ſe ſolo cõcutiat? & hoc videtur indicare Pſalmus, dũ diuinę inſpectioni tribuit Terræmotũ, vt detur intelligi tam facile eſſe Deo Terram commouere, ſicut eam aſpicere; dicente Eminentiſſimo Hugone, *in Pſalm.* 103. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere; quaſi dicat: Ita de facili facit terræmotum, ſicut reſpicit eam*. Secunda terręmotus cauſa eſt Aer infra terræ concauitates incluſus, qui cum egreſſum non inueniat, terram quatit, vt exeat; docet hoc Honorius Auguſtodunenſis Presbiter his verbis. *lib.* 1 *de Imag. mund. c.* 42. *tom.* 12. *Bibliotb. Colon. De his ventis fit, & Terræmotus; nam venti concauis locis incluſi, dum erumpere geſtiunt, terram horribili tremore concutiunt, eamque tremere faciunt.* Aer igitur incluſus in concauitatibus terræ, dum exire conatur cõcutit terram, vſquequo debiliorem locum nactus ipſum aperiẽs, exit cum eorum pernicie, quæ in iis locis ſunt.

3 Sed quæri poſſet, quomodo ſpiritus iſte, ſeu Aer intrat in terram. Eſt quorumdam opinio ibi ſpiritum generari ex exhalationibus ipſius terræ, & cum continuo ſic generetur, anguſtia loci agitatus quærit exitum. Sed hæc opinio totaliter vera non eſt, nec enim tanta ibi cogi poteſt exhalatio, vt tantam pariat ruinam. Seneca, *libr.* 6. *c.* 23. *nat. quæſt. pag.* 468. exiſtimat, ex opinione Calliſthenis aerem terram intrare per occulta foramina, quę ſub marì ſunt, & cum hæc poſtea ab aquis obſtruantur ſpiritus interclufus alias ad exitum vias ſibi facit. *Calliſthenes in libris, quibus deſcribit quemadmodum Helice, Buſiſque merſæ sũt, quis illas caſus in mare, vel mare in illas merſit, dicit id, quod in priori parte dictũ eſt. Spiritus intrat terram per occulta foramina, quemadmodum vbique, ita & ſub mari. Deinde cum eſt obſtructus ille trames, per quem deſcenderat, reditum autem illi à tergo reſiſtens aqua abſtulit, huc, & illuc fertur, & ſibi ipſi occurrẽs terram labefactat: ideo frequentiſſimè mari oppoſita vexantur. Quam eſſe huius mali cauſam, & ipſe conſenſio.* Huc uſque Seneca. His videtur ſecũdum Incognitum aſſentiri Prophetam; dicit enim, *in Pſalm.* 103. *Ad litteram terrã tremere facit Deus, quãdo virtute ventorum, infra terram incluſorum facit terræmotus.*

4 Cum ergo à ventis oriri terræmotum teneamus, & hos terram per occulta foramina ingredi: iuxta noſtrã, imò Salomonis, ni mauis Spiritus Sancti, ſententiam, hæc omnia optimè congruunt. Docuimus .n. pro veritate fõtes, & fluuios omnes ab Oceano oriri, & iterum per terræ meatus ad ſuas reuerti ſcaturigines; in his ergo locis, per quos Aqua terram intrat, exitura per fontes, quia cũ violentia currit, & ebulliendo ingreditur, ſimul cum illa rapitur aer, cui noua ſemper aqua ſuccedente, interclufus agitat terram; vnde expertum eſt illas terras ſæpe cõcuti, quæ circa mare an fractuoſos ſinus habent, vt Calabria, & Siciliæ Prouincia Vallis dæmonum, inter quas currunt præcipites aquæ, interque ſe occurrunt oppoſiti fluxus, Scillæ, & Caribdis nomine famoſi. Etiam obſeruatũ eſt, vt præter Authores, etiam experti homines mihi narrauere: cũ terræmotus ſunt oriũdi; Aerẽ ſupra terrã ita ſilere, ac ſi nulla eſſet Aura, inſuper purus eſt aer, & ſerenus, tranquillum Mare; Sol tamen obſcurus, ac obfuſcatus apparet. Hęc omnia Niceta referente accipiamus. *Theſ. Orth. Fid. lib.* 1. *c.* 26. *to.* 12. *Bibl. Col. pag.* 500 *lit. A. Cæterum terræmotus à Deo ideo fieri dicimus, vt hominib. terrorem incutiat, & ad ſaniorẽ mentẽ reuocet quẽadmodũ ipſe quoq. Dauides canit: Qui deſpicit terrã, & concutit eam: Philoſophi vero cauſam illorũ à ventis repetunt, ſi fortè cum è terra ſurſum feruntur contingat, vt flatus aliquis, velut extrinſeca quædã exhalatio ſubterraneis reſlãs ſeſe meatib. inſinuet. Qua etiã de cauſa ſerena tẽpeſtate terræmotus accidere, eaq. adeo frequẽtius loca infeſtare, In quib. mare rapidius fluit, telluſq. mollis, & laxa, cauernis, & cuniculis ſcatet. Porro Solẽ ipſũ terræmotus tempore tenebroſũ, & obſcurũ eſſe affirmãt: quia nimirũ ventorũ tũc in terrã remeare flatus incipit, à quo liquidior aer interius, & ſerenior efficitur.* Conſtat namq; puriſſimo aere minùs collucere Solem, nam niſi exhalationes, & vapores adſint, aer ex ſe non eſt ſuſceptiuus luminis. Habemus igitur vtramque terræmotus cauſam, Deum, & ventum in terræ viſceribus concluſum.

§. II.

De varijs effectibus Terræmotus.

DE Terræmotus effectib. loquens Senec. *lib.* 6. *c.* 4. *qu. natur. pag.* 662. ait. *Mille miracula mouet, faciemq. mutat locis, & defert montes, ſubrigit plana, valles extuberat, nouas in profundo Inſulas erigit.* Varios Teræmotus effectus à probatis acceptos authoribus, ſuis cuiuſque verbis, hoc §. enarrabimus.

1 *Tertia, & quinta poſt centeſimã olimpiadem* (Anno mundi 3063.) *per totum ferè annum tam crebri, tamq. etiam graues in Italia terræmotus fuere, vt de innumeris quaſſationib. ac ruinis villarum, Oppidorumq; aſſiduis Romæ nuncijs fatigaretur.* Paulus Oroſ. *lib.* 2. *c.* 13. *Hiſtor. to.* 5 *Biblioth. PP. Colon. par.* 1 *pag.* 347. *lit. B.*

2 *In Boſphoro Mitridate cerealia ſacra celebrante terræmotus adeo grauis repentè exorſus eſt, vt magna clades ex eo Vrbium, atque agrorum ſecuta narretur.* Idẽ *lib.* 6. *c.* 5. *pag.* 379. *lit. B.*

3 *Hunc terræmotum* (*Anno* 557.) *& alter tantæ magnitudinis inſecutus, quantæ, vt reor, numquã antea fuerat: nimirum quis ſit ex æſtuantibus aquis, ſaltentiſq. terræ perſeuerantia factus* Baron. *to.* 7 *Annal. pag.* 365. *lit. B*

4 *Tam horrendæ tunc terræ cõcuſſiones paſſim in multis Græciæ partib. acciderunt, vt ſuperfuſa maris vnda, multis per littora nebulis continuam labem attulerit. Et cum Locridis antea tractus, perrupto violenter iſthmo Inſulam, quæ Atalante nomen gerit, effecerit.* Salian. *to.* 5. *Annal. ad Ann.* 3628. *num.* 2.

5 *Septimo Regni Herodis, initio Veris, Iudæa magno terræmotu concuſſa, qualis non fuit in diebus Oziæ Regis Iuda.* Idem, *ad Ann.* 4023: *num.* 111.

6 *Pompeios celebrem Campaniæ Vrbem, in quam ab altera parte ſurrentinum, ſtabiarumque littus, ab altera Herculanenſe conueniunt, mareque ex aperto conductum amæno ſinu cingit, deſediſſe terræmotu, vexatis quæcumque adiacebant regionibus, audiuimus. Nonis Februarij fuit motus hic, Regulo, & Virginio Conſulibus.* Seneca *loc. cit c.* 1. *pag.* 460.

7 *Secundo anno Imperij Leonis ingens terræmotus, & conquaſſatio Antiochiæ accidit: anno autem ſexto, & quingenteſimo poſtquam nomen illi vrbi impoſitum grauiſſimus terræmotus accidit.* Euagrius, *Hiſtor. lib.* 2. *c.* 12. *to.* 6. *Biblioth. PP. Colon. pag.* 048. *lit. B.*

8 *Hoc anno* (1011.) *Conſtantinopoli fuit maximè horribilis terræmotus.* Baronius, *to* 11. *pag.* 28. *lit B.*

9 *Eodem anno* (1117.) *Apud Longobardiam magno terræmotu facto: & vt teſtati ſunt, qui nouere, quadraginta dierum ſpatio durante, plurima domorum ædificia corruerunt: & quod viſu, dictuq. conſtat mirabile, Villa quædam prægrandis mota eſt repente de ſtatu proprio, iamq. ab omnibus in loco longe remoto conſiſtere cernitur.* Idem *tom.* 12. *pag.* 76. *lit. D.*

10 *Hoc anno* (1169.) *quarta die Februarii in Vigiliis Sanctæ Agathæ circa primam horam eiuſdem diei: vehemens terræmotus, tanta Siciliam excuſſit violentia, vt in Calabria quoque, quæ circa Rhegium, oppidaque proxima ſentiretur. Catanenſium opulentiſſima Ciuitas adeo ſubuerſa eſt, vt ne vna quidem domus in Vrbe ſuperſtes remanſerit.* Idem *tom. eod. pag.* 390. *lit. D.*

11 Claudat hoc §. Alterius Terremotus narratio noſtro ſæculo ex aduerſo in Calabria facto, quod ita ex Recupito narrat Ioann. Steph Menoch. *centur.* 9. 5. *par. c.* 13. *pag.* 25. *&* 26. *L' Anno* 1638. *ſcoſſe particolarmente la Calabria. Furono da queſto terremoto non ſolo aſſorbite le*

Caſe,

Caſe, e le Chieſe, ma popolationi intiere. A Nicaſtro fu trouata vna donna morta con il Bambino viuo à canto, che dalle fredde poppe della madre procuraua di ſucchiare il latte per nudrirſi, &c. Vn Paſtore inſieme con la ſua gregge, che ſtaua paſcolando nel campo, fu dalla terra, che s'apri inſieme con le pecore aſſorbito, mà da vn improuiſo, e violento bollore d'acqua, che fuori proruppe, fu di nuouo gettato ſopra il piano della campagna. Ideſt *Anno 1638. concuſſit ſpecialiter Calabriam, ab hoc terræmotu non ſolum Domus, & Templa abſorpta fuerunt, verum etiam populationes integræ. Nicaſtri quadam mulier defuncta reperta eſt, cum infantulo viuenti prope eam, qui vt aleretur fruſtra frigida' Matris vbera contorquebat, vt lac ſugeret, &c. Paſtor quidam gregem ſuum paſcens in agro, fuit à terra repente dehiſcente, vna cum ouibus abſorptus; verum à repentina ebulliente aqua, quæ foras exijt, agro redditus.*

§. III.

De Terræmotibus totaliter ſupernaturalibus.

1 LIcet omnes terræmotus à Deo ſint, nihilominus, aliqui, qui præter naturales cauſas, ad malorum vindictam à Deo fiunt, propriè ſupernaturales ſunt. De his tres, aut quatuor inſigniores referam, cum omnes ſit fermè impoſſibile. Primus terræmotus diuinitus euenit ad puniendum Chore, Dathan, & Abiron, qui coniurauerunt contra Deum, & Moyſen: quem ita deſcribunt ſacræ literæ, Num. *c. 16. v. 31. Confeſtim igitur vt ceſſauit loqui dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderuntque viui in Infernum, operti humo.*

2 Secundus terræmotus, magnus, & multas orbis partes quatiens factus fuit miraculosè in Chriſti Domini noſtri morte, de quo ait Euang. Matth. *c. 27 v. 51. Terra mota eſt, & Petræ ſciſſæ ſunt*, cuius terræmotus etiam Ethnicos effectus obſeruaſſe refert Freculphius Epiſcopus *Chronic. to. 2. lib. 1 c. 6. to. 9. Biblioth. P P. colon. pagin. 495. lit B.* his verbis, *Quo tempore etiam in alijs Ethnicorum commentarijs, hæc ad verbum ſcripta reperimus: Solis facta defectio, Bithinia terræmotu concuſſa, in Vrbe Nicea, ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ in paſſione Saluatoris acciderunt.*

3 Itidem ad mortem D. Ioannis Chriſoſtomi vindicandam, terræmotum Vrbem Conſtantinopolitanam vexaſſe textatur Leo Auguſtus, apud Baronium, *tom. 5. Annal pag. 135. lit. C.* qui ait: *Terræmotum quoque factũ eſſe, quo Cubilis Imperatoris pars collapſa eſt, Leo Imperator in Encomio de Chriſoſtomo aſſeuerat.*

4 *In morte S. Arnulphi Sueſſionis Epiſcopi, ſub noctis medio Cella in qua iacebat mirabili tremore, & horribili fragore tertio cõcuſſa eſt, ita vt à fundamẽtis euertiq; videretur, & monachi cum famulis intolerabili perculſi timore, celleq; ruinã formidãtes, aufugere percuperent, &c. Sub prima enim quaſſatione B. Petrus Apoſtolus ad me venit; ſub altera quaſſatione cum multis Angelis S. Michael me inuiſit. Tertia concuſſione affuit Domina noſtra veræ miſericordiæ mater, multis ſtipata Sanctarum Virginum agminibus. Idem to. 11. pag. 423. lit. D.*

5 *Ab Hugone quodam, cognomento diſcalceato, captũ erat ædificari Caſtrum quoddam ſuper cluniacenſe Monaſterium. Queſtus, inquit, fueram inde, vt noſti, apud vos; & veſtra prouidentia duro anathemati illud ſubmiſerat: hæc ipſe conqueritur ab Hugone eſſe perfectum caſtrum, & deridere Monachos Cluniacenſes aduerſus quos munitionem erexerat. At quid Deus ipſe? &c. Caſtellum illud terræmotu abſorptum chaſmate terræ, & loco ipſius lacum profundiſſimum excreuiſſe, in exemplum Iudicii magni Dei. Idem tom. 12. pag. 235. lit. D.* Hæc pauca de Terræmotu ſufficiant.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

TErræmotus à Deo cauſari iam vidimus vel ad terrorem, vel ad vindictam: Atque adeo præcedere has terræ quaſſationes Iudicij diem docuit, vt ex eius apprehenſione pœnitentiam amplectamur. Hinc fit, vt tanta ſit illius Iudicij diſtrictio, vt tropologica terra, ſcilicet ipſe Sanctus & Iuſtus, Iudicem tremefactus vereatur: Neque enim ſine tremore, & concuſſione Diuinæ Maieſtatis præſentiæ adſtare poſſumus.

SVMMARIVM.

1 *Ipſi Sancti in die Iudicii timebunt.*
2 *Tribulatio ſignum eſt Diuinæ præſentiæ.*

§. I.

Ipſi Sancti in die Iudicii timebunt.

1 Q*Vi reſpicit terram, & facit eam tremere.* Quid ni ad Diuinæ Maieſtatis inſpectum tremeret terra? Etenim cum ipſius nutu, omnia in nihilum redigi poſſint, hoc timet & terra, ne ſcilicet Dei cõſeruantis deſtituta ſuffragio ad nihilum redeat, vnde exiuit, in cuius tremore figuratum video Peccatorum terrorem in extremo Iudicio, qui aduenientis in Maieſtate Domini præſentiam verebuntur. Verum quid mirum ſi terra tremit, dum montes fumigant, ſi terreantur peccatores, quando Sancti ipſi timebunt? Omnes enim tam iuſti, quam iniuſti Igne abſumendi ſunt, ſed iuſti ad purgationem, & gloriam, iniuſti ad pęnam, & mortem: ſicut textatur D. Hieronymus. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere: Tremet terra noſtra in die iudicii; ſignificat autem peccatores terrenos: Qui tangit montes, & fumigant: Si Sancti fumigãt; quanto magis terra? Sancti fumigãt, quoniam omnes per ignem ſaluabuntur, non enim haberet fumum niſi ignis eſſet.*

2 Periculoſum ſane eſt in Regem magnum peccare, nam cum Regum potentia longè pateat, cum perdere volunt hominem, quocumque fugiat comprehendẽt: & vix vlla ad effugium patet via, nam rebellionis, & læſæ maieſtatis culpam omnes deteſtantur: Quòd ſi Regis iram vix declinare poſſumus, Dei manum effugere nequaquam poteris, qui non vnius Ciuitatis, aut Prouinciæ, aut Regni, ſed totius mundi Dominus; neque, vt mortales Principes, eget miniſtris ad inueniendum, capiendumque reum, quia ipſe vbique eſt, omnia videt, omnia curat, nec viuere niſi in manu eius poſſumus. Hac euidenti demonſtratione vſus eſt Sanctiſſimus Propheta, vt tot iniquos à peccando amo-

ueret, Pſalm. 74. *verſic. 4. 5. & 6. Dixi iniquis nolite iniquè agere, nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem: Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertis mõtibus; quoniam Deus Iudex eſt.* Quaſi dicat. Nolite quæſo peccare, quòd ſi vos à peccando Dei amor non amouet, retrahat timor: nam ſi peccatis in hominem potentem fugitis in alteram partem ab occidente in orientem & è contra, vel abditis vos in montibus deſertis: at Iudex veſter Deus eſt, omnia proſpicit, vbique adeſt, cunctis prouidet, quare eius iram declinare non valebitis. Ita Prophetam exponit D. Thomas Villanouanus, *Hom. 1. de Iudicio, pagin. 6. col. 1. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus, ſcilicet fuga vobis patet: quoniam Deus Iudex eſt: ſub tanto Iudice quis audeat peccare? Tantæ Maieſtatis tribunali aſſiſtere quis auderet? Columnæ Cæli contremiſcunt ad nutum eius, & poterit adſtare coram eo fluxa, debilis, & putrida caro?* En quomodo Sancti, qui Cęli columnæ ſunt, timẽt, quia nullum eis à tanti Iudicis ira patet effugium, ergo & nos timeamus,

3 Forſitan dicet aliquis; Ego Iudicem non timeo, neque enim timere poterit Principem, qui reueretur, qui non peccat; gladius eius, cum iuſtus ſit, nonniſi delinquentes percutit. Ego autem à peccatis tempero, à vitiis abhorreo, virtutem iuſtitiamque colo; vnde aptari mihi poteſt vulgatum illud,

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Sed audi quicumque es; apud homines hæc ſuperficialis iuſtitia ſufficit; ſed apud Deum iniuſtitia eſt, quandoquidem ille cor penetrat, ſecreta rimat Animi, & plus de nobis, quam nos ipſi, cognoſcit; nihil putas te peccaſſe, ſed neſcis an ſis odio, aut amore dignus, quia cum omnipotenti Deo negotium tibi eſt, qui linceo videt oculo: audi quid de ſeipſo dicat Magnus Apoſtolus, 1 *Cor. c. 4 v. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum* Quid dicis Paule? Tot labores, tot pericula, tot pugnæ, tot virtutum exercitamenta non te ſecurum reddunt? Tertij Cęli beata viſio non te confortat? Quid adhuc times? *Qui autem iudicat me Dominus eſt*: Idcirco timeo quia Deum Iudicem habeo, cuius iudicia inſcrutabilia, qui omnia rigoroſo probat examine: nulla eſt perfectio, nulla bonitas, ſanctitas nulla, quæ tanti Iudicis intuitum ſecura ſuſtineat. Egregiè D. Bernardus, *ſerm. 15. in Pſal. Qui hab. pag. 555. lit. I. Non enim tam magni ſumus, vt poſsit nobis adeo eſſe pro minimo ab homine iudicari non poſſe; minus autem nihil conſcios eſſe nobis. Cæterum ſi occultiſſimum Iudicem timent etiam magni, quantum nos ad illius examinis memoriam conuenit trepidare?* Omnes ergo timere neceſſe eſt.

4 Sed ſi tantus eſt iudicii timor, quomodo ab eo tuti eſſe poſſumus? Quomodo inquis? facili negotio, ſi ſemper timebis; qui enim nunc ſemper timet, qui in nullo confidit, ſed omnia ſibi timenda proponit, cuius ad iudicii memoriam cor palpitat, oſſa tremunt, triſtatur animus, ille ſecurus erit, nam qui *ſemper eſt pauidus beatus eſt*, vt docet Sapiens, is enim numquam peccabit. Nonne legiſtis Virgilianum illud,

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem?

quibus verbis addit Seneca, *lib. 6. c. 2. Quæſt. natural. Si vultis nil timere, cogitate omnia eſſe timenda.* Quod faciebat Sanctus Dauid, qui cum Iudicii terribilitatem cogitabat, ita territus gemebat, vt oſſa pęnè è carne ſeparentur; ait namque Pſ. 101. *ver. 6. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.* Quæ verba S. Macharius ita exponit, *ap. Dion Carthuſ. de 4. Nou. artic 16. Tanta eſt terribilitas iudicij diuini, quod ſi quis illud dignè perpendat, oſſa eius carni ſuæ vix adhærebunt; vnde Sanctus vir Dauid fatetur: A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.* Si ergo Sancti omnes in iudicio timebunt, formidemus & nos, quatenus vtilis hic timor à peccandi voluptate remoueat.

§. II.

Tribulatio ſignum eſt diuinæ præſentiæ,

1 QVi reſpicit terram, & facit eam tremere: Dei admiranda ſunt opera, neque humana ratione inueſtigari vmquam poſſunt. Quis crederet Terram aſpiciente Domino tremere, cuius ſtabilitas ab eius nutu pendet? potius firmari deberet ex eius intuitu, non trepidare; & tamen id Propheta prædicat: ſcilicet, vt innoteſcat, quod tunc terra animę noſtræ magis firma eſt, cum timet, tunc Deum præſentem, & aſpicientem habet cum tribulatione quaſſatur: ſicuti terrę tremor ſignum eſt inſpectionis diuinæ, ſic hominis tribulatio ſignum eſt Dei præſentiæ: ille ſocium Deum habet, qui pro eius amore aduerſa ſuſtinet patienter. Quod cernẽs D. Auguſtinus, docere non trepidauit, *in Pſ. 103. Deus aſpicit fit terræmotus. Aſpiciente Deo tremunt corda noſtra: nam tunc ibi requieſcit Deus.*

2 Homines cum peſecutionẽ vel iniuſtè, vel propter iuſtitiam patiuntur, cum immerita tribulatione quatiũtur, impatiẽtes malorum effecti quæruntur, & lamentãtur, ſed ineptè, nam tunc ſecum Deum habent, qui de noſtra patientia delectatus, ſimul cum tribulatis manere non dedignatur Tres pueri Babilonico Regi pro Dei honore, minimè obtemperantes eius iuſſu in fornacem iniecti ſunt: ſed cum eos omnino nec læderet, nec tangeret ignis, rei nouitatem miratus Rex dum inter flammas reſpicit, quatuor videt, qui tres damnauerat, & quia Quarti vultum non noſcebat, Filio Dei ſimilem dixit, Daniel, *c. 3. verſ 92. Et ſpecies Quarti ſimilis Filio Dei.* Quid autem faciebat in Fornace Deus? Quid inter damnatos pueros Filius Altiſſimi? Delectabatur equidem tribulatis adeſſe, & pueris ſupplicio deſtinatis adiungi gaudebat, vt notũ omnibus eſſet tribulationem Dei pręſentiam mereri, prædicante Chriſoſtomo, *Hom. de trib. puer, tom. 1. pag. 1315. lit. D. O quibus triumphis, te incorrupta fides extendis, adeſt tibi amica Maieſtas, vt innocentia liberetur: patitur ſe Deus cum pueris in ſupplicio numerari.* Quis non libenter cum tanto comite tribulationes ſuſcipiat? nihil nobis præſente Domino noxium erit.

3 Is qui multum apud Regem præualet, eſtque eius gratiam aſſecutus, licet audiat hoſtium ſuorum minas, & perſecutionum detegat vndas, nil prorſus timet: ſcit enim Principem, in cuius gratia viuit, ſe tutaturum, ac liberaturum; neque enim in eum peccare quis poteſt, qui Regem non offendat. Huic ſimilis iuſtus eſt, qui Dei gratiam habet, hic tribulationes, & hoſtium minas ſuæ coniurationes non timet, ſcit namque ſecum eſſe Deum, qui hoſtium inſidias ſuperabit. Exemplum huius in Ieremia Propheta habemus: etenim cum ille Deo obtemperans populum obiurgaret, multorum inuidiam, & odium excitauit, qui eius necem meditabantur: Hæ minæ innotuerunt Prophetæ Ierem. *c. 20. v. 10. Audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu: Perſequimini, & perſequamur eum.* Sed quid tunc Propheta? timuit, tacuit, abſcondit ſe? nequaquam ſed imperterritus ſtetit; & in quo confidebat? Quia nouerat ſanè ſecum Dominum eſſe, in cuius pręſentia nil ſibi metuendum putauit, Dominum enim propugnatorem habebat, *v. 11. Dominus mecum eſt tamquam Bellator fortis.* Cum ergo tribulamur ſciamus Deum adeſſe nobis, ait D. Hieronymus, *in Hierem. cap. 20. pag. 601. lit. B.* & cum Propheta conſtantes ſimus, *Cum Aduerſarii ſurrexerint, & amici quondam, atque pacifici fuerint ad bella conuerſi, voluerintque nobis inſidias tendere, non magnopere curemus: ſed optemus hoc dicere quod Propheta loquitur: Dominus mecum eſt tamquam Bellator fortis.* Tribulatio igitur Dei præſentiam teſtatur.

RADIVS

Digitized by Google

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Trigeſimus ſecundus.

Reſpexit eam in annunciatione, & turbata eſt per humilitatem, & Dæmones fumigauerunt per iracundiam.

LIbet proſequi Aſſumptum propoſitum §. Antecedenti, ac in Mariæ ſemper Virginis Exemplo monſtrare, quam verum ſit, ibi Deum eſſe, vbi timor, & trepidatio, ac tribulatio vigent. Cùm Rex maximus ad hoſpitandum in domum alicuius ſui ſubditi declinat, totam Domum turbatam videbis. Quid eſt hoc? Quia Princeps adeſt, cui ad inſeruiendum cùm impares vires habeant, turbantur, & deuota ſollicitudine tremunt. Nuncium miſit Deus ad Virginem, vt ſuum in eam aduentum indicaret, *Luc. cap. 1. v. 29. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius*: & quare tremis, quare turbaris, quare trepidas Virgo? Qui venit, Dominus Deus tuus eſt, ſed filius tuus erit; ne timeas exceptura Filium, ſi Domini Maieſtatem vereris. At Deipara, timeo, inquit, quia imparem ad tantum Donum me video, mortalis ſum, & in meis oculis humilis, cur non timebo? O maxima Deiparæ Virginis humilitas, Regina inauguratur & timet, Deus ſibi ſubijcitur & trepidat, Omnipotentis Mater eligitur, & Ancillæ nomen vſurpat; meritò ſuper Angelos exaltatur, quæ hominibus ſe viliorem exiſtimat. Stupet in hac re Bernardus *Hom. 4. ſup. Miſſus eſt pag. 34. lit. F. Quæ eſt tam ſublimis humilitas, Mater Dei eligitur, & Ancillam ſe nominat. Non mediocris reuera humilitatis inſigne, nec (oblata tanta gloria) obliuiſci humilitatem: non magnum eſt eſſe humilem in abiectione: magna prorſus, & rara virtus humilitas honorata.* Timet ergo Virgo, *verſ. 48. quia Dominus reſpexit humilitate Ancillæ ſuæ*, & nos igitur humilitatis eius præconia celebremus.

Maria Virgo Humilitatis virtute clariſſimè enituit.

1 R*Eſpexit &c.* Nec immerito fulgenti Lunæ ſimilis Virgo Deipara perhibetur, vt quæ ad illius Luminaris inſtar, virtutibus, & glorijs vbique fulgeat, & peccatorum noctem per ſuam protectionem, & interceſſionem illuſtret. Hoc tamen in Luna eſt ſpecialius obſeruandum, quòd ipſa omnium ſtellarum ſit infima tam in ſitu, quam corpore, (vnum ſi demas Mercurium, qui corpore minor eſt) Nihilominus poſt Solem nobis magis ſplendet quam vllum aliud ſydus: deinde cum Soli propinquiſſima eſt, & conſequenter magis illuminata, tunc terræ lumen eius omnino non apparet; ſed Soli & Cœlo luminoſiſſima eſt. En tibi conditiones Mariæ ipſa ſibi minima eſt, ſed tamen poſt Solem eſt lucidior, poſt Chriſtum omnibus ſanctior: & cum propinquiſſima eſt Soli, dum per humanitatem aſſumptam a ſe vnitus Deo, eiuſque Mater declaratur, tum mundo non lucet, quia ſe indignam, & humilem ancillam prædicat: de cuius humilitate verificatur illud Prophetæ Ezechi. *cap. 32. verſ. 7. Luna non dabit lumen ſuum.* Quia tunc cum magis Deo grata fuit, apud quem gratiam inuenit, tunc mundo apparere voluit humilis. Ita Incognitus *in Pſal. 103. in v. 20. Luna infima Planetarum*, ait ille, *quamuis lumine poſt Solem omnes excellet; quanto magis fuerit illuminata ſuperius, tantò minus lumen ſuum terræ oſtendit. Sic & B. Maria poſt Chriſtum gratia ſingulari reſplenduit, & humilior fuit, & minus apparere hominibus curauit; ſatis indicans ſi Deo, & ſupernis ſpiritibus lumen ſuum appareret: Luna non dabit lumen ſuum Ezech. 32. ideſt gratiam ſibi datam per humilitatem abſcondet.*

2 Plantarum magnitudo, permanentia, & altitudo ex profunditate radicis innoteſcit: quæ enim planta radices ſuas parum infra terram demittit, debilis eſt, citò areſcet; quæ verò profundas radices habet, ea magna eſt, & temporis iniurias deridet. Sic ſancti eò magis in ſanctitate creſcunt, quo humilitatis radicem profundiorem habuerint. Sed qualem habuit Virgo? profundiſſimam certè; audi Prophetam dicentē: *Iſai c. 11. verſ. 1. Egredietur Virga de radice Ieſſe:* Sed quomodo de radice ortam dixit virgam, & non de trunco? Experientia conſtat, virgas de trunco, Truncum de radice procedere; cur ergo hanc myſticam virgam de radice ortam monſtrauit? ſcilicet, vt Virginis, cuius erat figura, humilitatem indicaret; de radice oritur virga, quia Santiſſima Virgo vt ad celſiorem ſanctitatem pertingeret, vſq; ad profundiſſimam humilitatē ſe deiecit; a radice infima ortum accepit, quæ ad Dei maternitatem aſcenderet, vt exclamat Bern. *Abb. Clareu. ſerm. 2. de Aduen. pag. 6. lit. E. O Virgo, Virga ſublimis, in quam*

ſubli-

Digitized by Google

ſublimæ verticem ſanctum erigis, vſque ad ſedentem in throno, vſque ad Dominum maieſtatis; quoniam in altum mittis radices humilitatis. Ad menſuram radicum creuit arbor, in infima miſit radices, quæ ad tantam celſitudinem ſublimanda erat.

3 Turris aliqua, ad hoc vt poſſit arma ſuſtinere, præcipuè tormenta bellica ænea, firmiſſima eſſe debet, nemo autem, eam eſſe firmiorem, quæ profundius habet fundamentum, inficiatur. Turres debent eſſe ſancti, & firmes, vt virtutum armamenta poſſint ſuſtinere, & harum Turrium fundamentum humilitas eſt; nam ſi quæ Turris fundamento caret tormentis onerata ruet; ſi qui ſanctus humilitatem non habet, onera virtutum non ſuſtinens, in ſuperbiam eleuatur, & ruit. Turris tutiſſima, & firmiſſima fuit Virgo; Auo ſuo Dauidi perſimilis, qui maxima humilitate firmatus fuit; & ideo maximis in eam virtutibus, & gratijs impoſitis, numquam per Superbiam deiecta eſt: narrat hoc Spiritus ſanctus in Canticis *cap. 4. verſ. 4. Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis; mille Clipei pendent ex ea omnis armatura fortium*: & Rupertus in Virginis laudem adiecit *lib 3. in cant. tom. 2. pag. 28. col. 2. Tuum autem collum numquam extenſum fuit, ſed eſt ſicut Turris Dauid, ideſt ſicut humilitas Dauid. Turris iſta ædificata eſt cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; ideſt hanc eius tantam humilitatem cæteræ virtutes conſequutæ ſunt*. Bene fundata turris, quæ contra hoſtem tartareum tela mittere numquam ceſſat.

4 Nullus Princeps eſt, cui humilitas accepta non ſit: ciuis humilis ei charus, ſuperbus odibilis. Sed quid de Principe loquor? quæramus a Iuuene, qui amore capitur, quam puellam magis ſibi placeat, inuerecundam, quæ oculos in omnium faciem figat, & in ipſummet Iuuenem, an quæ modeſta terram aſpiciat, & humilis, ac verecunda eum non audeat intueri? Certè magis hæc ſecunda placebit; diſplicet in illa inuerecunda ſuperbia, placet in iſta humilitas verecunda. Æternus Deus in ſponſis ſuis duos oculos amat, duas virtutes requirit, contemplationem, & humilitatem: contemplatio oculus eſt, quo Deum inſpicimus; humilitas oculus eſt, quo terream conditionem conſideramus: ſed quis oculus magis delectat? quæ virtus magis Deo placet? Humilitas, ille oculus Deum vulnerat, qui terram reſpiciat, ille prior amat, ſed iſte ſecundus amari meretur: Audi ipſum loquentem Dominum: *Cantic. cap. 4. verſ. 9. Vulneraſti cor meũ, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum*. Quæ eſt iſta Sponſa? Virgo Mater: qui oculi? contemplatio, & humilitas; ſed cur vnus oculus Deum vulnerauit? Quia promptior fuit ad Deum de Cœlo in terras euocandum humilitas Mariæ, quam ſanctitas Mariæ; oculum non reſpicientem dilexit, nam *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, hoc oculo vulneratus, hac virtute captus eſt: vt non immerito dicat Bruno *Carthuſianus de ornam. Eccleſ. cap. 5. tomo 2. pag. 174. col. 1. Multis ornamentis ornata erat Virgo noſtra, conuenientius dicere potui, Domina noſtra, & Regina noſtra; ſed hoc nõ præceteris rutilabat, quod Deum, & Dominum reſpexiſſe dixit: Et hoc eſt fortaſſis quod in canticis canticorum ad ipſam ſpecialiter Dominus ait: Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorum. Habet enim duos oculos ſoror & ſponſa Chriſti, quorum altero terram, altero verò reſpicit Cœlum: Per hos oculos Humilitas, & Contemplatio deſignatur: & plus ſæpe placet Deo oculus humilitatis, qui terram reſpicit, quam oculus contemplationis*. Hic enim Deo Mariam iunxit, ſed ille meruit vt iungeretur.

5 Nulla apud Deum, & homines celſitudo valet, ſola regnat humilitas. Reſpice Principum Aulas, vbique ſuperbia ſuſpecta eſt, humilitati nil nocet: Omnes viros potentes deponere, & humiles exaltare cõtendunt; recole Tarquinij ſuperbi Romanorũ, & Radimiri Monachi Arragonum Regum, ab his eminentia trucidata papauera, omnes imitantur. Sed ſi iuſtè, aut iniuſtè id mundani faciant Principes, ipſi viderint; Deus iuſtiſſimè Superbos deponit, & exaltat humiles; ipſa Deipara canente: *Luc. cap. 1. verſ. 52. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*. Scio autem curioſè vos expectare huius verſus explanationem; & qui ſit iſte ſuperbus humiliatus, quis iſte humilis exaltatus: nam cum ſuam paulo ante humilitatem Virgo declaraſſet, hunc addit verſum, non caſu, nec ſine magno myſterio; explicabit autem Beatus Amadeus *Epiſc. Lauſ. Homil. 8. pag. 820. col. 1.* qui per Superbum Luciferum de cœlis eiectum intelligit, & per humilem Virginem exaltatam ſupra choros Angelorum: Ille Angelorum maximus, per ſuperbiam cecidit in profundum Inferni, hæc hominum humillima, per ſuam humilitatem in excelſum Cęli Thronum aſcendit. *Lucifer glorioſus, & arrogans*, inquit ille, *vulneratus ad ima corruit; audiant ſuperbi & humilientur. Virgo humilis ad thronum gloriæ coronata conſcendit; audiant humiles, & lætentur. Corruit ille elatus magna de ſe præſumendo; introiuit Maria in holocauſthis totam ſe plenitudini gratiæ committendo*. Superbia ergo vanitas eſſe cognoſcitur, dum ſola in Virgine humilitas exaltatur.

6 Odoramentorum fumus delectat odoratum, ſed in terra gignitur ex combuſtione aromatum, vt ad nares aſcendat: Virtutes odores ſunt, quibus delectatur Deus, hæ autem in terra comburendæ ſunt, ideſt humilitate decorandæ. Ne mireris ergo ſi Spiritus ſanctus admiratoria oratione de Virgine dicat *Cant. cap. 3. v. 8. Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ & thuris*? Tanta enim erat Virginis humilitas, vt maximè delectaret Deum: ait enim Rupertus *lib. 3. in Cant. tom. 2. pag. 22. col. 1. Humilitas tua eſt o ancilla Domini B. Maria, quam tali admiratione Spiritus ſanctus collaudat: odor tuus, odor humilitatis tuæ præcipuus aſcendit ad Dominum, vt verum ſacrificium contribulati Spiritus*. Sic nitet humilitas tua o humilis, & excelſa Virgo; te ergo ſuppliciter exoramus, vt nobis a tuo dulciſſimo Filio, qui pro nobis humiliatus eſt, hanc virtutem impetres, vt in terris humiliati, exaltemur in Cœlis.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

OMnipotentis aſpectus terram quatit, & cum variæ ſint terræ allegoricæ acceptiones, vt viſum eſt §. 1. in verſ. 5. ita etiam variæ erunt aſpectus, ſeu reſpectus allegoriæ: tactus autem montium Dei virtute operatus, nec ipſe ſymbolis caret; ea propter harum vocum ſimbolicas ſignificationes declarabimus.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *De Aſpicere, Reſpicere, ſeu perſpicere ſignificatis.*
2 *Tangere allegoricè, ſeu tactus quid ſit.*

§. I.

De Aſpicere, Reſpicere, ſeu perſpicere ſignificatis.

1 ASpicere eſt oculis aliquid intuitiuè cognoſcere; & primò Aſpicere Deum de Cœlo eſt iuſtos cognoſcere: ſic in Pſalmo 32. v. 13. *De Cælo reſpexit Dominus*: & ibi Magnus Baſilius: *in Pſal.32.pag.65.lit.C. Eos, qui in propria manent Animæ dignitate, & naturæ congruentia faciunt, cælitus, hoc eſt supernè aſpicit Deus.*

2 Viſum Hominis aſpicere eſt miſercordiam Redemptoris cor emollire; vnde Iob: *Nec aſpiciet me viſus hominis*: Vbi Romanus Gregorius *lib.8. cap.8. pag. 485. lit.E. Viſus quippe hominis eſt miſericordia Redemptoris, quæ inſenſibilitatis noſtræ duritiam, cum reſpicit, emollit.*

3 Reſpicere Deum ſuperbos eſt confundere eos: quare Iob ait: *cap.40. verſ.7. Reſpice cunctos ſuperbos, & confunde eos*: Vbi citatus Gregorius *lib.32. cap.7. mor. pag. 1045. lit.B. Superbi enim ex reſpectu Domini confunduntur.*

4 Aſpiciens Sponſus per feneſtras, & per cancellos, eſt Verbum in humanitate partim oſtendere, & partim cœlare Diuinitatem: de quo Sponſa; *Cantic. c. 2. verſ.9. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, aſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*: & idem Sanctus Doctor *cap. 2. in cant. to.1. pag. 1203. lit. E. Per feneſtras autem, & cancellos qui aſpicit, partim videtur, partim ſe abſcondit. Sic & Dominus Ieſus Chriſtus, dum & miracula per Diuinitatis potentiam fecit, & abiecta per carnis infirmitatem pertulit, quaſi per feneſtram, & cancellos proſpexit.*

5 Oculus Aquilæ aſpiciens de longe eſt malitia Dæmonis ſagaciter præuidens futura, vt decipiat: vnde ait Iob de Aquila *cap.39. ver.29. De longe oculi eius proſpiciunt*: & D. Hieronymus *in cap. 29. Iob tom. 8. pag. 83. lit.E. Sagacis valde, atque peruigilis aduerſarii noſtri animum, ad inquirendas vires ſanctorum dimicantium, nomine oculorum appellauit Deus. Quod autem ait, de longe, mentis eius intuitus ſubtili intentione proſpicit, eo quod etiam in poſterum exercitatæ malitiæ ſagati ſuſpicione præuideat.*

6 Naſus ſicut turris libani reſpiciens contra Damaſcum, eſt Chriſti gratia peccata gentilis populi tergens: vnde in Canticis *cap.7. verſ.4. Naſus tuus ſicut Turris libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Et D. Ambroſius *ſer.5. in Pſal.118. to.2. pag.431. lit.C. Hæ ſunt nares ſicut Turris libani præcelſa ſupra mundum, & ideo proſpicit faciem Damaſci, gentilem ſcilicet populum, odorans fidem eius, cuius gratia delictorum ſuorum tergit fœtorem.*

7 Reſpicere montes paſcuæ ſuæ, eſt cæleſtia contemplari: vnde Iob *cap.39. verſ.8. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ* & D. Gregorius Mag. *lib.30. cap.15. moral pag. 999. lit.D. Montes paſcuæ ſunt altæ contemplationis internæ refectiones. Sancti enim viri quanto magis ſe exterius deſpiciendo reiiciunt, tanto amplius interius reuelationum contemplatione paſcuntur.*

8 Reſpicere Deum montes, eſt ſuperbos conuertere: de quibus Pſalmus 94. *verſ. 4. & altitudines montium ipſe conſpicit*: & Idem Sanctus Doctor *loc.cit. c. 18. pag.1004. lit. B. Altitudines enim montium, elationes ſunt vtique ſuperborum. Quas Dominus conſpicere dicitur, id eſt ab iniquitate ſua in melius commutare.*

9 Porta, quæ reſpicit viam orientalem, eſt, Qui nobis ingreſſum aperuit ad ortum luminis fidei Chriſti: vnde Propheta *Ezech. cap.40. v.6. Et venit ad portam, quæ reſpicit viam orientalem*: & addit D. Greg. *Hom. 13. in Ezech. tom.2. pag.1331. lit. B. Ipſe eſt nobis via, qui dixit: ego ſum via, veritas, & vita: Ipſe etiam orientalis via, de quo ſcriptum eſt: Ecce vir, oriens nomen eius. Porta ergo viam orientalem reſpicit, qui illum ſignat, qui nobis iter ad ortum fecit luminis.*

10 Aſpicere iniquitatem in corde eſt eam intrinſecus approbare, licet ore damnetur: quare Dauid: *Pſal. 65. verſ.17. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo*: Vbi D. Auguſtinus *in Pſal.65. pag.225. lit.H. Vide ſi forte in corde tua conſpicis iniquitatem, ne fortè quod reprehendis in altero, cogites facere; & ideo in illum clamas, non quia fecit, ſed quia inuentus eſt.*

11 Reſpicere poſt tergum, eſt ad veterem vitam redire: A quo prohibetur familia Loth: *Gen. cap. 19. v.17. Noli reſpicere poſt tergum*: & D. Auguſtinus *ap Gloſſ. ordin. Ad hoc prohibiti ſunt, quia non eſt animo redeundum ad veterem vitam.*

12 Reſpicere tergum Moyſi, eſt ſolam ſuperficiem literæ intelligere: quare de Iudæis dicitur: *Exod. cap. 33. verſ.8. Aſpiciebantque tergum Moyſi* Vbi Gloſſ. ord. *Moyſi ergo tergum populus iudaicus aſpiciebat, quia nihil myſticum, nihil ſpirituale, ſed ſuperficiem tantum literæ in lege voluit intelligere.*

13 Virginem reſpicere, eſt fucatam Hæreticorum eloquentiam attendere; quod vetat ſapiens. *Eccl. cap. 9. verſ.5. Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris* & Gloſſa ordin. *Non debemus decorem eloquentiæ Hæreticæ amare, nec ſimulatas virtutes attendere.* Fortè non abſolutè Virginem, ſed vanè exornatam intelligit.

§. II.

Tangere, ſeu Tactus allegoricè quid ſit.

1 TAnge montes &c. Tangere eſt duas ſupſificies corporum ſimul eſſe. Et primò Tangere Deum montes, eſt dæmonum potentiam frangere: vnde in Pſalmo 143. *verſ.6. Tange montes, & fumigabunt*: D. Hilarius *in Pſal.143. col.1156. lit. B. Quantum intelligi conceditur, montes interdum etiam diabolicas poteſtates, vt nunc in hoc loco, ſignificari arbitramur* & nonnullis interpoſitis verbis ſequitur *lit. F. Aduentu enim Domini confracta, & obtrita Dæmonis poteſtas eſt.*

2 Tangere Agelum femur Iacob, eſt illi Incarnationis Dominicæ reuelare myſterium: vnde dicitur; *Gen. cap.32. verſ.25. Tetigit neruum femoris eius*: ait D. Ambroſius *lib.2. c.6. de Iac. tom.1. pag.164. lit.H. Et quia inſuperabilis erat fides eius, atque deuotio, ſecreta ei myſteria Dominus reuelabat, tangens latitudinem femoris eius, eo quod ex eius generatione Dominus Ieſus oriundus ex Virgine.*

3 Quæ nolebat tangere, comedere, eſt pœnas quas formidabat anima pro amore gloriæ cæleſtis tolerare; *Iob cap.6. verſ.7. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt*; ait Iob; & D. Gregorius *lib.7. cap.7. mor. pag.460. lit.C. Quod ergo prius tangere nolebat, hoc poſt præ anguſtia comedit, qui deſideria ſua vix capiens, quas dudum timuerat, iam pro amore cæleſtis patriæ pœnas amat.*

4 Sanguinem ſanguinem tangere, eſt peccatum addi peccato; de quo Propheta; *Oſee cap. 4. verſ.2. Sanguis Sanguinem tetigit*; & Idem Gregor. *Sanguis ergo ſanguinem tangit, cum culpa culpam cumulauerit.*

5 Tangere terrã Canaam eſt morte ad Cælum tranſire; vnde de Man dicitur; *Exod. cap.16. verſ.35. Hoc cibo aliti ſunt donec tangerent fines terræ Chanaam*: & Lyranus; *Donec tangerent terram Chanaam, id eſt promiſſionis; per quod ſignificatum fuit, quòd Euchariſtiæ Sacramentum cibus eſt ſpiritualis Fidelium, quouſque veniant ad terram viuentium.*

6 Sacerdos digito ſanguine tincto Hoſtiæ tangens cornua Altaris, ſignificat crucem Chriſti eius ſanguine delens,

Digitized by Google

delens peccata: de quo dicitur: *Leu.cap.4.verſ.30. Tolletque Sacerdos de ſanguine in digito ſuo, tangens cornua altaris Holocauſti*: vbi Gloſa ordin. *ſuper crucem offeruntur primitiæ ſanguinis, qui pro peccato offertur, quia eius crucis, & effectus peccatorum noſtrorum perfecta remiſſio eſt.*

7 Tangere pollutum, eſt conuerſari cum Iudæis, quod prohibetur fidelibus: vt dicit Iſaias; *Pollutum nolite tangere*: & ibi D. Hieronymus *lib. 14. in Iſai pag. 170.lit.A. Vt nequaquam cum Iudæis blaſphemantibus maneant, in quorum necem Romanus paretur exercitus, ſed pollutos derelinquant & ſeparentur ab eis.*

Verſus Trigeſimus tertius.

אשירה ליהוה בחיי אזמרה לאלהי בעודי׃

Verſio ex hebræo. *Cantabo IEHOVAH in vitis meis, canam Deo meo dum adhuc ſum.*

Vulgata editio. *Cantabo Domino in vita mea, Pſallam Deo meo quamdiù ſum.*

Caietanus. *Pſallam Deo meo in eſſe meo.*

Teſtus Arabicus. *Gratias agam &c. dum manebo.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

HÆc eſt vltima pars, & concluſio Pſalmi, ſeu cantici huius; nam cum in ſuperioribus omnia opera creationis ante oculos poſuiſſet, tandem ex his concludit Deum pro his laudandum eſſe, ſeque id canendo, & pſallendo facturum ſemper promittit. Vbi illud animaduerſione dignum videtur, quod bis ait ſe cantaturũ, diuerſo tamẽ vocabulo vſus; nã prius ait אשירה. & ſecundò אזמרה Vtraq; vox canere ſignificat, & a prima deriuatur שיר quod interpretatur canticum, a ſecunda זמרה ſiue מזמור quod vertitur Pſalmus: imò in titulis quorumdam Pſalmorum vtraq; vox ponitur, vt in Pſalmo 83. שיר מזמור ſic in 74. & alibi, quod dicitur *Canticum Pſalmi*: In quo autem Canticum, & Pſalmus differant atque de eorum inuentore, & vtilitate pauca declarabimus.

De Cantu, & cantico, ſeu Pſalmo, Deque Poeſis vniuerſæ inuentione, vſu, & vtilitate.

POeſis, cuius generis cantus Pſalmi ſunt, mortalem Anthorem non habet, nam, vt omnes Anthores conſentiunt, Donum Dei, & naturæ eſt, non labor artis; ideoque ipſi Poetæ Vates, & Diuini vocari ſunt, quaſi diuino Spiritu afflati canant: nam vt ex Cicerone tradit Polidorus Virgilius; *de inuent. rer. cap. 8. pag. 12. Democritus negabat magnos eſſe Poetas, quippe, qui vt idem Democritus, & Plato aiebant, non arte, ſed natura conſtant, tuncque veri Vates ſunt, cum inſaniunt. Horatius in poetica arte.*

Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone Poetas
Democritus....

Non negandum tamen artem iuuare naturam, nãm vltra materialem carminum ſonoritatem, ad quam natura propellit, cultus requiritur, qui & in delectu verborum, & in figuris locutionis, & in hiſtoriarum, Fabularum, & Artium apta commemoratione conſiſtit. Quando reuera apud mortales cæperit, incompertum eſt; Celebrantur apud græcos quidam inſigniores Poetæ, vt Pindarus in lyricis, de quo Calepinus *lit. P. Pindarus Poeta Thebanus lyricorum apud græcos Princeps, floruit tempore Æſchilæ Poetæ, & Perſarum expeditionis in Græciam* celebratur etiam Simonides lyricus, apud græcos, & Horatius Flaccus apud latinos. Hexametrum verſum, quem & heroicum vocatum poſtea eſſe, ab oraculo Delphico Apollinis apud græcos prodiiſſe tradit Plinius; *Verſum heroicum Pythio oraculo debemus.* Verſum Aſclepideum Aſclepideus inuenit, a quo nomen ſumpſit; & iambicum Archilochus, de quo Horatius de arte poetica.

Archilochum proprio rabies armauit iambo.

Sapphicũ carmen Sappho Poetiſſa iunior inuenit, ſenior vero Sappho plectrũ; de quib. Calepinus *lit. S. Sappho inſignis Poeta fuit, carminis inuentrix, quod ab ea Sapphicum appellatur, &c. cuius pulcherrimum opus ad amicum Phaonem extat. Antipater autem Sido ſic de ea ſcribit. Mnemoſynem matrem Muſarum capit ſtupor, quando audiuit dulciſonam Sappho. Numquid decimã Muſam habent mortales?* Item Inſigniores apud græcos fuere Orpheus Homerus, Heſiodus, de quibus Polidorus Virgilius *loc. cit. pag. 34. Verum Orpheus, authore Porphirione, primum poeticam illuſtrauit, deinde Homerus, & Heſiodus.* Inter hos numerari poſſet Amphion Thebanus, quem ex teſtudine confeciſſe lyram, ac dulci ſono ſaxa ipſa collegiſſe ferunt, ni potius aut fabulis, aut figuris id aſcribendum eſſet; de eo ait Horatius *loc. cit.*

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor Vrbis,
Saxa mouere ſono Teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Huc etiam referendus Arion, de quo Ambroſius Calepinus *lit. A. Arion Citharædus nobilis fuit, & Poetica lyricus,*

Digitized by Google

lyricus, ex metymna Lesbi ciuitate ortus, qui primus Dithyrambos creditur inueniſſe. Hic cum ex italia, vbi ingentem pecuniæ vim arte ſua meruerat, Corinthum traiiceret, videretq; a Nautis, qui opibus ſuis inhiabant, ſibi inſidias ſtrui, non nihil ſpatij ab ijs concedi poſtulauit, quo veluti cygnus moriturus ſuas ſibi exequias caneret, quod cum impetraſſet, ſtans in celſa puppi carmen orthium Dijs marinis cecinit, quo peracto ſe in mare præcipitem dedit, ſtatimque a Delphino exceptus, ad Tenarum Laconiæ promontorium eſt peruectus. Hæc tanquam Hiſtoria traditur ab Herodoto, & alijs; è contra haud pauci inter fabulas referunt; mihi ſane probabile eſt Hiſtoriam fuiſſe perſpecta Delphini natura, & cum hominibus amicitia; de qua mira referuntur.

2 Hæc ſunt, quæ de Poeſi, & Poetis apud græcos referuntur. Verum neceſſe eſt vt Hebræis huius artis excellentiſſimæ primordia cedant; nam & ante Orpheum, & Heſiodum, & ipſum Delphicum Oraculum Hexametro carmine diuinas laudes Moyſes cecinit, cum ſubmerſo exercitu Pharaonis in mare rubrũ, canoro metro Dei victoriam celebrauit; ita ſentit Euſebius libro 2. de Præparat. Euangel. *Apud antiquiſſimos Hebræorum, qui multo ante græcorum Poetas fuere, primum floruit. Nam Moyſes magnus Hebræorum Imperator, cum ex Ægipto eos in Patriam reduceret, atque mare rubrum, diuinitus cedentibus aquis, transgreſſus eſt, diuino Numine afflatus, authore Ioſepho in 2. de antiquit. Iudæorum, hexametrum carmen, quo Deo gratias ageret, compoſuit.* Deinde Iob, Salomon in prouerbijs, Iſaias in ſuo Cantico item Hexametris, & pentametris cecinere; Dauid vero lyricis verſibus vſus eſt; vt teſtis Diuus Hieronymus *Præfat in Chron. Euſebius ap. Polidorus loco citato pagina 34. Denique quid Pſalterio canorius? Quod in morem noſtri Flaui, & Pindari Græci, nunc iambo currit, nunc alchaico perſonat, nunc ſapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur. Quid Deuteronomij, & Eſaiæ Cantico pulchrius? Quid Salomone grauius? quid perfectius Iob? Quæ omnia Hexametris, & Pentametris verſibus apud ſuos compoſita decurrunt.* Quamobrem Idem D. Hieronymus *lib. 5 in Ierem. pag. 244. lit. A.* reprehendit eos qui in Pſalterio ordinem exquirunt, cum in Lyrico carmine minimè ſeruetur Ordo. *Vnde & in Pſalterio male quidam iuxta textum hyſtoriæ Pſalmorum requirunt ordinem, quod in lyrico carmine non obſeruatur.* & alibi repetit *lib. 9 in Ezech. pag. 423. lit. H. In Pſalmis autem, quia carmen eſt lyricum, hyſtoriæ ordo non quæritur.* Sanctis ergo Hebræorum Principibus Poeſis initia debentur. Hocque in nouo textamento Zacharias Ioannis Pater, Simeon iuſtus, & Beatiſſima Virgo Deipara ſuis canticis imitati ſunt. Cæterum moderni Idæi, vt a vera fide aberrant, ſic etiam concinendi modos a Prophetis inuentos, ignorant, nec veram verſificandi artem, & methodum, vſque ad Chriſti Domini noſtri tempora florentem, imitari nouerunt; ſed alios ipſi huius artis metrũ inuenerunt; ab antiquo diſſimile.

3 Inueniendum eſt tandem, in quo Canticum שיר & Pſalmus מזמור inter ſe differant. Canticum, vt ex D. Auguſtino tradit Incognitus *in Prolog. Pſalt.* eſt laus Dei cum exultatione mentis, & vocis habita de rebus æternis; ait enim ille. *Vt autem ait Auguſtinus in Gloſſ. Hymnus eſt laus Dei cum cantico. Canticum autem, eſt exultatio mentis habita de æternis, in vocem prorumpens.* Eſt ergo Canticum laus Dei voce canora expreſſa. Pſalmus verò addit aliquid ſupra canticum, quia vltra vocis modulationem, addit etiam muſicalium inſtrumentorum collaudantium conſonantiam, vnde Pſalterium dicitur inſtrumentum muſicum, vt ait Dauid: *Confitemini Domino in Cithara, in Pſalterio decem cordarum pſallite illi.* Quare D. Hieronymus *in Prolog. Pſal. tom. 7. pag. 1. lit. G.* inde nomen Pſalmi deriuatum putat, quia ſimul cum Pſalterio perſonante canebatur; ſic ergo Canticum factum ad pſallendum, & pro Pſalterio, dicitur Pſalmus: *Pſalterium græcum eſt, & Latinè organum dicitur, quod Hebræi* נבל *nebel vocant Pſalmus dicitur eo quod à Pſalterio nomen accepit, vel pro pſallendo.* שיר ergo *Canticum* in genere dicitur, ſed מזמור Pſalmus, eſt canticum factum ad pſallendum cum eo, ideſt ad cantandum cum Pſalterio. Senſus ergo Prophetæ, cum dicit; *Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ſum:* eſt ſe profiteri celebraturum ſemper diuinas laudes, non ſolum metrica canendo carmina, ſed etiam muſicali modulatione, organis, cæterique inſtrumentis muſicalibus perſonantibus; quod & facit quotidie catholica Eccleſia. *Plura de cantu vide apud citatos Authores.*

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

TRopologicus en cantus ad ſe nos vocat. Cantat ergo Domino Iuſtus, cantat Peccator, ille in legis obſeruantia, hic in pœnitentiæ lamentis, ille heroicum, iſte elegiacum profert carmen; & vtriuſque cantus, ſi regulas obſeruet, Deum delectat; quæ omnia melius ex dicendis patebunt.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

1 *Deo canit, qui præcepta eius obſeruat.*
2 *Cantus Deum delectans Pœnitentia eſt.*
3 *Confeſſio debet eſſe benè circumſtantionata, vt Deo canat.*
4 *Hic debemus pœnitere, quia poſt mortem nulla redemptio.*
5 *Iuſtus omnia bona ſua in Deo quærit.*

§. I.

Deo canit qui præcepta eius obſeruat.

1 C*Antabo Domino &c.* Canere Domino eius laudes dulcitono cantico perſonando, Deo gratum; verum non iſte cantus cum maximè delectat; ſed ſuorum obſeruantia mandatorum. Etenim Deus, qui materiales aures non habet, Non oris, ſed cordis armoniam delectatus, commendat: Cor ei pſallit, Animus encomia pangit. Ille igitur toto corde, & viriliter Deo canit, qui in eius mandatis exequendis ſe exercet; quod facere ſe ſpondet Propheta, dum ait: *Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo quãdiu ſum:* quaſi dicat: ita Deum laudibus efferam modulata voce, vt etiam correſpodeat virtutum ſequela; & dum conſona vox ſoluitur, nulla ſit in corde diſſonantia: quod videtur ſentire Incognitus *in Pſ. 103. Cantare Domino,* ait ille, *eſt in Deo corde, & voce loqui. Pſallere autem moribus, & operibus Dei obſeruare præcepta.*

2 Quicumque Principis mandata ſeruat, Principem ipſum honorat; omnes enim venerantur eum, cuius tanta eſt in ſubditos authoritas, vt eius præcepta ad vnguem obſeruent: e contra autem qui ſubditos rebelles, & inobedientes habet, tanquam ridiculus paruipenditur. Sic ergo ille Deum honorat, eique canit qui præcepta eius obſeruat. Pſalmographus in alio Pſalmo explicans quam optimum ſit Deum laudare: *Pſal. 91.* *Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime:*

Digitized by Google

riſſime: ſtatim declarat modum Deo pſallendi, vt optimus ſit cantus, inquiens, *verſ.3. In dechacordo Pſalterio cum cantico in Cithara*: Sed quodnam iſtud inſtrumentum eſt, ex decem chordis compoſitum? Illud ſane ni fallor, quod Dei digito fabricatum eſt, ſcilicet lex, quæ ex decem præceptis conſtat; En Dechalogi, & Dechachordi, haud abſimilis Simphonia; ille in Pſalterio dechacordo Deo pſallit, & dulciſono delectat Cantico, qui Dechalogi ſeruat mandata, ait D. Auguſtinus his verbis *in Pſal.91. pag. 418. col.1. lit. C. Dechachordum Pſalterium ſignificat decem præcepta legis; ſed cantare in illo opus eſt, non portare Pſalterium; nam & Iudæi habent legem, portant, & non pſallunt. Qui ſunt qui pſallunt? Qui operantur*. Fruſtra mouet os ad laudandū Dominū, qui cor ad ſeruanda mandata nō adhibet.

3 Durum præceptum nouæ legis apparet illud, in quo præcipitur ſemper orare; Nā & Dominus Ieſus *Luc. cap.18. v.1. Dicebat parabolam ad illos quoniam oportet ſemper orare, & numquam deficere*: & iterum Apoſtolus docebat: *1. Theſſ. cap.5. verſ.17. Sine intermiſſione orate*. Quomodo autem impleri hoc poterit, vt ſemper oremus quandoquidem, & multum temporis ſomno, comeſtioni, aliiſque corporis neceſſitatibus dandum eſt? Sed antequam huic dubio occurramus, videndum eſt, quomodo Sol, & Luna, quæ creaturæ inanimes ſunt, menteque carent, poſſunt Deum laudare, ad quod faciendum inuitat eos Propheta dicens; *Pſal. 148. verſ.3. Laudate eum Sol & Luna*? Quod os ad canendum aperient, quæ nullum habent? Ad hoc optimè reſpondet D. Hieronymus *in Pſ.148. pag.423. lit.C.* Solem, Lunam, & ſtellas, in eo laudare Dominum, in quo præcepta eius obſeruant; neque enim vnquam ab officio ad quod deputantur, recedunt, neq; motum præſcriptum variant: *Quomodo Sol, & Luna, & ſtellæ laudant Deum? In eo quod a ſuo officio, & ſeruitio non recedunt: ſeruitium ipſorum laus Dei eſt*. Si ergo laudare Deum eſt eius præcepta ſeruare ſemper laudare poſſumus, & ſēper orare (quia oratio laus Dei eſt) ſi numquā ab eius mandatis recedamus. Hoc docebat ſapiens: *Eccl. cap. 35. verſ. 1. Qui conſeruat verbum multiplicat orationem*: & ibi Gloſſ. ordin. *Benè orat qui mandata Dei ſeruat*: Seruare ergo mandata oratio eſt, Laus Dei eſt, hoc Deo canit, Deumque delectat.

4 Quicumque muſices imperitus ad canendum, vel pſallendum acceſſerit, is non ſolum ſuo cantu, aut ſono neminem delectabit, ſed tædio omnes afficiet; quia modos muſicos ignorans, ſine ordine, & debita modulatione cantabit; Vt ergo hominibus placeat ſua cantilena regulas canendi, ac pſallendi addiſcere debet. Puta ergo & in laude Dei perſonanda muſices peritiam requiri, nam nec Deo placere poteſt, quod de ſe malum eſt. Quem errorem vt vitaret Pſaltes, a Deo ipſo doceri petebat; promittens ſe cantaturum, ſi doceatur: *Pſal. 118. verſ.171. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iuſtificationis tuas*. Sed aduerte quid petat vir ſanctus: non dicit cantabo, cum docueris me modos muſicos; cum docueris me pulſare pſalterium, vel Citharam; ſed *cum docueris me iuſtificationes tuas*: tunc enim Deo delectabilis cantatur hymnus cum cuſtodiuntur Dei præcepta; quod ita D. Auguſtinus explicat *Conc.32. in Pſal.118. pag.578. col.1. lit. D. Eructabunt, inquit, labia mea hymnum, cum docueris me iuſtificationes tuas. Nouimus quemadmodum doceat Deus eos, qui ſunt docibiles Dei. Omnis enim qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad eum, qui iuſtificat impium, vt non tantum memoria retinendo, verum etiam faciendo cuſtodiat iuſtificationes Dei. Sic enim qui gloriatur, non in ſeipſo, in Domino gloriatur; hymnuſque eructatur*. Optima Doctrina hæc eſt, quæ diuinas iuſtificationes dum obſeruare facit, canendi regulas tradit.

5 Sed ne quis putaret ſola legis vetera præcepta obſeruanda eſſe, quia Dechalogo Dechacordū comparauimus, docet etiam Propheta in nouæ legis obſeruantia canere Deo, dum ait: *Pſ.95. v.1. Cantate Domino canticum nouum*: quaſi diceret; Nō in ſolo Dechacordo Pſalterio canendū eſt, ſed etiam nouum canticum pronunciandum eſt, quia ſimul cum Dechalogo Præceptorum Dei, etiam Chriſti præcepta, in noua lege promulgata, obſeruanda ſunt: tunc placent Deo noſtra cantica: tunc vita noſtra iuſtitiæ cōformis redditur. Nonne experientia ipſa te docuit, noua cantica magis delectare quā vetera? Quando aliquod muſicale concertum audis, ſæpius auditum, & ſi optimum ſit, non tamen ita delectat, vt nuper inuentum: ea propter haud raro Cantores innouant compoſitiones ſuas, vt magis placeant. Ita Deus vult obſeruationem Dechalogi, ſed quia vetus erat canticum innouauit præceptis nouæ legis: qui ergo nouæ legis ſeruat mandata, vt ſentit Rupertus Abbas, hic Deo nouum canticum canit *lib.4. in Pſalt. to.1. pag.535. col.2 Nouum, inquit, canticum cantate, id eſt præcepta nouæ legis obſeruate tam diligenter, vt Deo ſit delectabile*. Neque poteſt non eſſe delectabile quidquid nouum eſt ſi optimè cantetur.

6 Nec ſufficit ei, qui ad muſices perfectionem anhelat, ſemel didiciſſe regulas, verum neceſſe eſt, quod ſemper ſe in cantu exerceat: porrò, quia difficile videtur, ſemper canere, ſolent primarij cātores in omni re quam faciunt nouos meditari melodiæ ſonos. Hoc & nobis in cantu ſpirituali faciendum eſt, nec ſatis eſt ſcire Dei mādata Vtriuſque legis, ſed ſemper meditanda ſunt. Hoc autem tunc fiet quando in omnibus actibus, & cogitationibus noſtris cautè conſideramus ne contra mandata aliquid fiat: hoc modo ſemper canimus, Deum ſemper laudamus. Hoc de ſe fatetur Propheta: *Pſ.34. v.32. Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuā, tota die laudem tuā*. Idem enim eſt meditari iuſtitiam, & laudare Deū: Apertè D. Auguſt. hoc declarat *in Pſ.34. pag.167. col.1. lit. B. Tota die laudare Deum quis durat? Suggero tibi remedium, vnde tota die laudes Deum. Quidquid egeris benè age, & laudaſti Deum. Quando cantas hymnum Laudas Deum: Lingua tua quid agit, niſi laudet conſcientia tua? Et quoties tu ceſſaſti ab hymno cantando, recedis, vt reficiaris, noli inebriari, & laudaſti Deum. Diſcedis, vt dormias, noli ſurgere ad malè faciendum, & laudaſti Deum. Negotia agis noli fraudem facere, & laudaſti Deum. Agrum colis, noli litem mouere, & laudaſti Deū. In innocentia operum tuorum præparare ad laudandum Deum tota die*. Sic Deo iucundiſſimè canit, qui mandata eius obſeruat.

§. II.

Cantus Deum delectans Pœnitentia eſt.

1 C*Antabo Domino &c.* Philumena Auis nocturna eſt, neque enim niſi nocturno tempore canit; eius tamen cantus hominibus dulciſſimus eſt, licet potius plangentis, quam lætantis vox videatur: quare occaſionem Poetis dedit Fabulandi, eam ſtuprum, dum fœmina eſſet, paſſam, ipſum lacrymoſo modulatu deteſtari. Similem huic Aui Peccatorem dixerim, qui nocturna Auis dici poteſt, quia Solis diuini luce, Dei gratia eſt deſtitutus; canitque nocturno tempore cum os Confeſſori aperiens pœnitentiam agit; hic tamen pœnitentis cantus, licet lacymoſus, & mæſtus, Deo gratiſſimus eſt, cuius diuinæ aures de pœnitentiæ lamentis ſummoperè delectantur. Quicumq; ergo in peccatis tenebris iacet, æternæ traditus, nocti; ſi vult Deo canere, eumque delectabili voce laudare, in gemitus, lacrymaſque prorumpat, peccata defleat, pœnitentiæ plantum aſſumat: iuxta perſuaſionem Incogniti *in Pſal. 103. Si volumus Deum bene laudare in præſenti vita, ei per actum pœnitentiæ canere debemus; propter quod dicit: cantabo in vita mea; lacrymæ enim pœnitentium dulciſſimum cantum in auribus Dei faciunt.*

2 Turpem in hac re exemplum dabimus, ſed ab Iſaia mutuatū. Si qua Meretrix in arte ſua turpiter exercenda, tanta non nitet pulchritudine, vt cæteras aut æquare, aut antecellere poſſit, ſtudet cantum addiſcere, ſicq; vel canora modulando voce, vel citharam perſonando, eam aſſequitur apud omnes famam, eamq; gratiam, quā

forma

Digitized by Google

forma non merebatur. Peccatrix Anima, meretrix eſt, quæ Deo ſponſo ſuo relicto fornicata eſt cum amatoribus multis, quot ſcilicet ſunt genera peccatorum, quæ perpetrauit; hæc ergo per culpam amiſit pulchritudinē; Angelis, & Deo odibilis eſt: quòd ſi ad Dei, ſanctorumque gratiam redire ſatagit, aſſumat Pœnitentiæ Citharam, ſoluat in lamenta pœnitentiæ vocem, ſuſpiria, lachrymas miſceat, & per cantum Deum delectando, gratiam conſequetur. Suadet hoc Propheta: *Iſai. cap. 23. verſ. 16. Sume citharam circui Ciuitatem, Meretrix obliuioni tradita bene cane, frequenta cantum, vt memoria tui ſit*. Et citatus Doctor proſequitur. *Meretrix dicitur quælibet peccatrix Anima, quæ relicto vero ſponſo Chriſto, cum Diabolo adulteratur peccando. Hæc ciuitatē ſuæ conſcientiæ debet circuire cōſiderando peccata ſua; & tunc benè canere, ſcilicet cantu contritionis, & pœnitentiæ*. Sic Sponſus placatus ſuæ reſtituit gratiæ.

3 Quantò autem maior eſt Parcentis miſericordia, tanto creſcit amplius laus illius, cum decantata innoteſcit, & hunc finem mos habuit, carmine celebrandi Heroum geſta, vt dum confitentur mortales ab illis accepta beneficia, eorum gloria magis reſplendeat: Peccatores autem in Deum homines, cum publicè confitentur peccata ſua Deum vtique laudant, qui ſua ductus miſericordia eis pepercit, & a maximis culpis emundauit; quod vt facerent omnes compeccatores ſuos monebat Pſalmographus, illis verbis *Pſal. 94. verſ. 2. Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in Pſalmis iubilemus ei*: Si accepta a Deo beneficia acceptabili carmine canere volumus, ad pœnitentiam accedamus, confiteamur peccata noſtra; ille accepta beneficia laudat qui confitetur: quare ait D. Auguſtinus, & ipſe huius miſericordiæ particeps: *in Pſal. 94. pag. 435. col. 1. lit. D. Confitere igitur peccata tua, quo magis deſperabas de te propter iniquitates tuas. Tāto enim maior laus eſt ignoſcentis, quantò maior exaggeratio eſt peccata confitentis. Non ergo putemus nos receſſiſſe a laude cantici, ſi iam hic intelligimus confeſſionem, qua confitemur peccata noſtra; & hoc ad laudem cantici pertinet: quia cum peccata noſtra cognoſcimus, Dei gloriam commendamus*. Pænitentia namque eſt, quæ ſuauiter canit Deo.

4 Animi gratitudo poſtulat, vt acceptum beneficium compenſetur; neque vlla gratior, & euidentior laudatio eſt, quam ipſa beneficij accepti publicatio: Qui enim a morte liberatus eſt, dum ſuum periculum, & alterius adiutorium exaggerat, quid aliud facit niſi canere illius geſta? Peccator ergo dum peccata ſua manifeſtat, & Dei gratiam, per quam ab eis liberatus eſt pronunciat, ſic Deum laudat, ſicque canticum acceptabile, ac iocundum Domino canit. Neminem ignorare arbitror Lazarum peccatoris extitiſſe figuram; cum autem eū a morte ſuſcitare vellet Dominus Ieſus, *Ioan. c. 11. v. 44. voce magna clamauit: Lazare veni foras*: Neque hoc contentus voluit ipſum ligatum exire. *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis.* Sed cur vocatus eſt? cur ligatus exiit? nōne qui ſuſcitauerat, etiā ſoluere potuiſſet? potuiſſet profectò, ſed ligatum exhibuit, vt omnes noſcerent mortuū & ſuſcitatum, ligatum, & ſolutum. Quid enim eſt vocare peccatorem niſi gratiam excitantem conferre? quid eſt Lazarum foras exire, niſi pænitentem peccatorem ſua ſcelera detegere? Quid eſt ſolui a miniſtris, niſi a Sacerdotibus abſolui? Ergo accuſatio pœnitentis Dei laudatio eſt, Deo iucundiſſimè canit: teſtatur id Sanctus Auguſt. *De verb. Dom. in Matth. ſer. 8. to. 10. pag. 12. col. 2. lit. C. Lazare prodi foras: Quid eſt foras prodire, niſi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur foras prodit. Foras prodire non poſſet niſi viueret. Viuere non poſſet niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in confeſſione ſui accuſatio, Dei laudatio eſt: quando autem nos ipſos accuſamus, ei per quem reſurreximus gloriam damus*. Equidem iocundius canticum peccator pſallere non valebit.

5 Quæ cum ita ſe habeant, mirari nemo debet ſi omnipotens Dominus, ac diuinus Animarum Amator, ita de hoc cantico pænitentis Animæ gaudeat, vt eam ad

canendum excitet, dicens: *Cant. cap. 2. verſ. 14. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora*: Patet ex his loqui Dominum ad Animam tanquam Philocaptum Amaſiæ ſuæ; ſed ſi deſiderat aſpicere pulchritudinem eius, cur adiecit, *ſonet vox tua?* Nonne ſatis erat pulchritudinem inſpicere formæ, quæ ſolet oculos delectare, quare ergo, & vocis ſonum adiecit? Quia ſcilicet, vocis elegantia, cantus excellentia pulchritudinem adauget; & ad corda amoris ſpiculo verberanda, parem formæ vocis præſtantiam eſſe, experientia manifeſtat. At in anima, ſi moraliter loquamur, aliquid plus deprehendimus; nam ipſam Animæ pulchritudinem, per peccatum deturpatam, per pœnitentiam reſtituit: vox inuenit, quæ forma perdidit; & Ideo ante diuini Numinis oculos peccatrix Anima pulchra non eſt, niſi pœnitentiæ canticum canat: ideoque petit vocis ſonum audire cordis confitentis, qui pænitentia delectatur: ita Cardinalis Hugo *in Cant. pag. 118. col. 4. Moraliter autem dicitur hoc animæ peccatrici, quæ faciem ſuam, quā ei Dominus creando contulerat, & recreando formauerat, commutat in faciem Porci, vel Vrſi &c. Oſtende mihi, ideſt Vicario meo Sacerdoti, faciem tuam, ideſt conſcientiam tuam per confeſſionem: ſonet vox tua, ideſt confeſſionis tuæ, in auribus meis; vox enim tua dulcis, quia gloriam, & laudem meam reſonat*: cui conſentit etiam D. Vincentius Ferrerius, his verbis *ſerm. 2. Dom. 10. poſt Trin. pag. 168. col. 1. Magnus Rex Chriſtus habet miniſtros in Palatio ſuo, qui faciunt ſibi ſonum gratiſſimum: iſti ſunt pænitentes. Tenor eſt percuſſio pectoris, ideſt gemitus, & ſuſpiria, quando dicit, Domine miſericordia: & Chriſtus, & Angeli de feneſtris Cæli auſcultant: Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora: Can. 2. Et loquitur hic Chriſtus Perſonæ pænitenti, vt Philocaptus Philocaptæ ſuæ. Iam videtis qui plorat ex contritione peccatorum qualem faciem facit, illam dicit Chriſtus pulchram eſſe coram eo*. Sic Pœnitentiæ cantus animam decorat, Deum delectat.

§. III.

Confeſſio debet eſſe circumſtantionata, vt Deo canat.

1 *CAntabo Domino &c.* Verum enim verò, nec ſatis eſt vocem dare, & canere, niſi modulata voce ſecundum regulas formetur cantus: nam quæ diſſona vox emittitur, non delectationem, ſed faſtidium generat. Audire ergo Dominus Confitentis vocem deſiderat, ſed eam, quę debitas Confeſſioni circumſtantias habeat; vt ſicut in cantu, nec vox debet eſſe falſa, nec notæ debent aut tranſiri, ſeu dimitti, non minui, non diſſonare; quibus in conditionibus, aliquæ Confeſſionis circumſtantiæ includuntur: notæ tanſiri, ſeu dimitti non debent, ideſt peccata nulla, quorum memoria recolit ſunt tacenda; non debent notæ diminui, ideſt culpæ excuſari; vox falſa non ſit, ideſt nihil fictum, aut mentiendo prodat: vox non ſit diſſona, non diſcordet, ideſt cor reſpondeat ori, vt quæ lingua accuſat, etiam de illis cor doleat: qui has regulas ſeruat Deo dulciter canit; vt obſeruat Cardinalis Hugo *in Pſal. 107. Cantabo Domino, Confeſſione peccatorum. Et nota quòd non benè canit, qui notas tranſilit, vel falſificat, vel diminuit, vel diſcordat. Notas tranſilit, qui peccata aliqua, de quibus recolit, in confeſſione tacet: falſificat qui mentitur: diminuit qui excuſat: diſcordat qui corde non pœnitet; debet enim concordare cor ori, & contritio Confeſſioni. Sic ergo debet cantari, ſed Domino, non mundo; ideſt vt Dei gratia, non hominum acquiratur*. Nam non debemus accedere ad Pœnitentiam vt hominum laudem captemus, ſed cum vera diſplicentia diuinæ offenſionis, vt veniam impetremus.

2 Confeſſionis primaria, ac neceſſaria circumſtantia eſt numerum peccatorum diligenter perquirere; & vt tempori interpoſito, diſcuſſio conſcientiæ reſpondeat; vt aperire poſſit medico ſuo qualitatem morbi, quoties videlicet peccatum admiſſum ſit, ſi rarius, ſi frequen-

Digitized by Google

frequentius, vt Confeſſarius rectè iudicare poſſit, & pœnitens debitum culpis pœnitentiæ onus ſuſcipiat. Hoc ex Leuitico colligit Rupertus: nam cum neceſſitate ductus aliquis Hebræus, alteri ſe mancipium vendiderat, & poſtea ſe redimere volens, debebat ſupputare annos, qui ſupererant, vſque ad proximum Iubilæum; nam eo anno omnes ſerui Iſraelitæ dimitti ſine prætio debebant *Leu. cap. 25. verſ. 50. Sin autem, & ipſe poterit, redimat ſe, ſupputatis dumtaxat annis, a tempore venditionis ſuæ vſq; ad annum iubilæum*: Hæc eſt figura Pænitentis, inquit ille *lib. 2 cap. 44. in Leu. to. 1. pag. 335. col 1.* qui debet peccata ſua ſupputare ab vltima confeſſione debitè facta vſque ad præſentem. *Supputare annos a tẽpore venditionis vſque ad annum iubilæum, pecuniamque iuxta annorũ numerum; id plane eſt, pura, ac ſincera confeſſione aperire, rarius, an crebrius peccatum ſit iteratum, & ſecundum peccati frequentationem, ſuſcipere pænitentiæ cenſum*. Hoc eſt nullam tranſilire notam, peccata omnia fideliter confiteri.

3 Altera conditio eſt, vt Confeſſio ſincera ſit, ideſt nullum includat mendacium; & hoc dupliciter fieri poteſt, vel per excuſationem minuendo peccatum, aut aliquod dimittendo, vel e contra peccatum augendo dum tacetur circumſtantia minuens, vel peccatorum numerum augendo, vel non commiſſam culpam ſibi tribuendo; & vtrumque vitium eſt; nam ita cantum vitiat, qui notas tranſilit, ſicut qui addit: Docuit nos Deus hanc veritatem in mundatione eius qui Cadauer tetigerat, de quo in libro Numerorum legimus *cap. 19. verſ. 16. Si quis in agro tetigerit cadauer occiſi hominis, aut per ſe mortui, ſiue os illius vel ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus*: & paulò ſuperius dixerat: *verſ. 14. Iſta eſt ex Hominis qui moritur in tabernaculo*. Cur autem tam exactè ponitur locus mortis, & tactus Cadaueris? vt ſcilicet poſſet Sacerdos ex loci circumſtantijs maiorẽ, vel minorem grauitatem culpæ dignoſcere; magis enim peccabat, qui in agro tangebat cadauer, cum de facili declinare poſſet, quam qui in Ciuitate in viarum anguſtijs cogebatur tangere: ita magis peccat is qui propria peccauit malitia, quam qui vel ſollicitatus, vel coactus peccatum patrauit; & ideo omnia aperienda ſunt Confeſſori, ne, cum aliquid lateat, vt iuſtam ſententiam ferre poſſit: ex eodem Ruperto *lib. 2. cap. 6. in Num. tomo 1. pag. 360. col. 2. Hoc diſcernendum eſt, vtrum in agro, vbi patet locus effugii, aut inter anguſtias murorum vrbis cadauer tetigerit. Ideſt illi, qui Confitenti pœnitentiam indicit, ſummopere diſcernendum eſt, vtrum is, qui mortua fecit opera, vel mortuis conſenſit operibus, ſponte peccauerit, an neceſſitate aliqua præuentus peccatum declinare nequiuerit*. Sed cum multi reperiantur qui in Ciuitate immundum tetigerint, rarus eſt qui ſe in agro tetigiſſe fateatur: nam homines, fœminæ præſertim ſemper ſuorum peccatorum cauſam proximum ſuum faciunt; ſed qui ex propria malitia ſe peccaſſe aperiat rarus eſt: ſed cum notæ tranſiliuntur Cantum vitiatum Dominus deſpicit.

4 Sed ad falſam vocem veniendum eſt: illa vox eſt falſa, quæ cum partem canit Alti, aut Captus, & vt vulgo dicitur *Soprano* Italicè, Hiſpanicè autem *Tiple*: & illam vocem conatur fingere, cum vox ſua ſit Tenoris, vel Baſſi. Qui autem hoc ingenioſè effingit vulgò vocatur *Falſetto*. In muſica autem ſpirituali non admittitur vox iſta falſa: Quæ eſt vox falſa pænitentis? mox dicam, ſi prius aperiam quæ debet eſſe. Vox Pænitentis in Confeſſione debet eſſe ſuprema vox, ideſt acuta, quæ dicitur Cantus, *Di ſoprano*: ideſt debet confiteri, & deteſtari culpam propter Altiſſimi Dei amorem, dolens quod Dominum ſuum offenderit. Qui autem Confitetur non propter Deum, ſed propter homines, ſcilicet non vt Deũ placet, ſed ne notetur ab alijs tanquam malus, hic falſam dat vocem, nam altam fingit & acutam, cum ſit baſſa, ideſt dicit ſe pænitere propter Deum, cum tamen propter homines id faciat. Huius figuram in Mattheo habemus, Dominus vt confunderet Principes Sacerdotum, & Seniores populi, interrogauit eos *Matth. cap. 21. verſ. 25. 26. Baptiſmus Ioannis vnde erat? e Cælo an ex hominibus? At illi cogitauerunt intra ſe dicentes &c. ſi autem dixerimus ex hominibus timemus turbam*. Vt eſſet vox eorum vox pœnitentiæ, debebant vtique fateri, vel quod erat e Cælo, & conſequenter ſe accuſare quia ei non credidiſſent: aut ſi reuera humanum putabant, idipſum fateri, & non tacere propter timorem hominum; quia confeſſio propter Deum non propter homines facienda eſt, Vidit hoc D. Ioannes Chriſoſtomus, & exprobrauit falſitatem vocis eorum *Hom. 68. in Matth. to. 2. col 480. lit. B. Cur autem non dixerunt ex hominibus Baptiſmum eſſe Ioannis? Turbas, inquit formidabant; Perſpicis cordis eorum peruerſitatem? Deum vbique contemnunt, & cuncta propter homines peragunt. Nam & Ioannem, non quia tantum virum vereantur, ſed multitudinis opinione perterriti, metuebant*. Idipſum facit peccator dum confitetur, non quia dolet de offenſione diuina, ſed quia opinionem hominum reformidat; ſed falſa vox diuinas aures delectare non poteſt.

5 Diſſona, ſeu diſcors vox tandem ea eſt, quando cum alijs non concordat; nam quiſque cantor ita debet vocem moderari; vt ſimul cum alijs debitam conſonantiam pariat: in hoc peccat qui vocem vt libet ſonare facit, cui reliquæ non concordant. Atque in Pœnitentiæ cantu illa vox diſſona, & diſcors eſt, quæ ore confitetur peccata, ſed corde non confitetur; quia videlicet verũ amplius nõ peccandi propoſitũ, non habet. Sed vox diſſona, nec conſona cordi repudiatur a Deo. Hoc ſignatum eſt in Leuitico, vbi ſacrificanti præcipitur *Leu. cap. 7. verſ. 30. Tenebit in manibus adipem Hoſtiæ, & pectuſculum, cumque ambo oblata Domino conſecrauerit, tradet Sacerdoti*. Tenere adipem eſt peccata benè excogitata confiteri, nec ſufficit tenere adipem, ſed neceſſe etiam eſt tenere pectuſculum, ideſt habere in corde, quod in pectore latet, verum propoſitum non peccandi; quæ duo cũ iunguntur, placet Deo, & offerri ei poteſt Pœnitentia noſtra: audiamus Rupertum *lib. 1. cap. 38. in Leu. tom. 1. pag. 309. col. 2. Prius enim oportet facta carnis, atque intentiones cogitationis vocari intus ad iudicium coram Domino, vt conſcientia accuſet, timor liget, ratio diiudicet, & cũ hoc reſpõſum acceperit, cũ hoc propoſitũ habuerit, quod de cætero emendare velit, tunc demũ confeſſionem puram offerat Sacerdoti*.

6 De Saule Iſraelitarum Rege ſcriptum eſt, quod de ſuis peccatis pænituerit; & quòd magos, & hariolos abſtulerit de terra, vt rem gratam Domino faceret: quare ergo Dominus pœnitentiam eius non acceptauit? quia timore pœnæ, & amiſſione regni motus fuerat, nec habebat propoſitum verũ abſtinendi ſe ab huiuſmodi Hariolis; quod patet, nam pridie mortis ſuæ Phytoniſſam quæſiuit, eamque conſuluit: quæ eum non cognoſcens renuebat dicens *1. Reg. cap. 20. verſ. 9. Ecce tu noſti quanta fecit Saul, & quomodo eraſerit magos, & Hariolos de terra*. Non ergo Hariolorum impietatem deteſtabatur qui ad eos recurrebat, ſed putans ſe poſſe Deum placare, ne eum a regno amoueret, illos ſubſtulit; quia verò propoſitũ eos amplius nõ conſulendi non habebat, vitam cum Regno perdidit. Ita D. Iuſtinus Martyr *in Reſponſ. ad quæſt. 52. orthod. pag. 328. Diuinatrices autem ſuſtulit, facto eo ſe Deum conciliaturum ſperans, vt ſuam ille ſententiam, qua eum, vt regno indignum repudiauerat, mutaret; non hariolorum odio habens impietatem, ſed regni adamans adminiſtrationem. Et quia conſilium eius Deus non probauit, propterea eum ita reliquit, vt illos is requireret, quorum non bono inſtituto patrauerat cædem*. Neceſſarium ergo videtur, vt qui verè pænitet animum recidiuandi non hebeat. Etenim illa pœnitentia Deo canit, illique placet, quæ huc uſque relatas circumſtantias habet.

§. IV.

Hic debemus pænitere, quia poſt mortem nulla eſt redemptio.

1 CAntabo Domino in vita mea. In vita ſua ſe cantaturum profitetur Propheta, & poſt mortem non

non

non cantat? Certè Angelorũ legimus Choros, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, perpetuò perſonantes, cur ergo & Dauid cũ illis non canit in gloria? Canit etiam & nunc, ſed alius eſt cantus Patriæ, alius viæ; alius æternitatis, alius vitæ præſentis. Loquitur hic Propheta de Cantu pœnitentiæ, qui tantum in hac vita fieri poteſt; neque enim, qui pœnitentiam modo reſpuunt, in altera vita poterunt adimplere; hic locus eſt cantus lachrymoſi, quem pœnitentia canit, illa vero Patria, gloriam tribuit, tormenta reſpuit; qui in hac vita cecinit pænitendo, canet ibi gaudendo; qui modo pænitentiæ cantum non amplexatur, ibi æternum plantum incurret. Vnde notat D. Ioannes Chryſoſtomus *in Pſal. 103. Cantabo Domino in vita mea: Hac quoque optimo iure adiunxit: non enim eſt in morte qui memor eſt eius: In Inferno autem quis confitebitur ei? Sic quippe fatuis Virginibus ianua clauſa eſt, cum lampadum geſtandarum tempus in olei coemptione conſumpſiſſent.*

2 Eamdem differentiam eſſe exiſtimo inter dolorem Pænitentis in hac vita, & in altera, quæ eſt inter vulnera Chirurgi, & hoſtis: vulnerat Chirurgus, vulnerat Hoſtis, ſed Chirurgus vt det vitam, Hoſtis verò vt afferat mortem. Similiter dolet de peccato Viuens in hac vita, dolet de peccato Damnatus in altera; Vtrumque peccaſſe pænitet, ſed Viuens ad vitam dolet, damnatus ad mortem; huius pænitentia eſt infructuoſa, illius meritoria. De his peccatoribus, qui nunc pænitentiam negligunt, ſed poſtea dabunt pænas ait Pſalm. 34. *verſ. 19. Diſſipati ſunt, nec compuncti*, ex quibus deducit D. Auguſtinus *in Pſal. 57. pag. 235. col. 2. lit. D. Modo fac, modo compungere; ne in te fiat quod dictum eſt de quibuſdam, deteſtabilibus: Diſciſſi ſunt, nec compuncti. Nolunt modo habere compunctionem medicinalem, habebunt poſtea pænalem*. Poſt mortem nil tibi ad vitam præſtat Chirurgus, dum viuis compunctionem adhibe pænitentiæ, quæ cum morte finitur.

3 Hanc doctrinam benè nouerat Santictiſſimus Rex Dauid; qui ſe peccaſſe cognoſcens, pænitentiam viuens amplectebatur, & a Domino in hac vita peccatorum veniam expoſcebat, dicens *Pſal. 38. verſ. 18. Remitte mihi vt refrigerer priuſquam abeam & amplius non ero*. Sciebat enim quod niſi in hac vita per pænitentiam veniam impetraret, in altera nullus pœnitentiæ locus daretur: Quem Prophetæ ſenſum D. Hieronymus explorans, ait. *in Pſal. 38. pag. 127. lit. C. Hic remitte Domine, ſi quid deliqui, quia in inferno nulla eſt Redemptio, quia nec confeſſio valet*. Operandum bonum eſt, & pænitentia amplexanda, dum tempus habemus, ne in æternum ſine vtilitate ploremus.

4 Nullum efficacius argumentum ad ſuadendam pænitentiam inueniri poterit, quam repræſentatio futuræ iræ; iudicij inquam, quod poſt mortem ſequitur. Reus enim ante latam a Iudice ſententiam, quidquid pro ſe facit, vel orando, vel ſatiſfaciendo, ſiue alios pro ſe intercedentes adducendo vtiliter facit, & cum ſpe veniæ; ſed poſtquam ſententia lata eſt, ſpes omnis perit. Dum viuimus pænitentiæ, & miſericordiæ tempus eſt, dolemus de culpis, Dominum exoramus, ſanctos ad noſtrum adiutorium vocamus, ſed cum morimur fertur ſententia, nullus eſt locus miſericordiæ, pæna ſuſtinetur, ſed non tenetur; nam ſola quæ voluntariè tenetur, meretur veniam. Hoc argumento Inſignis Prædicator vſus eſt, nempe Ioannes Baptiſta: qui prædicans pænitentiam, dicebat: *Matth. cap. 3. verſ. 8. Progenies viperarum, quis demonſtrabit vobis fugere a ventura ira? Facite fructum dignum pænitentiæ*. Perinde ac ſi diceret: Vos qui bene cognoſcitis peccatores eſſe, aliud effugium non habetis euadendi ab ira venturi Iudicis, niſi pænitentiam agere dum viuitis; nam poſt mortem veniam inuenire non poteritis, ſi modo pænitentiam non ſuſcipitis. En tibi Chriſologum. *Quæ eſt iſta ventura ira? Illa quæ non habet finem: quæ hominem non abſoluit morte, ſed colligat: nec iam veniæ ſpem habere permittit, quem ſemel Tartari deputarit ad pænam*. Prophetam ergo imitantes, nunc pœnitentiam faciamus, vt necem fugiamus æternam.

§. V.

Iuſtus omnia bona ſua in Deo quærit.

1 *CAntabo Domino in vita mea*. Qui creauit hominem & eum creaturarum omnium conſtituit dominum, ipſum hominem ad ſe direxit, vt omnia propter hominem; hominem propter Deum factum intelligamus. Et ſanè is finis homini ſalutaris eſt, cum in in eo beatitudinem ſuam inueniat. Ergo qui ſapit; omnes lætitias, omnes voluptates, omnes delicias ſpernit, quæ extra Deum reperiuntur; & in ipſo tantummodo glorioſo fine eius, Deo ſcilicet ſua bona quærit; ei canit, ei pſallit, ei placere ſtudet, quia ei viuit; hoc faciebat Dauid, qui oſtendens omnem vitam ſuam Deo tradidiſſe, nec aliud quam Deum guſtare, dicebat: *Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ſum*: & hunc ſenſum prophetica habere verba teſtatur Folengius, ſubdens. *Quandiu, inquit, vixero meam deuoueo vitam Deo: hanc illi conſecro, dedo, immolo: Quare ſi mihi deinceps lætandum erit, ſi canendum, ſi aliquid lucubrandum, is omnis meus erit ſcopus, & ſubiectum. Ne illi vnam ſi alium poſthac admittam vel amorem, vel metum, qui Dei non ſit*.

2 De Holocauſtho vidimus ſupra, quòd ſit Hoſtia tota Deo oblata, & ideo tota cremabatur in ſacrificium Domino; de quo præceptum eſt. *Leu. c. 6. verſ. 9. Cremabitur in Altari tota nocte*: Iſtud porrò holocauſthum Religioſum virum ſignificare non ambigo: is a mundo, eiuſque voluptatibus ſeparatus, totam ſe Deo dedicauit; ſed vt reſpondeant opera votis, diuini amoris igne cor ſuum cremare debet in Holocauſthum Domino, ita vt toto tempore ſuæ vitæ nihil aliud quærat quam Deum, & omne bonũ ſuum in eo poſitum quærat; de eius amore delectetur, ei obſequium præſtet, ab ipſo conſolationem hauriat, ipſum diligat, ipſum timeat, nil ſapiat, nil cogitet, nil deſideret, quod a Deo alienum ſit: hoc enim holocauſthum totum incenſum ſignificat, ſecundum Abbatem Rupertũ, & Dioniſium Carthuſianum: Quorum primus ait *lib 1. cap. 28. in Leu. tom. 1. pag. 303. col. 1. Altare noſtrũ Chriſtus eſt: Porro Holocauſthum noſtrum Cor noſtrum eſt totum incenſum, id eſt totum diuino amori deditum, & propter illum ab omni carnis amore ſeparatum: cremabitur, inquit, tota nocte, id eſt vſque ad finem vitæ*. Secundus autem teſtatur *de quatnouiſſ. artic. 10. Holocauſthum autem dicebatur oblatio, quæ ad diuinæ maieſtatis honorem totaliter comburebatur; ad figurandum, quòd homo debet ſe totum Creatoris ſui obſequio mancipare, & quidquid habet, poteſt, & eſt ad ipſius honorem, & cultum ordinare*. Holocauſthũ Deo, in quo bona noſtra quærenda ſunt, offeramus.

3 Quiſque hominum mundanorum ſuum proprium finem habet, non verum quidem, ſed ſibi a ſua malitia præſtitutum, vitium ſcilicet aliquod, de quo maximè delectatur; cui aſſiduè incumbit, & extra quod nullam capit voluptatem: Sic Verbi gratia qui ludo totaliter deuinctus eſt, ſi comedat, ſi bibat, ſi muſicam audiat, ſi pulchras intueatur res, ſi honoribus cumuletur, nil ſibi ſapit, nil eum delectat, omnia deſpicit dummodo non auferatur ludus; nec aurum ipſum, cuius tanta eſt in hominibus eſecranda fames, magnifaceret, niſi ludi eſca eſſet, propter quem diligitur. Hæc mundani. Iuſtus autem, qui verum agnoſcit finem, Deum nempe nullum gaudium, nullum delicium, nullã requiem extra Deum nouit; nec mundi proſperitates amat, nec aduerſitates formidat, nec delectamenta cupit, Deum amat, illi ſeruit, ac in eo gaudia, & bona ſua quærit: de huiuſmodi ſcriptum eſt *Pſal. 31. verſ. 14. Lætamini in Domino, & exultate Iuſti*: Nã in Domino eorũ lætitia, & exultatio eſt, extra illũ omnia mæſta, omnia mala: ita Mag. Grego-

rius *in Pſal.31.tom.2.pag.1136. lit. D. Iuſti tantum in Domino exultant, quia ita extra mundum ſunt facti, vt nec proſperari in mundo cupiant, nec aduerſa pati, nullo tacti præſentium amore, pertimeſcant.*

4 Nonne audiſti aliquando, quòd *Amor eſt virtus transformatiua amantis in amatum?* & addidit D. Auguſtinus: *Anima magis eſt vbi amat, quam vbi animamat:* Si ergo Anima Amantis in re amata eſt, conſequenter & ipſe omnibus mortuus eſt, & ſoli rei amatæ viuens, nam illi viuit, vbi habet animam; Igitur ea ſola ſentit, ea amat, de his voluptatem capit, quæ in amoris obiecto reperiuntur. Nos ergo cum Deum amamus, ita amare debemus, vt omnibus mortui ſimus, & vni Deo viuentes. Hoc faciebat, qui prædicabat: *Galat.cap.2.verſ.20. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me.* En quomodo Paulus omnibus mortuus erat, & vni Chriſto viuens, quia Chriſtus viuebat in Paulo, & Paulus in Chriſto ſecundum D. Bernardi ſententiam *ſerm.7. in Quad.pag.118.lit.C. Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus: ac ſi diceret; ad alia quidem omnia mortuus ſuum, non ſentio, non attendo, non curo; ſi quæ vero ſunt Chriſti, hæc viuum inueniunt, & paratum.* Omnia bona ſua in Deo locauerat, ac in eo quærebat, qui ita loquebatur.

5 Ex his apparet ratio cur Animæ ſpirituales, quæ Deum ardenter amant, tanto deſiderio ad patriam anhelant, mundum deſpiciunt, vitam faſtidiunt, & licet in contemplationem raptæ diuinas reuelationes, viſiones, & conſolationes hauriant, non ſatiantur, non lætantur, ſed ipſum diuinum ſponſum non iam in figuris, ſed in ſua gloria fulgentem videre cupientes, cum ſacra ſponſa exclamant: *Cant.c.1.verſ.1. Oſculetur me oſculo oris ſui.* Sponſa enim ſponſi ſui præſentia viduata, in nulla re conſolationem capit, ſed ipſum videre deſiderat, non iam nuncia paſcunt, non Epiſtolæ ſolantur, non numera delectant, ipſius præſentiam cupit, ipſum expetit. Sic & Animæ ſanctæ, quæ omnia bona ſua in Deo poſuerunt, nec ipſis ſpiritualibus conſolationibus gaudent, Angelorum ptęſentia, arcanorum reuelatio., Diuinarum rerum viſio, non famem extinguunt, ſed adaugent, ipſum Dominum iam videre deſiderantes. Audiamus eumdem Bernardum *ſerm.2. in Cantic. pag. 564.lit.H. Adhærens quippe Deo vnus Spiritus eſt. Merito proinde viſiones, & ſomnia non recipio, figuras, & ænigmata nolo, ipſius quoque angelicas faſtidio ſpecies. Quippe & ipſos longè ſuperat Ieſus meus ſpecie ſua, & pulchritudine ſua Non ergo alium ſiue Angelum, ſiue hominem, ſed ipſum peto oſculari me oſculo oris ſui* Nam qui verè Deum amat nullum bonum alibi, quam in ipſo quærit, & in eius viſione quieſcit.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Trigeſimus tertius.

Cantabo Dominæ glorioſæ in vita mea, & pſallam ei quamdiù ſum.

DOmino ſe ſemper cantaturum in hoc verſu Pſalmographus ſpondet, & nos etiam idipſum facere properemus; verùm etiam Dominæ noſtræ glorioſiſſimæ laudes vna ſimul cantabimus, nam a Filio matrem ſeparare in cantu, quæ in gloria coniunguntur, nefas eſt. Neque enim poſt ipſum Gloriæ Dominum, ſpecioſior gloria in cœlis eſt quam illa, qua decoratur MARIA; de qua D.Hieronymus. *Nec eſt in terris locus dignior vteri Virginalis Templo, in quo Dei Filium Maria ſuſcepit; nec in Cœlis ſolio regali, in quo Mariam hodie Mariæ filius ſublimauit.* Quod ſi ex gratiarum menſura, metiri gloriæ magnitudo poterit, quam gloriam habebit, quæ nulla caruit gratia? Si quidquid gratiæ excogitare potes Mariæ tribuas, non errabis, ſat eſt dicere gratiam habuiſſe, quæ Dei matrem decebat: plenam gratia prædicat Angelus, & nos gloria plenam dicamus, ſequentes Seraphicum Cardinalem: *in ſpec.Virg.lect.7. to.6.pag.464. col.1.lit.B. Quid mirũ ſi lætitiam plenã, & ſuper plenã habet in gloria quæ gratiã plenam, & ſuper plenã habuit in exilio?* Lætitia ergo, & gloria pleniſſimã eam cantemus, eius referentes laudes, eius laudantes gloriã; Vita noſtra Deus ſit, laus noſtra Maria ſit, Benedicamus in matre Filium, Matrem in Filio celebremus.

Maria Virgo poſt ſuam ad Cœlum Aſſumptionem maxima gloria, & lætitia decorata eſt.

1 C*Antabo Dominæ in vita mea.* Deiparæ ſemper Virginis laudes celebrare cupientes, quæ eius gloriæ lætitiam quantum poſſumus explicent; eius Aſſumptionis triumphum deſcribere prius opus eſt. Nec equidem Symbolum ſeſe offert glorioſius, quam Terræ Triumphus ab Ethnicis olim depictus: cum & de ipſa dicat Pſalm. 65. *verſ.1. Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.* Nã Mariæ laudes in Dei gloriam cedunt. Sed iam ad Terræ Tabulam figamus oculum. Mediis, & florentibus in pratis, ſub ſereno, & luminoſo Cęlo, currus videbatur, auro gẽmis, florib. frugibuſq; exornatus, in eo Mulier, terrã referens, coronata in maieſtate ſedebat; & ne otio-

ſam

Digitized by Google

ſam diceres altera manu clauem geſtabat, altera cimbalum ſuſtinebat: Libici, aurea fulgentes iuba, currum vehebant Leones, qui feritate depoſita, in Terræ obſequium colla ſubiecerant iugo; Aurigæ vero diſtrictis gladijs præliabantur, in eius defenſionem parati: tandem obſequentes currum gallinacei galli ſequebantur; qui pompam claudebant. Hic currus eſt, hic Triumphus, hæc Terræ pompa: quæ omnia quomodo triumphanti Mariæ conueniant a Doctiſſimo Incognito audiamus *in Pſal.65.verſ.1056.pag.417.col.2.lit.A. Imago terræ ſuper currum erat poſita, quia Beata Maria ad æthereum thalamum aſſumpta, iuxta Filium eſt collocata. Huic Leones ſubiciuntur, quia omnes Dæmones eius ſubduntur imperio. In manu geſtat clauem, quia Paradiſi porta per Euam cunctis clauſa eſt, & per Mariam patefacta. In alia manum portat cimbalum, quo omnes ad Dei excitat laudes. Aurigæ eius vibrant gladios, quia eius deuoti, exemplo illius proprium macerant corpus, in ſe omnia occidentes vitia. Galli ipſam ſequuntur, quia Prædicatores, per Gallos figurati, ipſam ſequuntur, ſemper in prædicatione eius inuocationem præmittentes.* Tam glorioſo apparatu In Cœlum Maria conſcendit.

2 Poſt ingreſſus Triumphum cum Regina in Regiam introducitur, in Regio collocatur ſolio, omneſq; Magnates, & Principes, omneſque populi ipſam adorant, & venerantur; ſolium enim eius iuxta Regem eſt, & regio honoratur cultu; omnes enim lætantes, de eius gaudent gloria, de eius lætantur laudibus. En Virgo Cœlos conſcenſa a Rege Filio ſuo in cubiculum ſuum introducta, in ſolio ſtellato conſidens omnium cœleſtium accolarum plauſus glorioſa excipit: Angelorum, Principes, omneſque Cœli magnates eam colunt, adorant prædicant, & tamquam Dominam venerantur: ipſa lætabunda canit *Cant. cap.1. verſ.4. Introduxit me Rex in cellaria ſua*: qua vnica ſententia omnes glorias ſuas demonſtrat, nam dum ſe in regia cella (vt matrem ſedere dicit, omnes, quæ regiam ſequuntur matrem, glorias, honoreſque ſe habere teſtatur. *Introduxit te Rex*, ait D. Ioan. Damaſcen. *orat. 1. de Dormit. Virg. pag.351. col.2. A. in Cellarium ſuum, vbi te ſtipant Potentes, Principes benedicunt, Throni concelebrant, Cherubim gaudentes admirantur, Seraphim gloria afficiunt, vt quæ Domini natura, & vera diſpenſatione Mater extiteris. Non enim vt Elias ad Cœlum aſcendiſti; non vt Paulus ad tertium vſque Cœlum ſubuecta es; verum vſque ad regium Filij tui thronum perueniſti.* Quod ſi magna in Regia Ciuitate, & Domo Reginæ Gloria eſt, quam gloriam non habebit in Cœlo Dei mater, Cœlorumque Regina?

3 Quia verò ſub Terræ nomine glorioſum, Mariæ triumphum induximus, ne Terræ nominis obliuiſcamur; De Deo Iſaias loquens, ait, tantam eſſe Maieſtatis eius gloriam; vt vniuerſam repleat Terram: *Iſai c.6. verſ.4. Plena eſt omnis terra gloria eius*. Quæ iſta terra eſt, & quomodo Dei gloria repleta eſt? Terram Mariam dicamus Dei gloria plenam. Cum Reginam glorificare Rex cupit ipſam regia clamyde purpura, gemmiſque renitente veſtit, ſicque pompis, & aurata vrilans veſte, omnibus glorioſa, & illuſtris apparet; hac glorioſa Dei veſte induta Maria eſt: *Pſal.44.verſ.11. Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*: nam ipſa Dei gloria plena Virgo in Cœlis refulget: talem Bonauentura perſpexit Seraphico intuitu tantam Reginam meditatus *in ſpecul.Virg.lect.7. to.6.pag.463. col.2.lit.F. Plena eſt ergo gloria Domini opus eius, Maria; quia ſicut dicitur in Iſaia: Plena eſt omnis terra gloria eius: Plena eſt vtique omnis terra. Plena eſt tota Maria, relucente in ſe plenitudine diuina gloria.* Sic refulget Regina noſtra a Deo gloria plena, decore induta, pulchritudine exornata.

4 Neq; hic ſiſtit Reginæ gloria, Populi enim, vt ſuam exultationem externis ſignis demonſtrent ora ſoluunt ad laudes eius, ipſam dictis concelebrant, ſuarum virtutum pingunt emblemata, cantilenas, & orationes in eius encomijs celebrandis componunt, canunt, recitant, publico conſpectui exponunt. Hoc & in Mariæ exaltatione factum eſſe certum eſt: Nam & Angeli lætantes celebrant, homines exaltant, iubilant omnia; & vt Propheta ait. *Pſal.18.verſ.1. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat Firmamentum: v.3. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*. Nam cum gloria Dei in Maria perſpiciatur, ipſam omnia celebrant; vt alibi idem canit: *Pſ.86. v.2. Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*. Omnes Creaturæ, omnes homines, omnes Angeli Mariam laudibus efferunt; ſed ita eius gloria ſublimis eſt, (vt quæ Matris Dei ſit) vt quanto plus in laudem eius dicitur, plus dicendum remaneat; gloria eſt, quam niſi Ille, qui dedit, exponat, creatus ſermo non explicat: vnde D. Bernardus ait. *De prec. ad Virg. pag.226.lit.E. Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei Genitrix, ſed adhuc locus eſt tuæ laudis; adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit: Non enim ſunt loquelæ, neque ſermones in natione, quæ ſub Cœlo eſt, quibus amplitudo gloriæ tuæ valeat explicari*. Et Richardus a Sancto Laurentio prædicat *De laud. Virg. lib.4.col.226.lit.E. Gloria Mariæ in hoc multum conſiſtit, quod de ipſa ab initio ſæculi multa, non ſolum dicta, ſed etiam figurata ſunt glorioſa. Ipſa enim eſt illa ciuitas, de qua dicit Pſalmiſta: Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*. Omnia Mariæ laudes reſonant per ora; nos vtique excitant ad concelebrandum; turpe enim tacere eſt, vbi omnia loquuntur.

5 Hoc euidenter colligitur ex ſacris literis. Salomonis Canticum ab Eccleſia Catholica Mariæ adſcribitur, & in eius laudem compoſitum extimat: vbi illud aduertendum eſt, quòd ipſa ſcriptura *Canticum canticorum* dicitur, quod nomen alteri ſcripturæ non datur, quia illa ſola tota cantabilis eſt. In Feſto autem Aſſumptionis Dominæ noſtræ ipſum Canticum recitatur, & in die, & per totam eius octauam; quia videlicet, quidquid in Virgine eſt totum cantabile eſt; non eſt in ea niſi gratia, niſi virtus, niſi gloria; nullus in ea defectus, nullum vitium, nullum peccatum; non eſt languor in ea, niſi forte qui ex amoris diuini ſpiculo ortus ſit. Pſalmi Dauid Cantici ſunt, ſed in multis eorum pœnitentiæ planctus exprimitur, At hoc Mariam celebrans Canticum canticorum eſt, nil pænitentiæ admittit, gloriam explicat, gratiam memorat, amorem canit. Præclarè vtique id a Ruperto Abbate docemur *lib.7.cap.13.de glo.Trin.to. 3.pag.82.col.2. De iſta dumtaxat ſcriptura hoc dicimus, quòd ſit tota Cantabilis; nam in cæteris ſcripturis multa ſunt lamentabilia pœnitentis Eccleſiæ, quæ in pleriſque peccauit; pro quorum parte, pro fructibus pœnitentiæ lamentatur, & gemit. Et hæc infra dignitatem ſunt Virginis Mariæ, cuius vita integerrima non habuit quid gemeret, niſi vulnus charitatis, propter dilationem plenæ, atque perfectæ Beatitudinis*. Hoc Canticum ergo iurè canitur, cum Virginis gloria celebratur.

6 Vt feſtiuis ludis oblectent Reginam, ſolent Equites ludere, & ſaltare concinnè; nec non ſaltantes, & ludentes, imò & canentes, & pſallentes ſpeciem Caſtrorum, & in caſtris præliantium referunt. His etiam oblectamentis Virgo decorata eſt, nã de ipſa ait Spiritus S. *Cant.c. 7.v.1. Quid videbis in Sulamite, niſi Choros Caſtrorum?* Choros dixit, & Caſtris iunxit, vt oſtenderet præliantiũ Choros ad oblectamentum dari, nõ ad terrorem; vt aduertit Idem Rupertus in Canticum *libro 6. tomo 2. pag.60. col 1. Quid inquam aliud? numquid ſanguinem Victimarum? Numquid circumciſionis cauterium? Nihil omnino, niſi Chorus Caſtrorum, ideſt laudes, ſiue cantiones Præliantium, Prælia Laudantium: quod ſuauiſſimũ, quam verè eſt, & pulcherrimum*. Gaude igitur, gaude Virgo glorioſiſſima, tantis honoribus exaltata, tãtis decorata ſplendoribus, omnium linguæ te celebrant, omnium corda tibi plaudunt; inter quos audeo & ego hoc exiguum Deuotionis meæ munus præſtare; vt qui indignus ad tuas laudes canendas inuenior, ſaltem Aliorum verbis, & orationibus, quantum conceditur, gloriæ tuæ magnitudinem mundo patefaciam.

Ian. de Mata. Xx 3 RADIVS

Digitized by Google

RADIVS QVARTVS: EXPOTISIO ALLEGORICA.

CAntat Domino non vox ſola concinnè modulata, ſed quæcumq; operatio debitis circumſtantijs exornata; canit & cor Deo contemplatione eleuatum: denique quæcumque Dei voluntatem exequuntur ei canunt: cum ergo multiplex canticum ſit, & multipliciter cantetur, Cantus, ſeu Cantici allegorias, nec non & Vitæ (quæ nec ipſa caret myſterijs) breuiter videbimus.

S V M M A R I V M.

1 *Canticum, & Canere quid allegoricè.*
2 *De Vitæ, ſeu viuere allegorijs.*

§. I.

Canticum, & Canere quid allegoricè.

1 C*Antabo Domino &c. Canticum*, vt ait D. Baſilius magnus, *in Pſal.29 pag.60.lit.B. eſt vox concinna, quæ cum armonica modulatione redditur*: Canere autem eſt, hanc ipſam vocem armonicam, ſeu modulationem reddere. Et primò Canticum eſt obiectum Contemplationis: de quo in titulo *Pſal. 29. Pſalmus Cantici*: & idem Baſilius *loc.cit. Canticum eſt quodcumque contemplatione ſimplici, theologicaque comprenditur.*

2 Canticum nouum eſt Dei cognitio gentibus tradita: de qua Dauid *Pſal.143.verſ.10. Deus Canticum nouum cantabo tibi*: & D. Hilarius *in Pſal. 143. col.1158. lit.C. Hoc Canticum nouum, quod omnis terra cantat, quod iam non intra Iudææ limbos, atque fines cognitio eius, qui omnia creauit, eſſe celebratur.*

3 Canticum nouum eſt Chriſtus vt in Pſalm.97. v.1. *Cantate Domino Canticũ nouum.* Vbi D. Hieron. *in Pſ. 97.pag.124.lit.C. Canticũ nouũ eſt Dei Filius crucifixus.*

4 Cantare Canticum nouum eſt in nouitate Spiritus Deum adorare: vnde Propheta ſuadet *Pſal.32 v.1. Cantate Domino canticum nouum*, & Magnus Baſilius *in Pſal.32.pag.63. lit B. Cantate Domino canticum nouum: hoc eſt non in vetuſtate literæ, ſed in nouitate Spiritus Deum adorate.*

5 Cantare Domino miſericordiam & iudicium, eſt non timere diſtricti Iudicis examen; vt dicebat Pſalmiſta: 100. *verſ.1. Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*: & D. Gregorius Magnus *Hom.22. in Ezech.to.2.pag.1388.lit. D. Sed quis ita iuſtus eſt, vt eius ſibi æternum iudicium ante mentis oculos reuocet; & non contremiſcat: an potius venire ad illud examen tanti Iudicis præſumat, feſtinet, & gaudeat? Quiſquis ille eſt, magnus eſt; quia iam miſericordiam Domini, & iudicium cantat.*

6 Cantores ſunt Amantes, qui diuina præcepta cuſtodiunt: de quibus Propheta *Ezech. cap.40. v.44. Gazophilacia cantorum in atrio interiori*, & ibidem Gregorius *loc.cit. Quid autem ſunt Gazophylacia Cantorum, niſi ſancta deſideria Amantium, qui præcepta diuina, quaſi quaſdam diuitias cuſtodiunt in mente, quas cantando ſeruant, quia mandata Dei, non ex timore, ſed ex amore perficiunt.*

7 Cantare in vijs Domini eſt per lectionem Prophetarum ad Chriſti notitiam peruenire: de quo Pſal. 137. verſ.6. *Vt cantent in vijs Domini*: & D. Hieronymus *in Pſal.137.pag.172.lit. D. Nos cantamus in viis Domini, hoc eſt in Moyſe, & Eſaia, & in Hieremia, & de viis iſtis venimus ad illam viam, quæ dicit; ego ſum via.*

8 Vineam meri cantare, eſt plantum, & fletum cauſare: De Hieruſalem ait Propheta; *Iſai cap. 27. verſ.2. Vinea meri cantabit ei*, & Idem Hieronymus *lib. 7. in Iſai pag.99.lit. E. Bibet igitur Hieruſalem, & propinatur ei meraca potio, vt plantum diſcat, & fletum.*

9 In Canticum verti, eſt irrideri a malis; quod contigit Iob dicenti: *capit.30. verſ. 9. Nunc in eorum canticum verſus ſum*: Vbi Magnus Gregor. *lib.20 c.17.mor. pag.772.lit. D. Quibus videlicet verbis illud S. Eccleſiæ tempus exprimitur, quo publicè a reprobis irridetur.*

10 Canere tuba eſt manifeſtare opera ſua: quod vetat Chriſtus *Matth.c.6.v.2. Cum facis eleemoſinam noli tuba canere, ante te*: & Gloſſa ordin. *Canere tuba ante ſe, eſt manifeſtare opera ſua bona per Hypocriſim.*

§. II.

De Vita, ſeu viuere allegorijs.

1 I*N Vita mea*: Vita in actu primo eſt præſentia animæ informantis corpus: vita in actu ſecundo, ſeu viuere, eſt operari opera vitalia, ſcilicet vel vegetando, vel ſentiendo, vel intelligendo. Et primò Vita hominum Deus eſt; & credere vitæ ſuæ, eſt de Deo recta ſentire; quod impius non facit apud Iob. *cap.24 v.22. Et cum ſteterit non credet vitæ ſuæ*: Vbi D. Gregor. *lib. 12.cap.3.mor. pag.688. lib.B. Vitæ ſuæ credere renuit, quia de Deo vera cognoſcere contemnit. Vitæ enim ſuæ crederet, ſi de Conditoris ſui ſubſtantia recta ſentiret.*

2 Vita noſtra Chriſtus eſt; de quo Apoſt. *Coloſſ.c.4.v.4. Cũ Chriſtus apparuerit vita veſtra* & D. Baſil. *in Pſ. 33. pag 69. lit.E. Igitur vera vita Chriſtus eſt, & noſtra in ipſo conuerſatio vera eſt vita.*

3 Vita vera eſt æterna: de qua in Pſalmo 33. *verſ.13. Quis eſt homo qui vult vitam*: & Idem Baſilius *loco cit. Si quis inquit, vult vitam; non communem hanc, quam viuunt & Bruta, ſed quæ prorſus vera eſt vita, nec vlla interciditur morte.*

4 Vita eſt gloria huius mundi: de qua Iob: *cap.3.verſ. 19. Quare data eſt miſero lux; & vita his qui in amaritudine Animæ ſunt* & ibi Romanus Gregorius *lib.5.c.3. mor.pag.404. lit B. Vita quippe amaricatis datur, cum huius mundi gloria triſtibus, gementibuſque tribuitur.*

5 Vita carnium eſt infirmitas, ſeu debilitas noſtræ conditionis; vnde ſapiens: *Prou. cap. 14. verſ 30. Vita carnium, ſanitas cordis*; & Idem Gregorius *lib.5. cap. 31.mor.pag.432.lit. B. Quid enim per vitam carnis, niſi infirma quædam, ac tenera ſignantur? &c. Vita carnium ſanitas cordis, quia ſi mentis innocentia cuſtoditur, etiam ſi qua foris infirma ſunt quandoque roborantur.*

6 Vitam manus inuenire, eſt bonis, & diuitijs abundare: quare ait Propheta genti Iudæorum *Iſai cap. 57. verſ.10. Vitam manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti*; Vbi D. Hieron. *lib. 16. in Iſai pag. 182.lit.C. Quia rebus omnibus abundaſti, & affluxiſti diuitiis, ideo Dominum neglexiſti.*

7 Aquæ viuentes ſunt baptiſma; vnde dicitur *Leu. c.14.verſ. 5. Super aquas viuentes*; & Gloſſ. ord. *Super aquas viuentes id eſt Baptiſmi.*

8 Viuus Paſſer ſignificat Diuinitatem Chriſti, ſicut Paſſer occiſus eius humanitatem; vnde dicitur; *Ibid. verſ.6. Alium autem viuum tinget in ſanguine immolati*; & Gloſſ.ord. *Viuens Paſſer in ſanguine occiſi Paſſeris tingitur, quia non in Humanitatis paſſione tantum, ſed Dei, & hominis baptiſmo lauamur.*

9 Viuere ſecundum carnem, eſt viuere in peccatis; quare dicitur *Rom.cap.8.verſ. 12. Vt ſecundum carnem viuamus*; & Gloſſ.ordin. *Hoc eſt in peccatis; & vt permittamus vitam carnalibus concupiſcentiis.*

Verſus

Digitized by Google

Verſus Trigeſimusquartus.

יֶעֱרַב עָלָיו שִׂיחִי אָנֹכִי אֶשְׂמַח בַּיהוָה׃

Verſio ex hebræo.	*Dulceſcet ſuper eo eloquium meum, ego lætabor in IEHOVAH.*
Vulgata editio.	*Iucundum ſit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino.*
D. Hieronymus.	*Placeat ei eloquium meum, ego autem lætabor in Domino.*
Aquila.	*Suauis ſit ei diſputatio mea, ego autem iocundabor in Domino.*

RADIVS PRIMVS: EXPOSITIO LITERALIS.

VErbum עָרַב à quo deductum eſt futurum יֶעֱרַב *dulceſcere, & placere* ſignificat; porrò futuri temporis eſt cum affixo tertiæ perſonæ ſingularis; quod autem in imperatiuo ſeptuaginta, vulgata, & Diuus Hieronymus verterunt potius ad ſenſum, quam ad verbum expoſitio eſt. Sequitur deinde אֶשְׂמַח futurum verbi שָׂמַח quod *lætari* ſignificat, quia verò qui lætatur, etiam delectatur, *delectabor, & iocundabor*, aliqui tranſtulere. Cœterum ſententia huius verſus tota Moralis eſt, vnde ſenſus ipſe Literalis, Moralis eſt.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

CVm omnia Creationis opera Pſalmographus contemplatus eſſet, & Diuinæ Sapientiæ lumen in eiſdem rutilare mentis oculo perſpexiſſet, in ſupernarum viſionum dulcedinem raptum, fructum ſuæ contemplationis ſe conſequi vltrò fatetur; nam qui alibi dixerat; *In meditatione mea exardeſcet ignis*: hoc iam in ſe compleri videt. Conuerſari enim cum Deo dulcedinem, & Lætitiam magnam parit, dummodo opera noſtra correſpondeant, vt ſcilicet & ipſa in Charitate peracta Deo placeant.

SVMMARIVM.

1 *Conuerſatio Diuina dulcedo ineffabilis.*
2 *Qui vult guſtare Dei conſolationem, debet illum delectare operibus ſuis.*

§. I.

Conuerſatio Diuina dulcedo ineffabilis.

1 D*Vlceſcet ſuper eo eloquium meum, ego verò delectabor in Domino.* En pſallentis Animæ finis, en contemplationis fructus acquiritur: quare ò Propheta tam longo cantico creationis opera meditatus es? equidē vt contemplationis dulcedinem conſequereris. Quò tēdunt homines inſani, ignaui, delirantes, qui hiſce præſertim diebus bacchanalibus dediti, conuerſationes humanas, curioſas, ridiculas, turpes affectant, amant, inquirūt? quem ſuarum meditationum fructum aſſequentur, niſi ægritudinem corporis, & animæ mortem? Heu nos miſeros, falſa boni apparentis ſpecie inlectos, Tartarus iocundatus expectat; & breuis, turpiſq; delectationis ſaturitas, æternam præſtolatur inædiam. Non ſic Sanctiſſimus Rex, non ſic Animæ Sanctæ, ſed diuinis meditationibus intenti, & diuinæ conuerſationi vacantes, & hic dulcedinem hauriunt ineffabilem, & poſt mortem æternam iocunditatem expectant. Ne reputet mundus ſpirituales animas triſtes eſſe, quia ridere de turpibus, delectari de terrenis reſpuunt, quia internæ dulcedinis ſuauitate repletæ maximè iocundantur; ſicut expertus teſtatur. *O quam ſuaue commercium, imò quam inenarrabilis dulcedo in humanis viſceribus oritur, cum Creator, & Creatura alterius in ſe inuicem affectibus delectantur: ſicut per Prophetam dicitur: ſuauis ſit ei laudatio mea, ego verò delectabor in Domino.* Hæc Petrus Damianus, *lib. 7. ep. 19. to. 1 pag. 347. lit. A.*

2 Sed

2 Sed dicito mihi, quicumque es, qui terrenis conſolationibus delectaris; quæ ſunt ea, quæ tibi videntur iocunda, delectabilia, amabilia? Delectat te forſan eduliorum affluens copia, & opiparè præparata; combuſtorum aromatum ſuauis, & fragrans odor, conuerſantium amicorum comitas, mimorum ſcurrilium ſapor, Voluptatū carnalium amor, ſenſualium deliciarum dulcedo? Hæc trahit voluptas? Hæc dominatur cupido? Heu te miſerū, dulcedinem optas, & à vera delectatione elongaris. Hæc omnia in contemplatione cęleſtium, in Dei conuerſatione perfectiſſimè habētur; & quod bonū deficere poterit, vbi ſūmū eſt bonū? omnis amor, omnis dulcedo, omnis ſapor, omnis odor, omnis voluptas perfectiſſimo modo in Deo eſt, audi Prophetam dicentem, Pſalm. 67. v. 3. *Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia*: Et quæ epulandi, & delectandi, & lætandi cauſa adeſt: Ipſa Dei facies, *ver 9. Etenim Cœli diſtillauerunt à facie Dei*: A facie Dei, ideſt ab eius conuerſatione: omnis manat dulcor, amor, ſapor, voluptas; ergo in aſpectu eius epulandum, lætandum, & delectandum eſt: vt inquit Alexand. Halenſis, *in c. 1. Apocalipſ. pag. 22. col. 1. lit. B. Ab iſta facie Domini ſplendore luminoſiſſima, dulcore grauiſſima, amore deſideratiſſima, ſtillat in Sanctis, ideſt electis Dei, cœlicus amor, cęlicus odor, cœlicus ſapor, cælicus dulcor: amor vrit, odor trahit, ſapor reficit, dulcor allicit*. Quæ maiora delectamenta requiris? ſi hæc guſtata te non alliciunt, prorſus deliras.

3 Neque vituperes ſermonem meum, ſi dulcedinem ineffabilem contemplationis diuinorum, hiſce caducis delitiis ſimilem dixerim; ſcio etenim illam eſſe ineffabilem, inenarrabilem, incomparabilem; tanta enim in contemplatione Dei hauritur voluptas, vt nec ipſi animo, qui guſtat, & experitur, explicabilis ſit. Nil mirum erit, ſi vt eam tibi inſinuarem, qui tantum carnalia nouis, carnales ſimilitudines afferam: quod & fecit Pſaltes, qui vt ſuam delectationem, quam in contemplatione habuerat, explicaret, lætitiæ Diuitis, qui plenus diuitijs eſt, cōparauit, dicens: *in Pſal. 118 v. 13: In labijs meis pronunciaui, omnia iudicia oris tui*: hæc fuit ipſius meditatio: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnib. diuitijs, v. 14.* hic fuit contemplationis effectus Quaſi diceret vir Sanctus. Ego ad diuinam conuerſationem accedens meditari cæpi omnia iudicia eius, quæ pro me facienda, & complenda in fine temporum ore ſuo promiſit, & hanc meditationem tanta proſecuta eſt delectatio, vt neſcio quomodo eam explicem, ſed quia video Auarum hominem, cùm omnibus diuitijs plenus eſt, in illis maximopere delectari, illi meam dulcedinem ſimilem dico, licet in Infinitum eam excedat. Fauet huic Paraphraſi D. Ambroſius, *ſerm. 2. in Pſal. 118 tom. 2. pag. 419. lit. A.* his verbis. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs: Alij in auro, alij in argento, alij in veſtibus, alij in poſſeſſionibus, vineis, oleis, ſegetib. Alij in operibus picturæ, marmorum; in diuerſis denique ſinguli delectationes habent. Spiritalis in via teſtimoniorum cęleſtium delectatur, tamquam omne poſſidens patrimonium, in omnibus diues*: & poſt nonnulla, *lit. B. Is, tanquam in omnibus diues, vberem capiet voluptatem: & quia ſuauis eſt corporalis voluptas, ideo, nō quaſi pro gratiæ qualitate, cum ſpiritalibus comparatur, ſed quaſi ad teſtimonium ſuauitatis acceſſitur*. Sic vtcumque indicata eſt diuinæ conuerſationis dulcedo.

4 Haud rarò contingere ſolet, vt cęleſtia contemplātes tanta dulcedine repleantur, vt in mentis exceſſus rapti, & extra ſe poſiti, ſaltent, canant, exultent, vt qui diuini Spiritus gratias ignorat, ſaltus, & cantus huiuſmodi irrideat, ſed illi amoris magnitudine ardentes ab huiuſmodi exultationis effectibus temperare non poſſunt. Beatiſſima Deipara Virgo ſtatim ac ad cognatā Eliſabetham venit, ac de diuinis beneficijs miſcuere colloquia, in mentis exceſſum omnes rapti ſunt; & diuino ſpiritu pleni, exultauere: ſaltauit in vtero Ioannes, prophetauit Eliſabeth, Canticum eructauit Maria: & ſuæ exultationis cauſam adducens, ait, Luc. *cap. 1. verſ. 47. Magnificat Anima mea Dominum; & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*: qui enim Dominum contemplatur, qui eum magnificat, in eo exultat, in eo delectatur, alia ſpernit: *Signanter addidit* (ait D. Auguſtinus *ſermon. 2 de Aſſumpt. qui eſt 83. in Append. to. 10. pag. 707. col. 1. lit. C.*) *in Deo ſalutari meo: ac ſi diceret Anima, quæ magnificat Dominum, non in quolibet alio, ſed in illo tantum exultat, quem amando magnificat*. Quamlibet exultationem habebis, ſi Deum contemplaueris.

5 Sed audio obiectionem tuam, & quærimoniam tuā ſi tanta delectatio, & ſuauitas in vita ſpiritali guſtatur, cur ego, inquis, eam ignoro, eam non ſentio? Quia non guſtas, quia Deum non meditaris, quia Ieſum non amas: neque enim ſentiri poteſt dulcedo, quæ non guſtatur. Nec quę dico ſatis erunt ad diuinam dulcedinem ſuadēdam ei, qui numquam ſenſit. Si tu cibum haberes dulciſſimum, & ſuauiſſimum, & ſuaderes alicui, vt eum comederet, ornatiſſimis verbis eius explicans dulcedinē non multum appetitum eius moneres; ſi autem tantillū illius, ori eius guſtandum dederis, ſtatim maxima voluptate guſtatum deſiderabit: & pro eo omnem aliam eſcā abijciet: non guſtato autem illo nullam pro eo eſcam aſpernabitur, Ita in cæleſti conſolatione, ſi non guſtaueris difficulter pro ea mundanas delicias ſpernes: idcirco ſuadebat Propheta, Pſalm. 33. v. 8. *Guſtate, & videte, quoniā ſuauis eſt Dominus*: Guſtantibus ſuauis eſt Dominus, nō guſtantibus nequaquam: audi Baſilium Magnum, *in Pſ. 33. pagin. 68. lit. E. Quoniam enim Dominus noſter verus eſt panis, & eius caro verus cibus: neceſſe eſt vt voluptas lætitiæ panis per guſtum ſpiritualem in nobis gignatur. Sicuti mellis natura vires ſuas haudquaquam tam adeo exerit, ac repræsētat inexpertis ſermone, quam ipſo ſenſu guſtus: ſic nec Verbi cœleſtis ſuauitas humanæ doctrinæ verbis tradi euidenter poteſt*. Guſta igitur dei conuerſationē in meditatione verborum eius, & ineffabilem in ea dulcedinem experieris.

§. II.

Qui vult guſtare Dei conſolationem debet illum delectare operibus ſuis.

1 I*Vcundum ſit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino*. Multi ſunt, qui ad diuina contemplanda ſe conferunt, qui hanc Animæ eſcam comedunt, nec tamen conſolationem, & delectationem hanc maximā ſentiunt: ergo dulcis non erit, quæ guſtata non delectat Dei conuerſatio. Huic obiectioni ipſa Prophetæ verba, ſi bene penſentur, ſatisfaciunt: nam prius procurat quod ſuum eloquium ſit Deo iocundum, & gratum, & deinde infert, ex ipſo delectationem oriri. *Iocundum ſit ei eloquium meum*. vel *placeat ei eloquium meum*, vt exponit D. Hieronymus: & cum meæ operationes ei placuerint, *ego delectabor in Domino*. Etenim ſi quis amaricata lingua, & ſenſu guſtus alterato cibum dulciſſimum guſtabit, nullam ſentiet dulcedinem, ita qui in peccato eſt, cuius opera Deo non placent, nec iocunditatem afferunt, in Domini conuerſatione delectationem non ſentiet: id oſtendit D. Ioannes Chriſoſtomus, *in Pſ* 103. *Iucundum ſit ei eloquium meum: Velim autem, inquit, vt hæc mea laudatio ei iucundiſſima, & ſuauiſſima exiſtat: ego verò delectabor in Domino: Hoc ſi accidat, inquit, lætitiam hinc accipiam*.

2 Hanc animæ delectationem conuerſatio cum Deo cauſare debet, & idcirco mutua eſſe debet. Etenim ſi tu cum amico aliquo confabulares, qui tuis verbis non reſponderet, nec intenderet eis, nec guſtum ſed faſtidium ex tuis verbis ſentiret, certè nec tu aliquam caperes voluptatem; quòd ſi ille gratum ſibi ſermonem tuum eſſe monſtraret, & mutuò loqueretur, commendans loquelam tuam, tunc tu de conuerſatione illa lætareris. Huiuſmodi in meditatione contingit caſus; ſi tu fide integra, mente pura, dilectione ardenti Deum delectas, & tu viciſſim delectaberis. Delectabatur Sponſa illa ſacra de Dilecti tui conuerſatione, ſed attende cauſam. Cantic. c. 7. v. 10.

Digitized by Google

7.v.10. *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius*: Ipſa fide & charitate plena Deum Delectabat, & ſic dulcedinem diuinæ viſitationis guſtabat: vt vidit, & notauit Magnus Gregorius, *in c.7. Cantic.10.2.pag.1225.lit E. Ac ſi diceret. Quoniam fide, & dilectione ſoli Chriſto adhæreo, ſolum ſequor, ſolum cum Patre, & Spiritu Sancto vnum Deum videre concupiſco, reſpectionis eius ſuauitatem, viſitationis benignitatem, & conuerſationis dulcedinem gaudenter experior.*

3 Quicumque ergo cupit in Dei conuerſatione dulcedinem ſentire ineffabilem debet examinare prius conſcientiam ſuam, quòd ſi bona inueniat opera, lætus ad meditandum accedat, ſi mala, ea pęnitentia tergat, & tunc cum ſperat opera ſua Deo placere poſſe, ad meditandum ſe conferat; quod hortatur Sapiens, Eccle.*c.9.v.7. Vade ergo, & comede cum lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Ideo dicitur*, ait Hugo, *in v.35. Pſ.103. Vade ergo, & comede cum lętitia panem tuum. & bibe cum gaudio vinum tuũ, quia Deo placent opera tua; De hoc ſequitur lætitia æterna, & temporalis.* Delectet ergo Deũ opera noſtra bona, vt & nos eius conuerſationis dulciſſimam ſentiamus ſuauitatem.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Trigeſimusquartus.

Iucundum ſit ei eloquium meum, ego ab ea in hora mortis adiutus delectabor in Domino.

ADuocata generis noſtri Virgo Deipara, ita nos ſub protectionis ſuæ recipit alis, vt in noſtris neceſſitatibus inuocata, præſtò inuocantibus adſit, & materna eos foueat Charitate; & vbi maius periculum ſubeſt maiora præbet auxilia. Præcipuus autem dilectionis ſuæ in deuotos ſuos effectus in tempore mortis cernitur; nullus enim magis homini pertimeſcẽdus eſt caſus, quam mala mors, vnde æterna ſequatur pœna; & tunc maximè nobis aſſiſtit Maria, ne à Diabolo decepti perpetuam damnationem inueniamus: idcirco in oratione, quam ad eam Eccleſia mittit Catholica, dicitur: *Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtra*: Et Seraphicus Bonauentura in ſuo Mariano Pſalterio, verſum hunc Pſalmi 103. ita Glorioſiſſimæ Virgini aptat, inquiens *tom.6. pagin.510. liter.C. Iocunditatem æternam da ſeruitoribus tuis, & noli eos obliuiſci in certamine mortis*: De præſidio igitur Virginis in hora mortis noſtrę hoc in loco videndum eſt.

Maria Virgo morientium eſt Prȩſidium.

1 I*Vcundum ſit ei eloquium meum*: Filii Adam Rerum temporalium fulgore ſeducti, ingenium, & vires in eo impendunt, vt auro, argento, cæteriſque opibus, ac terrenis bonis abundent; illi cenſentur apud eos felices, qui Diuites ſunt, & locupletati; hic totus eorum labor eſt, in his acquirendis deſudatur, huic rei tota noſtra negotiatio datur; ſed quam vanum hoc ſit Mors ipſa conuincit. Etenim cum timenda illa hora peruenerit, in qua de hoc mundo tranſeundum eſt, quid Diuitiæ tot comparatæ laboribus iuuabunt? velis, nolis, derelinquendæ ſunt: felicitas mortis, æterna iubilatio, introitus Paradiſi, non gemmis comparatur, non auro: Nec Regis maieſtas, nec militis fortitudo, nec pulchritudo mulieris, nec vana ſapientia ſæculi aduerſus mortem aliquid erunt. Quid ergo reſtat ſpei in terribili illa hora? ſolum Mariæ præſidium. Ea propter iurè merito ei applicatur, id quod de Sapientia Salomon dixit, Prouerb.*c.3.ver.15 Melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi, & puriſſimi fructus eius, prætioſior eſt cunctis opibus.* Qui Mariæ patrocinium ſua pura deuotione acquirit, optimè negotiatus eſt, opes argẽto, auro, gemmiſque prætioſiores habet, nam tempore mortis, ab aliis bonis derelictus, Marię præſidium præſens habebit: vt optimè ratiocinatur Richardus à S Laurentio, *lib.2. de Laud. Virg. colum. 113. lit. D. Omnis iſtorum temporalium acquiſitio deficit homini in neceſſitate extrema: ſed Beata Virgo, nec invita, nec in morte deeſt amatoribus ſuis: imò ipſorum animas de corporibus exeuntes benignè ſuſcipit, & protegit ab incurſu malorum ſpirituum.*

2 Quanta ſit malignorum ſpirituum in homines inuidia, neminem puto latere, qui cum ſemper oppugnent eos, ne, ab eis perditam gloriam, conſequantur; tunc præcipuè omnem adhibet induſtriamũ, omnes exert vires, cum in mortis periculo vident poſitos, quia ſcilicet modicum tempus habent: tunc autem & præſidium noſtrum Beata Virgo adeſt, & etiam ipſa nos protegendo vim ſuam, & potentiam ſuam adhibet; & cum *terribilis ſit vt Caſtrorum acies ordinata*, immundorum ſpirituũ phalangem in fugam vertit. Quòd ſi de eius Filio dicitur, Pſ.96.v.10. *Cuſtodit Dominus animas ſeruorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos*: idipſum de Virgine dicere poſſumus, quę animas ſeruorũ ſuorũ tempore mortis, de infernaliũ hoſtiũ manu liberat: quare ait Richardus, *loc.cit. col.102. lit.E. Seruorum ſuorum animas de corporibus exeuntes protegit ab incurſu aërearum poteſtatum, quibus eſt terribilis vt Caſtrorum acies ordinata, ſicut ſæpè legimus in miraculis eius. Cuſtodit enim exemplo filii ſui Animas ſeruorum ſuorum, & de manu pecca-*

Digitized by Google

peccatoris liberabit eos. Quod etiam teſtatur Lauſanenſium Præſul D. Amadeus, *Hom.8.pag.821.col.1. Alius in exitu vitæ iter prebet ſecurum, vt nulla deterreat virtus aduerſarii, quibus ducatum præſtat ad Chriſtum, Mater vnigeniti Dei.* Neque enim aduerſus tantum præſidium aliquid inimicus poterit præualere.

3 Ex hoc intelligitur vis illa in initio mundi mulieri in ſerpentem data; cum .n. ex ſerpentis ſuggeſtione decepta mulier miſerabiliter ab innocentiæ ſtatu cecidiſſet præteritam inter eos familiaritatem in inimicitiam vertens Deus dixit ſerpenti: Gen.c.3.v.15. *Inimicitias ponā inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Quomodo intelligitur ſerpens mulieris calcaneo inſidiari niſi dicatur, quod ſemini Mulieris, ideſt hominibus electis, & Sanctis, qui ſpecialiter Mariæ filii dicuntur inſidiatur Diabolus in calcaneo mordens, ideſt in exitu vitæ tentans eos: ſed Mulier caput eius conterit, quia Præſidium Virginis inſidias eius detegit, & ſic ſuperatur: Optimè id docet Sanctus Florentinorum Antiſtes Antoninus, *Part.4.ſum.tit.15.c.14. Inſidiatur iam calcaneo mulieris ſerpens antiquus, quod ſemen eius ſpiritale, nempe electos, in particulari iudicio in fine vitæ cuiuslibet hominis, etiam Sancti, fortiter tentans ad decipiendum. Verum adiutorio Chriſti, & Matris eius, ipſius inſidiæ detegentur, vt ſuperetur; vt de multis legimus, quos in exitu ſuo quaſi deficientes Virgo liberauerit.* Non timet inſidias infernalis ſerpentis, qui Deiparæ Mulieris præſidium habet.

4 Quapropter omnes homines, & ipſi, qui maiori merito, ſanctitateque morum refulgent, cum in extremo vitæ periclitantur, Mariæ vultum videre deſiderant, ipſius præſidium expoſcunt; ex quorum nomine prædixerat Rex Sanctus, Pſal.44.v.14. *Vultum tuum deprecabuntur omnes Diuites plebis:* Per diuites namque plebis viri Sancti intelliguntur, qui virtutibus, quæ veræ ſunt opes diuites ſunt, & iſti Diuites, iſti Sancti, cum in extremo vitę periculo laborabunt, inuocabunt Mariam, eius gratioſiſſimum vultum videre deſiderabunt, vt ab eius intuitu lætificati, contra hoſtem præualentes, ſecurius ad Chriſtum perueniant. Id ex ſui, & aliorum nomine rogabat D. Bernardus. *ſerm 2.de Aduen.pag.7 lit.G. Gratioſus tuus Vultus Beata Virgo mihi appareat in extremis; formoſitas faciei tuæ lætificet ſpiritum meum egredientem, vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis, vt eodem alueo, ad largitorem gratię gratia redeat, quo influxit.* Idipſum & ego ſupplex oro Virgo glorioſa, & quamuis indignum tua protectione me ſentio; ſpero nihilominus miſericordiam tuam, mihi in extremo haud defuturam.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

IN hoc Verſu petit Propheta eloquium ſuum iucundum eſſe Deo; quia verò Eloquium diuerſimodè accipitur ſecundum allegoriam, de ipſius ſymbolis videndum eſt, nam nec omne Eloquium Deo placere poteſt. Idem autem videtur eſſe Eloquium, ac Sermo, vnde vtriuſque vocis allegorias ſimul trademus. Deinde de Delectatione, ſeu Delectari ſignificationibus agemus, pro huius Verſus complemento.

SVMMARIVM.

1 *Eloquium, ſeu ſermo quid ſit allegoricè.*
2 *De Delectationis, & Delectari allegoriis.*

§. I.

Eloquium, ſeu Sermo quid ſit allegoricè.

1 ELoquium, ſeu Sermo eſt multorum verborū adunatio ad aliquid ſignificandum: Et primò. Eloquium ignitum Dei, zelus eſt Diuini honoris in homine Deum amante, de quo Pſal.118.v.140. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud,* vbi D. Auguſtinus, *concion.28 in Pſ.118.pag.463.col.1.lit.G. Deinde conſiderans ipſe in verbis Dei qua flamma dilectionis arderet: Ignitum inquit eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud: meritò zelabat in ſuis inimicis cor impænitens, qui fuerant obliti verborum Dei.*

2 Eloquium de corde prolatum eſt doctrina, quæ docetur ſecundum id quod rectè ſentitur, de qua apud Iob, c.8.v.10. *De corde ſuo proferent eloquia,* & Magn. Gregorius, *lib.8.c.23.mor.pag 498.lit B. Sed illi contra te audiendi ſunt, qui verba ex corde proferentes, recta viuendo docuerunt.*

3 Sermo Domini prætioſus, eſt rara prædicatio veritatis, vnde dicitur, 1. *Reg.c.3.verſ.1. Sermo Domini erat pretioſus,* & ibi D. Gregorius, *in c.69.1.Reg.pag.74.lit.D. to.1. Prætioſus itaque ſermo erat, quia dum rarus eſſet, qui ſumma contemplando cerneret. frequens eſſe non poterat qui bona loquendo prædicaret.*

4 Sermo Samuelis veniens vniuerſo Iſraeli, eſt multitudinem fidelium peruenire ad gaudia æterna ſecundum promiſſionem Sanctorum Prædicatorum, ſic dicitur, Ibid.v.2. *Et venit ſermo Samuelis vniuerſo Iſraeli* & citatus Gregorius, *loc.cit.pag.95.lit.E. Vniuerſo igitur Iſraeli ſermo Samuelis venit, quia omnis multitudo S. Eccleſiæ ad gaudium æternæ beatitudinis peruenit: & quod nunc in fide ſermonis à Sanctis eius Prædicatoribus repromittitur, per res veritatem eiſdem in regnis cęleſtibus exhibetur.*

5 Sermo diſplicens in oculis Samuelis, eſt res Deo contraria, quæ à Sanctis Viris deſpicitur, poſtquam per ſpiritualem cognitionem deſpiciendam eſſe cognoſcunt, quare ſcriptum eſt, ibid c.8.v.6. *Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis,* & citatus Sanctus Doctor, *loc.cit.in c.8.pagin.137.lit.A. Bene ergo dicitur: Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis; quia à viris ſpiritualibus nil ante deſpicitur quam deſpiciendum eſſe per ſpiritalem mentis intuitum iudicetur.*

6 Sermo Regni eſt dignitas paſtoralis, quē ſermonem Saul non indicauit Patruo, Ibid.c.10.v.16. *Sermonē autē Regni non indicauit ei; vt declinaret vanam gloriā,* quare ait Idem Gregor. *loc.cit.in c.8.pag.191.liter.D. Sermo Regni eſt honorabilis dignitas paſtoralis. Verbum ergo regni Rex non indicat; quia Paſtor Eccleſiæ magno Diuinitatis ſplendore loquitur, ſed elatione non loquitur.*

7 Sermonibus Sancti contradicere, eſt murmurare de tribulationibus à Deo miſſis; quod ſe facturum teſtatur

Digitized by Google

ſtatur Iob,*c.6.v.10.Nec contradicam ſermonibus Sancti*, & Romanus Gregorius,*lib.7 cap.7.mor. pag.461. lit.D. Beatus igitur Iob ſermonibus Dei contradiceret,ſi de eius percuſſionibus murmuraret*.

§. II.

De Delectationis, & Delectari allegoriis.

1 E*Go vero delectabor in Domino*. Delectari eſt aliqua voluptate affici.Et primò delectari in factura Dei,eſt per opera creata Creatorem cognoſcere,vt ait Pſalmiſta,Pſ.91.*ver.4. Delectaſti me Domine in factura tua*,& ibi D.Hieron.*in Pſ.92.pag.117.lit.H.Quodcumque aſpexero delectat me,intelligo enim Factorem,& benedico Deum*.

2 Delectari cum lætitia,eſt exultare in gloria Paradiſi,quod de iuſtis dicitur Pſ.67.*v.3. Et delectentur in lætitia*,vbi D.Auguſt.*in Pſ.67.pag 230.lit.D. Delectentur in lætitia,non iam exultantes in tremore, ſicut in hoc ſæculo*.

3 Exitus matutini,& veſpertini Delectantes Deum, ſunt Hymni,qui matutinis, & veſpertinis horis ab Eccleſia cantantur,dicente Pſalmo 64.*v.8. Exitus matutini,& veſpere delectabis*,& D.Hilarius,*in Pſ.64.col.769. lit.F.Progreſſus Eccleſiæ in matutinorum,& veſpertinorum Hymnorum delectatione, maximum miſericordiæ Dei ſignum eſt:Dies in orationibus Dei inchoatur, Dies hymnis Dei clauditur*.

4 Delectari Sponſam in myrrha,gutta,& caſſia, eſt Animam delectari in meditatione myſteriorum paſſionis Chriſti,dicente Pſalmo.44.*ver.10.Mirrha,& gutta, & Caſſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis,ex quibus delectauerunt te Filiæ Regum*,& idem Baſilius,*in Pſ.44. pag 77.lit.E.Habes ergo myrrham ob ſepulturam, guttã ob deſcenſionem ad infernum, caſſiã verò ob carnẽ circa lignum diſpenſationem,Ex hac denique cauſa,*Delectauerunt,*inquit,te filiæ Regum in honore tuo*.

5 Non delectari Deum Holocauſthis,eſt ipſum nolle victimas veteris legis,ſed ſacrificium laudis cordis noſtri, vnde Propheta Pſ.50.*v.18.Holocauſthis nõ delectaberis*, & Magn.Greg.*in Pſal.50.tom.2 pag.1155.lit.C.Sciebat Propheta per ſpiritum,quia illa legalium inſtituta ſacrificiorum, ad inuiſibilis eſſent oblationis intelligentiam transferenda;quia illud verum,& acceptabile eſt ſacrificium,quod aliquis puro corde laudat* Deum.

6 Delectationes in dextera Dei,eſt gloria æterna,quę in Dei Filo datur,de qua Dauid,Pſ.15.*v.10. Delectationes in dextera tua vſque in finem*;& D.Hieron.*in Pſ.15. pag.15.lit.G.Dextera Patris Filius eſt*. *Delectatio vitæ æternæ in dextera,ideſt in proſperitate,quæ Filio datur*.

7 Delectari in ſalutari ſuo,eſt lętari in Chriſto, iuxta Pſalmum 34.*v.9. Anima mea exultabit in* Domino, *& delectabitur ſuper ſalutari ſuo*,vbi idem Hieron.*in Pſal. 34.pag.43.lit.F.Delectabitur hoc eſt lætabitur ſuper ſalutari ſuo;ſalutaris noſter Chriſtus eſt*.

8 Delectari infantem ſuper foramine aſpidum, eſt ſimplices in Eccleſia ab obſeſſis corporibus dæmones effugare,de quibus Iſai *c.11.ver.8.Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidum*,& citatus S.Doctor,*libr. 4.in Iſai.pag.42.lit.A.Infans quoque qui malitia paruulus eſt,mittit manum in foramine aſpidis, & de obſeſſis hominum corporibus fugat* Dæmones.

9 Non delectari inimicos Chriſti ſuper eum, eſt Iudæos,& Dæmones de eius reſurrectione dolere,& confundi:ſicut ipſe ait per os Dauid,Pſ.29.*v 1.Nec delectaſti inimicos meos ſuper me*,vbi D.Auguſt.*in Pſ.29.enarr. 2.pag.50 liter B. Quos ergo inimicos? Iudæos,an potius Diabolum,& Angelos eius,qui confusè diſceſſerunt, poſtquam Dominus reſurrexit. Præpoſitus mortis doluit victam mortem,& non iucundaſti inimicos meos ſuper me, quia teneri apud inferos non potui*.

Verſus Trigeſimusquintus.

יִתַּמּוּ חַטָּאִים מִן הָאָרֶץ וּרְשָׁעִים עוֹד אֵינָם בָּרְכִי נַפְשִׁי אֶת יְהוָה׃

Verſio ex hebræo. *Conſumentur peccatores de terra, & impij vltra non* ſint *ipſi: Benedic Anima mea Domino.*

Vulgata editio. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint: Benedic Anima mea Domino.*

Syriaca Verſio. *Et ſcelerati haud moram faciant in ea.*

RADIUS PRIMUS: EXPOSITIO LITERALIS.

HIc vltimus Verſus eſt, & diù nos expectauit, vt vltimam manum tanto labori adhiberemus. Quod ad literam attinet, nulla eſt verſionum eſſentialis varietas. Verbum תָּמַם (à quo *Ziuuì*, ideſt Imperatiuum יִתַּמּוּ) *Perfici, compleri, conſumi, & finiri*, ſignificat; vnde verti debet: *Conſumantur, compleantur, finiantur peccatores à terra*; & quia qui conſumatur deficit, ideo vulgata *deficiant* poſuit. Reliqua de ſe patent: Hic Pſalmus finitur ſuo principio, quia Deo benedicendo cæpit, & item benedicendo terminatur: *Benedic Anima mea Domino*: quæ ſententia cũ ſatis in principio ſecundum quadruplicem ſui ſenſum expoſita ſit, illùc Lectorem remittimus. De Deſiderio autem defectionis peccatoris nonnulla examinanda ſunt.

Quid

Digitized by Google

Quid ſit Peccator, & quomodo odio haberi poſſit.

1 D*Eficiant Peccatores à terra*. Peccator dicitur, qui peccauit. & peccata in ſe habet. Porrò Peccatum genericè ſumptum eſt defectus rei, non effectæ iuxta rectitudinem ſibi debitam: ſic Monſtrum dici poteſt peccatum naturæ. Specialius peccatum eſt operatio carens debita rectitudine, quæ ſupponit cognitionem in operante, ſic V. G. ſtatua deficiens in aliquo à regulis artis, dicitur peccatum Artificis: Hoc autem peccatum duplex eſt, ſicuti duplex eſt operatio; vel enim eſt operatio naturalis, vel libera, ſi operatio eſt naturalis, ſcilicet manans à potentia neceſſariò operante, vt eſt Intellectus, Phantaſia, &c. non dicitur propriè peccatum, ſed potius error: ſi verò ſit operatio proueniens à potentia libera, ideſt elicita, aut imperata à voluntate, hoc eſt propriè, & rigurosè peccatum; defectus ergo rectitudinis, in actu naturali eſt error, in actu libero eſt peccatum. *Peccatum* igitur, ſeu *actualis iniuſtitia, eſt priuatio rectitudinis in actu elicito, cui deberet ineſſe*, Scotus, *in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 1 in princ.* & conſequenter, qui talem elicit actum debita priuatum rectitudine, in eo actu peccat, & dicitur Peccator Quia verò actus ille iniuſtitiæ eſt operatio tranſiens, & peccatum illud cum actu tranſit, & nihilominus tranſacta operatione adhuc dicitur remanere peccatum, & adhuc ille, qui fecit, Peccator nominatur, non ſolum negatiuè per iniuſtitiam habitualem, quæ eſt carentia habitus gratiæ, verùm etiam poſitiuè, ponitur in peccatore quidam reatus, qui tranſeunte actu peccaminoſo remanet in peccatore qui qui dē reatus à quibuſdam, Ocham præſertim, & aliis apud Suarez, qui inter eos malè Scotū numerat, ponitur quòd ſit denominatio extrinſeca, orta ex præterita forma: ſed præterquamquod, (vt ſuſtinui, & euidenter oſtendi dum logicam, & deinde materiam Sacramentorum exponerem,) dicere denominationem, & extrinſecam implicat in terminis; nam Verbum concretum dicitur, quia concreſcit, ideſt ſimul creſcit, vnde exponitur, quod ſit ſubiectum habens formam; quod ſi concretum ſit reale, formam habet realiter inhærentem; ſed ſi nulla forma realis ineſt, neceſſaiò inerit forma rationis, aliàs concretum non eſſet; exemplum huius ſit. Hæc duo nomina dicuntur concreta, *Album*, & *Viſum*: ergo vtrumque in ſe habet formam ſibi inhærentem, cum quo concreſcit; & in *albo* eſt albedo, in *viſo* autem non eſt forma, ideſt aliqua viſio paſſiua, quæ ipſum concreſcere faciat, vnde Intellectus denominans fingit in ſubiecto hanc formam, & ſic erit concretum fictum, & ens rationis, nec poteſt non fingere, aliàs concretum non eſſet; eſt tamen ens rationis non chimericum, ſed fundatū in præterita viſione reali in oculo, quæ nihil poſuit, aut ponere poteſt reale in obiecto viſo: Illa igitur Denominatio, non eſt extrinſeca realis, ſed intrinſeca rationis: niſi velimus fingere notum concretum ex ſubiecto in Hiſpania, & forma in Gallia, quod contra Concreta logicalia eſſe inficiatur nemo. Præter hoc inquā, etiā data vtcūq; illa denominatione extrinſeca, & cōceſſo, quòd ab illa denominari poſſit peccator, adhuc nō ſufficit ad rationē reatus; nā reat⁹ remanet in anima dūtaxat vſque ad pęnitentiam, & Sacramentū, & adueniēte gratia perit; modo illa denominatio peccatoris ab Iniuſtitia actuali derelicta, ſemper remanet, quia ſi ſimilis eſt parieti viſo, cùm ſemel viſio fuit, & ſemel actus carens rectitudinę fuit, ſicut paries ſemper dici poteſt viſus, ita peccator poſt acceptam gratiam, etiam hoc modo eſt peccator, quia ſemper verum eſt ipſum peccaſſe.

2 Aliter ergo dicendum eſt, aliud reatum non eſſe niſi ordinationem paſſiuam ad pęnam æternam debitam peccato commiſſo: & hæc ſequitur peccatum, & tollitur per gratiam: ſic dummodo peccator in ſuo perſeuerat vitio ſine contritione, peccator eſt, peccatum habet, quia Deus videt in eo peccatum in ordine ad pęnam, ſcilicet ordinando peccatorem ad æternam pęnam ſuæ culpæ debitam: poſt pęnitentiam verò, Deus non videt amplius peccatum in homine, hoc eſt non amplius deputat æterno ſupplicio Hoc docet Sacra Scriptura, *in Pſ. 31. v. 1.* vbi ait: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Nota diligenter illud *tecta ſunt peccata*; equidem non hominib. qui & ante, & poſt pœnitentiam peccata proximi, quæ nouerāt, cognoſcūt, & ea ignorant, quæ prius ignorabāt; ergo Deo tecta ſūt: ſed quomodo ei, cuius *oculis omnia aperta ſunt*, poteſt eſſe cęlatum peccatum? audi modum, *v. 2. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, Illa ergo peccata Deo detecta ſunt, quæ ad pœnam imputat, illa verò tecta, & abſcondita, quæ non deputat ad pęnam: quæ expoſitio mea non eſt, ſed D. Auguſt. *enarr. 2. in Pſ 31. pag. 63. col. 2. lit. F. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Non in quibus non ſunt inuenta peccata, ſed quorū tecta ſunt peccata, &c. ſi texit peccata Deus noluit aduertere, ſi noluit aduertere, noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. Nec ſic intelligatis, quod dixit; Peccata cooperta ſunt: quaſi ibi ſint, & viuant. Tecta ergo peccata quare dixit? Vt nō viderentur. Quid .n. erat Dei videre peccata, niſi punire peccata? Vt noueritis, quia hoc eſt Dei videre peccata quod punire peccata, quid ei dicitur? Auerte faciem tuā, a peccatis meis: Peccata ergo tua nō videat, vt te videat*. ex quib. verbis optimè, & rationabiliter concludit Scotus, *loc. cit. §. Dico ergo. Non eſt ergo ibi aliquod abſolutū, vel relatiuum, poſitiuum, vel priuatiuum reale, à quo dicatur peccator a tempore ceſſationis actus vſque ad pœnitentiam: ſed tantummodo quadā relatio rationis, in quātum eſt obiectum Intellectus, vel Voluntatis diuinæ; quia poſtquam commiſit, Dei voluntas ordinat ipſum ad pœnā correſpondentem peccato, & tunc intellectus præuidet. & pro omni tempore, donec pœna debita ſit ſoluta*. & relata authoritate D. Auguſtini concludit. *Ergo ipſum remanere in reatu poſt actum tranſeuntem, nihil aliud eſt, niſi ipſum à Dei voluntate ordinari ad pęnam condignam illi peccato: obiectum autem intellectus, vel voluntatis, vt intellectum, aut volitum, non habet, niſi relationem rationis*. Suarez, *to. 4: in 3 part. diſp 9. ſec. 4. num. 22.* etiam tenet, quod ſit relatio rationis, ſed non ſolius ordinationis ad pœnam, ſed etiam ad peccatum nondum remiſſum; quod ſine cauſa additur.

3 Hæc omnia ad formalitatem, ſeu verius ad deformitatem peccati, & Peccatoris pertinent: Nunc aliqua de materia dicenda ſunt: ideſt; quia diximus peccatū eſſe carentiam rectitudinis debitæ, & cum negatio non poſſit cognoſci niſi per formam, videndum eſt, quæ ſit moralis rectitudo debita actui humano: Hæc rectitudo eſt conformitas actus ad legem; vt .n. ait Apoſtolus, Rom. *c. 7. v 7. Peccatum non noui niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret, non concupiſces*, Et ſecundum regulas Iuris. *Faciens actū videtur ſe aſtringere legi de illo actu loquenti, Gloſſ. in l. ſi duo, ff. de acqu. hæred.* Lex ergo, cui conformatus actus rectus dicitur, duplex eſt, naturalis, & poſitiua: Naturalis, quæ apud Iuriſperitos, *l. 1. ff. de Iuſt. & iur. Ius naturale* appellatur, eſt quoddam lumen naturale à Deo humanæ menti congenitum, per quod poteſt humana ratio diſcernere inter iuſtum, & iniuſtum, bonum, & malum, honeſtum, & inhoneſtū, & deſcribitur à Iuriſperitis ſic: *Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Inſtitut. de iur. nat. c. 9.* Per hanc naturæ legem conformiter ad rationis dictamen viuentes homines, multa ſeruabant, quæ poſtmodum præcepta ſunt: de quibus ait Apoſtolus, Rom. *c. 2. v. 15. Cum Gentes, quæ legem nō habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt: eiuſmodi leges non habentes, ipſi ſibi ſunt lex*. Imò cum aliquid nobis naturali inſtintu videtur bonum, aut malum, quærere rationem, aut poſitiuam legem circa illud vitium eſt, cum ſufficiat ratio naturalis: vnde habemus; *Rationem, vel legem quærere, vbi naturaliter ſentimus, infirmitas eſt intellectus. Ideo ſufficit allegare rationem naturalem etiam ſine lege. l. fin. ff. de pen.* Prima ergo actus rectitudo eſt conformitas ad

legem

Digitized by Google

legem naturalem, & actus non habentes hanc rectitudinē peccata ſunt. Sed ne laboremus in æquiuocis, aduertendū eſt hanc legem naturalem diuidi in ius naturale, & ius gentiū: Ius naturale eſt cōmune omnib. animalib. ſecūdū quod multa videmus in Brutis, quæ à regulis naturę nōn recedunt, vt alere filios, fœminas marib. ſubijci, in turture caſtitatē viduale, & in Equo, & Elephāto à cōcubito matris abhorrere, vt multæ oſtenderunt experiētiæ, Ius gentiū verò ſolis hominib. conuenit, de quo loquebatur Apoſtolus, & de quo nos hucuſq; locuti ſumus Hanc diſtinctionē, vt cōmunē tradit Angelicus Doctor. 2.2.*qu.*57.*art.*3.*in corp. Ius, quod dicitur naturale, ſecundum primum modum, commune eſt nobis, & Brutis: à iure autem naturali ſic dicto, vt IurisConſultus ait, recedit ius gentium, quia illud omnib. animalib. hoc ſolum hominib. inter ſe commune eſt.* Lex poſitiua, ſeu Ius poſitiuum illud eſt; quod non ex natura, ſed ex alterius ſtatuto pendet. Et hæc diuiditur in Diuinam, & humanā. Diuina eſt præceptum à Deo immediatè factum; tale fuit lex data primis parentib. de non comedendo fructu ligni poſiti in medio Paradiſi, & Noe de comedenda carne, ſed non cū ſanguine: hæc etiam lex duplex eſt noua, & vetus; vetus fuit lex duarum tabularum data Moyſi, noua eſt Euangelium datum Apoſtolis. De qua lege ſatis patet. Lex ergo vt ſic, vt humanæ, & diuinæ communis ſic definitur à D.Thom. 1.2.*qu.*90.*art.*1.*in corp. Lex eſt regula quedā & menſura ſecundum quam inducitur aliquis ad agendū vel ab agendo retrahitur.* Lex verò poſitiua humana, eſt præceptum, ſeu ſtatutum factum ab homine habente poteſtatem in alios, ſcilicet, vel à tota communitate, vel à Principe: vt idem Doctor Sanctus docet. 2.2.*qu.*57.*art.*2.*in corp. Cum totus populus cōuenit, quod aliquid habeatur quaſi adequatum, & commenſuratum alteri; vel cum hoc ordinat Princeps, qui curam populi habet, & eius perſonam gerit: & hoc dicitur ius poſitiuum.* humanum intellige. Tandem ius poſitiuum humanū diuiditur in Canonicum, & Ciuile; primum eſt præceptum Præſulis, vel Concilii Eccleſiaſtici, ſecundum Principis, ſeu Reipublicæ ſæcularis. Neceſſitatem autem legum etiam Plato oſtendit hisverbis, *lib.*9.*de legib. Neceſſe eſt leges hominibus ponere, vt ſecundum leges viuant, nam ſi abſque his vixerint, nihil à feris atrociſſimus diſcreparint.*

4 Ex his colligitur: quod peccatum eſt actio aliqua facta contra regulas alicuius ex dictis legib. ſed præcipuè contra diuinam: & ille, qui facit, Dei gratiam perdens, æterno deputatur ſupplicio: & conſequenter, vt Apoſtolico vtar verbo, *inimicus Dei conſtituitur.* De quo quæritur, vtrum poſſit aliqua ratione odio haberi. Nam cum dicat Propheta: *Deficiant peccatores, ſeu conſumātur de terra*, videtur deſiderare eorū deſtructionē, quod ſine odio non fit; prælertim cùm alibi dicat, *Pſ.*118.*v.*113. *Iniquos odio habui.* Contrarium videtur ſentire D. Auguſt. *in Pſ.*54.*pag.*173.*lit. A. Tamē quandiu ita ſunt, vt exerceant, non eos oderimus; quia in eo, quod malus eſt quis eorum vtrum vſque in finem perſeueraturus ſit ignoramus: & plerumque cum tibi videris odiſſe inimicum, fratrem odiſti, & neſcis.* Sed duo ſunt in peccatore, ſubiectū, & forma, ſcilicet humanitas, & iniquitas; Peccator vt homo diligendus eſt, & ei parcendum eſt; vt iniquus verò, vel potius ipſum peccatum, odio proſequi debemus; & ſic debemus odiſſe in iniquo iniquitatem, vt optemus ipſum deficere à ſua iniquitate, & conuerti, ita vt à malo deficiens, amplius iniquus non ſit: Scoti hæc doctrina eſt, *in* 3.*ſent diſ.*30.*qu.*1.*in corp. Inimicus non eſt tātum malus priuatione boni, ſed habitu poſitiuo vitii: ſicut iniuſtus dicitur non tantū carens habitu iuſtitiæ, ſed habens habitū iuſtitiæ contrarium, cauſatum ex actibus iniuſtis. Inimicus ergo in quantum talis, eſt malus, & vitioſus, & per cōſequens nullo modo eſt ſic diligendus. Hoc .n. modo odiuit inimicum, qui dixit: Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint: nō ſint quidem inimici, ſeu iniqui; quia converte impios, & non erunt.* Et hoc modo intelligitur Pſalmiſta, *in Pſ.*36.*v.*1. vbi ait: *Neque Zelaueris facientes iniquitatem:* vbi Lyranus. *Neque zelaueris, ideſt amaueris facientes iniquitatem. Tales enim non ſunt imitandi, nec amandi in quantum mali: quia licet natura ſint ex charitate diligendi, quamdiu ſunt in præſenti vita, in qua poſſunt ad bonum reuerti; tamen eorum malitia eſt odienda.* Hoc igitur modo defectio peccatoris deſideratur, non vt pereat ipſe, ſed vt eius malitia deficiat, & iuſtus fiat; etenim tunc peccatores amplius non erunt.

RADIVS SECVNDVS: EXPOSITIO MORALIS.

D*Eficiant Peccatores a terra.* In quo ſenſu deficere Peccatores optet Propheta, ex dictis colligi poteſt; vt ſcilicet ceſſent a peccato, & amplius iniqui non ſint. Ratio autem, cur ita concludit Pſalmum, ea eſt, vt omnes Dominum in puritate laudent; nam quia concludendum erat, & in perſona ſua: *Benedic Anima mea Domino:* & alios ad laudem excitando illis verbis, (vt in fine declarabimus) *Laudate Deum*: omnes optat prius deficere ab iniquitare, & poſtea mundo Corde laudare Deum: & hoc ad noſtram Doctrinam, vt diſcamus qua mentis munditie Deum laudare debeamus. Circa hanc defectionem, & hanc laudem moralis expoſitio verſabitur.

SVMMARIVM.

1 *Deficiunt peccatores a malo dum penitentiam amplexantur.*
2 *Odio habet iniquos qui verè Deum amat.*
3 *Dei comminatio ſæpe clementiam indicat.*
4 *Anima Deum laudet ne otioſa pereat.*

Ian. de Mata.

§. I.

Deficiunt peccatores a malo dum pœnitentiam amplexantur.

1 D*Eficiant Peccatores a terra.* Bona hæc petitio eſt, bonumque deſiderium viri ſancti, vt deſinant eſſe peccatores: nam ſi zelus diuini honoris mouet nos ad odium, ceſſante peccato, ceſſat odii cauſa: nam cum Dominus in medium luporum diſcipulos miſit, non vt eos diſperderent, ſed vt in oues mutarent, miſit: Ita Pſalmographus ſanctus Deſiderat Peccatores a malo deficere, vt iuſti fiant, & in Dei amicitiā redeant:

Digitized by Google

ita Incognitus etiam ſentit, inquiens. *Iſto ergo modo hic Pſalmiſta accipit deficere peccatorum, vt ſcilicet conuertantur, vt amplius peccatores non ſint.*

2 Huius rei figuram in Leuitico habemus. Offerebat Iudæorum populus carnalia ſacrificia Animalium: ex quibus quędam in vaſis coquebantur, nam perfectio ſacrificij, in illius conſumptione conſiſtebat. Sicuti etiam & nunc incruentum Filii Dei ſacrificium, quod in Altari quotidie offertur, non eſſet perfectum ſacrificium, niſi illæ ſpecies panis, & vini à Sacerdote comederentur. Animalia verò in veteri lege partim à Sacerdotibus, partim ab ipſis offerentibus comedebantur, & idcirco coquetabantur. Contingebat ſæpè, vt vas in quo Hoſtia illa coquebatur eſſet fictile, & tunc lex præcipiebat, vt vas illud fictile confringeretur, *c.6.v.28. Vas autem fictile, in quo cocta eſt hoſtia, confringetur*: quare? non ob aliam cauſam opinatur Abbas Rupertus, *lib.1.c.34 in Leu.to.1 pag.306. col.2.* niſi quia Hoſtiæ illæ Animas noſtras Deo oblatas, & charitatis igne coctas ſignificabant: porrò corda, in quibus hæ hoſtiæ coquuntur, quędam ſunt vaſa aurea, vt Sancti, quædam Argentea, vt caſti, & puri; quædam verò fictilia, vt peccatores, & hæc vaſa confringi debent per pœnitentiam, vt nil mortiferum, nil quod terram ſapiat, in eis remanere poſſit. *Porro ſpiritualiter vas fictile*, inquit Rupertus, *in quo cocta eſt Hoſtia confringitur, id eſt eius, pro quo hæc ſingularis hoſtia coquitur, omnis terrenitas deſtruatur.* Deſtructo enim peccato, omnis terrenitas euaneſcit.

3 De Licurgo Lacedemonum Rege, & Legiſlatore ait Plutarcus in eius vita, quod cum quidam inſolens iuuenis ei per incuriam oculum eruiſſet, omnino volebat populus vt mulctaretur: ille verò petiit ſibi vindictam remitti, quod & obtinuit; cum ergo in domum ſuam eum duxiſſet, per aliquod tempus ſecum retinuit, & ita præceptis philoſophicis inſtruxit, vt ex inſolente morigeratus euaderet: his peractis, in medio populi ſtatuit, & de hac ſua vltione lætus, quod in eo non ciuem, ſed vitium perdidiſſet, dixit; *Quem mihi dediſtis vitioſum, reddo vobis virtuoſum*: iam peracta vindicta, & data vltio eſt, cum iniquitas perijt. Huiuſmodi exemplum in ſcripturis habemus nam in Pſalmo quodam loquendo in perſona Chriſti Propheta ait. *Pſ.117.v.10. Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia vltus ſum in eis*, ſed quomodo vltus eſt de inimicis ſuis Chriſtus? expellendo peccata, remouendo errores, inducendo fidem, vt quæ vaſa terrea perditionis erant, vaſa aurea fierent electionis: & maior eſt iſta vendicatio, quæ de inimico facit amicum, quam quæ deſtruit: nam qui perdit hoſtem, nil acquirit, ſed qui ad ſe trahit, perdit hoſtem, & amicum acquirit: quare D. Thom. à Villanoua Ep. Valent. *ſer. fer. 6. cin. pag.109. col.1. Plus enim Deus vendicatur de peccatoribus, quos conuertit, quam de peccatoribus, quos condemnat: nam iſti victi ſunt, ſed non conuicti. Vnde de hoc in Pſalmo gloriatur dicens: Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia vltus ſũ in eos: ſed quomodo? occidendo in eis errorem, manifeſtando fidem.* Tunc ergo ſalutariter deficiunt peccatores, cum per pœnitentiam conuertuntur.

§. II.

Odio habet iniquos, qui verè Deum amat.

1 D*Eficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint.* Explicuimus iam quomodo Iniqui, & peccatores odio proſequendi ſint, ſcilicet in eis non naturam, ſed impietatem deteſtando. Hoc modo autem odiſſe peccatores omnes tenentur; nam ſi quicumque verus eſt alterius amicus, neceſſariò odio habere debet omnes illius inimicos; nam vera amicitia omnia commoda, & incommoda, hoſtes, & amicos dilecti propria reputat. Cum igitur peccator omnis inimicus ſit Dei, qui Deum amat, & peccatores odio habeat neceſſe eſt. Hoc modo Zelatores Dei, eiuſque honorem quærentes dicunt: *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint*, & addit Folengius *Impoſſibile eſt Dei Religionis ſtudioſos non odiſſe improbos.*

2 Hinc oritur lætitia illa, quam ſentit Diuini honoris Zelator, cum videt improbos homines, & qui toties admoniti ad Deum non reuertuntur, ſed magis inſoleſcũt, & ore execrando in eum nefandas euomũt blaſpemias, vel improuiſa morte, vel grauioribus puniri ſuppliciis: imò tanta eſt perfectorum hominum in Deum amor, vt non ſolum gaudeant cum vident de aliorum peccatorũ diuinam vlciſci Iuſtitiam, ſed etiam lætantur, cum propria peccata à Deo mulctari, perſecutionibus, infirmitatibus, & huiuſmodi tribulationibus vident. Idcirco dicebat Pſaltes, *Pſ.57.v.10. Lætabitur Iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Hoc eſt gaudebit de Dei vindicta tam in propria, quam in aliena peccata, quæ iuſta, imò & clementi punitione percutit. Quod aduertit Alexander de Hales, *in c.6. Apocalipſ. pag.112. col.2 lit.D. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam: non pœnam occiſoribus optando, ſed iuſtitiæ Dei congratulando, & voluntati eius ſe conformando. De omni enim eius volito gaudet, etiam de pœnis propriorum peccatorum.* Nam verus amicus etiam proprio incommodo amici bonum comparare haud recuſat.

3 Cum homines ſceleſti, & nefandorum, ſordidorumque criminum rei, vt Craſſatores, Aſſaſſini, & huius farinæ criminoſi ab humana iuſtitia condigna pœna plectuntur; omnes equidem lætantur, & oblectantur, non quidem hominis illius cruciatum in humana feritate delectantes: ſed Iuſtitiæ punitiuæ plaudentes: quæ enim hominibus ſecuritas viuendi, & bonis ſuis fruendi eſſet, ni mali punirentur: Hoc etiam Sancti modo de peccatorum punitionibus oblectantur: vt idem Propheta alibi, ait: *Pſ.90.v.8. Verumtamen oculis tuis conſiderabis & retributionem peccatorum videbis.* ſcilicet diuinæ iuſtitiæ congratulando: nam & iuſtitia virtus in nobis eſt, & in Deo reliquis attributis haud diſſimilis. Non gaudent ergo Sancti de peccatorum pœna, ſed de iuſtiſſimo Dei iudicio, vt oſtendit D. Bernardus, *ſer.8. in Pſ.90. pag.524. lit.B. Sanè quod Sapientiæ tunc placebit, ſapientibus quoque placeat neceſſe eſt vniuerſis. Non igitur durum tibi videatur fore quod dicitur; Verumtamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis; quando & videbis in eorum interitu. Non quod velut quadam immanitate, crudelitas tibi in ipſa vltione cõplaceat: ſed quod modus ipſe pulcherrimus diuinæ ordinationis, vltra quam credi poteſt, iuſtitiæ zelatorem, & amatorem æquitatis oblectet.*

4 Nolim tamen quoſdam homines vindictæ amatores, & homicidas ſceleſtos, perſuaſum habere, poſſe ſe innoxiè de hoſtium ſuorum confractione, & deſtructione lætari; non enim hæc ex Dauidis doctrina ſequuntur nam inimicos amandi, eiſque parcendi Dominicum habemus præceptum: noſtra ergo lætitia de inimicis Dei debet eſſe, non noſtris, & cum de morte, etiam inimici, lætamur, hoc debet eſſe quatenus Inimici Dei ab ipſo pœnis traditi ſunt. Obſeruemus hoc in Dauide, qui de ſe ipſo loquebatur, *Pſ.118.v.113. Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Explicet ſuis geſtis Rex Sanctus quomodo legem dilexerit, iniquos autem oderit. Ipſe ergo à Saule vſque ad necem odio habitus, ab Abſalone ſpoliatus regno, ab Semei ſaxis, & maledictionibus petitus; nec de his, nec de aliis ſuis peculiarib. inimicis putauit eſſe vindicandum, ſed eis parcendum; ſic legem de inimicorum dilectione, ſibi diuinitus reuelatam, ſeruando dilexit. Odiuit iniquos, quia de peccatoribus, & proditoribus pœnas exigere voluit; ſic occiſores Saulis, & eius filii, ſupplicio dedit: ſic inimicos proprios amabat, odio habebat iniquos: egregiè id declarat D. Ambroſius, *ſermon.15 in Pſalm.118. tom.2. pagin.477 liter.B. Quanto ergo Dominus noſter perpendit affectum, Sanctus Propheta Dauid hoc verſiculo declarauit: quia cũ ſuos inimicos nequaquã ſit perſecutus, vt potè, qui & Regis Saul, à cuius inſidijs penitiꝰ periculũ ſalutis cauere vix poterat, nec vitã putauerit ãputãdã, & mortẽ æſtimauerit vindicãdã, & parricida*

Digitized by Google

Filii ingemuerit interitum, & multorum perſequentium ſe flagitiis appetitus ignouit, vt ipſe ait, quia vicem iniuriæ lædentibus non rependerit. Præuaricatores tamen legis diuinæ exoſos horreſcat quia ergo vir Sanctus Deũ diligebat iniquos odio habebat.

5 Ex quibus patet concordantia duarum Scripturarũ: Dominus .n. præcipit nobis diligere inimicos, illis verbis, Matth. c.5. v.44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Deinde alio loco hortatur nos ad odium Parentum, Cognatorum, & amicorum dicens, Luc. c.14. v.26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & Vxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, adhuc autem & Animã ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus:* Sed quomodo hæc lex iuſta videri poteſt ignauis, ſi iubemur inimicos amare, & amicos, quin & nos ipſos odire? Sed audi D. Ambroſium difficultatem enodantẽ, *loc. cit. lit. C. Etenim Dominus Ieſus, & noſtrorum inimicorum dilectionem nobis expetendam eſſe præcepit, & Dei hoſtes etiam ſi nobis aut parentum, aut filiorum, aut coniugii, germanitatiſque neceſſitate copulentur, odio perſequendos: ſic enim ſcriptum eſt: Si quis venit ad me, & non oderit Patrem ſuum, & Matrem, & Vxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, adhuc etiam & Animam ſuam, non eſt me dignus.* Ergo tam inimici, quam amici, & cognati; dum Dei charitate pollent amandi ſunt, ſed dum iniqui ſunt, & Dei hoſtes odio proſequendi: nam qui verè Deum diligit, qui eius zelat honorem, non poteſt tanti Amici hoſtes odio non habere.

§. III.

Dei comminatio ſæpè clementiam indicat.

1 D*Eficiant Peccatores à terra.* Magna & ineffabilis eſt miſerentis Domini pietas, inuicta eius clemẽtia, multiplicata miſericordia: nonne ex Prophetæ verbis modo relatis eam cognoſcitis? Nonne in Dauidica ſententia Deum loquentem agnoſcitis? Ipſe eſt qui loquitur, & ſub ſpecie comminatoriæ orationis, miſerationis clementiam indicatam oſtendit. Penſemus eius verba, chariſſimi, & aduertamus non dicere, eant peccatores maledicti in infernum, æternis cruciatibus deputentur, à viuentium terra expellantur; hoc enim ſemel in nouiſſimo dierum dicturus eſt; ſed deficiant, inquit, à terra, hoc eſt à peccato: vt dum peccatores hac Defectionis cõminatione deterriti pœnitentiam faciũt, Dei miſericordiæ digni inueniantur; & deficientes à malo, æternis gaudiis repleantur, docet id D. Hieronymus, *libr. 1. aduerſ. Pelag. to. 2 pag. 415. lit. A. Deficiant Peccatores à terra; & non intelligis comminationem Dei interdum ſonare clementiam? Non enim dicit eos æternis ignibus exurendos, ſed à terra deficere, & iniquos eſſe ceſſare.*

2 Principes, qui Ciuium vitam amant, & paterno fouent affectu, ſæpè legum pœnas innouantes, eas per præcones in publicis plateis publicari faciũt: & quare tot pœnæ fulminantur? vt ſcilicet, earum apprehenſione territi populi à malo ſe abſtineant, & qui iam in legem peccauerunt, iuſta aliqua retributione pœnas redimant. Id nobiſcum facit clementiſſimus Deus, terret nos propoſitis pœnis, vt recedamus à peccatis, & ſpondet ſe facturũ, quod tamen non pœnitentibus vltra non faciet. Peccauerant Niniuitæ, & adeo peccatum eorum excreuerat, vt amplius tolerari non poſſet: tunc Deus miſit Ionam Prophetam ad intimandam eis mox futuram ſubuerſionem, c.3. v.4. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Sed illis pęnitentibus ſubuerſio nequaquam ſubſecuta eſt; & quare ſe facturum prædicat, quod faciendum non erat? vt per illam comminationem ſuam clementiã demonſtraret, quæ comminata eſt ne puniret, vt inquit D. Ioannes Chriſoſtomus, *Hom. 1 de pœnit. to 1. col. 715. lit. C. Et cuius rei cauſa, quæ facturus es mala prædicis? Vt non faciam quod prædico: Propterea & gehennam minatus eſt, vt gehennam non inducat. Terreant, inquit, vos Verba, ne facta conuenient.* Mira clementia, terret minis, ne percutiat pœnis.

3 Manifeſtum etiam hoc apparet in Ieremia. Multa Supplicia, & Regnorum ſubuerſiones, Regum deiectiones, Ciuitatum deſtructiones, populorumq; ruinas, minacib. verbis Prophetæ demonſtrauerat Deus, & credebat ab initio Propheta, omnia illa ad literam euentura, ſicut ipſe ex Dei iuſſu prædicauerat. Verum Dominus ne à Propheta tanquam crudelis taxaretur, aperire ei voluit intentionem ſuam dicens, *c.18. v.9. ſec. verſ.70 Ad ſummum loquar aduerſus gentem, & Regnum.* Videas Propheta; cõminationes omnes, meas quas audiſti, & prędicaſti, nõ ideo prædicari feci, vt eas exequerer, ſed vt terrerẽ tantũmodo do verba terrifica contra eos, vt territi pęnitentiam agant; & mihi clementiam oſtendendi occaſio porrigatur: credamus Origeni eam ſententiam ſic enodanti, *Hom. 16 in lib. Num. to. 1. pag. 146. col. 1. lit. I. Ad ſummum loquar aduerſus gentem, & Regna; In iis maxime quæ generaliter ab Ieremia pronunciantur, in quibus vehementer oſtenditur, multis miſerationib. & incomprehẽſibili bonitate ſua Deus dicere, & nõ facere; loqui, & nõ permanere.* Minatur .n. nõ ad interitũ, ſed ad cõuerſionẽ.

4 Commune, & vulgatum Adagium eſt, quod minus iacula feriunt, quæ præuidentur; & ratio eſt, quia quæ videntur vitari poſſunt, & declinari, ne feriant. Domini comminationes ad præuidentiam deſeruiunt, nam ideo tonat, ne fulminet, ideo minatur, vt metuẽtes minas, per pœnitentiam noxia denunciata vitemus. Hanc Dei cõminationem Amos Propheta Leonino rugitui comparauit, dicens, *c.3. v.8. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus eſt, quis nõ prophetabit?* Ideſt; ſicut ad rugitũ Leonis omnes terrentur, & ſe in tuto abſcondere tentãt, ne diſcerpantur: ita cum Dominus minas prædicat, timẽdum eſt, & eius miſericordiam pęnitendo recurrere, ne pereamus, docẽte D. Hieronymo, *in c.3. Amos, to.5. pag. 228. lit. F. Nota quòd clemens, & benignus Deus ſemper futura pronunciat, ne cogatur inferre ſupplicia. Et quod heretici calumniantur in Creatore, quaſi ſeuero, & truculento, crudeli, & tantum Iudici (eo quod non ſit malum in Ciuitate, quod non faciat* Dominus*) hoc nos referimus, ad magnitudinem miſericordiæ, quod non inferat pœnas, niſi ante prædixerit. Qui autem prædicit non vult punire peccantes: Leo, inquit, rugiet quis non timebit? &c.* Timeamus ergo, ne puniamur.

5 Cum nos nolumus hominem aliquò ire, deterremus eum aliquo malo ibi euẽturo, vt per hoc auertamus eum ab illo loco: ita Deus cum videt nos ad mundana gaudia carnalis concupiſcentiæ, gloriæ vanæ, diuitiarum, &c. propenſius currere, mittit tribulationes, minas, & terrores, vt nos inde auertat. Homines mundanos Pſalmiſta nauibus comparat euntibus in Tarſum, quæ vento conterritæ, domum redire coguntur, Pſ.47. v.6. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tarſis:* Homines enim velo cõcupiſcentiæ ducti, Tarſum ideſt ad mundana gaudia currunt, ſed vento diuinæ comminationis deterriti ad verum Cœlorum gaudium reuocãtur: vt credit D Anton. Luſitanus, *ſer. 2. Dom. 1. Quadrag. pag. 136 col. 1. Tarſis interpretatur exploratio gaudij: naues Tarſis ſunt mentes hominum, quæ per mare huius mundi velo carnalis cõcupiſcentiæ, & vento vanæ gloriæ trahuntur ad explorãdum gaudium proſperitatis mundanæ. In ſpiritu ergo vehementi contritionis conterit Dominus naues Tarſis; ideſt ſæcularium mentes, vt contritæ, non explorent vacuũ, ſed plenum gaudium.* Nonne magna hæc clementia eſt, nauem auertere ne naufraget? concede ergo quod ſæpè minatur Deus, vt clementiam ſuam patefaciat.

§. IV.

Anima Deum laudet ne otioſa pereat.

1 B*Enedic Anima mea Domino*: Inter omnia vitia nullum eſt pernicioſius Animæ, quam otium; cum enim anima torpet per otium in vacuam mentem omnia vitia, & peccata ingreſſum inueniunt: vnde & apud ethnicos Poeta otio adulterium tribuebat. Ouid. *de remed. amor.*

Quæritur Ægiſtus quare ſit factus adulter;
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

hunc errorem vt vitaret Sanctiſſimus Rex hortatur Animam ſuam, vt laudet Deum omni tempore, vt vitia ſi quando in eam irrumpere velint, occupatam inueniant. Ea propter Pſalmum haud breuem ab hac exhortatione incæptum, cum eadem exhortatione terminat, *Benedic Anima mea Domino*, quod in principio dixerat, iterum in fine repetit; vt oſtendat ſemper in Dei laudibus animã occupari debere, ne torpeat otio, ne otioſa pereat, tunc enim vitioſis cogitationibus aduenientibus occupatum ſpatium obſiſtit. Explicat id claré Cardinalis Hugo, *in Pſ.103. Tunc autem ſolent magis intrare ad animã praui motus, quando eam inueniunt otioſam. Vnde hortatur ſuam animam, vt occupet ſe in Dei laudibus, dicens, & concludens: Benedic anima mea Domino: & ſic intenta Dei laudibus, talibus motibus, non poteris intendere.*

2 Mens noſtra ad inſtar molendini eſt, quod à decurrente aqua motum, ſemper aliquid terat neceſſe eſt, & illud terit, quod in mola ponitur. Quod ſi in ipſa mola nihil ponatur, ſequitur, vt ſeipſam terat, & ſic conſumetur, & deſtruatur. Ita prorſus mens noſtra ſemper eſt in motu, ſemper cogitat, ſi bona obiecta ſuggeras, bonum cogitat; ſi malum, malum; ſed cum nihil obijcis, & otioſam relinquis terit ſeipſam, & abſente bono, malum vltro ſe intromittet. Idcirco Propheta, vt occupatam mẽtem, & linguam otioſa verba, & turpia non intrarẽt, diuino eloquio replebat, Pſ.118 *v.172 Pronunciabit lingua mea eloquium tuum.* neque .n. dum diuina meditabatur eloquia, poterat vanis verbis intendere, vt D. Ambroſius philoſophatur, *ſer.23 in Pſ* 118. *to.2. pag.107. lit. H. Qui didicerit iuſtitias* Dei. *loquitur verbum* Dei; *& qui loquitur verbum* Dei, *verbum otioſum non loquitur. Otioſum verbum eſt loqui opera hominum, ideo Sanctus dicit dari ſibi gratiam, vt non loquatur os eius opera hominum: quia otioſum verbum eſt; nec ſolum otioſum, ſed etiam periculoſum.* Dum ergo diuina eloquia meditamur, otioſa verba recedunt.

3 Sed audio nõnullorũ obiectionẽ dicentiũ: mẽtẽ noſtrã ſerijs occupationib. deſtrui, ſic corpus nimio labore debilitatur, ergo aliquid otio dandum eſt, nam & vulgo iam dicitur.

Quod caret alterna requie durabile non eſt.

ergo aliquantulum otiandum? Quibus reſpõdemus nos requiem non negare; vacationem à ſtudiis, orationibus, laboribus admittere, non tamen propterea otio indulgere. Cum enim cor ſemper meditetur ſuggere meditationem bonam: ſi vox canendo ſoluitur, non deficiunt cœleſtia cantica; ſi lingua feſſa eſt, corde cane, corde ſapientiam lauda: vacet à laboribus corpus; ſed anima meditetur cœleſtia. Audiamus quid cantet Poeta diuinus, Pſal. 45. *v.10. Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* vacate, requieſcite à labore, ſed non otiamini mente, quin & mea cognitione præoccupate eã, ne otio torpeat, quod ſuadet Bernardus, *ſer.11. in Caut. pag.790. lit. C. Bonum eſt otium, ſed Sapientiam ſcribe in tempore otii: Scribe illam ſuper latitudinem cordis tui: latum enim cor, quod cura non arctãt: imprime in intimo cordis tui literas, quæ non deleantur, & exara in tabulis ſpiritualibus ſigna Sapientiæ.*

4 Quod quia non ſeruant Chriſtiani antiquos imitãtes hebræos, Diaboli irriſionem incurrunt: Inſtituti ſunt Dies feſti, & nefas eſt in iis opera ſeruilia operari: ſancta ordinatio: ſed quid nunc faciendum? ſanctificari debet dies feſtus, (nam hoc præceptum poſitiuum eſt, nec completur in ſola vacatione à labore) tunc autem ſanctificatur, quando Deus laudatur, Canuntur Pſalmi, orationi incumbitur. Sed quid faciunt homines? Diem Sanctum polluunt commeſſationibus ebrietatibus, ludis, ſcortis; & ita ſanctificatur Dies feſtus? O quam bene de talibus dici poteſt, Thren. *c.1. v.7. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata eius.* Qui ſunt Hoſtes? Diaboli: quæ Sabbata irrident? Dies feſtos Chriſtianorum, quia in illa vacatione Deo non benedicendo, ſed ludis, & vitiis incumbendo, non Deo, ſed diabolo ſeruiunt, & feſtiuitates, quæ ad Dei cultum ſunt inſtitutæ, ad Dei offenſionem vertunt, & illorum deriſionem Diabolo ſuggerunt. Hoc deflebat Propheta; vt æſtimat D. Gregorius Magnus. *lib.5. c.22. mor. pag.420. lit. D. Hoſtes ergo Sabbata irrident, cum maligni ſpiritus ipſa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt: vt vnaquæque reproba anima, quo remota ab externis actionibus Deo ſeruire creditur, eo magis eorum tyrannidi, illicita famulentur:* Ne ergo nos feſtos dies Diabolo demus diuinis laudibus occupemus; Deo tempus ſacrum eſt illud, ergo mẽtem, cor, linguam diuinis laudibus implentes, otia deuitemus, ne pereamus.

RADIVS TERTIVS: EXPOSITIO MYSTICA DE B. MARIA.

Verſus Trigeſimusquintus.

Deficiebant cogitationes malæ ad eius aſpectum, ita vt amplius non eſſent. Benedic Anima mea Domina.

TAceant Hæreticorum blaſphæmiæ, obmuteſcant ora impiorum; Virgo Maria, & Mater, Virgo ſemper, omni ætate, omni ſtatu, ante, & poſt partum; Virgo in mundo, Virgo in Cœlis; Quid ni Virgo eſſet, quæ Deum pareret? Verum hoc parum videri potuiſſet, niſi ſuæ integerrimæ caſtitatis, etiam in alijs apparuiſſet veſtigium. Virginitas Mariæ nequaquam otioſa extitit, ſed Soli ſimilis rutilanti; Nam ſicut Sol quodcumque intuetur illuminat, ſic Mariana Virginitas mentes, & corpora, quæ videbat caſta reddebat: quare Diuus Ambroſius affirmare non dubitauit, *De inſtit. Virg. c:6. tom.4 pag.201. lit. B.* de ea loquens. *Cuius tanta gratia, vt non ſolum in ſe Virginitatem ſeruaret, ſed etiam ſi quis viſeret integritatis inſigne conferret.* Cui etiam ſubſcribens Dionisius Carthuſianus, *libr.2. de Laudib. Virgin.* ait. *Maria plena gratia, optimæ com-*

pagimis

Digitized by Google

paginis naturalis, ſingulariſsimæ pulchritudinis corporalis, decentiſsimæ habitudinis moralis. Quoniam omnium Artifex Deus ad ipſius formationem in vtero ſupernaturaliter concurrens, ſibi dignum habitaculum fabricaturus, eam intrinſecus omnium gratificantium chariſmatum, et dignificantium habituum plenitudine adornauit, vt etiam in exteriori eius effigie, gratia diuina tam copioſè, efficaciterque luceret, quòd eius aſpectus affectionum carnalium æſtus extingueret. Sed iam ad Scripturas recurramus.

Mariæ Virginis aſpectus inhoneſtas cogitationes expellebat.

1 PRopheta Sanctus Ezechiel volens Mariæ virginitatem exprimere, non aliud ſymbolum magis expreſſiuum inuenit, quam Ignem: quapropter cupiens eius ſimul pulchritudinem, & virginitatem adumbrare, dixit de ea, c. 1. v. 8. *Splendor indeficiens in circuitu eius; & Ignis exardeſcens à facie eius.* Ignis namq; inter Creaturas pulcherrimus, hoc etiam habet vtilitatis, quod frigida calefaciat membra: Ita Beata Virgo pulcherrima erat in ſe, omnibus exornata virtutibus, ſed præſertim florib. integritatis, & caſtitatis; ſed cum hoc non ſolum ſplendebat ſuas virtutes oſtendens, verum etiam exurebat vitia, deſtruebat cogitationes malas, accendebat ad caſtitatis amorē frigida mortalium corda. Quæ mirabilia D. Amadeum Epiſ. Lauſan. *Hom. 7. de Laud. Virg. pag. 818. col. 1.* ad hæc dicta mouere. *Prima namq; viſione ſcintillans ſacri amoris ignibus, proximorum pectora ſuauiter exurebat, animis fidem ſuggerebat, ſuadebat verecundiam, honeſtatem venuſtabat, inflectens ad pietatem, ſpirabat florem Virginitatis, ſerebat nouale caſtitatis, depingens oculis habitum humilitatis, & præferens indicium veritatis: ſplēdor indeficiēs in circuitu eius, & ignis exardeſcens à facie eius.* Lux erat Maria, & ideo inhoneſti motus ad eius aſpectum frænabantur.

2 De Sapientia locutus Sapiens, ait, Eccli. c. 15. v. 1. & 2. *Qui timet Deum faciet bona, & qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet illam; & obuiabit illi quaſi mater honorificata; & quaſi mulier à Virginitate ſuſcipiet illum.* Quę hic de Sapientia ſcripta leguntur, Deiparæ tribuit; & quidem cætera rectè congruunt, nàm iuſti eam amant, & ipſa eos inuicem tutatur; ſuos deuotos materno fouet affectu; vnde ei cantat Eccleſia: *Monſtra te eſſe Matrem.* Sed vltima verba quæ ſenſum habeant ignoro; quomodo vocatur mulier, & dicitur, quod quaſi mulier à Virginitate deuotos ſuſcipiet ſuos? quid eſt Virginem quaſi mulierem à Virginitate nos ſuſcipere? ſed obſeruemus hoc nomen *Mulier* vnde ortum ſit, nam ab emolliendo ductum eſt, & ſic illa fœmina mulier dicitur, quæ virum emolliuit, id eſt, quæ viro coniuncta eſt. Beata verò Maria Mulier dicitur, & Virgo; Mulier quia Deum emolliuit Virgo quia ſeruauit integritatem: ſed cum hoc dicamus, quod mulier dicitur, quia corda noſtra dura per impœnitentiam, emollit ad contritionem, & Virgo, quia corporum diſſolutorum expellens immunditiam, non ſolum ea caſta facit, ſed quaſi denuo virginea regenerat. Et ne putetis meam hanc eſſe ſpeculationem, auditam ex Richardo à S. Laur. *lib. 4. de Laud. Virg. col. 230. lit. D.* probate, inquit enim, ille. *Maria dicitur mulier, quia Dominum emolliuit; & dura corda emollit; & propter fœcunditatem bonorum operum, quæ non ceſſat impendere Filij creaturis. Dicitur etiam Virgo, quia præſtat mentis caſtitatem, & munditiam, & quaſi reuirginat corpora diſſoluta, conferens gratiam caſtitatis.* Ita vbi Maria ſplendet nebulæ diſſolutionum fugiunt, oritur caſtitatis lumen.

3 Mos apud quoſdam inoleuit antiquitus, mortuorū corpora Myrrha vngi, nam & incorruptionem tribuit, & vbicumque aſperſa fuerit vermes interficit. Imò & experientia oſtendit quòd ſi libri Myrrha delibuti fuerint

Ian. de Mata.

præſeruantur à tineis, quæ librorum folios rodere conſueſcunt. Sed quæ rapacior tinea eſt, quis voracior vermis carnali concupiſcentia? cogitationibus turpibus? Ergo ad Myrrham recurrendum eſt, vt ea corda delibuta carnalium, vermes cogitationum inhoneſtarum animā corrodentes interficiātur. Quæ eſt hæc Myrrha, niſi Maria? de qua cantat Romana Eccleſia illud Eccleſiaſtici, c. 24. v. 20. *Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris:* odorem vtique quo vermes ſenſualis concupiſcentiæ extinguat, nam & ideo multi Iudæorum faſſi ſunt Mariam pulcherrimam extitiſſe, & tamen à nullo carnaliter concupiſci potuiſſe, teſte D. Bonauentura apud S. Bernardinum Senenſem, *ſer. de Concep. Mar. art. 2. c. 1. to. 4. pag. 881. col. 1. Sicut myrrha electa dedi ſuauitatem odoris: nā ſicut myrrha interficit vermes; ita ſanctitas eius interficiebat vermes concupiſcentiæ. Narrant, ſecundum Bonauenturam etiam Iudæi, quod Virgo Maria pulcherrima fuit, & tamen à nullo vnquam potuit concupiſci.* Myrrha quippe erat, & in hominum aſperſa facie vermes concupiſcentiæ mactabat.

4 Quòd ſi doctrina minimè cōtenti, nec ſola theorica delectati, huius rei practicum exemplum quæramus: antequam lex euangelica prædicaretur, duos homines virginitatem ſeruaſſe in ſcripturis inuenio: vtrumque ſcilicet Ioannem, Baptiſtam, & Theologum, & quomodo hi duo diuinæ Sapiētiæ libri tineis non ſubiecere? Quomodo hi duo Sancti viri concupiſcentiæ flammas neſcierunt? Quia videlicet myrrhino oleo vncti fuerant: quia haud paruo tempore Mariæ intuitus meruere. Euangeliſta quidem, quia iam ad pubertatis annos aduenerat, vt Virgo permaneret Virginis familiaritatem in annos habuit, ex quo Ioan. c. 19. v. 27. *Accepit eā diſcipulus in ſuā.* Baptiſta verò, in vtero Matris exiſtēs, tanquam tenellus corpore, in quo facilius ſe introduceret caſtitatis amor, trium menſium ſpatio Mariam cohabitantem obtinuit; vterq; autem hanc familiaritatem aſſecutus eſt, vt myrrhino hoc oleo delibutus tineas perderet concupiſcentiæ, & ideo de Maria apud Eliſabeth legimus, Luc. c. 1. v. 56. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus.* Ita rem ſe habere oſtendit D. Ambroſius, *loc. ſup cit. lit. B. Viſitauit Ioannem Baptiſtam, qui in vtero matris, priuſquam naſceretur, exultauit: Nec immeritò manſit integer corpore, quem in tribus mēſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis vnguento, Domini Mater exercuit. Eademque poſtea Ioanni Euangeliſtæ eſt tradita, coniugium neſcienti. Vnde non miror præ cæteris locutum myſteria diuina, cui præſto erat aula Celeſtium Sacramentorum.* Videtis ne ad intuitum Virginis, Virgines generatos! ad myrrhini vtique olei vnctionem, vterque Ioānes concupiſcentiæ tineas interfecit. Hæc Myrrha eſt optima animas omnes reſpergens ſuauiſſimo caſtitatis odore.

5 Multas Virgines Eccleſiam habuiſſe, quæ Virginē Virginum imitatæ ad Sponſum Immaculatæ tranſierūt, manifeſtum eſt: ſed dubitare non deſino, cur Virgines aliæ ſpinis comparentur, ſola Maria dicatur lilium? Nam lilium Virginitatis eſt ſymbolum, ergo omnibus Virginibus conuenit: nihilominus ſcriptum eſt, Cantic. c. 2. v. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Verū Carthuſianus Dionyſius difficultatem aperit: Virgines aliæ ſunt, ſed in eis eſt carnis reluctatio, ideo ſpinæ, quia

Digitized by Google

prauarum cogitationum pũcturas ſentiunt, licet eas expellant. Sed ſola Virgo lilium eſt ſine ſpinis, ſine carnis fomite: imo Myrrha electa, que ſua puriſſima Virginitate etiam in aliis, dum eos intuebatur, fomitem extinguebat ad tempus. *Quamuis fuerint multæ Virgines Sanctæ*, ait ille, *tamen reſpectu Virginis Beatiſſimæ, quaſi ſpinæ fuiſſe videntur, in quantum aliquid culpa habebant*, &c. *Porrò Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorſus immunis: fuit fomes in ea plenè extinctus; & tamen immenſa charitate erat repleta: quare intuentium corda ſic penetrauit ſua inæſtimabili caſtitate virginea, quod à nullo potuit concupiſci; imò potius extinxit ad horam eorum libidinem.* Hæc Dion. Carthuſ. *in Cantic. ap Corn. à Lap. in cant. c.2 pag.82. col.2. lit. C.* Munda etiam corda noſtra Virgo Immaculata, & vnge oleo myrrhino protectionis tuæ, vt caſtè viuentes tuo conſortio non totaliter inueniamur indigni.

RADIVS QVARTVS: EXPOSITIO ALLEGORICA.

TAndem aliquando Diuino fauente Numine ad noſtri itineris metam propinquauimus; & pro complemento operis, non ſine magno labore hucuſque perducti, vltimi verſus allegoriæ nos vocant: ſunt autem tres voces in hoc verſu, quarum allegoricas acceptiones explicare debemus, videlicet: *Deficere*, *Peccator*, & *Iniquus*, de quibus ea, quæ inuenire potuimus breuiter recenſebimus.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit deficere allegoricè.*
2 *Peccatoris, & Peccati nomine quæ ſignificentur.*
3 *Iniqui ſecundum allegoriam qui dicantur.*

§. I.

Quid ſit deficere allegoricè.

1 DEficere eſt rem à ſuo eſſe diminui, & aliquando, eſt totius eſſe amiſſio. Et primò in paſſione Domini eius oculos à Deo deficere, eſt Apoſtolos de eius Diuinitate dubitaſſe, de quo Pſ. 68. *verſ.4. Defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum*, ſeu ſecundum Auguſtinum, *in Pſ.68. pag.239. lit. L à ſperando in Deum meum*, & ipſe ſubdit. *Non ipſius capitis noſtri oculi defecerunt à ſperando in Deum eius; ſed defecerunt oculi eius in corpore eius, id eſt in membris eius. Hæc vox membrorum eſt: hæc vox corporis eſt, non capitis. Quomodo ergo in eius corpore, membriſque inuenimus? Quid aliud dicam? Quid aliud commemorem? Quando paſſus eſt, quando mortuus eſt, omnes diſcipuli deſperauerunt, quod ipſe eſſet Chriſtus.*

2 Deficit caro, quando Anima à diuino ſpiritu reſtricta, non amplius motibus carnis ſeruit, de qua Iob. *c.34. v.15. Deficiet omnis caro ſimul*, & ibi D. Gregor. *lib.24. c.12. mor. pag.858. lit. D. Simul enim omnis caro deficit, quando iam nullis ſuis motibus ſeruit: quia præſidens Spiritus cuncta eius fluxa reſtringit.*

3 Deficere Animam in ſalutare Dei, eſt ipſam per amorem vnum fieri cum ipſo, vnde dicebat Propheta Pſ. 118. *v.81. Defecit in ſalutare tuum anima mea*, & ibi D. Ambr. *ſer.11. in Pſ.118 to.2. pag.45. lit. B. Etenim ſpiritui adhærens anima deficit ab eo quod eſt Anima, & fit vnus ſpiritus; quoniam qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt. Itaque Sanctus, & timens Deum neſcit aliud deſiderare, niſi ſalutare Dei, quod eſt Chriſtus Ieſus.*

4 Deficere ſicut fumus, eſt cadere per ſuperbiam, quod de ſe fatetur Dauid, Pſ.101. *ver.4. Defecerunt ſicut fumus dies mei*, vbi Magn. Greg. *in Pſ.101. to.2. pag.1162. lit. A. Fumus, ſicut eſt omnibus notum, in altum quidem ſe in primis erigit, ſed citò deficiens, quaſi non fuerit euaneſcit. Sic nimirum ſi humana ſuperbia cum rerum opulentia intumeſcens, ſe in altum extulerit, à ſtatus ſui celſitudine corruens ad ima ruit.*

5 Deficiunt ſcrutantes ſcrutinia, cum Philoſophi confunduntur à veritate Fidei, vnde Pſalm.63. *v.6. Defecerunt ſcrutantes ſcrutinia*, & D. Hilarius, *in Pſ.63. colum. 760. lit. F. Defectio ſcrutantium defectionem ſuper vacuæ contra Deum adorta et ionis oſtendit. Quæ enim non labefactabantur ingenia contradictioni veritatis intenta.*

6 Oculos filiorum inimici Iob deficere, eſt Homines decipi, cũ à Diabolo ad amandũ terrena incitãtur. *c.17. v.5. Et oculi filiorum eius deficient*, & Roman. Gregor. *lib. 13. c.12. mor. pag.610. lit. B. Peruerſus itaque Author errroris prædam ſocijs pollicetur, quia malignis ſpiritibus prauorum promittit animas in eorum fine rapiendas; ſed oculi filiorum eius deficient; Quia dum intentiones hominum ad ſola ſperanda terrena excitat, hoc illos amare facit, quod diu tenere non poſſunt.*

§. II.

Peccatoris, & Peccati nomine quæ ſignificentur.

1 PEccatum eſt dictum, factum, aut deſideratum contra diuinam legem, & Peccator qui id fecit. Et primò Peccator eſt Antichriſtus, de quo Pſalm.9. *v.39. Contere brachium peccatoris, & Maligni*, vbi D. Hieronymus, *in Pſ.9. pag.10. lit. B. Iſta ad Antichriſtum pertinent, quia conteret Dominus fortitudinem eius.*

2 Peccator conſiderans iuſtum eſt populus hebræus odio habens Chriſtum, vnde ait Pſ.36. *v.32. Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum*, & idem Hieronymus, *in Pſ.36. pag.47. lit. H Intuebatur enim populus Iudæorum iuſtum filium Dei, & ſtridebat in eum, quia grauis erat ei ad videndum.*

3 Peccator eſt Diabolus, vt in Pſ.35 *v.1. Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo*, & D. Hieron. *in Pſ.35. pag.46. lit. D. Iniuſtus, hoc eſt Diabolus cum ſuis Satellitibus.*

4 Peccatores Cœli, ſunt qui à diuinis, & ſpiritualibus ad terrena redeunt, vt fecerat Prodigus, qui dicebat, Luc. c.15 *v.21. Pater peccaui in Cœlum*, & D. Ambroſ. *ſer.15. in Pſ.118. pag.479. lit. C. Sunt ergo, & Cœli peccatores ſicut ille, qui ait: Pater peccaui in Cœlum, &c. quis Cœli factus non debes in terram redire de Cœlo: In Cœlum ergo peccas, ſi Cœli incola Cœlum relinquas.*

5 Peccatores terræ ſunt fomenta peccatorum; quæ deſtruebat qui dixit, Pſ.100. *v.10. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, & idem Sanctus Doctor, *loc. cit.*

Digitized by Google

l.c.lit. D. Alij ſunt pecatores terræ. In matutinis, inquit, interficiebam omnes peccatores terræ: Quomodo vnus interficere poterat omnes peccatores terræ? Sed ſi conſideres iuſtum, cui nox receſſit, dies autem appropinquauit, potes videre quomodo exoriente tibi Sole iuſtitiæ, de luce vigilans interficias fomenta omnia delictorum.

§. III.

Iniqui ſecundum allegoriam qui dicantur.

1 INiquus metaphora ducta ab inæquali, malus dicitur: & primò Iniquus eſt Diabolus, & concludi apud iniquũ eſt exponi eius tentationibus; de quo quæritur Iob *cap 16.verſ.12. Concluſit me Deus apud iniquum.* & Mag.Greg. *lib.13.c.6. mor. pag.605.lit B. Electorum populus apud iniquum concluditur, cum eius caro antiqui hoſtis perſecutionibus temporaliter datur.*

2 Iniqua labia ſunt Infideles negantes diuinam Prouidentiam, a quibus liberari deſiderans ſanctus vir, ait. *Pſal. 119. verſ.2. Domine libera anima meam a labiis iniquis*; & D. Hilarius *Pictauien. in Pſ.119.col.966.lit. F. Hi ſunt qui abnegantes Deum nullum humanis rebus aſſerunt reliquum eſſe in religione Dei profectum, ſed ſolum hoc ſibi bonum eſſe, quod luxui, & corpori viuant, adimentes Deo curam, prouidentiam, arbitrium, poteſtatem. Horum ergo labia ſunt iniqua.*

3 Iniquitas calcanei eſt originale peccatum: de quo Pſalmus 48.*verſ.5. Iniquitas calcanei mei circumdabit me*: & D. Hieronymus *in Pſalt.48.pag.60. lit.D. Quia in calcaneo quiſquis peccauerit, labitur. Sed & iniquitas calcanei originale peccatum accipitur ex Adam.*

4 Iniquitas in manu, eſt peccatum opere completum: de quo apud Iob *cap.11. verſ.14. Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua abſtuleris a te*: & Magnus Gregorius *lib.10.cap.11.mor.pag.553.lit.A. Omnem peccatum aut ſola cogitatione committitur, aut cogitatione ſimul & opere perpetratur. Iniquitas ergo in manu eſt culpa in opere.*

5 Iniquitas maxima, eſt honorem de bonis operibus Deo adimere, & ſibi tribuere: de qua Iob *cap.31.verſ. 28. Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum* & Idem Gregorius *lib.22. cap.5.pag.807.lit. E. Liquet equidem quod illum negat, cuius deſpecta gratia, ſibi vires boni operis arrogat.*

6 Iniquitas in tabernaculo, eſt peruerſa cogitatio in mente: vnde ait Iob *cap.22.verſ.23. Longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo*, & Idem Gregorius *lib.22.cap. 16.pag.668.lit.B Iniquitas ergo in tabernaculo mentis eſt peruerſa inuentio in ſtudio cogitationis.*

PERO-

PERORATIO

הַלְלוּ־יָהּ׃

Verſio ex hebræo. *Laudate Dominum.*
Vulgata editio. *Alleluya.*

TErminat Pſalmum Propheta cum *Alleluya*, quæ verba ad hunc pertinere Pſalmum tradit D. Hieronymus: הַלְלוּ ex radice הָלַל quæ laudare ſignificat, interprætatur *Laudate*: vnde *laudes* (quod nomen dant Hæbrei Pſalterio) תְּהִלִּים dicunt: יָהּ vero eſt vnum ex Dei nominibus quaſi contractum ex יְהוָה vnde rectè exponitur *Laudate Deum*: Vulgata verò: & tota Eccleſia retinuit nomen ipſum *Alleluya*; & quia הָלַל non ſimpliciter *laudare*, ſed cum Cantico, & lætanter ſignificat, ideo optimè Eccleſia in ſolemnitatibus, & maximè Paſchalis gaudij, hac voce vtitur; tempore verò luctus, & paſſionis eam vetat, vt in hac ipſa Die, qua hæc ſcribo, Eccleſia prohibet *Alleluya* in Eccleſiaſtico officio. Ergo Propheta ad laudandum Deum nos impellit; laudemus ergo & in eius laudibus, & ad eius gloriam, Hoc opus, cæptum in Conuentu S. Bonauenturæ Ciuitatis Tuſculanæ die Octaua Aſcenſionis Dominicæ, ſecunda Iunij 1661. In Conuentu S. Bonauenturæ Ciuitatis Venetiarum Dominica Septuageſimæ decima Februarij 1664. terminemus, dicentes. *Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, Honor; Virtus, & Fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.*

FINIS.

398.675

Digitized by Google

INDEX ALLEGORIARVM.

A

Abies, *Abyſſus*, *Ager*, *Alæ*, *Amictus*, *Angelus*, *Anima*, *Aperire*, *Aſcendere*, *Aqua*, *Aquila*, *Auis*.

B

Baſis, *Benedictio*, *Beſtia*.

C

Canticum, *Cantare*, *Caprea*, *Catulus*, *Cedrus*, *Ceruus*, *Cibus*, *Cœlum*, *Confeſſio*, *Congregare*, *Conuertere*, *Cor*, *Creatio*, *Creare*, *Cubare*, *Cubile*, *Cutis*.

D

Deficere, *Defectio*, *Delectatio*, *Delectari*, *Deſcendere*, *Deus*, *Domus*, *Draco*.

E

Eloquium, *Eſca*, *Exiens*, *Exire*, *Expectare*.

F

Facies, *Fœnum*, *Fons*, *Formido*, *Fluuius*, *Flumen*, *Frondes*, *Fructus*, *Fuga*, *Fugere*, *Fundamentum*, *Fundere*.

G

Gaudium, *Gaudere*, *Gloria*.

H

Herba, *Hericius*, *Herodius*, *Homo*.

I

Ignis, *Illuſio*, *Illudere*, *Innouare*, *Iniquus*, *Iniquitas*, *Inſula*, *Iumentum*.

L

Lapis, *Lætitia*, *Lætari*, *Leo*, *Libanus*, *Lignum*, *Locus*, *Lumen*, *Lux*, *Luna*.

M

Manus, *Magnificentia*, *Magnificare*, *Mare*, *Medium*, *Mons*.

N

Nauis, *Nidus*, *Nidificare*, *Nouum*, *Nox*, *Nubes*, *Numerare*.

O

Oleum, *Onager*, *Operire*, *Operari*, *Opus*, *Oriens*, *Oriri*.

P

Panis, *Paſſer*, *Peccatum*, *Peccator*, *Pellis*, *Petra*, *Piſcis*, *Pluuia*, *Puluis*.

R

Ramus, *Rapere*, *Renouare*, *Reptile*, *Reſpicere*, *Rigare*, *Rugitus*.

S

Sapientia, *Sæculum*, *Sermo*, *Sitis*, *Sol*, *Spiritus*, *Stare*.

T

Tangere, *Tegere*, *Tempus*, *Tenebræ*, *Terminus*, *Terra*, *Timor*, *Tonitruum*.

V

Vallis, *Ventus*, *Veſpera*, *Veſtimentum*, *Vinum*, *Vita*, *Vox*.

A

Abies.

CONtemplatiuus. verſ.17 §.4.num.1.Rex.num.2. Doctor Sanctus nu.3. contemplatio. nu.4.

Abyſſus.

Spiritus Sanctus. verſ.6.§.1.num.1.Sacra ſcriptura nu.2. Myſterium cæleſte. nu. 3. Doctrina Eccleſiæ. nu.4. Auaritia.num.5.Peccator. num.6.&7. Hæreticus. nu.8.Pęna æterna.nu.9.Gaudium cæleſte. nu.10. Tribulatio.nu.11. & 12.Infernus n.13.vita Deo contraria. n.14. Ignorantia.nu.15.Amor peccandi n.16. Timor magnus. nu.17.Afflictio Chriſtianorum.n.18.

Ager.

Chriſtus.verſ.11. §.2. num.1. Regnum Cœlorum. nu.2. Diſciplina cæleſtis. nu.3. Sacra ſcriptura. nu.4. Eccleſia. nu.5.Cor hominis.nu.6. cor ſimplex. nu. 7. Conſcientia. nu.8.Anima Iuſti.nu.9. Contemplatio. nu. 10. Mens deuota.num.11. Præceptum Euangelicum. nu.12. Mundus.nu.13. Sæculum . nu.14. Status extra Eccleſiam.nu.15. Congregatio laicorum. n.16.

Alæ.

Dei Protectio. v.3.§.3.nu.1.Chriſti brachia. nu.2. Duo teſtamenta. nu.3. Cognitio , & Deuotio. nu. 4. Natura & Gratia.num.5.Vita actiua , & Contemplatiua.n.6. Intellectus , & operatio. nu.7. Ieiunium, & Eleemoſina.nu.8.Duo præcepta charitatis.nu.9. Feruor charitatis . nnm 10.

Amictus , Veſtimentum.

Maledictio. verſ.2.§.2.nu.1. Peccatum.n.2.Gloria nu.3. Munditia baptiſmalis. nu.4. Angelica Gloria : num.5. Virtutis ornatus. nu.6.Varia Virtus. num. 7. Decor virginalis. nu 8. Fides . nu. 9. Charitas . ibid. Authoritas Sacræ ſcripturæ. num. 10. & 11. Synagoga. nu.12. Martyrium. nu.13. Confuſio . nu. 14. Dei Protectio. n.15.

Ange.

Digitized by Google

Angelus.

Spiritus ſanctus.verſ.4. §.1. nu.1. Ieſus.nu.2.Ioannes Baptiſta.nu.3.Apoſtolus.n.4. Dei nuncius. nu. 5. Sanctus.nu.6.Sacerdos.nu.7.Fides. nu.8. Sermo diuinus.nu.9. Dei auxilium.nu.10.Duo teſtamenta.n.11. ſtella.nu.12.

Anima.

Virtus diuina.verſ.1.§.2.nu.1.Homo.nu.2.Voluntas.nu.3. Vita num. 4. Opus bonum. n.5. Operatio eleuans ad Deum. nu.6.

Aperire.

Aperire oculos, Iudicium exercere. verſ. 28. §.1. nu.1.Cognoſcere. nu.3. Aperire os, cogitationes detegere.nu.2.Dilatari.nu.5. Deſiderare.nu.6.Aperire. oſtendere.nu.7.Aperire iudici, mori. nu.4.Superare. nu.8.Recipere.nu.9. Aperire iannas Cœli, Prædicationem mittere nu. 10. Aperire portas. cognoſcere nu.11. Aperire propoſitionem, prædicare. num.12. Aperire ciſternam, arcana penetrare. nu.13.

Aqua.

Chriſtus. verſ.3. §.1.nu.1.Gratia Dei.nu.2. Eccleſia. nu.3.Baptiſmus.nu.4.materia prima nu.5. Inſenſibilitas. nu.6. Sacra ſcriptura.nu.7. Deprauatio ſcripturæ. nu.8. Sapientia. nu. 10. & 11. & 12. Innocentia.nu.13. opus num.14.Lacrymæ.nu.15. Tribulatio. num.16. Diuitiæ.nu.17.Vrina.num.18.

Aquila.

Deus.verſ.17.§.3.num.1.Angelus. num.2.Ioannes Euangeliſta. nu.3.Subtilis intelligentia.nu.4.Aſcenſio Domini. nu.5. ſpiritus nequam. nu.6. potentia terrena.nu.7.Sanctus nu.8. præſumptio nu. 9. Santi Patres. nu.10. Homo primus. num.11.Iudæorum gens. num.12. Pœnitentia. num.13.Sacra ſcriptura. nu.14. eius alæ duo teſtamenta. nu.15.

Aſcendere.

Incomprenſibilem eſſe.verſ.8.§.1.num.1.Credere, nu.2.Quærere. nu.3.acceptari.nu.4. Conuerti nu. 5. Contemplari. nu.6. Pœnitere. nu.7. Diuina participare. nu.8. Contemnere. num. 9. Superbire. nu. 10. malitiari. nu.11.adorare. nu.12.Confidere .num.13. tentari.nu.14.murmurare.num.15.obſeruare legem. num.16.Gloriam quærere. n.17.

Auis.

Redemptor noſter.verſ.12.§.1.nu.1.Angelus. n.2. &nu.12. Aſſentio Chriſti. nu.3. Protectio Dei nu.4. Vir ſpiritualis.nu.5.& 9.malignus Spiritus nu.6.cogitatio num.7.Gentes. nu.8. contemplatiuus num. 10. Superbus. nu.11. Populus Iſraeliticus nu.13.

B

Baſis.

CONſilium Sapientiæ.verſ.5.§.2.nu.1. Baptiſmus. nu.2. Propheta. nu.3. Apoſtolus. num.4. Timor Domini num.5.Fides. nu.6.Doctor Eccleſiæ. n.7. Intentio bona. nu.8. Humilitas nu.9.Vir iuſtus. nu.10. Conuerſatio gentilis.nu.11.ſtabilitas. nu.12.

Benedictio Benedicere.

Munus. verſ.1.§.1.nu.1. Sacrificium.nu.2.Gratiarum actio.nu.3. Donum Spiritus S. nu. 4. Corpus, & ſanguis Chriſti. nu.5. eleemoſina num.6. Maledictio. nu.7.Adulatio, n.8. Deceptio nu.9.Fœcunditas n. 10.

Beſtia.

Humilis.verſ.11.§.1.n.1.homo mundanus. num.2. Regnum mundi.nu.3.Gentilis.nu.4.Dæmon. num.5. Princeps dæmonum.nu.6.Hæreſiarcha. n.10. Crudelitas. num.11.

C

Canticum: Cantare.

OBiectum contemplationis verſ.33.§.1.nu.1.Cognitio Dei. nu. 2. Chriſtus.nu.3.adoratio.nu.4. ſecuritas.nu.5.Dei amans.nu.6.Notitia Chriſti.nu.7. Plantus, & fletus, n.8.Irriſio. nu.9.manifeſtatio.n.10.

Caprea.

Chriſtus iudex.verſ.18.§.2.nu.1.eius humanitas.n.2. Eccleſia.nu.3.Angelus.nu.5.Diabolus.num.6.Anima Sancta. nu.7.

Catulus, vide *Leo*.

Cedrus.

Angelus. verſ.16.§.2.nu.1.Apoſtolus nu.2. Gloria cœleſtis. nu.3.Superbia.nu.4. Antiohriſtus 5. bonum exemplum. n.6.Æternitas. nu.7. Chriſtus.nu.8. Crux Chriſti. num.9.mens fidelis. nu.10.

Ceruus.

Chriſtus. verſ.18.§.1.n.1.Apoſtolus.nu.2.Magiſter ſpiritualis. n.3.4.Eccleſia. nu.5.Cathecumenus.nu.6. ſuperator linguæ peruerſæ. nu.7. concionator. nu.9. cornua cerui duo teſtamenta. nu.8.

Cibus.

Euchariſtia.verſ.21.§.4.nu.1.Incarnatio Domini. nu.2. Sacramentum Trinitatis. n. 3. Doctrina. nu. 4. neceſſaria animæ, & corporis. nu.5. Gloria æterna. nu.6.Reprobus.nu.7. ſacra ſcriptura. nu.8. Gentilis. nu.9.Peccator conuerſus.nu.10.Lex. nu.11. Prædicatio.nu.12.Conuerſio Iudæorum.nu.13. Voluptas ſæculi. nu.14.Deſpectus.nu.15. Poſſeſſio nu.16. Bona huius vitæ. nu.17.

Cælum.

Deus.verſ.2. §.3.nu.1.Angelus. num.2. Deipara. Virgo.nu.3. Eccleſia.nu.4.Anima. n.5.*vir ſpiritualis.* nu.6.mens humana.nu.7.Sanctitas.nu.8. Fides. nu.9. Prædicator.nu.10.Solium Potentiæ.nu.11.

Confeſſio.

Laus.verſ.1.§.5.n.1. Gratiarum actio.nu.2. pœnitentia.nu.3. Prædicatio. nu.4.Remuneratio. nu.5.

Congregare.

Iram temperare. verſ.22. §.2. nu.1. Vnire. num.2. ceſſare. nu.3.docere. nu.4. Fauere.nu.5.Fidem ſeruare.nu.6. prædicare. nu. 7. accedere ad contemplationem. nu.8.exercere virtutes. nu. 9. facere opus bonum.num.10.

Conuertere.

Propitiatio.verſ.9.§ 3.n.1. liberari a peccatis.n.2. ſuſcitare.nu.3.vindictam ſumere.num.4.remunerare. nu.5.diligere. nu. 6.trahere ad Deum. nu.7. ad paradiſum ire. nu.8.inuocare.num.9.Doctrinam exequi. nu.10. retributionem expetere. nu.11.Iudicem fieri. nu.12.malè iudicare.nu.13.Seipſum iudicare. nu. 14. delectari.n.15. contemplari. nu.16.

Cor.

Memoria fæcunda Dei. verſ.15.§.2.nu.1.Cor Dei, Iudicium.nu.2.Cor Chriſti Eccleſia nu. 3. Cor Annæ Eccleſia.nu.4.Sacra ſcriptura. nu.5. Fidelis vir. nu. 6. Amator.nu.7.Animus.nu.8.cor lapideum animus ſuperbus.num.9.cor maris, gentes.nu.10.Cor terræ,ſepulchrum.nu.11.Cordis meditatio, Fides.nu.12. De corde ſuo prophetare,falsò ſcripturam exponete.nu. 13.Corde maledicere, prauis operibus fauere. nu.14.

Creatio, Creare.

Incarnatio.verſ.30. §.1. nu.1. prædicatio. num.2. Regeneratio ad gratiam.nu.3.mundatio nu.4.mutare in bonum.nu.5. mittere Antichriſtum. nu.6.

Cubare.

Digitized by Google

Index Allegoriarum.

Cubare.

Cubare in ſacco, pœnitentiã agere. verſ.22. §.3.n.1. Cubare in meridie Frui gloria æterna. nu.2. Cubare iuxta puteum, baptiſmum petere. nu.3. Cubare Beſtias, Vitia præualere. nu.4. Cubare ſub altare falſa teſtimonia ſcripturæ adducere. nu.5. cubare in medio fluminum, quieſcere in Hæreticis. nu.6. cubare inter Leones Crudelium vti conſilio. nu.8.

Cubile.

Cor. ibid. nu.9. cubile aſcendere, crucifigere. nu.10. Anima. num. 11. quies contemplationis. nu.12. cor hominis. nu.13. Carnis voluptas verſ.21. §.1. nu.9.

Cutis, ſeu Pellis.

Res temporalis verſ.2. §.4. nu.1. Patientia. num.2. Peccatum. n.3. Mortalitas. nu 4. Peccatum. n.5. mortificatio carnis. nu.6. Conſuetudo. n.7. Martha. nu.8. Vir rudis. num.9.

D

Deficere, Defectio.

DEſperare. verſ.35. §.1. num. 1. reſiſtere motibus carnis. nu.2. vniri Deo. nu.3. Cadere. nu.4. confundi. num.5. decipi. nu.6.

Delectari, Delectatio.

Cognoſcere. verſ.34. §.2. n.1. exultare. nu.2. Canere. nu.3. meditari. nu.4. acceptare, nu.5. Gloria æterna. nu.6. Lætari. nu.7. fugare dæmones. n.8. Non delectari, confundi. nu.9.

Deſcendere.

Reuelare. verſ.8. §.3. nu.1. vacare ſcientijs ſæcularibus. nu.2. Prædicare. nu.3. Conſiderare ſuam fragilitatem. nu.4. Iudicium facere. nu.5. humiliari. num.6. pœnitere. nu.7 & 12. cogitare. nu.8. relinquere. n.9. perſeuerare. nu.10. Riſum verti in luctum. num.11. malum fieri. nu.13. Venire. nu.14.

Deus.

Falſum Numen. verſ.1. §.3. n.1. Angelus. nu.2. Sacerdos. nu.3. Propheta nu.4. Iudex. nu.5. Iuſtus. nu.6. Auaritia. nu.7. Crapula. nu.8.

Domus.

Deus. verſ.17. §.5. n.1. Charitas. nu.2. Vita apoſtolica. nu.3. Eccleſia. nu.4. B. Virgo n.5. Conuerſatio. num.6. Paradiſus. nu.7. Alienatio. nu.8. mens. nu.9. & 12. Anima nu.10. illecebra. nu.11. Geneologia. nu.13. Congregatio. nu.14. & nu.15. Synagoga. nu.16. Cogitatio. nu.17.

Draco.

Diues potens. verſ. 26. §.2. nu. 1. Diabolus. nu.2. Vitium capitale. nu.3. Auaritia. num.4. Antichriſtus n.5. Doctrina. n.6. & n.7. malitia. n. 8. Perſecutor. n.9.

E

Eloquium, Sermo.

ZElus diuini honoris. verſ.34. §.1. nu.1. Doctrina. n.2. Prædicatio. nu.3. & n.4. Res Deo contraria. nu.5. Dignitas Paſtoralis. nu.6. murmuratio. nu.7.

Eſca. V. Cibus.

Exiens. Exire.

Apparere in carne. verſ.23. §.1. num.1. vocare ad pœnitentiam. nu.2. Punire. nu.3. vocatio gentium. nu.4. eijci de Paradiſo. nu.5. naſci. nu.6. concipi. nu.7. apparere. nu.8. examinare. nu.9 A mortuis reſurgere. nu.11. aſcendere in Cœlum. nu.12. accedere ad gentes. nu.13. aſpernari terrena. nu. 14. auxiliari. nu. 15. inuenire virtutem. nu.16. diſcedere a fide. nu.17. amare. num.19. mors. num. 20. Separari. nu.21. Seruare pacem. n. 22. Promittere deceptoriè. n.23. contemplatiuum fieri. n 25. accedere ad prædicationem. n.26. præparari. nu. 27. diſcedere. nu.28. incidere in vanam gloriam. nu.29. excedere modum: nu. 30. ferire. n.31. proijci in infernum. nu.32. accedere ad tentandum. nu.33. Perſequi. nu.34.

Expectare.

Deſiderare. verſ.27. §.1. nu.1. coercere iram. nu.2. roborari in fide. nu.3. ſperare. nu.4. deſiderare tentationes. nu.5. deſiderare gratiam. num.6. cognoſcere. nu.7. deſiderare mortificationem. num.8. deſiderare gloriam. num.9. hum i liari. nu.10.

F

Facies.

FAcies Dei, Filius eius. verſ.15. §.3. nu.1. eius Diuinitas. nu.2. Reuelatio. nu.3. Cognitio. nu.4. Iudicium. nu.5. Prophetia. nu.6. vita Chriſti. nu.7. Euangelium. nu.8. Fides. nu.9. Cor. nu. 10. Fauor ſæcularium. nu.11. in faciem cadere, humiliari. nu.12.

Fœnum.

Gloria Sanctorum. verſ.14. §.1. n.1. gloria mundi. nu.2. Eleemoſina. nu.3. caro noſtra. nu.4. electus. n.5. Peccator. num.6. Doctrina num. 7. peccatum. nu.8. Iudæus. nu.9.

Fons.

Trinitas ſanctiſſima verſ. 10. §.1. n.1. Chriſtus. n. 2. Spiritus ſanctus. n.3. Æternitas. n. 4. Eruditio interna. n.5. Ciuitas cœleſtis. n 6. Baptiſmus. n.7. Vita n. 8. miraculum. n.9. Dogma hæreticorum. n.10. Dæmon. n.11.

Formido Timor.

Deus. verſ.7. §.4. n.1. Dei vultus. n.2. Sapientia vera. n.3. Sanctitas, ſeu iuſtitia. n.4. Gratia præueniens. n.5. Initium conuerſionis. n.6. deſpectus temporalium. n.7. Legis obſeruatio. n.8. Infidelitas. n.9. Ignorantia. n.10.

Fluuius, Flumen.

Spiritus ſanctus. verſ.10. §.2. n.1. Donum eiuſdem. n.2. Doctrina Euangelica. n.3. Baptiſmus. n.4. Homo. n.5. Vita præſens. n.6. Euangeliſta. n.7. Philoſopus. n. 8. Peccator. n.9. Iuſtus. n.10. Deſiderium carnale. n. 11. Flumina intrare in mare, delectationem carnalem finiri. n.12. Sapientia. n.13. Sacra ſcriptura. n.14. Populus. nu.15. Doctrina hæreticorum. n.16. Corpus exanime. n.17.

Frondes.

Doctrina Dei. verſ.12. §.3. n.1. Verba. n.2. Mendacia. n.3. Verba inania. n.4. Religioſi labentes. n.5. Homines. n.6. Superbi. n. 7. Doctrina Euangelica. n.8. opera perfecta. n.9.

Fructus.

Chriſtus. verſ.13. §.3. n.1. & n.2. Eruditio. n.3. Donum Spiritus ſancti. n.4. Immortalitas. n.5. Retributio æterna. n.6. Fides. n.7. Sermo bonus. n.8. Miſericordia. n.9. virtus animæ. n.10.

Fuga.

Contemplatio. verſ.7. §.1. n. 1. Incomprehenſibitas Dei. n.2. Victoria. n.3. Caſtitas. n.4. Placatio Dei. n.5. Inobedientia. n.6. recuſatio pœnitentiæ. n.7. Hæreſis. n.8. Reprehenſionis negligentia. n.9. ſectatio Auaritiæ. nu.10. Mors. n.11.

Fundamentum.

Chriſtus. verſ.8. §.2. n.1. Apoſtolis. n. 2. Homo potens. n.3. Spes. n.4. Subſiſtentia realis. n.6. Pœna æterna. nu.7.

Fundare.

Digitized by Google

Fundare.

Lunam, collocare Eccleſiam in ſcripturis.ibid.n.8. Fundare Faſciculum,inſtituere Religionem.n.9.Fundare puluerem in terra, peccatorem conuerſum in pœnitentia ſtabilire. n.10.

G

Gaudium. Gaudere. Vide *Lætitia*

Gloria. Glorificatio.

OPus pro Deo factum. verſ.31. §.1. n.1. Crux.n.2. opus bonum.n.3. opus malum.n.4.Prædicatoris terror.n.5.Reſurrectio Chriſti.n.6.Diuinitas.n.7. Iuſtitia.n.8.Doctrina.n.9.Patientia.n.10.

H

Herba.

INcarnatio Chriſti. verſ.14.§.3.n.1. Deus.n.2.Doctrina.n.3. Defectio animæ. n.4. Præceptum legis. n.5.bona operatio. n.6. Suſtentatio prædicatorum. n.7. vigor gloriæ temporalis. n.8. Iniquitas. n.9. Iudæus.n.10.Prædicatio.n.11.Beatitudo.n.12.

Hericius.

Pauper pro Chriſto verſ.18.§.3. n.1. malitioſus. n.2.immundus Spiritus.n.3. Diues.n.4.

Herodius.

Hoſtis ſpiritualis. verſ.17.§.3.n.1. Iuſtus.n.2. Chriſtus.n.3.vide *Aquila.*

Homo.

Deus.verſ.23.§.2.n.1.Chriſtus. n.2. Vir ſpiritalis. n.3.4.carnalis.n.5.Adam.n.6.mens.n.7.Beata Virgo. n.8.Matthæus. n.9. Ignobilis n.10. Delinquens. n.11. Antichriſtus nu.13.Diabolus. n.14.

I

Ignis.

DEus. v.4.§.2.n.1.Spiritus S.n.2.Paſſio Chriſti.n.3.Angelus.n.4.Charitas n.5.Sermo diuinus.n.6. Zelus.n.7.Victoria.n.8.Remorſus cōſcientiæ.n.9.Pœnitentia.n.10.Tribulatio.n.11.Cupiditas.n.12. Concupiſcentia.n.13. Ira.n.14.Inuidia. n.15. Auaritia. n.16.Decor mundanus. n.17. cæleſte ſupplicium. n.18. Calumniator. n.19.Virtus ſupernaturalis. n. 20. Gehenna n.21.Purgatorium.n.22.

Illuſio, Illuſores.

Carnalis delectatio.verſ.26.§.3.n.1.Principes.n.2. mali Prælati.n.3.Magiſtri. n.4.Hæretici. n.5. dæmones. nu.6.

Illudere, Irridere.

Decipere. ibid. nu.7.deſpicere.n.8. illaqueare.n.9. contemnere. n.10. Fatuum putare.nu.11.

Innouare. Renouare.

Relinquere vitia. verſ.30.§.2.n.1.venerari.n.5.creſcere. n.6.mundare a peccato. nu.9. reſurgere ad immortalitatem. nu.8. vide *Nouum.*

Iniquus. Iniquitas.

Diabolus.verſ.31.§.3.nu.1.Infidelitas. nu.2.peccatum.n.3.& nu.4.Honor Deo ademptus.n.5.cogitatio mala.n.6.

Inſula.

Ciuitas Iudææ. verſ.9.§.2.n.1.Eccleſia.n.2.Domus hæreticorum.nu.3. Homo mundanus. nu.4.Gentilis. nu.5.Anima ſanta tribulata.nu.6.

Iumentum.

Humanitas Chriſti. verſ.14.§.2.n.1.Religioſus. nu.2.Piger ingenio.n.3.Simplex in fide. n.4. Gens conuerſa. n.5. Derelinquens Deum. n.6. Peccator. nu.7. carnalis homo.n.8. Guloſus. n.9. nouiter conuerſus. nu.10. terrenorum amans.nu.11.

L

Lapis, ſeu Petra.

DEus. verſ.12.§.2.n.1.Chriſtus. n.2.& 8. Deipara Virgo.n.3.Angelus.n.4.Sanctus.n.5.Petrus.nu.6. Apoſtolus.nu.7.Virtus.n.9.Lex.nu.10.Fortior in Eccleſia.nu.11. Propheta.n.12.Anima ſancta.nu.13.Vir perfectus.n.15. Inſenſibilitas.n.16. Doctrina Sanctorum. n.17. Iuſtus.nu.18.admiratio. nu.19.Abraham. nu.20.ſenſus literalis.nu.21.Obiurgatio.n.22. Peccatum. n.23. Diabolus.n.24. & nu.25. Dogma peruerſum.n.26.auxilium inutile. nu.27.

Lætitia, Lætari.

Expectatio Sanctorum. verſ.31.§.2. nu.1. vita ſanctorum. n. 2.Conuerſio hebræorum. nu.3. ſpes.nu.4. Aduentus Chriſti.n.5.Beatitudo. n.6. & 12. Vanagloria. n.7. Exultatio bona. nu.8. Conuerſio Gentilium. n.9.Poſſeſſio virtutū.n.10.Incarnatio Verbi Dei n.11

Leo.

Chriſtus.verſ.21.§.1.n.1.& nu.14. Apoſtoli. nu.2. Eccleſia.nu.3.Iuſtus. nu.4. Doctor. n.5. Diues. nu.6. Diabolus.n.7.n.8.Hereticus.nu.10. Princeps Iudæorum. nu.11. Plebs Iudæorum. ibid. Homo rapax.nu.12. Antichriſtus. n.13. Febris. nu.15.

Libanus.

Chriſtus. verſ.16 §.3.nu.1. Corpus Virginis. nu.2. Baptiſmus.nu.3.Adololatria.nu.4.

Lignum.

Sapientia æterna.verſ.16.§.1.n.1.Crux Chriſti.n.2. Iuſtus.Iniuſtus.n.3.Sāctus.n.4 & 9.Gentilis.n.5.Chriſtus. n.6. Angelus.nu.7.Iudæus.Gentilis. nu.8. homo. n.10. teſtimonium ſacræ ſcripturæ. n.11. homo leuis. nu.12.

Locus. Locare.

Cœlum.verſ.8.§.4.n.1. Pectus Iuſti. n.2. miſericordia.nu.3.Eccleſia.nu.4.Deus.n.5.Gloria cœleſtis. n.6. Euangelium.nu.7.ſpes.nu.8.Fides.n.9. Sacerdotium. nu.10.Anima.n.11. Cor iuſti. nu.12. Gentilitas.n.13. Humilitas.n.14. Superbia.n.15. mens terrena. nu.16. Conuerſatio.n.17. adulatio. nu.18. Locare lucernas, Doctores inſtituere.nu.19.

Lumen. Lux.

Baptiſmus.verſ.2.§.1.n.1.Cognitio veritatis. nu.2 Scientia nu.3.Præceptum Dei.n. 4. Proſperitas ſæculi. nu.5. Gaudium.nu.6.Conſolatio. nu.7. Beatitudo. nu.8. Pænitentia.nu.9.Plauſus humanus.n.10. Virtus. nu.11.miraculum.nu.12.

Luna.

B. Maria. verſ.19.§ 1.n.1.Eccleſia. n. 2. & num. 5. Anima.n.3.Fama.n.4.temeritas.n.6.Stultitia.n.7. Iuſtitia.nu.8.plenitudo temporis.n.9.mortalitas.nu.10. Aduerſitas.n.11.Congregatio hæreticorum. n.12.

M

Manus.

CHriſtus. verſ.28.§.2.n.1. Sacerdos.num.2.Gloria æterna, & temporalis.nu.3.Iudicium.nu.4.Filius Dei.nu.5.Gloria Dei.n. 6. Flagella Dei. nu.7. bona opera.nu.8.Perfecti fideles.nu.9.imitatio .nu.10. Populus hebræus.nu.11.Poteſtas n.12. Clementia. num. 13. Gentilitas.nu.14. actiones nu.15.otium. num.17. Caſtigatio ſermonis. nu.18.leuare manum, deſpicere terrena.n.19.

Magnificentia Magnificare.

Laus Dei verſ.1.§.4.nu.1. Legis obſeruantia. nu.2. Doctri-

Digitized by Google

Doctrina Sanctorum.nu.3. Spiritualis profectus. n.4. Res ſingularis. num. 5. Princeps, ſeu Potens.num.6. exaltatio ad Cœlum. nu.7. Gloria inanis. nu.8. Gloriatio. nu.9. tranſgreſſio. nu.10.

Mare.

Mundus.verſ.25.§.1.nu.1. Baptiſmus. nu.2. Fœnetor. num.3. Populus gentilis. num.4. pœnitentia n.5. Doctrina. num. 6. & 11. ſæculum. numero 7. homines mali.nu.8.Eccleſia.nu.9. contemplatio. nu.10. Perſecutio. nu.12. Vita infidelium. nu.13. mens humāna. nu.14. concupiſcentia.nu.15.Lacrymæ.nu.16. malus Angelus. nu.17.Anima. num.18. vexatio conſcientiæ.num.19. cor amarum,& deſperatum. nu.20. Paradiſus. nu.21. Mors. nu.22.

Medium.

Sapientia. verſ.10.§.4.nu.1. Chriſtus. n.2. Dei incarnatio. nu.3. apparere per alium. n.4. Anni Chriſti 33.nu. 5.Cor. nu.6. Sacerdos. nu.7. Principatus. num.8. Spes. nu.9. punitio ineuitabilis.nu.10.obſeruantia legis. nu.11. Tentationis plenitudo.nu.12. Iuſtitia. nu.13.Spiritus incluſus in litera. num.14. commune. nu.15.

Mons.

Chriſtus. verſ.6. §.2. nu.1. Maria. nu.2.Angelus, num.3.Eccleſia. num.4. Apoſtolus, ſeu Prædicator. num.5. Prædeſtinatus. nu.6. Cœlum.num.7.Contemplatio. nu.8.Virginitas. nu.9. Iuſtitia Dei. nu.10.Superior. nu.11. Superbia nu.12. Diabolus. nu. 13. Diuina Maieſtas. verſ.8.§.2.num.1.Cœlum empyreum. nu.2. Euangelium. nu.3. Potens. num.4. Sapiens vanus. nu.5. Virtus. nu.6. & num. 7. Spes firma. nu.8. Excellens in aliqua re.nu.9. Sacra ſcriptura. num.10. Hæreticus. num. 11. Infidelis. nu.12. Damnatio .numero 13.

N

Nauis.

CRux Domini. verſ.26.§.1.n.1.Religio. n.2. Sacra Scriptura.num.3. Synagoga. num.4.Myſterium crucis.num.5.Genus humanum.num.6.Superbia Gẽtium.n.7. Anima Iuſti.v.26.§.2.mor. Eccleſia. §.4. mor. Charitas. §.6. mor.

Nidus.

Eccleſia. verſ.17.§.2.nu.1. Quies fidei. nu.2. Spes. nu.3. Corpus humanum. num.4.Cor.nu.5.Impotentia. num.6.

Nidificare.

Superbire, ibid.nu.7.Congregare diuitia.num.8.& nu.9.Contemplari paſſionem Chriſti. nu.10.

Nouum.

Doctrina ſancta. verſ.30. §.2. nu.2. Cor ſpirituale. num.3.Chriſtianus recens factus. nu.4. Vita ſpiritualis. num.7.

Nox.

Incarnatio Domini. verſ.20.§.2.num.1.Tribulatio nu.2. Pœnitentia.nu.3. & nu.4. Ignorantia.nu.5.Humanitas. nu.6.malus.nu.7.Contemplatio. num 8.Timor. nu.9. Præuaricatio. nu.10. Mors. ibid. Infidelitas nu.11. Error. ibid. Vita Peccatoris.num.12.Peccator ipſe. nu.13. Diabolus. nu.14. Peccatum. nu.15. & num.16.

Nubes.

Deus Pater. verſ.3.§.nu.1. Deus Filius.nu.2.Spiritus S.nu.3.Maria Virgo.nu.4. Apoſtoli. nu.5. Prædicati aduentus Chriſti. nu.6.Iudices.nu.7.vita Patrum. nu.8.Homo mobilis. nu. 9. Gloria mundana. nu. 10. Ignorantia. nu.11.Peccatum. nu.12.

Numerare.

Minorare. verſ.25. §.3. nu.1. Supplicio deputare. nu 2. Eligere. nu.3.Innumerabilis, diabulus. num. 4. Æternitas. nu.5. præmiare. nu.6. & nu.7. vindicare. nu.8. Dilabi.nu.9.

O

Oleum.

SPiritus ſanctus.verſ.15.§.4.nu.1.Gratia.nu.2.& nu. 3.Chriſtus.num.4. Incarnatio Verbi.num.5.Diuina Pietas. nu.6. Donum Spiritus ſancti.nu.7.Humilitas. num.8.Miſericordia.nu.9.Oleum lætitiæ, carentia culpæ.nu.10. Adulatio. nu.11.

Onager.

Chriſtus.verſ.11.§.3.nu.1.Religioſus. nu. 2. Eremita.nu.3. Iudæus.nu.4. Infidelis. nu.5. Superbus. nu.6. Hæreticus.n.7.Gentilis.nu.8.Populus ſine lege. nu.9. Pauper. n.10.Peccator. §.2. mor. Anima ſancta. §.3. mor.Inuidus.§.6. mor.

Operire, Tegere.

Ducere ad fidem. verſ.9.§.4.num.1. occultare. n.2. delere peccatum. nu. 3. Sacra ſcripturam figuris exprimere.nu.4.Defendere crucem Chriſti.num.5.Infidelem conuertere. nu.6. Superiorum peccata excuſare. nu.7. occultare meritum.nu.8.operari.nu.9. abolere.nu.10.offerre. nu.11.occultare malitiam. num.12.

Opertorium Dei, ſunt ſancti. nu.13.

Opus.

Manuum Dei, ſalus noſtra.verſ.13.§.4.num.1.Iuſtitiæ, pax.num.2. Digitorum Dei, Sacra ſcriptura. nu.3.manuum Dei, Genus humanum.n.4. Dei ignotum, eius iudicia.nu.5. manuum figuli. homo carnalis.n.6. & Peccator.verſ.23.§.3.n.12. Dei, homo. nu.1. opus bonum.nu.3.alienum a Deo vindicta. nu.4. bonu,bona doctrina. n. 7. Oliuæ, pietas. n.8. Babilonis, naturæ neceſſaria.num.9.in veritate factum, operatio in fide.nu.10. manuum populi Dei, credens per prædicationem Apoſtolicam.nu 11.

Operari.

Opera Dei, in eum credere.verſ.13.§.4. n.7.in primogenito Bouis, operari propter homines. num.9. Opera ſua Deum dicere Filio, eſt ei communicare Diuinitatem.nu.10.Operarij vineæ, cogitationes hominis.nu.11.

Oriens.

Chriſtus. verſ.22.§.1.num.1.& nu.5. contemplatio. nu.2.Gloria Eccleſiæ.num.6.Falſa lux rerum mundi. nu.7. lumen ſcientiæ, nu.8. Iuſtus tribulatus.nu.10.

Oriri.

Veritatem de terra,Chriſtum de Maria naſci. ibid. nu.3.Solem,veritatem apparere.num.4.panem, fertilem eſſe. nu.9.tribulum pro frumento; de bono opere murmurationem haurire. n 11. Spinas in domibus. mala opera in cordibus. nu.12. in terra, terrenis adhærere.nu.13.

P

Panis.

NAtura diuina.verſ.14.§.4. n.1. Incarnatio Verbi nu. 2.Chriſtus.nu.3.Gratia ſpiritualis.nu.4.eruditio diuina.n.5.6.ſubſidium.n.7.Iucunditas huius vitæ. nu.8. cognitio SS.Trinitatis. n.9.Dogma Chriſti. nu.10. charitas.nu.11.Vita æterna.n.12. Adoratio Idolorum.num.13. Pœnitentia.nu. 14.Puritas. nu.15. Sapientia. nu.16. Sacrifi cium.nu.17.& nu.20.intentio. num.18. Sermo Euangelicus. num.19. Satietas laudis humanæ. num.21. opus bonum.nu.22.

Peccator, Peccatum.

Antichriſtus verſ. 35. §.2. n.1. Populus hebraicus n.2.Diabolus.n.3.prodigus.n.4.Fomentum peccatorum.nu.5.

Paſſer.

Criſtus. verſ.17.§.1. nu.1. Solitarius. nu.2. Peccator.

tor. nu. 3. Animæ inſtabilitas.n.4. Prudens. n.5. Senſus corporis.n.6. Diuinitas Chriſti.n.7.eius Humanitas. ibid.

Pellis. Vide. *Cutis*.

Petra. Vide. *Lapis*.

Piſcis.

Chriſtus.verſ.25.§.2.n.1.Gens Iudæorum.nu.2. D. Stephanus. n.3. Doctrina.nu.4.Electus. num.5. Contemplatiuus.nu.6. Curioſus.nu.7.Potens.nu.8.homo. nu.9.Gratioſus. nu.10.Cupidus auarus. nu.11.

Poſſeſſio.

Dei, Populus Iſrael.verſ.24. §.2. nu.1. Chriſti, Eccleſia.nu.2.Iob. Innocentia ſanctorum.nu.3.Amicorum Dei, Beatitudo. nu. 4. Dei, Caſtus.nu.5. & qui ſpernit mundana. num. 6. Rectorum Eccleſiæ, Sapientia. nu.8. Chriſti, caſtitas. nu.9. Sanctorum,ſacra ſcriptura.n.10. Noctis Diabolus.nu.12.

Poſſidere.

Animam,perfectè viuere. ibid.nu.7. aurum in zonis, vaſa ſacra vendere. nu.11.

Pluuia.

Incarnatio Chriſti,verſ.13.§.2.nu 1.Sapientia.n.2. Verbum Euangelicum. nu.3. Prædicatio. nu.4. Miſericordia.nu.5.Doctrina.n.6.& nu.7.Lex. nu.8. Euangelium.ibid.Gratia Dei.nu.9.Idem ſenſus. nu.10. Sæuitia hominum.nu.11.Punitio.n.12.Tribulatio. n.13.

Puluis.

Examen virtutum. verſ.29. §.2. num.1. Derelictio Dei.nu.2. Homo terrenus.nu.3.Impius. nu.4 Imago vitiorum.nu.5.Cogitatio mala.n.6.Virtus.nu.7. Verbum ſanum.nu.8.Humilitas.nu.9.vitium.nu.10.

R

Ramus.

DOnum Spiritus S. verſ.12.§.4.n.1.Claritas virtutis.nu.2.& nu.3. Confeſſio SS. Trinitatis. num.4. Prædicator.nu.5. Apoſtolus.nu 6.Fidelis.nu.7.Filius. nu.8.Spiritualis.nu.9.Diſcipulus.n.10.Subditus.n.11. Virtus.nu.12.fructus gentium. nu.13. bonum temporale.nu.14.Conuerſus ad fidem.num.15.Antichriſtus. nu.16.Infidelis. nu.17.

Rapere.

Peccare verſ.21.§.3. nu.1. cogitare. nu.2 & nu.12. munire.nu.3. Conuertere.n.4.& nu.5. Suſcipere.n.6. Fieri ſpiritualem. nu.7.exhibere.nu.8.agitare.num.9. ſeparari.nu.10.Furari.nu.11.perdere fidem.nu.14.

Renouare, Vide *Innouare*.

Reptile.

Tentatio.verſ.25. §.2. num.1.cogitatio mala.nu.2. Principes, & populi.nu.3. Sapientes, & inſipientes. num.4. Incolæ Inferni. nu.5. terrena meditantes.n.6. cogitationes terrenæ. nu.1.

Reſpicere, *Aſpicere*.

Cognoſcere.verſ.32.§.1.nu.1.emollire cor. num.2. confundere. nu.3. oſtendere. nu.4.Præuidere. nu.5. tegere. nu.6. contemplari.nu.7. conuertere. num.8, aperire.nu.9.approbare.nu.10. redire. nu.11. intelligere.nu.12.attendere.nu.13.

Rigare, *Rigatio*.

Baptiſmus. verſ.13.§.1.nu.1.Doctrina. num.2.robur.nu.3. emollitio nu.4 penetratio. nu.5. abundantia.nu.6.Benedictio.nu.7.

Rugitus.

Defenſio Dei.verſ.21.§.2.nu.1. exhortatio.num.2. Patientia.nu.3.deſiderium.nu.4.tentatio.n.5.ira Dei. nu.6.clamor.nu.7.ſæuitia.nu.8.crudelitas. nu.9. indignatio.nu.10.vox Domini.nu.11.

S

Sapientia.

FIlius Dei. verſ.24. §.1. nu.1. Verbum Dei.num.2. contemplatio. nu.3. Beatitudo.nu.5.Fides. nu.6. Anima fidelis. nu.7.vnctio Spiritus S. nu.8. vita Iuſti. nu.9.Humilitas.nu.10. aſtutia. nu.11. ſcientia ſæcularis. num.12.

Sæculum.

Vita præſens. v.5. §.3.n.1.reliquum vitæ.n.2. Tempus, & æternitas. nu. 3. Tempus antiquum.num.4.& nu.5.mundus.nu.6. negotiatio mundana. nu.7.negligentia.nu.8.

Sermo. Vide *Eloquium*.

Sitis.

Deſiderium. verſ. 11. §.4. nu.1.& nu.2. & num.3.& nu.12. Spes beatitudinis. n.4.amor. Sapientiæ. nu.5. Concupiſcientia. nu. 6. ambitio. nu. 7. carentia gratiæ. num. 8. carentia Prophetarum. num. 9. carentia Prædicatorum.nu.10. cupiditas. nu.14.crudelitas. nu. 11. Sitientes noui in fide.nu.13.

Sol.

Claritas Dei verſ.19.§.3.n.1.Chriſtus.nu.2.B.Maria.nu.3. charitas. nu.4.Veritas.nu.5. Sapientia.nu.6. Perſecutio.nu.7.Proſperitas.num.8.Iniquitas.num.9. opus bonum. n.10.concupiſcentia. nu.11.Prudentia. nu.12. Satan.n.13.Scandalum. nu.14.

Spiritus.

Deus verſ.29.§.1.nu.1.Chriſtus.num.2. Spiritus.S. nu.3. Angelus. nu.4. Pœna inferni. num.5. ſententia. Iudicij. nu.6. Reuelatio.nu.7.Anima.nu.8.vita ſpiritualis.nu.9.Pœnitentia.nu.10.Superbia.nu.11.

Stare.

Exiſtentia.verſ.6.§.3.nu.1.Aduocatio.num.2. Potentia.nu.3.Cognitio. nu.4. altitudo. nu. 5. Authoritas. nu.6.Interceſſio.nu.7.Oratio. nu.8.Deo adhærere.nu.9. Immobilitas.nu.10.Spes.num.11. ſeparatio. nu.12.Contemplatio. nu.13. Calcatio temporalium. nu.14. obedientia. nu.15. peccatum conceptum exequi. num.16.

T

Tangere.

FRangere.verſ.32.§.2.nu.1.reuelare.num.2.tolerare.nu.3. addere. nu.4.mori.nu.5.delere.n.6. conuerſari. nu.7.

Tegere. Vide. *Operire*.

Tempus.

Incarnatio Chriſti. verſ.19. §.2. num.1. Aduentus primus eiuſdem.nu.2.damnatio malorum.num.3.ſtatus contemplationis.nu.4. Vita præſens. num.5.Laus Dei. nu.6. Iudicum corruptio. nu.7. vita, & operatio. num.8.Finis.nu.9.opportunitas.nu.10.

Tenebræ.

Peccatum.verſ.20.§.1.nu.1.Pœnitentia. nu.2. profunditas iudiciorum Dei. num.3. Doctrina obſcura. num.4. Sepulchrum. num.5. diſceſſus a Deo. num.6. iniquus.nu.7.calamitas.nu.8. æquanimitas. nu.9. deſpectus in aduerſis. nu.10. Vita præſens. num.11. Timor.nu.12.myſtica locutio.nu.13.

Ter-

Terminus. Finis.
Diuinitas Chriſti.v.9.§.1.nu.1.ſanctus. n.2. modificatio.nu.3. Humilitas. n.4. latitudo doctrinæ. nu.5. Requies.nu.6.ſtatutum. nu.7. Chriſtus. num.8.Pœna æterna.nu.9.Felicitas æterna.nu.10. Charitas. nu.11. Propheta.nu.12.dolor intimus.nu.13. Regula.nu.14. & 15. ceſſatio potentiæ.nu.16.occiſio Chriſti. nu.17. Retributio.nu.18. mandata Decalogi. nu.19. extremum peccatorum. nu.20.

Terra.
Mundus.verſ.5.§.1.n.1. Miſericordia. n.2. Gloria. nu.3.Infernus.nu.4. materia prima. num.5.ſubſtantia ſenſibilis.n.6.Tribulatio. n.7. mens ſolitaria. nu.8.

Timor, Vide. *Formido.*

Tonitruum.
Diuinitas.verſ.7.§.3.nu.1. Gratia. nu.2. auxilium Dei. nu.3.Deſiderium bonum.nu.4. Laus diuina.n.5. Iudicium Dei.nu.6.ſententia Apoſtolorum.nu.7. Excommunicatio nu.8.Prædicatio. n.9. & nu.10.

V

Vallis.
HVmilitas. verſ.10.§.3.nu.1. nouiſſimus in Eccleſia.n.2.Pauper.nu.3. Dictum Sanctorum.n.4.dederium terrenum. nu.5. abundantia frugum. num.6. ſuperbia.nu.7.mors ſanctorum.nu.8. Terra vniuerſa. n.9.mundus.nu.10.hæreticus. nu.11.

Ventus.
Angelus. verſ.3.§.4.nu.1.Diabolus.nu.2. & num.3. Seductio.nu.4. & n.5.Ira Dei. nu.6. Plaga a Deo.n.7 bonum tranſitorium. nu.8. Superbia. nu.9. Aura popularis. nu.10.

Veſpera
Vltima mundi ætas. verſ.23.§.4.nu.1 Paſſio Chriſti.nu.2. Tribulatio.nu.3. Tempus poſterius. num.4. ſenectus. nu.5. Tempus pœnitentiæ. nu.6. Tentatio. nu.7.contemplatio.nu.8. extremum vitæ.nu.9. Finiſ mundi.nu.10.Finis iniquitatis. nu.11.

Veſtimentum, Vide, *Amictus.*

Vinum.
Spiritus Sanctus.verſ.15.§.1.n.1. ſermo ſapientiæ. num.2. Beatitudo nu.3.Doctrina.nu.4. Sacra ſcriptura.nu.5.Euangelium.n.6. Exemplum martyrum. n.7. Doctrina.n.8.Lætitia.n.9.& nu.10.Gloria.n.11. Perfectio.n.12.Iucunditas temporalis. num.13. Doctrina legis.nu.14. Doctrina falſa.n.15.Laus populorũ.n.16.

Vita.
Deus. verſ.33.§.2.n.1.Chriſtus.n.2. Gloria æterna. nu.3.Gloria mundana. nu.4.Infirmitas humana. n.5. abundantia. nu.6.Baptiſmus n.7.Diuinitas.8. Peccatum.nu.9.

Vox.
Dei Filius.verſ.7.§.2.nu.1.Spiritus ſanctus. num.2. Diuina inſpiratio. nu.3. amor cœleſtium. nu.4. auxilium Dei. num.5. Ioannes Baptiſta. nu.6. Baptiſmus. nu.7.Prædicatio Chriſti.nu.8.& nu.9. Imperium Domini. nu.10.& nu. 11. Fides. nu 12. Atrocitas criminis. nu.13.Tentatio. nu.14.ſuggeſtio diabolica.n.15.

INDEX ADAGIORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ, ET PATRVM.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam, ſignat.

Animam portare in manibus. pag.27.col.1
Capere animas volantes. pag.27.col.1.
Magnificare opera. 28.2
Magnificare fimbrias. 28.2
Magnificare labia. 28.2
Fulgurare Lumine. 45.1
Dare pellem pro pelle. 46.2
Saccum conſui ſuper cutem. 47.1
Adaquare pecora. 69.2
Aquam vino miſcere. 69.2
Effundere Cor ſicut aquam. 70.1
In aquis defluentibus fundamentum ponere. 70.1
Genua fluere aquis. 70.1
Paſcere ventos. 71.2
Obſeruare ventos. 71.2
Capillos igne ſacrificij comburere. 96.2
Liqueſcere ſicut cera. 97.1
Qui ignem tangit ſeipſum comburit. 97.2
Aperire puteum abyſſi. 129.1
Superficiem Abyſſi conſtringere. 129.2
Stare pedem. 131.2
Stare de longe. 130.2
Stare in via. 131.1
Stare ſuper flumen. 131.2
Ad equos fugere. 144.1
Fugere a veniete Lupo. 144.1
Fugere arma ferrea, & incidere in arcum æreum. 144.2
Vocem Spiritus audire. 144.2
Aſcendere in equos. 166.2
Aſcendere ſuper occaſum. 167.1
Relinqui in montibus. 167.2
Deſcendere in occurſum Acab. 168.1
Deſcendere in domum Figuli. 168.1
Locare lucernas in tabernaculo. 169.2
Fundare Faſciculum. 170.1
Fundare puluerem in terra. 170.2
Accubare inter terminos. 189.2
Stare in finibus Ben-iamin. 190.1
Transferre terminos. 189.2
Operire verenda Patris. 191.2
Operiri, & non calefieri. 192.1
Altare lacrymis operire. 192.2
Omnia flumina intrare in mare. 208.1
Ambulare per medium. 209.2
Per medium Caſtrorum ire. 209.2
Tranſire inter medium montium. 210.1
Occurrere Achaz in via agrifullonis. 230.1
Sitire calcatis torcularibus. 231.2
Lapidem capiti ſupponere. 246.2.316.2
Saxum transferri de loco ſuo. 247.1
Lapidibus opprimi. 247.2
Ramum oleæ geſtat in ore. 248.2
Stratum lacrymis rigare. 262.1
Oſſa medullis irrigare. 262.1
Fulgura in pluuiam facit. 262.2
Pluere bellum. 263.1
Operis finem expectare. 263.2
Operatur in primogenito Bouis. 264.1

Computreſcit in ſtercore ſuo. 276.2
Herbas mandit. 276.2
Sicut herba tranſit: 277.1
Panem ſtercore operire. 278.2
De Corde ſuo prophetat. 298.2
Corde maledicere. 298.2
In faciem ſuam cadere. 299.1
Oleo ſimilam conſpergere. 299.1
Cedro digna loqui. 317.1
Vitulum portare in manibus. 310.2
Ceruas parturientes obſeruare. 336.1
Lunam tenere ſub pedibus. 355.1
Tempus ponit tenebris. 356.1
Phialam effundere in Solem. 356.2
Rapere fœtus Vrſæ. 379.1
Rapere Regnum Cœlorum. ibid.
Rapina in Holocauſtho. 379.2
Sanguinem in cibum ſumere. 380.2
Cibare hoſtes carnibus ſuis. ibid.
Egreditur ſponſus de thalamo ſuo. 403.2
De vtero egreditur glacies. 404.1
De Humo non egreditur dolor. ibid.
De internis egreditur tempeſtas. ibid.
Secundum hominem loquor. 405.1
Animam poſſidere. 428.2
Poſſidere Aurum in Zonis. ibid.
Mare conuertitur in aridam. 445.1
Piſces maiores glutiunt minores. 446.2
Aut piſcem olet, aut florem. ibid.
Aſſilgere aperta Pharetra. 485.1
Portas aperit mortis. ibid.
Ciſternam aperire. ibid.
Manum iungit cum impio. 485.2
Manus in manu non erit innocens malus. ibid.
Manum ſuper os ponere. ibid.
Puluerem in caput ſpargere. 493.2
In Puluerem reuerti. ibid.
Gloria in puluerem deducitur. ibid.
In canticum verſus eſt. 528.1
Auferri abſque manu. 485.2
Canit tuba ante ſe. 528.2
Vita Carnis ſanitas cordis. ibid.
Munus vitam inuenire. ibid.
Oſſa in puluere dormiunt. 493.2
De Corde profert eloquium. 532.1
Contradicere ſermonibus Sancti. 533.2
Vinum nouum mittere in vtrem veterem. 297.1
Manum manui iungere. 485.2

INDEX

ad Concionatorum Vtilitatem.

DE TEMPORE.

Dominica Prima Aduentus.

ERunt ſigna in Sole, Luna & ſtellis, &c. Luc.cap.21. Meritò in his rebus, quæ ad noſtram vtilitatem creata ſunt, ſigna videntur; vt denotetur iræ diuinæ magnitudo, quæ nobis vtilia ſubuertens, maiora nobis minatur, ni pœniteamus. vide verſ 7.§.3.

In Sole. Nam benigniſſimus Dominus, qui nunc eſt Sol miſericordiæ, in die Iudicij, erit Sol Iuſtitiæ. verſ.22.§.2.

In Sole. Nam alius Euangeliſta ait, *Sol obſcurabitur*, non vtique omnibus, ſed iis, qui ab ipſo nunc recedunt.verſ.19.§.5.

Et Luna: Luna enim B. Virgo Maria, *tunc non dabit lumen ſuum*; Matth. c.25. quia in iudicio nulli patrocinabitur; & ſic omnes peccatores, ſine ipſa in tenebris erunt.verſ. 20.myſt.

Et ſtellis. Nam virtutes Cœlorum mouebuntur. Luc.c.21. ſtellæ, ſeu virtutes Cœlorum, ſancti ſunt, qui & ipſi in die Iudicij timebunt.verſ.32.§.2.

Dominica II. Aduentus.

*Cum audiſſet Ioan. in vinculis opera Chriſti.*Matt.c.11.

In Vinculis. Ne mireris Iuſtum tribulationibus agitari, nam per tribulationes acquiritur Cœlum.v.3.§.1.

Opera Chriſti. Tunc illuminatur ad Deū cognoſcendum Iuſtus, cum tribulatur, nam per Tribulationem, quaſi veſtem tegitur, vt in virtutibus creſcat. v.6. §.3.

Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: ecce ego mitto Angelum meum: Iure meritò Angelus vocatur Ioannes, dum Herodi veritatem prædicat: quandoquidem Prædicatores veritatis Angeli ſunt. verſ.4. §.3.

Dominica III. Aduentus.

Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Ioannes interpretatur, in quo eſt gratia; quia per humilitatem ſuam gratijs repleri meruit, cùm diuinæ gratiæ in humiles fluant. verſ. 10.§.1.

Medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis. Idcirco Homines mundana diligunt, & quærunt, quia Dei excellentiam ignorant. verſ.1.§.4.

Cuius non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Qui vult in gratia Dei creſcere, illa indignum ſe æſtimare debet. verſ.10.§.3.

Dominica IV. Aduentus.

Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto: & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Luc.cap.3.

In deſerto. Poſtquam diù Ioannes in deſerto contemplationi vacauit, ad prædicandum mittitur; quia Perfectionis ſtudioſi ad proximorum auxilium deſcendere debent.verſ.8.§.6.

Prædicans baptiſmum pænitentiæ. Quia qui in hoc mundo pænitentiam non egerit, in alio non inueniet redemptionem. verſ.33 §.4.

Vox clamantis in deſerto. Voci clamanti, ſeu modulanti aſſimilatur Prædicator Pœnitentiæ, quia Pœnitentia cantus eſt Deum delectans. verſ.33.§.2.

Die Natiuitatis Domini.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie ſaluator. Luc.cap.2.

Gaudium magnum. Monet Angelus Paſtores, vt cum gaudio puerum natum viſitent, quia quidquid ad Dei, vel ſanctorum honorem fit, hilariter faciendum eſt. verſ.15.§.6.

Natus eſt vobis hodie Saluator. Ieſus, ſeu Saluator appellatur Dominus, quia opus eius proprium ſaluare eſt. verſ.23.§.7.

Poſitum

Digitized by Google

Poſitum in Præſepio. In Præſepio Dominus ponitur, quia eſcam ſuæ carnis præparat Iumentis, ideſt Hominibus. verſ.14.§.1.

In Epiphania Domini.

Vidimus enim ſtellam eius in oriente. Matth. c.2.

In oriente. Magi ſtellas ſpeculantes Dominici aduentus notitiam aſſequuntur; quia viri contemplatiui ſacrarum ſcripturarum intelligentiam conſequuntur. verſ.18.§.1.

Stella quam viderunt in oriente antecedebat eos &c. per ſtellæ inſpectionem Magi ad Chriſtũ perueniunt, quia per cōtéplationé mens aſcēdit ad Deũ.v.8..§.1

Per aliam viam reuerſi ſunt in Regionem ſuam. Magi, vt Herodis inſidias deuitent, per aliam viam reuertuntur. Sic animæ virtutibus volantes diabolicos vitant laqueos.verſ.17.§.1.

Dominica I. infra Octau. Epiphan.

Ieſus proficiebat ſapientia & ætate. Luc. cap.2.

Licet Chriſtus creſcere in ſe non poſſet, tamen cũ ætate maiori, maiorem ſapientiam oſtendebat; vt doceret, quod Animæ ſpirituales non in momento, ſed de virtute in virtutem creſcere debent.v.13.§.2.

Dominica II. Poſt Epiphaniam.

Vinum non habent. Ioan. c. 2. Rectè Maria Virgo inducitur mediatrix,ad procurandum vinum,quia in ipſa eſt Verbum Dei,tanquã vinũ cœleſte;& ipſa poſt filium ſuũ eſt vinũ lætificans cor hominis. v.15.Myſt.

Cum inebriati fuerint. Vinum diuinæ dilectionis ſobriè inebriat mentem.verſ.15.§.3.

Dominica III. Poſt Epiph.

Pro hac vide Fer.5.Ciner. eſt enim idē Euangeliũ.

Dominica IV.poſt Epiphaniam.

Aſcendente Ieſu in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius: & ecce motus magnus factus eſt in Mari. Matth.cap.8.

In Nauiculam. Nauis hæc Eccleſia eſt ducens ad regionem cæleſtem.verſ.26.§.4.

Domine ſalua nos. Chriſtus Eccleſiæ Nauclerus eam ſaluat.verſ.26.§.5.

Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt,ei? Omnes creaturæ Deo obediunt, præter hominem.verſ.4. §.1.& verſ.19.§.6.

Dominica in Septuageſima.

Simile eſt Regnum Cælorum Homini Patri familias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam, &c. Matth.c.20.

Ite & vos in vineam meam. Vinea eſt Eccleſia, in qua debemus operari in hac vita. verſ.23.§.1.

Quod iuſtum fuerit dabo vobis. Non gratis virtutem exercemus,ſed nobis præmium promittitur, vt labor minuatur.verſ.23.§.5.

Qui portauimus pondus diei, & æſtus. Neceſſe eſt vt vſque ad mortis veſperam perſeueret in bono opere qui præmium vult.verſ.23.§.2.

Circa vndecimam vero exiit. Iſte paterfamilias hora Prima, Tertia, Sexta, Nona, & vndecima mittit operarios in vineam ſuam:homo namque omni temporis momento debet exercere virtutem.v.23.§.3.

Dominica in Sexageſima.

Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Luc.c.8.

Semen ſuum. Semen eſt opus bonum fructificans vitam æternam. verſ.13.§.5.

Et ortum fecit fructum centuplum. Anima quæ, vt terra bona, ſanctitatē fructificat,non peribit.v.5.§.3.

Semen eſt Verbum Dei. Verbum Dei ſemini comparatur, quia Dei verba animam nutriunt.v.15.§.10.

Dominica in Quinquageſima.

Erat autem Verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Luc.18.

Licet Chriſtus Dominus myſteria ſuæ paſſionis diſcipulis exponeret, non tamen intellexerunt, quia Diuina Arcana nequeunt a nobis cōprehendi.v.3.§.4

Reſpice, Fides tua te ſaluum fecit. Licet increpatus cœcus a turbis non ceſſat clamare ad Dominum,ſciebat enim fidem in eo fundatam ſtabilem eſſe. v.5.§.2.

Feria Quarta Cinerum.

*Cũ ieiunatis nolite fieri ſicut Hipocritæ,&c.*Matt c.6.

Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum. Oleo miſericordię in pauperes vngitur caput ieiunãtis.v.15.§.5

Theſaurizate vobis theſauros in Cælo. Diuites eleemoſinam pauperibus debent, nam per eam theſaurizant in cœlis.verſ.14. §.4. eleemoſina fructificat panem æternum.verſ.14.§.5.

Puluis es, & in puluerē reuerteris. Gen.c.3. Homo renouatur ad gratiam per humilem cognitionem ſui pulueris. verſ.29.§.2.

Feria V. Cinerum.

Domine non ſum dignus &c. Matth. c. 8. Centurio quia veram Ieſu cognitionem habebat, ſe etiam humiliter nouit, fides enim eſt lux illuminans mentem. verſ.2.§.2.

Non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico vobis, quod multi &c. & recumbent, cum Abraham &c. Gentes per fidem peruenerunt ad ſpem vitæ æternæ; cum fides via ſit ad Cœlum. verſ.5.§.5.

Feria VI. Cinerum.

Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, &c. Matth.cap.5.

Diligite. Præceptum dilectionis dat Dominus,nam lex tegitur operibus charitatis.verſ.3.§.2.

Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos: Diuina enim Prouidentia tam bonos, quam malos paſcit. v.28.lit.

Sabbato poſt Cineres.

Erat Nauis in medio mari, & Ieſus ſolus in terra &c. Marc.cap.6.

Erat Nauis. Nauis eſt Anima iuſti virtutibus onuſta.verſ.26.§.2.

Laborantes in nauigando. Crux Chriſti Nauis eſt a mundi naufragio liberans.verſ.26.§.3.Item Charitas. verſ.26.§.6.

Erat enim ventus contrarius eis. Concupiſcentia carnis mare exagitans, & perdens hominem. verſ.25. §.7. Item quæcumque mala cupiditas tempeſtas eſt hominem exagitans. verſ.26.§.1.

Dominica Prima Quadrag.

Ductus eſt Ieſus in deſertum a Spiritu, vt tentaretur a Diabolo, &c.

In deſertum. bene in deſertum exit Dominus ad ſuas virtutes oſtendendas, nam de mundo exeundum eſt vt vera acquiratur virtus. v. 23. §. 6. & v. 12.§.1.

A Spiritu. A bono, & ſancto ſpiritu miſſus eſt Ieſus, vt a malo ſpiritu tentaretur, nam Deus tentationes permittit ad noſtram vtilitatem.verſ.21. §.5.

Et accedens tentator. Acceſſit vtique ſecundum diuinam permiſſionem, ſine qua tentare non poteſt. verſ.21.§.4.

Qui reſpondens dixit. Statim repellenda peccati ſuggeſtio, nam periculoſa eſt. verſ.26. §.11.

Scriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandauit de te. Sacræ Scripturæ teſtimonijs vtitur Tentator, quia ſæpè diabolus in Angelum lucis ſe transfigurat, vt decipiat. verſ.26.§.13. quem imitantur Potentes ſanctitatem ſimulando.verſ.21.§.7.

Panes fiant. Tentator panem petit, quem, ſi Dominus potuiſſet peccare, habuiſſet, nam peccator cibus eius eſt. verſ.27.§.2.

Digitized by Google

Tunc reliquit eum diabolus. Deus enim nos vltra vires noſtras tentari non patitur. verſ.9.§.3.

Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Niſi Ieſus tentatus fuiſſet, non meruiſſet Angelorum famulatum: ſic Diabolus ſæpè auiditate nocendi proficit nobis. verſ.26.§.9.

Feria II. Dom. I.

Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua, &c. Matth.cap.25.

Filius hominis. Apparebit in humano aſpectu Iudex ad cruciatum impiorum; qui Dei aſpectum ferre non poſſunt. verſ.22.§.3.

In maieſtate ſua, Erit enim maxima pœna in iudicio malis, Dei triumphantis gloria. verſ.3.§.3.

Feria III. Dom. I.

Cum intraſſet Ieſus Ieroſolymam commota eſt vniuerſa Ciuitas. Matth.c.21.

Commouetur Ciuitas Ieſu adueniente, nam omne bonum prouenit creaturis ex Creatoris præſentia. verſ.28.§.4.

Feria IV. Dom.I.

Magiſter volumus a te ſignum videre. Matth.c.12.

Magiſter. Volentes Scribæ Ieſum decipere ab adulatione incipiunt, quæ cauda eſt Serpentis inſidioſè vulnerans. verſ.26.§.10. & verſ.15. §.7.

Signum non dabitur ei. Arcana enim Deitatis tegenda ſunt, ne ſimplices obruant. verſ.9.§.2.

Feria V. Dom. I.

Filia mea malè a Dæmonio vexatur. Matth. cap.15. Deus vilibus creaturis nos ſubiicit, vt humiliemur. verſ.17.§.7.

Catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Sic Potentes Dei ſeruos paſcentes in virtutibus creſcunt. verſ.16.§.2.

Feria VI. Dom.I.

Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina. Ioan.c.5.

Mouebatur Aqua. ex mota aqua ſalus oriebatur, nam ex aqua lateris Chriſti vita, & ſalus mundo orta eſt. verſ.9.§.6.

Hominem non habeo. Nam profectò errat qui ab hominibus ſperat ſalutem, & non a Deo. verſ.27.§.1.

Vis ſanus fieri? Deus antequam petamus nos beneficijs afficit. verſ.28.§.1.

Sabbato Dom. I.

Reſplenduit Facies eius ſicut Sol &c. Matth. cap.17.

Facies eius. Hoc aptari poteſt Beatæ ſemper Virgini Mariæ, quæ vultu pulcherrima fuit. v.2. myſtic.

Sicut Sol, Maria tanquam Sol vniuerſum mundum illuminat. verſ.22. myſt.

Dominica II. Quadrag.

Reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix &c. Matth.c.17.

Sicut Sol. Soli comparatur gloria cœleſtis, qui ſemper eodem modo reſplendet, quia eſt æterna; mundana verò citò tranſit, vt Luna. verſ.31. §.1.

Veſtimenta autem eius facta ſunt alba. Sancti dealbati in ſanguine agni ſunt veſtimentum Dei. v.2.§.4.

Sicut Nix. Facies in Sole deſignat Gloriam cœleſtem, nix vero conſolationem ſpiritualem quæ hic guſtatur, quæ gutta eſt reſpectu gloriæ. verſ.15. §.1.

Domine bonum eſt nos hic eſſe: guſtabat enim Petrus Dei conuerſationem, quæ eſt dulcedo ineffabilis. verſ.34.§.1.

Faciamus hic tria tabernacula. Vbi Deus eſt ibi Iuſtus libenter manet, nam omnia bona ſua in Deo quærit. verſ.33.§.4.

Feria II. Dom. II.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Ioan.c.8.

Ego vado. Semper debemus timere, ne deſeramur a Deo. verſ.19.§.4.

In peccato veſtro moriemini; quia Peccatores obſtinati numquam peccandi feritatem deponunt. verſ.11.§.2.

Feria III. Dom.II.

Super Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſei, quæcumque dixerint vobis ſeruate, &c. Matth.c.23.

Sederunt Scribæ. Scribæ, & Phariſei ſignificant Religioſos, qui Duces ſæculariū eſſe debent. v.17.§.6.

Quæcumque dixerint ſeruate. nam omnes qui ſpiritualiter viuere cupiunt, ſub Maiorum obedientia viuere debent. verſ.12.§.3.

Secundum opera verò eorum nolite facere: cauta admonitio, nam ſubditi ſecundum maiorum exempla viuere ſolent. verſ.16.§.3.

Feria IV. Dom.II.

Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtrā in regno tuo &c. Matth.c.20.

In regno tuo: non petit terrena bona, ſed cœleſtia, quia Animæ ſolam cœleſtem conſolationem deſiderant. verſ.11.§.3.

Poteſtis bibere calicem. Qui prælationes petunt ad Chriſti imitationem prouocantur, quia Prælatorum vita perfectior aliis eſſe debet. verſ.8.§.2.

Quicumque voluerit maior eſſe inter vos, erit miniſter veſter. Humiles enim, & ſpirituales in Prælatos eligi debent. verſ.25.§.9.

Feria V. Dom.II.

Homo quidam erat Diues, & induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie &c. Luc.cap.16.

Homo quidam, nomen huius Diuitis non exponitur, quandoquidem Peccatores inter homines non numerentur. verſ.25.§.8.

Erat Diues. & ideo Animæ ſalutem ſpernebat, quia Diuites terrenis dediti cæleſtia non curant. v.13.§.4.

Epulabatur quotidie ſplendidè. Non mirum cum deliciæ, & voluptates in potentibus præualeant. v.6.§.7.

Saturari de micis. nec micas erogare volebat Diues, Auarus enim numquā diuitijs ſaturatur. v.25.§.4.

Et ſepultus eſt in inferno. voluptates duxerunt ad tartarum; nam mundani ambulant vias latas ducentes ad mortem. verſ.25.§.2.

Feria VI. Dom.II.

Homo quidam plantauit vineam &c. Matth.c.21.

Vineam. Vinea, ſeu Hortus anima eſt: verſ.12.§.2.

Verebuntur filium meum. Timor enim firmat cor in bono. verſ.5.§.1. & expellit peccatum. verſ.7. §.1.

Sabbato Dom.II.

Homo quidam habuit duos filios &c. Luc. c.17.

Surgam, & ibo ad Patrem meum. Cum peccator ſarcinam peccatorum deponit incipit amare cæleſtia. verſ.11.§.5.

Manducemus, & epulemur. Deus de hominum conuerſione, & ſalute lætatur. verſ.31.§.4.

Citò proferte ſtolam primam. Imago Dei perdita, renouatur in nobis per gratiam verſ.30.§.2.

Dominica III. Quadrag.

Et cum eieciſſet dæmonium locutus eſt mutus, &c. Luc.c.11.

Locutus eſt mutus. Confeſſio peccatorum debet eſſe circumſtantionata vt Deo placeat. verſ.33.§.3. debet eſſe luminoſa, ſine excuſatione. verſ.2.§.1.

Et admiratæ ſunt turbæ, quia ſcilicet loquentem audiebant, quem mutum nouerant, nam per peccatorum Confeſſionem anima decoratur. verſ.1.§.10.

In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit Dæmonia. De-

Detractio eſt Draco venenatus crudeliter ſaucians. ver. 26. §. 12.

Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Diuiſio namque omnem bonitatem maculat. verſ. 24. §. 3.

Feria II. Dom. III.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua, Luc. c. 4.

Negat Dominus in Patria operari miracula; etenim opera bona non propter homines, ſed propter Deum facienda ſunt, Verſ. 33. §. 5.

Nemo propheta acceptus eſt in Patria ſua. Hoc Deus permittit, quia qui ad Cęlum tendunt Patriam in terra habere non debent, Verſ. 17. §. 5.

Vt præcipitarent eum. Qui antea de tanto Ciue gloriabantur, nunc præcipitare conantur; ſic rerum mūdanarum ſtatus labilis eſt, Verſ. 25. §. 5.

Feria III. Dom. III.

Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum, Matth. c. 18.

Deus enim in animabus iuſtis ſedet, & quieſcit, Verſ. 2. §. 5.

Sit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Qui verè Deum amat, odio habet iniquos, Verſ. 35. §. 2.

Feria IV. Dom. III.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum, &c. Matth. c. 15.

Hoc eſt ſuperborum proprium, vt ſe efferāt, & alios contemnant. Verſ. 12. §. 4.

Quare vos tranſgredimini mandatum Dei? Deus quādoque ſuperbos repentè humiliat, Verſ. 8. §. 5.

Feria V. Dom. III.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, Luc. cap. 4.

Vita præſens eſt tempus laboris, cui ſuccedit æterna requies, Verſ. 23. §. 4.

Feria VI. Dom. III.

Tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuā, Ioann. c. 4.

Petiſſes ab eo, & dediſſet tibi: à Deo petendum, & in ipſo ſperandum, cuius auxilium ſemper eſt paratum, Verſ. 11. §. 4.

Aquam viuam. Aqua viua eſt gratia Spiritus Sancti, quæ Sanctorum mentes rigat, Verſ. 13. §. 1.

Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, &c. Nouiter conuerſa Samaritana ſuis conciuibus prædicat; nam ſæpè maximi peccatores ad Deum conuerſi fiunt Duces aliorum in ſpiritu, Verſ. 17. §. 4.

Sabbato Dom. III.

Adducunt Scribæ, & Phariſei mulierem deprehenſam in adulterio, &c. Ioann. c. 8.

In adulterio: terribilis beſtia libido eſt, quæ omnes animi virtutes corrumpit, Verſ. 9. §. 8.

Statuerunt eam in medio: Quid ni mulierem peccatricem ad Chriſtum ducerent, cum ipſe ſit peccatorū refugium? Verſ. 18. §. 5.

Nec ego te condemnabo. Opus enim Dei proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, Verſ. 24. §. 2.

Dominica IV. Quadrag.

Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat, &c. Ioann. c. 6.

Quia videbant ſigna; magis enim mouet Prędicatio exemplo firmata, Verſ. 1. §. 5.

Vnde ememus panes. Dei prouidentia omnia reſpicit, Verſ. 3. §. 5.

Facite homines diſcumbere. Vnicuiq; ſecundum propriam naceſſitatem ſubuenit Deus, Verſ. 14. §. 2.

Vide plura de Diuina Prouidentia in Verſ. 27. Literal. per totum.

Feria II. Dom. IV.

Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, Ioann. c. 2.

Quaſi flagellum. Interdum Dei comminatio clementiam ſonat, Verſ. 35. §. 3.

Domus mea Domus orationis eſt; Sacerdotes enim, & Religioſi terrena negotia tractare nō debent, v. 9. §. 9.

Omnes eiecit. Dei miniſtri debent eſſe veloces ad diuina mandata exequenda. verſ. 4. §. 7. Nec non ardentes charitate. verſ. 4. §. 6. *Zelus domus tuæ &c.*

Feria III. Dom. IV.

Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui miſit me Patris. Ioan. c. 7. ſuam Doctrinam Deo tribuit Dominus, quia non per noſtrum laborem, ſed per Dei gratiam anima repletur virtutibus, Verſ. 13. §. 6.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, hic cognoſcet de Doctrina: Cęleſtis enim Sapientia non niſi in mentibus à peccato, & mundo eleuatis reſidet, Verſ. 6. §. 5.

Ego gloriam meam non quæro. Bonorum enim operum gloria Deo tribuenda eſt, Verſ. 31. §. 2.

Feria IV. Dom. IV.

Quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cęcus naſceretur, Ioann. c. 9.

Quis peccauit: meritò dubitant de peccato, nam cū peccata in animam intrant terribiles afferunt tenebras, Verſ. 20. §. 1.

Sed vt manifeſtentur opera Dei. Tunc diuina Sapientia magnam ſe oſtendit cum peccatores ſaluat, Verſ. 24. §. 1.

Venit nox quādo nemo poteſt operari. Permittit Deus, ad peccatorum pęnam, mentis cæcitatem, Verſ. 20. §. 2.

Feria V. Dom. IV.

Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus Matri ſuæ, &c. Luc. c. 7.

Defunctus. Vita hominis velociter pertranſit, Verſ. 3. §. 9.

Noli flere: non eſt flendum pro amiſſione rerum temporalium, quia earum breuis duratio ipſas deſpicabiles facit, Verſ. 19. §. 1.

Magnificabant Deum; qui maiores à Deo gratias recipiunt, ipſum laudare magis debent, Verſ. 12. §. 5.

Miſericordia motus. Non opera noſtra, ſed miſericordia Dei nos ſaluat, Verſ. 15. §. 4.

Feria VI. Dom. IV.

Erat quidem languens Lazarus à Bethania, &c. Ioan. c. 11.

Pater gratias ago tibi, &c. quoniam ſemper me audis. Deus ſemper laudandus, quia numquam ceſſat nobis benefacere, Verſ. 1. §. 1.

Lazare veni foras. Lazarus peccatorem ſignificat, & huic dicitur veni foras, quia hic debemus pęnitentiam agere, Verſ. 33. §. 4.

Prodijt, qui fuerat mortuus. Per gratiam Spiritus S. qui mortuus erat per peccatum, reuocatur ad vitam, Verſ. 30. §. 1.

Sabbato Dom. IV.

Ego ſum lux Mundi, Ioann. c. 8.

Chriſtus eſt Sol diem afferens cordibus puris, Verſ. 22. §. 1.

Hoc idem dicit B. Maria, quæ eſt Sol illuminans mundum, Verſ. 22. Myſt.

Dominica V. Quadrag.

Ego Dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, &c. Ioann. c. 8.

Et ſermonem eius ſeruo. nam ille Deum honorat, & laudat, qui præcepta eius obſeruat, Verſ. 32. §. 1.

Abſcondit ſe, & exiuit de templo. Nulla virtus remanet

net in homine recedente Deo, Verſ.29.§.1.

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. quippe cum ſapientiam Dei capere humanus nequeat Intellectus, Verſ.6.§.1.

Feria II. Dom.V.

Si quis ſitit; veniat ad me, & bibat, Ioann.c.7.

Sitit. Animæ aridæ in ſpiritu Deum ſitiunt, Verſ.14. §.3.

Veniat ad me, & bibat. Deus gratis dona ſua largitur, nam liberalitas proprietas eius eſt, Verſ.4.§.5.

Stabat Ieſus. vtique paratus ad auxilium noſtrum, eſt enim Deus velox ad noſtrum auxilium, Verſ.3.§.6.

Feria III. Dom.V.

Murmur multum erat de eo in turba; Quidam enim dicebant, quia bonus eſt; alij autem dicebant non, ſed ſeducit turbas, Ioann.c.7.

Murmur multum, Murmuratio plerumque ex otio, & ioco oritur, idcirco Deus ſpecialiter otioſa, & maledica verba interdicit, Verſ.9.§.4.

Quidam dicebant, quia bonus eſt. Anima Dei laude occupanda eſt, ne otioſa pereat, Verſ.35.§.4.

Sed ſeducit turbas. Detractio eſt Draco venenatus crudeliter ſaucians, Verſ.26.§.12.

Feria V. Dom. V.

Mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix, Luc.c.7.

Peccatrix. Qui cecidit ſperare debet, nam per pœnitentiam redibit ad gratiam. Verſ.22.§.4.

Aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem, &c. Qui enim vult guſtare Dei conuerſationem, debet illum delectare operibus ſuis, Verſ.34.§.2.

Remittuntur tibi peccata tua: ſic quæ peccatrix acceſſit, redijt ſancta, nam per pœnitentiam peccator illudit Diabolo, Verſ.36.§.8.

Feria VI. Dom.V.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit Ioann. c.11.

Quid facimus? Peccator in hoc mundo numquam quieſcere poteſt. Verſ.25.§.6.

Multa ſigna facit. Inuidi bonos oderunt, & eorum profectum impedire conantur, Verſ.11.§.6.

Vt vnus moriatur homo pro populo. Omnes pœnæ nobis debitæ in Chriſto congregatæ ſunt, Verſ.25.§.1.

Sabbato Dom. V.

Qui mihi miniſtrat me ſequatur, &c. Ioann.c.12.

Dei ſeruus Chriſtũ imitatur, & ſequitur, Verſ.17.§.3.

Pater clarifica nomen tuum. Deus clarificatur in nobis, dum in virtutibus creſcimus, Verſ.1.§.8.

Dominica Palmarum.

Inuenietis Aſinam alligatam, & pullum cum ea, &c. Matth.c.21.

Aſinam, & pullum: ideſt vtriuſque ſexus peccatores nam Beſtiæ ſunt, qui de mundanis rebus delectantur, Verſ.11.§.1.

Soluite, & adducite mihi. Per Dei miſericordiam peccatoribus Cœlum datur, quòd ſolis iuſtis debetur, Verſ.2.§.6.

Dominica Reſurrectionis.

Ieſum quæritis crucifixum, ſurrexit non eſt hic, &c. Marc.c.16.

Crucifixum: in die lętitię de Crucifixo fit mentio, quia paſſio Chriſti fuit cauſa æternæ noſtræ lætitiæ, Verſ.15.§.2.

Chriſtus in Cruce manus extendit ad ditandum mundum, Verſ.28.§.3.

Feria II. Dom. Reſur.

Ieſus autem appropinquans ibat cum illis.

Sanctorum Conuerſatio ſalutem parit, Verſ.17.§.2.

Cognouerunt eum in fractione panis. Panis vtique Euchariſtici, qui roborat ad bonum proſequendum, & malum vitandum, Verſ.15.§.9.

Feria III. Dom. Reſurr.

Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum, Luc.c.24.

Conturbati verò, & conterriti; Adueniente Domino diſcipuli turbantur, quia tribulatio ſignum eſt diuinæ præſentiæ, Verſ.32.§.3.

Videte manus meas, & pedes meos. Vt terrorem abijciant, manus, & pedes oſtendit, Vulnera enim Chriſti ſunt animæ refugium, Verſ.18.§.6.

DE SANCTIS.

De S. Andrea Apoſtolo.

Venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum, Matth.c.4.

Erant enim piſcatores. Piſcatores, & pauperes Deus eligit, vt mundi ſuperbiam deiiciat, Verſ.9.§.5.

Piſcatores hominum. Non mutat artem, ſed meliorat, quia vnuſquiſque ſecundum propriam conditionem debet Deo ſeruire, Verſ.8.§.4.

Vide Commune Apoſtolorum.

De S. Thoma Apoſtolo.

Thomas vnus de duodecim, qui dicitur Didimus, &c. Ioann.c.20.

Thomas, qui interpretatur Abyſſus, nam D. Thomas fuit Abyſſus tegens Eccleſiam, Verſ.6.§.4.

Dominus meus, & Deus meus. Deus Dominus omnium, ſed præcipuè Iuſtorum, Verſ.1.§.6.

Vide Commune Apoſtolorum.

De Immaculata Conceptione V. M.

Vide pro hac materia Verſ.9. Myſtic. nec non Verſ. 16. Myſtic.

De Purificatione V.M.

Non indigebat Purificatione Virgo Maria, licet legem ſeruauerit, quia fuit ſimul Mater Dei, & Virgo puriſſima, Verſ.5. Myſtic.

De Annunciatione V.M.

Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam Virginem, &c. Luc.c.1.

Pro Verbi Æterna, & Temporali Conceptione, vide Verſ.24. Lit.§.1. & 2.

Aue gratia plena. Maria gratia pleniſſima fuit, Verſ. 10. Myſtic.

Dominus tecum. Maria fuit Cœlum, & Thronus Diuinæ Sapientiæ, Verſ.24. Myſtic.

Ecce concipies. Maria Luna rutilans propter Dei conceptionem, Verſ.19. Myſtic.

Hic erit magnus. Homo per Verbi Incarnationem decoratur, Verſ.1. §.9.

Ecce Ancilla Domini. Maxima Deiparæ humilitas hic oſtenditur, Verſ.32. Myſtic.

De Viſitatione B.M.

Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth exultauit infans in vtero eius, &c. Luc.c.1.

Exultauit infans. Quid ni exultaret Mariæ gratiam participans, ipſa enim eſt fons gratiarum omnibus potum tribuens, Verſ.11. Myſtic. quin etiam, & gratiarum Oceanus, Verſ.25. Myſtic.

De S. Maria ad Niues.

Beatus venter, qui te portauit, Luc.c.11. Maria Beata, & Benedicta eſt propter prolem, Verſ.1. Myſtic. Ei ſeruire honorificum eſt, Verſ.17. Myſtic.

De Aſſumptione B. Mariæ.

B. Maria poſt Aſſumptionem in Cœlo glorioſiſſima, Verſ.33. Myſtic.

Exaltata

Digitized by Google

Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum. Maria eſt Angelorum Domina,& Regina, Verſ. 4.Myſtic.omnibus Sanctis excelſior, Verſ.8.Myſtic.

De Natiuitate B.Mariæ.

B.Maria vultu fuit pulcherrima, Verſ.2.Myſtic.

De S.Angelo Cuſtode.

Angeli enim eorum,&c.

Angeli homines illuminando Dei Angeli fiunt, Verſ.4.§.4.

Vide Verſ.4.Liter.§.1.& 2.

De Apoſtolis, & Abbatibus.

Ecce nos reliquimus omnia,& ſecuti ſumus te, Matth. c.19. Rectè propter Deum Apoſtoli omnia reliquerunt,nam qui Cęlum deſiderant terrena non tangunt, Verſ.18.§.4.

Sedebitis,& vos, &c. Qui enim diuitias ſpernunt, magni fiunt apud Deum, Verſ.18.§.2.

Et ſecuti ſumus te. Dei ſeruus Chriſtum imitatur,& ſequitur, Verſ.17.§.3.

Pro vno Martyre.

Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, &c. Luc.c.14.

Tunc iuſtè quis oderit parentes, cum eorum negotia Deo poſtponit; nam Deo dicatus terrena negotia tractare non debet, Verſ.9.2.9.

*Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum,& tollat Crucem ſuam,&c.*Matth.c.16.

Crux enim Chriſti liberat à mundi periculis, Verſ. 26.§.3.

Qui autem perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam. Martyr cognoſcens finem ſuum vitia deteſtatur, Verſ.19.§.3.

Et tunc reddet, &c. De ſpinis tribulationum poſt Chriſti mortem flores naſcuntur, Verſ.18§..7.

De pluribus Martyribus.

Sed ante hæc omnia inÿcient vobis manus ſuas, &c. Luc.c.1.

Hæc multa patiuntur Martyres, quia per eorum tormenta Cęlum Eccleſiæ extenditur, Verſ.2.§.8.

De Martyribus Tempore Paſchali.

Sine me nihil poteſtis facere, Ioann.c.15.

Homo nihil boni operari poteſt ſine Deo, Verſ.7. §.4.& Verſ.30. §.3.

In hoc clarificatur Pater meus, vt fructum plurimum afferatis. Deus fit magnus in nobis, dum in virtutibus creſcimus, Verſ.1 §.8.

De Confeſſore Pontifice.

*Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum,&c.*Matth.c.25.

Ecce alia quinque: Prælatorum vita alijs perfectior eſſe debet, Verſ.8.§.2.

Superlucratus ſum. Opera bona fructificant vitam æternam, Verſ.13.§.5.

Intra in gaudium Domini tui. Anima ſanctitatem fructificans non peribit, Verſ.5.§.3.

Vigilate, quia neſcitis, &c. Matth.c.24. Propter Paſtorũ negligentiã grex Domini vaſtatur, Verſ.20.§.4.

De Confeſſore non Pontifice.

Sint lumbi veſtri præcincti.

A terra virtutis ad maris laſciuiam tranſeundum non eſt, Verſ.9.§.7.

De Doctore.

Qui fecerit,& docuerit,&c.

Doctores Veritatis ſunt nubes Eccleſiam fęcundantes. Verſ.3.§.8.

Qui fecerit, & docuerit. Eccleſia Sanctorum doctrinis,& Virtutibus proficit, Verſ.8.§.3.

De Virginibus.

Simile eſt Regnum Cælorum decem Virginibus, &c

Quicumque Virgo eſt, Angelus eſt, Verſ.4.§.2.

De oleo veſtro. Oleum peccatoris eſt falſa laus adulatorie, vnde qui quærit de Virginitate ſua gloriam mundanam reprehenditur, Verſ.15. §.7.

De Conſecratione Eccleſiæ.

Eccleſia Sanctorum hominum generatione fundatur, Verſ.5.§.4.

Vt hæ Materiæ pinguiores reddantur conſulatur Index Rerum, & Verborum, & Index Authoritatum Sacræ Scripturæ, & Allegoriarum.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Ex quo ſi qui error in Citationibus irrepſerit, corrigi poterit.

EX VETERI TESTAMENTO.

Primus numerus Paginam, ſecundus Columnam denotat.

EX GENESI.

C.1. v.1 *IN principio creauit Deus Cælum, & Terram, pag.*51.*col.*1.& 75.2. & 98.2.& 359.2.& 379.1.

2 *Terra autem erat inanis, & vacua,*104.2.& 213.2.& 397.1

*Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi,*113.1,& 129.2.& 299.2,& 357.1.& 366.1.& 397.1

*Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas,*51.1. & 89.1.et 113.1.& 495.2.

3 *Fiat lux,*30.1.& 188.1.& 460.2

4 *Et vidit Deus Lucem,quod eſſet bona,* 165.1. 300.2.& 460.2.& 495.2

5 *Appellauitque Lucem diem,& tenebras noctem,*357.2.& 358.2.

6 *Fiat*

Digitized by Google

6 Fiat Firmamentum, 32.1.& 69.2.
9 Congregentur aquæ, quæ ſub Cælo ſunt in locum vnum,69.1.& 86.1.& 116.1.& 148.2
Congregationeſq;aquarum appellauit maria, 429.2
11 Germinet terra herbam virentem, 265.1. & 277.1
12 Et protulit terra herbam virentem, 300.2
16 Fecitq;Deus duo luminaria magna,89.1 & 100.1.& 337.1.& 339.1.& 355.1.& 356.2
20 Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis,232.1.& 446.1
Et volatile ſuper terram,&c.246.1
22 Benedixitque eis dicens,&c.26.2
24 Producat terra Animam viuentem, 27. 1. & 211.1.2.& 229.1
26 Et vidit Deus,quod eſſet bonum,217.1
Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, 229.2.& 399.1.& 400. 1.& 499.2
Et præſit piſcibus maris,&c. 400. 1.& 499 1
27 Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuā, ad imaginem Dei creauit illum,499.2
28 Creſcite,& multiplicamini,&c. 160.1
29 Ecce dedi vobis omnem herbam,&c. vt ſint vobis in eſcam,160.1.& 266.2.& 276.2.& 277.1
31 Viditque Deus cuncta,quæ fecerat, & erant valde bona,5.1
C.2. v.1 Igitur perfecti ſunt Cæli, & Terra,& omnis ornatus eorum,500.2
2 Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat,39.1
3 Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum,26.1
4 Iſtæ ſunt generationes Cæli, & Terræ,15.1
In die,quo fecit Deus Cęlum,& Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra,399.1
5 Non enim pluerat Dominus ſuper terram.
6 Sed fons aſcendebat de terra, &c. 195. 1. & 205. 1.& 206.2.& 207.1.& 226.2.& 251.1.& 263.1.
7 Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ,25.1.& 395.1
Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, 395.1.& 399.1
8 Plantauerat autē Dominus Deus Paradiſum voluptatis,44.1.& 75.2.& 301.2& 503.2
9 Produxitque Dominus Deus de humo, &c. 302.2.& 309.1
Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi,209.1
10 Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, 207.2
15 Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo, 86.1.& 252.1
Vt operaretur,& cuſtodiret illum,399.2
17 In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris,488.2
C.3. v.3 De fructu lignorum,quæ ſunt in Paradiſo veſcimur,302.2
5 Eritis ſicut Dii,125.2
7 Conſuerunt folia ficus,248.1
8 Cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis,351.2
14 Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, 476.2
15 Inimicitias ponam inter te,& mulierem,&c. 532.1
17 Maledicta terra in opere tuo,25.1
19 Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es,quia puluis es, &c. 349.2. & 397.2. & 487.2
20 Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Heuam, 104.1 & 500.2
C.4. v.3 Fuit autem Abel Paſtor ouium, 266.2
4 De primogenitis gregis ſui,267.2
10 Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra,145.1
26 Iſte cępit inuocare nomen Domini,25.1
C.6. v.4 Iſti ſunt Potentes à ſæculo, 112.2
7 Delebo inquit hominem,&c.216.1
8 Noe verò inuenit gratiam coram Domino, 466.2
14 Fac tibi Arcam de lignis leuigatis, 500.1
16 Oſtium autem Arcæ pones ex latere, 182.2
C.7. v.11 Anno ſexcenteſimo vitæ Noe menſe ſecundo,decimo ſeptimo die menſis,340.2
12 Rupti ſunt fontes abyſſi magnæ,&c.53.1.& 195.1.& 207.1
C.8. v.1 Recordatus autem Dominus Noe, cunctorūque Animantium,&c.316.1
4 Requieuitque Arca menſe ſeptimo,vigeſimo primo die menſis,&c.151.1
11 At illa venit ad eum ad veſperam portans ramū Oliuæ virentibus folijs in ore ſuo,248.1
21 Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines,ſenſus enim,& cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua, 346.1
C.9. v.2 Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt 268.1
3 Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, 267.2
20 Cępitque Noe vir agricola exercere terram, &c.279.1
23 Operuerunt verenda Patris ſui,191.2
C.10.v.9 Ipſe cæpit eſſe potēs in terra,394.1.& 375.1
10 Fuit autem principium regni eius Babylon, &c.ibid.
C.12.v.1 Egredere de terra tua,& de cognatione tua,& de domo Patris tui,403.1
10 Deſcenditque Abram in Aegyptum,168.1
C.13.v.15 Omnem terram,quam conſpicis, tibi dabo, 258.1
C.14.v.12 Tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodomorum,&c.nec non & Loth, & ſubſtantiam eius,&c.425.2
14 Numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos, decem, & octo,447.1.
21 Da mihi animas,cętera tolle tibi,27.1
22 Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum,poſſeſſorem Cęli,& Terræ,488.2
C.15.v.10 Aues autem non diuiſit,246.1
11 Deſcenderuntque Volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abram,ibid.
C.16.v.8 A facie Dominæ meæ ego fugio, 144.1
C.18.v.5 Ponamque bucellam panis,& confortate cor veſtrum,293.1
27 Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis, & cinis,16.2
C.19.v.17 Noli reſpicere poſt tergum,519.2
In montem ſaluum te fac,130.1
24 Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrā ſulphur,& ignem a Domino,132.2.& 253.1

26 Reſpi-

26 Reſpicienſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis,138.1.& 185.2
30 Aſcenditque Loth de Segor, & manſit in monte, 151.1
32 Veni inebriemus eum vino,&c.297.2
C.22.v.1 Tentauit Deus Abraham,58.1
6 Ipſe uerò portabat in manibus ignem, & gladium, 96.2
C.24.v.16 Deſcendebat autem ad fontem.168.1
64 Deſcendit de Camelo,168.1
C.27.v.27 Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, 230.1. & 261.2
28 Det tibi Deus de Rore Cęli, & de pinguedine terræ abundantiam,160.1
39 In pinguedine terræ,& in rore Cęli, &c.111.1.
C.28.v.11 Tulit de lapidibus,qui iacebant, & ſuppoſuit capiti ſuo,316.2
12 Viditque in ſomnis ſcalam, &c.130.2.& 477.2
Angelos quoque Dei Aſcendentes;&c.96.1
17 Surgens ergo Iacob mane tulit lapidem,246.2
20 Si dederis mihi panem ad veſcendum, 277.2
C.29.v.2 Et vidit puteum in agro,tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum,391.2
Nam ex illo adaquabantur pecora,69.2
25 Veſpere Liam filiam ſuam introduxit, 405.2
C.31.v.24 Viditque in ſomnis dicentem ſibi Deum,Caue ne quidquam aſperè,&c.442.1
27 Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi,vt proſequerer te cum gaudio, & canticis,461.2
30 Cur furatus es Deos meos,28.1
42 Niſi Deus Patris mei Abraham, & timor Iſhac affuiſſet,146.1
C.32.v.25 Tetigit neruum femoris eius,519.2
28 Nequaquam inquit, Iacob appellabitur nomen tuum,ſed Iſrael,157.1
30 Vidi Deum facie,ad faciem,298.2
31 Ipſe verò claudicabat pede,231.2
C.37.v.3 Fecitque ei tunicam polymitam,403.2
23 Nudauerunt eũ tunica talari,& polymita, 404.1
33 Fera peſſima comedit eum,Beſtia deuorauit Ioſeph, 229.2
C.38.v.17 Hœdum de gregibus,40.1
C.39.v.9 Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, 183.2
C.41.v.2 Putabat ſe ſtare ſuper flumen,231.2
47 In manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea in Ægypto,391.1
C.44.v.2 Scyphum autem meum argenteum, 163.2
C.45.v.17 Venerunt fratres Ioſeph, & gauiſus eſt Pharao,& omnis familia eius,513.2
C.47.v.9 Dies peregrinationis meæ,66.1
C.49.v.4 Aſcendiſti cubile Patris tui,392.2
14 Iſſachar Aſinus fortis accubans inter terminos,19.2.& 189.2
25 Deus Patris tui erit adiutor tuus, etc. 24. 1. et 194.2

EX EXODO.

C.1. v.10 Venite ſapienter opprimamus eum, 428.1
12 Quantoque opprimebant eos, &c. 121.2
C.3. v.5 Ne appropies,inquit huc,&c.177.2
14 Ego ſum qui ſum. Qui eſt miſit me ad vos, 11.2. & 480.2
15 Deus Abraham,Deus Iſhac, & Deus Iacob miſit me ad vos, 318. 1. & 480. 2
C.4. v.6 Mitte manum tuam in ſinum tuum,485.2
24 Cumque eſſet in itinere in diuerſorio occurrit ei Dominus,& volebat occidere eum,489.1
C.6. v.3 Et nomen meum Adonai non indicaui eis, 11.2
29 Loquere ad Pharaonem Regem Ægypti, &c.
30 En incircumciſus labiis ſum,200.2
C.7. v.6 Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, 200.2
10 Tulitque Aaron virgam coram Pharaone,& ſeruis eius,quæ verſa eſt in colubrum,463.2
12 Proiecceruntque ſinguli virgas ſuas,&c.ibid.
17 Ecce percutiam virga,quæ in manu mea eſt aquam fluminis,69.2
C.8 v.17 Et extendit Aaron manum virgam tenens percuſſitque puluerem terræ, & facti ſunt Sciniphes in hominibus,& iumentis,459.2
C.9. v.16 Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam,58.1
C.12.v.11 Sic autem comedetis,&c. & comedetis feſtinanter;eſt enim Phaſe,ideſt tranſitus Domini, 66.1. & 407.2
18 Primo menſe, quartadecima die menſis ad Veſperam,359.1
29 Factum eſt autem in noctis medio,&c. 384.2. & 458.2
37 Profectique ſunt Filij Iſrael de Rameſſe in Sochot, 238.1
39 Coxeruntque farinam,&c.287.2
C.13.v.21 Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis,et per noctem in columna ignis.
22 Numquam defecit columna nubis.70.1
C.14.v.20 Et erat nubes tenebroſa,et illuminans noctẽ, 387.1
21 Cumque extendiſſet Moyſes manum, etc.451.1
24 Per columnam ignis,et nubis,68.2
C.15.v.2 Fortitudo mea,et laus mea Dominus, et factus eſt mihi in ſalutem,456.2
4 Currus Pharaonis,et exercitum eius, etc. 142.1
9 Diuidam ſpolia implebitur anima mea, 27.1. et 456.2
19 Filii autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio eius,209.2
C.16.v.5 Die autem ſexto parent,quod inferant, etc. 402.2
10 Gloria Domini apparuit in nube, 512.1
22 In die autem ſexta collegerunt cibos duplices, 380.1
35 Hoc cibo aliti ſunt vſquequo tangerent fines terræ Chanaan,510.2
C.17.v.3 Sitiuit ergo populus,231.2
Percutieſque petram,246.2.et 403.1
C.18.v.13 A mane vſque ad Veſperam,416.2
C.19.v.4 Portauerim vos ſuper alas Aquilarũ, 313.2
11 In die enim tertia deſcendet Dominus,168.1
12 Cauete ne aſcendatis in montem,167.1
18 Totus autem mons fumabat,91.2
C.20.v.2 Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti,etc.16.1
3 Non habebis Deos alienos coram me, ibid.
7 Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, 436.2
11 Sex enim diebus fecit Dominus,etc.et requieuit die ſeptimo,359.2
25 Quod ſi Altare lapideum feceris mihi, 246.2
C.21.v.2 Si emeris ſeruum hebræum, ſex annis ſeruiet tibi:in ſeptimo egredietur liber gratis,403.2

6 Erit ei ſeruus in ſæculum,112.2
33 Si quis aperuerit ciſternam,&c.176.2.&485.2
C.22.v.6 ſi egreſſus ignis inuenerit ſpinas,&c.404.1
28 Dijs non detrahes,27.2
C.23.v.1 Nec iunges manum tuam,vt pro impio dicas falſum teſtimonium,485.2
C.24.v.12 Aſcende ad me in montem,130.1
15 Cumque aſcendiſſet Moyſes,operuit nubes montẽ, 157.2
C.25.v.10 Arcam de lignis Setim compingite,310.2
12 Facieſque ſupra coronam auream per circuitum, 410.2
18 Duos quoque Cherubim aureos,94.2.
20 Cherub vnus ſit,&c.308.1
22 Loquar ad te,&c. de medio duorum Cherubim, 209.1
30 Et pones ſuper menſam panes,275.2
C.26.v.7 Facies,& Saga cilicina vndecim, 241.2.& 305.2
14 Facies & operimentum aliud tecto de pellibus, 47.2
C.28.v.2 Facieſque veſtem Sanctam Aaron,176.2
13 Facies & vncinos ex auro,&c.387.1
42 Facies & feminalia linea,188.2
C.32.v.27 Ite,& redite de porta vſque ad portam, per medium Caſtrorum,209.2
C.33.v.8 Aſpiciebantque tergum Moyſi,516.2
20 Non poteris videre faciem meam,298.2
23 Videbis poſteriora mea,175.2
C.34.v.6 Dominator Domine Deus miſericors, & clemens, &c. qui cuſtodis miſericordiam in millia, 424.1
7 Qui reddis iniquitatem Patrum Filiis,ac Nepotibus in tertiam,& quartam progeniem,ibid.
10 Vt cernat populus iſte,in cuius medio es,209.2
20 Primogenitum Aſini redimes oue,&c.267.2
C.36.v.30 Baſes argenteas ſedecim,111.2
C.38.v.8 Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum,445.2
C.40.v.22 Poſuit & candelabrum in tabernaculo,&c. locatis per ordinem lucernis,169.2

EX LEVITICO.

C.2. v.1 Simila erit eius oblatio,299.1
5 Similæ conſperſæ oleo,51.2
11 Nec quidquam mellis adolebitur,83.1
12 Quidquid obtuleris ſacrificii ſale condies,51.2
16 Fundens ſupra oleum,51.2
C.4. v.7 Omnem autem reliquum ſanguinem fundet in Baſim Altaris.111.2
22 Si peccauerit Princeps,&c.offeret hoſtiam Domino Hircum de capris immaculatum,306.1
27 Si peccauerit Anima per ignorantiam de Populo terræ,&c.offeret capram immaculatam,ibid.
30 Tolletque Sacerdos de ſanguine in digito ſuo, & tangens cornua Altaris Holocauſthi,520.1
32 Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato,ouem ſcilicet immaculatam,330.1
C.5. v.17 Anima ſi peccauerit per ignorantiam, &c. Offeret Arietem immaculatum,332.1
C.6. v.9 Cremabitur in Altari tota nocte, 508.1.& 525.2
12 Ignis autem in Altari meo ſemper ardebit,310.1
20 Hæc eſt oblatio Aaron,& Filiorum eius in die vnctionis ſuæ,&c.medium eius mane, & medium eius veſpere,405.1
28 Vas autem fictile, in quo cocta eſt confringetur, 536.1
C.7. v.1 Hæc quoque lex Hoſtiæ pro delicto,107.1
9 Et omne ſacrificium ſimilæ,&c. eius erit Sacerdotis,à quo offertur,508.1
12 Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento conſperſos oleo,&c.289.2
23 Adipem Ouis,& Bouis,& capræ non comedetis, 457.2
25 Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini,comederit, peribit de populo ſuo, 380.2
26 Sanguinem quoque omnis Animalis non ſumetis in cibo,380.2
30 Tenebit manibus adipem Hoſtiæ,&c. tradet Sacerdoti,524.2
C.10.v.1 Arreptiſque Nadab,& Abiu filij Aaron thuribulis,&c.offerentes Domino ignem alienũ, 379.2
C.11.v.24 Erit immundus vſque ad Veſperam,416.1
32 Polluetur tam vas ligneum,310.1
C.13.v.48 Pellis, vel quidquid ex pelle cõfectũ eſt,47.1
C.14.v.4 Offeret duos paſſeres viuos, & lignum cedrinum, 310.2.& 323.1
5 Super aquas viuentes,528.2
6 Vnum ex paſſeribus immolari iubebit, alium autẽ viuum tinget in ſanguine paſſeris immolati, 323.1.& 528.2
C.23.v.32 A veſpera vſque ad Veſperam celebrabitis Sabbata veſtra,359.2
40 Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimę,245.1
Et ramos ligni denſarum frondium,248.2
C.25.v.50 Sin autem & ipſe potuerit redimat ſe,ſupputatis dumtaxat annis à tempore venditionis ſuę vſque ad annum Iubilæum,524.1

EX LIBRO NVMERORVM.

C.4. v.13 Hic eſt cultus filiorum Chaart,88.1
C.6. v.18 Tunc radetur Nazareus ante oſtium tabernaculi,96.2
C.9. v.16 Sic fiebat iugiter per diem operiebat illum nubes,& per noctem quaſi ſpecies ignis,385.1
C.13.v.28 Venimus in terram,ad quam miſiſti nos,quæ re vera fluit lacte,& melle,459.2
33 Detraxeruntque Terræ,&c.dicentes.Terra quam luſtrauimus deuorat habitatores ſuos, ibid.
C.19.v.5 Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle,& carnibus eius,quam ſanguine,& fimo flammæ traditis,490.1
14 Iſta eſt lex hominis, qui moritur in tabernaculo, 524.1
16 Si quis in agro tetigerit cadauer,&c.immundus erit ſeptem diebus,524.1
C.21.v.29 Dedit filios eius in fugam,144.1
C.23.v.19 Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur,74.1
C.24.v.4 Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt,qui cadet, & ſic aperiuntur oculi eius,319.2
6 Quaſi Cedri prope aquas,310.1
9 Accubans dormiuit vt Leo,378.1
17 Orietur ſtella ex Iacob,389.2.& 462.1
24 Venient in Trieribus de Italia,449.1
C.30.v.5 Quidquid pollicita eſt,& iurauit opere complebit,241.1

EX DEVTERONOMIO.

C.4. v.24 Deus tuus ignis conſumens eſt,96.1
C.8. v.7 In cuius campis, & vallibus erumpunt fluuiorum abyſſi,129.1

C.11.v.11

C.11.v.11 De Cęlo expectans pluuiam.
Hæc comedetis ex omnibus quæ morãtur in aquis.
C.14 9 Quæ habent pinnulas,& ſquamas comedite.
C.15.19 Non operaberis in primognito Bouis,264.1
C.23.11 Poſt Solis occaſum regredietur in Caſtra,356.2
C.28.16 Maledictus eris in agro,230.1
C.32.1 Audite Celi,quæ loquor,46.2
2 Concreſcat vt pluuia doctrina mea,262.2
11 Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, &c.atque portauit in humeris ſuis,324.1
22 Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni nouiſſima,184.1

EX LIBRO IOSVE.

C.1. 11 Præparate vobis cibaria, quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem,380.1
C.2. 6 Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ,operuitque eos ſtipula lini,451.2
C.3. 16 Aquæ quæ inferiores erant in mare ſolitudinis deſcenderunt,168.1
C.8. 31 Altare verò de lapidibus impolitis, 246.2
Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Cęlo, 253.1
C.10.12 Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra Vallem Haialon,100.1.& 366.1
13 Steteruntque Sol,& Luna,352.2
14 Stetitque Sol in medio Cęli,&c.obediente Domino voci hominis,352.2.
C.15.7 Tranſibunt per aquas,quæ vocantur Fons Solis, 206.2

EX LIBRO IVDICVM.

C.5. 20 De Cęlo dimicatum eſt contra eos;ſtellæ manentes in ordine,& curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt,250.1.& 339.2
C.6. 21 Extendit Angelus Domini ſummitatem Virgæ, &c.Aſcenditque ignis de petra,96.2
C.14.5 Apparuit Catulus Leonis ſæuus, & rugiens. 378.1
14 De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo,403.1
C.15.19 Aperuitque Dominus molarem dentem, &c. 207.1

EX RVTH.

C.2. 13 Inueni gratiam in oculis tuis, 127.2

EX PRIMO REGVM.

C.1. 3 Aſcendebat vir ille de Ciuitate ſua, 166.2
7 Porrò illa flebat, & non capiebat cibum, 380.2
13 Anna loquebatur in corde ſuo,298.1
C.2. 1 Exultauit cor meum in Domino,298.1
5 Repleti prius,pro panibus ſe locauerunt,277.2
10 Et ſuper ipſos in Cęlis tonabit,145.2
21 Magnificatus eſt puer Samuel,28.2
35 Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem,298.1
C.3. 1 Sermo Domini erat pratioſus,532.1
21 Et venit ſermo Samuelis vniuerſo Iſraeli, 532.2
C.6. 14 Venit Arca in agrum Ioſue bethſamitæ,330.1 & 238.2
19 Percuſſit autem de viris Bethſamitis,176.1
C.7. 5 Congregate vniuerſum Iſrael in Maſphat, 391.2
Ian.de Mata.
10 Intonuit autem Dominus fragore magno,141.1.& 145.2
C.8. 6 Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis,532.2
12 Et faciet,&c.aratores agrorum ſuorum,230.1
14 Agros quoque veſtros,&c.tollet,230.1
C.9. 18 Vbi eſt domus Videntis,325.2
14 Apparuit Samuel egrediens obuiam eis, 404.1
C.10.2 Inuenies duos viros iuxta Sepulchrum Rachel, in finibus Beniamin,190.1
10 Veneruntque ad prædictum collem,& ecce cuneus prophetarum obuius ei,316.1
16 De ſermone autem Regni non indicauit ei, 532.2
C.11.1 Aſcendit Naas ammonites,166.2
7 Et egreſſi ſunt quaſi vir vnus,403.2
10 Mane exibimus ad vos,ibid.
14 Eamus in Galgala, & innouemus ibi Regnum, 501.2
C.13.5 Caſtrametati ſunt in Machmas ad Orientem Bethauen,390.2
18 Tertius autem verterat ſe ad iter termini imminentis valli Seboim, 209.1
20 Deſcendebat omnis Iſrael ad Philiſtim, 168.1
23 Egreſſa eſt ſtatio Philiſtinorum,404.1
C.14.25 Erat mel ſuper faciem agri,299.1
27 Intinxit in fauum mellis,191.1
Et illuminati ſunt oculi eius,45.1
48 Congregatoque exercitu percuſſit Amalec, 391.2
C.15.12 Cumque de nocte ſurrexiſſet Samuel,367.2
22 Melior eſt enim obedientia,quam victimæ,241.1
C.16.2 Vitulum de armento tolles,&c.316.2
6 Vidit Eliab,& ait nũ corã Domino eſt Chriſtus eius?
7 Et dixit Dominus ad Samuelem; ne reſpicias vultum eius,&c.442.2
16 Vt quando arripuerit,te Spiritus Domini malus, pſallat manu ſua,& leuius feras,373.1
C.17.40 Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides, 247.1
C.18.18 Quis ego ſum, &c. vt fiam gener Regis? 203.2
C.24.3 Perrexit, &c. Quæ ſolis ibicibus peruia ſunt, 327.2
C.28.9 Ecce tu noſti quanta fecerit Saul, & quomodo eraſerit magos, & ariolos de terra,524.2

EX SECVNDO REGVM.

C.1. 18 Incliti tui Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt,130.1
21 Montes Gelboe,nec ros,nec pluuia veniant ſuper vos,152.1
25 Quomodo ceciderunt fortes in prælio, 259.1
C.2. 18 Porrò Aſael Curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de Capreis,qui morantur in ſyluis,327.2
C.9. 10 Miphiboſeth autem filius Domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam,18.1
C.12.4 Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem,parcens ille,&c.475.2
C.17.18 Habebat puteum in veſtibulo ſuo, & deſcenderunt in eum,168.1
C.22.2 Dominus Petra mea,121.2.& 309.1
C.23.15 O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem,227.1.& 306.2
16 Libauit eam Domino,306.2

EX TERTIO REGVM.

C.7. 2 Ædificauit quoq;domum ſaltus Libani,325.2
23 Fecit quoque Mare fuſile,445.1

Digitized by Google

25 *Et ſtabat ſuper duodecim boues*,445.1

C.8. 12 *Tunc ait Salomon Dominus dixit, vt habitaret in nebula*,119.2

C.10.8 *Beati viri tui,& beati ſerui tui,&c.* 321.1

C.16.34 *In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Hiericho, &c.*185.1

C.19.6 *Ad caput ſuum ſubcinericius panis*, 277.2

C.21.9 *Literarum autem hæc erat ſententia: Prædicate ieiunium,&c.*375.2

18 *Deſcende in occurſum Achab*,168.1

EX QVARTO REGVM.

C.4. 5 *Iuit itaque mulier,& clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos,illi offerebant vaſa,& illa infundebat,&c.*128.1

39 *Egreſſus eſt vnus in agrum, vt colligeret herbas agreſtes*,277.1

C.10.5 *Serui tui ſumus, quæcumque iuſſeris faciemus*, 94.2

C.16.17 *Tulit ergo Rex Achaz cælatas baſes*,112.1

C.20.2 *Qui conuertit faciem ſuam ad parietem*, 191.2

EX PRIMO PARALIPOMENON.

C.16.27 *Confeſſio,& magnificentia coram eo*, 28.1

C.29.15 *Peregrini enim ſumus coram te*,66.2

EX SECVNDO PARALIPOMENON.

C.5.13 *Ita vt cum Dominum laudare cœpiſſent.*

C.9.21 *Naues Regis ibant in Tharſis, &c.* 452.1

C.32.31 *In legatione Principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum,vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram*,359.2

EX TOBIA.

C.5. 12 *Quale gaudium mihi erit,qui in tenebris ſedeo, & lumen Cæli non video*,361.1

C.6. 2 *Et ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum*,446.1.& 455.2

5 *Cor eius,& Iecur,& Fel repone tibi,&c.* 456.1

EX IVDITH.

C.15.11 *Eo quòd caſtitatem amaueris*, 25.1

EX ESTER.

C.1. 7 *Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat abundans,& præcipuum ponebatur*,295.2

C.2. 17 *Adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres*, 260.1

C.15.6 *Aſſumpſit duas famulas,&c.*95.2

14 *Accede igitur,& tange ſceptrum*,93.2

EX IOB.

C.1. 3 *Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium.* 428.2

Et erat vir ille magnus inter omnes orientales, 390.1

5 *Ne fortè peccauerint filij mei*,26.2

Sic faciebat Iob omnibus diebus,404.1

8 *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob*, 141.2. & 371.2

11 *Sed extende paululum manum tuam*, 371.2. & 373.2

12 *Ecce vniuerſa,quæ habet in manu tua ſunt, tantū in eum ne extendas manum tuam*,457.1

14 *Boues arabant, & Aſinæ paſcebantur iuxta eos, &c.*458.2

16 *Ignis Dei cecidit è Cælo, &c.* 97.1. & 133.2.& 373.1

20 *Tunc ſurrexit Iob,& ſcidit veſtimenta ſua*,45.2

21 *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ*,402.2

22 *In omnibus his non peccauit Iob,&c.* 349.2

C.2. 3 *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, &c. & adhuc retinens innocentiam*,507.2

4 *Pellem pro pelle,& cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua*,46.2

9 *Benedic Deo,& morere*,458.2

10 *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es,&c.*ibid.

11 *Venerunt ſinguli de loco ſuo*,161.1

C.3. 1 *Poſt hæc aperuit Iob os ſuum*,484.1

3 *Non requirat eum Deus*,44.2

6 *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat*, 367.2. & 368.1.2.& 229.2.& 438.2

7 *Sit Nox illa ſolitaria*,368.1

9 *Obtenebrentur ſtellæ caligine eius*,373.2

Expectet lucem,& non videat,478.2

Nec ortum ſurgentis Auroræ,390.1

13 *Nunc enim dormiens ſilerem*,89.1

15 *Cum Principibus, qui poſſident aurum*,428.2

19 *Quare miſero data eſt lux*,528.2

21 *Qui expectant mortem,& non venit*, 478.2

C.4. 10 *Rugitus Leonis,& vox Leænæ, & dentes catulorum Leonis diſſipati ſunt*,370.1

15 *Cum Spiritus me præſente tranſiret*,493.1

16 *Vocem quaſi auræ lenis audiui*,228.2

19 *Qui habitant domos luteas*,325.2

Stetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum, 130.2

C.5. 1 *Ad aliquem Sanctorum conuertere*, 191.1

5 *Et ipſum rapiet armatus*,379.2

Bibent ſitientes diuitias eius,231.2

6 *De humo non egreditur dolor*,404.1

7 *Homo naſcitur ad laborem*,390.1

15 *Saluum faciet de manu violenti pauperem*, 485.2

22 *Et beſtias terræ non formidabis*,364.2

26 *Sicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo*, 355.2

C.6. 4 *Quorum indignatio ebibit ſpiritum meum*, 493.1

5 *Numquid rugiet Onager,&c.*231.1.& 276.2.& 378.2

7 *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt*,380.2.& 519.2

10 *Nec contradicam ſermonibus Sancti*, 533.1

15 *Sicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus*, 209.1

C.7. 1 *Militia eſt vita hominis*,365.2

2 *Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui*, 264.1

3 *Noctes laborioſas enumeraui mihi*,367.2

4 *Si dormiero dicam quando conſurgam*, 416.1

Et rurſum expectabo veſperam, 478.1.& 416.1

5 *Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris cutis mea aruit*,493.2

6 *Dies mei velocius tranſierunt,&c.*66.1

8 *Nec aſpiciat me viſus hominis*,519.1

Oculi tui in me,& non ſubſiſtam,385.1

10 *Neque cognoſcet eum amplius locus eius.*168.2

12 Num-

Digitized by Google

12 Numquid mare ſum ego, aut Cetus, quia circum dediſti me carcere,441.1
Quid eſt homo, quia magnificas eum,&c.298.1
C.8. 10 De corde ſuo proferent eloquia,532.1
17 Super aceruos petrarum radices eius denſabuntur, 247.2
18 Si abſorbuerit eum de loco ſuo,169.2
22 qui oderunt te induentur confuſione,46.1
C.9. 7 Qui præcipit Soli,& non oritur,& ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo,362.2
8 Qui extendit Cælos ſolus,41.1
Et graditur ſuper fluctus maris,454.1
9 Qui fecit Arcturum,& Oriona,250.1
11 Si venerit ad me non videbo eum,&c.361.1
26 Sicut Aquila volans ad eſcam,324.2.& 380.1
Pertranſierunt ſicut Naues poma portantes,463.1
C.10.8 Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me, 395.1.& 421.1
9 Memento quæſo,quod ſicut lutum feceris me,&c. 398.2
Et in puluerem deduces me,493.2
21 Antequam vadam ad terram tenebroſam, 111.1
C.11.7 Forſitan veſtigia Dei cōprehēdes,61.1.& 156.1
10 Si ſubuerterit omnia quis contradicet ei,120.1
12 tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat, 231.1
13 Tu autem firmaſti cor tuum,298.1
14 Si iniquitatem,quæ eſt in manu tua abſtuleris a te, 541.2
17 Cū te cōſūptū putaueris orieris vt Lucifer,390.2
C.12.4 Deridetur enim Iuſti ſimplicitas, 464.2
5 Lampas contempta apud cogitationes diuitum, 204.2
7 Interroga Iumenta,& docebunt te,276.1
15 Si continuerit aquas omnia ſiccabuntur,53.2. & 488.1.& 498.1
17 Adducit conſiliarios in ſtultum finem,190.1
C.13.14 Animam meam porto in manibus meis, 27.1
16 Non enim veniet in conſpectu eius omnis hypocrita,251.2
23 Quātas habeo iniquitates,& peccata,ſcelera mea, & delicta oſtende mihi,361.2
24 Cur faciem tuam abſcondis, &c.298.2
25 Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam.248.1.& 379.2
28 Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum,quod comeditur à tinea,349.2
C.14.3 Dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos,484.1
5 Numerus menſium eius apud te eſt,438.2
7 Lignum habet ſpem ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit,248.2
11 Quomodo ſi recedant aquæ de mari,& fluuius vacuefactus areſcat,208.1
15 Operi manuum tuarum porriges dexteram, 263.2
16 Tu quidem greſſus meos dinumeraſti,438.2
18 Saxum transfertur de loco ſuo,247.1
C.15.18 Habitauit in Ciuitatibus deſolatis,& in domibus deſertis,376.2
30 Non recedet de tenebris,362.1
Ramos eius areſaciet flamma,248.2. & 493.1
C.16.12 Concluſit me Deus apud iniquum,541.1
16 Saccum conſui ſuper cutem,47.1
Et operui cinere carnem meam,192.1
17 Facies mea intumuit à fletu,298.2
19 Terra,ne operias ſanguinem meum,192.1
C.17.13 In tenebris ſtraui lectulum meum, 366.2
C.18.5 Nonne lux impij extinguetur,44.2
Nec ſplendebit flamma ignis eius,97.1
6 Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius,44.2
9 Tenebitur planta eius laqueo, & exardeſcet contra ſitim,231.2
13 Deuoret pulchritudinem cutis eius,46.2
14 Auellatur de tabernaculo illius fiducia eius, & calcet ſuper eum quaſi Rex Interitus,371.1
C.19.20 Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meū, 47.2
29 Fugite à facie gladii,144.1
C.20.2 Mens in diuerſa rapitur,379.1
5 Quòd laus impiorum breuis ſit, & gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti,320.2
9 Neque vltra intuebitur eum locus ſuus, 169.2
11 Oſſa eius,&c.cum eo in puluere dormient,493.2
14 Panis eius in vtero illius vertetur in fel Aſpidum 278.2
17 Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri,169.2
21 Non remanebit de cibo eius,380.2
23 Pluat ſuper illum bellum ſuum, 263.1
24 Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum, 144.2
C.21.24 Medullis oſſa illius irrigantur,262.1
C.22.11 Putabas te tenebras non viſurum,366.2
23 Si reuerſus fueris ad Omnipotentem, &c. 22.1. & 223.2
Longe facies iniquitatem,&c.541.2
25 Argentum coaceruabitur tibi,22.1
26 Tūc ſuper ōnipotētē delicijs afflues,223. 2.& 305.1
C.23.8 Si ad orientem iero,300.1
C.24.1 Ab omnipotēte nō ſunt abſcondita tēpora,356.1
2 Alii terminos tranſtulerunt,189.2
5 Alii quaſi onagri in deſerto,131.1
6 Agrum non ſuum demetunt, 230.1
8 Quaſi imbres montes rigant, 262.1
11 Qui calcatis torcularibus ſitiunt,231.2
16 Perfodit in tenebris domos,367.1
19 Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuiū,85.2
22 Cum ſteterit non credet vitæ ſuæ,528.2
C.25.3 Numquid eſt numerus militum eius, 76.2
5 Ecce Luna etiam non ſplendet,&c.74.1. & 165.2
C.26.7 Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum,& appendit terram ſuper nihilum,99.2
8 Qui ligat aquas in nubibus ſuis,64.2
11 Columnæ Cæli contremiſcunt,46.1
12 In fortitudine illius repente maria congregata ſūt, 391.1.& 454.2
Et prudentia eius percuſſit ſuperbum, 371.2
13 Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber, 485.1
14 Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus,&c.61.2
Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri, 108.1.& 145.1.2
C.27.16 Sicut lutum præparauerit veſtimenta,45.2
19 Diues cum dormierit nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos,& nihil inueniet,484.1
20 Nocte opprimet eum tempeſtas,367.2
21 Velut turbo rapiet eum de loco ſuo,379.2
C.28.1 Habet argentum venarum ſuarum principia; 394.1
Et auro locus eſt,in quo conflatur,168.2
3 Tempus poſuit tenebris,356.1.& 366.2
Lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis, 247.2
4 Diuidit torrens à populo peregrinante,208.2
5 Terra, de qua oriebatur panis, in loco ſuo

Digitized by Google

25 Et ſtabat ſuper duodecim boues,445.1
C.8. 12 Tunc ait Salomon Dominus dixit, vt habitaret in nebula,119.2
C.10.8 Beati viri tui,& beati ſerui tui,&c. 321.1
C.16.34 In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Hiericho, &c.185.1
C.19.6 Ad caput ſuum ſubcinericius panis, 277.2
C.21.9 Literarum autem hæc erat ſententia: Prædicate ieiunium,&c.375.2
18 Deſcende in occurſum Achab,168.1

EX QVARTO REGVM.

C.4. 5 Iuit itaque mulier,& clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos,illi offerebant vaſa,& illa infundebat,&c.128.1
39 Egreſſus eſt vnus in agrum, vt colligeret herbas agreſtes,277.1
C.10.5 Serui tui ſumus, quæcumque iuſſeris faciemus, 94.2
C.16.17 Tulit ergo Rex Achaz cælatas baſes,112.1
C.20.2 Qui conuertit faciem ſuam ad parietem, 191.2

EX PRIMO PARALIPOMENON.

C.16.27 Confeſſio,& magnificentia coram eo, 28.1
C.29.15 Peregrini enim ſumus coram te,66.2

EX SECVNDO PARALIPOMENON.

C.5.13 Ita vt cum Dominum laudare cœpiſſent.
C.9.21 Naues Regis ibant in Tharſis, &c. 452.1
C.32.31 In legatione Principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum,vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram,359.2

EX TOBIA.

C.5. 12 Quale gaudium mihi erit,qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video,361.1
C.6. 2 Et ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum,446.1.& 455.2
5 Cor eius,& Iecur,& Fel repone tibi,&c. 456.1

EX IVDITH.

C.15.11 Eo quòd caſtitatem amaueris, 25.1

EX ESTER.

C.1. 7 Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat abundans,& præcipuum ponebatur,295.2
C.2. 17 Adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, 260.1
C.15.6 Aſſumpſit duas famulas,&c.95.2
14 Accede igitur,& tange ſceptrum,93.2

EX IOB.

C.1. 3 Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium. 428.2
Et erat vir ille magnus inter omnes orientales, 390.1
5 Ne fortè peccauerint filij mei,26.2
Sic faciebat Iob omnibus diebus,404.1
8 Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, 141.2. & 371.2
11 Sed extende paululum manum tuam, 371.2. & 373.2
12 Ecce vniuerſa,quæ habet in manu tua ſunt, tantū in eum ne extendas manum tuam,457.1
14 Boues arabant, & Aſinæ paſcebantur iuxta eos, &c.458.2
16 Ignis Dei cecidit è Cœlo, &c. 97.1. & 133.2.& 373.1
20 Tunc ſurrexit Iob,& ſcidit veſtimenta ſua,45.2
21 Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ,402.2
22 In omnibus his non peccauit Iob,&c. 349.2
C.2. 3 Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, &c. & adhuc retinens innocentiam,507.2
4 Pellem pro pelle,& cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua,46.2
9 Benedic Deo,& morere,458.2
10 Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es,&c.ibid.
11 Venerunt ſinguli de loco ſuo,161.1
C.3. 1 Poſt hæc aperuit Iob os ſuum,484.1
3 Non requirat eum Deus,44.2
6 Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, 367.2. & 368.1.2.& 229.2.& 438.2
7 Sit Nox illa ſolitaria,368.1
9 Obtenebrentur ſtellæ caligine eius,373.2
Expectet lucem,& non videat,478.2
Nec ortum ſurgentis Auroræ,390.1
13 Nunc enim dormiens ſilerem,89.1
15 Cum Principibus, qui poſſident aurum,428.2
19 Quare miſero data eſt lux,528.2
21 Qui expectant mortem,& non venit, 478.2
C.4. 10 Rugitus Leonis,& vox Leænæ, & dentes catulorum Leonis diſſipati ſunt,370.1
15 Cum Spiritus me præſente tranſiret,493.1
16 Vocem quaſi auræ lenis audiui,228.2
19 Qui habitant domos luteas,325.2
Stetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum, 130.2
C.5. 1 Ad aliquem Sanctorum conuertere, 191.1
5 Et ipſum rapiet armatus,379.2
Bibent ſitientes diuitias eius,231.2
6 De humo non egreditur dolor,404.1
7 Homo naſcitur ad laborem,399.1
15 Saluum faciet de manu violenti pauperem, 485.2
22 Et beſtias terræ non formidabis,364.2
26 Sicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo, 355.2
C.6. 4 Quorum indignatio ebibit ſpiritum meum, 493.1
5 Numquid rugiet Onager,&c.231.1.& 276.2.& 378.2
7 Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt,380.2.& 519.2
10 Nec contradicam ſermonibus Sancti, 533.1
15 Sicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus, 209.1
C.7. 1 Militia eſt vita hominis,365.2
2 Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui, 264.1
3 Noctes laborioſas enumeraui mihi,367.2
4 Si dormiero dicam quando conſurgam, 416.1
Et rurſum expectabo veſperam, 478.1.& 416.1
5 Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris cutis mea aruit,493.2
6 Dies mei velocius tranſierunt,&c.66.1
8 Nec aſpiciat me viſus hominis,519.1
Oculi tui in me,& non ſubſiſtam,385.1
10 Neque cognoſcet eum amplius locus eius.168.2

12 Num-

Digitized by Google

12 Numquid mare ſum ego, aut Cetus, quia circum dediſti me carcere,441.1
Quid eſt homo, quia magnificas eum,&c.298.1
C.8. 10 De corde ſuo proferent eloquia,532.1
17 Super aceruos petrarum radices eius denſabuntur, 247.2
18 Si abſorbuerit eum de loco ſuo,169.2
22 qui oderunt te induentur confuſione,46.1
C.9. 7 Qui præcipit Soli,& non oritur,& ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo,362.2
8 Qui extendit Cælos ſolus,41.1
Et graditur ſuper fluctus maris,454.1
9 Qui fecit Arcturum,& Oriona,250.1
11 Si venerit ad me non videbo eum,&c.361.1
26 Sicut Aquila volans ad eſcam,324.2.& 380.1
Pertanſierunt ſicut Naues poma portantes,463.1
C.10.8 Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me, 395.1.& 421.1
9 Memento quæſo,quod ſicut lutum feceris me,&c. 398.2
Et in puluerem deduces me,493.2
21 Antequam vadam ad terram tenebroſam, 111.1
C.11.7 Forſitan veſtigia Dei cōprehēdes,61.1.& 156.1
10 Si ſubuerterit omnia quis contradicet ei,120.1
12 tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat, 231.1
13 Tu autem firmaſti cor tuum,298.1
14 Si iniquitatem,quæ eſt in manu tua abſtuleris a te, 541.2
17 Cū te cōſūptū putaueris orieris vt Lucifer,390.2
C.12.4 Deridetur enim Iuſti ſimplicitas, 464.2
5 Lampas contempta apud cogitationes diuitum, 204.2
7 Interroga Iumenta,& docebunt te,276.1
15 Si continuerit aquas omnia ſiccabuntur,53.2. & 488.1.& 498.1
17 Adducit conſiliarios in ſtultum finem,190.1
C.13.14 Animam meam porto in manibus meis, 27.1
16 Non enim veniet in conſpectu eius omnis hypocrita,251.2
23 Quātas habeo iniquitates,& peccata,ſcelera mea, & delicta oſtende mihi,361.2
24 Cur faciem tuam abſcondis, &c.298.2
25 Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam.248.1.& 379.2
28 Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum,quod comeditur à tinea,349.2
C.14.3 Dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos,484.1
5 Numerus menſium eius apud te eſt,438.2
7 Lignum habet ſpem ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit,248.2
11 Quomodo ſi recedant aquæ de mari,& fluuius vacuefactus areſcat,208.1
15 Operi manuum tuarum porriges dexteram, 263.2
16 Tu quidem greſſus meos dinumeraſti,438.2
18 Saxum transfertur de loco ſuo,247.1
C.15.18 Habitauit in Ciuitatibus deſolatis,& in domibus deſerſis,376.2
30 Non recedet de tenebris,362.1
Ramos eius arefaciet flamma,248.2. & 493.1
C.16.12 Concluſit me Deus apud iniquum,541.1
16 Saccum conſui ſuper cutem,47.1
Et operui cinere carnem meam,192.1
17 Facies mea intumuit à fletu,298.2
19 Terra,ne operias ſanguinem meum,192.1
C.17.13 In tenebris ſtraui lectulum meum, 366.2
C.18.5 Nonne lux impij extinguetur,44.2
Nec ſplendebit flamma ignis eius,97.1
6 Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius,44.2
9 Tenebitur planta eius laqueo, & exardeſcet contra ſitim,231.2
13 Deuoret pulchritudinem cutis eius,46.2
14 Auellatur de tabernaculo illius fiducia eius, & calcet ſuper eum quaſi Rex Interitus,371.1
C.19.20 Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meū, 47.2
29 Fugite à facie gladii,144.1
C.20.2 Mens in diuerſa rapitur,379.1
5 Quòd laus impiorum breuis ſit, & gaudium Hypochritæ ad inſtar puncti,320.2
9 Neque vltra intuebitur eum locus ſuus, 169.2
11 Oſſa eius,&c.cum eo in puluere dormient,493.2
14 Panis eius in vtero illius vertetur in fel Aſpidum 278.2
17 Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri,169.2
21 Non remanebit de cibo eius,380.2
23 Pluat ſuper illum bellum ſuum, 263.1
24 Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum, 144.2
C.21.24 Medullis oſſa illius irrigantur,262.1
C.22.11 Putabas te tenebras non viſurum,366.2
23 Si reuerſus fueris ad Omnipotentem, &c. 22.1. & 223.2
Longe facies iniquitatem,&c.541.2
25 Argentum coacervabitur tibi,22.1
26 Tūc ſuper ōnipotētē deliciis affluєs,223. 2.& 305.1
C.23.8 Si ad orientem iero,300.1
C.24.1 Ab omnipotēte nō ſunt abſcondita tēpora,356.1
2 Alii terminos tranſtulerunt,189.2
5 Alii quaſi onagri in deſerto,131.1
6 Agrum non ſuum demetunt, 230.1
8 Quaſi imbres montes rigant, 262.1
11 Qui calcatis torcularibus ſitiunt,231.2
16 Perfodit in tenebris domos,367.1
19 Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuiū,85.2
22 Cum ſteterit non credet vitæ ſuæ,528.2
C.25.3 Numquid eſt numerus militum eius, 76.2
5 Ecce Luna etiam non ſplendet,&c.74.1. & 165.2
C.26.7 Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum,& appendit terram ſuper nihilum,99.2
8 Qui ligat aquas in nubibus ſuis,64.2
11 Columnæ Cæli contremiſcunt,46.1
12 In fortitudine illius repente maria congregata ſūt, 391.1.& 454.2
Et prudentia eius percuſſit ſuperbum, 371.2
13 Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber, 485.1
14 Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus,&c.61.2
Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri, 108.1.& 145.1.2
C.27.16 Sicut lutum præparauerit veſtimenta,45.2
19 Diues cum dormierit nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos,& nihil inueniet,484.1
20 Nocte opprimet eum tempeſtas,367.2
21 Velut turbo rapiet eum de loco ſuo,379.2
C.28.1 Habet argentum venarum ſuarum principia; 394.1
Et auro locus eſt,in quo conflatur,168.2
3 Tempus poſuit tenebris,356.1.& 366.2
Lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis, 247.2
4 Diuidit torrens à populo peregrinante,208.2
5 Terra, de qua oriebatur panis, in loco ſuo

Igni ſubuerſa eſt,224.2.& 390.2
6 Locus ſaphiri lapides eius,169.1
7 Semitam ignorauit Auis,245.2
8 Nec pertranſiuit per eam Leęna,377.2
11 Profunda quoq; fluuiorum ſcrutatus eſt, 208.1
12 Sapientia verò vbi inuenitur,124.1
13 Nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium,ibid.
14 Abyſſus dicit non eſt in me,129.2
Et Mare loquitur non eſt mecum,445.2
20 Vnde ergo Sapientia venit,&c.119.1
21 Volucres quoque Cęli latet,246.1
28 Ecce timor Domini ipſa eſt Sapientia,&c.124.2
C.29.3 Ad lumen eius ambulabam in tenebris, 367.1
18 In nidulo meo moriar,323.2
20 Gloria mea ſemper innouabitur, 501.1
23 Expectabant me ſicut pluuiam,478.2
C.30.1 Nunc autem derident me iuniores tempore, 464.1
3 Qui rodebant in ſolitudine,&c.& mandebant herbas,276.2
5 De conuallibus iſta rapientes,208.2
9 Nunc in eorum canticum verſus ſum, 528.2
11 Pharetram enim ſuã aperuit,& afflixit me,485.1
15 Abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum,71.2
Et velut nubes pertranſijt ſalus mea,70.2
26 Expectabam bona,& venerunt mihi mala,praſtolabar lucem,& eruperunt tenebræ,478.2
29 Frater fui Draconum,463.2
C.31.3 Numquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniuſtitiam,218.2
7 Si manibus meis adhæſit macula,485.2
12 Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans,184.2
23 Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum,146.2
26 Si vidi Solem cum fulgeret,& Lunam incedentem clarè,355.1.& 356.2
28 Quæ eſt iniquitas maxima,& negatio contra Deũ, 541.2
33 Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, 34.2
39 Si fructus eius comedi abſque pecunia,&c.Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina, 390.2
C.32.2 Eliu filius Barachiel,242.2
19 Muſtum, quod lagunculas nouas, diſrumpit, 501.2
C.33.15 Per ſomnium in viſione nocturna,367.2
23 Si fuerit pro eo Angelus loquens,95.1
C.34.15 Deficiet omnis caro ſimul,& homo in cinerem reuertetur,540.1
20 Auferet violentum abſque manu,486.1
C.35.10 Qui dedit carmina in nocte,367.1
11 Qui docet nos ſuper iumenta terræ,276.2
C.36.16 Saluabit te de ore anguſto latiſſimè, & non habente fundamentum,170.1
24 Memento quod ignores opus eius,263.2.& 405.1
26 Numerus annorum eius ineſtimabilis,438.2
27 Qui aufert ſtellas pluuiæ,250.1
28 Qui de nubibus fluunt,70.2
29 Si voluerit extendere nubes,191.2.& 201.2
30 Et fulgurare lumine ſuo deſuper,45.1
31 Per hęc enim iudicat populos,& dat eſcas multis mortalibus,380.1
32 Immanibus abſcondit lucem,44.1
C.37.2 Audite auditionem in terrore vocis eius, 144.2
Et ſonum de ore illius procedentem,ibid.
3 Lumen illius ſuper terminos terræ,189.1
4 Tonabit voce magnitudinis ſuæ,145.2
Cum audita fuerit vox eius,144.2
6 Qui pręcipit niui vt deſcendat in terram,163.1.& 263.1
8 Ingredietur beſtia latibulum,229.1
9 Ab interioribus egredietur tempeſtas,404.1
10 Flante Deo concreſcit gelu,&c.317.1
11 Frumentum deſiderat nubes,17.1.& 64.2
C.38.4 Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, 169.2
6 Quis dimiſit lapidem angularem eius,247.2
Super quo baſes eius ſolidatæ ſunt,112.1
8 Quis concluſit oſtijs mare,115.2.& 445.2
9 Cum ponerem nubem veſtimentum eius, 70.2
10 Circumdedi illud terminis meis,189.1
16 Numquid ingreſſus es profundum maris,445.2
17 Numquid apertæ ſunt ibi portæ mortis,485.1
25 Qui dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui?136.2
28 Quis eſt pluuiæ Pater,262.2
29 De cuius vtero egreſſa eſt glacies,404.1
30 In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur,69.2
Et ſuperficies abyſſi conſtringitur,129.2
34 Numquid eleuabis in nebula vocem tuam,65.1
35 Numquid mittes fulmina,& ibunt,ibid.& 507.2
36 Quis poſuit in viſceribus hominis Sapiẽtiã,428.1
38 Quando fundabatur puluis in terra,170.2
39 Numquid capies Leænæ prædam,378.1
41 Quis præparat coruo eſcam ſuam,380.1
C.39.1 Numquid noſti tempus partus Ibicum in petris,247.1.& 327.2
Vel parturientes ceruas obſeruaſti,336.1
2 Dinumeraſti menſes conceptus earum,438.2
3 Incuruantur ad fœtum,& pariunt,& rugitus emittunt,336.2.& 378.2
4 Separantur filij earum,&c.egrediuntur,& non reuertuntur ad eas,403.2
5 Quis dimiſit onagrum liberum,230.2
6 Cui dedi in ſolitudine domum,325.2
8 Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ,519.1
9 Numquid volet Rhinoceros ſeruire tibi,373.2
10 Numquid ligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo,247.1.& 317.2
13 Penna Struthionis ſimilis eſt pennæ Herodij,324.1 & 376.1
18 Cum fuerit tempus in altum alas erigit, 356.1
20 Gloria narium eius terror,512.1
27 Nũquid ad præceptũ tuũ eleuabitur Aquila,324.1
Et in arduis ponet nidum ſuum,323.2
28 In petris manet,&c.246.2.& 313.1
29 De longe oculi eius proſpiciunt,519.1
30 Pulli eius lambent ſanguinem,312.2
34 Manum meam ponam ſuper os meum, 356.1.& 486.1
C.40.7 Reſpice cunctos ſuperbos,& confunde eos, 519.1
10 Fœnum quaſi bos comedet,275.2
12 Stringit caudam ſuam quaſi cedrum,310.1
13 Oſſa eius velut fiſtulæ æris,291.1
14 Ipſe eſt principium viarum Dei,455.2
15 Huic montes herbas ferunt,277.1.& 364.2
Omnes beſtiæ agri ludent ibi,230.2
16 Sub vmbra dormit,&c.& in locis humẽtib.169.1
18 Abſorbebit fluuium,& non mirabitur,208.1
Et habet fiduciã,quòd influat Iordanis in os eius,ib.
19 In oculis eius,quaſi hamo capiet eum,455.1
24 Numquid illudes ei quaſi Aui,464.2
28 Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum,319.1
C.41.5 Portas vultus eius quis aperiet?485.1
9 Sternutatio eius ſplendor ignis,460.2
16 Cum ſublatus fuerit timebunt Angeli,158.1

Digitized by Google

19 *In ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ*, 247.1
20 *Et deridebit vibrantem haſtam*,464.2
24 *Non eſt poteſtas,quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret*,242.1.& 318.2
25 *Omne ſublime videt,ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*,ibid.

EX PSALTERIO.

Pſ.1.1 *Beatus vir,qui nõ abijt in conſilio impiorũ*,407.1
Et in via peccatorum non ſtetit,131.2
Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit,291.2.& 464.1
2 *Sed in lege Domini voluntas eius*,407.1
3 *Erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*,309.2
Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo,263.1
4 *Et folium eius non defluet*,247.2
Pſ.2. 4 *Qui habitat in Cælis irridebit eos*, 465.2
8 *Et poſſeſſionem tuam terminos terræ*, 189.1
Pſ.3. 4 *Exaudiuit me de monte ſancto ſuo*,130.1
Pſ.4. 1 *In tribulatione dilataſti mihi*,41.1
3 *Filij hominum vſquequo graui corde,&c.* 156.2
7 *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, 44.2.& 499.1
Pſ.5.5 *Neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos*,386.1
15 *Domine vt ſcuto bonæ uoluntatis tuæ coronaſti nos* 480.1
Pſ.6.5 *In inferno autem quis confitebitur tibi*,16.2
6 *Lachrymis meis ſtratum meum rigabo*, 262.1
Pſ.7.5 *Gloriam meam in puluerem deducat*, 512.1
12 *Deus iudex iuſtus,&c.numquid iraſcetur per ſingulos dies*,424.2
18 *Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius*,508.2
Pſ.8.4 *Quoniam videbo Cælos tuos,&c. Lunam, & ſtellas,quæ tu fundaſti*,263.2.& 170.1. & 405.1
8 *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*,215.2.& 268.1
9 *Piſces maris,qui perambulant ſemitas maris*,ibid.
Pſ.9.1 *Confitebor tibi Domine in toto corde meo narrabo omnia mirabilia tua*,423.2
10 *Sperent in te,qui nouerunt nomen tuum*,321.2.& 330.1
19 *Exurge Domine non confortetur homo*, 405.1
22 *Vt quid Domine receſſiſti longe*,291.1
23 *Comprehenduntur in conſiliis, quibus cogitant*, 457.2
24 *Quoniam laudatur peccator*, 26.2.& 291.1. & 457.2
26 *Non eſt Deus in conſpectu eius*,351.1. & 488.1
30 *Inſidiatur in abſcondito quaſi Leo*,378.1
39 *Contere brachium peccatoris*,540.2
Pſ.10.1 *In Domino confido quomodo dicitis animæ meæ tranſmigra in montem ſicut paſſer*,323.1
5 *Dominus in templo ſancto ſuo,Dominus in Cælo ſedes eius*, 427.2
7 *Pluet ſuper peccatores laqueos*,262.2
Ignis,& Sulphur,& Spiritus procellarum,97.1.& 132.2.& 493.1
Pſ.11.4 *Linguam noſtram magnificabimus*,29.1
8 *In circuitu impii ambulant*,437.2.& 440.1
Pſ.13.1 *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*,465.1. & 509.1
6 *Quorũ os maledictione,& amaritudine plenũ eſt, veloces pedes eorũ ad effundendũ sãguinem*, 480.1
7 *Contritio,& infelicitas in viis eorum*, 103.2
Non eſt timor Dei ante oculos eorum,ibid.
Pſ.14.1 *Quis requieſcet in monte ſancto tuo*,167.1
7 *Qui facit hæc non mouebitur in æternum*, 105.2
Pſ.15.2 *Dixi Domine Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges*, 18.2
5 *Nec memor ero nominum eorum,&c.*441.2
6 *Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi*,407.1
7 *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectũ*, ibid.
8 *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, ibid.
12 *Delectationes in dextera tua vſque in finẽ*, 533.2
Pſ.16.4 *Probaſti cor meum,& viſitaſti nocte*,367.1
13 *Sicut Leo paratus ad prædam*,378.1
Pſ.17.8 *Fundamenta montium conturbata ſunt*, 168.2. & 489.2
9 *Aſcendit fumus in ira eius*,ibid.
11 *Aſcendit ſuper Cherubim,& volauit*, 166.1
12 *Poſuit tenebras latibulum ſuum*,366.1
Tenebroſa aqua in nubibus aeris,366.2
14 *Et intonuit de Cælo Dominus*,145.2
15 *Fulgura multiplicauit,& conturbauit eos*, 146.1
24 *Obſeruabo me ab iniquitate mea*,440.1
29 *Quoniam tu illuminas lucernam meam*,158.2
43 *Et comminuam eos vt puluerẽ ante faciem venti*, 443.2
Pſ.18.1 *Cæli enarrant gloriam Dei*,41.2. & 527.2
Et opera manuum eius annunciat firmamentum, 263.2.& 527.2
2 *Dies diei eructat verbũ,& nox nocti indicat ſcientiam*,119.1.& 367.2
5 *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*,356.1
6 *A ſummo Cælo egreſſio eius*,110.1
7 *Nec eſt,qui ſe abſcondat à calore eius*,91.1
8 *Lex Domini immaculata,&c.*23.2
10 *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*,350.1
13 *Delicta quis intelligit*,361.2
Pſ.20.3 *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis*,26.1
5 *In ſæculum,& in ſæculum ſæculi*,112.2
9 *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis*.
10 *Pones eos vt clibanum ignis*,96.2
Pſ.21.tit. *In finem pro ſuſceptione matutina*, 336.1
14 *Sicut aqua effuſus ſum*,69.1
15 *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens*, 298.1
16 *Aruit tamquam teſta virtus mea*,122.1
Pſ.22.1 *In loco paſcuæ ibi me collocauit*,169.1
4 *Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala,quoniam tu mecum es*,372.2
7 *Calix meus inebrians,quam præclarus eſt*, 287.1
Pſ.23.1 *Domini eſt terra,& plenitudo eius*, 260.2
2 *Ipſe ſuper maria fundauit eum*,99.1
Pſ.24.10 *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia,& Veritas*, 424.2
Pſ.25.7 *Vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua*,509.1
10 *Dextera eorum repleta eſt muneribus*, 458.1
12 *Pes meus ſtetit in directo*,131.1
Pſ.26.8 *Vnam petii à Domino,&c. vt videam voluptatem Domini*,333.1.& 408.2
10 *In petra exaltauit me*,333.1
11 *Circuiui,& immolaui in tabernaculo eius hoſtiã vociferationis*,ſeu *Iubilationis*,ſec.70.509.2
16 *Quoniam Pater meus,&c.Dominus autem aſſumpſit me*,222.2
20 *Expecta Dominũ, viriliter age,& confortetur cor tuum,& ſuſtine Dominum*,405.2
Pſ.27.2 *Dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum*,485.2
Pſ.28.2 *Afferte Domino gloriam,& honorem*.512.1

Ian.de Mata,

Digitized by Google

3 *Vox Domini ſuper aquas,69.1.& 114.2.& 145.1*
Deus maieſtatis intonuit.145.2
5 *Confringet Dominus Cedros Libani,310.2*
7 *Vox Domini intercedentis flammam ignis,97.2*
9 *Vox Domini præparantis Ceruos,326.2.& 327.1.& 329.1.& 336.1*
Pſ.29.Tit. *Pſalmus Cantici,528.1*
1 *Nec delectaſti inimicos meos ſuper me,533.2*
6 *Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinũ lætitia,405.2*
12 *Numquid confitebitur tibi puluis,443.2*
14 *Conuertiſti planctum meum in gaudium,190.2*
Pſ.30. 3 *Eſto mihi in Deum protectorem,& in domum refugij,327.1.& 335 2*
15 *Obliuioni datus ſum tamquam mortuus à corde, 16.2*
Pſ.31. 1 *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata,35.1.& 197.2.& 334.2.& 366.1*
2 *Beatus vir,cui non imputauit Dominus peccatum, 334.2*
4 *Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina,334.2*
11 *Nolite fieri ſicut equus,& mulus,219.1*
14 *Lætamini in* Domino,*& exultate iuſti, 525.2*
Pſ.32. 3 *Cantate Domino Canticum nouum, 528.1*
6 *Verbo Domini Cœli firmati ſunt,172.1*
Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.
7 *Congregans ſicut in vtre aquas maris,70.1.& 115.2.& 179.1.& 391.1.& 492.2.*
Ponens in theſauris abyſſos, 40.1.& 114.1.& 129.1.& 179.1
9 *Ipſe dixit,& facta ſunt,&c.501.1*
13 *De Celo reſpexit Dominus, 519.1*
Pſ.33. 1 *Benedicam Dominum in omni tempore,26.1.& 355.2*
2 *In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti,& lætentur,512.2*
3 *Magnificate Dominum mecum,20.1*
5 *Accedite ad eum,& illuminamini,37.1*
8 *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus, 530.2*
10 *Diuites eguerunt,&c,256.1.& 374.2*
12 *Quis eſt homo,qui vult vitam, 179.2.& 408.2.& 528.2*
Pſ.34. 9 *Anima mea exultabit in Domino,&c.533.2*
16 *Oratio mea in ſinu meo conuertetur, 191.1*
19 *Diſſipati ſunt nec compuncti,525.1*
32 *Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, 522.2*
Pſ.35. 1 *Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo, 540.2*
6 *Iuſtitia tua ſicut montes Dei, 130.1*
Iudicia tua abyſſus multa.119.2
7 *Homines,& iumenta ſaluabis Domine,216.1*
8 *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, 325.2*
Et torrente voluptatis tuæ potabit eos, 208.2.& 503.2
9 *In lumine tuo videbimus lumen,36.2.& 389.2*
Pſ.36. 1 *Neque zelaueris facientes iniquitatem, 535.2*
7 *Noli æmulari in eo,qui proſperatur,&c. 436.2*
10 *Et adhuc puſillum,& non erit peccator, 65.2.& 436.2*
26 *Non vidi iuſtum derelictum,277.2*
32 *Conſiderat peccator iuſtum,540.2*
37 *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut Cedrus Libani,303.2*
Pſ.37. 2 *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi,374.1*
4 *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me, 459.1*
7 *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, 463.2*
8 *Rugiebam à gemitu cordis mei,378.2*
11 *Cor meum conturbatum eſt,362.1*
12 *Qui iuxta me erant de longe ſteterunt, 131.1*
Pſ.38. 3 *Obmutui,& humiliatus ſum,&c.501.2*
5 *Notum fac mihi Domine finem meum,67.1*
18 *Remitte mihi, vt refrigerer priuſquam abeam,& amplius non ero,525.1*
Pſ.39. 22 *Ego autem mendicus ſum,& pauper, 222.2*
Pſ.41. 1 *Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes, &c.207.1.& 327.1.& 336.1*
2 *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, 58. 1. & 220.2*
9 *Abyſſus abyſſum inuocat, 123.2.& 126.1.& 129.1*
Pſ.42. 5 *Confitebor tibi in cithara,29.2*
Pſ.44. 1 *Eructauit cor meum Verbum bonum, 109.2.& 264.1.& 298.1.& 418.2*
9 *Propterea vnxit te Deus,Deus tuus oleo lætitiæ, 259.1*
10 *Myrrha,& gutta,& caſſia,&c.325.1.& 533.1*
11 *Aſtitit Regina à dextris tuis,&c.45.2.& 527.1*
12 *Audi filia,&c.& obliuiſcere populum tuum,85.2. & 188 2.& 238.2*
13 *Et concupiſcet Rex decorem tuum,43.1*
14 *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis,532.1*
Pſ.45. 2 *Et transferentur montes in cor maris,298.1.& 445.2*
3 *Conturbati ſunt montes in fortitudine eius,167.1*
4 *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei,62.1.& 225.2.& 254.1*
5 *Deus in medio eius non commouebitur, 209.2.& 309.2*
10 *Vacate,& videte quoniam ego ſum Deus, 538.2*
Pſ.46. 9 *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham,391.2*
Pſ.47. 2 *Fundatur exultatione vniuerſę terræ Mons Sion,506.2*
6 *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis, &c. 443.1.& 537.2*
8 *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui,127.2*
Pſ.48. 3 *Os meum loquetur ſapientiam,&c.298.1*
4 *Aperiam in Pſalterio propoſitionem meam,485.1*
5 *Iniquitas calcanei mei circumdabit me, 541.2*
8 *Et viuet adhuc in finem,189.2*
12 *Homo cum in honore eſſet non intellexit,comparatus eſt iumentis,125.2.& 276.2.& 319.2*
19 *Anima eius in vita ipſius benedicetur,26.2.*
Confitebitur tibi cum benefeceris ei,13.1.& 29.2
20 *Vſque in æternum non videbit lumen,44.2*
Pſ.49. 12 *Pulchritudo agri mecum eſt,266.1*
14 *Numquid manducabo carnes Taurorum,162.1*
15 *Immola Deo ſacrificium laudis,*ibid.
Pſ.50. 1 *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam,423.2*
6 *In peccatis concepit me mater mea,308.2*
8 *Aſperges me hyſſopo,& mundabor,265.2*
9 *Auditui meo dabis gaudium,& lætitiam, 512.2*
Et exultabunt oſſa humiliata,513.1
11 *Cor mundum Crea in me Deus, 259.1. & 501.1*
Et ſpiritum rectum innoua,&c.501.2
13 *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, 512.2*
17 *Holocauſtis non delectaberis,531.1*

Pſ.51.8 *Ego*

Digitized by Google

Pſ.51. 8 *Ego autem ſicut oliua fructifera,&c.*263.2
Pſ.53. 6 *Voluntariè ſacrificabo tibi*, 14.2
Pſ.64 6 *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ*, 71.1 & 92.1.& 332.2.& 409.1
7 *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*, 144.1.& 409.1
24 *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula*, 290.2
Pſ.55. 2 *Conculcauerunt me inimici mei*, 68.2
Pſ.56. 5 *Eripuit animam meam de medio catulorum Leonum*, 378.1
6 *Lingua eorum gladius acutus*,460.1
11 *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & Cithara*, 513.1
Pſ.57. 8 *Sicut cera, quæ fluit, auferentur*,97.1
10 *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*, 536.2
Pſ.58. 5 *Exurge in occurſum meum &c.*410.2
6 *Intende ad viſitandas omnes gentes*,ibid.
7 *Conuertentur ad veſperam*,415.2
Pſ.59. *tit. In finem pro his qui immutabuntur*, 209.1
5 *Dediſti metuentibus te ſignificationem,vt fugiant a facie Arcus.* 335.2
11 *Non egredieris Deus in virtutibus noſtris*, 403.1
12 *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis*, 469.1
Pſ.60. 2 *A finibus terræ ad te clamaui*,190.1
6 *Dies ſuper Dies Regis adijcies &c.*404.2
8 *Sic pſalmum &c. vt reddam vota mea de die in diem*, ibid.
Pſ.61. 5 *Cucurri in ſiti*, 231.1
Corde ſuo maledicebant, 231.1
Pſ.62. 1 *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, 288.2
2 *Sitiuit in te anima mea*. ibid.& 231.2
3 *In terra deſerta*, 111.1.2
4 *Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas*, 288.2
6 *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio*, 70.2.& 540.1
Pſ.63. 7 *Accedet homo ad cor altum*, 20.2.& 118.2
Pſ.64. 8 *Exitus matutini,& veſpere delectabilis*.415.2
10 *Paraſti cibum illorum &c.*379.2
11 *Riuos eius inebria &c.*250.2
Pſ.65. 1 *Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius*, 526.2
5 *Qui conuertit mare in aridam*, 191.1.& 445.1
In flumine pertranſibunt pede, 207.2
11 *Tranſiuimus per ignem, & aquam*, 96.2
17 *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo*, 519.2
Pſ.66. 5 *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum*. 110.1 & 263.1.2.& 274.1
Pſ.66. 3 *Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei*. 530.1
Et delectentur in lætitia,533.1
2 *Sicut fluit cera a facie ignis*, 63.2
4 *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum*, 167.1
5 *Turbabuntur a facie eius, &c.*222.2
9 *Etenim Celi diſtillauerunt a facie Domini*,530.1
10 *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus*.152.1
11 *Animalia tua habitabunt in ea &c.*330.2
14 *Si dormiatis inter medios cleros,&c.*315.2
16 *Quid ſuſpicamini montes coagulatos*, 167.2
17 *Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare*. 164.1
18 *Currus Dei decem millibus, &c.* 513.2
23 *Dixit Dominus ex Baſan conuertam*,190.2
Conuertam in profundum maris, ibid.
36 *Dabit voci ſuæ vocem virtutis*, 145.1
Magnificentia eius,& virtus eius in nubibus.145.1
Pſ.68 3 *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.*
4 *Defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum*. 340.1
6 *Quæ non rapui tunc exoluebam*,379.1
16 *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus*, 355.2
20 *Improperium expectauit cor meum*, 478.1
22 *In ſiti mea potauerunt me aceto*,231.1
32 *Et placebit Domino ſuper vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas*,501.2
Pſ.69. 6 *Ego vero egenus,& pauper ſum*, 202.2
Pſ.71. 5 *Permanebit cum Sole, & ante Lunam*, 355.2 & 356.1
6 *Deſcendet ſicut pluuia in vellus*, 228.2.& 262.1
7 *Orietur in diebus eius &c. donec auferatur Luna*, 348.2
16 *Erit firmamentum in terra in ſummis montium*. 167.2
Florebunt de Ciuitate ſicut fœnum terræ, 275.1
Pſ.72. 2 *Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns*, 467.1
21 *Ad nihilum redactus ſum,& neſciui*,488.2
22 *Vt iumentum factus ſum apud te*,269.2.& 276.1
27 *Qui elongant ſe a te peribunt*,351.1
Pſ.73. 2 *Memor eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti*,19.1
13 *Operatus eſt ſalutem in medio terræ*, 63.1
14 *Contribulaſti capita Draconis in aquis*,463.2
15 *Tu confregiſti capita Draconis,&c.*331.1
20 *Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi*, 363.1
Pſ.74. 4 *Dixi iniquis nolite inique agere &c.*516.1
5 *Nolite extollere in altum cornu veſtrum,&c.*ibid.
6 *Quia neque &c. quoniam Deus Iudex eſt*, ibid.
7 *Calix in manu Domini vini meri plenus miſto*. 407.1
Pſ.75. 5 *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*, 257.1
6 *Dormitauerunt qui aſcenderunt equos*,166.2
9 *Cum exurgeret in iudicio Deus, vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ*, 409.2
10 *Quoniam cogitatio hominis cõfitebitur tibi*.110.2
Pſ.77. 18 *Adaquauit eos velut in abyſſo multa*, 126.1
22 *Et malè locuti ſunt de Deo, &c.*223.1
23 *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ*,246.2
27 *Mandauit nubibus deſuper, & Ianuas Cæli aperuit*,48.1
29 *Cibaria miſit eis in abundantia*, 90.1
34 *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*. 176.2.& 222.2.& 380.2
49 *Conuertit in ſanguinem flumina eorum*, 262.2
58 *Inimicos eorum operuit mare*, 192.1
59 *Induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ*,130.1
63 *Conuerſi ſunt in arcum prauum*, 191.1
71 *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus &c.* 286.1
Pſ.78. 4 *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, &c.* 464.2
Pſ.79. 4 *Oſtende faciem tuam & ſalui erimus*.298.2
6 *Cibabis nos pane lacrymarum*, 278.1
Potum dabis nobis in lacrymis in menſura,178.1
11 *Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei* ,310.1
Pſ.80. 6 *Manus eius in cophino ſeruierunt*, 162.2
5 *Mouebuntur omnia fundamenta terræ*, 169.2
7 *Vos autem ſicut homines moriemini*, 405.1
Pſ.82. 12 *Zeb, & Zebee*.475.2
Pſ.83. 3 *Paſſer inuenit ſibi Domum, & Turturnidum ſibi,vbi ponat pullos ſuos*.258.2.& 323.1.2.& 311.1
7 *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum*, 209.1

Pſ.84.

Digitized by Google

Pſ.84. 1 *Benedixiſti Domine terram tuam*, 25.1
2 *Operuiſti omnia peccata eorum*,191.2
9 *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. 18.1
12 *Veritas de terra orta eſt*, 109.2.*&* 390.1
13 *Etenim Dominus dabit benignitatem*, *& terra noſtra dabit fructum ſuum*,261.1
Pſ.85. 10 *Tu es Deus ſolus*, 27.2
Pſ.86. 1 *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, 164.2
2 *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*, 527.2
7 *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*,512.2
Pſ.88. 4 *Iuraui Dauid ſeruo meo &c*.258.2
6 *Confitebuntur Cœli mirabilia tua Domine*,29.2
10 *Tu dominaris poteſtati maris*, 115.2.*&* 462.2
13 *Aquilonem*, *& mare tu creaſti*. 501.1
16 *Beatus populus qui ſcit iubilationem*.14.1
26 *Ponam in mari manum eius*,445.1.
41 *Poſuiſti firmamentum eius formidinem*, 152.1
Pſ.89. 2 *Priuſquam montes fierent*, *&c*.130.1
6 *Mane ſicut herba tranſeat*, 277. 1.*&* 415.2
8 *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo*, *&c*. 112.2.
Pſ.90. 1 *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi*, *in protectione Dei Cæli commorabitur*,460.2
5 *Non timebis a timore nocturno*, 146.2
8 *Verumtamen oculis tuis conſiderabis*, *& retributionem peccatorum videbis*, 385.2
9 *Quoniam tu es Domine Spes mea &c*. 222.1
11 *Angelis ſuis mandauit de te*, 77.1
14 *Quoniam in me ſperauit liberabo eum*,*&c*.387.2
15 *Clamabit ad me*, *& ego exaudiam eum*, *cum ipſo ſum in tribulatione*,57.2.*&* 178.1
Pſ.91. 1 *Bonum eſt Confiteri Domino*; *& pſallere nomini tuo Altiſſime*, 522.1
2 *Ad annunciandum mane miſericordiam tuam & veritatem tuam per noctem*. ibid.
4 *Delectaſti me Domine in factura tua*, 533.1
13 *Iuſtus vt Palma florebit*, 255.1.*&* 406.2
Sicut Cedrus libani multiplicabitur.308.2
Pſ.92. 1 *Dominus regnauit decorem indutus eſt*, 29.2 *&* 462.2
2 *Etenim firmauit orbem terræ*, *qui non commouebitur*. 98.1
6 *Mirabiles elationes maris*, *mirabilis in altis Dominus*,445.2.*&* 453.2. *&* 462.2.
7 *Domum tuam decet ſanctitudo*,29.2
Pſ.93. 8 *Intelligite inſipientes in populo*, *& ſtulti aliquando ſapite*, 465.2
9 *Qui plantauit aurem non audiet*, *&c*.ibid.
15 *Quoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium*. 191.1
Pſ.94. 2 *Præoccupemus faciem eius in confeſſione*. 523.1
3 *Rex magnus ſuper omnes Deos*, 27.2.
4 *Altitudines montium ipſe conſpicit*,519.1
10 *Quadraginta annis &c*.362.2
11 *Et iſti non cognouerunt vias meas*, ibid.
Pſ.95. 1 *Cantate Domino canticum nouum*, 243. 2. *&* 522.1
5 *Omnes Dij gentium Dæmonia*,27.2
6 *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius*,22.1
12 *Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum*,309.2
Pſ.96. 1 *Dominus regnauit exultet terra &c*. 65. 1. *&* 201.2
3 *Ignis ante ipſum præcedet*,97.1
5 *Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini*.166.2
11 *Cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorũ*.531.2
12 *Lux orta eſt Iuſto*,383.1
Pſ.99. *tit*. *Pſalmus in Confeſſione*, 290.1
1 *Iubilate Deo omnis terra*, *ſeruite Domino in lætitia*. 290.1.*&* 510.1
3 *Ipſe fecit nos*, *& non ipſi nos*, 3.2
5 *Laudate nomen eius quoniam ſuauis eſt Dominus*, *in æternum miſericordia eius*, *& vſque in generationem*, *& generationem veritas eius*, 385.2
Pſ.100. 1 *Miſericordiam*, *& iudicium cantabo &c*. 528.1
10 *In matutino interficiebã omnes peccatores*,540.2
Pſ.101. 3 *In quacumque die inuocauero te velociter exaudi me*, 384.1
4 *Defecerunt ſicut fumus dies mei*, 140.1
6 *A voce gemitus mei*, 145.1.*&* 516.1
8 *Factus ſum ſicut paſſer ſolitarius*, *&c*.323.1
14 *Tu exurgens miſereberis Sion*, *quia tempus miſerendi eius*, 355.2
15 *Quoniã placuerunt ſeruis tuis lapides eius*, 247.1
20 *Dominus de Cœlo in terram aſpexit*,322.2
21 *Vt audiret gemitus compeditorum*, ibid.
28 *Et ſicut opertorium mutabis eos*, 192.2
Pſ.102. 5 *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*, 501.2
15 *Recordatus eſt quoniam puluis ſumus*, 490.2
19 *Dominus in Cœlo parauit ſedem ſuam*.426.1
Licet Pſalmus 103. ex profeſſo exponatur, notantur tamen quidam verſus, qui extra loca ſua exponuntur.
Pſ.103. 2 *Extendens Cœlum ſicut pellem*, 384.2
3 *Qui fundaſti terram*, 117.2
4 *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*, 384.2
5 *Qui facis Angelos tuos Spiritus*, 493.1
11 *Inter medium montium pertrãſibunt aquæ*, 210.2
12 *Potabunt omnes beſtiæ agri*, 229.1
Expectabunt onagri in ſiti ſua,230.2
13 *De medio petrarum dabunt voces*, 17.1
16 *Vt exhilaret faciem in oleo*,299.2
18 *Herodij domus dux eſt eorum*,324.1. *&* 325.1
35 *Iucundum ſit ei eloquium meum*, 223.2
Pſ.104. 30 *Edidit terra eorum ranas &c*. 319.2
31 *Dixit*,*& venit cænomia*, *& cinifes*,*&c*.ibid.
39 *Expandit nubem in protectionem eorum*, 67.1
Pſ.106. 23 *Qui deſcendunt mare innauibus*, 117.1. & 463.1
26 *Deſcendunt vſque ad abyſſos*,129.2
33 *Poſuit flumina in deſertum*, *& exitus aquarum in ſitim*,131.2
38 *Iumenta eorum non minorauit*,276.1.2
Pſ.108. 15 *Non eſt recordatus facere miſericordiam*, 441.2
18 *Induit maledictionem ſicut veſtimentum*, 45.1
26 *Adiuua &c*.*Saluum me fac ſecundum miſericordiam tuam*, 288.1
Pſ.109. 1 *Sede a dextris meis*, 485.2
8 *De torrente in via bibet*, 208.2
Pſ.110. 2 *Magna opera Domini*, 410.1
3 *Confeſſio & magnificentia opus eius*, ibid.
9 *Initium Sapientiæ timor Domini*, 103.1 & 146.2
Pſ.111. 9 *Diſperſit dedit pauperibus*, 272.2. & 305.2
10 *Peccator videbit*, *& iraſcetur*,142.2
Pſ.112. 6 *Suſcitans a terra inopem*.111.2.*&* 181.2
Pſ.113. 8 *Qui conuertit petram in ſtagna aquarum*, 190.2
15 *Qui fecit Cœlum*, *et terram*,46.1.2
Pſ.114. 7 *Conuertere anima mea in requiem tuã*, 191.1
Pſ.115. 5 *Prætioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*,122.1
Pſ.117. 10.*Omnes gentes circuierunt me*, *et in nomine Domini*,*quia vltus ſum in eis*,536.1
16 *Dextera Domini fecit virtutem* &c. 481.2

Pſ.118. 13. *In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.* 530.1
38 *Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo* 102.2
Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ, 318.2
62 *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi,* 209.2
65 *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine,* 508.2
81 *Defecit in ſalutare tuum Anima mea,* 540.1
89 *In æternum Domine Verbum tuum permanet in Cælo,* 353.1
96 *Omnis conſummationis vidi finem,* 189.2
105 *Lucerna pedibus meis Verbum tuum,* 44.1
112 *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas &c.* 14.2. & 400.2
113 *Iniquos odio habui,* 535.1. & 536.2
120 *Confige timore tuo carnes meas,* 137.2
131 *Os meum aperui, & attraxi Spiritum, quia mandata tua deſiderabam,* 481.1
137 *Fiat manus tua vt ſaluet me,* 485.1
140 *Ignitum eloquium tuum vehementer,* 96.2. & 532.1
142 *Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum,* 58.2
161 *Principes perſecuti ſunt me gratis,* 143.1
171 *Eructabunt labia mea hymnum cum docueris me iuſtificationes tuas,* 293.2. & 522.1
172 *Pronunciabit lingua mea eloquium tuum,* 538.1
Pſ 119. 2 *Libera animam meam a labijs iniquis,* 541.1
Pſ.120.6 *Per diem Sol non vret te, neque Luna, &c.* 355.2. & 356.2
8 *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum,* 403.2
Pſ.121.2 *Stantes erant pedes noſtri,* 131.2
Pſ.122.3 *Sicut oculi Ancillæ in manibus Dominæ ſuæ &c.* 483.1
5 *Multum repleta eſt anima noſtra,* 162.2
Pſ.123.6 *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo Venantium.* 315.1. & 323.1
8 *Qui fecit Cælum, & terram,* 111.1
Pſ.124.1 *Qui confidunt in Domino ſicut Mons Sion,* 167.2
2 *Montes in circuitu eius,* 147.2
Pſ.126.1 *Niſi Dominus ædificauerit Domum &c.* 106.2 & 141.1
3 *Surgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris,* 278.1
Pſ.128.5 *Fiant ſicut fænum tectorum,* 275.2
Pſ.129.1 *De Profundis clamaui ad te Domine, &c.* 424.1
Pſ.131.3 *Si introiero in tabernaculum domus meæ, &c.* 168.2
5 *Donec inueniam locum Domino,* ibid.
7 *Adorabimus in loco vbi ſteterũt pedes eius.* 168.2
8 *Surge Domine in requiem tuam,* 411.1
11 *Iurauit Dominus Dauid &c. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam,* 110.2
16 *Pauperes eius ſaturabo canibus,* 278.1
18 *Paraui Lucernam Chriſto meo,* 389.2
Pſ.134.1. *Laudate nomen Domini,* 15.2
2 *Qui ſtatis in domo Domini,* 325.2
6 *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit,* 171.1. & 288.2. et 465.1
7 *Fulgura in pluuiam fecit,* 262.2
8 *Producit ventos de Theſauris ſuis,* 71.2
Percuſſit primogenita Ægipti etc. 62.2
20 *Qui timetis Dominum benedicite Domino,* 146.2
Pſ.136.1 *Super flumina Babylonis etc.* 207.2
Pſ.137.1 *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* 27.2
6 *Et cantent in vijs Domini,* 528.1
Pſ.138.5 *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me,* 118.1
6 *Quo a facie tua frugiam,* 298.2
11 *Quia tenebræ non obſcurabuntur a te,* 367.1
Sicut tenebræ eius ita et lumen eius, ibid.
12 *Quia tu poſſediſti renes meos,* 428.2
Pſ.139.3 *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis;* 459.1
Venenum Aſpidum ſub labiis eorum, 459.1
8 *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli,* 70.2
11 *Cadent ſuper eum carbones,* 97.2
Pſ.140.2 *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo,* 411.1
Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum, etc. 415.2
3 *Pone Domine Cuſtodiam ori meo etc.* 179.1
6 *Oleum autem peccatoris etc.* 290.1.2. et 299.2
7 *Abſorpti ſunt iuncti petræ Iudices eorum,* 386.1
Pſ.141.1 *Voce mea ad Dominum clamaui,* 145.1
10 *Me expectant iuſti donec retribuas mihi,* 478.1
Pſ143.6 *Tange montes, et fumigabunt,* 519.2
10 *Deus Canticum nouum cantabo tibi,* 528.1
Pſ.144.16 *Oculi omnium in te ſperant Domine, et tu das eſcam illorum in tempore opportuno,* 226.1
Pſ.146.1 *Deo noſtro ſit iucunda decoraq; laudatio,* 41.2
4 *Qui numerat multitudinem ſtellarum, etc.* 76.2. et 441.2
8 *Qui operit Cælum nubibus etc.* 191.2. et 251.1 et 262.2
9 *Qui producit in montibus fænum,* 130.1. et 175.1. & 277.1
10 *Qui dat iumentis eſcam ipſorum,* 380.1
Pſ.147.3 *Et adipe frumenti ſatiat te,* 268.1
6 *Mittit Chryſtallum ſuam ſicut buccellas,* 278.1
8 *Qui annunciat Verbum ſuum Iacob, iuſtitias, et iudicia ſua Iſrael,* 329.2
Pſ.148.3 *Laudate eum Sol, et Luna; laudate eum omnes ſtellæ, et lumen,* 243.1. et 268.2. et 522.1
4 *Aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent etc.* 48.1
6 *Statuit ea in æternum etc.* 86.1
Pſ.149.5 *Exultabunt ſancti in gloria,* 512.1

EX PROVERBIIS.

Cap.1. 2 *Ad ſciendam Sapientiam et diſciplinam,* 428.1
17 *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* 315.1
19 *Sic ſemitæ omnis Auari animas poſſidentium rapiunt,* 379.2
C.2. 3 *Si enim Sapientiam inuocaueris,* 428.1
C.3. 8 *Sanitas quippe erit etc. et irrigatio oſſium tuorum,* 262.1
10 *Et vino Torcularia redundabunt,* 297.1
14 *Melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti,* 531.1
16 *Longitudo dierum in dextera eius, et in ſiniſtra illius diuitiæ, et gloria,* 485.1
18 *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam.* 309.1
19 *Dominus Sapientia fundauit terram,* 427.2
C.4. 17 *Vinum iniquitatis bibunt,* 297.2
C.5. 15 *Bibe etc. fluenta putei tui,* 206.1. et 254.2
18 *Cerua chariſſima,* 336.1
C.6. 6 *Vade ad Formicam ò piger,* 216.2 et 319.2
7 *Quæ cum non habeant Ducem etc.* ibid. et 403.1
17 *Si verò impiger fueris veniet vt fons meſſis tua.* 207.1
27 *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo,* 184.1

Digitized by Google

C.8. 17 *Ego diligentes me diligo*,322.1.*&* 484.1
18 *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ &c.* ibid.
22 *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum &c.* 187.2.*&* 519.2
23 *Ab æterno ordinata ſum &c.* ibid.
25 *Ante colles ego parturiebar*.187.2
27 *Quando præparabat Cælos aderã, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos*,115.2. *&* 419.2
30 *Cum eo eram cuncta componens*, ibid.
34 *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtii mei*, 484.1
C.9. 1 *Sapientia ædificauit ſibi domum &c.* 297.1.*&* 321.1.*&* 325.2. *&* 426.1. *&* 427.2
2 *Miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam*, ibid.
4 *Si quis eſt paruulus veniat ad me*, 428.1
17 *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior*. 277.2
C.10. 1 *Filius Sapiens lætificat patrem*.24.2
4 *Qui nititur mendaciis hic paſcit ventos*.71. 2
28 *Expectatio Iuſtorum lætitia*. 513.2
C.11 1 *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum*.375.2
21 *Manus in manu non erit innocens malus*.485. 2
C.12. 9 *Melior eſt pauper, & ſufficiens ſibi, quam glorioſus, & indigens pane*. 512.1
14 *De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis*, 263.2
C.14. 1 *Sapiens mulier ædificat domum ſuam*. 428.1
12 *Eſt via quæ videtur homini iuſta: nouiſſima autem eius deducunt ad mortem*. 436.1
13 *Riſus dolori miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat*. 439.2
27 *Timor Domini Fons vitæ*. 146.2
30 *Vita carnium ſanitas cordis*.528.2
Putredo oſſium Inuidia.225.1
C.16. 4 *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. 400.2
22 *Fons vitæ eruditio poſſidentis*. 69.2
C.17. 12 *Expedit magis Vrſæ occurrere raptis fœtibus* 379.1
C.22. 28 *Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui*.190.1
C.24. 30 *Per agrum hominis pigri tranſiui &c.* 230.1
C.26. 14 *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger &c.* 440.1
15 *Aſcondit piger manum ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eam conuerterit*.191.1
C.27. 1 *Ne glorieris in craſtinum, ignorans &c.*349.1
C.28. 1 *Iuſtus autem quaſi Leo confidens*.377.2
C.30. 19 *Viam Aquilæ in Cælo*.324.2
Viam Nauis in medio mari.463.1
C.31. 4 *Lamuel noli Regibus dare vinum*. 296.2
6 *Date ſiceram mærentibus, & vinum his &c.*280. 2.*&* 296.1
10 *Mulierem fortem quis inueniet*.402.2
14 *Facta eſt quaſi Nauis Inſtitoris,&c.*221.1.463.1
16 *Conſiderauit agrum, & emit eum*. 229.2
19 *Manum ſuam miſit ad fortia*.485.2
20 *Manum ſuam aperuit inopi. &c.*483.2

EX ECCLESIASTE.

C.1. 5 *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem. &c.*100.1.*&* 348.1.*&* 381. 2.*&* 390.1
7 *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*.194.2. *&* 208.1. *&* 259.2. *&* 433.2. *&* 444.1.*&* 445.1.*&* 492.1
ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, ibid. *&* 207.2.*&* 208.2
C.2. 3 *Cogitaui in corde meo abſtrahere a vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad Sapientiam*,297.2
4 *Magnificaui opera mea*.28.2
26 *Homini bono in conſpectu ſuo*.15.2
C.3. 8 *Tempus belli, & tempus pacis*.355.2
C.4. 14 *Quod de carcere, cateniſque interdum quis egrediatur ad Regnum, & alius natus in regno inopia conſumetur*.403.1
C.5. 9 *Auarus non implebitur pecunia, &c.* 232.1
10 *Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis*.437.2
C.9. 7 *Vade ergo, & comede cum lætitia panem tuum, ex quia Deo placent opera tua*.531.2
10 *Quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus, ne ratio &c. erunt apud inferos, quò tu properas*,403.1
C.10. 4 *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit,&c.* 169.1
6 *Eſt malum quod vidi ſub ſole &c. poſitum ſtultum in dignitate ſublimi,& diuites ſedere deorſũ*.443.1
11 *Si mordeat ſerpens in ſilentio,&c.*459.2
C.11. 4 *Qui obſeruat ventum nõ ſeminat*.71.2. et 72.1
5 *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus*. 120.1
C.12. 6 *Antequam conteratur hydria ſuperfontem* 207.1

EX CANTICIS CANTICORVM.

C.1. 1 *Oſculetur me oſculo oris ſui*. 221.1. *&* 255.1. *&* 526.2
Meliora ſũt vbera tua vino,261.2.et292.2.et507.2
2 *Oleum effuſum nomen tuum*. 90.1. *&* 281. 2. *&* 299.1.*&* 507.2
3 *Trahe me poſt te*. 287.1
4 *Introduxit me Rex in cellaria ſua*.333.1.*&* 392.2 *&* 527.1
5 *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui*.159.2
6 *Indica mihi vbi paſcas.&c.*76.1.*&* 125.1.*&*391.2
7 *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres &c.* 125.1
14 *Ecce tu pulchra es &c.*43.1
oculi tui columbarum.206.1.
15 *Ecce tu pulcher es dilecte mi*, 43.1
16 *Lectulus noſter floridus*. 239.2
C.2. 2 *Sicut liliũ inter ſpinas ſic amica mea inter filias*, 334.1. & 377.1. & 539.2. & 435.1
3 *Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi*, &c. 331.1. et 356.2
4 *Introduxit me in Cellam vinariam*.285.2
6 *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſq; camporum*.336.2
9 *Similis eſt dilectus meus Capreæ*. 62. 1. et 326.2. et 336.1
En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.130.2. et 519.1
10 *Surge propera amica mea, columba mea, et veni*. 334.1
11 *Iam enim hyems tranſijt etc.* ibid. et 402.2
12 *Tempus putationis aduenit*.355.2
14 *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*.332.2.et 333.2.et 408.1
Oſtende mihi faciem tuam.299.1.et 523.1

15 Ca-

15 Capite nobis vulpes paruulas &c. nam vinea noſtra floruit. 291.2
16 Dilectus meus mihi, & ego illi.62.2
17 Reuertere, ſimilis eſto Dilecte mi Capreæ. &c. 256.1. & 336.2
C.3. 1 In lectulo meo per noctem quæſiui quem diligit anima mea. 367.2
3 Inuenerunt me Vigiles.77.1
4 Tenui eum nec dimittam, donec &c. 326.1
5 Adiuro vos filiæ Ieruſalem per Capreas, &c. 157.1
6 Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi. &c.376.1.& 518.2
Et vniuerſi pulueris pigmentarij,493.2
7 En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt. 95.1.& 110.1
8 Propter timores nocturnos. 367.2
9 Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani. 309.2
10 Aſcenſum purpureum. 166.1
Media charitate conſtrauit.60.1.& 209.2
11 Egredimini & videte Filiæ Sion Regem Salomonem &c.513.2
C.4. 1 Quam pulchra es amica mea. 43.2
2 Capilli tui ſicut greges Caprarum.336.2
3 Sicut vitta coccinea labia tua.322.2
4 Sicut Turris Dauid collum tuum &c. 518.1
6 Vadam ad Montem myrrhæ. 149.2
7 Tota pulchra es amica mea.165.1
8 Veni de libano ſponſa mea.310.2
9 Vulneraſti cor meum in vno oculorũ tuorũ. 418.1
12 Hortus concluſus ſoror mea ſponſa.160.2.& 239.2.& 245.2
13 Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum. 274.2
15 Fons hortorum &c.240.1
16 Surge Aquilo, veni Auſter perfla hortum meum. 121.1
C.5. 1 Veniat Dilectus meus in hortum ſuum.240.2
Bibi vinum meum cum lacte meo.297.2
2 Ego dormio, & cor meũ vigilat.239 1.& 298.1
Aperi mihi ſoror mea ſponſa. 485.1
7 Inuenerunt me Cuſtodes murorum, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me &c.121.1
12 Oculi eius ſicut columbæ.206.1.& 304.2
13 Labia eius lilia ſtillantia myrrham.58.1
14 Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis. 482.1
15 Crura eius columnæ marmoreæ. 111.2
Super baſes aureas. 112.1
Species eius vt libanus, electus vt Cedri. 308. 1. & 310.2
C.6. 3 Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata. 142.1
8 Vna eſt Columba mea &c.165.2
9 Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens.188.1. & 355.1
Pulchra vt Luna, electa vt Sol. 127. 1. & 354. 2. & 356.1
11 Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. 63.2
C.7. 1 Quid videbis in Sulamite niſi choros Caſtrorum.527.2
2 Vmbilicus tuus Crater tornatilis.296.1
Venter tuus ſicut aceruus tritici.274.1
3 Duo vbera tua ſicut duo hynnuli gemelli capreæ. 335.1
4 Naſus tuus ſicut turris Libani,&c.519.1
Collum tuum ſicut turris eburnea.484.1
6 Quam pulchra es etc.455.1.
7 Statura tua aſſimilata eſt palmæ.255.1
10 Ego Dilecto meo,& ad me conuerſio eius. 107.1 & 530.2
31 Mandragoræ dederunt odorem ſuum.266.1.
2 Dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum.297.1
5 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto. 156. 2. & 166.2.& 228.1.& 365.2
6 Pone me vt ſignaculum &c. quia fortis eſt vt mors dilectio. 499.2
Lampades eius Lampades ignis.71.1
7 Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.454.2
9 Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt? ſi murus eſt &c.108.1
11 Vir affert pro fructu eius mille argenteos.263.1
14 Fuge Dilecte mi &c.144.1. & 327.2

EX SAPIENTIA.

C.1. 1 Sentite de Domino in bonitate.383.2
4 In maleuolam Animam non introibit ſapientia. 124.1.& 426.1
7 Spiritus Domini replenit orbem terrarum. 261. 1
C.2. 24 Inuidia autem Diaboli &c. 224.2. & 456.2
C.4. 4 Et ſi in ramis in tempore germinauerint. 248.2
C.5. 6 Ergo errauimus a via veritatis &c.238.1
15 Quoniam ſpes impij &c. tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. 439.1
C.6. 8 Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.466.2
C.7. 1 Sum quidem & ego mortalis homo &c. ex ſemine hominis & delectamẽto ſomni cõueniente.395.2
25 Vapor eſt enim virtutis Dei &c.417.1
26 Eſt Speculum ſine macula. ibid. & 43.1
C.8 3 Omnium Dominus dilexit illam. 94.1
C.12. 13 Non eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus. 465.1
C.13. 5 A magnitudine enim ſpeciei, & Creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri. 42.1

EX ECCLESIASTICO.

C.1.5 Fons Sapientiæ Verbum Dei. 21.1
9 Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto. 187.1. et 495.1
31 In theſauris Sapiẽtiæ ſignificatio diſciplinæ. 428.1
C.2. 1 Fili accedens ad ſeruitutem Dei &c. præpara animam tuam ad tentationem.374.1
11 Reſpicite &c. nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. 468.1
C.6. 30 Et baſes virtutis.112.1
32 Stolam glorię indues eam.45.1
C.9. 5 Virginem ne conſpicias &c.519.2
C.10. 2 Secundum Iudicem populi, ſic & miniſtri &c. 306.2
C.11. 29 Malitia horę obliuionem facit luxuriæ magnę. 137.1
C.13. 23 Venatio Leonis Onager in eremo. 231. 2. & 374.2
Sic & paſcua Diuitum ſunt pauperes. 374.2
C.14. 22 Beatus vir, qui in Sapientia morabitur. 244.2
27 Protegetur ſub tegmine illius. 68.1.& 244.2
C.15. 1 Qui timet Deum faciet bona &c.539.1
2 & quaſi mulier a virginitate ſuſcipiet illum. ibid.
3 Aqua Sapientiæ ſalutaris potabit illum. 254.1
C.18. 1 Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. 75.1

Digitized by Google

C.21. 14 *Non erudietur qui non eſt ſapiens in bono*. 204.1

C.24. 8 *Gyrum Cæli circuiui ſola*.94.1
Et profundum abiſſi penetraui.ibid.& 142.2
15 *In Ieruſalem poteſtas mea*. 411.1
16 *In plenitudine Sanctorum detentio mea*. 245.1
18 *Quaſi Palma exaltata ſum in cades*.140.2.& 143.1
Quaſi plantatio Roſæ in Iericho.43.2
20 *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, & quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris*. 411.1.& 539.2
22 *Ego quaſi terebinthus expandi ramos meos*.244.1
25 *In me gratia omnis viæ, & veritatis*. 228.1
41 *Sicut Aquaductus exiui de Paradiſo*. 478.1
42 *Dixi Rigabo hortum meum*.247.1

C.27. 4 *Si non in timore Domini tenueris te etc*. 102.2
6 *Vaſa figuli probat fornax, et homines iuſtos tentatio tribulationis*.58.2
12 *Stultus ſicut Luna mutatur*.347.2 & 355.1

C.28. 29 *Verbis tuis facito Stateram, et frenos ori tuo rectos*.180.1

C.31. 36 *Exultatio Animæ, et corporis vinum moderatè potatum*.287.1

C.35. 1 *Qui conſeruat verbum multiplicat orationem*, 14.1.& 522.1
26 *Speciosa miſericordia Dei*.67.2

C.38. 25 *Sapientia Scribæ in tempore vacuitatis*.124.1

C.39. 21 *Opera Domini vniuerſa bona valde*.171.1
22 *In verbo eius ſtetit aquæ*. ibid.

C.42. 14 *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens*.317.2
16 *Sol illuminans per omnia reſpexit, et gloria Domini plenum eſt opus eius*.3.1.& 345.2.& 382.2. & 388.1

C.43. 1 *Species Cæli in viſione gloriæ*.33.2.& 37.2
2 *Sol in aſpectu annuncians in exitu, vas admurabile opus excelſi*.343.2.& 344.2
3 *In meridiano exurit terram, et in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris*. ibid.
4 *Tripliciter Sol exurens montes radios igneos exufflans etc*.ibid.
5 *Magnus Dominus, qui fecit illum, et in ſermonibus eius feſtinauit iter*. ibid.
6 *Et Luna in omnibus in tempore ſuo oſtenſio temporis, et Signum Æui*, 340.1.
7 *A Luna Signum diei feſti luminare quod minuitur in conſummatione; menſis ſecundum nomen eius eſt*. ibid. & 348.2.& 477.1
9 *Vas caſtrorum in excelſis in firmamento Cæli reſplendens glorioſè*. 339.2

C.50. 6 *Quaſi Luna plena in diebus ſuis*.54.1.& 482.2

EX ISAIA.

C.1 3 *Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum*. 270.1.& 428.2
5 *Omne caput languidum, et omne cor mœrens*.363.2
14 *Calendas veſtras etc. odiuit anima mea*.27.1
22 *Vinum tuum mixtum eſt aqua*.69.2

C.2. 2 *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium*.130.1.& 505.1

C.3. 1 *Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet a Ieruſalem, et a Iuda validum et fortē*. 159.1
3 *Principem ſuper quinquaginta, etc*.ibid.

C.4. 1 *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum*. 277.1

C.5. 13 *Nobiles eorum, etc. et multitudo eius ſiti exaruit*.231.2

C.6. 1 *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium etc*.40.2. & 175.2.& 427.1
2 *Duabus volabant*.71.1.& 175.2
4 *Plena eſt omnis terra gloria eius*.527.1
6 *Et volauit ad me vnus de Seraphim etc*. 477.2

C.7. 3 *Egredere in occurſum Achaz in via agri fullonis*.230.1

C.8. 13 *Dominum exercituum etc. ipſe pauor veſter*. 146.1

C.9. 3 *Sicut qui lætantur in meſſe*.512.2.& 513.1

C.10. 14 *Et inuenit quaſi nidum manus mea*. 323.2
19 *Reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur*.447.1
26 *Suſcitabit ſuper eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in Petra Oreb*. 440.2
Et virgam ſuam ſuper mare etc.453.1
32 *Agitabit manum, ſuam ſuper montem*. 167.2

C.11. 1 *Egredietur Virga de radice Ieſſe*.68.1 & 103.1. & 517.2
2 *Replebit eum Spiritus timoris Domini*.103.1
6 *Pardus cum hædo accubabit*. 378.1
Vitulus & Leo & ſimul morabuntur. 392.1
8 *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, et in cauerna reguli &c*.372.2.& 533.2

C.13. 14 *Et erit quaſi Damula fugiens*.336.2
22 *Reſpondebunt etc. Sirenes in delubris voluptatis*. 441.1

C.14. 11 *Subter te ſternetur tinea etc*. 349.2
12 *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer*. 38.1.& 46.2
13 *Sedebo in monte teſtamenti etc. ſimilis ero Altiſſimo*.370.2
23 *Et ponam eam in poſſeſſionem Ericii*. 337.1

C.15. 3 *Omnis vlulatus deſcendit in fletum*. 168.2

C.16. 1 *Emitte Agnum Domine etc. de petra deſerti*. 246.2.& 335.1
4 *Finitus eſt enim puluis*.190.1
5 *Præparabitur in miſericordia ſolium*. 127.2

C.17. 14 *In tempore Veſperæ, et ecce turbatio*, 416.2

C.18. 5 *Præcidentur ramuſculi eius*.249.2

C.19. 1 *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem ect*. 308.2
17 *Omnis qui illius fuerit recordatus pauebit*. 146.2

C.21. *Surgite Principes arripite Clypeum*. 379.1
14 *Occurrentes ſitienti ferte aquam*. 231.2
Qui habitatis terram Auſtri cum panibus occurrite fugienti. 277.2

C.22. 1 *Onus vallis viſionis*. 209.1
3 *Cuncti Principes tui fugerunt ſimul*.144.1
10 *Congregaſtis aquas piſcinæ inferioris*.391.1
16 *Quia excidiſti tibi ſepulchrum*.247.2

C.23. 4 *Erubeſce Sydon ait mare*.445.2
16 *Sume Citharam circui Ciuitatem meretrix obliuioni tradita*.523.1

C.24. 15 *Glorificate Dominum in Inſulis maris*.190.1
16 *A finibus terræ laudes audiuimus*. ibid.

C.25. 4 *Factus es Fortitudo pauperi*. 68.1

C.26. 2 *Saluator ponetur in ea murus*.39.1
9 *Anima mea deſiderauit te in nocte*. 367.1
10 *In terra Sanctorum iniqua geſſit, et non videbit etc*.60.2
11 *Ignis hoſtes tuos deuoret*.96.2
21 *Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo*. 168.2. & 402.1

C.27. 2 *Vinea meri cantabit ei*.528.1

C.28. 20 *Pallium breue vtrumque operire non poteſt*. 239.2

C.30. 6 *Onus iumentorum Auſtri*.276.1
16 *Ad equos fugiemus*.144.1. & 166.2
18 *Expectat Dominus vt miſereatur veſtri*. 478.1

20 De-

Digitized by Google

20 Dabit vobis Dominus panem arctum. 278.2
23 Paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpatioſè, &c. 428.2
28 Spiritus eius velut torrens inundans. 208.2. & 209.2
32 Erit tranſitus virgæ fundatus. 170.1
C.31. 4. Quomodo ſi rugiat Leo &c. ſic deſcendet Dominus exercituum, vt prælietur ſuper montem Sion. 378.2
5 Sicut Aues volantes, ſic proteget Dominus. &c. 246.1
C.32. 17 Erit opus iuſtitiæ Pax. 263.2
20 Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. 69.2
C.33.1 Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis. 475.2
3 A voce Angeli fugerunt populi. 96.1
7 Angeli pacis amarè flebunt. 95.2
16 Munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis ei datus eſt. 277.2
21 Locus fluuiorum riui latiſſimi. 169.1
Neque Trieris magna tranſgredietur eum. 449.1
C.34. 4 Omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea. 248.1
5 Inebriatus eſt in Cælo gladius meus. 74.1
13 Et orientur in domibus eius ſpinæ, &c. 390.2
Et erit cubile Draconum. 463.2
15 Ibi habuit foueam Ericius. 337.1
C.35. 7 In cubilibus in quibus Dracones habitabant orietur viror calami, & iunci. 392.2
C.36.6 Ecce confidis ſuper baculum arundineum. 347.1
C.37. 24 Succidam excelſa Cedrorum eius, & electas abietes illius.. 327.1
31 Mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum. 273.1
C.38. 12 Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt a me quaſi tabernaculum paſtorum. 506.2
13 Quaſi Leo ſic contriuit omnia oſſa mea. 378.2
C.39. 1 Miſit Merodach Baladam &c. libros & munera ad Ezechiam. 512.2
2 Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias. ibid.
C.40. 6 Omnis caro fœnum. 275.1. & 347.2. & 486.2
7 Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. 276.1.
26 Leuate &c. qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat. 339.2
29 Qui dat laſſo virtutem. 178.2
31 Aſſument pennas, vt Aquilæ. 71.1
C.41. 17 Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non ſunt, lingua eorum ſiti aruit. 200.1.
18 Ego Dominus exaudiam eos, &c. ibid.
19 Dabo in ſolitudinem Cedrum. 310.1
Ponam in deſertum Abietem. 325.1
C.42. 4 Legem eius Inſulæ expectabunt. 190.2
21 Dominus voluit &c. & magnificaret legem. 28.1.
C.45. 7 Ego Dominus faciens pacem, & creans malum. 501.1
C.46.11 Vocās ab oriente Auē. 109.2. & 145.1. & 92.
C.47.1. Deſcende, ſede in puluere filia Babylon. 493.2 & 352.2
C. 48. 13 Dextera mea menſa eſt Cælos, ego vocabo eos &c. 131.2.
18 Facta fuiſſet ſicut flumen pax tua. 208.2
C.49. 26 Cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis. 380.2
C.51. 1 Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis. 247.2
5 Me Inſulæ expectabunt. 190.2
6 Cæli ſicut fumus liqueſcent. 32.2
9 Conſurge ſicut in die antiquis in generationibus ſæculorum. 112.2
10 Numquid non tu ſiccaſti mare. 445.1
C.52.1. Induere veſtimentis gloriæ tuæ. 45.2

Mundamini qui fertis vaſa Domini. 159.1
11 Pollutum nolite tangere. 520.2
C.53.2 Et aſcēdet &c. ſicut radix de terra ſitienti. 231.1
8 Generationem eius quis enarrabit, qui abſciſſus eſt de terra viuentium. 187.1
C.54. 11 Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos. 247.1
12 Fundabo te in ſapphiris. 247.1
16 Ecce ego creaui Fabrum ſufflantem in igne prunas. 79.2
C.55. 1 Omnes ſitientes venitæ ad aquas &c. 90.2
13 Pro ſaliunca aſcendet Abies. 166.1. & 325.1
C.56. 4. Hæc dicit Dominus eunuchis &c. 169.1
5 Dabo eis in domo mea, & in muris mei locum. ibid.
C.57.5. Immolantes paruulos, &c. ſubter eminentes petras. 247.2
6 In partibus torrentis pars tua. 208.2
10 Vitam manus tuæ inueniſti. 528.1
13 Qui autem fiduciam habet mei &c. 429.1
19 Creaui fructum labiorum pacem, &c. 501.1
20 Impij autem quaſi Mare feruens, &c. 439.2
C.58.6 Nonne hoc eſt magis ieiuniū, quod elegi. 289.1
7 Frange eſurienti panem tuum 71.1. & 289.1
Cum videris nudum operi eum. 191.2
8 Tunc erumpet quaſi mane lumen tuū, &c. 390.2
14 Et cibabo te hæreditate Iacob Patris tui. 380.1.
C.59.6 Telas araneæ texuerunt. 437.1
7 Telæ eorum &c. opera eorum opera inutilia. ibid.
11 Rugiemus quaſi Vrſi omnes. 379.1
18 Inſulis vicem reddet. 190.2
C.60. 12. Gens enim, & Regnum, quod non ſeruierit tibi peribit. 366.1
13 Gloria libani ad te veniet, Abies &c. 123.1
17 Afferam pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, &c. 310.1
C.61. 8 Odio habens rapinam in holocauſtho. 379.2
Dabo opus eorum in veritate. 415.2
C.63. 12. Qui eduxit ad dextram Moyſen. 140.1
C.64. 6 Cecidimus quaſi folium vniuerſi. 248.1
C.65. 2 Qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas. 481.2
11 Vos qui reliquiſtis Dominum, &c. 447.1
12 Numerabo vos in gladio. ibid.
22 Opera manuum eorum inueterabunt &c. 415.2
C.66.1 Cælum ſedes mea eſt. 38.2 & 46.1. & 131.1
2 Omnia hæc manus mea fecit. 485.2
4 Vnde & ego eligam illuſiones eorum. 464.1
5 Glorificetur Dominus. 512.1
15 Ecce Dominus in igne veniet. 60.2

EX IEREMIA.

C.2. 7 Traduxit nos per terram ſitis. 231.2
15 Super eum rugierunt Leones. 378.1
24 Onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui. 217.1. & 223.1. & 230.2
C.5. 6 Percuſſit eos Leo &c. omnis qui egreſſus fuerit ex eis capietur. 372.1
C.6. 16 Hæc dicit Dominus ſtate ſuper vias. 131.2
C.8. 22 Numquid Reſina non eſt in Galaad. &c. 220.2
C.9. 10 Non audierunt vocem poſſidentis. 428.2
C.10. 23. Scio Domine, quia non eſt hominis via eius. 139.2
C.11. 16 Oliuam vberem pulchram &c. ad vocem loquelæ grandis, &c. 291.1
19 Mittamus lignum in panem eius. 309.1
C.12. 1. Iuſtus quidem tu es Domine &c. 467.1
7 Reliqui hæreditatem meam, &c. 374.2
8 Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi Leo in ſylua. ibid.

Digitized by Google

9 Numquid Auis diſcolor hæreditas mea.246.1
C.13 16 Expectabitis Lucem, & ponet eam in vmbram mortis.44.2.& 478.1
18 Dic Regi, & Dominatrici &c. deſcendit de capite veſtro Corona gloriæ veſtræ.439.1
23 Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam,&c.47.2
C.14. 1 Quod factum eſt Verbum Domini ad Ieremiam de ſermonibus ſiccitatis.271.1
2 Clamor Ieruſalem aſcendit. 167.1
6 Onagri traxerunt ventos. 71.2.& 231.1
10 Dilexit mouere pedes ſuos, & Domino non placuit. 469.1
21 Solij gloriæ tuæ recordare.28.2
C.15. 1 Si ſteterint Moyſes,& Samuel coram me.130.2
16 Inuenti ſunt ſermones tui, & comedi eos. 294.1
17 A facie manus tuæ, ſolus ſedebam.485.1
C.16. 16 Poſt hæc mittam eis multos venatores.161.1
& venabuntur eos de cauernis petrarum. 246.2
C.18. 2 Deſcende in domum Figuli. 168.1. & 200.2
9 Ad ſummum loquar aduerſus gentem, & Regnū. (ſecundum 70) 537.2
C.20. 8 Factū eſt mihi Verbū Domini in deriſum .91.2
9 Et dixi non loquar vltra in nomine eius. & factus eſt mihi in corde meo quaſi ignis exæſtuans. ibid
10 Audiui enim contumelias multorum, &c.516.2
C.22. 22 Omnes Paſtores tuos paſcet ventus.469.1
23 Quæ ſedes in libano, & nidificas in cedris. 323.2.
C.23. 22 Si ſtetiſſent in conſilio meo.130.2
C.25.30 Dominus de excelſo rugiet.378.2
C.26. 18 Sion quaſi ager arabitur.230.2
C.31. 2 Hæc dicit Dominus: inuenit gratiam in deſerto populus qui remanſerat a gladio; vadet ad requiem ſuam Iſrael.387.2
12 Eritque Anima eorū quaſi hortus irriguus. 262.1
19 Poſtquam conuertiſti me egi pœnitentiam, &c. 489.1
22 Creabit Dominus nouum ſuper terram, Fœmina circumdabit virum.501.1
C.38. 22 Seduxerunt te &c. 219.1
C.48. 10 Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.415.1
C.49. 4 Quid gloriaris in vallibus; Defluxit vallis tua. 209.1
C.51. 16 Qui leuat nubes &c. Fulgura in pluuiam fecit. 146.1
38 Simul vt Leones rugient.379.1

EX THRENIS.

C.1. 7 Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata eius. 464.1. & 499.1. & 538.2
11 Omnis populus eius gemens, & quærens panem. 277.2
15 Abſtulit omnes magnificos meos. 28.2
16 Oculus meus deducens aquas. 70.1
C.2. 9 Prophetæ eius non inuenerunt viſionem a Domino.468.2
13 Magna eſt velut mare contritio tua. 445. 2. & 492.1
19 Effunde ſicut aquam cor tuum. 70.1
C.3. 6 In tenebroſis collocauit me.186.1
9 Concluſit vias meas lapidibus quadris.247. 2
C.4.1 Diſperſi ſunt lapides ſactuarij in capite &c.364.1
2 Filij Sion incliti &c.opus manuum Figuli. 263.2. & 415.2
19 Velociores fuerūt perſecutores noſtri Aquilis.324.2
20 Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus. 493. 1
In vmbra tua viuemus in gentibus. 356.2
C.5. 16 Cecidit Corona capiti noſtri. 107. 2

EX EZECHIELE.

C.1. 4 Ecce ventus turbinis veniebat ad Aquilone, & nubes magna.70.1.& 71.2.
5 Et in medio Animalium &c.209.2
7 Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. 63.2 & 158.1
8 Manus hominis ſub pennis eorum. 71.1
10 Similitudo autem vultus eorum facies hominis, &c.298.2. & 414.2.& 490.2
& facies Aquilæ deſuper &c. 324.1
13 Splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. 498.1 & 413.2
22 Et ſimilitudo ſupra capita Animalium Firmamenti, quaſi aſpectus Chryſtalli horribilis. 132.1
23 Vnumquodque velabat &c. & alterum ſimiliter velabatur. 306.2
24 Et audiebam ſonum Alarum. 64.1. & 140.1
25 Cum fieret vox,&c.ſubmittebant alas ſuas.428.1
C 2. 1 Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini. 158.1
Et cecidi in faciem meam.299.1
8 Aperi os tuū & comede quæcūq; ego do tibi. 484.2
C.3. 3 Et comedi illud &c.13.2
20 Sed & ſi conuerſus a iuſtitia ſua Iuſtus &c.404.1
C.4. 12 Stercore, quod egreditur de homine operies illud. 278.2
Conteram baculum panis in Ieruſalem. 293.1
C.6. 2 Hæc dicit Dominus Deus Montibus, & Vallibus. 208.2
C.7. 5 Afflictio vna, afflictio ecce venit.190.1
6 Finis venit, venit Finis. ibid.
15 Qui in agro eſt gladio morietur.230.2
17 Omnia genua fluent aquis.70.1
C.8. 10 Et ingreſſus vidi & ecce omnis ſimilitudo reptilium.446.1
C.10. 2 Imple manus tuas prunis. 92.1
C.11. 19 Et auferam cor lapideum. 247.1
C.13. 2 Dices prophetantibus de corde ſuo.298.2
5 Neq; oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini.130.2
11 Erit imber inundans.263.1
18 Væ quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus &c. ad capiendas animas. 290.2
20 Capitis animas volantes.27.1
C.14. 4 Homo homo de domo Iſrael.414. 2
C.16. 10 Et veſtiui te diſcoloribus.45.2
C.17. 3 Aquila grandis magnarum alarum. 324.2
6 Humili ſtatura reſpicientibus ramis. 248.2
22 Sumam ego de medulla cedri ſublimis, &c.310.2
23 Vniuerſum volatile ſub vmbra frondum eius nidificabit.323.2
24 Ego Dominus humiliaui lignum ſublime, & exaltaui lignum humile. 309.1
Siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum.309.2
C.19. 2 Quare mater tua Leæna inter Leones cubauit, in medio leunculorum nutriuit catulos ſuos. 370. 2. & 392.1
C.26. 18 Turbabuntur Inſulæ in mari.190.2
C.27.6 Prætoriola de Inſulis Italiæ; ſeu Chitim. 190.2
36 Et eris vſque in ſæculum .112.2
C.28. 14 In medio lapidum ignitorum ambulaſti.96.2
C.29. 3 Pharao Rex Ægipti Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum,392.1 .& 463. 1
4 Et agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquamis tuis.436.1.& 446.2
10 A turre Syenes, vſq; ad terminos Æthiopiæ.189.1
C.31.4 Aquæ nutrierunt illum (ideſt Cedrum) 70. 1

Riuos

Digitized by Google

Riuos ſuos emiſit ad omnia ligna regionis. 309.2
C.32. 7 *Solem nube tegam.*192.2
*& Luna non dabit lumen ſuum.*355.2.& 517.1
C.33.21 *Venit ad me qui fugerat de Ieruſalē &c.*484.2
22 *Et aperto ore meo non ſilui amplius.*ibid.
C.34. 5 *Diſperſæ ſunt oues meæ, &c.*229.1
14 *Ibi requieſcent in herbis virentibus &c.* 277.1
31 *Vos autem greges paſcuæ meæ homines eſtis.*414.2
C.36. 25 *Effundam ſuper vos aquam mundā.*&c.182.1.
26 *Et dabo vobis cor nouum.*ibid.
*Et auferam a vobis cor lapideum.*298.1
C.37. 4 *Oſſa arida audite verbum Domini. &c.* 497.2
7 *Oſſa ad oſſa, vnumquodq; ad iuncturum ſuā.*ibid.
C.40. 6. *Venit ad portam, quæ reſpicit viam orientalem.* 319.1
22 *Secundum menſuram portæ, quæ reſpiciebat ad orientem.*200.1
44 *Gazophilacia Cantorum.* 528.1
C.44. 9 *Exuent ſe veſtimentis, in quibus miniſtrauerant.* 176.2
C.47. 12 *Orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum.*263.1

EX DANIEL.

C.2. 13 *Et egreſſa ſententia Sapientes interficiebantur.*428.2
34 *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus.* 129.2
49 *Daniel &c. Conſtituit ſuper opera Prouinciæ Sidrach, Miſach, & Abdenago.*415.2
C.3.49 *Angelus autem Domini deſcendit &c.*96.2. & 415.2
92 *Species quarti ſimilis Filio Dei.* 516.2
C.4. 7 *Videbam & ecce Arbor in medio terræ, &c.* 44.1.
8 *Magna arbor, & fortis &c.* ibid.
9 *Folia eius pulcherrima &c.*ibid.
C.7. 3 *Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari.* 167.1. & 229.1
4 *Prima &c. alas habebat Aquilæ* ibid.& 324.2
10 *Millia millium miniſtrabant ei.* 76.2
C.10. 2 *Ego Daniel lugebam &c. & caro, & vinum non introierunt in os meum.*297.2
C.11.30 *Et venient ſuper eū Trieres, & Romani.*449.1
C.14. 26 *Tulit ergo Daniel picem, & adipem: & pilos, &c. & dedit in os Draconis, & diruptus eſt Draco.*456.1

EX OSEE.

C.1.5 *Conteram arcum Iſrael in valle Iezrahel.* 208.2
C.4. 2 *Sanguis ſanguinem tetigit.* 519.2
15 *Nec aſcenderitis in Bethauen.* 166.2
19 *Ligauit eum Spiritus in alis ſuis.*71.1
C.5. 15 *Vadens reuertar ad locum meum.* 168.2
C.6. 2 *Venite reuertamur ad Dominum. &c.* 351.1
3 *Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius.* 351.1.& 412.2
*Et veniet quaſi imber nobis.*262.2
5 *Iudicia tua quaſi lux egredientur.*413.1
C.7. 8 *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis qui non reuerſatur.* 278.2
C.8. 7 *Culmus ſtans non eſt in eo.* 160.2
8 *Deuoratus eſt Iſrael.*162.2
9 *Onager ſolitarius ſibi Ephriam.* 231.1.
C.9. 4 *Sacrificia eorum quaſi panis lugentium.* 278.2
C.10. 12 *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ.*272.2
C.11. 10 *Quaſi Leo rugiet &c. & formidabunt filij maris.*137.1
C.12. 1 *Ephraim paſcit ventos.*71.2
C.13. 8 *Conſumam eos ibi quaſi Leo.*368.2
I i i. d e Mata.

Beſtia agri ſcindet eos. ibid.& 229.1
13 *Adducet vrentem ventum Dominus. &c.*207.1
C.14. 1 *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum.* 220.1

EX IOEL.

C.1. 6 *Gens enim aſcendit &c. fortis, & innumerabilis.* 447.1
13 *Ingredimini, cubate in ſacco.*391.2
17 *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* 219. 1. & 276.2
C.2. 12 *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* 191.1
15 *Sanctificate ieiunium.* 289.2
16 *Egrediatur Sponſus de cubili ſuo &c.* 413.2
22 *Quoniam lignum attulit fructum ſuum.*263.1
26 *Et comedetis veſcentes, &c.*243.2
27 *Et ſcietis, quia in medio Iſrael ego ſum.* 209.1
C.3. 1 *Si conuertero captiuitatem Iudæ.* 190.2
13 *Deſcendite, quia plenum eſt torcular.* 168.1
18 *Fons de Domo Domini egredietur.* 262.1.

EX AMOS.

C.2. 8 *Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne Altare.* 392.1
13 *Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.*276.2
C.3. 8 *Leo rugiet quis non timebit?* 219.2. & 379. 1. & 537.2
Dominus Deus locutus eſt quis non prophetabit? ibid.
C.4. 1 *Audite verbum hoc Vaccæ pingues.*414.1
3 *Et per aperturas exibitis.*ibid.
7 *Et plui ſuper vnam Ciuitatem, et ſuper alteram non plui.* 262.2
11 *Subuerti vos, etc. facti eſtis ſicut torris raptus ab incendio.*138.1.& 379.1
C.5. 12 *Quapropter hæc faciam etc.*138.1
7 *Qui conuertitis in abſinthium iudicium.* 191.1
13 *Tempus malum eſt.* 356.1
C.6. 2 *Si latior terminus eorum termino veſtro.*189.1
13 *Numquid currere queunt in petris equi.* 247.2
C.7. 4 *Ecce vocabit iudicium ad ignem Dominus.* 129.1
C.8. 8 *Aſcendet quaſi Fluuius.* 166.2. & 168. 1
C.9. 6 *Faſciculum ſuum ſuper terram fundauit.* 172.1

EX IONA.

C.1. 3 *Deſcendit in Ioppem etc.*360.2
9 *Dominum Deum Cæli ego timeo.*146.2
12 *Tollite me, et mittite in mare.* 445. 1
C.2 1 *Et præparauit Dominus Piſcem grandem etc.* 446.1
2 *Et orauit Ionas ad Dominū de ventre piſcis.* 456.1
6 *Vallauit me Abyſſus.*129.2
11 *Et dixit Dominus Piſci, et euomit Ionam.* 456.1
C.3. 4 *Adhuc quadraginta dies, et Niniue ſubuertetur.* 537.1

EX MICHEA.

C.1. 12 *Deſcendit malum a Domino.* 168.2
16 *Dilata caluitium tuum ſicut Aquila.* 324.2
C.3. 3 *Pellem eorum deſuper excoriauerunt.* 47.1
C.4. 4 *Sedebit vir ſubtus vitem ſuam.* 244.2
13 *Domino vniuerſæ terræ.*18.2
C.5. 8 *Quaſi Leo in Iumentis ſyluarū.*276.1.& 377.1

Digitized by Google

EX NAHVM.

6 *Portæ Fluuiorum apertæ ſunt.*208.1
8 *Ipſi verò fugerunt.*144.2.

EX HABACVC.

C.1. 3 *Quare reſpicis contemptores, & taces.* 467.2
10 *Tyramni ridiculi eius erunt.*455.2
14 *Et facies homines ſicut piſces maris.* 446.1
C.2. 9 *Væ qui congregat auaritiam,&c.vt ſit in excelſo nidus eius.*323.2
C.3. 2 *Domine opus tuum in medio annorum,&c.*209.2
3 *Operuit Cœlos gloria eius, &c.*37.2
4 *Splendor eius vt lux erit.* ibid.
6 *Stetit, & menſus eſt terram.*130.2
10 *Fluuios ſcindes terræ.* 208.1
*Dedit abyſſus vocem ſuam; altitudo,&c.*129.2
11 *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo.* (*ſecund.* 70) 104.2. & 130.2.& 482.2
15 *Viam feciſti in mari equis tuis.* 445.1
17 *Mentietur opus oliuæ.* 415.2

EX SOPHONIA.

C.1. 4 *Extendam manum meam ſuper Iudam & Ieruſalem.*485.2
C.2. 8 *Magnificati ſunt ſuper terminos.*29.1
14 *Vox cantantis in feneſtra.* 145.1
Et accubabunt in medio eius &c. & Ericius &c. 391.2

EX AGGEO.

C.1. 6 *Operuiſtis vos, & non eſtis calafacti.* 192.1
& qui mercedes congregauit miſit eas in ſacculum pertuſum. 391.2

EX ZACCHARIA.

C.3. 3 *Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis.* 45.1
C.5. 10 *Quò iſte deferunt amphoram, &c.*112.1
C.6. 5 *Iſti ſunt quatuor venti Cœli.* 71.2
C.7. 6 *Cum ieiunarem &c. numquid ieiunium ieiunaſtis mihi.* 289.1
C.9. 17 *Quid enim bonum eius &c. niſi frumentum electorum.* 292.2
C.10. 6 *Et confortabo domum Iuda.*325.2
*Et domum Ioſeph ſaluabo.*326.1
C.11. 2 *Magnifici vaſtati ſunt.*28.2
3 *Vaſtata eſt magnificentia eorum.* ibid.
C.12. 1 *Dixit Dominus extendens Cœlos,& fundās terram.*99.1
4 *Percutiam omnem equum in ſtuporem.* 166.2
C.13. 1 *In die illa erit fons patens domui Iacob.* 207.1

EX MALACHIA.

C.1. 7 *Offertis ſuper Altare meum panem pollutum.* 278.1
C.2. 7 *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam.* 88.2
8 *Vos autem receſſiſtis de via, &c.* 363.2
13 *Operiebatis lacrymis Altare Domini.*192.2
C.3. 1 *Ecce ego mitto Angelum meum.*95.2
2 *Ipſe enim quaſi ignis conflans,& quaſi herba fullonum.*226.2
6 *Ego enim Dominus,& non mutor.* 74.1
Orietur vobis timentibus nomen meum ſol Iuſtitiæ 71.1

EX SECVNDO MACHAB.

C.10. 30 *In aduerſarios tela,& fulmina iaciebant.*146.1
33 *Sed & alij ſimiliter aſcendentes turres &c.*167.1.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHEO.

C.1.20. *QVod in ea natū eſt de Spiritu ſācto eſt.*495.2
C.2. 2 *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum.*469.1
Vidimus enim ſtellam eius in oriente. 161.2
9 *Ecce Stella quam viderant in oriente antecedebat eos,vſq; dū veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.*462.1
C.3. 2 *Pœnitentiam agite appropinquauit enim Regnum Cœlorum.*40.1. & 403.1
4 *Eſca autem eius erat locuſtæ,&c.* 380.1.2
8 *Progenies viperarum etc. Facite ergo fructum dignum pænitentiæ.* 525.1
16 *Baptizatus autem Ieſus, etc.*182.2
C.4. 18 *Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ etc.* 161.2. et 180.2
C.5.1 *Vidēs Ieſus turbas aſcēdit in mōtē.*159.2.&167.2
13 *Vos eſtis Sal terræ.*52.1
14 *Vos eſtis lux mundi.* 158.2
16 *Vt videant opera veſtra bona.*415.2
44 *Ego autem dico vobis; diligite inimicos veſtros* 537.1
45 *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, et malos, etc.*479.1
C.6. 2 *Cum facis eleemoſinam, noli tuba canere, &c.* 528.2
6 *Tu autem cum oraueris,intra in cubiculum tuum* 392.2
9 *Pater noſter,qui es in Cœlis.*32.1.&239.1.& 287.1
*Sanctificetur nomen tuum.*22.1
10 *Fiat voluntas tua,&c.*46.2.& 352.2
11 *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.*292.2
18 *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum.* 288.2
20 *Theſaurizate vobis theſauros in Cœlo.* 258.2
25 *Ne ſolliciti ſitis Animæ veſtræ,&c.*27.1.& 466.1
26 *Reſpicite volatilia Cœli,*13.1.& 233.1.& 466.1
28 *Conſiderate lilia agri &c.* 466.1
32 *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes,&c.*460.1
33 *Quærite ergo primùm regnum Dei; & hæc omnia adijcientur vobis.*ibid.
C.7. 9 *Qui eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem,numquid lapidem porriget ei? &c.*277.1.& 465.2
11 *Si ergo vos,cū ſitis mali, noſtis bona dare &c.*ibid.
13 *Quam lata Porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem &c.*435.2
18 *Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* 59.2
25 *Aſſimilabitur viro ſapienti, qui &c.* 207.2
26 *Similis erit viro ſtulto &c.* ibid.
C.8.6 *Domine puer meus iacet in domo paralytibus.*62.1

7 Ego

Digitized by Google

7 *Ego veniam & curabo eum.* 181.1.& 481.2
8 *Domine non ſum dignus &c.* ibid.
15 *Tetigit manum eius, & dimiſit eam febris.* 482.2
20 *Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidos.* 246.1& 323.2
C.9. 1 *Aſcendens in Nauiculam tranſfretauit, & venit in ciuitatem ſuam.*454.1
2 *Videns Ieſus fidem illorum.*35.2
9 *Vidit hominem ſedentem ad telonium &c.* 257.2
10 *Et factum eſt diſcumbente eo in domo &c.*325.2
*Ecce multi publicani & peccatores, &c.*509.2
11 *Quare cum publicanis,& peccatoribus,etc.*203.1
12 *Non eſt opus valentibus Medicus.* ibid.& 332.1
17 *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres.* 177.1. & 297.1
*Vinum nouum in vtres nouos mittunt.*501.2
22 *At Ieſus conuerſus videns eam, dixit Confide filia, fides tua te ſaluam fecit* 59.1.& 482.2
C.10. 9 *Nolite poſſidere aurũ etc. in zonis veſtris.*429.2
27 *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine.*367.1
29 *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt.* 323.1
32 *Qui confitebitur me coram hominibus, &c.*29.2
38 *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me non eſt me dignus.* 452.2
C.11. 7 *Arundinem vento agitatam.*71.2
11 *Inter natos mulierũ nõ ſurrexit maior Ioanne.*165.2
12 *A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*57.1.& 379.1
20 *Et iuſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis.* 417.1
25 *Confiteor tibi Pater,quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, et reuelaſti ea paruulis.* 29.1.et 201.1. et400.1
27 *Nemo nouit Patrem niſi filius.* 418. 1
C.12. 1 *Abiit Ieſus per ſata Sabbato.* 230.2
24 *Hic nõ eijcit Dæmonia niſi in Beelzebub, etc.*409.2
30 *Qui non eſt mecum, contra me eſt.*ibid.
40 *Sic erit filius hominis in corde terræ.* 298.1
43 *Cum immundus Spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida.*169.1.&414.1
C.13. 3 *Exiit qui ſeminat ſeminare.* 412.1
5 *Alia autem ceciderunt in Petroſa,&c.*356.2
25 *Cum autem dormirent &c. ſuperſeminauit zizania.* 415.1. & 461.1
27 *Nonne bonum ſemen ſeminaſti.* 39.2
30 *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.*479. 1
31 *Ita vt volucres Cæli habitent in ramis eius.*246.1 & 248.2
44 *Simile eſt Regnũ Cælorũ Theſauro.*229.2.& 230.1
47 *Simile eſt Regnum Cælorum ſagenæ, &c.*446.2
C.14. 17 *Non habemus hic niſi quinque panes,& duos piſces.*ibid.
19 *Cum iuſſiſſet turbam diſcũbere ſuper fœnũ.* 275.2
32 *Et cũ aſcẽdiſſet in Nauiculã ceſſauit vẽtus.*483.1
C.15. 19 *De corde enim exeunt cogitationes malæ, &c.* 109.2
26 *Non eſt bonum ſumere panem filiorum,& mittere canibus.*202.2
27 *Etiam Domine,nam & Catelli,&c.*ibid.
C.16. 2 *Facto veſpere dicitis,ſerenum erit,* &c. 346.2
4 *Generatio mala,& adultera ſignum quærit, & ſignum,* &c.435.1. & 463.1
14 *Alij Eliam, aut vnum ex Prophetis.*507.1
15 *Vos autem quem me eſſe dicitis.* ibid.
16 *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* ibid.
19 *Tibi dabo Claues Regni Cælorum.* 427.1
27 *Tunc reddet vnicuique [ſecundum opera eius.* 385.2
C.17. 1 *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum] &c.* 237.2
Ian. de Mata.
*Duxit illos in montem excelſum.*167.1
2 *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* 115. 2.& 505.2
Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. 38.1
4 *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* 408.1
5 *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.*70.1
19 *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis.*121.2
26 *Aperto ore eius inuenies ſtaterem.* 22.1.& 446.1
C.18. 12 *Relinquit nonaginta nouem in montibus.* 167.2
28 *Tenens ſuffocabat eum.*257.2
C.19. 16 *Magiſter bone, quid faciam boni &c.* 441.2
21 *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende* &c. ibid.
22 *Abiit triſtis.* ibid.
C.20. 1 *Simile eſt Regnum Cælorum Patri familias, qui exiit primo mane &c.*264.2.& 412.1.& 414.2
30 *Audierunt, quod Ieſus tranſiret.* 507.1
32 *Stetit Ieſus, & vocauit eos.* ibid.
C.21. 6 *Sedens ſuper Aſinam.*203.1
7 *Et eum deſuper ſedere fecerunt.*276.1
8 *Et alii cædebant ramos* &c. 248.2
9 *Benedictus qui venit in nomine Domini.* 58.1
19 *Nihil inuenit in ea niſi folia tantum.* 248.1
25 *Baptiſmus Ioannis vnde erat? è Cælo &c.*524.2
26 *Si dixerimus è Cælo &c.*ibid.
C.22. 11 *Vidit hominẽ non veſtitũ veſte nuptiali.* 45.2
12 *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem.*59.2.& 125.2
30 *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur.*87.1
*Sed erunt ſicut Angeli Dei.*95.2
C.23. 2 *Super Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ &c.* 319.1
5 *Magnificant fimbrias.*28.2
13 *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis Regnum Cælorum.* 40.2
38 *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* 325.2
C.24. 4 *Dic nobis quando hæc erunt.* &c. 112.2
18 *Qui in agro eſt non reuertatur &c.* 230.2
26 *Si ergo dixerint vobis, ecce in deſerto eſt nolite exire.*413.2
27 *Sicut enim fulgur exit ab oriente* &c. ibid.
28 *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ.*324.2
29 *Stellæ cadent de Cælo.*46.2. & 135.1
32 *Ab Arbore fici diſcite parabolam.*105.2. & 248. 2.& 249.1
Cælum, & Terra tranſibunt. 105.1
C.25. 1 *Simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus.*289.1.& 299.2. & 414.1
8 *Date nobis de oleo veſtro.* 468.2
14 *Homo quidam peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos* &c.270.2
21 *Euge ſerue bone, & fidelis, &c.* 508.1
22 *Intra in gaudium Domini tui.* 502.1
30 *Eijcite in tenebras exteriores.* 84.2
32 *Cum venerit Filius hominis,&c.*60.2
33 *Separabit eos ab inuicem ſicut paſtor, &c.* 241.2
34 *Venite benedicti Patris mei &c.* 409. 1. & 425.1
35 *Eſuriui enim &c.*289.1
41 *Ite maledicti in ignem æternum.* 409.2.
C.26. 17 *Prima autem die Azymorum.* 359.1
29 *Dico autem vobis non bibam amodo &c.*177.1
64 *Venientem in nubibus Cæli.* 70.2
C.27. 7 *Emerunt ex eo agrum figuli.*286.1

Digitized by Google

24 *Accepta aqua lauit manus.* 69.2
34 *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum* 297.1
46 *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me.* 488.2
52 *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt.* 303.1
C.28. 3 *Angelus enim Domini deſcendit de Cælo, &c.* 104.2
20 *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſaculi.* 352.1

EX MARCO.

C.2. 14 *Vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium.* 272.1
17 *Non neceſſe habent ſani Medico.* 34.2
C.4. 28 *Terra fructificat primò herbam, deinde ſpicam, &c.* 255.1
36 *Aſſumunt eum ita vt erat in Naui.* 104.2
C.5. 19 *Vade ad domum tuam.* 325.2
C.6. 6 *Non poterat ibi virtutem vllam facere.* 225.2
26 *Contriſtatus eſt Rex: propter iuſiurandum, &c.* 375.1
48 *Erant enim laborantes in remigando.* 454.1
51 *Aſcendit ad eos ambulans ſupra mare.* ibid.
C.7. 31 *Inter medios fines Decapoleos.* 190.1
C.8. 21 *Adducunt ei cæcũ, & rogabant vt illum tangeret.* 453.1
22 *Et apprehenſa manu eius duxit eũ extra, &c.* ibid.
24 *Video homines ſicut arbores ambulantes.* 65.2
C.10. 18 *Nemo bonus niſi vnus Deus.* 465.1
C.11. 23 *Quicumq; dixerit huic monti &c.* 130.2
C.15. 17 *Induunt eum purpura.* 46.1

EX LVCA.

C.1.26 *Miſſus eſt Angelus Gabriel. &c.* 87.2. & 89.2. & 426.2
28 *Aue gratia plena.* 444.2. & 511.2
Dominus tecum. 18.2
Benedicta tu in mulieribus. 34.1
29 *Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone eius.* 517.1
30 *Inueniſti gratiam apud Dominum.* 444.1
31 *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* 109.1
33 *Regni eius non erit finis.* 507.1
35 *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* 204.1. & 499.1
Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. 66.2
39 *Exurgens Maria abiit in montana. &c.* 63.1
42 *Benedicta tu inter mulieres.* 25.2. & 296.2
44 *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ.* 227.2
47 *Magnificat anima mea Dominum.* 20.1
Et exultauit ſpiritus meus in Deo, &c. 188.2
48 *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* 517.1
52 *Depoſuit potentes de ſede, &c.* 518.2
56 *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus.* 539.2
69 *Erexit nobis cornu ſalutis.* 143.2
78 *In quibus viſitauit nos oriens ex alto.* 78
C.2 7 *Peperit Filium ſuum primogenitum.* 176.1
Et reclinauit eum in Præſepio. 270.1
14 *Gloria in Altiſſimis Deo.* 284.2
19 *Maria autem cõſeruabat omnia verba hæc.* 492.2
35 *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* 491.2
45 *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes, &c.* 484.2
C.3.17. *Congregabit triticum in horreum ſuum.*
C.4. 1 *Ieſus autem &c. agebatur a ſpiritu in deſertum.* 412.2
3 *Dic lapidi huic vt panis fiat.* 294.2
C.5. 4 *Non in ſolo pane viuit homo.* 305.1
22 *Vt cognouit Ieſus cogitationes eorum, &c.* 418.2
C.6. 17 *Deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri.* 255.2
45 *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* 109.2
C.7. 15 *Et reſedit qui erat mortuus &c.* 423.1
16 *Magnificabant Deum dicentes, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* ibid.
39 *Hic ſi eſſet Propheta, &c.* 316.1
C.8. 22 *Factum eſt &c. ipſe aſcendit in nauiculam.* 452.2
23 *Et deſcendit procella venti, &c.* ibid.
24 *Præceptor perimus.* ibid.
31 *Ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.*
C.9. 28 *Aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* 157.2
29 *Aſcendit in montem, vt oraret.* 166.1
C.10. 18 *Videbam Sathanam ſicut fulgur cadentem,* 146.1
19 *Dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes. &c.* 330.2
23 *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* 36.1. & 107.2
30 *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones &c.* 414.2
33 *Alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum.* 281.1. & 299.2
34 *Et imponens illum in iumentum ſuum.* 276.1
38 *Intrauit in quoddam Caſtellum.* 110.2
42 *Maria optimam partem elegit.* 157.1
C.11. 5 *Amice commoda mihi tres panes.* 277.2
11 *Quis autem ex vobis Patrem petit panem. &c.* 465.2.
27 *Beatus venter qui te portauit.* 24.2
52 *Væ vobis Legis peritis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ. &c.* 224.1
C.12. 6 *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio.* 323.1
17 *Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit &c. Quid faciam quia non habeo quò congregem fructus meos.* 451.2. & 438.1. & 479.1
18 *Deſtruam horrea mea.* 438.2
19 *Anima mea habes multa bona poſita &c.* 257.2.
27 *Conſiderate lilia &c.* 45.1
32 *Nolite timere puſillus grex.* 272.1
33 *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſinã.* ibid.
35 *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* 81.2.
36 *Vt cum venerit &c. confeſtim aperiant ei.* 484.2
49 *Ignem veni mittere in terram.* 96.1
C.13. 6 *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum, & non inuenit.* 404.2
8 *Domine dimitte illam &c. vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora.* 490.1.
11 *Et ecce mulier &c. & erat inclinata, &c.* 362.2
C.14. 18 *Et cæperunt ſimul omnes excuſare.* 180.2
21 *Exi cito in plateas.* 180.2
24 *Nemo virorum illorum guſtabit cœnam meã.* ibid
26 *Si quis venit ad me, & non odit Patrem.* 16.1. & 537.1
C.15. 1 *Erant autẽ appropinquãtes ei publicani.* 509.2
4 *Dimittit nonagintanouem in deſerto.* 408.2
13 *Abiit in regionem longinquam.* 438.2
16 *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis &c.* 388.1. & 437.1

21 Pa-

Digitized by Google

21 *Pater peccaui in Cœlum,& coram te.* 540.2
23 *Adducite vitulũ ſaginatum, & epulemur.*438.2.
28 *Indignatus eſt autem,& nolebat introire.* 439.1
Pater ergo egreſſus cœpit rogare illum 412.2
C.16. 3 *Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem?* 271.2
4 *Scio quid faciam &c.* ibid.
19 *Homo quidam erat Diues.*442.1
20 *Erat quidam mendicus nomine Lazarus*, ibid. & 90.1
21 *Sed canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* 457 2
23 *Eleuans oculos ſuos dum eſſet in tormentis.*271.2
C.17. 32 *Memores eſtote Vxoris Loth.*138.1
C.18. 1 *Oportet ſemper orare,& nũquã deficere.*522.1
10 *Non ſum ſicut cæteri homines*, 242.2
14 *Deſcẽdit hic iuſtificatus in domũ ſuam ab illo*,ibid.
C.19.2 *Hic erat Princeps publicanorum, & ipſe Diues*, 320.1
Statura puſillus erat,ibid.
4 *Aſcendit in Arborem Sicomorum*,ibid.
5 *Zacchee feſtinans deſcende,&c.*480.2
7 *Murmurabant quod ad hominem peccatorem diuertiſſet*,409.2
8 *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, 320.1.& 480.2
9 *Hodie ſalus domui huic facta eſt*,409.2
10 *Venit Filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*,ibid.
C.21.19 *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, 428.2
C.22 31 *Expetiuit Satanas vos vt cribaret*,372.1
32 *Ego autem rogaui pro te,&c.*ibid.
54 *Petrus autem ſequebatur à longè*,316.2
C.23.34 *Pater dimitte illis,&c.*128.2
41 *Nos quidem digna factis recipimus*,223.2
42 *Domine memento mei,&c.*ibid.
43 *Hodie mecum eris in Paradiſo*,106.2.& 452.2
C.24.39 *Spiritus carnem,& oſſa non habet*,87.2

EX IOANNE.

C.1. 1 *In principio erat Verbum*,144.2. & 419.1
Et Deus erat Verbum,45.2
3 *Omnia per ipſum facta ſunt*,4.2 & 420.1
Et ſine ipſo factum eſt nihil,488.2
4 *Quod factum eſt in ipſo vita erat*,4.2
5 *Lux in tenebris lucet,& tenebrę eam non comprehenderunt*,361.1
9 *Erat lux vera,quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*,36.2.& 351.2.& 386.2
12 *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*,28.1
14 *Et Verbum Caro factum eſt*, 17.2
*Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti, &c.*481.1
16 *De plenitudine eius nos omnes accepimus*,ibid.
17 *Lex per Moyſen,&c.*353.2
23 *Ego vox clamantis*,144.2
26 *Medius veſtrum ſtetit,quem vos neſcitis*, 209.1
47 *Vidit Ieſus Nathanael,&c.*180.2
C.2. 3 *Deficiente vino dicit mater Ieſu ad eum*,297.1
8 *Implete hydrias aqua*,295.1.
9 *Vt autem guſtauit Architriclinus,&c*,ibid.
10 *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, &c.* 287.1
C.3. 1 *Erat homo ex Phariſeis, Nicodemus nomine*, 358.2
2 *Hic venit ad Ieſum nocte*,ibid.
8 *Spiritus vbi vult ſpirat,& neſcis,&c.* 56.2. & 144.2
20 *Qui malè agit odit lucem,&c.*386.2
C.4. 14 *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*,222.1
24 *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, &c.* 493.1
49 *Deſcende priuſquam moriatur filius meus*, 181.1
C.5. 2 *Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina*, 140.1
4 *Angelus autem Domini deſcendebat*,93.1.&140.2.& 168.2
35 *Ille erat lucerna ardens,& lucens*,81.2.& 92.1
C.6. 3 *Subijt ergo in montem Ieſus*,130.1
28 *Quid faciemus,vt operemur opera Dei*, 263.2.& 415.1
37 *Eum,qui venit ad me,non eijciam foras*, 240.2
51 *Ego ſum panis viuus,qui de Cęlo deſcendi*, 292.1
52 *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*,ibid.
C.7. 38 *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*,207.2.& 254.1
C.8. 22 *Quo ego vado vos non poteſtis venire*,352.1
25 *Tu quis es? &c. Principium,qui & loquor vobis*, 394.1
42 *Ego enim ex Deo proceſſi & veni,&c.* 496.2
46 *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 308.1
59 *Ieſus autem abſcondit ſe,&c.*489.2
C.9. 2 *Quis peccauit,&c.vt cęcus naſceretur?* 319.2 & 361.2
4 *Me oportet operari,&c.venit nox,&c.*402.2
*In Iudicium ego in hunc mundum veni,&c.*202.1
C.10.4 *Oues illum ſequuntur*,241.2
9 *Egredietur, & ingredietur, & paſcua inueniet*, 276.2.& 293.1.& 413.2
12 *Mercenarius autem,&c. vidit lupum venientem, & dimittit oues,& fugit*,144.1
C.11.4 *Ecce quem amas infirmatur*,123.1
8 *Nunc quærebant te Iudæi lapidare,&c.* ibid.
16 *Eamus,& nos,& moriamur cum illo*,ibid.
43 *Lazare veni foras*,34.1.& 523.1
44 *Et ſtatim prodiit,&c.ligatus pedes, & manus inſtitis*,523.1
C.12.24 *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*,64.2.& 122.1.& 274.1
C.13.1 *Ante diem feſtum Paſchæ*,359.1
C.14.4 *Quò ego vado ſcitis,& viam ſcitis*,332.1
5 *Neſcimus quò vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire*,ibid.
6 *Dixit ei Ieſus ego ſum via*,ibid.
9 *Qui videt me,videt & Patrem*,36.2
26 *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo,ille vos docebit omnia*, 496.1
C.15.3 *Iam vos mundi eſtis propter ſermonẽ,&c.*108.2
13 *Maiorem hac dilectionem nemo habet,&c.*123.1
26 *Spiritum veritatis,qui à Patre procedit*,494.2.& 496.2
C.16.13 *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,non enim loquetur à ſemetipſo,&c.*495.1
14 *Ille me clarificabit,quia de meo accipiet,&c.*ibid.
15 *Omnia quæcũq; habet Pater mea ſunt: propterea dixi,quia de meo accipiet,&c.*ibid,
C.17.3 *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolũ Deũ verum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, 107.2. & 503.2
C.19.25 *Stabat autem iuxta Crucem Ieſu Mater eius*, 491.1
27 *Accepit eam diſcipulus in ſuam*,539.2

30 Inclinato capite tradidit ſpiritum,493.1
34 Vnus militum lancea latus eius aperuit,181.2
C.20.11 Maria ſtabat ad monumentum foris, plorans, 221.2
12 Et vidit duos Angelos,ibid.& 96.1
13 Quia tulerunt Dominum meum,221.2
28 Et dixit ei Dominus meus,& Deus meus, 122.2
C.21.11 Traxit rete in terram plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus, 446.2
15 Simon Ioannis diligis me plus his? 91.1

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

C.1. 1 Cępit facere,& docere,17.2
9 Et nubes ſuſcepit eũ ab oculis eorũ,70.1.& 175.1
14 Hi erant omnes,&c.cum Maria Matre Ieſu,177.2 & 412.2
C.2. 2 Factus eſt repentè de Cęlo ſonus,&c.320.2.& 498.2
3 Apparuerunt diſpertitæ linguæ,96.2
C.3. 6 Argentum,& aurum non eſt mihi, 204.1
C.4. 18 Et vocantes eos,denunciauerunt,&c. 224.1
C.5. 29 Obedire oportet magis Deo, quam hominibus, 352.2
C.7. 55 Et Ieſum ſtantem,130.2
Ecce video Cęlos apertos,46.2
C.8. 20 Pecunia tua tecum ſit in perditionem, 458.1
C.9. 1 Saulus autem adhuc ſpirans minarum, &c. 160.2
15 Vas electionis eſt mihi iſte,161.1.& 444.2
C.10.4 Orationes tuæ,& eleemoſinæ tuæ aſcenderunt, &c.166.1
38 Vos ſcitis,&c.Ieſum à Nazareth,&c. 90.1
Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo,471.1
C.17.28 In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, 352.1
C.19.35 Quis enim eſt homo, qui neſciat Epheſiorum Ciuitatem cultricem eſſe magnę Dianæ, 354.1
C.20.33 Argentum,aut aurum,aut veſtem,&c. 204.1
C.23.13 Erant autem pluſquam quadraginta Viri, &c. 375.2
14 Deuotione deuouimus nos nihil guſtaturos donec occidamus Paulum,ibid.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

C.1.13 Nolo autem vos ignorare fratres,quia ſæpè propoſui venire ad vos,&c.175.1
20 Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta cõſpiciuntur,3.1.& 41.2
C.2. 5 Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens,Cor,&c.220.1
14 Cum enim Gentes, quæ legem non habent, &c. 534.2
C.5. 21 Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, &c. 105.1
C.7. 4 Et vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, 293.2
7 Peccatum non cognoui niſi per legem, 534.2
19 Non enim quod volo bonum hoc facio; ſed quod nolo malum hoc ago,509.1
C.8. 9 Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, &c. 494.2
10 Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, 497.1
11 Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis,viuificabit & mortalia corpora veſtra,ibid.
12 Vt ſecundum carnem viuamus,528.2
13 Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini, 185.1
19 Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat,497.1
20 Vanitati enim creatura ſubiecta eſt,32.2
21 Ipſa Creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis, &c.321.1
24 Spe enim ſalui facti ſumus,284.2
25 Si autem quod non videmus ſperamus,&c. ibid.
C.9. 3 Optabam enim ego ipſe anathema eſſe, &c. 200.2
C.10.10 Corde enim creditur ad iuſtitiam,175.1
C.11.17 Si radix ſancta,& rami,248.2
Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes,inſertus es in illis,& ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es,387.2
32 O altitudo diuitiarum Sapientię, & ſcientiæ Dei, 118.2
C.12.1 Obſecro autem vos fratres per miſericordiam Dei,288.1
C.13.12 Induamur arma lucis,45.1
C.14.2 Qui infirmus eſt olus manducet, 267.2
20 Noli propter eſcam deſtruere opus Dei, 415.1

EX PRIMA AD CORINTHIOS.

C.1. 21 Nam quia in Dei Sapientia non cognouit mundus per Sapientiam Deum,419.2
27 Infirma mundi elegit Deus,181.1
C.2. 7 Loquimur Dei Sapientiam, 81.1
10 Quod oculus non vidit,&c.333.1
C.2. 1 Et ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus,270.2
2 Lac vobis potum dedi non eſcam,ibid.
3 Cum enim ſit inter vos zelus,&c.474.2
11 Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere,&c. 169.1
12 Si quis ſuperædificat ſuper fundamento hoc, &c. 275.2
13 Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit,97.2
16 Neſcitis quia Templum Dei eſtis,&c.140.2
19 Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum, 125.1
C.4. 4 Nihil mihi conſcius ſum,&c.516.1
7 Quid autem habes,quod non accepiſti, 259.2
C.5. 6 Modicum fermentum totam maſſam corrũpit, 278.1
C.6. 10 Nolite errare,neque fornicari,&c.39.2
18 Fugite fornicationem,144.1
C.7. 29 Tempus breue eſt,&c.87.1
31 Qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi,66.2
C.8. 1 Omnes ſcientiam habemus,&c. 438.1
C.9. 24 Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium,103.2
C.10.1 Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, 228.1
11 In quos fines ſæculorum deuenerunt, 189.2
13 Non patietur vos tentari ſupra id,quod poteſtis, 176.1
16 Calix benedictionis,cui benedicimus,&c.26.1
31 Siue manducatis,&c.omnia in gloriam Dei facite, 13.2
C.12.25 Pro inuicem ſollicita ſunt membra, 163.2
27 Vos autem eſtis corpus Chriſti,&c.ibid.& 425.2
C.13.10 Cum autem venerit,quod perfectum eſt, &c. 285.2
12 Videmus nunc per ſpeculum,&c. ibid. & 61.2

C.15.9 Ego

Digitized by Google

C.15.9 *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum,* 200.2
33 *Nolite ſeduci;corrumpunt bonos mores colloquia mala,*440.2
41 *Alia claritas Solis,alia claritas Lunę,&c.*353.1

EX SECVNDA AD CORINTHIOS.

C.3. 10 *Nam nec glorificatum eſt,&c.*285.1
C.4. 7 *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus,*122.1
C.9. 5 *Præparent repromiſſam benedictionem,*6.2
7 *Hilarem enim datorem diligit Deus,*289.2
10 *Multiplicauit ſemen veſtrum,&c.*258.2
C.10.10 *Epiſtolæ,inquiunt, graues ſunt,*204.2
C.12.2 *Raptum huiuſmodi vſque ad tertium Cęlum ,* 379.1
4 *Audiuit arcana verba,&c.*177.1
7 *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ.*77.2

EX EPISTOLA AD GALATAS.

C.2. 14 *Si tu cum Iudæus ſis,gentiliter viuis,&c.*307.1
20 *Viuo autem iam non ego,viuit verò in me Chriſtus &c.*526.1
C.3. 15 *Secundum hominem dico,*415.1
C.4. 4 *At vbi venit plenitudo temporis,&c.*257.1
6 *Quoniam autem eſtis Filii, miſit Deus Spiritum, &c.*494.2
C.5. 15 *Omnis enim Lex in vno ſermone impletur,diliges,&c.*426.2
C.6. 1 *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis,&c.*163.2

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

C.2. 8 *Gratia enim eſtis ſaluati,*89.1
19 *Iam non eſtis hoſpites,& aduenæ,&c.* 318.1
C.3. 15 *Ex quo omnis paternitas in Cælis , & in terra nominatur,*495.2
18 *Vt poſſit is comprehendere cum omnibus Sanctis , quæ ſit latitudo,& longitudo, & ſublimitas, & profundum,*120.1.& 126.2
C.4. 1 *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino ,* 106.1
C.5. 8 *Eratis enim aliquando tenebræ , nunc autem lux,&c.*384.1
14 *Surge qui dormis, &c. & illuminabit te Chriſtus ,* 44.1
27 *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam ,* 38.1
C.6. 12 *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem , ſed &c.*36.1

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

C.3. 19 *Quorum Deus venter eſt,*28.1
20 *Noſtra autem conuerſatio in Celis eſt,*237.2
C.4. 8 *Si qua virtus,ſi qua laus diſciplinę hæc cogitate,*17.2
9 *Quę,& didiciſtis,& accepiſtis, & audiſtis , & vidiſtis in me,*ibid.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

C.1.18 *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ , qui eſt principium,primogenitus ex mortuis,*394.1
24 *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis ,* 407.2
C.2. 3 *In quo ſunt omnes theſauri,&c.*333.1
9 *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis* 481.1
18 *Nemo vos ſeducat in humanitate , & Religione Angelorum,*96.1.
C.3. 3 *Mortui enim eſtis,& vita veſtra, &c.* 239.1
4 *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra,*528.2
12 *Induite ergo vos,ſicut electi Dei, &c.* 268.2

EX PRIMA AD TIMOTHEVM.

C.1. 5 *Finis autem præcepti eſt charitas,*189.2
13 *Qui prius blaſphemus fui,&c.*510.2
15 *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere,*377.2
C.2. 9 *Similiter mulieres in habitu ornato,&c.*183.1
C.6. 3 *Si quis aliter docet,&c.*125.1
9 *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli,&c.* 451.1
11 *Tu autem ò homo Dei,*9.1
*Sectare verò iuſtitiam,&c.*185.2
16 *Lucem inhabitat inacceſſibilem,*33.2

EX SECVNDA AD TIMOTHEVM.

C.2. 4 *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus,*112.2.& 184.2
5 *Non coronatur niſi legitimè certauerit,*403.2

EX EPISTOLA AD TITVM.

C.2. 7 *In omnibus teipſum præbe exemplum,*159.2
12 *Vt abnegantes impietatem,&c.*186.2

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

C.1. 3 *Qui cum ſit ſplendor gloriæ,&c.*187.1
7 *Propterea vnxit te Deus oleo exultationis,* 299.2
C.5. 8 *Didicit ex iis,quæ paſſus eſt obedientiam,* 86.2
C.11.6 *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo,*35.1
24 *Fide Moyſes grandis factus,negauit,&c.*350.2.& 406.1
27 *Fide reliquit ÆGyptum , non veritus animoſitatem Regis,*350.2
29 *Inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit ,* ibid.
C.12.2 *Aſpicientes,&c.qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem,*406.1

EX EPISTOLA IACOBI.

C.1. 5 *Si quis veſtrum indiget ſapientia,&c.*23.2
12 *Beatus vir,qui ſuffert tentationem,*183.2
13 *Nemo cum tentatur,&c.*58.1
26 *Si quis putat ſe Religioſum eſſe,&c.*179.2
C.4. 6 *Deus ſuperbis reſiſtit,&c.*201.1

EX PRIMA PETRI.

C.1. 11 *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti,&c.*454.2
C.2. 1 *Deponentes igitur omnem malitiam,* 225.1
11 *Obſecro vos tanquam aduenas,&c.*318.1
22 *Qui peccatum non fecit,*308.1
C.3. 20 *Qui increduli fuerant aliquando,&c.* 453.2
C.5. 8 *Aduerſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens,&c.*378.1.et 163.1

EX SECVNDA PETRI.

C.2. 4 *Si .n.Deus Angelis peccãtibus non pepercit,*74.1
14 *Cor exercitatum Auaritia habentes,*97.1

C.3.3 *Ve-*

Digitized by Google

C.3. 3 *Venient in nouiſſimis diebus illuſores,etc.*464.1
5 *Latet enim eos hoc volentes,quòd Cęli, &c.* 49.1

EX PRIMA IOANNIS.

C.2. 2 *Aduocatum habemus apud Patrem , &c.* 412.2
17 *Mundus tranſit,& concupiſcentia eius,*348.1
C.5. 15 *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem,&c.*225.1
16 *Eſt peccatum ad mortem,&c.*ibid.
17 *Omnis iniquitas peccatum eſt,*225.2

EX EPISTOLA IVDÆ.

C.1. 4 *Subintroierunt quidam homines,&c.* 183.1

EX APOCALIPSI.

C.1. 8 *Ego ſum Alpha,& Omega,&c.*393.2
Septem Stellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum , 58.2
C.3. 12 *Nomen nouum ſcribam ſuper eum,* 501.2
17 *Quia dicis,quòd Diues ſum,&c.*202.2
19 *Quos amo,arguo,& caſtigo,*467.2
20 Ego *ſto ad oſtium,&c.*22.2
C.4. 4 *Circumamicti veſtimentis albis,* 45.1
5 *De Throno procedebant fulgura,&c.*138.2
6 *Tamquam Mare vitreum ſimile Chriſtallo* , 445.1
7 *Quartum Animal ſimile Aquilæ volanti* , 324.1
C.5. 5 *Vicit Leo de tribu Iuda,*377.1
8 *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt, &c.* 505.2
C.6. 6 *Vinum,& Oleum ne lęſeris,*299.2
8 *Data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ* , 304.2
C.8. 1 *Factum eſt ſilentium in Cœlo quaſi media hora,* 39.2
13 *Audiui vocem vnius Aquilæ,*325.1
C.9. 1 *Vidi Stellam de Cęlo cecidiſſe,*120.2.& 129.1
2 *Aperuit puteum abyſſi,*129.1
7 *Et ſimilitudines locuſtarum , ſimiles equis , &c.* 371.1
11 *Et habebent ſuper ſe Regem Angelum abyſſi,*78.1 & 371.1
C.10.2 *Poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare* , 445.2
C.11.5 *Ignis exiet de ore ipſorum,*97.2
7 *Beſtia,quæ aſcendit de Abyſſo,*129.2
C.12.1 *Signum magnum apparuit in Cęlo,Mulier amicta Sole,*206.1.& 355.1. & 356.1.& 438.2. & 477.1
2 *Clamabat parturiens,*492.1
5 *Et cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum,* 457.1.& 461.2
7 *Factum eſt pręlium magnum in Cœlo,*80.1
14 *Datæ ſunt mulieri duæ alæ Aquilæ,*325.1
Vbi alitur per tempus,& tempora, &c. 380.2
13 *Et miſit Serpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen,*208.1
C.13.11 *Et vidi aliam beſtiam,*229.2
C.14.9 *Si quis adorauerit beſtiam,*ibid.
13 *Audiui vocem de Cęlo dicentem mihi,&c.*145.1.& 406.2
C.15.5 *Apertum eſt Templum,*139.1
C.16.2 *Et abijt primus Angelus,*95.2
8 *Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in Solem,*356.2
13 *Et vidi de ore Draconis, &c. tres ſpiritus immundos in modum ranarum,*463.2
C.17.15 *Aquæ,quas vidiſti,&c.Populi ſunt,*69.1
C.18. *Vidi alterum Angelum deſcendentem de Cęlo habentem poteſtatem magnam , & terra illuminata eſt à gloria eius,*389.1
C.19.5 *Laudem dicite Deo noſtro,*145.2
6 *Et audiui quaſi vocem turbæ magnæ,&c.* 145.2
11 *Et ecce equus albus,&c.*179.2
13 *Et vocatur nomen eius Verbum Dei,*ibid.
C.20.1 *Et vidi Angelum, &c. habentem clauem Abyſſi,*120.2.& 322.2
3 *Miſit eum in puteum Abyſſi,*129.1
C.21.8 *Timidis autem,& incredulis,&c.*146.2
10 *Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum,& altum;*& cætera vſque ad finem capitis,504.2
C.22.1 *Et oſtendit mihi fluuium aquę viuæ,* 207.2
2 *Et folia ligni ad ſanitatem gentium ,* 248.1

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

Primus numerus Paginam , Secundus Columnam ſignat .

A

A*Bies* parum differt à Cedro. 313.2. in ea Ciconia nidificat,*ibid.*eius allegorię, 325.1

Abyſſus quid ſit, 113.2. Vacuum ſecundũ Philonem,*ibid.* Materia prima ſecundum Aug.& Magiſt.*ibid.*Chaos ſecundum Lyranum, 114.1 eſt Sphæra aquarum , *ibid.* Dei nutu terræ ceſſit , ſed non violenter, 115.2. habet idem centrum cum terra , 116.1.quomodo terra ſit maior, 116.2.eius Allegorię, 129.1

Adulatio cauda Diaboli,457.1

Aer metheoricarum productionum materia,52.2. & 55.2.natura frigidus eſt,55.1.eius terribiles impreſſiones ſignum ſunt iræ diuinæ,138.2

AEternitas quid ſit, & vtrum creaturę poſſit competere,342.1. in quo differt ab Æuo, *ibid.* cathegorematicè,& ſyncathegorematicè accepta quid ſignificet 342.2.Creaturæ repugnat ab intrinſeco,*ibid.*

Alleluya quid ſignificet, 11.2.& 550

Amor Dei inebriat Animam,286.1.rerum mundialium parit contemptum,331.1

Angelus appellatur Deus,27 2.eius exiſtentia probatur,72.1.cur à Deo creatus,72.2. probabile eſt habere

bere corpus aereum,73.1.eſt incorruptibilis,&immutabilis per gratiam, ſed non per naturam,73.2. eius naturalis beatitudo quæ nam ſit,74.2.quando fuerit à Deo creatus,74 2.eſt diſcurſiuus, & eius cognitio eſt triplex,veſpertina,matutina, & meridiana, 76.1. eius Definitio traditur,76.2.probabile eſt Angelos omnes vnius eſſe ſpeciei.& ſolo numero inter ſe differre,76.2 Hominum, ac rerum ſublunarium cuſtodiam habet, 77.1.Miuiſter Dei eſt etiam in puniendo malos, 78.2. Syderibus aſſiſtit,eorumque motum dirigit,78.2. Angelus,& Dæmon quomodo differunt,79.2.non vnum, ſed plura peccata commiſit, ibid. homines illuminando ſit Angelus,88.2.quomodo ei conueniat eſſe in loco, 155.1. per ſolam operationem ponitur in loco, ibidem.

Anima eſt vera hominis forma, 10.1. Qui Philoſophi eam vocauerint Harmoniam,*ibid.* Quid ſit ſecundum Ariſtotelem,*ibid.*2.quot nomina habeat,*ib.*Quæ ſit vera eius definitio,*ibid.*per peccatorum confeſſionem decoratur,21.2. eius allegoriæ, 26.2. pennis virtutum volat,63.2.Sanctitatem fructificans non peribit 105. 1. Sancta ſolam cœleſtem conſolationem deſiderat,220.2.eſt Hortus Dei,& Angelorum,239.2.in ſpiritu arida Deum ſitit,271.1.in corde principaliter reſidet, & ſecundaria informatione alias partes informat, cum omnes eius operationes à Sacra Scriptura cordi tribuātur,282.2. & 283. 1.2. Virtutibus volans diabolicos vitat laqueos,314.2.Anima Iuſti eſt Nauis virtutibus onuſta, 451.2. Deum laudet ne otioſa pereat,545.2

Animal in Mundi exordio à ſolo Deo fuit efficienter productum, 211.2. Terra fuit tantum cauſa materialis,212.1.etiam imperfecta,vt Muſcæ,Ranæ,&c.tunc creata fuere,212.2.non verò monſtruoſa,vt Mulus,Liciſca,Linx,&c. muli generationem inuenit Ana, *ibid.* Animalis definitio,214.2.Tria ſunt Genera, Generaliſſima Animalium Belluæ,Volucres,Piſces;& tria genera terrearum Beſtiarum;Iumenta,Feræ,& Reptilia, 214.2.& 215.1. quam cognitionem, & ſcientiam habeant,215.2. quomodo differant in ratione victus, *ib.* de eorum vtilitate,tam quoad mundum,quam quoad hominem,216.1.2

Aqua an ſupra firmamentum reperiatur,48.1.affirmatiua pars concluditur,49.2. An aliqua eius pars ſit congelata,*ibid.*Quare inter aquas Deus Cœlum,&Terras fundauerit,50.1.Solis,& Syderum calorem temperat,*ibid.*breui interuallo è Cœlo deſcendere poteſt, 54. 1.quomodo dicatur ſtare ſupra montes, 117.1. quænā ſit cauſa dulcedinis,ſalſedinis, & aliorum ſaporum aquarum,197.1.2.eius allegoriæ,69.1

Aquila Auium Regina cur dicatur Herodius, 312. 2.in celſiſſimis Cedris nidificat,ſed paucos pullos edit *ibid.*Carniuora eſt,& altiſſimè volat, 313.1. eius liberalitas,& in Aues imperium, *ibid.* Vocem eius omnes Aues timent, *ibid.*& 318.2. Pullos ad Solis aſpectum probat,313.2.eius allegoriæ,324.1

Arbores eſcam Animalibus præbēt,300.1.ad medicinam vtiles,301.1.ad materiam inſtrumentorum Hominis aptæ,*ibid.*ad oblectamentum idoneæ, *ibid.* & ad Auium nidificationem,311.1 eius Allegoriæ, 309.1

Ariſtæus Athenienſis oleum,& mel inuenit,281.2

Arcturus Britanniæ Rex,in ſcuto imaginem B. M. gerebat,& ſic omnes ſuperabat, 68.2

Auaritia ignis vorax,97.1.Auarus numquam ſatiatur,437.2

Aues,ſuo cantu benedicunt Deum, ipſumque laudant,13.1.ex aqua creatæ fuerunt,232.1.2. ad aerem inhabitandum create 233.1. omnes Alas, & pedes habent,& quare, *ibid.* omnes potant, & non mingunt 233.2.qualitates quarumdam auium, *ibid.* de Auibus paluſtribus,Cygno,Alcyone,Fulice,Onocrotalo, Anſere,Pellicano,Columba, 234.1.& 2. De Auibus canoris.Alauda,Calandra,Carduele, Chrochilo, ſeu Regulo,Luſcinia,Merula,Pſittaco,&c.234.1.2.in Deum, & homines gratæ,235.2.mira cuiuſdam auiculæ gratitudo,& familiaritas,*ibid.*De Auium nidificatione,311.1. De prognoſticis Auium,236.1. Allegoriæ, 245.1

Aurora,cur ſic appellatur,244.1

B

Baſis terræ quæ,99.1.Baſium allegoriæ, 111.1

Beatitudo conſiſtit in Gaudio,502.2. eius definitio,504.1.eſt Gaudium de poſſeſſione ſummi boni, *ibid.*& 504.1. non conſiſtit in amore,503.1. nec in viſione Dei,503.2. Sed eſt voluptas conſequens poſſeſſionem rei amatæ, *ibid.* & 504. 1. Beatitudinis locus,ideſt Ciuitas Beata deſcribitur,504.2.& *ſequent.*erit realis, & materialis,*ibid.* eius longitudo, altitudo, & latitudo, 505.1. ibi erunt omnes operationes ſenſuum externorum, viſio, auditus, comeſtio, motus, olfactus,&c.505.2

Benedictio, *Benedicere* quid ſit, 9.1. eam veteres magnifaciebant, *ibid.* col.2. idem eſt, ac laudare, *ibid.* Benedictio Dei, & creaturæ, in quo differant, 10.1. Enos creditur Benedictionis innentor,*ibid.*

Beſtia. Vide *Animal*, eius allegoriæ, 219.2

C

Cantus, *Canticum*, *Canere*, de eorum inuentione, vſu, & vtilitate, 520. 1. Deo canit, qui præcepta ſeruat, 521. 1. Cantus Deum delectans Pœnitentia eſt,522.2.De eorum Allegorijs,528.1

Caprea ſylueſtris eadem cum Ibice, à carpendo ſic dicta, & ſimilis eſt Ceruo, 327. 2. eſt tamen curſu velocior, *ibid.* in Petris viuit, & parit, *ibid.* Serpentium inimica, 328. 1. Sanguis eius eſt medicinalis, *ibid.* eius Allegoriæ,336.2

Caro ante Diluuium in eſcam illicita: poſt diluuium licita,& quare, 266.2. 267.1.2

Caſtitas. Iuditham fortem reddidit,25.1. homines vertit in Angelos,862.1

Cauſæ rerum naturalium quænam, & quot ſint, 494. 2. efficiens eſt duplex Prima, & Secunda, *ibid.* Femina cum Viro integrant vnam cauſam totalem effectiuam, 495. 2. De cauſa materiali Corporis Phyſici, 397. 1. De cauſa formali, 398. 2. De cauſa finali,399.2

Cedrus omnium arborum maxima in Libano naſcitur, 302. 2. appellatur lignum Domini, quia eſt imputribilis, 303. 1. parum differt ab Abiete, *ibid.* Domus Regum Iuda, Templum Domini, Arca Dei, & apud Gentiles Deorum ſimulacra, ex Cedro facta ſunt, *ibid.* eius allegoriæ, 310. 1. numquam ceſſat creſcere, 308. 1. Crux Chriſti Domini fuit ex Cedro,308.1

Ceruus cum ſerpentibus bellum gerit, eiſque ad paſtum, & medicinam vtitur, 326. 2. ſanus eſt, & longæuus, & zelotypus, 327. 1. Quomodo eius ætas cognoſcitur,*ibid.*eius allegoriæ.236.1

Cetus, ſeu Draco marinus, maximus piſcium, 449. 1. eius femina eſt Balena, *ibid.* quomodo generet, illudat, & illudatur ei, 450.1

Charitas ſine ipſa nil iuuant virtutes, 59.1. eſt veſtis

Digitized by Google

ſtis nuptialis, 59. 2. eſt Spiritus Animæ, 60. 1. Nauis eſt à mundano naufragio liberans, 454. 2

CHRISTVS in Incarnatione fuit lux illuminans mundum, 36. 2. Aqua ex eius latere fluens, mundo ſalutem attulit, 181. 2. cor eius à lancea tranſuerberatum eſt, 182. 1. eius doctrina vbique terrarum diffuſa eſt, 201. 1. eius paſſio noſtræ lætitiæ cauſa, 285. 1. eſt Pabulum Electorum, 291. 2. eſt peccatorum refugium, 331. 2. eius Plagæ ſunt Animarum refugium, 332. 1. eo abſente Anima ab internalibus beſtijs deuoratur, 363. 1. Sol eſt Diem efficiens in cordibus puris, 383. 1. Nunc eſt Sol Miſericordiæ, ſed in iudicio erit Sol Iuſtitiæ, 384. 1. eius opus proprium ſaluare eſt, 409. 1. omnes penæ nobis debitæ in eo congregatæ ſunt, 434. 1. Nauclerus Eccleſiaſticæ Nauis eam ſaluat, 453. 2. in Cruce manus aperuit, vt nos repleret bonis, 481. 2

Cibus Diaboli Peccator eſt, 469. 2

Ciconia in Abietibus nidulatur; & ſuo aduentu Ver demonſtrat, 313. 2. Pietas in parentem, & prolem *ibid.* eſt auis gregaria, & prudens, 314. 1. modus eius pugnæ, 313. 2

Cælum eſt corruptibile, 31. 2. & 32. 2. non eſt ſolidum, aut durum, ſed fluidum, *ibid.* Quot Cęli dentur, *ibid.* Chryſtallinum an detur, 48. 2. Cęli Allegoriæ, 46. 1. Nullum datur Cęlum mobile, ſed in Cęlo liquido immoto, Luminaria, & Aſtra mouentur, 100. 1. & 431. 1. 2. Cęli empyrei deſcriptio, 504. 2

Columba libenter manet iuxta aquas. & quare, 234. 1. 2

Cometa in Ætherea, ſeu Celeſti Regione producitur, 32. 2. & 135. 2. quid ſit apud Peripateticos, 134. 1. eſt eiuſdem naturæ cum alijs ſtellis, ſed de nouo generatur, 134. 2. Magnatorum mortem prænunciat, *ibid.*

Comminatio Dei à peccatis nos reuocat, 137. 2

Concupiſcentia eſt ignis vorax, 97. 1

Confeſſio debet eſſe luminoſa ſine excuſatione, 34. 1. debet eſſe circumſtantionata, vt Deo canat, 523. 2

Contemplatio, *Contemplari*. Per contemplationem mens aſcendit ad Deum, 156. 1. contemplatiui ne plus ſapiant, quam oportet, 174. 1. Sacræ ſcripturæ intelligentiam aſſecuntur, 329. 1

Conuerſatio Sanctorum ſalutem parit, 315. 2. Diuina eſt dulcedo ineffabilis, 529. 1

Cor eſt ſedes Animæ, cui omnes Animæ operationes à Sacra Scriptura tribuuntur, 282. 2. & 283. 1. 2. Cordis Allegoriæ, 297. 2

Corpus phyſicum eſt aggregatum plurium entium, nulla forma ſubſtantiali totius, ſed accidentaria præditum, 397. 1. & 398. 2. à ſola Anima tamquàm à ſubſtantiali forma informatur, *ibid.*

Cocodrilus piſcis viuipar, 432. 1. quomodo coit cum fæmina, 432. 2

Crux Chriſti Nauis eſt à Mundi naufragio ſaluans, 452. 1

Cuniculi natura, & proprietates, 328. 2

Cupiditas eſt ignis, 97. 1. eſt tempeſtas exagitans hominem, 351. 1

DEVS, quando vocetur Dominus, pagin. 10. column. 2. Quodnam ſit eius proprium nomen, pag. 11. column. 1. quid ſignificet, *ibid.* quomodo magnificatur per creaturas, *ibid.* column. 2. eius magnitudo ex creaturis innoteſcit, pag. 12. colum. 1. ſemper eſt laudandus à nobis, quia numquam ceſſat benefacere, *ibid.* column. 1. qui eum laudat ſeipſum benedicit, 14. 2. eius neſcientia noxia Animę, 15. 2. Dominus eſt omnium, ſed præcipuè iuſtorum, 18. 2. fit magnus in nobis, dum in virtutibus creſcimus, 19. 2. Quo lumine veſtitur, 33. 2. in Anima Iuſti quieſcit, 38. 1. per creaturas ſuas cognoſcitur, 41. 2. eius gloria torquet malos, 60. 1. à nullo intellectu creato comprendi poteſt, 61. 1. eius Prouidentia omnia reſpicit, 61. 2. quomodo videatur per ſpeculum. 61. 2. ad noſtrum auxilium velox eſt, 63. 1. vbi non eſt, tenebræ ſunt, 84. 2. liberalitas Dei propria, 89. 2. propriè in loco non eſt, ſed ibi dicitur eſſe, vbi operatur, 155. 2. ſuperbos humiliat, 162. 1. eius arcana tegenda ne ſimplices obruant, 176. 2. Nos tentari vltra vires non permittit, 177. 2. in eo ſperandum cuius auxilium ſemper eſt paratum, 221. 2. vnicuique ſecundum propriam neceſſitatem tribuit, 270. 1. vilibus creaturis nos ſubijcit, vt humiliemur, 319. 1. eſt cauſa prima omnium rerum, ſed hominis ſpecialior, 395. 1. eius proprium opus miſereri ſemper, & parcere, 424. 1. ante petitionem noſtram nos beneficijs afficit, 480. 1. in Incarnatione Filij manum ſuam ad noſtram vtilitatem aperuit, 481. 1. ex eius præſentia omne bonum prouenit creaturis, 482. 1. ex eius abſentia quot mala proueniant, 488. 1. nos flagellat, vt pęniteamus, 489. 1

Dæmon, *Diabolus*, vnicuique homini ad tentandum aſſiſtit, 77. 2. Dei miniſter eſt in punitione malorum, *ibid.* tempeſtates mouet, 79. 2. multa peccata commiſit, ideſt curioſitatis, inuidiæ, ſuperbiæ, & Diuinitatem appetijt media vnione hypoſtatica, 79. 2. quomodo patiatur ab igne, 85. 1. Crudelis Beſtia eſt, 364. 1. Leo eſt cuius Catuli peccatores, 370. 1. Superborum eſt Rex, 370. 2. homines ad tentandum à Deo poſcit, 371. 2. tentare non poteſt, niſi quantum Deus permittit, 372. 1. eſt ludibrium Dei, & Angelorum, 455. 1. nec non pęnitentium, 455. 2. auiditate nocendi proficit nobis, 456. 1. habitum Angeli lucis ad decipiendum induit, 460. 1

Dies naturalis à tenebris incipit, 358. 2. & 359. 1. Diem quis primus in horas diuiſit, 358. 1

Diues, *Diuitiæ*, cupiditas diuitiarum doctrinam corrumpit, 203. 2. terrenis inhians cœleſtia non curat, 256. 1. eleemoſinam pauperibus debet, 271. 1. Diuitias aſpernantes magni fiunt apud Deum, 330. 1

Diuiſio omnem bonitatem maculat, 425. 1

Doctrina gentium noxia, 436. 2

Dolor quid ſit, 85. 1. non poteſt eſſe niſi in ſenſu, *ibid.*

Draco marinus eſt Cetus, 449. 1. ſerpens quomodo fit Draco, 450. 2. Diutiſſimè viuit, *ibid.* Elephantem necat, & ab eo opprimitur, *ibid.* eius allegoriæ, 463. 1

D

D*auid* fuit author Pſalmi 103. pag. 1. col. 1

Dedali fabula ſuperborum typus, 242. 1

Detractio Draco venenatus crudeliter ſaucians, 459. 1

E

E*ccleſia* eſt Cęlum, 41. 1. Sanctorum generatione fundatur, 105. 2. Sãctorum doctrina, & virtutibus creſcit, 160. 1. vt Luna creſcit, 348. 2. Nauis eſt ad Cęlum ferens, 453. 2

Digitized by Google

Elementum quid,& quotuplex ſit,51.1. Quæ ſint eorum qualitates,*ibid.* Vtrum ſal,& oleum ſint elementa, *ibid.* ab initio ſeparata elementa creata ſunt,52.1. Duo ſunt actiua, & duo paſſiua, 313. 2. formaliter ſunt in mixtis,*ibid.* non datur alia materia rerum naturalium, niſi elementa prima,397.1

Eleemoſina ſemen eſt fructificans panem æternum, 272.2. Potentes Dei ſeruos paſcẽtes in virtutibus creſcunt,305.1

Ens propriũ Dei nomẽ,idẽ eſt cũ IEHOVAH,11.1.2

Eucharistia roborat ad proſequendum bonum, & malum vitandum,292.2. Electorum eſt pabulũ, 291.2

F

Facies eius allegoriæ,298.2

Fertilitas terræ à quibus depẽdeat, 251.2.252.1.2

Fides illuminat mentem,35.1. Eccleſiæ ſtabilis,103.2. Via eſt ad Cælum,106.2

Finis Hominis triplex,exercitium virtutum, gloria Dei,ac eius imitatio,400.1

Flauius Amalphitanus Pyxidem nauticam inuenit, 449.1

Flumen,& Fluuius,in quo differant,193.1. non fiunt ex pluuijs,*ibid.* neque ex vaporibus,193.2. nec ex aere,2. nec ex terra,*ibid.* Per barathrum aquarum principium quid intellexerit Plato,194.1. omnia flumina abOceano exeunt,&iterum ad Oceanum redeunt,194.2. probatur authoritate,& ratione, *ibid.* obiectiones ſoluuntur,195.1. cauſa ortuum fontium,&fluminum declaratur,*ibid.* de quorumdam fluminum qualitatibus,198.2 allegoriæ,207.2

Fons,Fluuius,Flumen, & Torrens in quo diſtinguãtur,193.1. Fontium originem barathrum,ſeu abyſſum ſecundum Platonem,194.1. vide *Flumen*, Fontis allegoriæ,206.1

Forma corporis phyſici quæ ſit,398.2. nulla ibi forma ſubſtantialis totius niſi ſola Anima,*ibid.*

Formica quam ſit mirabilis, & ſollicitudinis magiſtra,216.2

S.P.Franciſcus ſua Stigmatizatione montem Aluerniæ famoſum reddidit,153.2. in tantum mundum deſpexit, vt omnia bona dimiſerit, ipſamq; veſtem, ac nudus remanſerit, quia diuino amore ebrius erat, 286.2. Præ omnibus creaturis Solem diligebat,de quo canticum cõpoſuit,345.1. è ſpinis ſuo ſanguine cruentatis roſas eduxit,324.2

Fructus quid ſit,& eius Allegoriæ,263.1

Fulgur,Fulmen,ignis eſt,132.1. eius materia ſulphurea,132.2. Cauſæ efficientes Sol,& nubes aquea,133.2 finalis terror Dei,*ibid.* Fulgur,Fulgor,&Fulmen,in quo differant,134.1

G

Gaudium qui dſit,502.2. in eo conſiſtit Beatitudo, & quomodo,*ibid.* & 503.1. non eſt amor,*ibid.* Nec viſio,503.2. eſt paſſio,503.1

Gloria Dei æterna;mundi vana,& tranſitoria,506.1 Bonorũ operum,Deo tribnẽda,507.2. vide Beatitudo.

Gratia Dei in humiles deſcendit,199.1. Per ipſam Anima virtutibus repletur,non noſtro labore, 258.2

H

Herba ad hominis,ac Beſtiarum cibũ creata ſimul cum frugibus toto anni tempore nutrit,265.1.2. variæ herbarum virtutes recenſentur ad medicinam *ibid.* & 266.1. de Rubo,Malua,Hyſopo,Dittamo,Caule,Mandragora,Papauero,*ibid.* ſolis herbis, & fructib. homini veſci licebat ante diluuium,266.2. eius allegoriæ,276.2

Hæreticus eſt tinea,45.2

Hericius,Herinacius,& Cyrogrillius idem eſt Animal paruum,& ſpinoſum,328.1. quomodo poma deferat, & colligat,*ibid.* vrinam tabificam emittit, 328.2. eius allegoriæ,336.2

Herodius,dicitur Aquila quaſi Heros Auium,312.2 eius allegoriæ,324.1. vide *Aquila*.

Hiſpaniæ incolæ tum Caſtellani, tum Luſitani nouũ orbem Deo dederunt,201.2

Homo per Verbi Incarnat.decoratur,20. 2. nil boni ſine Deo operari poteſt, 139.1. vt in Dei gratia creſcat ſe illius egentem cognoſcat,202.1 creaturarum Dominus eſt,propter quem creata ſunt,268.1. Iumẽtum eſt,cui Dominus fœnum ſuæ carnis appoſuit, 269 1. eſt ſpecialis effectus Dei, 395. 1. eius definitio traditur,401.2. Ad quem finem creatus, 400.1. renouatur ad gratiam per ſui cognitionem,489.2

Humilitas, Humilis in Prælatum eligi debet, 442.1. quanta fuerit in B.Maria,517.1. in humiles mentes aquæ gratiarum diuinarum deſcendunt,199.1

I

Ignis eſt elementum,51.1.& 81.1. viuit anima vegetatiua,*ibid.* eſt lucidus,& vrens, *ibid.* Trinitatis eſt imago,*ibid.* variç eius diuiſiones,& ſpecies,81.2. diuiditur in lucem,flammam,& prunam, *ibid.* eſt calidus, & humidus,non ſiccus, 82.1. multas qualitates habet ex materia,83.1. eius color eſt albedo,*ibid.* ex quibus mõtibus euomatur, 83.2. eſt in inferno, 84.1. quomodo damnatos cruciat,84.2. ignium meteoricorum cauſæ, 135.2

Imago Trinitatis in homine, non conſiſtit in potẽtijs,ſed in actibus potentiarum, ſcilicet intellectione, notitia,& amore,399.2

Infernus vbi ſit, 83.2. eſt ibi verus ignis, 84.1. eius tormentum duplex,84.2

Inſula quid ſit,173.1. de Zeilan,ſeuTaprobanę,Corſicę,&c.fertilitate,*ibid.* de Inſularum productione,*ibid.*

Inſipiens,in ſuperbiam eleuatur,124.2

Intellectus operationes tres,quęnam ſint,&cur cordi tribuantur,282.2.& 283.1

Inuidia,Inuidus,eſt flamma vorax,97.1. bonos odio habet,eorumque profectum impedire conatur,224.1. eſt cordis putredo,225.1. miraculorum patrationem impedit,225.2

Iſis eadem cum Cerere,Diana,& Luna triticum inuenit in Sicilia,& vexit in Ægyptum, 282.1

Iudicia diuina incomprehenſibilia, 119.2. in extremo Iudicio etiam Sancti timebunt,515.1

Iudithum caſtitas fortem reddidit,25.1

Iumentum dicitur Animal homini inſeruiens, ſic dictum quaſi iuuamentum,214.2.&215.1. Ideo ei eſcam Deus produxit,265.1.2. eius allegorię,276.1. vide *Animal*.

L

Laſciuia quam pernicioſa,182.2.&183.2 eſt mare hominem exagitans,& perdens,440.2

Leo,vnde ſic appellatus, 368.1. Beſtiarum eſt Princeps,*ibid.* omnes belluas terrefacit,368.2. eius vigilantię exemplum Neapoli,369.1. Leęna quomodo pariat *ibid.* quomodo prędetur,*ib.* quomodo capiantur,369.2. eius vtilitas in medicina,*ibid.* allegorię,377.1

Lætitia huius ſeculi etiã ſpiritualis modica eſt,284.1

Digitized by Google

ſtis nuptialis, 59. 2. eſt Spiritus Animæ, 60. 1. Nauis eſt à mundano naufragio liberans, 454 2

CHRISTVS in Incarnatione fuit lux illuminans mundum, 36. 2. Aqua ex eius latere fluens, mundo ſalutem attulit, 181. 2. cor eius à lancea tranſuerberatum eſt, 182. 1. eius doctrina vbique terrarum diffuſa eſt, 201. 1. eius paſſio noſtræ lætitiæ cauſa, 285. 1. eſt Pabulum Electorum, 291. 2. eſt peccatorum refugium, 331. 2. eius Plagæ ſunt Animarum refugium, 332. 1. eo abſente Anima ab infernalibus beſtijs deuoratur, 363. 1. Sol eſt Diem efficiens in cordibus puris, 383. 1. Nunc eſt Sol Miſericordiæ, ſed in iudicio erit Sol Iuſtitiæ, 384. 1. eius opus proprium ſaluare eſt, 409. 1. omnes pœnæ nobis debitæ in eo congregatæ ſunt, 434. 1. Nauclerus Eccleſiaſticæ Nauis eam ſaluat, 453. 2. in Cruce manus aperuit, vt nos repleret bonis, 481. 2.

Cibus Diaboli Peccator eſt, 469, 2

Ciconia in Abietibus nidulatur; & ſuo aduentu Ver demonſtrat, 313. 2. Pietas in parentem, & prolem ibid. eſt auis gregaria, & prudens, 314. 1. modus eius pugnæ, 313 2

Cœlum eſt corruptibile, 31. 2. & 32. 2. non eſt ſolidum, aut durum, ſed fluidum, *ibid.* Quot Cęli dentur, *ibid.* Chryſtallinum an detur, 48. 2. Cęli Allegoriæ, 46. 1. Nullum datur Cęlum mobile, ſed in Cęlo liquido immoto, Luminaria, & Aſtra mouentur, 100. 1. & 431. 1. 2. Cęli empyrei deſcriptio, 504. 2

Columba libenter manet iuxta aquas. & quare, 234 1 2

Cometa in Ætherea, ſeu Celeſti Regione producitur, 32. 2. & 135. 2. quid ſit apud Peripateticos, 134. 1. eſt eiuſdem naturæ cum alijs ſtellis, ſed de nouo generatur, 134. 2. Magnatorum mortem prænunciat, *ibid.*

Comminatio Dei à peccatis nos reuocat, 137. 2

Concupiſcentia eſt ignis vorax, 97. 1

Confeſſio debet eſſe luminoſa ſine excuſatione, 34. 1. debet eſſe circumſtationata, vt Deo canat, 523. 2

Contemplatio, *Contemplari*. Per contemplationem mens aſcendit ad Deum, 156. 1. contemplatiui ne plus ſapiant, quam oportet, 174. 1. Sacræ ſcripturæ intelligentiam aſſecuntur, 329. 1

Conuerſatio Sanctorum ſalutem parit, 315. 2. Diuina eſt dulcedo ineffabilis, 529. 1

Cor eſt ſedes Animæ, cui omnes Animæ operationes à Sacra Scriptura tribuuntur, 282. 2. & 283. 1. 2. Cordis Allegoriæ, 297. 2

Corpus phyſicum eſt aggregatum plurium entium, nulla forma ſubſtantiali totius, ſed accidentaria præditum, 397. 1. & 398. 2. à ſola Anima tamquàm à ſubſtantiali forma informatur, *ibid.*

Cocodrilus piſcis viuipar, 432. 1, quomodo coit cum fæmina, 432. 2

Crux Chriſti Nauis eſt à Mundi naufragio ſaluans, 452. 1

Cuniculi natura, & proprietates, 328. 2

Cupiditas eſt ignis, 97. 1. eſt tempeſtas exagitans hominem, 351. 1

D

DAuid fuit author Pſalmi 103. pag. 1. col. 1

Dedali fabula ſuperborum typus, 242. 1

Detractio Draco venenatus crudeliter laucians, 459. 1

DEVS, quando vocetur Dominus, pagin. 10. column. 2. Quodnam ſit eius proprium nomen, pag. 11. column. 1. quid ſignificet, *ibid.* quomodo magnificatur per creaturas, *ibid.* column. 2. eius magnitudo ex creaturis innoteſcit, pag. 12. colum. 1. ſemper eſt laudandus à nobis, quia numquam ceſſat benefacere, *ibid.* column. 1. qui eum laudat ſeipſum benedicit, 14. 2. eius neſcientia noxia Animę, 15. 2. Dominus eſt omnium, ſed præcipuè iuſtorum, 18. 2. fit magnus in nobis, dum in virtutibus creſcimus, 19. 2. Quo lumine veſtitur, 33. 2. in Anima Iuſti quieſcit, 38. 1. per creaturas ſuas cognoſcitur, 41. 2. eius gloria torquet malos, 60. 1. à nullo intellectu creato comprendi poteſt, 61. 1. eius Prouidentia omnia reſpicit, 61. 2. quomodo videatur per ſpeculum. 61. 2. ad noſtrum auxilium velox eſt, 63. 1. vbi non eſt, tenebræ ſunt, 84. 2. liberalitas Dei propria, 89. 2. propriè in loco non eſt, ſed ibi dicitur eſſe, vbi operatur, 155. 2. ſuperbos humiliat, 162. 1. eius arcana tegenda ne ſimplices obruant, 176. 2. Nos tentari vltra vires non permittit, 177. 2. in eo ſperandum cuius auxilium ſemper eſt paratum, 221. 2. vnicuique ſecundum propriam neceſſitatem tribuit, 270. 1. vilibus creaturis nos ſubijcit, vt humiliemur, 319. 1. eſt cauſa prima omnium rerum, ſed hominis ſpecialior, 395. 1. eius proprium opus miſereri ſemper, & parcere, 424. 1. ante petitionem noſtram nos beneficijs afficit, 480. 1. in Incarnatione Filij manum ſuam ad noſtram vtilitatem aperuit, 481. 1. ex eius præſentia omne bonum prouenit creaturis, 482. 1. ex eius abſentia quot mala proueniant, 488. 1. nos flagellat, vt pęniteamus, 489. 1

Dæmon, *Diabolus*, vnicuique homini ad tentandum aſſiſtit, 77. 2. Dei miniſter eſt in punitione malorum, *ibid.* tempeſtates mouet, 79. 2. multa peccata commiſit, ideſt curioſitatis, inuidiæ, ſuperbiæ, & Diuinitatem appetijt media vnione hypoſtatica, 79. 2. quomodo patiatur ab igne, 85. 1. Crudelis Beſtia eſt, 364. 1. Leo eſt cuius Catuli peccatores, 370. 1. Superborum eſt Rex, 370. 2. homines ad tentandum à Deo poſcit, 371. 2. tentare non poteſt, niſi quantum Deus permittit, 372. 1. eſt ludibrium Dei, & Angelorum, 455. 1. nec non pęnitentium, 455. 2. auiditate nocendi proficit nobis, 456. 1. habitum Angeli lucis ad decipiendum induit, 460. 1

Dies naturalis à tenebris incipit, 358. 2. & 359. 1. Diem quis primus in horas diuiſit, 358 1

Diues, *Diuitiæ*, cupiditas diuitiarum doctrinam corrumpit, 203. 2. terrenis inhians cœleſtia non curat, 256. 1. eleemoſinam pauperibus debet, 271. 1. Diuitias aſpernantes magni fiunt apud Deum, 330. 1

Diuiſio omnem bonitatem maculat, 425. 1

Doctrina gentium noxia, 436. 2

Dolor quid ſit, 85. 1. non poteſt eſſe niſi in ſenſu, *ibid.*

Draco marinus eſt Cetus, 449. 1. ſerpens quomodo fit Draco, 450. 2. Diutiſſimè viuit, *ibid.* Elephantem necat, & ab eo opprimitur, *ibid.* eius allegoriæ, 463. 1

E

ECcleſia eſt Cęlum, 41. 1. Sanctorum generatione fundatur, 105. 2. Sãctorum doctrina, & virtutibus creſcit, 160. 1. vt Luna creſcit, 348. 2. Nauis eſt ad Cęlum ferens, 453. 2

Ele-

Digitized by Google

Elementum quid,& quotuplex ſit,51.1. Quæ ſint eorum qualitates,*ibid.* Vtrum ſal,& oleum ſint elementa, *ibid.*ab initio ſeparata elementa creata ſunt,52.1.Duo ſunt actiua, & duo paſſiua, 313. 2. formaliter ſunt in mixtis,*ibid.*non datur alia materia rerum naturalium, niſi elementa prima,397.1

Eleemoſina ſemen eſt fructificans panem æternum, 272.2.Potentes Dei ſeruos paſcētes in virtutibus creſcunt,305.1

Ens propriū Dei nomē,idē eſt cū IEHOVAH,11.1.2

Eucharistia roborat ad proſequendum bonum, & malum vitandum,292.2.Electorum eſt pabulū, 291.2

F

*F*Acies eius allegoriæ,298.2

Fertilitas terræ à quibus depēdeat, 251.2.252.1.2

Fides illuminat mentem,35.1.Eccleſiæ ſtabilis,103.2.Via eſt ad Celum,106.2

Finis Hominis triplex,exercitium virtutum, gloria Dei,ac eius imitatio,400.1

Flauus Amalphitanus Pyxidem nauticam inuenit, 449.1

Flumen,& Fluuius,in quo differant,193.1.non fiunt ex pluuijs,*ibid.*neque ex vaporibus,193.2.nec ex aere, nec ex terra,*ibid.*Per barathrum aquarum principium quid intellexerit Plato,194.1.omnia flumina abOceano exeunt,&iterum ad Oceanum redeunt,194.2.probatur authoritate,& ratione, *ibid.* obiectiones ſoluuntur,195.1.cauſa ortuum fontium,&fluminum declaratur,*ibid.*de quorumdam fluminum qualitatibus,198.2 allegoriæ,207.2

Fons,Fluuius,Flumen, & Torrens in quo diſtinguãtur,193.1.Fontium originem barathrum,ſeu abyſſum ſecundum Platonem,194.1. vide *Flumen*, Fontis allegoriæ,206.1

Forma corporis phyſici quæ ſit,398.2. nulla ibi forma ſubſtantialis totius niſi ſola Anima,*ibid.*

Formica quam ſit mirabilis, & ſollicitudinis magiſtra,216.2

S.P.Franciſcus ſua Stigmatizatione montem Aluerniæ famoſum reddidit,153.2.in tantum mundum deſpexit, vt omnia bona dimiſerit, ipſamq; veſtem, ac nudus remanſerit, quia diuino amore ebrius erat, 286.2.Præ omnibus creaturis Solem diligebat,de quo canticum cōpoſuit,345.1.è ſpinis ſuo ſanguine cruentatis roſas eduxit,324.2

Fructus quid ſit,& eius Allegoriæ,263.1

Fulgur,Fulmen,ignis eſt,132.1.eius materia ſulphurea,132.2.Cauſæ efficientes Sol,& nubes aquea, 133.2 finalis terror Dei,*ibid.*Fulgur,Fulgor,&Fulmen,in quo differant,134.1

G

*G*Audium qui ſit,502.2.in eo conſiſtit Beatitudo, & quomodo,*ibid.*& 503.1.non eſt amor,*ibid.* Nec viſio,503.2.eſt paſſio,503.1

Gloria Dei æterna;mundi vana,& tranſitoria,506.1 Bonorū operum,Deo tribuēda,507.2.vide Beatitudo.

Gratia Dei in humiles deſcendit,199.1. Per ipſam Anima virtutibus repletur,non noſtro labore, 258.2

H

*H*Erba ad hominis,ac Beſtiarum cibū creata ſimul cum frugibus toto anni tempore nutrit,265.1.2. variæ herbarum virtutes recenſentur ad medicinam *ibid.*& 266.1.de Rubo,Malua,Hyſopo,Dittamo,Cau-

lan.de Mata.

le,Mandragora,Papauero,*ibid.*ſolis herbis, & fructibus homini veſci licebat ante diluuium,266.2.eius allegoriæ,276.2

Hæreticus eſt tinea,45.2

Hericius,Herinacius,& Cyrogrillius idem eſt Animal paruum,& ſpinoſum,328.1.quomodo poma deferat, & colligat,*ibid.*vrinam tabificam emittit, 328.2. eius allegoriæ,336.2

Herodius,dicitur Aquila quaſi Heros Auium,312.2 eius allegoriæ,324.1.vide *Aquila*.

Hiſpaniæ incolæ tum Caſtellani, tum Luſitani nouū orbem Deo dederunt,201.2

Homo per Verbi Incarnat.decoratur,20. 2. nil boni ſine Deo operari poteſt, 139.1.vt in Dei gratia creſcat ſe illius egentem cognoſcat,202.1 creaturarum Dominus eſt,propter quem creatæ ſunt,268.1. Iumētum eſt,cui Dominus fœnum ſuæ carnis appoſuit, 269 1.eſt ſpecialis effectus Dei, 395.1. eius definitio traditur,401.2. Ad quem finem creatus, 400.1.renouatur ad gratiam per ſui cognitionem,489.2

Humilitas, Humilis in Prælatum eligi debet, 442.1. quanta fuerit in B.Maria,517.1. in humiles mentes aquæ gratiarum diuinarum deſcendunt,199.1

I

*I*Gnis eſt elementum,51.1.& 81.1. viuit anima vegetatiua,*ibid.*eſt lucidus,& vrens, *ibid.* Trinitatis eſt imago,*ibid.*variç eius diuiſiones,& ſpecies,81.2.diuiditur in lucem,flammam,& prunam, *ibid.* eſt calidus, & humidus,non ſiccus, 82.1. multas qualitates habet ex materia,83.1.eius color eſt albedo,*ibid.*ex quibus motibus euomatur, 83.2. eſt in inferno, 84.1. quomodo damnatos cruciat,84.2.ignium meteoricorum cauſæ, 135.2

Imago Trinitatis in homine, non conſiſtit in potētijs,ſed in actibus potentiarum, ſcilicet intellectione, notitia,& amore,399.2

Infernus vbi ſit, 83.2.eſt ibi verus ignis, 84.1. eius tormentum duplex,84.2

Inſula quid ſit,173.1.de Zeilan,ſeuTaprobanę,Corſicę,&c.fertilitate,*ibid.*de Inſularum productione,*ibid.*

Inſipiens,in ſuperbiam eleuatur,124.2

Intellectus operationes tres,quęnam ſint,&cur cordi tribuantur,282.2.& 283.1

Inuidia,Inuidus,eſt flamma vorax,97.1.bonos odio habet,eorumque profectum impedire conatur,224,1. eſt cordis putredo,225.1. miraculorum patrationem impedit,225.2

Iſis eadem cum Cerere,Diana,& Luna triticum inuenit in Sicilia,& vexit in Ægyptum, 282.1

Iudicia diuina incomprehenſibilia, 119.2. in extremo Iudicio etiam Sancti timebunt,515.1

Iudithæ caſtitas fortem reddidit,25.1

Iumentum dicitur Animal homini inſeruiens, ſic dictum quaſi iuuamentum,214.2.&215.1.Ideo ei eſcam Deus produxit,265.1.2.eius allegorię,276.1. vide *Animal*.

L

*L*Aſciuia quam pernicioſa,182.2.&183.2 eſt mare hominem exagitans,& perdens,440.2

Leo,vnde ſic appellatus, 368.1. Beſtiarum eſt Princeps,*ibid.*omnes belluas terrefacit,368.2. eius vigilantię exemplum Neapoli,369.1.Leęna quomodo pariat *ibid.*quomodo prędetur,*ib.*quomodo capiantur,369.2.eius vtilitas in medicina,*ibid.*allegorię,377.1

Lætitia huius ſeculi etiā ſpiritualis modica eſt, 284.1

à Vino excitatur, 279.2. & 280.1. veræ noſtræ lætitię Paſſio Chriſti cauſa eſt, 285.1

Leporis natura, 328.2

Lex charitatis operibus regitur, 59.1

Linguæ lapſus quam periculoſus, 179.2

Locus quid ſit, 154.1. corpora ſola propriè dicuntur eſſe in loco, 154.2. quomodo entia immaterialia ſint in loco, 155.1

Lumen. Lux, quid ſint, & quomodo differant, 30.1. idem eſt ac ignis, *ibid.* quando fuit creata, *ibid.* lux ſpherica corpus ſphericum opacum minoris quantitatis plus quam medietatem illuminat, 115.1

Luna, vt oſtenderetur creatura, & non Deus, eius productio tertia die facta narratur, 337.1.2. Luna dicta quaſi Lucina, ſeu luminum vna, 338.1. alieno fulget lumine, *ibid.* habet nihilominus aliquod proprium lumen, 338.2. humidis dominatur ſubſtantiis, ſed præcipuè Mari, cuius fluxum, & refluxum cauſat, 339.1. probatur hoc fuſius, 431.1.2. mouetur per ſe nulli affixa Cęlo, 339.1. & probatur clariùs, 431.1.2. tempora regulat, 339.2. præcipuè Noctem, Menſem, & Annum, 340.1. creata fuit in Libra, coniuncta Soli, 341.2. eius influentia in terram, & aerem, &c. 345.2. eius allegoriæ 355.1

M

M*Agnificare*, Maguificat Deum, qui temporalia aſpernatur, 19.1

Manus Dei Chriſtus in incarnatione aperta, 481.1. manus in Cruce Chriſtus aperuit ad noſtram vtilitatē. 481.2. Dei manus Maria, 482.1. manus allegoriæ, 485.2

Mare quare terram non cooperiat, 171.1. arena, montes, &c. ſunt naturales eius termini, 171.2. rationes probātes eſſe altius terra, 172.1. oppoſitum ſuſtinetur, & demonſtratur, *ibid.* omnium fluminum eſt origo, 194.2. de cauſa ſalſedinis maris, 192.1. Mare ita dictum, quia eius aquæ ſunt amarę, 198.1. eſt aquarum congregatio, 429.2. eius varia nomina, 430.1. eſt ſemper in motu, 430.2. eius fluxus, & refluxus cauſatur à Luna, *ibid.* eius allegoriæ, 445.1

MARIA beata propter prolem, 24.1. vultu pulcherrima, 43.1. nubes protegens ab æſtu malorum, 67. 1. quare dicatur Domus aurea, 68.1. eius auxilio Arcturus in bellis inuictus fuit, 68.2. eſt Regina Angelorum, 93.1. maternitatem cum Virginitate coniunxit, 109.1. eſt lectulus Salomonis militibus ſtipatum, 110. 1. miſericordię eſt abyſſus, 126.1. eius miſericordiæ latitudo, longitudo, altitudo, & profunditas immenſurabilis, 127.1. Soli, & Lunæ cur comparata, *ibid.* eſt terribilis Diabolo, 142.1. eſt ei amarum mare, 142.2. Spirituum manus debellat, *ibid.* eius inuocato nomine trepidant dæmones, 143.1. Palmę eſt ſimilis, quia cum victoria nata eſt, 143.2. Sanctis omnibus eſt excelſior, 164.1.2. culpa originali præſeruata fuit, 187.1. gratia pleniſſima fuit, 205.1. Gratiarum fons omnes replens, 226.1. protectio, & requies ſpiritualium, 244.1. eſt arbor pulcherrima, 245.1. fructus bonorum operū eius Eccleſiam ſatiat, 260.1. eius Vterus electorum frumētum, & Angelorum panem produxit, 274.1. Vinum poſt Chriſtum maximè lætificans Cor, 295.1. eſt Vinū Claretum, *ibid.* eius Venter Crater Vino Diuinitatis plenus, 296.1. eſt Cedrus à peccatorum tineis aliena, 307.1. eſt ſeruire vtile, & honorificum eſt, 321.1. eſt hominum Aduocata 335.1. eſt Luna rutilans propter diuinam maternitatem, 353.1. ex abſentia eius protectionis maxima mala Animam vexant, 365.1. peccatorum eſt Aduocata, 376.1. Roſæ ſimilis, quia ſpinis peccatorum ſua interceſſione ſtipatur, 376.2. Sol eſt mundum vniuerſum illuminans, 388.1. per orationem potentiſſima eſt, 411.1. Aduocata noſtra apud Filium, 411.2. Cęlum, & Thronus Dei, 426.1. eſt Gratiarum Oceanus, 443.1. Maris Stella ſaluans, in mundanis fluctibus, 462.1. inter Deum, & homines mediatrix eſt, 476.1. Dei manus eſt, per quam omnia bona nobis largitur, 482.1. in Filij paſſione maximis doloribus cruciata fuit, 491.1. Mare fuit amarum per inundantiam pęnarum, 492.1. miraculosè in vita ſeruata eſt, 492.2. Humilitatis virtute clariſſima, 517.1. in Celo maxima rutilat gloria, 526.2. eſt morientium præſidium, 539.1. eius aſpectus libidinoſas cogitationes expellebat, 547.1

Materia prima ſecundum poſitionem Ariſtotelis non datur, 396.1.2. materia rerum naturalium quæ ſit 397.1 non eſt a primis elementis diſtincta, *ibid.* nulla materia ſine forma remanet in corruptione, 398.1

Miniſtri Dei charitate ardere debent, 90.2. debent eſſe veloces ad Dei mandata exequenda, 92.2

Miſericordia Dei peccatoribus extendit Cęlum, 39. 2. ipſa, non opera noſtra nos ſaluat, 287.2. miſericordia noſtra in pauperes ieiunium Deo acceptabile reddit, 288.2

Mons Veſuuius decreſcit, 53.1. Nullus Mons eſt immunis à pluuia, 54.1. Quid ſit mons, 147.1. ad vtilitatē hominum facti ſunt montes, 147.2. ad congregandas, & compeſcendas aquas, 148.1. Quando creati fuerunt, 148.2. montium fertilitas, 149.1. fluuiorum ſunt parētes, 149.2. eremiticæ vitę deſeruiunt, *ibid.* De Ephraim, Athos, Veſuuij, Aetnæ, & aliorum montium fertilitate, 150.1. Montium prodigia, 150.2. De monte Zeilan, Ararath, Sinay, Abarim, Gelboe, Carmelo, &c. 151. 2. & 152.1.2. De monte, vbi ſita erat Nazareth, *ibid.* De Tabor, *ibid.* De Oliueto, Caluario, Caietano, Aluerno, 153.1.2. montium allegoriæ, 129.2. & 167.1

Mors Viuentium quibus ex cauſis proueniat, 486.1. triplex eſt per defectum, per exceſſum, & per continui diſſolutionem, 486.2. alia ab intrinſeco; alia omninò extrinſeca, *ibid.*

Mundus creatus tempore Autumni, & Sol in initio libræ, 340.2. creatus in principio temporis, 343.1. non potuit eſſe ab Æterno, 342.2. nec prius creari 148.1. Mundanarum rerum ſtatus labilis eſt, 438.2. Mundani ambulant vias latus, quæ ducunt ad mortem, 435.2.

N

N*Auis*, cur ſic dicta, 448.1. De eius inuentore variæ ſententiæ, 448.2. Ratis a Naue in quo differat, *ibid.* Trieres, ſeu Triremes propriæ incolarum circa littora mediterranei, 349.1. Nauis allegoriæ, 463.1

Nix quomodo generetur, 52.2. in editiſſimis montibus ſemper conſeruatur, 54.1

Noe, vini fuit inuentor, & ideo vocatus Ianus, 279.1. ei carnes comedendi facultas data eſt poſt diluuium, & quare, 266.2

Nomen Dei, quodnam ſit, 11.1.2.

Nubes. Nebulæ, quomodo generentur, p. 52. c. 2. num. 1. & ſequent.

O

O*Bedientia* creaturarum erga Deum maxima, 85.1

Oleum, eſt pinguedo condiens cibos. 281.1. Athenis primo inuentum à Mineruа, & Ariſtæo, 281.2. ſed ante illos Mercurius Trimegiſtus in Ægipto demonſtrauerat: *ibid.* cibos condit, eſt medicamen,

pacis

pacis ſignum, 281.2. Oleum peccatorum eſt adulatio, 290. 1. eius allegoriæ, 299. 2.
Onager quodnam animal ſit, & quare ſic appellatur, 217.1. facilè e fero fit manſuetus *ibid.* ad ſeminationem idoneus eſt, *ibid.* eſt Zelotipus.*ibid.* præcipuè in Africa reperitur, 217.2.& in India, & Polonia *ibid.* diurnas, & nocturnas horas rugitu demonſtrat. *ibid.* eius allegoriæ. 230.2
Onocrotalus, Auis eſt Cigno ſimilis; de eius natura, & piſcatione.234.1
Opus bonũ fructificat vitam æternam, 258. 1. operum allegoriæ, 263.2. ſine Dei miſericordia nil valet,287.2. opus Dei proprium miſereri, 424.1. opera noſtra bona ſunt per gratiam Dei; mala per noſtram malitiam. 508.2
Oriens duplex abſolutum, & reſpectiuum. 381.1. Diem,& annum ſolarē determinat.382.1.Alleg.390.2
Oſiris Idem cum Baccho vini inuentor in Ægipto, 240.1

P

PAnis principium vitæ hominis, & ſic dictus a πᾶν, quod eſt omne. 281. 1. ab initio mundi aliqua panis ſpecies ſemper extitit.*ibid.* ex farina variorũ leguminum fit. *ibid.* ex radice *chara. ibid.* ex tritico in Sicilia primò factus a Cerere, ſeu Iſide, quæ inde in Ægiptum detulit, *ibid.* etiam odor triticei panis nutrit, *ibid.* eius Allegoriæ.277.1.
Paradiſus Terreſtris eſt realis hortus, a Deo verè, & realiter creatus, 301. 2. Voluptatibus plenus, ſed vbi creatus fuerit incertum, 302.1. eius pulchritudinis deſcriptio,*ibid.* in eo Primi Parentes per octo dierum ſpatium inhabitarũt.302.2. probabile eſt etiam, nunc extare,303.1.ibi ſunt Enoch, & Elias, & ſecundum aliquos etiam D. Ioannes Apoſt. & illi, qui in Chriſti Morte ſurrexerunt. *ibid.*
Pauper, *Paupertas*. Pauperes eligit Deus ad frangendam mundi ſuperbiam,180.1. paupertatis vtilitas etiam apud ethinicos, 181.1
Peccator, *Peccatum*, eſt veſtis ſordida, 45. 1. Obſtinatus numquam peccatum relinquit, 219.2. peccator amat Cœleſtia cum peccatum relinquit. 223.1. maximi peccatores conuerſi Duces fiunt aliorum in Spiritu.317.1. Peccatum tenebroſam Animam reddit, 360.1. Peccator Leonis infernalis Catulus,370.1. numquam in hoc mundo quieſcere poteſt, 439. 2. non numeratur inter homines, 441. 1. Per pœnitentiam illudit Diabolo, 455.2. prima peccati ſuggeſtio perniciosa, 458.1. Peccator eſt Diaboli cibus. 469.2. Peccatum dicitur carentia iuſtitię debitæ,542.1.quid ſit reatus per quē peccator dicitur peccator.542.1.2. Peccata Deum videre quid ſit. *ibid.* quomodo odio haberi poſſit, 543. 2. Deficit a malo cum pænitet. *ibid.* Peccatoris, & peccati allegoriæ, 548.2.
Pellis allegoriæ. 46.2.
Perfectus ad proximorum axilium deſcendere debet, 163.1.magis perfectus Deo magis ſeruire tenetur, 243.1
Piſcis cundicatur reptile, & natatile, 432. 1. eius duo Genera præcipua,ouiparum,& viuiparum.432.2. variæ ſub his Generibus ſpecies enumerantur, *ibid.* modus generationis eorum duplex, *ibid.* libenter ouant in aqua dulci 433.1. Caſtitas in eis elucet. *ibid.* diuerſa pabula amant ſed vt plurimũ maiores glutiũt, minores,433.2. piſcium proprietates referuntur,*ibid.* & 434.1.eius allegoriæ.446.1.
Planta, Vide *Herba*.
Plato, naturali ductus ratione Purgatorium, & Infernum cognouit,pag.83.2. Deorum nomine Angelos intellexit,73.1. Creationis cauſam Dei bonitatem dixit, *ibid.*
Pluuia, quomodo producatur, 52. c. 2 & ſequen. etiam ex cœleſtibus aquis fit.53.1. cauſa efficiens prima Deus, ſecunda Sol & reliqua ſydera, 250.1. Quæ ſydera, & in quò aſpectu cauſent pluuias ſecundum Aſtronomos, *ibid.* Quando fiunt aperitiones portarum *ibid.* Aqua pluuialis magis fœcunda eſt quam aliæ, 250.2.amicis dat bonas pluuias Deus, non inimicis.251.1. Pluuiæ cretæ, lapidum, lanæ, piſcium, ferri.252.2.aliæ pluuiæ diuinitus factæ in ſuorum auxilium.253.1.2
Pluuiæ allegoriæ 262.1.
Pœnitentia, eſt lux. 44. 2. per ipſam gratia Dei recuperatur, 387.1. Hic exercenda, nam poſt mortem nulla Redemptio. 525.2
Poeſis. De eius inuentione, vſu & vtilitate. 520.1
Potens, in Potentibus deliciæ, & voluptates præualent, 126.1. paſcendo pauperes in virtutibus creſcunt,305.1. per vim bona pauperum quæ Dei ſunt, rapiunt,374.1.Simulando ſanctitatē decipiunt, 375.1
Prædicator, magis mouet exemplo quã verbo, 17.1 eſt Cœlum. 46. 2. eſt nubes fœcundans Eccleſiam, 64.2.eſt Angelus,88. 1.
Prælatus perfectior alijs eſſe debet, 158.1. ſubditi ſecundum eius exemplum viuere ſolent, 306. 1. eius negligentia grex Domini deuaſtatur,363.2
Principium, & finis rerum omniũ Deus eſt, 493.2. rerum naturalium, quæ & quot principia ſint, 493.1. Priuatio non poteſt eſſe principium, 493.2. non omne principium eſt cauſa,494.2
Prouidentiam Dei, quomodo probetur dari, 465.1 eius Definitio, 465.2. eius effectus demonſtrantur, 466 1. obiectiones contra ipſam ſoluuntur, 467.1. tam bonos quam malos paſcit.479.1
Pſalmus, eſt laus Dei cum cantico, 2. 1. 103. laudat Deum propter opera creationis, *ibid.* eſt Epilogus operum ſex dierum, 2. 2. Diuinam Sapientiam oſtendit, 3.1. Trinitatem declarat 4.2.
Pſalterium, eſt liber laudationum, 2.1.&10.1.quot Authores habuerit.1.1
Puluers pyrij vis,132.2. ſi ex auro conficiatur ſimilem tonitruo ſonum, & effectum habet, *ibid.*

R

REligioſi, Duces ſunt ſæcularium ad vincendum Diabolum,318.2

S

SAcerdos, appellatur Deus.27.2
Sanctus eſt Dei veſtis, 37. 2. quidquid ad Sanctorum honorem fit hilariter faciendum, 289.2. Certius eſt dum infernalem ſerpentem ſuperat, 330. 2. etiam ipſe in Iudicio extremo timebit. 515.1
Sapientia, Dei inueſtigabilis nobis,118.1. ſtat ſupra mentes a mundo eleuatas, 123. ſapientia creata quid ſit,117.1. duplex eſt habitualis, & actualis. *ibid.* Diuina Sapientia duplex eſſentialis, & notionalis, *ibid.* declaratur triplici exemplo Ignis, ſpeculi, & Imaginis, 417. 1. 2. quomodo Sapientia genita producitur,418.1.eius Æternitas oſtenditur,418.1.2.& 419.1. Sapientiæ tribuitur creatio, vt oſtendatur Deus ſapientia creaſſe, 419. 2. vt eius ſapientia innoteſceret mundo, *ibid.* & tertio quia in ſapientia ſunt ideæ omnium creabilium,420.1.magnam ſe oſtendit dum peccatores ſaluat.422 2.allegoriæ, 427.1.
Scientia eſt lux, 44.1

Digitized by Google

Scriptura ſacra eſt ſpeculum Animæ.22.1. eſt Cœlum, 40.1.

SOL, vt oſtenderetur creatura, & non Deus, eius creatio tertia die facta narratur,337.1.2.mouetur per ſe nulli affixus Cœlo, 339.1.& eſt ignea Fornax ſeu igneus globus,343.2.probatur Authoritate, & ratione,344.345. eius laudes, ibid. Sol cauſat annum, & eius quatuor tempora, 345.2. eſt, poſt Deum, ſimul cum Luna, & ſyderibus cauſa vniuerſaliſſima rerum 345.2. & 346.1. perfectam obedientiam nos docet, 352.1.eius allegoriæ,356.1. ſuo exortu artificialem diem efficit,381.1. obliquè, & ſpiraliter mouetur, & hinc oritur dierum inæqualitas,382.1.omnia illuſtrat, 382.2.varij Solis exortus effectus.383.1

Spiritus quid ſignificet,72.1

Spiritus ſanctus. eius gratia mentes Sanctorum irrigat.253.2. Spiritus allegoriæ,493.2. Spiritus ſanctus Deus eſt,494.1. per voluntatem diuinam a Patre, & Filio procedit, 494.2. eſt Amor Spiratus,ibid. Quare Creatio ad extra ei tribuatur. 495.2. De alijs eius appropriatis, ibid. ad nouam vitam generat, 496.2. remouet a malo & firmat in bono, 497.2. Dei imaginem in nobis renouat,498.2

Spiritualis, negotia mundana tractare non debet, 184.2.viuere remotus a terrenis debet, 237.1. & ſub aliorum obedientia, 240.2. de virtute in virtutem proficere debet, 254.2. in Prælatum eligi debet ſi ſit humilis,442.1

Stellæ, Sydera, quo lumine fulgeant, 31.2. mouentur in Cœlo liquido, ipſo, & terra immotis, 100.1. & 339.1. & hoc demonſtratur euidenter, 431.1.2. earum effectus in ſublunaria, 346.1.2 ſunt cauſæ pluuiæ, & quæ, & in quo aſpectu, 250.1.pugnauerunt contra Siſaram cauſando tempeſtates ventorum, & grandinis,250.2.

Superbus, ſe ſolum extollit, & alios contemnit, 242.1.eſt Vaſſallus Diaboli,370.2

T

TEmpus,ante mundum non fuit,343.1.a Lunæ motu dependet,340.1. item, a Sole 344.1. eius partes tres præcipuæ, Dies, Menſis, & Annus, 340.1. Temporis allegoriæ,355.2

Tenebra quid ſit.357.1.2. cur dicatur facta,357.2.noctem conſtituit. ibid. eius vtilitates, 358.1. eſt prima pars Diei naturalis,358.2. creatio mundi cæpta in tenebris,359.2.eius allegoriæ.366.1

Tentatio, vires noſtras nō excedit,177.2. non fit niſi permittente Deo,372.1.permittitur ad noſtram vtilitatem, 373.

Terra, eſt elementum, & præcipuum. 98.1. ſimul cum aqua vnum globum conſtituit.ibid. a Sole illuminatur,ibid. eſt mater, nutrix, Patria, & ſepulchrum Hominum,col.2. quare dicatur fundata ſuper aquas, 99.1. Diuina voluntate ſuomet pondere firmatur, ibid. opiniones antiquorum, & recentiorum de motu terræ,99.2.Nec terra nec Cœlum mouetur, ſed ipſa ſydera,100.1. obiectiones contra eius immobilitatem ſoluuntur,101.1. Terræ fertilitas eſt ab aquis, & præſertim pluuijs,250.2.& 251.1. Quæ ſint aliæ cauſæ,252.1.Variæ Terræ fertiles recēſentur. ibi. Terræ allegoriæ.111.1. quomodo plena fuerit habitatoribus poſt diluuium,421.1.&c.noſtra mater, Nutrix, Altrix, materia, & ſepulchrum eſt. 387.2

Terræmotus, ab aere in terra incluſo cauſatur.514.1. a Deo cauſatur vt homines terreat, ibid. De varijs effectibus terræmotus,514.2.De Terræmotibus totaliter ſupernaturalibus, 515.1

D. Thomas Apoſtolus abyſſus tegens Eccleſiam, 122.2. eius fidem roborauit, ibid. ſpem firmauit, 123.1 charitatem oſtendit ibid. eius dubitatio multas hæreſes confundit.123.2

Timor, eſt firmamentum humani cordis in bono. 102.1. peccatum expellit.136.1. timendum eſt, ne deſeramur a Deo. 349.2

Tonitruum, vnde dictum.133.1.a quibus cauſis producatur.133.2

Tribulatio Cœlum acquirit. 57.1. nobiſcum Tribulationem Deus ſuſtinet, 57.2 iuſtum fouet,& roborat, 120.2.De Tribulationum ſpinis per Chriſti mortem flores naſcuntur,333.2 Per tribulationes Luna Eccleſiæ creſcit,348.2.Tribulatio ſignum eſt diuinæ præſentiæ, 516.2

TRINITAS declaratur in Pſal. 103.4.2.eius Imago in homine in quo conſiſtat,399.2

Triſtitia, quid ſit, 85.1

Turbinis luſorij deſcriptio,121.1

V

VEntus, quomodo producatur, 54.2. eius Definitio,55.2. diuitio,56.2. nomina.57.1

Verbum Dei, eſt firmamentum Eccleſiæ,107.1. Animam nutrit,293.2.Quid ſit Verbum in mente noſtra, 418.1.ad hoc vt verè ſit ſermo non eſt neceſſe, vt ore proferatur,418.1.2.Verbi diuini æternitas oſtenditur ibid.& 419.1

Veſpera, ab ipſa incipit dies, & ante diem artificialem extitit,358.2. eius allegoriæ.415.2

Vinum, ante diluuium incognitum: 279.1. eius inuentor Noe,ibid. Bacchus, ſeu Oſiris in Ægiptum inuexit,280.1. Dionyſius, etiam Bacchus dictus Ceruiſiam,ſeu Zythum inuenit, ibid. Vinum lætificat cor, ſtomachum roborat, eſt antidotum contra venenum cicutæ,280.2.vlceribus medetur, pigritiam tollit, deuotionem excitat.281.1.eius allegoriæ,296.1

Virginitas, eſt veſtis aurea, 45.2. homines Angelos facit, 86.2

Virtus, eſt penna ad Cœlum euehens,63.2

Vita, hominis velociter pertranſit, 65.1.vita præſens tempus laboris, cui ſuccedit æterna requies. 405.1. eius allegoriæ, 528.2

Vultur, Vide *Aquila*.

Regi Sæculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo Honor, & Gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google